35216/D

461 Ar 4

H. VI man

JO. JACOBI

MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,

BIBLIOTHECA

CHIRURGICA,

QUATUOR TOMIS COMPREHENSA.

JO. JACOBI

MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,

& Sereniſſimi ac Potentiſſ. REGIS PRUSSIÆ Archiatri,

BIBLIOTHECA CHIRURGICA,

SIVE

Rerum ad ARTEM MACHAONICAM quoquô modô ſpectantium

THESAURUS

ABSOLUTISSIMUS;

QUO OMNES PRORSUS HUMANI CORPORIS AFFECTIONES; Chirurgi Manum, aut aliam aliquam ejuſdem Operam expoſcentes, *Ordine Alphabeticô* explicantur;

ET PER CURATIONES, OPERATIONES, CONSILIA, OBSERVATIONES, AC CADAVERUM Anatomicas inſpectiones, è variis, iiſque præſtantiſſimis Autoribus, Veteribus ac Recentioribus petitas, abundè; imò & curiosè tractantur. *Cum* FIGURIS *æneis neceſſariis.*

TOMUS PRIMUS.



KONINKL. BIBLIOTHEEK TE'S HAGE.

GENEVÆ,

Sumptibus GABRIELIS DE TOURNES & FILIORUM.

M. DCC. XXI.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM

ENCYCLOPÆDIAM Medicam integram nos compilâſſe jam olim opinati fueramus, ac propterea ſic in Bibliothecâ Chemicâ Curioſâ præfabamur. *Poſtquàm Encyclopædiam Medicam, favente Deô, abſolvimus, eámque variis Voluminibus, Bibliothecâ, nimirum, Anatomicâ, Bibliothecâ Medico-Practicâ, ac Bibliothecâ Pharmaceutico-Medicâ, comprehenſam hactenus dedimus: Jam pro Auctario, ac in Curioſorum gratiam, Bibliothecam Alchemicam ſubjungimus; &c.* Verùm re poſtmodùm diligentiùs penſitatâ, nos in hôc hallucinatos deprehendimus, illámque Encyclopædiam in Chirurgicis, quæ Medicinæ ignobiliorem ſanè partem non conſtituunt, mancam reperimus: Quamvis etenim de iis quædam Bibliothecæ noſtræ Medicæ interſperſa ſint; non ſic tamen Corpus ſatis abſolutum confici poteſt, ut inde tota Chirurgia addiſci queat. E re itaque viſum eſt hanc Medicinæ Partem de novô aggredi, ac ſub Bibliothecæ Chirurgicæ Titulo quatuor Voluminibus comprehênſam exhibere. In eâ autem adornandâ, iis uſi ſumus, quæ apud Veteres, ut & mediæ ætatis Autores, Chimiſtáſque ac Recentiores Scriptores, accuratiſſima apparuerunt. Verbi gratiâ, in illis quæ de Ulceribus ac Vulneribus enarravimus, præter Curationes, Conſultationes, & innumeras Obſervationes, undequaque magnô ſtudiô con-

quiſitas; tradidimus 1°. quod doctiſſimus atque exercitatiſſimus Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, in hiſce argumentis è Veteribus, præcipuè Hippocrate, Galenô, atque Celſô; ac etiam è propriâ Experientiâ, Coævorumque ſuorum verè induſtriâ Praxi, excerptum vulgavit. Aquapendenti ſubjunximus Paracelſum; non ſolùm tanquam Chimicorum Principem; ſed etiam quia de Chirurgicis ex profeſſô egit, in ſuâ Chirurgiâ, tum Majore, tum Minore. Iohannem Munnicks iſtos ſubſequi placuit; quia nullus inter Recentiores Materias Chirurgicas dilucidiores dedit, aut ſtylô magis elimatô ac tersô in ipſis edocendis uſus eſt. Quibus omnibus Famoſiſſimi Cæſaris Magati methodum, quatuor Aphoriſmorum Centuriis, à Præclariſſimô Dionyſiô Andreâ Sancaſſanô, Comachii Medicô Primariô adornatis, comprehenſam, ſuperaddidimus. Idem propè ordo in Tumoribus, Fracturis, ac Luxationibus obſervatus eſt: Verùm in præcipuis aliis Operationibus Chirurgicis; Lithotomiâ, v. g. Caſtratione, Trepanatione, Cataractæ depoſitione, Cancri extirpatione, Aneuriſmatis curatione, Paracentheſi, &c. Poſtquam unô verbô rationem quâ in iis peragendis ſe gerebant Veteres, attigimus; ad Mediæ Ætatis Autores, ac etiam Recentiores, unicè confugimus; quia commodiùs multò, ac fauſtiori cum ſucceſſu agunt. In iis autem omnibus, de quibus hactenùs ſermo fuit, ut & aliis permultis Compilationem hanc conficientibus, adhibitum eſt quicquid aptiſſimum creditum compingendæ Bibliothecæ Selectiori, illis inſtituendis idoneæ, qui in ſuis neceſſitatibus ipſam conſulent. Non etenim animus fuit Bibliothecam Chirurgicam Univerſalem concinnare, immenſæ vaſtitatis Opus, oneri potiùs, quàm alicui vero emolumento natum. Fatemur autem hic, quòd facilè excidere ac omitti potuerunt Autores Eximii, illis quos adhibemus forſan ſuperiores, aut ſaltem pares. Verùm Superiores nullos novimus, & inter Æquales ſelectio libera fuit. Interea tamen, ſi ex Doctorum indicatione, aut ex noſtrâ perquiſitione, ſatis multi in poſterùm innoteſcant, è quibus ſupplementum, ordine Alphabeticô, non ſecùs ac hoc ipſum Opus, confici queat, nos illud ſuô tempore, favente Deô, præbituros pollicemur; eâdem omninò ratione quâ Autores qui Moreri Dictionario Hiſtorico illuſtrando inſudarunt, duobus Supplementorum Voluminibus, ipsô Dictionarii Corpore intactô, illud noviſſimè locupletârunt.

Hic verò forſitan objicietur; concedendo etiam quòd non omiſſi fuerint Præſtantiores Autores; Selectionem noſtram in eô tamen defi-

cere,

cere, quòd plura cum iis accumulet ineptiora; Paracelſum v. g. in Ulceribus & Vulneribus cujus deliramenta, quis non novit? Taliacotii Tractatum, quamvis longiusculum, ſuper Carnibus ablatis reſtituendis, aut Chirurgia Curtorum, ut vulgò dicitur; etiamſi ejuſmodi Operatio prorſus jam aboleverit. His adde, quòd Aquapendentis, Marci Aurelii Severini, Gulielmi Fabricii Hildani, aliorumque multa adducuntur, ratiocinationibus hodiernâ die inadmiſſibilibus referta. Verùm hiſce ſequentia regerere liceat. 1°. Quod Paracelſum ſpectat, Chimiſtæ merito improbâſſent, ſi Illum de Ulceribus, ac Vulneribus, in ſuis Chirurgiis, Majore & Minore, ex profeſsô ſcribentem, in noſtrâ hâc Bibliothecâ productum minimè vidiſſent. Sed præterea ille idem Paracelſus, qui deliramenta quædam profert, terminiſque barbaris & obſcuris inter ratiocinandum ſæpiſſimè utitur; imò qui in ſui temporis Medicos, ac Chirurgos, frequenter & vehementiùs inſultat; quia & ab ipſis benignè non habebatur; ſed potiùs maledictis onerabatur: Ille, inquam, idem Paracelſus, iis qui attentô animô Scripta ſua legere non dedignantur, Cautiones in Sanationibus adhibendas, accurationèſque ante ſe prorsùs incognitas, ac verè utiles revelat: Imò remedia eximia, eorumque præparationes, verbis minimè fucatis, ac nitidis uſus, ſubinde deſcribit. Cenſuram itaque publicam nos magnô noſtrô meritô incurſuros credidiſſemus, ſi hunc Chimiſtarum aliquô modô Principem; qui magnâ cum laude in Noſodochiis, ac inter Exercitus Chirurgiam exercuerat, & qui pro Arte ſuâ apud Curioſos perficiendâ, tot ac tantas peregrinationes ſuſceperat, omiſſum deſeruiſſemus. Quicquid autem falſum, aut erroneum in ejus ratiociniis reperitur, in nos minimè ſuſcipientes, non ſic tamen minùs nobiliſſima fragmenta Practica, totâ attentione Magiſtrorum Artis digniſſima, quamvis aliis vilioribus, ac etiam aliquando futilibus interſperſa, ab hâc Bibliothecâ exulare voluiſſe, piaculum credidiſſemus. Non itidem in nos ſuſcipimus illud omne quod vitioſum præbent ratiocinationes, ab Aquapendente, Severinô, Hildanô, aliiſque Famoſiſſimis Viris, in Operationibus, quas tam accuratè deſcribunt, ſubinde inſertæ: Verùm illa minimè reſecari poterant, ſine totius Obſervationis, quam verè Magni illi Artis Chirurgicæ Magiſtri nobis exhibent, laceratione damnabili. Præterquàm quòd aliquid curæ ſinendum videbatur Docto Lectori, in ſelectione eorum quæ in hâc noſtrâ Compilatione producimus, & timebamus ne crimini aliquô modô verteretur, ſi nihil illius diligentiæ commiſſum ſervaretur. Taliacotium quod attinet, quamvis ipſius ratiocinia principiis Veteris cujuſdam Philoſophiæ, quæ apud

Modernos noſtros minùs bene ſapit, innixa reperiantur: Ejuſdem tamen Scripta tantam eruditionem undique ſpirant, hujúſque etiam ipſæ digreſſiones ſunt tam doctæ, ut omnia apud eum cum oblectamentô legantur, nec aliquid ex eleganti ejus Opere exſcindi potuerit, ſine Lectoris noſtri injuriâ; qui in Aureô hôc Tractatu, cujus Exemplaria jam deſiderantur, aut rariora fiunt, inveniet deſcriptionem accuratiſſimam, omnibus ſuis circumſtantiis & figuris neceſſariis munitam ac ornatam, pro Operationibus exercendis, hodiernâ quidem die minùs uſualibus, quàm Autoris ævô; non tamen propterea omninò eliminandis ac rejiciendis. Dicimus quòd Taliacotii ævô Chirurgiæ Curtorum exercitium admodùm uſuale erat; quia ſcilicet ejus occaſiones non parum frequenter occurrebant, propter barbaram crudelitatem eorum qui Exercitibus, ac præcipuè Italicis, præerant. Illi etenim Captivorum ſuorum, cujuscunque demùm Sortis ac Dignitatis forent, Naſum, Aures ac Labia ſæpiſſimè reſecabant: Quarum partium amiſſio, cùm ſic mutilatis moleſtior quàm mors ipſa videretur, non mirum ſi longos ac intenſos dolores ſubire minimè recuſabant pro ejuſcemodi jacturâ aliquatenùs reſarciendâ. Haſce autem Operationes Autor noſter methodô tam perſpicuâ ac dilucidâ exponit, ſtylôque utitur tam nitidô & explicatô, ut Lector attentus illarum executioni ſe quaſi intereſſe credat. Adde quòd ex ejuſmodi lectione addiſcuntur innumeræ circumſtantiæ, quarum influentiæ per alias quamplurimas Operationes Chirurgicas latè diffunduntur, iiſque accuratiſſimè exercendis non mediocrem fenerant lucem. Aſſerimus quòd nihil dolorum recuſabant illi, quibus Naſus, & alia exciſa erant, pro eorum reparatione. Hoc autem maximè patebit iis, qui apud Aurelium Cornelium Celſum Operationem in Recutitis exercitam legent; quam & nos, Capite de Penis Morbis, hujus Bibliothecæ, Voluminis Tertii pag. 467. recenſemus. Ibi etenim videri poteſt, quantis cruciatibus; imò & periculis ſe exponebant ii qui circumciſi fuerant, pro Præputiô ſuper Glandem reducendô, & devitandô opprobriô, in quod per hujus Præputii exciſionem, in Balneis Publicis incurrebant.

Alia rurſus, ſuper hâc noſtrâ Editione recenſenda, ac enodanda, quibuſdam forſan videbuntur: Verùm iis, utpotè, vel minoris momenti, vel facilis admodùm ſolutionis, immorari cùm ſupervacaneum arbitremur, totam hanc Præfationem, duabus aut tribus non infimi ponderis conſiderationibus, claudemus. Quippe Docti quidam nos admonitos voluerunt, Indicis accurati, quô quaſi unicô oculi ictû, quicquid in hâc Bibliothecâ exquirendum

veniet,

veniet, cerni queat, adjectionem eſſe prorſus neceſſariam. Verùm ipſis ſequentia reponere liceat; quòd cùm agatur de Opere, in quô omnia ordine alphabeticô explicantur, & ad formam Dictionariorum traduntur; Index foret maximè inutilis, ni variis argumentis ac rationibus munitus conficeretur; unde in eam molem excreſceret, quæ volumini integro complendo ſufficeret; tuncque non parum oneroſum eſſet, in conſulendô hôc Indicis Volumine, alia quatuor, ad quæ illud referretur, ſemper præ manibus habere. Nam v. g. in Oculorum, in Uteri, ac in aliarum Corporis Partium Morbis, non tantùm ex Indice relationes haberentur ad hoſce Morbos, ſuô quique ordine, ſub propriâ Alphabeti literâ, ſeorſim pertractatos: Sed etiam ad varias ſingularitates, vel ſub propriô eorundem ordine omiſſas, vel alibi non æquè commodè referendas; quàm ubi in genere agitur de Morbis Corporis Partem aliquam ſpectantibus. Præterea omnibus ritè ſupputatis, certiſſimum eſt quòd Index propoſitus omitti poteſt, & quòd etiam maxima pars eorum, qui in hôc Opere aliquid exquirere cupient, ab illo confectô abſtinerent. Nam, exempli gratiâ, ſi animus ſit edoceri, quid & quomodo, in Fracturis, Luxationibus, Ulceribus, Vulneribus &c. Veteres ſint operati? præſto mihi erit, in horum Capitum fronte Illuſtriſſimus Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Magni Fallopii Digniſſimus Diſcipulus, qui, ut plurimùm, de hiſce deſcriptiones non parum accuratas exhibet. Si rurſùs quid Doctiſſimus ac experientiſſimus idem ille Vir in iſtis morbis egerit, ac quomodo Curationes ſuas perfecerit, ſcire aveam? Hoc ipſum mihi perſpectum erit, per evolutionem paucarum admodùm paginarum, è Præſtantiſſimô hôc Autore exſcriptarum. Eâdem cum facilitate edoceri poſtea potero methodum à præcipuis Chimiſtis, & Paracelsô in ſpecie, ſuper iiſdem morbis adhibitam; ut & ſub eôdem tenore, quicquid Recentiores noſtri utiliſſimum, ac tutiſſimum reputârint. In illa etenim omnia, per Titulos & Argumenta, ſingulis variorum Autorum Enarrationibus, diſtinctiſſimè præfixa, commodè deducimur. Idem dici debet de Conſultationibus, ſeu Conſiliis Chirurgicis, ſuper Caſibus ſpecialibus, ſub morborum, ad quos pertinent, nominibus comprehenſis, ut & de Obſervationibus innumeris, eorumdem morborum, vel varias Curationes, vel Symptomata, vel alia multa in iis adnotata, ac etiam Cadaverum inde denatorum, Exſectiones, ſpectantibus. Titulorum etenim prædictorum, ipſarum ſingulis appoſitione, materiæ conquiſitæ, ſine ullâ ad alium locum, aut Voluminis paginam rejectione, præ-

ſentes

ſentes ſe ſe offerunt. Aliquid etiam ampliùs, reſpectû Obſervationum addi poteſt: Nam, ut mox obiter attigimus, præter eas, quæ v. g. de Cancrô reperiuntur in propriô Capite, quod horrendi hujus morbi tractationi deſtinatur; aliæ non parum curioſæ exquiri & adinveniri poterunt ſub titulô Partium quæ illô præcipuè affliguntur, Mammarum, nempe, Vteri &c. Idem advertendum venit ſuper aliis variis Caſibus particularibus, quos pleniſſimè edocebitur Lector diligens ac attentus, qui Librum cum aliquâ ſedulitate evolvere, ac ejus Oeconomiam perſpectam ſibi facere, non dedignabitur. Sic etenim nihil prorsùs illius attentionem effugiet, & prætermiſſô labore, qui in Indice conſulendô neceſſariò impenditur, cujuſque ad materias in Librô contentas, relationes, per Operarum incuriam, ſæpe erroneæ ſunt, ſub ipſius oculis, & ſine ullâ, ut jam dictum fuit, ad alias paginas rejectione, lectis aliquot in unô quôque Capite Titulis, quod ſibi examinandum proponit, ac de quô erudiri cupit, præſens ſiſtitur.

Iis quæ hactenùs diſcuſſimus, jam adjungendum venit, quòd quandoquidem Chirurgi Galli, de Operationibus Chirurgicis Tractatus verò eximios tradiderunt; ac inter eos Experientiſſimi Viri, Thevenin, Verduc, Lacharriére, Lavauguion, Dionis &c. (qui ex Recentioribus in hôc Scriptionis genere non parum inclaruere) multa commentati ſunt; è re omninò videbatur ut de illis plura excerperentur, quæ noſtro inſtituto complendo apprimè facerent: Interea tamen cùm Itali, qui accuratioris Chirurgiæ Reſtauratores, ſi non Fundatores, magnô ſuô meritô, dici debent, & inter quos Nomina omni in hâc Arte reverentiâ digna, occurrunt, Fallopii, Taliacotii, Aquapendentis, Marci Aurelii Severini, Magati, Petri de Marchettis, aliorumque non paucorum. Præterea cùm Germani, Batavi, Angli &c. inter quos eminent Scultetus, Magni Aquapendentis Diſcipulus, Gulielmus Fabricius Hildanus, Petrus Pavv, Thomas Fienus, Carolus Drelincurtius, Tulpius, Rhuyſchius, Meckeren, Stalpart, Munnicks, Groenevelt, Nuck, aliique multi; ac præcipuè Illuſtriſſimæ Naturæ Curioſorum Academiæ Germanicæ Digniſſimi Socii; Latinâ linguâ nobis exhibuerint, aut Tractatus integros earundem Operationum, aut aliquarum inter illas in ſpecie Deſcriptiones; aut egregias Obſervationes, quæ ipſis illuſtrandis quàm maximè conferunt; difficillimum erat aliquid ſuperaddere iis quæ à Præclariſſimis hiſce Viris acceperamus; ſi modò excipias quod Famoſiſſimos Chirurgos Gallos edocuit longa exercitatio, adjunctâ Nobili Induſtriæ Nationi quaſi connatæ; idque præprimis pro corri-

gendis

gendis atque expoliendis Inſtrumentis, quibus in Operationibus ſuis exercendis, cum majori facilitate, atque minori cum periculô, ſic utuntur: Quorum etiam Inſtrumentorum aliquid tradimus; tum in Tabulis, ſub Titulo, Inſtrumenta Chirurgica, allatis; tum etiam in pluribus hujuſce Operis Capitibus; cum explicationibus, eorum ideam, ut arbitramur, tam aptè præbentibus, ut & ipſorum Fabrica ſub oculos quaſi cadat, & methodus quâ cum ſucceſſû adhibentur, commodè addiſci queat. Fatemur interim, quòd ſi in tempore ad nos perveniſſet Tractatus Gallicus, cui Titulus. *Traitté des Operations de Chirurgie, ſuivant la Méchanique des Parties du Corps Humain, la Théorie & la Pratique des Chirurgiens de Paris les plus Sçavans & les plus Experimentés. Avec les Bandages qui conviennent à châque Appareil; & une Deſcription ſuccincte des Inſtrumens de Chirurgie propres aux Operations. Par René Jaques Croiſſant Garengeot, Chirurgien. Imprimè à Paris, dans le cours de la preſente année 1720. en 2. Tom. 12°* Hoc eſt. Tractatus de Operationibus Chirurgicis, ſecundùm Humani Corporis Partium Mechaniſmum; Theoriam ac Praxim Doctiorum atque Experientiorum, Pariſienſium Chirurgorum. Cum Faſciationibus cuivis Medicamentorum Apparatui convenientioribus, & deſcriptione ſuccinctâ Inſtrumentorum Chirurgicorum Operationibus inſervientium, Autore, Renatô Iacobô Croiſſant Garengeot, Chirurgô. Opus Pariſiis impreſſum, currente hôc ipſô annô 1720. & in duos Tomos diviſum. 12° Inde hauſiſſemus plurimas Obſervationes ſuper Methodis aliquot Operationum novis, inſtrumentisque correctioribus ac commodioribus in id excogitatis, per Primorum Artis Magiſtrorum, Pariſiis, ſummâ cum dignitate Chirurgiam exercentium, conſummatam Experientiam. Verùm cùm Egregium hoc Opus tardiùs à nobis viſum fuerit, cùm ſcilicet hæc Bibliotheca proximè è Typis elapſura eſſet, abſolutæ neceſſitatis fuit ejuſcemodi excerptionem in aliam occaſionem rejicere.

Quod autem ſpectat Inſtrumenta Chirurgica, de quibus verbulô tantùm mox diximus; præterquàm quòd eorum præcipuas figuras, in Sculteti Armamentarii Chirurgici, ut & in ipſius Appendicis, à Ioh. Bapt. à Lamſweerde confectæ, Tabulis contentas, exhibuimus: Alias etiam exquiſitiores non paucas, tum ex Recentioribus, tum ex aliquibus inter Veteres, expreſſas dedimus; ac præſertim è Taliacotiô, Gulielmô Fabriciô Hildanô, Bidloô, Petrô Verduin, Helvetiô, Nuckiô, Petit, Dionis &c. Nullatenùs interea in animô habentes, quod aliis quibuſdam placuit, omnia quæ occurrebant, utilia ac inutilia; imò prorsùs futilia accumulare, in eruditionis ſuæ oſtentationem verè erroneam; quia ſcilicet, dum ſe omnia

vidiſſe

vidiſſe ac legiſſe ſic demonſtratum reputârunt, quicquid præ manibus erat ſine ullâ ſelectione exhibentes, imperitiam potiùs ſuam, quàm vaſtam aliquam Literaturam, magnificè produnt.

Tandem, & ut hanc Præfationem jam finiamus, quàm humillimè nos apud Lectorem excuſatos expoſcimus, ſi Sphalmata multa, Operarum incuriâ, cui mederi quâcunque demùm in id adhibitâ diligentiâ, nobis poſſibile non fuit: Si, inquam, in hâc Bibliothecâ multa reperiantur Sphalmata: Quæ tamen, ut ſperamus, ejus non erunt conditionis, quæ ſenſum ita corrumpat, ut in ipſâ contentis utiliter frui non liceat.

ADMONITIO AD BIBLIOPEGUM

ſuper Modo inſerendi Tabulas Figurarum.

IN TOMO PRIMO.

TABULA	I.	Pag. 258.
	II.	Pag. 278.
	III.	Pag. 348.
	IV.	Pag. 595.

IN TOMO SECUNDO.

TABULA	V.	Pag. 100.
	VI.	Pag. 229.
	VII.	Pag. 240.
	A.	Pag. 258.
	B.	Pag. 259.
	C.	Pag. 263.
	D.	Ibid.
	VIII.	Pag. 488.
	IX.	Pag. 507.
	X.	Pag. 509.
	XI.	Pag. 510.
	XII.	Pag. 512.
	XIII.	Pag. 514.
	XIV.	Pag. 515.
	XV.	Pag. 517.
	XVI.	Pag. 518.
	XVII.	Pag. 526.

IN TOMO TERTIO.

TABULA	XVIII.	Pag. 164.
	XIX.	Pag. 359.
	XX.	Pag. 464.

IN TOMO QUARTO.

TABULA	XXI.	Pag. 337.

JOH. JAC. MANGETI
BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ
LIBER PRIMUS
De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Litera A incipientibus.

ABDOMINIS PARACENTHESIS. *Vid. ſub titulô* PARACENTHESIS.

ABDOMINIS VULNERA. *Vid. ſub titulô* VULNERA.

ABORTUS.

QUidam confundunt *abortum* & *aborſum*; alii verò in eo differre volunt, quòd hic, fœtus corruptelam primis menſibus inductam ſignificet, ille verò, excluſionem fœtus ad legitimi partus terminum propiùs accedentis, denotet. Græci habent ἐκπολὴν & ἐκτρῶμα; ἐκπολὴ propriè eſt rejectio fœtus ſub forma ovi, ἐκτρώμα verò eſt ejectio fœtus jam formati.

Abortus autem eſt fœtus imperfecti excluſio præmatura, cauſarum internarum, vel externarum vi excitata.

Cauſa abortus *proxima* eſt, vel uteri coarctatio; unde fœtum creſcentem continere minùs capax eſt; vel præternaturalis relaxatio, quâ fibræ emollitæ conceptui arctiùs complectendo impares evadunt; ipſumque ante tempus per facilè explicabiles vias dimittunt; vel ejuſdem uteri motus convulſivi & contractivi, à plethora fermenteſcente, ſpirituum nimio influxu, aliiſque irritamentis procreati.

Cauſa abortus *remota* eſt, vel commotio animi, vel nimius motus, ſaltus, ſternutatio, tuſſis, vomitus, immodicus alvi fluxus, vociferatio, ponderis gravioris ſublatio, brachiorum fortis extenſio, hæmorrhagiæ, terror ſubitaneus, atque, quamvis rariùs, inſufficiens nutrimentum fœtui à matre ſuggeſtum, ut etiam geſtationis tempore frequentiùs adhibita & aſſumta medicamenta; præcipuè opiata.

Signa abortus imminentis ſunt, tum jam memoratæ cauſæ graviores prægreſſæ, tum corporis rigor & horror ſubitaneus, ſubſequente leviculo calore; item nauſea, inappetentia, ſitis major, dolor lateris, lumborum, atque totius corporis laſſitudo, animi deliquium, cordis palpitatio, halitus fœtidus, aliaque minùs univoca: Tum præcipuè lumborum & coxarum gravitas inſolita, atque ponderis vulvam prementis importuna ſenſatio longè ante tempus partui legitimo vicinum; dolores vagi in imo ventre crebriùs recurrentes & ad pudoris uſque ſinum deorſum ſe extendentes, cum involuntario conatu ex utero egerendi; eruptio ſanguinis aquoſi; aut aquarum in membranis fetum obvolventibus contentarum; ſitus denique uteri quaſi mutatus, ita ut qui priùs ſupra regionem pubis eminebat, deorſum jam inclinet: adde ex Hippocrate, *mulieri in utero gerenti ſi mammæ ſubitò extenuentur abortit.*

Quandoquidem autem non parùm intereſt noſſe an fœtus ſit mortuus, an vivus; [ne mortuum excernendum retineamus) mortui fetus ſigna hæc habeto ex Hyppocrate, ſc. jubere oportet mulierem, ut modò quidem dextrum in latus; modò etiam in ſiniſtrum convertatur; dilabitur enim fetus in utero quocumque ſe vertat mulier velut ſaxum; aut aliud quidpiam; ſi mortuus fuerit, & pectinem frigidum mulier habet. Item ſi cùm jam movetur fœtus corrumpatur & ſuffocetur, venter imus intumeſcit, & ad contactum velut ex ulcere dolet, febris & dentium fremitus eam prehendit, dolorque gravis & vehemens, ipſa pudenda, imum ventrem, coxendices, laterum inanitates & lumbos detinet. *At hæc non ſunt perpetua.* Addimus præterea ſi obſervarit fœmina ſe leviter aliquando ex repentina cauſa, terrore & ſimili, inhorruiſſe talem horrorem morituri, ſeu morientis fœtus ſignum eſſe, præcipuè ubi brevi ſequitur genitalium gravamen.

In omni abortu magis periclitantur fæminæ, quàm in partu naturali, ac præcipuè quò grandior fuerit fætus; ſed in majori verſantur periculo teneræ admodùm conſtitutionis mulieres, quàm obeſæ. Abortum graviorem aliquando ſequitur inflammatio, ulcus, hæmorrhagia copioſior, indeque enata ſyncope, imò deliria & convulſiones, hîſce autem prehenſas, nullas ſe vidiſſe ſervatas aſſerit Aretæus: Inprimis periculoſum eſt ſi prima conceptio per abortum rejiciatur, ſic enim ſterilitas aliquando inducitur, aut eadem mulier alii fœtui ad ſuum terminum gerendo inepta ſæpiſſimè evadit.

Ubi abortus fit, cura nulla tentanda, niſi ea quæ excluſionem faciliorem minoribuſque ſymptomatis ſtipatam faciat, periculum enim foret, ne ſi fœtui mortuo, aut jam in egreſſu morituro, per adſtringentia à Medico adhibita via præcluderetur, in utero reſtitaret cadaveroſa, atque inflammatoria materia, millium ſymptomatum parens funeſta.

Ad præſervationem autem *in genere*, commendatur primariò verbena intùs & extùs adhibenda, ex eaque paratum extractum, aqua, & eſſentia, ſequuntur grana Kermes ſed ſincera, & quantùm fieri poteſt recentia, indeque paratus pulvis, atque tinctura; Ebur & omnia ex ebore, ejuſque præcipuè gelatina in potu diſſoluta, cancri fluviatiles, quacunque demum ratione adhibiti, at in ſpecie eorum exſiccatorum pulvis, quem ſpecifici antiabortivi honore dignabatur Poterius. Corallia ex iiſque extracta tinctura per ſpiritum cordis cervi; Germina ſeu potiùs Chalazæ ovorum gallinaceorum recentium tria numero cum foliolo uno auri in juſculi carnium cochlearibus aliquot ſoluta, atque non una tantum vice ſed per dies duodecim matutinis horis longè ante paſtum exhibita.

In ſpecie Ubi à plethora nimia, vel cacochymia periculum eſt abortus, utilis erit venæ ſectio, purgationeſque mitiores cautè adminiſtratæ. Ubi à terrore, faciet pulvis Marchionis, item ſpecificum cephalicum ex dente hippopotami, caſtor. &c. tinctura coralliorum & ſimilia. Si à frigore externo conveniet internè, aqua vitæ mulierum, balſamus Embryonum, aliaque ſpirituoſa; externè inunctiones, ex oleo maſtichino, addito oleo macis vel garyophyllorum aromaticorum atque cinnam: ſtillatit. imò balſamo Peruviano. Si ab ira, conducet ex ebore parata gelatina ipſaque eboris ſubſtantia per aquarum vaporem eo modo ſoluta quo C. C. philoſophicè præparatur; hiſce permiſceri debent acida, quo commodiùs bilis commotæ, nervoſumque genus in ſpaſmos deducere paratæ, acrimonia temperetur, remediique pori per fermentationem ab acidis inductam laxiores evadant, & abſorbendis atque quaſi incarcerandis particulis efferatis magis idonei. Si ex torminibus, doloribuſque cholicis, internè proficuus erit pulvis Zedoariæ, per ſe, vel ex cruſta panis butyro illita aſſumtus, externè verò piperatus melle illitus, & caryophyllis aromaticis ſinapizatus, regioni umbilicali admotus. Si ex relaxatione laudatur unguentum comitiſſæ, item bdellium & maſtiches aceto diſſoluta, & inſtar emplaſtri regioni hypogaſtricæ applicata. Quæ autem vi adſtrictiva validiore ſunt prædita, qualia ſunt balnea aluminoſa, (ſi quæ talia exiſtant alia quàm arte confecta.) non ita tutò in præſervationem adhibentur, quia vaginam anguſtiorem, partumque difficiliorem & laborioſiorem faciunt.

Abortu facto mulier extenſis atque cruciatis cruribus immota in lectô maneat, extremaque ſub ſtragulis ita contineat, ut omne frigus vel leviuſculum ab illis arceat; ſi verò non ſic ſatis reprimatur hæmorrhagia nimia, ad remedia, ubi de lochiis nimiis, explicanda, confugiendum.

Curationes, Conſilia, Obſervationes & Anatomicæ Inſpectiones è variis Autoribus.

CURATIONES.

NIhil melius ſcio quàm in victu non errare, ne vitioſi humores in corpore colligantur, deinde ut vitet affectuum immoderationem, iram, curas, vehementes corporis motus, & quidquid ſanguinem poteſt commovere. Ad ſanguinem ſiſtendum ſi fortè fluat, & ſanguinis boni adſit copia, ſuaderem & ego, ut cæteri medici, venæ ſectionem; nec moveret me Hippocratis authoritas, qui venæ ſectioni in gravidis tantoperè adverſatur; cùm noſtro tempore diæta alia ſit, quàm olim fuerit, & experientia teſtetur, ſæpe multos gravidarum morbos venæ ſectionem poſtulare & ferri ab iis ſine incommodo, aliqui ad ſanguinem ſiſtendum prædicant pulverem ranæ uſtæ in olla recenti in ſacculo de collo appenſum; experiri licet. Contra abortum utilis eſt hic pulvis manè ſumptus in ovo ſorbili. ℞. rad. biſtort. ℈j. granor. Kermes, ſem. plantag. portulac. ana ʒß. coriandr. præp. ℈ij. ſacchar. ad pondus omnium, fiat pulvis *Joann. Crato. Conſ.* 32. *lib.* 4.

Quando menſes tempore convenienti non fluunt, ſuſpicio eſt mulierem concepiſſe, nihil tamen adhuc agendum, donec altero menſe, quoque menſes non rediiſſe certum ſit: tunc incipiat illis quæ conceptum retinent, & uterum firmant, uti; primùm ceratum ſequens lumborum regioni noctu cubitum itura applicet, illudque totâ nocte retineat, idque ſaltem ab initio tribus noctibus ſemel, & poſt menſem quartum, alternis noctibus, & quò magis uterus creſcit, eò frequentiùs mutando aliquoties locum, ita ut quando quater in lumbis geſtavit, poſtea in ventre ſub umbilico totidem noctes ferat. ℞. Rad. biſtort. ſem. coriandri ana ʒ ij. nuc. cupreſſi, ſantal. rubr. hypociſt. ana ʒ j. ladan. maſtich. ana ℥ß. thur. bdell. ana ʒ ij. corall. ſuccin. ana ʒ j. pulveriſanda, pulveriſentur, & excipiantur oleo maſtichino, addendo ceræ, & terebinth. q. ſ. f. cerata quadrata duo vel tria ad uſum. Interea utatur tabulis, quæ mirè ad abortum præcavendum ſunt utiles, capiendo unam alternis vel ternis diebus manè. ℞. ſem. coriandr. præp. ʒ ij. radic. biſtort. raſ. ebor. corall. rubr. ana ʒ j. ſuccin. cryſtall. ana ℈ j. cocc. infect. ℈ß. ſacchar. diſſolut. in aq. roſar. ℥ iv. f. tabulæ ponderis ʒ j. lapides ætites, lazuli, jaſpis, brachiis alligati proprietate juvare creduntur, caveat cum uterum geſtat à nimiô motû, tuſſi, ſternutatione, ab aromatibus nimiis, & vino generoſo. *Fælix Platerus Obſervat. lib.* 3. *pag.* 744.

Inter intrinſeca pulvis hic noſter, ſi frequenter ex vino propinetur magnoperè profuturum non dubito. ℞. Spec. diamargarit. utriuſque ʒß. pulv. cancr. fluviatil. ʒ ij. coagul. lepor. pulv. ʒ j. corall. rubr. ℈ ij. m. f. pulvis cujus ʒ j. ex vini alb. ℥ iij. vel ex aq. plantag. horis 4. ante cibum, bis, terve in hebdomada exhibeatur. Inter extrinſeca, quæ lumbis, ſpinâ dorſi liberâ relictâ, & locis apponuntur, eſt imprimis unguentum celebratiſſimum Comitiſſæ appellatum, probatiſſimum eſt ſubſcriptum ceratum, quod ſæpiùs feliciter uſurpatur. ℞. Thuris, maſtich. ladan. ana ʒß. lapid. hæmat. bol. armen. coagul. Leporis, raſ. ebor. ana ʒ j. reſin. pin. q. ſ. f. ceratum ſ. a. quod applicatum lumbis non immutetur, niſi decem dierum ſpatiô adhæſerit, detineatur tribus à conceptu menſibus, deinde auferatur, detur quandoque pulv. corall. rubr. ad ʒ j. in ovo ſorbili; quod remedium licet vulgare ſit, ad hoc tamen officium efficaciſſimum eſt. *Joann. Zecchius Conſ.* 94. & 86.

Admoveantur regioni uteri ceratum infrà ſcriptum, mihi pluries expertum & ad octavum uſque menſem geſtetur. ℞. Maſtich. ℥ j. ladan. ʒ vj. rad. biſtort. ʒ. v. nuc. cupreſſi, hypociſt. ſang. dracon. roſar. rubr. ſantal. rubr. menth. ſicc. coriandr. præp. gall. moſchar. terr. ſigill. ana ℥ ij. ol. olivarum, ceræ citrin. terebinth. claræ, picis ana q. ſ. m. f. cer. Sed & quæ à proprietate abortum prohibent, non ſunt negligenda; quare intus pulv. cancr. fluviatil. coagul. leporinum, lapis aquilinus pulveratus & ex vino nigro auſtero datus non improbatur. *Julius Cæſar Claudinus Conſult.*34.

℞. Granor. Kermes ℈ j. ſantal. rubr. ʒ ß. caryophill. nuc. moſch. ana ℈ j. rad. tormentill. ʒ ß. margarit. corall. rubr. præp. ana ℈ j. fol. aur. num. iij. manus ch. perlat. ʒ iij. f. pulvis, ſumat ad ʒ j. cum pauco vino rubro. *Rodericus à Fonſeca Conſult. Tom.*2. *Conſult.* 71.

Occultam proprietatem habere corium equi marini pro retinendo fœtu in utero certus ſum, ex quo ſi fiat zona, & toto geſtationis tempore juxta carnem cinguli modo feratur, abortus non continget, quod auxilium pluribus incaſſum tentatis præſtantiſſimum ſemper inveni. Si haberi nequit, utere zonâ ex lupino corio parata, quam huic uſui eſſe mirabilem fideliſſimo experimento adinveni. *Zacutus Luſitanus, Praxeos Medic. Admirand. lib.*2. *Obſerv.*150.

Ubi metus eſt abortus, propter concuſſionem vel caſum ventris inferioris, gravidam diſpone in lectum, ut quieſcat, & ſingulis diebus manè exhibe cum ovo recenti cocto gallaturas numero 7. vel 8. cum ſerico Kermiſino ad ℈ j. inciſo minutiſſimè, vel tantundem granorum Chermes; ventri autem pro confortando fœtu impone ſacculum è foliis cupreſſi, majoran. & roſmarin. in vino & aqua coctis. Sic conſervabitur fœtus, ad juſtum pariendi tempus, ex obſtetrice gallicâ. *Wolfgangus Hœferus, Hercul. Med. lib.*7. *cap.*5.

Abortum impediunt, magiſterium coralliorum & perlarum, ſi ſæpiùs cum aqua vitæ mulierum, vel aqua lilior. convall. detur, tinctura corallor. ritè rectèque parata abortum prohibet, ſi geſtationis tempore prægnantes ejus accipiant gutt. iij. vel iv. ſingulis menſibus bis; à proprietate ſuccus Aſtaci unius contuſi, & expreſſi in vino bono datus ſingulis menſibus ſemel vel bis, fœtum nunquam abortivum naſci ſinit, niſi externâ vi impellatur. Sic ſal Aſtacorum fluviatilium dextrè paratus, & ſingulis ſeptimanis cum amygdalarum dulcium decocto in vino malvatico maceratus mirabiliter fœtum conſervat, doſ. gr. iij. iv. v. (vinum ne bibant, pellit nimium fœtum.) *Joann. Hartmann. in Praxi Medica.*

Valdè efficax eſt ſequens opiata. ℞. Conſerv. roſ. ℥ij. cortic. citr. condit. ʒvj. pulp. dactyl. myrobal. condit. ana ℥ß. corall. præp. margarit. præp. & raſ. ebor. ana ʒj. cum ſyrup. cydonior f. opiata, de qua capiat frequenter magnitudinem caſtaneæ, quamprimum dolores & tormina apparuerint in ventris fundo, verſus pubem, in lumbis & oſſe ſacro, eorum ſedationi incumbendum eſt, tam ſumptis, quam admotis, pro varietate cauſarum adhibitis; ſi ob cruditates & flatus excitentur (quod frequentiſſimum eſt) exhibendus erit pulvis ex aromatico roſato & ſem. coriandr. compoſitus, imò aqua imperialis exhiberi poterit; ſi major ſit pituitæ & flatuum congeries, eodem tempore applicentur abdomini carminantia, ut ſacculi ex ſem. aniſ. fœnicul. fœnugræc. florib. chamæmel. ſambuc. anthos & ſthæcados compoſiti, vel placenta roſacea frixa in ſartagine cum vino generoſo & pulv. nuc. moſchat. & coriandr. conſperſa; ſi hiſce dolores non ceſſerint, injiciatur clyſter ex vinô & oleô confectus in quô philonii rom. ʒ ij. diſſolvi poterunt; aut etiam narcotica per os in minima doſi exhiberi; ad frænandum flatuum & humorum impetum. Sequentia duo remedia pro ſecreto habentur, & fœtum certò retinere creduntur, ſi antequàm fœtus à cotyledonibus divulſus fuerit, uſurpentur. ℞. fol. auri numero xii. ſpodii ʒ j. germina trium ovorum non ſubventaneorum, m. ſ. probè, poſtea diſſolvantur in dimidio cyatho vini albi, & detur manè per triduum. Eodem tempore ſequens cataplaſma admoveatur. ℞. Thur. maſculi, pulv. ℥ ij. album. ovorum num. v. agitentur ſimul ſuper prunas, ſemper movendo ne concreſcant, addendo terebinthinam, poſtea ſtupis excipiantur, & quantùm ferre poterit, calidiſſima umbilico applicentur, bis in die, manè & ſerò per triduum prædictum. *Lazarus Riverius.*

Ante partum, abortus præcaveri debet V. S. Si mulier ſit plethorica; purgatione, ſi cacochymia adſit; matricis frigiditas, lubricitas & humiditas eſt corrigenda, ſi ea in cauſa fuerit, & quidem thermis, ſudoribus aliiſque. Affectus uteri, ſi qui adfuerint, removendi. *Graviditatis* verò *tempore* ea omnia fugienda, quæ vincula fœtus vel laxant, vel rumpunt, vel uterum debilitant, vel expultricem ad expellendum irritant, vel fœtui alimoniam ſubtrahunt, vel vitiosè alunt, vel prorsùs enecant, vel aliâ quacunque ratione matrem, vel fœtum offendunt. *Bona* è contra convenienſque *Diæta* præſcribenda matri, eique foris ac intùs medicamenta appropriata ordinanda V. G. ℞. pulv. contra abort. Auguſt. ʒ ij. magiſt. corall. cum ſucco citri, ebor. ſine △. parati, granor. maſtich. ana ℈ ij. m. f. pulvis. doſis ℈ß. ad ℈ j. cum vino rubro aut ovo ſorbili. ℞. Mag. corall. cum ſucco citri, ebor. ſine △ pręparati, gran. maſtich. ana ℥ j. pellic. ventr. gallin. ℈ iv, m. f. pulvis, ſumat manè ſcilicet in juſculo carnis, horâ 3. vel 4. ante ſomnum. ℞. Aq. verben. plantag. ana ℥ j. ſyr. corall. ℥ i ß. tinctur. corall. ℈ ij. miſce. ℞ Tinctur. corall. ℥iij. Doſ. 20. vel 30. gutt. ℞. Balſam. embryon. ℥ iij. Doſ. ℥ß. ad ℥ j. Poteſt etiam hic balſamus embryonum ſeu puerorum optimè applicari cum vino malvatico ex pane toſto: item pulv. nuc. moſchat. mac. & caryophyll. cruſtę panis aquâ appropriatâ quâdam madefactę, aſpergitur; prodeſt etiam pulvis perlarum & corall. ſępiùs cum aq. lilior. alb. vel vitę mulierum ſumptus. Externè, ℞. unguent. Comitiſſ. ℥iß. olei maſtich. cydon. ana ʒiß. miſce fiat litus. ℞. unguent. Comitiſſ. ℥ j. olei Omphacin. ʒ iij. miſce fiat litus. Poteſt etiam emplaſtrum contra herniam regioni Lumborum & hypogaſtrio imponi. Si à nimio frigore, internè prodeſt aq. vitę mul. & balſamus embryon. externè verò poteſt fieri inunctio. ℞. olei maſt. ℥ß. deſt. nuc. moſch. gr. iij. macis gr. iv. caryophyll. gr. iij. cum ol. nuc. moſch. expreſſ. f. linimentum. Si à terrore ℞. aq. ceraſor. nigror. flor. tilię, epilept. Lang. ana ℥ j. ſyr. corall. pęon. ana ʒ vj. tinctur. corall. ʒj. miſce. ℞. aq. borrag. bugloſ. Balſam. embryon. ana ℥j corall. rubr. pręp. margarit. pręp. ana ℈ß. miſce; vel ℞. aq. epilept. Langii ℥iß. Ceraſor. nigr. flor. tilię ana ℥ij. pulv. March. ʒiß. Smarad. pręp. eſſ. de C.C. gran. xii. ſyr. corall. pęon. ana ℥ iij. miſce. Aiunt pelliculas ex ventriculis gallinarum extractas pulveratas, & diebus aliquot manè, aurei pondere cum vino, jejuno ſtomacho aſſumptas, certò abortum pręcavere. Idem facere perhibent radices eryngii veri, emplaſtri modo hypogaſtrio impoſitę. *Cum rudimenta futuri abortus apparent*, per aliquot guttulas ſanguinis ab utero ſtillantes, mulier deglutiat cor pulli ex vivo extractum & adhuc palpitans. Ætites de collo ſuſpenſa geſtetur, magnes umbilico admoveatur & applicetur, tanacetum manu calefactum tenendo. Cœterùm *gravida abortum paſſa* per omnia ut puerperę tractandę, vireſque illarum

illarum convenienti victus ratione corroborandæ. Sæpe enim magis debilitantur abortientes, quàm tempeſtivè parientes, & gravioribus affliguntur ſymptomatibus. *Joann. Michael.*

CONSILIA.

Pro abortu præcavendo: Contineat ceratum dorſo appoſitum. Secundò obducantur duo cauteria, nuperrimè coxis inuſta, utpote quæ moleſtiam atque dolores, ut ex relatis habemus continuos inferant, & abortum faciliùs conciliare poſſunt: per os verò aſſumat quotidie, matutino tempore, quinque aut ſex guttulas tinct. corall. quandoque etiam ſemidragmam margarit. præp. nonnunquàm & ℈ j. pulv. maſtich. & granor. tinctor. omnia diſſoluta in aqua aut jure plantag. aut in aqua foliorum quercûs: aliquod quoque à proprietate juvans in uſum revocandum, tum internum, tum externum. Internum quidem, pulvis ex matrice leporis paratus, ſive internæ membranæ ventriculorum gallinarum. Externum, lapis aquilinus brachio alligatus, ſicut & lapis magnes umbilico appoſitus.

Cauta autem admodum atque accurata eſſe debet victus ratio, & potiſſimum in cibi & potus quantitate & qualitate, quantitas enim parca nimis mihi videtur, cùm gracilis valdè ſit matrona illuſtriſſima, & præterea in præſens, & mater & fœtus nutriendi ſint, quamvis ciborum qualitate illi ſuppleri poſſit, ut nempè ſint facilis coctionis, facilis diſtributionis, & optimi nutrimenti, & ut quidem nutriant, ac non gravent. Sic primâ menſâ hauriat cochlear inſtaurantis in jure, tum in prandio, tum in cœna: & quoniam nox hoc tempore longior eſt, manè diluculo, cum jam dictis pulveribus, vel ſine iiſdem, idem inſtaurans erit repetendum. Ova autem recentia, ſorbilia, duplici nomine aptiſſima fuerint. Sed præterea non minor eſſe debet motus cura, cavendo Rhedam, & domi hærendo. A viro ſuo ſejuncta dormiat, nec unquam ipſum admittat, atque domeſticis omnes occaſiones præcavendæ, quæ ejuſdem animum turbare aut commovere poſſint, quæ pauca pro ſtatu præſenti, ſatis. *Raymund. Joann Fortis in Conſultation.*

Nobiliſſima & formoſa fœmina, calidioris, & humidi temperamenti ſexto menſe gravida, non ita pridem, circa horam octavam matutinam, die XXII. Novembris (febribus malignis petechialibus graſſantibus) ætatis anno XXXII. ſibi Climacterico, nullâ cæteroquin prævia causâ externâ, dolores crebros circa ventrem & lumbos, verſus pubem & os ſacrum deſinentes, magnumque ex utero egerendi conatum ſentiens, cum copioſæ aquæ & ſanguinis ex utero fluxu, fœtum benè formatum, ſed mortuum, totoque corporis habitu luteum & ictericum, enormique molâ ſtipatum, cum ſecundina livida planè, inter animi deliquia minimè ſimulata, excluſit. Cùm verò prædicta matrona jam binâ vice pepeeriſſet filios, intra decennium à partu ictero extinctos; fœtus hic mortuus, adſtantium juſſu à me diſſectus, monſtravit non tantùm ventriculum cum inteſtinis bile refertum, ſed & ipſum hepar aridum, ſplenem ſcirrhoſum, pulmones corruptos, & cor flaccidum; cauſas interitûs ſat evidentes.

Quomodo autem ejuſmodi abortus præcaveri poſſit? operæ pretium eſt inquiratur. Suaderem ego Gravidæ, ut medio geſtationis tempore viis primis evacuandis lene purgans ſumeret ex mann. ℥ ij. & poſtea ſanguinem mitteret non ex venis crurum, ſed ex mediana vena dextri brachii, hiſque præmiſſis & ſervatâ bonâ diætâ, omnes res ſex naturales complectente, alterantia, bilem edulcorantia, ab ictero præſervantia atque roborantia v. g. ſyrup. corall. agreſtæ, acetoſ. citri, rubi idæi, ceraſor. condit. *Pulveres* margarit. corall. & lapid. pretioſ. C. C. alcis, eboris. &c. *de quibus* paulò poſt, uſurparet.

Quoad Diætam, talis gravida fugiat *aërem* caliditate aut frigiditate nimia excedentem, putridum, fœtentem, herbas fortiter olentes, fumum ſulphuris, caſtorei, lucernarum extinctarum. Cibi ſint boni ſucci & facilis coctionis, abſtineat amaris, ſalſis, piperatis, & crudis cibis, atque omnibus aliis rebus bilem augentibus. *Potus* ſit, ſi cereviſiæ adſueta fuerit, cereviſia tenuis defæcata, infuſione radicum caryophyllatæ, & corticibus citri condita: ſin vino, bibat album tenue, acidulis ubi haberi poſſunt permixtum, quarum loco interdum aliquot guttas cliſſi poſſet inſtillare.

Ex pharmacia, præter ſupra enumerata, geſtationis tempore ſæpe ſumat dragmam unam ſequentis electuarii, & quandoque aquæ deſcriptæ ℥ j. proderit etiam uſus rotularum inferiùs deſcriptarum, ſi unam alteramque per vices aſſumpſerit. Singula enim hæcce medicamenta bilem alterant, ejus fervorem mitigant, vires quoque tum matris, tum embryonis roborant, ipſumque abortum præcavent.

℞. Conſerv. roſar. ℥ j. borrag. bugloſſ. papav. errat. ana ℥ ß. cortic. citr. condit. ʒ j ß. extract. lign. aloës ℈ ß. ſpec. diamargar. frig. ℈ j. ſyrup. corall. q. ſ. F. Electuarium.

℞. Spec. diamarg. frig. ℥ ij. ſacchar. aq. borrag. ſolut. ℥ ij ß. miſce f. rotulæ.

℞. Balſam. Embryon. ℥ ij. aq. borrag. bugloſſ. ana ℥ i ß. tinct. corall. cum ſp. panis parat. ℥ß. ſyrup. corall. ʒ iij. miſce.

Si *ſitis nimia urgeat*, oris amaritudo moleſtiam pariat, & vomitus accidant, frequenter ſumat ſyrupum de Agreſta, ſyrupum corallorum, ſuccum citri, in cibo frequenter uſurpet mala citria, ſuccum granatorum, rubi idæi, & poſt cibum ſuccum cydoniorum. Pro ipſo *fœtu* roborando externè abdomini ſæpiùs linteamine exceptus applicetur Balſamus embryonum, panis item mellitus aut ſaccharatus vino Hiſpano irroratus, dorſum inungatur unguento Comitiſſæ compoſito v. g. ℞. unguent. Comitiſſæ ℥ j. olei nuciſt. expreſſ. ℈ j. maſtich. elect. ℈ ij. miſce lento igne adde ol. ovorum q. ſ. pro linimento. *Joann. Michael.*

OBSERVATIONES.

Fœmina quædam primaria Lipſiæ aliquoties periclitata de abortu, ſub medium geſtationis tempus utebatur vino malvatico, cum panis fruſtulo eodem imbuto, manè jejuno ventriculo. Ita inſigniter roborato fœtu fæliciter enitebatur; vinum malvaticum cum amygdalis celebratur ad idem apud Sennertum. *Hier. Reuſnerus.*

Mulier quædam 13. Hebdomade impiægnationis cereviſiæ coctura adſiſtens, ſitulamque pleniorem imprudentiùs tollens, abortum ferè rejecit, ruptis membranis & exitum embryone moliente, fortè empyricus præſens ad omnia audax, huic incommodo ſuccurrere ſatagens, ſuaſit ſine mora, & ſitu prægnantis, & manus dexteritate, reponendum fœtum. Capite igitur gravidæ declivi, elatiſque cruribus, obſtetrix ſubtili manuum opera embryonem prodíturum intruſit; ſtatimque peractâ operatione in lecto compoſuit matrem, ut fœtus repoſitus ſolitum locum repeteret, fluxere tamen lochia ad tertium diem, ad mem-

ad membranæ ruptæ regenerationem ſuaſit idem congreſſum cum marito; hinc retentus fœtus juſto tempore, deinde fuit excluſus, adhuc ſuperſtes. *Thomas Bartholinus.*

Mulier quædam *Monſpelienſis* tres abortus conſequenter paſſa erat variis geſtationis temporibus, jam verò à duobus menſibus gravida patiebatur dolores circa umbilicum & lumbos, qui abortum minabantur, alter medicus duo emplaſtra præſcripſerat lumbis, & umbilico admovenda, ex maſſ. emplaſt. pro fractur. unde meliùs habuit ad aliquot dies; poſtea verò iidem dolores reverſi. Vocatus ego advertens mulierem juvenem & ſanguineam, venam ſecari jubeo, unde intra paucas horas à doloribus, & metu abortus omninò liberata eſt. Sanguis erat valdè ſeroſus, tandem ad præcautionem præſcribo rhab. pulv. ʒ j. cum juſculo iterandam ſemel in ſeptimana per menſem, unguentum adſtringens lumbis, & ventri admovendum pridie purgationis, & opiatam aſtringentem, poſtridie rhab. quibus tamen non uſa eſt, ſymptomata illa acceſſerant eo prorsùs tempore, quo menſtruas purgationes pati conſueverat extra graviditatem, tertio deinde menſe eadem ſymptomata redierunt & venæ ſectione ſtatim liberata eſt, quarto itidem, quinto, ſexto, ſeptimo & octavo, iiſdem ſymptomatibus periodicè recurrentibus, iterata eſt venæ ſectio, & ſtatim liberabatur; ultima venæ ſectio celebrata fuit octo diebus ante principium noni menſis, cum eodem fructu, & in fine noni menſis peperit filium bene habitum & vitalem, ſed pallidiuſculum. *Lazarus Riverius.*

Aliquando vidi juvenculam quarto menſe gravidam quæ per ſcalas deciderat in cellam & exinde inſigniter terrefacta, ita ut ferè per dimidiam noctem non ſentiret motum fœtûs aliàs alacris; præſcripſi ſequentem *miſturam:* ℞. aquæ flor. lil. convall. ceraſor. nigror. epilept. Langii ana ℥ j. eboris ſine igne par. ʒ ß. ſpecific. cephalic. ℈ j. pulver. Marchionis ℈ ß. Thur. Maſtich. gr. v. ſyrup. corall. Quercetan. ʒ vi. de quâ miſturâ non ingratâ capiat ſubinde benè agitatâ, aliquot cochlearia: unde factum eſt, ut benè poſtmodùm ceſſaret alteratio à pavore inducta, & fœtus inde roboratus denuò ſe alacriter moveret: applicata ſimul externè abdomini cruſta panis cùm vinô malvaticô. *Michael Etthmullerus.*

ANATOMICÆ INSPECTIONES.

Nobilis Matrona multis annis graviſſimis Renum doloribus, ſiniſtro præſertim in latere ab initiô divexabatur, & quatuordecies uterum geſtans, toties octavô vel nonô ſemper menſe abortivit, &c. Eam mortuam cùm ſecarem, renem ſiniſtrum penitus conſumptum deprehendi. Dextrum verò tumidum in immenſum excreviſſe, in quô per medium diſſectô calculus juſtæ magnitudinis excreverat, &c. *Plarerus Obſerv. lib. 2. pag. 467. praxeos lib. 2. cap. 12.*

Mulierem ſatis laudatæ ſanitatis, quintò menſe abortientem vidi: cùmque fœtus ferè nullam in morte mutationem perſenſiſſet, ipſum ſecui, deſiderio impulſus an aliqua necis cauſa in tam robuſto fœtu innoteſceret; cùm ipſius mater valida hujuſmodi abortus nullam afferret cauſam.

Secto corpore, in cavitate thoracis ſub jugulo dextro lucidam veſicam, aquâ plenam, arteriæ aſperæ adhærentem inveni, quæ copioſa, humoris inundatione, quam recipiebat à capite, in puero valdè humido, eventilationem cordis prohibuerat, ipſum ſuffocando *Dom. Panarollus pentec. 1. Obſerv. 5.*

Anno 1644. Nob. matrona quinto menſe gravida, poſt fluxum triduanum uteri cruentum, abortum patitur atque fœtum rejicit maſculum, quoad omnes partes perfectum quidem, quantitate tamen, deplumatum turdum vix æquantem, exſuccumque & aridum. Vaſa umbilicalia erant inſtar filorum communium uſualium, collo circumvoluta & quaſi alligata non tamen brevia, uti duplici exemplo exponit *Hildanus*: nec diſrupta; uti aliàs *Bauhinus* notavit. In diſſectione notabantur partes ſingulæ diſcretæ, hepar albicans & exſuccum; cor pallidum, vaſa umbilicalia ſicca: ſub noctem ſecundina prodit putrida & fætida. *J. Dan. Horſtius. Obſerv. Anat. 5.*

Torentina Mayer, æſtatis tempore anno 1605. ad quinti menſis finem ferè ſignis omnibus fœtûs vivi apparentibus, gravida fuit: circa finem verò quinti menſis fœtus primò imbecilliter movebatur, ita ut vix perſentiri potuerit: deinde paulatim & intra paucas dies omninò ceſſabat moveri, mammæ quoque, quæ antè lacte turgebant, tunc ſubſidebant, flacceſcebant & exſiccabantur, aliaque ſigna aderant ex quibus fœtum in utero mortuum eſſe facillimè conjicere licuit: Tandem circa finem octavi menſis, parturientium doloribus correpta, enixa eſt maſculum, quem per tres menſes ferè mortuum geſtaverat. Longitudinem ſpithamæ cum dimidia non excedebat, oculi ex ſuis orbitis ſeu capſulis propendebant: os item apertum, caput nigrum, & flaccidum erat, interim tamen fœtor nullus aderat: hepar uterinum integrum, ſed flaccidum pallidumque conſpiciebatur. Chorda, ut vocant, umbilicalis, quæ communiter & in omnibus ulnarum aliquot longitudine eſſe ſolet, vix *ſpithamæ* erat longitudinis.

Hujus abortus cauſam nullam aliam invenire potuimus quam malam ac ineptam conformationem vaſorum umbilicalium: hinc perſpicuum fit creſcentem fœtum in utero materno paulatim placentam ab acetabulis ſive cotyledonibus abſtraxiſſe, & ſeparaſſe: abſtracto autem hepate uterino neceſſariò moritur fœtus. *Fabr. Hildan. Cent. 2. Obſ. 50. & 51.*

Domina Illuſtris per multos annos affectibus ſpaſmodicis obnoxia, potiſſimùm verò quoties utero conceperat pathematis convulſivis, quaſi hyſtericis ſuprà modum tentari ſolebat; ſub finem tertii menſis *gravida*, quo tempore conſtanter *abortire* ſolebat, menſtrua eruperunt, quibus per duos aut tres dies unà cùm membranarum laceratârum fruſtulis deſcendentibus *abortum* expectabat. Tandem uteri ſarcinam depoſuit, & demùm apoplectica interiit.

Quoniam uteri principaliter affecti ſuſpicio ferebatur; quantum hoc viſcus meruerat proximè inquirebam: quod in debito ſitu, & quoad omnia ſartum & tectum reperi. Circa uterum aut appendicem ejus; nihil extabat, cui tanquam cauſæ morbificæ imputari potuerit: At verò præcipuam & originalem morbi cauſam in capite quæſivimus, haud fruſtra: nam omnes cerebri cavitates & anfractus aqua implens, ejuſque totam compagem quaſi inundans cernebatur; Juxta nervorum ſplanchnicorum origines aqua ſe pluri-mùm inſinuans, piam matrem à medullæ oblongatæ caudice, per duos digitos latos ſeparaverat; proculdubio horum nervorum ductu materies morbifica à capite in meſenterii plexus deſcendens, & dolorum & ſpaſmorum, & hos conſequuti abortus; cauſa extiterat. *Thom. Willis Patholog. cerebri cap. 10.*

Cum in oppido Reinheimb, Phil. Rheimichii uxor, concivis conjugem ultimo menſe gravidam, non tantùm jurgiis proſequeretur, ſed & dextræ parti capitis, ipſo tum ardente ſyrio impingeret, editus paulò poſt infans, in ea ipſa, qua mater concuſſa fuerat parte, continui ſolutionem paſſus: Re ad me delata, miſertus pauperculæ ocyus illuc conceſſi, atque deprehendi continui

continui ſolutionem ad ipſum cerebrum penetrare, portionemque ipſius cranii fractum jam putredinem concepiſſe. Licet autem externa & interna roborantia fuerint exhibita, putrida etiam portio cranii execta, multaque fœtida purulenta materia extracta, brevi tamen infans demortuus, ſequentia notanda dedit: Venulæ fuerunt turgidæ, ventriculi cerebri aquâ repleti, cerebri ſubſtantia flaccida. Inter cerebrum & meninges aderat collectio materiæ purulentæ & fœtidæ.

Quæſitum an verberans fuerit cauſa hujus mali? Reſpondi quod ſic, cùm etiam à minis partium conformatio vitiari poſſit in fœtu: ſic narrat *Gemma* Coſmocr. lib. 1. c. 6. infanti eadem calvariæ parte, cui in matre acies minitabatur: magnum continuitatis divortium apparuiſſe: facilè enim imaginationi formationem mutare, etiam in ultimis geſtationis menſibus, teſte *Sennerto lib. 4. p. 2. Sect. 4. cap. 7.* quomodo verò hoc fiat; id citatô locô oſtendit, parenſque noſter de cauſis ſimilitud. & diſſimil. in fœtu, &c. *Joh. Dan. Horſtius Obſerv. Medic. 2.*

Abortus feliciter inhibitus.

Clariſſ. Sylv. Sam. Anhornii Miſcell. Curioſor. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Animal in animali vocat uterum Helmontius, propter plurima quæ ſequior ſexus pati incommoda, ex uteri vitio oriunda, pro genio ſuo fingebat. Variæ is utique expoſitus eſt violentiæ, in partu præprimis non modò foetus qui ſuam jam τελεογονίαν aſſecutus eſt; ſed etiam qui intempeſtivè è matris gremio ejicitur, & vivere deſinit antequam naſcatur. Plurima tamen utero dicata mala, ipſo inſonte, contingere, & vel genituræ fermentali odore turgenti, vel ſanguinis vitiato motui, vel deſtructo partium nervoſarum tono adſcribenda eſſe, jamdudum obſervarunt ſaniores, imponere tamen aliquando oculatiſſimis, circumſtantiarum haud exactè gnaris, & certam foetui, ſi non & matri perniciem parare poſſe unius alicujus Symptomatis neglectum, ex ſequenti caſu conſtabit.

Inſignis familiæ Dna 31. annos nata, ſanguine acriore ſalibus ſcorbuticis multùm ſaturato prædita, hinc lymphæ exundationibus, catharris, odontalgiæ, cephalalgiæ & tuſſi crebrius obnoxia, promti ac generoſi animi, in functionibus quibuſvis expedita, modò lunari tributo ſegnior atque inordinata, ſatis tamen tum temporis larga. Anno 1682. Ætatis 16. Viro valetudinis athleticæ ac maximè ſanguineo nupta, poſt ſeſqui annum utero concepit. Menſem ab impragnatione tertium citra notabilis moleſtiæ ſenſum complevit, & en! media nocte ex incendio quod Coenobii domum ſibi propinquam corripuit, terrore ingenti concuſſa, inter curſitandum ad terga delabitur, & poſt moderatum in lumbis dolorem, tertio abhinc die cum prævio fluxu cruento, puſilli foetûs ſtamina infauſto niſu excludit. Abhinc quindecim annorum tempore, abortus non pauciores, ſingulos ſub tertii ab imprægnatione menſis finem, ſummo cum Ampliſſimæ Familiæ luctu paſſa eſt, non expertiſſima quacunque à Celeberrimis Medicis conquiſitâ arte, quidquam contrà proficiente. Excellentiſſ. DD. Hardcrus Scaffhuſienſium Poliater feliciſſimus ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, in medium conſuluit, ut ſanguinis acrioris, menſium conſueto tempore æſtuantis, & ad uterum violentius irruentis, vaſa & cotyledones perrumpentis, atque tenelli embryonis primordia inundantis & ſuffocantis copia, ſub ſecundi & tertii à conceptione menſis finem, modicâ venæ ſectione detraheretur, interea optima quæque uterina, nervina, ſanguinem contemperantia, ejus æſtum extinguentia & ſalia acriora corrigentia ex Bezoard. Lunar. Jovial. Corall. rubr. Bol. Armen. & ſang. Drac. exhiberentur: quæ ſingula pro lege ſua in uſum ducta ſunt, ſucceſſu haud optato. Aliis ad exturbanda ſalia, acidulæ potentiores viſæ, datæ ſunt ipſi ab octava ad duodecimam graviditatis hebdomadam jejuno ſtomacho ad ℔ duas potandæ: ſimul etiam ad confortandum ex caſu illo debilitatum uterum, ceu delendam ejus citatricem, uti Medicorum Trigurinorum Coryphæus, Excell. D. D. Lavaterus opinabatur, fortè tamen, ad relaxata fortiore illa concuſſione, ejuſdem ligamenta ſtringenda atque firmanda, balneum ex herbis uterino traumaticis, duabus de die horis in uſum vocatum eſt; at his omnibus non hoc quidem impetraſſe datum, ut vel momentum tranſcenderet conſuetum abortiendi terminum. Anno 1687. communi ſuffragio in uſum vocatis Thermis in Argovia ſitis Badenſibus, valde ſe incaluiſſe delaſſatam imò ſterilem redditam eſſe ſibi perſuaſit, dum biennii tempore uterum non tulit. Anno 1688. ad Thermas Fabarienſes profecta, optima quæque ex earum potu ſibi promiſit, at inani gaudio capta, triſtem cum tempore cataſtrophen tertio imprægnationis menſe ut olim experta eſt, ὁ πάνυ Colendiſſimus noſter, nunc beatiſſimus D. D. Wepferus, ſignis conceptionis in poſterum apparentibus, quiete corporis animique injunctâ, & diætæ exactiſſimæ ratione, (vitatis ſedulò benè ſalitis, acidis, acribus & aromatisatis) inculcatâ, ſanguinem eruptionis menſium tempore detrahi, & Opiatam cum pulveribus abſorbentibus, uteri & ſanguinis compagem firmantibus, ſtrenue in uſum vocari, lumbos & hypogaſtrium unguento Comitiſſæ inungi, vel emplaſtro ſantalino munire præcepit. unde gravida, quiete, verbis, conſortio, medicamentis pro viribus ſuſtentata, nihilominus magno ex enormi hæmorrhagia cum vitæ periculo, nono demum die abortiit. Anno 1694. Thermas Fabarienſes denuo notabili cum valetudinis augmento potavit. Hyeme verò ut hactenus idem paſſa eſt. Sequente anno 1695. eaſdem & potu & inſeſſu adhibere decrevit. Ex eo mox gravida facta, omne tempus in lecto quieta tranſegit, & ſpretis aliis prophylacticis, non niſi diætam exactam obſervavit; at vix tertio menſe ſuperato, licèt ſtatim ac ſigna fluoris uterini apparerent, repetitâ venæſectione malo occurreret, ex ſanguinis ad uſque deliquia profuſione tandemque gemelli foetus excluſione, tantùm non occubuit; & ſic etiam deinceps nunquam non præſentiſſimo cum vitæ periculo infelix puerperium luit. Anno 1698. 111. Natur. Curios. Præſes Magnif. DD. Lucas Scrökius in conſilium ſolicitè rogatus, partium nervoſarum ex ſupino iſto caſu validè ſuccuſſarum reſtitanti debilitati, ſanguiniſque (quod per venæſectionem patuit) limpido ſuo vehiculo deſtituti ſpiſſiori diatheſi, cauſam tribuens, eundem conceptione factâ in vaſis uterimis obhærentem & à ſalium levi de cauſa ferocientium acredine in motum concitatum, eruptionem quâ datâ portâ tentare, tenelli foetûs acetabula perrumpere, ſicque abortum concitare, haud fallaci augurio ſtatuit: utque ad craſim ſanguinis extra graviditatis tempus emendandam, & læſarum partium tonum reſtituendum, juſcula caponum vel gallinarum cum herb. chœreſol. beton. bellid. naſturt. & rad. chichor. ac ſcorzoner. alterata, atque cum gelatina C. C. & eboris convenienter juncta, m. & v. per iij. vel iiij. ſeptimanas in uſum vocarentur, & pulveres abſorbentes ſanguini motum æqualem conciliantes, tam intra quàm extra graviditatis tempus, ſtudioſè

ſtudioſè adhiberentur, ſuaſor extitit. Venæ ſectionem appropinquante menſium tempore haud omittendam eſſe dixit, & gravidæ pro potu decoctum C. C. raſp. cum paſſulis & aliquot foliis beton. ac fl. papav. err. dandum eſſe voluit, ſtudioſè his paruit Nobiliſſ. Dna, ſimulque balneo aquæ dulcis nonnunquam inſedit. Menſe Septembri, dum aliquando illius conſortio frui daretur, perterreri ſe ad vota pro ſua fœcunditate nuncupata, utpote certiſſimam ſibi perniciem minitante, adſeverabat. Ego animum ejus quâ urgebatur ſolicitudine levavi, & in ſpem erexi, ſi mihi aliquando ad ſingula quæ occurrerent ſymptomata à primis conceptionis diebus attendere liceret, ſine dubio ſingulare quid in lucem proditurum eſſe, quo clarius abortûs cauſa innotesceret, tantòque faciliùs præcaveri poſſet, quàm ſi demùm re deploratâ advocarer, vix menſe elapſo, promiſſi commonitus, manè & veſperi Nobiliſſ. Dnam conveni, Mane præter laſſitudinem lumborum nihil paſſa, urinam ſalibus copioſe ſaturatam excrevit. Veſperi manus præter morem riguêre & apices digitorum quaſi Tertianariæ livuêre, & prævii horrores per lumbos vagavêre. Poſt horam circiter, corpus ſenſim incaluit, & pulſus celer & fortior evaſit; at tanta nec frigoris nec caloris vehementia aderat, quæ aliquid in actionibus impedimenti adferret, Interim exactâ periodo circa quartam veſpertinam febrilis orgasmus acceſſit. Hunc autem ad usque fatalem abortionis terminum jugiter continuatum, ſemper ſibi hactenus infallibile conceptionis factæ ſignum fuiſſe teſtabatur Nobiliſſ. Dna, nihili verò ſe febriculam feciſſe, tum quòd ultra trihorium paroxysmus ſe non extenderit, & ejus causâ lectum tenere nunquam fuerit coacta, tum etiam quòd à pluribus aliis inaudierit, ſe frigoris & caloris reciprocationibus tempore graviditatis crebrò obnoxias eſſe. Inſtante autem abortu, aliquando præceſſiſſe unicam notabilem corporis ex horrore febrili concuſſionem, unde inſignis æſtus, tormina & dolor lumborum, tandemque infauſta hæmorrhagia, Ego de fatalis affectûs cauſâ ſic feliciter detectâ ipſi gratulatus, & in ſpem melioris ſortis excitatam monui, ut in poſterum circa tertiam veſpertinam in lectum ſe reciperet, donec ſuperato menſe primo ex ſuppreſſis menſtruis, certius quid nobis de graviditate conſtiterit. Non defuêre febriles ataxiæ, quantumvis ſtragulis coopertæ, ſic tamen mites, ut non habitâ earum ratione ubivis obambulare, & negotiis domeſticis vacare ut hactenus conſuevit, valuiſſet. Solenni tandem catameniorum fluxu non apparente, & conceptionis factæ, ex mammillarum punctionibus, urinæ ardore, nauſeâ matutinâ, & continuatâ febre veſpertinâ indubiis ſe ſignis ſiſtentibus, poſt Dei invocatum auxilium, hac methodo uſus ſum. Omnium primò, quoad res nonnaturales conveniens affectui ordo injunctus, & lecto in hypocauſtum translato, ſubtractâ culcitrâ, lectum more Gallorum, paratum ex lana & ſeta equina ſubſtratum eſt. Cibus conceſſus eſt quem toleravit ſtomachus, ex juſculis hordeatis, oryzatis, avenaceis, lacticiniis & fructibus coctis, interdum etiam, quem vehementer appetiit, licèt δύσχυλον. Decocta quævis gratiſſima ſtomachus faſtidivit. Vinum cum duabus aquę coctæ tertiis mixtum, gratiſſimum fuit: Omni corporis motui interdictum; & ne quidem in prandio & cœna ſurgere conceſſum fuit: Alvus, ni quotidie fecerit officium, alternis diebus clysmate ex Lacte & butyro recenti, & ſi tormina flatulenta adfuerant cum decocto fl. chamomill. & ol. olivarum parato, nunquam non εὐφορίῳ ſubducta eſt. Ex penu pharmaceutico ſingulâ ſextâ matutinâ & veſpertinâ quintâ, ad uſque quinti menſis initium Corall. rubr. contus. non præperat. ℈j. cum aq. fl. til. in paſtam redactum, & cruſtulo madido (*hipen*) involutum deglutiit. Dum Febricula urgeret, veſpertinâ tertiâ Corall. r. contus. ℈j. Cortic. Chin. Chin. ℈ß. flor. ✱ gr. iij. eodem modo ſubacta hauſit. ac probè ſtragulis coopertâ ad lenem uſque madorem, frigoris inſultum, quâ potuit ſolertiâ arcebat. Inſultus hyſterici, dum ſe quandoque oſcitatione, ventris tenſione & flatuum copiâ proderent, ante prandium & cœnam Eſſent. Caſtor. cum ſp. ✱ri paratæ gtt. X. tam ad hoſce depellendos, quam acores potentiùs edomandos, & progreſſivum ſanguinis in vaſis minoribus motu vegetandum (ne hoc impedito inteſtinus in æſtum abripiatur) ex hauſtulo potius ordinarii exhibui. Ex ſingulari tam τέκνα quàm βιοφιλίᾳ, in minimis morigeram ſe præbuit optima Domina. Poſt primos ſex dies ataxiæ febriles evanuêre, horripilationes tamen quovis diei tempore, ſi minùs probè tecta ſe liberius exponeret, redituræ videbantur. Circa ſecundi menſis finem ſanguis ex ſiniſtræ medianâ ad ℥iij. detractus eſt, unde quietior dormiit manè; aſſumta ſubindè revomuit. Declinante tertio menſe, quaſi jam hoſte ſuperato; animus pro virili addebatur. Cephalalgia & inſomnia terrifica, venæ ſectioni denuò feliciter ceſſerunt. Emplaſtrum ſantalinum lumbis impoſitum continuò geſtabat. Præter oſcitationes, pandiculationes & alia paſſionis hyſtericæ deliramenta, circa veſperam crebriùs obvia, hoc ſibi toties fatali viſo menſis quarti initio, nihil ſe exhibuit notatu dignum. His ſtatim ac obſervatis, miſturâ appropriatâ (ex aq. meliſſ. menth. an. ℥j. fl. til. ℥ij. Eſſent. antihyſter. ℨß. Confect. de Hyacinth. ℈ij. & Theriac. coel. gr. iij.) cochleatim propinatâ & juſculo mox deſuper calidè hauſto obviam itum eſt. Eſſentia antihyſterica noſtra non minùs ſedulò ante prandium & cœnam ad gtt. X. continuata fuit; quantò magis ex Illuſtriſſ. Dni Præſidis dexterrimo conſilio ad ſtagmen potiùs ſanguinis, quod per ſpaſmodicos hoſce inſultus inducitur, præcavendum, quàm ſecundarium illum æſtum, foetus acetabula perrumpentem, attendendum eſſe, auſpicatiſſimæ Curæ ſucceſſus nos docuit. Menſe quarto decurrente, & foetu ſe inultis indiciis commovente, animum recepit Nobiliſſ. Domina, attamen ob capitis dolores, ſomnum brevem inſomniis turbatiſſimum, modicâ ſanguinis detractione opus habuit. Menſe quinto, quantùm per horripilationes, quavis occaſione acceptâ recurrere tentantes licuit, lectum ſubinde per momentum deſerere conabatur, moxque illum probè calefactum reperiit. Diffugiente nive & redeuntibus gramina campis, & lectum deſeruit, & favente coelo, ſubinde exſpatiata languidos artus refecit, tandemque die 20. Julii 1699. poſt tolerabiles partûs dolores, Thaumaturgi Numinis ſingulari ex gratia deſideratiſſimæ, & hucuſque bellè valentis Filiæ, maximo Nobiliſſ. Domûs ſolatio, mater facta eſt.

Abortus ab inſertô in uterum acutô ſtylô eôque Embryonem trajectô productus.

Clariſſ. Adami Brendelii, Ephemer. Germanic. Centur. 3. & 4.

ANcilla quædam ex compreſſu gravida facta, ne pœnâ, & ignominiâ meretricibus ex ſanctione conſtitutâ, afficiatur, nefando auſu ſtylum acutum per vaginam & cervicem uteri aliquoties immittit, eoque cùm Secundinas, tum in iſtis conclu-ſum embryonem trajicit. Poſt non ita multò profuſiſſima hæmorrhagia, qua foetus ejicitur, ut & vehementiſſima inflammatio cum febri intenſa oritur, quæ tamdiu, quamdiu poteſt, reticet, atque cuncta celat, quouſque demum viribus privata, decumbere cogitur. Hoc rerum ſtatu cùm ſpe evadendi ex morbo præſenti excideret, & mortem appropinquare perſentiſceret, quid geſtum ſit edicit, & brevi poſt, quia vis morbi ex mora invalverat, atque remediis propinatis prævalebat, deliriis correpta, & diſtentione nervorum miſerè agitata extinguitur. Inciſo cadavere, & inſpectis partibus genitalibus, cervix uteri late hiabat, cruorque ex laceratis undique & ſphacelatis vaſculis cum multo tabo manabat, ac collum uteri, & vicinæ partes omnes, pariter inflammatæ, in ſqualorem & putredinem, jam converſæ erant, ut hoc modo mors nullis remediis averti potuerit.

ABSCESSUS.

Græcis dicitur, ἀπόστημα denotatque tumorem præter naturam, cujus materia vel indureſcit ac Schirrum facit, vel in pus, aut ſaniem abit. Hæc rurſus eſt vel cum, vel ſine folliculo. Folliculo contenta materia, vel pultis ſpeciem refert, unde *atheroma*, vel mellis, unde *meliceris*, vel ſevi, unde *ſtheatoma*. De hiſce omnibus legantur quæ ſuo loco.

Hic autem poſtquam exhibuerimus qua Celeberrimus Marcus Aurelius Severinus, Seculi proximè prateriti verus Machaon, in ſuô habet de Reconditâ Abſceſſuum naturâ, aureô ſanè Tractatu Super Abſceſſibus Criticis & per Congeſtum; addemus tantùm curationes aliquot generales cum obſervationibus abſceſſus particulares ſpectantibus; anatomicaſque cadaverum ipſis denatorum inſpectiones adjungemus.

Veniat itaque primò SEVERINUS qui ſic habet.

CAP. I.

De variis Abſceſſus appellationibus, atque harum uſibus.

NOmina rebus accommodata lege quadam naturæ cenſuit Hippoc. lib. de Arte, & hunc fortaſſe ſequutus Plato in Cratilo. Quod cum ad omnia promiſcue nomina ſpectet, pleraque tamen hac maxime conditione participant; atque ita ut diſquiſita iſtorum ratio preſſam quandam definitionis vim contineant; abſit autem oportet homonymia; cujus certe vitio fit perpetuo, ut in ea vel offendatur, vel erretur. Quare ne illa, quæ multa quidem eſt in abſceſſus vocabulo, quemquam incautum occupet: hanc nos primum ambiguitatis enarratione, ac diſtinctione removebimus.

Hujuſmodi ſunt duo hæc, Abſceſſus, & Apoſtema; quorum hoc à græcis, alterum à latinis, & horum, præcipuo Cornelio Celſo invectum eſt. Vocabula quidem ad unguem ſibi mutuo reſpondentia, ſive ſecundum compoſitionem vocularum, ſive diſcretam ſingularum ſignificationem expendas, ἀφίςαδαι enim καὶ ἀφίςαται abſcedere eſt: Unde ἀφιςάμενα καὶ ἀφιςάμενα τὰ οὖλα abſcendentes gingivas dixit Galenus lib. 6. de comp. med. per loc. c. 2. & lib. ad Glauc. cap. 5. cum ait, abſceſſum eſſe, ubi intercedente quapiam ſubſtantia humida halituoſa, vel mixta non amplius ſe contingunt, quæ ſe contingebant corpora. Et quia partium hæc diductio ſub abſceſſibus eſt, tum interventu quidem tunicæ aliena corpora continentis, ut in atheromate, ſteatomate, meliceride; tum humoribus partes diſtrahentibus ſine tunica, quod utrumque ſit, ſive cum ſolida, ſive cum fluida ſubſtantia factum eſt, ut abſceſſus promiſcuè diceretur de utriſque, licet non ſine ambiguitate, niſi diſcrimen illud notetur; Ego quidem abſceſſus ſine tunica, ſuppurationes cum Plinio, & Cornelio vocandos puto: abſceſſus vero cum tunica cyſticos, & anomalos in tract. peculiari nuncupavi. Atque hæc una notio, & uſurpatio eſt abſceſſus vulgata.

Sed & abſceſſus, qualem indicavi modò, ſæpe pro quocunque tumore αὐτωμάτως. i. ſua ſponte erumpente; phymate, inquam, exanthemate, ecthymate, puſtula, phlegmone, eryſipelate, & cæteris majuſculis collectionibus. Ad hæc ſuppurationum ſenſus eſt exemplo illo, quod legitur lib. 1. prog. ſect. 1. ſententia 36. tumores in ventre minus faciunt abſceſſum, quam in præcordiis. Porro abſceſſus ſuppurationis eſt loco, Galeni interpretatione. Inſuper ἀφιςᾶς abſcedere Hippocrati lib. de medico eſt alienum fieri p. n. legem; Galeno verò de Medico, ſive Iſagoges, qua de Chirurgia τὸ ἰδίως λεγόμενον ἀλλότριον eſt ferè alienum propriè dictum.

Hi ſunt uſus τοῦ ἀποςήματ©, atque abſceſſus nominando plurimum conſuetæ. Cæterum nomen eſt ἀποςάσιος καὶ ἀποςασίας, cujus, & alius uſus eſt ſecretior, atque apud Hippocratem, & ſuos obſervatores notus, quem ex ejuſdem ſententia ad hunc modum expono. Natura cum obſeſſam aliquam partem principem, aut principi ſervientem humoribus infeſtis obſeſſam agnoſcit, omni quo poteſt ſtudio languentem levare meditata, tandem ad id conſilii devenit, ut vel univerſa materia, vel pars aliqua ſuo labore ſit inde transferenda, & longius abducenda. Sic abductionem, ac tranſmiſſionem iſtam molitur ad partes alias remotiores, viliores, debiliores; Quæ traductio duplex eſt, vel per ſinus, & cavitates naturales, aures, inquam, oculos, palatum, & fauces, vulvam, veſicam urinariam, umbilicum, & cutis denique poros, pure, ſanie, lachrymis, ſanguine, ſputo, menſtruis, lotio, ſudore, ac ſuperflua qualibet materia foras eductis. hæc ἔκκρισις dicta eſt græcis, excretio latinis; alter vero eſt cùm denegato exitu de cavitatibus, ſinibuſque naturalibus infeſtus humor de loco uno corporis in alterum, & viliorem transfertur, qui motus, & abſceſſus apotheſis, & metaſtaſis ab Hipp. ἀπόσκηψις, & ἀπόσκημμα Gal. l. 2. epid. & alibi dicta ſunt, qui ſi ſint ad articulos, & coxendices κίδματα proprie ab Hipp. ſunt appellata.

Eſt & alia abſceſſus ſignificatio cum accipitur pro una in alterum morbum tranſmutatione, ut cùm angina tranſmigrat in peripneumoniam, exemplo tradito ab Hipp. 2. epid. ſect. prima, quibus non paucis ex aliis febribus, & morbis abſceſſus in quartanas ſiebant.

Hæc

Hæ ſunt τοῦ ἀποστήματος, καὶ ἀποστάσεως ſignificationes privatæ, & conſuetæ haud tamen diſſimulare velim, & apoſtaſin in phlegmones ſignificationem ſæpenumero iviſſe, quod eſt apud Hipp. l. 6. epid. ſect. 2. ſent. 4. ubi inquit, ἀποστάσιες οἷον βουβῶνες; contra vero ἀπόστημα ἀπόστασιν abiiſſe commutatis, & confuſis hiſce vocabulis, ut à Gal. factitatum advertit Laurentius Jubertus l. 1. de diff. morb. dictato 7. F. apud quem, & alia hujuſmodi leges; ἀπόστημα verò, & ἀποσκῆμμα variarum rerum eſſe nomina monuit Jo. Andernacus in lib. 4. Pauli cap. 18.

CAP. II.

Quid Hippocrati multiplex abſceſſus uſus, quiſvè nobis ex multis unus eſſe debeat in hoc tractatu.

HArum omnium appellationum, atque uſuum cum primus auctor fuerit Hipp. licet nunc (neque enim importune) perquirere, & quid ſimpliciſſimæ doctrinæ magiſter, tam vario abſceſſus nomine fuerit uſus. Sed neque mirum id eſſe debet, quamvis enim multiplices ſint abſceſſus hæ notiones, & uſurpationes; nihilominus ſi recte attenderis ad ſingularem ſimplicitatem, docendi normam redeunt, quæ eſt mutatio morbi. Quippe in hanc unice ſpectare debet quicunque progreſſus, ſtationem, & finem morbi prævidere, aut formam alioqui ſenſius retruſam tene : ſtudet. Tam multi autem hæc momenti videtur propterea, quod legitimam morbi curationem refert, quam affectus anticipata perceptione dependere quis eſt qui neſciat? Adde quod mutatio quælibet gravis ad intelligendas, ſeu morbi; ſeu naturæ vires accommodatiſſima eſt, quemadmodum ſane ex his, aut illis apparatibus, & converſionibus utriusvis inſidiantis exercitus conatus, & præſtantiam alterutrius facile conjecteris. Sed multo clarius hoc quidem didiceris in rebus naturæ, quæ magis certæ, conſtitutæque ſunt. Igitur mea quidem interpretatione, tam varia, tamque multiplex abſceſſus acceptio fuit apud Hipp. ea ſola una re, quod inter omnia præcipuo ſit uſui pro diſcernendis ægrotantium, rebus mutationes ſingulas in corpore conſequi ſtudioſè: quod eo notavi libentius, tum ut Hipp. ratio ſalva conſtaret; tum ut hac quoque ſubtilitatem diligenter obſervent ſtudioſi.

Nunc ad nos attinet, quem ſignificatum abſceſſus ſequamur, aperire. Scire licet abſceſſus, quos Cous præceptor perpetuo memoravit, aut cum criſi legitima, aut cum imperfecta factos; alios verò, qui poſt inflammationem ſuppurati ſunt, non tanti fecit idem Hipp. neque illos admodum tradidit; ſic nos ubi cunctorum meminimus, haud quidem abſceſſus, qui ab inflammatis tumoribus venere, tractandos hic tantopere ſuſcipimus; quantum eos, qui ſunt Hipp. ſolemnes, ſeu cum effiuxu, ſeu cum decubitu. Verum cum decubitus ſignificatio ſit potior auctore Gal. com. 3. l. epid. 3. Hanc nos potiſſimum exequemur, itemque eos, qui præcedente nulla inflammatione naſcuntur ab aliis cauſis producta, quam quos phlegmone inducunt. Porro utrumque genus, & quod ad diagnoſim pertinet, & quod ad prognoſim, atque therapiam difficilia, & gravi adverſione digna & eo magis, quod hactenus nemo omnium hominum, quos norim, argumentum hoc ex profeſſo tractavit.

CAP. III.

Quot, & quæ conſideranda ſint circa abſceſſum.

AD hunc quidem modum ſummam abſceſſus notitiam vi nominis expreſſam veluti figura quadam adumbravimus. Ab his nunc ad exacte delineandum eundem progredimur: expoſituri primum, quæ ſint in hoc argumento pertractanda: videntur autem hæc. Abſceſſus univerſim expenſi duo ſunt tempora, duove modi; dum producitur. ſ. & poſtquam productus eſt. Utrumque ſuis affectionibus, circumſtantiiſve definitur atque diſtinguitur, quæ & aliqua parte communes eſſe poſſunt. Dum procreatur, quia motus, & generatio quædam eſt, cauſas nanciſcitur quatuor, effectricem, materiam, formam, finem. Deinde quia motus hic eſt quidem materiæ ſecundum locum, ut ante apparuit: ſunt & termini ſub quibus hæc loci mutatio perficitur: termini, inquam, à quo, & ad quem dicti, nec non viæ. Spectat ad loci conditionem ſitus, qui eſt de ſuperioribus ad inferiora, & contra, & ad exteris ad ſiniſtra, vel contra: quo veniunt, & partes utræque conſiderandæ. Præter hæc ſunt, & quæ medicus verè phyſicus conſiderat; tempus, & Cæli ſtatus, itemque regio, quæ magis, minuſve rem promovent, aut aliquid conferunt boni, malive.

Sunt hæc, vixque alia fortaſſe, quæ ineuntem abceſſum circumſtant. Perfecti verò, tum ſubſtantia, tum accidentia diſquiſitioni ſe ſubjiciunt, & ſubſtantiæ abſceſſus parti videlicet concreti, pars eſt materia, cujus accidentia ſunt tactiles, viles, & ſi quæ ſunt aliæ ſenſiles qualitates, affectuſve; magnitudo, forma, figura, habitus, &c. ſi quæ ſunt alia. Equidem præter hæc alia non agnoſco, quam quæ ſpectant ad hominem, qui tractatur proprietates quædam, & paſſiones. Omnia ſunt igitur noſtri hæc farrago, libelli, quæ ſingula ſi placet ordine pervideamus. Utinam autem pari exequendi felicitate, quæ methodi abſolutione deſcripta tradere liceat.

CAP. IV.

De effectoribus & principiis abſceſſus.

NAtura, quæ vis eſt inſita corpori motus ciens in ipſos neceſſarios, quemadmodum, ut animal vivat, alatur, rite ſentiat, progrediatur, in ſecundo ſanitatis ſtatu facit; tam ſui, quam ejus, in quo eſt, diligentiſſima conſervatrix: ita etiam in adverſa valetudine utilitatum, & opportunitatum omnium captatrix ſollicita eſt, ut illud ab inſidiis, & machinatu luctifici morbi vindicetur. Et vindicat quidem verè, ni materia prorſus repugnet, præſtantibus duobus præſidiis ſpiritus, atque caloris, quorum eſt materias morborum, partim coquere, diſcutereve; partim diſcretas de principiis facultatum, & longe, quam fieri poteſt maximo, propellere: nocua enim & aliena quæcunque ſint, & circa principes partes potiſſime non patitur vitæ rectrix natura. Jam vero morbus, ut qui παρὰ φύσιν (recte contra naturam Fernelius, & alii ſcientiſſimi viri) ſuas adverſas acies oppoſuit naturæ: atque adeo cum hæc contemperamento primorum quatuor corporum inſtructa calore nativo ſe ſuaque perpetuo tueatur, concoctiones, & nutritiones probatas, taleſque ad hæc ſpectantes excretiones perſiciat, unde vivida vis, ſenſus, motuſque partibus inculpatus eſt. E contrario morbus, ut præſens eſt, temperamento partis continenter everſo caloreque exuſcitato putredinario, cruditatem, aſſationem,

nem, inquinationem, & corruptelam alimento; at his quæ aluntur partibus, atrophiam, ſtuporem, ſideratio-nem, abſceſſum,; facultatibus vero detrimentum quod-cunque poteſt functionum, aut vitæ invehit. Ad ſummam è diametro pugnant morbi conatus, & naturæ. Sanitas quippe natura quædam eſt, at hujus corruptio, morbus. Adverſantiaque item ſunt opera morbi ſemper, & naturæ: utque natura procurat, & evigilat; quæ ſalutaria ſunt homini. ſic morbus, quæ ſunt incommoda machinatur. Itaque natura, ut morbo, & hujus inſolenti ſatellitio liberet: criticos quoſdam abſceſſus excogitavit, qui ſunt omnes ad vindicandam optimam valetudinem corporis accommodati. Similiter morbus ſuos abſceſſus admolitur ſymptomaticos, qui ſunt ejuſdem, & acris materiæ prævalentis indicia, atque effectus. Ad hunc modum conſtat utramque vim æmulari quidem abſceſſus, ſed hujus, id eſt naturæ ſalutiferos eſſe, cùm exempli causâ peripneumoniæ materiam in crurium abſceſſus rapit: Morbi vero eſſe lethales, quos fatigato nimium, & languente homine vis malignæ febris crudos ad poſticas aures, tumores parotidas vocant, exſuſcitat.

Tam autem aduerſi, & contrarii cum ſint horum duorum hoſtium in corpore functiones, & motus: dubitari poteſt num præter abſolute criticum, ac ſymptomaticum tertius eſſe poſſit. Sed, enim adhuc ſuppoſita contrariorum actione, videtur, quod quoddam compoſitum dari liceat; tum ſecundum materiæ coctionem, & cruditatem, tum ſecundum formam, tum ſecundum ſitum, & alias conditiones; exemplo autem ſit pus, quod cum à duobus iiſdem adverſariis conficiatur, utriuſque ſervat actionis veſtigium, & naturam, quemadmodum declaravit Galenus Com. 47. 2. aph. Hæc quidem ſecundum materiam eſt conſideratio. Verùm enim verò ſi effectorem, ac finem ſpectemus, à quibus univerſa rei ratio arguenda eſt, utpote, qui rem dirimit, ac diſtinguit; utique docebimur ab hoc uno non poſſe duo illa coire: ſed quoniam, aut naturæ, aut morbi effectus unus eſt, propterea, vel criticus, vel ſymptomaticus appellandus, atque cenſendus erit. Verum ut equidem ſecundum opificum, & effectæ rei ſpectatas rationes, cenſeam haud dandam miſtam quandam critici, & ſymptomatici ſpeciem, nihilominus, ubi ſive ad terminos, ſive ad media; quæ vulgo dicunt, & alia, quæ intercedunt accidentia ſpectemus: erit quidem modus qui criticus ſimul, & ſymptomaticus abſceſſus aſſeri poſſit. Verum tamen participatione, aut neutra conditione potius quam permiſtione, ac temperatione, quemadmodum in epexegeſi poſterius explicabo.

CAP. V.

De materia abſceſſus.

Quoniam abſceſſus materia defluxionis neceſſitatem agnoſcit inter duos oppoſitos terminos; quos poſterius explicabimus; illa ex humorum genere ſit oportet, ſive quidem hi ſint primi, quod dicunt, generis, ſive ſecundi, & ſive alimentitii, ſive excrementitii. poſſunt autem omnes peccare, tum copiâ, tum qualitate, ſeu quidem diſcretis utriſque vitiis, ſeu conjunctis. hi porro, qui cum affluxu fiunt, materiam interdum nanciſcuntur ſola multitudine culpabilem, ut ſi in plenitudine, ſeu quoad vires, ſeu quoad vaſa ſanguis è naribus effluat: interdum etiam vitio, ut ſi homini, ſeu cacochymiâ, ſeu febre laboranti bilioſæ dejectiones obveniant, Sed hi, qui cum decubitu ſunt, vitiatos ſemper humores, & ſuperfluitates agnoſcunt. quod duorum diſcrimen propterea fit, quia meliores conditiones ſunt effluxus, qui propter levandam plurimam è copia ſarcinam, à natura ordinatur: propter quam cauſam minimè committitur decubitus, ſed vitioſa perpetuò ſcaturigine proficiſcitur. Sunt autem hæc, quæ dico vitia putredinis, aduſtionis, ſalſedinis, nitroſitatis, cruditatis, craſſitiei, viſcoſitatis, lentoris, virulentiæ, malignitatis, & uno verbo dicam, alienæ ſubſtantię, ſive quidem ſint humores ipſi, ſive reſpondentes ichores.

CAP. VI.

De terminis defluxionis in abſceſſu.

Quoniam, quidem fluidorum corporum, ſeu qualitate, ſive utroque nocentium diſpoſitiones & relationes quædam ſunt abſceſſus, item διαδοχαὶ καὶ διαδέξιαι ſunt quædam, auctore Hipp. libr. 2. aph. 27. id eſt tranſitus, & tranſmigratio: ob hæc neceſſe eſt planè, ut ſede una ex qua, atque altera, in quam fiant ipſi, contineantur; interjectis adhuc viis, per quas humor tranſcurrat, ac defluat: non aliter ſanè, quàm fluxionibus omnibus accidit, de qua re primus Hipp. 6. epidem. ſect. 2. loquutus videtur, cum ait, conſideranda autem hæc; Quo, & unde, & per quod: generatim autem nos utroſque terminos abſceſſus, ac brevi demonſtrabimus, primò dicturi de termino primario, & ſuperiori, deinde de ſecundo, & inferiori: ſuperiorem enim à quo, inferiorem ad quem intelligi volumus cum Galeno in lib. meth. 13. locus unde primò deducitur abſceſſus ad effluxum, planè definiri non poteſt; tam mirè multiplex eſt, & latè patens, ut omnis ſcaturigo, locuſque morbi, qui tum intra venas, tum extra, tum in cavitatibus, ſinubuſque parvis, tum in magnis tribus receptaculis, ac ventribus eſſe poteſt: capite, inquam, pectore, & abdomine.

Loca verò ad quæ humor devolvi conſuevit, aliquanto certior, definitiorque eſt: Sunt enim aures, oculi; nares, os, ſedes, vulva, veſica, penis, umbilicus, & univerſa pervia cutis; item vulnus, ut 4. de morb. 22. Quamquam autem hæc, verè potius emiſſaria, quàm termini defluxus ſunt; nihilominus terminos dici licet, utpote per quos, & in quos fluxio terminatur.

Venio nunc ad abſceſſum per decubitum, cujus utraque ſedes, & indefinita, & multiplex eſt, atque adeo relatu non facilis, niſi generatim id fiat. Sunt enim à quibus tranſmittitur humor, partes quæque robuſtæ, aut Principes, aut Principibus ſervientes, ac neceſſario aliquo munere nobiles, & quæ læſæ, læderent inſigniter, & ſuperiores. Quæ verò recipiunt, ſunt partes viliores, debiles, laxæ, cavæ, in proclivi poſitę conſentientes ductibus vię rectitudine, ac ſyntimoria. hujuſmodi ſunt glandulę; emunctoria vocata, intercapedines muſculorum; articuli, pudenda, crura, loca corporis ſubcutanea omnia, & inanes cavitates pectoris; & abdominis; quas partes exponit Galenus comm. primo in 6. epid. tex. 13.

Inter hęc ſpectatur, & aliquando ſitus in transferenda abſceſſuum materia; nempe de ſuperioribus ad inferiora, & contra; de inferioribus ad ſuperiora: ſeu via ſit iſta recta, ſeu ſecus. Quorum omnium meminere tum Hipp. in l. 6. epidem. com. 2. tex. 13. ac 14. tum Galenus in ea loca; Ad hęc interioribus ad exteriores, juxta illud Aphor. 25. l. 6. & cum viſcera repurgantur in glandulas; Pręclare autem de his, & brevi tradidit Hipp. l. 6. epid. ſect. 2.

ſect. 2. par. 11. & 12. per hæc; abſceſſus velut glandularum tumores ſignum, quidem ſunt earum partium, quæ germina habent. Expedit autem ſemel declarari, quid rectitudo ſæpius memorata ſit. Explicatque hanc Franc. Valleſius l. 2. epid. ſect. 3. per hæc; Rectitudo eſt dextrorum cum dextris, ſiniſtrorum cum ſiniſtris, ſuperiorum cum ſuperioribus, inferiorum cum inferioribus. Dextra, & ſiniſtra dicuntur ſecundum hominis: latera ſuperna, & inferna diſtinguuntur, qua hepar eſt. Ex inferioribus ad ſuperiora ſecundum rectum eſt abſceſſus, ut ex hepate partis dextra, aut fluxus ſanguinis ex dextra nare, ita & qui ex ſupernis ad infernas id eſt infra hepar poſitas partes. Porro abſceſſus ſecundum rectum à ſuperioribus ad inferiora lucida exempla habes apud Hipp. 6. epid. ſect. 3. in hiſtoria Herophontis, pro qua re lege Valleſium. Hactenus autem cum una, & ſimplex apoſtaſis humoris ſit: etiam plures una translationes à natura fiunt, id quod primo per Hippoc. adverſum eſt l. 2. epid. ſect. 5. dicente; ſi caput doleat, in pectus deſcendit, deinde in hypochondrium, deinde in coxam, ut intelligas monitore Valleſio abſceſſus poſtremà futuros ad articulos.

CAP. VII.

De viis per quas dimittitur humor.

Terminum abſceſſus inferiorem etiam ſi facile ſit cognoſci; tamen perpetuo neque terminum ſuperiorem, neque vias, quæ interjectæ ſunt, præſertim ubi longum ſpatium intercedit, cognoſcere promptum eſt. Verum ubi ſuperiorem terminum conjectari detur ab hujus plenitudine, & affectu, & aſſidentibus aliis; vias, per quas humor deponitur non æquè pernoſcimus, ſed ignorantiam noſtram ingenuè fatemur, illud afferentes ex Hipp: quod confluxus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia; itemque adſtruentes illud ex Gal. com. 55. l. 7. aph. quod natura invenit ſibi vias expellendis materiebus: nempe, ut ait alicubi Ludovicus Duretus; in ciendo, & propellendo tanta vis lucet naturæ oppreſſæ, ut ſæpe viam inueniat, qua ducatur ad vacuationem cujuſque humoris morbifici, licet ipſe craſſior ſit, & meatus anguſtiores; modo valeant ejus vires ad fortem in expellendo contentionem; unde illud Gal. com. prædicto naturam abſceſſus moliri per oſſa, quod ante omnes propoſuerat Hippoc. Difficultas igitur cognoſcendi terminum ſuperiorem, ut multa ſit; nihilominus inquirendi labor non detrectandus eſt; & indagatio diligens eſt adhibenda. Duces autem erunt, & directrices prima; & potiſſimà, & ſingularis magiſtra anatome, quæ doceat partium ſingularum nobiles ſympathias: ad quam rem adiuvabit traditio de ſympathiis propoſita: à Sanctoro Sanctorio in com. artis medic. res etiam ex anatome petita. Deinde ſerviet obſervatio propria; atque experimentum ſæpe comprobatum, quo firmius ipſe ad aſſeverandum quidpiam accedas. Tertia erit doctrina bonorum Auctorum, qui rem tradiderint hoc, aut illo modo. Ita quidem Gal. viam apetuit, qua fit expurgatio humorum in renes, & qua ad alvum ab eadem parte fiat humorum tranſmiſſio, libro videlicet 6. de loc. aff. c. 4. & poſt hunc Gabriel. Fallop. in obſerv. Anatom. atque hujus auditor Hieronymus Fabricius in opere chirurgicarum adminiſtrationum, & in tract. de Vuln. cap. de ſuppuratis; itemque Petrus Andreas Matthiolus in Epiſt. atque alii apud Ioannem Schenchium in opere medicinalium obſeruationum.

CAP. VIII.

De duplici forma, tum quidem aſpectabili, tum interna.

Formam abſceſſus appello, tum externum omnem partis affectæ habitum, tum tumoris dimenſum, tum circumſcriptionem, ac figuram; horum autem pleraque attigit Hipp. qui libro 4. epid. ſect. prima prodidit hæc; tubercula extrorſum extumeſcentia, & acuta, & acuminata, & quæ æqualiter matureſcunt, & non circumdura, & declivia, & non bifida meliora: contraria verò mala; & quæ valde contraria peſſima. Quod idem, & in prognoſt. qua de abſceſſibus repetiit. Porro vides primo propoſitum in hac dictione tumoris eminentiam, & projecturam. Secundo acumen, & in turbinem gracileſcentiam. Tertio æquabilem maturitatem; Quarto mollitiem. Quinto declivitatem. Sexto ſimplicem extuberantiam, quæ ſingulæ bonæ ſunt abſceſſus notæ; Contra vero malæ ſunt non elatus; neque foras eminens tumor; paſſa, & compreſſa ejuſdem forma; inæqualis maturitas; durities, acclivitas, & bifida capitulatio: quorum ſingulorum cauſas dicere ſi cupis, en tibi Franciſcus Valleſius, qui has tradidit dicens. ſ. quæ æqualiter ſecundum ſe tota tendunt in ſuppurationem, nec ſunt circum dura, hoc eſt, quadam parte incipientia ſuppurare, & circum circa dura; ex materia pendent mitiori & ſimpliciori: ut contra, quæ inæqualiter ſuppurantur exiſtentia circum dura, aut etiam bifida, hoc eſt extuberantia in dubio cacumina pendent ex materia diverſa, & inæqualiter contumaci; commendantur etiam declivia tubercula, id eſt, quæ in declivi ſuppurantur, nam ſive à Chirurgo ſecentur, ſive ſponte rumpantur, qua cutis gracilior facta eſt, ut ſolent, optimè expurgabuntur, ſciſſura in declive ſpectante: hæc bona ſunt; contraria vero mala.

Sed Galenus in eodem com. qui eſt tex. 13. Bona acuminata tubercula propterea, quod ſub his vigent humores calidi; ac tenuiores, ac proinde celerius ſuppurantes: nam ex craſſis, tenacibuſque conſtantia, utpote frigidis; & lata ſunt, & ægrè coquuntur, quin etiam putreſcunt, potiuſquam coquantur longiori tempore.

Sed idem Hipp. com. primo prognoſt. 40. contractiore ſententia pronunciavit; ſuppurationes, quæ foras vertuntur aptæ ſunt, ſi parvæ ſunt; maximeque egrediuntur, & in mucronem ſunt faſtigiatæ; ſi vero magnæ ſunt, & latæ, minimeque in mucronem contractæ peſſimæ ſunt. Quæ declarans Galenus mucronem ejuſmodi faſtigiatum, ait, indicare robur foras expellentis facultatis, itemque non magnam ſedis corruptionem; & eroſionem.

Ad has autem Hippoc. conditiones tumoris, addendæ ſunt & eæ, quæ ſpectant ad ſimplices tactiles qualitates. Calidiores nempe bonæ, frigidiores verò malæ propter humoris, ſcilicet abſceſſuſque contumaciam. Sunt & præterea ſpectandæ viſibiles aliæ: nam livor, & fuſcedo, albor, & concolor ſpecies non parum improbantur; iſtæ, quod longitudinem, & difficultatem curationis oſtendunt; illæ vero malitiam, & diſcrimen.

Hactenus hæc exterior forma cenſita eſt: ratio nunc interior evolvenda: quæ uno verbo eſt translatio [μετάστασις] humoris partem nobiliorem moleſtantis, quam criſi videlicet externi non licuit. Ad hunc autem modum ſucceſſio eſt hæc criſis: atque hæc proinde cognoſci ſecundum ſuam præſtantiam oportet, qua caret abſceſſus.

Criſis

Criſis igitur character (ut brevi delineetur) eſt eductio alienæ, quæ morbum faciebat, materiæ; quæ naturam corporis infeſtabat. Sic porro natura paratis his, quæ neceſſaria ſunt, diebus inſtitutis decernit ſe morbum ſoluturam, & finituram; qui velut triumphus eſt integræ victoriæ. Eſt autem in excludendo humore magnus apparatus, certaque ratio, ut adſit euphoria, id eſt, rerum expeditio felix. Primus autem eſt materiæ pepaſmus, & concoctio brevi elaborata. Secunda eſt agitatio vehemens: Inde monitum à dictatore noſtro eſt; Quibus criſis futura eſt, his nox præcedens moleſta; tum enim gravitas, vertigo, & caligo, mentis perturbatio, diſpnœa, cardialgia, æſtus, anxietudo, jactatio, doloris, ſymptomatumque commotio eſt.

Ab his omni, quo licet conatu, materiæ totius plena & liberalis eſt effuſio per partes exteriores, & per propria emiſſaria, quæ ſecundùm morbi ſpeciem, & viciniam, immo etiam ſecundum opportunitatem natura delegit, quam excluſionem, ut dixi, liberalem, ſi ſemel exhaurire nequit procuratrix intima corporis, frequentes, & oppido repetitas facit.

Ita quidem plenis, & facilibus excretionibus fit probata criſis; & eo quidem minus, quo minor morbi contumacia, minorque vis naturæ fuerit cum minus ſecundo rerum conſentientium apparatu. Semper autem in qualibet excretione, & criſi etiam mediocri micat naturæ vigor, morbificique humoris coctio plurima parte, ſequiturque hunc eductum continuo euphoria, & levitas corpori placidiſſima.

Sed hæc [ut ad abſceſſum jam veniam] cum ipſo non conjungitur, quæ cauſa eſt, ut natura non excluſum materiæ moliatur; cui difficilis pepaſmus fuit; ſed translatum duntaxat. Hic etiam non celeritas, hic non vehementia, non euphoria eſt, ſiquidem non conjuncta concoctio eſt; Ad hæc in corpore conſiſtit morbus; licet non interioribus partibus ſemper, & latens.

CAP. IX.

De multiplici naturæ fine, & in hoc aſſequendo delectus

MOrbi, ut qui ſunt quædam corporis in corruptionem abitio, finem boni non agnoſcunt: namque diſcraſiæ, inflammationes, ſiderationes, paralyſes, atrophiæ, marcores, hydropes, cancri, phagedenæ, teredines oſſium, & fracturæ mali conditionem, & naturam ut exuant? Soli abſceſſus privato quodam naturæ privilegio quempiam ſibi finem utilitatis adſcivere: nimirum qui malo deteriore oppreſſos liberant, & in vita plerumque nos tuentur.

Quæ res, ut fiat, paucis, accipe, naturæ calor nativus, & temperatura ſubſtantialis eſt animalium, ideo forma intrinſecus conjuncta cum animante, & inſeparabilis ſubſtantia viventis ipſius ejuſdem. Intelligentiſſima item boni animantis, cujus & ſui conſervatio eadem. Hanc autem tuetur facultatibus, viribuſque attractrice, retentrice, concoctrice, ſecretrice, expultrice, tum valetudinis bonæ, tum malæ tempore, ſed malæ tempore morbum abigere valentius curat.

Quoniam autem morbus ſubſtantia, vel ſolida, vel humoribus everſis animalis integritatem eſt corruptura, hoc utrumque genus malorum ſedula corporis tutatrix accurate corrigit, & caſtigat: nam & unitatis ſolutæ, malæque conformationis ſpecies omnes componit. Verum quod ad ſuccorum materiam pertinet; natura quidem affectus omnes morboſos, qui crudis humoribus hærentes ſe offerunt concoquere, & in conſentaneam ſanguinis ſpeciem modificare continuo ſtudet. Verum hoc, ubi non aſſequitur negotii contumacia, aut impedimento aliquo magno; non propterea deſes, aut pertæſa, ſed commodo corporis fervida ſemper, & nava, rurſus alteram rationem aggreditur, quæ eſt abſceſſus multiplicis: ac primum, id quod nocuum eſt è corpore foras expellit, ſeu totum, ſeu quamplurima portione fas eſt. Id ſi neque permittitur Hipp. teſte l. 2. epid. ſect. prima, molitur abſceſſum per ἀπόθεσιν, id eſt, depoſitionem morbi, ſeu tota humoris copia, ſeu parte, ſuccedit tranſpoſita. Quod ipſum adhuc ſi facile non eſt, morbum alium excitat in eo firma, ut animal levet, omnem lapidem movendum, atque omnem conditionem accipiendam: atque adeo pro toto incolumi corpore ſervando partis commodum nullo loco habet interdum. Sic, ut nocentibus effluxus detur, locum, qui paratior eſt, certo quodam acris ichoris terebro pertundit, & fiſtulat, ut 6. epid. com. 3. lib. de humoribus. Ita ſanè mirabile naturæ ſtudium in cuſtodiendo, cui præeſt; ita diligens ejuſdem, & infinita procuratio eſt.

CAP. X.

De differentiis, & primo de critici, ſymptomaticique abſceſſus diſcretione.

INter omnes abſceſſus modos, ac differentias potiſſima, & vulgatiſſima eſt critici & ſymptomatici; quam nos dignitate primam ante omnia exponemus. Criticus quidem eſt, quem paulo ante definivimus, criſis naturam licet imperfectæ participans. Eſt autem criſis perfecta, quam com. 20. l. 2. aph. declaravit Galenus, collatis ad alteram conditionibus. Prima eſt melior, quæ vacuationem, quam per abſceſſum. Secunda, quæ infeſtantem, & redundantem humorem, quam, quæ alium evacuat. Tertia, quæ è directo, quàm quæ aliter fit, laudabilior; ſic enim expellit, quæ recto fit viſcerum proceſſu; ac directione. Quarta, quæ euphoriam habet, id eſt, toleratu eſt facilis. Quinta, quæ humorum coctione, & die critico. Hæc enim omnia ſi adſint omnibus numeris abſolutam, perfectamque criſim fore eſt neceſſe: Quum vero &c. Hæc Galenus: cujus enunciatione vides non excipi abſceſſum à criſi, licet hic non cum evacuatione, neque cum coctione, & hujuſmodi aliis fiat plerunque.

Sed ſymptomaticus eſt, qui ad morbum præſubſiſtentem, velut appendix, & affectus ſuccedit, unde eſt ſymptomatici nomen; germen videlicet morbi ex multo, & valido hujus apparatu deciſum.

Ad ſummam ſi recte perſpicias, ſymptomaticus critici falſa eſt imago apud imprudentes: quam facile prudens homo dignoverit ex collatis hujus cum critico conditionibus, & cauſis diſpares enim, & adverſas has omnes invenies. Primo enim ſymptomaticus fit à morbo, non à natura: hæc enim & ſi intervenire videtur expultrice facultate transferendo; haud tamen pro libito, & arbitratu ſuo intervenit, & expellit, ſed coacta erothiſmo, id eſt, humoris acris qualitate, & copia valentis irritatu; Quippe morbis ſuis aliquibus functionibus, ac viribus, qui accidens eſt niti vere non poteſt, ſed materia ſola eſt, quæ naturam laceſſit, in qua item materia non omnino corrupta & natura ex adverſo ineſt: quæ ſi valet ipſa præeſt, ſin minus tranſverſim agitur,

& cum

& cum ipſa vellet movere, à materia in qua ſubeſt valentiore movetur: ut is ſcilicet, qui immerſus aqua, ut natans hanc commoveat; ab æſtuenti movetur, id eſt, vincitur ſic, ut obruatur; aut tranſverſus agatur; aut ſi quis inſtitutus cuſtos domus pro ſervandis vaſtigalibus à furum rapinis, hic interdum ab his, qui viribus ſunt ſuperiores, cogatur, ut ipſe dilapidet, etiam bona; faciatque per vim, id quod inſtituti ſui non erat. Ita & natura, quæ vis eſt quædam ordinans bona corporis, ſi materia quidem obediat, hanc accommodate diſponit, ac procurat; ſin materia præpolleat, vincitur; & à nutu ejuſdem trahitur. Sic apparet, quis ſit abſceſſus auctor ſymptomatici.

Materiam nunc diſpiciamus: hæc transferendo modificata ſemper eſt naturæ critice procuranti; id eſt, & ſi omnino concocta, & ſubacta, ſuiſque placitis omnino conſona: tamen aliquam nacta eſt commoderationem, & mitificatum, ut poma, quæ nî ſunt matura, nihilominus non ſunt lignoſa, & fatua. Quapropter & intrinſecus requiſita forma abſceſſus critici carebit hæc à morbo producta. Quippe confarctu, conculcatuque immiſſum particularum ſtupet, riget, livet, & ad ſuppurationem omnem inepta, atque immobilis, ut lapis eſt. Caret & modo decumbendi, qui viſitur ſemper in bono abſceſſu, qui fit apotheſi. i. tranſpoſitione; hic vero fit epigeneſi, id eſt novi effectus additione. Caret etiam fine, qui ſolvit morbum, quique eſt ad levandum animal, cum rerum omnium opportunitate conjuncta: Eſt autem opportunitas, ut fiat in die critica, præcedentibus aliquot indiciis ſalubribus in partes à principibus diſſitas per conferentes vias & ſecundum rectitudinem, & ſecundum rationem boni ſalutiſque eſt: at non ita: quidem in ſymptomatico, neque enim in hoc ſolutio, ſed exolutio: nulla coctionis, temporis, viarum, loci, ſituſque partium opportunitas delecta: ſed omnia inordinata, præcipitata, recurrentia, irrita, infida, læva, malaque ſunt. Vides jam quantis intervallis diſtet à critico ſymptomaticus abſceſſus, & quam adeo exlex, & enormis ſit ejusdem vaſtitas.

CAP. XI.

De differentiis aliis abſceſſus.

AD cauſas effectrices relatæ accedunt & aliæ differentiæ: nam abſceſſus alii epidemici, alii endemii, alii ſporadici, alii peſtilentes, alii non peſtilentes, alii ad acutos morbos, alii ad diuturnos, alii ad febres, alii ad morbos alios ſuccedunt.

A materia, alii ſanguinei, quos maxime probavit Hipp. in l. de prædict. num. 6.

A forma, alii foras extantes, faſtigiati, & uno quaſi capitulo, alii vero preſſi, & humiles, bifidi, ſeu bicipites, variciformes cyrtomata ab Hipp. dicti.

A generationis modo, hi acervatim facti, ſi ſemi repentes, ut vocat Hippocrat. & ſemiflui. Hi per excretionem, hi per tranſpoſitionem ſunt.

A fine, alii ut morbum ſolvant, & ægros levent, & in tuto ponant, comparati ſunt à procuratrice natura, alii vero vi morbi, vi hominem præcipitent ipſo vitio, & materiæ corruptione prævalente.

A quantitate, alii magni, & pro dignitate materiæ morbificæ provenientes, alii parvi minuſque reſpondentes dignitati morbi. Itemque majores, quam ut præferri queant, minores, quam ut prodeſſe valeant. Debent enim abſceſſus, neque paucitate inutiles, neque magnitudine intolerabiles eſſe. Atque hi ſunt à quantitate continua; à diſcreta vero alii unitate contenti; alii plures, atque diſperſi.

A qualitate, alii calidi, alii frigidi; molles, duri, crudi, maturi, tuti, periculoſi, benigni, maligni.

Ab actione, paſſioneve dolorifici ſedati; anxietudinem euporiam inducentes; faciles contumaces; ſuppurabiles, non ſuppurabiles; recidivam facientes, & non facientes; morbum judicantes, & non judicantes, ſive irriti. cujus poſterioris membri exemplum reliquit Hipp. l. primo Coacarum dicens in febribus dolor bubonis ad diuturnitatem morbi pertinet.

A tempore alii per initia, & primum inſultum morbi exorti, alii per diadochen, & fugaces, ut exponit Duretus l. 2. Coac. cap. 11. §. 3. alii breves, alii diuturni, alii medio modo ſe habentes; hyberni, æſtivi, autumnales, verni; quidam ſunt ſubeunte, & crudo morbo naſcentes; quidam ſub progreſſu, vel inclinante eodem. Abſceſſus autem ipſius ſunt tria tempora; quod morbum præcedit, quod in morbo eſt, & quod à morbo ſubſequitur; id eſt convaleſcentiæ tempus. Ad hæc tardi, citi. Hipp. Coac. à ſitu meteori, ut Duretus loquitur, & abditi.

Itemque à locis, & ſitu corporis, in quibus conſiſtere ſua ſunt etiam abſceſſuum diſcernicula. Nam alii ſuperiores partes, alii inferiores; interiores, aut exteriores; dextras aut ſiniſtras occupavere; alii ad glandulas, auras, alas, inguina, alii ad articulos, ad caput, pectus, abdomem erupere. Videtur autem, ut particularis, ita & univerſalis quidam abſceſſus dari per ea, quæ ſcribit Galenus com. 4. in l. de ratione victus in morb. acutis particula prima. Si in una quapiam corporis parte affectio ea fiat, in ea ſolum, qui eryſipelas referat affectus quiſpiam erit. Verum ſi venæ totius corporis ſupra modum exiccatæ calidas è carnoſis partibus humiditates traxerint in toto corpore fiet affectio, quæ cauſam referet.

Ad hæc abſceſſum alii, qui pus effundunt intro, alii, qui extra viſcera, Hipp. l. 2. Coac. cap. 11. § 8.

Ab habitu, alii liveſcentes, & emortui, alii concolores, aut ſecus; ſuppurati, non ſuppurati; pus, ſaniem, aut ichores crudos continentes; alii non pus quidem habentes, ſed aliam quandam putredinem, ut in tempeſtate peſtifera ab Hipp. deſcripta

Abſceſſus cum febre, ſine febre, quam ipſi vel præcedunt, vel comitantur, vel ſequuntur. Ad hæc inflammatorii, vel ſecus. Abſceſſus per decubitum quamplurimum per morbos longos viſi conſueverunt, qui frigidi ſunt omnes; non autem per morbos acutos, & calidos, ut paulo poſterius, ubi de proprietatibus explicabimus. Plurimum etiam ſine phlegmone præcedenti oboriuntur abſceſſus per decubitum: itaque tarde accedunt, tardeque ſuppurantur, atque curantur.

Suppuratorum etiam, quæ ſurſum ſunt alia quidem in tunica ſtabulantur collecta, alia vero ſunt in viſceribus ipſis diffuſa. Hipp. ſect. 2. Coac. cap. 11. §. 7.

CAP. XII.

Definitio abſceſſus.

HIs quidem omnibus rite tam expoſitis, productiſque cauſis abſceſſus, hunc definire difficile non eſt; commode autem multiplex ſimul abſceſſus ſpecies finiri nequit, niſi prius ambiguitas removeatur lege definitionis ab Ariſtotele propoſita, quæ vult, ut omne æquivocum ante ſit diſtinguendum, poſtea defi-

definiendum. ſic qui per excellentiam dicitur, per decubitum adveniens, nunc ſumitur. Hic igitur ab eo, qui per effluxum eſt, differt tranſpoſitionis forma: propterea genus ejus nobis, erit translatio diadoche dicta Hipp. ac Galeno. quoniam autem ea, quæ transferenda, non excernenda fuit materia, eſt (oportet) non calida, neque tenuis, non tamen ſimpliciter frigida crudaque, quæ agitari nequeat: ideo ſubdetur humoris frigidi, ſemicrudi. Quoniam autem translationis ratio in hac actione deſideratur addiri; hæc autem eſt copia, & qualitas ſimul, ſed copia magis, quæ morbis in longis frequentior eſt: propterea quod difficilior victu, quam qualitas; ob id addemus in morbo longo facultati principi nocentis. Verum quia mentio terminorum intercedat, oportet in translatione neceſſariarum; huc ſpectantes aliud adjiciemus, quod eſt à parte nobiliore ad viliorem. Poſtremo ne cauſſa effectrix exponenda deſideretur, ſupplendum duximus, naturæ conſilio comparata.

Itaque ſi clauſularum omnis ſumma colligatur; definitionem habebis, quæ eſt; Abſceſſus eſt translatio humoris frigidi, ſemicrudi copioſi ſub longo morbo facultati principi prægravantis de parte ſuperiori ad inferiorem à natura providente facta.

CAP. XIII.

De cauſis ſpeciatim.

CAuſas omnes in homine qui tractatur, recognoſcemus ſecundum ordinem rerum naturalium, non naturalium, præter naturam. Quod ad res naturales attinet; humores, qui huic affectus generi, ſuffragantur ſunt in abſceſſu quidem per effluxum calidi, qui ſunt ſanguis, bilis; in decubitu verò frigidi, atque humidi, ut qui in morbis longis magis dominantur, quæ ſunt pituitæ pleræque ſpecies.

Similique modo temperaturæ ex his humoribus conflatæ. Ad hæc intervenit facultas expultrix, quæ in parte quidem mittente valens ſit, oportet; in recipiente debilis: quibus utriſque facultatibus ſpiritus memorato modo reſpondeant neceſſe eſt: Partes vero conſentiant munere, conſortio, proclivitate, laxitate, imbecillitate. Sanguinis fluorem juniorib. potius quintum, & trigeſimum annum agentibus expectandum docet Hipp. in Coacis: etenim ait Gal. per hanc ætatem ſanguis plurimus, eſt, facultas validior atque etiam calor exuperans; in quibus autem ætatibus magis fiant legitur in prognoſt. com. 3. tex. 24. Adverſum autem eſt ab Hieronymo Mercuriali in com. ad prog. abſceſſus in pueris citius, quam in ſenibus ac viris citius, quam in fœminis maturari.

Ex ordine verò rerum non naturalium, aëris ſtatus imprimis conſiderandus, qua nulla frequentior Hippocratis eſt doctrina: cauſa hybernus magis, quam æſtivus, præterquam ſi debeat abſceſſus eſſe per effluxum. Aer vero frigidus ſubdialis, & ſublunaris; item decubitus in ſolo per noctem, & locus quicunque udus, & uliginoſus, qui incolatur abſceſſus frigidos creat, argumento ſunt inopes, & varie peregrinati, qui non admodum ſe tueri valent. Peſtilens item aeris conſtitutio abſceſſus invehere ſolet externos: qu n etiam & internos in ephemeris peſtilentibus creat interdum, ut adnotavit Thomas Jordanus lib. de peſte tr. c. 8. Ex partibus autem anni, autumno maxime fiunt diſcriſiæ præcipue per abſceſſus, ut adnotavit Fr. Valles. in 7. epid. 11.

Poſt hæc ob malos cibos abſceſſus putredinoſi fiunt, ut ſcriptum eſt Galen. de cib. boni, & mali ſucci c. 4. item ob craſſos dulceſque cibos. ibidem, ſed & craſſa vina limoſa eoſdem inducere poſſunt. Labores item, ac motus nimii, ut com. 4. aph. 44. & 4. aph. 31. Repletio etiam multa materiam afferre abſceſſis ſolet.

E genere præter naturam unus, & maximus dolor eſt: cujus occaſione fit, ut abſceſſus in dolentem ipſam partem incurrat, ut alibi hoc eodem tractatu explicui: unde Hippocrates in lib. 4. aphoriſm. 66. Abſceſſus faciunt viſcerum dolores.

Adhæc imbecillitas partis è verbere, & caſu priori: mutilatio membri, vulnus, ulcus, fractura, vel ex his cicatrix, ancyle; apoſpalma; diſtentio, paralyſis.

CAP. XIV.

De proprietatibus quibuſdam abſceſſus.

HIs, quæ jam expoſuimus de natura deque cauſis abſceſſus; nunc quaſdam horum proprietates, vocataſque à philoſophis paſſiones adjicimus eo conſilio, ut poſt ſubſtantiæ diſcretionem accidentia quoque pateſcant, præſertim quæ maxime declarare rem ipſam poſſunt, atque ad abſolutam diagnoſin præordinari. Neque verò nos ineptiæ quiſpiam accuſet, quod ſubſtantiam, & accidentia morbis, qui in ſubjecto ſunt, & nulli ſubſtant, attribuamus. Præter quam enim hoc docendi ſtudio concedi licet: ad hæc nos illa referimus diatheſi, & habitudini corporis, male affecti: cujus ſubjecti virtute fit ſæpe, ut morbi ejuſmodi nomenclaturas bene recipiant. Erit autem hæc particula inter omnes locupletiſſima: quam ex optimis, & principibus viris ſic congeſſimus, ut tabula quadam deſcriptæ videantur, ad hunc. ſ. modum.

Abſceſſus per effluxum in morbis acutis ſæpius viſuntur, quam in diuturnis: abſceſſus vero per decubitum non fiunt per morbos bilioſos, ſed per longos prognoſt. com. 2. text. 65. nempe per hos finiunt judicanturque morbi craſſarum materiarum. progn. com. 2. tex. 65 & com. 3. tex. 23. & ſequent. & com. 4. aph. 26. & l. de ratione victus in acutis com. 4. tex. 46. Hinc autem eſt, quod hyeme potius accidunt, tardius deſinunt, & minus retrocedunt progn. com. 3. tex. 28. Addidit Gal. in com. rationem dicens; abſceſſus per hyemem potius accidunt, ſiquidem per excretionem calidi per abſceſſum frigidi vacuantur humores: tardius deſinunt ob ambientis aeris frigus; & ob craſſitiem, ac frigiditatem humor ægrius diſcutitur; ob quas cauſas, & minus recurrunt, ſive retrocedunt, quia frigidus humor difficilius moveri poteſt. Hinc etiam abſceſſus quibus recidivæ Hipp. 5. epid. Per decubitum abſceſſus fit interdum primis diebus, ut eryſipelas, & hoc genus. Marinellus in com. ad Hipp. ſed Gal. l. 1. de dieb. decret. ait in morbis, qui ſubito ſolvi debent, excretiones, & abſceſſus requiruntur.

Abſceſſus raro fiunt in febribus cum rigore incipientibus in 6. epid. com. primo.

Abſceſſus cito fiunt in febribus cum laſſitudine conjunctis com. 4. aph. 74. & 36.

Abſceſſu judicantur febres molliores 2. de art. cur. ad Glauc. Abſceſſus in quartanam mutantur lib 1. epid. com. 2. tex. 21.

Affectus partium judicatione facti multo facilius curantur, quam cum ob multitudinem, & cacochymiam fiunt. Ita morbus regius in febris ſolutione ortus,

ortus, per quem urina & dejectio ſunt, quales in benevalentibus facillime ſolvuntur, ac brevi, qui vero ob bilioſam fit cacochymiam, non niſi ſæpe, ac vehementer expurgato corpore; Franc. Valleſ. 7. epid. 11.

Evenit nonnunquam abſceſſum fieri in partem contrapoſitam, aut effluxum per viam nullius rectitudinis participem, propterea quod omnia ſunt confluxilia. Ludov. Duretus.

Abſceſſibus ſuppurantibus rigor fit 6. epid. com. 3. de qua re lege Valleſium in com. ad 4. epid. tex. 124.

Abſceſſus ad articulos fiunt aliquando citra articulorum dolores, ac tumores, qui ſolis effæminationibus, ſeu luxationibus cognoſcuntur. Franc. Valleſ. l. 6. epid. ſect. primæ tex. 11. Attigit, & brevi rem hanc Antonius Santorellus ſcholæ Neapolitanæ novus Argenterius 11. Antepraxis cap. 6.

Abſceſſus raro fiunt lege critica in dominatu bilioſi humoris. Duretus l. 2. in Coac. c. 16. quod eſt de pleuritide, & peripneumonia. Ratio autem aſſertionis eſt, ſiquidem abſceſſus non fiunt validi quibus rigores veniunt, atque quos excitare frequentiſſime conſuevit bilioſæ materiæ dominatus; & ad ſummam quemadmodum humores craſſi procreandis abſceſſibus ſunt accommodati; ſic ſane tenues ad excretionem non ad abſceſſum ſunt nati.

Peracuti, atque acuti excretione maxime finem inveniunt. à 40. die raro id evenit; nam coctione longa evincuntur, vel languidam, & repetitam excretionem movent: Joan. Heurn. Inſt. med. l. 11. c. 5.

Abſceſſu qui finiuntur morbi, comitem iſtam perturbationem criticam non agnoſcunt: ut nulli longi morbi; niſi poſt modum in acutum degenerent morbum. Idem ibidem.

Sunt aliquando volubiles abſceſſus converſiones tum ad ſalutem, tum ad mortem mutatis vicibus. Vt in angina, cum ſtrangulatio fortis, ſævique doloris cruciatus, & orthopnœa citò venturæ mortis cauſas in promptu teſtantur: deſperatio vertitur in ſpem, ſi eryſipelas in cervice, & ſterno per metaptoſin exortum laryngis deorſum minuat, unaque liberiorem faciat ſpirationem. Eadem ſpes rurſum deſperationis habet ſucceſſionem, ſi eryſipelas intro reverſum peripneumoniam faciat, vel anginam. Ita Duretus in Coacas l. 2. C. 16. qui & l. 1. tex. 149. tradidit hæc non diſſimili ſententia. Plerumque abſceſſus fugaces ſunt, id eſt, de loco uno leviter in alium transferuntur? ut Hiſtor. 3. libri primi epid. Herophonti doluit quidem bubo, ſed doloris fugacis materia derivationem facilem habuit ad crura totius morbificæ cacochymiæ capacia.

Inter omnes pueri habent ſæpiſſime abſceſſus, quia ob voracitatem congerunt ſuccos craſſos, & habent per eam ætatem magnum facultatis naturalis robur. Valleſius in progn. Hipp.

Tres abſceſſui per excretionem neceſſariæ ſunt opportunitates: libertas meatuum, validæ vires, & materiæ præparatio, ut ſit meabilis. Duretus in lib. 1. Coacar. 149.

Fuit illud Hippocratis judicium de abſceſſibus criticis, ut eos non agnoverit niſi in febris aſſiduitate, nunquam vero in febris vacuitate; ſic enim ait in prognoſtic. Abſceſſum porro expectare oportet, ſi continua eſt febris: ex Dureto l. 1. Coacar. tex. 149.

CAP. XV.

De ratione dignoſcendorum abſceſſuum promiſcua.

Dignotionem abſceſſuum traditari primum inquiſitionem faciemus differentiarum, quæ ſunt per excretionem, & tranſpoſitionem: Excretiones cognoſcere docemur ab humorum propenſione, & curſu per meatus ſibi evacuandis deſtinatos: de qua re Gal. lib. 3. de criſib. Sed 3. prog. com. 26. tradidit normam, morbos à calidioribus ſuccis profectos cum naturæ valenti robore conjunctos per excretionem judicari; in quibus vero facultas debilis eſt, & frigidus humor, nec excretione, nec abſceſſu levari: verum in corruptionem abeunt, aut vix longinquitate temporis miraculo coquuntur, & finiuntur: abſceſſus vero præter quam cognoſcuntur negatione naturalium propenſionum ad excretum, ad hæc præſentiri poterunt ex habitudine humorum, qui ſint accommodati ſolum ad translationem, qui vel coctiores debilem habeant tranſmotricem, vel craſſi robuſtam.

Ad hæc ſpectandus morbus eſt, nam ſi calidus, & acutus primis periodis criſim expectat excretione judicandam, ſi vero frigidus, tardus, & diuturnus affectus ſit, urinis tenuibus & crudis. Gal. 3. Criſ. ult.

Ad dignoſcendos vero abſceſſus per effluxum, aut per decubitum hæc habe. Abſceſſus non validi quibus rigores Hipp. l. 6. Epid. ſect. 1. Criſes fiunt excretione, vel abſceſſu. Si excretione id fiet 14. dierum ſpatio extra vel intro; idque in juvenibus quorum meabiles ſunt ſucci, corpora, & motus naturæ juveniles. ſed prærepta criſis occaſione, & cauſa per excretam, hoc eſt, in cruda, & contumaci materia, inclinatio fit ad abſceſſum, modò natura viribus integris propugnet. Heur. inſt. med. l. 11. cap. 5.

Ni ſint per effluxum abſceſſus, cæteris conſtantibus per decubitum erunt. Ita quidem apparet voluiſſe Hippocr. l. 2. de morbis vulg. Sect. 1. & Galen. in l. 1. ejuſdem operis Sect. 2. tex. 44. ſuper illa ſententia (Maturationes excrementorum omnes undique tempeſtivæ, aut bonæ, & decretorii abſceſſus ſunt conſiderandi) profitetur apertius ad negatos abſceſſus per excertionem, alteros per decubitum ſuccedere.

Didicerunt autem longæ fieri hæ febres, & abſceſſus habere, ſi frigidæ ſint partes infernæ circa aures, & cervices; ſi vero non ſint frigida, habent alias mutationes: fluet autem ſanguis ex naribus, & alvi his conturbantur. Hipp. 1. de ratione victus, & Valleſ. in com. Suppurationum umbilicus terminus eſt, quibus autem rumpi ſuppurationes debent, ventres his turbantur Hipp. l. 6. epid. 6.

In cruda, & contumaci materia, & meatuum anguſtia non criſis quidem, ſed abſceſſus potius fiet, modo natura viribus integris propugnet. Si illa fatiſcat cachexiam expecta, & corruptionem, niſi tamen poſt exacerbentur, ut in Cleonactide octogeſimo, ex Heurnio 21. Inſtit. med. c. 5.

Abſceſſuum per effluxum ſecundum ſingulas ſuas ſpecies prægnoſcendorum quæ ſint ſigna, expoſitum habes fuſe, ac diſtincte ab Hieron. Montuo in compendio curatricis, à Proſp. Alpino in l. 6. de medico præſag. & ab And. Laurent. l. 1. de criſibus, & ab aliis. inſtituti porro noſtri fuit potius de his, qui ad decubitum pertinent, diſſeruiſſe.

CAP. XVI.

Signa abſceſſus per decubitum.

Si febris detinet, & dolor non deſinit, excreatio non excernitur ex ratione, neque bilioſæ fuerint alvi dejectiones, neque ſolutiores, & ſinceriores, nec urina admodum craſſa, ac plenius ſedimentum; ſalubriter vero à cæteris partibus miniſtratur: his tales fore abſceſſus ſperandum eſt. Hipp. com. 2. progn. tex. 65.

Si vigeſimum diem exceſſerit morbus, tunc abſceſſus, ſi nullus dolor affligat ob inflammationem, aut ob aliam manifeſtam cauſam. Hipp. l. prog. ſect. 3. tex. 23. 24. 25. & 26.

Quibus inveteratio eſt morbi, dolorificum imis in partibus expectare oportet, potiſſimum verò junioribus; Hipp. In diuturnis febribus, aut phymata fieri ſolent, aut in articulis abſceſſus.

Quibus febres longæ, iis tubercula ad articulos, vel dolores fiunt, l. 4. aph. 44.

Sunt & abſceſſus futuri ſigna urinæ tenues, & crudæ toto morbi decurſu cum ſalutaribus ſignis apparentes, l. 2. aph. 34. Si eorum, quæ excernuntur ſupereſt pars aliqua: tunc in abſceſſum morbus eſt facilis..

Per abſceſſum futura criſis quomodo cognoſcatur, 3. de criſib. cap. ultimo doceris.

CAP. XVII.

Qua ætate, ac tempore anni, morbique adveniant abſceſſus.

Abſceſſus ſenibus haud eveniunt; hominibus, qui trigeſimo ſunt anno minores citius apparent, Jo. Heurnius Inſt. med. l. 11. cap. 5. quamquam Hip. l. Coac. ubi de dolore capitis, ait, maxime verò triginta quinque annis minoribus profluvia ſanguinis; ſenioribus verò abſceſſus expectare oportet; ſed enim aliud eſt ſenibus non accidere; ſenioribus 35. annis accidere. Admodum, inquam, ſenibus abſceſſus rariſſime accidunt: ſiquidem robur virium his naturaliter debile: ad hæc ſub diuturnitate abſceſſibus ſolenni fracta natura ad propellendum nullam vim habet: humoris verò contumacia, & compactorum meatuum ariditate reſiſtit, quas ob cauſas ſub ſenecta nil ejuſmodi à natura ſuſcipitur, aut ne tentatur quidem. Sicut in minoribus natu trigeſimum annum agentibus abſceſſus conſiſtunt; ita quartanæ potius agentibus annum quadrageſimum, aut, etiam ſenioribus accedunt; com. 3. progn. tex. 28.

Oportet autem expectare abſceſſum per febrem continuam; in quartanam verò diſceſſuram quoties intermittat prehendatque errabilem modum, atque ita agendo autumno propinquet. Com. 3. progn. part. 27.

CAP. XVIII.

Dignotio ſitus partium, ætatis, abſceſſuſque ſpecierum ex Ioan. Sylvio.

Signa criſis futuræ per abſceſſum, in febre mitiore, & diuturniore:

- In quamvis partem:
  - Febris ſalubris, & cum ſignis ſalubribus, ſed protracta non ſoluta, ut ad diem vigeſimum, & diuturna ac tarda, ſine dolore à phlegmone vel cauſa externa, hyeme magis.
  - Morbus aut calidus, ſed cum viribus imbecillibus: aut frigidus, ſed cum viribus robuſtis. Nam ſi calidus & vires robuſtæ per excretionem ſolvetur; ſi frigidus, & vires imbecillæ, aut ægrum ingulat, aut tardiſſimè vix coquetur.
  - Ætas minor annis 30. aut 35. Nam ſenibus minùs fiunt abſceſſus ob virium imbecillitatem, etiam ſi febris ſit diuturnior. Infra autem annos 30. magis & citiùs fit abſceſſus.
  - Urinæ tenues & crudæ longo tempore. Nam multæ, & cum plurima hypoſtaſi, paulatim coqui & ſolvi morbum ſignificant.
- In articulos, vel glandulas, aut alias partes.
  - Superiores, ut glandulas colli, & quæ parotides dicuntur.
    - Morbus præcipuè non diuturnus.
    - Somnus gravis.
    - Dolor capitis vehemens.
    - Capitis & temporum gravitas.
    - Surditas repentina & præter rationem.
    - Reſpirandi difficultas, aliquandiu ſine cauſa manifeſta.
    - Hypochondria ſemper mollia & indolentia.
  - Inferiores.
    - Reſpiratio aliquandiu difficilis, ſubita, ſine cauſa manifeſta, mox quieſcens.
    - Morbus diu duravit.
    - Urina tenuis, cruda, multo tempore micta.
    - Circa hypochondria aliquid phlegmonis & caloris in peripneumonia, huc repere humores ſignificat.
    - Gravitas, tenſio, phlegmone, dolor inferiorum partium.
    - Nullum ex ſignis parotidum apparuit.

CAP. XIX.

Methodus dignoſcendorum ſitus, & partium obnoxiarum abſceſſus communis.

Conſtabit autem partium, quæ obnoxiæ ſint abſceſſibus, & ſitus cognoſcendorum aliqua methodus ex conjecto ſubſiſtentis humoris orgaſmo, & motu naturæ facultate, ac ductuum ſurſum, ac deorſum ſpectantium habitudine, ac ſitu, ſi ſuccus quidem tenuis ſubſtantiæ ſit, potius ad ſuperiora; ſi verò craſſior ad inferiora promptior erit, ſi valens natura ſit, & viribus cumulata, deorſum & procul ab affecta ſede, & morbi dignitate moleſtum humorem extrudet. Conferet autem, & partium male affectarum diſpoſitio, quæ prona ſit ad recipiendum docente, Hipp. l. 4. aph. 33. quod ſi ante morbum pars aliqua laboraverit in eum morbum decumbet: item conferet vaſorum ſive ſurſum, ſive deorſum vergentium commoditas: quippe in rectum proprio quodam naturæ nutu levis humor habet aſcendere, gravis deſcendere, ſi viæ ſint expeditæ.

CAP. XX.

Dignoſcendi ſitus ratio privata.

Exoriuntur ad inferas quidem partes, quibus hypochondria incandeſcunt, ad ſuperas verò, quibus hypochondrium

chondrium quidem molle eſt, ac doloris expers; ipſi verò pauliſper ſuſpirioſi quieſcunt ſine cauſa Hipp. com. 2. progn. tex. *66.* conſule autem Galenum in com.

In febribus ad articulos, & circa maxillas maxime abſceſſus fiunt: prope ſane dolores unius cujuſque ad ſupernam partem magis, & in totum, ſi verò lentus fuerit morbus, & deorſum tendens; inferne etiam abſceſſus fiunt, maxime autem pedes calidi, inferne ſignificant, frigidi ſuperne. Hippoc. l. de hum. num. 3. vide autem, quæ Gal. in com. ſcribit ſcitu plane digna.

Qui tenuem crudamque urinam diutius mingunt, his abſceſſus expectari oportet in partes diaphragmate inferiores. Hipp. lib. progn. num. 11.

Qui diutius ſecure ex febre continua laborant citra dolorem, aut inflammationem, aut aliam cauſam; his abſceſſus expectandus eſt, cum dolore, ac tumore, ac magis in infernis partibus, lib. progn. com. 3. tex. 23.

Abſceſſus his, qui nyctalopæ vocantur proſunt inſuper apparentes, & ad infernas partes erumpentes: verùm non valde accedunt per juventutem. Hipp. l. 2. prorhet. num. 40.

Abſceſſus autem inferius erupturi, cognitio traditur com. 2. prognoſt. 4. tex. *66.*

Quibus jam nephriticis ex renibus affectis prædicta ſigna accidunt, doloreſque circa muſculos ſpinales fiunt, ſi quidem circa locos externos fiant, etiam abſceſſus intrinſecus futuros expecto, l. 7. aph. *36.*

CAP. XXI.

Dignotio partium privata.

Abſceſſus maxime incumbunt in partes dolentes, inutiles, claudas, imbecilles, atque laſſatos, ita Hipp. l. *6.* Epid. ſect. 7. dixit; Tuſſes laborioſæ incumbunt in partes læſas, ſed maxime in articulos, & quidem ſect. 7. primo qui vocibus amplius, quàm par erat, ſed fatigarunt, aut riguerunt: in anginam magis inciderunt: qui manibus laboraverunt, manibus ipſis facti ſunt paraplecti; qui vero equitaverunt, aut amplius iter fecerunt cruribus ſunt fatigati. Idem fere 4. aph. 33.

Quibuſcunque in febribus tremores citra judicationem ceſſant: his in grogreſſu abſceſſus doloroſus, ſuppuratus in articulos fit; & veſica doloroſa. Hipp. progn.

Quibus alvum ab initio turbatur, urinæ vero paucæ ſunt, & progreſſu alvus ſiccatur; urina vero tenuis redundat; his abſceſſus ad articulos fiunt Hipp. l. progn.

Dyſenteria intempeſtivè ſuppreſſa abſceſſum in coſtis, aut viſceribus aut articulis facit. Hipp. Coacis.

Quibus ex morbo ſe erigentibus ſtatim in manibus, vel pedibus dolores fiunt; in his abſceſſus ſunt futuri. Hipp. l. de humor. Aetius Tetrab. 2. lib. 1. C. 11.

Abſceſſus velut glandularum tumores ſignum quidem partium, quæ germina habent: ſed & aliarum maxime verò circa viſcera Hipp. l. *6.* Epid. ſect. 2.

Urinæ cum rigore malæ, & convulſoriæ, tum aliàs, tum ſi quidem antea gravi ſopore preſſus fuit: ſpes autem in his eſt abſceſſum retro aures futurum. Hipp. lib. coac. præn.

Somnus gravis cum dolore capitis, & ſurditas ſtatim adveniens, parotidum ſunt ſigna. Ex eod. Hipp.

Ubi morbus non fuerit valde diuturnus, ſi ſubit difficultas, ac halitus laboranti ſupervenicns mox quieſcat, eamque gravitas capitis, ac dolor ſubſequatur, & gravis ſomnus, & ſurditas; huic in glandibus poſt aures neceſſe eſt abſceſſus fieri. Gal. l. 3. de criſ. & com. 75. *76* 77. l. 1. prorhet. & ipſe Hipp. l. 1. prorhet. Abſceſſus circa aurem attollit præcordiorum diſtentio cum ſopore anxioſo Hipp. l. progn.

Abſceſſus juxta aures emergunt ex egeſtionibus deſinentibus ſpumoſas Hipp. progn.

Abſceſſus poſt aures, ſignificatur colore faciei primo prorhe. com. 2. tex. 14. & *6.* epid. com. 2.

CAP. XXII.

De ratione præſagiendi circa abſceſſus.

Supra, qua de fine molientis abſceſſum naturæ diſſertum eſt, fundamenta jecimus, & ſumma tradidimus capita bene inſtituendæ præſagitionis. porro quemadmodum ſe res habet ad eſſe, ita etiam ad cognoſci: præter quàm, quod prænotio nihil ad ſummam eſt aliud, quàm, conſilii naturę architectantis præſentio. Quas ob res, quæ ibi propoſita ſunt à nobis, ea nunc in memoriam revocari oportet: atque adeo perpendi num morbus is ſit, quem excutere natura concoctione valeat, vel ſecus. Valebit autem ſi firmus homo tum ætate tum viribus, morbo ſit faciliore correptus. Facilis autem morbus erit ſi calidis, mitibuſque ſuccis ſit fultus, quales nimirum è ſanguinis genere ſunt.

Quod ſi bilioſus ſit apparatus, & aliquanto turgidior: robore naturæ, ſicut dixi, conſtante, & notis quas paulo poſterius adjiciam, prę monſtrantibus: probabile credideris futurum effluxum, ſeu materiæ totius, ſeu plurimæ, prout naturæ facultates, & morbi lenitas ſe oſtenderit. Atque ejuſmodi quidem eſt præſagitio, ſi calido ſit in genere morbus.

Quod ſi frigidis, craſſis, lentiſque materiis ſtipatus ſit; hyeme præſertim, & autumno, doctus proprietates abſceſſus, quas ſuo capite legiſti: certus eris hoc genus morbi futurum, ut per decubitum finiatur, perfectus, non perfectus, ſalubris, exitioſus, difficilis; dubius, prout & ſecuturæ te docebunt normæ, naturæque & morbi virium ſeſe exhibuerit æſtimatio. Nempe ſi materia, quæ morbum facit, eo redacta ſit à natura, ut educi poſſit per loca conferentia tempore, & loco expulſioni opportunis: hoc pacto conducibilis erit abſceſſus: ſin morbus, aut materia, aut uterque naturę ſuperiores ſint, contra æſtimandum. Rationem autem dignoſcendi rem hanc fuſe docuit Vidus Vidius in Artis med. tom. 2. part. 1. l. 10. & hunc imitatus Proſper Albinus in l. primo de medico præſagio.

Hæc quidem generalis, & ſumma fuerit præſagiendi ratio. Cæterum præſagitor ipſe per multum, & non vulgariter verſatus ſis oportet in uno Hippocrate, qui mirificentiſſime, ac diligentiſſime omnium, qui ad hanc ætatem extitere rem prognoſticam aſſequutus eſt: ut qui cum natura, & ejus conſilio maxime fuit conjunctus. Non levis autem opera, neque perfunctoria, ſed ſingularis, & exacta navanda eſt, ut hujus Viri doctrinam attingere liceat, cujus nos aliqua definitius tradere jam incipiamus.

CAP. XXIII.

De lege ſalutaris abſceſſus.

Monſtratum ante per nos fuit, abſceſſum eſſe metaſtaſin, ac tranſpoſitum quendam humoris naturæ guber-

gubernantis ſtudio procuratam. In tranſpoſitu porro ſunt hæc; humor tranſpoſitus; pars unde migrat, itemque pars, quæ recipit; viæ, per quas humor transfertur; ac finis, cujus gratiâ transfertur: hæc quidem ſingula recte comparata ſint oportet, ſi ſalutaris eſſe debet abſceſſus. Primo quidem humor coctus, aut ſemicoctus ſit oportet, etenim ſi crudus ſit, præterquam ineptus eſt tranſmotioni: & naturam potius vi ſymptomatica irritaret. Ad hæc, ut admonet Hipp. l. 1. epid. ſect. 2. cruda, & incocta, & in malos abſceſſus converſa, aut morbi longitudinem, aut judicationis vacuitatem, aut dolores, aut recidivas, aut mortem inducunt: & l. 2. prognoſt. ſect. 2. tex. 66. ſi ſputum, inquit, non facile excernatur, neque urina hypoſtaſim habeat laudabilem; periculum eſt, ne ab abſceſſu claudicet articulus, aut multum moleſtiarum exhibeat. Præter hanc qualitatis conditionem eſt & alia propoſita per Galen. com. 2. progn. part. 65. quæ eſt, ut ſucci ſint non omnino exitioſi.

Hæc ad qualitatem materiæ pertinent, cæterum, & quantitate debet eſſe moderata. i. non pauca, nec valde multa, quo circa magnus Hippocrates ſtatuit hujus terminos non minorem copiam, quam ut morbum non ſolvat, nec majorem, quam ut tolerari poſſit, paucæ quidem, & ſemifluæ materiæ meminit l. 1. epid. tex. 2. cum ait: exanthemata apparebant parva, nec dignè morborum excretioni reſpondentia; inde mors rurſus evaneſcentibus, & l. 2. Coac. c. 15. tex. 4. parotides pravæ ſunt paraplecticis. Duretus inter cætera cauſam ad ſemifluam translationem humoris refert, quamquam vero com. 1. l. progn. tex. 40. parvam abſceſſionem laudavit dicens, ſuppuratio, quæ foras vertitur, optima eſt, ſi parva &c. tamen parvitas hîc moderata intelligenda, non exilis, & verè paucifera. At vero uberioris pluſquam par eſt effuſionis, meminit eadem particula dicens; multi abſceſſus oboriebantur, aut minores, quam ut quicquam prodeſſent, aut majores, quam ut ferre poſſent.

Præter humoris modum ita requiſitum; debet, & pars, unde is elicitur, rite delecta eſſe: nimirum, ut ſit ea, cujus ſalus ad univerſitatem corporis ſpectet, ac proinde munere præſtans, ac digna ſit: ſecus enim nulla eſſet neceſſitas tranſponendi. Eſt autem animalis corpus qualis Civitas, & exercitus, in quo, ut ſervetur Imperator, & Princeps, expedit viliſſimum quemque hominem occumbere: & ad ſummam is eſt ordo dignitatis à natura in omnibus demonſtratus, ut abjectorum incolumitas perpetuo cedere debeat nobilioribus.

Eſt & pars abſceſſum receptura videnda, quæ viribus infirmior, munere inferior, ſitu corporis humilior, loco remotior, & materiæ ſufficienter tranſmiſſæ capax eſſe debet, quod autem inferna, & diſſita pars abſceſſui ſit opportuna, ſummus medendi Magiſter indicavit l. 2. progn. tex. 76. dicens; abſceſſus, qui erumpunt ad crura in pulmonia vehementi utiles omnes: & l 6. epid. ſect. 1. parte 17. ſi è ſuperioribus partibus infra umbilicum in inferioribus articulis conſtiterint, bonum. Enucleatiſſime verò l. 2. epid. ſect. 1. optimi ſunt abſceſſus, qui infra fiunt, & longiſſime infra ventrem, & remotiſſimi à morbo. Ita Duretus Hippocratis, ut vocant aliqui, Genius, l. 3. Coac. Appen. de phymatis, quod cap. eſt 26. ait; Abſceſſus non boni nota prope abeſſe à morbi domicilio. Præterea capax eſto pars, quæ abſceſſui ſuſtinendo deſtinatur: alioquin is, qui à parte non admittitur, ad interiora recurret prompto mortis periculo. Inde dictum eſt in prorhet, & Coacis, quæ apud aures extuberant in paraplecticis ſuſpecta ſunt: quia magnitudini morbi non reſpondent, eſt autem legere plures in hanc rem ab Hipp. deſcriptas hiſtorias. In epid. Aeger. 9. ſect. 3. l. 1. Crito abſceſſum habuit in magno pedis digito, nocte deliravit, poſtridie interiit, & l. 3. epid. ſect. 3. Calvus Laryſſeus femur dextrum doluit, quarta die circa meridiem mortuus eſt celerrime, & acutiſſime: & ſect. prima l. 2. ejusdem operis; Temeni neptis ex vehementi, & acuto morbo abſceſſum habuit in digito; cumque pars totius materiæ capax non eſſet, recurrente eadem ad ſuperiores, & nobiliores partes, interiit. Itaque & recurſus materiæ ne fiat, requiritur in optimo abſceſſu. Porro ſemiflui & recurrentes affectus parotidum modo fere funeſti ſunt exitus omnes.

Superſunt exponendæ viæ, ſituſque tranſpoſitionis: nam ubi pars dextera laborarit, in dexterum item latus deducenda materia eſt; ſiniſtrum vero accipiet à ſiniſtra. porro qualis in abſceſſibus per effluxum, par & in eo, qui eſt per decubitum rectitudinis ratio requiritur τὸ κατ'ἴξιν dicere conſuevit Hipp. hâc re declaratâ, tum in aliis, tum in Hierophonte hiſt. 3. l. 1. epid. qui jam peſſime habens ex lienis amplo tumore, ſuſcitata ad femur, quod reſpondebat, abſceſſu; præter ſpem evaſit. Sunt igitur leges abſceſſus laudabilis, ipſum fieri pro dignitate, deorſum, ſine recurſu, cum partium ſympathia κατ'ἴξιν: quarum quidem omnium, qui majorem ſummam participaverit, is utique præſtantior futurus eſt; ex una quidem aut duabus minime bonus affirmandus, ſed è quam pluribus: optimus autem qui & conſummatus, & numeros omnes expleverit. Lege autem & quæ in hanc rem diſerte ſcripſit Vidus Florentinus Art. medic. tom. 1. l. 9. cap. 5. quod eſt de criſi.

CAP. XXIV.

Præſagia eventus boni.

Poſt communiores iſtas præſagiendi formulas, ſubjungemus & alteras ſpeciales ab omnibus abſceſſus locis ante recenſitis repetitas, duplicem ipſorum eventum expoſituri ſecundum veterum teſtimonia ſingulis capitibus accommodata: exordiemur autem ab his, quæ morbos judicant, aut ſecus.

Signa abſceſſuum perfecte judicantium.

Decubitus cum deterior ſit abſceſſus ſpecies, hinc interdum effluxus ſolvit: quod docuit Hipp. l. 4. aph. 74. qui eſt; quibus ſpes eſt abſceſſum fore ad articulos, hos liberat ab abſceſſu urina multa, & craſſa, & alba prodiens, qualis in febribus laborioſis quarta die quibuſdam fieri incipit: ſi vero etiam ex naribus ſanguis eruperit, brevi admodum ſolvitur. Ejuſdem ſimile & l. 4. epid. ſect. 4.

An judicent autem maturi in morbis abſceſſus, ſignum eſt; ſi dum fervida ſunt mala, non febricitarint, & dum moleſta ſunt facile portarint: vel ut quæ in ſede accederunt Charioni. Hipp. l. 4. epid. 12. Quibus in febre aſſidua puſtulæ toto pullulant corpore, mortiferum niſi purulento abſceſſu, qui his potiſſimum ad aures aſſurgit, periculo defungantur. Hipp. in Coac.

Cum abſceſſus aliquis ſuppuravit, ac ruptus eſt, tum maxime evadit homo, cùm ruptura idonea eſt, ut pus expurgetur nequaquam retrocedens: hæc vero eſt declivis, & deorſum facta, quam Hip. ſolet vocare εὔροον. i. facile fluentem. Valleſius in prognoſt. Hipp.

CAP.

CAP. XXV.

Præſagia eventus boni.

ABſceſſus optimi ſunt, qui maxime ſanguinei. Hipp. primo epid. & ſecundo prorhet.

Concoctiones celere judicium, & ſecuritatem promittunt, ita quidem Hippocr. alicubi: Eſt tamen illud pervidendum ſententia Gal: comm. 1. epid. ut toto morbo concocto ſimul fiat: etenim Cratiſtonactæ, & ancillæ pictoris parotides ſuppurabiles apparuerunt, ſub quibus tamen mortui ſunt ipſi. Pauca hæc quidem ad materiam attinet: Quod vero ad formam hæc habe.

Exitus humorum, qui multos hâc, & illâc abſceſſus faciunt, optimus eſſe conſuevit multas in partes diſpergi, & in quemcunque abſceſſum portione aliqua inſumpta ita conſumi longo tempore. Valleſ. in com. lib. de ratione victus in acutis partic. quibus per febres fiunt tuberculoſa pag. 569.

Suppuratio, quæ foras vertitur, optima, ſi parva, maxime, quæ egreditur, & in ſublime reſurgit; ſi vero magna, & lata, minimeque in mucronem ſubducitur, peſſima com. 1. prog. partic. 40.

Erunt & commendabiles abſceſſus, qui interne extrorſum erumpunt; ob id, eryſipelas ab interioribus ad exteriora verti bonum, ait, Hipp. l. 6. aph. 25. & ab angina detento tumorem foris in collo fieri bonum. aph. 37. ejuſdem. Vide autem & quæ in hanc eandem ſententiam ſcripta ſunt in l. progn. num. 23. Veruntamen quod ad poſteriorem aphor. ſpectat non perpetuam hanc normam primus advertit, & ut intelligendum id ſit enarravit exacte celebratiſ. Guaſtavinus in 24. locorum ſelect. tom. 20.

Abſceſſus ex ſuperioribus ad inferiores umbilico ſalubres, comm. 1. l. 6. epid.

Abſceſſus ad crura in pulmonis inflammationibus fortibus, ac periculoſis, omnes quidem utiles ſunt; optimi vero, qui dum ſputum in mutatione eſt, fiunt. Hipp. l. progn. n. 18. & l. Coac. prænot.

Quæcunque intro rumpitur, optima eſt ſuppuratio; ſi cum exteriori ſede nihil communicet, ſed adducta eſt, nec dolet, & omnis exterior locus unicolor apparet. Hipp. com. 1. progn. tex. 41.

Suppuratio prope canales ſecurior: quia ad expulſionem ſola naturali facultate indiget: quæ enim concoquere, etiam expellere poteſt. Cardanus in Arte parva 146.

Tubercula foras extumeſcentia; & acuminata in turbinemque gracileſcentia, æquabiliter matureſcentia, non circum dura, declivia, & non bifida; meliora; contraria vero mala: & ſi quamplurimum contraria peſſima Hipp. lib. 6. epid. com. 1. tex. 13. ſimile vero protulit, & hoc in progn. com. 1. tex. 40.

Quæcunque exterius vergunt, optima ſunt quam maxime extrorſum ſpectantia, & in aciem turbinata, ſed quæcunque introrſum rumpuntur optima ſunt, quæ externas partes attingunt. Hipp. progn.

Molles boni, crudi vero mali. Hipp. lib. 5. aph. 67. optimi ſunt abſceſſus, ſi maxime deorſum, & quam longiſſimè ab ægrotante parte abſiſtant. Galen. in opere de criſ.

CAP. XXVI.

Præſagia abſceſſuum male judicantium.

ABſceſſus ad ſuppurationem, & circa laterum mollitudines, & inguina diuturni, atque ægrè curabiles ſunt. Hipp. l. 1. de artic. ſect. 3. paulo poſt initia.

In febre abſceſſus, qui ad primas judicationes non ſolvunt; diuturnitatem oſtendunt morbi. Hipp. 4. aph. 51.

Quibus abſceſſus circa aurem ad judicationem fientes non ſuppurantur; his ſubmotis recidiva fit. Hipp. lib. de judicat.

Cum in morbo aliquo judicationis tempore tumores priusquam ſuppurentur, evaneſcunt: expectari recidivam oportet. Hipp.

Quæ relinquuntur poſt judicationem reverſiva ſunt Hippoc. l. 1. epid. ſect. 3.

Quæcunque ſine ſigno judicationis judicatorio diſparent, malè judicata ſunt; velut ancillæ Polemarchi. 2. epid. ſect. 3.

CAP. XXVII.

Præſagia eventus mali.

NUnc abſceſſus malos exitus enarremus: quorum primi ſint, quos dat materiæ modus: ſequentur autem materiæ quantitatem ſalus, aut mors: nam pauca abſceſſus quantitas ſemper mala apud Hip. qui primo epid. inquit de Sileno; papulæ cum ſudore rubentes, rotundæ, parvæ, variis ſimiles permanebant, nec abſceſſum efficiebant, & l. Coac. prænot. dixit; quibus in febre continua puſtulæ toto corpore excitantur lethale, niſi ſuperveniat purulentus abſceſſus. Verum & pauca quantitas etiam mala eſt. Abſceſſus enim acervatim fluentes, & non ſemi repentes, ſi non pro ratione, & excretionis dignitate fiant, recurrunt; velut Temeni nepti ex morbo forti ad digitum decubuit, & mortua eſt l. 2. epid. ſect. 1.

Sed & materia cruda ſemper mala eſt, de qua Gal. in com. 1. epid. hæc prodidit; omnium, quæ tum inciderent, incommodorum caput erat cruditas humorum. quod ſi quandoque natura per vim ad aliquos eorum excutiendos aggreſſa eſſet, nihil proficiebat; immo vero ab iis ſuperata, aut in profundum recurrere permiſit, aut propter paucitatem excretionum abſceſſum moliebatur: aliàs enim à nobis demonſtratum eſt, nullam excretionem, aut abſceſſum fidelem eſſe, qui cum ſignis cruditatis apparet, etiamſi ad probam maturationem perveniant.

Deinde, & ſecundum formæ conditiones erunt mali, & inſalubres omnes abſceſſus, qui decumbunt diebus non criticis: Nimirum non præ ſe ferunt motum naturæ regulatim agitantis humorem; ſed hic vincens materiæ multitudine, aut pravitate intempeſtivè prævenit anticipatque pugnam.

Abſceſſus maligni cum febre continua, exitioſi omnes. Sic Hipp. in l. 3. epid. com. 3. ſcribit ignes malignos multis hominib. vitæ finem intuliſſe tuberculis, carbunculis, defluxibus ad pudenda.

Pertinet ad formam etiam conſtantia, ſtabilitaſque non fluxa conditio. nempe maligniora, quæ cito diſparent; ait Hip. l. 2. epid. ſect. 3. exemplum autem in 7. epid. textu 9. Timonactis pueri; cui duorum ventrium exanthemata in cruribus, & coxis, & lumbis, & hypogaſtrio, ac tumores valde rubicundi quibus ſublatis convulſiones, & epilepſia fiebant ſine febre multis diebus, & mortuus eſt.

Quibuſdam in articulos, præſertim in coxendicem decumbebant, paucis decretoriè ceſſabant, ſtatimque ſuperari ad priorem ſtatum redière. In Anaxenore ſplenico, & mali coloris homine animadvertit Hippoc. l. 1. epid. tumorem coxendicum quo evaneſcente mortuus eſt.

Tumores præter rationem allevantes, pravum, velut Andronici filio eryſipelas recurrit, ſi non ad eundem locum rediens bonum quid ſignificet. Hip. l. 2. epid. ſect. 3.

In febribus glandularum tumores deteriores, qui in acutis ab initio vigorem remiſerunt. Hipp. l. 2. epid. ſect. 3.

Cum dixi malos evaneſcentes tumores: pejores eos intellige, qui poſtquam apparuerunt, ſubinde delituêre: ſi quidem hoc ait Gal. in primum prorhet. naturam impensè languidam indicat; quæ cœptam excretionem perficere non valet. Sic Ephranoris filius, cui exanthemata exorta parum profecerunt, etenim abſque ratione diſparuerunt; inde mortuus eſt: ait autem inibi Galenus talium ſignorum genus deterrimum eſſe: nempe, quæ tubercula, vel puſtulæ ex imo ad cutem enata recurrerunt, graviſſima omnium ſunt, omniumque maximè, ubi abſceſſus humoris fluxui tenuitatem, aut partis laxitatem, aut aëris caliditatem, aut adhibiti medicamenti diſcutientis poteſtatem, ſed ob virium maxime lapſum intus recurrunt.

Morbi in alios mutati ſemper ferè necant, ſiquidem corpus imbecille morbus alius ſuperveniens nactus illa imbecillitate tollit prius, quàm ſuperveniens finiat: ut palàm eſt de aſcite, qui hepatis vel lienis affectum conſequitur. Hieronymus Montuus in comp. curatricis ſcientiæ: quamquam hoc viro prior Actuarius idem cenſuit in libro 2. meth. med. quem locum aliâs notavi.

Abſceſſus mali ſunt, ſi dolorem acerbum, acriſiam, vel diuturnitatem ſecum afferant Jo. Heurnius lib. 11. inſtit. medic. c. 5.

Cum multis ſignis conjuncti nulli abſceſſus eſſe boni poſſunt: ſunt enim judicatoria non judicantia. Proſper Alpinus l. 7. de med. præſag. F.

Non mediocris periculi ſunt tumores admodum rubentes, atque omnium maximè liventes, & nigricantes: quem pravum colorem in exanthematis ne mulierculæ quidem ignorant. Porro in Critone moribundo puſtulas nigras advertit Hippoc. l. 1. epid. & tex. 68. tubercula ſecundùm aures nigricantes graſſata in peſtilenti illo ſtatu deſcripſit.

CAP. XXVIII.

Præſagia parotidum futura.

IN anxioſis quibuſdam vigiliis abſceſſus circa aures maxime, Hippocr. l. 2. proih. n. 22.

Et ſurditate leniter abſceſſus circa aures fiunt, tum aliàs, tum ſi anxio um quidpiam ſuccedat, & ſoporoſis inter hos adhæc magis. Idem ibidem.

Quæ convulſorio modo exacerbant cum ſtuporis detentione, abſceſſus juxta aures producunt. Hipp. lib. 1. prorh. num. 23.

Convulſio, tremor, anxietas cum ſtuporis detentione parvos circa aures abſceſſus exacerbant. Hipp. l. 1. prorh. n. 23.

Aquoſæ urinæ alba innatantia habentes, & quæ variè exalbidæ ſunt, ac fœtidæ, abſceſſus juxta aures faciunt. Idem ibidem.

In capitis dolore ſopor, & ſurditas circa aures abſceſſum aliquem eructat. Hipp. l. 2. prorh. Fine.

Hæc, atque alia de parotidis, Hipp. eodem n. 22. & 23.

CAP. XXIX.

Prognoſtica parotidum ſalutarium.

PArotides, quæ ſuppurant cùm ſignis coctionis, & pus habent album, ſalurares Hip. in l. Coac.

Optimæ ſunt, vel ſaltem non pravæ parotides, quæ prægreſſis evacuationibus, aut purgationibus reſolvuntur; & præſertim cum bonis urinis, quales fortaſſe fuerunt, quæ Clazomenio extuberarunt. Proſper Alpinus l. 7. de med. præſag. F.

Tuſſiculæ, quæ ſunt cum ſputatione abſceſſum circa aurem ſubmovent. Hipp. l. 1. prorhet. Fine.

Tubercula juxta aures in febrientibus cum dolore oborta quibusdam febre judicatorio modo deficiente, neque ſedantur, neque ſuppurantur: hæc bilioſum alvi profluvium aut dyſenteria, aut craſſarum urinarum ſubſidentia ſolvit. Hipp. l. 1. epid. conſtit. 3.

CAP. XXX.

Prognoſtica parotidum malarum.

TVbercula circa aurem, quibus circa judicationem exorta non ſuppurata fuerint; his diſparentibus recidiva ſit pro ratione recidivarum. Recidiva verò fiente, rurſus intumeſcunt, & permanent, velut febrium recidivæ in ſimili circuitu: his ſpes eſt ad articulos abſcedere. Hipp. l. 6. epid. ſect. 4. Princ.

Ex volvulis graveolentibus: in febre acuta præcordiis ſublimibus diutius permanentibus, abſceſſus circa aures oborti occidunt. Hippocr. l. 1. prorhet. numer. 22.

Tubercula ſecùndum aures, quæ in febre cum dolore extuberant, nonnullis cum febris decretoriè ſedatur, non reſident, neque ſuppurant. Hippoc. l. 1. epid.

Tumores circa aures maxime ex acutis in febribus ardentibus fiunt, ſi morbum non ſolvant, neque maturent, aut ex naribus ſanguis fluat, vel urinæ deponant ſedimentum craſſum, moriuntur. Hipp. in prorhet.

Quibus humores circa aures facti non ſuppurantur in ardente febre, hi non valde ſervantur. Hipp. in coacis.

Tumores circa aures poſt expurgata plurima graviter olentia, acuta febre, hypochondrio intento tardius excitati interficiunt. Hipp. in Coacis.

Abſceſſus circa aures in morbis diuturnis ſuppurati non valde albo, & inodoro pure occidunt, & maxime mulieres, Hipp. progn.

In ſuppuratis parotidibus, pure non albo effluente lethale. Hipp. in prorhet. Itemque cum urinis parum coctis apparere parotidas pravum eſt.

Abſceſſus juxta aures leviter ſyderatis, mali. Hipp. prorhet. 1. F.

Abſceſſus poſt aures perpetuo ſunt ſuſpecti: nam ferè ſuperveniunt fractis viribus, & videntur novas morbi cauſas attexere. P. Alpinus l. 7. de med. præſag. c. ult.

Parotides ſuſpectæ abſque ſignis coctionis propè ſuppuratæ ipſæ. Tales ab Hipp. l. 1. epid. in Cratiſtonacte, & ancillâ pictoris obſervatæ, quorum uterque mortuus eſt. Alpinus ibidem.

Doloroſi aurium abſceſſus citra judicationem diſſipati, mali ſunt. Hippoc. l. 1. prorhet. fine.

CAP. XXXI.

Curandi ratio.

INtelligentiæ planè non errantis naturæ ſunt quælibet operæ : quod dixit alibi Philoſophus , abſceſſus igitur à prima naturæ facultate inſtituti, abſolutique nulla non inconſulta eſt , quæ conficiatur extrinſecus amolitio : neque ad opus criticum dum adornatur , aliqua medentis eſſe debet admolitio præterquam in recurrentis abſceſſus metu ; quo tempore impedita procuratrix interior nullis conatibus , valet ſuo munere defungi. Sed deſideratur etiam medentis adjumentum , ſi ab imperito altero medico præverſus fuerit effluxus decubituſque ordo , quorum uterque ſalutares erant : nam hi denuò ſunt artis induſtriâ provocandi , reſtaurandique quoad ejus fieri poteſt. Adjuvandi ſunt inquam eodem modo quo proceſſuri fuerant abſceſſus critici. Itaque ſi effluxus per vias alvi , & inteſtinorum præſentias futurum : tunc præſtò debebis eſſe per clyſmos , qui eò pertrahere valeant , & per alvum cientia. ſi in renes, & veſicam propendeat humor ; continuò per hæc , quæ offeruntur tum eſculenta , tum potulenta urinam movebis. Si ad ſudorum eruptiones extenuata materia ſe oſtenderit ; crebris infricatibus , & potiſſimè medicatis cutis forulos præparabis. Si in menſibus aut hæmorrhoidibus ſpes ſit, has item vias providus expedies. Denique purulentas aures laxante ſuo vaporatu excitabis : nares ad hæmorrhagiam proritatas accommodo medicamento percelli curabis , & deinceps aliis alia.

Hac cura quidem effluxus naturæ varios promovebis : cæterum abſceſſus alios in parte aliqua deſignatos pari ratione vel anticipaveris , vel alio tempore irritaveris, ac tantum non currentem incitaveris. Ad hunc quidem modum hoc ſæculo noſtræ fœminæ pueros ſuos , quibus variolæ morbillive inſtant , pannis coccyneis undique contegunt in calido conclavi repoſitos. Ita etiam medici febrientibus hominibus , qui podagram aliàs experti ſunt ; articulos fomentis , & cucurbitulis , & omni quâ licet ratione pertentant , prudentes & in hoc conſulti pro ſervanda corporis incolumitate membris vilioribus non parcere , quin partem morbi deferre. Ita etiam ſub peſtilentia nos bubones , accretoſque adenes in lue venerea fovemus , quantæ autem , aut quàm certæ offenſæ foret abſceſſus hos avertere , retrudereque ? Similiter igitur , & abſceſſus omnes , qui vel in febribus vel in affectibus aliis longis ſerio naturæ decreto ſunt erupturi è viſceribus, non eſt fas aliquo pacto repellere , revellere , interrumpere , interturbare , minuere , inanitionibus labefactare ; monente Hippoc. l. 2. epid. ſect. 3. Abſceſſus horum facere oportet, eos verò , qui item fiunt , declinare : eos autem excipere ſi prodierint jam : & qualia oportet, & qua parte oportet : qui verò non valde , eos coadjuvare ; eos verò avertere , ſi omnino incommodi fuerint, maximè ſi hi affuturi ſint: ſin minus ſi jam veniunt.

His multis & graviſſimis Hipp. de abſceſſu ritè curando præceptionibus intelligendis ad eas oportet præclaros ſuos enarratores, quales fuere Petrus Jacobus Steve , & Franc. Valleſius. Summa eſt hæc , natura morborum medicatrix eſt , nos adminiſtri duntaxat, & contra morbum , & ſuas adverſas motiones opitulatores : quare , quid cogitamus , quæ præ ſe ferat , aut innuat natura : nos contra aliterque facere? certum ſit errare nos haud poſſe , cum ipſam ſequimur : nam quò natura vergit , eò ducere oportet. utinam autem medendo , tam hanc aſſueſceremus obſervare , atque imitari verè , quam verbis profitemur : ſed nos in argutiolis , & falſis deceptoriiſque artis ſubtilitatibus occupati nil magis vulgare , vileve facimus magis , quam ducem noſtram ſequi , quo plus ex nobis ſapere videamur , & ut ægros magnificentius occidamus.

Atque hæc quidem dicta ſunt maximè , ſi ſuccus transferendus à natura inclinet in regionem convenientem : ſecus enim non oportet impetum juvare , ſed revellere , avocareque ut idem Hipp. 6. epidem. his verbis ; Revellere ſi quo non oportet , vergant; ſi autem quò oportet , aperire , ut ſingula vergant. Quare ſi abſceſſus fiat ad partes inferas , & adenoſas, non eſt tentanda revulſio ; neque enim abſceſſui pars eſt incommoda : ſi vero videtur ſuccus in internam , & principem partem irruere , revellendus, avocanduſque eſt : de quibus quidem operibus ritè recteque perficiendis ſcriptum leges uberrimè à Vido Vidio tom. 2. part. 1. l. 16. cap. 10. & ſequentibus aliis ad libri calcem.

His ſummis capitibus de abſceſſus prophylacticè jam traditis : addo nunc adverſionem , & admoneo noſtros , hic non exequi me curationem abſceſſus jam ſuppurati , atque perfecti , quando pars hæc ad therapiam communem pertinet apoſtematum , quæ plenè pertractata eſt à primo Gal. l. 13. meth. med. cap. præſertim 5. & l. 9 ad Glauc. c. 6. à Cornelio Celſo l. 7. cap. 2. ab Aëtio Tetrab. 4. ſer. 2. cap. 32. & è junioribus optimè à Vido Vidio tom 2. part. 2. l. 12. c. 3. item à Gabr. Fallopio , ab Hieron. Fabritio , & à quo non ſcriptore chirurgico ? Nos theoriam abſceſſus critici ſingularem inſtituimus: quod cum fecerimus in univerſum , ſatis huic rei jam feciſſe videmur. Recte autem fortaſſe , ſi qui hoc exoptent , tradi de parotide , cujus curationem ex opere noſtro de efficaci chirurgia laboris compendio tranſtulimus, quæ eſt hæc.

CAP. XXXII.

De parotide maligna.

VNiverſis parotidis tres eſſe exitus comperimus : aliis enim febre laborantibus ſuppurantur, & effuſo pure ſaneſcunt, aliis evaneſcunt : hoc eſt repente atque inſperato , diſparent ; aliis neque evaneſcunt neque ſuppurantur , ſed perſiſtunt uſque dum homo interit, aut ipſis paulatim reſolutis liberatur : ego quid in hujuſmodi ægrotis , quibus per febres malignas parotides oriuntur , facere ſoleam ; dicere hoc loco non gravabor : quandoquidem cenſeo multos eſſe ſervatos , qui alioquin interiiſſent. Mox ac oriri incipiunt partem laxante oleo foveo , ut chamæmelino : atque ſi exire cunctentur , loco ipſi cucurbitam affigo , ne abſceſſus ſit minor , quàm ut poſſit conferre ; ubi autem ſatis manifeſtus jam factus ſit, ſi brevi increſcat plurimum mitto rurſum ſanguinem , ne ſit major quàm poſſit ſuſtinere : mox verò durum adhuc tumorem , neque ulla ſuppuratione expectata ignito ferro aperio altera quidem in parte , ſi alteram ſolum obſederit tumor , in utraque vero ſi utramque & cataplaſma ſuppurans appono : plerumque res cedit benè : nam brevi computreſcente poſt inuſtam eſcharam tumore , manare pus incipit , & per id orificium caput , & reliqua viſcera perpurgantur. Neque hoc cuipiam videri debet atrox ; pars enim adenoſa per ſeſe quidem vilis eſt , quamque ob id licet urere , & ſecare , & utrumque contemnere. Hæc Franciſcus Valleſius comm. in l. 7. epidem part. 2

particula 92. quæ quidem omnia propterea quod efficaci noſtræ medicinæ mirè favent, non dubitavi integrè recitare: quemadmodum neque illa, quæ ſcripta commentario 6. epidemiorum particula 16. ſunt hæc; Quanti uſus fuerit Hippocrati uſtio ſæpe jam animadvertimus, ego quoque jam in parotidibus, quæ ex morbis aliis non levibus fiunt citò, vel nulla expectata ſuppuratione utor in ipſo tumore: nulla enim melius ratione providetur, ne tumor recurrat, ſed materia per ipſum ulcus quod infligitur, expurgetur. Eadem quæ Valleſio ſententia fuit Ludovico Mercato in l. 7. de febre peſtilenti, & maligna c. ult. licet hic fortaſſe timidius agens candenti auro, vel levi aliquo ferramento eas unico foramine aperit, ut veneni vis, aut immodica humorum copia facilius expiret, quo ſane auxilio plurimos veluti deploratos ſanitati fuiſſe reſtitutos compertum eſt, inquit. Huic ad unguem decreto adhæſit & Thomas Groſſius Profesſor Ferrarienſis primarius in comment. de febribus, ubi de parotide peſtilenti.

Peroratio.

HActenus multa equidem ex Hippocratis familiæque ſuæ virorum optimorum campo collegi, ſelegi, digeſſi. In qua re facienda conſilii mei ratio, præſcriptumque fuit, ut viam quandam ſicuti vides, ad ſingularè exemplum; id eſt, ad Illuſtriſſimæ puellæ morbum examinandum præſtruerem; non ut ampliſſimam materiam quantumcumque capit illa, complecterer, aut curioſorum hominum arduam ſpeculandi cupiditatem explerem. Cæterum capitum ſummam neceſſariorum, modica rerum tractatio, lucidus ordo, æquabilis diſpoſitio reſque omnis à nobis compoſita, aut mediocribus ingeniis noſtræ gentis placitura ſit non diffido: quando. ſ. primi fuimus, quibus hunc vacuum in medicina locum implere, & particulam hanc ordinare in mentem venerit.

Jam vero quod pleroſque multorum auctorum locos, & ſententias operi interſeruimus: vide quæſo lector, præterquam quod ſumma ocii egeſtas præcepsque ſcriptionis feſtinatio illud ut efficeretur coegit: adhæc & ſtabilioris doctrinæ gratia non intempeſtivum etiam bonorum uti teſtimoniis viſum eſt. Quibus certe ſingulis & enarratiunculas addere mens erat, memoratæ cauſæ offenſioni fuiſſent. Erit autem fortaſſe quando ſupplementa hæc ex mea opera deſideres. Vale.

ALCALA Superiorum Epexegeſis, Eodem Severino Auctore.

Præfatio.

HActenus hæc de abſceſſu per decubitum, & effluxum univerſali, atque communi omnibus ratione per ſumma ſua capita quaſi liberius evagati repetivimus. his nunc (quæ occaſio præcipua ſcribendi fuit) particularem ejusdem rei diſquiſitionem, ac propemodum exercitationem ſubnectemus: quæ ſ. erit enarratio, diſcuſſioque abſceſſus, quem communi cum omnium animi ægritudine perpeſſa eſt generoſa Domina Joanna, Illuſtriſſimi, atque Excellentiſſimi Proregis noſtri, Ducis Alcalæorum Domini Ferdinandi Riberæ filia natu minima.

Coordinatur autem hæc tractatio cum ſuperiore ſic appoſitè, ut quemadmodum hæc diſputatio generalis definita exercitatio quædam eſt; ſic contra illam ſummam, & amplivagam comprehenſionem cauſæ hujus, & argumenti continet, uſque adeo ut nos utrumque complexi, & abſolutæ rei theoreſi, & ſingularibus pragmatiæ partibus ſatisfeciſſe, & communem hominum uſum cum privato conjunxiſſe pretiumque operæ feciſſe videamur.

Domina Joanna Ribera 10. annum agens puella, ſpectatus Hiberiæ floſculus; Charitum cura: Venerum Lepos; Cæleſtium corollarium; Sexus columen; Ætatis ſpecimen: ſic annos longe ſuperat delectu morum, judicio, ſagacitate, ſermonis gratia, elegantiaque in compoſitione ſui, in regiis virtutibus memorabilis; filia parentibus digna; delitium horum unicum; nec ſatis pro dignitate viſa diligi, eſt hæc aulæ dominicæ admiratio, neceſſariorum exultatio: ſolo in hoc minus felix, quod ſicut in mortalibus rebus omnibus accidit, & compenſata ſunt æqua lance divinitus omnia: non arriſit huic Hygæa primordio: ſed culpatiore proceſſit valetudine corporis: ſeu quod, ut referunt, exanthemata infantiæ ſolennia parum dexterè provenerint; ſeu quod minus commoda, ut ſæpè fit, nutrix obtigerit. poſt aliquas ætatis prædictæ offenſiones Hiſpali urbe Hiſpaniæ magnificentiſſima decubuit preſſa hemitritæo continua, quæ gravi, & longa viſcerum obſtructione fota tenuiſſimum corpuſculum ad incredibilem maciem, nec ſine tabis ſuſpicione perduxit. Interim, referunt longam ei fuiſſe per purgationem urinæ luridæ, quam profuturam unice prædixerat Doctor Yuannes probatiſſimus Civitatis ejuſdem Medicus. Fuitque vere ſalutaris longo poſt tempore: quo vagi dolores erupere per articulos: qui tamen non difficile deſtitere, ex qua poſt hæc urbe Valentiam primum translata meliuſcule cepit habere: mox Barcinone hoſpitata conſaneſcere viſa eſt, & multo plenius etiam Neapoli advecta. In quo loco recidivam videtur habuiſſe malum; non plane, ſicut credi par eſt, prædictis illis morbi radicibus evulſis; nec recuperata in integrum ſanitate. Initium autem ægrotandi fuit in dexterum hypochondrium, quem affectum comitata eſt limoſa urina per dies ſeptem. Ceſſit dolor hic tum, ſed poſt menſes quatuor ad hypochondrium dextrum anterius orto dolore gravi ad dexterum item latus, qua finis eſt exterioris thoracis, initiumque hypochondriorum; obortum eſt puellæ tuberculum preſſula forma; quod primum anodynis, mox diſcutientibus tractatum, tandem in ſuppurationem viſum eſt abire: quam plenius per ſe declaratam ſuppurationem Doctor Jacobus Sublier vir annis pariter, & medendi peritia graviſſimus acuto ſcalpro leniter aperuit. Qua plaga in dies rite curata, neque poſt longum tempus ſicceſcere viſa, medicamentis ſiccantibus eſt tractata, itemque cannulis, & ſpongiolis, ut exhauriretur continens emanatio, qua re non ſuccedente prçter Doctorem Lopes Coronel archiatron Hippocratis doctrina excultiſſ. & D. ante dictum Sublier phyſico chirurgum etiam Palatinum graviſſimum. Interfuit & optabili ſorte D. Antonius Supin Illuſtriſſimi Comitis à Monteregio Regi ad Summum Pontificem legati, nunc Proregis Excellentiſſ. Neapolit. medicus itemque Regius, & Complutenſis profeſſor egregius, quem mirificam ob ſuam doctrinam audivimus omnes, Affuit & Andreas Tamaius Sereniſſimæ Ungarorum Reginæ chirurgus peritus: ex univerſa verò Civitate atque academia Neapolitana acciti celebriores medici, qui ſunt; Marius Zuccarus Comes Palatinus in profitendo, & medendo conſummatiſſimus, ejuſdemque gymnaſii profeſſor plane laudatiſſimus Antonius Santorellus, itemque profeſſor clariſſimus Balthaſar Cannizarius. atque alii, qui inito conſilio coram prudentiſſimo, ac

perilluſtri D. Joanne Antonio Herterat Illuſtriſſimi, atque Excellentiſſimi Alcalæi, Proregis à ſecretis. quem quotidiani medicatus noſtri ſpectatorem accuratum, vigilemque omnium proviſorem conſtituerat Excellentiſſimus Dominus ſententiam ſinguli diximus; quorum pars curationem febris expugnatricem; pars ulcus ſpectabat. Et ad ulcus quidem abſceſſum à me vocatum curandum, conveniebat quidem inter nos omnes ampliandum ipſum, ut effluxus ſaniei daretur: ſed quoniam alii penetraſſe jam ulcus ad interiorem vacuitatem affirmabant; alii negabant; pars hominum ſcalpro viam aperiendam; pars peniculis dilatatoriis ex ſpongia, radicibus, medullis, corticibus, atque ſtirpium partibus autumabant: nec defuit ex his, qui balſamelæo conſideret obtinendam brevi curationem aperti lateris. Quæ ſententia, ut rerum arbitris fuit plauſibilis, retenta eſt, & quam plurimis diebus ſervata, ſed ſine fructu. Itaque ad ulceris cæci ſectionem devenire oportuit, qua confecta ſecundum curem duntaxat, commodius fuit medicamenta indere, decoctaque ad proluendum infundere: quâ medendi ratione diu ſervatâ nihilque proficiente (quod ego conſtanter, & ſæpe requiſieram) neceſſum fuit dilatato ulceri ſpongiâ fiſtulam amplam è plumbo imponi, non intermiſſis inuuctionibus, quæ curandi ratio ſupra tentationes omnes alias utiliſſima fuit, nam & exire ſanies liberius; & febriculam plurima parte cedere; & puellam habere tutius; quæ ſervata eſt, & diu medicatio. Huc illud non omittendum eſt, interdum compreſſo abdomine manationem aliquam, nunc male olentis ſaniei; nunc non male olentis prodire; nunc manare per ſe ipſam ſanies; nunc per lotia puris in modum excerni. Fuit autem & quando pleriſque ſuper hac re confidentibus, & glutinatum meditantibus: ulcus inexpectato erupit, & manarum conſuetum aliàs redintegravit; dum inter hæc urina ſine pure, ſed non ſine ſucco meieretur. Fuitque certe mirum, ut nunc quidem varie, nunc alternis, quaſi vicibus per lotia, perque ulcus pus exiret: quæ cauſa fuit, ut per jocum dixerit aliquando Sublicrius manationem iſtam à dæmone agitari: vere autem crediderunt omnes noſtri in una quadam communi via communicàre utraſque excretiones. Ad hunc modum tres jam, & amplius menſes re perducta, ſtatus quidem corporis non deterior, aut commodior etiam: ſed nihilominus, neque manationes malæ ceſſaſſe. Neque febricula viſa eſt: quam febriculam hi quidem ad auram ſaniei morbificam; hi ad latentem aliquem fotum putredinis diverſam; alii ad aliud retulere: de qua re ſuum poſterius erit judicium.

Reſtat enarratio remediorum, quæ varia multipliciaque fuere. Primum enim ex ritu ſuo cathartico præſenti ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum conditioni commenſo repurgatum tenue corpuſculum, uſu decocti radicis chinæ tum in aqua, tum in jure pulli electuario ex diarhod. Ac ptiſanæ ſuccos. Hæc per priora tempora, deinde vero poſtquam urinæ purulentæ extiterunt, tum ad harum quidem, tum ad ulceris expurgationem accommodatiſſimus à Doctore Sanctorello excogitatus eſt uſus terebinthinæ Cypriæ Venetæve: quæ lota multoties aquâ fabarum, vel hordei in juſculo diſſolutâ abſorberetur. Quod oblatum ſæpe medicamentum non parum expurgationi purulentorum conſuluit. Quod poſt repetitas etiam atque etiam multas doſes amaritudine ſua faſtidio fuit puellæ.

Quoniam autem unicuique phyſiatrorum noſtrorum ad recuperandam ſarcoſen corporis univerſi macie labefactam, in mentem venerat uſus lactis: huic tamen refragari viſa eſt nimium in dies fere ſoluta alvus; præterquam quod rigentiſſima tempeſtatis adhuc conſtitutio fuit. Nullus autem non motus lapis, nulla non res excogitata, atque proviſa, quatenus Illuſtriſſima puella proficeret in ſecundam, & optatam ab omnibus valetudinem. Sed nihilominus præter unas aliquo pacto collectas vires, vigoremque membris adauctum; conſtans tum febricula, tum idem ulceris & lotiorum purulentiæ modus ad hæc uſque tempora; nihilque inſuper tentari placitum eſt,

Donec ver placidum tepidis inſurgeret auris,
Queis commota ſuum tepidis reparat natura vigorem.

Adumbratio craſis, & habitus corporis Illuſtriſſimæ Heroinæ.

HIc quidem ortus, hic progreſſus, hæc univerſa conditio morbi fuit. Quibus jam relatis id, quod primum ad cauſam hanc expendendam, & judicandam ſe offert, eſt conſtitutio naturalis, craſis, & habitus corporis puellæ: inde enim & nativi roboris, & ex hoc facti receſſus momenta cognoſcere licebit. Tranſigam autem hanc partem cum Gal. l. artis medicæ, qua de ſignis corporis, ad hunc modum œconomiam tum univerſi corporis, tum partium quarundam principum deſignans.

Corpus igitur Illuſtriſſimę puellæ inter bonam malamque valetudinem neutrum videtur viciſſitudinis, ac ſicut Galen. loquitur tertii ſignificati, utpote aliquando ſalubre, aliquando inſalubre per vices extitit, uſque ad hanc diem, qua 10. agit annum. Referunt enim variâ valetudine fuiſſe, nec unquam ſatis firma ſanitate, donec Hiſpali cæpit gravius ægrotare.

Nunc partes principes, & officio præſtantes ſunt expendendæ. Caput pro corporis ratione majore, & inſigni projectura anteriore; poſteriore verò quantum capilli videre permiſerunt, modica: fronte bene ampla, cervicibus exilibus.

Ex his conjectari licet multam, nec optimam exordio materiam à facultate inſidente, non bene formatam fuiſſe, neque etiam optimam parencephali conſtitutionem à facultate, & ab eo exortorum ſpinalis medullæ, & nervorum ejuſdem motorum, itemque principium imbecillum. Quod autem ad cerebri temperaturam, hanc puto paulo calidiorem, & multo humidiorem, quod offenſio prompta à calfacientibus, & humectantibus, ut ab auſtro declarat, excrementorum interdum ad glandulas colli provenientium copia, vigiliarum longarum impotentia, ſomnus gravis, interruptuſque vigiliis, &c.

Sub hæc vero cor temperatum, aut aliquanto calidius; ratione qualitatum aliarum: quando placida circa functiones, & vivida ſit. Sed hepar juſto calidius ſicciuſque crediderim, quando gracilior habitus, totumque corpus ſicciuſculum eſt.

Vt autem indiſcuſſus ventriculus non relinquatur: hic aliquanto frigidior eſt: quandoquidem appetentia vehementior quam coctio: ſiquidem à cibo moderatiore, aut competenti non ſatura dejectiones molles, & aliquanto chyloſas admodum expellere conſuevit, alio ſemper ad mollitudinem reſpondente. Gaudet cibo, potuque frigido, ſed horum uſu immodico, & externis frigidis prompte læditur.

De ſede affectus, atque ejuſdem noxa, opinio prima.

JAm vero, quod primum occurrit inquirendum communius in hac tractatione, eſt ſedes affectus: cujus quidem tamerſi locus ſituſque in conſpectu poſitus ambigi non deberet: nihilominus quia locus is in confinio eſt ſpiritalis nutritoriæque officinæ, atque etiam

quia

quia ſpectans ad exteriora ulcus ductum non rectum, ſed obliquum habet: qualem, & de vulneris Ducis Terranovæ ſede inter Siculos doctos medicos fuiſſe litteris prodidit Phil. Ingraſſias: omnibus modis variæ ſuper hanc rem extitere ſententiæ. Nonnulli, & plures non incidiſſe in cavitatem utramlibet ulcus ſed inter cutem, & muſculum abdominis tranſverſum, aut obliquos ſive adſcendentem, ſive deſcendentem latitare conſiſtereque ſibi pervasère: favetque his (dixi equidem) hiſtoria expoſita per Galenum 5. de loco affect. c. 7. referens de abſceſſu Steſiani, cujus affectum opinati fuerant medici Galeno ſuppares internam hepatis inflammationem: ipſe vero luculenter his demonſtravit abſceſſum inter muſculos infimi ventris exiſtere. Quod autem in cavitatem nullam penetrans eſſet, addebant noſtri medici probationes, quod nullæ quantum ad thoracem tuſſis, nulla moleſtia; quod vero ad ventrem infimum, nulla aut alienæ rei gravitas, aut circa inguen abſceſſus, qui accidentem ad has partes humorem ſubſequi ſolet.

Altera opinio.

Alii deinde pertuſum ulcere abdomen ſibi perſuadere; quod compreſſa ſub coſtis nothis ventris mollitudine continuo reſultaret ulcere ſanies, & ea plerumque graviter halans. Ad hæc, quod nullus externe tumor appareret, nullaque in ſuperficie nota: prodit enim ſe viſibilibus tactilibuſque indiciis quæcunque, præter naturam eſt, ſubdita conſtitutio: compertumque ſæpe eſt mihi puſtulas miliares, aut alias aſperitates; pruriginem, alienum colorem, & fermenti ſubterioris denique notas movere.

Tertia opinio.

Sunt ad hos alii viri certe graviſſimi, qui in thoracis angulos iviſſe vitium contendant. Suadent autem ſic primo. Sunt cauſæ defluxioneſque faciles de capite in ventrem medium; unde conflari ſuppuratio potuit, quæ in thoracis angulo collectà latus proximum fiſtulaverit. Deinde quod hæc ſuppuratio partito ſolita ſit excerni per urinas. Quod evenire facile poſſe docuit Gal. l. 6. de loc. affect. c. 4. Petrus Andreas Matthiolus l. 1. epiſt. Amatus Luſit. in centuriis Andr. Laurent. in hiſtor. anatom. lib. 9. quæſt. 12.

Gabriel Fallopius in obſ. anatom. partic. de venis, Hieron. Fabritius in utroque opere chirurgico, atque alii medici anatomicique præclari quorum enarrationem, ut referam nunc non eſſe neceſſe, Tertio anatomica regula docet ſeptum tranſverſum, deſcendens excurrere ad ſecundam lumborum vertebram, & ad coſtarum notharum extrema. Hoc autem ulcus in ultima coſta patens ad duas alias ſuperiores aſcendit; ut cognoſcas. ſ. ſedem affectam è locis ſpiritus eſſe. Præterea conteſtatur id & febricula, quam extare perpetuam confitentur omnes. Hanc enim quæ aptius utique cauſa fovere poſſit, quam aſſidens vicinis cordis laribus ſanies? maciem quoque corporis quæ clarius alat vitii vim, quam, quæ in ſpiritali ſubeſt conceptaculo pectoris?

Hæc ſi confirmata opinio non ſic mihi difficilis videtur, ut multis: verum maxime conſentanea noſtris atque probabilis, præſertim in qua reddi problematum, & apparentium rationes poſſint magis, quam in ante citatis; ad quam ego ſi potior alia non occurrat, non illibenter accedam.

Neque vero nos moveat quod nulla vexet puellam tuſſis. Sæpe enim fit, ut cum aſperam arteriam, & pulmones longe prætervadat ſanies, & aut per arterias læves tranſcurrat, aut in fundo thoracis ſit, in angulis videlicet ſepti tranſverſi: ſic non infeſtet tuſſi ſuppuratio. Porro ſicuti Antipater referente Galeno l. 4. de loc. affect. c. ult. pulſus actiones depravatas habens, diſpnæa non augebatur propterea, quod per leves arterias tranſcurrebat noxia materia, non per aſperas: ad eum modum non ſenſit tuſſim puella, quod aſperas arterias minime tentavit hic humor. Sed & nos multos curavimus è vulnere ſuppuratos, qui nullam unquam tuſſim experti ſunt. Imo & ſuppurati alio quocumque deflexu ad pectus vivunt hodie, qui fateri verò poſſunt ſe nullam ex hoc affectu tuſſim cognoviſſe: inter cæteros mihi ſubit in mentem Tabellio nobilis Neapoli in forò Charitatis cui nomen Octavio: quam rem novit & Doctor Petrus Antonius Provenſanus medicus, qui me ad hominem curandum deduxit Anno 1620. quo item collega Joſephum Laudatum ex vulnere empyematicum curavi, quem nil tuſſis unquam inceſſit.

Jam vero quod compreſſo vehementer abdomine, per manum propterea reſultet ex ulcere ſanies: haud certi ſint aſſertores ex abdomine intro propelli contentam, nimirum hoc ſignum decipit, namque ſi abdomen ſedes eſſet, utique delapſa ſuo nutu ſanies gravis ad inferiora neutiquam ad ſuperiora recurreret. Verum compreſſio facta ſuper hepar & attiguas partes comprimit, & diaphragma ſecundum angulos, unde cogitur eructare, quod continet in proximum emiſſarium. Atque ita patet non abdomen, & peritonæum, ſed thoracem & pleuram corroſam eſſe, ut ſanies hinc evomatur.

Quarta opinio.

Fuit etiam qui diceret, ulcus hoc in regione renum excitatum ad ipſos tendere; quod oſtendunt & præcedens dolor, & ſitus, & urinarum purulentarum epiphenomenon: opinio ſane, quæ vel ipſius Hip. oraculo l. 4. 75. ſuadetur, quod eſt, ſi quis ſanguinem aut pus meiat, renum aut veſicæ exulceratio ſignificatur.

Coordinatio modò narratarum opinionum.

Jam vero nobis ſummam colligentibus omnium opinionum, hæ omnes numero quatuor ſe offerunt. Una quidem, quod intercapedine muſculorum abdominis deſcendentium, adſcendentium, tranſverſorumque facta fuerit humoris collectio ſuppuratioque. Altera, quod per abdomen quidem ſit malum, ſed pertuſo hujus pariete ſit intra cavitatem ſaniei collectio. tertia eſt volentium ulcus eſſe ad regionem renum quidem exterius, ipſi vero renes exulcerati ſint interius. Quarta eſt dicentium ex inflammatione pleuritica infimo thoracis loco factam ſuppurationem, quæ poſtea per vias à Galeno, & anatomicis, mediciſque aliis expoſitas derivata ſit per urinam.

Hæc placita omnia quoniam medicorum arte, & ſcientia probatorum ſunt: probabile quidem eſt multo cum judicio prolata, atque ſancita. Verum quas conjecturis noſtras de ſedibus affectis opiniones medici prodimus: hæ niſi ad amuſſis normam conſtent, haud admittendæ. Enim vero amarem equidem, ut has diſſentione vel magnus aliquis Aſclepiada componeret, & niſi quidem hoc fieri poſſet, rem omnem pro veritatis vindiciis judicaret. Quod quia nemo facit, equidem exercitandi mei, non aliorum ſenſuum gratia, calamum arripui, dicturus candidè id, quod ſentiam. Quare candide etiam meum hoc qualecumque judicium accipiant (rogo) collegæ, quod doctores quidem meos, & præmonſtratores habeo, atque appello; tantum abeſt, ut præ ipſorum intelli-

intelligentia quicquam mihi arrogem. Quod ſi quapiam in re præclaris viris contradicere videar, amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas, huic uni ſicut ſtudia mea omnia nuncupavi, ſic & ſcripta, & enunciata omnia.

Sunt hæ omnes opiniones duplicis ordinis: duæ priores, ſedem nullam, quæ affecta ſit, enunciant; ſed ſuam ediſſerunt alteræ. Priorum verò altera ſinum in habitu carnium exteriori docet, interiore verò altera de quarum omnium judicio poſterius equidem dicam, ſi prius meam ſententiam aperiam.

Morbi cauſa, generationis modus, & ſedes affecta.

Tempus eſt nunc, ut propiùs ad exponendam opinionem, quæ placet, accedamus, rem planè arduam, & laborioſam, in tanta. ſ. præclariſſimorum virorum diſſenſione, in re tam obſcura, & comprehenſu difficili, in tam multiplici rerum implexu, in negotio naturæ tam ſecreto, quantum cognoſcunt; & admirantur omnes: unde confeſſa eſt toto medicorum noſtrorum collegio, res uſque quaque gravis, ac niſi quidem inſolens, omnino rara, & qua vix alia major in hoc genere produci queat. Puellam accuratè altam, vividam, omni rerum occurſu lætam, atque etiam lætificam (quod commode rationem humorum; & ſuavitatem oſtendunt) tam variè multis ab hinc annis ſævo malorum incurſu petitam; febriculis, doloribus, abſceſſibus, fœdis iſtis lotiorum excretionibus tentatam, & in his quidem duobus poſtremò memoratis admiratio nullum finem invenit; quando ſatis eſſe poterat excretio primum Hiſpali facta; ſed mox etiam ad noſtras oras exiliit, erupitque abſceſſus: quo neque etiam ſatisfaciente, lotia jam tres menſes extiterunt coinquinata, atque adhuc ulcus, febricula, macies non refert pedem; cum tamen, quod ad functiones omnes attinet, incolumis puella aſpectu primo, atque immunis à morbo videatur, & ulcus quidem modo ſiccum, modo madens: & interdum cum aret ipſum, urina tetrior, & cum urina purior, illud ſuum virus eructat: ita ut vices ſervent aquas; nunc verò perinde, ut ordinis oblitus uterque ſinus, confuſis ſuis momentis manat uſque adeo, ut obſervantes curanteſque medicos in magna opinionum perplexitate, ambiguitate, hæſitatione, titubatione contineant, ſed nihilominus difficultas haud inquirendi tædium nobis afferet; neque auferet propterea, ſed potius inter hæc augebit philoſophandi cupiditatem. Nam quid veritatis fine dulcius? quid præſtantius, quàm in theorematis apprimè nobilibus verſari cogitatus ac ſenſus noſtros? At hoc argumento quale aliud hoc tempore charius, exquiſitius, illuſtrius? in quo rei gravitas & perſonæ amplitudo pariter certant.

Verùm neque mea videatur audacia, quod doctiſſimos inter medicos chariſſimoſque in Academia noſtra profeſſores, quales ſunt Zuccari, Santorelli, Cannizarii; Ex aulicis verò Supini, Coronelli, Sublierii, quaſi anſer equidem inter olores obſtrepere non dubitaverim: dicam equidem unde & nil arrogaſſe mihi ſupra magiſtros, & ſtudio ductus hæc intuliſſe appaream. Abundant hi quippe gloria licæi, literis & diſciplinis undique ſunt clari, quid igitur hos ſcribendi aculeo ſollicitentur hi, quorum ſplendor tam multus eſt? Deinde quid valeant incidentia pleraque commentari tot medendi profitendique laboribus quotidie diſtenti atque diſtracti, ſoli igitur mihi, qui ſim obſcurior & ocioſior, hæc ſparta ſervata reſtitit, ego, qui junior, rectiſſime laborem hunc inſumere, & gloriolam venari debui; ſi qua tamen laus ex his attendenda ſit, ac non erga Principem officium tantummodo ſit ſpectandum. Hoc ſanè potiſſimum noſtrum ſtudium, hæc præcipua cura fuit, præterquam quod omnibus modis Excellentiſſimæ heroinæ caſus atque diſcrimina, medicorumque illuſtrium in hanc rem præclarè geſta manere utique in ſilentio non debuere; quin longæ quàm maximè fieri poſſit, memoriæ commendari. Jam igitur nos ad penſum, & ad exponendam noſtram opinionem revertamur.

Generoſi medici eſt (ait alicubi Galenus) præteritorum reminiſci, præſentia perpendere, futura prævidere. Exequimur id nos in præſenti quoad nobis licet. Morbus illuſtriſſimæ puellę perquam polychronius eſt. Principio enim conceptus in patrio Hiſpalenſi ſolo jam ſecundus eſt annus: deinde reſedit Barcinonæ: tertio exuſcitatus eſt in urbe Neapoli jam quartus eſt menſis: jamque ſecundus eſt, à quo tempore productus eſt altero latere abſceſſus, ſeu naturâ, ſeu morbo excitante: ſed mea quidem opinione magis autor fuit morbus, quam natura: ſiquidem haud vera criſis hæc fuit, ſed morbi proprius orgaſmus præ materiæ copia, ut ſuo jam loco fuit oſtenſum.

Morbos hos annuos duplici cauſa ſemper fieri didicimus, tum ab auctore Hippoc. tum obſervatione noſtra: vel quod foventur, conſervanturque affluxione; vel quod materiam nacti fuerint frigidam craſſamque, qualis pituita eſt. Utraque Illuſtriſſimæ puellæ morbi cauſa fuit (niſi mea me conjectura fallit) fluxionis fomenta ſuadentur primùm cerebri diſcraſia, quam monſtrarunt capitis, κακομόρφε, & magnitudo impar, quamquam & magnitudo per ſe incommodare poteſt ad irriganda ſuperfluis inferiora.

Porro cerebrum magnam glandulam dixit Hipp. glandulam quidem, quia naturam eam, id eſt, humidam, & pituitoſam, qualis eſt glandulis, recepit cerebrum.

Igitur quo major ejuſdem ubertas, eo capiti laxior excrementorum proventus. Argumento autem eſt quod adenum ſub cervicibus nonnullum turgorem experta hæc Domina fuit.

Sed intemperatura quidem calida incommoda eſt propterea, quod attrahat in ſeſe materiam præ calore, ut l. 1. de morb. ſect. 1. verſ. 269. prodidit Hipp. Cum quo extrinſecus attracto humore, quæ conjuncta proxime eſt humiditas, proventum exuperantem colluviei faciunt: quam ipſam non continens neque dirigens caput præ imbecillitate, plurimum deorſum ſuperfluitatis dimittere potuit. Hanc autem, cum non dimiſiſſent ad ordinatas vias, & naturalia emiſſaria, quales oculi ſunt, aures, nares, palatum, atque os, cæterum depoſuerunt ad loca pectoris, & ventris inferioris media, ſicut dixi; nec non ad hujus venas, quæ turgentes ejus humoris copia revomuerunt eundem in proximos muſculos.

Fuit autem locus is, qui thoracem infimum attingit, fortaſſe, quod ad iſtum longiſſimum ejus regionis locum natura cavit ablegari materiam, quam alioquin perinfima, & ad artuum loca non valuit propellere; atque ibi locorum creatum eſt tuberculum, quod externa parte ſe prodens poſt aliquod ſuppurationem edidit.

Aliud etiam indicium fuit, quod & principio, & Hiſpali dolor ad manus, digitos, iſchia, crura, vagos dolores velut arthritidos perſentiit; Neapoli verò digitos manuum, maximè pollicis, interdum etiam

etiam genua dolere, atque extumeſcere conqueſta eſt: quæ fieri quidem non poſſunt abſque culpa, & rheumate capitis, quod pituitæ vocavit Hippoc. l. de carnib. & l. 4. de morb. Hactenus fluxionis incurſus ſatis apparuere.

Nunc de pituitoſo apparatu dicam; hujus effector potiſſimus eſt ventriculus, primus pituitæ fons appellatus à Gal. l. 2. de nat. facult. quamquam aliter ſcriptum eſt ab autore l. de atra bile. Sed hæc pars, & hæc officina Illuſtriſſimæ puellæ frigida, & humida, ut ſuo loco monſtravi, à quo promptuario pars plurima derivavit in aliquot cavitatulas ventris, & in eam præcipuè, quam mox explicabo. Ad quam etiam cavitatem neque non ire colligique potuit eadem pituitæ copia, ſiquidem hæc in meſæreæi venis, & hepatis cavo propria ſua officina conficitur; quæ Joannis Coſtæi l. 4. diſquiſit. phyſiol. fuit opinio. Sed ſatis eſt commune placitum, & Galenicum præcipuè, ſequi.

Ab his autem ad oſtenſionem animo conceptam pergo, quam ſic inſtituo proponere, ut neceſſario ſit aſſenſurus unus quiſque vi. ſ. inductionis exactæ, quam admoliturus ſum, annuente numine. Primum autem oſtendo, quod non in habitu carnium, & muſculorum externo ſit abſceſſus, & ſaniei ſinus.

Primo propterea, quod compreſſis longius ab ulceris oſculo partibus, ſolitum eſt pus exprimi; circum ulcus verò non item. At neceſſe quidem eſſet, has partes unquam doluiſſe, præſertim ad contrectatum; atqui non doluerunt unquam vel leviter quidem. Præterea muſculorum hęc cavitas quæcumque ſit, quæ modica eſt, medicamentis apprimè reſiccantibus, & diſcutientibus perpetuò fota, ſuis adhuc manentibus manationibus fuiſſet exhauſta.

Sed neque periculum aliquod vitæ afferret muſculorum abdominis ſuppuratio. Eum verò Gal. ait; tumores hypochondriorum duri, ac dolorifici mortem haud quaquam brevi futuram denunciabant, niſi partium quoque interiorum aliqua ſimul affecta fuerit. Interiores verò eſſe novimus, ventriculum, jecur, lienem, muſculi namque hypochondriorum phlegmone obſeſſi, tollere hominem è vita non poſſunt; niſi, quod rarò accidit, vel magnitudo phlegmones eximia fuerit, vel imbecillæ admodum vires, vel perperam æger curetur à medicis, vel ipſemet in commoda ſua peccarit.

Hac demonſtratione peracta, quod non in muſculis vitium conſiſtat; ſecundo ſum oſtenſurus, quod pertuſa ſit capſa, membranaque coſtarum internè extrorſum, & externè introrſum; hoc evidenti ſigno, quod niſi hoc eſſet, non conſtaret reciprocatio puris ad ulcus, dum urina ſanie non perfunditur; & vice verſa dum lotium ſanie ſuffunditur, non eſſet ad ulcus impuritas, ut centies obſervatum eſt; præterea id oſtenditur per aſſiduam perque ſymptomata graviſſima, quæ externæ ſuppurationi ſunt imparia, id eſt, longè majora. Tertio quod tuſſi ſtudioſè facta, modum ad extremas ulceris oras pus viſum eſt ſæpè ſua ſponte recurriſſe; quod alia cauſa non evenit niſi, quod pertuſus eſt utrinque locus. Quarto demonſtro, quod non in cavitate magna abdominis extet. Nimirum ſi cavitas naturalis ſaniem contineret utcumque profectam (arguam equidem cum Marino apud Galenum in com. 54. l. aph. 7. qui fiat, ut non ad pubis oſſa deſcendat. Atque etiam addam, & qui fiat, ut ad ſuperiora licet compreſſa contendat, ut exeat potiùs, quam perſtet intro? Adhæc ut fiat, ut non abſceſſum inguine moveat; ut non dolorem, ut non pondus excitet, ut inteſtina non abradat 4. jam menſibus affuſum; & poſtremo qua cauſa, rogo, ut nunc per urinam, nunc per ulcus exeat ſanies?

Sed quod non renis interni ſit affectio neque ulcus, neque naturalia viſcera factus abſceſſus interaneus probandum eſt, & quidem non in hepate; nam exitioſum id fuiſſet, reliquum eſt, quod hæc renis regio ſit, quæ prima doluerit, & nunc fiſtulata ſit; & quod purulenta plurima urina corrivetur, quibus addi licet, quod pus naturæ quadam expellentis libidine, aut materiæ raptu temerario, nunc quidem per ulcus, nunc per urinam feratur. Hæc quidem facilè probabilia cuiquam aſpectu primo, ſed non mihi videntur. Neque enim ita ſe habent, ut dictum eſt; atque nos inſuper aliis nominibus falſam hanc rei ſpeciem demonſtrabimus.

Primum quidem ſuperior hęc reni dextro ſedes eſt, ulceris; quod ex anatomica norma monſtrari licet. Sed neque diſſilientis nunc quidem per ulcus, nunc per urinam puris conjectario quicquam facit; atque alia eſt hujus rei cauſa, quemadmodum paulo poſterius enarrabo. Illud ſi verum eſſet, utique neceſſum eſſet, ut pertuſum externè introrſum & contra uſque ad cavum renis corpus eſſet: ad quod vitium & ſolutionem continui peragendum, & magna inflammatio, & acerbiſſimi dolores, ac febres, ac neceſſariò cum urinis confuſus cruor apparuiſſet, quæ utique non extitere. Quod ſi dum primum procreatum eſt vitium, doluit ren: & nunc quando ulceratus eſt etiam pariter doleret; & eo amplius, quod creſcentes in dies ſordes, & putrilago ulcere interno non repurgato majoris eſſent doloris cauſæ.

Poſtremo quæ vis, aut quæ cauſa vitium atque ulcus hoc excitaſſet, proferri non poteſt, præterquam inflammatio renis, cujus unquam nullæ fuerunt notæ.

Sed equidem libenter reſciverim, an à rene quidem externo carnium habitui, an ab hoc reni vitium, & corroſio communicata ſit; nam utrumque difficile, cum hæc ſe loca non contingant invicem, qua eadem loci vacui intercapedine neque fieri poteſt, ut à rene ad externam fiſtulam pus, aut ſanies tranſmeet, ſed evomita de rene eluvies ſuoptè nutu non in alium, quàm in inferum locum demitteretur perpetuò, quare futilis eſt argumentatio ſuper viciſſitudine manantis nunc materiæ per ulcus, nunc per veſicam, in hac opinione, neque enim inter fiſtulatum latus, & renem pons eſt, per quem ultro citroque manario illa feratur.

His additur evincens à natura, officioque partis argumentum, quod non item urina à cavo renis in ipſum illapſa per fiſtulatum renem exiens in fiſtulatum item latus exiliret; nam par utique quæ de ſanie aſſeritur, eſſet ratio.

Alterum etiam evincens eſt argumentum, quod ulcere renis conſtante, nunquam non purulenta deſcenderet urina, atque quod ſæpiſſime viſum eſt, nunc mundam & puram, nunc purulentam obſervavimus cuncti, qui curando adſtitimus; ergo jam aliquando renem neque ulcere affectum neque fiſtulatum eſſe. Ad ſummam is caſus ipſe eſt, quem deſcripſit Actuarius in l. 1. meth. medend. c. 11. per hæc; Nam quod abſceſſus alibi collectus per urinam expurgetur, accidit quidem rarius; atque hi in renibus, & veſica dolorem nullum ſentiunt, niſi ſi aliena quædam materia eò transfluxerit; neque hoc ſemper, adhæc, quę antea partem aliquam dolore infeſtabat, ea pars non amplius dolet; quod qui eam creabat humor, jam ſit abſumptus. Hęc ille, quæ fermè in caſu noſtro comprobantur omnia; nam nullius unquam

unquam decumbentis dolor, & qui primum circa artus, atque articulos vagabatur, expurgatione purulenta diſcuſſus eſt.

Quod non in thorace pus contentum jam ſum oſtenſurus: quod non intra teſtudinem pectoris, & cavitate ſpiritali ſit vomica, pluribus argumentis probatur: quod minora ſunt atque fuerunt ſymptomata, quàm, ut vitio magno pectoris hęc conſentiant, reſpondeantque. Deinde inflammationem in interno thorace tum ante tempus ſuppurationis, tum poſtea nulla ſigna demonſtrarunt: contra autem eſt Hippocr. qui progn. ait, ad ſuperas quidem partes fururum abſceſſum, quibus hypochondrium molle ac doloris expers; & contra ſi doleat, hoc abſceſſum experturum, atqui molle fuit abdomen, ſed hoc ſuprema parte doluit, non ergo pectus, ſed epigaſtrium potius vim mali ſuſtinuit.

His ſic conſtantibus apparet jam, quod ſupra peritonæi cavitatem, infra ſepti ac thoracis conceptacula ſit ſedes abſceſſus; atque adeo, quod reliquum eſt, in medio duorum iſto cum finium ſpatio; ſi tantum aliqua vacuitas ſit, ac loci commoditas ad id rei accommodata; ſed ſi hæc extat ex una demonſtratione anatomes exploremus.

Docuit Galenus libro l. 7. de uſu part. cap. 21. diaphragma duabus tunicis conſtare, ſuperiore quidem pleura, inferiore peritoneo tectnm: quam nos duarum compoſitionem cum non obſcuro nec parvo ſinu circa medium utriuſque membranæ occurſum oſtendimus nuper exacto Februario ſecantes, cadaver publicę ſcholæ præſentibus D. Balthaſaro Cannizario Archigymnaſii profeſſore, & Joanne Dominico Magliocco, & Donato Antonio Stella, & Hieronymo Fortunato Doctoribus & Profeſſoribus & rei medicæ ſelectiſſimis, atque anatomicæ ſcientiſſimis, qui novitatis, ut fit, rumore cum ſuis ſingulorum diſcipulis viſum rem venerant. Illud autem intelligendum eſt, quod œſophagus huic ſepto adnexus, & utraſque tunica attingens, per venulas, quibus carnoſa pars exterior hujus habet; potuit ad intercapedinem membranarum aliquam pituitæ copiam eructare, neque difficile id quidem eſt mihi, quando & in omento videmus ſæpe tuberculum veſiculaſque concretas, quanto igitur facilius in carnoſiore memorata particula? Hoc igitur loco, qui cavus eſt, qui naturali coquendi officinæ proximus, quique venis confertus: facile fieri potuit, ut collecta pituita cruda ſanguinis inchoamentum computruerit. Sed audi nunc placiti noſtri confirmationes: quot enim & quales, tum ex Hippocr. tum ex Galeno? Hic lib. 6. de locis affectis cap. 4. ſcriptum reliquit abſceſſus ſepti tranſverſi per urinas expurgari copioſa puris effuſione, quæ res & in noſtra cauſa viſæ ſunt omnes: facit etiam in hanc rem non leviter quod ſcriptum eſt ab Hipp. lib. prognoſt. n. 11. abſceſſum ſ. ad ſeptum tranſverſum expectari debere, quibus urinæ tenues & crudæ meiuntur diuturnæ, ſi alia ſigna tanquam evaſuris affuerint. Quaſi cruditas, inquam, diaphragmate collecta ad proxima iſta loca decumbere debeat, res quæ mea quidem opinione generoſæ puellæ ad unguem advenit, fuerunt autem & principio urinæ tenues, & crudæ, ut audio.

Verùm quamdiu differo ſingulare, & indubitabile Hippocratis ſuffragium? Hic enim in libr. 7. aph. 54. pronunciavit; quibus inter ventriculum, & ſeptum transverſum pituita repoſita eſt, & dolorem affert, non habens exitum., neque ad alterum ventrem: in iis per venas ad veſicam pituitâ verſâ ſolvitur morbus, expendatur quippe hic aphoriſmus, & cum noſtra cauſſa conferantur ejuſdem particulæ: non erit difficile ſingula; quæ morbus hic offert ad verum Hippocr. ſenſum accommodare. Huic autem aphoriſmo proximum eſt enunciatum, quod ab Joanne Actuario propoſitum in primo methodi. med. cap. 11. nos paulo ſuperius recitavimus. Sic & opificii naturalis evidenti conſpectione, & optimorum medicinæ dictatorum teſtimonio jam apparet hunc locum affectui procreando fuiſſe ſatis opportunum.

Præter has autem oſtenſiones neque ſunt argumenta alia, quæ repugnent: & multa ſunt etiam quæ maximè perſuadeant. Non ſunt inquam quæ repugnent, i. non ſitus, non ulcus; non aſſidentia; non affectus circumſtans aliquis, nec ſymptomatum, nec cauſarum apparentia aliqua: nam ſi ſint, hæc rogo proferantur.

Sed pleraque, quæ dixi, atque alia? non item nulla ſunt, quæ maximopere confirment. Primò quod hac ratione facile ſolvitur problema ſedimenti craſſioris per lotia apparentis, ſed una illa ſingularis teſtificatio videtur, quod Illuſtriſſima puella ſolita eſt impuram per lotia excretionem aliàs pati, cùm Hiſpali decumbebat, expertus & eandem eſt Illuſtriſſimus Marchio Tariſæ germanus ejuſdem frater. Id quod attuli, non quod dicam morboſam eandem his fuiſſe affectionem, ſed, ut inde comprobem familiarem hiſce principibus pueris ex cruditate ventriculi perrihœam. Ita, ut cognoſcatur jam non difficile fieri potuiſſe: imo fortaſſe factum eſſe, ut res extiterit; affectus inquam ab Hipp. præmonſtratus.

Confirmanr & ulceris generatio, ſiquidem ab hac intercapedine facto excurſu, qui mos eſt abſceſſuum non rarus; facilè potuit ad partem, quæ ulcerata eſt, è directo reſpondens humor trajici, quod quidem ſi eſt, vides, quàm multùm conveniant tres collegarum noſtrorum opiniones, quamque mirè conciliari diſſidia poſſunt omnia: quam ob cauſam anceps ego primùm quid facerem, ut nemini contradicerem; poſtquam à fauſta hac anatome ſe modus obtulit: ingentes protinus numini gratias egi, immortales inſuper acturus; non minus ſane, quam noſter Italicus, ut ne Calaber dicam Pythagoras de illuſtrato apud Euclydis librum primum elementorum theoremate 47.

Confirmant & prægreſſa judicia; quorum unum eſt dolor, qui hanc eandem partem tentavit, quo tempore adortum eſt malum. Confirmant & partes, quæ affinitate, atque aliqua mali communicatione ſolent dolere. Interdum enim cumulata intus, & non prodeunte affatim ſanie factum eſt, ut doluerit pars illorum ſuprema lateris ulcerati non leviter, nimirum quod muſculi ab Hippoc. dicti pſoe ſepti deſcendentis infime particulam angulo ſimilem attingunt. Fit autem mea ſententia dolor alterius pſoe, quod diſtento per puris copiam diaphragmatis iſto latere: qui muſculo incumbit diſtractiſque hac cauſa fibris, non poteſt hic plane non dolere. Perſentitur autem hac moleſtia magis, quàm in diaphragmate: ſiquidem integrior pars integriores etiam ſentiendi vires retinere debet.

Confirmanr, & alia, quæ conſequuta ſunt; priùs quidem illud quod compreſsâ hac privatc parte continuò pus ab ulceris ore reſultat.

Sed & aliud hujuſmodi, cujus cauſam admirantur medici, referam apud me quidem ſecundùm meum placitum non admirabile. Videtur enim comprimendo pus priùs quidem adſcendere, mox deſcendere: quod fit, quia comprimens manus rurſum diaphragma, & humorem pellit, quem deinde

deſcendere par eſt. Adde quod ſepti ductus ſituſque is eſt, ut parte quidem omni anteriori ſublimior, qua comprimitur; parte verò exteriori & ſecundum angulos deſcendit.

Adde, quod ſatisfieri problemati de apparente urina nulla prorſus ratione poteſt, niſi per hanc noſtram, uti mox ſum oſtenſurus. Quid enim quæſo requiritur, ut ire, redire, ſanies, id eſt, nunc quidem per lotia, nunc per ulcus poſſit? certè viæ communes, & mediæ ſunt neceſſariæ. Sed hæ non deſunt ipſæ, nempe venæ, quæ ad abſceſſum externæ conficiendum, & ad ſaniem eructandam per ulcus, & per veſicam æquè patent. Hæ ſunt meâ ſententiâ venæ phrenicæ, quæ per ſeptum ad coſtas diſtentum reflexæ ſive humorem integrum, ſive pus ad externum corporis habitum expromere; ſicut vides, ſunt comparatæ: deinde verò, & ad inferiora dimittere refluentem humorem; id eſt, primùm ad venam cavam,& hinc ad emulgentes, & hinc ad ureteres, & hinc ad veſicam, & deinceps: ſic ut nulla ſit amplius hæſitatio, & quia ſurſum, & quia deorſum poſſit meare, remeareque humor, quicumque ſit demum is: ſanies, pus, purulentus, virulentus, limoſus, crudus, aut ſecus: & ſive hunc conſideres antequam corruptus eſt, ſive poſtea quam corruptus, omnino enim unus idemque videtur, qui & per ulcus, & qui per lotia deducitur. Atque adeo mirum in modum congruit, quod proponit Hipp. aphor. 54. l. 7. & quanto hercules exactius pronunciatum ejus ad unguem atque ad litteram accipies: eo etiam quadratius congruent omnes penè clauſulæ. Idem nempe locus eſt, qui primùm à magno Hippocr. mox à nobis poſitus eſt, à quo pituita repoſita dolorem principio Heroinæ noſtræ fecit; quo pituita in alterutrum ventrem exitum non habente, & per venas in veſicam verſa, morbi ſolutio ſingulariter facta eſt. Quid igitur in cauſa noſtrâ deſideres, cujus non meminerit Hippocr. aut quid Hippocrat.in aphor. propoſuit, quod noſtra hac cauſa non contineatur?

Neque vero impropria ventris eſt appellatio, quæ peritonæo tribuitur voce γαςρὸς: ſiquidem hæc, cum ventrem maximum, id eſt, ab infimo ſterno ad pubem uſque contentum, ſignificet; hæc ipſa peritonæi ſynonymos eſt ſecundum Hippoc. ut Joannes Gorreus, Andreas Laurentius, & Anutius Fæſius adnotarunt; ſed neque ſtomachi vulgo dicti, niſi per excellentiam, & antonomaſiam eſt appellatio.

Neque enim te turbet, quod pituitam per veſicam dixit verti præceptor; & noſtro in hoc affectu purulenta mejitur ſubſtantia: materiam quippe magis, quam immutationem ejus, & formam ſpectavit Hippoc. an non autem pituitam hanc nos poſuimus? Sic ad Hippocraticam normam comprobata reſtant omnia; ut jam appareat germanus, & genuinus Hippocr. aphoriſmus, & vera hujus hypotheſis etiam contra ſententiam ipſius Galeni, qui favit apertè Marino vetuſtiſſimo aphoriſmorum interpreti, qui impoſſibile exiſtimavit inter ſeptum tranſverſum, & ventrem pituitæ repoſitum, defluere enim, inquit, uſque ad oſſa pubis. En vero quod inter ſeptum & ventrem continetur, neque ad pubis oſſa defluit.

Arguendus quoque Marinus, quod putarit impoſſibile, ut in venas trajiciatur, ſicut in hydrope tenuis, & aquoſus humor tranſumptus excernitur per venas. Jure autem reprehendit hunc Gal. quod inter ſepti corpus carnoſum, & interioris membranæ abdominis verticem pituitam locarit is homo, jure, inquam, quod neque ſic ullo pacto facilis per urinas humoris effuſio eſt.

Sed neque propterea ſatisfacit interpretatio Galeni, qui poſita pituita in toto abdominis receptaculo, & laxiore ſpatio ventris, & epigaſtrii, cæcos ductus, cæcamque naturæ tranſmittentis induſtriam, & facultatem proponit nobis, quippe communis eſt ea ratio, indefinita, & vulgata, quam admittere quidem aliquis æquè poſſit; Sed non, ut acquieſcat, & finem dubitandi faciat.

Fallitur item & Joannes Heurnius, qui dolorem flatuoſum à pituita elatum interpretatus, non advertit dolorem apertè accidens poſitum ab Hippocrat. qui de morbi quaſi diù prælapſi ſolutione profeſſus eſt. Sunt & aliæ ambiguitates, & tricæ apud Braſavolam, & expoſitores alios omnes; infinita autem aberratio ſit oportet, quibus vera via, & veritas una ſit ignota. Sed nullius hercle rei mirari licet, quàm viros anatomicos, qui naturale partium hoc divortium nunquam offenderunt. Nos autem gratias agimus Illuſtratori Deo optimo maximo, qui ſuam aphoriſmi auctoritatem reſtituimus & offenſionem omnem ſuſtulimus. Sed neque tamen hæc dicimus tam, ut nos una inventa re gloriemur, quàm ut profiteamur noſtram hominum imbecillitatem, qui in apertis ſæpè cæcutire ſolemus, & quod pro oculis eſt, aliquando non perſpiciamus.

Non poſſum tamen non admirari, quod Galenus & anatomici omnes habentes hanc phrenicarum venarum viam, quæ brevis, prompta, expedita, facilis eſt: nihilominus longinquas, operoſas, intricatas, difficiles alias ſunt commenti. Galenus quippe libr. 6. de loc. male affectis cap. 4. ſub finem apertè profitetur pulmonis, vomicâ ruptâ pus ad levem pulmonis arteriam ingreſſum; & ad ſiniſtrum cordis ventriculum fuſum, hinc ad magnam arteriam deſcendentem repere, ut inde ad venales arterias, mox ad ureteres, poſtremò ad veſicam deducatur, ut cum lotio excernatur. Quam opinionem etiam Diocli attribuit Andr. Laurent. lib. 9. hiſt. anat. quæſt. 12. ſimiliter & Galen. 5. ejuſdem operis pus in thoracis vacuitate contentum arbitratus eſt primo transfundi in propagines venæ ſine pari, mox ad cavam venam, & ad dextrum cordis ſinum, & inde ad emulgentes, & deinceps ſequitur & Galenum Deſider. Jacotius ad aphor. lib. 4. ſect. 2. Coac. prænot. Hippoc.

Sed Gabriel Fallopius vir in anatome peritiſſimus aliam per azygon viam expoſuit libr. de obſer. anat. eo propoſito, quod pars aliqua venæ ἀζύγε tribus, aut quatuor ramulis ſuperioribus, poſterioribus, & infimis ad emulgentem adeat, frequentius tamen in ipſam immediate, unico tamen implantetur; quam ob rem, ſi aliquando per lotium expurgari pleuritim videris, non amplius dices per venam cavam; inquit. Eidem opinioni adhæſit & Hieronymus Fabritius libro de oper. chirurg. capit. de thoracis ſectione in empyemate; qui tamen & tractat. de vulner. cap. 22. non Fallopium præceptorem ſuum, ſed Nicolaum Novocomenſem auctorem ejus inventi fecit.

Verùm quod ad Galeni placitum ſpectat; difficile non ſolum, verùm etiam abſurdum viſum eſt nonnullis acutius inſpicientibus. Primum enim repugnare videtur dignitas cordis, & ſiniſtri præſertim ſinus ejuſdem, atque utriuſque robur & præpotentia; quâ quid potius appropinquantem noxam accipiant, quam expellant? quid autem ut pulmo ſervetur, cor gravari debeat? quæ autem hæc via, quiſve locus à natura ſelectus ſit? importunus ſ. & minime conveniens contra rationem omnem criſis, quidquid puritas ſpirituum hoc minime conſentit, quomodo enim vitalem illum fontem non conſpurcabit illuvies purulenta.

At

At dices non eſſe, quod vereamur harum partium detrimentum & contaminatum, quod nullum, aut ne quidem dignum commemoratu eſt à tranſcurrente tantum, & non confidente humore. Sed inſto adhuc, quod fieri non poſſit, quin ſpiritûs aura tenuis, & ſubſtantiæ raritas & poſſibilis qualitas propriè afficiatur perpetiaturque contagionem? poteſt autem fieri, ut penetrabilis, ac planè liquida utraque ſubſtantia non commiſceantur & confundantur. An miraculo id faciendum voluit Galen. qui miraculum in natura nullum admiſit?

At memorabilis naturam duarum materiarum ſecretionem cum delectu facere. Sed pugnabo rurſus, quòd in ſummo illo ſanguinis æſtu, in tanto vaſorum agitatu neque hoc licet, deinde decurſus ille in anfractuoſo loco pro mora eſt, qui diuturnus alioquin eſt, & perennis.

Quæ autem non ſymptomata, quæ non mala conſequantur ex appulſu puris in arcana penetralia receſſuſque cordis intaminatos, & ſpiritûs officinam vitalem: primùm enim interrumpatur, ac diſtrahatur functio pulſifica diſcurſuſque ſpirituum oportet; quod ſi intercidentia ſanguinis arteria Eraſiſtratæis phlegmonem, & febrem continuò pariebat, ut lib. de tumoribus, & lib. de ſanguinis miſſione Gal. refert, quid non longus puris adhæſus in impedito conclavi cordis?

Deinde ſi obſtructio arteriarum apud Petrum Salium cap. 31. libr. de affectibus particularibus tam gravis, & detrimentoſa eſt: quid non etiam purulentæ materiæ ſupra plenitudinem ſanguinis arterialis infarctus?

Præterea ſi fuligines, quæ putridæ non ſunt & à naturali materia creatæ, tam multûm incommodæ ſunt ſpiritibus & vitæ ipſi: quid putredo ipſa faciat actuoſa? quod ſi Galen. impoſſibile putavit ei occurrere putredini, quæ eſt circa cor: quid non difficile ſit cor putredinem ſuſtinere, quæ intra ipſum ſit.

Narrat Philotheus lib. 2. aph. 41. ex putri fætidoque intra pericardium contento pure creberrimas animi defectiones homini fuiſſe: qui mortuus etiam inde eſt. Quid igitur intra cor ipſum faciat purulenta colluvies, & in ejuſdem ſinu longa coinquinatio? Audi autem Jo. Fernelium lib. 5. path. cap. 10. narrantem, ex pulmonis vomica rupta, & pure ad cor penetrante ejuſdemque facultates opprimente, quemdam intra horæ quadrantem ex improviſo nullis antegreſſis ſymptomatis mortuum.

Hæc & aliorum teſtimonia, & argumenta ſunt noſtra. Verùm anatomica fide compertum eſt, arteriæ magnæ veſtibulo tres aſtare membranulas ſeminulares, intus quidem apertas, ut ſpiritui vitali exeunti pateant; foris verò clauſas, ne in lævum cordis ventriculum idem remeare poſſit, quod ſi penetrabilis, inquam, & naturalis ſpiritus, in limen aortæ penetrare non poteſt; quid terea & corpulenta materia? An vero neſcius ejus ſtructuræ, vel oblitus fuit Galenus?

Hæc, licet & alia poſſint, contra modò narratam opinionem attuliſſe ſit ſatis: non parcemus autem his referendis, quæ nonnulli produxere pro Galeni defenſione quæ brevibus fuit hæc; aliud eſſe criticos aliud ſymptomaticos fieri abſceſſus, atqui eſt hæc expurgatio criticorum, quòd cùm aſſerunt hi, videntur quidem aut non advertere, aut oblitos eſſe criticorum admolitionum verarum adeò, ut de criſi faciant non criſim: & quæ ſit inſuper omninò contraria criſi, cedatque res ſymptomatica verè quæ putabatur critica, nam quid cieri putredinoſum humorem per ſuperiora perque digniora? majus autem quod memorant (inter hos Andr. Laurentius) eos, quibus ea facta affluxio eſt, commortuos: neque vident, ut oſtendant poſſe rem evenire, monſtrare ſe, quòd evenerit cum morte: quia quæ major ineptia ſit? Quid igitur moliri naturam, quòd funeſtè ceſſurum ſit? Ejuſmodi igitur opinio ſit liquenda, quæ tot mala invehat criſis?

Sed Galenicâ jam recognitâ opinione, ſecundam recentiorum ſententiam dijudicemus. Illa quippe non videtur probanda compluresob rationes, primò quia cùm vena hæc ſingularis ad latus tantùm ſpectet dexterum, non eſt accommodata hæc via, præterquam in abſceſſu, & empyemate partis ejuſdem privato, par eſt autem tranſmittendæ materiæ viam ad utraſque partes communiter ſe habere: nam contra in ſiniſtris condita materia, eò naturæ beneficio careret. Secunda non eſt, neque aſſignari poteſt aliqua ratio, per quam venæ debeant, aut poſſint attrahere vel abſorbere purulentum illum humorem, vel cùm non attrahant illam, ad ſeſe, difficilè eſt declaratu, ut pateant ad ingreſſum, tranſcurſumque humoris.

Tertia neque opportunus venæ ſine conjuge videtur ſitus, qui medii thoracis eſt, & longè ſuperiùs ſepto tranſverſo poſitus: quem locum pus alioqui grave, quale omnes requirunt, infima petens prætergreditur, ſuper diaphragmatis facie quietem, & conſiſtentiam habiturum.

Taceo, quod cùm Fallopius ſtatuat propaginis hujus venæ deſinere in venam adipoſam, & conterminas venas: hæ quidem non pertinent ad interiores ſinus renis, ſed ad exteriores ejuſdem tunicas: quapropter via non eſt, quæ ſatisfaciat; rectiùs fortaſſe fuerit opinari nos ab oſculis venæ ſine pari pus elicitum, hinc transferri ad truncum venæ magnæ aſcendentis, & inde demitti ad deſcendentem & emulgentes &c. ſed hoc neutiquam eſt à junioribus cogitatum aut expreſſum.

Reſtat nunc ut aliam, ſi quæ eſt, viam nos inveniamus atque tradamus: eſt autem meâ quidem opinione nobiliſſima atque accommodatiſſima per venas phrenicas, commoditas, inquam, prima, quia deſcendens ad ima pus à ſubtenſo diaphragmatis corpore colligitur & hoſpitatur, ultimâ veluti ſtatione & quiete. Secunda quia craſſitudo puris extenuari poteſt ac præparari ſic, ut facile venas ſubire poſſit, interveniente motu perpetuo ſepti tranſverſi.

Præterea cùm in ſyſtole dilatatur ſeptum, tunc belle poſſunt adaperiri venarum oſcula quaque parte, atque ad ſe rapere materiam ſive ſponte, ſive naturâ procurante; & humoris tranſmiſſum admoliente, omnibus autem modis attractus ſuccedere poteſt faciliùs ſub perenni diaphragmatis motu. Hunc autem, ut & hoc notem, plurimum adjuvare ſolet agitatus proximi muſculi pſoæ, cujus plerumque cauſa equidem adverti frigidos abſceſſus ad has partes creari, nempe ad muſculos univerſos polychronii fiunt abſceſſus inſignes, quemadmodum in ſacro regioque valetudinario Incurabilium experimentis quotidianis obſervavi.

Objicient fortaſſe memorata primùm craſſitudine puris minores has ſepti venas, quam, ut patere tranſcurſibus hiſce poſſint, verùm præterquam, quòd non tam parva ſunt hæc vaſa, adjuvat, ut dixi, puris tranſitum motus: quid quòd melancholicus humor, qui craſſus eſt per exiles ſtomachi venas diſcurrit ad excitandum in ore ventriculi ciborum appetitum? Quare cur per hæc certè majora vaſa diſcurrere pus non poſſit? Poſtremò natura parat quacumque vult ſibi

ſibi vias. Quod ſi per oſſa etiam expedit ſibi callem, quid non & per venas ſepti tranſverſi non obſcuras?

Ad has argumentationes, ad has rationes meas omnes (licet Ariſt. autore 3. topic. à prudentium approbatione rem deduci) accedit & complurium virorum in Urbe noſtra graviſſimorum aſſenſus: quibus communicata primum hæc noſtra excogitatio digna viſa eſt, quæ in lucem expoſita judicium commune multorum tum medicæ, tum anatomicæ rei ſtudioſorum experiretur, ſunt autem præter principio memoratos gymnaſii noſtri profeſſores, ſi ſe nominari patiantur, hi:

Tiberius Carnevalis purgati vir judicii, ac doctrinæ.

Martius Schipanus vir arte, & facundiâ clarus.

Stephanus Rivaldus, qui Cæſ. Scannapecum præceptorem ſuum celebrem uſu medendi refert.

Franciſcus à Ponte Philoſophus, ac medicus profitendo laudatiſſ.

Franciſcus Nola præter medicam quidem & aſtronomicam rem egregiè profeſſus.

Joan. Dominicus Magliocceus, qui ſcriptis doctiſſimis medicinam locupletavit.

Franciſcus de Curtis, cujus Epiſtolas medicinales, vel ab exteris expeti legimus.

Franciſcus Aſcellonus, qui Galenicam & Arabiſticam doctrinam cum philoſophia conjunxit.

Horatius Theſaurarius antiquiſſimi Collegii Salernitani Doctor, & medicus Neap. excellens.

His alia quædam pro coronide ſubnectemus. Propoſitum enim eſt indicare, quod ad pleraſque multas effluxiones purulentas communis eſt hæc via: adeo autem communis, ut & toti corpori poſſit eſſe; nempe ventribus omnibus etiam; capiti, inquam, pectori, abdomini: neque injuriâ meo quidem judicio corporis medium centrum obtinuit hæc pars. Itaque ſi ritè poſſunt ſuprema; ritè poſſunt & media; ritèque etiam infima, ſi hæc & mediâ viâ opus habeant. Quas ob cauſas neque angina, neque peripneumonia neque empyema quodcumque, neque corporis totius cacochymia, cujus meminit Hippocr. lib. 1. epidem. com. 2. text. 8. quomodo per vias urinæ repurgari poſſunt, dubium nunc eſt. Quoniam autem peripneumonia crurium abſceſſu ſæpe finitur, neque humoris tam longa translatio comprehenſu difficilis erit his, qui norint delapſum pus ad cavam venam per iliacos ramos traductum ad crurales venas poſſe pervenire. Quam rem ſtatuenti mihi venit in mentem hiſtoria Vincentii Canavacioli, qui cùm empyematicus ex vulnere jam à nobis curatus longo labore fuiſſet: poſt aliquod tempus abſceſſum ad crus dexterum expertus eſt.

Ex demonſtratis autem credere par eſt, quod reliqua, quæ in fundo thoracis & diaphragmate hæſere, natura per phrenicas ad iliacas venas tranſmittit. Quod & Nicolao Angelo ab Elyſæis medico & ſcriptori Neapolitano doctiſſimo viſum eſt.

Nanciſcitur & hâc viâ reſolutionem, quæſtio, cur fiat, ut (quod docuit Hippocrates in coacis, abrupta in medio progreſſu dyſenteria tranſmigret in abſceſſum circa coſtas: humoris quippe facto tranſcurſu. Nempe de venis meſentericis, & inteſtinalibus, ad cavam, & hinc ad phrenicas, ut fiat abſceſſus in coſtis inferioribus, aut ad azygon, ut fiat in ſuperioribus.

Solvitur & hac eadem ratione problema, quod referam, expoſita prius obſervatione frequentiſſima, pariter & certiſſima, quæ eſt hæc; compertum eſt pueris impuberibus aut puberibus conſueviſſe abſceſſus ad latus dexterum præcipuè paulò ſuperiùs cinctum excitari. Ita quidem accedit filio Antonii Bagnes, quem cum egregio medico Sebaſtiano Vechiono curavi; Itemque filio Joſuæ Amicangeli, cui collega Viro Jacobo Ferraiolo medicatus ſum, atque etiam Margaritæ Blanchinæ, quam in noſtra vicinia curavit à me ſectam miniſter meus. Paſſus & ibidem loci ſuppurationem longam quidam adoleſcens, cui præſtitit operam medicam Petrus Pinacchius genere Græcus: & inter omnes generis claritate nominandus Ferrandus Caraceiolus Foroleti Dux Illuſtriſſimus, de quo viro abunde teſtificari poteſt Marius Schipanus, vir in re medica æquè & in bonis litteris exculciſſimus. Qui omnes vel ad diaphragmatis angulos vel ad fines ejuſdem abſceſſum ſunt experti, taceo quod eodem loco licet opinari, tuberculum lateris ab Hippocr. l. 2. de morb. 58. deſcriptum atque enarratum. An autem cauſam ob aliam, quam quod à ſepti memoratis venis promptè ac facilè potuit humor ad proxima derivari.

Adverſantium argumentorum depulſiones.

HÆC nos quidem aliquandiu meditati non approbare atque amplecti ſenſibus omnibus non potuimus; quando difficultatibus impleXa nullis, multa præter hæc probabilitate firmata videntur: ſed probabilitatem quidem oſtendimus: incommodum autem huic noſtro placito nunquid unum ſit, jam denuo perquiremus. Fuit quidem, qui diceret & non neceſſarium hoc afflictæ partis excogitatum, & improbabile etiam, non neceſſarium quidem, quia ſatis eſſet effectum omne referre ad unam cauſam antecedentem, quæ venis contenta, ac bipartita duas in vias ſeceſſerit diverſas, altera quidem portio in abſceſſum, altera verò per ureteres, & veſicam: neque inquit, aliquid facit, quod puriore apparente urina madentius ſit ulcus, aut contra: namque dolentem unam partem per venas factis defluxus alter in alterum accedens levat, omneſque etiam vacuationes è corpore alia quæcumque minuit, materiam in diverſum trahens.

Præter hæc & alio nomine probabilis hæc opinio non videtur propterea, quod ponitur extra venas putris materia nullo argumento aut indicio, purulentæ autem materiæ, quæ extra venas conſtitit perpetua etiam per exteriora fit eductio: empyematis quippe, cujus pars per urinas effluit, nunquam certi eſſemus, niſi & per expuitionem effuſio exiſteret. Tertia animadverſio fuit, quod extra venas poſitam materiam non dubitavimus intro eaſdem deducere: rem quæ perdifficilis & apprimè dura oppugnatori noſtro videbatur.

Hæc ille: quibus equidem omnibus à nobis & antè proviſis ita ſatisfaciendum cenſui; inertis ignavique ingenii, paucique & vulgati negotii videri communibus & univerſalibus cauſis inſiſtere contemptumque eſſe; cum definitas, & certas cognoſcere detur; quid autem logiatros & dialecticos ſpeculatores facit magis, quam ſumma rerum indagine philoſophari? Quidve juſtius reprehendit in methodicis Galen. quam relictâ partis affectæ conſtitutione ac notitiâ, laxitatem illam conſequi cauſarum? quidve clarum medicum, præſertim in abditis morbis facit quàm afflictæ ſedis inventio? Porrò Galen. ad Hippocraticam doctrinam nihil addere dignius viſus eſt, quàm locorum, qui male ſunt affecti dignoſcendorum artem, unde nullum ſane majus operæ pretium in Hippocratica medicina fecit meo judicio, quàm ſuo illo Topognoſias opere.

Itaque qua nos prudentia ſedem affectam nacti cum fuerimus, & ut credo equidem, præter meam

aliquam

aliquam induſtriam, divinitus demonſtratam; hanc pro communi & vulgata ratione relinquamus? Fatuum hoc quidem & viro ſapiente indignum, quod ſi viam utramque ſpeculandi commetiamur, incomparabiliter præſtantior hæc noſtra futura eſt, tantum enim abeſt, ut nullum uſum exhibeat, ut maximè neceſſaria ſit hæc extra venas conſiſtens cavitas: quo modo enim putrida in promptu, & in actu materia, quæ alternè per matutinas, veſpertinaſque horas alternos locos ineat, & commutet? quin immo expreſſâ manè vel veſperi ſanie multa de ulcere, continuò prima quæque lotia clariora: ita videtur tam brevi, neutiquam putrefactam intra venas materiam: ſed potius extra venas paratam eandem; quid autem, quod tam diu ſtabulata atque hoſpitata non per tranſmiſſum diſcurrens hæc intra venas actualis & confarcta putredo minime tam debilis puellæ ſuſtentari potuiſſet, calamitoſiuſque ceſſiſſet, quam enim febrem, & quæ ſymptomata non intuliſſet?

Adde, quod ſub actuali intra venas putredine, febre aliquando vacare generoſa puella non potuiſſet: atqui ſæpe vacavit utique doctiſſimorum hominum, qui obſervarunt, teſtimonio, atque in præſenti, qui 10. eſt Martii dies, evidenter vacat, quo tempore, cum adhuc urinæ purulentæ manent; quæſo explices, ut interim nitidus puellæ color eſt & caro plurima reparata, cum virulentæ iſti intra venarum ſinum putredini conjungantur? Interea mitto num intra venas confici pus poſſit & num ad Hippoc. Galenique ſententiam hoc aſſeri liceat. Prudentes ergo nos, qui extra venas conſiſtentem hanc virulentiam poſuimus, aut verius à natura poſitam obſervavimus, è ventriculo ſcilicet, & ejus ductibus ad eam partem tranſmiſſam, in nullo autem loco præterquam in hoc ſanè perſiſtere, neque aliunde, quàm inde procedere ſanies illa poteſt; ut diſcurrenti per ſingulas partes naturales facile patet.

Sed occurrimus argumento, quo adſtruitur falſitas opinionis noſtræ propterea, quod nunquam extare poſſit extra venas materia purulenta, cujus effuſio etiam per ductus extra venas poſitos monſtrata non ſit: exemplo producto empyematis, quod nunquam adeſſe monſtrabitur per urinas excretum, niſi & tuſſi rejectum: immo dicimus hoc apertè falſum vel experientia teſtante, per quam obſervare licuit vulnere thoracis diu vexatos à me ſuperius nominatos, qui vivunt, remque narrare poſſunt; empyos aliquando nil tuſſi rejeciſſe præter quos & innumeros alios in valetudinario noſtro vidimus, videreque in dies licet vulneratos empyos nil pectore rejectantes. An non autem hi ſunt ex vulnere empyematici: ſed tales vel ipſe Hippocr. nominavit lib. 2. de morbis.

Quamquam qui ego has rationes produxi paritatem admittens, quippe & multum diſcriminis intercedit inter cavitatem, quæ reſpondere non poteſt venis (hæc in empyemate thoracis eſt vacuitas) & inter cavitatem, quæ venis reſpondere poteſt: certè intercapedo diaphragmatis, & peritonæi à primo Severino obſervata, ac publica in anatome demonſtrata hæc obducta eſt, nec alias vias, quàm venas ad expurgandum habens; illa detecta quæ ductus alios, quam venarum nacta eſt: hanc autem Gal. in lib. 4. de loc. aff. expoſuit. Altera ad hanc diem quidem omnes, at M. unum Hipp. & nos hujus obſervatores, magno Dei munere non latuit, amabunt autem de invento me exteri, ſicut confido, ſi minus populares & comprofeſſores noſtri quidam, complures autem, qui candide plauderent, comperi: ſed longe plurimos, qui pedem ferant futuros alios non diffido.

Sed ad alias argumentationes devenio, quarum illa reſtat à ſimili contendens, ſolam ad rem oſtendendam antecedentis materiæ rationem eſſe ſatis, propterea quod facta in dextris fluxio vel vacuatio ſtatim à ſiniſtris avertit, itemque ſuprema ab infimis revocant, & anteriora à poſterioribus, & contra, aio equidem etiam ſi hoc detur, quod ſæpiſſime non ſuccedit, ut experimento quotidiano docemur: nihilominus non obſtare, quo minus hæc noſtra reciprocatus inveſtigatio vera ſit, eſtque etiam multa diſparitas, quando in cauſa materiæ antecedentis non eſt ea reciprocatio, ſaltem tam prompta ac ſubita. Atque etiam in parte unde ſit retractio, remanet ſemper materiæ pars plurima; in noſtra verò cauſa pura ſæpe apparet urina cum manavit ulcus, ſiccumque fuit ulcus cùm luculenta fuit urina; prompta ſ. & expedita; quaſi vicinorum & affinium viciſſitudine, quæ neceſſitudo profecto non eſt inter partes diverſas, quibus materia communicat antecedens.

Sed jam occurrimus tertiæ animadverſioni, quæ contendit humores extra venas non poſſe remeare: dicimus enim hoc difficile non eſſe, rationem oſtenſuri multorum principum autorum, 3. aphor. 12. Gal. meminit expreſsè deſtillationis humorum à capite in venas, & arterias. Atque ait, intelligimus per deſtillationes omnes fluxiones, quæ feruntur à capite per venas & arterias ad partes inferiores ergo materia extra venas recipitur per venas & 3. progn. 38. ait Hipp. ſi abſceſſus deletur, & repetit periculum delirii, & mortis: ubi Gal. per repetere explicat materiam extra venas retrocedere in profundum corporis aut in aliam ſedem principem, unde commoti ſunt ſucci per vaſa, quia non poteſt fieri per aliam viam hæc tranſmutatio, imo ſi in cerebrum, advenit delirium &c. quæ ſeq. Et 4. aphor. 75. ſi ſanguinem aut pus meiat, ubi Galen. ait mingi interdum pus, cùm aliquod apoſtema in ſuperioribus dirumpitur, & pus ad urinæ inſtrumenta emittitur: apoſtema autem ſit extra venas, vel in ſubſtantia hepatis, vel ſepti tranſverſi &c. ergo poteſt pus extra venas genitum per venas expurgari naturâ. Et 3. acut. 10. ait Gal. ſanguinem in phlegmone contentum, qui denigratus eſt totus propter partis accenſionem venâ ſectâ evacuari, ergo poteſt ſanguis extravaſatus iterum in venas recipi. Sed ſatis apertè definit rem hanc Gal. 7. aphor. comm. 30. ubi ait humorem deſtillantem à capite in aſperam arteriam poſſe expurgari vel per arterias ad vias urinæ aut alvum. Itaque humor hic tranſſumitur in venas & 7. aph. 55. ait Gal. aquam collectam in ventre hydropici purgari poſſe per vias urinæ; ergo nihil prohibet humorem extravaſatum à ſepto per venas emitti & 6. de locis aff. c. 4. ait apoſtema ſepti tranſverſi ſuppuratum, & diruptum per urinas purgatum copioſa puris evacuatione & quibus, aut renes dolebant aut hepar cum febre, deinde ruptâ vomicâ in loco dolente vidit emitti pus per renes. ergo nihil clarius: quod apoſthema ſit extra venas, & paulo infra in eodem capite ait, nos autem pulmonis vomicam ſive abſceſſum per veſicam expurgari vidimus, & ibi ſtatuit Gal. viam per ramos arteriæ deſcendentis ad renes, pus etiam à thorace per cavam venam mediante vena, quæ arboris caudici proportione reſpondet, in alvum ducitur; quare nil mirum à ſepto, à pulmonis vomica deſcendere pus in venas & arterias, hæc eſt concluſio Gal. in hoc cap. Verùm admirandus eſt locus Hippocr. 1. epid. ſect. 2. text. 84. ubi ait parotides defluxerunt ad veſicam, ſic

tubercula poſt aures non ſuppurarunt, ſed ad veſicam defluxerunt, & Galen. in commentario exemplum hoc ait parum frequens eſt, & memoriâ tenendum, ergo eò magis tuberculum in ſepto tranſverſo poteſt ad veſicam defluere: & 3. epid. 1. 3. textu 29. etiam in Coacis. prænot. ait Hipp. vomicam pulmonis expurgari per alvum lethale, & ibidem abſceſſus, qui deſcendunt ad crura in peripneumonicis utiles omnes ſunt.

Hactenus jam objectis adverſus noſtram ſententiam argumentantibus ſatisfecimus; Aliæ nunc ſuperſunt, quas nos ipſi prævidimus; futuros nempe aliquos, qui ſedem hanc affectam non admittant propterea, quòd ſpiritale organum non ſine diſcrimine experietur abſceſſum, nimirum cùm inflammatio, æſtus, diſpnæa, febris acuta, dolor & hujuſmodi gravia ſymptomata non deerunt.

Cui objectioni occurrimus præterquam, quod hæc principio non defuere: ad hæc diſcerni oportet affectus calidos à frigidis: nempe nos abſceſſum hunc frigidiorem, quàm calidiorem ſtatuimus, cum quo alioquin ſedato affectu turbulenta illa ſymptomata non conjunguntur; præſertim quando abſceſſus ille non ſupernâ, ſed infernâ parte ſubortum eſt. Sed præſtabit etiam quædam, quæ Petrus Salius l. de partium affect. ſcripta reliquit.

Diaphragma tumore afficitur, dupliciter hoc pati ſolet: nam irruentibus excrementis ad ipſum poteſt tumorem & ſine febre, & cum febre pati: ſi ſine febre afficiatur à principio dolor, & reſpirandi difficultas continget, præterea pulſus parvulus accedit, & durus, quod autem ad crebritatem; quoniam in his neceſſitas non eſt adaucta, vel quid vel nullo modo mutatur, ut docet Gal. l. 4. de præſagitione ex pulſibus cap. de ſepto tranſverſo, & hæc excrementa debemus judicare eſſe cruda, & tenuia; quoniam craſſa non poſſunt infigi in ſubſtantiam nervoſam diaphragmatis. Quoniam autem hæc excrementa carent nimia caliditate, hi tumores non poſſunt eſſe non tantùm longi, ſed etiam diuturni; ſicuti experientiâ vidi in nobili ægrotante; cui ex crudiore, & ſubtiliore ſanguine factus eſt tumor in ſepto tranſverſo diuturnus: in quo cùm dolor & ſpirandi difficultas pulſuſque durities, & parvitas adeſſent: ad eum tamen non ſubſequutum eſt delirium, cùm hoc videretur rationabile ex eo, quod hæc pars ad mentem, unde phrenes appellata eſt, plurimum faciat, quaſi quod ad ſapientiam conferat: quoniam materia & tumor erat frigidus & crudus; ex quo tandem mortuus eſt, cùm priùs ferè ad tabem decurriſſet, & in ultimo diſrupto abſceſſu expuiſſet cruenta, & cruda, aliquo modo tenuia, & quæ nullam coctionem indicarent. Ad hunc eundem tumorem ſequitur neceſſariò tenſio præcordiorum ſub vacua; quoniam tenduntur muſculi ad diaphragma, nulla exiſtente in hypochondriis inflammatione; vel alio ſimili tumore: & ut paucis hanc partem concludam; tumores hi longi, & diuturni generantur à materia tenui, & frigida; quæ tamen corporis diuturnitate in loco affecto craſſeſcit, & ad hos ſequitur dolor, difficultas reſpirandi, pulſus durus, & parvus, qui ad crebritatem vel parum, vel nihil mutatur, & tenſio hypochondriorum nullo apparente in his tumore ad tactum; & ſi his tumoribus aliquandoa djungatur febris, ut experientia pluries adnotavimus, non tamen âcuta, nec delirium neceſſariò ſubſequitur; quod tamen aliquando in appropinquante morti vidi acceſſiſſe, & hi tumores cùm perſeverant, & non ſolvuntur, patientes ad tabem deducunt; quod licet non fuerit à Gal. notatum; tamen teſtor ego verum eſſe hoc accidere, & hæc de tumoribus longis ſine febre cauſatis à materia frigida.

Hæc ille, quibus apparet, etiam affecto diaphragmate ſecundùm proprium ſui ipſius corpus placatiora interdum evenire ſymptomata, quid igitur ſi illud ipſum ſecundùm contiguum tantùm ambitum affectum ſit?

An puris fuerit ſubſtantia, quæ per urinas excreta eſt.

Dubitatum autem eſt, num pus cenſendum id ſit, quod per lotia ſolitum eſt excerni, difficile alioquin & incertum, ubi collectum, & unde ad has vias traheretur, cùm enim neceſſum eſſet alicubi ſcatere longum ſaniei proventum; pars hæc ſanè, quæ vitii fomes eſſet, nulli ſe declaravit, aperuitque. In cavitate porrò magna & naturali videbatur alienum aſſeverari; in alia verò præterquam in abſceſſu par non erat, ut quis adſtrueret, unde ad veſicam derivaretur, reliquum igitur, ut per venas, per quas ipſas cùm inſolens ſit ferri pus; reliquum eſt ut ſaniem, ſic enim cum antiquis appello nunc ſuccum crudum, adhæc infrequens per urinæ vias puris eſt expurgatio, ex qualibet verò aliàs quàm purulenta, frequentiſſima, ſuccus autem crudus aut limoſa & inquinata coctione reſidentia poterat aſpectu primo videri multis, præſertim quando virulentior excretio deſiſteret. Adde, quod pueris, & mulieribus, & otioſis omnibus hominibus, & qui pluſquàm coquendo par eſt, eſitant; compertum eſt ſubſidere plurimum excrementi, quod quia putredinis vitium non ſentit, haud puris nomine detrectandum eſt leviter.

Hæc & alia hujuſmodi ſuaſerint quibuſdam crudum eſſe ſuccum, qui per urinas ſpectatum fuit; verùm enim verò, ut non inficiar ſub polychronio morbo fuiſſe cruditatem plurimam, quæ & puri alicubi gignendo materiam exhibuerit; & ut non negem etiam interdùm ſuccum crudum apparuiſſe per eaſdem urinas; quo ſcilicet tempore pus alio tractum ſeceſſerit; tamen judico pus merum extitiſſe, quod cum ulcere reciprocationem habuit: in qua re certum me fecit Galenus l. 1. de aliment. facult. qua diſputat de tritico, qui notas ſucci crudioris, & puris diſcretices propoſuit has, nempe verum pus inquit, graveolens eſt, & lentum; craſſus verò ſuccus craſſitie, & dolore illi duntaxat eſt ſimilis, ut qui neque graveolens eſt, neque lentus. Atqui quod nos quotidie ſpectavimus ſedimentum, varia hercle ſpecie ſe exhibuit, nam gravis halitus per colum transfuſo humore ſæpe nares feriit; reclinato verò eodem ichore, fundo adhæreſcens viſus eſt lentor quidam, qui productiore reclinatu recedebat, aliàs verò non item.

Præter hæc & aliud ſignum, quod comprobari haud quidem licuit, Jo. Baptiſta Donatus propoſuit l. 2. de matur. materiæ in morbis cap. 24. quod eſt, Pus ſi noctu depellitur, lumen cauſa eſt, ut pus fulvum appareat, id eſt, eo planè colore præditum, quo aurum apparet.

Sed de pure in urina, noſtra hæc fuerunt experimenta, lotium quidem Heroinæ inculpatius, ubi accommodata in vaſculum filtri ligula deſtillavit, reſiduum ſedimentum expoſitum ſoli, exilem, & vix aſpectabilem ſui portionem reliquit.

Lotium verò virulentius colo tranſmiſſum hypoſtaſin reliquit craſſiuſculam, quæ camino ſuppoſita calido craſſitie icthiocollæ preſſa eſt.

Sanies, quæ manare ex ulcere ſolita eſt, in urinam puram aliùs puellæ indita, ſimilem ad unguem excretæ natura-

naturaliter urinæ purulentæ ſpeciem reddidit.

Ex his igitur omnibus ſuum de purulentia judicium elici facile poteſt.

Sed aliquis nunc objectabit mihi memorans pus Gal. docente in com. 47. l. 2. aphor. ex ſanguine ortum habere, qui humor calidus & humidus: diverſa autem ab hac pituita. Cui argumentationi bifariam occurritur, primum quidem hoc etiam eſſe pituitam in pus verti apud Hipp. qui libr. de morb. 1. & 2. ex diſtillatione à capite ſuppurationem inferiore ventre perſæpe poſuit. Quod & Galen. in commentariis de ratione victûs etiam profeſſus eſt: Joannes verò Fernelius medicus quidem non ſolùm doctrinæ amplitudine, ſed experientiâ clariſſimus in ſenibus præſertim pituitoſis empyema quoddam ex ſuppurato in pulmonibus phlegmate colligi affirmavit, deinde ſi obtrudant, quod non verum ſit ejuſmodi pus, neque ego item tale aſſevero fuiſſe, ſed purulentum & virulentum utrumque, tum ab ulcere tum ab urina recrementum appello, nam verum mea ſententia pus nuſquam extitit: æquale autem, aut vix diſſimile quod utrinque prodiit, dum corruptitiam eluviem urina retuliſſet.

Quod abſceſſus vere ac proprie ſit appellandus hic affectus.

NOminum uſus rectis diſciplinis rite tradendis neceſſarius, nedum conducibilis eſt; Etenim hæ notæ ſunt rerum: & niſi ſecundum ſenſum principio poſitum uſurpentur ambiguitatem longe maximam, & fortaſſe etiam infinitam parere queunt, quâ cauſâ fit etiam ut unum pro alio nomen accipi non debeat: nimirum ita ſenſus temere confunderentur & lux ſua rebus, & doctrinæ non eſſet. Ob id quidem Græci, Latinique cultiſſimæ nationes notas, & momenta nominum exactiſſime diſtinxerunt, diſtinctoſque ſenſus è vocibus elici voluerunt, quam legem in medicina, ut ſervarunt opt. quique: ita non deſunt barbari, & ſolæci, & minus accurati, qui negligant & contemnant. Cujus rei perſæpe notatæ facere non poſſum, ut me non pigeat, atque adeo affectum hunc, qui vere ac proprie abſceſſus eſt, non patior, ulcus laxa & vulgari voce dicatur, equidem neſcius non ſum ulcus eſſe, quodcunque præter naturam hiat, verùm hæc generalis nimium vox eſt, ac tyronibus digna: ulcus verè non eſt, quod perennem & uberem non ex ſe quidem, ſed ex ambitu manationem eructat, rectius is ſinus, qui ulterior eſt character, appellandus videtur. Verùm enim verò placet maxime abſceſſum vocari, quo nomine dependens ab alio ſuus ortus arguatur id enim (ἀπὸ) vel (ab) præpoſitio terminum à quo, & radicem unde propagatus eſt non obſcurè arguit. A qua relatione ut non ſeparantur abſceſſus cum ſua cauſa conjuncti: ſic etiam voce tenus ſeparari non debent. Quod autem abſceſſus hic principio fuit cauſæ, materia, forma, generatio per me jam explicata monſtratunt, ac deinde etiam conditiones abſceſſus nunquam abjecit; ſed retinet adhuc firmè, quemadmodum auctor ejuſdem ſeu morbus, ſeu natura voluere.

An abſceſſus frigidus per congeſtionem hic fuerit, an verò per decubitum.

NOn difficile nunc dubitatio cadet in hominis cujuſpiam curioſi mentem; num à congeſtu ſit hic abſceſſus, quem ſecundum latus incurrit Illuſtriſſima puella. Enim verò cum hepar intemperatum quemadmodum jam conſtituimus, illi ſit; potuit humor ab ipſo genitus crudior à natura repudiatus, in vicino loco paulatim congeri ſic, ut demum in aliquam magnitudinem quantam vidimus, coacervatus fuerit. Non diſſentit autem hoc morbi genus à langueſcente habitu puellæ, quam audii ex Excellentiſſimo Prorege jam Hiſpan morbo gravi correptam in cachexiam, & in tumorem totius fermè corpuſculi cruriumque deveniſſe. Viſitur autem in hiſce affectibus hujuſmodi abſceſſus.

Accedit, quod planus tumor, concolor, indolens, crudus, intimè reconditus; ignavus, ut ita dicam, & uſque ad extremum ſedatus fuit. Præterea hic abſceſſus (quæ ſuperius dictorum omnium ſymptomatum cauſſa fuit) nullum caloris ſenſum exhibuit, & nulli inflammationi, pulſationive ſucceſſit; ſed tum ſe ipſum prodidit, cum in aliquem cumulum acervatus humor tumorem evidenter extulit; quæ omnia quidem congeſtus ſigna poſuit Gabr. Fallopius in 6. de tumorib. præt. natur. c.15.

Verùm his nil operantibus, tamen abſceſſus haud per congeſtionem evincitur propterea, quod ſequutus eſt febrem, cum qua neceſſaria conjuncta eſt inflammatio, materia autem, quæ hunc abſceſſum produxit, copioſa fuit, & acervatim fluens. Signa autem fuere dolores acres: gravitas circa latus, febris, atque vexatio; Atqui ſingulis hiſce ſymptomatis caret abſceſſus è congeſtu, nullo neque vigore, neque dolore, ſed neque febre, notatus, ut noſtra eſt obſervatio. Neque tamen hæc difficilia videri debent; quando, quod ſenſim fit, nullam invehit affatu dignam, at neque ſenſibilem immutationem atque moleſtiam, ſic neque rigor eſt, quandoquidem is humor ſeſe non tranſcurrit; febris potius à congeſto tuto ſucco, quam à paulatim defluente cieri debet. Confirmatur inſuper hæc opinio teſtimonio magni Hippoc. qui dixit abſceſſum præcedere labores, dolores, ac laſſitudines; quæ res quidem non inſunt abſceſſui per congeſtum. Experto autem principio generoſa puella fuit nonnullos dolores, ut retuli.

Sed neque aliquid facit, quod nullam externo tumore paſſa eſt inflammationem. Porro Galenus in l. de tumor. præt. nat. c. 4. ſcripta reliquit hæc; abſceſſus non perpetuo inflammationes ſequitur; ſed ultro etiam gignitur, & à principio; ſiquidem intro collectus humor temporis proceſſu partes excoriat, ac deducit. Verùm enim verò, ut hæc vera ſint; ſuppetit ratio, qua factum utrumque ſuadeatur; illo primum propoſito fieri poſſe, ut materia uno in loco jam diu collecta ſit frigida quidem primò, ſed poſtmodum acceſſione calida fervefacta, ſive quidem calida per ſe, ut bilioſa, ſive per accidens reddita calida, ut per infarctum computreſcentium humorem & naturæ nunquam vagantis agitatum, igitur ſi humoris hujuſmodi coacervatio ſit circa locum nobiliorem, & principi parti proximum; fieri, inquam, poterit, & non difficile, ut natura partes munere digniores levans, ad viliores alias partes humorem eum tranſmittat, quod factum alioqui vere demonſtraturus ſum poſterius, ut meam opinionem producam, quæ eſt. ſ. corcervatum alicubi diu ſuccum, computreſcentem ad aliam minus præſtabilem expulſum atque tranſmiſſum.

Criticus ne, an ſymptomaticus fuerit hic abſceſſus?

JAm autem quando, quid ſit hic affectus expoſitum eſt; qualis idem ſit, ediſſerendum ſuccedit; hoc eſt criticus ne, an ſymptomaticus. Criticus autem à noſtris

à noſtris dicitur, qui productus à natura materiæ translatione morbum ad ſalutem determinat, atque præjudicat: non aliter, quam decreto ejus, qui præſidet, reus abſolvitur: ſymptomaticus vero eſt, qui peculiariter à vi morbi, & ubertate materiæ proficiſcitur: neque enim natura ad eum producendum intervenit expellendi functione, præter quam irritata, & ad opus alienum, & quod ad ſe non attinet, exequendum per vim, & orgaſmo ſuccorum inſolentium compulſa, ſed nos ſupra plenius utraque diſcrevimus: igitur ſi nunc velimus utrumque dignoſcere cunctas in hoc critici leges expendamus oportet. Verè autem non videtur opus criticum, aut criſis fuiſſe, quod oſtenditur ſecundum criſis inculpatæ conditiones propoſitas à Gal. in com. 20. l. 2. aph. quæ ſunt videlicet.

Prima, ut fiat per inferiorem evacuationem magis quam per ſuperiorem abſceſſus, deinde per quam humor noxius, aut redundans, quam alius quiſpiam evacuetur. Tertiò, quæ recto fit tramite, quam quæ non recto. Quartò qui facile toleratur. Quintò qui fit cum concoctione, & in decretorio die. Hos omnes operum criſis numeros non habuit hic abſceſſus. Primò enim eſt in ſuperiore parte potiùs, quàm inferiore, & partis quidem ulceratæ oſculum exterius naturalem regionem attingit, interius verò extremum ad angulos aſcendit diaphragmatis; locus ſ. à quo putredo exhalans febriculam fovere facilè poteſt. Eſt autem hic locus opportunus in fluxionibus pectoris, in quem venæ ſine pari ſurculi privatè diſperguntur: unde licet facile ſuſpicari focum putredinis primarium fuiſſe circa hæc loca, ſic locus apparet minime laudabilis, & certè quis non exhorreat perfoſſum abſceſſu latus, in quod digitalis magnitudinis peniculus adaptetur.

Adde quod Franc. Valleſius in com. prog. ad alias abſceſſus boni conditiones requirit promptum effluxum, qui hîc certè deſideratur, neque haberi poteſt, utpote ſub cavitatem vadente ulcere, niſi valida, & vehementi abdominis, & ſubinde diaphragmatis, ut diximus, compreſſione.

Sed quod ad ſecundum caput ſpectat; eſt humoris morbifici nulla excuſſa ſubſtantia: etenim & morbum finiiſſet, & tolerantia ſequuta plenior fuiſſet; febricula abiiſſet, & omnes ægræ puellæ res meliores jam eſſent. Quo pacto autem ſint hæc, quando minimè cum coctione res acta eſt, quin imo ſi ritè ſummam ſubducimus, affatim magna cruditas à principio fuit, atque nunc eſt. Argumento eſt inſignis morbi contumacia: deinde cruditas in pure, cruditas in excretis, interdum etiam in dejectionibus; ſed maximè in urinis, quas mane ac veſperi cum ſucco crudo viſere conſuevimus; quid autem primam abſceſſus cruditatem non memoro, per quam unam nulla unquam apparuit in abſceſſu coctio; ſed immaturatio longa fuit tanta, ut vix ſe oſtendiſſet abſceſſus, niſi poſt longa tempora. Porro ut dicam, quod ſentio, non minus valuiſſe morbus, quam natura ſuper hac Illuſtriſſima Domina videtur: febris, urina cruda, & purulenta, abſceſſus, macies, fluxus ventris, & alia. Natura vero nullos aut ſudores, aut hujus generis expulſiones molita eſt; quæ poterant apprime conducere.

Sed, ut multitudinem abſceſſus expendam; quis quæſo non videt imparem ætatem novenni puellæ fuiſſe ad abſceſſum tot jam menſes inexhauſtum; deinde cui non diſpliceat, quod perirrhæa, quæ ad articulos abſceſſus, tum quidem futuros tum factos tollit; nihilominus in hac noſtra generoſiſſima languente neque abſceſſum anteverterit, neque minuerit. Hactenus quidem effectores, ac materiam abſceſſus prodidimus: forma jam reſtat, de qua Hipp. l. 6. epid. ſect. 1. text. 31. tubercula foras extumeſcentia, & acuminata, in turbinemque gracileſcentia, æquabiliter matureſcentia, non circum dura, declivia, & non bifida; meliora, contraria verò mala. Atqui tumor minime acuminatus, aut declivis, ſed planus, & retuſus fuit: ergo malus & ſymptomaticus: non criticus verè fuit neque ulceratus. Porro cruda & incocta, ait idem Hippocrat. l. 1. epid. 2. & in malos abſceſſus converſa aut judicationis ablationem, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivas denunciant.

Tertiò interna ratio critici abſceſſus non adeſt, quæ eſt, ut oſtendimus, humoris translatio, nempe ſi verum eſt, ut veriſſimum apparuit, ſedem malo primam diaphragma fuiſſe, & infimum hoc quidem, atque ubi primo conceptum eſt, ibidem etiam conſedit, & hoſpitatum eſt vitium, notam autem omnino bonam oſtendemus proximum eſſe abſceſſum morbi domicilio: quare deficit & hac lege alia criſis.

Quartò quod ad finem inſtitutum abſceſſus pertinet, neque levaſſe, viſus eſt admodum: quando & febricula eadem & macies perſiſtat, quod ſi aliquam euphoriam adſtruat quis, id quidem non ulceris, ſed potius perirrheæ meritò tribuerim, quemadmodum paulo poſterius explicabo, deinde ſi levamentum concedamus abſceſſui relatum, id quidem per accidens admittamus oportet: quia manans, extrorſumque effluens colluvies morboſa ſe ipſam minuit & exhaurit, non quod naturæ fuerit hæc procuratio.

Hæc quidem omnia non difficulter ſuadent abſceſſum ſymptomaticum fuiſſe, quod equidem admittere non dubito, ſi de abſceſſu per decubitum, quo fiſtulatum eſt latus, quæſtio ſit. Verùm ſi effluxum alterum ex adverſo ſpectemus; mea eſt opinio criticum illum eſſe, propterea quod non aliis quàm curatricis naturæ viribus factus eſt: quæ vias accommodatas excogitarit ac delegerit; quæ per vaſa utilis humoris receptacula purulentam ſubſtantiam ſecernat, quæ ſtudioſe accurateque diu noctuque propellat, & maxime quum exitum per ulcus materia non habuit.

Confirmat autem illud præclare admodum & ſingulariter, quod l. 1. epid. ſect. 2. propoſuit Hippoc. multi urinas profundebant cum dolore bilioſas, aqueas, purulentas, abradentes, ſtrangurioſas, quæ tamen nephriticæ non erant. Quod ſi plurimi unquam evaſerunt ea perirrhæa, quæ gravis, & acerba fuit ſub mala illa tempeſtate conſtitutis; quid hæc expurgatio, quæ nullo cum dolore, neque anxietate conficitur? Vides hoc pacto conſpicue criticum hunc effluxum eſſe, ſicut alioqui ſymptomaticum decubitum. Atque adeo tum criticum, tum ſymptomaticum abſceſſum ἐπικοινῶς aſſerere licet, diverſa tamen hac, aut illa ratione, ſicut audiſti, quamquam eſt contra Ludovicus Duretus in l. 2. Coac. præn. c. 4. §. 45. per hæc? Natura, ſi ſua ſponte res gerit abſceſſum alterutrum procurabit, non utrumque & decubitu factum & effluxu: verùm non injuria ſic Duretus, qui de abſoluta & perfecta criſi pronunciatum id voluit, non de optabili quacumque omnibus autem modis purulentus is effluxus immeritam mali puellam ſervavit, ut equidem judico certus, ſine ipſo ſuccubituram, ut mihi quidem viſi ſexcenti Neapoli ſuccubuiſſe, ſalutaris ejus effluxus expertes. Recte igitur Yuannes Doctor Hiſpanus, qui ſummam in hac expurgatione fiduciam ponebat, Excellentiſſimam puellam curans. Sed en, quod Hippocrates prodidit modo citato loco Coacarum §. 11. Tumores hypochondriorum recens obortos inflammationis expertes,

expertes, & inde dolores natos ſolvit borborygmus fremens ſub hypochondrio; maximè ſi aut ipſe per ſe ſecedat, aut cum urinis & dejectionibus; quin juvat is ipſe ſi modo deſcendit. At qui ſimile habet noſtra cauſa; nam & urinæ dejectioneſque quales diximus, extitere.

Præſagium.

PRæſagium nos eventus venari volentes, complura ſuadent, ut deliberatè ſalubrem concipiamus; totidemque etiam ſunt, quæ ſpei tutę nonnullam diffidentiam offundunt, illa quæ terrent ſunt hæc; in morbo longo tum naturæ imbecillitas, tum vis morbi, quæ morbi virium exuperantia cognoſcitur ex abſceſſu ſymptomatico, & excretione ſymptomatica, talibus à me judicatis propterea, quod à materiæ morbificę copia videntur profecta, deinde quia neuter abſceſſus, id eſt, cum excretorius, tum per decubitum inclitam puellam non levarunt febricula, quæ & ſuo etiam nomine periculoſa eſt, ne per hanc longè progredientem diſſipetur humidum nativum particularum, atque adeò corpus tabeſcat, præterea abſceſſus, & excretiones iſtæ per urinam perpetui majores videntur, quàm ut à puſillis naturæ viribus tolerari, aut vinci poſſint, in quam rem Ludovicus Duretus in lib.3. Coac. prænot. tit. de urinis num 5. ait; longa tempora, & multi labores morbi infracti, tum colliquatio mala naturæ, abſceſſuum cauſæ ſunt, vel minorum, quàm ut prodeſſe poſſint, vel etiam ſæpe majorum, quàm, ut perferri queant. Ipſa autem irrita proritatio in nulla ſpe criſis, nec judicata prius, ut certè indicari non poteſt ſine morbi infractione diebus indicibus; ſemper cietur diſcriticè non rarò etiam funeſtè.

Neque etiam diſſimulandum illud eſt, quod ſcriptum reliquit Hippocrat. ſect.2. Coac.c.11.§.8. Abſceſſuum lethales ſunt illi qui pus effundunt intro. Namque Duretus ait, hypochondriacarum partium ſuppurata diffuſa, ut omnia ferè ſunt impura, ac magis à corruptione nata, quam à pepaſmo proptereaque peſſima, ut ne dicantur lethalia, ſic etiam majore motu terrifica eſſe ſolent, effuſione non tam purulentæ, quàm virulentæ materiæ, quæ introrſum delata non minus ruinoſa etiam partibus, quam illis, unde manat, noxam contractam oſtendit.

Ad hæc §. 14. de hypochondriorum abſceſſibus ait Hippoc. quæ cadunt in hypochondrium dolorifica mala, tum aliàs prava ſunt, tum vero ſi faciunt profuſiores alvos: propterea quod ferantur chiloſæ feces ab inflammatione jejuni, aut ſanioſa proluvie, cum ab inveteratione cauſſæ morbificæ tam tædet hepar ſui officii. Ita Duretus in eo loco. Atqui obſervatum eſt, ſæpe generoſam puellam in dies ferè tentatam liquidis fluxionibus alvi, & tunc quidem liquido chyloſis nunc ſubobſcurè. Itaque non contemnendum eſt teſtimonium, hypochondriacum abſceſſum eſſe, quo correpta eſt Illuſtriſſima puella.

Verum confirmant noſtram ſpem aliqua ab eodem Hippocr. prolata. Primum ex Coacis etiamnum illud proximè ſuccedens; ſed tamen eorum quæ introrſum feruntur, optimum quidem illud, quod neque dolore neque tumore, neque colore conſpicuum quicquam foris exhibet, contrarium verò peſſimum. Vide autem, quæ in hæc Ludovicus Duretus. Deinde Hipp. eod. tit. de hypoch. §. 1. hypochondrium eſſe decet molle, doloris expers æquale; tale autem ſemper decumbenti noſtræ, tertium illud in l. 4. epid.22. an judicent autem maturi in morbis abſceſſus ſignum eſt, ſi dum fervida ſunt mala non febricitarint, & cum moleſta ſunt, facile portarint. Videtur ſimile quiddam eveniſſe generoſæ puellę.

Cui, quantum ipſa faſſa eſt, atque ex functionibus apparet; nullus ſibi dolor, neque noxa eſt, præterquam hæc tria modo memorata, id eſt, ulcus, urina lurida, & febricula dictant, ſed enim febricula putribus hæret humoribus; & crudę illi pituitæ redundanti, non ſolidarum partium ariditati, noctu dormit, & alia ſigna ſecuriſſima habet.

Sed illud Franciſci Valleſii prognoſtica exponentis ante omnia placet, quod eſt; inter omnes pueri habent ſępiſſimè abſceſſus: quia ob voracitatem congerunt ſuccos craſſos, & habent per eam ętatem magnum facultatis naturalis robur. Id autem, quod maximè noſtros animos in ſpem erigit, rei ſimilis eventus relatus à Marcello Donato in l. 3. mirabilis hiſtoriæ medicæ c. 9. cujus hominis & ſi aliquanto fuſiora ſunt verba libet, ut Illuſtriſſimo Excellentiſſimoque Proregi puellæ amantiſſimo parenti gratificemur; hoc producere; Vidimus Mag. Domini Romani Aragi amiciſſimi noſtri nepotem annum duodecimum natum poſt diuturnam à capite ad pectus decumbente fluxionem, in qua in maciem univerſi corporis indeficienter aſſociante perductus fuit, derepente in ſævam pleuritidem delapſum, qua ſuppurata per tuſſim ſanies plurima excreta, nihilominus ejuſdem affatu digna quantitas collecta in interiori thoracis cavitate; cujus expurgationem dum omni ingenio tentaremus, ſubortus in eadem parte inter quintam, & ſextam coſtam tumor inſignis ab internis partibus ad externas protuberans, qui ſuppuratus eſt; apertus non ſolum ex tumore ipſo ſed & ab interna cavitate pus fluere cognovimus; qua de re opportunis medicamentis applicatis, & ſyphone injectis, liciniiſque, & turundis foramine ampliato, & adaperto ſervato per multos dies, tandem argenteâ cannulâ impoſitâ ſanies quotidie effluxit, qua ceſſante cannulas dempſimus; conſolidatum ſponte foramen, & puer impinguatus priſtinam ſanitatem non ſolum recepit, ſed & habitum meliorem corporis adeptus eſt. Hæc ille, cui ſimilem etiamnum pueri hiſtoriam feliciter ex umbilici abſceſſu ſanitati retulit Diomed. Cornarius.

Sunt jam pro ſpei, metuſque cauſâ relata bina pręſagia; verùm non ita ut noſtram ſententiam deliberatè aperiremus, hoc igitur ut liberè faciamus; illud primò diſtinguimus, eventuros caſus morborum eſſe triplices, ſententiâ Celſi lib. 5. c. 26. inſanabiles; promptam curationem habentes, & difficilem. Equidem aio, è neutro externo genere affectionem hanc, ſed ægrè curabilem eſſe ſic, ut periculoſa ſit, ne vires evacuationi tam multæ ſuccubituræ ſint, & colliquatio ſit à febricula ſequutura, nihilominus nil vacillans, ſed Hippocr. moniti reminiſcens ſtatuam; Abſceſſus ad ſuppurationem, & circa laterum mollitudinem diuturnos, atque ægrè curabiles. Quoniam autem ita tempus definitur, non exitus; ſi finem atque modum urges, enunciem: eo propoſito quod docuit Joannes Heurnius citato loco, in cruda, & contumaci materia & meatuum anguſtia non criſis quidem, ſed abſceſſus potius fit, modò natura viribus integris propugnet; ſi illa fatiſcat cachexiam expecta & corruptionem; niſi tamen poſtea exacerbentur, ut in Cleonactide octogeſimo, Revoco in memoriam puellam hanc ad augmentum properare virium, & ad caloris nativi modum acutiorem. Itaque fieri potuerit, ut adveniente majori robore naturę crudiuſculam hanc materiam ſubigat, concoquat, expellat. Adjuvabit autem ad hoc rei proximum ver, quod hoc noſtro cœlo eſt tepidiſſimum,

& ſuaviſſimum. Favebunt & remedia, quæ mox referam annuente numine. Sed prius indicationes inveniamus.

Indicationes curandi.

QUoniam quidem principio conſtitutum fuit, caput, & ventriculum huic Illuſtriſſimæ puellæ non nihil à mediocritate qualitatum, & æqua temperie receſſiſſe, debilitatemque nonnullam adſciviſſe, unde cerebrum quidem fluxiones ad ſubjectas partes ſæpè mittit; ventriculus vero, & naturalis hæc œconomia diminutè concoquit; unde è cœliaca interdum, & crudum in urinis excrementum emanat; interea verò ſic ulcus, & febriculam obſtructiones in infero ventre, fovent; Ob hæc conſentaneum rationi fuerit, & maximè requiſitum, ut caput & ventriculus roborentur; quo vividior redditus, calor nativus, alimentum & primum, & ſecundum, tertiumque concoquat; emundet ſuperfluitatibus ventres ductuſque; ut quæ inde alitur febris retro ſublabatur ac deleatur.

At ulcus interim ut coaleſcat, debent exhauriri fomenta, purgari ambitus eidem, & intemperies omnes eximi.

Curandi ratio.

HI quidem omnes ſcopi multa, & gravia remedia poſtulant; Verum quia tenuiſſimo corpore viribuſque puſillis eſt quaſſata bienni malo puella, commodum fuerit, & maximè commendabile; ſi & paucæ numero ſint medelæ, & ſine vi præſtabiles & efficaces; adhæc magis ut naturam defatigatam & languidam inſtaurent, reficiant, roborent, atque confirment, quàm conturbent, vacuent, faſtidiant, & humores cum vi percellant. Sunt quidem aſſumenda per os pharmaca; quæ craſſa incidant; obſtructa reſerant, ſuperflua vacuent; ſed lenia ſunto, & quæ à natura non inique ferantur. Hujuſmodi fuerint ſerapium Nicol. Florentini compoſitum è cichorio, &c. qui omnibus noſtris votis ſatisfaciet. Hoc ad omnia vix aliud inveneris præſtantius; poterit autem ſi libeat duplicata doſi commiſceri rhabarbarum, quod tam probatum eſt, & à doctiſſimo noſtro Archiatro audio tam impenſè laudari. Hoc in hebdomada bis aut ſemel modica licebit offerri portione, dum interim aqua decoctæ rad. chynæ & ad febriculam, & ad maciem tum in prandio, tum in cœna potarit. Roborabitur caput interne Zelapio myrobalanorum, vel myrobalanis ipſis conditis chebulis; externe ad ſtephaneam emplaſtro dialimacum Alexand, Tralliani; ſtomachi regio gummi tachamahacæ emplaſtro, quod miris laudibus exornant rerum Indicarum ſcriptores. Hiſce medicamentis tranſiget hyberna, quæ reſtant, tempora; Appetente autem jam vere, & menſe Maio, & Junio cum erumpent Ænariæ remedia, ad hæc accedito, puella mergenda in multos dies Balneo Gurgitelli, cui miræ ſunt dotes reſtituendi lapſa corpora, vendicantque à malis multiplicibus. Porro naturalia non immeritò dicta ſunt hæc remedia, tum quod naturales vires habeant inſtaurandæ ſalutis humanæ; tum quod naturam corporis languentem ab omni periculo tueantur. Has ob res confidenter his uti præſidiis debebit, fiet enim per hæc ritè rectèque adhibita, ut optatam opem ſentiat.

Poſt hæc in balneum, quod dicitur, fontanæ triduo ſe demerget; cujus aquæ natura medicatæ corporis omnem intemperantiam coæquare creduntur.

Hanc equidem confido futuram rationem, quæ digniſſima ſalute puella pleniſſimè convaleſcat, & ſua parentes Illuſtriſſimos, Excellentiſſimoſque & nos omnes addictiſſimos ſuos homines compleat immenſum duratura lætitia.

Exitus morbi ſupremus.

HOc quidem univerſum noſtrum affectionis examen judiciumque fluit, nulla ſui parte, ſic me Deus amet, immutatum, neque recuſum hoc tempore, quæ inclinatio eſt morbi. Cujus ejuſdem ſtatus præſens ne in ancipiti relinquatur, docendus eſt quiſquis hiſtoriam curioſè legit. Scire igitur licet Excellentiſſimæ puellæ hodie, qui 10. eſt Martii, poſt multa quidem abiit febris, obductumque eſt ulcus ſua ſponte, neque impeditum propterea, quod nil ad dies 22. manaret, contractumque in ſe apparuit, ſed nihilominus lotia necdum hypoſtaſin abjicere limoſam interdumque violentam; quam rem advertens doctiſſimus Santorellus, & expurgandum reſiduis ſuperfluitatibus corpus, & lac aſininum ſerumve caprinum propinandum propoſuit; aliis volentibus totum naturæ negotium permittendum cauteriumque excitandum. Sed hi quidem in tibia, hi verò in brachiolo, capiti conſulentes excavandum volebant. Ego præter hæc uſum aloes lotæ in catapotia, quod præſtantiſſimum adverſus urinarum virulentiam à Carolo Cluſio hiſtoriæ ſtirpium exoticarum ſcriptori poſitum eſt medicamentum planè mirificum, nec non decoctum ruſci, quod ad ducendas urinas à Dioſcoride propoſitum eſt, laudavi, cæteris omnibus ad primam meam ſententiam remiſſis.

Atqui his extremis diebus ſaturnalibus, ſtatus fuit uſque ad nonas Aprilis, quæ menſis aut paulo amplior intercapedo fuit, quo tempore non adhuc plenè obducta cicatrice (quod equidem aliquando ſuſpicatus fueram, ſed ne malum ominarer aperire abſtinui) dirupit ex improviſo nocturna manatio, qua faſciolæ & interula non leviter maduere: verùm tamen ſine ulla vel præcedente, vel ſubſequente febricula, vel dolore: & quæ vetus non tam admiratio, quam obſervatio noſtra fuit: puriſſima, & inculpata urina mane prodiit, non ſic autem poſtridie, ac deinceps, quibus diebus non tantopere manavit ulcus, quod tamen expreſſo ambitu non nihil reddidit exili forulo, ac vix aſpectabili. Interim puella nil ulla parte mutari, vel quid incommodi ſentire, ſed quaſi nihil obtigiſſet, læta vivere, colludere cum ſuis, & jocari, ſalire etiam rithmice & curſitare, ſicut animi gratia fit & agilis eſſe, quod excellentiſſimis parentibus nullo non ſolatio fuit.

Adeò ſ. ex crudis ſuperfluitatibus, & in locis ventriculo affinibus manatio: hæc ſubputrida proficiſcitur, ut equidem principio ſtatui; neque aliquid in dies novum apparet aut fit, quod noſtram de affectus ſede, deque affectus generatione opinionem etiam atque etiam non confirmet.

De

De abſceſſu per Congeſtum. Liber unus.

MARCO AVRELIO SEVERINO AUCTORE.

Commendatoria libri præfatio.

SCriptores, qui de re medica, miſeraque ægrotantium ſorte bene mereri ſtudent: eos maximè affectus enarrare, rectèque curandos docere debent qui plurimum, ſeu gravitate, ſeu contumaciâ torquent, de mediocribus malis ſatis eſſe poſſunt, quæ vel unuſquiſque tradiderit. Non eſt, me judice, leviter, & obvia quaque mentis cupidine, inficienda pagina. Quæ plurimi momenti ſunt, ea dumtaxat ad poſteros ſunt tranſmittenda. In re medica chirurgicaque, qualem hodie faciunt, vitium eſt ſolenne multorum in his, quæ perviæ ſunt notitiæ laborem, & operam ponere; quæ remotiora ſunt à vulgata plurium comprehenſione non attingunt, itaque tumores ſecundum quaternionem unum humorum ordinariæ ratione conſcribunt, atque diſceptant: ſelectiores, & uſu vel dignoſcendi vel curandi difficiles minime perveſtigant, aut tradunt, calidos igitur unuſquiſque verſat, & qui ſunt per influxum, frigidos: at verò qui privatè creantur congeſtu, neque norunt omnes, neque aliis noſcendos, eſt qui curet, deſideratur autem hæc contemplatio non parum, tum quod obſcuri ſunt hi, tum quod mediocri diligentia tractati vix elevantur quicquam, & infringuntur; nimirum obſiſtentiore cauſa nituntur. Horum igitur comprehenſio cum tanti referat curando; viſi nobis ſumus operæ pretium facturi, ſi quæ comperta ſunt nobis è re iſta, noſtros homines, qui dignarum rerum ſtudio tenentur, non celarem: verùm accommodate quantum licet, rem aperirem: licet autem brevi & ſimpliciter: nam ſatis eſt indicaſſe neceſſaria, porro non mea fuit unquam ſcribendi ratio, quæ non ſummopere in rem faciunt undique corradere, & comportare, veluti qui ſtomacho, & gulæ quæcumque ſapiunt, immittit vorax: ſed faciam, ut qui ſobrie tantum accipit, quantum eſt ſatis.

CAP. I.

An ſit ejuſmodi congeſtio.

EST noſtrum argumentum tumor à congeſtu: cujus theſis particula prior quantum exploratiſſima eſt, tantumdem obſcura eſt altera, quæ judicio meliorum eſt coacervatio humoris vitioſa, paulatim in aliqua parte corporis facta, dum tumorem creet, res inquam adeo comperta, ut fictitiam & imaginariam cenſuerit Joan. Argenterius: cujus quidem rationes niſi nos audiamus principio, fruſtra fortaſſe noſtrum totum opificium extruamus: præſertim quando ſunt ejuſdem firmamenta tam ſolida, ut rem videantur eviciſſe, præterquam quod hæc controverſia & alio nobis utilitatis uſu cernenda eſt, nam quemadmodum ex chalibe, ac ſilice colliſis invicem ſalit ignis; ſic ex diſcuſſa plurimum & exercita duarum opinionum ambiguitate, vivida quæſiti veritas elucefcit.

Eſt Argenterii prima ratio deſcripta in commentariis artis medic. quod novus hic in partem caſus tumoris, non à parte oriri verè cenſendus ſit, quandoquidem hæc ſibi ſimilis fuit: niſi autem fuit perpetuo, ac paulo etiam ante ſimilis; unde quæſo nova illa labes fuit? Si ergo conſtans diu ſibimet ipſi fuit pars; huic extrinſecus ægrotandi fuit occaſio, non intrinſecus, igitur ab affluxu, non à congeſtu. Rurſus ſi vitio corruptæ nutritionis ſit tumor parti, quomodo idem non & interiori ſubſtantiæ partis innaſcitur, ſed externe inducitur? Item quomodo non excreſcit in immenſum, ſi non emendatum eſt ſemel nutritionis ejuſdem vitium? Has ob res contendit hic vir figmentum hoc eſſe rationis; non conſtans opus; à quo errore maximè cavere jubemur, monito Hippocr. lib. de decenti ornatu, & l. de præceptis.

Hæc, & alia quædam congeſtionis evertunt modum, nihilominus Galen. 2. de diff. febr. c. ult. & 13. meth. c. 3. & in c. de therapia per ſang. miſſion. & l. de cauſis morb. c. 7. imprimis verò in l. 2. ad Glauc. c. 10. perſpicuè profitetur, & congeſtione, & defluxione procreari tumores, his certè verbis; ſive inflammationibus etiam abſceſſuum affectio conſtitit ex multitudine quorumdam humorum, aut ſpirituum vaporoſorum, ſive in ipſis patientibus partibus generentur, aut ex aliis confluat ea ratione, qua fiunt illa, quæ decubitus vocant.

Nec tantum Galen. ſed & exteri, & contrariæ factionis viri congeſtionis rationem tuentur. Primum nomino Fernelium virum, qui Galeno nulla in re parcit l. 7. pathologiæ cap. 1. hæc ſcribentem. Congeſtio præter naturam ſenſim fit ex humoribus in partem alimenti vice diſtributis. Quum enim pars vel ita imbecilla eſt, ut id ipſum corrumpere, nec genita excrementa à ſe propellere queat; neceſſariò prærer naturam congeſtio quædam fit. Meminit & per congeſtum tumoris Ludov. Duretus graviſſimus enarrator Hippocr. Coacarum prænot. l. 11. c. de hypoch. §. 2. cùm tumorem definiens ait; Moles contra naturam, vel quæ humoris affluxu vel congeſtione aſſurgit. Hujus etiam ſententiæ videtur, & Avicenna c. 1. ſen. doctr. 2. & c. 1. ſent. 4. do. 5. c. 25. & hunc autorem ſequuti enarratores omnes Dinus, Gentilis, Jacobus de partib. Nicolaus & Thadeus in artis medicæ l. 3. tex. 155. Petrus Aponenſis in commentariis ad probl. Ariſtot. ſed quid medicos nomino, quos poſſem numerare quamplurimos? Favent & ipſi Philoſophi. primus Averrhoes qui l. 7. colliget c. 5. inquit, apoſtemata generari in membris duobus modis, uno modo quando expellitur vel defluit ad aliquod membrum humor: Alio modo generantur apoſtemata, quando membrum non poteſt dirigere cibum, quod ei mittitur, nec ipſum permutare in quantitate aut qualitate, nec ipſum poteſt expellere, tunc materia augmentatur in membro illo taliter, vel accipiat dilationem in omnes tres dimenſiones, & extinguitur ejus calor naturalis ejuſdem membri; & generatur in eo calor præternaturalis, propter neceſſitatem materiæ extraneæ.

Sed & ipſe Ariſtot. ſect. 9. problem. ult. ut & Nicolaus Florentinus interpretatus eſt, collectionem humoris citra defluxum confirmavit apertis verbis, quæ non erit abs re plenioris teſtimonii gratiâ recitare. Cur ictus (ait philoſophus) tumorem livoremque ſuſcipiunt? An quod de loco percuſſo humores in loca proxima ruunt? in quibus offendentes retorquentur. Itaqoe conjuncta conglutinataque humorum copia, tumor per collectionem exurgit, &c. in quo loco Petrus Aponenſis tradidit & ſuam ſen-

tentiam, quæ eſt. Fit tumor in parte vulnerata, quia cùm membrum ſit infirmum, fit aliorum membrorum ſuperfluitatum receptivum. Rurſus, quia ſuum non poteſt dirigere nutrimentum, & ſibi aſſimilare, convertitur in ſuperfluitatem apoſtemantem &c. Ejuſdem ferme ſententiæ fuit & Jul. Guaſtavinus Profeſſor Piſanus, philoſophus & medicus ætatis noſtræ præcipuus. Habes jam philoſophorum medicorumque ſuffragia: quibus omnibus conſtabilitam de neceſſitate congeſtionis opinionem, velis ipſe propter unum diſſentientium Argenterium non amplecti? objecta autem hujus viri dilues facile; ſi non dubitaveris illud firme tenere, quod eſt non è partis vitio præciſe humoris evenire generationem: ſed ex adveniente etiam alimento, aut recremento ejuſdem tùm modice, tum etiam maxime peccante cieri congeſtum. Conficeret autem argumenti vis, ſi quando nos à parte tantum formaliter vitium evenire ſtatuiſſemus, ad illud autem, quod excitaretur intimæ partis ſubſtantiæ tumor: equidem dico, & ita interdum evenire, ut in abſceſſibus oſſium quæ & apoſtema pati controverti quidem acute, ſed non negari vere poteſt. Ph. Ingraſſiam legite ea de re l. de tumor. præter natur. Sed & Conciliatorem diff. 96. demum quod ad illud attinet; quod excreſceret in immenſum tumor, ſimiliter & hoc aliquando fieri concedimus. Nempe videre licet Neapoli nuptam in ilio cujuſdam egeni, quæ utrem ex arietis corio æquat.

Cæterum Argenterius neque meminiſſe videtur ejus congeſtus, qui debilitato jam, ſed ſano poſt ictum membro diutiſſime ſuccedit. Hunc autem ſi inficietur nemo eſt, qui pervicaciæ intolerabilis hominem non inſimulet.

CAP. II.

Congeſtûs aliquot genera, & tumorum ejuſmodi plurimorum enumeratio.

HÆC pro defendendo communis ſententiæ congeſtu produxi jam non dubius, quod impar tot virorum teſtimoniis, unius Argenterii appareurit opinio. quòd ſi quis homini ſuffragatus obſtinate placitum ejus retineat: an ne igitur ex toto, rogaverim, congeſtus nomen eſt abolendum? An verò ſecundum idem nomen non diſplicebit fortaſſe quod poſſit eſſe congeſtus quidam cum pauciſluo aliquo, ſed longo defluxu ad hunc modum. Hippocr. 3. epid. & Lud. Dureto in lib. 2. coac. c. 11. §. 10. duplex eſt fluxus ὁρμώμενος καὶ στηριζόμενος, id eſt, concitatus, & conſiſtens. Concitatus quidem eſt, qui paulatim, & ſenſim, ſed neque ſenſibiliter fit adeo, ut poſt multum temporis eandem non ante aſpectabile cognoſcatur ejuſdem incrementum. An igitur hos ex lento affluxu congeſtus conceſſerimus. quid ni inquam? ſed appellativos, & ut dicunt denominative generationis via productos tumores plane quam plurimos, quos poſtea recenſebimus, admiſſos, ut videtur à Fallopio l. de tumor. c. 15. Joannes quoque Heurnius in comment. aph. 60. l. 6. congeſtionem mucorum in iſchiade cognoſcit.

Poſt hos erunt & alteri proprie dicti: id eſt: quos legitimus, & evidens congeſtus conſtituit.

Tertii autem erunt utriuſque, id eſt, tum influxus, tum congeſtus veri participes, & promiſcui.

Quarti dubii quidam fuerint, id eſt, num hujus, num illius ſoboles.

Hæc equidem ita diſtribuere viſum eſt, ut cunctis medicæ rei ſtudioſis unum quemlibet iſtorum ordinem veniente uſu diſtinguere, diſcernereve ſit facile: placuit autem eadem doctrinæ perſpicuitate, atque evidentia ſingulorum digeſtis quaſi tabulis ſeriem aliquam exponere ad hunc modum.

Ex paulatino, quem dicunt, influxu.

Rhæas.
Palpebrarum ſcirrhi, Verrucę, Chalazia, Ordeoli.
Polypus, & verrucæ narium.
Strumæ, glandulæ, bronchocelæ.
Hæmorrhoides vulvæ, condylomata, mariſcæ.
Therminthi, tophi articulorum.
Unguium fici.
Sciṙri, & verrucæ partium extremarum.
Ganglium Æginetæ.
Tubercula in ulceribus ſubnaſcentia per hyperſarcoſin quandam: cum quibus ulceribus tum fiſtulas, tum vulnera comprehendo.
Verrucæ unguium.
Cornua.
Cercoſis, nymphomegthos, Mola ſcyrrhoſa à crebro, tædioſoque partu.
Perniones, & calli pedum.
Luis venereæ gummi.

Proprie dicti.

Tumores ex imbecillitate partis etiam poſt longum tempus ictæ.
Atheroma, ſteatoma, meliceris, ut ſentit Fallopius tr. de tumor. capit. 4. & cap. de nodis, quod eſt ordine XV.

Promiſcui.

Tinea.
Parulis, epulis, Ventoſitas ſpinæ.
Napta vaſtiſſima.
Thymia.
Varices.
Scroti recidiva ad hydrocelem, & ſarcocelem.
Talpæ, & Teſtudo.
Abſceſſus frigidi vulgo dicti.

Dubii.

Hydrocephalon.

CAP. III.

De materia congeſtûs propria.

QUidam opinati ſunt congeſtionis nullam eſſe materiam formâ gaudentem humoris, ſive nutritii, ſive excrementitii naturalis, ſed omnino eſſe ſuperfluitatem improbam, quem reduci tamen poſſit in formam humoris analogi ad alimentum, cujus eſt ſuperfluitas ſecundùm quam analogiam quædam ſuperfluitas dicetur климоſa, quia refert naturam bilis, deciſa ſ. de alimento maxime bilioſo: Alia ſuperfluitas eſt ſanguinea, quæ referet naturam ſanguinis, deciſa ſ. de alimento maxime ſanguineo. Alia eſt ſuperfluitas pituitoſa, quæ referet naturam pituitæ, deciſa ſ. de alimento maxime pituitoſo. Alia demum eſt ſuperfluitas melancholica, quæ referet naturam melancholiæ; deciſa quippe ab alimento maxime melancholico. Profecto ſcripſit alicubi Avic. ſuperfluitatem omnem referre ſemper id, cujus eſt ſuperfluitas.

Alii voluerunt, materiam congeſtam eſſe ſuperfluitatem unam è tribus humoribus: puta bilioſam, pituitoſam, melancholicam, at non certe ſanguineam: ex hac enim materia nequaquam dant fieri congeſtione phlegmonem. In quam rem, inquiunt, inſpiciens Galenus 13. meth. m. dixerat phlegmonem omnem ex defluxu fieri ſanguinis. Quem locum ex adverſo interpretantes alii, quorum primo facta eſt mentio: dicunt id intelligi ſecundum plurimum fieri phlegmonem ex defluxione; raro autem congeſtione.

Alii tertio crediderunt congeſtionis omnem materiam eſſe pituitoſam ſuperfluitatem, perſuaſi ab eo, quod potiſſime congeſtionis cauſa eſt imbecillitas partis, quam imbecillitatem copia ſequitur pituitæ,

non

non aliorum humorum. Interim non advertunt hi materiam, quæ in cavitatibus, & conceptaculis corporis communibus acervatur; poſtquam audacta capi ab his aut contineri non poteſt, refundi ſtatim ad cavitates, & poros loci particulares: & hinc conjectam excitare larga congeſtione tumorem. Horum mihi ſententiæ omnium probatiſſima videtur.

Hæ materiæ ſunt congeſtus ſecundùm ſententias aliorum: qui tamen hæc aſſerentes intellexiſſe videntur ichores humorum, qua autem cauſa certum non eſt. at fortaſſe, quia tenuiore ſubſtantia minime videntur accommodati, ut loco conſiſtant, & compingantur: ad quem effectum craſſities, & lentor apprime facit, ſed enim poſſunt ichores ex craſſis humoribus deducti, tum conſiſtere, tum adhærere; præſertim cum extra locum proprium refriguerint, dicuntur autem hi tenues non ſimpliciter, ſed ad ſuas primigeniorum humorum ſubſtantias comparati, nam & ſudores craſſi ſunt interdum; etiamſi dicantur ichores: itemque puerorum achores, ceria, favique ſunt quidem ſanguinis, & humorum ichores; tamen craſſi ſunt ita ut cruſtulas, & ſquamulas producant, denique ichores humorum mali ad externum habitum corporis propulſi, cutaneos affectus, graves, & contumaces parere conſueverunt, qui non fierent utique niſi craſſitiem nonnullam haberent iidem. Jam igitur ſi craſſities requiritur congeſtibus, & hæc ichoribus non deeſt, poteſt & ex ichoribus congeſtum eſſe materia. Atque hactenus naturalis omnis humorum ſyſtaſis ſubſtrata jam apparuit congeſtibus, & comparata.

Præter hæc autem & ſpirituoſam horum affectuum interdum dari materiam non eſt; quod vetet; deprehendi autem hujus rei notitiam, quod ex ictu debilis reddita pars reſtat inflata diu, atque etiam in longam ætatem, & perpetuò: quæ res evenit Reverendo Sacerdoti Benedictino D. Petro Neapolitano, cui ex fortuito caſu diruptum tranſverſum mentum, qua dentium & barbæ confinium eſt, coalito jam ulcere poſt multos annos reſtitit œdemate, ut multis remediis tractatum inſigni perduret extumeſcentia notabile.

Superſunt humores à natura alieni, & jam putres, quos dubites, num ad congeſtum facere poſſint; ſed videtur tamen affirmandum propterea, quod tubercula exurgentia in ulceribus ex congeſtu ſæpe; non ex influxu videntur profecta. Item eorundem ulcerum ſordes, quemadmodum obſervatione quotidiana comperimus & ipſe in tuber coaleſcit, ad hæc humores venereæ luis inquinamenta etiam in congeſtum abductumque mediorum oſſium abire faſſus eſt. Gabriel Fallopius princeps noſtri ſæculi phyſico chirurgus.

Eſt & inter hæc ventoſitas ſpinæ connumeranda, tumor ex congeſtione naſcens humoris putridi, partim pituitoſi partim ſanguini reſpondentis. Argumento eſt, quod vitium pueris eſt familiare, de quo, ſi dabitur, etiam poſt hæc tractabo.

His oſtenſionibus omnibus conſtat, vix aliquem eſſe ſuccum à natura alienum, qui congeſtionem ad eum, quem dixi modum committere non poſſit.

CAP. IV.

De cauſis effectricibus.

HUcuſque de his fere, quæ pertinent ad materiam pleraque diſputavimus; ſuccedit nunc ut cauſas effectrices explicemus, quas effectrices quoniam quidem ante dixeramus facultates particulæ malæ affectæ præſidentes: tempeſtivum erit in præſens definire quarum vitio fiat congeſtus, neque enim omnes autores una in re conſenſerunt, & in varias ſententias abierunt. Galen. enim primus & hunc ſequutus Avicenna, locis à me principio recitatis, cauſas non agnoverunt alias, quam imbecillitatem concoctricis, & expultricis facultatis ad particulam incubantis. Alii verò, inter quos eſt Jacobus Vecherius in pract. medic. generali, vitium retulerunt ad alteratricem: alii vero ad aſſimilatricem, incerta ſuorum ſententia an ſecreverint has potentias à concoctrice. Sed & Gabriel Fallopius lib. de tumor. præter nat. c. 3. cauſſam aliam recenſuit anguſtiam meatuum, qui non pateant excrementis excutiendis, atque ita, inquit, extumeſcere comperti ſunt teſtes obſtructione meatuum naturalium, atque addit ad deficientem tranſmiſſum excrementi craſſitiem exemplum ponens ſeminis, quod cum ſuâ ineptitudine non expellitur, teſtium excitat tumorem. Ad hæc numeravit & validam retentricem, quæ non ſolùm id quod utile, ſed etiam id, quod inutile retineat. Verùm ego Fallopium quæro, quare & non validam attractricem accenſuerit pariter: cum nullum ſit inter utraſque diſcrimen; neque major ratio ſit unius, quàm alterius. Mea brevibus eſt opinio, cum antiquis ſentiendum, id eſt, in concoctrice & expultrice conſiſtendum: viæ autem ad expultricem referri commodè poſſunt.

CAP. V.

De cauſis aliis ſpeciatim.

HÆC de prædictis cauſarum generibus ſatis ſunto, quæ communiorem & promptiorem habent apud omnes contemplandi rationem, ſecretiores enim & exquiſitiores ſunt, quæ mox ſequentur, enim vero una eſt cachexia, quæ veluti fons uber ſolet plerumque materiam ſubminiſtrare crebrorum abſceſſuum, ſive ſit vitio malè affecti pulmonis, ventriculi, jecinoris, lienis, uteri, quam unam cauſam attigiſſe viſus eſt Hippocr. l. 2. prorhet. 17. Porro ex phthiſi obſervavi equidem multos tuberculis externo pectore infeſtatos, inter quos unus quidam adoleſcens auditor meus, cui mirum quàm multi hinc atque hinc exurgerent: propterea crede, quod aura illa venenata quocunque expiraret, humores, carneſque inficeret. & ſuo veluti fermento ſublevaret; mirum enim ut nulla unquam in abdomine atque inferioribus artubus phymata, ſed ſolo thorace anteriore; poſterioreve, & brachiis creberrima ſpectarentur: uſque adeò ut miſerabile, ut uno vix finito, mox erumperet alterum. Quam abſceſſuum facilem eruptionem etiam obſervare ſolitus ſum ex vitiis internorum oſſium, ſeu brachiorum, ſeu crurium ad exteriores horum partes obrepere. Intima quippe mephitis continuò expirans ſimilem ad ſuam putredinem exteriora trahit, neque poteſt una pars corporis præcipua communitate, quam cum univerſitate habet, reliquum ſanguinem non inficere; ex quo adjecto pro nutricatu partis & minime commodo, ſed alieno, movetur jam ferveſcente ſuppuratio. Itaque partim halitus virulenti, coinquinatione; partim ſanguinis & humorum putrium materia, ut & malus

malus corporis habitus iſthæc phymata procreare poteſt. Item poteſt & cauſa eſt ſanguis infectus à lue venerea confirmata; cum quo marceſcens etiam corporis habitus conjungitur proprius.

Ad hæc & veneni, quod non occidit quidem reſidua vis, ſed, quod corporis intimi ſtatum dexterum evertit: poteſt ſiniſtre coaffectum alterum externum pravorum ſuccorum affuſus, & fermento phymata ſuſcitare, ſic & morticinæ carnes, & cibi cacochymi, cacochymiam patientes.

Poſtremò quando cauſæ omnes hæ deſint, eſt una & à paucis (ut à nullo ne dicam) obſervata, quam primus Hippocr. docuit, ſuique ſtudioſi comprehendunt: tradux, inquam, à parentibus character, quibus ſ. genitura fuit humidior & vitioſa: quemadmodum enim figuram partium communicant genitor, genitumque ita & aliis conditionibus, quæ ab bonam malamque valetudinem robur & infirmitatem ſpectent: ad ſummam enim ſemen materia eſt, quæ manet, & à mala ſemente non eſt læta ſeges expectanda: quo Mantuanus poeta poſterior.

Qui viret in foliis, venit ab radicibus humor;
Sic patrum in natos veniunt cum ſemine morbi.

Fit tamen interdum, ut cum neque pater apoſtemoſus fuerit; tamen apoſtematum patiendorum materiam filio tribuerit cacochymo alioqui ſpermate. & fieri etiam poteſt, & cum apoſtemoſus ſit parens; talem etiam filium produxerit, quam utramque rem obſervavi equidem non ſemel.

Prætereieram, quæ tamen affinitate rerum ſubiit, cauſam aliam, neque etiam à noſtris animadverſam, aut ſaltem nunquam, quod audierim, memoratam; male perpurgatorum exanthematum i. variolatum & morbillorum, itemque ſuperfluitatum, quæ pueris & infantibus ſolennes ſunt naturæ valentis excretiones, quas: qui non experiuntur, eorum nemo peculiares quoſdam abſceſſus (pædarthrocacen à nobis vocatam affectionem) evadit, tamque mihi certa & explorata res eſt, ut eum pueri offeruntur hiſce malis vexati, continuò divinare poſſim, certus eaſdem vel paucas vel relapſas introſenſiſſe hujuſmodi excretiones, ſit autem ut ſuppreſſis hiſce putridis excrementis coinquinatus ſanguis cùm à natura vividiore perceptus eſt & adverſus, diſſimulari non poſſis labes; ſed è verriculo quodam ad habitum carnium coacta congeſtionis aliqua ſumma trudatur.

CAP. VI.

De forma, & proprietatibus iſtorum abſceſſuum.

AVicenna l. 4. fen. 4. tr. c. 1. cùm ad differentias tumorum deſcendit, hanc abſceſſus diviſionem prodidit; nobis apoſtemata omnia aut calida ſunt, aut non calida; quaſi volens quidem abſceſſum omnem eſſe, aut ex humore calido, aut frigido, extremis iſtis qualitatibus abſolute ornatum, verùm quod equidem adverti velim, dicere maluit non calidum, ſignificans, ut met ipſe l. 1. fen. 2. doctr. 1. ca. 5. declaravit, apoſtemata omnia non calida: quidem per eſſentiam, ſed ex continenti frigida cauſa profecta non ſic omnino eſſe frigida, ut putreſcendo ac ſuppurando nequeant reddi calida, quemadmodum multa temparamento quidem frigido, vetuſtate fiunt rancida, atque adeo calida, quippe ſicut hæc materiæ ratione ſunt frigida; ita accidens nomine ſunt aliquo pacto calida: ſic porro admiſit ex accidenti calidos, & eos, qui perpetuò perdurant frigidi, non excluſit è tumorum genere.

Porro nos congeſtiles hos abſceſſus frigidos naturâ ponimus; quippe qui diuturni perpetuò frigidas cauſas agnoſcant, oportet. Deinde videtur & ipſorum propria peculiariſque ratio frigiditas; propterea quod nullus generando dolor, nullaque febris, aut febris prænuncius rigor inſequitur. Hæ quidem à cauſis, & à generatione ſunt à priori oſtenſiones, ſunt autem & à poſteriori, quod frigidas omnes ſymptomatum exhibent notas, & nullas omnino calidas, puta doloris, inflammationis, ruboris, pulſationis, atque uno verbo dicam, fervoris, & acrimoniæ; verùm poſt diuturna tempora, ſi ſuppurationem inire debeant, hoc tacitè facient; concolores erunt, compreſſi planique facie, minimeque ſecundùm cutem extenuati: ſaniem verò crudam, ichoreſque aperti reddent, ſeu duri ſeu molles in parte corporis laxa, proclivi, debili, & manus digna nati, eſt & his peculiare inſenſile incrementum, creſcit occulto velut arbor ævo: quod alicubi Flaccus ait; contra verò ſe habent, qui fluxione procreantur; Siquidem hæc, ut præmonuit Fernelius affatim fit, & ſenſum ſui permovet, & mutationes graves, & non occultas refert, maxime ſi calida ſit: nam & clara etiam indicia ſui profert à ſucco frigidiore manans.

Habes jam de frigida congeſtorum natura demonſtrationem, verùm ideo non inficiamur hos interdum accendi ſic, ut calorem concipiant, & ſuppurationem experiantur. etenim in aliqua paratiore multiplicis humoris congeſti portione ſuſcitata ex obliquo putredo, fermenti modo totam & ſui ipſius permiſtione & halitu maſſam infectam in ſuam, quæ calida & ſemiputris eſt, naturam trahit ac rapit, verùm accidit etiam ejuſdem materiæ inertia, & acrimoniæ vacuitate, ut nullum unquam ad putridam affectionem arripiat gradum, quod utrumque, tum in abſceſſibus atheromatum, tum in luis Venereæ gummi videre licet.

Alius quoque character iſtorum abſceſſuum eſt; quod in una quapiam cavitate privatè ſe congerunt iidem, id eſt, inter cutem, & carnem; inter carnem & vaſa; inter ſpatia muſculorum & alia. Porro ſunt & alterius generis abſceſſus, qui calidi cùm ſint inſigniter, carnes inflammatione correptas, & in pus verſas, atque liquatas cum nobili ſubſtantiæ detrimento relinquunt; quod in abſceſſibus ſub cavitate naturali congeſtis non reperies; niſi ſi ex longa ſaniei coinquinatione, & contrectatu id evenerit. Porro cyrſomata hæc appellaſſe mihi viſus eſt Hippocrates, quod ſublata è carnibus cute gybboſin quandam varicibus ſimilem referunt.

CAP. VII.

De generationis modo.

PHiloſophi diſquiſitores naturæ rerum exacti lapidibus, metallis, unguibus, & pilis, corporibus nimirum; quorum nulla vegetatio eſt; etiam ſi vulgo appareant augeri: nihilominus legitimum augmentum denegantes decreverunt illa, quæ ſenſus monſtrat, incrementa fieri, quod his ſubſtantia conſimilis particulæ à ſua ſingulorum ſcaturigine aggregentur, & compoſita compingantur, extrinſecus quidem non intrinſecus additis incrementis. An igitur adhuc modum ſit congeſtus noſtri procreatio?

ſed

ſed certè ſecus apparet inſpicientibus nobis intime rem. Differunt autem utraque in pluribus: Primum enim ante ſuppoſito, quod in re noſtra generatio eſt, & nutritio: ſic ſuccus nutritorius, quamvis inquinatus ſit, & ſuperfluus, tamen adhuc eſt in naturæ ſinu, quare dirigitur ab iſta, & per poros intrinſecos effunditur agitaturquæ alimenti vice; ſicuti loquutus eſt Joan. Fernelius, & hoc quidem citra congeſtionem, quando verò ſupra ſphæram particulæ congeritur, & coagmentatur hic humor, neque etiam indiſcrete ac temere fit, & vulgo; ſed præſenti calore commaſſatur, & componitur utilis materiæ modo. Argumenta ſunt anomali tumores, atheromatum, ſteatomatum, & meliceridum; quibus non ſine congeſtu creatis, propterea cyſtis inducitur, quod non deſtituit iſta calor, itaque vides diſcrimen longe vaſtiſſimum inter imperfecta, meteoraque corpora, & congeſtionis noſtræ materiam. cognoſcis inſuper & modum, quo generatio iſta procedit.

CAP. VIII.

Definitio congeſtus.

EST ex his omnibus ante productis una definitio colligenda, quæ veluti compendium quoddam, & ſumma ſit omnium, quæ contemplatur homo ſuo nomine congeſtus intelligere debeat. Si igitur memoria nos non fallit eorum, quæ ante ſtatuimus, congeſtio eſt coacervatio lenta humoris in parte, quæ nutritur, inquinati, ac ſuperflui, vel vitio advenientis materiæ, vel uniuſcujuſque facultatis naturalis, ſive quæ non perficiat, ſive quæ non expellat, vitio; hæc congeſtus morboſi definitio eſt ad ſententiam Ariſtot. lib. 4. meteor. & Galeni in opere de naturalibus facultatibus tradita, quam facile ad tumorem ipſum congeſtilem ubi lubeat, accommodaveris.

CAP. IX.

De differentiis tumorum à congeſtu.

JAM dixi duplicem congeſtus modum, alterum, qui ſolius concoctricis facultatis vitio commiſſus eſt: qui ſimplex congeſtus, & proprie dictus eſt, alterum verò cum congerit quidem pars, non à ſe manantem humorem, ſed aliunde profectum, & non concitatum quidem, ſed conſiſtentem. Si placet igitur hæc diviſio, poterit hæc ex his doctrina conſtitui. Uterque modus & ſuppurabilis eſt, & ſuppurationis expers, hoc in libro nos eum, qui ſuppurabilis eſt, potiſſimum exponemus; quippe qui minime tractatus ab aliis eſt, & majoris momenti videtur.

Addidit, & Gabriel Falloppius in tract. de tum. cap. 5. differentiam alteram, quæ eſt, congeſtionis tumores alii ſunt ab intemperie occulta, qualia luis venereæ ſunt gummi: alii ſunt vitio debilis expultricis, valentiſque retentricis, quam rem in tumoribus ex ſemine diu retento ſe dicit obſervaſſe. Hæ ſunt inter plurimas differentiæ congeſtus, quas ſemper ſpectantes ſingulariter ad curationem nos medici deligimus.

CAP. X.

De modis magnitudinis, & formis.

HOrum abſceſſuum universè commenſorum mea quidem obſervatione modi, qui ad magnitudinem ſpectant, ſunt quadrupli es; ſinguli ſedibus, cauſis, & ſymptomatis diſtincti, quidam vaſti ſunt ita, ut ſi artus corporis occuparint, plurimam horum partem ſint circumplexi. Manum homini Eubæo uſque ad cubitum ſuppuratam meminit Hipp. in V. epid. numero 16. ſi verò corpus medium, quod infrequentius eſt, obſederint, late ſe exporrigent; ſub cutem; ut plurimum integram fuſi, neque intra muſculorum interſtitium defixi, de quibus haud equidem ullum comperi de græcis autoribus, qui explicate ſcripſerit. Secundi magni ſunt quidem, ſed illis plerumque minores, quorum effluvium è media muſculorum intercapedine videtur exilire, apoſcemmata vocata veteribus, febrium longarum ſoboles. Maximus ex hoc genere præſectus eſt à me ſub inguen Reverendo Patri Bibæ Sacerdoti Jeſuati, cum copioſa ſaniei viridis manatione, cujus nulla apud quoſdam alios medicos fuerat opinio. Tertii ſunt mediocres atque extantes, quam alii magis, certis tuberum capitibus interſtincti, quos propterea equidem cyrtomata conſuevi dicere; non autem generali ſignificatione tumorum omnium præter naturam, quæ vocata per Hipp. ut cenſuit Gal. 2. prognoſt. comm. 4. ſunt quædam phymata non plus ovo intra anſerinum, & gallinaceum excedentia, ut parotis: Sunt autem, & qui multò minores ſunt, ſed crebritate parvitudinem compenſantes; qui plurimum per ſuperiores partes corporis viſuntur, ſuppuranturque non ſine rubore, cum ad id, quod non brevi fit tempore, perveniunt, ut in Joſepho Thomæ Portii F. & in Joſuæi Amicangeli Neapolitani cauſarum patroni filio: ſunt autem, & hi recidivi abſceſſus plerunque, quod in Franciſco Antonio puero Vincentii Vulturalis filio, atque in aliis nonnullis comperi; Subeſt autem his (quod Celſus ait) ex ſanguine & ſanie concreta caruncula putris, fungeum & mucoſum concrementum ferme referens, unde & ſtrumoſa vulgaribus putatur affectio.

Poſteriores hi duplices cum febre non ſunt neceſſaria conjuncti, quæ priores perpetuò ſolet inſequi, poſtremi cacochymis, alii ſi apoſcemmata exemeris, cachectis, & inopibus, qui duriter cubant, frigoriſque & ventorum, & ſubdiales patiuntur injurias, per famem omnia ingerentes. laboribus ad ſummam & aſpero vivendi genere confecti. ex his obtigit nobis in valetudinario curandus quidam, qui & in ſummo capite, & facie, id eſt gena, & oculorum angulis, & cervicibus, & jugulo multos ejuſmodi abſceſſus, pertulit: Res, quæ plurimam admirationem parenque miſericordiam pleriſque movit, homo paluſtris in Capuono cultor & incola. Adnumerari & his præcipuè mediocribus ſpinam arabum, & gummi venereæ contagis licet, quæ utraque peculiari quædam & inſolenti conditione tumoris oſſa prius, quàm carnes vitiant & corrumpunt.

Sunt hi quidem vitii contumaciâ mali, ſed nihilominus vitæ ſuâ naturâ vim non inferunt.

Hæc brevi de frigidorum abſceſſuum formis, & neceſſaria tota dignotione. Interim vides, eſſe nobis longe aliam opinionem, quàm Euſtachio Rudio, qui congeſtionem ad tumores, quidem magnos rarò, frequentiſſimè verò ad exiles cenſuit ſpectare.

CAP. XI.

De ſedibus affectus communibus.

QUas autem partes corporis obnoxias, & ſubditas huic affectioni dicemus? Certe illas, quæ debiles, & imbecillæ ſuapte natura fuerint, id eſt, quæ calore nativo, & carne, ac ſanguine lætiſſimis fabricæ noſtræ portionibus minime participant, talia autem ſunt oſſea, cartilaginea, membranea, nervea, & ut ſemel dicam, partium albarum omne genus. Præter intemperiem nativamque debilitatem, eſt laxitas, utpote articulorum & adenum adenoſorumque locorum, intercapedinum omnium, compaginum, & contexturarum, & præcipuè muſculorum, & vaſorum. Tertio, quę ſunt in extremo, & infimo corporis loco, quæ veluti ſeptentrionis partes à Sole ſic ipſæ maxime diſtantia fonte caloris: Ad hæc, quæ agitantur, & motui ſunt obnoxia, ut carpi manuum, in quibus rectè dicunt omnes fieri ganglia, lupias vulgo dictas, melicerides, atheromata, ſteatomata, & hoc genus: poſtremo loco omnia, quæ doluerunt, aut ægrotarunt impenſe, ictus, aliſus, contritus, graves contrectatus, diſtractus, diſtentus, gravatus, exagitatus, & violatus ex vulnere, ulcere, fractura, & abſceſſu, omnes denique offenſas recepêre, ac ſuſtinuêre, hoc omnes genus non naturale, ac naturale partium ſic deſcriptum conſuevit eſſe congeſtibus opportunum.

CAP. XII.

De ſignis congeſtus.

INdicia, quæ congeſtilem tumorem oſtendunt, auctore Nicolao Florentino Viro, in deſcribendis tumoribus omnium diſertiſſimo, ſunt hæc.

Primum prægreſſa cauſſa, quæ non proximo tempore partem infirmarit, debilitaveritve.

Secundum, lenta progreſſio de minima extumeſcentia ad majorem, ſed occultis tamen incrementorum momentis, atque hæc ubi apparuerint non in dies, ſed in menſes, & longa temporum curricula.

Tertium, nulla extumeſcentia venarum, quæ in ambitu ſunt, inſignium aut mediocrium. Verum enim vero venarum capillarium, quæ prius quidem non extabant, jam extant non ſine iſtarum, licet exiguo, propter diſtentionem, dolore.

Quartum, nulla apparens plenitudo corporis, aut partis ſuperioris ſive ſitu, ſive dignitate.

Quintum, pars à principio uſque ad computrefactionem humoris concolor cum toto, & æqualis temperiei: à putrefactione verò non concolor & inæquali intemperie dolens impenſe. Coge hæc verſibus, dices:

Haud prait; augetur lente; non vena tumeſcit;
Non plethora ſubeſt; pars concolor undique toti.

CAP. XIII.

De ſignis ſuppurati congeſtus.

QUoniam verò præmonſtratum fuit ad ſuppurationem plerumque verti congeſtus, quod nos genus inſtituimus præcipue curaturi, ob id trademus hîc brevem dignoſcendorum eorundem rationem: quæ quidem facilis admodum non eſt, neque aliorum communis, vidi equidem pleroſque viros in arte medendi non parum exercitatos in hac re falſos, nimirum, qui ſuppurationem non cognoviſſent, quæ jam erat, uſus autem, ut aliorum multorum, ſic & iſtius rei magnus magiſter, & demonſtrator eſt. Quæres autem unde difficultas; ſed hanc docet Hipp. in aph. dicens, quod pus in abſceſſu latens, vel propter loci craſſitiem, vel propter profunditatem percipi non poteſt. Nihilominus præſens aliena materia ſe declaret, oportet aliqua ſui affectione pertinente ad ſenſum tactus, viſus, auditus, vel ad ſenſum interiorem: unde inquit Hipp. lib. de off. med. princ. Aut ſimilia aut diſſimilia, à principio, à maximis, à facillimis, ab his, quæ undiquaque penitus cognoſcuntur, quæ & videre, & tangere, & audire licet, quæ & viſu, & tactu, & auditu, & naribus, & linguâ, & intelligentiâ ſentire licet: quæ & quibus cognoſcuntur omnibus cognoſcere licet. Itaque quod ad tactum pertinet, impoſitis utriuſque manus digitis, & viciſſim nunc hic nunc illic compreſſis, atque ſublatis, fluctuatio inter utroſque exploratores ſeſe monſtrabit humoris, deinde unius etiam manus digitis prioribus longis, cedentem aliquem mollitudine locum comperies, ſic & viſus aliquam inæqualitatem cognoſcet, auditu vero reſcies ab ægroto, ſi quod pondus aut mobile, vel reſpondentem his aliquam affectionem per id loci perſentiat. Ad deprehendendam verò ſuppurationem Hipp. l. 1. de morb. n. 12. & l. 3. n. 27. & Celſus l. 8. c. 9. docuerunt imponendam terram figulinam aquâ commaſſatam, ut hâc poſt aliquod tempus abſtractâ, cognoſcatur, quæ parte magis reſiccata ſe monſtret: ubi enim ſiccior reddita fuerit, ubi ſuppuratio reſpondebit. Diſertius autem de hac eadem re nos in opere de inermi chirurgia pertractavimus.

CAP. XIV.

De præſagio.

PRæſagiendi ratio, quę communis eſt abſceſſibus aliis, non eſt, ut à me pluribus attingatur, præſagia duntaxat majoris momenti perſequar.

Non carent periculo abſceſſus omnes à congeſtu, qui cum cachexia ſunt conjuncti: ſic horum propago mala eſt, & veluti radix.

Febricula, quæ his aſſiſtit & mala eſt ipſa, & malos etiam abſceſſus arguit. Rari autem ſunt abſceſſus diuturni, quibus febris non ſit adjuncta: & partim quidem communi utriuſque cauſa cachexia, partim puris inexhauſti perenni expiratu; quod quidem pus in magno abſceſsûs ſinu affluat.

Declarat pus infinitè manans commoriturum cum morbo ægrum; præſertim ſi cum malis aliis indiciis enerves hominis vires appareant.

Circa ſpinam dorſi, mali ſunt omnes abſceſſus magni. Apoſtema magnum dorſi ſpinam attingens, hanc plerumque diſtorquet in gibbum, ut obſervavi in Margarita Blanchina; in ſcolio ſin vero, ut in Jo. Baptiſta Joſuæi Amicangeli filio.

Circa articulos ac nervos conſiſtens hoc vitium, ni mature prævertatur, mutilet membri mobilitatem time.

In diuturnis exile malum eſt fiſtula, ſi vitæ periculum nullum ſit, ut in abſceſſu noſtræ Heroinæ BIBERÆ.

Si febris abſit minimè pernicioſus eſt morbus.

Tumo-

Tumores per congeſtum ſingula ſua tempora quàm longiſſima habent Roder. Fonſ. tom. 1. conſ. 31. p. 111.

CAP. XV.

De præſervatione.

QUoniam quidem duplex medici providentia eſt; altera præſentem morbum eximendi, altera verò futurum, aut recidivum prævertendi: cadit hæc poſterior cura ſingulariter in liberandam congeſtili vitio particulam; utpote quæ facilè redire in ejuſdem mali ſervitutem, & incurſum poteſt, nam ſi debilis à primordio vitium ſubire potuit, quanto etiam magis cum à morbo reddita eſt multo debiliſſima, itaque & hoc quoque ſtudium exercendum in hac eſt, ut ne recidivam aliquando recipiat particula, quod ubi facere volueris, via prompta eſt; occurrendo cauſis opificibus, & eas turbando, ne congeſtum perficiant, quoniam autem affectus procreatio ad concoctricis expultricisque debilitatem refertur: utraquæ autem, ut Hieron. Fabricius in l. de tumor. advertit, ad unam intemperiem cadunt, ea propter inventam hujus qualitatem ſuo contrarii remedii uſu corriges. Quoniam autem ut plurimum frigida eſt, quippe quæ una cruditatis & corporis fatrix, & altrix eſt; deinde non ſicca, ſed humida; propterea quod cum materia non expulſa conjuncta, ob hæc remediis aliquanto calidioribus, & ſiccioribus veteris, verum ea lege, ut cum adſtringendi roborandique alia facultate ſint conjuncta, tale ſingulariter indum gummi tachamahacha, & gummi guaiacan eſt, agallochum, bryon, calamus aromaticus, crocus, cupreſſus, cyperus, ſentiſcina reſina, roſmarinus, ſuccinum, vernix, & alia hujus generis è compoſitis maximè probantur oleum è lateribus, crocinum & junipetinum exſtillata.

CAP. XVI.

Curatio tumoris à congeſtu in univerſum.

TUmori quidem à congeſtu, licet, quatenus tumor eſt, conveniat materiæ tranſpoſitio, de qua re fuſe Nicolaus Florent. ubi de curatione apoſtematum generali: nihilominus hæc præterquam quod plane non ſuccedit, etiam detrimentoſa eſſet, ſiquidem eo confeſſo, quod congeſtilis quicunque tumor producitur plurimum vitio concoctricis, & expultricis partis ejus, in qua eſt: ſic humor tumorem creans frigidus, & pituitoſus eſt, itaque craſſus, viſcidusque, & valde impactus, quem quidem in ſpaciis mediis partis, & extra vaſa contineri diximus ex quo loco ſic hærentem, quæ repellens medicina tranſponat? Quin etiam ſi repulſus ſucceſſerit incommodus erit: quandoquidem applicitus frigidorum, concoctricem partis alioqui debilem, amplius debilitare poſſet, & nonnullam congeſtioni cauſam addere. Adde quod poſteaquam congeſtus totus eſſet humor, tumorque redditus magnus, aliud ex pulſu ſequeretur incommodum: nam dato; quod ſuccederet per pulſum evacuatio, hæc & dicta humoris craſſitie, & loci profunditate, & partis impotentia fieret admodum pauca: & interim reſidua portio magis incraſſaretur addenſareturque, ad alias tum artis tum naturæ vacuationes cuntumax: quas ob res major ex his eſſet noxa, quam adjutatio.

Similiter & tractus in congeſtis inutilis eſt, vanuſque perſpicuè; nam ſi pulſus proxime non cedit humor; quo pacto ceſſerit tractus è longinquo?

Verum enim vero tranſmiſſus in congeſtione tollenda non vulgariter commendatur, quin neceſſarius eſt, & ſingulariter proficuus: quo ſ. & partis infirmitas roboratur, & laxitas cogitur: quibus adjumentis ipſa & quod congeſtum eſt aliqua parte trudere & quod congerendum erat, caſtigato vitio non concipit: Verum tamen ut hæc vera ſint adhuc, nonnulli voluerint in tribus caſibus adminiſtrari poſſe tranſpoſitum in unoquoque tumore per congeſtionem creatæ.

Primum quando certus eſſet medicus, quod per tranſponendi operam congeſta materia derivaret ad membra viliora.

Secundo cùm nulla exiſtente plenitudine in univerſo corpore etiam neque hæc ineſſet parti communicanti cum extumeſcente loco, & tumor interim eſſet parvus.

Tertio cùm materia congeſta eſſet calidior ac tenuior, & à cauſa calidiore producta, puta intemperie: quamquam caſus hic perrarus eſt, & inſolens. Adde ſi eadem materia ſit pauca, ſic enim tuto liceret hanc repellere.

Addunt & nonnulli quartum, quando ſ. eſſet dubitatio de complicatione fluxionis à parte aliqua, quo caſu licet uti tractu; licet & uti tranſmiſſu, nec alii excludunt repulſum; præſertim in viis mediis cum aliqua ſtypticorum admixtione parato medicamento.

Verum enim vero miſſo tranſpoſitu, qualis eſt deſcriptus: tutiſſima inter omnes, atque expeditiſſima curatio eſt per diſcuſſum humoris & exceſſum. Diſcutientia autem late pateant, ut in noſtro pharmacochirurgico expoſitum eſt, illa intelligo, quæ conjuncta ſunt cum attrahendi facultate. Talia autem uno nomine dixerunt veteres abſorbentia, quæ raptum à ſe humorem ea, qua gaudent diſſolvendi vi diſſipant & abſumunt ſic, ut exhauſta, & libera pars reſtet, ſunt autem hæc cit. l. deſcripta.

CAP. XVII.

Curatio ſpecialis abſceſſus à congeſtu ſuppurati.

PRoprium, & peculiare eſt abſceſſuum, quos primo poſui mole maximorum, ut ſubſit his profundior alienus humor ſub cute: hæc vero nil vitio ſubjacente detrita, vel extenuata quin plerumque turgidior, altiorque ſit humore aliquo in ſeipſam abſorpto. Admirabile id quidem, at non ei, qui conſideret ignavum, & minime acrem, aut erodentem ichorem adverſus denſum compactumquæ corium nil poſſe prævalere: ſed ſtagnantium aquarum modo potius in latum, quam in ſublime divagatur. Ob id igitur quod craſſa, & inviolata cutis eſt, ſub hac altius infixo ſcalpro, diſtractiſque inciſione partibus, gravis excitaretur dolor: quam ob cauſam conſultius viſum eſt fieri noſtris profeſſoribus, ſi candente ferramento aperiantur hi abſceſſus. Quam rem cum & nos approbamus, illud tamen obſervandum, volumus, ut ſimul ac ſuppuratio prima appareat timidus non ſit, neque tardus uſtionem admoliri chirurgus, quin etiam ſi me audiat, comperiet, ſæpe numero ſuppuratam plene materiam, quam vix ſuſpicatus fuiſſes abſceſſui propinquam. Illud ad unguem comprobatum eſt in abſceſſu, qui ſub homoplatas ortus eſt Caroli Franciſci Mirabilis medici vigilantiſ-

ſimi filio; in quo cum ſuppuratam materia minime crediderunt omnes, adhibito per me acuto cautere copioſa reddita eſt à vomica ſanies, quantum autem periculi, dum dormitat chirurgus, ſi exterior abſceſſus cum interioribus communicet, & in ventrem finiat anabroſis. quo Cardanus in arte parva p. 251. exteriores abſceſſus, qui interioribus communicant, antequam ſuppurent, ſunt ſecandi: minus enim periculum eſt in difficultate ſanationis exterioris ulceris, quam in corruptione viſcerum à ſanie. Hæc ille, quæ res ad unguem comprobata eſt jam pridem in Matthia Cedruto Marilianenſi perilluſtris viri Domini Proſperi Suardi famulo, cui natum juxta ſuperiores vertebras lumborum abſceſſum, cum crudum judicaſſet famatiſſimus quidam chirurgus Neapolitanus, in noſocomium noſtrum advecto ſecantes nos ſcalpro candente penetrantem in cava pectoris invenimus, argumento quod incruentam & albam ſaniem vis compulſi ſpiritus identidem redderet. At neque ſi crudior ſit abſceſſus, nihilominus per ignitum ſcalprum aliquid detrimenti feceris: verum inimicæ putredini fomentum, qui calor eſt, concluſus abſtuleris, & partem in dies exhauriendo, atque exiccando, nervos, tendines, muſculos à vitii contage vindicaveris: Imo ſi vero de gummi ſiphiliis ſermo ſit, & cariem anteverteris oſſium ſubjectorum, quæ mirum quidem ut vitiata reperianter ſæpe, nullo forinſecus apparente, quod te id docere teredinisque certum reddere potuiſſet. comprobatum autem & ratione, ut id fieri poſſit non difficile, & re ipſa factum perſæpe vidimus. Ratio quidem ea eſt, quod interdum humor antipathiam habeat peculiariter ad os, quemadmodum uſu venit, & in ſpinæ morbo ab Avenzoar, l. 2. c. ult. vocata: in quibus utriſque morbis ſpinæ, inquam & venereo viſum eſt per virulenta illa ſeminia prius oſſa vitiata, quam carnem aut cutem, ut propterea mirum non ſit vitiata primum dura quàm mollia, ſive id factum ſit computreſcendo ſive corrodendo, quod in Agnello Joſephi Pagani filio vidimus cum Franciſco Nola medico Neapolitano, quem honoris causâ nomino, atque in Joſepho quadrimo filio Thomæ Portii cum Mario Schipano medico plane nobili. Sed & Catharinæ filiæ Joannis Gregorii Bibliopolæ ſeptem annos natæ, duplices abſceſſus & in ſiniſtra gena, & in pectoris oſſe procreati, vix crediti fuerant ab ullo ſuppurabiles, nec dum jam verè ſuppurati, cum à me diſciſſi ferro candente reperti ſunt os vitiatum continentes: Adeo ſ. imponit ejuſmodi cauſa continens multis. Res autem dum ageretur & poſtquam acta eſt, cognovêre probatiſſimi noſtræ Urbis medici, Joannes Dominicus Comes, Matthias Magliocchus, & Horatius Theſaurerius Collegii Salernitani medicus, qui teſtificari aliàs poteſt, me ſibi filium primogenitum ex immaturo brachii abſceſſu, maturo id eſt præpropero, ne muſculi contererentur, inſectu præſervaſſe,

Hæc prima curandi ratio chirurgica eſt ad abſceſſus cute adhuc integra obductos: medicamentaria ad jam apertos reſtat exponenda, quæ ſuas etiam adverſiones recipit: præſertim vero penes noſtros medicos, qui vel non diſcreta vel neglecta cauſæ continentis, & morbi natura; contraria atque inverſa, quam indicationis recta ratio petat, medicamenta adhibent. Incredibile apparet, quin potius miſerabile; quando non intelligunt contraria contrariis eſſe adhibenda: axioma, quod nemo agyrtarum, & circumforaneorum medicorum ignorat. Sed hoc ignorare videntur aperte, propterea, quod abſceſſus calidos ac frigidos unis eisdemque pharmaticis æque tractant, nimirum ex oleo roſaceo atque ovi luteo miſturam utrique tumorum generi inflammatorio; poſtquam aperuerint, indiſcriminatim adhibentes. Digeſtivum igitur hoc quod vocant vel calidum, vel frigidum. Utrumque dixerint, vel calida calidis, vel frigida frigidis curant hi homines. Dicent hoc neutrum extremorumque medium, ſed nihilominus inſtabo, & quomodo abſolute extrema neutris æque curanda? an exquiſite medium eſt illud? ſed hoc plane falſum, nam frigidum veriùs, quàm calidum, nec dico quidem actu, quod etiam problema exercitari poſſet, ſed etiam poteſtate quippe & numero, & quantitate ſuperant & præponderant frigida, id eſt, roſaceum ovi vitello. An non igitur horum miſtura, quam adverſus calidos abſceſſus uſitarunt; ad frigidos ſaltem intendere calidis additamentis, quale crocus, & propolis, & ſtyrax, & mel eſt, deberent? Sed quod inexcuſabilem iſtorum imperitiam facit: eſt, quod non quatriduo vel octiduo medicamenti finiunt uſum, ſed ad unum alterumque etiam menſem. Etenim, ut tum humoris aſſidui conditione, tum medicamenti non coquitur ſanies; ſed tenuis in longum manat; ipſi, qui credunt, concoctorium medicamentum ut coquat etiam in longum tempus imponunt; id quod cum præſtare nequeat; infinite etiam adhibeant oportet, donec quod ſæpe fit, aut errata medentis corrigat natura, vel in fiſtuloſam ſpeciem abeat ulcus, quod quale detrimentum malumque ſit judices lector. Ita quidem hi homines, quod Gal. l. 3. meth. medēn. de Theſſalitiis conquerebatur, ſanabile brevi ſuâ naturâ vitium reddunt inſanabile. Eſtque hoc quod narro non rarò quidem à chirurgis noſtratibus patratum, ſed vulgo etiam & quotidie; atque id equidem adverſus celebrem quendam hominem, nam medicum appellare religio eſt, adverti Februario paulò prius exacto cum doctiſſimo medico NN. noſtri Gymnaſii profeſſore, qui ut homo eſt tam ingenuus, quàm eruditus non admirari non potuit turpem hominis ignorationem, noſtrumque ſeculum gentemque noſtram, qui nomine omni præterquam recta ſcientiæ æſtimatione moventur, ut indoctos homines pro præſtantibus habeant atque prædicent; præſtantes verò judicii ineptitudine, & perverſitate pro iis, quales verè ſunt, non agnoſcant. Sed mortuos ſinamus, ut ait ſervator, ſepelire mortuos ſuos, ad cauſam noſtram redimus. Debent emmota, quæ frigidis abſceſſibus imponuntur, conſtare calidis; quæ tum concoquant, tum expurgent. Sed prius quidem concoctoria exiguntur, tum humoris frigidi, qui creavit abſceſſum, nomine; tum etiam quia præmatura fuit operatio, quæ paulo minus quàm crudum tumorem aperuit, ejus rei ſtudio & cautione, quam dixi. De concoctoriis nos in noſtro pharmacochirurgico, quod propediem edetur plene diſſeruimus. Itemque & de expurgatoriis, quæ concoctoriis ſuccedunt. Ibi locorum pleraque uſu maxima de hac releges. Interim ſcire licet ulceri ambuſto tres dies olei amygdal. & cæteri compoſitione curato, mox immittendum in penicillo ceratum aureum oleo ceræ, vel ſi id non placet, oleo ovorum dilutum: quibus ſatis nutritum, ut Celſus vult emollitumque vulnus poſt hæc expurgantibus vacuandam. uſus ego ſæpe fæliciter ſum barbâ capr. madefactâ per oleum, aut cum ſucco cyclaminis, ſi medicamenti vires intendere velis. quo purgato ulcere ſequitur, ut impleatur, id quod pulvere ſarcotico belle fiet. Aegroto commodam honorificam tibi viam hanc experieris.

Cura-

CVRATIONES GENERALES.

Quando pus conficitur, mirè commendatur oleum chamomillæ & oleum lumbricorum. Conveniunt anodyna, ut & oleum hyoſcyami parcè aliis admixtum, quod multùm quoque facit. Item cataplaſma ex lumbricis; non ſolùm enim dolorem lenit, ſed etiam abſceſſum rumpit. Sic etiam proſunt folia hyoſcyami parcè adhibita & aliis admixta. Inter maturantia convenit unguentum maturativum Felicis Wurzii, ol. chamomillæ, & liliorum alb. Cùm pus fieri incipit; acumini abſceſſus illinatur pinguedo leporis: Deinde imponitur emplaſtrum diachylon, ſive cataplaſma ex mucilaginibus, additis rad. althææ flor. malvæ, &c. Ad mundificationem proſunt præcipuè medicamenta ex nicotiana, v. g. oleum, ejus ſuccus, & unguentum, quę etiam ſimul conſolidant, Item apium. Ubi verò opus eſt efficaciori, prodeſt unguentem diapompholygos. *Inter ſarcotica & epulotica* mirè prodeſt nitrum & medicamenta ex eo parata. Item emplaſtrum ſticticum Crollii vel Paracelſi, emplaſtr. diapalma cum oleo nicotianæ malaxatum. *Joann. Michaël.*

Cura abſceſſuum eſt eadem quæ ulcerum; propinando interne potiones vulnerarias, in ſpecie ſalia volatilia, quibus maſſa ſanguinea purificetur, & fermentum ſtomachale in naturali vigore conſervetur, & acidi proventus prohibeatur. Externè probè mundificando abſceſſum, vel communi digeſtivo vel balſamo ſulphuris, vel balſamo peruviano cum ol. nicotianæ aut ſimili. Quod ſi malignitas venerea ſubeſt, præter interna, mundificantibus ſemper de mercurio dulci aut præcipitato parum addendum erit. *Caries* occulta inquirenda, & ut alio loco dicetur curanda. *Michaël Etthmullerus.*

Pro abſceſſuum apertione, & conſolidatione præſtat balſamus ſulphuris cum oleo papav. *Joann. Hartmann.*

De Abſceſſuum apertione è Clariſſ. Pauli *Barbette Chirurgiâ.*

Humores hìc & illìc congeſti, ſæpiſſimè tumorem efficiunt, qui non ſemper à natura diſſipatur, niſi ars idoneis medicamentis ei auxilium præbeat, quibus ſi non obediat, eam ad ſuppurationem impelles, & exſpectabis donec ſpontaneam apertionem faciat, niſi neceſſitate coactus fueris eam maturiùs inſtituere, & perfectam ſuppurationem non ſpectare. Hoc plerumque contingit, cùm materia valdè acris & maligna vicinas partes corrodat, & os, & tendines & nervos corruptioni obnoxios reddat. 2. cùm nobiliorem partem poſſit lædere. 3. cùm in articulis ſita ſit. 4 cùm criſi ejiciatur. Antequam te ad apertionem accingas, diſtinguendum eſt an materia propriâ tunicâ, ſive folliculo ſit contenta, an verò ſine folliculo. Si ſine folliculo ſit, nunquam transverſè, ſed per longitudinem ſemper & rectitudinem ſub cute jacentium muſculorum incides: exempli gratiâ in capite ſecundùm capillorum ductum per longitudinem: in palpebris transverſè: in temporibus, in naſo, in cervice, in pectore, in dorſo, in brachiis, in pedibus & articulis per longitudinem: in lateribus ventris parùm obliquè, in medio per longitudinem: in inguinibus parùm transverſè, ſed non admodùm profundè, ob vaſa ſpermatica ibi ſubjecta. In genere cave tibi, ne venam magnam, arteriam, ſive nervum attingas; licet fibras transverſè ſecares; aliàs enim ex minori majus malum produceres. Locus apertionis commodiſſimus eſt pars abſceſceſſus eminentior & mollior, quæ tamen magis ad inferiora quàm ad ſuperiora vergere debet, ut-tentò aptiùs à pure exonerari poſſit: porrò hunc in finem vulnus inflictum turundâ apertum conſervabis, uſque dum pars illa ab humoribus præternaturalibus prorſus ſit purgata, & priſtinam operationem exercere queat. In ipſa apertione cave, ne lanceolam nimis profundè, neque ulteriùs quàm ad pus uſque infigas: quamprimùm hoc animadverteris, eam paululùm retrò trahito, & cuſpidem ſursùm vertito, & porrò apertionem tam magnam efficito per cutim, quam materia incluſa deſiderare videatur. Si abſceſſus in propria jaceat tunicâ ſemel tantùm, ſi parvus ſit, per longitudinem incidito: ſi magnus bis, hoc eſt, in modum crucis. Præ cæteris tibi cave, ne folliculum lædas, aliàs ulcus fœdum & fermè inſanabile ſequetur. Hoc benè peracto, folliculum, qui rarò aut nunquam cuti affixus eſt, & libenter ſequitur, digitis eximito: arteriam quâ alimentum acceperat, transverſè abſcindito: & rursùm tibi cave, ne fruſtulum folliculi ei adhæreat; ſi jam ſupra dicta incommoda evitare velis. Quia autem plerumque in abſceſſuum apertione comperio, hunc Chirurgum *Lanceolam*, alterum cauterium potentiale eligere, & longè præ alio extollere, rem paucis declarabo.

Cauterium potentiale hoc habet commodi, quod ægros puſillanimos nullo pavore percutiat, & quod dolorem timentibus non admodum ſit doloroſum, præſertim ſi hodie decantata remedia adhibeas: nam calx viva Hollandico Sapone commixta profundè ſatis carnem corrodit, attamen multò leniùs quàm Ambroſii Paræi corroſivum holoſericum. Verùm hoc habet incommodi: 1. Quod, prout cutis & corpora infirmiora vel firmiora ſint, etiam multò profundiùs corrodat, quàm ſit neceſſe: in altero enim cutim & muſculos, ad ventris cavitatem uſque perroſiſſe, & in altero proceſſum peritonæi, & vaſa ſeminalia in eo ſitu inſanabili modo læſiſſe, experientiâ comperi 2. Corroſivum illud ſe etiam ulteriùs ad longitudinem & latitudinem extendit, quàm quidem deſideras, præſertim ſi ſub axillis, in inguinibus, vel articulis collocari debeat: nam quamprimùm incaluerit, profluere incipit, imò emplaſtrum defenſivum parùm cavebit. 3. Neceſſariò aliquot horarum ſpatio indiget, antequam operationem ſuam perfectè abſolvere queat; ſed plus temporis in hoc, quàm in iſto corpore deſiderabitur, verùm hoc tibi humor non ſemper permittet, præſertim ſi ſit malignus. 4. Cruſta quam induxeris, non ſtatim decidit: & humoribus ſi è veſtigio exitum præbere ſtudeas, lanceolâ tum eſt utendum. Quàm prudenter circumſpexeris, incommoda hæc non evitabis. Contra verò lanceola hoc habet incommodi, quod plurimi ægrorum eam reformident, quaſi dolorem moveret. Sed timor ſilentio eſt anticipandus, & dolor ſanè non eſt magni momenti. Interim à lanceola hæc exſpectabis commoda. 1. Lanceolâ apertionem tam longam & profundam efficere potes, quam morbus & tua curioſitas requirat. 2. Statim habes materiam, & patiens relevatur. 3. Materia reliqua & nondùm concocta maturiùs ad concoctionem movebitur, naturâ idoneis medicamentis, tam externis quàm internis opem ferente. 4. Atque ita fiet, ut ſtillationem diuturnam non habeas: nam ſtillatio ſi naſcatur, certus ſis, culpam hujus rei penes te eſſe ſitam. Rationem ſi deſideres, hanc accipe, omnes fermè tumores qui ſe poſt aures, in cervice, ſub alis & inguinibus prodû́nt, ex induratis glandulis & ab humoribus præternaturalibus valdè penetratis originem trahunt, omnes hæ glandulæ propriâ circumveſtiuntur tunicâ, quæ ſi à lanceola ſive medicamentis cathæreticis lædatur, neceſſariò ſtillatio ſequitur; nulla enim glandula ſe ipſam, aut ſuos humores tunicâ apertâ conſervat:

& hæc

& hæc ſtillatio tamdiu durat, uſque dum tunicæ foramen curatum, vel tota glandula in aura diſſipata ſit.

De Abſceſſuum rurſus apertione

E Clariſſ. Anton. Nuck Operationibus & Experimentis Chirurgicis.

Sanguis innumeris acidis & viſcidis particulis refertus, variis in partibus pedem figens, vel alias ob cauſas extravaſatus, variorum tumorum cauſa exiſtit. Cùm verò medicamentorum ope particulæ iſtæ hærentes diſcuti, & corrigi aliquando nequeant, ſed acredinem concipiendo, partes vicinas oſſeas, ligamentoſas, nervoſas, vaſculoſas, aliáſque non ſine periculo afficiant, perfectam ſæpius ſuppurationem exſpectare non licet.

Unde potius, rebus ita ſtantibus, Tumores iſtiuſmodi aperiendi ſunt, ut materia ibidem hærens liberè exire poſſit.

Curandum autem, ut ſecundum ductum fibrarum carnoſarum, idque in loco eminentiori, molliori, & ſi poſſibile, inferiori (quo commodius materia purulenta prodeat) Apertio illa inſtituatur.

Vitentur præterea, quantum fieri poteſt, Venæ, Arteriæ, Nervi, & Vaſa Lymphatica; Nec omnis materia purulenta (ſi copioſior videlicet fuerit) una vice educatur, neque apertus abſceſſus validè comprimatur, ſed blandiùs tractetur.

Si *Folliculo ſit incluſa materia*, levis juxta Tumoris longitudinem fiat ſectio; In majori verò Tumore decuſſatim inſtituatur, ut diductis & ſeparatis vulneris labiis, veſica facilius extrahi poſſit.

Interim probè cavendum, ne Veſica illa lædatur, quandoquidem ejus læſio fœtidi & ferè incurabilis ulceris cauſa ſæpius exiſtit.

Ubi verò Folliculo deſtituitur Abſceſſus, duplici modo Apertio peragitur: Alii nimium *Scalpello*, alii *Cauterio Potentiali* utuntur.

Cauterium Potentiale qui præferunt, ſequentes adducunt rationes:

1. Quod ægris terrorem non ita incutiat.
2. Quòd tantum ſæpe dolorem non pariat.
3. Quòd, factâ ſeparatione, Apertura inde ſubſequatur amplior, ſicque conſequenter materiæ largior concedatur exitus.

Parantur autem ejuſmodi Cauteria ex *Calc. Viv.* & *Smegmat. Holland. aa. q. ſ.* Vel.

℞. *Ciner. Clavill.* ℔ß.
Calc. V. v. ℥ij.
Sal. Nitr.
Ammoniac. aa. ℥iß.
Am. immediatement.

Infundantur omnia in Aq. Comm. ℔ iv. Vaſe clauſo ſtent ita per dies 6. aut 7. quo tempore lixivium guſtari poteſt; ſi verò ſatis acre nondum ſit, add. *Cin. Clav.* ℥iß. *Calc. Viv.* ℥ß. Quod ſi ſatis acre viſum fuerit, decantandum, craſſius verò & terreſtre tanquam caput mortuum rejiciendum. Decantatum deinde tamdiu coquendum, donec primò in maſſam pultaceam, mox in talem abeat duritiem, ut inde Lapilli aut fruſtula formari poſſint, quæ Cauteria vocantur, & vitro benè clauſo indita, in loco ſicco aſſervari debent, ne humidioris aëris attactu liqueſcant. In Salis Nitri locum *Vitriolum Calcinatum* ſubſtitui poteſt.

Priuſquam autem Cauterium applicetur, probè examinandum, an vaſa ſanguinea majora, tendines aut nervi in ea parte occurrant: quæ ſi à Cauterio graviter læderentur, funeſta producere poſſent ſymptomata.

Si verò nihil horum obſit, Emplaſtrum glutinoſum perforatum admovetur, hujus foramini Cauterium, cauterio Plumaceolum, plumaceolo iterum Emplaſtrum imponitur, denique Faſcia omnibus hiſce ſuperinducitur, atque in hoc ſtatu per duas, tres, quatuorve horas relinquitur. Ubi autem tanto temporis intervallo ſatis profundè pars nondum corroſa fuerit, & materiæ nihilominus exitus concedendus ſit, Scalpello via ipſi aperienda.

Sunt qui in Abſceſſuum apertione ſolo Scalpello, ſequentes ob rationes, utuntur:

1. Quoad longitudinem & profunditatem tanta fieri poteſt Apertio, quanta requiritur, & à Chirurgo deſideratur.
2. Ipſo inſtanti materia effluit, patienſque levamen percipit.
3. Cauterio Potentiali Operatio ſi inſtituitur, circa partes glanduloſas peculiari vaſe excretorio aut vaſculis Lymphaticis donatas, ob calloſam hiſce ductibus introductam oram, Sæpius ſymphæ aut ſeri ſtillicidium ſubſequitur, quod ab inciſione cultelli ope peractâ non ita metuendum.

Tumore apertô, aut inciſô, materiâque purulentâ excretâ, aut expreſsâ pro rei neceſſitate, cannula excernendæ materiæ tranſitum præbens immittitur.

Injectiones quales in fiſtulis & ulceribus adhiberi ſolent, hoc in caſû ſæpius quoque neceſſariæ.

OBSERVATIONES.

Abſceſſus ſub pſoa muſculo inciſus & curatus.

Coſmus Slotanus, Chirurgus præſtantiſſimus, in *Gersheim*, ad honeſtam matronam acceſſitus, eam invenit decumbentem cum acutiſſimis doloribus circa lumbos, febre, leipothymia, & urinæ difficultate. Is quum ex doloris ſpecie, aliiſque indiciis cognoviſſet, apoſtema eſſe internum (exterius enim nihil apparebat, nec tactu quicquam apprehendi poterat) nimirum ſub pſoa muſculo, qui Veſalio femur moventium ſextus, & ſeptima muſculorum tabula t. octava vero ⊖ notatus eſt, vitæ periculum prædixit: niſi forte aperto latere illo, contentus humore efflueret. Annuentibus amicis, ipſe ad ſpinæ dorſi latus, cutim & muſculos exteriores ad pſoam uſque incidit novaculâ. Effluxit copioſus humor purulentus & fœtidus. Ab eo tempore mitigata ſunt ſymptomata omnia & ipſa brevi reſtituta, vixit & valuit multos annos.

Ulcus ad menſes aliquot turundis, cùm ex radicibus gentianæ, tum & ſpongiis præparatis factis ea medicamentis mundificantibus & abſtergentibus illinitis, apertum retinuit. Poſtea ſarcoticis carne implevit Ab injectionibus tamen, quę ſyphone fiunt, plane abſtinuit. Quod etiam in omnibus aliis vulneribus & ulceribus, ſive ea in pectore, ſive in inferiori ventre fuerint, obſervandum: facillime enim pars aliqua injectionis in vacuum pectoris aut ventris delaberetur, ibique

ibique non leviora ſymptomata, magno cum periculo ægrotantis, excitari poſſent.

Similem plane curationem feliciter abſolvit Johannes Griffonius, Chirurgus præſtantiſſimus; ut ex litteris humaniſſimi atque doctiſſimi viri D. D. Claudii Boucardi, in Academia Lauſannenſi Philoſophiæ Profeſſoris celeberrimi: ad me miſſis, apparet; quas hic ſubjicere viſum eſt.

G. FABRICIO HIL D.

Viro Clarisſimo, Chirurgo Doctisſimo.

CLAUDIUS BOUCARDUS

S. P. D.

QUOD à me poſtulaſti, Vir ornatisſime, ut quam medendi rationem ante aliquot annos iniverit D. Johannes Griffonius, Chirurgus apprime expertus, quamque methodum ſequutus fuerit, in aperienda interiore vomica: tum ab eo qui perſanatus eſt, & etiam nunc apud nos ſuperſtes & ſanus vivit, diligenter inquirerem: tum quæ ſatis explorata forent, ad te fideliter perſcriberem, omnino mihi perficiendum eſſe, facile in animum induxi. Etſi enim mihi in mentem venit, te qui rerum medicarum, & chirurgicarum longe es peritiſſimus, ab homine ipſo coram percontando, multo melius omnia & ſingula morbi accidentia, comprehendere animo potuiſſe. Quia tamen ſenſi, de hac re meum à te requiri judicium, non committendum putavi, ut officium meum, quod cæteris omnibus in rebus tibi debetur, quas tu pro tua dignitate & amicitiæ jure deſiderare ex me potes, in hac una defuiſſe videatur. Quomodo in hac curatione ſeſe geſſerit, D. Griffonius, paucis nunc aperiam, prout mihi narravit is, qui ab illo ſecundùm Deum, in bonam valetudinem eſt reſtitutus: quique non ita pridem ludimagiſter in pago Verbigenenſi, nunc Lauſannę apud nos habitat: vir probus & mihi familiariter conjunctus. Hic anno 1585. juvenis, adhuc annum agens prope vigeſimum ſeptimum, dum ex Cinecii montis faſtigio ad radices deſcendit, in ſemita admodum proclivi, ſibi minus proſpiciens, repentino impetu cecidit ſupinus. Et quod ad mali cumulum acceſſit, enſis ejus capulus ſub coſtis nothis, & rene ſiniſtra interceptus lumbos non leviter contudit atque obtrivit. Neque tamen nunc temporis aut ſe magnopere læſum ſenſit, aut ab incœpto itinere deſtitit. Poſt aliquot deinceps dies, remiſſus primum dolor, in parte lumborum ſiniſtra ab eo perceptus eſt qui ſenſim tamen crevit, ut ad cruciatum, tormentique vim accederet. Hinc vigilię aſſiduæ, appetentia dejecta, quum interim nec ſitis magna, nec febris admodum ſenſibilis, hominem affligerent: nec verò etiam in affecta parte livor, aut tumor, aut macula extrinſecus omnino appareret: ſed plana omnia, & à naturali ſitu, coloreve nullatenus diſcrepantia. Quod rei ipſius eventus poſtea perſpicue docuit, ingens humorum vis ex univerſo corpore ad eum muſculum ſeceſſerat, qui ſiniſter eſt duorum dorſi internorum, quos pſoas Græci dicunt, quique ad penitiores lumborum partes diſpoſiti, renibus ſubſternuntur. Quippe lapſus ille ſupra commemoratus, & vehementior contuſio, in eam partem fluxioni occaſionem dederat. Ibi in anguſtiis humores concluſi, prohibita tranſpiratione, facile computruerunt, & mole ſua verum abſceſſum effecerunt Nam ut docet Galenus, primo l. de different. febrium, c.3. promtiſſime putreſcunt omnia calida & humida, in calidis locis contenta: niſi difflari ipſa & refrigerari contigerit. Idem l. 11. & 12. meth. paſſim. Porrò quis humor in hoc abſceſſu dominaretur, ſi quod ſentiam, quæras. Exiſtimo quamvis cæteri non defuerint, pituitam tamen quantitate plurimum ſuperaſſe. Hujuſce rei argumentum mihi ſuppeditant ſymptomata ipſa Nam bilis, pręſertim flava, ubi computruerit, & præter naturam incaluerit, ſi in alios humores dominium obtinet, inflammationem vehementem & febrim citiſſimi motus, ſenſuſque ipſos acutiſſime ferientem, excitare ſolet: hic autem febris adeo, ut ita dicam, obtuſa fuit, ut vix ſenſibus perciperetur. Præterea quum ſiti non premeretur æger, quid inde aliud conjectare licet; quam in cacochymo corpore pituitam tantopere redundaſſe, ut ea ventriculi tunicæ penitus imbutæ, cibum quidem omnem faſtidirent; verum tamen nullo potûs deſiderio nimis humidæ ipſæ tenerentur. Accedit, quod juvenis ad multos annos in locis maritimis commoratus fuerat, ubi ſicut retulit, piſcibus, & id genus eſcis pituitoſis victitare conſueverat. Dolores intenſi partim ex nonnulla inflãmatione naſcebantur, partim ex membranarũ, nervorum, aliarumque ſentientium partium diſtentione, quæ nimia humorum copia ſupra modum turgeſcentes, inſtantem ſolutionem pręſentiebant. Denique ex acutis doloribus ſomni capeſſendi facultas adempta. In hoc valetudinis ſtatu conſtitutus homo Genevam (à qua civitate tum fortè proxime aberat) à ſuis perducitur. Ibi à quodam Medico (cujus nomini de induſtria parco) tanquam nephriticus, habitus & exceptus eſt, qui renis ejus ſubſtantiam vel phlegmone laborare, vel quoquo modo obſtructus, ipſum iis omnibus potionibus intus proluebat, quæ & inflammationem ſedare, & calculum ex renibus diſturbare potenter valent. Sed perperam, nam nec mictio ardens & laborioſa, nec urina mucoſa, nec alvus impedita, quæ ſunt ἀώριστα τῆς νεφρίτιδος ſigna, ſeſe oſtentabant, ſed contraria & naturalia omnia. Quapropter ubi poſt multos dies non ſuccedit medendi methodus: Tandem à pharmacopœo ad D. Johannem Griffonium adductus eſt. Qui confeſtim quod alium quendam ſimiliter affectum non ita pridem curaverat, totum quod erat morbi & mali, cognovit, & infirmo juveni diſerte explicavit, ac ſimul ne ars naturę hac in parte deficienti & impotenti opem ferret, purique intus concluſo exitum quoquo modo pararet, ingentem illi imminentemq; perniciem prædixit. Nimirum fore ut diſrupto tandem ad partes interiores abſceſſu, humores noxii in κενεῶνας diffuſi, & in abdominis capacitatem dilatati, renum ſubſtantiam, peritonæum, & ſenſim viſcera corrumperent: præterquam quod tetri vapores dubio procul ex tam luculenta ſentina in cordis ſinus eſſent aſcenſuri, qui tum febrilem & accidentarium in eo calorem accenderet, tum nativum ſuffocarent & extinguerent, tum ſpiritus per univerſum corpus ſpargendos labefactarent. Ex his non poſſe vitam in certum diſcrimen non adduci. Quibus acceptis, æger totum ſe benevoli Chirurgi commiſit arbitrio. Hic vero quamprimum iſtud curavit (qua in re ſingularis ejus eluxit induſtria) ut materia, quæ univerſam lumborum regionem occupabat in unum ejus locum, adhibitis medicamentis, potenter ex alto trahentibus, convocaretur: ubi ſcilicet & præcipua vaſa pauca eſſent, & motus inſtrumenta minus inter operandum lædi poſſent. Quod poſtquam ſtylo argenteo partem identidem pertentans, ex doloris ſenſu aſſecutum ſe eſſe vidit, illico (neglecta purgatione prævia, quam æger paulo ante cum magna virium jactura multoties ſuſceperat) ad latus ſiniſtrum, quartæ lumborum vertebræ, novaculâ ignitâ vulnus inflixit: profundum certè quantum digiti indicis longitudo ex volâ prominet, ſicut ex penicillô poſtmodum injectô licuit conjicere. Tum nihilominus duobus digitis in illud idem vulnus intromiſſis, quò patentior fieret exitus pus ex eô copioſum effluxit. Poſitô verò evacuationi juxta artis præcepta modô, Chirurgus ægroto penicullum, ſeu, ut vocant, turundam argenteam imperavit, quâ unguentis purgantibus & detergentibus illitâ, ad aliquot menſes uteretur. Quę ubi ad amuſſim obſervaſſet, & decentem vivendi rationem tenuiſſet, vulneris labra ſponte coaluerunt, ſic obductâ cicatrice, ut fiſtuloſum nihil; aut dehiſcens relictum fuerit, ac demùm ita de integrô convaluerit, atque in ſanitatem reſtitutus ſit, ut poſtmodùm, nec inferioris erectione, nec in dorſi inflexione, nec in ullâ actione naturali, difficultatem, ex prædictô vulnere, vel abſceſſû, ullam unquam ſenſerit &c.

De

De abſceſſu Peſtilente pueros præfocante ex Marcô Aurelio Severino, in ſuô, de Reconditâ Abſceſſuum naturâ, Tractatû.

MOrbo huic τὸ θεῖον, quod Hippoc. primus adſtruxit, nos divinum dicere conſuevimus, eſſe nemo dubitavit ad hanc diem, ſive quod Dei proviſoris vindiciis immiſſus, ſive quod aëre communicetur, ſive quod occultæ ſit naturæ: quæ tres effatus divini ſunt interpretationes medicorum communes. Nimirum hunc An. Chriſti ſupra MDCXIIX. in noſtram gentem ingreſſum anteceſſit bonum annua lues; quo mirum in modum ſtrangulati concidebant. Cum enim primum homines inceſſit iniqua lues, demirati ſatis non ſunt tam medici, tam naturæ interpretes omnes immanem tum afficiendi, tum conficiendi modum. Extant de hac re propria & peculiaria Aretæi Cappadocis monumenta, quæ, quoniam brevia, compendioſa, luculenta, accommodata, rata & gravitatem & majeſtatem Hippocr. referunt omnia, præſtiterit ſemel integra, quàm conciſa ſæpius ac dijecta produci: tum ut antiqua morbi Idea, quantum hodierna coëat, perſpici poſſit, tum ut ſuo quaſi πρωτοτύπῳ & exemplari norma ad exercitationem hanc omnem parato nobis liceat uti. Interim autem audieris ſummum virum quaſi vices noſtras loquentem c. 9. l. 1. de cauſis & ſignis morborum, in hunc modum, verſione Junii Pauli Craſſi. Ulcera tonſillis fiunt aliqua mitia, familiaria, non lædentia; aliqua aliena, peſtifera, necantia. Mitia quidem ſunt munda, exigua, non altò deſcendentia, non inflammata, dolorem non excitantia. Peſtifera ſunt lata, cava, pinguia, quodam concreto humore albo, aut livido, aut nigro ſordentia. Id genus ulcera Aphthæ nuncupantur. Quod ſi concreta illa ſordes altiùs deſcenderit, affectus ille Eſchara eſt, atque ita græcè vocatur, latinè, cruſta. Cruſtam verò circumveniunt rubor excellens & inflammatio & venarum dolor, quemadmodum in carbunculo & exiguæ raræque puſtulæ, quas Græci Exanthemata vocant, orientes, hiſque aliæ ſupervenientes in unum coaleſcunt: atque inde latum ulcus efficitur. Id ſi interius in os depaſcendo ſerpit, ad columellam uſque pervenit, ipſamque exedit, & linguam etiam occupat, & gingivas & frena, id eſt, dentium alveolos, denteſque inde labefactantur, & denigreſcunt. In collum etiam phlegmone erumpit, atque iſti haud ita multis diebus poſt phlegmone febribus, fætore, inediaque conſumpti intereunt. At ſi in pectus per arteriam id malum invadat, illo eodem die ſtrangulat. Pulmo enim & cor, neque talem odoris fœditatem, neque ulcera, neque ſranioſos humores ſuſtinent: ſed tuſſis ſpirandique difficultas enaſcitur. Cauſa maleficii tonſillarum eſt frigidorum, aſperorum, calidorum, acidorum, adſtringentiumque devoratio: quandoquidem hæ partes pectori ad vocem ſpiritumque edendum inſerviunt, & ventri ad alimenti tranſmiſſionem & gulæ ad ejuſdem devorationem obſequio ſunt. Internis verò partibus, ſi quod contingat incommodum, ventri videlicet, gulæ, & pectori, ad iſthmum & tonſillas & loca ibi poſita mali conſenſus & eructationes perveniunt. Quapropter pueri uſque ad pubertatem maximè hoc morbo tentantur: præcipuè namque pueri multum frigidum aërem inſpirant. Quoniam in his plurimum caloris ineſt, & ad cibos intemperantes ſunt, & varia concupiſcunt, & frigidam potant, & excandeſcentes ac ludentes altius vociferantur. Puellis quoque uſque ad menſtruæ purgationis tempora hæc vitia uſitata ſunt. Regio Ægypti horum affectuum planè fœcunda eſt, aër enim ſpirando ſiccus adducitur, varios præterea cibos ſuggerit. Radices enim herbæ, atque olera ibi largè proveniunt, & acria ſemina, & potio craſſa, utpote Nili aqua. Sibi verò Ægyptii ex hordeo & ex floribus ſ. vinaceis potiones, acres conficiunt. Syria quoque maximè illa, quæ Cœle, i. e. cava nominatur, Symodi morbos procreat, unde Ægyptia & Syriaca ulcera id genus appellant. Modus verò mortis quàm miſerrimus accidit, dolor quidem acer & calidus, qualis in carbunculo, ſpiritus vitiatus, exhalant enim maximæ putredinis odorem, eumdemque vehementer in pectus ſpirando adducunt. Immundi adeò ſunt, ut neque ſuum ipſorum odorem ferre queant. Pallida his, ſ. livida facies, febres acutæ, ſitis, ut igne accenſi videantur: Potum, veriti dolores, non admittunt: triſtantur enim, cum tonſillæ comprimuntur, aut potius in nares reſilit. Cumque decumbunt, ſurgunt, ut ſedeant, decubitum non ferentes, quod ſi ſedent, quiete carentes, iterum decumbere coguntur. Plerunque autem recti ſtantes obambulant, nam quieſcere nequeunt, ſolitudinem fugiunt, dolorem tollere dolore tentantes. Inſpiratio magna eſt, frigidum enim aërem ad refrigerationem deſiderant: exſpiratio verò parva. Nam veluti igne exuſta ulcera cùm ſint, à calido præterea ſpiritu incenduntur, raucitas adeſt, vox nihil ſignificat. Atque hæc in pejus ruunt, cùm ſubito in terram collapſis anima deficit. Hæc Aretæus: quæ nos quidem, quantum tractatuli brevis anguſtia permittit, enarrare primi experiamur. Exorditur Author Κατάτινα διαιρετικὴν τινῶν μέθοδον à diſcriminibus tonſillarum, ſumma ſcil. & prima tractandi omnium hypotheſi; ſine qua luce aut duce neutiquam bene proceſſiſſet ὁ Αρέτοι@ quaſi ὡς ἀληθοι@ ἀνήρ. Aliqua aliena peſtifera necantia alterum membrum. Finita a. ſi rectè dicta percipimus, utraque non lædentis læthaliter uno & necantis altero termino. Mitia igitur non lædens genus ritè ſequitur, ut quod minimè crudum ſed coctionis particeps eſt, à fructib. & pomis ducta ſimilitudine & vocabulo. Propriè enim, quod coctum & dulce eſt guſtabili cuiquam, id mite eſt pomis, ſi quando dictum eſt Poëtæ, *Sunt nobis mitia poma.*

Viſe autem, quæ de miti vocula diſſeruit Ludovicus Duretus

Jam verò mitium claſſem & comitatum infra accenſebit Autor. Interim, amice, advertis his tractari proponive tonſillas eatenus, quatenus ulceroſæ vel ulcera ſunt, haud verò, uti tubercula, quippe poſt unam inflammationem in hæc non conſiſtentes pergere conſueverunt in ulteriorem abſceſſum: quinimò, ut in c. 9. lib. 1. de morb. acut. curatione ait; Illitiones acrium medicamentorum faciendæ ſunt, neque enim ulcera quieſcunt, neque cruſtæ in ſuperficie fiunt, q. d. ſed intimis glandulis familiaria. Sunt quippe tonſillæ pleriſque inquilina & conſuetudinaria, ut puellæ cuidam è Caracciolis, & Marchioni Mirabellæ, quod ſit ſcil. propria & privata capitis & cerebri craſi & conformatione. Quemadmodum enim externo collo luunt ſtrumas, qui compreſſis utrinque temporibus latis genis & maxillis ſunt homines Arnoldo Villanovano, ita & interno gutture ſub malè conſtructo capite debent incurrere tonſillas: alii fortaſſis autem quod familiare eſt Aretæo, illud eſt, quod ſpectavit Aëtius dicens, aliquando fieri tonſillas conſuetis inflammationib. familiaribus autem tonſillis ἀντιςρέφοντα reſpondentia ſunt, quæ mox ſubdidit autor aliena.

Peſti-

[*Peſtifera necantia.*] Latinis hominibus eadem ferè ſunt hæc, utraque laxius ſcil. uſurpatio peſtiferi nomine. Verùm non ita quidem apud phyſicos & medicos, qui peſtiferi vocem volunt preſſius eſſe, id quod eſt à peſte: hæc verò quoniam non perpetuo necat cunctos, verùm hanc plerique ſeu naturâ, ſeu arte præfugiunt: ideo ſubditum aliud, [*necantia.*] Noto autem gradatim hæc propoſita aut potiùs diſpoſita; quandoquidem ab alieno gradu ad peſtem itur, ab hac verò ad interitum. Pergit aut; κὶ τῷ σφωτέρῳ γαφνίαν noſter autor, exponitque initium ordinem, quæ ſunt [*Munda*,] id eſt, pauca & exſortia ſordis, de qua non longinque dicturus eſt. Attinet autem hoc ad habitum & qualitatem. Ceterum quod ad τὴν ποσότητα ἢ τὸ ποσὸν attinet, adſcribit & exigua: porro exilitas ſi quo in vitio laudabilis eſt, in tonſillis & locis alioquin iſthmi μικρογκοσμώδης laudabilis eſt cum maximè; præterquam quod exilitas tumoris unà præ ſe fert vitii mendicitatem ſuâ naturâ, quanquam haud ignoro ſæpiſſimè fieri, ut ſub puſillulo tuberculo & vitii cicerculo latitaverit & concluſa fuerit vis veneni magna: quam equidem ad creperis miculam ferociæ diſſonantiam oſtendi luculenter in perdolentibus impreſſuris condi. l. 4. de recond. abſceſſ. nat. Rectè hoc, inquam, fieri. Verùm exilitatem, probari per Aretæum, quæ accedat ad puritatem etiam, & ad τὴν ἐπιπολὴν κὶ τὴν ἐπιφανίαν: ubi videlicet ulcera non ſunt altè deſcendentia, adde, neque inflammatione, neque dolore ſeptas, quib. utriſque affectibus expertia non ſunt tubercula, quæ ambitu minimo ingentem complectuntur malitiam, & quibus utriſque affectibus tonſillæ, vel quæ mites fuerant, afferantur.

Peſtifera poſthæc deſcribit à latitudine atque altitudine, excavata, quaſi dicat per omnes ſpatii dimenſus extenſa putredinis infrenis depaſtu, quę nome dicitur græcè ab authore noſtro paulo poſterius exponenda, eo quidem futura deterior, quo ſe in exangues & ſpermaticas particulas, id eſt, in nervos ſolidos & in membranas, ne dicam in oſſa deſcenderit.

[*Pingula*] non naturâ me hercules, ſed putredine, quæ in oſſa defixa hæc etiam pinguia reddit, authore Cornelio l. 8. cap. 3. Eſt autem pinguitudo iſta reſoluta ſubſtantia per vim caloris extranei. Poſtquam enim calidum ἔμφυτον eliſit atque exterminavit, vinculo, quod partes exhauſti corporis colligabat abacto ſecedunt eædem & nullo præſidio fotæ ſecedunt in limoſam quandam ſubſtantiam, quæ pinguedinem refert: & refert quidem potiſſimè pinguedinem colore ſubpallido, vel inter pallorem & alborem medio: ſic notat hanc Auth.

[*Concreto quodam humore albo*] Quanquam & albo colore, qui minus inviſus eſt, prætergreſſo, in lividum primùm, mox in nigrum abit hæc ſordes, quam malo depinxi: peſſima ſcil. ulceris ſorte, quemadmodum Hipp. l. 2. prorrh. nota 17. nos docuit.

[*Id genus ulcera aphthæ nuncupantur.*] Elicit ex dictis aphthæ naturam, quaſi definierit aphtham ulcus latum, cavum, pingue, ex concremento quodam humoris albi aut livido aut nigro ſordeſcens. Cui definitioni refragari videtur author definitionum medicarum, cui aphtha eſt ἕλκωσις ἐπιπωλαίος ἐν στόματι γιγνομένη. ἐπιπολάζει δὲ αὕτη ἡ ἕλκωσις μάλιστα παιδίοις. Quæ latinè ſunt: Aphtha eſt exulceratio ſuperficiaria in ore puerorum. Accidit autem hæc ſecundùm ſuperficiem ulceratio maximè pueris. Refragantur, inquam ei, quod dixit [*cava*] hæc, quę græcè ſunt ἐπιπόλαιος κὶ ἐπιπολάζει. Veruntamen ut hunc nodum diſſolvas, meminiſſe te oportet, quod ſermo eſt Aretæo de aphthis peſtilentibus & malignis: alteri verò definitori obverſatæ ſunt animo aphthæ leviſſimæ & nullâ cum putreſcentiâ vel proſerpentiâ conjunctæ. Advertis autem, quod Aretæo genus aphtharum ulcus fuit; definitori verò ſecundo exulceratio: diſtant autem intervallo non modico τὸ ἕλκος, καὶ ἕλκωσις. Nempe exulceratio minimè perfectum ulcus arguit, neque numeris omnibus abſolutum, quanquam contra eſt Aëtius, qui l. 8. c. 39. dicens; porro ſi in putredinem aphtha vertatur, non convenit amplius aphtham eam affectionem appellare: Verùm huc ego inquam, ecquis nominum imponendorum inhibeat præſcribatque rationem? præſertim cùm anxiam nominum curam ſapienti viro abundat Galenus quàm ſępiſſimè.

[*Quod ſi concreta illa ſordes altius deſcenderit, affectus ille eſchara eſt, &c. uſque ad exanth. verbum.*] Quoniam quidem hanc cruſtam carbunculo comparat Aretæus; delineatam hanc accipe ex uno Cornelio, qui l. 5. rei medicæ cap. XXVIII. quod eſt de carbunculo, ſcripſit hęc. Circa quam quaſi cruſta eſt, eaque inflammatione cingitur, neque in eo loco levari cutis poteſt, ſed interiori carni quaſi affixa eſt. Idque vitium ſubter actis quaſi quibuſdam radicibus ſerpit: interdum celerius, interdum tardius ſupra quoque procedens inalbeſcit, dein lividum fit, circumque exiguæ puſtulæ oriuntur; etſi circa ſtomachum fauceſve incidit, ſubitò ſpiritum ſæpè elidit. Hæc quidem Celſus, quorum enarrationem ſi capis, hanc in noſtro ſuper hunc authorem commentario habebis.

[Orientes hiſque aliæ ſupervenientes in unum coaleſcunt, atque inde latum ulcus efficitur.] Calore ad putredinem primùm agente concurrentes puſtulæ complures in unum diſſolvuntur, deinde nomen, id eſt depaſtum moliente latum ulcus redditur.

[Id ſi interius in os depaſcendo ſerpit ad collumellam &c.] Nomę ferinæ vi nimirum, quam & l. 1. de curandis acutis morbis c. IX. F. deſcribit etiam per hæc; quibuſdam & columella uſque ad palati os exeſa eſt, quin etiam tonſillæ ad baſin uſque epiglottidę, ac propter cicatricem devorare, neque ſolidum quicquam neque liquidum poterant, ſed & ipſum, quod bibebant, interdum repercuſſum hominem fame necavit.

[At ſi in pectus per arteriam id malum evadat, illo eodem die ſtrangulat.] Pulmo enim & cor neque talem odoris fœditatem, neque ulcera, neque ſanioſos humores ſuſtinent. Hęc ab Aretęo reddita cauſa mortiferę deſtillationis. Cui tamen adverſantur experimenta, quod pulmo quidem vomicas & tubercula diuturna, & uſque etiam ulcera ſuſtineat perſtante vita hominis ad decades annorum etiam una plures: Cor verò, ut oſtendimus hoc eodem opere, vitia pleraque, hoc eſt, tubercula, ſcliromata, ulcera, concrementa multigena & horrenda patitur, quanquam autem ejus facti multiplicis plenam & ſatisfacientem ibidem expoſuerimus rationem, nihilominus placet magis ea ratio, quam idemmet protulit autor in l. 1. de curatione acutorum, cap. 9. per hęc; Verùm ſi ab his tonſillarum ulceribus, puta ſanies ad anteriora deſtillet, celeriter partes etiam, ſi integrę ſint, ulcerantur, celerrimeque ulcera interius depaſcendo ſerpunt, atque hominem perdunt.

[Cauſa maleficii tonſillarum eſt frigidorum, aſperorum, calidorum, acidorum, adſtringentiumque devoratio.] Aretęus quidem cauſam maleficii demonſtrare volens, pravam victûs rationem compluribus adſtruit argumentis. Cujus univerſę argumentationis capita & propoſitiones, cùm non ſint declaratæ ſatis neque explicatæ, præſertim ſecundùm noſtrum inſcientiæ exigentiam, pace graviſſimi viri, difficile fit attendentibus

aut deprehendere primum ſententiam ipſius aut vim rationem, atque univerſam demonſtrationem comprehendere. Itaque ne tanti viri ſcriptis uſi fuerimus gratis: ejus uſuram dare conabimur cum fructu ſic, ut aliquando operæ pretium feciſſe videamur. Igitur ut intelligatur Aretæi diſſertatio, proponendum eſt ante nobis ejus propoſitum primum, & univerſus progreſſus gradatim animo percurrendus. Primum peſtilentium tonſillarum vitioſus victus eſt cauſa demonſtranda; ſtatueris pariſthmia fauceſque complexim ſumtas pro alibilib. ſimul & ſpiritualibus viis, januam eſſe pleriſque ſubeuntibus in corpus, tum egredientibus ſubſtantiis, quæ nihil quidem exaſperando, nil pariter etiam lædunt tranſitu partes, cum verò exaſperant & labefactant, in promptu concitatum tonſillæ ſenſerint malum. Atque pleraque ſunt, quæ exaſperant, tum quidem per ſe particulam, tum internis partibus incommodando; quæ cum poſtmodum incommoda refundunt in eandem partem viciſſitudine quadam facta. Exaſperant, inquam, alimenta prætereuntia, dum ſubeunt in ventriculum, frigida nimirum, aſpera, acria, quæ vocat calida, acida, adſtringentiaque. Quo facit illud Archigenis ap. Aëtium hoc ſermone, c. 47. occultæ anginæ cauſam eſſe in quibuſdam nervos, qui ad ſtomachum feruntur, dum malè afficiuntur, & poſt inferioribus membris, pulmoni, inquam, & cordi reſpirandi principium inflammant, arteriis verò, quæ carotidas appellant, itemque aliis adjacentib. inde inflammationem tranſmittant. Cùm hoc autem in omnibus ætatibus promiſcue fiat, potiſſimum in pueris fit ſæpiſſimè, quibus inſpirandi frigidiſſimi aëris uſus multus eſt, ut qui calore multo exæſtuent. Deinde ſuâ ipſorum vivendi intemperantiâ & ciborum varietate labefactantur & corrumpuntur ſucci, qui acceſſu ſuo partes pariter labefactant atque corrumpunt. Tertiò, quia frigidam potant, quartò, excandeſcentes & ludentes altius vociferantur.

Dixit hoc genus vitio pueros & puellas impuberes obnoxios, mox dicit & Regionem Ægyptiam & Syriam valloſam eidem malo comparatam eſſe propterea, quod incolis aër ſpirando ſiccus adducitur: Deinde varietate ciborum, olerum multorum, item variorum ſeminum, id eſt, leguminum, quibus & Alexandrinis pravos gigni ſuccos obſervaverat Galenus. Item aquæ Niloticæ potione craſſa, nec non ex hordeo & vinaceis confectis potionibus acribus bilioſus creatur ſanguis, qui ad tonſillas nempe laxas & imbecilles delatus has inficit & conterit facilè. His ſic per nos diſpoſitis & enucleatis, vides jam lector, tonſillarum peſtilentium binas in univerſum cauſas ſive pueris, ſive certæ genti perpetuas eſſe, aut exaſperatis, inquam, aut alimenti vitio variè corruptis partibus. Itaque cauſa primum redditur univerſalis, mox puerilis ætatis & regionum peculiaris.

[Modus verò mortis quam miſerrimus accidit.] Suſpendio nimirum ſimilis, & quod non aliter; quàm laqueus præfocans interficiat: nam Græci anchones ſuſpendia vocaverunt; quæ ferme verba ſunt Aureliani lib.3. acut. cap. 1. quod eſt de cynanche: exoſa, inquam, moriendi ſors, adeò hos moriendi pavore conſternati fuerunt magnanimi Heroës ap. Homerum Laodamus, apud Virgilium Æneas, de quo cecinit Poëta.

Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra.
Ingemit & duplices tendens ad ſydera palmas,
Talia voce refert: ô terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus altis,
Contigit oppetere.

[*Dolor quidem acer & calidus*] incenſivus Avicennæ more l.1. doct. 1. ſum. 1. c. 1. rectius autem incendioſus, latè undique exſpirante igneo fervore, qui inſeparabilis eſt aphthis, quas exulcerationes habentes in ſe quiddam igneæ caliditatis dixit Aëtius l. VIII. c. 39.

[*Spiritus vitiatus.*] Dixiſſem equidem potius halitus, *haleine* Gallicè, Exhalant enim maximè putredinis odorem; id quod fit quidem certè peſtifera corruptione; verùm is fœtor uberrimè nanciſcitur cauſam ex conditione partium affectarum, quæ ſunt adenes, carnes puta humidiſſimæ & flaviſſimæ; in anguloſo præterea loco concluſe, quæ inter omnes minimè poſſunt reſpirare.

[*Eundemque vehementer in pectus ſpirando adducunt*] ut gaudet porro ſpiritalis vitaliſque præcordiorum natura puro limpidoque aëris attractu: Sic contra tetro & coinquinato triſtatur. Jam audi diligentiam & emphaſin Aretæam, namque addidit quaſi cogi naturam, ut abunde attractum aërem fœdum cogatur attrahere; attrahit autem abunde in tanto æſtu, in quanto ſunt anginoſi, præcipuè pueri, naturâ calidiſſimi, ut præmonuerat dudum.

[*Immundi a ſ.*] Exaggerat immunditiem, quæ eſt tanta, ut neque ipſi ſuarummet carnium fœtorem ferre poſſint, q. d. quando igitur gravius ferant appropinquantes.

Pallida ſ. livida facies] vitio præcordiis incumbente, à pulmone præſertim, qui de proxima vicinia, qualis ipſe eſt, tales & genis refundit colores.

[*Febres acutæ, ſitis, ut igne accenſi videantur*] facta compreſſione & putredine inita partium reſpirationi dicatarum & ſæpe etiam præcordiorum ipſorum. Id equidem per initia fieri vidi, rarior autem cauſos febres noſtro tempore: quin, ut verè dicam, videntur tepetiores atque ut capite ſeptimo vocat hic idem author, ignavæ, molles, nihil proficientes.

[*Potum*] & hic emphaſis etiam eſt, quippe quod maxime avent per ſitim, idem per alia incommoda refugiunt & exhorrent: adeò præponderant hæc incommoda frigidi humidique appetentiæ. Sunt autem incommoda duo graviſſima & potu tonſillas comprimente, & eodem per nares à faucibus refluente.

[*Cumque decumbunt.*] Pergit Emphaſis, quod quem maxime appetant, & conſulturum ſibi credunt componendum corporis modum, hunc experti continuò renuunt, atque uno eodemque tempore decubitum cum ſeſſu commutato, mox ſeſſum cum decubitu commutant, & rurſus neutrum experti commodum, recti deambulant domo, quietem odientes, quæ ambulatio offenſa inquies eſt continuo. Adeo nullus corporis continendi commodus uſus eſt.

[*Solitudinem fugiunt.*] Conſuetudines hominum conſequuntur, in quâ cum doloris pars ſit, ſe ſolos cernere gravatos, nihilominus hoc dolore priorem dolorem repellere tentant, ſed ſine fructu.

[*Inſpiratio.*] Magna eſt frigidi aeris uſu & inopiâ, ſed nihilominus amplè inſpirati non tanta identidem eſt reſpiratio, q. d. (ἐμφατικὸς γραφῆς eſt) ingreſſus & egreſſus ratio par, monſtrante Gal. in l. de reſpir. at ne reſpondet tamen regreſſus ingreſſui propterea, quod plus trahunt refrigerandi æſtus ſtudio, quàm reddere poſſint, non reddant autem mali cujuſdam fuga & concepta omnino cautela, ne retorrida ulcera retorreant inſuper efflatu fervido.

[*Raucitas*] eſt alluvione humoris.

[*Vox*] nihil ſignificat, corruptis & perverſis eloquii particulis effectricibus pleriſque quæ ſunt gargarion.

[*Atque hæc in pejus ruunt.*] Sic cum ſtatus languentis ſemper in pejus ruat, neque nocentis luis ullus modus ſit peſſundatis & proſtratis virtutibus repente ſpiritus deficit miſeros,

Cappadoci ſucceſſit ſcriptor Amidenus, cujus & è re noſtra fuerit pleraque ordine imitata huc transferri. Cruſtoſa & peſtilentia tonſillarum ulcera ut plurimum nullo præcedente tonſillarum fluxu incipiunt, aliquando à conſuetis fieri inflammationibus maximè efferatis perficiuntur. Fiunt autem frequentiſſimè pueris, atque etiam ætate jam perfectis, maxime his, qui vitioſis humoribus abundant, in his, quæ verè contingere ſolent peſtilentibus conſtitutionibus. In pueris verò, oris ulcere, quod aphtham vocant, præcedente omninò perficiuntur. Sunt autem partim alba, maculis ſimilia, partim cinereo colore, aut ſimilia cruſtis, quæ ferro inuruntur. Accidit autem ægris ſiccitas in tranſglutiendo, & ſuffocatio coarcervatim incidit, maximè quum rubor ſubeat mentum, aut ubi hæc acrimonia prætererit. Nome, quæ depaſcitur, locos excipit, ſucceditqne una putrefactio. Cui græcanicæ morbi figuræ diſpar haud eſt Italica noſtra, niſi quod paulo auctior per Symptomata capitis, quæ minimè recenſita veteribus hiſce ſcriptoribus viſuntur non infrequenter in noſtris hominibus malè affectis: præſertim viris, & fœminis natu jam grandibus. Equidem inter cæteros notavi duos, qui non ſine comate, ſtupore, caribaria atque aliis hoc genus occubuere. Neque enim ſæva Proſerpina pepercit capiti Medici, credo, quadragenario majoris, cui nomen Philippo Lucano, cujus & medicorum ſuorum, ut complurium aliorum inertiam non poſſum non accuſare. Altera fuit Laurentii Pharmacopœi conjunx, quæ delira per morbum ſæpè apparuit, morbo comnortua. Excretiones è naribus conſuetæ, putridæ, pituitoſæ ichorodis, aliquando cruori commiſtæ, aliquando duntaxat cruentæ meræ: Qua de re audi nobiles hiſtorias. Puella nubilis in parthenophylacio Spiritus ſancti eodem affectu dirè gravata cùm exitum è ſtangulatu expectaret, ex ſubitâ hæmorrhagiâ profuſiore præſentaneam opem ſenſit, poſtremo verò ex malo ori venefico ſervata, incertum quâ novâ morbi vi fuit inopinè ſublata. Verùm eâ fortaſſe causâ, quam ab Aëtio traditam paulo poſterius exponemus. Interim ſcire licet, unum è tribus pueris, qui peſſimè habuit inter cæteros, & nervorum languore relictum cruribus apprimè imbecillum, atque oculo ſtrabum tranſvoratum, verùm ſic impeditum à diu præterito affectu, ut vix emollitum humore panem dimittere valeret: quanquam duriuſculas panis offas & ſolidas molles fabas ingereret commodiuſculè. Quorum duorum paradoxorum ſymptomatum problematumque rationem graviſſimè declaravit Andreas Cæſalpinus in l. 2. controverſ. med. c. 13. Referentem hunc quia mihi referre non vacat, adi. Qua eadem ſanguinis per nares excretione facta puero decenni Joan. Laurentii Bozavotræ filio ſalus perfectè reddita eſt: quanquàm hic jugularis venæ ſectione fuerat egregiè levatus: obſervate hæc Mutio Capalbo Medico, qui ad Galenicam medicinam Hermeticam peritiam bellè addidit. Indicant hæc porro non obſcurè ſuperiorem tonſillis loco affectum ſedem, quæ cerebrum eſt. Cui noſtræ ſuaſioni favet anatome complurium corporum vi morbi enectorum, in quorum capitibus exectis reperti grumi ſanguinis lato ſchemate diffuſi ſub maximos ſinus membranæ craſſioris; Accedit & quod in duobus filiis Jacobi equitatoris extra portam regalem pueris provectioribus, & in Dionyſio Severino quinquenni puero dira lues nares utraſque compleverit putridis & præaltis aphthis, quæ virù putidiſſimo manabant. Quid? quod cum putrilaginem reddere viſæ ſunt nares, ut cerebri ſubſtantiam retulerint, teſtante Joh. Baptiſta Ferrario, Medico noſtrate ingenii ſingularis. Sed & illud ſilentio non involvendum, quod etſi tonſillas peſtilentes & ulcus Syriacum hocce vitii vocitemus; nihilominus obſervatum eſt ſæpè ſupra ſtrangulatum & puris jam ulceribus ſublatos pueros morbo, qui liberi fuerant reputati. Quinimò poſt XXX. dies & XL. jam prærepti morbi furoribus præter omnium opinionem ex improviſo ſunt extincti. Adeò ſcil. latitans & recondita veneni vis eſt.

Sed cum his etiam morem morbi venemur præcipuum, eſt enim & aliud diſcrimen nobis obſervatum apertis formis, quarum altera eſt acuta & fermè furioſa: altera propè ſedata & lenta, quas utraque fortaſſe determinat temperatura corporis, humor prævalens, habitus, ſenſus, mos; & hæc quidem in eadem urbe, oppido, pago. Cæterùm in longinquis & diſſitis locis binos hos duos morbi mores definiverunt quoque conſtitutio & tempus anni, aër, aqua, loci, victus, & cæteræ quædam occaſiones aut cauſæ: Acutus quidem morbi mos & ferventioribus ſymptomatis & febre ipſa ſeptus eſt acriori: contra verò lentus & ſerotinus mos ſedatiorib. & eſt motionibus tranſcurſibus ad tempora; Reliquum verò, quod concitatior inflammatione & acrimonia non ſit; nihilominus neque ſuâ deficit nocendi vi & virulentia, ſi quis ſit, qui ſagaciter & oculatè dijudicare vitium per leves ſuas converſiones & immutationes norit. Porrò dolor altius nutrit, & tacitam improvidæ naturæ perniciem ſtruit. Ita fit plerumque ut puris apparentibus locis ulcerum, & cruſtarum opinionem boni faciens, tamen exugit vivificum genio nectar, & ceu falſus Dux vitam in præceps deducit: quem in multis ludificatum ſuperiore nos ſermone retulimus. Quanquam & in hoc ſæpè tranſcurſu innocens & infraudulentus eſt idem morbus, quam ſinceritatem etiamnum agnoſcere ac deprehendere debet is, qui dextrè curat, ne ſuſpicione malorum adductus pleraque faciat, quæ fuerant minimè facienda, tam quidem adverſus creditam vitii vim pugnans chirurgia & medicamentis graviſſimis, tum ne natura competenti victu fovens & laxans, ubi licet. Verùm hæc ad medendi providentiam & ad cautiones pertinent, de quibus ſuo loco. His adde per noſtros omnes ſcriptores obſervatum, noſtra magis quàm interdiu gravare decumbentes: & horum pleroſque recta cervice reſpiratum capere, cum ſtatore, ut Scribonius loquitur, majore narium & diductione. Præterea collum & glandulas & per ſe fotum extumeſcere, quin & ad ſuperiorem thoracem excurrere latum œdema; Quę autem in Sporade angina indicium erat boni extumeſcentia: hoc peſtilentis argumentum eſt certiſſimum, ſaniem & cruore confuſas puſtulas nigras hoc illo loco parvas. Ectymata & puſtulę pulicum morſus referentes, lumbricos, vomitus, febrem, poſtque omnia ſervatus homo reſtat languidas, ſtupens, & in multum tempus imbecillis.

JAm verò majore labore dirè depopulantis affectus naturam ac τὸ τί ἐν perveſtigemus, de qua re noſtri omnes certant, & adhuc ſub judice lis eſt. Conſtitutum eſt apud univerſos ab ævo philoſophos, ubi rei cujuſpiam & abdita natura, hanc à ſuo proprio & inſeparabiliter aſſidente conditione venandam & cognoſcendam eſſe: Hanc unam & ſingularem in obſcuris inveſtigandam viam eſſe, Atque ſi propoſiti mali vel verè proprias, vel proprii locum obtinentes conditiones acri mentis indagine perſcrutemur, facilè deprehendemus, & contagioſum & peſtilentem affectum hunc eſſe. Quod autem ad contagium attinet, hoc tum communi omnium conſenſu atque experimento evincitur, tum etiam comprobatur ratione triplici, à priori nimirum & à poſte-

poſteriori. Ratio quidem à priori paulò poſterius exponetur, interim contenti ſimus à poſteriori illa, qua docetur, inſigni & tetra putredine, ſeptos morbos omnes contagioſos eſſe. De quorum numero ſunt expendendæ conditiones; quæ doctis omnibus & Hieronymo Fracaſtorio recenſentibus numero ſunt tres. Prima eſt, quod contagium nititur, & ſeſe promovet ſeminariis, quæ calida ſunt & humidę particulę putres divaporantes à ſubjecto corpore, neque autem inconſulto binæ iſtæ ad infectionem qualitates conjugari ponuntur. Humidum enim partes ejus corporis, in quo eſt, emollit & laxat, ad facilem harum ſeparationem quaſi præparando; calidum verò ſurſum attollendo ſeparat eandem: quas ob res craſeos totius ſeu miſtionis reſolutio ſequitur calido innatoque humido effluentibus: Sic certa jam eſt ſeminariorum, duarumque qualitatum in his coeuntium neceſſitas.

Præter qualitates autem has primas ſunt & aliæ, tum ſecundæ, tum tertiæ ſeminariis. Porro compactam admodum miſtionem habent, cum quâ lentor quidam glutinoſus conjunctus eſt, & cum lentor tenuis acriſque vis putredinis unius miniſterio profecta. Quâ quidem acrimoniâ ac tenuitate ſubſtantiæ ſit, ut iſthæc ſeminaria facilè penetrare propagarique poſſint in aliena corpora. Penetrationis autem modi ſunt tres. Unus per vim analogiæ, ſecundus per attractionem aeris ſive inſpirationem. Tertius per arteriarum & venarum dilatationem, quem dicunt tranſpiratum.

Secunda ſeminariorum proprietas eſt, quod in conſtituta certaque ſubjecta natum quendam & propenſionem habent, quæ dicta Græcis analogia eſt; Hæc autem eſt multiplex, & ſecundum ſuperiora genera, mediaſque ſpecies, & ſecundum infimas etiam, nimirum nunc ad arbores & ad ſata, nunc ad certas animantium ſpecies, & ad hominem ſpectat; & ex humanâ ſpecie partim ad ſexus, partim ad ętates, partim ad certos humores & ad certa membra occupanda naturaliter comparata eſt.

Tertia ſeminariorum proprietas eſt, quod ſordidam concluſamque putredinem habent. Sordidam intellige, in qua non ſuperficialis, ſed profunda & ſecundum totum fit putrefactio evaporatioque corporis putreſcentis. Concluſam autem dico, non abeuntibus à corpore, quę evaporant, ſed ſeſe agitantibus & ferveſcentibus intimè. Cujus quidem rei cauſa eſt lentor & tenacitas materiæ putreſcentis, qui lentor adhæſu firmo non ſinit quidpiam extra mitti.

Hactenus de contagii complexu & propriis conditionibus; nunc ad peſtilentem morbi conditionem brevibus enarrandam accedo. Atque hæc etiam plana eſt per definitionem à probatiſſimis autoribus traditam, & ſub tribus, ut vocant, additamentis comprehenſam; quorum prima eſt epidemiæ mentio, ſecunda putreſcentis aeris ambientis, tertia funeſti exitus à malignitate. Hæc inquam omnia ſubſunt in propoſito malo, quare jam peſtilens idem ſit oportet.

Quibus jam conſtantibus accedo propius ad rei caput, & primum ad morbi procreationem; & quoniam, inquam monſtratum eſt, luem per analogiam ad ætatem, ad certas partes, certoſque humores Spiritu attractos inſinuari: dico labis iſtius analogiam ſpectare ad puerorum naturam, ad ſanguinem crudum, & ad cerebri domicilia, Hæc ſingula accommodata & propria peſtilenti malo noſtro eſſe videntur.

Analogia quidem ad puerorum naturam longa obſervatione certa eſt; ratio verò incerta. An enim fortaſſe fit, ut ſic comparati pueri ſint propter excedens calidum & humidum: temperaturam nimirum ad putredinem & ad peſtem concipiendam, ut Mercurialis notavit, quàm maximè accommodatam. An verò huic affectioni ſunt obnoxii pueri propter naturalem impotentiam obſiſtendi cauſis iſtis morbificis, præditi ſcil. imbecillo, tenero, laxo, ſpongioſo corpore & multo maximè cerebro. An ſit inordinati victûs & vitæ cauſa: qua ſubinde ſanguis redundat crudus, atque adeò coinquinatus hic & impurus ſit paratior ad putredinem, & exinde ad luem recipiendam. Quo loco dicam tempeſtivè de analogia, quam lues hæc habet ad eundem, crudum, coinquinatumque ſanguinem. Analogia, inquam, non aloga, id eſt irrationalis, ſed certè conſentanea: quandoquidem in habentia ſymbolum, facilis eſt tranſitus. Atqui habent hæc ſymbolum, ſeminaria ſcil. calida & humida in ſanguinem item calidum & humidum, & impura in impurum.

Reſtat exponenda analogia peculiarem ſibi vendicans partem, neceſſariâ quadam lege præſcriptam, ut diſertiſſimè demonſtravit G. Falloppius, l. de morbo gallico c. 36. quę mea quidem opinione cerebrum eſt, his argumentis: Nam eo primum ſuppoſito, quod probatiſſimorum omnium autorum conſenſus docuit, contagium ad diſtans, atque omnem peſtilentiam communicari per aërem coinquinatum; porro aër Hippoc. l. de morbo ſacro primum admittitur à cerebro, relinquens in ipſo ſuum ipſius vigorem: ſi enim, inquit, in corpus primo adveniret, & poſterius in cerebrum dignotione aut judicio in carnibus & venis relicta: ad cerebrum calidior jam exiſtens perveniret, & non ſincerus ac purus, ſed admixto humore à carnibus & ſanguine. Hæc ille; quibus accedit, quod cerebrum ad patiendum & ad ſuſcipiendum maximè imbecillum & minimè obſiſtens, molle, ſcil. laxum, ac præſertim humidum, glutinoſum eſt, quod unicè facit ad concipiendam labem humidam & glutinoſam. Ad hæc cerebrum eſt glandulæ conſimilis, niſi nos fallat Hippoc. l. de glandulis n. 7. atque glandulas apprimè corripit peſtilentia; nimirum parotidas, alas, inguina, quod experimento quotidiano docemur.

Poſtremò conſtat ſanguinem fœdum, putridum, putidumque manare ſub iſta lue de naribus, & vocem rancidam ex his prodire: quod partim humorem, ut dixi, crudum, partim affectam ſedem oſtendit. Atque hæc de generatione ſint ſatis. Quæ cum demonſtrare voluerim, naturalibus adductis cauſis manifeſtariis, non eſt tamen, quod occultæ morbi formæ fuerit oblitus.

Generationis nunc modus tractandus ſequitur, qui ſic habet. Deductus aër putris per canales priorum ſinuum cerebri pervenit ad retiformem plexum arteriarum & venarum. Ibi primum corrupto ſanguine mox ſecedit, & penetrat corpus cerebri: Quod corruptum reſtat à poſtremo contagio. Quo tempore conſummatur ſtatus & forma ſive idea morbi. Hæc enim, inquam, ſphaceliſmus eſt, corruptio cerebri, ex qua deinde ſequuntur affectus alii, ac ſymptomata omnia. Quod corruptio autem ſic cerebri, ne quid te moveat: audi Hippoc. qui l. 2. de morbis n. 1. Corrumpitur, air, cerebrum, cum aut nimium calefactum, aut perfrigeratum, bilioſum, aut pituitoſum plus ſolito factum fuerit: Et de Coacis pag. 177. col. 1. cerebro corrupto alii in tribus diebus, alii in 7. moriuntur: Hos verò ſi effugerint, ſervantur. Cujus eſt ſimilis ſententia in aph. 51. l. 7. quo loco Galenus corruptionem non accipit vulgari modo, ſed ut docet Marinellus, nativi caloris exſolutionem à materiâ prævalente. Ad quam quidem opinionem ſi accedimus, non mirabile fiet, quod morbi quidam & læſiones

cerebri

cerebri non conſequuntur perpetuò, ut apoplexia, catalepſis, & cæteræ organicę paſſiones, quæ obveniunt ſecundum nervos & ſinus ductusque cerebri. Hæc alioquin paſſio fit ſecundùm cerebri ſubſtantiam æqualiter; quemadmodum autem ab hecticâ febre nòn agnoſcitur dolor, aut alteratio aliqua præcellens: & ſine his etiam ad mortem itur ſic, & in re noſtra non eſt cerebro pręcellens officialis aliqua læſio, pręſertim exordio, ſed concluſa illa & profunda labes, cujus memoriam ante fecimus, tacito quodam exitio perdit omnem ejuſdem craſin, quę dum fiunt, communicatur & ſubjectis partibus vitium, id eſt, vicinę tracheę, pulmonibus ac ſubinde cordi. Poſtremò, quibus omnibus ordine propoſitis facilè patet natura affectus univerſa, faciliſque etiam fit inventio definitionis; quæ fuerit, ſi placet, hęc. Morbus hic, quocunque tandem nomine indicetur, nominandus autem facilè à promptiore ſymptomate tonſillę cruſtoſę, eſt ſyderatio cerebri peſtilens, contagioſa, à ſeminariis impensè putridis delatis cum aëre, per ventos præſertim auſtrales ad glanduloſas puerorum partes analogia. Ex qua definitione ſeu mavis deſcriptione, & ex qua priore noſtra enarratione ſubinde comprehenſę ſunt & cauſę omnes, pręter unam finalem, quę medicâ in contemplatione non extat. Formalis, inquam, cauſa eſt ſideratio peſtilens, contagioſa. Efficiens verò ſeminaria impensè putrida delata cum aëre per ventos auſtrales. Materia vero ſiderationis ſunt humores ſeu ſucci pendentes, ut Aretæus vocat, intra corpus ſubjectum puerorum, & ſanguis earum crudus peſti maximè obnoxius & accommodatus propter eam, quę commemorata jam fuit. Poſſunt & facilè per hæc enodari problemata quamplurima ad ſingulas omnes cauſas & ad generationem generationibuſque modum attinentia; quę problemata propoſiti noſtri non eſt, hoc tempore explicare. Interim tamen non obliti cæterarum diſputationum, quæ cum hac epidemia coire ſolent: Harum quędam intra nos ſæpè, alię & longè plurimæ ſunt extra nos poſitę, quę potiſſimum etiam à noſtris omnibus ſunt commemoratę. Illarum, quę intra nos extant, aliæ permanentes, aliæ mobiles. Harum exempla apud Aretæum l. 1. de acutis affectionibus cap. 9. fuerit fortaſſe quod puellis uſque ad menſtruæ purgationis tempora hęc vitia uſitata ſunt. Earum vero, quæ in nobis ſunt permanentium exemplo ſunt, endemicæ tonſillę, quæ Aëtio authore in Tetrab. 2. ſerm. 4. c. 45. frequentiſſimè inflammationem incurrunt: Calidi & humidi cum ſint earum loci. Item quod hac affectione corripiuntur ſi maximè, qui pluximo abundant ſanguine, ac pueri, utpote craſſi teneram habentes. 3. quod à conſuetis fieri inflammationibus maximè efferatis producuntur peſtilentes tonſillæ. Ita quidem, hi bini ſcriptores, quibus nos addimus aliam à nullo notatam, ſed â naturâ ipſâ clarè docente, non dicente dictatam: quæ cauſa eſt prava capitis conſtitutio. Nimirum cùm exiſtente magna capitis prominentiâ poſticâ, deeſt antica, cum compreſſis tempore lateribus ac ſyncipite, quibus meatibus coarctatis, cum non habeat effluxum humor per tranſitus & emiſſaria anteriora, recurrere cogitur in poſteriora, & ad glandulam pituitariam unde vitium in fauces traducitur demum. Adhæc eſt debilitas capitis nativa; his præſertim pueris, quibus diu manſerunt inconſultæ futuræ, & in commiſſæ commiſſuræ. Inſuper eſt impuritas corporis & adhæſus ſuperfluitatum pinnarum, à parentibus relictarum, quæ ſuperfluitates educuntur maximè per exanthemata variolarum & morbillorum. Horum igitur inexpurgatæ materiæ & adhuc fœtæ corpore nonnihil adjuvant hoc morbi genus, de qua in noſtra pædarthrocace fusè traditum eſt. Adjuvat & cachexia, ſive ſeminine parentum, ſive lacte nutricis inducta: cum hac autem deprehenſa velim & corpora languidis viſceribus inſtructa, quæ dicta ſunt Hippoc. 2. prorh. κακόσπλαγχνα. Adjuvat & cacochymia: Ad ſummam debilitas ſive imbecillitas, præſertim quæ fit propterea, quod ex vetulis parentibus geniti fuerunt apoplecticis, epilepticis, rheumaticis, podagricis, cachecticis, &c. Quas internè latentes cauſas ſi quis inſpicere norit; mirè diſcreverit profectò difficiliime ſervandos à facilius evaſuris. Equidem, quod ad me attinet, maximum iſtorum diſcriminum, & hujus phyſiognomię uſum indies medendo nactus ſum. His adde ſtrumoſos & tineoſeos, & quibus vitiata pars eſt tonſillarum, ab alio vitio fuit, ut aphtha, ulcere columellæ, carie ſyphilia &c. Succedunt extra nos cauſæ, è quibus una ſuum eſt ſydus cœleſte, quod aſtronomi taurum ſtatuunt, dominans huic parti peculiariter, infenſum pro tempore. Secunda cauſa eſt regio calida & humida meridionalis, ventis perflata auſtralibus & calidioribus. Quod miris confirmatur experimentis, nimirum Hiſpania primum adnotantibus ſuæ gentis ſcriptoribus, primo & doctiſſimo Iohan. Alfonſo Fonſeca; mox etiam Andrea Tamaio in tractatu de Garotillo, q. d. de ſtrangulante funiculo per vecten intorto. Prima fuit, quæ mali vim hujus acerbè ſentiit: poſthæc Melita, Sicilia, Sardinia, Hydruntum, Apulia, Calabria, Latium, tota denique ditio Neapolitana, cui poſt annos XXII. mordicus ſic adhæret, ut plerique credant, poſt longa etiam ſecula non abſceſſuram luem. Quod autem ad ventos attinet meridionales; quia lues hæc per intervalla perque ſtata tempora inſurgit, obſervatum à nobis eſt, ſub auſtrinis conſtitutionibus ejus maximè ſævitiam prævalere. Ad has cauſę alię ſunt, ut Aretæo placuit, refrigerationes magis, exuſtiones minus plagę frigidę potus ebrietates, ſaturitates, & mala à reſpiratione prodeuntia. Ab Aetio verò nominantur & tempeſtas frigida rigidaque fervidę & æſtuoſæ ſuccedens. Ita quidem ille, quibus equidem addo, venatus matutini, pernoctatio ſub dio, pręſertim ſub Lunæ radiis; ventoſa & frigida, aquoſa, paluſtris hoſpitatio, fungorum abliguritio: Poſthęc victus ratio eſt, de qua, ſicut jam legimus, Aretęus. Addunt & Spagyrici, è quorum numero primus Theophraſtus eſt, l. 2. Chirurg. Magn. cap. 1. ſub F. ex majore mundo in minorem deductam prunellæ cauſam ſuo ipſorum ſermone vulgatam, quę eſt arſenicum & realgar reſolutum; de qua re lege Chirurg. Spag. S. 1. cap. 9. Johan. Petr. Fabri, Doct. ipſi Medici, Philochymici, pręclari.

Cæterum ſunt alię cauſę à principibus noſtris ſcriptoribus aſſignatę, maligna inquam & epidemica deſtillatio, quam nitroſam voluiſſe Hippoc. certa ſuadet conjectura, de cujus uſu & atrocia vide l. 1. epidem. ſect. 7. & enarratorem Galenum. Videtur & alia cauſa producta à Theophraſto, qui, cùm conſtituerit tres peſtis ideas, unam à reſoluto ſale arſenicali; à quo eſt peſtis communiter dicta; aliam à ſale ogertino, i. e. auripigmento, cujus vitio fit pleuritis peſtifera; tertiam à ſale vitriolato, per quam eſt prunella, ſic iſtam definivit, quod ſit paſſio principalis cum paroxyſmo proprio exiſtens in caloribus, ducens originem ex ſalibus vitriolatis. Ad hanc autem prunellam cùm maximè analoga ſit noſtra pędanchone, hęc ſimiliter ut prunella cauſam agnoſcet ſal vi-

ſal vitriolatum extra regionem propter ſubtilitatem de ſua teſta, aliàs ab Iliado reſolutam, ut in fragmentis c. proprio p. 306. quæ fragmenta fac videas, compendii noſtri gratiâ lector.

SED jam tempus, ut cautiones aliquot & judicia lectiora proponamus. Qua in re mutuabor, quæ tradiderit Cappadox oraculum primum l. 1. acutorum cap. 7. Tumor foràs in ſublime elatus à pulmonis inflammatione liberat: intus verò abditus anginam patientibus pernicioſum malum eſt. Quanquam autem id de conſuetudinaria non peſtilenti angina prolatum ſit; nihilominus ad peſtilentem transferri quid vetat? Quidve etiam vetat, ut illud, quod capitis principio propoſuit, huc transferamus? Anginæ, quæ compreſſis & ſubmiſſis pariſthmio adjacentibus partibus, id eſt, lingua, gurgulione, palato, ſed interius compreſſione majore inflammatione & ſtrangulatu fit: quàm celerrime ſuccurrendum; quod hac ægrotantes celerrimè rapiantur. Audi verò Cœlium Aurelianum, auct. morb. l. 3. c. 2. ſi pejus increverit; linguæ ultra dentes ad exteriora prolapſio: ariditas ſive ſiccitas faucium, articulorum gelidus torpor, pulſus celer, denſus, jacendi difficultas. & magis in ſupino ſchemate, vel in latere, frequens etiam ſedendi cupiditas, item loquutio non articulata, ſed confuſa atque cum dolore. At ſi in exitium paſſio cœperit ferri, livor vultus, vocis amputatio, gutturis atque pectoris ſtridor, & recurſio ſive recurſus poti liquoris, pulſus defectio, quam Græci ἀσφυγμίαν vocant, & quibuſdam caninus vocis ſonitus, quibuſdam oris ſpumatio: tunc etiam neceſſariò mortis effectus. Nunc autem ex Aëtio judicia & cautiones audi dicente, c. 466. p. 482. Sunt quibus etiam corroduntur gurguliones, atque ubi diutius perſtiterunt, ulcerationes & in profundum proſerpſerint, cicatrice jam inducta adſtrictiorem vocem edunt, reflectiturque ipſis potus in ipſas nares. Nam & ego puellam novi, quæ poſt quadrageſimum tandem diem conſumpta eſt, cum ſe jam à morbo recolligeret. Verùm ad ſeptimum uſque diem plurimi periclitantur, Concordat Aretæus l. 1. de cur. acut. morb. c. 9. p. 80. Iam autem quæ antehac propoſuerat idem Aëtius, referre non gravabor. Sunt autem hæc. Febrium quoque curam habere convenit: vehementes enim incidere ſolent, atque in repurgandis explanandisque ulceribus maximè ſollicitum eſſe. Convulſionem enim infantes plurimi paſſi ſunt in ulcerum repurgatione, aliqui verò viâ transglutiendi exiccatâ ſunt ſtrangulati. Admonuit autem & de metaſtaſi advertenda funeſta idem autor, c. 47. F. quæ eſt hæc. Valde autem magna ſollicitudine & contentione opus eſt, etiam tum, cum malum remittere videtur. Etenim ea, quæ jam ex profundo corpore circa fauces attracta ſunt, ex improviſo in pulmonem transferuntur, ſi negligantur, atque ita repente mors ægro infertur. Verum eadem ulcera cum modò memoratis aut cum compluribus ipſorum mala, & præterea, ſi cum inſigni putredine, putore, nigrore peſſima, facile paſſio hæc ex occaſione parva recurrit. Aurel. l. 111. c. 111. Recidiva autem inflammatio ſub hoc modo malum, quod ſe prodit tum experimento: Verum tum teſtimonio Avicennæ, qui l. 4. fen. 2. tr. 1. c. 20. Pejor, ait, eſt recidiva ſua radice, cujus rei rationem reddidit, c. 25. dicens, quod recidiva ſua virture debili. Contra verò tonſillarum ulcera citra puſtulam albam, nigram putredinem, putorem, febrem, diſpnœam, œdema, ſalutaria.

Hunc & uſque etiam ad tædium & diffidentiam durare probatiſſimis medicamentis tractatam & ſedulo proviſam fœdam & tetram, eſcharam malum; cito &. quibuſque leniſſimis medicamentis, gargariſmis & contractibus diſſolvi cruſtulam optabilius eſt, & melioribus ægri rebus: præſertim, ſi non recurrat eadem. Reſpiratum homini extenuari, remitti, naribus elatis trahi, per has verò recurrere ſorbile vel potabile, ad ſtrangulatum opprimi, gargariſatu deſtitui, ingeſtum & appetitum alimenti prorſus abjici, tumorem ab altera ad alteram auriculam extendi, æſtuare internè, frigeſcere externè: corde dolere, nulliscunq; modis concedere, medelæ vitium vigorem omnem abſumi funeſta ora atque etiam plerunque ſingula.

Præter hæc ſunt & alia, quæ ex antiquis antecedente ſermone tradita poſſunt huic præſentionum parti ſervire, quibus tuo ipſius judicio, lector amice, uſus, dum ego neceſſaria proſequor, ſolum dexterè utaris licet.

HÆc de externis interniſque cauſis, de judiciis, deque univerſa affectus perveſtigatione ac dignotione jam ſatis: quare jam ad ſolennem atque expetitam uſu curationem aggrediamur: quæ noſtra medendi ratio, tametſi plurimum à vulgatâ diſſenſerit: nihilominus rationi atque experimento probatior, non dubito, apparebit. Cujus hæc ſunto fundamenta.

I. Morbus hic nos oppugnat pravitate non plenitudinis exceſſu: Ergò remediis pravitati obſiſtentibus abigendus: Alexipharmacis quippe, quæ vitii vim ex adverſo frangunt.

Quoniam autem humores puerorum corporibus mali ſubſunt: hi propugnandi ſunt catharcticis, quorum Autore Galeno com. 12. lib. 1. aph. proprium eſt, ſuccos malos à bonis ſecernere.

II. Verum quia ſordes putreſcentium humorum denſa nimis & altè hærens eſt ſubſtantia: exegit hæc catharticorum vim valenter commoventem, & de partibus omnibus extrahentem, & tam, inquam, ex inferioribus, quàm ex ſuperioribus.

III. Quoniam autem morbus cacoëthes eſt, ne tranſcurrat malitia, nulla planè mora differendum eſt catharticum, verùm continenter exhibendum.

IV. At quia affluxus iſte ſanguinis in cerebri membranas ex proprio & peculiari ſuo remedio tollitur, quæ ſanguinis eſt detractio, hæc etiam eſt adminiſtranda.

V. Verum quia affluxus hic properus eſt, fitque ad partem principem, hæc confertim eſt providenda levandaque primordio, quæ primordio ſanguinis hoc accurſu gravatur. Etenim indiget, Aurelianus ait, paſſio repentina ſanguinis detractione, ob celerrimum laxamentum.

VI. Quoniam autem mora diu tracta periculum eſt, ne continuo prægravetur eo confluxu, haud eſt è partibus longinquis avocandus ſanguis per venas pedum & manuum: ſed à parte viciniore, quæ jugulum eſt, adeòque ex jugulari venâ, quæ cito, & abundè & efficaciter exhaurire ſanguinem profluentem valet, interceptione & avocatione quadam facta. Confirmatur & eâ in ſurper ratione phlebotome hæc, tum propter antedictam adjuvandi vim, tùm quia cæteræ phlebotomæ & viſæ ſunt per vigennalia amplius ſpatia nil juvaſſe, ac præterea nocent, quia calorem nativum & vires mollium alioquin puerorum diſſipant & evertunt. Satius ergo per unam & efficacem, quàm per multas & inefficaces, imò nocentes fieri evacuationem. Efficax, inquam, adeò eſt phlebotome jugularis, ut miraculo levaſſe tres pueros Laurentii Bozavotiæ carpentarii Neapolitani, pone forum charitatis, viſa fuerit noviſſimè Mutio Capalbo, medico probatiſſimo Neapolitano.

Præter autem experimenta & rationes modo recenſitas ſunt & teſtimonio primorum rei medicæ autorum, qui tum ad pernicioſos omnes pectoris & capitis morbos profligandos confidentiſſimè deſcenderunt ad

ad hujus venæ ſectionem, tum etiam præcisè medentes huic affectui prævocanti, tum Arabes & Arabiſtæ, tum Latini, tum Græci primi ordinis, ſecundi, tertii, uſque etiam Ægyptii noſtro ævo noverunt hujus præſidii præſtantiam, deducto fortaſſe more ac diſciplina ex primo Hippocrate, quemadmodum opinatus eſt Proſper Alpinus in tomo primo de medic. Ægypt. cap. utque etiam ejus gentis eſſe fidem certiſſimam retulit mihi Ioannes Veslingius, rei Botanicæ & Anatomicæ Patavii prælector eximius, qui & ad ea loca diu peregrinatus eſt, & nationis linguam adeptus. Præter hos autem favere ſententiæ noſtræ videtur & inopinato Theophraſtus, qui Chirurgiæ minoris l. 3. C. XV. quod eſt de Alcola monuit hæc: Venarum ductus atque meatus deflectendi ſunt per tranſverſum ſecundùm regionem & poſtmodum hoc unguento fuerit inungendum, aliàs fruſtra curabitur. ℞. Realgaris præparati, ſucci chelidonii q. ſ. m. f. unguentum.

VII. Adhæc autem, quoniam excutienda & effundenda modis omnibus eſt malignitas humoribus, ichoribuſve putridis & corruptis, tum per peſtilentia ſeminaria, tum per pravam vivendi rationem inducta; & quoniam via nulla potior, quàm per halitum & per ſudores: eapropter ſudorifica & per habitum corporis divaporantia ſunt adminiſtranda continuò, donec vis morbi finiatur. Quanto autem hæc gratiora, praviora mole, tenuiora, vividiora, eo meliora. Talem putes neceſſe eſt aquam terræ ſanctæ per Martinum Rulandum feliciter adminiſtratæ in Cent. 4. Curat. 41. item decoctum Cardui benedicti, ad lib. dimid.

VIII. Cæterum & ulcus privatis ſuis medicamentis tractandum & percurandum eſt. Et quia cacoëthe eſt, cavendum eſt omni ſtudio, ne proſerpat, neve, ut autores duo nos monuere, deſtillet in ſubjectas partes: quandoquidem inde graviſſimum ſuffocandi periculum. Quoniam igitur tumores omnes malefici ſcribentium omnium præcepta ſcarificatu maximè caſtigantur: equidem ſcarificandæ ſunt & tonſillæ, cum Zaccuto in praxi med. & cum Mercato in tonſillis, cum Carnenali neotericorum doctiſſimo dicerem & urendas, ſi vel puerilis importunitas, vel neceſſariorum protervia concedat. Nam nil putredini repugnantius igne: quod autem Aretæus refragatus videatur, declarat ſe inficiatum propter iſthmum. p. 50.

IN Curâ eôdem, quem ante produximus, ordine cuncta perficiemus. Primò quidem, quacunque ſe hora morbus prodiderit, aut ſui ſuſpicionem fecerit, non obverſabimur contra catharctico. Suſpicionem autem ſi principio fuerimus accerſiti, per ea, quæ conſequuntur indicia, comprehendemus; Sequitur autem eos, qui paſſione tentantur, querela ſine ulla ratione, atque difficilis motus collo & gutturis ſubdolens faucium ſenſus cum aſperitate ſenſibilis, item difficultas tranſvorandi liquoris ſoliti, ſalivarum more collecti, tum ſpirationis velut impedimentum, tamque obſtantis craſſioris humoris. Verba ſunt Aureliani prima cynanches initia demonſtrantis, quæ communia videri poſſunt, & prodeuntis jam jam anginæ peſtilentis. Hæc igitur, ubi cognoverit, aut ſimilia continuo pares velim aquam benedictam Martini Rulandi, medici mehercules experientiſſimi, commemorata ab eo Cent. 2. Cur. 62. cuſus aquæ apparandæ ratio quamvis ab autore iſto diligenter omnes celata, nulli unquam revelata, & ſibi ſoli ſervata, nihilominus D E O Opt. Max. qui bona omnia vult diffundi, reſcita demum eſt certiſſimis conjecturis, & nobis etiam agnita, quæ ſit. Stibium venale, pellucidum, contritum, cum pari nitri purgati modo conflagratum, (hepar antimonii vocant) in aquam puram, quantum digito lato ſuperet pulverem, conjectum & agitatum ſinitur, uſque dum inclareſcat aqua. hæc vaſe reclinato leniter abſtracta, aut per ſpongiolam abſorpta, & in alios uſus ſervata: pulvis reſiduus exiccatus denuo in aquam cardui benedicti conjicitur, & toto die ſinitur, & inde clara accepta aqua unciæ, triente vel quadrante datur ſtomacho cibis degravato, brevi corpus ἄνωθεν καὶ κάτωθεν expurgabit moderatè: nec cum aliqua naturæ noxa. Aſſimilis eſt calix Hermeticé paratus ex vino diluto infuſo, quem quanto cum fructu quotidiè præbeam, Neapoli fama eſt jam vulgata: approbatum etiam à Rulando, Cent. XXVII. Curat. 628. Interim paratis ad rem gargariſmis refrigerantibus & adſtringentibus ſæpè fauces; quæ revomitiones ſenſerint abluendæ. Gargariſmata autem fuerint hæc principio, quæ ℞. aq. plantaginis & aquæ nucum viridium extillatarum ana lib. ß. acet. roſ. ℥ß. M. hoc ſæpenumerò diu noctuque gargariſatum capiet ægrotus. Poſtridie per clyſmum alvo exoneratâ, ſanguis de venâ jugulari ſubtrahitor ad ℔. unius quadrantem aut trientem, uſque ad ſemiſſim, aut eo demum modo quem poſſit homo ferre. Dejectum nempe virium & vigoris nativi nolimus. Porro quod nos monuit Aëtius hos eodem ſermone c. 47. licet in anginæ non peſtilentis curâ præſcriptum non pigebit adſcribere. Curandum etiam, ut modica fiat diductio venæ. Nam quum in aliis, tum in magnis venæ deductionibus acervatim animi defectus irruit: neque tamen anguſtiorem facere venæ inciſionem convenit, ne ſanguis velut percoletur, & craſſior ejus pars intus remaneat; quæ cauſa hujus adfectionis exiſtit.

Si in tonſillis acri veſtigatu perſpectis, quid diſpliceat, aut putre, aut ſordidum, aut pravè coloratum patet, tumidum impenſe, aut habitu quocunque malo circumſeptum: utraſque lentus non fuerit acuto ſcalpro perpungere, nimirum ut quidquid in ſe contineant virulenti, revomant ac deponant; quæ poſt aquam, cruorem viroſum ſatiſque ſatis reddiderint, phlegmate vitrioli, vel aquâ nucum ſtillaticiâ ſunt eluendæ. Tertium hoc opus dextrè aggreſſus eſto. Cum quo commemo, ari licet & ſimile ſcarificatus auxilium, quem ſecundo & tertio debemus non ſolum gutturi vel tonſillarum vicinitati, quem Græcis Anthereona vocant; & nervis majoribus cervicis quos τένοντας appellant, ſed etiam occipitio. & palis, & interſcapuleo, quod Græci μετάφρενον appellant, & pectori, verba ſunt præcinentis Aureliani in c. 3. p. 168. Per nervos autem ſitum intellige; non partem perpungendam.

Opus aliquanto ſubtilius fuerit unum quodpiam; quod complectatur ſudorificum ſimul & alexipharmacum, ac plurima quoque parte ſuperfluitates per halitum divaporans. Triplici huic operi unicè accommodatum Bezoarticum metallicum; quod parare docuit Ioſephus Quercetanus in Pharmacopœa dogmaticorum reſtituta, à XV. ad XXI. granula cum aqua Cardui benedicti in calido, in conclavi, vel æſtuario decumbenti præbendum, quod Bezoarticum manè ac veſperi offerendum, ad ſudorem quidem evocandum ſemel, ſi bis inaniendum corpus verearis. Cæterum alio tempore ad tutandum à vi venenata hominem & roborandum. Frequentius autem utaris licet atque etiamnum tantiſper dum fracta vis vitii videatur. Mira quippe noſtra & Ioſephi Donzelli Iatropharmacopœi noſtra in civitate ſolertiſſimi ſunt experimenta, quod vel conclamatos jam ęgrotos ſublevet & confirmet hocce genus Bezoartici: quod ipſum & infantibus, & lactantibus ex lacte ipſo vel juſculo exhibet commode granorum v. vel vj. quemadmodum & animalis Bezoartici pondo: commodum, inquam, infantibus tum quatenus aphthę, tum quatenus inimicę lui contranitatur. Verum cum ulceris cauſa adminiſtratur, aptius turhodomelite, vel infuſ. roſ. excipitor, terram ſanctam in aqua potabili ad

bili ad ℥v. miſcuit Martinus Rulandus cent. 4. curat. 41. quod tamen medicamenti genus à ſe non expoſitum, ſed ſub velo repoſitum incompertum eſt nobis, niſi divinantes velimus eſſe apparatum quempiam, & uti dicam eviratum Stibii, qui fit igne in ipſum & commixtum nitrum ſæpius immiſſo, quod Antimonium Diaphoreticum Hermeticæ ſcholæ viri vocarunt. Vſus eſt autem aliâs aquâ cardui benedicti, cujus & ſal Rhodoſtagmate vel conſerva quacunque aliâ commiſtum efficacins eſt. Verùm de ſudorificis nos fusè in diœtetico Chirurgico noſtro diſſeruimus.

Reſtat miniſterium curandorum ulcerum malignorum, quo minus partim conſtat uſu medicamentorum benefacientium plurimum, officientium nihil, ac tum omnino adverſantium vi morbi cum conſulentium naturæ partis, conſtatque ſimul uſu manus etiamnum beneficæ. De quibus quidem manûs officiis ex cautelis dictum jam fuit, de medicamentis verò inter præſidia.

Sunt cucurbitulæ à nullo non autore probatæ. Verum enim verò locorum ſitus, & morbi tempus cumprimis & attentè ſunt diſcernenda: ineunte quippe aut progrediente, uſus eſt alius, quàm in progreſſo & confirmato affectu. Sub progreſſo enim facilè judicarim eſſe de ſupernis ad inferna trahendum, ac tractorias cucurbitas imponendas: irruente verò ad ſupera ſanguinis copiam, de inferioribus ad ſuperiora diſponendas eaſdem arbitror cum Aëtio, qui ex Aretæo præcipuè cucurbita primum infra umbilicum adhibeatur, mox ad latera dorſumque & ſcapulas; in admotione verò ex ſupernis locis deorſum trahatur; ſentioque cum his, qui apud Aurelianum primò quidem inguinibus tum præcordiis, tum ſupra mammas cum ſcarificatione, dehinc gutturi atque collo, ejusque partibus voluerunt infigendas. Jam verò cum mammas dico, & alas adjicio, per quas cum reptitet axillaris vena, de hujus ipſius deductu conſcendentem ſanguinem plurimum utile fuerit retrahere. Illud porrò crediderim indicaſſe Hippocratem ipſum, cùm in l. 11. de morb. cucurbitas mammis agglutinandas ſanciebat: eſtque hunc fortaſſe ſecutus Aretæus, qui egregium dicit medicum, qui cucurbitâ affixâ malum in pueris detrahit, aut ſinapin oſſibus pectoris accommodat.

Cucurbitulas ſequitur adjumentum à Cœlio Aureliano propoſitum, qui ait: ſi paſſio perſeveravit, atque æger ad perferendam curationem fuerit mollis, ut ferri cuſpide metu ſe contingi prohibeat, ſanguiſugas, quas Græci bdellas appellant, apponemus, ut perfecta ſanguiſugarum vulneratione rapta cucurbitæ detractio compleatur,

Quoniam autem ſynapi mentio modò facta eſt, memini nunc ejus divetſivi ſeu derivativi præſidii cujuſpiam ab Aretæo propoſiti, quod eſt, ſi partibus juxta maxillas, quam cavitatulam auriculæ interpretor, lacunas aurium dixit Aurelianus, imponens ſinapi medicus ulceret, difflationem moliatur. Quem uſum ac fortaſſis etiam Aretæi placitum acutè videntes Hiſpani medici Madritenſes apud Andream Tamarium in libro de Garotillo, c. 3. ſecus utramque auriculam imponere conſueverunt baſilici cerati tantillum cum cantharidibus tritis commixtum. Præſtantiſſimum etiam, licet acerbum invaleſcente inflammatione, præſidium eſt vinculum, Aretæo autore, injiciendum, ſupra talos & genua, optima quoque ſunt vincula ſupra brachialia verſus cubitos & ſupra cubitos verſus humeros adſtricta: quarum vim cum expenderimus, certè peregregiam & efficacem æſtimaverimus adjuncti doloris in ſpiritus ad ſe ſanguinem & humores omnes & ichores attrahentem; quare hac retracta undique materia atque huc converſis liquoribus corporis, eximitur multo ſanguine locus phlegmone correptus, atque adeò flacceſcit & conſidet plurima parte, quod opus vinculi adſtrictu fuerat quæſitum. Hujuſmodi quoquo pacto & dolorificæ fricationes fuerunt, & hæ, quarum meminit Symphorianus Campegius l. 3. praxeos medicæ c. 1. ſic aiens: Eſt ingenium vulgare cum fricatione compreſſiva facta in parte ſylveſtri brachiorum prope juncturam manûs, ubi inveniuntur quædam parva admodum nervi, quæ tamdiu fricantur, quouſque videantur deleta: quod fieri non poteſt abſque dolore, & ſic cum dolore divertunt. Approbavit & hanc revellendi rationem Guil. Rondelet. in lib. meth. curat. l. 2. c. 2. Hujus fermè generis ſunt ſetacea ſub inion defixa, quæ medici quipiam Hiſpani Madritenſes, teſtante Andrea Tamaio, ad patriam lac luem elevandam uſu probarunt. Id verò haud probarim equidem, niſi poſt exacto tempore fluxionum & inflammationum: ſed neque etiam hoc tempore, quo minus neceſſarium videtur. Satius autem exiſtimaverim id remedii genus affigi ſub axillis, non igne tamen, ſed ſcalpro ancipiti adunco, transfoſſis cutis per digitos ſublatæ particulis.

Idem Symphorianus eodem ipſo loco propoſuit & aliam divertendi rationem, quæ fit per aquam calidam, in qua detenta extrema corporis membra continenti manu confricantur.

Inter hæc ſilenda nobis aut medentibus omittenda non ſunt clyſmata ſive enemata dicta, de quibus velim accipias, quæ ſcitè prodidit Aurelianus diſertis hiſce ſuis verbis: At ſi venter officium non agnoverit, etiam clyſtere utemur, injicientes aquam calidam cum oleo nunc ſolum, nunc admixto melle: etenim ſurgens ex iſto liquore vaporatio colla laxat tumentia, & egeſtus venter facilia facit ſpiramenta, non ſolum ſynanchicis, ſed etiam hominibus ſanis. Manens enim alienitas, hoc eſt, excrementorum aliena & ſuperflua fęx gravat, atque expreſſione quadam acerrimas facit corporis exhalationes; quibus tumentia provocentur, caput impletur.

Auxilium ſunt medicamenta in functione medicâ duplicia, id eſt, partim ſolida, partim fluida, ex quibus conflantur & miſta: ſub fluidis autem comprehendas licet & vaporabilia cujuſque generis, capias omnia, fugienda ſunt, inquit Cœlius, quæ uſque ad ſenſum veniunt mordicationis. Siquidem tumoribus provocatis fluor quoque humorum craſſeſcit. E ſolidis ſunt pulveres, qui per fiſtulam calamaceam, arundineam, ſambuceam, metallicam immiſſiles ſpiritu inſufflato, de quibus Aëtius ſerm. citato, c. 46. Hujus generis ſunt tritus fimus canis oſſibus paſti, item lupi, cinis pullorum hirundinum, terreſtrium cochlearum nudarum, Galeno Chelcitis, ſal armoniacus Alexandro Benedicto, ſal prunellę Theophraſto, Rulando, Müllero, ſal fuliginis, eupatorii, plantaginis, hyperici, perſicarię, aſari, ſyderitis, Fido Juſto Reineccero atque ex aliis arte paratis, aut ex herbis herbarumque partibus: ut glandis, rhois, antherarum, olivę frondium contritis, de quibus maximè Jatronices tom. 1. ſuo loco. E fluidis; ſpiritus calcanthi, ſulphuris, nitri, ſalis vel per ſe cum pura, exiguntur, vel ſuccis, ſerapiis, decoctis, aquis commiſti. Quamvis autem ol. Oli Myſochymici exhorrent quidam: in hoc uno continenter acquieturos certus ſum. Quanquam & A. Cęſalpinus in arte medica, & L. Quertęus in hoc etiam approbarunt: dat & cùm aq. foliorum quercus evonymus par. 2. ch. 378. Ruland. cent. 4. cur. 34. Oleum ligni Heraclii ad colluendas crebro fauces, & partem omnem affectam

affectam uſus eſt ſalutarie Rulandus Cent. III. cur. 90. & cent. VII. curat. 92. & Cent. VIII. curat. 9. Succedunt aquæ, è quibus prima eſt aqua inextractionis auri, Aqua juglandium commendata per Alexium Pedemontanum, atque etiam in potum per Evonymum philiatrum parte priore theſauri p. 6. Hic autem & l. 2. qua de oleo laudavit & hoc, quod ℞. Aquæ ardentis ℥j. aq. ſcabioſ. l. 1. ex hoc madida lintea externis applicentur ſæpius iterando ſpatio trium horarum præſtat juvamentum. Aquam cardui benedicti perſæpè uſitatam Mattino Rulando leges, cancrorum cinere infectam aquam, mox percolatam & calefactam gargariſatu commodam ſic perhibet Aëtius, ut per hanc craſſa educi multa, ac relevari conſeſtim ægrum teſtificetur. Ex omnibus mihi uſu conſuetum & frugiferum expertum eſt balſamum Arſenici cum ſale nitro & tartaro deflagrati & multoties aquâ copioſâ abluti, quemadmodum à Philippo Müllero provide apparatum leges: quam materiem approbaſſe viſus eſt Theophraſtus l. de apoſtem. c. 15. quod idem cum conſ. ſcotzoneræ ℈ß. voratam ſalutarem comperi ſæpè.

Hæc jam plurima medicamentorum & genera & ſpecies & modos cum protulerim, illud mihi video reliquum. ut admoneam demum auditorem meum, hæc aut ejuſmodi alia diligenda, adhibenda, miſcenda, temperanda, gargariſmata, collyria, delinctus, intinctus pulviſculos, vaporatus, ſuffitus, & alias quaſcunque medicaminum formas languentium viribus, ætate, ſenſu, pro morbi vi & pertinacia, ulcerum puritate aut impuritate, colore vivido, emortuo, ſic & pro putredinis modo; pro cruſtulæ adhæſu, refixu, facili recidiva, pro modis aliis, quæ quidem ſingula nobis difficile deſcribi, ab aſſeſſore medico diſcerni facile queunt. Alterum adnotabo, quod cataplaſmata non adſcripſi propterea, quod in hoc anginæ genere præſertim primum ſunt nervoſa; deinde humida corpora poſſunt putridum hoc vitium fovere, monente vel ipſo Hipp. l. de medico, tertio multa in his rectè adminiſtrandis requiritur ſedulitas, & providentia, ne tum longiores, hæc vitioſi corporis contage, tum corruptibili ſuo ipſorum vitio abalienata rancorem aut acorem concipiant, quod non paucæ offenſæ ac detrimento foret ulceribus, ut monuit Cælius l. 3. de acutis c. 3. p. 164.

Poſtremum ordine, ſed uſu primum remedium eſt victus ratio: quam fieri poteſt maximè tenuis, & præparca. Sic igitur Alexander Trallianus in lib. 4. calce. victu utantur ægri omnium mulsâ aquoſâ, quæ univerſa præſtare poteſt; nempe extenuare & purgare, partim etiam per urinas, partim per ventrem. A tertio die etiam cremor priſanæ offerendus, qui & ipſe omnem facultatem obtinet: quippe abſtergit, incidit, nutrit, & inflammationum fervorem refrigerare poteſt. At inflammatione jam extenuata, & moderatione facta, neceſſe eſt lutea ovorum molliſſima, non autem multa exhibere; Nam copioſo alimento ſtatim anguſta prerountur, & rurſus ſtrangulata periclitantur: quare inflammatio ut magnum malum in his vitari debet: non enim tantum ex parciſſimo cibo quantum à copioſiore periclitantur. Sed & inediâ perpetuâ viſi ſunt nulli non ſanati. Nimirum Alex. Bened. l. 7. de cur. morb. c. 19. narravit de ſynanchio, qui citra ſanguinis miſſionem inediâ plurium dierum ſanatus eſt, quia ſanguis alimentum corpori ſubminiſtravit. Ego verò Severinus novi puellam XI. annorum natam, quæ cùm nullis vel cibis vel potibus per pariſthmiorum obturatam uti non poſſet, & octiduo majorem ἀσιτίαν inediam paſſa; non aliis medicamentis reſtituta eſt: quæ XVI. ætatis ſuæ anno nupta geminos mares peperit viventes nunc utroſque filios, cui Gratiæ Feulæ nomen.

His de curatione ſic dictis nemo mihi vitio det velim, quod ad anginam hanc peſtilentem pleraque quæ veteres ad non peſtilentem curandam præceperint, detorta traduxerim. Nimirum facilè deponent accuſationem; ſiquidem audierint Aretæum in libr. 1. de curatione acutorum c. 7. peſtilentium in faucibus morborum curatione dicentem hæc; Horum vitiorum curatio cum aliis tonſillarum affectibus, quâ communis, quâ propria. In inflammatione & ſtrangulatu purgatio per clyſteres, venæſectio, irrigationes, cataplaſmata, fotus, deligationes, cucurbitę, omnia demum eadem atque in his conveniunt, &c.

Nunc, quæ dilatę fuerant in locum commodiorem, ambiguitates, ab aliis omnibus expediti expediamus. Difficile ſit pleriſque, quod caput & cerebrum propriam morbi ſedem fecerimus, quę cenſenda potius fuerat internus thorax, qui febrili malignitati, aëriç peſtilentię & ſymptomatum affinitate ac pluralitate videtur capite morbi hoſpes accommodatior. Atqui caput ab his omnibus, quæ retuli, longè alienum apparet, nec ſymptomata ſua exhibet, niſi raro. Verum enimverò, ſi rectè rem ęſtimaveris, ac profundè perſpexeris, non aliam ſanè quam cerebrum diceris morbi domicilium. Nam quod pleroſque ſuos affectus oſtendit thorax maturius, id fit loci intolerantiâ, ſubſtantię tenuitate, & functionum acrimoniâ: qualia non ſunt quidem cerebro, quod citra nervos & ventriculos eſt hebes, & obſtupidum, utpote, quod frigidum & humidum, craſſæ ſubſtantiæ & viſcidæ, concrementum ſomni ſedes, cordi ἀντίςροφον, & pituitæ plurimæ conceptaculum; quare defluxibus frequentibus & catarrhis obnoxium. Quæ ſua craſi ac ſyſtaſi fit, ut hoſpitetur æquius mala, diutiuſque ferat habitu, præſertim exteriore. Quin & interiore concameratu duodeviginti aquæ concretæ libras Colonienſes, quæ XXIV. forent ex noſtris, ſuſtinuiſſe puerum hydrocephalo languentem teſtatus fuerit, qui mortuum inſecuit Guil. Fabric. Hildanus, Cent. 1. obſerv. Chirurg. c. 12. Quid; quod & exciſis cerebri ſegmentis vixiſſe homines, tum ipſe Hildanus, tum Jacobus à Carpo, atque alii probata fide authores perhibuere. Quâ conſtanti ſua hebetudine, ut ad rem redeam, ſuſceptum aërem pravum, qui per nares perque palatum delatus fuerit, admittens facilè non remittit, neque vincit aut diſſipat, ſed acervat in ſeſe volens libensque, cùm verò per cauſas exteriores humoribus & ſuperfluitatibus gravatur, non obſiſtit, ſed circa ſe retinet, non gravatè, etſi gravatum. Ita fit demum, ut in horas labefactatus labem mali concipiat, & ut dixerat Hippocrates, corrumpatur: hoc eſt, everſâ temperaturâ in alienum modum tranſmutetur, qui ſphacelos aliâs appellatur. Atque illud quidem ſub longiore morbo accidit. Cæterùm in breviore brevius etiam veneni vis vigoris ſui numeros abſoluit, nihil refragante cerebri obtuſitate, vel fungeâ ſubſtantiâ: trivenefieæ quippe peſtilentiæ

quod non mortale reſiſtit,

Quanquam autem multæ & magnæ demonſtrationes proferantur, de obſeptis, de vitiatis, de corruptis, ſpiritui deſtinatis viſceribus: hæc quidem omnia poſſe fieri, ac interdum facta non inficior: poſſint enim hæc ſub atroci peſtilentiâ, ſub immani veneno pura, intaminata, integra ſe tueri? Peſſum quidem in peſtilentibus eunt omnia: verùm quod origo & ſcaturigo malorum per cerebri fit vitium, longè plura nos evincunt perſuaſionis momenta, quàm quæ producuntur ab aduerſæ opinionis amicis. Profectò tam inſolens, tam enormis, tam abdita forma hæc eſt affectionis, ut non ineptę etiam plerique profiteantur,

febrem

febrem malignam, quæ ſepta ſuo viru ſic in hominis perniciem, ut fusè deſcriptum eſt, faceſſat.

Alii malignam veneni facultatem, quæ per abolita ſeminaria in ſpiritus noſtros & corpus aëre attracta eſt, & variè diducta, ſuo modo, vel prout partes primo aut ſecundo receperint & viam conceſſerint; ſic has ordine, vel potius ſine ordine apprehendere lædereque, & quia partes debiles, laxæ, molles, frigidæ, immobiles, adenoſæ, minimè reſiſtunt, & facilè cedunt: hæ propterea primæ corripiuntur, mox aliæ atque aliæ juxta modum, quo plus aut minus pertrahi ſe ſinunt, aut obluctantur. Tamen plurimæ conteruntur & corrumpuntur, donec ventum fuerit ad præcordia, quæ maximè omnium vigent, & ad ipſam regiam cordis, qua contacta demum & malè affecta pereat animal.

Sunt hæ quidem & ſimiles omnes ſententiæ non improbabiles, nec impunè rejiciendæ, præſertim in re tam occultâ, quam eſt peſtilentia. Ita proviſori Deo placeat quandoque aut malum avertere, aut mentes noſtras medentium illuminare, quatenus & intimam morbi formam agnoſcere, & ſuam huic medelam, quadratè adaptare potes ſimus. Cui ſic titubantis hominis, ut confirmetur, nec vinci ſe ſinat argumento, ita reſponderim. Sphacelum huic morbo terminum & conſummationem eſſe. Ubi ſcil. natura vel ars ſuis utriuſque ope & auxiliis hanc contra nitenti morbo non antevertat, atque præcludat, ſcil. in contrarium ambæ paratæ ſunt: verùm quum uterque conatus naturæ, inquam, & artis evicerint illa criſibus, ſudoribus, eruptionibus, hæmorrhagiis: hæc vomitibus, dejectionibus, inanitionibus & abſtractionibus: ſic retro labens habes hominis vitæ concedit ipſe. Porro ſic comparata ſunt pleraque venenatæ naturæ morbi & ſiphyliis noſtro ævo adhuc permanens, ut niſi effluvium quaqua nanciſcantur, ad abſolutionem provecta utraque mortales perdant.

Qui ſphacelos cum morbo eſſentialis à nobis cum ſtatuatur, & illud propterea fiet multis difficile, quomodo ſub corruptorio affectu cuncti prorſus non moriantur, ſed hi quidem jugulentur, hic velut præripiantur orco.

Alia difficultas eſt, quod torpeſcentem & deſidem adeò cerebri naturam fecerimus, quæ calvaria per ictum percuſſa, ſi ſanguis ſuper aut infra membranas fuffundatur, cruoribus vel tantillum innatante ſic ægrè fert, ut obruatur continuò doloribus, vigiliis, phrenitide, febre, vomitibus, convulſionibus, eryſipelatis ſic, ut pleruntque non levata ope magiſtra fatum oppetat ſuum! Verùm huic difficultati volo ſit occurſum eadem demonſtratione noſtra, quam ad hiſtoriam de angue bifido flagelloſo diuturno cordis hoſpite ſubjecimus; docente, quod vulnera vel exigua partibus noſtri corporis præcipuis illata è veſtigio tollant hominem: earundem verò partium abſceſſus atque ulcera diutius ægrotantes trahant. Vide & in hanc rem Fortunati Fidelis præcellentem diſſertationem contemplationis medicæ capite poſtremo deſcriptam.

Jam autem, quia mentio incidit ſanguinis, quæſiverit oportunè quiſpiam, unde & quî fiat iſta eadem ſanguinis effuſio? Quibus utriſque quęſitis occurro, quod ad locum, unde fluat, dicens, illa eſſe meâ ſententiâ ſurculos rami jugularis internę protenſos & protractos ſic, ut in venulas abeant membranę tenuioris, effundendi autem ſanguinis rationem & modum eſſe hunc: quod offarcta nimia plenitudine vaſa jugularia (qui mos eſt & uſus expultricis facultatis, & nictus humorum altè aggeſtorum) refunduntur hęc in ſurculos minores. Si autem in minimos, qui cùm capere tandem immoderationem humoris non poſſent, diſtracta atque diducta revomunt circa ſe fluorem ſuperfluum, & inde eductus hic ſtagnat frigefactus & grumefactus ſubinde.

Ad hęc hęſitabunt etiam inexperti & pavidi quidam conſuetorum tantùm rituum amici non aſſentientes medicamentis per ſuperiora purgantibus, ſed negantes per affectam, quod magis exaſperari poſſit humores malos pertrahendos. Verùm tamen non ego reſponderim his, quod Aurelius Celſus l. 4. c. 11, ad linguę reſolutionem curandam crebris utitur vomitoriis: ſed in hac ipſa cauſa dico, non noſtram hanc ſolùm ſententiam, neque noſtra emetica noxam illatura faucibus; quin etiam his ſupra quam lectiſſima κάτω cathartica bene factura. Quod ſpectat ad ſuffragantes & auſpices: Aëtius & unus, qui dicto lib. c. 57. diſertis verbis profeſſus eſt hęc; maximum autem remedium, inquit Archigenes, purgatio frequentior exiſtat per pharmaca fortiora & vomitus à radicibus per intervalla ſuſcepti. Et inferius: mirum in modum autem efficax eſt, quod ex elaterio conſtat, & octaobolon appellatur. Elaterii ęreolos II. ſpumę nitri obolos tres, ſynapis drac. j. hęc in aqua diluta in octo catapotia informo, maneque duo, tantundemque veſperi exhibeo. Purgat enim citra moleſtiam ſupernè, aliquandiu quidem permanens & ſolvens. His verò, qui robuſtiores ſunt, poſt trium dierum ſpatium rurſus exhibeo. Sunt autem hęc orthopnœis, anheloſis & ægrè ſpirantibus propoſita, quod ſi velis ad anginam dictata vomitoria, idem ipſe cap. 47. Archigenis remedium, quo utor, inquit, ad occultas anginas. mirabiliter etiam conducit anheloſis. Elaterii oboli dimidium, ſpumæ nitri obolos tres, ſinap. drach. j. contere cum aqua & informa. Movet autem vomitum elaterium cum oleo aut melle tritum, & peniti ſſimè illitum. Ita quidem ille, qui & poſt multas ibidem propoſitas formas vomitoriorum prodidit & illud Martiani, quod & ad opertas & manifeſtas anginas prodeſt. Pręexige, inquit, mercedem. Æris uſti drach. XII. atramenti ſutorii drach. XIII. myrrhę drach. j. elaterii, dr. 1. ſpumę nitri drac. j. fellis taurini dr. iiij. excipe melle, & cum pinnula quàm penitiſſimè illine. Ita quidem in capite iſto. Verùm in antecedente 17. multò luculentius ſcriptum reliquit: utilia etiam his ſunt ea, quę vomitoriam vim obtinent, maximè illis, quibus gravitatis ſenſus circa ventrem hęret; quę confirmat & aliis quibusdam experimentis, quę ſubdidit ibidem autor. Hęc Aëtius & antiqui alii. Quibus iſti non acquieſcentes fortaſſe producent, quod nihilominus oblędentur hę partes tranſitu bilioſorum & corruptorum humorum. Verùm ô imprudentes, ergo pręſtiterit, inquam, aſſervari bilioſos & corruptos humores in ſtomacho & hiſce locis, quam è proxima vicinia, unde fit anathymiaſis educi ſemel. Anne audiſtis Aretęi Cappadocis oraculum, qui vos monuit, è gula & partibus aliis refundi malum in pariſthmia? Si quis verò diſplicens ſenſus ex rejectis adhęſerit faucibus, hanc utique licebit protinus gargariſmate ſublui, quemadmodum & offenſa dejectionibus infima inteſtina clyſmis idoneis abſterguntur, aut laceſſitus catapotiis acribus ventriculus, juſculo aut apozemate ſuaviore reſtauratur. Sic nihil fit noxę reſiduum, & multum vomitorii emolumentum. Acceſſit & in veterum ſententiam Symphorianus Campegius l. 3. med. praxeos c. 1. Item Amatus Luſitanus, Cent. 7. cur. 90. atque etiam Martinus Ruland. cent. 11. cur. 62.

Hactenus jam excuſſimus offendicula vomitoriorum: altera nunc controverſia naſcitur de phlebotome jugulari, quam nedum non profuturam, verùm etiam obfuturam adſtruunt nonnulli, quod ad ſupremas partes facta phlebotome advocatura ſit ſanguinem potius, quam avocatura, propterea quod rapi eò ſanguinem credant, unde ſciſſurâ factâ promanet idem. Verùm liberè fatear,

pigere

pigêre me laboris in re patente, tum ſecundum naturam, tum ſecundum experimenta, tum ſecundum placita clariſſimorum autorum, qui & nil improbarunt hocce præſidii genus, & ſingulariter etiam approbarunt: non improbarunt neque inhibuerunt exordio faciendam: quia quod velint homines iſti, primo revulſoriam in pedibus & brachiis inſtituendam, mox de proximis vaſibus evacuandam, illud neque Avicenna ſervavit: qui lib. 3. f. 9. tr. 1. c. XI. ait, & non poſtponatur phlebotomia venæ, quæ eſt ſub linguâ, imo oportet, ut aperiatur illa eadem die. Sic Am. Luſitanus Cent. 7. obſerv. 90. nulla interpoſitâ morâ aut vacuatione alia poſthabitâ ſub linguâ venam ſecuit, & hominem ſervavit. Sic Rondelet. Secandæ tamen ſunt venæ ſub linguâ eâdem die, ad materiæ derivationem, quæ facilè fluit, & locum replet; unde diſpnœa & ſæpiſſimè ſuffocatio. Hæc ille l. 3. meth. med. morb. intern. c. 5. p. 325. Sic Camerarius apud Joh. Schenckium in obſerv. l. 2. Patavii meis temporibus quidam Scholaſticus Græcus oriundus ex præcipuâ familiâ, ſanguineus, unicâ nocte in Anginam acutiſſimam incidit, unà cum tumore linguæ maximò, ut ſtatim loquendi facultas adimeretur illi. Cumque tam celeriter medicorum & chirurgorum operâ uti non poſſet, ipſe præſente animo, linguam acuto cultello decuſſatim incidit, ac ſatis multum ſanguinis effluere permiſit, quo facto, rurſum loqui cœpit. Medicus poſtea accerſitur, pauca univerſalia & totum corpus reſpicientia adhibuit, præſcripta victus ratione, linguæ verò vulneratæ pulveres ex Thure, Bolo, & ſimilibus ſiccantibus inſpergi juſſit, & ita intra paucos dies convaluit. Sic interdum fortuita remedia aliis ſunt efficaciora. Et præterea ſi rectè interpretemur, id priſci ſanciverunt in morbis non excellenter peracutis, & in adultis: At verò in pueris, quibus monito Galeni in l. 11. meth. c. 14. & lib. de therap. per ſanguin. miſſion. c. 17. & 4. acut. 25. fas non eſt exhaurire ſanguinem, ſi neceſſitatis & urgentiæ vi phlebotomo tangamus eosdem ſemel & vix in morbo venenoſo, verùm efficaciter tangamus oportet, præſertim, quin miras tot & ſingulares de hac phlebotomia prærogativas prædicarunt: Soranus primum Epheſius, Iſag. medic. 21. Alexander Trallianus, l. 4. c. 1. Razes, Meſuæus, Avicenna, Haliabbas, Albucaſis, Autor lib. de anat. vin. Proſper Alpinus, l. 2. de medicina Ægyptiorum, c. 9. Andreas Cæſalp. l. 6. art. med. c. 3. Joh. Heurn. libr. de morb. cap. 23. Riolanus in medendi methodo part. c. proprio, ac Doctor Zacutus noviſſimè in principum medicorum hiſtoria, 76. quem legas velim, multò plures quàm nos autores huic præſidio ſuffragatos recenſentem. E quibus omnibus audi Actuarium, l. 3. meth. medicinalis, c. 1. perhibentem, etiam in cauſa noſtra proficuam hanc evacuationem, his ſuis verbis. Sunt qui venas colli incidant, veriſimileque eſt, eas iuvare, cum ſanguis copioſior ad caput confluit, atque idcirco inflammationem in cerebro excitat. Comprehendis jam, quàm egregiè per hujus viri ſententiam congruat jugularis pertuſio noſtro malo, Vin plura; ſed viſe, quæ appoſitè ad hanc rem ingenio pari ac judicio refertiſſimum. Andreas Cæſalpinus l. 2. quæſt. med. c. 12. prodidit demonſtrans, ſuffocationem in angina fieri magis oppletis venis jugularibus, quàm clauſo laryngis oſculo. Id quod ſcil. in hoc anginæ genere præſertim exitiali ac peracuto fieret facile, niſi, quod ad ſuperiora tranſcurrit, Poſt quos omnes autores mira nos beneficia ex hac inanitione deprehendimus, admirati medici, qui noverunt, ægroti ſentierunt in ſe ipſis, tum quod aſpectâ jugulari degravatum plenitudine cerebrum, tum quod fervidi caloris ventilatus exceſſus: Sic quod nedum non obfutura, ſed profutura maximè ſit hæc phlebotome, jam vides. Cæterum, quia non uſitatæ alioquin chirurgiæ adminiſtrandæ ratio eſt ignota; de hac ego in opere efficacis chirurgiæ, quâ & angiologia proprio ſuo loco fuſius explicavi. Quoniam autem in manus adminiſtrorum tonſorum recidit hæc actio: Si Petrum Paulum Magnum lib. de venis rectè ſecandis, c. 2. adierint vel Centhii Amathi Neapolitani obſervatoris noſtri noviſſimam praxin, Quamvis autem dubitatum à pleriſque ſit, de non attingendis Scalpro venis colli, ſ. propter infrenabilis profluvii ſanguinis, ſ. propter vinculi ſubjiciendi metum: nihilominus equidem oſtendi in priore parte efficacis chirurgiæ, qua de angiotome venarum & nullum ſanguinis ſuperfundendi metum eſſet, & inanem prorſus vinculi formidinem, cujus utique uſus neceſſe non eſt.

Poſthæc offendentur & noſtri, quod antecedere catharticum ſanguinis detractioni voluerim: cùm inverſo Galenus & Galenici omnes ordine conſueverint præſidiis hiſce uti. Verùm iſtorum diſſenſus eſt mihi ſedare facilè. Porro meminerint ſanguinis emiſſiones, ſed venenatis & peſtilentibus vitiis haud probari doctis, nimirum quod inanitis vaſibus poſſit vis venenata recurrere ad interiora, atque etiam, quod huic affecto generi virium imbecillitas adjuncta ſit: quare ne mirum quidem eſt, quod Galenus in lib. de cibis euchymis & cacochymis audacię taxat eos medicos, qui non dubitarint in peſtilenti febre venam ſecare, atque ex adverſo commendat eos, qui peſtilentibus in affectibus abſtinuerint à ſanguinis detractione, quâ eâdem prudentiâ & cautelâ magnus Hippoc. ſi credimus Petri Salii l. de febre peſtilente; demonſtrationibus, ne venam quidem attigit, ita quidem antiqui dictatores noſtri, à quorum decreto non diſceſſit Heurnius in libro de peſte, Joh. Vierus quoque, in curanda febre maligna, abſtinuiſſe ſe venæſectione profeſſus eſt, quod hanc infeliciter ceſſiſſe animadverterat. Ex adverſo tamen eſt Joh. Foreſtus, qui libro 6. obſervat. 3. de morbo epidemico in fauces, guttur, pulmones irruente ſcribens ad Jacob. fratrem dicit experimento non inutilem atque detrimentoſum ſibi compertam ſanguinis è venâ detractionem, neque etiam hanc damnavit, ſed approbavit Avicenna, ubi de febris peſtilentis curatione tradidit, inter quas binas ſententias ſe quaſi medios facientes Hieronym. Fracaſtorius, l. de contagio morborum, Ludovicus Mercatus in conſil. medicor. 24. & Hieron. Mercurial. l. de peſte c. 2. cenſuerunt conſtantibus viribus, & plenitudine ſuadente mittendum eſſe ſanguinem, verum tamen in affectus principio duntaxat, namque hoc elapſo tempore ſanguinem exhaurire, eſt languentes perdere. Cui nos placito adhęrentes & ſemel & morbi initio tantum ſanguinem minui volumus, è binis autem pręſidiis catharticum pręmitti placet, quod tutius & pręſtabilius id videatur. Quis enim non enucleatè videt, & peſtiferi vitii vim ſic elui citius, & hujus fotores ſuccos abſtrahi proinde. Quanquam verò noſtrę huic aſſertioni quidam refragari, noſque corripere conentur, quod primo quoque tempore Catharticum, & illud vehemens propinari doceamus, quod eſt contra normam expectandę coctionis, & contra monita ſapientum, ne quietos humores perturbemus, & crudos fruſtra moventes irritemus. Quibus tamen reſponſum volumus, quod cogamur inter peracuto & peſtifero morbo ſolliciti & feſtini eſſe, pręſertim ita ſuadentib. & Galeno l. 6. de medicis localibus compoſ. cap. 3. itemque Alexandr. Trall. l. 4. rei medicæ c. 1. ac

noviſſimè

noviſſimè Zacuto Luſitano acuto & experientiſſimo ætatis noſtræ viro, in l. de princ. med. hiſtor. c. 75. quam Luſitani viri Clariſſimi diſputationem adeas Lectori.

Obiiciat quis, qui audeam equidem ſcalpro tonſillas pertundere, quia facilè ſic exacerbentur. Verùm, inquam, non obtrudo his, quod Cornelius Celſus l. 4. c. 4. ſatis altis plagis palatum incidit, itemque Paulus l. 3. c. 17. itemque Cæl. Aurel. l. 3. c. 3. ipſamque linguam, & fauces, & palatum tenui ac longiori phlebotomo ſcarificat. Etenim, inquit, in locali ſanguinis defractione tumentia relaxantur. Non hæc, inquam, obtrudo ſimilia, verùm tuendum affirmo decretum noſtrum, quod tonſillas vitio tactas crebris ictibus concidit Hippocrates, l. 2. de morb. l. decimo, & l. de affectionib. numero 4. & Corn. Celſus l. 6. rei medicæ, cap. 10. Et Cælius Aurelianus, l. 3. morb. acut. cap. 34. Tamen poſt ſcarificationem mitibus gargariſmis utendum voluit & Oribaſius l. de ſcarif. c. 20. & Iſaacus 9. Pract. c. 41. & hunc ſectatus Conſtantinus Afer Chirurgus c. 38. & Gariopontus l. 1. Paſſionarii c. 23. & Hieronymus denique Mercurial. l. de morb. puerorum c. 12. Andreas Tamajus & medici omnes Palatini Madritenſes in Hiſpania. Ita ſcil. ſcarificatus tutus & frugiferus tonſillis extumeſcentibus viſus eſt doctiſſ. omnibus: non ita quidem adactus cum lancinatione digitorum appreſſus, quæ uti ſæpè vulgares Medici cruſtulam elidentes uti conſueverunt. Quò divinitus & αἰτίως verè ſpectavit Aëtius, eodem iſto ſermone c. 46. dicens, conandum a. eſt, in univerſum ne digitum quidem locis admoveamus, aut leni ſaltem tactu manuum admoliamur. Etenim inſcii ad quos maximè in rebus dubiis homines confugiunt, vehementius illinunt, ſimulque inflammatum locum comprimunt, ſimulque cruſtam detrahunt, quod minimè facere convenit priuſquam elevatam & vix innitentem cruſtam conſpiciamus. Quod ſi enim adhærentem adhuc cruſtam aggrediamur, ulcerationes in profundum magis & procedunt, inflammationes conſequuntur, augentur dolores & in ulcera ſerpentia proficiunt, Secutus hoc Aëtii monitum eſt Paulus, l. 3. cap. 26. ſicut in cunctis aſſolet: Compendiosè autem & à nobis de peſtilente & præfocante pueros abſceſſu dictum ſit ad hanc horam veſpertinam 22. Januarii, An. XLII. ſupra M. DC. Deo litemus autori gratias.

Abſceſſus frontis ex contuſione.

Non ita diu eſt, quòd cum Chrirurgo quodam trium aut quatuor circiter annorum infanti mederer, qui è cubili adverſâ in ſaxeum pavimentum fronte ceciderat, ita ut maxima in fronte mediâ appareret contuſio, cui commodis remediis non ita poterat reſiſti, quin tandem in abſceſſum degeneraret. Quare neceſſum fuit, ut aperiretur, verùm lapſu temporis obſervatum omne pus per factam aperturam non poſſe educi. Nec tamen placuit, alterâ inciſione, (erat enim puellula) frontem deformare: quare parumper expectavimus, & pus pulvillis ad dictam aperturam propellere adniſi ſumus, quod tamen neutiquam ſucceſſit. Tum mihi in mentem venit de oſſe frontis infantum ad ſeptimum plerumque, octavumve annum ſuturâ in duas diviſo partes, per quam ſuturam dura mater etiam tranſmiſſa pericranio adhæret, atque ibi interſtitium quoddam efficit, quod ipſum nos adegit, ut & aliam frontis partem inciſione aperiremus, quâ puella, brevi tempore ſanata eſt. *Corn. Stalpart. Vander. Wiel.*

Cerebri Abſceſſus.

J. V. B. Ultra 60. annos natus, corpulentuſque jam aliquandiu pulvere ſternutatorio uſus fuerat, undè paulatim veluti quoddam pondus in anteriori capitis parte animadverterat, quod tandem abſceſſus in cerebro ſequebatur; quandoquidem ille quodam tempore copiam benè magnam tam viridis, quàm *flavæ*, ſed putentis puris dextrâ exonerabat aure: quod *ipſum* illi initio quoddam levamen afferre viſum; ita ut liberatum ſeſe à diuturnâ illa cerebri obſtructione (ita enim vocitabat) jam ſibi firmiter perſuaderet: Verùm paulò poſt mentis uſus deficere, nervique contrahi cœpere ita ut ipſe intra biduum ferè poſt ruptum abſceſſum moreretur. *Idem.*

Abſceſſus in ventriculis cerebri.

Cum fabri cujuſdam ferrarii famulus, cui nomen *Martino*, equo caudam amputaſſet, jamque ut reliquam partem ignito ferro ureret, intentus eſſet, equus ſepto clauſus, calce ſupra trabem, quam tranſverſam vocant, elevatâ, frontem paulò ſuprà ſupercilium percuſſit ita, ut ibidem cranii fractura reperiretur, ſalvâ tamen ſecundâ tabulâ, quoniam cranium eo loco inſigni concavitate præditum eſt. Continuò illi ſyncope ſupervenit, multumque ſanguinis naribus emiſit, & quoniam abundabat, hujus illi non parùm adimi juſſi, poſtea valdè ſomniculoſus, parumque mentis compos evaſit, quandoque etiam ligamina, & faſcias diſſolvebat, ac ſurgebat è lecto, ſeque veſtiebat. Quarto tandem die febri ſuperveniente, ipſo quinto obiit. Aperto capite, repertus in cerebri ventriculis Abſceſſus. *Idem.*

Faucium Abſceſſus.

Gubernatrix Noſocomii *Scheveringani* corpore tenuis admodum, at ſanguine abundans, violentâ vexabatur febri, non ſine magna gulæ inflammatione, ac tumore, quem *Synanchen* dicunt. Quamvis ipſi vena ſciſſa, aliaque remedia, uti decebat, admota eſſent, muſculi tamen œſophagi ita ipſi obſidebantur ut per 9. dies nec cibum, nec potum intromittere poſſet, nihil etiam liquoris (ita ipſa retulit) per fauces deſcenderet, at omnia in os immiſſa per naſum emitterentur; ita ut vita ejus periclitaretur, accedente etiam vocis defectu; verùm nono die liberata fuit, ruptuſque unâ faucium parte fuit abſceſſus, dieque ſequenti pariter alterâ parte: ita ut temporis tractu ad priorem redierit valetudinem. *Idem.*

Abſceſſus poſt aurem ſiniſtram tardiùs apertus, lethalis.

Quadragenariam & innuptam puellam Coloniæ Agrippinæ, abſceſſu poſt aurem ſiniſtram laborantem vidi: nulla adfuit in principio febris, neque lecto decumbebat, imò domeſtica adminiſtrabat; demum circa decimum quartum morbi diem, cùm abſceſſus ad pugni magnitudinem excreviſſet, & materia planè eſſet præparata, ſed propter duritiem cutis diutiùs retenta, viam deorſum ſibi petebat. Tum advocatus, inveni abſceſſum ex ſemetipſo ante aliquot horas ruptum: puellam verò febre, lipothymiâ, nauſeâ & cibi faſtidio, vigiliis, item dolore dorſi, & renum, laborantem: nihil tamen aut parum ex abſceſſu effluebat, neque pus ſurſum revocari potuit. Itaque paucos poſt dies è vita deceſſit: ex quibus perſpicuum eſt, in hujuſmodi abſceſſibus, ſive ſint in emunctoriis, ſive in vicinia non eſſe expectandum, donec ſponte erumpant. *Guilielm. Fabricius Hildanus.*

Abſceſſus Muſculorum Abdominis.

Honeſta quædam matrona, cùm de maximô ac pungitivô ventriculi dolore conquereretur, & me advocandum curaſſet, duritiem è regione ventriculi, ad latus lineæ albæ, hepar verſus, inter muſculos abdominis deprehendi, quæ tamen nonniſi palpatione manûs perſentiebatur, nec quicquam exteriùs apparebat, febris quoque continua, dolor ingens, pungens & pulſatorius aderat, ex quibus (licet in cute nulla appareret intemperies.) mihi facilè colligere licuit, abſceſſum inter peritonæum & abdominis muſculos ſubeſſe: cùm verò morbum periculô non vacare, & immaturam (niſi muſculis abdominis inciſis) mortem expectandam eſſe, probè cognoviſſem, author fui, ut clariſſimum virum, Dn. Doctorem Jacobum Aubertum accerſerent, ac ejus quoque uterentur conſiliô. Quô accerſitô, mecum planè ſenſit, nimirùm phlegmonem ſubeſſe, qui niſi maturè incideretur, aut de vitâ actum eſſe, aut ægram ipſam morbum inde diuturnum ac curatû difficilem contracturam. verùm cùm adſtantibus hæc ſignificaremus, attoniti erant: quia enim in cute nulla nec intemperies, nec tumor appareret, ac de internô abſceſſû ipſis perſuaderi non poſſet, conſilium noſtrum de apertione & inciſione muſculorum omnes planè reſpuerunt, nihilominùs tamen petierunt, ut, ſi quâ ratione anodynis exteriùs adhibitis, dolor leniri, & internis ſumptis medicamentis, febris, nauſea, & eructationes, aliquô modô mitigari poſſent, tentaremus. Nos (de præſenti tamen periculô factâ prius prognoſticatione) omnia quæ neceſſitas requirebat, & ea quidem, quâ fieri potuit diligentiâ, adminiſtravimus. Poſt dies aliquot, cùm circa mediam noctem dolor protinùs remiſiſſet, liberatam prorsùs ſe eſſe, ægra ſibi perſuadebat. Mox ſeptimâ horâ matutinâ vix domum ingreſſi, ecce præ gaudiô maritus nobis occurrit, ſignificans, uxorem ſuam dolore penitùs liberatam. Id quod & reipſa verum eſſe, illicò comperimus. Dolor enim ferè nullus aderat, tenſio quoque, eructationes & nauſea ceſſaverunt, Duritiem manû abdomen contrectando, nullam ferè perſentire potuimus, febris quoque aliquo modo imminuta, & pulſus laudabilior erat. Ex quibus abſceſſum parte internâ ruptum materiamque in vacuum ventris delapſam eſſe facilè nobis colligere licuit, quò etiam maritum de eventu morbi certiorem faceremus. Paucos poſt dies, denuò in infimô ventre dolore exortô, febris ardens ſimul & continua ſupervenit. Tandem lypothymia, quin etiam ſudore frigidô correpta ægra, naturæ ſatisfaciendo, planè, pieque ex hâc vitâ deceſſit. *Idem.*

Abſceſſus Abdominis è regione hepatis.

Sabaudus quidam quadragenarius & robuſtus, cùm dolore maximô dextri lateris ad finem coſtarum notharum laboraret, Lauſannam venit, meque unà cum Dn. Albertô Roſciô, apud Lauſannenſes Doctore Medicô in conſilium advocavit. Inviſentes eum, nullum neque tumorem, neque intemperiem, verùm duritiem inter muſculos in profundô, nobis obſervare licuit. Quare dolor propter compreſſionem & extenſionem peritonæi erat ingens, cum febriculâ adjunctâ. Corpore leniter purgatô, fomentationes, cataplaſmata, inunctiones, diſcutientia, reſolventia & anodyna per dies aliquot applicuimus, ſed abſque fructu, hinc ſpem aliquam concepimus, materiam in halitum reſolvi poſſe, quemadmodum mihi ipſi olim acciderat. A Dn. itaque Roſcio decoctum ligni guajaci, & ſarſæparillæ, addicis herbis hepar reſpicientibus præſcriptum, & per dies aliquot exhibitum fuit. Verùm tantùm abfuit, ut materia diſſipata fuerit, quin potiùs intra paucos dies circa regionem hepatis inter muſculos abdominis & peritonæum defluxerit, atque collecta ſit, ut ratione doloris punctorii & pulſatorii, locus, in quo inciſio facienda, nobis ſatis innotuerit; quamobrem etſi extrinſecùs in cute nihil appareret, ne tamen materia peritonæum penetraret, atque in vacuum ventris deflueret communi conſenſu deliberavimus muſculos maturè incidendos eſſe. Id quod etiam præſente Prædicto Dn. Roſciô, Claudiô Marione, aliiſque, feliciter à me factum fuit. Quô factô, pus copiosè effluxit, neque diu poſt febris, dolor, lypothymia paulatim ceſſarunt. Ulcus propter puris copiam, quæ effluebat, per menſes aliquot apertum retinere coacti fuimus. Interim optimâ victus ratione obſervatâ & corpore per intervalla probè expurgatô, decoctis item ſudoriferis additis iis, quæ hepar reſpiciunt, parteſque nobiles roborant uſus, tandem ſingularis Dei beneficiô optimè convaluit. *Idem.*

Abſceſſus alius abdominis è regione hepatis.

Quadragenarius quidam in monte Coronatô, pagô propriè Hidenam per annos aliquot obſtructione viſcerum, & cachexiâ laborans, tandem dolore diuturnô ac magnô, è regione hepatis correptus fuit. Ego tandem ad ægrum accerſitus, in dextrô hypochondriô abſceſſum immenſæ magnitudinis deprehendi: Cutis enim totius ferè lateris ab ilii oſſe ad coſtas veras, lineamque albam, & ſpinam dorſi, puris plena, elevata & extenſa erat. Dolor continuus & magnus lipothymiæ item, nauſea, appetitûs, viriumque proſtratio aderant.

Quapropter etſi æger & adſtantes amici, ut abſceſſum aperirem efflagitarent, propter maximum tamen ac inſtans mortis periculum, neve nomen imperiti chirurgi, mihi adhuc juveni comparare viderer, manum adhibere recuſavi, & ſequenti die domum reverſus fui. Poſt mei abitum, cùm Barbitonſor in conſilium adhibitus, vomicam aperuiſſet, maxima puris copia impetuosè effluxit. Inde etſi dolor aliquô modô imminutus eſſet, intra biduum tamen æger animam Deo reddidit.

Ad matronam Bernenſem decrepitam vocatus fui: laborabat & illa ingenti tumore è regione hepatis, cum maximo dolore totius ventris & virium proſtratione. Tumorem huncce cùm propter imminens periculum aperire recuſarem & anodyna & corroborantia nonnulla interna & externa præſcripſiſſem, triduo poſt per ſe ruptus fuit abſceſſus, ex quo maxima puris copia effluxit. Et ægra intra paucos dies ex hac luce ſubtracta fuit.

Caveant itaque juniores Chirurgi, ne in magnis abſceſſibus materiam è veſtigio, & derepentè, ſed ſenſim & per vices evacuent: etſi enim apertio magnorum abſceſſuum circa partes nobiles imprimis ſit periculoſa, videmus tamen, inquit Galenus, & in aliis partibus, quando aliquis magnus tumor ſuppuratur, periculoſam eſſe univerſam evacuationem, cùm è veſtigio deficiat anima, & vires debilitentur, & poſtea debilitas iſta remedium non habeat. Videntur enim in his propter magnam diſtentionem partis & puris acritudinem ora quorumdam vaſorum arterioſorum eſſe adaperta, quæ priùs veluti quoddam operculum pus continebat: quo univerſim evacuato, multi ſpiritus unâ cum eo exeunt, atque excernuntur: unde periclitantur ægri. *Idem.*

Abſceſſus abdominis hydropem mentiens.

Puer quidam tumore ventris laborans, hydropicus cenſebatur & cùm umbilicus valdè prominerer, apertio tandem facta eſt, ex qua puris laudabilis octo vel decem libræ profluxêre, ſicque omninò æger curatus eſt.

Advertant tyrones in pueris frequenter tales abdominis abſceſſus generari, qui hydropem mentiuntur, & ſi maturè à perito artifice aperiantur, ægros à certo interitu plerumque liberari. *Petrus Fſtanove.*

Puella quædam ventris tumorem patiebatur octo menſium ſpatio, cum doloribus aſſiduis, quibus ad extremam maciem perducta fuerat: hydropica ab omnibus cenſebatur. Ego verò ad eam vocatus & ventrem diligenter explorans, abſceſſum latentem invenio intra muſculos hypogaſtrii, eumque cauſtico potentiali aperio, unde 15. aut 20. libræ puris laudabilis effluxêre intra plures dies, ſicque ægra perfectè curata eſt. *Idem.*

Abſceſſus Abdominis.

Scriba quidam cùm ruri haud procul *Antvuerpiâ* eſſet, dexteri lateris, cum febri, dolore correptus, ſed juxta & paulò infra nothas coſtas: Medicum accerſivit, qui venæ ſectione imperatâ eclegmata, linimentaque præſcripſit, qualia pleuriticis adhiberi ſolent (pleuriticum enim morbum eſſe exiſtimabat) ab his verò cùm malè æger haberet, febriſque intenderetur, domum vehi poſtulavit. Ad quem deinde vocatus, hominem offendi febricitantem quidem, ſed debilem & viribus parùm valentem, dextrum hypochondrium nonnihil dolentem, ventre verò vehementer diſtento, ac veluti hydropici alicujus tumente, exhibui mox purgans medicamentum, ſed in exigua quantitate, quod cùm feliciter ceſſiſſet, poſtridie idem, ſed in majore quantitate propinavi, quo expurgatis multis vitioſis humoribus, ſiniſtra ventris pars tota ſubſedit: dextræ verò tumor permanſit & cùm non modò tumida hæc pars relicta eſſet, ſed & durior, ac digitis renitens, cataplaſma admovi: quo tumore intra paucos dies emollito, nuſquam verò apparente loco, per quem pus erupturum ſperari poterat. Sectionem adhibuimus, diligenter caventes ne peritonæi membrana vulneraretur: quâ circa inferiorem ventris partem factâ mox copioſum effluxit pus; quo deinde expurgato, vulnereque ſolidato, æger ſanitati reſtitutus eſt: adhibitâ interim bonâ victûs ratione, & paucis remediis. *Rembertus Dodonæus.*

Abſceſſus ipſius hepatis, qui curabiles.

Tumores aliquando in jecore ſuboriuntur, in quibus alii ſunt crudi, & nunquam ſuppurant, alii verò ad ſuppurationem veniunt, & quia jecur pauci eſt ſenſûs, nervulis quippe gibba tantùm ſui parte donatum, non ita facilè proptereà, niſi progreſſu temporis horum differentia dignoſcitur: tunc enim qui ſuppurant, gibbâ potiſſimùm ipſius parte in acumen prominent, & ſectionem indicant, nullo vitæ diſcrimine; prout ego in multis ſum expertus, ſectis licet integumentis communibus, muſculis, & peritonæo; quod ſi in cava delituerit, per urinam expurgandus, ut obſervavi in Veſtali virgine Divæ Annæ, ex Buzzacatinorum familiâ, quæ cùm maximam copiam puris minxiſſet, à tumore liberata eſt, dolore licet jecoris quandoque moleſto, cum febre. A quibus tamen ſola evacuatione ſanguinis ex vena jecorina dextri cubiti, convaluit. Hoc non contingit tumori partis gibbæ jecoris, cui ſectò imponenda eſt turunda, imbuta ovi albumine; tum digerentibus utendum, prout in vulnere illius partis; poſtmodùm ſarcoticis; tandem epuloticis cicatrix inducenda, evacuata prius tamen tota materia purulenta, turundarum ope, nec non cannulis plumbeis, quibus utpote citiùs, & commodiùs expurgatur, qua ratione multos ſanavi, quorum aliqui adhucnum incolumes degunt. *Dominic. de Marchettis.*

Abſceſſus ingens inter peritonæum & muſculos exterius ruptus, poſt ulcus renis.

Nobilis & ſingulari virtute prædita matrona, Domina Magdalena Biss quæ jam quadrageſimum aut circiter, agit annum, anno 1617. circa finem Januarii, de dolore quodam gravativo lateris dextri conquæri cæpit. Circa coſtas autem mendoſas, & verſus altiorem partem hepatis primò exortus eſt, deinde paulatim versùs regionem renis dextri deſcendit. Nullam tamen hujus doloris cauſam externam dare poteſt. Urina, uti Dn. D. Scharandæus diligenter obſervavit, ſtatim facta eſt turbulenta, & non diu poſt purulenta. Supervenit quoque febris & nauſea: præcipuè autem carnem averſabatur, A. D. D. Scharandæo adhibitis quibuſdam, acidulas Griesbachenſes Solodurum aſportandas curavit: quas cùm ipſo menſe Januario & Februario bibiſſet, appetitum recuperavit: maximam quoque copiam excrementitiorum cum urina excrevit. Interim tamen dolor ex toto non ceſſavit, ſequenti menſe Auguſto cùm thermas Piperinas in Rhætia inviſeret, dolores adeò adaucti fuerunt, ut ab eo tempore nunquam ab ipſis immunis fuerit. Anno 1618. menſe Februario, prædictus dolor, mirum in modum auctus fuit. Præter D. D. Scharandæum itaque, Dominum Doctorem Martinum Chmieletium, Baſileenſem medicum clariſſimum, in conſilium adhibuerunt. Corpus iterùm ex arte expurgatum; venæ brachii ter, pedis verò ſemel ſectæ fuerunt, per intervalla quoque aquam acidam Griesbachenſem bibit, nec ſine fructu. Interim purulentam materiam per urinas continuò, per intervalla quoque arenulas excrevit. Sæpiſſimè quoque filamenta ſemidigitum longa in lotio conſpecta fuere. Auctis doloribus è regione renis, & ego quoque vocatus fui, anno 1618. 23. Junii, ut quid facto opus ſit, cum Dn. Doctore Scharandæo deliberarem. Iterum expurgato corpore, inunctionibus, & ſimilibus tentavimus, an dolores ſedari; & materia contenta in halitum reſolvi poſſet, ſed fruſtrà, quapropter ad ſuppurantia pervenimus, ſed & nec eis materiam ad ſuppurationem attrahere potuimus: quapropter ſextâ Julii, paulò ante prandium, etſi in cute indicium nullum abſceſsûs appareret, cauſtico tamen meo, eſcharam, ſine dolore, è regione renis, aut paulò magis verſus umbilicum, induximus: ſub veſperam, ad carnem ferè vivam uſque, eſcharam ſcalpellis ad id aptis exſcidi: quæ quia nondum ſatis profunda, nonnihil de eodem cauſtico ad fundum inciſionis impoſui. Sequenti die cùm per reliquam eſcharam ad materiam purulentam uſque, inciſionem proſequutus fuiſſem, pus album & benè coctum copiosè effluere cæpit. Prima tamen vice, ne vires proſternerentur, ultra uncias quatuor non evacuavimus Circa veſperam iterùm multùm effluxit, uti quoque ſequenti die: tum trutinatâ materiâ, repertum fuit, ſpatio viginti quatuor horarum, ad uncias tredecim effluxiſſe. Exinde ſymptomata omnia, quæ graviſſima, veluti febris, nauſea, lypothymiæ, vigiliæ, & hujuſmodi, paulatim imminuebantur, imprimis dolor tum lateris dextri tum etiam è regione ventriculi, qui ægram ab initio morbi

morbi adeò exercuerat, ut ſæpiſſimè culcitram vix ſufferre poſſet, remiſit. Dolor inſuper totius cruris dextri, qui ante inciſionem abſceſſus vehementiſſimus fuerat, nulliſque remediis ſedari potuerat, ſequenti nocte imminutus eſt, & intra paucos dies evanuit, nullis adhibitis remediis: pus tamen per menſem integrum, & diutiùs copiosè emanavit. Ubi notandum, ante inciſionem abſceſsûs, ſæpiſſimè in urina grumos ſanguinis magnitudinem lentis vix excedentes, conſpectos fuiſſe, qui poſt apertionem apoſtematis non ampliùs per urinas, ſed cum ipſo pure per ulcus excernebantur. Materia quoque purulenta minùs copioſa in urina reperta fuit. Unde facilè collegimus, abſceſſum eſſe inter muſculos & peritonæum, communionemque cum rene habere: quod poſtea manifeſtiùs apparuit, cùm materia ſeroſa puri permixta per ulcus effluerct, per quas autem vias id factum fuerit, non facilè eſt ſcire. Caſum eſcharæ ſequenti unguento anodyno & digeſtivo, ut vocant, promovimus: ♃. Ceræ novæ ℥i. colophoniæ, & gumm. elemi. ana ℥ ß. croci ℈ i ſ. cum oleo roſaceo, & amygd. dulc. q. ſ. fiat unguentum, addendo vitellum ovi. Sic ſatis digeſto ulcere, pulvere præcipitato & rectificato, nec non butyro recenti mixto, ulcus mundificavimus. Tandem balſamo Tolutano turundis impoſito, circa finem menſis Auguſti, conſolidatum ulcus & cicatrice obductum fuit. In applicatione autem pulveris prædicti, quod notandum eſt, inflammatio aliqua gingivarum, & ſalivatio, non minùs ac ſi hydrargyro inuncta fuiſſet, ſequuta eſt, tam eſt delicatula & tenuis texturæ.

Porrò dùm circa Topica occupati fuimus, in reliquis nihil prætermiſſum quoque fuit: victûs rationem optimam obſervabat: frequenter trochiſcos Gordonii, ad drachmam unam cum lacte caprino, nonnunquam quoque nonnihil terebinthinæ, & trochiſcorum alkekengi jejuno ventriculo, poſt cœnam verò ſerum lactis cum ſaccharo roſato exhibuimus, cùm autem medicamenta in forma potionis, nonniſi cum difficultate ſumeret, frequenter exhibuimus ſequentes pilulas, pondere duorum ſcrupulorum, & paulò poſt juſculum carnis, ſine pane ſuperbibendum dedimus, quò medicamentum eò meliùs in ventriculo diſſolvi, & ad locum affectum pervenire poſſet. ♃. Terebinthinæ præparatæ cum decocto agrimoniæ, veronicæ, alchymillæ, ſaniculæ, pyrolæ, liquiritiæ an. ʒ vj. pulver. liquirit. ʒ ij. ſpiritûs terebinthinæ rectificat. ℈ ij ß. miſceantur: & fiat maſſa. Interim dum his utebatur remediis, ſymptomata, uti dixi, remiſerunt: vires quin etiam paulatim recuperavit, pus tamen quotidie cum urina excrevit. Quapropter conſuluimus, ut uſum trochiſcorum Gordonii, & præſcriptarum pilularum, nequaquam intermitteret. Ad tempus quidem paruit: tandem verò, cùm ab uſu medicamentorum nauſeabunda facta fuiſſet, eorum uſum intermiſit: ſatis tamen feliciter & commodè vitam traduxit, uſque ad menſem Junium, anni 1619. tum iterum de dolore lateris malè affecti conqueri cœpit, ita quidem, ut ſecundâ Julii iterum coacti fuerimus applicare cauſticum, & eodem modo, quo & antea, omnes muſculoſaſque partes ad peritonæum perforare, non tamen in eodem loco, ſed nonnihil altiùs, & magis verſus muſculum rectum abdominis; pus iterùm, quemadmodùm & antea, copiosè effluxit. Cicatrix quoque præcedentis ulceris poſt menſes aliquot rupta fuit. Tum funem ſericeum per utrumque ulcus traduximus, in eum finem, ut forſan hoc modo materia liberiùs effluere, & affectus in rene tandem ſanari poſſet. In eundem quoque finem decoctum Traumaticum ad tempus exhibitum, & ulceribus ſyphone injectum fuit: ſed fruſtrà laboravimus. Paulatim enim materia deorſum versùs coxam delapſa eſt. Quapropter cùm multa variaque medicamenta, tam interna quàm externa, etiam ſudorifera ſine fructu ſumpſiſſet; Tandemque Thermas Badenſes Helveticas inviſeret, iterùm collecta fuit materia, ideoque verſus muſculi latiſſimi medium, & ferè eo in loco, ubi Veſalius ipſum tabulâ decimâ X. notavit. Badenæ, præſente, Dn. Doctore Scharandæo aperta fuit vomica; ex qua rurſùm pus copiosè effluxit. Manſit aliquandiu in thermis, deinde domum rediit, ubi nunc utcunque commodè vivit: ulcera tamen etiamnum aperta ſunt, ex quibus quotidiè pus exſtillat, non tamen uſque adeò copiosè, urinas quoque adhuc purulentas quotidie reddit. *Guilielm. Fabricius Hildanus.*

Abſceſſus graviſſimus ani, ex ineptâ venæ ſectione.

Amicus quidam meus 50. circiter annorum ætatis, Reverendus Dn. Nicolaus Hentzius in Bernenſi ſchola linguæ Græcæ Profeſſor, quendam ex primariis Barbitonſoribus noſtris, venæ ſecandæ causâ accerſiri jubet. Is ut noſtrorum hominum mos eſt atque conſuetudo, præclarum facinus ſe facturum putans, ſi larga fieret ſanguinis extractio; duas eâdem horâ (qui modus ſecandi venas noſtris uſitatus eſt) aut potiùs eodem momento venas incidit, primam videlicet in brachio dextro, alteram in manu ſiniſtra. Quid ſit? vix tribus à venæ ſectione horis elapſis maxima ſanguinis & humorum ſequuta agitatione, versùs podicem delapſus eſt humor peccans, ita ut ſibi videretur ſanguinem omnem per ſeceſſum evacuatum iri, & veluti cum impetu effluxurum. Agitatus enim ſanguis in vena cava, imò & in ipſo hepate & vena portæ: commotus item humor melancholicus facilè ad podicem decubuit facilè, inquam, id fieri potuit, cùm corpus pravis humoribus & præcipuè atrabilario (qui propter ſui gravitatem, mediantibus venis hæmorrhoidalibus, haud difficulter ad podicem deſcendebat) refertum, nec ante venæ ſectionem purgatum eſſet. Tribus itaque horis ut dixi, à venæ ſectione, exorto dolore & inflammatione, ſubſequens nox gravis ipſi fuit altera die, cùm deambulatione tempus fallere vellet, adauctus eſt affectus, & in abſceſſum durum, renitentem, ac doloróſum degeneravit, febris quoque ſupervenit, vigiliæ item & inquietudines adauctæ fuere: ſicque in ſextum diem doloribus acerbiſſimis, cum alvi conſtipatione divexatus fuit. Barbitonſor interim univerſalia negligit, & nihil præter emplaſtrum ſuum incognitum, ut vocant, applicat. Ego quintâ Maii, veſperâ accerſitus fui, hominemque in maximis anguſtiis inveni. Statim ſuppoſitoriis alvum ſubduxi. Debebat id clyſtere fieri, verùm illud, etiam docti ferè omnes, non minùs ac plebei homines, veluti crudele & immane remedium non tantùm reſpuunt, verùm etiam ſi penes ipſos eſſet, libenter ad inferos detruderent. Circa nonam noctis potiunculam anodynam & cordialem ex confectione alkermes, extracto anodyno, aqua cinnamomi & borraginis conflatam propinavi, & cataplaſma anodynum ſimul & ſuppurans applicui. Utcumque quievit hac nocte, altera die cataplaſma iterùm bis applicuimus, & poſt cœnam præſcriptam potiunculam exhibuimus. Septima die maturatus à cataplaſmate abſceſſus, circa exortum ſolis ruptus eſt, ex quo ſeroſa, fæculenta & livida materia effluxit, quæ adeò erat fœtida, ut conclave totum putrilaginoſo & verè cadaveroſo odore, & fœtore adimpleret, ita ut non ſolùm faſcias & induſia, ſed & linteamina & culcitras mutare, aëremque ſuffumigiis tota die corrigere neceſſe fuerit.

Abſceſſus autem qui in nate ſiniſtra in ipſis clunibus propè podicem erat, duobus in locis ruptus eſt: immiſſo in utrumque ulcus ſtylo exploratorio, compertum eſt, horum alterum, quod ſuperius, ſinu quinque tranſverſorum digitorum longo profunditate ad latus vergere: utrumque imprimis profundius illud ferè abſque ſenſu doloris ſtylum tam profundè admittebat, tam magna & ingens fuerat putredo. Ab initio digeſtivo & cataplaſmate prædicto per dies aliquot, deinde mundificativis & potione traumaticâ uſi fuimus. Convaluit tandem & hucuſque quàm optimè ſe habet. *Idem.*

Abſceſſus in ſiniſtro hypochondrio cum inteſtini eroſione.

Nicod. Eſtopey, paganus de Trey, quinquagenarius & homo robuſtiſſimus, acutiſſimo dolore colico, maximè ſub coſtis mendoſis lateris ſiniſtri, & ventris conſtipatione correptus eſt; cùm autem nulla adhibuiſſet idonea remedia, & excrementa ſupra modum indurata per anguſtiam (quam Caſparus Bauhinus Anatomicus & Botanicus inſignis, in colo inteſtino primus obſervavit) permeare non poſſent, inteſtinum verò in ea parte excrementorum & flatuum copiâ turgeret, exacerbatus eſt dolor & cruciatus. Inde febris vehemens & continua, item vomitus, ſyncope frequentes, deliria, aliaque graviora ſymptomata ſequuta ſunt, ita ut præſens vitæ periculum immineret: accenſa in colo inflammatio degeneravit in abſceſſum, unde ſimul & excrementa, & lumbrici aliquot manarunt. Ego advocatus ægrum in extremis invenio languoribus. Nam præter ſymptomata ſuperiora, ipſa quoque excrementa toto bimeſtri per ulcus emanarant. Remediis tamen tum interiùs, tum exteriùs adhibitis, dolor, febris, aliaque ſymptomata ſenſim remiſerunt: ita ut trimeſtri ſpatio; Deo gratiâ, priſtinæ ſanitati, nullâ relictâ fiſtulâ, reſtitutus fuerit. *Idem.*

Abſceſſus ſub muſculo pſoa.

Chirurgus quidam ad honeſtam matronam, accerſitus, eam invenit decumbentem cum acutiſſimis doloribus circa lumbos, febre, lypothymia, & urinæ difficultate. Is cùm ex doloris ſpecie, aliiſque indiciis cognoviſſet, apoſtema eſſe internum (exteriùs enim nihil apparebat, nec tactu quicquam apprehendi poterat) nimirùm ſub pſoa muſculo, qui Veſalio femur moventium ſextus, & ſeptima muſculorum tabula t. octava verò ⊖ notatus eſt, vitæ periculum prædixit: niſi forte aperto latere illo contentus humor efflueret, annuentibus amicis, ipſe ad ſpinæ dorſi latus, cutim & muſculos exteriores ad pſoam uſque incidit novaculâ. Effluxit copioſus humor purulentus & fœtidus. Ab eo tempore mitigata ſunt ſymptomata omnia & ipſa brevi reſtituta, vixit & valuit multos annos.

Ulcus ad menſes aliquot turundis, cùm ex radicibus gentianæ, tum ex ſpongiis præparatis factis, & medicamentis mundificantibus & abſtergentibus illinitis, apertum retinuit. Poſtea ſarcoticis carne implevit. Ab injectionibus tamen, quæ ſyphone fiunt, planè abſtinuit. Quod etiam in omnibus aliis vulneribus & ulceribus, ſive ea in pectore, ſive in inferiore ventre fuerint, obſervandum: facillimè enim pars aliqua injectionis in vacuum pectoris aut ventris delaberetur, ibique non leviora ſymptomata, magno cum periculo ægrotantis, excitari poſſent. *Idem.*

Apud eundem alia legitur hiſtoria, ſimilis operationis in eodem caſu peractæ, à peritiſſimo D. Griffonio, Chirurgo Genevenſi celebertimo, Autoris Præceptore.

Abſceſſus in ſpina dorſi.

Cuidam apoſtema ingens in ſpina dorſi obortum, Barbitonſor ſcalpello id aperuit ſupra affectam partem, quæ niſi compreſſa nihil liquoris emittebat; hinc ſtagnans materia oſſa corrodendo fiſtulam excitavit: Doctor *Foſſius* cauterium potentiale affecto loco imponi jubet, apparuerunt poſt eſcharam oſſa nigra, quibus abraſis, & nitori reſtitutis, vulnus curabatur ſarcoticis & emplaſticis: reſiduum adhuc erat punctulum, aciculæ caput vix ſuperans, ex quo ſanguis liberaliùs fluxit, nec ante ſextum diem ſiſti potuit, tumque inductâ cute convaluit æger. *Bartholinus.*

Quinque abſceſſus mihi videre contigit dorſum occupantes juxta ejus ſpinam, qui ex materia frigida ſenſim collecta geniti fuerant, ſine dolore aut inflammatione, & partis colore nullo modo mutato: molles erant tumores, œdematis ſimiles, pugni magnitudinem ferè adæquantes, ex iis tamen adapertis pus laudabile effluebat. Tres priores lethales fuere, intra trium aut quatuor menſium decurſum, cùm ulcus ex abſceſſu aperto relictum ſinuoſum admodùm evaſerit, ex eoque continuo magna puris copia effluxerit, unde corpus univerſum exhauſtum, & in atrophiam converſum eſt, licet multis remediis ulcerum curatio fuerit tentata. Quartus curatus fuit inciſionibus magnis in dorſo factis, quibus ſinus omnes detecti ſunt, mox fotibus ex aqua catapultarum, aliiſque topicis, ulcera ſanata ſunt. Interim tamen cauſæ antecedenti providebatur, frequenti evacuatione, & uſu decocti ſudoriferi. Quintus denique curatus eſt ſine inciſione, ſed magna apertione factâ per cauterium potentiale, mox deterſione ulceris per injectiones ex decocto catapultarum, & fotu ex eodem, ac denique valida compreſſione partis cum faſciis & ſpleniis, & valdè adſtringentium emplaſtrorum continuâ admotione in ambitu ulceris. Interim verò cauſæ antecedenti providebatur remediis prædictis. *Riverius.*

Ingens femoris abſceſſus in Virgine, è quo ter erupit menſtruus fluxus.

Nobiliſſima Virgo annos circiter 19. nata, ſuppreſſo menſtruo fluxu per aliquot menſes, febre lenta laboravit, cui ſucceſſit tumor eryſipelatodes circa genu, qui remediis ordinariis quadantenus cedere viſus, in abſceſſum poſtea totum prope femur occupans degeneravit. Abſceſſus ille contumax admodum ad ſuppurationem ægrè deductus, prominentiam tandem in parte femoris domeſtica oſtendens, apertionem indicavit; quæ ope lapidis cauſtici & ſcalpelli peracta eſt. Evacuata hac ratione puris ingenti copia, medicamenta detergentia, vulneraria & balſamica, quæque ſuo tempore adhibita fuerunt; cujuſmodi ſunt decocta herbarum traumaticarum, radic. ariſtolochiæ, gentianæ &c. tincturæ ex myrrha, aloë & cæteris id genus, ut & ex balſamo Peruviano, nec non Judaico cum ſpiritu vini extractæ, balſama ſulphuris variæ compoſitionis, fixa & volatilia. Vulnus interea apertum ſervatum eſt inductis turundis ex linamento, item ex radice gentianæ, atque ſpongia præparata; injectiones perpetuò celebratæ ex tincturis & decoctis mox memoratis; revocata & in uſum per intervalla aqua phagedænica; faſciationibus aptis interim non neglectis, quibus pus ad abſceſſus orificium promoveretur, ſicque exitui parabilius foret. Non omittebantur præterea interna remedia, purgantia nempe, vulneraria, decocta ex radice chinæ, juſcula viperina &c. Quindecim circiter poſt diebus novus tumor in poplitis medio apparuit, qui & apertus

apertus communicationem cum ſuperioris vulneris oſculo habere viſus eſt: quæ tamen interrupta fuit, tum propter materiæ viſciditatem, tum propter partium tendinoſarum dilatationem majorem non ferentium ſenſum exquiſitiſſimum. Cæterùm cùm evacuari, aut omnino detergi per longum tempus non poſſet ulcus, qui novæ ſubinde pelliculæ concretioneſque membranaceæ adnaſcerentur, novuſque materiæ, purulentæ, ſalſæ & viſcidiſſimæ proventus in dies accederet, imò ſanguinis impetus tempore fluxus menſtrui illuc tanta vi ageret, ut ter inde periodicè effluxerit in larga quantitate, medicamenta etiam maximè appropriata fruſtra propemodum adhiberi videbantur. Conſultatione tum inſtituta exiſtimatum, ulcus hoc cachoëthes curationem vix admiſſurum niſi ferro & igne id obtineri poſſet. Et primò quidem cùm ageretur de ulcere caverноſo, cujus cavitas novem aut decem pollices, ſecundùm femoris longitudinem extendebatur, inciſio videbatur per ſe indicari, verùm vaſorum majorum propinquitas non parum obſtabat, & à tam longa inciſione per interjectas craſſiores carnes non immeritò abhorrebat Nobiliſſima Virgo. Itaque tutius videbatur ulcus in ipſo fundo per plures admotos lapides cauſticos reſecare, ut ope communicationis illius faciliùs detergi poſſet, & ignis pro partis corroboratione ſobriè admoveri. Ulcus poplitis quod attinebat cenſebatur illud, curato prædicto, ſponte conſolidatum iri. At verò ſine ferro aut igne cura, Deo benedicente, peracta fuit, injecto ſcilicet ſæpius balſamo ſulphuris eſſentiali & volatili, curioſo artificio à me parato, ſpirituique vini maritato, unde quicquid calloſum in ulcere fuit reſolvebatur, concretioneſque membranaceæ, profondiùs innatæ atterebantur & ſeparabantur, ita ut beneficio largiorum injectionum vulnerariarum ſenſim educerentur, novuſque proventus inhiberetur, tum per memorata remedia, tum etiam per turundas è linteis emplaſtro maximè detergente & vulnerario imbutis, confectas, in ulceris profundum cum unguento appropriato liquidiori & excalfacto, immiſſus.

Abſceſſus miræ ſtructuræ.

Anna Gerhardi, ancilla hilaris animo, agilis corpore, ex conſilio Ampliſſimi *Dn. Conſulis Nicol. Tulpii* ædes noſtras accedit; humero ſiniſtro inhærebat abſceſſus inſignis, rotundus, quem ſteatoma vocaverunt alii. Ad ejus ablationem admiſſi, primò omnium *Cauterium potentiale* ex calce viva cum ſmegmate paratum elatiori ejus parti (à ferro enim abhorrebat) applicuimus, die ſequenti loco cauteriſato *ſectionem* levem inſtituimus, primò rectam, hinc tranſverſam, & occurrit nobis corpus aliquod candidum, hoc diſſecto ſimile aliud ſe obtulit, quod, æquè, ac alia, diſſecare neceſſarium duximus, & ſic totum abſceſſum auferendum eſſe conſtitit, quod etiam brevi, vaſis ſanguineis laceratis, peractum, ad hæmorrhagiam, lintea combuſta, *Boviſt.* ſimiliaque applicabamus. Abſceſſus exſtirpatus, tabulæ impoſitus, curioſam nobis, aliiſque miram exhibuit ſtructuram; ex viginti enim & pluribus, albicantibus corpuſculis rotundis, ſibi invicem impoſitis, compoſitum eum invenimus, quævis harum lamellarum materiam continebat albam, glutinoſam. Sanguinis fluxu ſedato, ad mali omnimodam eradicationem *mercurium præcipitatum rubrum* applicuimus, hinc mundificantia uſurpare neceſſarium, conſolidantia denique & cicatriſantia. *Job. à Meekren.*

Abſceſſus Hepatis apertus mortem accelerat.

Ex communicatione Clariſſ. Antonii Drelincurtii *Rerum-publicarum, Bernenſis & Friburgenſis Medici Extraordinarii &c.*

Medicinæ Doctor præclarus Praxi inſignis Dominus Nicolaus Gervaſius, Vir laudandæ ſtaturæ, neque macilentus neque obeſus, florida facie vivacibus oculis, temperamento præditus ſanguineo; in rebus peragendis expeditus ac ſagax, ſobriè ac parcè victitans, raptimque ſeſe cibando, promptius ut ſe accingeret ad ægros viſitandos, à primâ aurorâ matutinâ ad altam noctem equitabat ad illos, & ſi quando interdiu domum rediret ſciſcitaturus de novis opem ſuam requirentibus, uno aut altero vini hauſtu ac cruſtulâ panis ſeſe refocillabat, alacrius ut ad ægrotos iterum properaret; circiter verò vitæ annum, quadrageſimum quintum hepatis dolore afficiebatur, quandoque lancinante ac pertinaci; nec ideò tamen à viſitandis ægrotantibus abſtinuit, (hæreat quanquam lateri lethalis arundo) donec demùm tam jugi ac improbo labore defatigatus, ac viſcera attritus in exquiſitiſſimam jecoris inflammationem ſummoperè doloroſam cum febre ardente inciderit, quibus temperandis varia atque vaſia remediorum genera cùm interna tum externa in uſum vocavit, ſed iis omnibus irritis curam valentiorem animo volvens, Collegas ſibi magis amicos ad conſilium vocat, quibus ideam morbi aperit, ac curæ rationem reddit, explorant protinus Domini Doctores regionem dolentem, palpantque ſimul hypocondrium dextrum tenſum, jecur oppidò undiquaque circumſcriptum majoremque in molem excretum cum dolore pulſatili ingenti unâ cùm febre ardente, vigiliis pertinacibus, vehementi capitis dolore, ſiti inexhauſta, oris amaritudine, linguæ ſcabritie, colore faciei rubicundiore, flaveſcenteque omnimodâ ἀνορεξία aliiſque id genus huic morbo aſſuetis ſymptomatibus, iiſque omnibus ad amuſſim examinatis varia in medium proferunt remediorum auxilia quæ omnia vana, irrita, ac invalida nominat æger ad tanti hoſtis debellationem, ſeque in ea eſſe ſententia conſimul convenirent ſecum, de jecoris abſceſſu jam facto, viam ad puris evacuationem ſummoperè neceſſariam, quam non aliam judicat præter apertionem ipſius abſceſſus, per ſectionem peritâ manu celebratam in ipſo jecore, quandoquidem, ex Hipocratis Oraculo, ad extremos morbos, extrema exquiſitè conveniant remedia, cui ſententiæ Medicorum nullus aſſentiuntur, quin imò refragantur propter tantam parenchimatis totius inflammationem, ac duritiem, totiuſque hypochondrii dextri tentionem, à cujus reſectione tam dubiæ atque periculoſæ aleæ tantum vitæ immineat periculum, quandoquidem fortaſſe totum hepar abſcedatur, ac in ſcirrum faceſſerit febre aliundè ardente totque ſtipatâ ſymptomatibus ſummum vitæ diſcrimen minitantibus, aſt reponit ægrotans datâ portâ puri ac materiæ in hepate contentæ, adeoque cauſâ ſublatâ facilè foret credere, tollatur ut & effectus hâcque ratione, evaneſcant neceſſe eſt tot ſymptomata, quibus anſam dederit inflammatio, quâ pacatâ evaneſcant & ea ſimul; cui ſententiæ mordicus inhæret, ſperans ut benedicente ſummo archiatro, poſſit & hâc ratione ſuperas evadere ad auras, præcedunt igitur Medici Conſiliarii, reſecatur latus, aperitur abſceſſus à quo multùm effluit puris non bonæ,

bonæ notæ ut pote bilioſi, ichoroſi virideſcentis; febris ac dolor augeſcunt, urgent vigiliæ pertinaces, capitis dolor intenditur, lingua fit ſubrubra, arida, faciei color ex rubicundo fit citrinus, ſupervenit alvi fluor, ſitis inextinguibilis aliaque enaſcitur ſymptomatum ſæva cohors, atque tandem mors ineluctabilis; ſicque Vir ille vivere ſummopere avidus dirâ manu præpoſteram ſibi mortem accelerat.

Fatis agimur - - - cedite fatis.

Alius Hepatis Abſceſſus in ſeptuagenario fructuoſè apertus.

Ex ejuſdem Viri Clariſs. communicatione.

VIr Clariſſimus Dominus Beda de la Gourmandiere dictus des Fourgerais Pariſinus Medicinæ Doctor famigeratiſſimus, habitu corporis εὐσάρκῳ καὶ εὐσπλάγχνῳ gaudens, vegeto ac firmo pede quanquam adunco, vivido vultu ac hilari fronte, crinibus à prima ſenecta niveum colorem æmulantibus ad humeros expanſis, lautè ac opiparè vivens; ab horis matutinis mulâ ſuperbè ornatâ equitabat ad ægros ad meridiem uſque, à prandio verò ſedili portatili ad illos deferebatur ad uſque veſperam, poſt cœnam autem carrucâ ad altiſſimam noctem praxim jugiter exercens hilariter quæſtuoſiſſimam, ad annum vitæ ultra ſeptuageſimum, quâ ætate incurrebat jecoris inflammationem febre ardente, aliiſque ſymptomatibus huicce pathemati endemiis ſtipatam, quæ tandem in abſceſſum faceſſebat; confeſtim autem ſagax ac animoſus ſenex remedia exquiſitiora, tum interna tum externa ideæ morbi appropriata adhibet, ſed in caſſum omnia; idcircò continuò convocat Doctores amicos ſelectiſſimos, quibus exponit ad amuſſim & morbum & illius curam huc uſque à ſe adhibitam valentioremque proponit, apoſthematis ſcilicet apertiones ut-pote exquiſitum ac extremum remedium ad extremum ac exquiſitum morbum, ex oraculo Hipocratis convenientiſſimum, huicque tam arduo morbo auxilium unicum ad quod ceu ad ſacram anchoram citò nec cunctanter confugiendum. Stupent attoniti conſortes temerarium adeò ſenis conſilium, minitanturque mali ominoſam operationem in ætate adeò provecta, quibus audacter ille reſpondens aſſeverat animo confidens ſe viriliter defuncturam tanto quod minitantur periculo, atque abſceſſûs apertione ſibi ſalutem pollicetur, quod veriſſimum felix probavit eventus, à reſeratione quippe abſceſſus, laudabile pus emanans, omnia fauſta ſperare jubet, remittunt & dolor hepatis & febris ejuſdemque familiæ accidentibus, ulcus ſanatur intus & extra, ſuperaſque evadit ad auras generoſus ſenex, hincque vixit multos ad annos ut antea praxim exercens haud pœnitendam.

Audentes fortuna juvat - - - - ſicque è duobus perit unus, ſervatur at alter.

De Abſceſſu ex intempeſtivè ſuppreſſâ, poſt abortum, Uteri hæmorrhagiâ, ſubortô, & per umbilicum ſponte ruptô, magnâ vi puris excretâ.

Ruſtica quædam mulier, ſatis cæteroquin vegeta, abortum patitur, quem ingens uteri excipiebat hæmorrhagia, cum inſigni virium proſtratione. Adſtans vetula, huic opem latura, in momentô torrenti obicem ponit, & ſanguinem ſiſtit, adeò ut ne guttula ulteriùs in conſpectum venerit, referente hoc ipsâ abortiente. Quibus autem hoc ipſum effectum dederit mediis, patientem latet, nec unquam reſciſcere ego potui, Cohibitô ſic omni ſanguinis fluxu, & conſequenter purgamentis ſubſequentibus ſimul hâc ratione ſuppreſſis, fæmina de pondere abdominis, obortiſque doloribus circa uterum conqueri cæpit, qui dolor in dies auctus, maritum impulit quartô die ex me conſilium petere. Auditâ ruſtici relatione, ſanguinem cohibitum ſtagnantemque reſolvere, Sicque lochiis excernendis viam ſternere annitebar. Sylvii igitur miſturam ex ſubcontrariis conſtantem, aliàs in hôc paſſû ſat celebrem, unà cum aliis huc facientibus, propino, ſed in caſſum ſingula; non ſolùm enim dolores augebantur; ſed & abdomen, ſenſim, ſenſimque in duritiem, tactui renitentem attollebatur. Fortiora exhibebantur pellentia, ſed ſine omni effectû. Sola clyſmata in hunc finem aliquoties injecta, calore & vi aromaticâ ſuavi, dolores ad tempus demulcebant, dehinc majori cruciatû redeuntes. Internis nil proficientibus, ſpecies emollientes, carminantes pro ſacculis lacti incoquendos offero, quibus per aliquot dies uſurpatis, ſub ingenti dolorum ſævitiâ, & abdominis rumpendi metû, natura ipſa viam tortori ejiciendo aptiſſimam, molitur. Maritus ſcilicet uxorem in alterum latus verſans, inter ejulatus uxoris ſonum percipit, & ſimul illam largô puris rivô perfundi conſpicit. Territus hôc ipſô ad me properat ruſticus, utque abdominis crepaturam adſpicere velim anxiè rogitat. Annuo ego, partemque læſam luſtro, & ecce in ipſô quaſi centrô perforatum adinvenio umbilicum, ægrâ nonnihil meliùs habente. Foramen in umbilicô factum craſſiorem calamum ſcriptorium adæquabat, & quoties turunda removebatur, toties pus bene coctum per radium proſiliebat. Puris hujus ad ſex libras medicas per hanc viam ſucceſſivè fuiſſe rejectas, oculis vidi. Cùm igitur paulatim hâc excretione non parum alleviaretur miſera, internè putredini reſiſtentia obtuli; cætera autem Chirurgo commiſi. Sicque, per Dei gratiam, ſenſim ceſſantibus doloribus, reſpiratione liberiori factâ convaluit, adhuc ſuperſtes. Quâ ratione autem, quâ ve viâ materiæ hujus purulentæ metaſtaſis ad umbilicum pervenerit, me latere ingenuè confiteor. *Clariſſ. D. Chriſtiani Schuchmanni in Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 1.*

Abſceſſus Fiſtuloſus in Abdomine.

Clariſs. Eberhardi Gockelii, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 2.

Anno 1686. plurimum Reverendus Dn. Joh. Wolffgangus Schleicher, Sacellanus Ehingenſis, ætatis ſuæ anno quadrageſimo ſecundo, temperamenti cholerico-melancholici, habitus corporis rari & gracilis, in ſiniſtra parte abdominis, non procul ab umbilico, penes coſtas ſpurias, tuberculum quoddam exiguum ſenſit, quod in principio, quia parum incommodi attulit, parvi æſtimavit, donec pedetentim incrementum ſumſit, tumorque anno 1692. intra Feſtum Paſchatos & Pentecoſtes, magnis cum exortis doloribus, in magnitudinem cucurbitæ ovalis, vel ſarcinæ oblongæ ſpithamam longæ, & manum transverſam latæ, flatibus humoribuſque invicem mixtis turgidæ, excrevit, Patientemque ob magnam exinde excitatam moleſtiam ad quærendam opem & auxilium compulit, cui ab initio, præmiſſis purgantibus, Emplaſtra emollientia & diſcutientia, cum cingulo lato, ac ſcuto adæquato, tumorem deprimente, nec non bona diæta ordinata fuêre, inter quorum uſum tumor tamen non imminutus, ſed magis magiſque auctus, & tamen interea temporis ita emollitus fuit, ut menſe Junio hujus anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi tertii

tertii evidentiſſimè conſpici potuerit; quòd hic affe-ctus ingens abſceſſus vel magnum ulcus multâ mate-riâ ſanioſâ & excrementitiâ repletum ſit: Quaprop-ter repetita purgatione per ſacculum laxativum, rur-ſus Emplaſtra emollientia & maturantia uſque ad per-fectam mollitiem & maturitatem impoſita, ac dein-ceps abſceſſus à Balneatore loci per cauterium poten-tiale apertus fuit, ex quo ſordida, feculenta & ſe-roſa materia effluxit, tumorque evanuit & ſubſedit. Sed quia hoc ulcus ſordidum conſolidationem per Bal-neatoris manum reſpuit, idcirco Dn. Patiens ſe Ul-mam contulit, ac me cum Chirurgo Georgio Riedli-no ad inſpiciendum huncce abſceſſum requiſivit, ubi per ſtylum exploratorium varii ductus, ſinus & cu-niculi, & quidem principalior, utpote fons & ſca-turigo hujus mali, in ſiniſtro latere verſus coſtas ſpu-rias; ſecundus in oppoſito dextro latere; & tertius in inferiori parte verſus os pubis deprehenſi fuere, totumque ulcus cavernoſum apparuit. Quo viſo, nos ambo hunc affectum abſceſſum fiſtuloſum, ab affluxu humoris vitioſi, ſanguiniſque melancholici atrabila-rii, ſcorbutica acredine tincti, corrupti & aduſti, per tubulos mollium & carnoſarum partium eò dela-ti, inque loco affecto congeſti, obortum eſſe, huic-que malo (quia his jam inventis, aliiſque adhuc la-tentibus ſinubus difficulter ab extra remedia applica-ri queant) haud aliter quàm ſectione, utpote certiſſi-ma, celerrima & ſecuriſſima via occurri ac remederi poſſe judicavimus. Quibus auditis, & facta remon-ſtratione recenſita, Dominus Patiens noſtræ ſententiæ morem geſſit, ſeque in loco ſui domicilii tam ſectio, quàm curationi noſtræ, ſubmittere decrevit.

In hunc igitur finem An. 1693. die lunæ, qui erat 20. (10 Julii) nos ambo Ehingam equitavimus, ubi horâ decimâ antimeridianâ in ædibus dicti Domi-ni Sacellani ſectio abſceſſus hujus fiſtuloſi per præno-minatum Chirurgum ſequenti modo facta eſt: Cum prænominatus Dn. Patiens ſellæ longæ ſupinus impoſi-tus, locuſque affectus denudatus fuiſſet, Chirurgus ante ſectionem cavitates ſinuſque fiſtuloſos ſtylo ex-ploravit, poſtea itinerarium ſtriatum principali ſinui ſiniſtri lateris tranſverſim verſus coſtas ſpurias indidit, ac cultello acuto ſtriam itinerarii percurrente celer-rime diſſecavit; poſtea dicti cultelli cuſpidem globu-lo cereo munivit, & immiſſo cultello alterum ductum transverſum dextri lateris punctim aperuit, ſicque tam puri, quàm medicamentis injiciendis tranſitum para-vit; Et hinc tertiò rurſus itinerarium ductui deorſum verſus os pubis tendenti vel deſcendenti inſinuavit, eun-demque pari modo celerrima ſectione incidit. Quo facto, digiti dextræ manus totam cavitatem abſceſſus hujus fiſtuloſi exploravit, cutemque à ſubjecta carne ſquamoſa, ſordida, flaccida & mucoſa ſeparavit, foveamque linimentis carptis explevit, turundam vulneri dextri lateris punctim facto indidit, labia vul-nerum totamque capacitatem ſectam & apertam me-dicamentis ſtegnoticis, emplaſtris & ſpleniis munivit, decentique modo deligavit, Chirurgoque loci uſque ad noſtrum reditum decentem tractandi modum in-culcavit & demandavit. Elapſis deinde decem vel duodecim diebus, Dn. Patientem iterum viſitavimus, in quo loco affecto & aperto tres alios aſcendentes minores ductus invenimus, qui facili negotio immiſ-ſo ſtylo exploratorio ſine ſectione diſciſſi & aperti, vulnera aquâ cauſticâ per ſiphonem injectâ, unguen-toque digeſtivo impoſito, mundificata, vulnerumque cavitates denuò linimentis carptis expletæ & deligatæ fuerunt. Non multò poſt tertia vice nos Ehingam recepimus, abſceſſuſque cavitatem mundificatam, bo-num ac laudabile pus edentem, adque conſolidatio-nem diſpoſitam invenimus, quapropter à nobis judi-catum & demandatum fuit, ut priori tractandi modo pergeretur, abſceſſus certis in locis adhuc apertus ſer-varetur, ſpleniis, faſciis & ligaturis cutis & caro ad mutuum contactum reduceretur, ſicque conſolidatio promoveretur. Poſtquam verò in abſentia noſtra inſi-gnis error in deligando commiſſus fuit, abſceſſuſque de novo ſordidam ac corruptam carnem, ſaniemque multâ ſeroſâ humiditate permixtam monſtravit ac evomuit, eamque ob cauſam Dominus Patiens Ul-mam ſe contulit, noſtrumque conſilium & auxilium ulterius requiſivit, iteratò cavitas ampliata, ulcuſ-que tam injectâ aquâ cauſticâ, quàm aliis digeſtivis remediis mundificatum & correctum, totumque cor-pus ad præcavendum novæ materiæ affluxum, expur-gatum, atque brachii dextri vena mediana, quæ ſan-guinem vitioſum, tam ratione ſubſtantiæ quàm quali-tatis effudit, ſecta fuit; Quo facto, omnia ad me-liorem ſtatum perducta ſunt, cutis in lateribus vulne-rum circa eorundem labia cum carne unita, ac ob materiæ fluentis purulentæ per multos dies defectum, ulceriſque exſiccationem, perfecta conſolidatio ſperata & expectata fuit. Quia verò in inferiori parte vul-neris, verſus os pubis deſcendentis adhuc dura aliqua intumeſcentia ſuperfuit, illaque inopinatò reſoluta materiam fudit, ductumque dextri lateris ſua acredine per modum eroſionis de novo excavavit & aperuit, idcirco etiam illum per injectionem aquæ cauſticæ per aliquot dies mundificare conſultum duximus. Ne autem à fermento melancholico nova materia ſeroſa & acris ad partem affectam per modum eroſionis & conge-ſtionis afflueret, ſinuſque fiſtuloſos jam clauſos de novo exederet & aperiret, ac conſolidationem impe-diret, dum varii probatiſſimi Authores fiſtulas abdo-minis peſſimas & perìculoſas æſtimant, & inter alios exercitatiſſimus Chirurgus Venetus Andreas de Cruce lib. 3. Operis Chirurgici, cap. 50. p. m. 422. ſe-quenti modo de iis ſcribit, dicendo: „ Venter pror-„ ſus oſſibus caret, ac proinde periculoſioribus fiſtulis „ ſubjectus & obnoxius eſt, quos multi pro immedi-„ cabilibus exiſtimant, idcirco corpus iterum per poti-unculam laxativam expurgatum, venâque medianâ exoptato cum ſucceſſu, melioriſque ſanguinis profuſio-ne adapertâ, nec non potus ordinarius, itemque vul-nerarius per aliquod tempus continuandus, ordinatus, bonaque diæta præſcripta fuit, quibus mediantibus viſcera roborata, humores pravi & excrementitii in & extra venas conſumpti ac exſiccati, omniſque af-fluxus materiæ peccantis inhibitus fuit, unde etiam per adhibita interna & externa remedia Dn. Patiens vivaciorem colorem totius corporis acquiſivit, vulne-ra abſceſſus mundificata, cutis ac caro, (excepto in-feriori vulnere,) quod adhuc per turundam uſque ad perfectam mundificationem & exſiccationem apertum ſervabatur) reunita & conſolidatio per inſperſionem pulveris exſiccantis ac ſanationem inducentis promota fuit.

Remedia, quorum in hac Obſervatione mentio facta eſt, ſequentia fuerunt:

I. Sacculus laxativus. ℞ herbar. Abſynth. Pont. Card. benedict. Centaur. min. Agrimon. Veron. Sco-lopend. ana Mſ. Rad. Cichor. helleb. nig. præp. fœ-nicul. gariophyllat. an. ʒij. Rhabarb. veri ʒiij. fol. ſen. el. ſ. ſt. ℥j. Jalapp. Turpeth. opt. Agaric. troch. po-lypod. qu. ana ʒij. Cinamom. opt. ʒß. Tartar. alb. purif. ʒij. ſem. anis. fœnic. an. ʒß. M. & conciſ. f. cum ſyndone albo nodulus quinque quartariis vel ℔v. vini albi immergendus, de quo quotidie mane jejuno ſtomacho ℥v. vel dimidium quartarium bi-batur.

2. Potiuncula purgans. ℞. Magiſter. Jalapp. gr. xv. Magiſt. Scammon. gr. iiij. Nucl. pin. n. 2. Syrup. de Cichor. cum Rhabarb. ℥ß. Aqu. Ceraſ. nigr. ℥vj. M. f. Potiuncula una vice ſumenda.

3. Potus ordinarius. ℞. ſcob. lign. ſaſſaf. Lign. lentiſc. Rad. Chin. ana ℥ß. Cinnam. opt. ℨij. ſem. anis. ℥j. C. C. præp. Oculor. cancr. præp. ana ℈jß. M. f. Pulv. groſſus. Cui adde paſſul. min. Corinth. ℥j. d. ad ſcatul. de quo cochleare unum majus in urceo cum aq. ferveut. menſur. j. infundatur, & ſtatim operculo tegatur, quæ aqua vel per ſe, vel cum vino permixta, bibatur.

4. Potus traumaticus vel vulnerarius. ℞. Scob. Lign. ſaſſafras. Rad. Chin. ſymphit. maj. ana ℥ß. Herbar. veron. agrimon. piloſell. ſolidag. Sarracen. ſanic. alchym. an. m ß. Cinam. opt. Liquir. ana ℨij. Ficuum. num. v. Paſſul. min. ℥ij. ſem. anis. fœnic. an. ℨß. m. & conciſ. coq. cum ℔vj. aq. fontan. & ℔ij. vini alb. odorif. ad tertias, de quo decocto manè & veſperi ℥v. hauriantur.

5. Unguentum digeſtivum Fabricii Hildani.

6. Aqua cauſtica per ſiphonem injicienda.

℞. Mercurii ſublimat. ℨij. Ceruſs. Lytharg. alum. uſt. tartar. uſt. an. ℨj. aq. font. ſpir. vin. opt. ana ℥j. M. f. ebullitio, deinde coletur. Hujus colatur. ℞. ℥j. in qua diſſolv. unguent. Ægyptiac. ℥ß. Detur ad vitrum.

7. Pulvis exſiccans ac conſolidationem promovens. ℞. Aloës Epat. Sarcocoll. Sang. Dracon. thur. maſtic. Ariſtol. long. æris uſt. ã. ℨj. M. f. Pulvis, inſpergendus.

8. Emplaſtrum, operculi inſtar imponendum, quod erat Emplaſtrum diapalmæ, cui, ſi luberet, Emplaſtrum ſticticum Crollii, vel aliud ſubſtitui potuiſſet.

Abſceſſus Inguinis, unde Vermes & Ilei fæces fuêre rejectæ, curatus.

Clariſſ. Victor. Jægerſchmidt, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 2.

Faber quidam in pago *Am Stätten* territorii Ulmenſis, abſceſſu in inguine dextro prope ſcrotum laborabat, magna cum inflammatione, duritie atque dolore; ſubjacens etiam inteſtinum in conſenſum trahente, Chirurgus emplaſtro emolliente impoſito abſceſſum aperit, per quem materia fœtidiſſima granulis inſtar ovorum halecis aſperſa, cum alvi fœcibus per aliquot dies exiverat, concomitata, magnâ fuſci coloris vermium ſpithamæ longitudine æquantium catervâ. Patiens potu vulnerario, Balſamicis atque ſiccantibus medicamentis adhibitis, intra aliquot ſeptimanarum ſpatium in integrum reſtitutus eſt.

Abſceſſus Lumbaris à lapſu.

Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 4.

Excell. Dn. Johannes Schüccardus Profeſs. Matheſeos exercitatiſſimus, qui à pluribus annis Nephritide laboravit, & calculos excrevit cum immenſis doloribus, ab aliquot annis æſtum circa lumbos ſenſit noctu præſertim, ut lectum plumaceum non ferret, nec in dorſo decumbere poſſet, cùm quidem circa illud tempus ex ſuggeſtu aliquo lapſus in ſiniſtri renis regione doleret, ubi ſiphonem Wurtembergicum ad plures pedes tentabat evehere, quam Inventor ipſe invexit, 17. Aprilis 1694. circa renem ſiniſtrum valde doluit, quod à nephritico dolore & calculo aliquo veniſſe credebam, adeò oleo amygd. d. cum ſyrupo altheæ hactenus feliciter experto uſus, hinc & aqua cochlearum deſtillata, ſed ſine juvamine, quia dolor latiùs ſe ſe extendit; & iſchiadicum dolorem mentiebatur, itaque ſpiritus lumbricorum, cum eſſentia Opiata & oleo è floribus Solani illitus per dies aliquot, etiam fruſtra. Applicati deinde ſacculi diſcutientes cum vino & aqua cocti, quos primò contuliſſe ſentiebat, ſed per breve admodum tempus, itaque mutati refrigerantibus & humectantibus in lacte coctis, qui juvabant. Et cùm noctes inſomnes eſſent propter dolores, Emulſio facta refrigerans ſimul, & diuretica ex nucl. perſic. atque anodyna cum multa alleviatione. Interim circa 25. ejuſdem menſis tumor aliquis ſupra renem ipſum elevatur cuti concolor, qui latâ ligaturâ quodammodo juvabatur: unde renum inflammationem aliquam vel abſceſſum in ipſo rene ſuſpicabar. Dolori accedit aliquando febricula cum pedum refrigeratione, non ſine delirio & perturbatione animi: Urina etiam intenti fuit coloris, unde ſerum lactis præſcriptum, dato ſimul pulvere Analept. fr. compl. Nitro pulv. & præcipitantibus quibusdam mixto 27. in conſilium advocatur Exc. Dn. D. Matthias Scherpf Medicus aulicus, qui propter metum calculi ſeſſilis, pulverem Secretum Durlacenſem probis multis efficacem, & Emplaſtrum de meliloto atque de Galbano crocato ſuadet, & ſero lactis Tamarindos addendos, Trageâ quoque propter flatus multos carminativâ imperatâ. Unde poſtero die quidem arenulæ quædam excretæ: ſed emplaſtrum per noctem dolores ita auxit, ut rejiciendum eſſet. Itaque cataplaſma ex ſem. lini, fœnugr. far. fabar. fl. meliloti, chamæmeli &c. in lacte coctum applicatur cum multo doloris levamine, & videtur tumor parum reſidere, hinc continuatur, & 1. Maij Empl. de melilot. cum Diachalcit. imponitur, ſed iterum cum doloris exacerbatione. Oritur verò ſub ſcapula alius tumor priori planè ſimilis, inter quos aliquando minores occurrunt. 4. ardet noctu; hinc Venæ ſectio adminiſtratur. 6. per noctem ingentes dolores invadunt, unde Chirurgus Dn. Simonius ob ſimilem nuper caſum curatum & cultro quidem apertum, credens abſceſſum latêre, qûem & ego conjeci, dubius tamen an ab ipſo rene ortus ſit, an in peritonæo, ſeu muſculis lateat, 7. cauterium applicuit ſatis magnum & profundo in muſculo dorſi longiſſimo, aut ſacrolumbo, & ad interiora per lapidem infernalem, ampliùs penetravit, ex quo dolor, mirum dictu, lenitus fuit, forte ob ſeroſum effluentem aliquem ſanguinem & mortificatam carnem. 8. mane, per ſtilum puris viſcoſi aliqua particula extracta fuit: circa meridiem lancettâ abſceſſus apertus, puris copiam uſque ad libram effudit: cataplaſmate interim ad maturationem feliciorem repetito & continuato. 9. ſponte effluit pus, diarrhæa brevis accedit, tumor ſuperior deſcendit, & preſſione emittit multum puris, poſt aliquot dies planè detumeſcens. 10. Pus ſeroſum eſt, urina turbata, fortè quòd febris eò vergere cœpit. 13. decoctum traumaticum datum; urina bona. 20. eſchara decidit. 21. à tonitru & ictu fulminis excitatur è ſomno æger; unde alteratio quædam febrilis, accedente imprimis quadraturâ lunæ eo die, quæ 23. durat cum ſapore illo, quem accuſat à multis diebus febrili, ut nominat æger & appetitu non ſatis grato, cujus gratiâ hactenus & elixir Clauderi & raphanus ruſticanus vel coctus, vel cum aceto & ſaccharo ſumtus ſuadebatur, daturque Emulſio cum papav. ſem. Confect. alkermes, ut hactenus ſæpe.

Unde tumor hic & abſceſſus ortus ſit, initio non potui-

potuimus conjicere. Perſuaſi denique ſumus à lapſu illo, quem dolor non mediocris ſequebatur, extravaſatum ſanguinem diu hæſiſſe, abſceſſu dein facto ardorem illum in lumbis ortum, denique Cataplaſmate diu continuato, maturum pus febriles illos æſtus, dolores, tumores, produxiſſe. Superioribus continuatis pus in abſceſſu ſenſim diminui quidem cœpit, ſed cùm videretur alicubi hærere intus, ex metu ne fiſtuloſum fieret ulcus, novum cauterium inferiori loco applicatum eſt, ut tantò faciliùs effluerent ſordes. Verùm ſenſim decreſcente pure vulnus quoque minus & anguſtius factum. Dolor femoris & impotentia quædam, quæ à muſculo pſoa per conſenſum & irritationem nervorum veniſſe credebatur, & ſtatim cum dolore lumborum cœpit & continuavit, leniri & corrigi ſentiebatur. Itaque reſtitutis ſenſibus jam integris, & meditatione ſolitâ non ampliùs turbatâ, ſumſit conſilium tam ad vulnus conſolidandum, & puris reliquias abſtergendas quàm femur roborandum, Thermas Fetinas adire quibus in Julio per ſeptimanas tres uſus feliciſſimè reſtitutus, conſolidato vulnere & femore ſatis potente, rediit per Dei gratiam, & Profeſſionem atque meditationes Mathematicas redintegrare & repetere cœpit.

Abſceſſus rarus, ex Inteſtinorum læſione.

Clariſſ. Joh. Pauli Wurffbainii, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 4.

Viri cujuſdam Integerrimi Mercatorii ordinis amabiliſſima Conjux, dum anno 1689. ad finem Menſis Junii, Gallum Gallinaceum magnum, veru ferreo transfodere laborat, veruque inguinibus imponendo, gallum fortiter adigit, dolorem ſentit quem inter occupationes parum æſtimat, qui verò poſt aliquot ſeptimanas augetur, ut in cauſam ejus inquirat, & tuberculum quoddam nucis avellanæ majoris magnitudine ſentiat, quod dum per integrum menſem emollientibus variis diſſipare, fruſtra tentavit, dolores adeò exacerbati ſunt, ut lecto affigeretur, méque in conſilium advocaret, præſcripſi tam interna quam externa remedia, tumore tamen cum rubore & inflammatione magis magiſque protuberante, prædixi ejus rupturam, quæ circa finem menſis Septembris ſubſequuta eſt, cum inſigni materiæ purulentæ & ſeri tandem flaveſcentis effluxu, conſolidationem hujus abſceſsûs pertinaciter ſatis diu inhibentis traumaticis licèt tam internè aſſumtis, quàm externè per ſiphunculum immiſſis, ita ut vulnuſculum non niſi poſt trimeſtre ſpatium perfectè fuerit clauſum, nil quicquam incommodi ſentiente ægra, quæ potius Anno 1693. d. 22. Aprilis feliciter formoſam peperit puellam, adhuc optimè viventem; at, dum vix ſex à puerperio præterfluxêre menſes, rediit hic tumor, & ſimilem ut prima vice materiam fudit, in pauca tamen quantitate, quare ſubſequente mox menſe, nullas ampliùs admittens turundas, rimula hactenus aperta, ſponte coaluit. Recruduit tamen hic abſceſſus, nondum abſoluto biennio, Anno nempe 1695. Menſe Julio, ſed puris loco lympham flaveſcentem & bruni interdum coloris, quandoque craſſiuſculam & ſpumoſam, excrementis Diarrhoeâ bilioſâ laborantium quàm ſimillimam, ſine tamen fœtore, copioſiſſimè effundebat, unâ vice quartam menſuræ partem æquantem, ut vix ad eam excipiendam ſæpe linteamina ſufficerent, excrevit aliquando remoto, me præſente, Emplaſtro, viride quid, cum hac materia, quod dum accuratè inſpicio, particulam eſſe folii lactucæ agnoſco, idque magis, cùm calidæ injecerim, ſimulque intellexerim, quòd in cœna heſterna, lactucam comederit, id quod etiam foliolis braſſicæ & petroſelini diebus inſequentibus contigit, retulitque ægra ſe quoties bibat & edat, liquida præſertim, ſe aquam quaſi calidam paulò poſt ad abſceſſum hunc defluentem ſentire, moxque effluxum materiæ ante dictæ ſequi, quæ ſæpius me ipſo audiente, cum ſibilo, & ſpumoſa ſimul excreta fuit, conſolidato tamen Menſe Septembri Anno 1695. vulnuſculo, ut ad hunc uſque diem Patiens hæc olim mea, ſana & vegeta benedicente curam Deo, ex voto vivat.

Abſceſſus Muco-carnoſus Botrioïdes vulvæ feliciter exciſus.

Clariſſ. Michaelis Pauli, Miſcell. Curioſ. Decur. II I. Ann. 7. & 8.

Miſera mors fœminini ſexûs eſt, plerumque iiſdem in partibus dolorum experientis faces, quæ voluptati maximè dicatæ ſunt. Quis enim non miſereatur, ſororiantium mammarum, fœtidum pus plorantium, inflammatorium ſtatum? Quinimo in ipſo partu Lucinam experitur infauſtam, dum adjutrices manus perſæpe, moræ impatientes, officioſos ungues ſat crudeliter delicato inferunt ſinui, irreparabili ut plurimum damno. Hoc infortunium deploravit caſtiſſima quædam integerrimi Civis Uratislavienſis uxor, hæc 27. annorum euſarca & floridi habitus, quinque liberorum facta mater, ſextùm in ipſo parturiendi conatu, ſentit ſibi manu obſtetricis in vulvæ labio ſiniſtro inferri acutiſſimum dolorem, quem poſt levis ſequitur tumor, ſenſim per 12. annos in ovi anſerini magnitudinem ſurgens. Hic præteritâ hyeme, vacillante pede dum miſera veluti ſagittam ſibi in abſceſſum intrudi dolet, in tantam magnitudinem ſpatio quatuor menſium increvit, qualem ſchema tranſmisſum, rudi minervâ depictum commonſtrat. Hinc ad ſacra conjugalia planè inepta, inceſſum indies difficiliorem perſentiens, tandem inter mille lacrymas, ſepoſito pudore, ingentem monſtrat abſceſſum, indies uvarum modo majus capientem augmentum, auxiliumque anxie à me petit. Ego præmiſſis præmittendis, corpore bene diſpoſito, indies arctius per Chirurgum conſtrictis ligamentis, ſtudui abſceſſum marcidum reddere, ſublato nutrimento; at enim verò, pediculus craſſior ſtricturæ eludebat ſævitiam, noctesque dieſque inter ejulatus miſerè conſumebantur. Tandem impatiens ægra dolorum, cùm optimè perſpectis omnibus circumſtantiis effuſiorem hæmorrhagiam metuendam non haberem, ferro exſcindere juſſi; ½ ℔. Uratiſlavienſ. pendentem. Subſtantia erat muco carnoſa, coloris ex fuſco ſanguinei, in medio (A.) per attritum eroſa, mucum dilutiorem fundens. Vulnus ſiccis ſolummodò linteis carptis, legitimo modo deligatum, ſinuque pudoris, menſibus fluentibus ſpongiis expleto, ſpatio ſex hebdomadum, feliciſſimè convaluit, ægraque, Deo ſint laudes, exultante marito, convaluit. Ubi notandum ejuſmodi abſceſſus plerumque vices fonticulorum præſtare, demandatis huc vitioſis humoribus ex toto corpore, cùmque ut plurimum ex fibris muſculorum contritis & dilaceratis originem habeant, paucis gaudent vaſis ſanguiferis, hinc eò tutius exſecandi. Patet hoc quoque, ſi ligati non pulſent, colorem non mutent, nec inflammationem minentur. Interim tamen, dum, ſublato abſceſſu, natura non habebat, quò ſordes eliminarentur, intumeſcentiâ doloreque hæmorrhoidum miſera infeſtatur. Suaſi in ſiniſtro pede fonticulum, quem abſolu

abſolutè renuit, toleratura forſan dolores, quam præconceptam opinionem de fonticulorum moleſtiâ mutatura. Reſectum talem abſceſſum muco-carnoſum præputii trium librarum pondo æſtimatum. vid. apud Marc. Aur. Severinum, Lib. I. de recond. abſceſs. natur. lib. 4. cap. 3. p. m. 157. 158.

Abſceſſus gravis Abdominis curatus.

Clariſſ. Gottliebi Budæi, Ephemerid. German. Centur. I. & II.

Vir juvenis 30. annorum, mediæ ſtaturæ & temperamenti phlegmatici ſeu cachecticus, ab operatione vehementiori vomitorii cujuſdam aliquando ſumti, in inguinali regione ſiniſtri lateris ſentit rupturam, & demum poſt tempus aliquod tuberculum inſtar fabæ enaſci, per ſex annos ſine ullo incommodo durans, poſtmodum ad nucis juglandis magnitudinem increſcens, cui eò Chirurgo emplaſtrum diſcutiens applicari patitur, ex quo illius incrementum cum aliquali rubore ac dolore eò magis perſentiſcit, quò longiùs dictum emplaſtrum tumori inhæret. Hoc igitur remoto, mox aliud emplaſtrum ſtypticum applicuit, tumore verò eò magis magiſque accreſcente, auctiſque doloribus, ſtigmatibus ſeu ſtriis obfuſcis ac venis circumcirca ſanguine plenis & lividis conſpicuis. Hinc patiens pejora metuens d. 5. Decembr. 1703. miſeriam ſuam mihi explicat, meumque expetit conſilium. Ego ponderatis omnibus circumſtantiis atque oculis examinato ſtatu tumoris, ulcus cancriforme omnino metuens, dubium edixi prognoſticum, nihilo tamen ſecius ut Dominum Patientem conſolarer, tumorem illum eo tempore, magnitudinem capitis infantilis fere æquantem, maximè durum, rotundum, inæqualem, aſpectu tetrum magis ac obfuſcum, quàm inflammatum, temperatis & lenientibus remediis tractandum ſuaſi, & adhibito unà Chirurgo noſtro in arte expertiſſimo, Domino Johanne *Gottlob Fleiſchero*, curam cum Deo, adhibitis & internè & externè variis ex arte ſalutari remediis, ſum aggreſſus. Et quidem die eodem Dn. Patienti mixturam aliquam bezoardicam & cordialem, ad 50. guttas ter de die ſumendam dedi, in lecto ſe continendo, madoremque & tranſpirationem expectando; externè verò cataplaſma diſcutiens, temperans & demulcens, ſæpius in die calidè applicandum. Continuatis his remediis uſque ad 13. Decemb. tumor quodammodo emolliri & elevari viſus, accedente fortè aliquâ tuſſiculâ, præter ſpem rumpitur, & ex illo hiatu multæ veſiculæ, vel potiùs ovula, diverſæ magnitudinis erumpunt. Patiens his aſpectis ſummè perterritus, & nunc de vitâ ſuâ actum eſſe perſuaſus, meum & Chyrurgi adventum anxiè expetit & expectat. Nos abſque morâ accedentes ſtatum hunc ſatis mirandum intuentes, nec minùs periculoſum primo intuitu tacitè judicantes, inciſionem majorem faciendam juſſimus, quâ factâ ultra quingenta ejuſmodi ovula cum impetu quaſi proſilierunt. Quod curioſum ſpectaculum, & non ſine admiratione, ad noſtrum petitum, Nobiliſs. atque experientiſs. D. D. Fridericus Lieffmannus Medicinæ practicæ feliciſſimus, aliique plures, nobiſcum adſpexerunt. Probè autem examinatis illis ovulis ſeu veſiculis, eadem variæ magnitudinis, uti in effigie videri poſſunt, deprehendimus; quædam inſtar piſorum, alia nucum avellanarum, aliaque ovorum columbinorum; horumque quædam, quod maximè mirabile erat, continebant liquorem limpidum & pellucidum, quædam ichoroſum & quaſi albugineum; quædam materiam flavam & quaſi purulentam, ad vitelli ovorum inſtar, pauca quædam quoque lividam, ipſaque ovula in ejuſmodi liquore lento & albugineo, fortè ab ovulis diſruptis exeunte, minus fœtente, & ſaltem quid ſebacei olente, innatabant.

Horum ovulorum vel veſicularum magnam copiam infanti curavimus cum liquoribus partim ſpirituoſis, partim oleoſis, quæ in illis etiamnum conſervantur, nonnullis quidem diſruptis & liquore ſuo vacuis, veſiculiſque membranaceis ſatis craſſis relictis.

Evacuatâ autem cavitate illâ ab ovulis & materiâ albugineâ per vices & dies aliquot (ne repentina & ſimultanea depletio vires dejiceret) in eandem injectionem mundificantem ſeu purificantem & defendentem, cum ſyringâ infudimus, totâque ſic cavitate probè elotâ & expurgatâ, manifeſtò comperimus diverſos ſinus fiſtuloſos, ultra dimidium ulnæ profundos, ſuprà citràque & ad latera, intra peritonæum & panniculum carnoſum euntes, imò totam illam regionem inguinalem penitus excavatam eſſe & quaſi cavernoſam, membranaque peculiari intus circumductam. Præterea viſu admodum curioſum erat, quod ad repletionem cavernæ illius pro unâ vice plus quàm unâ libra liquoris conſumi, & propter profunditatem ſinuum ſingulare & flexile roſtrum ultra dimidium ulnæ longum ſyringæ applicari, neceſſum eſſet; aliàs enim materia illa acris & corrupta ex imis illis cavernis (cùm parum vel nihil ſponte effluxerit initio curationis) extrahi, & contra, liquor vulnerarius in illas infundi non potuiſſet.

Cæterùm primo curationis tempore Dn. Patiens omnibus planè viribus deſtitutus, febri ſymptomatica & lipothymiis frequentibus, aliiſque ſymptomatibus (quæ ipſa varia, durante curâ, per vices continuabant) corripiebatur, quæ tamen adhibitis debitis remediis iterum cedebant. Continuatâ autem per 16. ſeptimanas curâ, remediiſque bezoardicis, abſorbentibus, confortantibus, balſamicis, traumaticis aliiſque pro ſymptomatum exigentiâ mutatis, ſeduloque & internè & externè applicatis, membrana illa interior tandem ſeparata ac inſtar cruenti educta fuit; quo facto brevi temporis ſpatio, ſinubus fiſtuloſis, totâque cavernâ, novâ carne adimpletis, æger DEI O. M. gratiâ pleniſſimè convaluit, & jam uxoratus, liberorumque pater optimâ perfruitur valetudine.

Cadaverum Anatomicæ Inſpectiones.

Abſceſſus inteſtinorum.

Inter affectus inteſtinorum eſt phlegmone ſeu inflammatio eamque excipiens abſceſſus, ejus exempla ſi morbo denatorum cadavera ſæpiùs aperire liceret, non ita forſan rara forent. Quid nobis in duobus ejuſmodi caſibus videre contigerit hic referre non gravabimur, idque ea potiſſimùm ratione quod hæc non ita frequenter apud Practicos occurrant. Lectiſſimus Adoleſcens quidam annos præter propter 22. natus, diarrhæâ febri continuæ junctâ, per integrum menſem vexatus fuerat. Uſu tamen medicamentorum methodicè exhibitorum meliùs habere cæpit; uſque adeò, ut recuperatis maxima ex parte viribus, & appetitu, rus, commutandi aëris cauſâ, petierit, ibique per quatuor aut quinque ſeptimanas ſatis, ut videbatur, ſanus, manſerit. At in urbem poſtmodùm rediens de ſtomachi dolore, & reſpirandi difficultate queritur. Faciei color herbaceus erat. Dolor & tenſio hypochondrii dextri, uſque ad cartilaginem xiphoidem urgebat. Tuſſis ſicca & ſonora. Febris à tertia die

die intenſiſſima, pulſus parvus, ſed creberrimus, nauſea, ſitis; Decubitus in latus dextrum perpetuus. Mox dolor ad latus ſiniſtrum vergit, & ad claviculam uſque aſcendit. Deſidendi cupido frequens, biliosa ſed pauca dejectio. Aſſumpta interdum vomit. Urinæ ſat multæ, rubræ & craſſæ. Circa ſeptimam reſpirandi difficultas aucta, nulla ampliùs tamen tuſſis. Frigus extremorum, ſudor putidus, pulſus formicans, extra lectum pedes habet pendulos. Nonâ pulſus perquàm exiguus, imò ſyncope ingruit, mortem præ foribus jurares. Decimâ pulſus ferè nullus, crura & femora tument, per intervalla vomiturit, ſubinde cibum petit, avidéque juſculum bibit. Oris fœtor deprehenditur. Undecimâ primùm delirat. Admodum irrequietus eſt, nec in lecto ullatenùs contineri poteſt. Duodecimâ delirium intenditur. Cibum & potum omninò reſpuit: frigus extremorum maximum, per totam noctem pileum detrahit, & abjicit, mirumque in modum contorquetur & jactatur. Decimâ tertiâ pulſus, ut videtur, nullus: Alvus bilioſis & purulentis copiosè ſolvitur, lecto reponitur. Decimâ quartâ, oculi extra orbitam eminentes opaci & ſplendore vitali deſtituti apparent, facies Hypocratica, ſpiritum laboriosè ducit, ſudorem croceum ſudat. Tandemque longiorem cum fato luctam ſuſtinere impar cedere cogitur. Die 20. Julii *1683.* cadaver apèrimus. Maxima puris copia in ima abdominis cavitate collecta reperitur. Totus penè inteſtinorum, tum tenuium tum craſſorum, tractus inflammationis notas habebat: Sed colon potiſſimùm lividum & nigrum erat: dumque in eo locum abſceſsûs quærimus, pars hepati ſeu ventriculo ſubſtrata, chartæ madidæ inſtar, laceratur, & inde multum pus, fæcibus commixtum erumpit; omnia alia viſcera curiosè luſtrare, præ ſummo fœtore, non potuimus. Ea tamen & potiſſimùm hepar, quod nobis phlegmonem pati primis morbi diebus viſum erat, non ita malè ſe habere obiter notavimus.

Hiſtoriam priori affinem nobis ſuppeditavit Juvenis quidam annos 32. natus. Is à pluribus annis colicum dolorem ſubinde patiebatur. A quatuor verò ante obitum menſibus, tormina & cruciatus in dies augebantur: alvus adſtricta, ut plurimum, erat: quod ſi interdum ſolveretur, liquida tantùm eaque pauca excernebat. Quatuor autem ante ſupremum, diebus, venter multùm intumeſcebat, excrementa alvi ne validiſſimi clyſteres educebant. Supprimebatur & urina. Aſſumptos cibos ſtatim vomebat, ipſaſque demùm alvi fæces, anxietas erat ſumma, extrema frigebant. Pulſus ut in ægro priori formicans, imò nullus. Cadavere die 15. Septembris anni 1683. aperto, peritonæi facies interna nigra admodum pluribus in locis apparebat. Omnia inteſtina ſubrubra, livida, nigra; ſed colon inprimis affectum videbatur, ex eo enim lacerato, foramine pugnum facilè admittente, pus copioſum in infima abdominis parte, pelvim vocant, eruperat. Sed, quod notatu digniſſimum, ejuſdem inteſtini portionem, duabus præter propter à Recto Spithamis diſtantem, octo uncias longam, nigerrimam, ponderoſam, inteſtini portionem proximam, non quidem ſuperiorem, ſed inferiorem, quatuor digitos ſubeuntem reperimus. Diſſecti inteſtini paries pollicem craſſitie æquabat, & materia neſcio qua ſubalbida, inter glandularem & adipoſam ambigente, qualis ferè eſt ſteatomatum, infarciebatur, adeò ut, quæ digiti minimi apici admittendo ſufficeret, cavitas vix ſupereſſet. Hinc ſanè ſymptomatum omnium quæ miſerum malè habuerant rationem facili negotio reddidimus; ſimul & inverſionis inteſtini, præ pondere, in proximam cavitatem deſcendentis, rarum exemplum, & à nullo forſitan è Practicis qui hactenùs ſcripſerunt obſervatum, notavimus. Nec nobis temperare potuimus, quin Medicorum ſortem (qui affectus quoſdam, quorum cauſæ ita occultæ ſunt, ut eas ne ſuſpicari quidem poſſint, curare poſſe, & debere vulgò creduntur) doleremus. *Autores Bibliothecæ Anatomicæ.*

Abſceſſus in inguine ex ictu ſclopeti, unde pus per urinam globulique plures plumbei minores ſunt ejecti.

Juvenis quidam viginti circiter annos natus, dum in venatione verſaretur, proprium ſclopetum imprudens in ſe ipſum explodebat, unde pluribus globulis plumbeis minoribus pars femoris inguini immediatè ſubjecta duriùs impetebatur. Cura Chirurgo quamvis perito commiſſa, non ita abſolvebatur, quin præter globulos memoratos in profundô ulcere, eôque fiſtuloſô, relictô, reſtitaret turbarum frequentium fomes; ſubinde enim tumor ingens in tota ſuperiore femoris parte, regioneque oſſis innominati cum febri intenſa exoriebatur, qui, nunc hîc, nunc illic abſcedens, miſerum crudeliter vexabat; non ita facilè erat pro palliando morbo cannulam in abſceſſûs fundum immittere, ut pus inde quaſi continuò tranſudans moram non traheret tot tragædiis ſuſcitandis aptam, illud enim in oſſis iſchii intimiore concavitate cum grandi carie poſitum erat, quò non ita tutum, imò impoſſibile per inferiora pervenire; interim pro morbi neceſſitate ſumtô conſiliô, cannulam plures pollices longam per ſuperiora intruſimus, ut ſic materiæ oſtiô quôcumque demum apertô ſervatô, illa quadantenus evacuaretur, injectioneſque ex vulnerariis, admiſtô balſamô ſulphuris ſæpiùs repeterentur, & ulcus mundum quantum poſſibile foret ſervaretur; ſic per quinque circiter annos à doloribus propè immunis vivebat, donec tot cautionum pertæſus, ſeu potiùs ſe omnino reſtitutum credens, omnia abjiceret. Non longe autem pœnam peccati tulit, nam aggeſta ſanies non tantùm cuniculos per totam femoris longitudinem egit, ſed etiam in clunes uſque promota, horrendum tumorem efformavit cum febre intenſiori. Dum hiſce oppugnandis gnaviter incumberemus, purique contento exitum ex parte pararemus, vidimus cum ſtupore poſt aliquot dies illius plures libras per vias urinarias emanantes, imò globulos minores plumbeos per eaſdem rejectos. Non dimittebat interim febris ut nec alia ſymptomata; quibus tandem oppreſſus vir pius vitam cum morte commutavit, cadaveriſque uſuram nobis dedit. Reſeratô itaque Abdomine, & explicatâ totâ parte ulceratâ conſpeximus cariem, non modò ab oſſis iſchii marginibus ad intimiores coxendicis concavitates ſerpſiſſe, indeque prædicti oſſis ſubſtantiam ad caput oſſis femoris penetrans, in illius itidem mediam deſcendiſſe partem. Obſervavimus præterea ſaccum pus in inguine complectentem in plures cellulas diſtinctum membranaceum & fiſtuloſum quid de ſe produxiſſe, quod in ipſum veſicæ cavum abiret, illucque non tantum ſaniem prius à nobis in urinis viſam, ſed etiam globulos plumbeos cum eadem rejectos, deponeret: ſic itaque mirari deſiimus quibus demum viis provida natura materias circuitibus aliis peragendis tam inhabiles exoneraſſet. Pars erundem globulorum oſſis coxendicis cavo, vel impacta, vel proximior, nobis cum puris viſcidiſſimi reliquiis etiam occurrebat. Alia quod attinet imi ventris viſcera intacta vidimus.

Abſ-

Abſceſſus in Inguine cum eroſione inteſtini, puriſque ac excrementorum fœtidiſſimorum rejectione.

Mulier quinquagenariâ major, variis doloribus diu vexata, ac præcipuè rheumatiſmô, ſeu arthritide quâdam vagâ, à ſerô acri omnes corporis partes nerveas & tendineas, perluente, orta, in inteſtinorum tandem affectum vehementiorem incidit, protuberârunt ſcilicet illa in inguine ad ovi columbini magnitudinem ſub herniæ incompletæ formâ, cum tantô cruciatû, vomitûque tam horrendô, ut de eâ cùm brevi actum iri arbitrarer, ipſam aliquô modô prognoſtico ſuo relinquerem; verùm poſt dies aliquot revocatus, reperio pulſum formicantem vomituſque perpetuos, cum tantô interaneorum ardore, ut ſe damnatorum pœnis affligi miſera delirans crederet, ac præ ſiti inextinguibili aquam ſibi continuò ingurgitari inter ipſos vomitus expeteret, ſed quod maximè ad rem noſtram facit, vidi herniam prius à me adnotatam in abſceſſum degeneraſſe, eôque apertô ſaniem cum excrementis alvinis fœtidiſſimis effluere. In caſû prorſùs deſperatô quædam revera tentata ſunt, ut affinibus ſatisfieret, dolorque aliquatenus leniretur, at omnia in caſſum adhibita, ſiquidem poſtquam viginti quatuor horas duro agone conflictata fuiſſet, è vivis exceſſit. Aperto abdomine vidimus inteſtinum ileum magnâ vi per foramen in abſceſſu enatum eructaſſe, magnaque ſui parte gangrænâ affectum. Cætera curioſiùs luſtrare prohibuit fœtor omni alio major.

Abſceſſus Meſenterii Hydropem Aſcitem mentiens.

Nobilis mulier 20. circiter annos nata languore totiuſque corporis ingraveſcentiâ per aliquot menſes fatigata, remedia varia adhibuit aperientia & corroborantia, chalybeata ſc purgantibus levioribus admiſta, tartari præparationes, ſalia volatilia &c. quibus cùm non ex voto profligaretur morbus, ſe reſtituendam commiſit empirico ignaro, à quo cùm pilulas accepiſſet è ricini indici deſiccato fructu paratas, aliaque id genus, ſatis quidem pro tempore hilaris & ſana videbatur, dum interim ſenſim accreſceret tumor in ipſius imo ventre, qui remediis cedere neſcius, poſt annum præterquam quòd ingens viſus eſt, dolores etiam atroces cum febre acuta &c. peperit; quibus ſymptomatibus eliminandis plura conſumſimus, nec ſine omni fructu; nam ſic abiit febris, & dolor cum abdominis tenſione inflammatoria, relictô ſolo tumore magno, ſed indolente; cui rurſus diſſolvendo atque diſcutiendo præſidia apta appoſuimus, aquas ſcilicet minerales, præparationeſque artificiales tam vegetabilium quàm mineralium &c. ſed in caſſum prope omnia, nam augebatur continuò tumor, venterque totus in grandiorem elevabatur molem, donec poſt novem circiter menſes à mox memorato inſultu febrili, recruduerit hoc ſymptoma cum doloribus, ægramque lectô præ debilitate affixerit: tum brevi tumor ex abdomine in femora & tibias provectus eſt, variaſque excoriationes in partibus affectis peperit. Sollicitante ægra, quæ præ pondere corpus amplius movere non quibat, & lacerationem in imi ventris viſceribus præſentiebat, acum tubulatam in ipſius cavitatem immiſimus, ſicque puris fœtidiſſimi per decem dies continuos libras circiter 30. eduximus, magno ægræ noſtræ ſolatio, quæ placidè tandem & piè decimâ tertiâ poſt perforationem die obiit. Tum aperto abdomine, effluxerunt quadraginta ad minimum puris putidiſſimi & viſcidi libræ, cui innatantia inteſtina gangrænoſum quid in ſui exteriore membrana redolebant: teſticulus dexter ſeu ovarium dextrum per compreſſionem tumoris mox deſcribendi, ita flaccidum factum erat, ut curioſo examine ad eum inveniendum opus fuerit. At, quod notatu digniſſimum, tumorem monſtroſum advertimus in meſocolo à latere illius inteſtini coli partis qua in rectum abit, enatum, ejus baſis diametrum habebat trium circiter pollicum, ſeque ſub inteſtinis extendebat ad latus dextrum, ubi caput efformabat diametrum habens pedis integri longitudinem æquantem, illinc ad ſuperiora reflexus peritonæo adhærebat, adhæſionemque eandem ad latus uſque ſiniſtrum quò uſque pergebat, originem ſuam quaſi repetiturus, ſervans, ſuper inteſtina craſſa recumbebat, eaque ſic abſolutè propè circumcingebat, dum interim tenuia cum ventriculo ſurſum adacta liberiora erant. Tumor hic glanduloſus erat, membranaceus, & per totam ſui longitudinem in cellulas variæ magnitudinis & figuræ excavatus, quarum cellularum plures inter ſe invicem communicabant complectebanturque variæ indolis materias, aquoſas ſc. mucilaginoſas, pultaceas, & propè ſebaceas, omnes in genere fœtoris acutiſſimi. Ponderis erat tumor hic cum materiis contentis triginta quinque circiter librarum. Cætera ſana reperta ſunt.

ACHORES SAHAFATI.

Vide.

CRUSTA LACTEA.

ACROCHORDON.

Eſt verruca ſubcutanea durior & aſperior, calloſa, atque plerumque teres, cuti concolor, in baſi tenuis, ſummitatis verò latioris, fabæ magnitudinem raro excedens, juniores maximè infeſtans. Sic dicta, quòd in imô adeò auguſta ſit, ut pendere videatur. Super hoc vid. VERRUCA.

ADDUCTIO LABIORUM VULNERIS.

De eâ vide quæ capite de vulneribus. Hic tantùm in genere dicemus quòd hæc operatio peragitur, vel ſuturâ, de quâ ſuô locô, vel deligatura de qua ubi de Faſciatione, vel glutine quô conficitur id quod impropriè Suturam ſiccam nominant.

ÆGILOPS, ANCHILOPS, ET Fiſtula Lachrymalis.

Hi omnes affectus in eâdem ſunt poſiti parte, ſcilicet inter nares & majorem oculi canthum ſeu angulum, in eô autem differunt quòd *Anchilops* ſit abſceſſus ocularis ſeu tumor in parte memoratâ poſitus, humore viſcidô, qualis in ſteatomate, atheromate, aut meliceride, videtur, plenus, cyſti aliquando concluſus, incrementa ſenſim & ſine dolore ut plurimùm ſumens, donec ac ſuppurationem perveniat, quô tempore *Ægilops* dicitur; qui rurſus ſi abeat in ulcus calloſum parvum & profundum, ſuper glandula lachrymali poſitum, cùm, vel ſine ejuſdem abſumtione, ut & cum, vel ſine partis oſſis naſi proximiori carie, *Fiſtula Lachrymalis* vocatur. Inter ſe verò rurſus differunt fiſtulæ lachrymales, ut & ulcera ægilopem conficientia, quòd aliæ extra oculum, & in ſpatiô inter angulum

angulum ipſius majorem & naſum poſitô, aliæ verò intra ipſum angulum aperiantur, & rurſùs quòd aliæ ſaniem ſeroſam ſubflavam, alię albidam & viſcidam, continuò, vel per intervalla tantùm eructent; aliæ prætereà oculum in atrophiam deducant, alię minimè, aliæ os naſi tantâ afficiant carie ut ad narium interiora perforatum halitûs fœtorem pariat, aliæ illud intactum relinquant, aut ſuperficialiter tantùm corrodant, alię ſint mites & curabiles, aliæ cancroſæ quas noli tangere.

Cauſa in genere eſt circulatio humorum lęſa, ſeu eorundem à vicinis glandulis eruptio; unde ſtagnando viſciditatem acquirunt, cyſtimque brevi ſibi efformant; donec acrimonia, per ſalium contentorum exaltationem, contracta, carcerem ſuum abrumpant, & ſæpe, præterquam quòd integumenta ſua perforant, ſubjectam glandulam abſumant, ipſumque os corrumpant. Hiſce ſæpe occaſionem prębebit, vel ictus, vel faciei eryſipelas, vel variolæ &c.

Signa ut & *pars affecta* ex ſuprà dictis ſatis patent; *Prognoſin* verò quod attinet, non dubium eſt quin curatu difficiles ſint hi morbi, ac præcipuè lachrymalis fiſtula, propter oculi partis nobiliſſimæ viciniam, illudque eò magis ſi intra ipſum oculi angulum aperiatur, maximè verò ſi glandula lachrymalis abſumta ſit, aut os naſi carie perforatum. Si autem ulcus fuerit cancroſum nulla cura tentanda eſt.

Cura Anchilopis, generalibus pręmiſſis, per adſtringentia deſiccantia, primò tentari debet, aquam v. g. regin. Hungar. fumum ſuccini &c. unguentum ex myrrha, aloën, crocum cum melle, ſpir. florum ſambuci, eſſentiam gummi carannæ &c. Quòd ſi tumor minimè diſcutiatur & ad ſuppurationem tendat, utere emplaſtro de ammoniaco, item cataplaſmate ex mica panis, lacte & croco, aliiſque id genus; promotâ maturatione, unguentum baſilicum impone, poſteaque vel cauterio potentiali præmiſſo, vel ſine eo, ſcalpello tumorem aperi, ne ſc. pus, morâ diuturniori, vel intra ipſum oculi angulum viam ſibi faciat, vel os naſi, aut glandulam lachrymalem afficiat, tumore aperto pro mundificatione immittendum præcipitatum album probè lotum, vel per ſe, vel in ſatis larga doſi unguento nicotianę admiſtum, ſuperimpoſito emplaſtro ex diachylo cum gummi, & Stictico Crollii. Tandemque ſolo emplaſtro ſtictico pauco balſamo judaico, aut etiam peruviano imbuto, quibus ſcil. cicatricis pręcavetur difformitas, ut & ipſo pręcipitato albo bene loto ad ultimam uſque cicatriſationem admoto.

Si in fiſtulam lachrymalem abierit ulcus, cura perficietur vel medicamentis tantùm, vel etiam ferro & igne. Primam curationem quod ſpectat, expurgato corpore, ſanguineque ex brachio miſſo, imò ſi neceſſarium videatur admotis cucurbitulis, & veſicatoriis, atque etiam ſetaceo; aut fonticulo in cervice, vel inter duas homoplatas inuſto, dilatabitur orificium fiſtulæ ad fundum uſque adhibitâ ſpongiâ præparatâ, aut radice gentianæ, ſi verò intra oculi angulum aperiatur fiſtula, tum neceſſarium erit inter oculi angulum majorem & naſum, vel inferiùs ſc. in parte decliviori, ubi materia protuberabit cauteriô potentiali melioris notæ, & cautè admotô, ne ſc. eſchara in angulum uſque ſerpat, ipſiuſque ligamentum erodat, ipſam rurſùs aperire, ſcalpellô prætereà per eſcharam in fiſtulę cavum immiſsô pro maturandâ curâ, poſteà unguentô apoſtolorum ad mundificationem adhibito, oſſi carioſo vel euphorbium pulveratum inſpergetur, vel butyri antimonii particula ex ſpecillo admovebitur, addito deſuprà pro implendo foramine, bombace. Curatô oſſe in cæteris agendum ut ſuprà in ęgilope. Secundam curationem quod attinet præmiſſis univerſalibus &c. dilatatô ulcere ad os uſque, vel itidem ſi foramen extùs non videatur, eô ut dictum cauteriô potentiali, vel quod multò ſatiùs eſt ferrô confectô, atque ad os uſque ſpongiâ &c. dilatatô, cannula ad formam infundibuli conſtructa in ejus fundum immittetur, ſpeciIlumque per eam adigetur, ut conſtet anne pars oſſis denudata ſic attingatur, tum linamentis per eandem cannulam pro partis deſiccatione inductis, cauterium aptum excalfiat, donec bene ignitum fuerit, quô tempore extractô linamentô cannulam ad ſui uſque profundiorem extremitatem opplente, cauterium intruſum parti oſſis ſuperiori quantum fieri poterit applicabitur, ut ſic cavitas quædam anguſtior inibi locata & humiditatem multam hiſce in caſibus ſufficiens, attingatur. Oſſe ſic cauteriſato, pulveribus aptis ejus exfoliatio promovebitur; quô peractô ulcus ut priùs dictum curabitur. In ipſa operatione videndum ut oculus muniatur defenſivô è linteô duplicatô aquis refrigerantibus imbutô paratô. Quidam totam operationem igne perficiunt, eo ſc. & aperiunt, & dilatant, & oſſis vitium corrigunt; ſed malè, quandoquidem in carnibus ſic excitatur magna eſchara, unde majoris oculi canthi ligamentum exſcindi poteſt, & difformitas excitatur.

Curationes & Obſervationes variorum Autorum.

Curationes.

In Ægilope: adhibe inprimis generalia, venæ-ſectionem, purgationem, cucurbitulas, & alias revulſiones, tum repellentia applica, deinde digerentia; quod ſi inflammatio ad ſuppurationem tendat, ea juvari debet cataplaſmate, ex farina tritici, lacte, ovi vitello & modico croco. Non eſt autem exſpectandum, donec diruptio per ſe fiat: ſed ante completam maturationem ſcalpello vel cauterio aperiendus locus eſt, ne ex longa mora internæ hæ partes teneræ corrumpantur, quapropter ratione loci latum quoque foramen fieri debet, ut exitus puri detur, aperto tuberculo, imponatur peniculus melle roſaceo imbutus, vel ægyptiaco unguento, ſi ſordet ulcus. Eſt herba quædam veteribus dicta Ægylops, eſtque eadem atque avena; hujus farina cum plantag. aut parietariâ, aut portulacâ in modum cataplaſmatis appoſita, eſt ſpecificum ad ægilopem. Chalmeton inſignis Chirurgus hoc velut pręſtantiſſimum commendat. ℞. aq. vitæ vel vini opt. mell. roſat. colat. an. ℥j. myrrhę ʒ ij. m. f. linimentum, quo manè & veſperi locus liniatur *Vopiſcus Fortunatus Plempius. Ophthalmogr. lib.5. cap.17.*

Ante omnia inſtituenda eſt optima victus ratio. Secundò purgandum eſt corpus ſecundùm humoris prædominantis naturam. Tertiò, caput corroborandum, idque medicamentis tam per os ſumptis, quàm exteriùs admotis. Convenit decoctum ligni guajaci, ſaſſaphras, radicum chinæ, & ſarſæparillæ, additâ betonicâ, ſalviâ, Roſmarin, majorana & primula veris. Conveniunt quoque conſerva betonicæ, roſmarini, ſalvię, majoranę, primulę veris, pæonię, confectio alkermes, cortices citri, ſpecies Dianthos, Aromatici roſati, & hujuſmodi; capiti inpergatur pulvis benzoini, ſtyracis calamitę maſticis, olibani, ſuccini albi, granorum Kermes, rad. irid. florentinę. flor. betonicæ, roſmarini, majoranæ, & roſarum ex rubearum, quibus pileolus ſive cucupha parari quoq; poterit. Quartò materia, quę ad oculum fluit, ad alia loca trahenda eſt: in hunc finem cucurbitulæ, ſcapulis frequenter appoſitæ, conveniunt, uti quoque veſicatoria poſt aures: omnium verò præſtantiſſimum eſt ſetaceum, materiam enim ad oculos fluentem potenter ad ſe trahit & eva-

& evacuat caput ab omnibus excrementiis humoribus expurgat, & egregiè corroborat. Quid plura? tanti eſt momenti, ut inveteratam fiſtulam lachrymalem, ſine hoc præſidio vix curari poſſe, in aliquibus obſervaverim: amovet etiam cauſam antecedentem mali. Exemplum ſingulare habes in cent. 4. obſervationum mearum obſerv. 19. exempl. 2. Quapropter ut curatio feliciter ſuccedere poſſit, admonendi ſunt parentes, ne præſtantiſſimum ac longè ſecuriſſimum hocce præſidium reſpuant. Priùs itaque purgato corpore, applicandum eſt ſetaceum, nec quicquam circa fiſtulam tentandum, niſi ſetaceum priùs ad tempus aliquod fluxerit, materiamque ad fiſtulam decumbentem ad ſe traxerit. De hac methodo procedendi in graviſſimis & inveteratis affectibus capitis, dummodò periculum non fuerit in mora, vide cent. 3. obſerv. 1.

Poſtea dilatanda eſt fiſtula; id ſi turundis ex radicibus gentianæ, ſpongiis præparatis fieri poteſt, bene eſt, ſin minus, nonnihil de cauſtico meo applicare ſoleo: ſed vide ne in quantitate pecces. Quantitas autem grani milii ſolis ſufficiet. Diligenter quoque claudendus eſt oculus, ne forſan cauſticum liquefactum in oculum fluat. Sunt qui guttulâ unâ aut alterâ aquæ fortis; vel olei vitrioli, fiſtulam aperiunt, callumque & carnem ſuperfluam erodunt, ſed perperam, propter inſignem enim vim penetrandi, os, quod forſan adhuc ſanum atque integrum fuit, corrumpunt: quod de cauſtico noſtro minimè timendum eſt, cùm ſit materia craſſa & terreſtris, quę vicinas partes incontaminatas relinquit: oleum verò vitrioli, & aqua fortis longè lateque ſe extendit. Apertâ fiſtulâ, pulvis præcipatatus, quàm diligentiſſimè pręparatus, inſpergendus, aut filamentis imponendus eſt ulceri, quod emplaſtro ex ſolo gummi elemi, in alutam aut telam extenſo, obtegendum. Ego fortiori pulvere iſto non utor, ne os ſi forſan adhuc ſanum fuerit, à ſuo perioſtio detegatur. Sæpiſſime enim fiſtulas lachrymales, etiam inveteratas, ſanavi, iu quibus caries in oſſe reperta non fuit. Quapropter feſtinandum non eſt, ſed ſenſim procedendum, inſperſo pulvere prædicto bis, vel ſemel in die; prout ulcus fuerit humidum: ut plurimùm tamen dum pulvere iſto utor, ſemel rantùm in die ulcus deligare ſoleo. Stylo ab initio cariem oſſis curioſè perquirere non eſt neceſſe: ſi enim os carioſum fuerit, pulvis iſte carnem, quia mollis & flaccida eſt, facilè abſumet; ſin ſanum fuerit os, ſanum illud relinquet pulvis, & ulcus non ſolùm mundificabit, ſed & ad cicatricem perducet. Habet enim diverſas haſce facultates pulvis iſte, uti ego primò in ægris excellentiſſimi Medico-Chirurgi Dom. Coſmæ Slotani. p. m. præceptoris mei fideliſſimi, & ab eo tempore in praxi mea obſervavi.

Si os carioſum inveneris, quantùm fieri poteſt, detergendum eſt, poſtea euphorbium in ſubtiliſſimum pulverem redactum copioſè inſperge: nihil enim præſtantius eſſe euphorbio, in oſſibus carioſis, imò & in fiſtula lachrymali, ſæpiſſimè ex me intellexiſti, habes quoque exemplum in quinta centuria obſervat. 22. Nec te deterreat ipſius acrimonia; euphorbium enim noſtrum adjacentem carnem non adurere, ut volunt plurimi, obſervavi, de quibus vide centuriam 2. obſerv. 62. centur. 5. obſerv. 22. Admonendus autem eſt pharmacopæus, ne pulverando euphorbium, piſtillum ut moris eſt oleo inungat: oleum enim vim euphorbii infringit, & oſſibus adverſiſſimum eſt. Ne autem acrimoniâ ſuâ nares feriat, guttula una aut altera ſpiritus vini affundenda eſt. Sunt qui cariem oſſis oleo vitrioli, ſulphuris, aut aquâ forti corrigere tentant, ſed malè: ad circumjacentes enim partes fluunt, & os ulteriùs corrumpunt: quapropter vide, atque etiam vide, mi Dom. Schobingere, ne hujuſmodi medicamentis utaris, imò ne quidem in oſſibus duris & ſolidis, uti ſunt tibiarum, multò minus narium. Alii cariem oſſis fiſtulæ lacrymalis cauterio actuali corrigunt, quod non improbo, mihi tamen, laus ſit Deo, præcedens methodus cum euphorbio, ſemper tam feliciter ſucceſſit; ut cauterio actuali nunquam uſus fuerim: Interim tamen illud, ut dixi, non rejicio: quæ enim ferrum non ſanat, inſanabilia eſſe, Hippocrates pronuntiavit.

Satis mnndificato ulcere, & prædicto pulvere præcipitato ferè carne repleto, balſamum Tolutanum filamentis applicare poteris: Cicatricem enim planam & pulchram facit. Per totum autem tempus curationis, ſequens collyrium oculo bis aut ter in die inſtielandum, & linteum reduplicatum, & colliyrio madefactum, applicare convenit, ſintque omnia faſciâ diligenter ligata, ut oculi motus, quoad fieri poteſt, impediatur. Motus enim humores attrahit, & conſolidationem impedit: collyrium tale eſt ℞. aq. roſar. plantag. ana ℥ iſs. aq. euphraſiæ & valerian. ana ℥ j. ſem. cydoniorum contuſ. ℈ j. miſceantur maneantqne in infuſione horas ſex, vel octo; colaturæ adde tuthiæ præparatæ, plumbi ſquammoſi diligenter præparari, Cornu cervi uſti, & præparati ana ʒ j. caphuræ ℈ j. miſceantur omnia diligenter in mortario, fiatque collyrium, quod tepidè applicetur. Hęc ſi diligenter adminiſtrata fuerint, ſpem habeo, Deum opt. max. omnibus abundè benedicturum, id ut faciat, ex corde opto. *Guilielm. Fabr. Hildan.*

Graviter errant qui exiſtimant perforationem hoc commodum præſtare ut materia per os effluat, licet hujus ope os perforatum citiùs abſcedat: obſervandnm tamen, non eſſe perforandum os niſi præſente maximâ ipſius corruptione, quę perveniat uſque ad cavitatem internam ipſius naſi: ſola ſiquidem ipſius ſuperficie corrupta, aut alterata, ſat fuerit partem læſam ſcalpro abraſorio abradere, dum pars cutis coaleſcat oſſi, quod tamen fieri non poteſt niſi ſanum fuerit. Ejus autem corrupti & ſcalpro exciſi hoc vobis fuerit indicium, cùm ſpatio x. aut ad ſummum xii. horarum caro illi accreverit, quod nonniſi factâ abraſione contingit, coaleſcente fiſtulâ. Quòd ſi poſt abraſionem nulla caro ſubcreverit, os corruptum adhuc ſubeſſe pronunciandum, quod proinde denuò abradendum, quouſque hæc ſigna omninò non appareant. Qua ratione feliciter, ſemper, & tutò ſanavi fiſtulas lachrymales, non ſolùm puerornm ſed & adultorum. *Petrus de Marchettis obſ.* 22.

Obſervationes.

Superiori menſe Julio, Solodurum unà cum doctiſſimo viro Dom. Ludovico Scharandæo, ejus Reipubl. Doct. Medico celeberrimo, ad puerum tredecim circiter annorum ætatis, & ex nobili familia natum, *Hans Jacob Von Vevis* nomine, vocatus fui: Is ab annis quatuor fiſtulâ lachrymali ex ſiniſtra parte, quæ pro deplorata habebatur, laboravit; non enim os ſolummodò carioſum, verùm etiam glandula ita eroſa erat, ut quotieſcunque puer ploraret, lachrymæ per ipſam fiſtulam copioſè exſtillarent. Eſt præterea puer adeò moroſus & impatiens; ut cauterium actuale, quod ſummum optimumque cenſetur eſſe remedium fiſtularum lachrymalium, nunquam ipſi applicare potuiſſemus; quapropter de aliis remediis nobis cogitandum fuit. Itaque inſtitutâ optimâ victûs ratione, corpus ſecundùm humoris prædominantis naturam & ægri tolerantiam expurgavimus, deinde ſetaceum nuchæ applicuimus: poſt dies aliquot optimè

fluente

fluente ſetaceo, manum fiſtulæ adhibuimus hoc modo. Primò, quia anguſtiſſima, nonnihil de cauſtico meo, quod abſque dolore, uti tu ipſemet vidiſti, erodit applicuimus. Poſt caſum eſcharæ, fiſtulam ungento eſcharotico, & ſpongiis præparatis, uſque ad ipſum os, dilatavimus. Tandem Euphorbium per ſe fiſtulæ inſperſimus, & quidem in copia: deinde emplaſtrum ex ſolo gummi elemi applicuimus. His eâ qua fieri potuit diligentiâ, per ſeptimanas aliquot adhibitis remediis, ſquamula oſſis ſeſe obtulit, quam Dn. Scharandæus, me abſente, ipſemet extraxit, & poſtquam per paucos dies ſemi guttulam balſami Tolutani, ſemel in die cum filamentis impoſuiſſemus, brevi pleniſſimè conſolidata fuit fiſtula, quæ hucuſque clauſa eſt, oculo & viſu planè illæſis. Setaceum quoque, non diu poſt conſolidatam fiſtulam, cicatrice obduximus. *Guilielm. Fabricius Hildanus.*

Aliud exemplum non vulgare, de præſtantia euphorbii in oſſe corrupto, prædictus Dn. Scharandæus mihi communicavit, quod non ita pridem in fratre ſuo obſervavit: Illi enim cùm poſt ruptum abſceſſum circa dentium ocularium radicem dextræ maxillæ, relictum fuiſſet ulcus cum carie maxillæ, paſtam duriuſculam ex puro euphorbio & melle roſaceo confecit Dn. Scharandæus, ipſamque ulceri impoſuit, & laminâ cereâ, ne excideret, cooperuit. Huic viro, qui juvenis eſt, & optimo corporis habitu præditus, intra paucos dies excidiſſe ſquamam carioſam, & protinùs cicatrice obductum fuiſſe ulcus, teſtatur Dn.D. Scharandęus. *Idem.*

Ex defluxione capitis ad canthum oculi ſiniſtri tumor enatus juvenculæ, quo preſſo ſerum ex oculis fluxit; poſtea perforato, ut videbatur, ad nares uſque oſſe, purulenta per nares materia fluxit: caput cephalicis pilulis priùs expurgavimus; mox ad humiditatis depluentis exſiccationem collyrium inunximus, omnia ſine ferro priùs experturi, ne facies deformaretur: demum cauterium potentiale illi naſi parti applicuimus, ubi nullum à muſculo oculi orbiculari periculum: poſt eſcharæ caſum caro in fundo adeò luxuriavit, ut præcipitato aliquoties inhibere fuerimus coacti, ſæpiùſque ea carne creſcente, cauſticis repetitis curatio fuit retardata: tandem exſiccantibus in auxilium advocatis oſque mundantibus, ſed ſine ferro aut igne, ab Æginetà præſcriptis, cùm per nares nihil puris vel ſeri prodiret, carne ſanâ oppletum fuiſſe oſſis carioſi foramen animadvertimus, fiſtulamque obturatam, unde vulnus conſolidatum, cicatrice ſubtili inducta. *Thomas Bartholinus centur.* 5. *hiſtor.* 85.

Chirurgus ſuo tempore inſignis Domicellam quandam religioſam ex ægylope fiſtulâ lachrymali laborantem, hoc modo ſanavit, optimâ victûs ratione præſcriptâ, & pharmacis univerſalibus adhibitis, tum etiam venæ ſectione præmiſsâ brachii & pedis, orificium ulceris tentâ aperuit ex gentianæ radice confectâ & orificio ſucceſſivè ſatis aperto, pro ulceris mundificatione ſequens medicamentum præſcripſit. ℞. mell. communis ℥ ij. virid. æris ʒß. aq. rutæ ℥ iv. æs viride pulveriſetur, & cum aliis lento igne decoquatur, ad tertię partis conſumptionem. Colatura tepidè & ſuaviter per ſyringam imponebatur: ſi acrius videbatur, aq. rutæ ulcus abluebat omni die, & poſt lotionem exiguum unguenti apoſtolor. admovebat, hoc modo tribus continuis ſeptimanis procedebat, ſuperponendo etiam emplaſtrum conveniens, & oculum roſac. aquâ defendebat. Poſtea pro tertia intentione perficienda, nempè incarnandi atque cicatrizandi, ulcere jam ſatis repurgato, illud collyrium pręſcript. ℞. Thuris, ſarcocoll. aloës; ſang. dracon. balauſt. antim. alumin. ana ℈ j. virid. ęris gr. v. ſubtiliter pulveriſentur, & cum aqua rutæ fiat collyrium ſatis liquidum. Imponebatur leviter cum rutę ſtipite, deinde exſiccabat, continuabat ter in die, tribus ſeptimanis; poſtea bis in die minorando tentam, deinde tantùm lavabat, diapalma ſuperimpoſitô, & panno lineo raro, loco compreſſionis, atque hoc modo feliciter abſolvebat curationem. *Jacobus de Carpo* Chirurgus ſuo tempore expertiſſimus, ad fiſtulam lachrymalem ſequenti collyrio utebatur. ℞. aloës; myrrh. croci ana part. ęquales; infundantur in aquæ vitę quinquies, ſexieſve diſtillatę qu. ſ. per noctem, & diem, deinde coletur, & colaturę adde theriac. opt. & camphor. q. ſ. fiat collyrium. *Petrus Foreſtus obſerv.* 15. *lib.* 11. *de morbis ocul.*

Curavi quendam Canonicum Polonum, laborantem Meliceride, magnitudinis jujubę, quę à caruncula anguli majoris oculi ad totam pupillam porrigebatur. A multis tentata curatio, medicamentis, decoctis ſcilicet, collyriis, & aliis hujuſmodi; omnia tamen octo menſium ſpatio in caſſum adhibita: cùm verò me conſuluiſſet, ipſum tumorem evellendum cenſui, quod cùm reformidaret, ſpe tamen ſalutis operationem admiſit; quam ſtatim molitus ſum, corpore priùs expurgato accuratiſſimè ab aliis medicis. Paravi itaque hamulum, quo ipſam melicericlem perforavi, & manu apprehendi, altera verò forcipe eandem cum folliculo ſectione ſeparavi, tum à caruncula, tum à tunica adnata, & ipſa pupilla, atque ita totum tumorem eduxi, ſine ulla offenſa ipſius oculi; à quibus, ſtatim applicui goſſipium imbutum aquâ roſaceâ, cum ovi albumine agitata, & portiunculâ croci, patiente tres dies hoc modo faſcia vincto; adhibito poſtmodùm collyrio ex aq. roſarum & pulvere tuthię pręparatę; quibus ſpatio octo dierum omninò convaluit ęger; increpante licet meam præceptore meo ab Aquapendente audaciam, cùm tamen brevi ſpatio temporis id pręſtiterim, quod alii medici non potuerunt perficere, idque pręſentibus, præclariſſimo Joanne Dominico Sala, cum multis ſtudioſis, *Petrus De Marchettis obſerv.* XXI.

Obſervationes propriæ.

Lectiſſima virgo annos 21. nata, poſt varios catharros tandem in oculi ſiniſtri canthi majoris affectionem incidebat. Plura adhibita ſunt, tum pro ſeri acrimonia temperanda, tum pro eodem ſero redundante vacuando, tum pro corroborando oculo ejuſque glandulis; interim non ceſſavit morbus, imò non tantùm corruptionem aliquam in glandula lachrymali induxit, & ligamentum anguli oculi relaxavit, ſed etiam cutem duplici in loco inter oculum & naſum perforavit. De igne admovendo cogitabant Chirurgi advocati; cùm ego ſolo pręcipitato albo diaphoretico minerali cum pauco opio miſto, atque tum ſuprà glandulam lachrymalem ipſam, tum in fotamina inſufflato, aliis etiam minoris momenti adjunctis, ęgram ſummo agnatorum applauſu integrè reſtitui.

Nobiliſſima Matrona annos circiter ſeptuaginta nata, tumorem eryſipelatoſum totam faciei partem dextram occupantem paſſa, pę humorum acrimonia, ad canthum oculi majorem pęcipuè decumbentium, ſubitò in fiſtulam lachrymalem incidit. Advocatus reperio, ulcus calloſum inter oculi dextri canthum & naſum ſitum, callumque ad os uſque pervenire adverto, os ipſum pęterea cariem contraxiſſe obſervo; tum cùm nihil proficeret pęcipitatum mercurii, ut nec aquę vitriolo veneris impręgnatę, ferrumque & ignem omnino reformidaret ęgra, ad butyrum antimonii me converti, cujus particulam cùm oſſi carioſo admoviſſem, totumque callum eodem ſobriè artigiſſem, excidit callus ſub forma inteſtinuli, oſque

corruptum exfoliatum eſt, unde brevi adhibito mercurii præcipitato, unguento Nicotianæ & emplaſtris, de quibus jamjam in curatione, integrè, reſtituta eſt. Interim nec venæ ſectionem celebrare, nec purgans medicamentum, aut alia præſidia generalia adhibere fuit poſſibile, ſiquidem omnia reſpuebat nobilis ægra, eorum uſus in longa affectione hypochondriaca, ſeu potius ſcorbutica prorſus pertæſa.

Illuſtriſſima quædam annos 40. nata, poſt catharrum faciei partem dextram occupantem, oculum dextrum præcipuè affectum vidit, tumor enim ingens, eum totum cingebat, palpebraſque neceſſariò occludebat; diſcuſsâ tumoris parte per remedia â mulierculis exhibita, remanſit anchilops, qui citò in ægilopem abivit, advocatus tumorem aperio, in quo fungoſum quid ad os uſque naſi pergens reperio. Tum nullo alio medicamento adhibito quàm mercurio pręcipitato albo, aut puro, aut unguento nicotianæ admiſto, fungum enatum abſumſi, ulcus mundificavi, & carnes cum cicatrice laudabili induxi. De emplaſtris & balſamis, de quibus jamjam in curatione, nihil addo.

Puella Nobilis anno ætatis quinto, variolis affligebatur, quæ poſt ſui diſceſſum, ſatis, ut videbatur, proſperum, oculum dextrum reliquêre lachrymantem: elapſis duobus menſibus exaſperatum eſt malum, & à majore oculi cantho copioſam humiditatem excidere obſervatum eſt, quę humiditas continuò in pus abiit. Applicationes, tum aquarum, tum pulverum detergentium primò, poſtea verò adſtringentium morbo ſtatim opponebantur, adjunctis univerſalibus, purgationibus ſc. per intervalla repetitis, cauteriis, emplaſtris cephalicis, decocto radicis chinæ &c. non ſic tamen minus, quamvis lentiori paſſu, ſaccum ſibi excavavit humor compreſſione ſe per ipſum oculi canthum exonerans, ex conſilio Clariſſimi cujuſdam Medici deligatione compreſſiva utebamur, ut ſc. evacuato per oculi canthum pure, nova ejus aggeſtio impediretur, verùm in caſſum omnia, ſiquidem poſt aliquam intermiſſionem, & mali quaſi occultationem, ſemper de novo caput exerebat, donec quinto à ſuo principio anno, tumor multò quàm priùs grandior apparuit, qui ad ſuppurationem deductus ſcalpello apertus eſt; tum cùm os carie immune advertiſſemus, abſceſſui per præcipitatum album, & balſamum ſulphuris terebinthinatum facilè medebamur, additis injectionibus è collyriis aptis, at difficilius erat debilitati partis proſpicere, ac præcipuè glandulæ lachrymalis aliquantulum eroſæ & corruptæ, hoc tamen ultimum tandem obtinuimus beneficio olei myrrhæ per deliquium, & axungię viperinæ.

De his quędam rursùs videri poſſunt capite de Fiſtulâ.

ALBOTIS. Idem quod *Thermintus.*

ALBUGO ſeu *Leucoma.*

De hoc affectu vide in oculi Vitiis; hic tantùm pauca ex Clariſſ. Godefridi Bidloo Exercitationibus Anatomico-chirurgicis.

COincidit mihi, animum ad *Leucomatis* deſcriptionem accingenti, proverbium,

Fert aliud Leucon, aliud Leuconis aſellus:

auctorum quippe verba præſcriptaque tantùm, hac in re, ab effectu differunt: ut neſciviſſe eam, vel incuriâ, aut è conſilio, tradidiſſe intricatam, mihi penè perſuadeam.

Primò; voce *Leucomatis, Albuginis* morbi, ſpeciei unique ſolummodò parti proprii, genus deſignatur minimè.

Secundò; quæ ejus vocantur ſpecies, in totum ab hoc quaſi genere differunt: Albicans etenim hæc macula, cum *cicatrice ſplendida, paralampſi* &c. nullo reſpectu convenit: prima quippe corneæ convexę ſuperjacet, ſuperextenditur, aut inter ipſis ejus lamellas, vel demum intus ab parte, nempè, ei eſt concava. Alteræ corneæ læſiones, *cicatrices* ſunt & excavationes variolarum, ruptarum hydatidum, vulnerum, ulcerum. Imò & hypopyonis veſtigia: neque itidem cum νεφέλαις, *nebulis*, quę potiùs ſuffuſionis ſpecies, conveniens eſt.

Objecta ergo perforata ſive diviſa, vel prorſus non appareant, *Leucoma*, albicans, in tunicæ corneæ ſuperficie, macula infans & recens facilè, adulta difficulter, vetuſta rariſſimè, inter lamellas, vel poſticè hærens cicatrixque vulneris; ulceris vero curatur integrè nunquam.

Quæ in multis aliis oculorum affectibus magni, hac in ſpecie uſus eſt maximi, lingua; utpote, quæ lambendo glutinoſas tenaceſque, ab corneæ ſuperficie abſtergere apta eſt nata, maculas: ſive etenim, ſudaminis adinſtar, ipſo de corpore corneæ proluat, extus, ſive ex peregrina materia ei adhæreſcat; imò lymphatico de latice concreto ortum ducat, aſperitate ſua iterum iterumque terendo tandem eminentiam abradere, potis eſt. Monita generaliora, Jò; linguam eſſe ab omni impuritate depurgandam; 2dò; fragrantis alicujus ſeminis maſticatione, poſt ablutionem, imbuendam; 3tiò; ei *Saccharum candy*, aut; ſi efficaciore abſterſione opus videatur, vitrioli mitigati, aut ſimplicis, ſolutionem inſpergendam; 4tò; inſpiciendum, quò tendat vergatque macula: parte enim ab oppoſita opportet fiat lambendi actio; promovetur aliàs potiùs, quàm refrænatur macula, eodem modo, ut pterygium digitorum, injectâ, parte à qua, ad quam properat excreſcentia, ligaturâ: multa enim licet appoſita medicamentorum corrodentium deſiccantiumque farragine, hic ille morbus curatur nunquam; ligaturâ verò debita methodo ei injectâ brevi. Quod ſi ab maculæ exortu, quo loco craſſior exiſtit, lambendo pergas, eam verò ab parte tenuiore, ab circumferentia, non excipias, extendis hanc ulteriùs; nunquam autem macula, *Leucoma*, à puncto æqualiter & radiatim in circulum extenditur; eminente ſemper in medio apice quodam, linguâ explorando;

Problemata etſi mihi ſint, hujus aſſerti, plurima; unum (*Lect. Benev.*) accipe idque momentoſum.

A°. MDCLXXXVII. menſe Majo, convenit me SARA, Judaïca, habitans *Amſtelædami*, in platea (vulgo *Marite*) oſtendens mihi, ut ajebat, *Margaritam*; oculo infantis duorum annorum, incumbentem; re explorara, non *cicatricem* (vulgus vocat *een Parel*) ſed maculam, *Leucoma*, experiebar, quam, brevi temporis intervallo, mater lambendo, ut ſupra eſt monitum, deterſit; verùm ineunte brumali frigore, vires recipiente morbo, me denuò acceſſit, commonſtrans, eandem *Maculam profundiùs albicantem* latiùſque expatiantem; miſcui itaque *cum ſucco chelidonia aliquid ſacch. cand.* injecique penicillo, tepidè, per aliquot dies id medicam. maculę; interea tamen à lambendo & quidem crebrò non deſtitit mater. Snccesſit curatio vivitque, in hoc momentum, viſu præditus acerrimo, quondam æger.

Si adulta & longo tempore, refractaria *Macula*, deterſioni leni *vitriol. Cyprin. in aq. Roſar. ſolut.* reſiſtat, opus eſt fortiore medicamento; verùm ego ſtylo, ex *ejuſdem generis vitriolo*, utor; tum, quia maculam, uſque dum

ſanguinem

ſanguinem emittat, vellicandam fricandamque ſuſtineo, tum quia tutiùs, hac methodo, parti affectæ, intactis vicinis, injici poteſt medicamentum.

Quæ, inter ipſas tunicæ corneæ lamellas, hæret *Macula*, nunquam curatam vidi; ſi per annum unum, aut alterum eodem fuerit loco, conſidente, ea parte ſemper extimâ lamellâ ulterius; ita ut, quæ in initio livida, tractu temporis conſpiciatur albida profunde.

Concavæ; id eſt, interiori tunicæ corneæ parti inhærens *Macula Leucoma* (ſi enim fluctiret, ſuffuſionis familiæ adnumeranda venit) ut remotior ab injiciendis medicamentis, ita & peſſimæ notę & incurabilis plane eſt.

Quod ſi, ex Hypopyonis, ipſius corneę corpus occupantis, ſpecie ſupra notata, variolis, morbillisve perfusa, corrosa exulcerata unà alteràque corneę lamellâ, cicatrix ei inhęreat expullulans, aliâ ſanè prorſus res eſt: origine enim etſi referat albam, Leucomatis indolis tamen obtinet nihil: nam, inſtar callosi, id eſt, indurati fungi, foras indieſque extuberantis, excreſcentia hęc verrucam (cujus quoque ſpecies non eſt; omnis quippe verruca, cutis morbus eſt) fingit.

Cum autem periculoſum, hic in parte, ſit alicujus ſententię adſentiri, vel eam rejicere, exponam rei exemplum.

Hagam Comitis, A°. MDCLXXXII *Amſteladamo*, ab Clariſſ: *Corn. Bontekoe*, aliisque artis noſtrę cultoribus, invitatus ad diſſectionem cadaveris, Viri laqueo necati, acceſſi obtemperans amicorum rogatui protinùs, celebravique coram inſigni Anatomes fautorum corona, hunc actum; cùm autem, hoc tempore, luctarer prędicto cum morbo, in puella quatuordecim annorum, in parte corneæ verſus naſum, ſtatui curavique incideret (finitâ demonſtratione) noſter diſcurſus privatus, in hoc thema, pręſentibus Clariſſimis Viris *Bontekoe*, *Lie-Bergen*, *van S. Olingen*, *Mation* Med. Doct. experient. *van Dyk*, *Kervel* aliisque Chirurgis. Poſt rem ab me propoſitam, poſt multifarias vibratas ſermocinationes, exhortatus eſt urſitque audacter *van Solingen* extuberantię ablationem, methodo quam poſtea deſcripſit, *Opere ſuo* (pag. mihi 51.) *De Chirurg. Operat.* fateor ingenuè, id ejus conſilium mihi nequaquam arriſiſſe; imò & ſurdis amicum meum narraviſſe fabulam; quoniam nemo inter eos ejus eſſet ſententię, redux, *Amſteladami*, acrioribus medicamentis curationem tentavi; ſed peſſimo cum eventu: apici enim quidem eſcharam injeci ſeparavique; in fundo verò, cum materia expullante, accrevit durities, exploratâ itaque re priùs & denuò, ſtatui excreſcentiam hanc deſiccandam, eique vim *gypſi & farinæ tritici toſti*, per aliquot dies, applicui: hoc modo adjuta deſiccatione & duritie tumentis mali, illud, pręſentibus Med. & Chirurgis quibusdam, ſcalpello corneę abſtuli; ulcus tamen hoc, non ſine multo tempore, improbo non ſine labore tædioque & viſûs detrimento, coërcui, depreſſi, purgavi, curavi: *Milvo etenim volanti reſecare ungues facile non eſt.*

Si in adnata, vel circuli corneę tunicæ circumferentia, poſt curatum ulcus, excreſcentia, vel cicatrix appareat, age (Chirurge) fortiter; ſed mox & actutum: ſeparari quippe ab cornea poſſe partem, ſive exterioris lamellæ lamellam, viſu illæſo, aut ſaltem parum impedito, auſum aſſerere: vivit enim *Amſteladami* homo, in quo hoc exemplum proſtat.

Si, ex variolis, maneat ſiccum corneæ membranę ſtigma, illud incurabile expertus ſum: tu itaque cave: edoctus enim hęc doceo fideliter, irrites crabronem; ut verò arti ſatisfiat ejuſque pręceptis, age, ſollicita emollientia; ſed avertant Dii; ego tibi auctor ſim; ut ęgrum, vel te, ſecurum de curatione dicas; ſed quid ni apertiùs? audi, diſce; verùm & fuge ſimul & deteſtare, quod ſequitur exemplum: *ſcopulos ut mare*; *ita &*, *nempe*, *portus habet.*

Vocatus inſpexi nuper, hoc ex morbo incurabili laborantem domicillam juvenculam, cujus grabato vir aſſidens medicus, non quidem doctus; ſed qui (proverbialiter) plus tamen docet, quàm ſcit, compluris hic manibus, ſecuram renunciaverat: adhibuerat enim ſcilicet, *Beneficio evaporationis per infundibulum* ſequens oculo Medicamentum emolliens:

℞. *Fol. biſmalv. & malvæ. a. mij.*
Flor. Chamomill.
ſambuc. a. p. ij.
Sem. aniſ.
fœnicul. a. ℥ij.
Incid. contund. coq. in lact. dulc. pint. ij.
exprim.

ægra prius diuque dubia, nunc medico ſuadente, facili momento ſpem conceperat certiſſimæ curationis; infauſtam itaque rejiciens meam prognoſin, tamdiu verbis adulatoriis fidem habuit, donec temporis, laboris ſumtuumque diſpendio inutili laſſata, eventu didicerit effati mei veritatem.

Huc ſpectitant ex peſte oculis infixæ maculæ varicolores; ut plurimùm autem in principio rubentes; poſtea verò liveſcentes, quæ; ſi nigredinem contrahant, quocunque detegantur loco, gangrænam minantur, aut ſphacelo laborant: ut ſudorifera toti corpori; ita fotus &c. hac virtute prædîti, gangrænæ, nempe, reſiſtentes vireſque partibus refocillantes, huic maculæ injiciuntur ſecundùm artem;

Horrenda autem lue peſtifera, cùm (infinitâ Dei gratiâ & clementiâ) patriam meam; non nimium leviter contactam viderim, & quidem tempore ſtudiorum meorum chirurgicorum, dicam ſolummodò enarraboque pauca; *de maculis oculorum ex peſte*, quæ facta ſunt memoriâ meâ.

A°. MDCLXVII. *Abrahamo Brouwer*, Tabellario in *Zeelandiam*, in platea, vulgò de (*Lauwverierſtraat*) *Amſteladami.* peſte correpto, poſt graviſſimos capitis dolores oculorumque inflammationem, ictu fulminis citiùs potentiùſque viſum obnebulans, oculo infligitur *Macula*, ex tubere primò rubro; mox verò liveſcente, ortum ducens; hujus, poſt aliquot horas, color albeſcens, pręceptori meo experientiſſimo, *Bernardo Van Ulsen*, pręſagio inſtantis mortis fuit: exuberante quippe, cum hacce *Macula*, toto oculo, nigreſcente multis locis, corporis ſuperficie ſtriaque rubente in pectore, verſus cor, animam quoque brevi efflavit.

Alterum; ſed felicioris eventus: vitam etenim habuit conſervatam, hoc mihi eſt exemplum. Eodem anno *Jacobi Van Leyde Amſteladami*, clanculum proxenetę, in foſſa, vulgo (*de Buzegraft*) prope vitri fuſoriam, decem circiter annorum filius, poſt curatum bubonem inguinalem, incidens in vehementiſſimam ardentiſſimamque febrem, ſimul citò in corneę partem mediam, oculi dextri albicantem ex levi rubedine *Maculam*, accipit; quę, injectâ, inſperſâ, adhibitâ remediorum vi maximâ, artem eluſit omnem, eundem ſemper retinens locum, colorem & magnitudinem; viſum autem ex parte concedens ęgro.

Eadem res eſt cum oculorum *Maculis* (de totius viſûs affectu; hoc de fonte autem alibi latiùs) ex mala Venere, quę, ut plurimùm docent; *non eſſe ſemper in medico, relevetur ut æger*; ne autem mox animo deſperes (*chirurge*) perpende? quem in ſcenam duco caſum.

Juvenis 25. annorum, in cohorte equeſtri, pretoriana, quem fermè perdiderat infauſta Venus: fędis enim, ut omni loco cutim, ita & palpebras frontemq; dehoneſtaverat maculis, ulceroſis puſtulis &c. neq; oſſa

virulento intacta reliquerat ab malo; pertæſus quaſi vitæ: fruſtra enim ſudaverat omni modo, fruſtra ſalivaverat uſque imò ad, cum emaciatione, me vocat in auxilium, non tam ut ſibi; quàm amicis ſatisfaciat. Cuncta cùm perluſtro, inveſtigo, albicantem obſervo in oculorum dextrò ejuſque cornea, *Maculam*, quam, inter medicandum prorupiſſe, ab eo, edocebar eâque cum cum vi Mercurii fuiſſe uſum, ut per ſex integros menſes; ne micam quidem panis dente frangere potis extitiſſet; immoderata itaque ex Mercurii adhibitione corpus hoc fuiſſe emaciatum facilè colligebam & proinde malacticis, ſucculentis, juſculis &c. primò; hominem, poplites quem vix ſubſtinebant, reficiendum curavi largiter, ſecundò; viribus reſtauratis, confortantibus decoctis, quibus *Rad. Contrajerv. & Tormentill.* non deerant, ipſam *Maculam*, opus operoſum! aggreſſus ſum, eam detergendo ſequenti medicam:

℞. *Mell: Chelidon:* ℥ij.
Fel: piſcis Lucii ʒj.
Salis volatil: gutt: v.
M. inſperg: ope penicill: calide.

uſus hoc medicamine, in initio & poſtea *ſacc. cand. pulvere*, eòuſque oculò viſum reſtitui; ut niſi ab latere & aliquando tantùm conſpiceretur *Macula* leviſſimum aliquod veſtigium, experiebarque extimam ſolummodò occupaviſſe corneæ lamellam. Aphoriſmi tandem loco ſit: maculas, in membrana cornea, ex lue peſtifera, intensè eſſe dolorificas; ex mala Venere verò, inſenſiles.

ALCOLA Idem quod *Aphtha*.

ALOPECIA vid. ſub titulò *Pilorum morbi.*

ALPHUS Idem quod *Vitiligo*.

ALTHEBEGIUM.

Althebegium, Avicennæ eſt tumefactio quædam ſimilis Cachexię, quæ provenit, ut ipſe credit, ab hepatis vitiô, indeque pronatô malô corporis habitû; unde ſunt tumores ſimiles iis, qui oriuntur ſub oculis, & in facie eorum qui multûm dormiunt. Hic autem morbus cùm nihil ex ſe habeat ſpeciale, Tractationem etiam ſpecialiorem à nobis minimè exigit.

AMAUROSIS.

Eſt totius lucis in oculô impedimentum. De quo vide ſub titulô GUTTA SERENA. Item *Oculorum vitia*.

AMBUSTIO. vide *Combuſtio*.

AMPUTATIO MEMBRI vide de ea ſub titulô *Gangrana*.

ANCHILOPS Vide ſub titulô *Ægilops*.

ANCYLOBLEPHARON Palpebrarum vitium de quo vide *Oculi & Palpebrarum vitia*.

ANEURISMA.

Aneuriſma tumor eſt præter naturam, major vel minor, cum pulſatione, ad tactum mollis, digitiſque comprimentibus cedens, reliquæ cuti concolor, dolore & calore carens, & cujus ſedes eſt in aliquâ Arteriæ dilatatę parte.

Dico Aneuriſma tumorem eſſe præter naturam, idque explicatione haud indiget: addo eum eſſe vel majorem vel minorem, quam in rem obſervare eſt, dari cujuſcunque magnitudinis aneuriſmata, nempe, à piſi magnitudine, ad magnitudinem caput humanum bis ſuperantem, pro majori vel minori arterię dilatatæ amplitudine, ejuſdemque ad ſe dilatandam facilitate: Dico in eo pulſationem ſanguinis in arteriis motui reſpondentem reperiri, qui motus ſit cum inſignibus vibrationibus. Attamen certiſſimè conſtat, quòd cùm dilatatio quæ in aneuriſma in parvâ arteriâ producit, inſigniter aucta eſt, & primis cùm congeſtiones & coagulationes varię materiæ ortæ ſunt, hęc pulſatio minùs advertitur, quia tunc ſanguis totam ſui motûs impreſſionem variis, tanti tumoris & materiæ eum replentis, partibus non ampliùs communicare poteſt: ſed in genere obſervandum dictâ pulſatione fortiori vel debiliori diſtingui aneuriſma ab aliis tumoribus, & peculiariter à tumoribus varicoſis, quibuſcum aliquid habet affinitatis.

Hîc loci, Viri Clariſſimi, ſilentiô præterire non poſſum in gratiam Juniorum Medicorum & Chirurgorum qui, nimirum omni ſtudiô perpendere debent, an dicta pulſatio procedat ab ipsô proprio tumore quem ſanandum ſuſcipere volunt, an non verò aliquà arteriâ inſigni, vel corde ipsô cui aliquando ſuperjacet, ei communicetur: ſic ante triginta & quod excurrit annos, Ego & Ampliſſimus Pręſes in errorem, ut ex ſequenti hiſtoriâ patebit, incidimus: Puella decem circiter annos nata, tumore maximô pectori incumbente, & totum ſpatium à claviculâ dextrâ ad medium ſternum occupante, tentabatur, qui tumor propemodum indolens, nullô rubore nec calore conſpicuus erat, in eô inſignis tantum obſervabatur pulſatio, quâ circumſtantiarum ſerie, ęgram inviſentes decepti, concludimus hunc tumorem magnum eſſe aneuriſma, cujus cura ſine periculô ſuſcipi non poterat, tumoremque naturæ ad tempus committendum ſuaſimus: ſed tandem natura nobis peritior, quid intus lateret oſtendit. & apertô in parte decliviori tumore, ingens humoris non admodum fœtidi, & laudabilis conſiſtentiæ magno cum ęgrę levamine copia prodiit; quæ puella etiamnum hodiè ſana & in integrum reſtituta vivit: Attendentes autem ad pulſationem in pręedictô tumore obſervatam, cognovimus tumorem hunc ſuâ extremitate inferiore baſi cordis ſuperjacentem, impreſſionem ex ſingulis nobilis illius Viſceris vibrationibus acceptam digitis noſtris communicaſſe, noſque in errorem inductos fuiſſe, in eô quod arbitrati fueramus dictam pulſationem ab ipsô tumore procedere, quam vi externæ acceptam referebat; Unde concludimus, Medicos nunquam nimiûm attentos eſſe poſſe ad hujuſce generis morbos dignoſcendos, noſque ipſos inter cęteras circumſtantias ad magnam tumoris renitentiam non ſatis attendiſſe, quæ impediviſſet quominus dictum aneuriſma eſſe adeò facilè pronuntiaviſſemus.

Dico Aneuriſma tumorem eſſe ad tactum mollem, & digitis comprimentibus facilè cedentem; idque præſertim veriſſimum eſt in exiguis aneuriſmatibus quę digitis comprimentibus promptiſſimè cedunt, & iis ſublatis momentaneè iterum & cum ſibilô in priſtinum redeunt ſtatum: ſed in iis aneuriſmatibus quæ ad inſignem creverunt magnitudinem, congeſtiones quæ in iis oriuntur, impediunt quominus digitis comprimentibus amplius cedant, imò verò plùs vel minùs renitent pro varietate materiæ in iis contentæ, quæ aliquando ita induratur, ut cartilaginis naturam aſſequatur: idque obſervatum fuit in Aneuriſmate illô totius Aortæ ab exitû cordis ad claviculam dextram, in quôdam Virô, nomine *Pellet* Monſpelienſi, de quô memorat Riverius in ſuis Obſervationibus.

Dicô Aneuriſma eſſe tumorem reliquæ cuti concolorem, quô ut & pulſatione à tumore varicosô differt, cujus color ad lividitatem, ut plurimum vergit.

Dico

Dico in Aneuriſmate nec dolorem, nec calorem inſignem obſervari, & in his, uti & in pulſatione, quæ illius eſt ſignum pathognomonicum à phlegmone, aliiſque tumoribus ad ſuppurationem tendentibus diſtinguitur: Attamen cùm ortę ſunt congeſtiónes hæque ad ſuppurationem tendunt, tunc color mutatur, calor & dolor oriuntur, tumorque diſpoſitionem inflammatoriam induit.

Dico tandem Aneuriſmatis ſedem arteriam eſſe, unde facile eſt animadvertere, aneuriſma in omnibus corporis partibus tùm internis, tùm externis, cùm omnes arteriis donentur, produci poſſe: Ac ſanè obſervata ſunt aneuriſmata in arteriis axillaribus, in inguinibus, ſuper claviculis, in collô, in pectore, in genibus, in femoribus, in cubitô, in teſticulis, in viciniâ cordis, & alibi; quin etiam ejuſmodi tumores in membranis cerebri reperti fuerunt; cujus rei Moinichen raram nobis exhibet hiſtoriam in Actis Bartholini Haffnienſibus.

Jam nunc tranſirem ad enumerationem, & inquiſitionem cauſarum dictam arterię dilatationem producentium: Aſt, Viri Clariſſimi, utile erit paucis priùs expendere, quod ſit arteria, & quę illius ſtructura.

Arteria eſt Vas Cylindraceum, cujus diameter ſenſim extenuatur, & minor fit ab origine ſuâ, (duobus, nempe, Cordis ventriculis) ad ultimas ſuæ diſtributionis extremitates; quodque defert ſanguinem è prędictis ventriculis egredientem, nimirum, ſanguinem dextri ventriculi per arteriam pulmonarem, a Veteribus venam arterioſam dictam, in totam pulmonum ſubſtantiam veſicularem; ſanguinem verò ſiniſtri ventriculi per Arteriam magnam, ſive Aortam, in varia viſcera, & in corporis extremitates, ubi per Venarum radiculas reſumptus, ad truncos primùm, deindè ad Cor reducitur; Unde iterùm ut priùs exiens, perennis fit circulatio, cujus intermiſſio in magnis vaſis neceſſariò lethalis eſt.

Arteria, juxta Williſium, ex quatuor præcipuis contexta eſt tunicis: Primam ſive exteriorem vocat vaſculoſam, propter innumera eam perreptantia vaſa, quæ alimentum arteriæ neceſſarium deferunt: Clariſſimus Rhuyſchius dicta vaſa, ceram peculiari modo præparatam in ea injiciendo evidentiſſimè demonſtrat, ſecunda arteriæ tunica à Williſio glandulofa vocatur, quia innumeris perexiguis glandulis interſpergitur, quæ forſan ſubminiſtrant humorem aptum ad motum membranæ huic ſubjacentis faciliorem efficiendum. Tertia arteriæ tunica juxta Williſium eſt muſculoſa, quod contexta ſit ex duplici fibrarum muſculoſarum ordine, quarum exteriores circulares, vel potius ſpirales, inferiores verò longitudinales ſunt: fibræ ſpirales ſtringendæ & coarctandæ arteriæ quum extenditur, inſerviunt: longitudinales verò eandem arteriam cùm dilatatur, contrahunt. Ex duplici hoc fibrarum ordine procedit præcipuum arteriæ robur, & dictæ fibrę ſyſtoles & diaſtoles, illius motum ſine intermiſſione perpetuant. Denique interior arteriæ tunica à Williſio nervoſa vocatur, quia ejus textura ſatis eſt firma & ſtricta: attamen cùm huic quartæ tunicæ fibræ longitudinales ſint ſuperpoſitæ, ex quibus formatur ordo interior fibrarum tunicæ muſcularis, multiplicanda non eſſe entia ſine neceſſitate, ideoque tunicam muſcularem & tunicam nervoſam, unam & eandem eſſe tunicam arbitror. Clariſſimus Rhuyſchius hiſce tunicis aliam quam celluloſam vocat addit; eamque inter tunicam exteriorem & vaſculoſam immediatè collocat: hæc tunica aëre repleta, vel ceræ injectione facilè dilatatur, hacque ratione maximè conſpicua redditur; cenſet dictam tunicam ejuſdem eſſe naturæ & ſtructuræ, ac eſt membrana celluloſa quæ ſub cute in ſingulis corporis partibus reperitur; cujuſque cellulæ ſuccô oleoſô & unctuosô ubique fermè repletæ, membranam adipoſam, ſive panniculum adipoſum formant: arbitratur etiam, quibus innixus fundamentis neſcio, in hâc membranâ arteriarum celluloſa ſæpè fieri poſſe congeſtiones, inde illæ glanduloſitates oriantur, quibus hepar, aliaque viſcera in nonnullis morbis aliquando referta conſpiciuntur: ſed id in dubium revocari nequit, nimirum, præterquàm quod arteria aorta, in cordis viciniâ, adipe ſenſibili eſt referta, per cellularum ſuarum repletionem, totum ejus corpus in ſingulis ſuis partibus ut ex guſtû patet, non parum eſt adipoſum, veriſimileque nobis videtur membranam hanc celluloſam, licet minùs ſit ſenſibilis, quàm ea quæ unum eſt ex tegumentis corporis communibus, inſervire recipiendo & continendo ſucco apto ad conſervandam flexilitatem arteriæ, & motûs facilitatem in vaſe, in quô perpetuari debet à vitæ primordiô, ad illius finem uſque.

His ita poſitis, Viri Clariſſimi, facilè concipitur, quòd cùm fiet aliqua vis, vel perturbatio in fibris nervoſis & muſcularibus arteriæ, à quibus primaria & præcipua ejus vis pendet, & hæc membrana impulſionibus ſanguinis arterias percurrentis cedet, nec membrana glanduloſa, nec celluloſa, nec vaſculoſa ſanguini impellenti, vimque in eas facienti, reſiſtere haud poterunt, ſed ſuâ mollitie ejus impulſui & conatibus facilè cedent, & eâ quâ abundant humiditate ſe ſe ad maximam extenſionem dilatandi eis dabitur locus: nec difficile intellectû eſt, laceratâ vel apertâ aliquô inſtrumentô in totâ ſuarum tunicarum craſſitie, arteriâ, dictas membranas externas, tùm propter, quibus irrigantur ſuccos, tùm propter naturalem mollitiem facillimè conglutinatum iri; cùm contrà tunica nervoſa & muſculoſa quæ & ſiccior, & compactior, & firmior, minùſque ſuccis irrigata eandem coaleſcendi facilitatem non habebit: adde quòd, cùm dicta membrana ſanguinis arterioſi vibrationes immediatè ſuſtineat, illius conglutinatio hac ratione non parùm retardatur, & impeditur.

Accommodemus nunc ea quæ jam obſervavimus ad varias quæ arteriam dilatant, & aneuriſma producunt cauſas: Hæ ſunt vel externæ, vel internæ: Externæ ſunt laceratio, vel punctio arteriæ lanceolâ, vel aliô inſtrumentô; quam cauſam mox me ſufficienter, ſatiſque perſpicuè explicaſſe, ut ulteriori explicatione ea non indigeat, cenſeo: dicam ſolùmmodo hoc infortunium in brachii Venæſectionibus non raro evenire, cùm Chirurgus venam baſilicam ſecare in animô habens, arteriam quæ immediatè ſub illâ, aliquando etiam ad illius latera jacet & latet, pungit. Eadem fibrarum muſculoſarum & nervoſarum aneuriſma afferens perturbatio, à maximis arteriæ contuſionibus, & diſtenſionibus oriri poteſt. Contuſiones primô locô indico, quia illæ quæ ad talem procreandam perturbationem ſunt aptiſſimæ; & vel lapſui, vel plagis acceptis originem ſuam debent ad plagas acceptas ſpectat hiſtoria pueri ſeptem annos nati, à Clariſſimo Feher in Miſcellaneis Curioſis relata; qui in ſiniſtrô latere capitis, ubi unus ex præcipuis Carotidis externæ ramis tranſit à matre baculô percuſſus, dictô citiùs ex illâ plagâ ortum eſt eô in locô aneuriſma, quod ad monſtroſam magnitudinem, dimidiam partem capitis ejuſdem pueri æquantem, intra paucos dies crevit, ſed cùm facile fuerit eam arteriæ dilatatæ partem comprimere, ideò etiam vacuatô priùs copiosô ſanguine in tumore contentô; & adhibitis faſciis & adſtringentibus medicamentis facile curatus fuit æger. Aneuriſmata etiam ſæpè conſpecta ſunt ab ictibus violentis, & crebris verberibus inflictis in aliquam partem in præliis orta. Violenta arteriarum diſtentio aneuriſma non raro procreat, & ego ipſe inſigne aneuriſmatis ex ſimili cauſa exemplum vidi in Viro nomine *Salet*, qui cùm deſecti frumenti faſcem nimiô nisû capiti imponere voluiſſet; adeò violenta

facta fuit in latere dextrô arteriæ carotidis diſtenſio, ut aneuriſma paulò ſupra claviculam ortum fuerit, quod initiô neglectum, & poſtea adhibitis ſed malè medicamentis ſuppurantibus, nullum amplius auxilium, nullamque curam, etiam palliativam, admittere potuit, ægerque ſuffocatione periit: aliud vidi aneuriſmatis à ſimili cauſa orti exemplum, in hujus urbis carbonariô, qui factô femoris violentô nisû, arteria circa medium femoris paulatim ſe ſe dilatavit, & adeò monſtroſum aneuriſma produxit, ut bis capitis humani magnitudinem ſuperaverit, quô tempore erat ſine pulſatione; apertô poſtea imprudenter hôc aneuriſmate, & rejectâ magnâ ſanguinis floridiſſimi per aliquot dies continuos copiâ, æger tandem periit. Violentæ hæ diſtentiones etiam per magnas corporis concuſſiones fiunt, ut Viro Nobili de quo Adolphus Occo, & Achilles Gaſſerus verba faciunt, accidit, qui ſuccuſſô violentet ab aſperô equô corpore, aortæ aneuriſmate tentatus fuit, quod primo exteriùs in vertebris dorſi conſpectum, hinc ad ovi ſtruthiocameli magnitudinem auctum, poſt obitum fuit repertum, totam unius lateris pectoris cavitatem replens, à tergo vertebris adhærens, & à fronte coſtis, & in quô procreatæ fuerant concretiones, quarum aliæ carni, aliæ larido elixo ſimiles erant.

Quod attinet ad cauſas internas Aneuriſmatis, non abs re erit initiô obſervare, cauſam vulgò aſſignatam, acrimoniam nimirum ſanguinis arterioſi merè eſſe fictitiam, & eos qui ita ſentiunt, ad arteriarum alicujus magnitudinis firmitatem non ſatis attendere, quæ potentiſſimorum ſcaroticorum vim eludit, ſiquidem cùm applicantur, carnem erodunt: ſed vaſa arterioſa, licet à ſcaroticis in parte exteriori quæ eſt debiliſſima, minusque firma laceſſantur, ſine tamen ullâ ſui corporis alteratione intacta manent; unde facilè eſt concludere conatus tranſitorios ſpiculorum ſanguinis, rapidè circulantis, longè minùs aptos eſſe corrodendę tunicæ interiori arterię, cujus robur & firmitatem ſupra deſcripſimus, quæque præterea lęvis eſt & perpolita: adde quod cùm hęc erodens ſanguinis facultas in quâdam arterię parte moram faciens, ejus tunicam interiorem ſanguinis acris impreſſionibus innoxiè ſuſtinendis aptiſſimam aperiret, eadem acrimonia alias facilè eroderet tunicas quę molliores ſunt; & hâc ratione ſanguini exitum patefaceret, ex quô non aneuriſmata, ſed hęmorrhagię orirentur, quales obſervantur in hęmopthyſi, aliiſque morbis, quę ſine ullâ vi, vel aliâ causâ externâ à pravis partium internarum diſpoſitionibus producuntur.

Nulla igitur alia, Viri Doctiſſimi, aneuriſmatis cauſa interna aſſignari poteſt, quàm peculiaris quędam alicujus partis membranarum arteriæ debilitas, vel illius vaſis obſtructio, has duas cauſas ſeorſim trutinemus; & primò facilè concipitur, debilitatem arteriæ eam ineptam facere perpetuò ſuſtinendis ſanguinis arterioſi vibrationibus, pręſertim in magnis vaſis in quibus hæc vibratio eſt impetuoſa; Unde facilè orietur in iis relaxatio; ex occaſione alicujus vehementioris curſûs, vel violenti animi motûs, iræ, exempli gratiâ, &c. quibus ſcilicet ſanguis præter modum commotus, impetum ſuum, niſuſque ſuos adaugebit. Secunda aneuriſmatis à me aſſignata cauſa eſt arterię obſtructio, quæ duobus modis fieri poteſt, nempe, vel concretionibus polypoſis in ipsâ arterię cavitate ortis, vel inſigni tunicarum ſuarum vaſcularis, glanduloſæ, & celluloſæ intumeſcentia.

Polypoſæ concretiones non rarò obſervantur in arteriâ pulmonari, eô locô quô pulmones ingreditur, ut & in Aortâ, in ipsâ cordis viciniâ. Nam ſanguis maximô impetû ruens ex viſcere ſatis, ut ſanguini primum quem ad extremitates corporis uſque perſequi debet motum imprimat, robuſto, in curſû, tranſitûque ſuô impedimenta reperiens, tantum in vaſorum parietes impetum facit, & in ipſum cor eum impellens, ut inde oſſa aliquando diffracta viſa ſint, uti probatur ab exemplô Nobilis illius, ab Adolphô Occô & Achille Gaſſerô relatô, in quô una ex coſtis ab aortâ in Aneuriſma expanſa fracta fuit: & in exemplô de quô Harvæus, quô in ſcriptorum ſuorum locô non memini, ubi Cor violentiſſimis ſuis palpitationibus duas perfregit coſtas.

Clariſſimus Bianchi in obſervatione mihi communicatâ, quam in Theatrô Anatomicô, quod ab aliquô tempore typis edere meditor, cùm figurâ fuſiùs proferam, rarum Aneuriſmatis Aortæ polypoſi exemplum ſuppeditat: Aliud etiam videre eſt exemplum in obſervatione decima ſeptimâ voluminis primi, primæ decadis Miſcellaneorum Curioſorum à Joachimo Georgio Elsnero relatum, quodqne Romæ apud Guillielmum Rivam viderat: & noſtrô ævô apertio Cadaveris Nobiliſſ. Domini *Saladin* rariſſimum apud nos aneuriſmatis exemplum, quod à quibuſdam Adſtantibus pro alterô habebatur Corde ſubminiſtravit: unde aliqui concludebant mirum omnino eſſe, quòd Vir ingeniô quidem præclarus, ſed reſpectû virium puſilli admodum animi, duplici frueretur corde. Sed exemplum omnibus aliis famôſiùs nobis ſuppeditat apertio cadaveris Celeberrimi Viri, Dni Caroli Patini, de quâ in Appendice Ephemeridum Germanicarum Anno I°. Decuriæ Tertiæ, hæc reperiuntur. Ad Cor accedentes, arteriam magnam ita dilatatam offendimus, ut aliud Cor, in Pericardiô conclusum æmularetur: cùm etiam tunicâ diſſectâ, corpus cordi ſimile erueretur. Hujus tamen texturâ diligentiùs examinatâ, polypoſam eſſe concretionem comperimus. Excedebat autem grandioris anſerini ovi magnitudinem, trium, quatuorve unciarum pondus exæquans, figurâ cardui cinaræ fructui haud diſſimilis, tendinoſis principiis, brevibuſque productionibus, aortæ radicibus, ſupra ſemilunares valvulas innixa baſi, deinde latiori ventre ſolutô in ſerratum, vel laciniatum apicem deſinens, ad divaricationem uſque arteriæ porrigebatur. Haud tamen Aortæ parietibus, quaſi cartilagineis, ita coaptata erat, quin relictis rimulis, quædam liquidi quantitas non interflueret. Subſtantia atram referens rubedinem, ſpongioſa, ſeu fungoſa potiùs percipiebatur, quæ in viginti amplius cortices, ſive laminas membranoſas diſtincta, globum involutarum membranarum referebat. Exterior cortex durior & tuberoſus erat, ex fibrarum faſciculis proſilientibus, & in nodos quoſdam collectis. Interiores verò, ferè undique ſimiles, tortuoſum, ſeu anfractuoſum ductum; aortæ dilatatæ diametro ſubtriplum, mollibus columnulis ſanguine turgidis, & ſinuoſis flexibus interpoſitis, uti cordis interiores parietes variegatum, levique mucô oblinitum, & grumis ſanguinis infarctum exhibebant, qui intra aortæ cavitatem alteram arteriam efformabat. Denſior textura, & quaſi cartilaginea, ad baſim erat, ſenſim, ac ſenſim gracileſcens, quo uſque ad apicem friabilis fermè evaderet. Unum tantùm fibrarum genus microſcopiô etiam deteximus, à baſi ad apicem obliquè, & ſpiraliter quaſi excurrens, inordinatô tamen, & interruptô ductû à tendinoſis quibuſdam vinculis, ſeu filamentis, quæ fibras in membranulas extenſas ita colligebant, ut braſſicæ capitatæ folia repræſentarent, intermixtis pluribus poroſitatibus, ſeu alveolis, ichore ſanguineô refertis. Atque hactenus ſatis de polypoſis congeſtionibus in ipſis arteriis enatis, liberum ſanguinis tranſitum præpedientibus: ſupereſt ut de aliis quæ ab ipſarum arteriæ tunicarum tumefactione adveniunt, verbô agamus, ac propterea addamus. Quod ſpectat ad tunicarum arterię turgeſcentiam, ejus formatio eſt facillima, ex congeſtionibus in iis ſubſiſtentibus; commodèque percipi poteſt quòd pro majori, vel minori, iſtiuſmodi intumeſcentiæ magnitudine, arteria plus vel minùs coarctari debet & occluditur, ac ideò libertas motûs directi ſanguinis plùs vel minùs præpediri.

Verùm,

Verùm, Viri Clariſſimi, ſiquidem de congeſtionibus polypoſis in vaſis verba fecerim, arbitror, antequàm ulterius progrediar, non inutile hic loci eſſe, polyporum vaſculoſorum veram exiſtentiam examinare: Theodorus Kerkringius in ſpicilegiô Anatomicô, dictorum polyporum exiſtentiam omninò negat, cenſetque tales polypos poſt obitum in Corde, & magnis vaſis repertos, nihil aliud eſſe, quàm ſanguinis refrigeſcendo condenſati partes: addit prætereà, quòd ſi quid ad eos producendos præter ſanguinis refrigerationem requiratur, productionem eſſe momentaneam; cujus perveteres cauſæ fruſtrà quæruntur, quæ ſenſim diuturnitate temporis illud corpus in vaſis hominis viventis produxerint! hanc in rem profert in medium, & extollit ſuas ſpirituum acidorum in venas animantium injectiones, ex quibus ſemper orti ſunt polypi ſimiles, ut arbitratur, illis quos ut productiones raras, Varii Authores ſatis accuratè deſcripſerunt, & de illô inventô triumphum agit, ſe ſolum oculatum reputans, dum alii in obſcuriſſimis verſantur tenebris; Sed id frequens eſt iis qui primoribus tantùm labiis ea de quibus ſcribunt, deguſtarunt: Kerkringius nonnulla diſſecuerat Cadavera, & in illis nullos alios repererat polypos, præter eos qui ex ſubitaneâ ſanguinis coagulatione orti erant, & id ei ſatis fuit, ut temerè inferret, nullum alium unquam, quàm ejuſce generis extitiſſe polypum: attamen ſi cadavera frequentiùs ſecuiſſet, errorem ſuum depoſuiſſet; Non ignoramus, præter ſanguinis refrigerationem, ex ſpirituum acidorum in vaſa injectionibus, ſubitaneas oriri coagulationes, & antequam de his verba feciſſet Kerkringius, plurima circa tales injectiones inſtitueramus experimenta; imò nec nos latet nonnulla venena ejuſmodi coagulationes producere, & hanc in rem effectum veneni viperæ in medium proferemus, quô ſanguis ſubitò ita compactè coagulatur, ut ejus fruſtula educantur, quæ à Cordis cavitatibus ad uſque vaſorum vicinorum non parum longam diſtantiam extenduntur, quæque per vim ad illa educenda adhibitam minimè diſrumpuntur. Circa quod experimentum, addere non pigebit, quòd à viperis commorſorum animalium ſanguis colorem roſeum in ſuâ coagulatione mirè conſervat, dum idem ille color in coagulationibus quæ ab acidorum infuſionibus fiunt, ater evadit; ſed prætereà quod ſanguis per venenum viperarum coagulatus, vaſa quibus continetur adeò replet, ut valvularum cordis, venarum jugularium, &c. figuram æquè accuratè retineat; ac cera in dicta vaſa injecta poſſet retinere.

Simillimas oriri in ſanguine coagulationes, peſtis, & nonnullorum aliorum malignorum morborum veneno, Authores affirmant, quæ non ſolum in corde, ejuſque viciniâ fiunt; verùm ego ipſe vidi, ut & nonnulli alii viderunt tales coagulationes, ex venis ad ſanguinem educendum ſectis, tanquam vermes prodeuntes: Vidi & ejuſmodi coagulationes ex vaſis renum per urinas copioſiſſimè emanantes, quin etiam in ſinû falconatô duræ meningis ſimiles reperi: ſed hæc omnia cum veris polypis radices ſuas in fundô cavernularum ventriculorum cordis, vel in arteriarum tunicis inſerentibus, nihil habent affinitatis; hæc corpora non fluctuant, non ſubitò oriuntur, nec ſubſtantiam habent propemodum uniformem, ſunt enim ut ea deſcribit Celeberrimus Malpighius, corpora fibroſa, membranacea, nervoſa, carnoſa, imò & vaſculoſa: præter illa à Malpighio in eruditiſſimâ de polypo Cordis diſſertatione deſcripta, Diemerbroekius eorum duo rariſſima habet exempla in ſuâ Anatomiâ, & nos ipſi ex iis quæ non rarò vidimus rariſſimum exemplum in BibliothecâAnatomicâ referimus. Fatemur quidem eos polypos ex ſanguinis & ſeri concretione oriri, cùm nulli alii ad eos procreandos dentur apti ſucci, fatemurque etiam eos vaſa ſua ex vaſorum quæ in ſubſtantiam cordis, & in arteriarum tunicas, ad alimentum illis deferendum producuntur, elongatione, veriſimiliter ducere; ſed id, ut in concretionibus fluctuantibus, ſubitò non fit; ſua habent & principia & augmenta, quæ aliquando ſine ſenſu fiunt, longoque tempore ægros defatigant, antequam eam adepti ſint magnitudinem, quæ eis mortem afferat: & probabile eſt eos non tam à ſanguine in cordis cavitatibus, & in magnis arteriis circulante, quàm à ſanguine arteriarum capillarium ad utrorumque vaſorum nutritionem deſtinatarum provenire: Hi polypi in ipſis vaſorum membranis aliquando geniti, ut plurimùm ſunt tubulati, cujuſmodi fuit probabiliter ille cujus obſervationem mihi communicavit Clariſſimus Bianchi: ſed quoniam perpetuò augentur lethaliter, tandem vas eos continens occludunt, & monſtroſas arteriæ dilatationes producunt: ejuſmodi monſtroſarum dilatationum exempla nonnulla ſupra attuli, & ſimilem obſervavit Johannes Alphonſus Borellus in Cadavere Nobilis illius Florentini, cujus hiſtoriam deſcripſit Celeberrimus Malpighius in ſuâ de polypo Cordis diſſertatione.

Hic loci non immorabor, Viri clariſſimi, rationi reddendæ dictarum concretionum polypoſarum, & primorum principiorum eas producentium, quarum materia, obſervante laudato Malpighio, facilè reperi poteſt in propriâ ſanguinis ſubſtantiâ fibroſâ, in quâ Vir ille Eruditiſſimus, microſcopii ope, ordinem reticularem ad varias pelliculas ſucceſſivè procreandas aptiſſimum obſervavit, quæ aliæ ſuper aliis diſpoſitæ, non ſecùs ac pelliculæ reticulares radicum magnæ Victorialis quoddam polyporum genus efformant; ſed hæc fuſiùs laudata de polypo cordis diſſertatio Lectorem docere poterit; ſatis mihi erit obſervare hæc corpora polypoſa, membranacea, carnoſa, nervoſa, & vaſculosa ex ſanguine per arterias unde originem ſuam ducunt impulsô, non diſſimili ratione enaſci, ac videmus varios tumores ſarcomatoſos ex eôdem principiô efformari, ſuccum nutritium plantarum varias in earum corporibus excreſcentias, figurâ, ſtructurâ, & ſubſtantiâ admodùm diverſas, producere.

Poſt hanc digreſſionem, quæ neceſſaria mihi viſa fuit; ad aneuriſma redeo, cujus ſigna diagnoſtica non proponam, cùm ea in analyſi definitionis illius tumoris fuſiùs ſatis indicata fuerint.

Differentiæ, licèt eæ ex ante dictis ſatis colligi poſſint, brevi tamen eas hic repetam: Aneuriſmata alia ſunt interna, alia externa, alia majora, alia minora, alia ſimplicia, quæ, nimirum, in ſuâ cavitate ſolum ſanguinem arterioſum rapidè percurrentem continent, alia verò complicata, in quibus congeſtiones ad ſuppurationem aliquando vergentes reperiuntur, quarum acrimonia interdum tanta eſt, ut oſſa quibus pus inſidet carie afficiat: tale eſt exemplum de quô Adolphus Occo, & Achilles Gaſſerus verba faciunt, in quô vertebræ dorſi ſub tumore, & coſtæ ſupra tumorem inſigni carie affectæ repertæ ſunt: Ejuſmodi etiam eſt aneuriſma de quo hodiè mentionem fecit Clariſſimus hujus ſocietatis Præſes, cujus ſuppuratione coſtæ non ſolùm carie affectæ, ſed & earum nonnullæ fractæ ſunt compertæ. Huic Obſervationi haud abſimiles ſunt Obſervationes duæ à Clariſſimô Rhuyſchiô; trigeſima nempe ſeptima & trigeſima octava, in ſuâ Obſervationum Anatomico-Medicarum, Centuriâ allatæ. In quibus ſcilicet coſtæ non tantùm confractæ & eroſæ, ſed etiam comminutæ ac friabiles factę, repertæ ſunt.

Prognoſim quod ſpectat, Aneuriſmata interna, imò & ex externis ea quæ in magnis vaſis ſedem habent, nullam aliam quàm palliativam admittunt curam, quæ funeſtos eorum effectus per aliquod tempus præcludit & cohibet: Aneuriſmata verò externa quæ in exiguis arteriis

arteriis ſedem habent, quibus faſciẹ comprimentes commodè applicari, & remedia idonea facilè adhiberi poſſunt, vel quorum ligatura ſine periculo fieri poteſt; ea ſanari poſſunt, prẹſertim, cùm nimia curẹ dilatione maximos progreſſus nondum fecerunt, & in quibus periculoſẹ congeſtiones, quarum funeſtos effectus ſupra obſervavimus, nondum ortẹ ſunt.

Ex iis quẹ antea diximus patet, duplicem eſſe aneuriſmatis curam, alia quẹ palliativa, altera quẹ vera dicitur; Cura palliativa aneuriſmatum internorum tota conſiſtit in diæta, & in accuratô rerum quæ à Medicis nonnaturales dicuntur uſu: obſervando ut æger nihil agat quod ſanguinem exagitet nimiùm; ſed contra is pro viribus tranquillus eſt, reddatur; Quin etiam cùm ex cordis palpitationibus, ejus deliquiis, pulſûs intermiſſionibus, oppreſſionibus, quæ dicta ſymptomata non rarò comitantur, latentis alicujus polypi ſuſpicio eſt, hôc in caſû neceſſe eſt, accuratâ diætâ adhibitâ, medicamenta volatilia, mitiora, ſanguinem nimiùm non agitantia, ſed ejus motum faciliorem reddentia, & diſſolutionem ac ſeparationem particularum ſibi invicem adhærentium juvantia, in uſum revocare. Quod ſpectat aneuriſmata externa in magnis vaſis ſita, quæque veram curam admittere nequeunt, vel ea ex internis quæ exteriùs conſpici & percipi poſſunt, antedictis medicamentis, applicatio variorum adſtringentium medicamentorum commodè addi poteſt; imò, ubi id fieri poteſt comprimi debent, ut hac via eorum præpediatur incrementum: Cura vera ſpectat aneuriſmata externa, in exiguis, vel mediocris amplitudinis vaſis, ut antea dixi, ſita, quæque facilè comprimi vel ligati poſſunt.

Sed antequam, Viri Clariſſimi, de verâ aneuriſmatis curâ, ſermonem aggrediar, non inutile mihi videtur brevi perpendere qua via aneuriſma præverti poſſit, quum ex ſanguine per ſubſultus foras prodeunte, vel aliis ſignis, arteriam pro vena in ejus ſectione punctam, vel aliô nonnullô caſû apertam fuiſſe cognoſcimus: quem ut attingamus ſcopum, ſanguis magnâ copiâ ex venâ brachii oppoſiti ſtatim eſt educendus, ad ejus motum compeſcendum, ita ut minori vi arteriarum tunicas concutiat; poſtea validiſſima adſtringentia arteriæ punctæ vel apertæ applicentur, cujuſmodi ſunt aquæ ſtypticæ, quarum plures extant apud Authores præparationes, & inter quas eminet fortis diſſolutio capitis mortui, poſt ſublimationem primi entis Veneris, in Alembico remanentis: vel pulveres facultate adſtringente pollentes, inter quos ſatis commendare nequeo illum qui fit ex Orbiculari, colcotare, & ſale ſaturni, ſplenium iiſdem adſtringentibus imbutum deſuper imponendo, partemque ritè deligando, & curando ut per biduum, vel triduum, nocte dieque, digitô indice, vel pollice pars vulnerata ſine ulla intermiſſione validè comprimatur; obſervando interea, ne ægrotus ullô corporis motû, nec ullâ animi commotione agitetur, ſed tranquillè lecto teneatur, vel ſellæ brachiatæ inſideat, ut hâc tranquillitate tunicæ arteriẹ tùm externæ, tùm internæ ſub dictâ compreſſione conſolidari & uniri poſſint.

Verùm ſi cautionibus neceſſariis neglectis aneuriſma ſit ortum, illius cura, vel per medicamenta, vel per Operationem Chirurgicam ſuſcipi debet: Cura per medicamenta ſpectat aneuriſmata exigua, vel illa quæ facili negotiô comprimi poſſunt, cujuſmodi erat aneuriſma capitis de quô ex relatione Domini Fehr ſupra mentionem feci; & ea medicamenta à variis Authoribus ſub compreſſione, & poſt tumoris apertionem applicantur, & varii ſunt generis.

Horſtius & poſt eum Hæferus arbitrantur admotionem pilulæ opii, vel laudani opiatici, arteriæ aperturæ momentô ſanguinem ſiſtere: Alii utuntur cataplaſmate ex pulveribus ſumach, hypociſtidis, acaciæ, ſanguinis draconis, aloës, & thuris, albuminibus ovorum exceptis: Alii adhibent ceratum è ſcoriâ ferri Montagnanẹ, quod ab Experientiſſimô Practicô Claudinô magni habetur, & ſummopere commendatur: Hartmannus tanquam probatiſſimum remedium commendat emplaſtrum ex cineribus arboris ficûs, cerâ & therebinthinâ, cui aliquando & quidem meritò terram vitrioli depuratam, & balſamum ſulphuris addit: Ettmullerus narrat ſe Pariſiis vidiſſe curam aneuriſmatis mediam ovi gallinacei partem æquantis ſequenti methodô peractam: Adſtantium quidam arteriam brachii ſupra aneuriſmatis locum validè ſatis comprimit, ut tumor apertus nullum alium, præter illum quem in ſe continet fundat ſanguinem, [tutius eſſet ad hunc uſum arctam & fortem ligaturam, quàm digitorum compreſſionem adhibere] totus ſanguis in tumore contentus emanare ſinitur, vulnus mundatur, foramini in tunicâ arteriæ muſculosâ facto, globulus piſi magnitudine vitrioli Cyprii ad albedinem calcinati & goſſypio involuti accuratè & concinnè admovetur, vulnus mixturâ thuris & colophonii repletur, linamenta vulgari digeſtivo imbuta deſuper applicantur, poſtea vulnus forti ligaturâ comprimitur, ſemel quotidiè religatur & ſola linamenta ſuperiora mutantur, ut, ſcilicet, pus in labiis vulneris exterioribus efformatum mundari poſſit, ſed interiora, ſplenia, ſive linamenta minimè auferuntur, donec totum quod in vulnere continetur ſponte ſuâ decidat: Inde fit ut vitriolum ſenſim liquefactum apertæ arteriẹ labia leviter corrodat, quibus vim ſuam adſtringentem ſimul & ſemel imprimit, ſicque dictorum labiorum agglutinatio æquè facilè fit vi ſuccorum nutritiorum, ac in vulnere recenti fieret: ſi tamen vitrioli fruſtulum decideret antequam arteria penitùs fuiſſet conſolidata, aliud applicari debet, quinetiam toties iterari ejus applicatio, quoties ad curam abſolvendam opus eſt: Fabritius Hildanus peculiarem aneuriſmatis in cubitô brachii dextri, magnitudinis ovi anſerini, cum brachii retractione curam memorat, quæ potentiſſimis purgantibus, emplaſtris adſtringentibus, & validiſſimis, faſciarum ope, ligaturis & compreſſionibus fuit peracta; cujus curæ deſcriptione, ne vobis nauſeam creem, abſtineam, cùm ea in obſervatione 44. Centuriæ tertiæ obſervationum laudati Authoris legi poſſit. Sed ex hâc curâ, cùm ea ſit in ſuâ ſpecie unica, ad curam aneuriſmatum in genere nihil concludi debet, nec ei in gravi & magnô aliquô aneuriſmate fidere debemus: idem dico de pleriſque curis quæ per medicamenta ſuſcipiuntur, & ex iis infortunium quod Illuſtriſſimæ Comitiſſæ de Dhona accidit ſemper metuerem: ea Illuſtriſſima Domina anno 1676. venam ſibi ſecandam exhibens; Chirurgus locô venæ baſilicæ brachii dextri, arteriam quæ proximè ad latus dictæ venæ latitabat pupugit, qui error non fuit cognitus, licet ſanguis per impetuoſiſſimos ſubſultus effluxiſſet, & difficillimè ſiſti potuiſſet; unde in locô punctionis aneuriſma breviſſimô tempore efformatum fuit, quod initiô perparvum, intra octo circiter menſes ad ovi Columbini magnitudinem crevit: Illuſtriſſimæ Comitiſſẹ terror inde meritò enatus ex eô etiam crevit quòd audiret Medicos & Chirurgos in conſilium advocatos pertimeſcentes, ne arteriæ diſtenſio ob tenerrimam ac delicatulam partium corporis texturam, ſine tunicarum ruptione, unde lethalis oriretur hæmorrhagia, nunquam majorem & ampliorem fieri poſſe: quô terrore ad ſubjiciendam ſe curæ neceſſariæ inducta, Lugdunum ſe contulit, & illius loci Chirurgo famoſiſſimo confidenter ſe commiſit, qui ſe eam abſque magnâ

operatione

operatione Chirurgicâ curaturum ei eſt pollicitus, aperiendo ſolummodo aneuriſma, & arteriæ apertę applicando aquam ſuę compoſitionis ſtypticam, quam efficaciſſimam perhibebat, cujuſque effectum in arteriâ crurali canis, quam in conſpectu Illuſtriſſimæ Comitiſſæ aperuit, comprobavit: At effectus promiſſis Chirurgi minimè fuit conſimilis, & licet aquam ſtypticam applicaverit, faſciaſque ritè adhibuerit, quarum fortis compreſſio gangrænam etiam brachio minabatur, hęmorrhagia per ſeptem continuos dies ſine ullâ intermiſſione pertexit, & Nobilis ęgrota ad extrema adducta fuit: Tunc perturbatus Chirurgus ſe extricare voluit, dicendo, ſe in operatione attonitum obſtupuiſſe, & aquam cordialem citri, quæ in eâdem, erat menſâ pro aquâ ſtypticâ adhibuiſſe, ita ut mirum videri non deberet, ſi optatum non habuerit ſucceſſum, & cum aliis medicis & Chirurgis in conſilium rurſus advocatis conſultans, de promptâ & neceſſariâ ligaturâ arteriæ ſententiam tulit, quæ feliciter ſupra & infra aneuriſma fuit peracta: licet enim brachii læſi retractio & atrophia operationi ſuperſtites fuerint, attamen retractio intra paucos dies variis inunctionibus ex ſebô cervinô, aliiſque idoneis medicamentis fuit curata; atrophia verò & debilitas poſt aliquot annos ſenſim evanuerunt.

Ligaturâ arteriæ in quâ vera & Chirurgica Aneuriſmatis cura conſiſtit, variè à variis Authoribus proponitur: Johannes Vigierius Medicus, in magnâ ſuâ Chirurgiâ, hanc in rem ſtatuit, duas acus eſſe ſumendas, quarum alia obliquè, altera in longitudinem reſpectu brachii, in tumoris baſim trajiciendę ſunt, & circa acus in crucem & quàm propiùs fieri poteſt ad invicem diſpoſitas, filum ceratum circumducendum, quô dicta baſis, non diſſimili ratione, ac fit in futurâ umbilici, quum illius dilatationibus providendum eſt, conſtringi poſſit. Sed vulgarior & frequentior methodus ea eſt, quâ arteria ad certam longitudinem denudatur, & validô filô ſupra, imò & infra ad majorem cautionem aneuriſma ligatur: interim cùm in ſupra dictâ denudatione, aperiendo per imprudentiam aneuriſma, excitari poſſint periculoſæ hæmorrhagię, operationem perturbaturę, quidam ad eas pręcavendas proponunt, altiſſimè acum trajicere in carnes, aliquot digitos ſupra aneuriſma, ut filô ceratô valida carnium & arterię ſuper faſciis craſſis exteriùs applicatis fieri poſſit ligatura, quâ omnis ſanguinis arterioſi effluxus, pręter ſanguinem in aneuriſmate ipsô contentum pręcpediatur: ſed hęc Operatio non ſolùm dura & crudelis eſt, verùm etiam inutilis, cùm & hęmorrhagia adeô formidata, validâ & convenienti ligaturâ, in loco brachii, in quô hanc inſtituunt operationem, facili negotio pręcaveri poſſit; adde quod dura hęc operatio, prӕter ſummam ſui moleſtiam, non ſit periculi etiam expers.

Iis quibus fusè naturam, remedia & operationes in Aneuriſmate adhibendas, hactenus explicuimus; adiiciemus jam quæ paucis de iiſdem habet Clariſſ. Antonius Nuck, in ſuis Experiment. Chirurgicis.

A venæ-ſectione in brachiô malè adminiſtratâ, aliquando arteriæ læſę ſigna ſe produnt; tumor videlicet, principiô exiguus, ſenſim tamen incrementum ſumens, *Aneuriſma* Chirurgis vocatus, in conſpectum venit.

Verùm ut affectus hujus vera conſtitutio meliùs innoteſcat, diſtinguendum *Aneuriſma* erit in *Verum*, & *Spurium*; per *Verum* intelligimus arterioſum vas ita dilatatum, ut facciforme reddatur, remanente tamen orificio tam ſuperiori quàm inferiori aperto, ut ſanguinem in motu conſtitutum quodammodo tranſmittere poſſit.

Hinc pulſatio utplurimum manifeſta percipitur, cutis color naturali ſimilis apparet, manu preſſus tumor ſenſim diminutus evaneſcit, ſed remotâ eâdem, ſtatim redit.

An verò hoc in caſu, arteriæ tunicæ vel interiores, vel exteriores, à materia quadam acri ſint exeſæ (ut hoc modo tunica vel interior vel exterior à preſſione ſanguinis extendatur, uti paſſim Chirurgi ſtatuunt) meritò dubitamus; Experientiâ interim edocti, rectius ſtatuimus, arteriam hanc ſacciformem non ab anteriori ſolùm, ſed à poſteriori quoque parte fore extenſam, niſi oſſa propter duritiem ſuam illud impedirent.

Quod enim verſus exteriora magis propullulat, illud minori hoc in loco partium circumambientium renitentiæ adſcribendum erit.

Aneuriſma Spurium cauſam agnoſcit vas arterioſum Venæ Sectione, corroſione vel alia quavis occaſione ita læſum, ut ſanguinis aliquot particulæ per tunicas læſas exeuntes, inter partes muſculoſas, vel has inter & integumenta hærendo; tumorem exhibeant, frequenter durum admodum, cum arteriæ pulſu, aut obſcuro, aut aliquando planè deficiente. Cutis livore notabili ſæpe conſpicua, tumor hic planiformis magis apparet, ſed elevatus minus & tactui vix cedens, uti in *Aneuriſmate vero* obſervatur.

Malum hoc, ubi recens adhuc & in principio, Medicamentis Aſtringentibus, Faſciis idoneis, nec non Laminâ Plumbeâ fortiter parti affectæ alligatâ, Chirurgiæ cultores interdum ſuperare ſolent.

Ubi verò notabile jam ſumſit incrementum, & operationem ipſe patiens deſiderat, ſequenti modo procedendum cenſemus.

Venæ Sectione pridie inſtitutâ, ægroque benè locato, miniſtrorum unus arteriam ſupra tumorem vinculô vel ligamine, quo pro lubitu arteriam hanc magis, minùſve comprimere valet (Galli *un Tournequet*, noſtrates, *Torcular* vocant) conſtringit; mox Chirurgus tumorem lanceolâ ſimili planè modo quo abſceſſus aperiuntur, incidit, incipiendo à parte inferiori verſus ſuperiorem: Aperto tumore, ſanguineque coagulato expreſſo atque eruto, nervus ab arteria, quacum firmiter jungitur, prudentiâ ſingulari ſeparandus, vaſque arterioſum filo duplicato, cerâ obducto, & per acum incurvatam trajecto, probè ligandum.

Factâ jam ligaturâ, ſanguine & ſordibus vacuus locus linteis carptis, liquore ſtyptico imbutis, vel pulvere aſtringenti, vel fungo *Boviſt* aſperſis, adimplendus; impoſitòque Emplaſtro unà cum Defenſivo, Faſciatio conveniens inſtituenda.

Secundo vel tertio poſt Operationem die faſciationis fiat deligatio, majorque plumaceolorum pars removeatur, relictis tantùm iis, qui in fundo locati erant, ne nova hæmorrhagia curam interrumpat; mox applicatis applicandis, faſciatio ut antè, adminiſtretur.

Quarto, quintove die ea quoque aſtringentia, quæ hactenus in fundo hæſere, removere licebit, curandùmque porrò, ut Sarcoticis medicamentis excavatus locus nova carne adimpleatur.

Interim ut brachium convenientem obtineat ſitum, (quem nonnulli non ſatis curant) probè obſervandum; Neceſſum enim, ut quodammodo plicatum cum manu elevata ſupra pulvinar quieſcat, ut eò liberior ſanguinis fiat circuitus. Præterea maximoperè conſultum, injungere patienti, interdum, ſed prudenter, brachium cubitumque flectat;

Hæcce

Hæcce autem dicta ſunto de aneuriſmate brachii, reliquis enim in partibus, [in quibus etiam vel rarius occurrunt] vel nunquam, vel majori cum periculô, operatio inſtituitur.

Curationes.

Egregius Juvenis trigeſimum circiter annum agens, temperamenti ſecundùm totum ad calidum & ſiccum vergentis fervidioris jecoris & capitis humidioris, mediocris habitùs, ſed fuſci coloris, melancholicum ſuccum in toto abundantem ſignificantis, jam tribus annis à quodam vapore tenui & calido ſe leviter lædi obſervavit, qui potu meraciori evanuit, ſed ſucceſſit cum inſigni capitis calore rheumatica affectio valdè moleſta, quæ per nares copioſam & quodammodo putrilaginoſam materiam tranſmittebat; cujus portio ad claviculas quoque perveniens, evidentes in iiſdem dolores excitabat, ſed & hæc ſpatio quadraginta aut quinquaginta dierum remiſſa eſt, ſuccedente tumore ſuprà claviculam dextram, qui tumor cum exiguo dolore, minuſque calore à peritis medicis cum folliculo fuit judicatus, & ideò & cauterium in parte oppoſita, & alia ob id adminiſtrata fuere Medica auxilia: quibus tamen parùm aut nihil proficientibus, tabaci fumum ſibi conferre poſſe exiſtimans patiens, non ſine Medici aſſenſu, tribus continuis diebus aſſumpſit & quidem tumor diminutus fuit, ſed dolor in eadem parte ſucceſſit magis, quàm antea cùm evidentiori arteriæ carotidis pulſatione. Cùm verò Chirurgus quidam Aneuriſmatis futuri ſuſpicionem Patienti ſignificaverit, hoc magnoperè formidans, rigidæ vivendi rationi ſeipſum dedit, & nihilominùs ſpatio ſeptendecim menſium ſemper major atque moleſtior increvit affectus: nempè & calor & dolor ſupra claviculam verſus maxillam, ſed pulſatio violentior, quæ omnia uſque ad poſteriorem quoque capitis partem ſeſe extendunt, ſed calor & dolor ad brachium etiam pertingit ſicut ejuſdem ſpeciei, cujus ſenſum eundem moleſtum percipit Patiens etiam in thorace, ſine tamen pulſatione ſenſibili; & ejuſdem ordinis calorem & dolorem tribus abhinc menſibus ad latus quoque infrà ſeptum, quinimò & ad coxam communicari Patiens affirmat. Modò ad noſtras manus pervenit & quidem perexiguus apparuit tumor ſuprà claviculam, de quo tantoperè conqueritur, licet arteriæ carotidis ſitum ſervans, cum non adeò evidenti ejuſdem arteriæ pulſatione. Præterea habitum corporis conſideravimus, hypocondria quoque manibus tractare duximus, nec tamen ſenſibiles obſtructiones percepimus, nec de rugitibus aut flatuoſitatibus conqueritur, ſed potiùs de frequentibus halitibus & vaporibus calidis ab hypochondrio dextero præſertim incipientibus, & ſurſum per thoracem ad caput aſcendentibus, & in illa parte affecta præſertim terminatis. Cùm autem alios quamplures præclariſſ. viros conſuluerit, Aneuriſma in trunco magno arteriæ aortæ ipſum geſtare, quæ ad carotidam dexteram propagatur, & in eadem manifeſtatur, ſuſpicati fuere. Quare hac de re noſtrum petit conſilium, & de agendis quoque conſulit.

Aneuriſma propriè eſt arteriæ dilatatio cum evidenti intumeſcentia ejuſdem atque manifeſta pulſatione, quæ fieri poteſt dupliciter, vel à ſolutione continui, vel à ſoluta unitate, quando inciſa, aut rupta arteria licet unita, & ſanata cute, ſanguis tamen extra vaſa effuſus ſub cute remanet, & cutem ipſam in tumorem elevat: à ſolutione continui verò, quotieſcunque à ſanguine fervidiori ſpirituoſo, copioſo exiſtente, arteria in aliqua corporis parte dilatatur, quod tunc faciliùs contingit, quotieſcunque arteria ipſa in illa parte fuerit ab aliqua extrinſeca cauſa & præſertim comprimente, anguſtior reddita: ſpiritus enim cum fervido ſanguine in tranſitu impetum faciens, vas ipſum paulatim dilatat, ſicque Aneuriſma, ſive Aneuriſmatis ſpeciem excitat: Quod egregio Juveni eveniſſe credimus, quem, ſanguinem juſto calidiorem habere non eſt quod dubitemus, ſi temperamentum Jecoris & totius, habitum corporis atque prægreſſos potus meraciores conſideremus, & circa partem affectam examinemus olim prægreſſam capitis deſtillationem, non ad nares tantum, ſed ad claviculas pervenientem, & moleſtiam inferentem, cui ſucceſſerat frigidus tumor, à peritis Medicis ſine pulſatione obſervatus, unde meliceridem eſſe potuiſſe ſuſpicati fuere, atque tandem imminuto tumore, poſt aſſumptum tabaci fumum, arteriæ carotidis dilatatio ac evidentior pulſatio, fervidiori nempè ſpirituoſo reddito ſanguine, qui à trunco aortæ per ramum ſubclavium, indeque per carotidam aſcendens, antequam ad bifurcatos ramos internam & externam conſtituentes perveniat, à catharrali materia relicta, eidem arteriæ circumpoſita & comprimente, impedito libero tranſitu, ac propterea impetum faciens, pulſationem potentiorem tractuque temporis dilatationem majorem neceſſariò induxit: ipſe verò ſanguis cum ſpiritu quodammodo retrocedens, ob occurſantem difficultatem, concitatiori motu ad ſubclavium ramum divertit, à quo primò propagatur arteria cervicalis, unde calor & dolor in cervice, ſequuntur deinde rami ſcapulares interni & externi, inde thoracica ſuperior & inferior; ſubclavio autem continuus eſt ramus axillaris, à quo & rami ad cubitum propagantur, quibus omnibus partibus per ramum ſubclavium communicatur moleſtus calor, & quodammodo dolor, citra pulſationem.

Verùm quoniam tribus abhinc menſibus conqueri quoque cœpit de ejuſdem tumoris calore & dolore in inferiore ventre naturali, quò non perveniunt rami ſubclavii cum carotidibus conſentientes, ſed cœliaci à trunco arteriæ magnæ deſcendentis emanantes, & nullam omninò cum Aneuriſmate communicationem habentes; & præterea in præſens pariter & de eodem calore, atque dolore querelæ incipiunt in altera quoque clavicula, ideò nos noxam multò magis in ſanguinis conditione conſiſtere, quàm in carotidis dilatatione, jure merito credimus: juſto namque calidior & fumoſior exiſtens, affectum localem in collo non ſolùm primam originem præbuit, fovet atque conſervat; ſed plures alias corporis partes afficit, & hujuſmodi affectum majorem quàm ſit, Patientis imaginationi repræſentat, cujus conſideratio non parùm ad curationem conducere poterit.

Quomodo autem Aneuriſma in trunco arteriæ magnæ fieri poſſit non videmus, ſicuti nempè in magno ramo ſubclavio, ſine inſigni & evidentiſſima omnium enumeratarum arteriarum ab eodem ſubclavio emanantium pulſatione, quoniam inſigne quoque eſſet Aneuriſma in adeò magno & inſigni ramo conſtitutum, præterquam quod circa jam dicta omnia obſervatione dignum nobis videtur, quod in Aneuriſmatis definitione, dolorem nunquam repoſuerat ipſe *Galenus.*

Affectum hunc, ſi Aneuriſma vocari permittamus, mitioris tamen conditionis eſſe dicimus, quoniam nec modò diſciſſa aut rupta ſub cute exiſtit ipſa arteria, neque antehac diſciſſa aut rupta fuit, moxque agglutinata, cùm utroque modo verum atque legitimum Aneuriſma produci poſſe aſſerat ipſe *Galenus*; Quare ſive prægreſſa arteriæ carotidis læſione

& potiùs

& potiùs ex ſanguine arterioſo, non ſolùm plurimò ſpiritu ſed copioſo quoque flatuoſo & fuliginoſo vapore referto, accedente exiguo illo tumoris externi ſcopulo, ortum habuiſſe putandum, & ideò non adeò magni faciendum, imò ſperandum fore ut correcta & ad probiorem conditionem maſſa ſanguinea redacta, affectûs imminutionem potiùs, quàm augmentum ſit ſuſcepturus; ſicut non adeo tutum eſſet affectum ipſum negligere.

Curatio igitur hoc aptò & opportuno anni tempore ineunda, primas vias expiando. Secundò humores in cavis viſcerum deturbando. Tertiò maſſam ſanguineam à calido & exuſto humore vindicando. Quartò fervorem hypochondriorum, jecoris & venarum contemperando. Quintò evaporationes ſiſtendo & ſanguinis craſſitiem ad lentorem potiùs & viſciditatem convertendo: atque tandem arteriam ipſam refrigerando & exiccantibus adſtringendo & roborando.

Pro quibus explendis intentionibus, à fonte Chirurgico non unica, ſed multiplex depromenda ſanguinis miſſio, nimirùm ex utroque brachio & tandem ex pede lateris affecti, niſi aliqua adeſſet ad venas hæmorrhoidales propenſio: tunc enim pro vena pedis, venæ hæmorrhoidales eſſent aperiendæ. Cauterium jam inuſtum cuſtodiatur, & alterum in coxa dextera affigatur.

Ex pharmacia primas vias mundantia depromantur, ſyrupus roſat. ſolut. & manna clarif. vel electuarium lenit. & caſſia: Deinde quinque diebus præparans exhibendo ex julapii acet. & aq. fol. citri ana ℥ij. deinde repetatur leniens ex ſyr. roſat. & de polypodio, vel lenit. & caſſia cum tartaro, quibus ſuperbibat jus hordeo vel malvâ alteratum. Deinde ad ulteriorem præparationem deveniendo, ſuccis potiùs depuratis, quàm ſyrupis ſaccharatis; præbeantur itaque ſucci depur. & per arenam trajecti, cichor. borragin. malv. pom. dulc. ad ℥ iv. addito decocto malv. viol. meliſſ. & hepaticæ; in quorum ſuccorum uſu decem diebus perſeveret, ſed ſexta die aſſumat caſſiam cum pil ul. de tribus, cui poſt horam ſuperbibat ſerum ad ℔ ij. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Reliquis verò quinque tranſactis diebus ſumat medicamentum ex caſſia, lenit. & elect. de ſucco roſarum, cui pariter ſuperbibat ſerum. Repetat deinde ſuccorum uſum & ſequenti die aſſumat floris caſſiæ ℥ ij. rhab. opt. ʒ j. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri capr. depur. libram, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat, tertia verò die repetat ſuccos; quarta bolos, ut ſupra: & ita perſeveret uſque ad decimum quintum diem, tuncque præbeatur:

℞. Decoct. epith. meſ. ſyr. roſ. ſolut. ana ℥ iij. aquæ florum citri parùm, m. f. potio cui, incepta evacuatione, ſuperbibat ſeri depur. ℔ ij. & duabus horis ab epoto ſero prandeat. Potio hæc duabus aliis vicibus tertio aut quarto die repetatur, ſeri depur. doſin augendò; & intermediis diebus ſuccos depuratos offerendo.

His peractis, ut reliquis intentionibus ſatisfiat, ad aquas ferreas vel acidulas confugiendum, & ad ſanguinis impetum remorandum, vitriolatæ in valle ſolis naſcentes; opportunæ eſſent: at ſi ad eas ſeipſum conferre noluerit Patiens, ſubſtituantur Villenſes, quas tamen ab amico per aliquem fidelem cuſtodem tranſmitti huc curandum, alioquin iiſdem parùm fidere poſſumus, tuncque potiùs Noceriana, ſed legitima, eſſet eligenda, licet enim nec ferrea; nec mineralis ſit, habet tamen in fundo terram ſamiam refrigerandi & quandam aſtringendi facultatem obtinentem; præbeatur autem primis tribus diebus cum vehiculo dejectorio, reliquis verò diuretico, quod apud nos eſſe ſolet aq. ſtillat. capill. ven. ononidis, malvæ, ad ℔ i ß. addita ʒ ß. ſpir. tart. ter rectif. necnon ſucco unius limonis primis duobus cyathis aquæ potandæ. Terminato aquatum uſu; uſus lactis aſinini primis viginti diebus, & mox caprini aliis quadraginta nullo modo omittendus, ut quod jecoris & hypochondriorum fervorem remittere, ſanguinem refrigerare, probiorem reddere, magis denſare; & ejuſdem impetum cohibere valeat: Balneum quoque dulcis aquæ locum habere poſſet, totius corporis habitum refrigerando & humectando, & humores quoque cogendo, ſi frigidum & herbis refrigerantibus, agglutinantibus & aſtringentibus alteratum fuerit. Verùm quoniam extrinſecùs denſando, aſtringendo, & calorem ad ſuperiora pellendo, fundendi vim obtinere ſuſpicamur; ideò Adſtantis excellentiſſ. arbitrio uſum remittimus, collum tamen omninò excludendo. Tandem aliqua topica ad uſum revocare non inutile fore exiſtimamus; paretur itaque emplaſtrum nocturno tempore parti affectæ linteo eodem illito, apponendum, ex albumine ovi, addito pulvere croci martis conſtrictivi; vel ℞. vitriol. rom. ad albed. calcin. ℥ .. aq. plantag. roſarum, portulacæ, ana ℔ ß. m & ſpongiola imbuta ſæpe tangatur pars affecta vel ℞. tincturæ martis ℥ß. olei ſaturni ʒ ij aq. ſtillat. è baccis cupreſſi ℥ iij. m. & ſpongiolâ intinctâ pars affectâ tangatur, vel noctu linteum madefactum apponatur.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, nec tenuis nec attenuans, ſed incraſſans, adeò ut edulia ex lacte & paſta parata, ſint alacriter permittenda, ita fructus & olera frigida; potuſque ut vinum auſterum, ſantalo rubro medicatum aut aquâ albis ſantalis alterata, chinam & reliqua fundentia omittendo, ſicut flatuoſa omnia, necnon calida & vaporoſa. Quæ omnia jam dicta Excellentiſſ. Adſtantis judicio, non ſolùm executioni mandanda, verùm & alteranda, & commutanda libenter committimus. *Raymund. Jo. Fortis conſult. T. 2. cent. 1.*

Vir Nob. trigeſimum ſextum annum agens, temperamenti totius calidi & ſicci, fervidioris verò cordis & hepatis, ad operationes obeundas promptiſſimus, libera vivendi ratione ſemper uſus, duobus ab hinc annis conſueto gracilior factus eſt, cùm priùs copioſi flatus in abdomine obſervati fuerint, cum hypochondriorum tenſione & inſigni arteriæ magnæ pulſatione, cùm evaporatione in cor & aliqua difficili reſpiratione, cum alvi ſtypticitate & aliquo dolore in hypochondrio ſiniſtro, ad mammam uſque ſeſe extendente. His acceſſerunt laſſitudines ulceroſæ in partibus muſculoſis, ad motus impotentiam inducentes, ita ut ferè continuò decumbere cogeretur. Jam dictis omnibus, addebantur vigiliæ ſomni turbati, cum motibus convulſivis & totius corporis concuſſione, non ſine timore atque mœrore. Interim dum quotidiè magis ſemper emaciabatur, dolor in parte pectoris ſiniſtra augebatur, cum motu pulſativo ejuſdem partis, & ideò nonnullis Medicis Phthiſis imminentis, aliis, cordis palpitationis ſuſpicionem faciebat. Tandem anno elapſo, poſt vehementes dolores prægreſſos, tumor in parte pectoris ſiniſtrâ apparuit, in interſtitio ſecundæ & tertiæ coſtæ infra claviculam, qui paulatim excrevit, & huc uſque ferè ad ovi magnitudinem obſervatur, cedit autem tactui; ſed pulſatio vehemens; eademque cum pulſu ordinata percipitur abſque ulla coloris mutatione. Varia at non adeò appropriata adhibita fuere remedia, quibus tamen hypochondriaca ſymptomata non parùm remiſſa fuere; ſed tumor pulſatilis ſemper majus incrementum ſuſcepit, perſeverante quoque totius corporis macie: Modò à nobis conſilium & auxilium petit:

Hypochondriaca affectione ſimulque melancholica duobus abhinc annis correptum fuiſſe Nob. Virum non eſt quod dubitemus, ſiquidem ſola flatuum copia, non ſolùm naturalem regionem, verùm & ſpiritalem infeſtans, hypochondriacum affectum à Galeno flatuoſum nuncupatum, conſtituebat, quem confirmabant reliqua ſymptomata, nimirùm difficilis reſpiratio ob compreſſionem ſepti, ſicuti ob compreſſionem arteriæ magnæ & ſpirituoſi ſanguinis fervorem inſignis percipiebatur ejuſdem pulſatio. Aſſociatam autem melancholiam deſignabant, primò timores & mœrores inſoliti, ſicuti mox lienis tenſio, cordis oppreſſio, vigiliæ & ſomni turbati, cum totius corporis concuſſione & muſculorum laſſitudine ulceroſa à continuo acri vapore, & acida exhalatione proveniente, unde Hippocr. *ſi aliqua pars ſtupore elangueat, melancholicum ſignum eſſe* dicebat. Hæc autem omnia à viſcerum & ſanguinis effervefcentia primam originem duxerunt, cùm calor uſque ad trigeſimum quintum annum ſemper auctior reddi ſoleat, præſertim ſi non cauta, ſed libera addatur vivendi ratio; Ab intentiori verò calore concoctiones, tum in ventriculo, tum in jecore detrimentum patiebantur, & ideò à ventriculo cruditates, indeque obſtructiones oriebantur, à jecore verò ſanguis impurus & juſto calidior producebatur, qui à fervidiori corde non adeò depurari potuit, ut ad totius nutritionem idoneus evaſerit, unde mirum non eſt, ſi macies totius ſubſecuta fuerit, & quod pejus eſt, cùm fervidus, acris & acidus ſanguis ipſe à corde per arterias delatus, unà cum ſpiritu flatuoſo in ipſas arterias impetum fecerit,& arteriam mammariam externam ſiniſtram imbecilliorem invenerit, eandem primò intrinſecùs dilataverit, ad cujus dilatationem continui ſolutione ſecutâ, dolor quoque emergebat internus, qui quotidie magis intendebatur ad majorem arteriæ dilatationem ipſamet arteria pervenerit, & tumorem apparentem excitaverit tactui cedentem, ſine ulla coloris mutatione cum æquali motu atque cæterarum arteriarum eadem pulſatione, Aneuriſma communiter & propriè appellatum. Ad tantam verò arteriæ dilatationem, vel ruptam eſſe internam ejuſdem tunicam (vel cum aliis) ſquamulas unicæ tunicæ craſſioris exiſtentis, attenuatas, diſciſſas atque conſumptas fuiſſe certò credendum, & tunicam ipſam ad inſignem tenuitatem reductam omninò exiſtimandum, ſi mammariæ arteriæ naturalis exiguitas conſideretur.

Quibus ita ſe habentibus, non erit in arte verſatus qui non videat poſtremum hujuſmodi affectum, nimirùm Aneuriſma incurabilem eſſe, & imminere periculum, ne arteriæ tunica ſub integumentis diſrumpatur, tuncque infra paucos dies Patientem interimat: ruptionis autem indicium præbebit, non ſolùm tumor confeſtim in majorem molem elatus, ſed & color tumoris ex albo in rubrum atque cruentum mutatus. Non tamen eſt deſerenda palliativa curatio, ut vitam protrahat Nob. patiens, cùm nobis curatio vera atque legitima impoſſibilis videatur, quam aggredi non poſſumus, niſi vinculo ad latera tumoris arteria alligetur cum Paulo & aliis antiquioribus, necnon Recentioribus multis; vel ſaltem alligata parte ſuperiori juxtà ſanguinis circulationem poſtremò obſervatam, quam ligaturam, vel arteriæ punctionem facere impoſſibile eſt, & ideò impoſſibilis quoque evadit legitima curatio.

Ut igitur Nob. patienti aliquam opem feramus, viſcerum obſtructiones relictæ ſunt humectantibus reſerandæ, ſanguis depurandus & demulcendus; eorumdem viſcerum ſanguiniſque fervor contemperandus; tumorem renutriendum, atque tandem tumoris incrementum aſtringentibus, refrigerantibus & exiccantibus impediendum. Pro quibus intentionibus exequendis, aliqua ſunt hoc etiam incongruo anni tempore agenda, alia verò in ver venturum ſunt differenda.

In præſens igitur ex fonte Chirurgico depromenda eſt aliqua ſanguinis miſſio, ſiquidem peccat ſanguis qualitate, ſubſtantia & motu, eaque ſaltem ſemel in menſe ex venis ſedalibus. Præterea locum habet cauterium coxæ ſiniſtræ inuſtum, tum ad revulſionem, tùm ad acris atque acidæ ſeroſitatis evacuationem. Proderunt præterea frequentes pedum lotiones aqua calente ante cœnam.

Topica tumori admovenda, varia & multiplicia eſſe poterunt ſed ſelectiora apud nos erunt, Albumen ovi in quo diſſolvatur pulvis boli armen. orient. Item aqua ſtillatitia ex albuminibus ovorum & ſucco agreſtæ in qua diſſolvatur pulvis aluminis crudi; vinum quoque nigrum auſterum cum herbis atque radicibus vulnerariis ebullitum atque linteo appoſitum. Efficax erit ceratum de pelle arietina, demptis calidioribus ingredientibus. Efficaciſſimum autem erit oleum ſaturni, ſive ſaturni balſamum, ex oleo ejuſdem & myrtino paratum. Ex internis medicamentis, in uſum ducat flor. caſſ. ad ℥ij. ſub cœna; ſummo manè verò bibat emulſionem ita parandam.

℞. ſem. cucurb. ℥ß. amygd. dulc. num. XII. nucleorum pineorum nu. xx. m. contundantur, & poſtea addantur juris pullæ aut vituli ℥ viij. & f. emulſio, eidem addendo ſacchar. albi cochlear; horum enim uſu exiccatæ obſtructiones nonnihil emolliri, jecoris & cordis fervor contemperari, & ſanguis dulcior fieri poterit. Vere autem venturo (ſi Deus dederit) purgatio, regularis erit ineunda primas vias expiando, primo flore caſſ. addito crem. tart. aut ſyr. roſ. ſolut. mox præparando humores quinque aut ſex diebus julap. acet. aut crem. tart. aquâ flor. citri diſſoluto; ut inde ſequatur alia evacuatio ſyr. roſ. & de polypod. cui potioni ſuperbibat Patiens, ſeri capr. aut aſin. depur. ℔ ij. Mox ad ulteriora præparantia & deobſtruentia erit deveniendum, nimir. ad ſucc. depur. cichor. endiv. ſonchi ad ℥ iij. in decoct. cichoraceorum, additis foliis malv. & viol. in quorum uſu perſeverandum ad quindecim dies & prima tranſacta hebdomada, præbeatur caſſia cum elect. de ſucc. roſ. cui medicamento poſt horam ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. ℔ ij. tribus verò horis ab aſſumpto ſero prandeat; quod idem medicamentum repetendum in fine jam dictæ præparationis. Interim ſanguis erit emittendus ex ſiniſtro pede ratione revulſionis, ſicuti in progreſſu curationis erit repetenda miſſio ex brachio dexterio diverſionis gratiâ.

His peractis ſeri capr. uſus dejectorius locum habebit ita ℞. Syr. roſ. ſol. ℥ v. ſeri capr. aut aſin. depur. parum. m. f. p. cui ſtatim ſuperbibat cyathum ejuſdem ſeri & mox incepta evacuatione, bibat ſeri ejuſdem ℔ IV. aut v. & duabus aut tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat; hoc idem repetat ſex aut ſeptem vicibus tertio quoque die; diebus verò intermediis præbeatur emulſio ſem. melon. extract. cum ſero deſtillato ad ℥ x. cui addatur ſacchar. alb. cochlear, vel julap. roſat. ℥ j. Quod ſi fortaſſe Patiens potionem reſpuat, pro ſyr. roſ. ſol. exhibeatur flos caſſiæ cum modica portione elect. de ſucco roſarum ante ſeri potionem. Aquas thermales, præſertim ut diureticas, acidulas ſuſpectas habemus ut minerales, non ſolùm, quia ratione lactearum venarum Aſellii & ductus thoracici Pecqueti confertim ruunt & in cor & arterias, verùm etiam quia ſpiritus ſulphureos aquæ in ſeipſis con-

continent, qui in ſanguinem impetum facientes Aneuriſmati valde obeſſe poſſent. Quare ſatius erit jam dictis aquis uſum lactis caprini ſubſtituere, & in ejus uſu quinquaginta aut ſexaginta diebus perſeverare, ut hepatis & cordis fervor contemperetur, ſanguis demulceatur & craſſior reddatur, atque tandem ut totum corpus renutriatur; ſed interim capra hordeo herbiſque refrigerantibus nutrienda erit. eodem tempore conferre poterit, balneum aquæ dulcis foliis viol. lact. nenuph. & ſal. alteratæ, in quo ſedeat uſque ad ſeptum: tumor enim laxantibus opus non habet, ſed refrigerantibus & adſtringentibus à nobis ſuprà propoſitis; quæ ſemper actu frigida apponi debent, imò æſtivo tempore nive quoque refrigerata.

Quibus jam dictis omnibus congrua erit addenda vivendi ratio ab Excellentiſſ. viro Adſtanti præſcribenda: refrigerans enim & ſubſtantificè humectans, atque ſanguinem potiùs incraſſans eſſe debebit, alterando vinum pro menſa ſantalo rubro, ſicut jura carnium pro ferculis ſantalo albo; Quies eſt imperanda, & animi motus atque perturbationes arcendæ. *Raymund. Joan. Fortis, Conſultationum T. 1. centur. 1.*

Obſervationes.

Anno 1606. Bernæ peregrinum quendam in xenodochio inviſi. Is aneuriſmate quod totam ſiniſtram partem pectoris ad ſternum & collum uſque occupabat, afficiebatur. Pulſatio iſtius tumoris adeò erat magna ac vehemens, ut etiam veſtimenta elevaret, & exteriùs bellè conſpici poſſet. Dolor nullus, maxima tamen reſpirandi difficultas aderat, manſit ibi aliquandiu, nonnulla quinetiam remedia tàm interna, quàm externa ipſi à D. Lentulo Reipubl: Medico ordinario præſcripta fuere, fruſtrà tamen. Tandem domum reverſus eſt, & qualisnam fuerit exitus, ignoramus. *Guilielmus Fabricius Hildàn. Centur. 3. obſerv. 43.*

Quidam Nicolaus Geſſei nomine Ludimagiſter in Veullerans ſub præfectura Morgiacenſi ad lacum Lemannum, cùm anno 1604. propter ſcabiem ex humore melancholico ortam, ſibi venam baſilicam dextram à Barbitonſore incidi curaſſet, arteria quoque ſimul compuncta fuerat. Unde paulatim aneuriſma exortum eſt, cui cùm ſpatio menſis & ultrà, medicamenta multa, (fruſtra tamen) adhibita fuiſſent, Genevæ Medicos & Chirurgos nonnullos in conſilium adhibere coactus eſt. Hi cùm rem in difficili eſſe, ac vix brachium ſervari poſſe ipſi ſignificaſſent, à me Paterniacum venit menſe Maio. Tum eò loci ubi antea venæ ſectio facta fuerat, deprehendi tumorem magnitudine ovum anſerinum adæquantem, pallidum & utcunque durum, in quo pulſatio non tantum digito perſentiebatur, verùm etiam oculis conſpiciebatur. Brachium quoque extendi non poterat. Dolor tamen non erat adeò ingens, niſi cùm brachium extendere vellet. Ego, cùm curatu difficillimum hunc affectum animadverterem, manum quidem admovere recuſavi, precibus tamen ipſius commotus curationem ſic aggreſſus fui. Inſtituta primò optima victus ratione, applicatoque tumori emplaſtro noſtro de cicuta, enema infudi, julapia pro digeſtione humoris melancholici exhibui, & tandem corpus à pravis humoribus exoneravi per purgans medicamentum bis intra quatuor dierum ſpatium propinatum, primam doſim ingrediebatur diaturbith, alteram confectio hamech, cum extracto corticis eſulæ. Ultimum medicamentum cùm violentia quadam humores, tam ſupernè, quàm infernè eduxiſſet, ſpiritum & ſanguinem in aneuriſmate contentum ad interiora adeò revocavit, ut altera die nulla nobis nec appareret, nec ſentiretur pulſatio, tumor quoque multùm imminutus conſpiciebatur; unde tum ſequens emplaſtrum applicui.

℞. Emplaſtr. diacalcit. ℥ ij. pulver. maſtich. roſar. rubr. myrtill. radic. ſymph. maj. ana ʒ j. Cum ſ. q. olei roſac. formetur emplaſtrum. Poſtea pulvillum, aut potiùs nodulum ex linteo multoties reduplicato formavi, & tumori impoſui, faſciâque firmiter ligavi. idque in eum finem ut tumor reprimeretur, & ſanguinis vitalis ex ipſa arteria in externam membranam dilatatam influxus impediretur, atque his remediis brachium Dei beneficio brevi in integrum reſtitutum fuit. *Idem Centur. eadem Obſerv. 44.*

Fæmina filium ſeptennem baculo ad ſiniſtram capitis partem, quæ carotidum tranſitus eſt graviter percutit, unde tumor pulſatilis, avellanæ nucis inſtar, primò nigricans, digitis cedens, ſtatim oboritur; & octidui ſpatio in tantùm augeret, ut dimidiam capitis partem, à ſutura ſagittalli per tempora & frontem ad oculos uſque occuparet. Conſulti Medici, anceps remedium certiſſimo vitæ diſcrimini præferendum cenſentes, ſcalpello tumorem aperiunt, ſanguiniſque confertim profluentis parte quadam dempta, quadam verò arcta ligatura & ſtringentibus cohibita, dum crebrò id agunt, inſequentibus diebus ſanum puerum reddidêre brevi: vel quòd in tenellis omnia tenera ſint & coalitu facilia, vel quod arteria læſa os ſubjectum habuerit, ut arctiſſimè potuerit comprimi ad conſolidationem. *Joan. Michaël Fehr.*

Sponſus uxorem ducturus pupugit acutiſſima cultri acie arteriam manus ſiniſtræ, inter pollicem ac indicem; cujus ſanguine ſubſultim proſiliente, per adſtringens emplaſtrum, in tempore, inhibito, coaluit ſtatim magis externa, quàm interna arteriæ tunica, quæ manſit hians, ac à ſe invicem ſejugata: elevata propterea à vitali ſanguine uſque eò externa ipſius membrana, ut degenerarit in verum aneuriſma, cùm pulſu perenni, ac dolore in vicinis nervis inſidente. Pulſatilem hunc tumorem vix digito depreſſeras, quin ſanguis protinus regurgitaret ad venas, & aneuriſma videretur ex toto ſublatum; quod tamen actutum ſub adſpectum iterum venit, ubi vel minimùm removerentur digiti. Non deerant Chirurgi qui arteriam hanc ſectam tranſverſim, ſatagebant ferro ignito adurere, ne ſanguis plus æquo efflueret: ſed crudelior fuiſſet Medicina quàm morbi natura requireret; ac proinde periculum potius factum, per adſtringens emplaſtrum, à plumbi lamina, arctioreque vinculo ita depreſſum, ut expulſo ex tumore ſanguine, & conſtricto convenienter vulneris hiatu, faciliùs coïret, agglutinareturque, interior laceræ arteriæ tunica. Cujus coalitus etiam ſequutus fuit ante menſem quintum; relicto dunraxat prope cicatricem exiguo nodulo, qui tamen tandem etiam evanuit, antequam ex toto deſineret aneuriſma. *Nicol. Tulpius Obſ. Medic. lib. 4. cap. 17.*

Chirurgus ſanguinem miſſurus cuidam febre continua laboranti, non venam, ſed arteriam aperuit; adſtans inſignis *Garcias à Lopes* Medicus Hebræus, Burdegalæ permiſit ſanguinem ad libras duas, & ampliùs effluere, imò ad ſyncopen ſupervenientem, eo conſilio, ut exhauſtis ex parte vaſis, minor eſſet arteriæ pulſatio, quæ conſolidationi impedimento fuiſſet: hinc appoſito cum ſplenio nummo argenteo, additâque arctâ ligaturâ, poſt octiduum ſolutâ, æger aneuriſmatis periculo evaſit; à febre poſt

tam profuſam ſanguinis evacuationem liber ſuperſtite tamen diuturna virium debilitate.

Anno 1655. Tonſor fœminæ ſexagenariæ arteriam pro vena hepatica ſecat; ſanguis cum impetu fluit floridus, brachiumque intumeſcit cum quadam renitentia. Empiricus hic ſanguinis copia ſat larga pro more emiſſa, quaſi re bene geſta vulnuſculum deligat; interea tumor ob ſanguinis per arteriæ oſtiolum in muſculorum ſpatia effuſi copiam, in dies attollitur, nec ullis fomentis diſcuti poteſt: Ipſo tandem medicaſtro ex deſperatione fugiente. Menſtruo poſt ſpatio alius adſciſcitur Chirurgus cum Medico, qui periculi magnitudinem attendentes, ſtatim adſtringentibus & arctâ ligaturâ tanto malo obviam decenter eunt, ſed poſt feſtum, & caſſo eventu: veſiculæ enim plures & tubercula, quaſi aneuriſmata, circa medianam & cephalicam hinc inde oriuntur, quæ tractu temporis ſponte rupta, tantam ſanguinis copiam effundunt, ut ſelectiſſimis remediis ſiſti non poſſet fluxus iſte per quatuor ſeptimanas, eò quòd ob ingentem tumorem arteriæ orificium, etiam ſagaciſſimis oculis, non pateret, donec in putredinem gangrænoſam abeunte toto brachio, ſanguis grumoſus, ovorum gallinarum magnitudine, fruſtillatim ac inſigni cum fœtore exiret, ac omnis caro muſculoſa, quæ interim omnimode computruerat (præter tendines, nervos arteriaſque, oſſa ac perioſtia) diffluerct ad humerum uſque: Tum demùm in conſpectum veniens arteriæ oſculum convenienter obturatum, & caro ablata, ſarcoticis, probâque diætâ, ſpatio bimeſtri integrè reſtituta fuit ad miraculum uſque. *Horſtius* ejuſmodi errorem fœliciter correxit, laudano opiato, ſuperimpoſito emplaſtro ſtictico Crollii.

Pauperem quendam per laminam plumbeam, aneuriſmati ſupra genu dextro efformato, ovi gallinacei magnitudinem æquanti, ſuperligatam, palliativè ita curavi, ut decimo quinto poſt anno mihi ſanus fuerit loquutus. *Paul. Barbette prax. Medic. lib.* 2. *cap.* 3.

Illuſtriſſima quædam ex arteria in flexura brachii loco venæ puncta, aneuriſma paſſa eſt, ſenſim ad ovi gallinacei minoris magnitudinem cum magna pulſatione excreſcens, quod cùm adhibitis remediis non auſcultaret, Genevâ Lugdunum tranſiens, ſe chirurgi curæ committit, pollicentis per aquam ſtypticam miræ efficaciæ exciſum aneuriſma, nulla alia adhibita operatione, perfectè in Illuſtriſſima curaturum. At eventus promiſſis non reſpondit, ſiquidem ab impoſito ſtyptico, arctaque ligatura, non potuit arceri hæmorrhagia, ad plures dies cum Illuſtriſſ. abſoluto vitæ diſcrimine perdurans, donec ad operationem, in denudatione arteriæ, ejuſque colligatione poſitam, deventum eſt. Retractum interim manſit brachium per aliquot ſeptimanas quibus demùm elapſis beneficio ſevi cervini aliorumque facile extendebatur at debiliter attollebatur, imò alio brachio multo minus, & atrophiâ tactum per plures annos manebat, jam verò recuperavit naturalem magnitudinem, vireſque propè integras.

Vir quidam Honeſtus in vicinia, cùm ſupra caput pondus ingens magna vi elevaret, cervicemque ab onere impoſito ad poſteriora immoderatiùs flexiſſet, non parum extendebantur in colli anterioribus arteriæ carotides, quarum ſiniſtra, vel quod debilior eſſet, vel quod præcipuam vim paſſa fuiſſet, de ſe continuò promebat aneuriſma ſenſim ad pugni magnitudinem excreſcens, plura tentata fuere ab imperitis, qui tumoris naturam non agnoſcentes, ipſius apertionem omnibus ſuis emollientibus maturare conabantur, alia verò in mali palliativam curam à peritioribus quibuſdam ſeriùs advenientibus, adhibita ſunt: nam emollitio præmiſſa auctionem multùm facilitaverat, unde colligationibus aptis diu impediri non potuit quin grande aneuriſma diſpnæam primò, poſteaque mortalem ſuffocationem faceret.

Sacrifico cuidam, Magiſtro Joh. Mailleto, cùm ad humeri dearticulationem aneuriſma ſubeſſet nucis juglandis magnitudine, edixi ne id ſibi aperiri curaret, aliàs vitam in manifeſto futuram diſcrimine: tutiùs ipſi futurum, ſi conduplicatis linteis in ſolani & aizoi ſucco maceratis, caſeo recenti & ſeroſo admiſto. Si ungnento de bolo, emplaſtro contra rupturam, aliiſque refrigerantibus & adſtringentibus mali impetum retunderet; ſi laminam plumbeam imponeret, caligiſque uteretur brevioribus, ut ad eas continendas eſſet illi thorax ex quo caligas ſubnectebat, faſciæ loco: interim vitaret omnia quæ ſanguinem attenuant & incendunt; præſertim verò à vocis omni contentione ſibi temperaret. Hac diæta etſi per annum eſſet uſus, efficere tamen nequivit quin tumor creſceret: Quo animadverſo tonſorem adiit, qui ratus tumorem illum eſſe ex genere vulgarium apoſtematum, pyroticum eſcharoticum, quo apertionem moliretur, ſub veſperam appoſuit. Exacta nocte ſub auroram tanta ſanguinis, rupto tumore, prorumpebat copia, ut attonitus omnium opem imploraret, atque me vocari juberet, qui ipſi hæmorrhagiam tantam ſiſterem, pœnitere quòd monitis minùs obſequens fuiſſet. Vocor igitur, ſed cùm vix dum ædium limina attigiſſem: jam animam cum ſanguine reddiderat. *Joh. Udalr. Rumlerus obſerv.* 81.

Aneuriſma ſatis grande, cautè quidem at non fœliciter curatum.

Clariſſ. Guſtavi Caſimiri Gahrliap Miſcell. Curioſ. Dec. iii. Ann. 2.

Aneuriſmata quid ſint? neminem Medicorum qui Hygienem vel à limine ſalutarunt, latêre puto, hinc eorum in explicatione ac deſcriptione non eſt quod hæream, ſatis enim exactè, id hinc inde ab uno alteróve Curioſorum in Ephemeridibus noſtris præſtitum, ut actum eſſet agere aut crambem bis coctam apponere, ſi huic immorari velim; Varia autem eſſe tam cauſæ & originis, quàm ſitu & partium, quibus adnaſcuntur, quantitatis, ætatis ſeu durationis reſpectu, vix illi qui practicorum obſervationes, vel dictas ſolùm Ephemerides ſedulâ manu volverunt, ignorabunt; Plurima enim eorumdem exempla & ratione circumſtantiarum, & modi, curationis & eventus admodum variantia in utrâque, quæ hactenus lucem aſpexit decade occurrunt, eaque inter, quæ recens oborta, non nimis magnâ, nec incaute tractata, curam, ſed nonnulla valde difficilem admiſerunt, quædam, ſed admodum pauca, periculo non vacantia, ſponte ac ferè miraculosè ſpem præter & inſignem aliquam difficultatem ſanata; plura & pleraque præſertim magna & antiqua aut curam omnem eluſerunt, aut ut ut ex arte, optimo conſilio, ſummâ induſtriâ ac ſolertiâ tractata, infelicem ac funeſtum eventum ſortita ſunt. Horum poſtremorum è numero erat, quod anno præterlapſo. 1693. hîc Beroliui ſe ſe obtulit grande admodum, inveteratum, moleſtum valde, tandemque funeſtum, Generoſus quidam Excubiarum in caſtris Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Præfectus ſupremus, cùm vigeſimum circiter ſeptimum ætatis ageret annum, à Generali quodam, qui è ſacro eum fonte ſuſceperat, verùm quâcunque de causâ odio, ſed tecto proſequebatur pluſquam Vatiniano; Anno 1678. feriâ Paſchatis

chatis ſecundâ, fucatâ comicitiæ ſpecie horâ quintâ matutinâ in inſidias allectus, ſclopeto primùm minori quali ab ephippio utrinque adhærere ſolent, utroque glandibus, diverſis corporis partibus, nondum tamen lethaliter trajectus, dum majori quoque, quod ab orificio hiante tubam vernaculâ vocare ſolent, Gallis *mouſqueton* dicto, minoribus globulis, quo feræ minores necantur onerato, ſe peti cerneret, faciem objecto ſiniſtro brachio aliquatenus defenſurus, triginta globulis in capite, brachio ac pectore totidemque vulneribus ſauciatus, quorum cùm viginti quinque brachium & præcipuè circa cubitum penetraſſent atque immenſum dilaniaſſent, ſubſecutâ grandi hæmorragiâ actutum majorem partem ſanguine, deficere viribus, atque prorſum inclinato corpore in Equi collum ruere ac procumbere cœpit. Quo viſo cùm eum mortuum exiſtimaret, ictum, quem ſtrictâ romphæâ (quem enſem quidam bellatorem, vulgus vernaculo idiomate *Schlacht Schwerdt* vocat) capiti ejus jam intentaverat, (narrata ore defuncti refero) ſufflaminavit, perditus ille ac crudelis homicida potiùs quàm (ut vulgò cluet) Compater, cúmque ſemianimem in campo, fugâ ſibi, conſulens, promeritam homicidii pœnam evitaturus, deſeruit. Ille poſt aliquam in campo moram, cùm ſanguis miraculoſo potiùs quàm ordinario naturæ curſu tandem paululum ſubſtitiſſet, è lipothymia, quâ ad tempus defecerat, excitatus, reſumpto parumper ſpiritu ſimul & animo, cùm ſe ſolum adverteret, incitato calcaribus equo, parum ſimul vulnerato, ægre tandem domum ſuam revertitur, ubi Chirurgorum inter & Medicorum manus plures tranſegit menſes. Chirurgis extirpationem brachii identidem urgentibus, ſed ægro retrectante, tandem vulneribus aliqualiter conſolidatis poſt exanthlatos haud exiguos cruciatus ac dolores ſanitati qualicunque reſtitutus eſt, ſed non integræ: Cubiti enim flexura diu immobilis manſit, donec carnificis cujuſdam ope, frequenti præcipuè inſertione in apertum abdomen canum vivorum, motum aliquatenus recuperaret. Præterea poſt annum à vulneratione illâ truculentâ elapſum, tumor aliquis circa juncturam aut flexuram cubiti, dubio procul à conquaſſatâ globulo fortè unâ alterâve arteriæ cubitalis interiori nec ſatis firmiter conſolidatâ tunicâ, occaſione exercitii fortioris aut alterius alicujus in diæta erroris oriundus, internè ſe prodere cœpit, qui paulatino incremento juglandis primùm magnitudinem acquiſivit, hactenus à viro juvene caſtra ſecuto, cùm haud magnam adhuc dum crearet moleſtiam, ſuſque deque habitus. Poſtea verò cùm & incommodum equitanti ac habenas moderanti inferre ſentiretur, ac indies magis accreſceret, ſuſpectus eſſe cœpit. Hinc ad Medicos rurſus ac Chirurgos res delata varios, qui tentatis ſolitis in aneuriſmate ſubſidiis, tam externis quàm internis cùm nihil proficerent, ac quàm difficilis & periculoſa ut plurimùm aneuriſmatis Chirurgia perpenderent, maturè plerique abſtinuerunt, ac cum prognoſtico ægrum deſtituerunt. Tumor interea ſibi relictus decimo quarto præſertim anno ac decimo quinto à primordio, poſtremo præcipuè ſemeſtri augmento admodum notabili ſenſim accrevit, plurimis incommodis, moleſtiis ac doloribus, pro augmenti ratione unà augeſcentibus, tandemque tædioſſimis ac vix tolerabilibus ſtipatus, donec in eam quam adjectum ſchema exhibet formam tranſiit, magnitudine caput ferè infantis æquantem, ad ovalem figuram accedentem, cujus peripheria filo menſurata, mediam ulnam Berolinenſem æquabat, aut duplum lineæ ſchemati additæ, ſemicirculus altitudinis ulnæ quadranti additâ dimidiâ unciâ, diameter longitudinis, quinque erat unciarum ſ. pollicum, cum ſemiſſe, latitudinis quatuor unciarum cum ſemiſſe. Adeò ut cubitum ægrè admodum flectere ac equi frœnum abſque inſigni dolore & moleſtiâ, cum rupturæ periculo juncta, tenere amplius, multò minus regere poſſet; Accedebat, quod protuberantiæ nonnullæ rubeſcentes inflammationem aut exulcerationem, ſi non gangrænam, non ſine ſanitatis aut vitæ periculo minarentur. Inſtabat inſuper tranſactis bene hybernis ad caſtra revertendi terminus, obſtabat autem brachii illius ægri ineptitudo, quæ minus in hoſtem omnimodo ne dum commodè movere poſſet; Neceſſitate itaque utrinque urgente, Medicorum tam Sereniſſimi Electoris, quàm aliorum, ut & Chirurgorum præcipuorum turbam convocat, atque conſilio eorum efflagitat, extrema pati, quàm in officio remoram, deliberato animo paratus. Plerorumque tam ore quàm ſcripto data conſilia internis nihil agi poſſe, externa inſufficientia eſſe, Chirurgiam periculo plenam nil niſi funeſta polliceri ſtatuebant. Pauci extremis morbis extrema aplicanda eſſe ſubſidia, præſtare remedium dubium nullo, jactam eſſe aleam, aut medendum ægro aut pereundum, non dari regreſſum, vitam ſimul & fortunam etiam præter hunc eventum dubium periclitari, inſtare aut inflammationem & gengrænam aut carcinoma horrendum ipsâ morte crudelius aſſerebant. Horum poſtremorum è numero, junior quidam Medicinæ ſimul ac Chirurgiæ Doctor, ut & Chirurgus quidam veteranus Gallus, artis ſuæ non imperitus rem tantæ difficultatis haud eſſe audacter aſſeverabant, maximum ab hæmorrhagia periculum eſſe, id verò poſſe inſtrumento apto (quod *tourne quette* Gallus appellabat) ſibique in extirpationibus artuum familiari, cujus figuram ſchema adjectum monſtrat, ſatis cautè evitari, atque arteriam durante operatione Chirurgicâ ita coërceri, ut ne guttula quidem præter voluntatem ac intentionem Chirurgi profundatur. Gratiſſimum illud erat ægro curationis avido nuncium, at quod menſe Februario, brumale adhuc frigidum, nubilum ac turbulentem eſſet cœlum, adeóque anni potiùs temperies huic operationi magis apta expectanda, aliquot ſeptimanarum flagitaret inducias, ingratiſſimum.

Tranſierunt tamen illæ præparando tum corpore tum animo, & præcipuè animâ ut & re familiari, ad quemvis eventum & ipſa quoque vitæ extrema, opinione citiùs, atque cœlo ſerenitatem paulò ſtabiliorem pollicente dies 16. Martii operationi deſtinatus eſt.

Quo illuceſcente convenerunt Medicorum plurimi, ut & Chirurgorum non pauci, rebus ad operationem requiſitis omnibus ritè diſpoſitis, Aeger infracto, imò heroico planè animo operationi ſe accinxit, quam horâ inter decimam antemeridianâ & undecimam mediâ, Chirurgus ille Gallus ſuprà memoratus non minùs præſenti animo & dextrâ aggreſſus, ſuppetias ferente Medico-Chirurgo juniore ſuprà dicto, atque cùm conveniſſet inter Medicos & Chirurgos quærendam prius extra tumorem in brachii parte ſuperiori paulò arteriam, illamque deligandam priùs, antequam ad aperturam aneuriſmatis progrederentur atque.

1. Exploratâ duos fortè à tumore digitos tranſverſos, in parte illa brachii ſuperiori, arteriâ ac ejus ſitu attramento notato; per mediam autem aneuriſmatis ſuperficiem, ad evitanda vaſa per eandem ſparſa ſanguinea quoque ductâ eodem lineâ.

2. Applicatum lorum ſeu vinculum tortile ſuprà dictum, alterâ extremitate fibulâ ferreâ inſtructum, quo firmiùs connecti alterius extremitatis beneficio poſſit, è corio tranſverſum pollicem lato affabrè conſtructum, pulvillis duobus lineis ſibi utrinque oppoſitis, altero mobili, ad comprimendam arctius arteriam, altero immobili ſupernè, ad ſuſtinendum contorturæ impetum, fibulæ ibidem ſubſtratum,

ſtratum, cujus brachio circa regionem arteriæ circumdati, combinatis fibulâque junctis ac connexis extremitatibus, propè commiſſuram bacillus fortis, ſpithamam circiter longus atque digitum craſſus inferebatur, cujus circumgyrati ope brachium, ſimulque arteria, firmiter conſtringebatur.

3. Apprehenſa à Medico-Chirurgo prædicto, duobus digitis utriuſque manûs cutis extrema & elevata, inque ejus medio verſus aneuriſma duorum ab eo digitorum ſpatio ſectionis factum initium, quæſita illic arteria, ſed non inventa eſt, ob muſculorum eam tegentium obſtaculum, ideòque cùm nimium temporis fuiſſet ſeparationi illorum impendendum, ac atrociſſimi dolores à lanienâ iſtâ patienti juſto diutiùs, non ſine ſanitatis ac virium diſpendio tolerandi, nec brachium ligaturam tam arctam tam diu abſque inflammationis periculo tuliſſet, ſatiùs ratum, in ipſo aneuriſmate latentem quærere cauſam ſimulque tollere. Ideoque ſectio continuata ad ipſum uſque aneuriſma, illudque præmonſtrante ductum, ſignatâ in ſuperficie ejus lineâ paulo ultra medietatem apertum, diductis parumper vulneris parietibus, loco ſanguinis, quem omnes aſtantes cum impetu copiosè proruptutum exſpectabant, paucus admodum, vividus ac dilutè rutilans, qualis arterioſus eſſe ſolet, effluxit; cruoris verò loco ſive fluidi, ſive coagulati, qualis in aneuriſmate præſupponitur, parenchymate quodam, cui in univerſo humano corpore ſimile non datur, carneo, fibris enim carebat, nec cartilagineò, ſed inter carnem & cartilaginem medio, duriori quàm caro aut gelatina, cartilagine verò molliori, coloris albicantis, inter carneum & candidum ambigentis, tota aneuriſmatis cavitas erat referta, meandris ſolùm quibuſdam ac cuniculis, calamum ſcriptorium majorem nonnullis, aliis minorem capientibus pervia, mirando naturę artificio, quo ſanguini affluenti brachium ac refluenti liber ultro citròque pateret commeatus. Hoc cùm inſtrumentis in cryptâ illâ obſcurâ & exiguâ, non daretur locus, organi organon, manum Chirurgi innuo, ſicque Chirurgiâ ſtrictè dictâ, digitorum nimirum ac unguium ope fruſtulatim, (non ſine inſigni labore ac dolore, nec minori tamen ſed admiranda potiùs Generoſi Patientis tolerantiâ ac conſtantiâ, quâ vix hiſcere aut mutire ſub hac laniena viſus, potiſſimam partem libram ſemi medicam, cum drachmarum quinque & ſemiſſi ſuperpendio ponderantem, cujus in extremitatibus hinc inde haud exigua corruptionis ac ingruentis putredinis veſtigia cerni poterant) exempto; arteria tandem patuit; cujus cùm apertura, quæ aneuriſmati anſam præbuerat, ob injectum arctius vinculum non appareret, conſultò laxatis pauliſper tortillis illius cinguli habenis ac liberatâ ſimul arteriâ, ſanguis arterioſus cum impetu proſiliens, veſtigium aperturæ medio in anevriſmate piſum minus capiens, prodebat. Contorto itaque denuò loro, ac inſerto in arteriæ hiatum ſtylo, ſicque eâdem levatâ, digiti minoris tranſverſi ſpatio ſuper hanc aperturam tranſactâ acu recurvâ ac interſerto exiguo pulvillo lineo, arteria filo duplici cerato ſatis forti arctiſſime conſtringebatur.

4. Quâ hac ratione ligatâ, vinculum tortile denuò parum laxabatur ad explorandum, an alibi fortè adhuc alia lateret apertura, ac quinque circiter digitos tranſverſos à priori, ſanguis ſurſum verſus brachium continuo filo proſiliens, inquam talem prodidit, piſi minoris capacem, immiſſus ſtylus, haud profundè adigi ob obſtacula hinc inde objecta, quæ pro valvulis agnita, hinc ſuffragantę inſuper tunicæ vaſis tum colore tum tenuitate, non arteriam ſed venam caſu fortè apertam eſſe judicatum, quaperinde, quantocyus arctato vinculo tortilli, ligaturâ interceptâ ac denuò laxato freno, nihil amplius ſanguinis ullibi prodiit, unde frenum illud penitus amotum ac mundato ſpongiis & linteolis vino calido imbutis vulnere cruoris nil prorſus apparuit, hinc eo turundis lineis ſiccis referto ac repleto, tandemque ſuperimpoſito Emplaſtro, hiatus ille vulneris ingens occluſus ac debitè deligatus eſt. Peracta hæc horâ inter undecimam ac duodecimam mediâ, adeoque unius horæ ſpatio omnia. Refocillatus interea fuit æger, ne dolores inter enormes ac cruciatus deficeret aut animo linqueret; variorum ſpirituoſorum naribus admotorum odore, tandemque in lectum inductus, mox de dolore à turundis durioribus, quibus vulneris cavitas effarta, conqueſtus eſt.

5. Continuavit ſequentibus horis hic dolor, ac ulteriùs partibus etiam vicinis communicatas, & circa veſperam magis exacerbatus, in ipſam uſque axillam, brachium reliquum ac digitos, ictus ſuos ex intervallo moleſtos ac lancinationes ſatis exquiſitas vibrans, calore præterea præternaturali, ac capitis quoque dolore, circa tempora præſertim, frontem ac nucham comitatus. Unde nox ſubſecuta inquieta ac admodum moleſta, Urinæque citrinæ excretio cum ſedimento ſabuloſo frequens.

6. Manè ſequenti quæ 17. erat Martii, cùm à Medicis inviſeretur, pulſus debito citatior febriculæ ingruentis index, medicamenta huic præcavendæ & averruncandæ poſtulabat, quæ & ſollicitè præſcripta & circa veſperam iterata.

7. Vulneris, quod ex præſtituto Chirurgorum ſequenti demum die religandum fuiſſet, ob dolores prædictos enormes, à turundarum duritie fortè & nimiâ copiâ oriundus, hac die circa undecimam facta eſt religatio, ſolutis vinculis, ſublato Emplaſtro & plumaceolis, exemtis pulvillis illis duris ac craſſis, ſuppurationis primordia tam naribus quàm oculis ſe offerebant, ſed inter eximendum ſanguinis ſatis magnum obortum eſt ſtillicidium, adeò ut antequam debitè rurſus impleri poſſet pulvillis mitioribus paulò ac plumaceolis ſiccis ac religatio, ututquàm poterat maturaretur, perfici, unciæ ferè ſex ſanguinis ſinceri exſtillarent, labris vulneris digeſtivum plumaceolis illitum, hiſque tandem Emplaſtrum circumpoſitum. Factâ ſic religatione paulò, quàm prior commodiore, dolores ac reliqua ſymptomata mitigata ſunt; Ægerque unam fortè aut alteram horam pomeridianam placidè ſatis dormivit.

8. Noctem ſequentem priori tranquilliorem quietè dormiendo tranſegerat, dolores omnino ferè remiſerant, præter capitis, qui 18. tertiâ nempe ab operatione die adhuc, mitiùs tamen affligebant, febricula quoque levior, pulſu frequentiore nihilominus continuante. Rebus ſic ſtantibus eâ die, Chirurgorum judicio ſic ferente, non fuit deligatum vulnus.

9. Nocte à 18. ad 19. totâ ſomno tranquillo tranſactâ abſque dolore vulneris aliiſque ſymptomatis blandè ſudaverat, ſuppuratio ex ſententia Chirurgorum ſucceſſerat (cum fœtore tamen paulo nimio, hinc mihi ſuſpecta,) vulnus à deligatione hac die iterata magis, at haud diu dolebat, alvus erat ſuppreſſa; enema, hunc in finem propoſitum à Medico, æger recuſabat, ſitis inde ac calor aliquis aderat præternaturalis, ſed mediocris, ac hactenus pleraque ex voto.

10. Nocte à 19. ad 20. præteritâ, alvus bis ſponte ſoluta, quieverat commodè ac ſudaverat modicè, à ſomno autem de acceſſu arthritico pedis ſiniſtri conquerebatur, qui circa veſperam vehementior erat (ubi notandum veſperâ inſtituendam operationem precedente prodromos arthritidis, cui antehac aliquoties fuerat obnoxius, ſentiſſe, nemini tamen ne

Medicorum quidem revelaſſe) cum febricula continua, abſque tamen capitis tunc aut vulneris ullo dolore, quod ritè rurſus & abſque incommodo deligatum ſuppurando pergebat, cum fœtore tamen prædicto nimio.

11. Noctem à 20. ad 21. inſomnem duxerat, ob dolores podagricos ſiniſtri pedis ſenſim auctos, qui tamen circa nonam matutinam paululum remiſerunt. Alvus ab aſſumpto prunorum brodio ſoluta A meridie dolores arthritici utrumque pedem ac genu occuparunt, ac veſperam verſus valde aucti ſunt, de capitis quoque dolore conqueſtus eſt, & vertiginoſum id eſſe, ac, ſi de die ſomni capiendi ergo oculos clauderet, quaſi crapulâ onuſtum. Noctu ingruente dolores illi arthritici nonnihil remiſerunt.

12. Mediâ nocte planè ceſſarunt, adeo ut reliquum illius ad 22. uſque placidè dormiendo tranſierit, capitis quoque dolor evanuit, alvus manè ſponte ſoluta; Vulnus religatum quoad exteriora, juxta Chirurgorum judicium, in ſtatu exoptato; carnis color roſeus ac vividus, ſuppuratio valida (meo ſaltem judicio fortè nimia cum fœtore ferè intolerabili) reliquum diei commodè tranſactum.

13. Ut & illum inſequens nox à 22. ad 23. quam ſe placidâ quiete inſumſiſſe; cùm manè eum horâ circiter octavâ viſerem, narravit; horâ autem ſextâ matutinâ, horrorem, frigidæ inſtar ſpinam dorſi præterfluentis, cum ſubſequo calore ac madore ſenſiſſe, ſimulque dolorem arthriticum tibiam ſiniſtram ac genu horam integram valde torquentem invaſiſſe, ſed eâ præterlapsâ paululum rurſus remiſiſſe alvum quoque adſtrictam officium denegaſſe. Obviam his itum, uti aliàs ſemper remediis commodis, humorum acrimoniam obtundentibus, ebullitionem ſopientibus, alvumque ſimul blandè ſolicitantibus. Cùm circa horam undecimam antemeridianam, ut deligationi intereſſem, accederem, meliùs ſe, quàm ante habere referebat, ſed moleſtiam aliquam in cervice, linguâ ac gutture, ut & maxillis, quaſi gravantem ac partes illas onerantem, hinc ad munia ſua obeunda difficiles reddentem, ſentire referebat. Inſpectum mihi protinus ſymptoma illud erat, hinc anguem ſub herba latere reliquos monebam; ſed cùm ab illis flocci fieret, ad deligationem ventum; Vulneris conditio, quâ reliqua ſatis erat tolerabilis, nec ullos ſentiebat dolores, tumor circumjacentium partium nullus, copioſus tamen cum inſigni fœtore, ichor, tam ante deligationem quàm inter deligandum effluxerat; interna cæteroquin vulneris pro ſtatu præſenti ſatis commoda, reliquiæ fungi, quæ in operatione ob feſtinationem eximi non potuerant, naturâ obſtetricante ſponte ſecedebant, ac fruſtulatim ſeparatæ ſucceſſivè eximebantur, circa ligaturam arteriæ, caro recens pullulabat, eſchara arteriæ cum vinculo injecto ejuſque nodo firmiter adhuc hærebant, quibus turundæ imponebantur lineæ ſiccæ, reliqua cavitas iiſdem digeſtivo imbutis implebatur, ſicque debitè obligabatur. A prandio Anxietatibus cordis, reſpirationis difficultate, ſiccitate gutturis ac ſpaſmo maxillæ inferioris, adeò ut os aperiri ac dentes diduci nullo modo potuerint, correptus fuit, cujus cauſam expiſcari nemo potuit, eo in ſtatu cùm circa veſperam horâ quintâ ad eum reverterem, illum offendi, de tumore præterea gutturis tam interno quàm externo anginam mentiente, difficultate reſpirandi, deglutiendi (unde pulverem antiſpaſmodicum à Medicorum quodam ordinatum, aſſumere non potuerit) ut & loquendi conquerebatur, abſque tamen ullo dolore, præter arthriticum pedum, qui tamen & ipſe remittebat, prædictis ſymptomatibus vice verſa circa noctis adventum adauctis, accedente præterea cervicis rigore admodum moleſto. E re itaque judicatum, cùm alvus ſegnior officio ſuo illa die defuiſſet, ſuppoſitorio illam ſollicitare, à cujus applicatione ac operatione angores cordis nonnihil remiſerunt, rigori cervicis ac maxillarum ſpaſmo, mixturâ convenienti obviam itum, ſed irrito ferè effectu.

14. Noctem enim à 23. ad 24. inſomnem penè totam tranſegerat, motibus quibuſdam cervicis convulſivis exagitatus. Cùm manè vocatus accederem, de ſuffocatione imminente, immobilitate maxillæ inferioris, defluxione in fauces, cum tuſſiendi conatu gravi, ſed propè evanido, ac deglutiendi impotentiâ conquerentem ac ægrè loquentem offendi, pulſus erat frequens, ſanguinis ferventis adeoque febris index, cum tumore faciei ac turgeſcentia, anginæ aliqualis notis. Ordinatus fuit Clyſter validus & cum euphoria applicatus, cucupha præſcripta & ſuffumigia adminiſtrata, mixtura corroborans & antiſpaſmodica cochleari roſtrato infuſa, à qua; ut & propinato decocto avenæ toſtæ ac decorticatæ cum ſaccharo cando parum edulcorato, necnon cataplaſmate circa decimam applicato, ut ut & antequam hoc parari ac applicari poſſet, œſipo, oleo lil. alborum, roſaceo ac hyperici imbuto, paulò meliùs habere cœpit. Horâ undecimâ antemeridianâ majus adhuc levamen ſenſit ab adhibitis remediis, febricula quoque remiſit; hinc ad vulneris deligationem rurſus deventum, idque in ſtatu laudabili nec quicquam in illo, quod oculos incurreret ſiniſtri inventum, tunica arteriæ exterior, tumoris ſeu aneuriſmatis totius involucrum, quod hactenus muſculis firmiter adhæſerat, ac haud ita pridem ſeparationis initium fecerat, in eâdem ex voto pertexerat, eſchara arteriæ valde craſſa, nodus adhuc firmus, ichoris parum & multò quàm præcedenti die minùs fundebat, partes muſculoſæ, caro renaſcens, labia vulneris vividi coloris erant ac roſei, verbo omnia bellè habebant. Deligatum itaque rurſus fuit more ſolito, deterſus ichor, elota cavitas vino rubro calido, turundæ lineæ digeſtivo indutæ, cavo vulneris, arteriæ verò ſiccæ applicatæ, labia plumaceolis & pulvillis digeſtivo ſaturatis munitæ, Emplaſtrum ſuperimpoſitum, ac brachium reliquum, uti aliàs, linteis vino calido madentibus involutum ac ſpleniis faſciatum. Horâ quintâ veſpertinâ, cùm reverterer, reſpirationem ac loquelam paulò liberiorem reperi, deglutiendi autem difficultas continuabat, Clyſteris applicati, ac cataplaſmatis beneficio calor præternaturalis, ut & faciei rubor paululum remiſerunt, animus autem erat proſtratus, hinc arreptâ manu, meque ad ſe tracto, actum eſſe de vita auribus inſuſurrabat; bono animo eſſet, & Dei arbitrio rem omnem committeret regeſſi. Iteratum fuit enema, ac poſt ejus operationem, urgente Chirurgo Gallo, reliquiſque eidem aſtipulantibus, cùm reſpiratio rurſus difficilior id poſtulare videretur, circa decimam veſpertinam vena fuit ſecta, unde mox ſpiritum liberiùs aliquantò duxit, ore quoque paulò quàm antè magis hiante, faucium ac uvulæ inflammatio percepta. Verùm mediâ pòſt horâ motus convulſivi graves totius corporis, & præcipuè cervicis ſucceſſerunt, ut & pectoris & abdominis ſpaſmodici, ita ut coſtæ ipſi viderentur erui non ſine inſigni cruciatu, comitante catharro quaſi ſuffocativo, totam noctem abſque remiſſione affligente.

15. Die 25. horâ quartâ matutinâ vocatus; cùm eum inviſerem, Medico-Chirurgus, qui illi noc-

tu adfuerat; degluticndi facultatem penitùs ſublatam referebat, ac cervicem ſubinde retrorſum convulſam fuiſſe cum dolore ac clamore inſigni: ceſſare tamen ab applicato denuò enemate convulſiones illas, ac dolorem in regionem lumborum tranſmigraſſe; Ægrum verò, verbi divini ſolatio paulò antè ab Eccleſiæ Miniſtro erectum, delirantem, déque dolore æterno, atque convulſionibus perpetuò tolerandis queritantem, & de ſalute corporis (non animæ) deſperantem, proindeque continuè alta voce clamantem inveni, tumor, inflammatio ac durities cervicis ceſſerat. Ut fauces ac guttur à clamore perpetuo aridum ac raucum parumper humectarentur, aliquot guttæ liquoris à prædicto Medico juniore ordinati, penicillo lineo ab ejuſdem amanuenſi inſtillabantur, quas cùm deglutire vellet, fauces præcludebantur, ac reſpiratio ſufflaminabatur, moxque inſultus cum epilepticus ſatis fortis occupabat, ac aliquantiſper quatiebat, quo parumper remittente, rurſus alter pauxillæ moræ intercapedine interjectâ, levior priori, ac brevior, tandemque tertius leviſſimus ac breviſſimus, quo placidè circa mediam ſeptimam expiravit. Ab obitu vulnus religatum, pure laudabili refertum, abſque omni inflammatione, tumore aut ullo funeſti exitûs indicio repertum. Hic fuit tragicus hujus operationis in anevriſmate deliberato ac maturo conſilio ſuſceptæ, ſolerti ingenio ac dexterrimo judicio inceptæ, Dedaea arte adminiſtratæ, ſolicitè ac ſummâ curâ & induſtriâ continuatæ, ac præter omnem ſpem & opinionem infeliciter abſolutæ, eventus. Cujus veram cauſam indagare inque eo ingenium ſuum exercere, ſi cui volupe fuerit, gratum ille dubio procul curioſis præſtiterit officium. Meam, quam officii ac negotiorum ratio ab accurata diſquiſitione arcet, ſi quis conjecturam requiſierit, in animum militarem, ad fervorem paulò propenſiorem, arthritidis fomitem ac ſymptomatum plerorumque focum, rem conjicio. Niſi fortè quis, in corpore potiùs quàm in mente cauſam quærere præoptans, nervoſum genus afflictum, nervo fortaſſis quodam arteriæ comite à digitis, in abſtrusâ illa cryptæ caligine, non ſatis oculatis, vinculo fortè fortunâ arctiùs intercepto, hinc calamitatem ſuam ſociis communicante, ſicque univerſos, aut principium potiùs omnium, ipſum cerebrum in conſenſum trahente, aut etiam inſignem illam putredinem, ſicque malignitatem argumento à nimia ichoris copia & horrendo fœtore ducto, nervoſum genus & per hoc cerebrum infeſtante, aut combinatam etiam utramque cauſam incuſare maluerit. Citiùs tamen, ſi tale quid accidiſſet ac in cauſa fuiſſet, meritò noxa ſemet proditura fuiſſet. Medicamentorum formulas ſingulis diebus ac morbi momentis deſtinatas addere debuiſſem, ac lubens addidiſſem, verùm cùm non ab uno omnia, quatuor enim curæ primariò præfuerunt, Medici tres, Chirurgi duo, nec ſemper ab omnibus junctim, & communicato conſilio, ſed quandoque à ſingulis pro re nata & neceſſitate exigente præſcripta fuerunt remedia. Schedulæ verò ſoluto pretio à Pharmacopæo recuperatæ, à vidua è præcipiti animi dolore & indignatione, Vulcano mox conſecratæ fuerunt. Cùm itaque fieri non potuerit, ut omnes communicarem, nullas potiùs quàm nonnullas addere malui.

Aneuriſma Aortæ mirabile, ex contuſione & fracturâ coſtæ.

Clariſſ. Chriſtiani Vateri, Miſcell. Curioſ. Dec. iij. Anno. 9. & 10.

Nobilis Subcenturio à *Bildſtein*, ante tres circiter annos, in regione lumborum graviter contuſus, ab eo tempore dolorem ibidem percipit, eumque ſenſim invaleſcentem, cui præterea elapſo anni circiter ſpatio, tumor ſiniſtrum latus verſus accedit, ad modum & motum arteriarum continuò pulſans, & per vices acerbiſſimè dolens, cum pathematibus febrilibus, aliiſque graviſſimis ſymptomatibus, donec tandem tumore iſto pulſante ultra capitis magnitudinem aucto & à ſiniſtro hypochondrio ad ſcapulam fere extenſo, ad nos delatus, inter cruciatus maximos viribus prorſus exhauſtus & emaciatus, deficeret & moreretur. Hujus tam pertinacis & incurabilis mali cauſa, ut eò magis innoteſceret, ipſius maritæ deſiderio corpus aperui, in tumore ipſo nil niſi tunicas & muſculos à ſanguine grumoſo putrido ſub iiſdem collecto valde extenſos & ſphacelatos, ſub his verò coſtas duas juxta ſpinam fractas & introrſum ad latitudinem digiti flexas, imò unà cum ſpinæ ipſius vertebris prorſus eroſas, nigricantes & tunicis denudatas inveni, adeò ut etiam vertebræ iſtæ nullâ vi facilè ab aliis ſeparari poſſent, quas proinde unà cum coſtis iſtis eroſis in rei memoriam mihi ſervo. Tandem verò aorta paulò ſub corde ad uſque diaphragma, ultra duorum pugnorum, vel capitis ferè magnitudinem extenſa & tota ſanguine grumoſo, in polypos ferè fibroſos lamellatim concreto repleta videbatur: Ubi inſuper hoc notabile erat, quod tunica arteriæ interior aliàs tendinoſa, hîc potiùs cartilaginoſa, quaſi oſſea, ſed ubivis diſrupta tunicæ exteriori muſculoſæ fruſtulatim connecteretur. Quo ſpectaculo viſo mirari ſatis non potui, quare ex fracturâ coſtarum & preſſurâ vel læſione arteriarum tam gravi, quæ collatis omnibus circumſtantiis procul dubio anteceſſit, haud graviora mala ſtatim ſecuta fuerint, & quomodo in tanta trunci arteriæ laceratione & ſanguinis ibidem in tanta copia collectione & corruptione, nec non vertebrarum, coſtarum, pleuræ aliarumque partium vicinarum eroſione, æger tamdiu & ultra triennium ſupereſſe potuerit; licèt exempla ferè ſimilia à Rumlero in Obſervat. Welſchii 81. & Walæo Epiſt. Med. 1. de Motu ſanguinis & chyli p. m. 64. annotata non ignorarem.

Aneuriſma Aortæ aſcendentis admodum rarum.

Clariſſ. Roſini Lentilii, Ephemer. Germanor. Centur. 1. & 2.

Rhedarius annorum circiter quadraginta, ante duos annos cum dimidio, deturbatus ab equo ferociente per aliquot paſſus in viarum ſtrata præcipitatur. Ab eo tempore dolorem gravativum in pectore ſentire cœpit, qui cùm in obeunda functione nihil eum quidquam moraretur, contemtim habitus eſt. Longo poſt tempore ſaccum avenâ turgidum humeris impoſuit, cujus mole prægravatus & quaſi tergum verſus retractus, cum omni robore renineretur, ſibi viſus eſt in thorace fragorem quaſi perſpicere, unde gravativus ille pectoris dolor augmentum pedetentim cœpit, donec ante annum circiter

circiter rheda vectus; cùm equi in horrorem agerentur, ad eos retinendos, quicquid brachia valuerunt ac omnes nervi, coactus impendere, dolore brachii dextri præ modum ſenſibili afflictus, eo per tempus bene longum ad operas uti non potuit, uſquedum, ipſomet referente, dolor, humerum verſus protenſus ad dextram circiter mamillam reſedit, quamvis tum quidem tolerabilis. Ab eo tempore perpetua in illa ipſa mamilla ſupra papillam pulſatio cum aliquali dyſpnæa, ſucceſſive iſta mamilla in tumorem attollitur, & cumprimis notabilis fuit venarum ibi loci diſtenſio in ramificationes lividas valde conſpicuas, per totum thoracem, præcipue dextrum id latus, diſtincta, ut etiam venarum valvulę in conſpectum venirent, venis ibi loci in parva tubercula, ſeminum inſtar cannabis, protuberantibus, thorace ſimul maculis lividis hinc inde fœdato. Ab eo tempore ſonorum aſthma, licèt abſque tuſſi, notabile ſumebat incrementum, flammea facies intumebat magis rurſum ejus dextræ, quàm ſiniſtræ partes, ut inde non minima deformitas exiſteret. Stupendum viſu, quoties pronus inclinaretur, quaſi de ſtrato quid ſublaturus, faciem inflatione tantam, cum vaſorum turgeſcentia, ſurrexiſſe, ut quaſi mox ſtrangulandus, livore ſuggillatorio horreret, pulſatione thoracis notabiliter aucta, donec erecto rurſum corpore, vultum pedetentim detumeſceret, ſuccedente pallore levioriquc ſpiratu. Eò denique ventum, ut ſcalam aſcenſuro idem, quod verius pavimentum inclinato, accideret, ipſique aliquantillum ante quieſcendum fuerit, quàm verbulum profari poſſet. Cætera de moleſtiis nullis querebatur, ingerebat, digerebat, egerebat, ſomnum placide capiebat.

Ut ſalvum ſe vendicaret, nulli non Medico, nemini non Medicaſtro, ſemet credebat, & his quidem potiſſimum ultimis, quamvis ne ullo cum mali ſaltem apparente levamine. Graſſabatur hîc loci tum temporis quidem ardelio, malefico medicandi genere famoſiſſimus cui nomen erat Serp, à ſerpente antiquo Is Medicorum omnium imperitiam, buccinatus magnifica quæque pollicebatur, donec eum florenis novem egentiorem, ſed & florenis centum ægrotantiorem dereliquiſſet. Miſer enim ſe iſtius veneficiis ad ἀκμὴν miſeriarum perveniſſe, non niſi poſt mortem quiritari deſivit. Medio circiter Novembris 1702. me quoque conſulere decrevit. Ponderatis omnibus circumſtantiis judicavi 1°. ex pulſatione ſupra dextram papillam adeſſe anevriſma, idque fortaſſis in arteria pulmonari; 2°. Attamen cùm pectus in iſto latere tumefactum comparuerit, & reſpiratio tam ægrè proceſſerit, ipſe quoque de dolore ardente pectoris conqueſtus fuerit, quæ ſymptomata aneuriſmata interna, aut non, aut certè nulla neceſſitatis lege comitantur, ſimul de empyemate dextri lateris cogitari, & denique 3°. ob creberrimum ſuffocationis periculum & pulſum intermittentem de polypo cordis fui ſuſpicatus. Data quædam medicamenta, datum ſimul prognoſticon perennis, imò momentanei vitæ periculi, rametſi per quietum vitæ genus hora fatalis adhuc longinquior eſſe poſſet.

Sic inter ſpem & metum conſumti dies multi, multa, ſed pleraque quàm minimè ad rhumbum, in uſum tracta. Denuò me compellat miſer circa initium Februarii, anni 1703. Tumor pectoris dextrorſum jam multò elatior, doloresque ferme intolerabiles. Collata cum Chirurgo jurato, *Dn. Simonio*, conſilia. Conventum, ut, quamvis ſanationi locus non eſſet, ad leniendos tamen dolores animum applicandum eſſe. Affixum iſti pectoris regioni, ubi pulſatio ſentiebatur, potentiale cauterium. Sternum enim ibi loci perforatum, & ex eo ſcaturiginem puris è cavitate thoracis, angurabamus, certè repagulis iſtis perfractis, quo pacto æger à doloribus levari poſſet, proclive nobis futurum ſperabimus. Exeſione ad ſternum uſque promota, firmum hoc & incolume repertum, neque conſultum judicatum ulterius progredi; verebamur enim, ne aggere protinus perrupto ſuppoſitum aneuriſma læderetur, ponè ſecutura lethali hæmorrhagia, quod ſecundùm ea, quæ poſt mortem reperta ſunt, inevitabili neceſſitate ſic eventurum fuiſſe deprehenſum. Igitur ſanato rurſum ulcere, lamina plumbea tumori aptanda laudabatur, unde id lucrifecimus ut ab illo tempore longe mitiùs haberet, cumprimis, quia ſimul decocto pectorali traumatico uteretur, ſic ut facies aliquatenus detumeſceret, tumor pectoris minueretur, reſpiratio meliùs ſuccederet, & ipſe in publicum ſine magnâ moleſtiâ prodiret.

Poſtea verò, quàm noſter itinere equeſtri in *Saxoniam* proficiſci auſus fuiſſet, prima ſtatim equitationis veſpera ſe in deterius relabi, tumoremque thoracis denuò ſuſtolli, perſenſit. Ille verò, cùm contrà audentior ire pertinaci propoſito tentaret, victus in *Hennebergica Schleuſinga* dare coactus fuit; ab aſſumptis paucis pharmacis tantiſper levatus, revertendum ſibi putavit, & cùm *Svinfurti* rurſum per paucos dies aliquot ollulas pharmaceuticas vacuaſſet, *Cellis ad Cuprum* fluvium in Comitatu *Hohenlohico* apud fratrem ibi inhabitantem vix anhelans appulit. Accerſitus *Künzelſava* Balneator, explorato pectoris tumore, hunc capitis humani magnitudinem excreviſſe, ſic ut mentum attingeret, reperit. Dyſpnæa & dolor ardens tanti, ut æger Balneatorem, quantumlibet invitum, in locum pulſationis, ut lanceolam pollicis profunditate adigeret, coëgerit, vulnere aliquot ſanguinis floridi guttulas, prætereaque nihil, plorante. Applicatâ turundâ, impoſito ſacculo herbaceo, æger ſuos lareis viſundi cupidus, comite fr tris filio, *Stuttgardio* noſtro faciem obvertere cœpit. Haut procul *Weiblingâ* animo quaſi lictus, madorem circa locum affectum percipit. Deſcendens de equo, remotis veſtibus, ecce tibi vis magna ſanguinis congrumati induſium ad uſque cingulum oppleverat; inde quidem virium ſe debilem, ſed leviùs ſpirantem, dolore ſcil. nonnihil ſedato & pectore detumeſcente, notavit. Vulnere *Weiblingæ* deligato, denique fere ſyncopticus familiam ſalutavit, tumore, ardore, dyſpnæâ, de die in diem rurſus increſcentibus, uſque dum præterito 23. Junii circa meridiem arrepta *acicula majore* (*Cheſſiklufe*) obtuſiore & capita ejus parte vulnuſculum *Künzelſaviæ* inflictum titillare & fodicare tamdiu pergeret, donec primò inſignis copia cruoris atri, poſtea verò ſanguinis quoque arterioſi cum ſubſultu pulſiformi tanto cum impetu profiliret, ut animo verè linqueretur; diſcurrunt ſimul ad Parochum alii, alii ad Medicum, tertii ad Chirurgum, qui advolantes ſuo quiſque officio indefeſſi fungebantur. Sanguinis fluxus *crepitu lupi* ſiſtebatur, & licèt carpus propemodum planè quieſceret, attamen, quod ſanè mirum, æger non illud tantum diei, ſed ſextum ferme adhuc diem ſupervixit. Etenim cùm ſanguinis arterioſi ſcaturigo rupturam aneuriſmatis teſtimonio, omni exceptione majore doceret, conſectarium quod aliud eſſe potuit, quàm totam ſanguineam maſſam pectoris earum inundare, ejuſque circulari motu abrogato, vitæ pauſam inſequi debuiſſe? ſi quid enim ratio valet, ab hæmorrhagia *Warblingenſi*, quod vivus eſſe nondum deſierit, mirandum. Sed mortui corporis apertura, de qua ſuo loco, nodum expeditò ſolvit. Properamus ad finem tragœdiæ. Nunquam viribus magis antè defecerat noſter, attamen animum erigebant pauliſper ſpiritus jam liberior, ardoris ceſſatio, pectoris ſubſidentia.

Facies

facies ante turgida; jam quaſi à diuturnâ tabe confecti. Parvæ induciæ. Suſtolli tumor ad capitis infantilis molem, lapidem dixiſſes, adeò tactui renitebatur. Interim, quòd ab hæmorrhagiæ repreſſione vita miſeri penderet, Dn. *Du Vernoy*, Chirurgus juratus, ſupra pulvillos ſtipticos (quos removere conſultum non erat) ſacculos adſtringentes vino calido immerſos imponebat, circumjectâ inſuper ſatis validâ ligaturâ. At verò, die 28. Junii, circa meridiem cùm æger lectulo ſuo ſe inferendum curaret, rupto iterum per vim aggere, ſanguis ampliùs retineri noluit, quo plurima ſui parte exhauſto circa 4^{am}. pomeridianam, æger cum vita miſeriarum ærumnas morte placida depoſuit. Die ſequenti 29. ſcil. Junii mane corpus demortui præſentibus & manum commodantibus me, Dn. *Du Vernoy* & Dn. *Breuningio* Chirurgis apertum. Ante ſectionem ſugillatus livor in dextra thoracis regione, tumor in collem dimidiati capitis infantilis elatus, nunc molicellus; ſupra iſtam papillam ab ulcere relicta caverna, cujus circuitum florenus imperialis explere potuiſſet. Inde manabat ſanguis ater, grumoſus & olidus. Jam igitur cultro diviſa cum carne muſculoſa cutis à pomo Adami (laryngis regione) ad umbilicum uſque, hinc tranſverſim à thoracis uno latere ad alterum (abdomen enim dividere ſupervacaneum viſum.) Integumenta quoque ad ſternum uſque ſeparata, tumor quoque cruciatim ſciſſus, vi magnâ ſanguinis coagulati & fœtentis explebatur, cujus inde colluviem inſignem in pectoris cavo repertum iri certò certius opinabamur. Detecto cruore prolutoque aquâ tumore, mamilla quidem dextra ſpongiosò-glandu-duloſa reperta, ſed interim pectoralis & ſubclavius muſculi in ſolidum, & magno noſtro cum ſtupore, coſta ſecunda & tertia cum notabili parte oſſis ſterni foramine rotundo, trium facile digitorum capaci, pereſa, phænomena planè curioſa præbuerunt.

(α) Tertiæ coſtæ portio quatuor circiter pollicum longitudine, e fuſco nigra, carioſa & planè friabilis à ſterno coſtæque ſuæ parte ſana abſceſſerat.

(β) Coſtæ ſecundæ potiſſima pars ligni ad inſtar putridi, nullo vel tantillo negotio in fruſta comminui poterat, eadem carioſa, nigra.

(γ) Coſta in ordine à collo prima & dextra ſub illius lateris claviculâ priùs remotâ, latitudine ſua duos pollices æquabat, duplò, quàm par erat, in comparatione ad lateris alterius primam coſtam latior.

(δ) Foramen ſupra notatum ipſum quoque ſternum, facie lunæ falcatæ, ſic eroſerat, ut ipſummet foramen exactam rotunditatem indipiſceretur.

(ε) Jam verò curioſi attendite! Sternum à coſtis more ſolito ſeparatum remorari, cùm, qua neſcio, remora, impediremur, ecce nuſquam fortaſſe vel lectum vel auditum reperimus. Numque ſub iſto floreni perimetrum expediente foramine non erat à nobis expectata thoracis cavitas, at verò foramen iſtud ambiebat cutis craſſa, firma, tantùm non cartilaginea, marſupium dico ſimile iſti, quo recunduntur globuli ſcloppetarii minores (*ſchloſbeutel.*) Per hoc foramen, tanquam patulum canalem ingreſſus digitis patebat in ipſummet ſiniſtrum cordis ventriculum, quo de plura ſuo loco.

(ζ) Hac igitur cuti remotâ & ſterno ſublata dextræ pectoris cavitati innatabat ſtagnum ſeri limpidi ſubcrocei, quo nec planè thoracis ſiniſtra ſpecus deſtituta fuit. Jam verò, loco crediti empyematis, hydropem thoracis conſpicabar.

(η) In tali quales capiuntur flumine piſces? Abſceſſerat lobi pulmonis dextri ſuperioris mucro palmæ circiter magnitudine, quæ huic aquæ tota corrupta & compreſſa tabi modo diffluens innatabat, miro ſane & inſolito ſpectaculo, quamvis, ut nil diffitear, dexter pulmonis bipartitus lobus inde à tracheæ diviſione, totum ſe putridum & friabilem oſtendiſſet. Iidem pleuræ firmiter annectebantur.

(ϑ) Pulmones, quà ſiniſtrum occupant, non equidem putridi, ſed colore ſubfuſco & compage valde laxa ſuſpecti, nullibi tamen, quod recorder, pleuræ adhærentes.

(ι) Cor flaccidum è ſede ſua ſiniſtrum verſus adeò propulſum, ut ejus mucro coſtas illius lateris tangeret; quin & ipſa baſis ſiniſtra thoracis cavitate claudebatur.

(κ) Parenchyma cordis putredini valde propinquum.

(λ) Trunci arteriæ magnæ aſcendentis à ſiniſtro cordis thalamo ad coſtarum ſuprà dictum foramen adeò ſtupenda extenſio, ut, cùm ſanguine adhuc diſtentus eſſet, aneuriſmatis capacitas pugnum virilem facilè admiſiſſet; unde quoque liqueſcit ſupra litt. E. memoratam & coſtis interius adglutinatam denſam cutim nil aliud fuiſſe; quàm ipſiuſmet arteriæ ſubclaviæ dextræ, à trunco aſcendente arteriæ magnæ oriundæ ſubſtantiam.

(μ) Dexter cordis ventriculus exſanguis, vacuus, intra cujus columnas duæ concretiones polypoſæ ſat lungæ, quarum principium ſubſtantiam parenchymaticam mentiebatur, finis autem æmulus erat congeſtionis fibroſæ ſanguineæ.

(ν) In ſiniſtro cordis thalamo cruoris denſati parum continebatur. Oſtium ejus in arteriam magnam mirum ac inauditum in modum dilatatum, vah! quantum patebat?

(ξ) Auriculæ binæ cordis collapſæ & corrugatæ. Omnia cor circumjacentia vaſa planè vacua, ſic ut aperturam corporis demortui adeò incruentam, quinquagenarius vir, nunquam obſervarim, imò perſuaſus in ipſiuſmet abdominis apertura, nihil vel parum ſaltem ſanguinis profluxurum fuiſſe.

(ο) Pericardium liquore ſuo turgidum, mediaſtinum, diaphragma &c. nil inſoliti oſtendebant; & hîc ſubſtitimus.

Agedum! parum circa hæc phænomena commentari liceat.

I. A primo patientis lapſu de equo, in trunco arteriæ magnæ aſcendente, ubi jam in arteriam ſubclaviam dextram divaricari cœpit, vel extenſio, vel ruptura tunicæ internæ nerveæ & craſſæ eſt orta; quæ arteria ſic læſa ob perpetuam ſanguinis arterioſi contenti pulſationem ſucceſſivè dilatata ſaccum finxit & in *aneuriſma* excrevit, cujus incrementum per ſacci frumentarii geſtationem & equorum ferocientium violentam retractionem notabiliter acutum fuit. Hoc igitur aneuriſma non fuit in arteria pulmonari è dextro cordis thalamo in dextrum pulmonis lobum prodeunte, ſed in principio ſtatim arteriæ ſubclaviæ dextræ.

II. Idem aneuriſma ſucceſſive productum fuit fermè ad illam uſque regionem, ubi arteria ſubclavia, mutato nomine, arteria axillaris appellari incipit.

III. Hæc arteria axillaris dextra, cùm ſiniſtrâ partim ſit amplior, partim altiore loco ſita, adeò ut; antequam axillaris evadit, circa primam & ſecundam coſtam, propemodum ad pleuram impingat; ita ob ſui expanſionem neceſſariò qualibet pulſatione violentiùs ad coſtas duras allidere debuit, unde factum ut fo-

ut foris impoſita manu pulſatio tam promptè ſentiretur, quod, ſi ſitus aneuriſmatis profundior fuiſſet, fieri non potuiſſet.

IV. Ob perpetuam hanc ad coſtas duras alliſionem, denique membrana exterior tenera arteriæ ſubclaviæ attritionem eſt paſſa, & cum pleura ſucceſſivè coaluit.

V. Hæc attritio vel eroſio ob contiguitatem in mediam illius arteriæ tunicam propagata, hanc etiam perfregit, adeò ut tota arteria ſubclavia ibi loci perrupta coſtis adglutinata fuerit.

VI. Jam igitur ſanguis arterioſus continuis pulſationibus ad ipſaſmet coſtas, fluctuum inſtar ad ſcopulos marinos, violenter allidens, fervore, ebullitione forſan & acrimoniâ ſuâ id effecit, ut, ſucceſſu temporis, & contigua ſterni portio, & ipſæmet coſtæ friabiles factæ, quin denique planè perfractæ fuerint. Immò, non eſt captu difficile, quo pacto poſt quemlibet appulſum ad coſtas iterum verſus ſiniſtrum cordis ventriculum repreſſus, immò repulſus, ſanguis, majoris extenſionis arteriæ auctor extiterit.

VII. Veriſimile tamen eſt, ſterni coſtarumque plenariam exeſionem priùs non factam, quàm ubi Patiens ultimò Saxonicum iter ſuſcepit; & tunc, ſine dubio apertura prima non admodum magna fuit, per quam ſanguis arterioſus, muſculos thoracicum & ſubclavium, & poſtea ſubſtantiam dextræ maxillæ glandoſam permeavit, ibi congrumatus, & aceſcens, tumorem doloremque lacerentem excitavit, immò denique planè ſphacelatus fuit.

VIII. An cauterio potentiali diu antè applicato hæc oſſium eroſio promota fuerit, affirmare non audeo; in eam enim profunditatem uſque dictum cauterium nullatenus penetrare valuit.

IX. Cùm itaque ſanguinis affluxus ſub integumentis communibus & muſculis pectoralibus accumulatus fuerit, inibi ſtagnaverit & in corruptionis ſtatum abierit, aliter fieri non potuit, quàm ut, ſymbolam quoque addente equitationis motu, tumor repente augeretur, & denique in capitis virilis quantitatem ſuſtolleretur; ubi ſimul ob nimiam tendinum, fibrarum & membranarum tenſionem dolor, & ob repulſum ac reniſum ſanguinis verſus coſtas ac diaphragma, dyſpnœa augeri debuerit.

X. Punctura Balneatoris *Cünzelſavienſis* cultello facta procul dubio non ſatis profunda fuit, nec ad ſanguinis congrumati molem penetravit, hinc paucæ tantùm ſanguinis guttæ perfluxerunt.

XI. Nihilo tamen minus, dilatata ſimul per applicatam turundam, illa punctura id effecit, ut ſubtus collectus ebulliens ſanguis, debilitatio ſic partium mollium reniſu, promovente ulteriore per equitationem motu, prope *Waiblingam* aggerem verſus inciſuram perruperit, & cum impetu profluxerit.

XII. Deligatio verò & iſchæmorum applicatio *Walblingæ* facta, hæmorrhagiam equidem ſufflaminavit, interim tamen foramen ſterni & coſtarum ſucceſſivè dilatatum fuit, donec per fodicationem aciculâ majore factam ſanguis denuò ſibi viam patefecit, protruſo primùm ab impetu ſubtus ebullientis arterioli, ſanguine grumosô, illo poſtmodum, more ſuo ſubſultim ſequente, qui per iſchæma & ligaturam fortem ad aliquot dies rurſum reſtitit, ſed repagula denuò perfregit, & exhauſtis ferè vaſis ſanguivehis omnibus, vitæ ſat miſeræ pauſam fecit.

XIII. E quibus omnibus ritè penſitatis nunc planum exiſtit, partim cur in cavitate thoracis ſanguis extravaſatus ferè nullus repertus fuerit, non obſtante, aneuriſmate rupto, quod omnibus aliis obſervationibus anatomicis contrariatur, hanc autem propterea mirabilem magis & curioſam facit: partim, cur, æger non ſtatim poſt primam hæmorrhagiam vivere deſierit, quod ruptis alioqui internis aneuriſmatis fieri ſolet? Utrumque inde venit, quia arteria ſubclavia, quâ aneuriſma conſtituit, ſterno & utriſque coſtis agglutinata fuit, ſaccum ibi, ſeu marſupium formavit, intuſque contentis ſanguis ebulliens, æſtuoſus, continuò allidens, primò membranam arteriæ coſtis affixam, deinde coſtas & ſternum ipſummet eroſit, & ſibi ſpecum in muſculoſis corporis partibus excavavit; unde omnis in aneuriſmate rupto contentus ſanguis viam per foramen oſſeum ad extremitates pectoris quæſivit, cujus ne gutta quidem in cavum thoracis penetrare potuit, niſi aneuriſma interiora verſus æque rupturam paſſum fuiſſet, quod autem factum non eſſe, ſectio patefecit.

XIV. Repertum in aneuriſmate coſtæ, innatans fruſtum (ſine dubio paucis ante mortem ægri diebus ab oſſe ſuo ſegregatum) defuncto peculiaris doloris propterea cauſa non eſſe potuit, tum, quia in iſta aneuriſmatis amplitudine ſpatium natandi ſive liberum fuit; cùm, quia arteriæ interior membrana ſenſu non admodum exquiſito gaudet.

XV. Immò & hinc diſpaleſcit, cur æger primis inde affectus ſui temporibus è brachio dextro tam inſigniter doleret? Primùm enim extenſio uſque ad axillarem arteriam proceſſerat, poſtea verò verſus aortæ truncum retroceſſit, quo ſpatium liberius ibi obtineret, cùm e contrario axillaris arteria, quò magis in brachium perpetuata, eò anguſtior evadit, quibus in anguſtiis coactus ſanguis per fibrarum diſtentionem doloris auctor extitit.

XVI. Nec eſt conceptu admodum difficile, unde venarum protuberantia maculæque ſuggilatæ in pectore? Tanta ſubclaviæ aortæ expanſio ſibi proximè adjacentem venam ſubclavam compreſſit, ſanguiniſque per eum refluxum quadamtenus impedivit, cui proinde in ramis thoracicis & intercoſtalibus ſtagnandum fuit, quod magis factum corpore terram verſus inclinato, majore tunc interim venarum compreſſione exiſtente.

XVII. Quin fieri pronum erat, ut propter nimiam arteriæ ſubclaviæ expanſionem, ſanguinis parcior affluxus oriundis ab illa arteriis intercoſtalibus ſupernis & mammariæ dextræ, patuerit, unde factum, ut earum capillamenta ſanguinem venoſum prorata non reſorberent, hinc venas mammarias & intercoſtales nimium impleri neceſſum erat.

XVIII. Quod verò, ubi pronus fieret ægrotus, facies adeò vehementer inflaretur, livore tota ſuffunderetur, & liber ſpiratus interciperetur, inde eſt, quia inclinato corpore, & anguſtato thorace, aneuriſma, inſtar utris pleni, comprimebatur, ſanguiſque in ea contentus vi quadam in arterias carotides confeſtim erumpebat, caputque inundabat, hinc & pulmonibus ſpatium ſemel per inſpirationem libere expandendi denegabatur. Quemadmodum ipſius faciei perpetua quædam inflatio tumorque dextri thoracis maxima ſui parte ſuccis ob impeditam circulationem intra vaſa ſtagnantibus & in gelatinam coëuntibus; dyſpnœâ verò partim dictæ circulationi præpeditæ, partem hydropi pectoris meritò accepta ferenda.

XIX. Qui thoracis hydrops à quibuſdam per lapſum ex equo, geſtationem ſacci, coërcitionem equorum ferocientium diſruptis vaſis lymphaticis thoracicis petendus. Sic enim ſerum pedetentim in dextrâ thoracis cavitate, tanquam ciſternâ, colligi oportuit. Cujus loco, ob ſummam ſpirandi difficultatem pectoriſque intumeſcentiam, empyema ſuſpicatus eram.

XX. Pot-

XX. Porrò tam ſtupenda moles aneuriſmatis cor ſucceſſive loco migrare coëgit, quod ſiniſtram thoracis cavitatem ad uſque ſiniſtras coſtas occuparit.

XXI. Quòd etiam lobi pulmonum dextri ſero extravaſato tamdiu innatarunt, eos à putrefactione haud multùm abfuiſſe mirum non eſt; id verò planè mirandum, ungulam lobi ſuperioris à corpore ſuo planè ſeparatam fuiſſe, quamvis id quoque non multis ante mortem diebus contigiſſe veriſimile exiſtat.

XXII. In eorum cordibus, qui thoracis hydrope laborant, polypi frequenter inveniri ſolent, cordium præcipuè in thalamo dextro. Quod hinc exiſtere puto, quia per iſtam hydropem, ſanguis ſero ſuo depauperatur, hinc ſanguinis venoſi fibræ in anguſtis interſtitiis intra cordis columnas comprimuntur, per iteratos pulſus conquaſſantur, & in maſſam cornoſam denſantur.

Obſervatio ad hæc noſtra non multum abludens reperitur *in Ann. V. & VI. Dec. III. Ephem. Cur. obſ.* 179. Quæ legi meretur. Item *in Obſ. Joh. Ulder. Rumleri à Velſchio Curat. & Obſ. Joh. Ulder. Rumleri à Velſchio Curat. & Obſervat. Medicinal. editis, obſerv.* 81. Nam & ibi memoratur de aneuriſmate aortæ, quod coſtis & ſpinâ vertebris accreverat, quin & coſtis vicinis, immò unâ planè confractâ &c. Tantum!

Aneuriſma Genu ſiniſtri, exciſione cautâ, feliciter tandem ſanatum.

Ephemer. Germanor. Centur. 3. & 4. *p.* 39. & *ſequ.*

Inter Sancti Moniales Collegii Urſulini Uratislavienſis Laica quædam, ita dicto nomine M. B. eò quod genibus frequentiſſime duriori in ſolio innixa prolapſaque, tumorem in genu ſiniſtro contraxit molliuſculum aliquo modo, denſa tamen perſiſtente deſuper cute, ſucceſſivè magis magiſque auctum, tandemque genu illud univerſum omnimode operientem, magnitudine mali Punici majoris, baſis tamen latiuſculæ, dumque in genua procumberet, uti & ſub motu, hinc valde impedito, dolentem imprimis atque ſpaſticos hinc motus ſubinde excitantem de cætero ex rubro lividum tandem, ulcuſculis quaſi cruſtoſis in ſuperficie hinc inde refertum, minùs tamen pulſantem, nec foveam, ad impreſſionem digiti tangentis relinquentem, multò minùs dum manu premeretur, retrocedentem, illo ſcilicet tempore, cùm poſt aliquot annorum intervalla, ex quo natus erat, An. 1694. ſcilicet menſe Februario, nobis demum oſtenderetur, ſocero nempe meo ſæpius jam laudato, nunc autem Beato, tanquam ordinario t. t. ſacri hujus Conventus Medico, mihique ſimul ac Balneatorum Chirurgorumque hî ſeniori, Johanni Georgio Lindnero, nunc pariter cœlitibus annumerato.

Præmiſſis proinde præmittendis, univerſalibus & venæ ſectione revulſoria imprimis brachii ſiniſtri &c. quoniam fruſtra hactenus topica varia diſcutientia & mitigativa fuerũt applicata, propoſuimus deniq; inciſionem cautã exiguamque, mediante lanceola Chirurgorum per foraminulum, quale in ſectione venarum formari ſolet, inflictum, ut appareret, qualenam contentum propriè ſubtus lateret, omnemque in eventum emergens, hinc hæmorrhagia nimia per turundam, ſtypticâque mox immiſſa, nec non optimam deligationem, ſtatim iterum cohiberi poſſet, uſque ſucceſſive ſanguis aliave contenta rurſus emitti, vulnuſque dilatari magis poſſet. Manum ergo hac ratione operi huic admovimus mane d. 19. Februar. Anni prædicti, levique punctura mediante lancetta, aperto ſic tumore, ſanguis mox fluidiſſimus ad ℔j. præterpropter effluxit, ſine tamen magno impetu proſiliendi, niſi ſub principium & finem, qui collectus in vaſe figulino exiguum ſaltem grumum poſtmodum in fundo exhibuit, reliquo omni fluido, floridoque prorſus manente, ſine tamen ſeri alicujus ſeceſſu, aliter ſane ac in venoſo fieri aſſolet. Tumore autem, doloreque. mox abhinc notabiliter flacceſcente ac diminuto, turundam ſtypticâque aliqua vulnuſculo immiſimus; emplaſtroque conglutinante deſuper impoſito, membrum apte optimeque deligavimus, propinata inſimul interne per intervalla ſæpius repetenda, potiuncula ex aquis cordialibus frigidis ac temperatis, præcipitantibuſque, ſic dictis ac nitratis, ad motum & influxum ſanguinis impetuoſum ſic inhibendum. Poſtridie aperto iterum per Chirurgum prælaudatum vulnere, parcior longe quantitas ſanguinis effluxit, injectoque liquore ſtyptico balſamicoque, de die in diem cruentus nunc ſaltem ichor loco ſanguinis prodiens, tumorque prædictus valde diminutus, uſque dum menſium fluxu ordinario ſe exhibente, paulò magis iterum increverit tumor, duriorque factus & inflammatus aliquomodo, dolorem etiam haud parum auxerit atque exacerbaverit. Quibus autem turbis iterum ſedatis, nulloque ſanguine ichoreque prodeuntibus, turundâ ex ſpongiâ compreſsâ vulnus ſucceſſivè magis dilatatum, ſicque d. 26. Februar. deinde ingens copia materiæ fœtidiſſimæ ex albo rubeſcentis granuloſæ quaſi ac veſiculoſæ, per vulnus partim excreta, partim expreſſa extractaque fuit, ovario piſcium ſimillimæ aut globulis guttuliſvè ſanguinis arterioſi minimis, ſucceſſivè erumpentibus guttatimque cohærentibus, ſive concretis ac invicem conglutinatis, fontemque anguſtioris forſan rupturæ aut Anoſtomoſis utriuſque tunicæ arterioſæ obturantibus & conſolidantibus tandem, ob compreſſionem forte antea frequentem, dum in genua ſæpiùs procubuerat Monacha. Altero deinde die labia vulneris tumoriſque hujus cruciatim prorſus diſſecuimus, cruſtamque albicantem ac mucoſam, patellam fere univerſam obducentem, in fundo hujus tumoris deprehendimus qua per abſtergentia, mundificantiaque è Balſamicis Peruv. camphoratis, Mercurio præcipitato, melleque roſato &c. ſucceſſivè conſumta, interneque corpore ac ſanguine per Eſſ. Myrrh. Tartariſat. Decocta lignorum cathartica ac venæſect. optimè depurato, vulnus uſcuſque hoc mucoſum, mediante Maſsâ *Pamphilius* nuncupatâ, tandem exſiccavimus, reliquiſque topicis congruis, Deo benedicente, ſub finem Aprilis ad conſolidationem, ſanationemque plenam, multiſque nunc Annis perſeverantem, ex voto perduximus.

Aneuriſma Carotidis curatum.

Clariſſ. Godofridi Xlaunii, Ephemer. Germanor. Centur. 3. & 4.

Juxta celeberrimi. Joh. Jac. Harderi effatum in Apiarii ſui Obſervat. 86. p. 324. felicem aneuriſmatis exitum pauci viderunt, adeò ægrè ferunt arteriæ habenas ſibi injici. Nec reliqui Medicæ praxeos Coryphæi calculum adjicere denegant, uno ore hujus morbi indolem peſſimi ominis & infauſtæ prognoſeos ſtatuentes. Sufficiat inſtar omnium allegaſſe famâ & meritis Ampliſſimum Thom. Bartholinum, qui in Epiſt. Medic. 54. Centur. 3. ingenue fatetur, ſe DEUM precari ſolitum, ut hujuſmodi caſus vel avertat, vel curæ ſuæ ſubtrahat, & in ſeq. Epiſtola rarò contingentibus, curatum Aneuriſma in Carotide filii ſeptennis enumerat, nec arti ſed tenerrimæ partium conſtitutioni coalitum promoventi, vel quod arteria læſa os ſubjectum habuerit, ut arctiſſime potuerit comprimi ad conſolidationem, adſcribit, feliceſque prædicat, quibus

ita

ita favet natura. His commotus ejuſmodi albæ Gallinæ filium in ſcenam producere eaque, quæ circa Aneuriſma carotidis feliciter curatum mihi obſervare licuit, communicare haud vereor. Erat is Juvenis generoſa ſtirpe ſatus, ætatis 25. annorum, cui d. 14. Octobris prӕterlapſi anni, poſt auris ſiniſtræ helicem ramus poſterior externæ Carotidis gladio tranſcindebatur, unde aliter fieri non potuit; quàm ut enormis ſequeretur hæmorrhagia. Huic ut obex poneretur, quæcunque occurrebant ſtyptica in auxilium vocabantur, non tamen impediebant, quò minùs ſpatio octo dierum recurreret ſtupendæ hæmorrhagiӕ impetus. Victo tandem hoc hoſte, Aneuriſma à loco tranſciſſæ arteriæ ad lobum auris uſque ſe extendens, craſſitiem duorum pollicum adæquans; & tam vehementi pulſu præditum, ut aurem hinc inde commoveret, in conſpectum veniebat, quod proculdubio à præcluſa ſanguinis via, tranſciſſo ſcilicet arterioſo ramo, & ad compeſcendam hæmorrhagiam fortiter compreſſo, derivandum erit. Sequutus methodum his in terris uſu receptam, plumaceolis, quæ linimentis adſtringentibus imbuebantur, & laminis plumbeis aneuriſma paulatim comprimere, ſanguiniſque affluxui frænum injicere conabar, nulla verò exinde redundabat utilitas, niſi quod ſtagnans ſanguis ad Apoſtema diſponeretur, & hæmorrhagiæ ad tempus inſerviret pro remorâ. Dum hæc agerentur, Æger conquerebatur de dolore propè aurem pulſatorio, æſtu intenſo, noctibus inquietis & reliquis febris vulnerariæ ſymptomatibus, quibus interna medicamenta opponere non fuit neglectum. Die 2. Novembris ex eſchara, quæ aneuriſmati inhærebat, ichor & purulenta materia ſe manifeſtabat, quæ & in ipſa auris concha, quorſum arteriæ extenſio proceſſerat, quærebat exitum. Quapropter ut mundificantia & gangrænæ ſphaceloque reſiſtentia applicarentur, infra tumorem arteria carotis comprimeretur, & ad cohibendum verſus ſuperiora impetum ſanguinis, inſtitueretur in pede V. S. auctor eram atque ſuaſor. Nihilominus tamen die 3. Novembris infra ſacculum per duo oſtia ſanguis arterioſus uno impetu & tanta vi prorumpebat, ut duorum Chirurgorum manus, hæc oſtia comprimentes, vix ſufficerent ad inhibendum effluxum, noſque ſpes penitus decollaret. Cogitatum quidem de ſectione in Galliis ſæpiùs felici ſucceſſu inſtituta, nec deerant mihi homines ſatis audaces, qui conſilium prӕcipitaverant de abſcindenda tota aure ad melius detegendam rupturam, de tranſverſim ſcindenda arteria infra aneuriſma, cui curæ per cauterium actuale colophonem imponere decreverant: nullus autem inveniebatur, qui vel fando operationis huc ſpectantis habuiſſet notitiam. Ne itaque famam meam ludibrio exponerem, negotium ambiguæ aleæ, committendo Chirurgorum audaciæ, conſultiùs ducebam tritâ incedere viâ. Explorabatur digito aneuriſmatis fundus, in quo nobis obveniebat durities cartilaginoſa, quem ſpem faciebat, fore, ut aneuriſma non adeò profundè ſe extenderet. Hianti Arteriæ injecta fuere aliquot fruſta aluminis crudi, & adhibitis ſtypticis pluribuſque plumaceolis omnia optimè firmabantur, quibus ſanguis intra fines ſuos ad aliquot horas continebatur. Cùm ſequenti die hæmorrhagia recurreret, arteriæ iterum aluminis fruſta, & lintea carpta liquore ſptyptico imprægnata profundè intrudebantur, ac externè paſta ex pulveribus adſtringentibus ſpiritu vini rectificato madidis ſtupâ mixtis imponebatur. Ita quidem conſultum erat hæmorrhagiæ, ſed ecce! totum faciei latus ſiniſtrum in tumorem elevabatur, qui, quoad febrem ſymptomaticam & reliqua eryſipelati appropinquabat, in primis fauces ejuſdem lateris ſanguine adeò turgeſcebant, ut prima die ſalivam cruentam exſpueret. Ex analogia externè pulvis contra Eryſip. Minſ. Faucibus gargariſma ex diſcutientibus, contra febrem leniter diaphoretica cum euphoriâ fuere ordinata: his enim adminiculis poſt duos dies febris extincta & tumor penitus ſublatus. Pari gaudio nos exhilarabat locus aneuriſmate antea notatus, qui, ſucco per apoſtema conſumpto omnia in ſtatu naturali, principium ſcilicet rami poſterioris carotidis occluſum, vel quaſi deletum exhibebat. Hinc mihi naſcebatur concludendi occaſio, quod, ramo poſteriori externæ carotidis per abſceſſum penitus deleto, & porta ad hunc ramum per conſtringentia &c. ſanguini occluſa, omnis ſanguis per carotidem externam affluens coactus fuerit ingredi ramum interiorem, mediante quo ſuccus hic vitalis ad faciei partes perducitur; ut adeò non mirum ſit, quòd faciei ſiniſtrum latus, cùm ſanguinem in multo majori quantitate continere debebat, intumuerit, antequam huic proportioni aſſueta, & circulus ſanguinis in ordinem iterum fuerit redactus.

Cadaverum Anatomicæ Inſpectiones.

Ante annos plus minus 40. habui cum Collegis in cura quendam Patritium, Nob. L. VVelſetum; is ex ſaltu & concuſſione equi ferocientis incidit in vehementiſſimum dolorem dorſi, qui nulla erat medicabilis arte, plurimis & diverſis cujuſque generis tentatis; tandem ex Belgio huc vocatus Veſalius, cui in Anatomicis adminiſtrationibus ſuo tempore par non erat, nedum ſuperior. Is ut deprehendit tumorem aliquem non ita magnum in dorſo circa vertebras, aut ſpinam pulſantem, ſtatim dicebat eſſe ἀνεύρισμα ex dilatatione aortæ arteriæ. Nam ut in varicibus videmus contineri ſanguinem in media vena, ita in hoc affectu in media aorta materia, idque ex ſaltu, ſeu concuſſione equi contigiſſe, & incurabilem fore. Idem aſſerebat ſe ejuſmodi affectus vidiſſe in gutture, in pectore, in poplite, in brachiis, & ſemper inferre extremos dolores & tandem ſyderationem; nec curari niſi abſciſſa parte affecta. In ejuſmodi aneuriſmate ſe quandoque reperiſſe humorem concretum inſtar glaciei, aut humoris cryſtallini; interdum veluti ſanguinem concretum, aut molam, in vivis corporibus verum ſanguinem deprehendiſſe, in defunctis nigrum & ſideratum, & cum graviſſimis doloribus ægros mori; ſponte interdum fieri ejuſmodi vaſorum dilatationem, interdum ex cauſa antecedente, qualis fuit in hoc noſtro ægro; qui ſupra biennium hoc graviſſimo morbo conflictatus, omnique auxilio Medico deſtitutus, tandem in manus Empirici incidit, qui ſalutem pollicitus exhibuit catapotia, neſcio qualia, ex quibus in ſanguinis ſputum incidit, & miſer ille in ſinu conjugis tandem extinctus 25. Junii 1557.

Diſſecto corpore reperimus id quod Veſalius prædixerat, in ipſa arteriæ aortæ cavitate, tumorem prægrandem, durum, carnoſum, ex ſanguine arteriali concretum, qui foràs etiam protuberans, in dorſo dolorem & pulſationes inferebat, ejuſmodi nimirum qualis in arteriarum pulſu deprehendi ſolent.

Hæc ex *Adolpho Occone*. *Achilles* verò *Gaſſerus* ad Veſalium poſt cadaveris ſectionem ſequentia tranſmiſit.

Secto ventre apparuere membra naturalia ſatis bene conſtituta, in ventriculo & inteſtinis nullum erat vitium, hepar integrum, & valde magnum, vena

cava item maxima, quanta forte nunquam viſa; ea rupta erat, qua parte aneuriſma ipſam attingit; lien admodum brevis & ex parte exterius ſubalbidus, ac quaſi ſemiputridus; cor magnum ſano ſimile & plurimo ſanguine abundans; in ipſa aorta dilatatio non modica ad palmæ magnitudinem, quæ coſtis, & & dorſi vertebris ita erat adnata ut integra ſeparari nequiverit; ea igitur divulſa emanavit ſanguis tenuis, ruber, & qualis eſſe ſolet arterioſus, qui contentus fuit concreto quodam cruore, ſeu carniformi materia fibris deſtituta, quam rurſus circumdedit ſubalbida & dura quædam ſubſtantia tranſverſi digiti ſpiſſitudine, colore & ſpecie lardo ſuillo elixato non abſimilis. Tota autem aneuriſmatis compages cum ſuis contentis pugnum, non parvi hominis, ſed ovi ſtruthiocameli magnitudinem, ferè æquabat; coſtæ circa locum aneuriſmatis medium erant quaſi carioſæ, una prorſus (ex fortiſſimis proculdubio impreſſionibus) rupta & fracta, ſimiliter & dorſi ſpondyli eo loco, quo ſupra diaphragma aneuriſmati connexi erant; ſpongioſi & ita arroſi, ut uni atque alteri, ſuprema minimi digiti ſuperficies inſeri potuerit, citra tamen inſignem fœtorem; pulmonum nulla læſio, licèt æger copioſum ſanguinem ante obitum ipſum exſpuerit, adeò ut ex eo ſputo ſuffocatus adſtantibus videretur; extima cutis, ubi in dorſo tumor & pulſatio in vivente notari poterat, à morte livida & ſanguine ſuffuſa ad inſtar flagellatorum. Hæc recenſet *Joann. Udalr. Rumlerus Obſerv.* 81.

In Collegio Rhemenſi cuidam Sacerdoti aneuriſma erat in cruribus. Aperto cadavere reperta eſt magna dilatatio arteriæ, & ſanguis in ea arteria concreverat, induruerat que. Indurationis cauſa tribuebatur immoderato rerum refrigerantium uſui. *Jacob. Thevart. in Ballon. conſil. lib.* 1. *conſ.* 107.

Dom. Pelet Civis Monſpelienſis quinquagenarius, atrabilario temperamento præditus, cùm graviſſimis curis eſſet afflictus, poſt multa ſymptomata melancholiam hypochondriacam atteſtantia, paſſus eſt tumorem ſub clavicula dextra eminentem, & ovi dimidii magnitudinem æquantem, mollem & reliquæ cuti concolorem, in quo pulſatio inſignis apparebat. Judicatum fuit eſſe aneuriſma inſanabile. Eo defuncto, inventa eſt arteria magna aſcendens à corde ad claviculam ita dilatata, ut brachii ferè magnitudinem æquaret, & ovum gallinaceum in ſuam cavitatem facilè admittere potuiſſet. Præterea tunica illius admodum denſa & cartilaginea evaſerat; quod admirabilem naturæ providentiam notat, quæ tunicæ maximè dilatatæ ruptionem vitare contendens, eam denſiorem ac duriorem effecerat. *Lazar. River. centur.* 4. *obſ.* 34.

Lethale aneuriſma vidimus in Juvene ex læſo femore, nec mirabamur, quia arteriam magnam cruralem ruptam in apertione vidimus; unde in tantum tumorem femur excreverat, quaſi prorſus ſchirrhoſum, ut non tantùm ea copia ſanguinis ex aperto poſt mortem femore effunderetur, qui tres menſuras noſtras impleret, ſed ex ſinibus inter muſculos vaſtos efformatis, ſanguinem grumoſum formâ & magnitudine parenchyma hepatis maximi, referentem extraheremus. In iſto vivo, nec ſectio tuta erat & poſſibilis, propter magnæ arteriæ, & intrà muſculos delitefcentis ingentem rupturam, nec ligatura ſufficiens. *Thom. Bartohl. centur.* 3. *epiſt.* 54.

Admodum reverendus Pater Franciſcus Bettotus, Metaphyſices in Gymnaſio Patavino publicus Profeſſor, ætate quinquaginta ſex annorum, decem, aut duodecim annos pulſationem præternaturalem in ſiniſtra thoracis parte, ubi cordis præcipuè pulſus micat, paſſus eſt; quæ ab anatomes ignaris cordis palpitatio cenſebatur. Ego verò accitus, conjeci ipſum laborare aneuriſmate, ex quo poſtmodum, multis in caſſum tentatis remediis, noctu ſuffocatus obiit. Diſſecto cadavere, cavitatem thoracis dexteram ſanguine refertam obſervavi, cui copia ſeri ſuperfuſa erat, pulmonis dextri ſubſtantia conſumpta, & ſola ejuſdem ſuperſtite membrana, inſtar ſacculi, quâ diſſectâ, patuit membrana interna arteriæ magnæ, prius quidem laxata, poſtmodum verò, cùm dilationi nullus eſſet locus, diſrupta. Aneuriſma itaque fuit in arteria magna extra cor duos ſolummodo digitos tranſverſos; quô loco ſanguis à ſiniſtro ventriculo effluxus, valido impulſu priùs internam diſrupit membranam, externa dilatata, qui cùm nullum aliud pateret ſpatium, intra pulmonem dextrum ſibi viam fecerat, ubi calore, motu, & compreſſione, ſubſtantiam ejuſdem conſumpſerat. *Petrus de Marchett. Obſ.* 48.

Aneuriſma arteriæ thoracicæ, quo corroſæ ſunt ac diffractæ duæ coſtæ.

Vir quinquaginta ſex annos natus, temperamenti Melancholici, rheumatiſmo Scorbutico antè diù vexatus, ſed priſtinæ poſtmodum ſanitati, ut videbatur reſtitutus, & conſueta obiens munia, anno 1699. autumni tempore, tuberculum piſi magnitudinem vix æquans, in pectoris parte dextrâ, tribus vel quatuor digitis à claviculis, uno verò aut altero à pectoris oſſe diſtans primùm percepit. Tuberculum iſtud tactui renitens, pulſanſque, concolor cuti ferè, initio, erat, & cùm nullum inde dolorem ſentiret, remedia quæ à principio neceſſaria fuerunt, ſat diu neglexit æger, ita ut, pauco tempore, ad nucis avellanæ, vel fabæ majoris magnitudinem tumor accederet: Tum demum conſultus Medicus ægro ſignificavit tumorem hunc aneuriſma eſſe, nec quàm gravis eſſet morbus ipſum celavit. Interrogavit, præterea, an caſu, ictu, vel niſu ullo violento aliquid noviſſimè in eâ corporis parte paſſum eſſe recordaretur, hic verò negare ſibi tale quidquam contigiſſe, niſi forte dùm ante aliquot hebdomadas, equo acriori veheretur concuſſu dimotum, vel diruptum quid in pectore fuerit, aut dum ſonorè ſummoque cum impetu ſternueret, quod ipſi familiare erat, eâ viâ id mali contraxerit: ſive autem his cauſis, ſive ſanguinis ſalſioris arteriæ tunicas corrodentis, vel extenuantis acrimoniâ affectus iſte acceptus referendus fuerit, ſive omnia hæc conjuncta eundem arceſſiverint, aneuriſma eum fuiſſe conſtat, & quidem arteriæ, ut videtur thoracicæ ſuperioris, vel fortaſſis mammariæ (utriuſque enim propagines ad muſculos pectori inſtratos feruntur (dilatatione factum. Utcunque ſe res habuerit, tumoris, in dies, moles ſenſim aucta eſt, nec ſanguis ſæpius miſſus, iterataque cathartica, vel faſciæ ullæ, laminæve comprimentes, parti affectæ impoſitæ, aut medicamenta quæcunque adſtringentia, quidquam profuere, quin ſpatio anni unius cum dimidio libralis panis magnitudinem ſuperavit tumor idem, rotundam fermè ſeu ovalem formam quam à principio adeptus erat, ſervans, ita ut, parte ſuperiore, ſupra claviculas aliquantùm aſcenderet, inferioreque & laterali utrinque, eâdem propemodum ſervata proportione, extenderetur. Color primùm liveſcens, tractu temporis, magis magiſque nigreſcebat, ſuperficies quadantenus inæqualis erat, pulſatioque antè vehemens, ſenſim remittebat. Febris interea, cum dyſpnœa, tuſſi moleſta, aliiſque pluribus graviſſimis ſymptomatis, ægrum malè habere, & quotidiè ingraveſcere, reſpirandi in primis difficultas, ita ultimis morbi diebus urgens, ut ipſum ſingulis horis momentiſve tantùm non ſuffocaret, donec die quadam, fatalem proximè antecedente, fragor in ægroti pectore, ab ipſo & adſtantibus ſubitò auditus, faciliorque poſtmodum quàm anteà reſpiratio

facta

facta eſt, ita ut melius de rebus ſuis ſperare tum cæperit æger; die tamen ſubſequente è vivis ereptus.

Aperto verò à Chirurgo noſtrate nomine *Blanc*, fatis etiam, quo tempore hæc ſcribo, functo, ægroti iſtius cadavere, ſaltem aneuriſmate, plura enim inſpicere non licuit, ſanguine iſtud nigro, in grumos, majori ex parte, coacto, & filorum veluti ſtupeorum maſsâ quâdam intricatâ, atque hinc inde extensâ, plenum inventum eſt. In ejus autem fundo foramen, intra thoracis cavum penetrans, retectum eſt, duos minimùm pollices latum, coſtarum tertiæ & quartæ carie & fracturâ factum, unde non mirum ſi ſtrepitus de quo modò ſermo fuit, exauditus ſit, quo nimirùm tempore utraque diffracta fuit coſta. Apertioni adfuimus ego & Collega Honoratiſſimus Iſaias De Communi Medicinæ Doctor Celeberrimus, triumque digitorum noſtrorum ſimul junctorum apicibus in memoratum foramen facilè immiſſis, coſtarum fractarum extrema, carie exeſa, plurimumque aſpera ſenſimus.

Ex communicatione Præclariſſimi D. Danielis Clerici, Medici apud nos Celeberrimi, & Reipublicæ Senatoris Ampliſſimi.

Prægrande Aortæ arteriæ Aneuriſma, à Domino La Fage, Chirurgô anatome detectum. Referentibus Actis Lipſienſibus, ex Actis Philoſophicis Anglicanis &c.

Joannes Patinus, Gallus, Domino Culpeper, Londinenſi à ſervitiô, ex lapsû inſignem aliquamdiu in pectore perſentiit dolorem. Elapsô autem menſe, dum bombardam exploderet, hæc in manibus ejus diſrupta adeò violenter ad ipſius dextrum latus allidebatur, ut in hæmoptyſin mox conjectus, ſex menſes ſanguinem exſpueret. Anno inſequente pulſationem aliquam eòdem in latere percipiebat, & tunc ſanguinem denuò, non minùs ac poſtea quolibet vere & autumnô, ejiciebat. Sanguis pariter duabus per annum vicibus, per integrum ſemper menſem è naribus erumpebat. Quatuor ab hinc annis tumor ſub papillâ dextrâ elevati incipiebat, qui ſenſim atque ſenſim incrementum ſumens, mirandam demùm acquirebat magnitudinem; reſpirationemque tam difficilem reddebat, ut ægrotus inciſionem ejus expeteret; quam tamen cùm nemo agredi vellet, ipſe ſibi linimenta emollientia, quæ commoda videbantur, applicuit, à quibus cutis adeò attenuata eſt, ut tumor tandem rumperetur. Mittebat tunc ad Dominum Lafage, ut auxilium ferret; ſed hic accedens, quia eòdem tempore aneuriſma ſubitò ruptum erat, reperiebat eum mortuum. Copiâ itaque cadaveris ſecandi, quam Dominus Lafage deſiderabat, factâ, ante omnia cartilagines duarum coſtarum, cum portione ſterni, à continuâ tumoris pulſatione obſervabat attritas.

Arteriæ dilatatio in ipſius truncô prope cor exactè incipiebat; idque antequam ea in truncum aſcendentem ac deſcendentem diſpergeretur; & quamvis ibi nonniſi exiguum ſit ſpatium, præter modum adeò tamen extendebatur, ut ſaccus integram thoracis in latere dextrô cavitatem repleret, pulmoneſque in tantùm comprimeret, ut hi ea propter multùm eſſent conſumpti. In ſuperficie externâ ſaccus adhærebat mediaſtino, diaphragmati, pleuræ atque ſterno, cui duo foramina magna impreſſerat, adeò vehemens erat ejus impulſus. Interna verò ſacci facies laminis oſſeis diverſæ magnitudinis, tanquam totidem teſtis, obducta erat tota. Cor ipſum multùm expanſum, ordinariam magnitudinem duplô excedebat.

Inprimis autem calculi notari merentur inter cordis fibras deprehenſi, ſimiles iis qui in ſcrophuloſorum corporum pulmonibus aliquando occurrunt.

ANGINA.

ANgina nihil aliud eſt quàm periculoſiſſima illa muſculorum faucibus ac gutturi ſervientium inflammatio, ſic ab *ango* dicta, quod idem eſt ac fauces adſtringo, Græcis dicitur κυνάγχη, item λυκάγχη, quòd canes & lupos frequenter afficiat; imò συνάγχη ab ἀγχόνη laqueus, quòd non ſecus ac laqueus præfocans enecet, vel à συνέχειν, quòd reſpirationem inhibeat, ſpiritum continendo.

Cauſa eſt eadem quæ omnibus aliis inflammationibus familiaris, ſcilicet ſanguinis exagitatio nimia, per quam ſerum ſalibus fixioribus particuliſque viſcidioribus, circulationi minùs accommodis prægnans, abundantiùs in partes corporis omnes delatum, hîc aut illic, atque præcipuè in faucibus per acrem frigidiuſculum inſpiratum, ſpiſceſſit, obſtructionemque facit, quæ ſanguini ulterius promoto obicem ponens, ejuſdem in viciniam effuſioni non tantùm occaſionem præbet, ſed etiam per propria ſpicula, loca quibus impactum eſt, & irritat & corrodit. Unde ſatis patet cauſam hujuſce morbi antecedentem accenſeri debere particulis craſſioribus, ſalibuſque acrioribus & ad fermentandum promptis (niſi circuitus ſuos in vaſis, carnibus & viſceribus facilè peragant) in ſanguine aggeſtis; atque eâ propter non mirum ſi hyberno tempore accumulatis ejuſcemodi materiis, illo poſtea tempore quo facillimè exagitantur, ſcil. ipſo vere, juvenes præ cæteris & temperamento ſanguineo præditos, imò rufos familiariùs aggrediatur. Cauſa verò occaſionalis erit illud omne quod ſanguinem ſic diſpoſitum exagitat, ſeroque abundantiùs ad fauces promoto, per refrigerium inductum impingendo facit.

Anginam præterea producunt res variæ faucibus inhærentes, ſic à ſpina piſcis faucibus infixâ, earundem periculoſam inflammationem adnotavit Schenckius; & nos aliquando ab acicula, aliquando ab oſſiculo pulli gallinacei, in eaſdem partes profundiùs adacto, aliquando à nucleo ceraſi in tonſillæ cavum inducto, anginas enatas vidimus. Item res aliæ quæ guttur exaſperare & tumefacere valent, quales ſunt fungi, ac præprimis qui orbicularis dicitur, lepus marinus; ac planta illa è ſolani genere quæ vulgò Italis Belladonna vocatur, &c.

Angina vulgò diſtinguitur ratione ſcil. muſculorum affectorum, tum pharyngis, tum laryngis, eorumdemque, tum internorum, tum externorum, in συνάγχην & παρασυνάγχην, κυνάγχην & παρακυνάγχην; quarum ex illis prima muſculorum gulæ internorum, altera verò externorum inflammationem denotat; ex his autem prior internorum laryngis muſculorum, poſterior externorum affectionem deſignat: At miſſis hiſce levioris momenti & ad praxim medicam minùs facientibus, ad alias procedamus differentias; quarum prima erit inter Anginas veras, muſculos prædictos, tum aliquos, tum omnes affligentes; & Anginas ſpurias, ſeu nothas, tum tonſillas, tum partes glanduloſas; ad radicem linguæ & in extremo palato; atque imis faucibus ſitas, tum ipſam Uvulam, tumefacientes. Item alias in quibus tumor ſive intus, ſive extus, ſive utrobique apparet; alias verò in quibus nullus tumor ſenſibilis adeſt, proptereaque Aretæo latentes, non ineptè dicuntur; ejuſce ſortis anginam vidit Riolanus à Thymo tumente, gangrænoſumque quid redolente; atque etiam expertus eſt Clar. Lucas Tozzi in juvene ex gallica lue in maximam ſpirandi & deglutiendi difficultatem ſubitò ſine tumore ſenſibili incidente. Aliæ præterea Anginæ

quamvis per ſe periculoſæ, non ſunt tamen malignæ, aliæ verò malignitatem ſummam, arſenicalemque, ac peſtilentem virulentiam, adjunctam habent, hinc fauces non tantùm cruſtoſæ redduntur, ſed etiam tumor, ad inſtar carbunculi atrocioris, partes quibus inſidet longè lateque exurit; unde probabile cum Athanaſio Kirchero credit Chriſtian. Langius talem putredinem animatam eſſe, venenatiſſimiſque vermiculis abundè ſcatere, quorum eroſionibus malum facilè ſerpat. Anginæ etiam aliæ ſunt ab inflammatione, tumefactione &c. de quibus ſuprà; aliæ à vertebris cervicis ad anteriora, ut quidam credunt, luxatis, tum per vim externam, ictum, caſum &c. tum internam, ſcil. humorum confluxum, quale quod Hippocrates deſcribit *Epid.* 2. *ſect.* 2. cùm tamen credat Etthmullerus impoſſibilem eſſe hanc vertebrarum ad anteriora, luxationem; Hippocratiſque locum potius explicet de convulſione emproſtotono ſimili.

Incipit hic morbus cum rigore & horrore, eos ſequitur febris, illaque ſæpe acutiſſima, ſed etiam paulò poſt dolor atque faucium inflammatio, & tumefactio, quibus tanquam concomitans neceſſarium continuò adjungitur deglutitionis, & reſpirationis ea difficultas quæ cum ſenſu ſtrangulationis ad præfocationem citò deducit, ni morbo maturè occurratur.

Non immerito itaque morbus hic inter periculoſiſſimos accenſetur, cùm ſæpiſſime ſuos ægros ante quartum diem aut paulò poſt ſuffocatione perimat; præcipuè verò ſi malignitas adfuerit; cùm enim vitalibus locis ſit proxime vicina, quidni illa promptè pervadat, ſicque vitam extinguat. Gravior eſt cùm difficilem anhelitum adfert, tumore in faucibus apparente, eo autem in collo, vel pectore erumpente ſalutare, niſi inflammatio intro recurrat, aut cum partibus exterioribus interiores ſimul occupet. Si verò malum è faucibus in pulmonem repat, aut intra ſeptimum interficit, aut ultra hanc diem in empyema commutabitur. Cæterùm ſi cum ſpirandi difficultate conjungatur oris fœtor, vel circa guttur & fauces livor, aut albor appareat, ſphacelum arguit, & gangrænam, quam partium extimarum refrigeratio, pulsûs languor, & ſenſuum hebetudo, ac ſopor conſequetur; ut fertur accidiſſe poſt annum 1618. per totam fere Italiam: quod adnotat Clar. Lucas Tozzi. Cavendum autem, ut addit idem Celeberr. Autor, ne humor ex Angina ſuppurata in tracheam & pulmonem delabatur: is namque ſuffocationem afferre poſſet, vel ſaltem empyema, & phthyſim. Interdum per modum criſeos terminatur; ſic refert Foreſtus de Chynanche vera quæ quarto die per fluxum menſium criticum fuit curata. Angina quæ ſubitò & facilè evaneſcit, (cùm eam ad interiora recurrere probabile ſit) periculum ſuffocationis, vel alium gravem morbum, minatur. Si anginoſis, ſicut ſtrangulatis ſpuma circa os appareat vix ad vitam redeunt.

Curatio debet eſſe prompta, ſi enim in ullo alio morbo, in hoc certè qui fauces veluti reſti conſtringendo citiſſimè ſtrangulat, occaſio celeriter & opportunè arrepta, fœliciter medendi anima dici meretur. Ipſo itaque ſtatim morbi initio vena ſecanda, & ſanguis ſatis larga manu educendus, idque non unâ tantùm vice, ſed pluribus, tum ſcil. è brachio, tum è jugularibus, tum à raninis venis &c. Poſt venæ-ſectionem largiorem celebratam commodè medicamentum purgans, illudque validius, admiſto etiam pauco emetico, non ſemel pro occaſione data propinabitur, non omiſſis interea ſalibus volatilibus, miſtura ſimplici, ſpiritu nitri dulci, dente apri, diaphoretico, & bezoartico minerali, ſtercoribuſque omnibus animalium quæ nitro turgent, quale eſt caninum, album græcum dictum. Valet præterea cinis cancrorum uſtorum & hirundinum, imò & noctuæ, pariterque ſuccus naſturtii, atque mel purum, ulularia, cervicaria, prunella, conſolida, item fungus ſambuceus elixus, decoctum radicis althææ, caricarum & zinziberis cum quadrante vini in quo agaricum fuerit maceratum; rob nucum juglandium, atque extractum & ſal hyperici & papaveris rhæados cum diaphoretico minerali, ter aut quater exhibitum. Ea autem omnia, vel ſub forma Eclegmatum, vel alia, prout videbitur, commodiori methodo uſurpari debent: imò ex his gargariſmata confici poterunt quæ leviter adſtringant, & diſcutiant; vel etiam ſub finem & in caſu neceſſitatis tumorem emolliant, atque ad ſuppurationem deducant, ſpecies aptas in ſero lactis, vel ipſo lacte recenti incoquendo.

Applicationes interim extus fiant ex unguentis, emplaſtris, cataplaſmatibus, atque etiam in rebelliori morbo ex oleis ſtillatitiis. Inter unguenta uſurpatur unguentum dialthæas, & martiatum cum oleo chamomillæ & amygdalarum dulcium. Inter emplaſtra, emplaſtrum de meliloto, & ceratum de ſpermate ceti. Inter cataplaſmata è caricis, oleo chamæmelino incoctis, item ex pane triticeo cum radice althææ in lacte cum pauco croco uſurpatis. Appropriata magis creduntur quæ ex nidis hirundinum, ſtercoribus animalium & præcipuè albo græco, ſtercore ovillo, caprino &c. cæpis ſub cineribus coctis, naſturtio aquatico & ſimilibus parantur. Inter olea ſtillatitia maximè prædicatur oleum ſuccini, item oleum è gummi caranna, quæ potenter & validiſſimè reſolvunt ac diſcutiunt. Pro amuleto commendatur filum, ſericeum purpureum quo vipera fuerit ſtrangulata collo circumductum; item bufo, ſeu rubeta cocta.

Victus fiat ex juſculis hordaceis, & avenaceis, aliiſque id genus. Potus verò, tum decocto hordei ſolo, tum ex eodem cui nitrum depuratum ſit immiſtum, tum etiam tinctura papaveris rhæad. additis flor. nymph. & verbaſci in parca quantitate & adjuncto nitro cum pauco, ſi ita placet, ſaccharo vel melle depurato.

Enemata injiciantur illis omnibus diebus quibus per intus aſſumptum medicamentum non expurgatur corpus, ſintque emollientia & refrigerantia, tum etiam incoctis purgantibus, electuariiſque admiſtis, paulò validius ad excrementorum expulſionem inteſtina ſollicitantia, quorum formulas non opus eſt hic adjiciamus.

Hiſce omnibus non ſatis proficientibus, ſi æger evidens atque præſens, ſuffocationis periculum incurrat, vireſque & morbus ipſe ferant, ad Laryngotomiam, remedium aliàs ſatis tutum, eſt deveniendum; quæ inutilis tamen foret ſi inflammatio, & tumor, in eoque materia contenta totam tracheæ longitudinem occuparet, ipſoſque pulmones. Debet autem ſic perfici. Chirurgus ægrum ſuum collocabit in ſedili ad poſteriora ſuper pectus miniſtri in id adhibiti reclinato, ut ſic caput ſuffulciatur; tum mentum quantùm fieri poterit relevabitur, adnotatoque inciſionis loco, tranſverſum ſcil. pollicem infra ipſum laryngem, inter tertium ac quartum tracheæ annulum, miniſter faucium cutem utraque apprehendet manu, eamque per tranſverſum replicabit, illicque Chirurgus inciſionem faciet tranſverſum pollicem longam, per quam adactis digitis, dilatato vulnere emotiſque muſculis bronchicis & ſternohyoideis, ipſa trachea, ſatis denudabitur, ut inter tertium & quartum

quartum ejuſdem annulum ſtylus in id affabre confe-ctus ad ipſius uſque cavum immitti poſſit, cum ea ſolertia quę vaſa, muſculos, aut membranam tracheę oppoſitam minimè lędat, reſpirationemque liberè educat; tum introducta cannula argentea paululum incurvata, & brevi, figurę, in extremitate quę eſt inducenda, depreſſę, alia verò extremitate alatę, & duplici annulo armatę, quibus per ligamina inducta circum collum ſic alligari poſſit, ut immota perſtet. Cannula hęc in tracheę cavum penetrabit quidem, ut jam innuimus, ſed brevior erit, quàm ut poſſit ejuſdem parietem oppoſitum attingere, ſic enim tuſſim intolerabilem provocaret. Operatione peracta, inducta cannula perſtabit in inflicto vulnere donec remiſerint, aut evanuerint ſymptomata, quo demum tempore ad ſe invicem readductis annulis tracheę cartilagineis, conſuetur probè cutis vulnus nec aliquid amplius agendum reſtabit, niſi ut anodynis dolor ex ſutura ortus leniatur, cicatrixque promptè inducatur. *De hac operatione plura vid. ſub titulò Bronchotomia.*

Angina maligna cùm de peſtilentium morborum ſit genere remedia adhibenda, tum ex ipſa peſtis cura, tum etiam ex parte è ſuprà dictis petantur.

Angina notha, aliàs alba, partim memoratis medicamentis, atque venæ ſectione, partim etiam aliis curabitur. In ſpecie ubi lentor viſcidus linguam obſidet proderit, faucium abſterſio ex linteo, aceto, ſucco agreſtæ, naſturtii aquatici, aut acetoſellæ imbuto, poſtea gargariſma è floribus liguſtri in aqua cum pauco aceto, aut nitro, incoctis; addita etiam ſalis armoniaci, vel ſi aphthæ ſimul adſint, aluminis particula. Succus præterea ſempervivi majoris, cum ſale armoniaco non parvæ erit efficaciæ, ut & alia plura. Sub finem pro firmandis oris & faucium membranis, contra humorum affluxum inungetur rob nucum vel diamorum cum pauco melle roſato. &c.

Curationes.

Opem laturus, ſanguinem cum primis è brachio copioſè detraho, mox ex ranula utraque; dein ut partes inflammatæ *melle roſaceo ſpiritu ſulphuris* ad ſummum acorem permixto, tangantur author ſum: mox *Gargariſma* ſequens præſcribo, non vulgari modò uſurpandum, ſed ita ut in ore ſine ulla agitatione contineatur, donec incaleſcat, dein expuatur, & repetatur ſubinde. ℞. Aq. plantag. roſar. rubr. & Sperm. Ranar. ana ℥ iv. album. ovorum in aquam agitando redact. n. ij. ſacch. cand. alb. ʒ iij. f. gargariſma: jubeo etiam ut de emulſione in cura *morbi lateris* præſcriptâ vel ſimili, indies ſumat.

Sequenti manè, niſi febris & dolor inter deglutiendum perceptus aliquantulùm remiſerint, venam in brachio rurſùs ferio, Catharſi in diem poſterum rejectâ. At ſi utraque hęc minuantur, *Catharticum* lenitivum ſtatim exhibeo; quod quidem poſt ſanguinis miſſionem præ omnibus aliis perutile ac apprimè neceſſarium eſſe multiplici experientiâ, comperii, ſi fortean, quod quidem oppidò rarum eſt, febris, aliaque ſymptomata, etiam poſt catharſin, bellum minentur, iteratâ ut prius venę ſectione perdomanda ſunt, ut & *Epiſpatico* amplo ac forti, poſteriori cervici applicando. Per integrum hujuſce morbi decurſum, enema refrigerans emollienſque omni manè, dempto illo quo catharſi vacat, injiciendum, atque ægrum hoc pacto reficiendum quotidie præcipio. Carnes, cujuſcunque demum generis, ut & juſcula ex iis parata, ſacra ſunto; juſculis verò hordeaceis, avenaceis, pomis coctis ac id genus aliis veſcitor; ptiſanâ ex hordeo, vel cereviſiâ tenuiſſimâ utitor. Lectulo interim per horas aliquot quotidie abſiſtat; cùm hujus tepor cùm febri, tum reliquis ſymptomatis, quæ hâc methodo expugnare, ſatago, vires addat. Animadvertendum eſt autem, quod iſtiuſmodi *Angina*, quę febris, mihi *ſtationariæ* dictæ ſymptoma tantùm eſt illâ ipsâ methodo curari amat, quam febris ſibi vendicat, ac proinde vel per διαφόρησιν & cutis ſpiracula exterminanda eſt, vel per aliam qualemcunque medendi methodum quę febri primarię cui inhæret debetur; quod ſedulâ obſervatione dignum. *Th. Sydenham. de morb. acut.*

Anginam vel incipientem vel etiam confirmatam, præſertim ſi febris urgeat, ſubitò, vomitoria, in primis aqua benedicta tollunt. Sic nimirùm inflammatio cedit, & ulcera vel apoſtemata rumpuntur. In omnibus verò hiſce reſpiciendum ad naturam patientis & virium robur.

Quod ſi ergo vomitoria locum habere nequeunt, recurrendum ſtatim eſt ad ſpecifica, quę nihilo ſeriùs etiam poſt vomitoria locum habere poſſunt, talia ſunt.

1. Quod eſt apud Paracelſum in tractatu de peſtilentia ad Sterzingenſes, quod ℞. vj. vel viij. cancros vivos (cancri inſigniter refrigerant) ſedi majoris m. iv. quę invicem contuſa in mortario, & poſtmodum expreſſa ſuccum reddunt, quô lingua & fauces ſunt fovendę, vel ipſa lingua radenda, imò ejus (ſed parùm valdè: gut. videlicet aliquot) in liquore convenienti aliquid intrò concedendum.

2. Eſt experimentum *Anton. Auſmans* civis Auguſtani, quod ℞. ſedi-majoris ℔ j. contunde in mortario, & exprimatur ſuccus. Hujus ℞. ℔ j. adde ℥ ß. ſalis armoniaci, relinque in loco humido uſque ſolvatur ſal, poſtea deſtilla per alembicum. Hâc aquâ ſæpiùs ablue linguam calidè & tepidè. Eſt probatiſſimum. Vide Conradinum de lue venerea.

3. Gargariſmus ille de quo ſuprà de Guſtu abolito & depravato.

In hoc caſu aliquid addendum eſt ad plantas illius de ſedo majori.

Quod ſi gargariſare nequeat, ſiphunculis injiciendus eſt Gargariſmus, poſt ſingulas gargariſationes ℞. corium de lardo duos digitos latum & aſſulatim incide, ex ea parte, qua adhuc lardum eſt, & ponè ad linguam, ut aliquandiu detineatur: Sic nigerrima cuticula linguæ reſolvitur, & tandem diſcedit & curatio ſequitur celerior.

Externè ad collum ipſum applicetur emplaſtrum ex nidis hirundinum (integris & albo gręco ana) cum aqua ferrariorum coctum, calidè.

Pro potu diſſolve vitriol. vel ſal. prunell. (vinum non detur) ℥ j. in aq. fontanę menſ. j.

Anginę conferunt ea in quibus ſal nitroſum Ammoniacum deliteſcit, ut ſtercus canis albi oſſa rodentis, in aqua probè coctum & cum melle exhibitum.

Raſurę dentis apri ʒ j. cum oleo amygdalarum dulcium & ſaccharo.

Cinis cancrorum uſtorum.

Cinis hirundinum.

Conſolida media, prunella, Vulvaria, cervicaria, mentha criſpa, rubus idęus.

Angina notha puerorum curatur emplaſtro modò dicto.

Caput viperę exſiccatum & collo appenſum commendatur pro amuleto.

℞. Noctuam unam, cum pennis combure & f. pulvis, cujus poſtea modicum in guttur immittatur; aperit & rumpit apoſtema mirabiliter.

Spiritus ſalis nitri, tum in extinctione inflammationum, tum in reſolutione Apoſtematis plurimum valet.

Exhibentur ejuſdem in hauſtu aquæ fontanæ calidæ ℥ ij ß. aquam miſce cum ſpiritu vini & ſp. ſalis, ana ʒ ß. vide Crollium.

℞. Aq. ſempervivi, prunell. ana ℔j. ſal. armoniac. ʒj. m. f. Gargariſma.

Cryſtallum vel anodynum minerale, ut vocant, ſeu lapis prunellæ (quod linguæ inflammationi, item faucium vicinarumque partium aſperitati unicè medeatur) inſignis virtutis eſt; ʒß. vel ʒj. in aqua aliqua appropriata reſolutus & gargariſatus mirè confert poſt etiam parum hujus miſturæ cum ſaccharo junctæ deglutito, vel, ſi mavis, ſali prunellæ vulgari modo præparato quantum placet, adde ſacchari candi ana, vel etiam plus, utrumque pulveriſatum coque cum aquæ roſarum quantitate ſufficiente; donec gutta lamellæ ſtanneæ ſuperfuſa conſiſtentiam habeat: effunde in concham & repone relinquendo, donec inſtar lapidis induruerit, tandem exime & in particulas diffringe, vel etiam in pulverem redige, utere hoc ſæpius. *Joann. Hartmann. Prax. Chimiatr.*

Angina quædam eſt *maligna* ſ. epidemica, quæ bezoarticis refrigerantibus curatur. Huic malignæ non convenit V. S. ſi una die duraverit. *Anginæ verò non malignæ* prodeſt V. S. non tamen admodum larga & quidem in brachio. *Si verò oritur ob obſtructione menſium*, in talo & quidem ſaphena medenda.

Purgatio adhibeatur in principio & ſit vehementiſſima. *vide Zacut. Luſitan. in Hiſtor. & Barthol. de angina puerorum.*

Repellentia cautè adhibeantur, lapis prunellæ mira præſtat in omnibus inflammationibus cum aq. ſempervivi.

In omnibus faucium morbis optimum eſt rob ſeu extract. cort. nucum, reſiſtit enim venenis. It. aq. cort. nucum cum ſale armoniaco, vel ſuccus cancrorum & ſempervivi cum ſale ammoniaco mixta. Cinis hyrundinum internè adhibitus ad ʒß. pro certo habetur remedio. Aq. hirund. fung. ſambuc. De filo purpureo, quo ſerpens eſt ſtrangulatus *vid. Bartol. Pulverinus & alii.*

Anginæ ab inflammatione medetur aq. cordial. Saxoniæ, Medic. ex ſale, imprimis ſale cum antimonio fixato, aq. acetoſæ &c. ſpiritus ſalis in omnibus inflammationibus mira facit. *Joan. Michaël.*

A proviſione habitâ totius corporis ſeca venas ſub lingua, & ſi non juvat, jugulares in collo externas & gulæ inſufflctur pulvis hirundinum, & foris admove emplaſtrum ex nido hirund. cum aceto. Si ad pus abeat.

℞. Mirrhæ ʒij. ſinapi ʒj. morſûs diabol. ſcabioſ. ana m. j. coq. ex aq. ad ℔j. colat. adde mellis optimi, & dianuc. ana ℥ij. f. Gargariſma.

Ad ruptionem etiam facit hoc emplaſtrum.

℞. Farin. tritic. hord. ſem. fœnugræc. ana ℥ij. rad. lil. alb. ℥iij. ficuum numero VI. Leviſtic. chamæmel. melilot. malv. ana m. ß. fermenti acris ℥ij. decoctis ut decet ex aqua f. cataplaſma dolorem ſedans & quod ſequitur.

℞. Medullæ pomorum ſub prunis coctorum ℥viij. butyri rec. ℥ij. pingued. gallin. ℥iß. lactis muliebris ℥iij. farinæ hord. ℥j. bulliant ad ſpiſſitudinem, in fine adde vitell. ovorum num. ij. & parum croci, f. cataplaſma anodynum. *Joan. Heurnius ad Hippocr. Aphor.* 43. *Sect.* 2.

Ex Hippocratis conſilio omnia admovebimus ut foràs prodeat in collum materia: tale eſt emplaſtrum quod coquitur ex nido hirund. ex decocto malvarum, melitoti, ficuum; fl. ſambuci, additur theriaca & crocus. Ita litus ex adipibus, & oleo amygdalino, cum croco. *Idem ad Hippoc. Aphor.* 37. *ſect.* 6.

Conſultationes.

Vir triginta annorum carnoſus, robuſtus, plethoricus, cùm à gravi labore admodum incaluiſſet, plurimumque ſentiret, cereviſiam tenuem, è frigida cella depromptam, avidiſſimè magno hauſtu bibit, ita ut frigiditatem potûs in faucibus ferre nequiens, poculum ab ore deponere cogeretur. Paulò poſt anguſtiam quandam cum ardore in faucibus, & hinc reſpirandi ac deglutiendi moleſtiam percepit, quæ continuè magis magiſque adaucta eſt. Poſt ſeptem aut octo horas febris valida acceſſit, cum pulſu magno, crebro & inæquali, tantùmque adaucta eſt reſpirandi deglutiendique difficultas, ut vix ſtans aut erectus ſedens reſpirare poſſet, & aſſumptus potus illicò per nares reſiliret. Os ſiccum eſt, cum magna ſiti, quæ ob deglutiendi, impedimentum; nullo potu leniri poteſt. Lingua obſcurioris coloris evaſit, eaque oris ſpeculo depreſsâ, poſteriùs in faucibus maximè intenſa rubedo ſeu fuſcus color apparet; tumor tamen inſignior, quia humiliore loco conſiſtit, conſpici nequit. Venæ raninæ ſub lingua craſſæ ac tumidæ ſunt. Loquela etiam adeò impedita evaſit, ut vox ægrè audiatur. Æger maximè anxius ſe quaquaverſum ſumma cum inquietudine movet, & frigidum patulumque aërem continuò captat. Foris nullus tumor ſed inſueta aliqua rubedo circa faucium regionem apparet.

Graviſſimus affectus, qui ægrum noſtrum exagitat, vulgò ab angendo *Angina* appellatur; *Eſtque reſpirandi, & deglutiendi difficultas, ab inflammatione & anguſtia partium ſummarum gulæ, laryngis, fauciumque procedens; ac brevi febrem continuam ſibi comitem aſſumens.*

Non eſt autem notha angina à tonſillarum ex catarrho tumore cum rubore conjuncto, ſed eſt vera angina, ex mera inflammatione genita. Cui cùm pro varia intentionis magnitudine à Neotericis quatuor gradus conſtituantur, hæc ad gradum tertium referenda videtur, quem Παρακυνάγχην appellant, quippe in noſtro ægro inflammatio versùs ſuperiores faucium partes ſe extendit, & depreſſa lingua quodammodo conſpici poteſt, quæ alioquin in duobus prioribus gradibus κυνάγχη & συνάγχη tota occulta latet.

Sanguinis redundantia hujus mali antecedens fuit cauſa; hic autem ſanguis à cauſis procatarcticis agitatus, ac in faucibus & laryngis muſculis majore copiâ conſervatus, ibidemque putreſcens, cauſa continens evaſit. Procatarcticæ verò illum partim moventes, partim circa dictas partes detinentes, duæ fuerunt, nempe gravis labor magnum calorem excitans, & nimis frigida potio, ſubitam refrigerationem inducens.

A gravi quippe labore excalefacto toto corpore, nec minùs corde, ſanguis per validas crebraſque cordis pulſationes rapidè fuit agitatus, ac celeriter per vaſa tranſiit, idque ſine ullo incommodo, quouſque in viis nullum dabatur impedimentum. Verùm cùm ab actuali frigiditate aſſumpti nimis frigidi potûs, qui in minimis venis, circa fauces & laryngem hærebat ſanguis nonnihil incraſſaretur, ipſæque venularum radices & orificia conſtringerentur, ac cor excalefactum tamen non deſineret per crebros magnoſque

magnoſque pulſus æquè multùm ſanguinis, atque antea, eò per arterias propellere, non potuit tanta quantitas à venulis per frigus incraſſatumque ſanguinem anguſtatis, tam citò recipi & tranſmitti, ſicque circulari, ac proinde cum ſingulis pulſibus aliquid tranſiret, aliquid etiam dictis locis detineretur, hinc per plurimos pulſus multum ſanguinis in dictarum partium ſubſtantia detentum ac collectum fuit, unde tumor calidus reſpirandi deglutiendique vias anguſtans, paulatim magis magiſque adauctus eſt; ipſeque detentus ibi ſanguis, cùm à corde non ampliùs regeretur nec moveretur aut elaboraretur, paulatim majorem inflammationem & putredinem concepit, cujus pars, cordi per venas communicata febrem continuam accendit, non quidem primâ horâ, ſed inter ſeptimam & octavam: in ipſo enim exordio copia ſanguinis paulatim collecta, ejuſque nimius calor continuè adauctus fuit, ſed putredo cum magna inflammatione poſt aliquot horas primò invaſit, ſcilicet cùm tanta eſſet copia, quæ naturæ gravis foret etiam effervеſcere inciperet: à qua effervеſcentia pulſus major & crebrior, quàm antea, evaſit ac ſimul etiam inæqualis, à putreſcentibus particulis, reliquo ſanguini inæqualiter permiſtis, in cor illabentibus.

A febris invaſione multò difficilior fuit reſpiratio, tum, quia effervеſcens ſanguis majorem locum requirebat, atque hinc tumorem & viarum anguſtiam plurimum augebat; tum; quia ratione majoris caloris febrilis, majore opus fuit reſpiratione; cùm per anguſtas vias procedere vix poſſet, difficilior evaſit, & defectus quoque neceſſarii refrigerii maximam anxietatem & inquietudinem induxit; atque hinc eſt quod æger frigidum patulumque aërem capret.

Os ſiccum & ſitis maxima eſt, à calidis vaporibus, partem ex inflammato loco, ori proximo, partim per febrem, ex corde & inferiore corpore ſursùm in os exhalantibus, idque exſiccantibus. Potus tamen deglutiri nequit, ſed in os reſilit, quia ab inflammatorio tumore ſuperior œſophagi pars tantoperè comprimitur & anguſtatur, ut nihil ampliùs tranſmitti poſſit, hincque potus deglutitionis impetu versùs œſophagum impulſus, cùm non poſſit per eum tranſire, per ſuperiora palati mox reſilit in nares.

Intenſa rubedo ſeu fuſcus color, qui in faucibus depreſſâ linguâ conſpicitur, fit à copia ſanguinis ea in parte, ob ante dictas cauſas coacervata, qui color ſe inde aliquo modo versùs linguam extendit: & propter denegatum liberum ſanguinis per venas tranſitum, venæ raninæ ſub lingua admodum tument.

Loquela impeditur, ut æger vix audiri poſſit, propter reſpirationis difficultatem & muſculorum laryngis inflammationem.

Foris nullus conſpicuus eſt tumor, quia inflammatio tota intùs circa laryngem, œſophagum & fauces latet: rubedo tamen aliqua, propter viciniam, ſe versùs exteriora protendit.

Acutus ſanè ac periculoſiſſimus eſt hic morbus, à quo æger aut citò liberari, aut citò mori debebit, quia ſi pauxillum adhuc increſcat inflammatio & augeatur tumor, reſpirandi via omninò præcludetur, & æger ſuffocabitur. Periculum auget febris magnitudo, & quod æger nihil omninò deglutite, ſicque ardor internus nullo potu leniri, nec vires ullo alimento corroborari poſſint. Aliquam tamen ſanationis ſpem facere videtur, quòd inflammatio non omninò in interioribus laryngis muſculis abſcondita deliteſcat, ſed aliquo modo versùs fauces extendatur, ita ut topica ad partem affectam paulò meliùs accedere queant. Adde, quod aliqualis rubedo, foris apparens, videatur etiam promittere aliquam protuptionem inflammationis versùs exteriora; quod cum ſalute ægri fieret.

In curatione 1. Affluentis ſanguinis impetus ad partes affectas eſt impediendus. 2. Qui jam influxit & ibidem collectus eſt ſanguis, quantùm fieri poteſt diſcutiendus eſt. 3. Si ad maturationem tendat, ea quàm citiſſimè promovenda eſt. 4. Si dum hæc tentantur, ægri ſuffocatio interea metuatur, illa per Chirurgiam præveniendа erit.

In hoc magno igitur morbo ſtatim à generoſo remedio auſpicanda erit curatio, & venæ ſectio in brachio inſtituenda, ac ſanguis liberaliter detrahendus. Si prima vice non imminuatur affectus, haud diù pòſt eadem venæ ſectio in eodem vel altero brachio erit reiteranda: atque illud ipſum etiam tertia vice, ſi neceſſe videatur, ſine ſcrupulo tentandum; quoniam ab hoc imprimis remedio ſalus expectanda. Etiam è venis raninis ſanguis bona quantitate per phlebotomiam erit extrahendus.

Interea clyſteribus ordinariis alvus interdum ſubducenda.

Utatur æger ſæpiùs hoc gargariſmate diſcutiente & emolliente.

℞. Glycyrrhizæ raſæ ℥iij. rapas duas mediocris magnitudinis, herbar. ſcabioſ. violariæ, malvæ, mercurialis, betæ, ana m. j. flor. chamomillæ, roſarum pallid. ana m. ß. corticum citri ℥ß. aquæ q. ſ. coq. ſ. art. ad ℔iß. adde colaturæ, ſyrupi dianuci ℥ij. diamori ℥j. mellis roſacei ℥ß. miſce f. gargariſma.

Huic, ſi tumor ad ſuppurationem tendere videatur, hordei mundati ʒiß. fol. althææ mjß. ficus novem.

Extrinſecùs imponatur hoc cataplaſma.

℞. Rad. liliorum albor ʒiß. fol. betæ, malvæ, mercurialis, althææ, flor. chamomill. ana m. j. roſarum pallidarum m. ß. farinæ fœnugr. ℥iß. unius nidi hirundinis interiorem partem pulveriſatam, aquæ q. ſ. coquantur ſ. art. ad pulticulæ formam, cui adde olei chamæmelini ℥ij. miſce f. cataplaſma.

Huic ſi maturatio expectanda videatur, addi poterunt.

Ficus pingues ſeptem aut octo, farinæ rad. althææ, ſem. lini, pulp. caſſiæ, olei liliorum, ana ℥j.

Quamprimùm æger aliquid deglutire poterit, detur clemens purgans ex infuſo rhabarbari, pulpâ caſſiæ, ſyrupo roſato ſolutivo, aut de cichoreo cum rheo, &c.

Tunc etiam pro potu præſcribatur julebus.

℞. Decoct hordei ℔iß. ſyrup. diamori, dianuci, violac. ana ℥j. olei ſulphuris pauxillum ad levem acorem, miſce, fiat julepus.

Si abſceſſus rumpatur, æger prono capite purulentam materiam expuat, & ulcus abſtergat gargariſmo, ex decocto hordei cum ſaccharo, melle aut ſyrupo de praſſio vel hyſſopo dulcorato: ex quibus ſyrupis etiam linctus confici poteſt. Poſtea utatur gargariſmate ex ſanicula, plantagine, agrimonia, nucibus cypreſſi, roſis rubris, &c. cum ſyrupo de roſis ſiccis & granatorum dulcorato.

Si interea dum hæc adhibentur, magis increſcat reſpirandi difficultas, ſuffocationis periculum jamjam imminuere videatur, antequam materia vel ad maturitatem deduci poſſit, viribus nondum planè collapſis, ad extremum concurrendum eſt remedium, ſcilicet *laringotomiam*; de qua conſulendi ſunt Julius Caſſerius *in hiſtoria anatomica vocis*. Aquapendens titulo *de perforatione aſperæ arteriæ*; Sennertus

inſtitutionum lib. 5. part. 1. ſect. 2. cap. 7. aliique Chirurgiæ ſcriptores.

Vivat æger in aëre frigidiuſculo. Cùm deglutire poterit, concedatur victus tenuis, ex cremore hordei, amygdalatis, juſculis pullorum vel carnis vervecinæ, decoctis cum lactuca, endivia, portulaca, acetoſa, prunis Damaſcenis, &c. Potus ſit cerevifia tenuis, julebus refrigerans, ptiſana. Alvus laxa ſervetur per clyſteres, aut conceſſa deglutitione per aſſumpta, corporis animique ſit quies. *Isbrand. D. Diemerbroeck.*

Morbus, quo Illuſtriſſima Patiens affligitur, evidens adeò eſt, ut cùm vel ipſis oculis pateat, Medicis conjecturis; quantum ad ejus ideam, opus non ſit, de quo præterea tam aptè diſſeruit, & quod magis eſt, tam opportunis remediis ſuccurrit Excellentiſſ. Vir, ut nihil penè mihi reſtet addendum, ſed omnia breviter confirmanda quæ ſummo judicio propoſita fuere. Angina itaque premitur Nob. mulier, cujus eſſentia ex Gal. in impedita deglutitione & reſpiratione conſiſtit, non verò, ut pleriqne aſſerunt, in inflammatione quæ in hujuſmodi malo, cauſæ potiùs, quàm eſſentiæ rationem habet. Symptoma igitur erit in actione animali læſa, eaque nunc imminuta; ſed interdum abolita. Hanc autem & nos legitimam cenſemus, non ſolùm ratione partis affectæ, cùm inflammatio occupet fauces, ſed etiam ratione cauſæ, cùm ab inflammatione dependeat.

Fauces itaque ſunt partes affectæ, quod conjicitur ex eo, quod deglutitio magis, quam reſpiratio impedita ſit, quæ cùm læſæ magis ſint ſecundum internam, quàm ſecundùm externam partem, Angina hæc in ſpecie cum Gal. Cynanche erit appellanda.

Symptoma hoc, ut dictum eſt, ab inflammatione dependet, quam nimii ſanguinis in illam partem influxus induxit, non ſinceri tamen, aut bilioſi, ſed pituitoſi, quod ideò aſſerimus, quia deglutitio magis, quàm reſpiratio læſa eſt, quia frequentiſſima ſunt ſputa pituitoſæ materiæ & tandem quia videmus linguam continuò pituitâ irrigari. Pituitoſus verò iſte ſanguis in partes illas influxit, non per modum attractionis, ſed per modum tranſmiſſionis, cùm Patiens diu caput antè ſoli expoſuerit, cujus calore materia iſta liquefacta, præceps contigit in fauces deſtillatio, à qua poſtea inflammatio, illarum partium anguſtia, & difficultas non deglutitionis ſolùm, ſed etiam reſpirationis.

Ut curetur hoc malum, variæ eſſe debent medicæ indicationes prout diverſa ſunt tempora ejuſdem morbi: In principio enim revellendum, repellendum, & partes illæ extrinſecùs relaxandæ, In augmento revellendum, & digerendum. In ſtatu validioribus digerentibus utendum, dummodo tamen inflammatio ad reſolutionem vergat, ut ſpetare licet. In declinatione tandem unica intentio eſt ipſa reſolutio. Et quamvis morbus acutiſſimus ſit, & per conſequens periculi plenus, præſertim cùm legitimus ſit & in interiori parte, nihilominùs propoſitis intentionibus ſatisfieri ſperandum, cùm collum extrinſecùs etiam intumeſcere incipiat: namque ex *Hippocr. c. Ab Angina habito*, ſi tumor fiat in collo, bonum, foràs enim morbus deducitur.

Quoad Chirurgiam, jubet Galenus ſtatim ſanguinem ex Cephalica affectæ partis educi, ne æger ſuffocetur; quare opportunè ſoluta fuit brachii vena, & non ſemel, ſed per partitas vices, docente Avicenna unicâ vice ſanguinem copioſè emittendum non eſſe, ne attenuatis & liquatis humoribus, fluxio augeatur, & Angina in peripneumoniam tranſeat. Cucurbitulæ, frictiones, lotiones, ſi opportuno tempore adminiſtrentur, omnia conveniunt, At cùm morbus jam ſit propè ſtatum, determinandum ſupereſt quia in præſens agendum ſit, cùm jam ſufficientes univerſales evacuationes præceſſerint. Et mihi quidem particularis evacuatio ſectis venis ſub lingua valdè cum Galeno placeret, nam hoc modo non exigua portio jam fluxæ materiæ derivaretur.

Quoad Pharmaciam, opportuniſſimum fuit medicamentum exhibitum, ſyrupis tamen præferrem emulſionem ſeminum melonum aquâ acetoſę extractam, addito modico julap. viol. tam manè, quàm veſperi in vigore acceſſionis; die verò ore detineat, modò julapium viol. modò conſervam violarum. Gargariſmus quoque parari poterit non ex roſis, myrto, balauſt. cum aq. roſ. & plantaginis; talis enim cùm maximè repellens ſit, potiùs in principio convenit; ſed ex decoct. roſarum, liquiritię, paſſular. caricarum in aqua communi, addito etiam diamorone: vel paretur gargariſmus ex aqua plantaginis, acetoſę & diamorone, addendo parùm oxymel. ſimplicis.

Interim ſi perſeveraret dolor, vel deſęviret magis, admoveri poſſet extrinſecùs emplaſtrum ex flore caſſię, pulv. nidi hirundinis, oleo amygdalarum dulc. & ſapa; vel ex farina hordei, fabarum, nidi hirundinis, oleo amygd. oleo roſ. compl. & ſapa. Tandem pro omnimoda illius materię diſcuſſione, uti poterit Patiens Illuſtriſſ. Gargariſmo ex decoct. pulegii, calamenthi, origani, thymi, addito diamorone, myrrha, & parùm ſpicę.

Quod ſi inflammatio ad ſuppurationem vergeret, lac tepidum conveniet, prout decoct. caricarum pinguium, rad. malv. & ſimilium.

Victus ſit exquiſitè tenuis & ſufficiat ſola ptiſana hordeacea, aut panatella in aqua cum lacte ſeminum melonum, Quę ſummę viri Sapientiſſimi prudentię ſatis. *Raymund. Joan. Fortis, Conſult. Tom. 2. Cent.* 1.

Obſervationes.

Civis quidam anno 1615. Gieſſę primò de faucium dolore, mox difficili reſpiratione, deglutitioneque conqueritur, ita ut cibum nullo modo, potumque vix admittere poſſet. Exteriùs tumor ferè nullus, interiùs verò partes circa linguę radicem intumeſcentes atque inflammatę conſpiciebantur; pulſus aderat frequens, & calor febrilis per intervalla totum corpus maximeque faciem invadens.

Gravis eſt illa ſpecies *anginæ*, cùm gutturis interni muſculi ſic inflammantur, ut neque in faucibus, neque in cervice quidpiam appareat, unde *Celſo* meritò peſtiferum, acutumque morbi genus; *Galeno* morbus extremè peracutus, *Hippocr.* verò lethalis dicitur. At major eſt ſpes in illa, quæ fit inflammatis internis faucium muſculis, ubi tumor atque rubor in faucibus oculis ſubjiciuntur, Talis etiam erat hic morbus, qui incipiebat *cum dolore faucium*, ibidem per congeſtionem & affluxum collectâ materiâ ſanguinis pituitoſi quo muſculis faucium repletis *inflammatio & tumor* ſubſequebatur, unde mox *difficilis reſpiratio* reddebatur, occluſis ſcilicet quodammodo viis ſpiritalibus, ipſaque *deglutitio deficiebat*, propter gulę difficilem dilatationem, ſine qua cibus potuſve tranſire nequit. Hinc *cibus nullo modo* propter ſoliditatem comprimentem, quam partes inflammatę ferre neſciunt, *potuſque vix* admittebatur, qui ſcilicet liquidâ ſuâ ſubſtantiâ quadantenùs guttatim deſcendere poterat. *Exteriùs tumor nullus*, apparebat, quatenùs inflammatio muſculos internos faucium apprehendebat quod *interiùs rubor atque tumor circa linguæ radicem* innuebant, in quo aliàs hęc ſpecies à priori,

à priori, quæ proprios laringis muſculos afficit, diſtinguitur. *Pulſus frequens erat*; incaleſcente corde propter impeditam reſpirationem, convenienti eventilatione denegata, quam ob cauſam *calor præter naturam* per intervalla totum corpus, ſpiritibus efferveſcentibus unà cum ſanguine arteriali hinc & inde concitatis, *imprimiſque faciem* invadebat, quæ aliàs in hoc ægro propter jecoris caliditatem fervidas exhalationes promptè recipiebat, *maximè hoc tempore*, dum in vicinia humor phlegmonodes generaretur, *Hic primò totum corpus ſanguine abundans evacuandum. 2. affluxus ad fauces repellendus & avertendus 3. materia phlegmones circa fauces collecta vel ad reſolutionem, vel ad ſuppurationem ducenda, 4. nec non pars affecta roboranda veniebat.*

Pro primo ſuaſimus pro lenitione clyſterem, cùm venter etiam inflatus videretur, qui.

♃. Rad. Altheæ ℥j. herb. violar. mercurialis; parietariæ ana m i ß. flor. violar. roſar. ana m. j. fol. ſenæ ℥j. ſem. lin. fœnugr. ana ʒ ij. fœnicul. ℥ ij. ß. F. decoct. in aq. ad tertias, coletur. ℔ j. adde maſſ. pil. Aggregat. ʒ j. ol. chamæmelini ℥iij. ſalis parùm, fiat enema.

Hoc modo ventre laxato venæ-ſectionem ſuaſimus in brachio, quò non tantùm ſanguis copia abundans minueretur, ſed totum incaleſcens alteraretur. *Quoad affluxum* repellendum & avertendum ab empiricis primò vocatis gargariſmi præſcribebantur, non quidem ex hac indicatione ſed potiùs juxta conſuetudinem, qui ſolis adſtringentibus decoctis faucium affectibus ſuccurrere conantur, quorum uſum eò direximus, ut primò lenis fieret adſtrictio per aq. prunel. plantag cum Diamoro & Rob. nuc. permiſtis, dein etiam ſubſequentem collutionem conceſſimus, quæ ♃. Rad. Biſtortæ ʒiij. cupul. gland. ʒj. Herb. prunell. flor. roſar. rub. ana m. ß. f. decoct. in ſ. q. aq. ad tertias, coletur; adde aluminis ℈ß. Diamoron. ℥j. miſce. Porrò majoris averſionis ergo venas ſub lingua quoque incidimus & ventoſas ſine ſcarificatione ſcapulis & brachiis appoſuimus. *Hoc modo ſufficienter* affluxu correcto, materia circa fauces copioſè collecta, quæ reſolutionem non admittebat, ſuppuranda veniebat, qua de cauſa mox emplaſtrum, quod patruus noſter p. m. Jacobus Horſtius olim commendabat, appoſuimus exteriùs quod ♃. Rad. altheæ ℥ß. caricar. ping. num. VIII. myrrh. ʒij. croci ʒß. Farin. ſem. lini, fœnugr. ana ℥ß. mellis q. ſ. F. emplaſtrum. Interiùs adſtringentes gargariſmos mutavimus, & cum diſcutientibus emollientia & maturantia præſcripſimus remedia, nimirùm collutionem ejuſmodi, quæ ♃. Rad. glycyrrhizæ ℥ß. herb. malv. melilot. ana m. ß. fl. chamæm. p. ij. Paſſular. minor. ℥ß. caricar. ping. num. iij. f. decoct. in ſ. q. aq. ad ʒ. coletur, & adde mellis roſat. ℥iß. miſce.

His continuatis, apoſtema faucium maturabatur, & ſponte ruptum, pus copioſum per os emittebat, pro cujus mundificatione conſequenter gargariſmi fiebant ex aq. prunell. cum melle roſato permiſta ſimilibuſque, quibus non tantùm ulcus eluebatur, ſed etiam pars affecta viciſſim ob modicam adſtrictionem roborabatur, ut perfectè reſtitutus æger in hanc uſque horam bellè vivat, qui aliàs extremam ſuffocationem tunc temporis ſibi inſtare putabat. *Gregorius Horſtius.*

Angina per reſolutionem materia ſoluta.

Puella 18. annorum, fluxionibus capitis & obſtructionibus menſium obnoxia, ſuperiori anno 1609. incidit in difficilem reſpirationem, ita ut nonniſi recta cervice ſpirare poſſit: tumor cum dolore circa collum apparet, tranſgluciendi maxima difficultas ſubſequatur.

Aderat hîc anginæ ſpecies quæ παρασυνάγχη recentiorib. nominatur; *ubi exteriores faucium muſculi inflammantur*, quod in hoc caſu factum fuerat ob ſanguinis pituitoſi copiam ad ſuperiora regurgitantem, adjuvantibus defluxionibus capitis. *Difficilis fit reſpiratio*, tum propter aſperæ arteriæ compreſſionem, tum etiam propter ſuperfluitates per conſenſum in pectore collectas: *rectâ tantùm cervice ſpirat*, ubi minùs aſpera arteria comprimitur: *tumor apparet*, ob materiam parti affectæ jam impactam: *cum dolore*, propter inflammationem: tandem *tranſgluciendi difficultas maxima* ſubſequitur, propter gulæ extenſionem quæ dilatata à cibo ſolidiore partem inflammatam comprimit. *Quoad curationem in principio hujus affectûs venæ-ſectio revellendi cauſâ convenit*; verùm cùm in præſenti caſu, Medico vocato materia non ampliùs in fluxu eſſet, ſtatim eò alloborandum eſſe duximus, ut interius gargariſmo repellente & diſcutiente faucibus proſpiceremus, & exterius tumorem emolliremus ac reſolveremus: illud perfecimus ejuſmodi gargariſmo.

♃. Rad. Biſtortæ ℥ß. Herb. prunell. cum fl. plantag. ana m. i. ß. ſalv. agrimon. ana m. j. aluminis ℈j. F. decoct. ad ʒ. colentur ℥ix. & adde mell. roſat. ℥j. Diamor. ℥ß. miſce f. gargariſmus. At hoc partim inunctione ol. chamæmelini, partim cataplaſmate ex ficubus, Rad. altheæ ana ℥j. myrrhæ ʒij. croc. ʒß. mell. q ſ. peractum fuit, quibus ægra reſtituebatur, cùm non admodum copioſa eſſet materia. *Idem.*

Varia ſunt anginæ genera, ſed nullum perniciofius illo; quod produxit, vel vertebra introrsùm luxata; vel inflammatio muſculorum interioris laryngis. Quorum profundus tumor, ſiquidem coarctet anguſtum, aſperæ arteriæ, caput; & ligulam illi inſculptam (quæ ſunt proxima vocis inſtrumenta) ſupprimitur non tantùm vox: ſed præcluditur quoque via ſpiritui; vel potiùs ipſi vitæ. Quæ ſine ſpiritu nulli diu, durabilis. Ac proinde non inconſideratè, Hippocrates lib 3. prog. latens angina, vel primo, vel ſecundo die, lethalis.

Nauta pleni habitûs, correptus intempeſtâ nocte; ab urgente faucium anguſtiâ, traxit illicò ſpiritum adeò difficulter: ut excitata febre, & accenſo gutture, inciderit protinùs in grave ſuſpirium ſpiritum turbidum, imò ipſam mortem. Cujus periculo, quò ſubſtraheretur, nihil non molitum; ſed urgentior fuit neceſſitas; & vehementior, ab incluſo ſpiritu, ſtrangulatus: quam ut juverint ipſum, vel ſanguis maturè ex utroque brachio detractus: vel inciſa ranula: vel cucurbitulæ, gargariſationes, clyſteres, cataplaſmata aliaque ſatis celeriter adhibita *Nicol. Tulpius.*

Plurimis remediis nihil proficientibus in Viro Excellentiſſ. anginâ laborante monito empirico edoctus, ut lanam ovillam, nigram verò, in oleo chamomillæ frixam, duplicatis involutam linteis, deſuperque emplaſtrum de meliloto parti affectæ applicarent juſſi; quo applicato intra pauculas horas talis ſubſequebatur effectus, ut omnes adſtantes ſummoperè admirarentur, ægerque ſe parùm ſublevari nonnihilque auxilii perſentire voce languidâ effabatur: Cùmque ſingulo quovis die ternis vicibus hoc reiteraretur topicum, præter omnium noſtrûm ſpem & opinionem intra paucos dies æger convaluit, & hodie ſaniſſimus ſuo perſtrenuè fungitur munere & officio. *Joan. Georgius Sartorius.*

Benivenius cuidam angina latente ſtrangulante affecto, etiam conclamato incidit locum altioribus plagis ſub

ſub ipſis maxillis, & etiam ſupra collum; unde ſanie multâ prorumpente, illum à morte ad vitam revocavit.

Pro angina in viro quodam, ex ſanguinis repletione.

Sanguine extracto, & clyſtere injecto, hoc gargariſma preſcripſi.

℞. Fol. plantag. m. j. fl. roſ. rubr. p. j. gallam omphacitidem (i. viridem) craſſo modo contuſam, ſem. cydon. ʒj. bulliant in ℔j. aq. plantaq. addendo aq. ſolani, equiſeti, ana ℥ij. colaturæ immiſce diamor. dianuc. ana ℥iß. f. gargariſma quo cum gargariſaſſet, loqui potuit, quod antea minime poterat, deinde hoc ſequenti uſus eſt.

℞. Fol. plantag. bellid. min. ana m. j. fl. roſ. rubr. p. j. balauſt. ʒj. hord. communis, p. j. coq. in ℔. ij. aquæ communis ad ℔j. cui adde ℔ß. aq. plantag. & aq. ſcabioſ. ℥iij, ſem. lini fœnugræc. malv. (cùm jam in augmento eſſemus) ana ʒj. gallam unam craſſo modo contuſam, nidum hirundinis cum plumis inciſum (ad reſolutionem aliqualem) ebulliant hæc ſimul, fiat levis colatura, addendo diamori, dianuc. ana ℥iß. mell. roſat. colat. ℥ß. m. eo plurimum delectabatur, cùm ſe levamen inde ſentire fateretur.

Secundo die manè, glande alvo exonerata, venâ, ſub lingua incidere jubeo craſſiſſimo ſanguine ac nigerrimo effluente, & meliùs habere cœpit, & ſpiritum liberiùs ducebat: eodem tamen die, guttur inunximus linimento ſequenti, ſimul etiam cataplaſmate impoſito.

℞. Ol. amygd. d. ℥j. pingued. gallin. butyr. rec. in aq. viol. & camom. loti, ana unc. ß. mucilag. ſem. lini, fœnugræc. malv. alth. extract. cum aq. chamæm. ana ʒij. ceræ citrinæ modicum, f. linimentum, lanâ ſuccidâ ſuperpoſitâ.

℞. Rad. althææ unc. i ß. fol. malv. viol. ana m. j. fl. chamæmel. melilot. ana p. j. coq. in aq. ad mollitudinem, piſtentur, adde farinæ ſem. fœnugr. lini, hordei ana p. j. nidum hirundinis in pulverem redactum, ol. amygd. d. viol. butyr. rec. ana unc. ij. ol. chamæmel. unc. j. f. cataplaſma, & amotâ lanâ, calidè apponatur.

Iſtis præſidiis cum paucis aliis, morti additus, luci fuit reſtitutus. *Petrus Foreſtus obſerv.* 16. *lib.* 15. *de faucium gutturis, gulæ & aſperæ arteriæ affectibus.*

In Angina periculoſa feſtinandum eſt; veteres eodem die, & ſanguinem mittebant, & medicamenta exhibebant. Ego ſanè (inquit *Trallianus*, *lib.* 4. *cap.* 1.) novi me, cùm uſus valdè urgeret, venam manè aperuiſſe: diluculo linguæ ſubjectas ſecuiſſe; & veſperi ex cremore ptiſanæ lachrymam ſcammon. exhibuiſſe: atque ita laqueum ex inflammatione ortum vix potui diſſolvere. Et alium quendam novi me, poſtquam duorum brachiorum in cubito venas ſecuiſſem, repurgaſſe, ſequenti die non expectato. *Petrus Foreſtus*, *Obſerv.* 13. *lib.* 5.

Pro Angina, cum tumore in faucibus.

Vocatus ad quendam, cui gutturis regio adeò intumuerat, ut ne verbum proloqui poſſet, & ferè ſuffocaretur, tumore in faucibus manifeſtè apparente, cum adhærente tenaciſſima pituita & lentore. Statim cucurbitulas cum ſcarificatione ſcapulis adhibui; gargariſmum ſequentem ſuaſi.

℞. Aq. ſolan. plantag. ana ℥iv. ſyr. viol. mell. viol. ana ℥ß. diamori ℥j. acet. flor. papav. rhæad. ʒij. f. gargariſmus.

Applicuit collo ſequens cataplaſma in illius ambitu ſub mento.

℞. Farin. hord. fabarum ana ℥iv. nid. hirund. ℥ij. ſtercor. canis ſicc. ℥iß. mell. unc. ij. ol. roſac. q. ſ. fiat cataplaſma. Hiſce vix dum per diem uſurpatis, meliùs habere cæpit, & è ſummô periculô evaſit. *Fœlix Platerus, obſerv. lib.* 2. *pag.* 412.

Protinus alvi excrementis per acrem injectum clyſterem depoſitis, cephalicam dextri brachii venam incidere juſſi; hoc etiam gargariſma præſcripſi.

℞. Syr. de ribeo, rob mororum, ana unc. j. aq. plant. ſtipit. roſar. ana unc. VIII. m. f. gargariſm. quo ſæpè utatur.

Foris etiam ubi tumor in collô apparebat, locus oleô chamæmel. ſuperaddita ſuccidâ lanâ, fotus fuit. Veſperi verò ex ſiniſtrâ ſaphænâ ſanguinis unc. vj. fuerunt extractæ: ſequenti verò die cucurbitulæ ad primam vertebram & ſcapulas ſunt applicitæ; tum olei vice, quod foris admovebatur, emplaſtrum hoc apponi juſſimus.

℞. Rad. alth. fol. malv. ana m. j. rad. lil. alb. num. ij. ficuum ping. num. x. f. decoctio in aq. donec molleſcant, dein in mortario optimè piſtentur, & per ſetaceum tranſmittantur, quibus poſtea adde farin. hord. lini, fœnugræc, ana p. j. cineris hirund. unc. ii. ſtercor. canin. arid. & alb. unc. ij. farin. chamæmel. p. i. ß. decocto prædicto omnia excipiantur & f. emplaſtrum cui adde ol. chamæmel. roſac. ana unc. i ß. m. & ad ignem parùm tractetur, & collo affecto applicetur. Porrò hujus emplaſtri vice ſtercus caninum aridum piſtum & melle exceptum, & dolenti parti admotum præſtantiſſimum eſt remedium. Item cinis hirund. cremat. efficax. quoque remedium eſt, ſi modo cum melle admoveatur. Emplaſtrum etiam ex nido hirund. magnam in hoc caſu habet prærogativam. Nec ſunt audiendi qui ex nido hirund. tanquam ex terra frigida, emplaſtrum fieri formidant; cùm reverâ terra nidi hirundinis cum paleis, & cæteris in eo contentis, diſcutiendi vires habeat. Quanquam priſci Græci nunquam quod legerim, nido iſto in hoc affectu uſi fuerint, ſed potiùs cinere hirundinum. *Amatus Luſitanus*, *cent.* 3. *curat.* 28.

Pro Anginâ gravi in viro quodam.

Clyſterem primùm paulò acriorem in hunc modum præſcribo, quòd adſtrictâ alvô eſſet.

℞. Herb. 4. emoll. fol. caul. rubr. hyſſop. cent. min. ana m. j. polipod. q. unc. j. ſem. cartham. conſuſ. ʒx. agaric. in petiâ ligat. ʒiij. ſem. melon. cum cort. contuſ. unc. j. ſem. aniſi & anethi ana ʒiij. flor. chamæm. & melil. furfur. macr. ana p. j. f. omnium decoctio in colaturæ ℔j. diſſolve catholic. unc. j. hier. Galen. ʒv. ol. viol. & liliorum ana unc. iij. mell. roſat. colat. unc. ij. f. clyſter.

Ingentem excrementorum copiam dejecit æger, à qua alleviationem ſenſit, ejecto clyſtere ſanguinem eodem die bis è cubito detraho ad unc. xx. quòd & æger valentiſſimis viribus eſſet, & morbus quoque magnus. Interea gargariſmate aſtringente, & repellente, uti ægrum jubeo.

Sequenti die è venis ſub lingua ſanguinem detraho, & Cucurbitulas cum ſcarificatu, ſub veſperam admoveri ſcapulis jubeo, à quibus mirificè ſe levatum ſenſit, & paulò tum faciliùs reſpirare cœpit. Interim in omnimoda abſtinentia ægrum contineo; nec per primos tres dies, quicquam aliud præter aquam mulſam ſumere juſſi, neque etiam ſolidiora alimenta ſumere potuit, ut qui etiam mulſam ore ſumptam per nares rejiceret, quod anginoſis frequens eſſe ſolet. Infernas partes vinculis deligo, collo & cervici hæc impono.

℞. Ol.

℞. Ol. chamæm. viol. liliorum & cheirini ana ℥ij. ol. amygd. d. rec. ℥iij. axung. Gallin. rec. ℥j. butyr. rec. ſine ſale ℥j. croci ʒj. f. linimentum, quod calidum collo & cervici, mollibus lanis pinguibus intectum admoveri jubebam. Ubi verò ad tertium diem ventum eſt, mox propinare medicamentum ſolvens ſatago, ſed fruſtra id tentatum eſt: quare dabam alternis diebus clyſterem ſupraſcriptum, à quo alleviari ſe plurimùm æger ſentiebat.

Cùm autem ad quartum diem rubor aliquis cum dolore ac tenſione foràs ad maxillam dextram ſe proderet, bonum id eſſe ſum, ex Hippocr. & Galeni ſententiâ, arbitratus, itaque naturæ motum ſecutus, foràs humorem evacuare ſtudii, in hunc modum.

℞. Fol. plantag. hyſſop. caul. rubr. ana m. ß. caric. ping. num. XII. uvarum paſſ. exacin. num. XX. liquirit. raſæ ℥j. roſ. rubr. p. j. hord. cum cortice p. ß. f. omnium decoctio in aq. hord. in colat. ℔iß. adde diamori & dianuc. ana ℥iß. oxymel. ſimpl. ſyr. viol. ana ℥ij. mell. roſ. ℥j m. f. gargariſm. quo ſæpè utatur.

Foris verò ad tumorem prominentem evocandum, & ſuppurandum tali ſum uſus cataplaſmate.

℞ Fol. malv. alth. cum rad. ana m. ij. fol. caul. rubr. viol. hyſſop. ana m. j caricar. ping. num. XXX. fl. chamæm. & melil. ana p. j. ſem. lini & fœnugræc. ana ℥j. capitum liliorum alborum ℥ij. furfuris p. j. f. omnium decoctio in aqua, piſtentur & cribrentur. Cribraturæ adde nidi hirund. in ol. lilior. præbulliti, & cum toto probè in mortario macerati & poſtea cribrari ℥ii. farin. ſem. lini & fœnugræc. farin. frumenti ana ℥j. coquantur farinæ cum oxymel. ad convenientem glutinoſitatem. Poſtea adde axungiæ gallinæ rec. butyr. rec. ſine ſale ana ℥j. croci ʒj. ol. lil. ℥iij. m. f. cataplaſma; mirificè profectò humorem foràs evacuat atque ad ſuppurationem deduxit: intra biduum namque ſuppuratus ferè, qui foras ſubſederat tumor, fuit; cui tamen tertio poſt die canini ſtercoris ſicci ʒiij adjunxi, quod ſi quid aliud, vel Pauli vel Avicennæ teſtimonio, huic affectui maximè prodeſt, occultâ quadam vi & proprietate. Suppurato tumore ad 7. diem candenti ferro aperiri juſſit, quod id ulceribus & abſceſſibus plurimùm conferat, exſiccando, & virus malum ignis potentiâ corrigendo. Pus fœtidiſſimum, virulentum & copioſum prodiit, ulcus mundificari curavimus, unguento ex melle roſato, ſucco apii & abſynth. farin. hord. myrrhâ & ariſtoloch. poſtea probè deterſo ulcere, quod intra 20. diem contingit, ad ſarcotica & cavum ulcus implentia nos contulimus unguento ex thuris polline, myrrha, iride, aloëque confecto, addito chalciteos emplaſtro, ſicque Dei nutu integrè curatus fuit, magna omnium admiratione.

Interim dum hæc facio, reliquorum præſidiorum quæ juvare poſſe ſum arbitratus, minimè obliviſcor; nam cùm devorare potuit æger, purgans medicamentum, & catapotia dedi, ad deducendum humorem, quæ quidem fœliciter operabantur. Exhibui etiam raſur. dentis apri. ʒj. ex ol. amygd. d. & ſaccharo candido, quæ in hoc affectu prout & in pleuritide, præſentaneum eſt remedium atque arcanum. *Franciſcus Valeriola Obſerv. 10. lib. 2.*

Anginam magnam & periculoſam non omiſſis, quæ ex univerſalium genere conveniebant, hoc gargariſmo percuravi.

℞. Semperviv. m. ß. fl. prunell. p. iij. ſal. armoniac. ℈ij. decoct. in aq. ℔IV. ad caſum unius, & utere pro gargariſmo.

Vidi cuidam anginâ deploratâ laboranti, aquam è ſtercore vaccino deſtillatam, exhibitam ita profuiſſe, ut mox convaluerit. *Hieron. Reuſnerus obſ. 91.*

℞. Fl. chamæmel. m. iij. aceti & olei ana parc. æq. decoq. pro cataplaſmate, quò calidè applicato extrinſecus ad locum affectum, intra horæ ſpatium apoſtema diſruptum eſt, ac per eos ſanioſa & cruenta multa rejecit, & mox convaluit. *Martinus Rulandus cur. 56. cent. 4.*

Mulier quædam ſuperſtitiosè butyrum menſe Maiô aſſervabat, & colligebat tribus diebus rogationum viris è lacte vaccæ quæ marem peperiſſet, mulieribus, quæ fœminam; urgente malo inungebat, collô, cervici, & partibus vicinis, carpo, plurimum fricandô atque hac ratione non paucos ſanitati reſtituit. *Jac. Hollerius, cap. 23. lib. 1. de morbis internis.*

Sartor quidam anginâ laborabat, quâ deglutitio impediebatur, ei ſecta fuerat vena, clyſteres injecti, & admodum veſicatorium.

His non proficientibus me vocant: advertens eum vix tantillum juſculi cochleari magnô conatû deglutire, ac per conſequens medicamentum purgans haurire non poſſe, præſcribo aqu. benedict. ℥ij. quibus purgatus eſt pluries per vomitum & ſeceſſum, eodemque die ab angina liberatus. *Lazarus Riverius obſerv. 24. cent. 2.*

Juvenis quidam foſſor anginâ laborabat ita vehementi, ut nec loqui, nec deglutire poſſet, reſpiratio tamen integra manebat; cùm ad eum vocatus ſum injectus fuerat clyſter, ſtatim verò ſanguinem mitti jubeo ad ℥x. poſtea admovetur veſicatorium poſteriori cervici, cucurbitulæ ſcapulis admoventur cum ſcarificatione, & 4. horis à venæ-ſectione exhibentur aq. bened. ℥ij. quibus purgatus eſt per vomitum & per alvum, & inde loqui ac deglutire cœpit, ac paulò poſt integrè curatus. *Lazarus Riverius, obſ. 10. cent. 2. vide ejuſdem obſ. 60. cent. 4.*

Illuſtris mulier Gabriela Gouſier Domina à Saultono: cùm anginâ autumnali omnium periculoſiſſimâ detineretur, venit in mentem me legiſſe apud Ætium lib. 15. cap. 6. agaricum occultos abſceſſus abſorbere, vel foràs materiam evocare; ſtatim agaricum in taleolas conciſum in decocto rad. althææ, ficuum, cum momento zinzibere, & quarta parte vini albi maceravi, addidi ſyrupum de althæa, & potionem ægrotæ dedi, monuique ne illam deglutiret, ſed aliquod tempus in imis faucibus contineret, ſi hac potione vitam ſibi redimere vellet; obſequitur ægrota, interim dum cum illa ſermonem confero, ecce magna puris albi copia, tam putridi & graveolentis ore rejicitur, ut filia quæ ad matrem cum pelvi adſtabat, excipiendi puris ergo, prægravi ejus fœtore, conciderit animo, ad ægrotam poſtea rediens, eam & vocis vitio & reſpiratione difficili, & gravi deglutitione, & febre levatam reperi & ab omni vitæ periculo tutam, quâ nunc fruitur incolumis; *Jac. Dovynetus, apolog. lib. 3. c. 1.*

Hiſpanus quidam cùm acutiſſimâ anginâ in horas ſtrangulari videretur, & omnia univerſalia & localia per venam ſectam, ſcarificatas in collô cucurbitulas, acres clyſteres, eſſent celebrata auxilia, & ipſe nigricante facie velut emortuus jaceret: peritiſſimi Medici jugulares ſecandas imperarunt, adfuit Chirurgus ſecandi arte dexterrimus; illas ſanguine ad caput ruente, vaporeque multô impletas turgentes & conſpicuas reſecuit, irreparabili ſanguinis fluxû ſequutô, ægroque lapſô in omnimodam virium jacturam, ſpes ſalutis abeſt, quum de eô ob violentum ſanguinis fluxum, jam deſperarent omnes vocatus accurro; emplaſtrum Galenicum ex aloë, thure, pilis leporis exactiſſimè trituratis & mixtis cum candidô ovi, ſuperimpono, quô ipſe ad arteriarum & jugularium hæmorrhagias fœliciter utitur; ſicque collô commodè ligatô, ægrum jamjam exhauſtum refocillo, qui poſt horas

aliquot

aliquot, reſpirare & loqui cœpit, & à morbô immunis revixit. Nec mireris ad tam periculoſum remedium nos confugiſſe, quando enim ſalutis unica eſt via, hæc, licet cum periculo tentanda; cùm ſatiùs ſit ægrum periclitari, quàm ſpe ademptâ certò perire, ut monet Magiſter, nam malo nodo malus cuneus quærendus eſt, raroque crudele malum niſi crudeli depelli poteſt auxilio. *Zac. Luſitanus obſ. 95. lib. 1. prax. admir.*

Anginâ caninâ cùm fœmina quædam nullo apparente tumore graviter corriperetur, magna cum violentia reſpirans, ita ut in horas ſtrangulari videretur, & neque cephalicæ, aut venarum ſub lingua ſectio in occipite ſcarificatæ cucurbitæ, acria clyſteria illi opem ferre poſſent, tandem eodem die quo omnia ob procraſtinationis periculum acta ſunt, ſub mento ſcarificata cucurbita ſummo fuit auxilio, aſſumptis deinde ſyrupis excretaque per ſputum pituitâ craſſâ & multâ altero die meliùs habuit *Zac. Luſitanus obſ. 94. lib. 1. prax. admirand.*

Juvenis quidam 20. annos natus, pituitoſus, poſt celeriorem deambulationem, avidè hauſit cerviſiam frigidam, unde intra horam deglutitio admodùm difficilis, fauciumque dolor & tumor apparuere, vocatus venæ-ſectionem levem inſtitui juſſi, ſequentique gargariſmate curatus eſt.

℞. Aq. fl. ſambuc. ℥iv. myrrh. pulv. ʒß. ſp. vin. rectificat. ʒiij. ſp. ſalis armoniaci ℈j. ſucc. tarax. expreſſ. ʒij. m. pro gargariſm. Puella 20. circiter annorum, ſubitò in maximam reſpirandi difficultatem incidit, cum faucium tumore & dolore, ut ne guttulam quidem liquoris deglutire potuerit; vocatus ſtatim venæ-ſectio celebrata fuit ad ℥vj. moxque ſequens apozema pro gargariſmate præſcripſi, unde levamen quoddam obſervavit.

℞. Fl. roſ. rubr. ℥j. baccar. lauri excort. ſem. leviſtic. ana ʒiß. coq. in aq. communis ℔j. vaſe optimè clauſo; in colat. diſſolve mell. roſ. ℥j. aq. theriac. ſimpl. ʒv. ſp. ſalis armoniac. ℈j. m. pro gargariſm. Sequenti die clyſterem purgantem injici curavi, undè optimè dejecit, eodemque die collo ſequens cataplaſma bis de die renovandum applicari juſſi.

℞. Nid. hirund. num. 1. fl. ſambuc. p. iij. cœparum ſub cineribus coctarum num. ij. coq. ex cerviſia tenui. Contuſis adde albi Græci ʒiij. ol. olivar. q. ſ. m. f. cataplaſma, quo quarto die abſceſſus fuit ruptus ulteriuſque uſa fuit ſolummodo melle roſac. pro linctu. *Fredericus Deekers obſ. ad cap. 1. lib. 2. praxeos Barbetianæ.*

Anginâ laborabat Nicolaus Rota, nullus tamen rubor aut tumor, vel intùs in gula, vel extrà videbatur; & ipſe nihilominùs vix ſpiritum trahens, quicquid præterea edendum ſumeret, per os ſtatim & nares rejiciebat: quare cùm areſcente corpore, pallente jam facie, ac vertentibus oculis, ſpes omnis ſublata eſſet, & Medici, quibus cura demandata fuerat, ægrum ampliùs non audirent; me licèt juniorem convocant, ægrum oſtendunt, & quæcumque acta fuerant exponunt; at ego cùm & ægrum ipſum ad mortem tendere, & medicos quæcumque opportuna fuerant præſidia adhibuiſſe intelligerem, cœpi ipſe mecum cogitare, ſatiùs-ne eſſet, ægrum ipſum Deo & Naturæ, ut cæteri Medici, incuratum dimittere, an aliquod licèt inſolitum, utile tamen auxilium experiri? verùm adhortantibus his qui ægro aſſiſtebant, conſilium capio, & locum altioribus plagis ſub ipſis maxillis, ac etiam ſuprà collum incido, ex quo cùm ſanies multa prorumperet adeò morbus levatus eſt, ut faucibus ipſis ſpiritum ſimul & cibum capientibus, facilis dein ad bonam valetudinem ægro daretur regreſſio. *Antonius Benivenius cap. 38. lib. de abditis morborum & ſanationum cauſis.*

Dn. Joan. Merula Paſtor noſter fideliſſimus Dyſenteriâ per menſes duos graviſſimè laboravit. Ex qua cùm ferè curatus eſſet, interim dum ego Viviacum ad ægrum profectus fui novo & graviſſimo morbo corripitur. Pullulæ enim quæ in fine morbi in labiis erumpere ſolent, in ipſo natura propter vitium imbecillitatem, (quæ cùm ratione morbi, tum etiam ætatis, ſexageſimum enim ſextum annum prætergreſſus eſt, aderat) tam procul expellere non poterat. Circumcirca uvulam ipſamque radicem linguæ erupuerunt, idque non ſine dolore & inflammatione. Barbitonſorem atque ineptiſſimum hominem in conſilium adhibuit; is quotidie ter aut quater pulverem piperis & croci gulæ faucibuſque inſperſit ac ſufflavit. Dolor mox auctus eſt, aucta & eſt inflammatio & febris, per intervalla quoque lipothymiæ ſupervenerunt. Tum ut optimum iſtum virum à morbo penitùs liberaret, & ad partes ablegaret; medicamentum, quod ſimul per ſuperiora & inferiora operabatur (Antimonium fuiſſe arbitror) exhibuit. Ego advocatus, cùm celeriter ad ipſum iviſſem, in mortis ferè agone eum reperi. Vix enim ſpirare potuit; inquietudines aderant maximæ, lingua quin etiam fauceſque adeò intumefactæ erant, ut vix ſpiritum ducere, aut juſculum aliquod nonniſi ſummo cum dolore, & agitationibus involuntariis & convulſivis totius corporis, deglutire poſſet.

Curationem porrò quod attinet, illam ſic inſtitui. Os fauceſque continuò ut lacte recens emulcto ablueret, juſſi, per intervalla quoque decocto hordei, roſarum, ſcabioſæ, melle roſato mixto, os colluebat: ſingulis quin etiam horis parùm olei amygdalarum dulcium ex cochleari aſſumebat. Ter item quaterve interdiu, ac totidem noctu, collum, pectus, cervicem oleo liliorum alborum & amygdalarum dulcium, inunximus, & lanam ſuccidam calide applicuimus. Enematibus item materiam, quæ propter doloris vehementiam affluebat, deorſum revocavimus. Cùm ita per horas circiter triginta proceſſiſſem, vomica in faucibus rupta eſt, ita ut materiam purulentam per os exſpueret.

Hinc imminuto mox dolore, faciliùs ſpirare & juſcula ſorbere cœpit. Tum continuò ſuperiori decocto hordei os abluens & nonnunquam aliquid mellis roſacei ex cochleari lambendo aſſumens, nec non optimâ victûs ratione & medicamentis vires refocillans, paulatim ſingulari Dei beneficio, priſtinæ ſanitati præter ſpem atque exſpectationem omnium miraculosè reſtitutus fuerit; ita ut in præſens etiam ſeptuageſimum annum ætatis intraverit, nihilominùs tamen rectiſſimè valeat, & officio ſuo cum laude & hujus Eccleſiæ emolumento fungatur *Guilielm. Fabric. Hildan.*

Vir quidam apud noſtros mercaturam exercens annos præter propter 40. natus, & craſſiori collo præditus, ſubitò in anginam talem incidebat, qua muſculi omnes & laryngis & pharyngis, iique tum externi, tum interni, ita tumebant, ut non tantùm reſpiratio atque deglutitio difficillimæ fierent, potuſque ipſe per nares inter bibendum regereretur, ſed etiam totum collum extus prætumidum atque prædurum videretur. Plurima in ipſo morbi initio celebrata ſunt remedia; venæ-ſectiones ſcil. tum in brachiis, tum in pede, tum in jugularibus. Purgantia atque emetica medicamenta exhibita, eclegmata, gargariſmata, aliaque appropriata, clyſteriis ſingulis diebus injectis adjuncta fuere. Extus item applicata cataplaſmata è nido hyrundinum, naſturtio aquatico, oleo chamomillæ, meliloto &c. ceratum è ſpermate ceti, inunctiones variæ è balſamis tum naturalibus,

tum

tum artificialibus, ipſoque etiam oleo ſuccini; quæ omnia ad tempus aliquod ſatis proficua viſa ſunt, nam & febris imminuta eſt, & ipſa die morbi quinta facilior deglutitio atque reſpiratio, interim tamen in nocte ejuſdem diei ſubitò ſuffocatus obiit, unde ſatis apparet, non multùm fidendum induciis quas morbus tam atrox remediis quaſi coactus concedere videtur. In aliis tamen non ita infauſta fuit cura eadem methodo inſtituta.

ANI CLAUSI CHIRURGIA Vide ſub titulô *Imperforati*.

ANI FISTULA. Vide ſub titulô *Fiſtula*.

ANI CONDILOMA. Vide ſub titulô *Condiloma*.

ANI INTERTRIGO Vide ſub titulô *Intertrigo*.

ANI PROCIDENTIA. Vide ſub titulô *Procidentia*.

ANI ULCUS. Vid. ſub titulô *Ulcus ani*.

ANIMALCULA & ALIA EXTRANEA in MEATU AURIS Vide ſub titulô *Aurium morbi*.

ANTHRAX Vid. *Carbunculus*.

APHÆRESIS. Vid. ſub titulô *Operationes chirurgicæ*.

APHTHÆ.

A*phthæ* ſunt ulcuſcula ut plurimum albicantia, ſubinde flaveſcentia & quandoque nigricantia per palatum, gingivas, linguæ latera & radicem, ſerpentia, quæ Latinis Lactucimen, Arabibus Alcola nominantur. Hæ autem tenellos præcipuè vexare ſolent, ſed adultos etiam interdum, nempe mulieres menſium ſuppreſſionem patientes, imò gravidas, ſcorbuticos item, ac eos qui febribus malignis laborant.

Cauſa in infantibus petitur à lactis vitio & corruptis in ventriculo cibis, unde acor ſanguinem & lympham inficiens deducitur, halituſque etiam acres in œſophagum & os ipſum elevantur, de quibus ſic habet Sylvius De le Boë. Aphtharum cauſam veram non dubito aſſeverare humores halituſve acres, & quidem acidos, nunc quidem vomitu, aut exhalatione ſurſum ab inteſtino tenui ac ventriculo deductos, nunc unà cum ſaliva in os delatos. In adultis verò, & iis præcipuè qui febribus malignis laborant, accuſabimus cum Chriſtiano Langio impuritates cauſticas & acres retentas, imò ſanguinem ſalsâ, ac vehementi putrilagine inquinatum; unde humor ſalivalis ab eo, in toto ore, faucibus, & œſophagi atque tracheæ tractu ſecretus veneni erodentis inſtar, eas quas alluit partes miſerè corrumpit. Tumque non mirum ſi ventriculus ipſe, thymus, pulmones, alii eque adjacentes partes, affecti viſi ſint in cadaveribus iis priùs denatis. Iſtius proculdubio fuit ſortis morbus in Neapolitanam Gentem anno 1618. ingreſſus, quem anteceſſit boüm annua lues, quique à Marco Aurelio Severino *παιδαγχονης λοιμωδης* nomine, ſeu peſtilentis ac præfocantis pueros abſceſsûs, in ſuo de recondita Abſceſſuum natura, verè aureo libro; abundè deſcriptus & explicatus, reperitur.

Aphtharum color candidus nihil funeſti præſagit, malè verò audit flaveſcens, & peſſimè nigricans, præcipuè ſi febri copulentur hæc ulcuſcula. Rurſus ſi cruſta tegantur tenui, à partibus affectis facilè ſeparabili, imò in plures particulas diſcrepta; aut paucas tantùm oris partes attingant, non ita mali ſunt ominis; contra verò ſi cruſtâ veſtiantur craſsâ, ſubjectis partibus quàm maximè agglutinata, compacta & æquali, imò ſicca & arida, idque eò magis quò diutius durat; aut ulcuſcula in totum palatum, linguam, fauces imò œſophagum &c. ſerpant, illaque depaſcantur. Longum morbum ſignificant aphthæ quæ intra triduum veniunt & abeunt, has enim aliæ continuò ſubſequuntur, idque eò magis ut habet Ettmullerus, quò frequentiùs purgaveris. Quæ poſt ſingultum invadunt deteriores ſunt, præcipuè in febribus, ſic enim ventriculus primò affectus, denotatur, & probabile eſt morbum ab inferioribus œſophagi partibus ad ſuperiores aſcendendo, totum hujus tractum occupaſſe.

Aphtharum Infantilium curatio tota in eo eſt, ut humorum acidorum aliaſque acrium vis retundatur, copia evacuetur, novuſque proventus impediatur, item ut partes affectæ ab iis liberentur, mundentur, ac conſolidentur. Quibus intentionibus ut ſatisfiat non neceſſarium eſt plura adhibere remedia, ſufficiet enim I°. Lac nutricis, ſi per ſe peccet, corrigere, imò ſi malum prorſus ſit, commutare, illudque per intervalla parcè exhibere, quò meliùs & commodiùs digeri queat. Secundò corpus infantis blandè expurgare, tum ſyrupo roſar. ſolut. vel è floribus perſicor. tum de cichorio cum rheo, vel pauca manna in lacte ſoluta. Tertiò os colluere ex decocto hordei, vel ſatureiæ, veronicæ, nucum cupreſſi galliarum immaturarum, radic. bugloſſi recentis; aquar. roſar. & plantaginis, admiſto etiam pauco amylo; ſuccis telephii ſeu ſedi majoris, malorum punicorum &c. addito ſyrupo myrthino, roſarum rubrarum, vel pauco diamoro, ſimplici lacte chalybeato, adjecto etiam ſi placet roſarum rubrarnm pulvere. Imò nihil vetat miſturas has guttatim haurire, nec aliter etiam infantium os collui valet. Præcipuè commendatur in hunc ultimum uſum ſyrupus è ſucco raparum ſub prunis aſſarum, quò temperatur & alteratur humor peccans, parſque affecta mundatur & conſolidatur; ut & etiam ſyrupus ex aqua roſarum, albumine ovi & ſaccharo, ſimul commiſtis, probèque agitatis &c.

In Adultiorum Aphthis præterquam quòd diætam imperamus convenientem, acrimoniæ ſcilicet ſanguinis retundendæ aptam; ſanguinem ſi neceſſarium videatur mittimus, corpus ſobriè expurgamus; & præterea utimur gelatinis ex C. C. & ebore; mucilaginibus ex ſeminibus cydoniorum &c. aqua plantaginis & menthæ extractis; emulſionibus ex piſtachiis, addito ſyr. jujubino; ſuffumigationibus ex herbis traumaticis, floreque hyperici vino incoctis & per tubum aptum in os admiſſis; aliiſque mox in aphthis puerorum allatis.

Si verò Aphthæ febres conſectentur malignas, ab harum curatione illarum amotio pendet, interim tamen non abs re fuerit eas remediis deſcriptis ſubinde demulcere, ne ſcilicet partes quibus inſident crudeliùs depaſcantur, atque corrumpant.

Curationes

In Aphtis primò eſt decoctum ſatureiæ in vino, quò colluatur os ſæpiùs.

Decoctum veronicæ præſtans, præſertim ſi adjiciatur aliquid mellis roſati.

Aphthæ infantibus maximè familiares ſunt; quibus fortiora & acria medicamenta non ſatis aptè adhiberi queunt, ideoque nullum jucundius medicamentum & felicius

felicius, quàm ſuccum carotæ luteę expreſſum & ad ſyrupi conſiſtentiam inſpiſſatum quo aphthæ ſæpiùs illiniantur, propriâ experientiâ commendare poſſum.

In Aphthis contumacibus hiſce decoctis adde aliquid ſp. vitriol. & non reſiſtent. (Item aqua in qua alumen diſſolutum.)

In Aphthis ex lue venerea omnem abſolvunt nodum aquæ virides, in primis ſi loco aquæ ſimplicis aſſumatur aqua perſicariæ, vel ſi in ſecunda aqua foliis reliquis addantur folia perſicariæ *Joan. Hartmann. Pract. Chymiatric.*

Ad Aphthas magis convenit decoctum ficuum, quàm paſſulatum, tinct. bellidis, roſatum, vel martis vitriolati, aqua viridis Hartmanni, tinctura laccæ, rob diamoron, aqua cort. nucum.

Ad puerorum Aphthas optimum eſt remedium ſyrupus fumariæ, purificat enim ſanguinem.

℞. Syrup. de fumar. compoſ. ℥i ß ſyr. pomor. laxat. ℨ ß. eſſent. fumar. ʒ i ß. miſce. *Joann. Michaelis Prax. clinic. general.*

Quibus ægris lingua ac os intus tenaci & viſcidâ, cruſtâ, ab illitu vitiatæ ſalivæ orta, obducta ſunt, iiſdem antequam ullum cibum, potum vel medicamentum ſumant primò ſpathula, vel cochleari eandem deſricent, ſimulque *ſalviæ* folio viridi *fontanæ* innataute lingua è ſordibus curatiùs detergeatur, deinde os atque fauces *aquâ* limpidâ, in cujus ſextario *nitri* puriſſimi, aut *ſuphure* aut *ſale ammoniaco* præparati, vel, quod adhuc efficacius, nitri vitriolati ʒ ij. ſolutæ ſint, diligenter gargarizent atque eluant.

Hoc in caſu antequam inflammatio harum partium mortem alicui minetur, *venas* ſub lingua, *raninas* vulgò appellatas, abſque ulla mora *tundere* proficuum erit: ſed maximè cavendum, ne à Chirurgo fortiter ac profundè ſcalpello feriantur; aliàs ſanguis tantâ quantitate profluere poſſet, ut ipſius animæ cum ſanguine expuitio metuenda foret; cui maturè ſiſtendo nihil aliud; quàm *candentis ferri* attactus, fruſtrà aliis iſchamis priùs applicatis, neceſſarius eſt. Si v. poſt hæc omnia ritè applicata nihilominùs *linguæ*, *oris ac faucium inflammatio* nimis ingraveſceret, eaque in *oris ſiccitate*, *lingua arida fiſſa ac nigra* aut *ſqualida* cinereâ cruſtâ obducta, inque *faucium ac gulæ exulceratione*, *fiſſuris ac ardore* furorem ſuum, oſtenderet *ab acribus*, *acidis ſalſiſque*, ac omnibus quæ *ſpiculis pungentibus* horrent (qualia ſunt *nitrum*, *chalcanthum ac ejus ſpiritus*, *ſpiritus ſulphuris*, *alumen*, *acetum*, *diamoron*, *ſyrupi acidi*) planè abſtinendum eſſe, ipſa hujus affectûs neceſſitas exigit; è contraria autem parte os *lacte tepido*, aut ejuſdem *ſero*, aut *hordei cremore*, *vel ſucco è gammaris fluviatilibus*, *aut ſucco raparum* ſæpiſſimè detergi ac elui debet.

Sequens etiam *gargariſmus*, ſeu potiùs *apozema*, de quo interdum calidè hauſtulum capiat æger, quàm maximè conducit.

℞. Hordei mundati manipulum, cornu cervi raſi ℥ ij. herb. ſolidaginis mediæ, florum malvæ arboreſc. ſingul. manipulum medium, fol. ſedi major. recent. manipulum, gammarorum fluv. contuſ. nu. XII. ſem. cydonior. plantag. ſing. ʒ ij. Inciſa & contuſa cum aqu. font. ℔ iij. vel ſextariis duobus ad tertiæ partis exhalationem coquantur; dein jure hoc colato os ſæpiùs eluatur; ac ſubinde ſorbillando unc. j. vel unc. ij. æger lentè deglutiat.

Poſt ſingulam *gargariſationem* de ſequenti *mixtura* medium vel integrum cochlear ſenſim frequenter delingat, cujus deſcriptio ſic ſe habet:

℞. Lentoris ſem. cydon. aq. roſar. facti, mellis roſacei, vel ſyrup. de ſiliquis, ſingul. ℥ ij. ſucci ſempervivi recent. cochlearia IV. Miſceantur probè ad fictile.

Vel de hac butyri compoſitione interdum fruſtillum fabæ majoris quantitate capiat.

℞. Butyri rec. probè loti unc. iſ. diacod. Mont. unc. j. pulv. diatraganth. frig. unc. ſem. bol. armen. præp. ʒ ij. miſceantur diligenter ad ollam.

Nonnunquam in *juſculo* calido *pulveris è creta compoſiti* Mynſichti, aut diatragacanth. frig. ℈ ß, ſingulis ſex horis hauriat: quæ egregiè *ardori faucium, gulæ ac ventriculi* medentur.

Sic quoque proſunt *radix althææ ſaccharo condita*, *ſuccus raparum cum pauxillo ſacchari ad ſpiſſitudinem decoctus*, ac cochleatim hauſtus; oleum ſeminis raparum cum ſaccharo cando linctum; item *oleum amygdalar. dulcium cum ſyrupo ſempervivi mixtum*, ſæpiuſque deglutitum injurias faucium læſarum abigere ſolet. *Secreta de Febre Caſtrenſ. malign. Sect.* 3. *cap.* 2.

Lingua infantium & oris partes, quæ puſtulis ſunt conſperſæ, eluantur & confricentur bis terve poſt ſuctionem lacte bubulino, vel caprino, in quo auriculæ judæ vel fungi ſambucini ſunt incocti; cum ipſis itaque fungis & lacte, aut foliis ſalviæ virentibus in eodem lacte madefactis puſtulæ confricentur & abſtergantur: quibus abſterſis partes oris puſtuloſæ inungantur, aut melle roſaceo, aut diamoro, aut rob ribium, omnium autem certiſſimum & præſtantiſſimum remedium ad Aphthas, cujuſcumque coloris, tam in infantibus, quàm adultis eſt, eas priùs diligenter ablutas & abſterſas oblinire ſequenti modo.

℞. Mellis roſac. unc. ſem. ol. vitriol. ℨ j. m. f. linimentum. *Franciſcus Ioël Sect.* 7. *lib.* 2. *Practica.*

Conſultationes.

Infantes duorum menſium, cùm matri lac deficeret, nutrici commiſſus fuit; temperamento bilioſo præditæ, ſed alioqui benè valenti multoque ſanguine & lacte abundanti. Huic cùm per octiduum adfuiſſet, cœpit lac coagulatum cum pituitoſis & bilioſis humoribus mixtum ſæpiùs evomere, inquietiùs dormire, bilioſa flava ac viridia multa per alvum ejicere. Tandem etiam os interius aphthis albicantibus undique obſitum eſt, ita ut jam propter dolorem hinc procedentem vix ampliùs ſugere poſſit, licet mammam cum deſiderio appetat & ore amplectatur. Interea tamen nulla manifeſta febris accedit, nec pulſus quicquam immutatus eſt.

Cauſa harum aphtharum eſt lac nutricis ſeroſius, calidius & acrius, quod in debili ventriculo infantis non ſatis benè concoquitur, ſed multa bilis inde generatur, è qua acres halitus ſurſum ad os aſcendentes, tenellas totius oris interioris pelliculas exulcerant.

Bilem copioſam inde generari liquet ex bile flava & viridi, quæ copioſa per inferiora dejicitur.

Lac autem in ventriculo coagulatur ob acrimoniam bilis & cruditatum ibi genitarum. Coagulatum verò evomitur, quia natura illo, aliiſque crudis humoribus gravata, & acrimonia irritatâ, moleſtiam illam per vomitum, quantùm poteſt, deponere nititur.

Febris non adeſt, quia bilis illa putredinem nondum concepit, neque etiam ad venam cavam delata eſt, ſed hactenùs ſurſùm deorſumque ſatis copioſa excernitur.

Infans vix ampliùs ſugere poteſt, quia dolor, quem ex aphthis habet, ſugendo exaſperatur. Mammam tamen appetit, quia majorem oris calorem humiditate lactis lenire & extinguere deſiderat.

Hæ

Hæ aphthę quia recentes & ſine febre ſunt, neque malignam cauſam habent, facilè ſanabuntur; ſi remedia tempeſtivè adhibeantur. Alioqui ſi differatur curatio, metuendum eſt, ab aucta, & tandem putreſcente bile, non tantùm aphtharum profundiorem & periculoſam exulcerationem, verùm etiam alvi fluxum cum torminibus & febri graviore ſecuturum.

In curatione ante omnia ratio habenda eſt nutricis, utpote quę ob temperamentum bilioſum lac acrius generat, quàm infantis ventriculus benè ferre aut digerere poteſt. Deinde ratio habenda eſt ipſius infantis.

Nutrix igitur ſemel atque iterùm benè purganda eſt medicamento cholagogo. Deinde vena ſecanda; & apozema aliquod refrigerans, ex cichoreo, endivia, lactuca, borragine, acetoſa, tamarindis, ſeminibus frig. maj. aliiſque ſimilibus, per aliquot dies exhibendum. Etiam puppa ex rhabarbari ℥ iij. in pinta cereviſiæ tenuis ſuſpendenda, de qua bis terve in ſeptimana hauſtum bibere, hinc non tantùm ipſa, ſed etiam infans bilioſa dejiciet.

Curandum ut cibis utatur boni ſucci, conditis cum hordeo mundato, endivia, lactuca, aſparagis, pomis citriis, ceraſis, fructu ribeſ. &c. Abſtineat ab alliis, cepis raphano, ſinapi, aromatibus, omnibuſque multùm calefacientibus; etiam à melle & ſaccharo copioſo, aliiſque quæ facilè bileſcunt. Potus ſit cereviſia tenuis, aut mediocris notæ: evitet vinum, ſpiritum vini, melicratum, omneſque potus fumoſos & calidos, necnon iram, aliaſque animi emotiones.

Infanti autem (cui vix quicquam exhiberi poteſt) ſæpè in os ingeratur ſyrupus de moris & cydoniorum, vel de roſis ſiccis & granatorum acidorum, aliuſve ſimilis, quo totum os interius oblinendum eſt. Etiam cum cochleare ſubinde exhibenda pulticula liquida ac tenuis, ex decoctione paſſularum corinthiacarum ad rupturam coctarum, cum pauxillo ſacchari & micę panis albi parata.

Si his remediis adhibitis tamen perdurent, aut in pejus vergant aphthæ, quamprimùm mutanda eſt nutrix, & alia quærenda quæ naturæ infantis convenientior ſit. *Isbrand. De Diemerbroëck de morbis capitis, thoracis &c.*

Mulier triginta annorum continuâ febre correpta eſt, cum magna anxietate, ſine vehementi calore, ſine magna ſiti, quâ intra biduum vires admodum proſtratæ ſunt. Pulſus eſt parvus & inęqualis: urina inſtar urinæ hominis ſani. De nullius partis excellenti dolore, ſed de maxima totius corporis conqueritur debilitate, quæ tanta eſt ut in lecto erecta ſedere nequeat. Quarta die in deglutiendo ſentiit aliquam difficultatem, ita ut potus non ſine doloroſa moleſtia & impedimento per gulam & œſophagnm deſcenderet. Eo tempore palatum, gingivæ, lingua, & fauces innumeris exiguis puſtulis albicantibus obſideri comperta ſunt. Guſtus etiam adeò læſus eſt, ut aſſumptorum verum ſaporem vix percipiat.

Laborat hęc ægra febri maligna, ad quam accedunt *aphthæ,* quæ *ſunt exulcerationes quædam in ſumma oris ſuperficie, cum caliditate conjunctæ.*

Cauſa antecedens ſunt humores putridi, acres, maligni, in corpore contenti, qui à calore febrili attenuati, per arterias & occultos meatus ad os delati, in eoque exulcerationem hanc facientes, cauſam proximam conſtituerunt.

Has aphthas à maligno quodam putrido humore excitari, liquet ex febre putrida præcedente vel adjuncta; cujus malignitas ſatis innoteſcit ex maxima anxietate & virium ægræ proſtratione, cùm tamen febris nullas manifeſtas tantę debilitatis cauſas exhibere videatur. Humorem autem illum magna ex parte pituitoſum eſſe, patet ex minori febris calore, & puſtularum ſeu ulcuſculorum albedine.

Hic humor à calore febrili attenuatus & acer ad os deveniens, ejus interiora (palatum, linguam, gingivas, fauces &c.) magis quàm alias partes per quas tranſiit, exulceravit, quia tenui & molli tantùm pellicula inveſtiuntur, quæ à rebus acribus, imprimis putridis, eò devenientibus & diutiùs ibi remanentibus facillimè exulcerari poteſt, cùm aliæ partes firmiores hujuſmodi corruptioni meliùs reſiſtant.

Quia verò illa pellicula oris interiora inveſtiens ſe per fauces & totum œſophagum extendit uſque ad ventriculum, hinc etiam cum faucibus œſophagus ſimilibus aphthis interius obſidetur, ut ex eo liquet, quia deglutitionis adeſt difficultas, & potus non ſine dolore & impedimento ad ventriculum deſcendit.

Guſtus oblęſus eſt, quia pellicula oris interior, cui nervi guſtatorii inſeruntur, & qua mediante guſtus fit, ab illis ulcuſculis adeò obſidetur, ut objecta guſtabilia ad eam integra pervenire, & ab ea percipi vix poſſint. Adde quod lingua ab ulcuſculis dolens, etiam pravis humoribus: infecta de ſaporibus aſſumptorum benè judicare nequeat.

Hæ aphthæ ſunt magis ſignum, quàm cauſa periculi, indicant enim febrem malignam & valdè periculoſam, à cujus ratione earum curatio maxima ex parte dependeat.

Corpore igitur expurgato, vena-ſecta, aliiſque febri convenientibus remediis adhibitis, os ſæpè colluat & gargariſet ęgra hac decoctione.

℞. Hordei mundati, radic. biſtortæ, tormentillæ, ana ℥ß. glicyrrhiz. raſæ ʒ iij. herb. plantaginis, portulacæ, polygoni, foliorum querc. ana m. j. flor. malvæ arboreſcentis, roſar. rub. balauſtiorum, ana m. ß. aquæ q. ſ. f. decoctio ad ℔. j. adde ſyrup. diamori, dianuc. ana ℥ i ß. miſceantur pro collutione.

Poſt collutionem lambat ægra, totumque os interius oblinat hoc ſyrupo. ℞. Syrup. cydonior. granator. acidor. de roſis ſiccis, ana ℥ j. miſceantur.

Si dolor acrior evadat, ægra in ore detineat lac dulce, vel potiùs ſerum lactis, idque ſæpiùs mutet. Deinde ſolum ſyrupum cydoniorum vel de roſis ſiccis lambendo aſſumat, imprimis cùm aphthę jam ſeparantur.

Victus ſit refrigerans & malignæ putredini reſiſtens. Cibi ſint euchymi, eupepti & liquidi. Potus ſit cereviſia tenuis aut ptiſana. Alvus benè reſpondeat, & abſint animi emotiones. *Idem de morbis capitis & thoracis &c.*

Si totum perluſtraveris mundum V. N. & omnia, quæ in ſinu ejus repoſita ſunt vel ſuperficiei adhærent; ſedulò contemplaveris, omnia miraculorum plena invenies. Inter miraculorum verò iliada nullum homine admirabilius & quod raritate & præſtantia ſua animum magis ſuſpenſum & attonitum reddat. In ejus ſanè mirabili & non imitando opificio ineffabilis Dei, conditoris opt. max. providentia, ſapientia atque immenſa bonitas ſummoperè eluceſcit. Hinc non illepidè *Mercurius Triſmegiſtus,* & divinioris illud ſapientię lumen *Plato, Ariſtotelis* quondam Pręceptor, Microcoſmum, id eſt, hominem, auguſtum Dei Templum & ſimulachrum nominarunt. Nam ſicut in Numiſmate *Cæſaris* charagma, ita in homine conſpicitur Dei ſculptura, quem non abs re miraculorum

maximum ſtatuerunt olim celeberrimi Philoſophi. Quid obſecro infantis in utero materno plaſmate, nutritione, ſtato tempore enixu, quid inquàm mirabilius, dici vel excogitari poſſit? Certè nihil. His mihi ſeptem orbis miracula jure videntur cedere, ut meritò quis cum *Martiali* de infantis plaſmate & enixu dicere queat.

Barbara Pyramidum ſileant miracula Memphis,
Aſſiduus jactet nec Babylona labor;

Nec triviæ Templo molles laudentur honores,
Diſſimuletque Deum cornibus ara frequens.

Aëre nec vacuo pendentia Mauſolæa,
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.

Cuncta puerperio cedant miracula mundi,
Infans quo reſerat clauſtra pudica Matris.

Lugendum ſaltem, quod tantum tanti Conditoris opificium, tam affabrè conſtructum & miro artificio fabricatum, adeò labefactatum peccato ab ipſo ſtatim ortu, ut mille morborum phalangibus undique obvallatum ocyus corrueret, niſi Deus illud præpotenti manu ſuſtentaret. Nempè ut fragilis aliqua cymbula, agitata procellis & tempeſtatibus plurimam admittit rimoſa undique paludem; ita & tenella infantulorum ergaſtula, laborioſo per anguſta uteri latibula tranſitu, dolorifica venæ umbilicalis abſciſſione; aëris amico calore blandientis cum inclementi permutatione; victus quoque à naturali & conſueto omnimodà diverſitate, necnon è molli loco in duram, aſperam, ſpinis ſertiſque conſitam, coloniam tranſmigratione, attrita languent, & variorum morborum carnificinâ marceſcunt, & ſæpè ſæpiùs quam vix hauſerunt, vitalem auram immaturè effundunt; ut non immeritò dubitet quis, meliorne iis ſit mater, an triſtior noverca Natura. Mirari ſanè ſubit *Platonem*, omnis auguſtioris ſapientiæ Magiſtrum, qui omnes morbos ab animo ortus ſui primordia derivare affirmat, cùm tamen infantes, antequam ipſis à Deo animo uti datum eſt, morbis ſæpè affligantur. Hinc *Græci* olim & *Romani*, de vita & valetudine eorum dubii, nonniſi effluxo longiore temporis ſpatio nomina iis imponere ſolebant. Nulla ſanè ætas ab ullo morbo libera & immunis, ſed omnes cujuſcuunque ætatis mortales omnium tyrannidi æquè ſubjecti ſunt; quod non tantùm *Hippocratis*, ſummi in Medicina Dictatoris, oraculo ſancitum eſt, ſed & quotidiana experientia, fida rerum magiſtra, abundè docet & ratio ipſa evincit. Sunt tamen aliqui infantulis proprii, quos longâ ſerie venerandus noſter è Coo Senex in Aphoriſinis ſuis enumerat, in quorum cenſu oris quoque tubercula ſeu puſtulæ, *Græcis* ἄφθαι dictæ, recenſentur, lactis vitioſi vel ſaltem in ventriculo infantis corrupti, genuina ſoboles. Familiariſſimus eſt infantulis affectus hic, ita ut è centum vix unus reperiatur, qui non puſtulis iſtiuſmodi moleſtetur. Et promptè quidem hoc malo afficiantur ob corporis mollitiem & teneritudinem, victûs inaſſuetudinem; & copioſiorem lactis ſuctionem, unde lac in ventriculo corruptum huic malo generando ſatis eſſe poteſt. Tubercula hæc ſeu puſtulæ ſi in ulcera degenerent, plurimùm negotii faceſſunt, & ſuctionem impediunt, quandoque etiam lethum accelerant, maximè ſi nigro colore erumpant, aliàs in mollioribus infantium corporibus modeſtè adſtringentibus facilè curantur. Magna eſt horum tuberculorum differentia, de qua nihil invenio in litteris tuis, ita ut difficile ſit rectum Tibi conſilium ſuppeditare. Varianda enim cura pro diverſo Aphtharum colore; ſiquidem alia requirunt remedia quæ albæ ſunt, alia quæ rubræ & igneæ, alia quæ lividæ, & ſic de aliis. Ne tamen deeſſe Tibi videar, velim ut ſæpiùs in die laves ulcuſcula hujuſmodi aquâ vel, quod præſtat, decocto hederæ terreſtris addito melle roſarum vel hujus loco decocto veronicæ; quæ duo remedia in hoc affectu efficacia non ſemel ſum expertus: quod ſi malum non ceſſerit his, poteris iis adjicere lapidem prunellæ, imò & ſpiritum vitrioli in contumacioribus Aphthis admiſcere. Hæc tuta ſunt, ſi fortè aliquid eorum ab infantulo deglutiatur, minimè nocitura. Cavendum tamen ne infans mox ab eorum uſu lactetur, præſertim ſi ſpiritum vitrioli adjeceris, ne lac in ventriculo coaguletur; Prodeſt etiam ſingulis diebus ter quaterve confricare Aphthas foliis viridibus ſalviæ ſummis ſeu in cacumine natis, in aqua priùs ablutis ac deinde vino rubro imbutis. Non incommodè etiam mentham cum maſtiche ventriculo filiolæ tuæ impoſueris, ne lac in eo corrumpatur: in quem finem etiam parcè lactandam ſuaſerim donec ventriculus fuerit emendatus & probè concoquat. Hæc ſedulò adhibenda à conjuge tua, & monenda, cùm ipſa filiolam nutrire & lactare decreverit, ut in victu diligenter abſtineat ab omnibus, quæ maſſam ſanguineam ſeroſis, fervidis & acribus humoribus inquinare apta nata ſunt. Nec ullo modo omittat pulverem ante biduum tranſmiſſum pulti permiſcendum, qui peculiari vi caput roborandi & à convulſivis inſultibus vendicari præditus eſt. Et hoc eò ſerio magis animo urgeo, quod filiola tua dulciſſima in ipſo plenilunio nata ſit, *Mercurio* Lunam minimè intuente: unde Aſtrologiæ periti paroxyſmos epilepticos præſagiunt & obſervarunt, infantes in novilunio aut plenilunio in hanc lucem editos, raro durabiles eſſe aut firmâ valetudine uti. Hi quidem propter nimiam humiditatem, illi verò propter nimiam ſiccitatem languere ſolent. Id quod à me quoque in non paucis annotatum. Sed hæc in Dei voluntate poſita; qui numeravit omnes dies noſtros. Faxit ipſe, ut filiola tua fauſta Lucina nata, ſit Tibi perpetua, quę tibi olim ſeni, ut Ciconię eorum parentibus ſenio enervatis, ſuſtentaculum prębeat & conſolationi ſit, atq; ἀντιπελαργῶσιν, gratam beneficiorum remunerationem referat. Et hęc Tibi, quem ob abſentiam meam coram alloqui non potui, per literas ſignificare volui. Vale & nobiliſſimum Domin. parentem, conjugem, ſorores, meo nomine, quam potes, officiosè ſaluta. *Frideric. Loſſii conſil.* 51.

Obſervationes.

Nos linctu utimur ex diamoro, ſucco granat. & melle, hoc etiam addam quod à Pharmacopęo accepimus. Multi infantes cùm *Antwerpiæ* ex aphthis morerentur, ex vetulę conſilio, ranulam vivam ori puerorum admovebant, ſuctione malignitatem attrahentem, eâque defoſsâ & mortuâ alteram ori imponebant: deinde rurſus aliam, ſi opus eſſet; quo preſidio, & pueri, & infantes evadebant. Idem in pueris ſuis, tum aliis expertum narrabat. *Petrus Foreſtus obſerv.* 21. *lib.* 14. *de affectibus labiorum, gingiv. dentium, oris & linguæ.*

Juvenis bilioſus cùm in aphthas incideret, valdè ignitas & flavas, poſtquàm ex infuſ. rhab. purgatus eſſet, collutionem preſcripſi, quę refrigeraret, & fervorem reſtingueret in hunc modum.

℞. Fol. plantag. bellid. min. portul. ſemperviv. ſolan. ana m. j. fl. roſ. rubr. p. j. ſem. cydon. ʒi ß. F. decoctio in aqua, in colat. ℔ j. diſſolve diamori ℥ ij. ſucc. mali punici acid. ℥ß. m. f. collutio. Poſtea adjeci ad majorem refrigerationem, ſuccum ſolani, & aceti modicum:

dicum: Deinde ut magis abſtergeret, in decocto adjeci, hordeum integrum, etiam mellis roſati nonnihil, ut citra mordacitatem magis diſcuteret. *Petrus Foreſtus obſerv. 22. lib. 14.*

Hic ſyrupus mirum in modum prodeſt. ℞. fol. viol. fragrar. ſemperviv. bellid. min. plantag. portulac. ana m. j. ſem. cydon. ℥ j. coq. in aq. communi, colat. fortiter expreſſæ adde ſacchar. q.ſ. & coq. ad conſiſtentiam ſyrupi, S.A. ut meliùs abſtergat, loco ſacchari mel addi poteſt. *Petrus Foreſtus. Schol. obſerv. 25. lib. 7. De febrium ſymptom.*

Filius meus quatuor annos natus, paſſus eſt fluxionem acerrimam in linguam & fauces, ut infinitis ulceribus ſcaterent, iiſque albicantibus, & admodùm dolorificis, cum magna inflammatione, non poterat cibum, aut juſculum capere, nec lac ſugere; diebus ac noctibus ejulabat inſomnis, macilentus, ac fere conſumptus. Ex remediis non profuit mel roſaceum cum ſp. vitrioli; quod aliàs mirificè conduxerat; aderat alvi fluxus copioſus, quo bilem porraceam ejiciebat, veſicatorium valdè profuit; ſed dolores & clamores perſeverabant, & continuò eger per os humorem ſeroſum & acrem emittebat, dolore & inflammatione magis ac magis attrahente, tandem exhibui laudani. gr. j. cum juſculo, eoque dolor ſopitus eſt, ſomnus leviſſimus conciliatus, qui poſtmodùm perſeveravit moderatus & ſuis horis adveniens. Hinc cœpit convaleſcere, & fluxio illa humoris per os emanantis omninò cohibita eſt: ſequenti tamen die purgans medicamentum exhibitum eſt, quod multùm etiam profuit. *Lazarus Riverius obſerv. 43. cent. 2.*

Quędam mulier laborabat Aphthis cōtumaciſſimis, quę neque venæ-ſectionibus, neque purgationibus multis, neque julepis refrigerantibus, neque illitu ex ſpiritu ſulphuris curari potuerant, noctes inſomnes traducebat, & vix cibum devorare poterat, quia omnes oris partes hujuſmodi ulcuſculis ſcatebant: ſumpſit noctu laudani gr. iij. idque remedium continuavit per triduum, & ſic fluxio acris in oris partes defluens cohibita eſt, ac conſequenter oris ulcera paucis diebus percurata ſunt. *Lazarus Riverius, obſerv. 35. cent. 3.*

Aphthæ Ferinæ purgatione levi & alterantibus curatæ.

Excitatiſſimus annorum quatuor puer, *Aphthis*, ſeu *oris ulcuſculis* diu noctuque ita lancinatus, ut nec potum, nec juſculum ſumere, multò minùs ob oris excoriationem ubera ſugere valeret, febriculâ lentâ, vigiliis, doloribus non tantùm ad extremam maciem, verùm convulſionibus ſupervenientibus, vix non ad funera redactus, mulierculaum pſeudo-medentium nullis proficientibus oris ſuperni ac interni collutionibus, vocatus, cauſam materialem ſyrupo mannato iteratis vicibus evacuare; Efficientem verò, tanquam primorum humorum fontem, alterantibus contemperare conatus; quo facto gratioſulus magno parentum cum ſolatio ex orci faucibus ereptus. *Nicol. Gulielm. Beckers.*

Apthæ ferinæ, morbillorum comites, neglectæ mandibulis corruptionem inducentes.

Quam novercali odio anni 1659. tempore fervido, atque inter igneas illas Planetarum oppoſitiones, morbilli apud nos in Norvuegia in adultos ſęvierint; ac infantes, pauperiores maximè, libitinæ docebunt rationes: Omnes ſanè ad unum qui hydromelite morbillorum tentarunt expulſionem, nullo ad malignitatem habito reſpectu, convuſionibus aut diarrhœâ miſerando perierunt modo; Nonnullis ex neglectis Aphthis tanta accrevit oris putredo, ut ante inſtans mortis punctum mandibulæ ſponte exciderint; aliis à Chirurgis caro circa illas gangrænâ infecta ut mihi retulerunt, omninò reſecta fuerit. *Joann. Frideric. Treubler.*

Aphtharum infantilium remedium.

In puerulis Aphthis laborantibus nihil eſt quod tam præſentaneam afferat operam quàm *oleum raparum*, ſi in eo tantùm diſſolvatur ſacchari quantum poteſt, illudque ori illitum lambant; quod in meo filiolo Petro Joanne, vix octo dies nato expertus, cui Aphthis laboranti dedi oleum hoc raparum ſaccharatum. & paucorum dierum ſpatio curatus eſt.

Ruſtici infans cùm non poſſet ſugere, itidem Aphthis obſeſſo palato, morbo jam per decem dies vigente, eodem modo à dicto medicamento ſenſit levamen præſentaneum. *Joann. Ludovic. Hannemannus.*

Aphtharum remedium euporiſton.

Apthæ illę flammantis oris puſtulæ, infantibus frequentes ſunt, adultos rariſſimè corripiunt, & nunquam ſine periculo ferè. Annò 1669. cùm praxin Medicam Fridrichſtadii exercerem, hoc genere morbi tres puerperæ extinctæ ſunt. Hocque malum æquę ac morbilli & variolæ homines ſemel invadit. Tres mei filii & his puſtulis laborarunt, duo recens ſtatim iſto malo correpti ſunt, natu verò maximus, qui nunc quatuor annorum & dimidii eſt, nunc paucis ante diebus iis quàm vehementiſſimè laboravit, & coronidem impoſuerunt variolis, quę & hic graſſantes ipſum lecto affixerant. *Franciſc. Joel* hîc recommendat.

℞. Mellis roſat. ℥ ß. olei vitriol. ʒ j. m. f. linimentum. *Timeus à Guddenclee* laudat florem lactis caprilli cum tantillo nitri puriſſimi l. 5. caſ. 9. *Wolf. Hoefferus* in Medicat. familiaribus p. 359. præſcribit.

℞. Syrup. è roſ. ſicc. mellis roſat. ſimplic. ana ℥ ij ß. maſtich. elect. pulv. ʒß. ſpir. vitriol. gutt. iij. m. inunge ſæpiùs. Verùm uti ſimplicitas amatur, ſic quoque ſimplex euporiſton hîc recommendabo, quo uſus ſum in meis tribus dilectiſſimis, admirando cum ſucceſſu, quo & præſtantius & certius non datur.

℞. Olei rapar. q. v. tantumque adde ſacchari quantum recipere poteſt, de eo ſæpiùs dato lingendum infantibus & infallibiter curantur. Infantibus medicamentum tutum, certum & jucundum eſt, & blandè in iis alvum ſolvit hoc oleum, & iſto euporiſto meus filius natu maximus nunc quoque (Dei gratia) reſtitutus eſt. Batavæ fœminę & obſtetrices rubetam filo alligatam ori infantum his puſtulis correpto imponunt, extractam in frigidam aquam injiciunt, ut vires recolligat, tum iterùm imponunt, ſed contingit ſępiùs imbibito iſto veneno flammante rubeta rumpatur, iſtâque rubetę novæ impoſitione ſæpiùs reiteratâ infantes curantur, & iſtæ flammantes puſtulæ evaneſcunt. Cauſam hujus curę per rubetam ego in duo rejicio, 1. in medicam refrigerationem, quam affert Rubeta ori hiſce ulcuſculis flammanti. 2. in attractionem malignitatis puſtularum, quam ſi attraxerint rubetæ, ut plurimùm ſtatim rumpuntur & extinguntur. Malignitatem enim contagioſam poſſident iſtæ puſtulę. Nuper mei affinis, Senatoris Fridrichſtadienſis filiola his puſtulis laborans per Rubetarum inſertionem curata eſt. Sed quod notatu dignum, prior Rubeta extracta ſtatim etiam in aqua frigida exſpiravit, & altera etiam difficillimè in frigida

gida lympha ſervata fuit. Tantam malignitatem habuerunt iſtæ puſtulæ. Addo de meo filio natu maximo, hic graviſſimè variolis decumbens, floccos colligebat, lodicem complicabat, quod & cæteroquin infauſtum cenſetur ſignum, utplurimùm mortem præſagire dicitur; ſed & hîc ut & ſæpiùs fefellit. Ego hîc recordor quod ſcribit *Wolf. Hoeferus* in Hercule medico p. 346. & 348. Et quod non ſemper infauſtum ſignum præbeant, plures probant obſervationes. Malo ergo hîc *Cardano* credere quàm *Galeno*. Tum demum enim infauſtum ſignum eſt, ſi ſimul facies Hippocratica adſit. *Buxtehudæ* quædam fœmina laborabat febri malignâ, floccos colligens, lodices explicans & complicans, ſeſe meæ curæ commiſit, & Dei gratiâ reſtituta eſt. *Joan. Ludovic. Hannemann.*

Matrona quædam inter noſtras primaria annos 38. nata, ſub initium octavi graviditatis menſis, degens; apud me conquerebatur de Aphthis feris quæ à quinque menſibus ipſam durius vexabant, nec per venæ ſectiones, ut & purgationes repetitas, imò adhibita varia topica, ullatenus remiſerant, at potius à gargariſmis quantumvis pauco acido imprægnatis exacerbabantur. Vidi nobilis mulieris linguam laceram & quaſi fimbriatam, profundis ulcuſculis cruſtâ craſſâ ex parte veſtitis deſuper non parum abſumtam, palatum præterea & gingivas, atque fauces ipſas eodem morbo deturpatas, imò non immeritò arbitratus ſum ipſum ad orificium uſque ventriculi ſuperius deſcendere, ſiquidem à faucibus ad ſcrobiculum uſque cordis intus ardorem perſentiebat ægra non parum moleſtum. Sic autem affecta non tantùm ſolidi prorſus nihil maſticare, & per os volutare valebat, ſed etiam omnia alia alimenta nauſeabat; febri lentâ conſumebatur, & noctes inſomnes cum tuſſi continua, ab aliquot menſibus tranſigebat. Non difficile fuit judicare alia omnia ſymptomata nobilem matronam moleſtantia, ab Aphthis ipſis non bene hactenus curatis originem ſuam ducere; itaque illuc vim omnem remediorum dirigere conſultum habui, & propterea gelatinas tum ex volatilibus variis, tum ex C. C. & ebore præſcripſi; emulſiones è piſtachiis ſenſim hauriendas præbui; ſyrupum raparum, ut & ex albumine ovorum, aquâ roſaceâ & ſaccharo in uſum adhibui; ſuffiumigationes ex decocto calido herbarum traumaticarum, folior. prunellæ, florum hyperici, roſar. rubr. balauſtior. &c. in vino rubro parato, bis de die ex tubulo apto in os admittendas curavi; Imò ſub finem aliquid tincturæ gummi laccæ decocto foliorum prunellæ & hederæ terreſtris cum ſyrupo althææ, quô os ſubinde colluerет admiſcui; quibus juſcula plantis aptis alterata, diætamque aptam, adjunxi.

Ita hæc, Deo ſic benedicente, fuere proficua, ut intra duas ſeptimanas fuerit ſanata Nobilis Mulier Marito ſuo meritò chariſſima, & inde ad partus uſque terminum ſine ulla febri, aut alio moleſto ſymptomate devenerit, ſicque noviſſimè quæ in graviditate tam moleſta ſupremam diem neceſſariò obituram credebant, puellam enixa fuerit formoſam, nec aliis afflicta ſit ſymptomatis, (imò mitioribus) quàm quæ ipſi in aliis pluribus partubus familiaria fuerant.

Puella nobilis ſeptem annos nata, cùm variis oris morbis primò ægrotaſſet, tandem in aphthas incidit, eaſque tam truces & malignas ut per aliquot dies neglectæ, abſolutam propè partium in ore contentarum corruptionem fecerint, ita ut, (tum nihil proficientibus remediis) non tantùm, quod adnotavit Severinus in Aphthis peſtilentialibus Neapolitanis, uvulam ad palati os uſque, & tonſillas ad epiglottidis baſim exederint; ſed etiam in ſiniſtram faciei partem ſerpentes, maxillæ ſuperioris, carniumque adhærentium portionem, ante obitum brevì accedentem, ſepararint, quam ſuper pulvinari reperiebamus, dum ægræ caput aliquot ante fatale momentum horis, elevaremus.

APPARATUS MAIOR & MINOR ad extractionem CALCULI. vide ſub titulô CALCULUS

ARTERIÆ ASPERÆ SECTIO. vide ſub titulô BRONCOTOMIA.

ARTERIOTOMIA.

De Arteriotomiâ, *quæ familiariſſimè apud Nos celebratur in Temporibus, hæc habet Clariſſ. Thomas Fienus in accuratiſſimo ſuô de Præcipuis Artis Chirurgicæ Controverſiis Tractatû.*

Cap. 1. *De quâ ſectione arteriarum ſermo ſit.*

Arteriæ olim ab antiquis uti, & præſcindi ſolebant, ſic quod in duas partes dividerentur, & inter duo extrema rarò intermedia creſceret, quæ faciebant ad illum finem, ut per illas nullus amplius humorum, aut vaporoſi ſpiritus ad partem affectam fluxio fieret: & in iis affectibus, qui nimirum cauſabantur ab humore aliquo, ſeu vapore per arterias illas delato. Sed nos de tali ſectione arteriarum hîc non loquimur, ſed tantum de apertione earum, per quam arteriæ integræ manent, & non dividuntur, ſed tantum aperiuntur, eodem modo, quo venæ in phlebotomia: ad eum finem, ut aliqua ſanguinis arterioſi quantitas ex iis evacuari poteſt. Hanc arteriarum ſectionem primus invenit Galenus (ut patet *ex lib. de curandi ratione per ſanguinem* emiſſum,) in ſomnio ſuo monitus, ubi dicit, quod identidem etiam miniſter Dei Bergami ſomnio monitus, ſibi arteriam in ſumma manu incidi curaverit.

Cap. 2. *An Arteriotomia unquam locum habeat.*

Quæritur autem, an hæc arteriotomia unquam ſit facienda? Antiqui certè Medici dixere, quòd arteriæ non poſſent conſolidari: quod ſi verum eſſet, ſequeretur, quod nunquam deberent aperiri. Nam dicebant, quod etſi aliquando videantur conſolidari, tamen revera non conſolidarentur à carne earum vulneri ſupercreſcente. Et hoc probant ratione ex eo, quod arteriæ ſint partes ſpermaticæ, quod ſint duræ & ſiccæ; tales autem partes non poſſunt conſolidari. Secundò, quòd continuò moveantur: motus autem impedit, quod labra vulneris non poſſint uniri. Verùm *Gal. 5. Method. c. 7.* redarguit ipſos, & refert exemplum cujuſdam, Medici imperiti, qui loco venæ præſciderat arteriam, & oſtendit modum, quo ipſe vulnus curaverit, addens quoque, quæ reſpondere debent ad rationes contrarias. Nempè, quoad duritiem & ſiccitatem attinet, non ſunt tam ſiccæ & duræ, quin conſolidari poſſint. Saltem, ait, in pueris, & mulieribus, quibus arteriæ ſunt humidiores. Quoad motum, ille quidem cauſa eſt, quod non tam facile conſolidari poſſint, ſed non quod nulla ratione.

Licet ergo aliquando arterias ſecare. Hoc patet ex exemplo, ſupra allato, de Galeno, & miniſtro Dei Pergami, qui ſibi arterias ſecare, curavere, & periculum nullum incurrerunt, & fuere ſanati à morbo. Proſper. Alpinus *lib. de med. Ægyptiorum* dicit: Ægyptios æquè familiariter ſecare arterias, ac venas, ſed habere peculiarem modum ſecandi eas, de quo nos infra quoque dicemus.

Cap. 3.

Cap. 3. *Pericula Arteriotomiæ.*

Verùm, etſi arteriæ aliquando ſecari poſſint, ſciendum tamen eſt, quod earum ſectio ſit valde periculoſa, & ideo magnæ arteriæ imprimis non ſunt ſecandæ, ſicut omnes Practici monent: ſed tantùm minores, eæque non facile adhuc nec temere, & à prudente tantùm medico, & in neceſſitate, aliis remediis non juvantibus. Galenus enim *in 5. meth. & Angenius* etiam *in lib. de venæ ſectione* ajunt: ferè impoſſibile eſſe arteriam ſecare quin aneuriſma ſequatur, & ſe nunquam arteriam ſectam vidiſſe, quin hoc fuerit ſecutum. Nihilominus tamen Paræus ſcribit, quòd ad minores arterias attinet, modò ſectio cautè fiat, eam non eſſe adeò timendam, ſed multoties ſeſe, & nominatim temporum arteriam ſecuiſſe, & nunquam ullam difficultatem paſſum eſſe. Difficultas quę in arteriarum ſectione ſubeſt eſt vnica, nempe quod arteriæ difficulter poſſint conſolidari. Ex hac difficili conſolidatione duo graviſſima incommoda oriuntur. Primum eſt, quòd ſequatur hæmorrhagia arterioſi ſanguinis quæ ſiſti non poteſt. Secundò, quòd ſequatur aneuriſma. Uterque affectus eſt periculoſiſſimus. Quoad hæmorrhagiam, cùm ſanguis arterioſus promanet à corde, & ſit plenus ſpiritibus vitalibus; ſi ſiſti non poſſet, ſequetur mors, lipothymia, hydrops. Quo ad aneuriſma, hic affectus ferè ſemper ſequitur, & vix poteſt, ut audiviſtis, arteria ſecari quin ſequatur. Aneuriſma autem eſt tumor, qui fit à ſanguine ſpirituoſo, è ſecta arteria ſub cutem, & inter muſculos exeunte. Fit hic tumor ex eo, quòd arteria difficilimè uniatur, & antequam ſit unita caro, & cutis ei ſupercreſcat, & eam obturet ſic, ut putetur eſſe clauſa, & tamen non ſit clauſa, vel ſi leviter clauſa ſit, facilè iterum per motum aperitur, & tunc ex ea ſanguis ſpirituoſus effluit, qui exire nequiens extra corpus, propter carnem, & cutem quæ ſupercrevit, ſe inſinuat inter carnem, & facit magnum tumorem. Ille tumor, cùm ſit ex ſanguine, & ſpiritu vitali factus, difficile curatur, & ſæpiſſime cùm erumpit & aperitur exhalantibus ſpiritibus, & arterioſi ſanguinis novâ hæmorrhagiâ ſuperveniente, ſubitam mortem infert.

Cap. 4. *Vſus ejus, & in quibus morbis valeat?*

Vſus arteriotomiæ propriè eſt, ut ſanguis arterioſus, & cum eo vaporoſus ſpiritus, qui per eos in partem vergit, & ibi aliquem morbum facit, evacuetur, revellatur, aut derivetur. Ideo valet in omnibus affectibus, qui fiunt à defluxionibus per arterias, ſeu à ſpirituoſo, & tenui vapore, per arterias delato, vel ſanguinis arterioſi in aliqua parte abundantia. Nam in illis affectibus venarum ſectio nihil prodeſt, quia non evacuat, niſi ſanguinem, qui eſt in venis, non autem, qui eſt in arteriis. Itaque propriè indicatur arteriarum ſectio in affectibus, ac doloribus diuturnis, in quibus adeſt dolor pulſatorius. Dico in diuturnis, quia poſtquam in talibus omnia remedia, & ſæpius venæ ſectio eſt adhibita, & non curantur, judicium eſt, quod eorum cauſa fortè per alias vias, ex quibus nulla eſt adhuc evacuatio facta, promanet, nempe per arterias. Dico, in quibus dolor pulſatorius adeſt; nam talis dolor indicat affectum ad arterias, vel ab arteriis eſſe, quæ pulſant, proinde earum ſectionem profuturam. Itaque ad hemicraniam à fervido ſanguine, ad vertiginem diuturnam valde eam *Paræus*, & alii laudant, dicitque, ſe ſæpius eam cum ſummo fructu expertum eſſe, arteriis ſcilicet poſt aurem apertis. *Proſper Alpinus* ſcribit, quod Ægyptii facilè arterias ſecabant, ad inveteratas ophthalmias, & antiquos capitis dolores. *Galenus* ſcribit, Quod ſectio arteriarum in manu magnopere valeat in inveteratis laterum doloribus, & quod ipſe, & miniſter Dei Pergami ſomnis moniti ſibi illam incidi curaverint, & ab antiquo laterum dolore fuerint liberati.

Cap. 5. *Quæ arteriæ ſecentur?*

Paucæ arterię ſecantur, quia paucę ſunt conſpicuę. Frequènter ſecantur in temporibus, ubi aures oculorum fluxiones ſiſtunt. Secantur etiam poſt aures in vertigine, doloribus capitis, faciei ruboribus, & affectibus oculorum. Inter pollicem, & indicem ſecantur in diuturnis laterum doloribus. Alia etiam quędam ibi ſecatur, ad interiorem palmę partem declinans, quę etiam eundem effectum habet. Juxta malleolum ſecantur in vetuſtis coxendicum doloribus. Pręter has non legi ullas alias ſecari, & propterea nullas alias unquam ſecari debetis: aliæ enim ſunt profundiores, & majores, & ideo ab iis nimis magnum periculum eſt aneuriſmatis, vel hęmorrhagię inſiſtibilis.

Cap. 6. *Modus ſectionis, & quid circa ſectam arteriam obſervandum?*

Modus ſecandi varius eſt: ſemper enim in operationibus periculoſis pluralitas modorum eſt inventa. *Gal. lib. 5. meth. c. 7.* narrat hiſtoriam de quodam imperito Medico, qui cuidam arteriam loco venæ inciderat: & dicit modum, quo ipſe eam conſolidarat. Ex illo ergo modo, quo tunc Galenus uſus fuit, poſſumus nos modum deſumere, quo nunc eam aperire, & claudere poſſimus. Dicit ergo, quod inciſionis labra conjunxerit, & medicamentum ſiſtens ſanguinem ſuperpoſuerit, & deſuper ſpongiam mollem ſuperligaverit, & omnia ſic quatuor diebus reliquerit ſine ſolutione. Quarta die cum ſolveret ligaturam, erat arteria conglutinata. Tum idem dicit, ſe ſuperpoſuiſſe, & diu iterum ſine ſolutione reliquiſſe. *Proſper Alpinus in lib. de Med. Ægyptiaca*, dicit Ægyptios ſic facile, & ſine periculo arterias ſecare; Operarius, inquit, primò partem ligat, ut arteria ſanguine rumeat, tum foramen obliquè ſecat, ſed parvum, quia ſanguis ille eſt vehemens, & parvum vulnus meliùs conſolidatur, tum labris vulneris proximè digitis unitis, modicum goſſypii ſuperponunt, inde fruſtum æris plani rotundum & craſſum, ipſumque validè ei annectunt, & fortiter ligant, ut valde arteriam comprimat, & pulſui obſiſtat, ne rurſum vulnus aperiatur, permittuntque ſic tribus diebus ligatam, & tunc deponunt, & arteria eſt conſolidata. Quidam tamen, inquit, parum thuris accenſæ candelæ flamma calefactum apponunt, & deinde goſſypium, inde nummum æreum. Alii, inquiunt, loco thuris lentium nigrarum pulverem. *Mercatus lib. de indicationibus*, putat, quod nimium periculum ſit in ſectione cum ſimplici ferro; ſed tutius eſſe dicit, ut arteriæ ferro candenti aperiantur. Olim antiqui, nimis timentes arteriotomiam, primam cutem uſque ad arteriam dividebant, & quaſi excoriabant, & tum arteriam à circumſtantibus particulis dividebant, & quaſi excoriabant, inde eam ligabant, & præſcindebant, ſanguine quantum opus erat, evacuato, manente arteria ligata deſuper; comprimebantque & carnis aggerationem procurabant. Verùm ipſe Paræus à propria experientia loquens, inquit, hanc ſectionem non adeo periculoſam eſſe, etiamſi ſcalpello fiat, fluxum autem ſanguinis nullum unquam ſibi ſolitum eſſe supervenire, modò apta inquit deligatio facta ſit, & ea totum quatriduum appoſitis ut decet, plagulis ſinatur. Hodie vulgariter ſectio

fit cum ſcalpello: foramini ſuperponitur emplaſtrum ex maſtiche: deſuper pulvinum, & inde faſcia, fortiter ſuperligatur. Ex quibus poteſtis colligere, quod præcipua ratio ſectionis conſiſtat in eo, ut arteria fortiter comprimatur, & quatriduo ſic ligata ſine ſolutione relinquatur. Fortiter autem ita comprimi debet propter duas cauſas: primò, ut pulſus impediatur, & per fortem compreſſionem arteria quieſcat, & per quietem labra vulneris uniantur, quæ alioqui motâ arteriâ ſemper hiarent, & divellerentur. Arteriâ autem conſolidatâ, ne hæmorrhagiæ, nec aneuriſmatis amplius periculum eſt. Secundò debet arteria comprimi, ne ante eam ſit locus vacuus, nam in locum vacuum inſinuat ſe ſanguis & ſpiritus vaporoſus, qui è ſectione exit, & facit aneuriſma. Si locus vacuus impediatur per compreſſionem, nuſquam poteſt ille ſanguis, & ſpiritus inſinuari, ac colligi, neque ſic aneuriſma fieri. Hoc docet Galen. manifeſtè 14. Meth. cùm arteria, inquit, inciſa eſt, implendum vulnus carne, & priuſquam vinculum à vaſe recedat, & decidat; ni enim producta caro prius locum circa præciſam arteriam impleverit, ſi locus vacuus ſuperfuerit, aneuriſma fit. Et Aëtius lib. 14. cap. 10. Avic. Fen. quarto quarti, tom. 2. cap. 16. dicunt eodem modo, quod quando non deſuper coarctatus locus, ejus ſanguis, & ſpiritus inveniunt vacuitatem, & fit aneuriſma. Hoc autem magis locum habebat in illo modo ſecandi antiquorum, quia ita arteria, præciſâ cute denudabatur, quàm in noſtro, in quo ſit tantum parvum vulnuſculum, nec ullis cavitatibus valde locus datur.

Porrò, ſi prædicta ratione arteria forte conſolidari non poſſet, tum deberet arteria denudari, eximi, ligari, præſcindi, & uri, de qua plura in Chyrurgia ſunt videnda.

ARTICULORUM CHIRURGIA

Hìc non de omni articulorum Chirurgiâ agetur; ſiquidem de articulis luxatis, ſub titulô *Luxationis*; de aliis etiam eorum morbis ſub aliis titulis Articulorum. Itaque uſtionem ex Clariſſ. *Hieronimo Fabricio ab Aquapendente* in præſentiarum tractandam nobis tantùm aſſumimus. Sic autem ille.

IRe inficias non poſſum, quod ſicuti ego Chirurgicas Antiquorum operationes, truces, & non neceſſarias paſſim reprobo, ſic noſtris temporibus, non laudo homines ita timidos, & delicatos, qui Chirurgias tolerabiles, & neceſſarias non admittunt; cujuſmodi ſunt articulorum uſtiones, quę hac noſtra ętate rariſſimè adminiſtrantur; quamvis antiquitus ab illo parente omnis medicinę Hippocrate, & ab aliis Veteribus, ac à me quoque perpetuò ſummo cum fructu uſurpatę ſint; prçſertim cum aliis omnibus adhibitis medicamentis, tamen affecti articuli non reſtituuntur. Uruntur igitur articuli tribus potiſſimum caſibus, aut ad dolorem leniendum, ait Hippocrates; aut ad tumorem evacuandum; aut ad prolapſum, & prorſus relaxatum articulum contrahendum, ac reſtituendum. Quæ vitia in primis, ignem poſtulant, cùm à cauſa frigida, & humida dependeant; nam interdum articuli, hoc eſt, capita oſſium à proprio ſinu deturbantur, non ab alia cauſa quàm à pituitoſo humore, vel influente, vel in articulo congeſto; qui duplici nomine caput oſſis excidere à propria ſede facit, vel enim coactus, coacervatus, & ſenſim in ſinu obduratus id propellit; quod à pituita craſſa & lenta provenit; vel ad ligamenta circumpoſita influens, eaque humectando, ac relaxando tantum diſtendit, ut caput oſſis ſponte excidat: quod potiùs à tenui pituita contingit, cui rei ferè perpetuò dolor accedit, maximè autem cùm luxatio à prima cauſa fit. nam tametſi Galenus Secundo de Compoſ. Medic. per loca, Cap. 1. negaverit à pituita dolorem excitari, id tamen intelligendum ratione humiditatis; hæc enim, quatenus frigida, doloris haud expers eſt. nam ego aliquandò vidi paulò ſupra carpum, interna parte, in muliere, parvum abſceſſum, parvę caſtaneę magnitudine, mobilem, & nullam compreſſionem efficientem. quotidie, ſtatis quibuſdam horis dolorem adeo intolerabilem excitaſſe, ut mulier in animi deliquium incideret; quæ cùm me acceſſiſſet, & ego extraxiſſem, ſtatim ſanata in poſterum fuit: qui materiam extractam contemplatus, inveni concretam pituitam vitream, ad tactum frigidiſſimam, quæ internis tendinibus ſolo contactu dolorem excitabat, ex quo conjeci, quantum poſſet ſola intemperies frigida ad efficiendum dolorem. Quod verò certis horis quotidie dolor revertetur, eam puto fuiſſe cauſam, quod dolore urgente, naturà, ut dicit Galenus, ad partem dolentem accurrit, unà cum ſanguine, ut dolenti parti auxilietur, à quo propterea ſanguine, parte affecta per tempus illud intermedium calefacta, dolor ceſſabat.

Ad rem igitur redeundo. in duplici caſu propoſito affecti articuli tum ex dolore, tum ex luxatione, Hippocr. proponit Chirurgiam per aduſtionem, duplici Aphoriſ. 6. Aphoriſ. 59. & 60. dicens. Quibus longo coxendicum dolore conflictatis, femoris ſummum coxę excidit, rurſumque recidit, iis mucoſa ibidem pituita colligitur. Duobus modis, ut ſupra dixi, ſolet articulus, ſeu ut meliùs dicamus, os, quod movetur, excidere propria ſede; vel ex ſe ſcilicet ſuopte pondere; vel ab alio, videlicet, ſi compellatur. Ex ſe quidem, videlicet, madefactis, ſeu diſtentis ligamentis; ab alio autem, quod accidit, cùm pituita craſſa, & lenta in cavitate articuli coarcervata, ſuper exſiccata, atque obdurata, os, quod movetur, è propria ſede expellit, extruditque. Hippocr. ut patet, tantùm primę cauſæ mentionem facit, quia vult, os excidere, & rurſus redire in cavitatem, quod non accidit, in ſecundò caſu, videlicet, quando pituita obdurata in cavitate eam replet, & ità è propria ſede os expellit. In quò Aphoriſmo Hippocr. cauſam aſſignat læſi articuli femoris, quòd excidat, & recidat; quam in pituitam rejicit mucoſam; & eſt, ut puto, ille mucus, qui naturà ſolet contineri in articulorum cavitate, copiâ tamen plus æquo adauctus, ideoque Paulus ait, vel humiditatis ſuperantis vitio, & hoc propter articulorum imbecillitatem; nam omnes articuli frigidi ſunt, & ex frigidis & exanguibus componuntur partibus, nimirum oſſibus, cartilaginibus, ligamentis, & muco; unde mucus copiâ plus æquo auctus, primò quidem ligamenta refrigerat, & diſtendit, inde tendines, & nervoſa corpora ſuperpoſita afficiuntur; quo tempore dolore affici ægrotantes par eſt, qui major ſubinde redditur, cùm mucoſa materia os, quod movetur, è propria articuli compage expellit, & compreſſione tendines afficit; & ita dolor impenſiùs adaugetur, concurrente ad ipſum excitandum non ſolùm intemperie frigida mucoſę pituitæ, & articuli; ſed etiam ſolutione continuitatis, ex contuſione oſſis, quod è propria ſede excidens, nervoſas partes comprimit, & contundit, & pondere ſuo nervoſa corpora diſtendit; quibus omnibus adjungi par eſt, tenuioris pituitæ confluxum, aliunde ad debilem articulum tranſmiſſum, à quò ligamenta; ut dicit Galenus in Commento, imbuta, & madentia laxiora redduntur; atque ideo facilè articulus cavitate ſua excidit, & rurſus haud difficulter recudit; quo tempore jam dolor remittit, ob conſummatam, & factam omnium ligamentorum, & tendinum relaxationem. at

in primo

in primo ſequenti Aphoriſmo Hippocr. remedium uſtionis proponit, his verbis. Quibus diuturno dolore iſchiadico vexatis, coxa excidit, iis femur contabeſcit, & claudicant, niſi urantur. Quos Aphor. Gal. ſimul exponens ait; ſepè in articulis pituitoſus humor coacervatur, quem mucum Hippocr. appellat; à quo imbuta, & permadeſcentia articulationis vincula, laxiora redduntur, atque ideò facile articulus cavitate ſua excidit, & rurſus haud difficulter recidit. id quod Hippocr. non ſolùm coxendicis articulo, ſed etiam humero Lib. de Articulis in principio, contingere ait. Et exponens rurſus Gal. ſequentem Aphoriſmum, dicit, quod ſub illo muco coacervato femur non ſolum excidit, ſed etiam contabeſcit, & claudicant, niſi antevertat uſtio ferramento candente, quæ tum mucoſam illam humiditatem exſiccet, & abſumat; tum etiam cutis laxitatem, in quam articulus labebatur, per aduſtionem firmet, & intendat, & ita articulum arctet, & loco moveri prohibeat; unde ſimiliter humerum eſſe adurendum aſſeverat. At Aëtius, ex ſententia Archigenis, Antilli, & Ruſſi dixit; illud idem eſſe præſtandum in talo, & digitis pedum; & manûs; ex quo inferre, poteſtis, eſſe idem in omnibus ferè articulis efficiendum, in quibus laxata ſunt ligamenta, & os è ſinu decidit. nam & ego vidi aliquando medicum, qui habebat carpi articulum adeò laxatum, ut non ampliùs alterum os alterum contingeret; ſed erant mutuò diſtantia, & ſeparata. oſſa articuli carpi, id eſt, caput, & ſinus, ita ut ſolveretur articulus, propter inſignem laxitatem à pituita factam.

Huic igitur duplici caſui, videlicet & dolori leniendo, & materiæ pituitoſę exſiccandę, ac abſumendæ, & cutis laxitati contrahendæ, uſtio meritò ex uſu eſt, ex Veterum ſententia, ut puta, quæ tum intemperiem frigidam articuli corrigit, tum mucoſam pituitam evocat; exſiccat, & abſumit; tum præterea cutem relaxatam, & extenſam corrugat, & in ſe contrahit; tum maximè quia totum articulum roborat; propter quam cauſam, cùm uſtio fieri poſſit, & ferramento candente & adurente medicamento, Hippocrates tamen perpetuò intellexit ferramentum candens, aut ignem, quia cauſtica medicamenta non faciunt, quod candens ferrum, nam non corrugant, aut criſpant ipſam cutem, neque articulum firmant ut ignis; & ideo Aëtius Lib. 12. Cap. 25. dicit, longe eſſe præſtantius ferramentum, quàm medicamentum; ſed ſi patiens ferre recuſet, tunc invitus adhibet medicamentum. Ideòque commodè omne cauterium Recentiores dividunt in potentiale, & actuale & potentiale cauterium medicamentum eſſe volunt, quòd urendi vim habet, etſi actu frigidum; per actuale verò cauterium, ignem intelligunt, & quodcunque ignitum corpus, quod actu calidum, & urens eſt. Quod actuale cauterium ſeu ignis, adhuc duplex eſt; vel ferramentum candens, vel alia materia ignita, ut eſt aut linum crudum, ex Hippocr. aut buxei fuſi, ex eodem Hippocrate Lib. de Internis Affectionibus, ubi ait; Urito autem per buxeos fuſos, in oleum fervens tinctos, aut fungus, ex Paulo, & ante ipſum, ex Hippocr. loco citato, ubi ait. Aut per fungos octo cruſtas inurito; aut ſtruthii, & ariſtolochiæ radix ignita, ut Aëtius Lib. 12. Cap. 3. ex Archigene. Et hoc ex Veterum ſententia proponit in Libro de Articulis Hippocr. & ita puto velle in Aphoriſmis citatis, ad coxendicis articulum exurendum, ubi ferramento utitur; ac in Lib. de Affectionibus, urit coxendicis articulum lino crudo; Urito quocunque loco fuerit dolor, urito autem lino crudo; ait Hippocrates & paulò poſt. Si verò in digitis dolor relinquatur, venam paululum ſupra articuli in digito nodum inurito, urito autem. cum lino crudo. Itaque ex Hippocrate, ad articulorum dolorem, uruntur articuli igne; hoc eſt, actuali cauterio, ut puta; tum fertamento candente, tum lino crudo. Per linum crudum, uti ſupra Celſi teſtimonio dictum eſt, Cap. de Ani Fiſtulis, puto, Hippoc. intelligere linum ignitum; atque, ut uno verbo dicam, chordam factam ex lino crudo interto, ut eſt chorda ſclopeti, quæ ignita ſervat ignem, niſi quod ſclopeti chorda cocta eſt; quę verò ab Hippocr. uſurpabatur, erat chorda non cocta. Nam & apud Turcas ſervatur hic modus urendi; linteo implicito, & intorto. Aëtius; ex Archigene; articulos urit, ut ſupra, ſtruthii, & ariſtolochię radice ſimiliter ignita; ſed proponit etiam ad idem multa cauſtica medicamenta. Et opinor, antiquos uti aliâ materiâ ignitâ, quando volunt mitius inurere, quàm ferrò ignito; ideoque forte infra dixit; Hippocr. ferramenta oportere eſſe non craſſa, quæ valentiùs comburunt.

Poſt hęc indagandum eſt, in qua articuli parte inuſtio facienda eſt, de qua re doctè Hippocrates loquitur in Lib. de Articulis, non longè ab initio; ubi reprehendens eos Medicos, qui humeri articulum frequenter excidere in alam ſolitum, ipſum tamen urebant in altiori parte, ad ſummum humerum, ubi cavitas adeſt, in qua caput oſſis naturà recumbere ſolebat; qui enim ita urunt, cutim ea parte denſando, & corrugando, potiùs naturalem ſedem oſſi adimunt, ipſam arctando, quò minus os inibi poſſit commodè contineri; contrà verò relinquunt partem ſub ala laxatam, & extenſam à capite oſſis, ut facilè rurſus illud os elabatur. & ideo Hippocr. dicit, potius oportere inurere alam, in quam ſæpè caput procidit, ut inibi firmata, & contracta cute à ferramento candente, illuc ampliùs humerus prolabi prohibeatur. Unde Paulus Libro 6. Cap. 24. & 76. locum Hippocr. aſſumens, dixit, oportere inurere maximè locum illum, in quem articulus excidit; ſic enim humor exſiccabitur, & locus cicatrice denſatus non ampliùs os ſuſcipiet, quare etiam penitius illic uſtionem moliri convenit. Ante uſtionem, in brachii articulo Hippocr. apprehendit, & attollit cutem ſub ala, ſecundùm longitudinem; quod facit, ut cutis diſtet à ſubjectis partibus, ne glandulæ, & vaſa ſubjecta, & nervi vim ignis cum periculo, perſentiant; inde cutem apprehenſam urit pluribus aduſtionibus, tribus ſaltem ſub ala, & duabus extra alam. Unde Paulus numerum aduſtionum definitum ex Hippocr. ponit Libro 6. Cap. 42. & ſunt ferè quinque. Sed ferramenta congrua Hippocrates vult eſſe non craſſa, neque valde calva, & per non valde calva, ut puto, intelligit non valde polita; nam polita cicatricem, ac cruſtam politam faciunt, quæ commoda non eſt, quia inæqualem eſſe oportet, & aſperam. Inſuper Hippocrates vult ferramenta eſſe pellucida, hoc eſt, ni fallor, ita ignita, & candentia, ut diaphana ferè ſint: verbo, oblongis ferramentis inurere alam oportet. Multas Hippocr. loco citato de articulis ponit animadverſiones; quæ brevitatis gratiâ omittimus, ut lectorem ad ea, remittamus.

Quod verò ad coxendicis articulum urendum attinet, ſi os femoris à pituita craſſa, & in acetabulo ſuper exſiccata, obdurataque à cavitate deturbatum eſt,

ferra-

ferramentum candens adigere, qua excidit, o:o tet, in cavitatem eam, quę à femore excidente efformata eſt; ſic enim materia inibi ſubjecta evocabitur. Sed ſi femur elapſum eſt, à copia humiditatis ligamenta relaxantis, ita ut femur & excidat, & recidat, oportet perpetuò comburere eam partem, ad quam prolapſum femur eſt, ubi prius repoſitum femur eſt in ſuam cavitatem Quod verò Paulus Lib. 6. Cap.76. ex Recentioribus, ſubdit, oportere unam uſtionem facere in coxendice, alteram in genu, & tertiam in talo, non ſatis percipio.

Reſtat nunc ut videamus, quomodo articulus obduratus, & tumidus, ac ita immobilis redditus, uſtione curetur. Hunc ego plurib. uſtionibus, cum lato, & orbiculari ferramento tandem curavi; ſiquidem cûm diu genu tumidum & obduratum medicamentis mollire, & diſcutere fruſtra tentaſſem, tandem latis ferramentis, quinque aut ſex locis genu adactis, tandem ſanitati eſt reſtitutus æger. Sed neque piget adhuc caſum recenſere ſcitu non minus dignum, quàm in praxi utilem. Nobilis vir in conſiſtenti ętate conſtitutus cùm ex fluxione pituitoſa, & frigida genu haberet valde tumidum, & ita obduratum, ut penitus immobile factum eſſet, & inflexibile, vocati ad hujuſmodi curam Capivaccius, & ego, exiſtimavimus caſum eſſe inſanabilem; tamen, ut aliquid tentaremus, ſolatii potiùs ęgrotantis gratiâ, cepimus ipſum purgare, ut tuta adminiſtraremus; interea à quodam Empirico emplaſtrum ex quadam herba confectum, quam ego puto flammulam fuiſſe, impoſitum fuit, quod ſtatim inflammationem inſignem in genu excitavit, cum rubore, calore, & dolore; & ab ea hora cepit æger aliquantulum genu movere; ſenſimque ita proceſſit, ut tandem ſanus factus ſit, & quamvis ego non auſus eſſem id moliri, tamen hac ratione ſanitas conſecuta eſt; propterea quod materia frigida, coacta, obdurata, & profunda, à cauſtico ferè medicamento calefacta, attenuata, & violenter à profundo ad ſuperficiem attracta, tandem diſſipata, & ſanitas conſecuta.

ARTUUM AMPUTATIO. vide ſub titulô *Gangrana.*

ATHEROMA.

De eô ſub *titulô de Tumoribus plurâ. Hîc tamen quædam dabimus ſuper Atheromate, Meliceride, Steatomate, Emphyſemate, Natta, Lupia Ganglio, aliiſque Tumoribus Anomalis.*

Hoſce omnes affectus qui de tumorum anomalorum atque cyſticorum genere ſunt, unà comprehendimus, quandoquidem plura uni ex iis conveniunt, quæ alteri apprimè etiam faciunt, ac propterea ſimul pertrectari debent: Eſt autem *Atheroma* tumor indolens tunicâ ſuâ continens humorem lentum atque glutinoſum pulti ſimilem, admiſtis quandoque corpuſculis durioribus, imò etiam pilis aliiſque ſimilis ſortis. *Steatoma* eſt tumor proprio comprehenſus folliculo, cujus materia ſevo ſimilis eſt, ejuſdem ubique coloris, & ab exiguo principio ſenſim augmentum ſumens, qui digitis compreſſus aliquatenus quidem cedit, at iis remotis ad priorem magnitudinem & elevationem facilè redit. *Meliceris* eſt tumor doloris prorſus expers ac rotundus, humorem tenuem, mellis ſubſtantiam referentem folliculo ſuo complectens. Diximus tumorem hunc eſſe rotundum, in quo ex parte differt ab Atheromate & Steatomate quæ non ita rotunda reperiuntur, ſed figuræ ut plurimum magis depreſſæ, imò inæqualis. *Emphyſema* eſt tumor ex flatulento ſpiritu, ſive intra membranoſas membri alicujus partes, ſive ſub ipſa denſiori cute, ſive inter muſculorum interſtitia, coacervato genitus, ſæviſſimum quandoque dolorem faciens, ob membranarum ſenſu exquiſitiſſimo præditarum divulſionem. *Natta* eſt tumor, ſeu potius excreſcentia magna & carnoſa, cujus plures ſunt ſpecies, aliæ ſcilicet quæ vaſa grandiora implicita ac quaſi commixta habent, aliæ verò minimè, aliæ quæ ſuper baſi magna, lata ac adhærente elevantur, aliæ verò ſuper baſi anguſta & minimè adhærente. *Lupia* & *Ganglion* ſunt tumores per ſe indolentes, renitentes, & cuti corporis concolores, quorum hoc circa articulos plerumque manuum & pedum parteſque illorum nervoſas & tendinoſas, exiſtit: Illa verò circa aliarum partium articulos, imò è variis membris emergit. Diximus eſſe per ſe indolentes; quia quandoque lupia temporis morâ, & præ carie oſſis ſubſtrati, ab humore contento effecta, non tantùm dolens fit, ſed etiam in cancroſum quid abit; imò ipſa ut & ganglium vehementer preſſa obtuſum quendam doloris ſenſum exhibent. Humor contentus aliquando eſt tenuis ad inſtar mellis, aliquando pultaceus, aliquando ſebaceus. & in ganglio aliquando nullus, & ex mera diſtenſione fibrarum tendinis ortus.

Cauſa horum omnium tumorum eſt humor viſcidus & glutinoſus ſale multo imprægnatus à ſanguine aut lympha variè concreſcibili ſuffectus: Folliculus autem materias è quibus conſtant concludens, efformatur à maximè ramoſis ac ſalinis particulis, quæ dum ſubtiliores avolant ad tumoris ſuperficiem abreptæ ulterius pergere neſciunt, ibique invicem implicitæ cruſtam faciunt membranoſam, qualiter videmus liquores viſcidos & ſalinos, dum igni admoventur ſubitò pelliculam efformare; vel etiam ille folliculus primò conficitur à membranula quacunque partis cui tumor inſidet, quæ extenſa in dies compactior atque denſior evadit per particularum prædictarum adjunctionem. Viſcidus autem ille humor varios concretionis gradus acquirit, unde vel ad mellis, vel ad pultis, vel ad ſevi conſiſtentiam, accedit, imò quandoque etiam talis à ſanguine ſufficitur qui excreſcentiam prorſus carneam, qualem in natta ut plurimùm videre eſt, conſtituat. Aliquando tam multus eſt & à vaſis grandioribus aut pluribus derivatus, qui tumores magnos, aliquando tam paucus qui tumores parvos conficit; imò aliquando ea tantùm in copia effuſus quæ poſſit poros partis obſtruere. liberumque ſpirituum vitalium commeatum impedire, unde flatus procreantur genuina *emphyſematis*, & etiam aliquando ganglii materia.

De *Differentiis* & *partibus affectis* in hiſce tumoribus, non eſt quod aliquid addamus iis quæ jam dicta ſunt. *Prognoſis* autem, *Indi ationes* & *Curatio* abundè peti poterunt ex iis quæ jam è variis Autoribus habemus afferenda.

Curationes.

Curandum eſt atheroma ſepticis, ut ęrugine, ſquama æris, chryſocolla, myſi, calcitide, auripigmento, arſenico, calce viva, atramento ſutorio, lacte caprifico; his autem non indifferenter utaris verbi gratiâ. Septica erunt in durioribus corporibus, arſenicum, chryſocolla, calx viva, quę in aliis naturis erunt cauſtica. Calx in pueris quidem eſt ſepticum, in adultis verò & robuſtis eſt tantùm epuloticum. Medicamenta ſeptica ſunt.

℞. Calcis

℞. Calcis vivę drach, iv. fœcis vini combuſtę, nitri liquidi toſti drach. ij. minii drach. j. cum lixivio teruntur, & melle ad craſſam ſubſtantiam deducuntur.

℞. Squammę ęris, Sandarachę, drach. ij. veratri nigri drach. ij. cum roſaceo.

Item ℞. ſquammę ęris, ſandarachę, ſeminis urticę torrefacti, cum roſaceo.

Item ℞. Erinaceorum combuſtorum, teſtę ſepiæ, auripigmenti partes ęquales, ex roſaceo. Valet plurimum aqua fortis, qua utuntur aurifices, in qua tingatur linum, & eo perfricetur pars, exedet partem. Item valet illud ex lixivio fullonum in ſartagine cocto, donec craſſeſcat, & indureſcat, deinde miſcentur auripigmenti partes v. atramenti ſutorii part. iij.

Curatur etiam Atheroma per Chirurgiam, ſcilicet, excidendo, qui modus primo melior eſt, ſepticis autem curatur, ſi eruperit materia, nec folliculus ſit abſciſſus, vel ęger ferrum ignitum pertimeſcat. Exciſio autem fit hoc modo; Ægro in ſella poſito in cubiculo claro, deradendi ſunt crines, vel potiùs recidendi, quia deraſionem ſequitur ſanguinis eruptio; deinde atramento ſignanda longitudo inciſionis, quę tanta eſſe debet, quanta eſt rotunditas abſceſſus, interdum abſceſſus poſtulat unam; interdum verò duplicem inciſionem, crucis modo; quando ſit duplex inciſio, prima major eſſe debet, quàm ſecunda, ſit unica in abſceſſu minore, vel in fronte; duplex verò, ubi eſt in capillis; in quâ inciſione ſcalpellus debet habere aciem recurvatam exteriùs, & in ipſa inciſione efficienda videndum eſt, ut tantùm cutis ſuperpoſita folliculo incidatur, cavendum verò eſt ab inciſione folliculi. Incidemus autem tantùm cutem, ſine folliculo, ſi ſciamus colorem cutis, & folliculi, qui cùm ſit diverſus, facilè diſcernitur. Solet autem unum nos impedire, quò minus diſtinguatur folliculus à cute, ſcilicet ſanguis effluens, ideo Chirurgus manu ſiniſtrâ ſpongiâ exſiccare ſanguinem debet. Facta ſectione, vel una, vel duplici, ſtatim toto ſpecilli mucrone, inter folliculum & cutem immiſſo, ſeparetur folliculus à cute, quod facili negotio fiet, quia non valde adhęret cuti folliculus; quod ſi folliculus magis hęreat, ſcalpello ſeparetur, in fundo autem, ubi eſt vena illa porrecta ad folliculum, ſanguinem atheromati affundens, & illud augens, pręcidere oportet tranſverſùm venam, ne cum vaſe relinquatur aliqua folliculi portio, ac proinde currat morbus; illa enim vena ſimplex eſt, ſine arteria; quo fit ut ſanguis ille non ſit alimentalis: hoc peracto, conjungenda ſunt invicem labia; non tamen prehendatur pericranium, nec deradatur dimiſſa ſutura, etiam reducuntur labia, quia inter incidendum, ſemper ſanguis exit, & in cavitate ſemper ſanguis remanet, qui per ſuturam factam inflammaretur. Interdum utendum eſt glutinatione, quando nimirum remanet aliquis tumor in parte, & labia magis quàm par eſt, ſunt ſeparata; interdum ſolent liquores replere cavitatem, & eò confluere; tunc utere ſuppurantibus, quale eſt.

℞. Reſin. terebinth. ℥j. thuris pulveriſati drach. j. myrrh. drach. j. olei hyperici ℥j. olei vitellorum quantum ſufficit. Quod ſi folliculus jam ſit ruptus, vel per ſe, vel per Chirurgum, neceſſe eſt ut alterutrum eveniat, vel revertatur morbus, vel remaneat ulcus cavernoſum, fiſtuloſum, & fœdum; tunc autem utendum eſt incidentibus, vel ſepticis, vel conſiderandum tempus ruptionis; ſi recens ſit ruptus utere curatione artificioſa, immitte latum ſpecilli mucronem, inter cutem, modo prædicto, & aufer folliculum; quod ſi multo ante ſit ruptus, ſepticis utendum in maximis abſceſſibus, qualibuſcunque, forcipe abſceſſu prehenſo, abſcindendus eſt cum cute; tantùm enim timetur profuſio ſanguinis. *Hieronym. Fabric. ab Aquapendente in Pentateuch.*

Curatur Meliceris triplici ratione, ex Galeno 13. Meth. cap. 12. vel digerentibus, vel ſepticis, ſeu exeſione, vel exciſione. De ſepticis & exciſione dictum eſt in atheromate, jam de digerentibus erit ſermo; quæ cùm vacuent materiam per halitum, notandum, quod digerentia, quæ huic loco ſunt opportuna, ſunt valentiora, quàm ſi eſſet abſceſſus ſine folliculo; quia materia præter cutem debet exire per folliculum, unde in humidis, & parva meliceride, valent ceratum philagrii, & ceratum ſacrum; item decoctum pulegii, calamenthi, hyſſopi, admotum, cum ſpongia expreſſa; item ſpongia ex lixivio: at in majori abſceſſu, & duriori corpore, valent nucleus allii, aut allium decoctum, & per ſpongiam admotum. Valentius hoc eſt, ſi in aqua infundamus calcem vivam, quo aqua ea inficiatur, deinde alia infunditur aqua, & fœx abjicitur, poſtea exprimitur ſpongia, & ſuperponitur aqua infecta. Media ſunt inter valentiſſima, & mitiſſima, verbi gratiâ.

℞. Salis Hiſpani, argenti ſpumæ, ceruſſæ, ana ℔ j. ceræ ʒ j. terebinthinæ, galbani, opopanacis, an. ℥ ij. ſinapi ℥vj. olei veteris ℔ iij. acet. ℥ vij. miſce. Eſt & aliud.

℞. Salis Ammoniac. ſpumæ argenti, ℔ j. ceræ. terebinthin. galbani, opopanacis ℥ j. rubricæ ſinopicæ ℥vj. aceti heminam, miſce, ex Aëtio lib. 15. *Idem ibid.*

Quod ad curationem Steatomatis attinet, propter duritiem, latam baſin, multitudinem ſevi, tractandus eſt abſceſſus tantùm exciſione, quia medicamentorum vis à ſevo obtunditur, & copia ſevi obruitur. Audacter ergo ſcalpello ſeparatur ſevum à pericranio; ne aliquando revertatur abſceſſus: difficulter enim vel curatur, vel revertitur, propter humorem craſſum obduratum, & propter pericranium, quod reducit ad humidam intemperiem; unde nec caro gigni, nec cicatrix poteſt induci, ideo unde ne difficulter curetur, nec revertatur, cum Aëtio l. 15. ſeparetur pericranium, & deradatur cranium, quia materia eſt diffuſa, & facile utrumque remollit. Deinde obducenda cicatrix. *Idem, ibidem.*

In Atheromate, Steatomate & Meliceride inprimis corpus repurgandum eſt, ut occurratur cauſæ antecedenti, ut pilulis cocceis, de agarico, de hermodactylis, aut diaphœnici, diacartham. bened. lax. ℥ ß. aut ʒ vj. in forma boli cum Saccharo, vel ſi placet diſſolvatur cum decoct. hyſſop. thym. puleg. Pulvis diaturbith utiliter quoque ſumitur pondere ʒ ij. Ad purgandum mucum thermæ tam ſulphureæ quàm aluminoſæ valde proſunt. Celſus & Aëtius commendant eſum viperarum opportuniùs præparatum. Quidam adſumunt frequenter magno cum ſucceſſu diacalamith. vel diapraſſii ʒj. cum vino aut aqua card. bened. vel ſcabioſ. abſceſſus ſi fieri poteſt rumpetur, deinde cardiacis, ut theriaca, Mithridatio, cor muniatur, ne putridis fumis offendatur, ut à ſe materiam putrem longius repellat & potentiùs expurget. Quo natura verget ſequamur. Si videatur viam per urinas affectare, diureticis ejus conatus juvetur, ſi per alvum, clyſteribus, aut blandis catharticis. Abſtineat à juſculis & elixis, utatur pane biſcocto, aniſato, & decocto ligni Guajac. & raſ. ſarſęparill. chinę, pro potu ordinario cum ſaccharo & cinnamomo.

Horum

Horum omnium curandorum quatuor ſunt communes ſcopi: Reſolvere, exedere, incidere, & ligare. Meliceridés his quatuor modis curari poſſunt: nam ſi reſolvi non poſſint, aut cauterio exedi, aut factâ inciſione evelli, ſi fieri poſſit ligari debet. Steatomata neque poſſunt reſolvi neque exedi, ſolâ inciſione ſanantur, quia adipoſus humor nec reſolvi poteſt, neque ſuppurari, ſemperque includitur tunica duriore. Atheroma non poteſt quidem reſolvi, quia materia eſt craſſior quàm ut diſcuti poſſit, ſed aliquando poteſt pepticis maturari. Quorum uſus ſi inutiliter tentetur, aut exedatur, cauſticis, aut cum ſua tota & integra cyſti humor evellatur. Duobus autem ſignis cognoſces an includatur humor tunicâ. Primò ſi ſit mobilis, ſecundò ſi à cute ſeparetur. Quando enim immotus manet dum contrectatur, & cohæret cuti aut carni. indicium eſt membranulâ non includi. Notandum autem eſt recentes abſceſſus & molles reſolvi poſſe & ſuppurari, duros verò & inveteratos ſolâ chirurgiâ curari. Itaque in hoc diligenter laborandum eſt, ut ſingulæ differentiæ diſcernantur, Steatoma eſt durius reſiſtitque tangenti, & baſim habet ſolidiorem. Meliceris contra ſubſidet in modum œdematis, cedit in ſe compreſſa, lentéque diſſilit, ſed cito revertitur: Atheroma verò eſt veluti medium inter utrumque extremum. Faciamus, ergo abſceſſum eſſe mollem, non refert ſi magnus aut parvus fuerit. Reſolventibus primùm tentanda erit curatio, ut diachylo ireato, aut cataplaſmate ex far. fabar. ervi, lolii, lupinorum coctis cum pulvere buphthalmi in oxymel. vel ſtercore capræ, aut ovis cocto in aceto, vel farina lupinorum cocta in oxymel. Calx oleo vetere, aut adipe ſuillo, aut melle excepta commendatur à Paulo, quia fundit ſimul & reſolvit. Idem Paulus ſerpentem conjicit in ollam oblitam gypſo, quam mittit in fornacem, pulverem miſcet cum æquali portione fœnugræci: utrumque excipit melle. Prodeſt etiam diachylum magnum cum gummis, addito pulvere radic. ireos, ad libram unam addatur uncia una pulveris Ad reſolvendas Meliceridas.

℞. Uvarum paſſul. exemptis acinis par. IV. ſquammæ æris ℥ iij. parti prius fotæ imponitur.

Vel. ℞. Spumæ nitri & veratri duplum cum cerato duriore imponitur.

Vel. ℞. Ladani, bdellii, galban. ammoniac. thymiamatis, propolis, terebinth. ana partes æquales, contunde cum piſtillo & applica.

Vel. ℞. Paſſular. exemptis acinis ℔ j. cumini leviſſimè triti ℥ vj. nitri ℥ iij. omnia ſimul in mortario ſubacta adhibeto ac alligato. Non negligendum quod ex Avicenna ad reſolvendos tumores frigidos deſcripſimus, nam ex Galeno tranſcripſit Guido ut facilius reſolvat humorem incluſum cyſti, primùm excreſcentiam manibus contrectat, deinde ferulæ aut ſcutellæ fundo percutit, ut veſicâ ruptâ materia effundatur, mox applicat plumbi laminam, eamque arctè ligat, quæ non tantùm molles, & creſcentes excreſcentias reſolvit, ſed etiam duras, ut ganglion. Eſt veluti nodus in nervo, quod Tagautius videtur confundere cum lupia, quando ſcribit potiſſimùm oriri in capite, Verior tamen eſt Pauli & Aëtii opinio, qui frequentiùs talos, & manuum juncturas occupare volunt, rariùs cubitum & caput. Ganglion hoc habet peculiare, quod dum premitur ſtupidiorem ſenſum exhibet, moveturque tantùm ad latera pro ſitu nervi, neque in orbem, in anteriora, aut poſteriora ut meliceridés & atheroma. Ad diſſolutionem lamina plumbea cribri inſtar perforetur, quinetiam ut emolliat magis & fundat humorem concretum, illinatur argento vivo, nec ante novem dies removeatur. Ad reſolvendas meliceridas, valet decoctum puleg. calament. hyſſopi admotum cum ſpongia imbuta & expreſſa. Item ſpongia ex lixivio expreſſa. At in majori abſceſſu & in duriori corpore valent teſta allii, aut allii decoctum & per ſpongiam admotum. Valentius hoc eſt, ſi in aquam infundamus calcem vivam, donec aqua inficiatur calce, deinde alia infunditur aqua, & fæx abigitur, poſtea exprimitur ſpongia, & aqua infecta ſuperponitur. Media ſunt inter valentiſſima.

℞. Salis Hiſpani & argenti ſpumæ, ceruſſæ ana ℔ j. ceræ ℥ j. terebinth. galban. opopanacis, ana ℥ ij. ſinapi ℥ vj. olei veteris ℔ iij aceti ℥ vij. miſce. Eſt & aliud.

℞. Salis ammoniac. ſpumæ argenti ana ℔ j. terebinth. galbani, opoponac. ana ℥ ij. rubricæ ſinopicæ ℥ vj. aceti heminam, miſce. Ex Aëtio lib. 15. Sequitur curationis ſecundus ſcopus, ut cauſtico exedantur. Admovebis cauterium in medio. Aut ſi magnus ſit abſceſſus, multa cauteria: cùm cruſta deciderit, indantur penicilli Ægyptiaco illiti, aut præcipitato & melle, aut trochiſcus de minio vel aſphodelorum, mixtus cum unguento apóſtolorum. Joannes de Vigo linamentis omnes excreſcentias indolenter erodit intra unum menſem. Accipit ex linteis uſu detritis & bene carptis ℥ ij. medullæ panis albi ℥iij. ſublimati tenuiſſimè pulveriſati ℥ j. aq. roſarum & plantag. ana ℔ j. omnia ſimul coquit in vaſe æneo ad conſumptionem duarum aut trium partium. Deinde expreſſa linamenta ſiccat in furno mediocriter calido, quæ iterum carpta ſervat in vaſe bene operto ad uſum, qualem ipſe ita deſcribit. Primùm defenſivo vicinæ partes muniantur. Deinde ulcus quod fecit pyroticum prædict. linamento impleatur, ſuperponatur unguentum de tuthia, vel de ceruſſa; perſiſtendum donec appareat caro viva, tum ulcus melle roſato & terebinthina mundandum. Sunt qui parvas excreſcentias totas per tranſverſum incidunt, moxque implent alumine, aut vitriolo uſto, quæ cyſtim erodunt ſimul, & hæmorrhagiam ſiſtunt, ad idem valet oleum vitrioli cum plumaceolis applicatum: magnas verò trajiciunt duplici ſetone cruciatim, uno ſecundùm longitudinem, altero per tranſverſum. Quod ſi humor fluxilis non fuerit, filum aut ellychnium ex quo ſetones parantur, maceretur priùs aqua forti, vel liniatur ægyptiaco, vel terebinthina, cui pulvis mercurii ſit permixtus. Sequitur tertius modus. Quæ non ſanat ignis, ſanat ferrum. Incidatur primùm cutis, deinde unguibus laceretur ut divellatur à cyſti, quæ prehenſâ volſellis funditùs evellatur, quia ſi remanſerit fruſtulum recidivam faciet; quin etiam ſi rumpatur dum ſit operatio, inanis eſt labor. Si forte quibuſdam vaſis adhæreat volſellis ſuſpendatur, atque interim ſcalpello ab illis ſeparetur. Notandum quod ſi magna excreſcentia adhæreat magnis vaſis, venis, arteriis, nervis, tendinibus, utpote ſi fuerit ſub mento, ſi in manibus, aut pedibus, ſinenda ea eſt. Si ſit ſuper ſuturam, vel ſpinam dorſi, latera, tempora, nucham, non poteſt extrahi ſine periculo, poteſt tutò extra illas partes extemas. Sed memineris, extractum abſceſſum perioſtium exedere & os ſubjectum diligenter abradere, ſi carioſum ſit. Memineris quoque quoties cogitas de magna excreſcentia inciſione tollenda, ſi fortè magnam venam ſubeſſe putes, priùs habere parata, quæ conveniunt ſiſtendæ hæmorrhagiæ.

In

In curatione Emphyſematis ſeu flatuoſi tumoris cùm tria inſtent, materia humida, caloris imbecillitas; & meatuum denſitas; ideò tres intentiones habere debemus. Prima erit convenientem victum inſtituere, qui talem humidam materiam non gignat. Secunda pituitoſam & humidam materiam præparare, concoquere, & evacuare, caloremque debilem viſcerum; ac aliarum partium roborare. Tertia flatulentam materiam in partem contentam extenuare & meatus recludere. His quarta etiam addi poteſt, quæ erit ſymptomatibus ſuccurrere ac ſubvenire. Primò diæta eadem quæ in œdemate præſcripta imperanda; vitanda legumina ut piſa, fabæ: necnon fugaces, potiſſimùm crudi fructus. Secundò ſuccurrendum cruditati: (nam ex cruditate ab imbecillo calore fit flatus, qui humores in vapores diſſolvit calor, quos non poteſt diſcutere imbecillus appellatur.) pilulis de hyera corpus repurgandum, nam inflationis curatio ex communi indicatione poſita eſt in evacuatione flatûs, cujus vacuandi rationem ex illa triplici cauſarum varietate deprehendemus: Languentem itaque calorem nativum roborare, & vaporem craſſum diſcutere, humoremque frigidum, viſcidum; aut craſſum, flatus materiam attenuare; ipſumque continens corpus rarefacere conveniet. Calor ventriculi primæ coctionis officinæ (cujus errorem ſequentes emendare non poſſunt) roboratur aromaticis ſtomachicis, & electuariis ad hoc dicatis, ut diacymino, diacalamento, aromatico garyophillato, aromatico roſ. diagalango & ſimilibus; Aniſo condito, aut tragea communi utendum. Roborandus etiam ventriculus litu ex oleis de maſtich. de abſynth. &c. Denique ablatione materiæ conjunctæ; per calida ſiccantia, attenuantia medicamenta quæ carminativa nominant, ut rarefacta parte humor flatuſque ſubjectus diſſipetur. Varianda tamen erunt hujus generis præſidia pro partium varietate: alia enim ventriculo, alia inteſtinis; alia articulis, alia partibus carnoſis erunt applicanda. Ad colicam injiciuntur clyſteres carminativi, apponuntur reſolventes ſacculi, & umbilico affiguntur cucurbitulæ, ſi extima, utimur fotu, linimentis, ſi præſertim divexet dolor. Relaxanda cutis, ut tranſpiret, oleo calaſtico, ut chamæmeli & liliorum. Immiſcendum aliquod oleum carminativum diſſipans flatus, ut aniſi, anethi, rutæ, lauri, cum aqua vitæ. Aut ex anetho; ruta, foliis & baccis lauri, florib. chamæmeli, anthos, ſambuci, melilot. ſeminibus aniſi, fœnicul. dauci, cumini, fiat decoctio in vino pro fotu partis inflatæ. Huic ſuperponatur deinde emplaſtrum de baccis lauri; confectio de baccis lauri, tam injecta quàm ſumpta benefacit.

Vel. ℞. Flor. camomill. melil. roriſm. roſarum rubr. ana p. j. abſynth. hyſſop. ana m. ij. coquantur in lixivio, addendo aceti parùm; pro fotu cum ſpongia.

℞. Oleor. chamæmel, aneth. rutac. & lilior, ana ℥j. olei laurin. ℥ß. ceræ alb. ʒ vj. aq. vitæ ℥j. liquefiant omnia ſimul & fiat linimentum, quo liniantur partes præmiſſo fotu.

Vel. ℞. Ol. rutæ; amygd. amarar. chamæmel. & aneth. ana ℥j. vin. alb. ℥iij. ſemin. aniſ. dauci, fœnicul. cumin. ameos, rutæ, carvi ana ʒj. bulliant ad vini conſumpt. & exprimantur, expreſſ. adde ceræ alb. q. ſ. f. unguentum.

Vel ℞. Ol. nard. aneth. de caſtor. ana ℥iiij. aq. vitæ ℥i ß. pulv. radic. gentian. ʒj. Folior. agrimon. calamenth. origan. ana ʒß. rubiæ tinctor. ʒiij. ſcœnanth. maſtich. ana ʒiß. ſpic. nard. croci an. ℈iiij. ceræ q. ſ. fiat unguentum.

Vel ℞. Farin. fabar. & orob. ana ℥iij. coquantur in decocto puleg. origan. calamenth. ſalv. addito pulvere chamæmel. & melil. ana ℥ß. ſulphur. vivi ſubtiliter pulveriſati ʒij. ol. chamæmel. & anethi, ana ℥iß. f. cataplaſma.

℞. Stercoris caprin. benè triturat. ℥iiij. flor. camomill. m. ß. furfur. farin. fabar. & orobi an. ℥ij. coquantur cum lixivio communi; addendo terebinth. ℥iij. ol. aneth. & rutac. ana ℥ij. f. emplaſtrum ad uſum dictum.

Vel. ℞. Milii, vel avenæ ℔iß. ſalis ℔j. folior. artemiſ. ſampſuc. roriſm. rutæ, ana m j. ſemin. fœniculi; carvi, cumin. baccar. laur. ana ℥j. flor. ſtœcad. Arabic. anthos, calamenth. origan. ana p. j. omnia in ſartagine torrefiant, & duo ſacculi componantur qui generoſo vino irrigati calentes viciſſim applicentur, poſteà unum ex ſuprafcriptis unguentis adhibe. Emplaſtrum de ranis ſeu de Vigo cum Mercurio & ſine Mercurio in eam rem valde confert. Notandum verò ejuſmodi medicamenta calida actu parti imponenda eſſe; eumque calorem continendum & renovandum, circumappoſitis linteis, lateribus, lagenis, ſimilibuſque rebus calentibus. Reſolutis humore flatuque qui in parte concluſi detinebantur, pars roboranda erit, ne ſubinde ſimilem materiam vel excipiat, vel gignat, id fiet fotu & cataplaſmate ſequentibus.

℞. Nucum cupreſſ. cortic. granat. ſumac. berberis, balauſt. ana ℥j. caud. equin. arnogloſſ. tapſ. barbat. abſynth. ſalv. roriſm. lavendul. ana m. ß. flor. chamæmel. melil. roſ. rubr. anthos ana p. j. alumin. ſalis communis ana ℥j. bulliant omnia in æquis partibus aqu. fabrorum & vini auſteri, fiant ſacculi pro fotu cum ſpongia.

℞. Farin. fabar. hord. & lupinor. ana ℥ij. terebint. communis ℥iiij. pulv. rad. ireos flor. maſtich. ana ℥ß mellis comm. ℥ij ß. prædictæ decoctionis q. ſ. f. cataplaſma ad formam pultis ſatis liquidæ, applicetur parti affectæ calidè; præmiſſo fotu. Ad inflationem genu.

℞. Fœcis ceræ novæ; ex prælo, quæ propoleos dicitur ℔ i ß. micæ panis furfuracei ℔ ß. roſar. rubr. ℥j. bulliant in vino albo, deinde contunde & adde piperis, garyophylli; nucis myriſticæ, zinziber. ana ʒ ij ß. cumini, aniſi, Fœnicul. ameos ana ℥ ß. ol. chamæmel. aneth. rutæ; ana ℥ij. fiat cataplaſma.

Vel. ℞. Saponis nigri, ol. aneth. chamæm. & mellis commun. ana ℥ij. miſce applicetur parti affectæ. Poteſt etiam illi adhiberi veſicatorium è cantharidib. ac fermento & aceto confectum; aut cum ſapone nigro: quidam locum illum leviter ſcarificant: quod ſi omnia hæc remedia nihil proſint; tumorque reſolvi nolit, tunc is aut ſcalpello, aut cauterio; ſeu actuali; ſeu potentiali aperiendus eſt. Utilius autem eſt illum aperire cauterio; quo ſcilicet flatus conſumitur. Huc adde quod illius evacuatio non fit celeriter, ſed paulatim, facileque, quod volumus per ſcarrham inde eliciimus, niſi in hydropicis, in quibus cauterio non eſt utendum, quippe ibi periculoſo, propter maximam evacuationem quæ poſt ſcarrhæ caſum fieret: abſceſſus autem humore; qui non eſt ſemper planè flatulentus, ſed cum ſeroſitate aliqua conjunctus, extracto & diſſipato ulcus mundatur, ut illud œdematum: Reliquum verò curationis in libro ulcerum repetietur.

Naræ curativæ indicationes omnibus abſceſſibus communes dicuntur à Galeno eſſe, vel digerere, vel putrefacere, vel exſcindere rem contentam. Notandum autem curationem omnium abſceſſuum contineri in evacuatione materiæ, quæ vel eſt ſenſibilis, vel inſenſibilis. Inſenſibilis curatur digerentibus, ſenſibilis verò, vel putre reddendo totum contentum, vel exſcindendo. Per putre reddere totum, non intelligitur ut materia contenta putrefiat, vel pus fiat ſuppurantibus medicamentis, ſed ut eliquetur, exedaturque non ſolùm materia, ſed etiam folliculus. Hæc autem medicamenta quæ id efficiunt omnia ſunt calida in quarto gradu. Igitur hic abſceſſus vel curatur digerentibus vel ſepticis ſeu exedentibus, vel exciſione quæ ferro fit. Non tamen omnes abſceſſus curantur triplici illo modo, ſed meliceris poteſt triplici ratione curari, quia continet materiam quæ concoqui poteſt: at Atheroma, quia continet materiam craſſam & denſam, non poteſt curari digerentibus, quia per diaphoreſim ſeu habitum digeri non poteſt, ſed curatur vel ſepticis vel exciſione. Steatoma verò & nata, quæ continent materiam craſſam reſpuunt curationem digerentium & ſepticorum. Igitur propter duritiem, latam baſim, multitudinem ſevi, tractandus eſt abſceſſus tantùm exciſione, quia medicamentorum vis ſevo obtunditur, & multitudine ejuſdem obruitur. Præmiſſa purgatione patiens in lecto collocetur, ſique Nata ſatis latam radicem habeat, pars ejus inferior, id eſt baſis ſive radix, ſatis arctè chordâ ligetur. Deinde crucis inſtar incidatur, poſteaque undique excorietur, & à partibus adjacentibus ſeparetur, tandemque extrahatur. Alioquin verò vinculo non utuntur. Si verò magna hæmorrhagia ſequatur, ignitis ferramentis ſiſtatur: niſi verò ſit valde magna medicamentis ad hoc aptis ſiſti poteſt. Cutis verò quæ ſupereſt ita excidenda ut labia ſe mutuò tangant, nec ſe ſuperequitent ac ſuperponant, deinde ſuito, ſi fieri poteſt: In reliquis verò ut in aliorum tumorum inciſione diximus, curationem ſequi debemus. Audacter ſcalpello ſeparetur tunica, ſeu cyſtis & ſevum à perioſtio, ne aliquando revertatur abſceſſus, difficilè enim vel curatur vel revertitur propter humorem craſſum obduratum, & propter perioſtium quod reducit ad humidam intemperiem: Unde nec caro gigni, nec cicatrix poteſt induci; unde ne difficilè curetur, nec revertatur, cum Aëtio lib. 15. ſeparetur perioſtium, & deradatur os, quia materia eſt lata, & facilè utrumque remollit. Deinde claudenda eſt cicatrix. Si verò Nata pendula ſit, & anguſtam ſubtilemque baſim ac radicem habeat, tunc excorianda non eſt, ſed tota à baſi reſcindenda, vel ignito ferro vel non ignito; deinde quæ dolorem tollunt & ſanguinem ſiſtunt, ſi opus fuerit admoveantur, poſtea pars conſolidetur & ad cicatricem perducatur. Si ægrotus reſpuat ſectionem & reformidet ferrum, curandum eſt ſepticis, ut ærugine, ſquammâ æris, chryſocollâ, myſi, chalcitide, auripigmento, arſenico, ſublimato; calce viva, atramento ſutorio, lacte caprillo. His tamen non indifferenter utaris; verbi gratiâ, Septica erunt in corporibus durioribus, arſenicum, ſublimatum, chryſocolla, cax viva, quæ in aliis naturis erunt cauſtica. Calx viva in pueris quidem eſt ſepticum, in adultis verò & robuſtis eſt tantùm epuloticum. Medicamenta ſeptica ſunt.

℞. Calcis vivæ ℥ ß. fœcis vini combuſtæ, nitri ʒ ij. minii ʒ j. lixivio teruntur & cum melle ad craſſam ſubſtantiam deducuntur.

Vel ℞. Squammæ æris ℥ ß. ſandarac. ʒ ij. cum melle roſato, fiat medicamentum.

Vel. ℞. Squammæ æris, ſandarac. ſemin. urtic. torrefact. an. q. ſ. cum melle roſato fiat medicamentum.

Vel ℞. Erinaceorum combuſtorum, teſtæ ſepiæ, auripigmenti, partes æquales, cum melle roſato fiat medicamentum. Valet plurimùm aqua fortis quâ utuntur aurifices, in qua tingatur lignum, & eo perfricetur pars, exedet partem. Item valet illud ex lixivio fullonum in ſartagine cocto, donec craſſeſcat & indureſcat, deinde miſcentur auripigmenti partes v. atramenti ſutorii, iij.

Ad Lupiarum curationem quod attinet, certum eſt materiam iſtam reſolutioni haud cedere, ut nec veræ ſuppurationi: hic igitur abſceſſus aperiendus eſt, quo evacuetur humor. Ut autem id feliciter fiat, tumoris magnitudo, ſitus & latitudo ſeu denſitas, baſis aut abſceſſûs fundamentum conſiderabitur. Si tumor fuerit magnus, vaſis majoribus proximus, aut in nervoſa parte, ut in cervice, ubi ſæpe ille naſcitur, intactus relinquendus eſt, ob periculum quod inde conſequetur. At ſi parvus eſt, in quacumque parte fuerit, reſolvi poteſt eum comprimendo, frangendo tamen cyſtin, id eſt veſicam, ſeu folliculum quo involvitur, ut ſeparetur hinc & illinc materia, & faciliùs ipſius naturæ beneficio, ut jam dictum eſt, diſcutiatur & reſolvatur. Quod ſi lupia eo ſit in loco, in quo validam compreſſionem facere non liceat, ut in facie, thorace, ventre, gula, apponetur emplaſtrum quod reſolvendi vim habeat, quale eſt quod ſequitur.

℞. Gumm. ammon. bdell. galban. ana ℥ iij. liquefiant in aceto, & trajiciantur per ſetaceum, addendo ol. lilior. & laur. ana ℥ j. aq. vitæ parùm, pulveris ireos, ſalis ammoniac. ſulphur. vivi, vitriol. Rom. ana ʒ ß. incorporentur omnia ſimul & fiat emplaſtrum ſecundùm artem. Sin lupia eſt mediocris, tolli poteſt inciſione in crucis modum facta, in tumoris ſummo, membranam quidem qua tegitur & continetur minimè incidendo, ſed à cute ad radicem uſque ſeparando, quàm ſolertiſſimè fieri poteſt, radice tamen non exciſa, ſed conſtricta firmiſſimè ad vitandum impendens ſanguinis profluvium, præcipuè ſi ab ingenti aliquo vaſe longè non abſit, quod ubi factum erit, accedendum ad ejus curationem quæ in libro de ulceribus tradetur. Quòd ſi Lupia baſin anguſtiorem habeat, infima illius pars commode liganda erit, non aperienda, nec ſecanda ullo modo: atque ſingulis diebus ligatura conſtringenda, donec illius alimentum omnino pereat, ea autem uno duntaxat modo utiliter fiet, ſed circumvolutione duplici, ut firmior ſit, & faciliùs ſi quid erit opus adſtringatur. Sin baſis lata adeo fuerit ut ſola ligatura, ad detrahendum illi alimentum non ſufficiat, duplex facienda erit, acum duplici filo inſtructam per mediam baſim trajiciendo, peſque ſeu ima pars utrinque liganda, quumque ea deciderit, ſi quod ulcus reſtet, ad eum quem diximus modum curabitur.

Quoad univerſalia præſidia in ganglio adhibenda, id eſt ad victus rationem, humorum præparationem, evacuationem, ventriculi, hepatis capitiſque roborationem, eadem competunt quæ ſup. capite de œdematis curatione fuere dicta. Quod ad topica, molliendi, eliquandi & diſcutiendi vim habentibus medicamentis uti debes, ut ſunt infrà ſcripta.

℞. Fol.

℞. Fol. ſambuc. p. j. ſalis modicum, miſce, & his ganglium fricetur tamdiu donec tabeſcat.

Vel ℞. Cerat. oxycroc. ℥ j. muccag. ſem. alth. lini & fœnugr. ana ʒv. euphorb. ſagapen. ammoniac. in aceto diſſolut. ana ℥ iij. reſin. ʒvj. ceræ albæ ʒiij. fiat ceratum.

Vel ℞. Mucilag. alth. ſemin. lini, fœnugr. ana ʒx. ol. chamæmel. lilior. ireos ana ℥ i ß. ol. ſambuc. ℥i. coquantur ad mucilag. conſumptionem, poſtea adde ammoniac. bdell. opopanac. ſagapen. in aceto diſſolutor. ana ʒ vj. pingued. anatis & anſeris ana ℥ ß. axungiæ ſuillæ veteris, & ſalis expertis ℥iij. medull. cruris vitulin. & cervi ana ʒv. ſpumæ maris ʒij. fiat unguentum, Is plerumque ſanatur crebra partis frictione, & humoris hac illacque diſtractione, ut vi naturæ reſolvatur. Gangliis quæ tendines, articuloſque occupant, ferrum admovere non convenit, ſed tantùm ammoniacum, & galbanum in aceto & aqua vitæ diſſoluta admovere, ut.

℞. Gumm. ammoniac. & ſagapen. ana ℥ j coquantur ſub cineribus calidis ad formam emplaſtri, ſub finem adde ſulphuris vivi ſubtiliter pulveriſati ℥ß. fiat emplaſtrum ad uſum. Confert etiam in eundem finem emplaſtrum de Vigo cum Mercurio duplicato. His remediis remollito tumore, atterendus tantiſper veniet, quoad ſub digito cyſtis contuſa findatur, quod ego non ſemel tantùm factitavi: mox laminam plumbeam argento vivo illitam fortiter ipſi apprimere, & advincire oportet, quæ quod ſupereſt tumoris conſumat & tabefaciat. Vel apponatur verticulum plumbeum, ut inquit Oribaſius, ſimile illis quæ mulieres fuſis appendunt, & vult hic Author, ut tumore ipſo ſit latius & arctè alligetur, quoniam pondere ſuo citiùs diſſolvit. Aëtius ſuperponit ammoniacum juxta ignem, ad cerati ſive emplaſtri compagem emollitum, & poſtea applicat & ſuperponit laminam plumbeam tumore æqualem, & ne hinc ac inde labatur, arctis vinculis conſtringitur. Viſuntur nonnunquam ganglia exigua ex radice valde tenui velut pendentia: illa ergo vincula ab ipſa radice erunt comprehendenda & in dies fortiùs ſtringenda, quo uſque decidant. Curationis reliquum facilè erit ex artis communibus regulis perficere. Si quando verrucæ, polypi, condylomata, & aliæ excreſcentiæ filo conſtringi poſſunt, privatæ alimento, ſenſim etiam contabeſcent ἀναἶρόν χίσμον hoc genus remedii veteres appellârunt. *Joan. Vigierius Chirurgiæ lib.* 1.

In cura Ganglii noſtro judicio eò incumbendum eſt, ut obſtructiones tollantur, ac ſucci viſcoſi ante omnia attenuentur, hinc præter interna volatilia & incidentia ſolis externis peragitur remediis, ut ſunt ſpiritus lumbricorum, matricalis, vini camphor. item fotus & cataplaſmata ex blandè reſolventibus parata. Hiſce verò nihil juvantibus, eò deveniendum eſt, ut extirpatio hujus inſtituatur manu Chirurgi exercitati, quæ per Sectionem fit, hinc Ganglion circa articulos vel alibi emergens tollitur vel concuſſione aut digiti compreſſione firmiore, ſeu manu fricetur vel valde comprimatur, uſque dum incaleſcat, molleſcat, & evaneſcat, & ſic vi compreſſionis ſucci tumorem conſtituentes, iretum quaquaverſum protrudantur & quidem per tubulos; & ne recidivam patiantur ægri, ad ſuccos porrò attenuandos obſtuctioneſque reliquas tollendas, ipſi tumori ſuperimponatur lamina plumbea aut alia ſimplex Mercurio incruſtata, & ſuper hanc emplaſtrum tenaciter hærens, cum ſplenia compactiore & deligatione arctiore, eouſque quo cyſtis rupta & materia intus contenta diſcuſſa fuerit, quod ſæpe intra menſem & citiùs contingit: vel loco laminæ imponatur Emplaſtrum de ranis cum duplo Mercurii cum ſtricta ligatura, quæ impedit ne ſucci viſcoſi in conſueta cavitate iterum ut ante cumulentur. In quem finem & Emplaſtrum noſtrum de Thea egregium erit, item de Labdano, Divinum *Barbettes*, Diaphoret. *Mynſ.* Alii aliquid de emplaſtris his dictis, aut gummi ſaltem ammoniac. diſſolutum ſub forma emplaſtri, laminæ plumbeæ ſupponunt, & facta decente deligatione eundem exſpectant effectum. Sequens linimentum Gangliis illitum à pluribus magni æſtimatur.

℞. Ol. Limac. Lumbric. terreſtr. ana ʒij. lil. alb. chamomill. ana ʒ i ß. verb. tabac. ſambuc. ana ʒj. caſtor. ℈ß. Quo linimento mane & veſperi artus Gangliis infecti & deturpati calide illinantur, vel loco hujus fotus inſtituatur ex herb. abſynth. Arthemiſ. origan. ſalv. granot. juniper. in lixivio decoct. Item ſuffumigiis utendum eſt ex gummoſis aliiſque diſcutientibus volatilibus. Sed breviori manu negotium hoc ſuccedere videtur, ſi nempe pugni ictu duplici fortiore, membro ſuper tabulam commode ſituato rumpatur capſula, quod vulgus imitari ſolet, tumorem verſùs tabulæ apicem aliudve corpus ſolidius premendo, ſicque pariter cyſtim ejus lacerando. Sed ubi Tumor altas jam egerit radices, & per annos duraverit aliquot, tunc ad præſcriptum Celeberrimi Domini Muys ferula lignea haud differens ab illa, qua Præceptores in caſtigandis pueris utuntur, niſi quod plumbi portio in illius medio infuſa jaceat, juvat, & talis ferulæ uno ictu, ægroti facie à manu affecta in dorſum averſa, tumor rumpi ſolet. Quo remedii genere prælaudatus vir Ganglium per quadriennium patientem vexans evaneſcere vidit, cujus medela brevi per emplaſtrum & ſtrictam ligaturam abſoluta fuit. Qui à duro hoc cuneo abhorrent, ii uti poſſunt ſequenti vel ſimili linimento.

℞. Ol. de lateribus ℥ j. ol. terebinth. ℥ iij. ol. ceræ ʒ ij. ol. camphor. gutt. v. ol. vitell. ovor. num. j. m. f. Linimentum. Quidam ex Chirurgis ſunt, qui aperiunt Ganglia, eaque per ſuppurantia ſanare tentant. Alii Emplaſtrum Arſenicale extollunt, ac dein ictum pugni. Rarum eſt, quod Cl. *Mynſ.* refert in *Podalirio* ſuo ex *Blankardo*, materiam Ganglii ex cadavere exemptam inſtar cryſtalli apparuiſſe & ſatis duram, eamque literas ſubjectas exhibuiſſe, multò majores quàm erant revera, ſic ut illud Ganglion tum temporis pro microſcopio inſervierit, quod tamen phænomenon, non tam ejus pelluciditati, quàm figuræ attribuendum exiſtimo, quod facilè experiri eſt, dum pupilla ex vitulo alioque animali exemta imponatur chartæ, literas videbis multò majores quàm erant reverâ.

In Ganglio Ettmullerus folia ſempervivi majoris, cui detracta ſit inferior cuticula commendat, quæ imponantur quotidie, mane & veſperi removendo, meliore jure applicatur lamina Saturni ſpir. vini, camphor. irrorata & adſperſa euphorbio, quod Ganglia ſucceſſivè diſſipare aiunt, ut penitus tandem evaneſcant.

Quod Therapeiam affectuum reliquorum Tunicatorum Atheromatis, Meliceridis & Steatomatis attinet, cura fere eadem eſt, eorum enim ſublatio fit per interna volatilia & fluiditatem ſuccorum concilientia remedia, ut ſunt potus Theæ

vel Caffeæ more jam recepto calidè abſorbendus, aliaque incidentia & Diaphoretica ſæpiùs recenſita. Cura verò inſenſibiliter peragitur per attenuantia & & reſolventia fortiora medicamenta, imprimis ſi tumores hi adhuc materiam fluidam contineant. Senſibiliter verò magis cura perficitur per Maturantia, Septica atque Sectionem. Inter Reſolventia medicamenta primas tenent calx viva ejuſque decoctum, ſpir. vini camphor. ſp. matrical. cum aliis oleis aromaticis & gummoſis mixta vel emplaſtra redacta, quæ ſæpe poſt pugni ictum imponi poſſunt ad materiam meliùs reſolvendam ex. gr.

℞. Gumm. galban. ammoniac. ſtyrac. calam. ana ʒ iij. reſin. pin. ℥ß. ol. guajac. ʒj. ol. ceræ ʒß. ol. philoſoph. ʒ iß. pul. rad. bryon. ʒ j. m. f. l. a. emplaſtrum. Emplaſtrum noſtrum de Thea, item de Labdano, de cicuta, de Tabaco, item Divinum, de ranis cum Mercurio, de Galbano Mynſ. & Magneticum, imprimis ſi quid camphoræ addatur, egregia ſunt in reſolvendis quibuſcumque Tumoribus, præſertim in his Tunicatis. Vel in forma linimenti ſequens vel ſimile præſcribatur.

℞. Ung. Dialth. Martiat. ol. laurin. an. ℥ß. ol. philoſoph. ʒ ij. ol. ceræ ʒj. Tinctur. galban. ℥ j. ſp. ſal. armoniac. volatil. ʒiij. camphor. ʒ iij. m. & illinatur, dein ſuperiùs præſcriptum applicetur emplaſtrum. Balſamus Peruv. item vapor à pyrite ignita exceptus, & oleum rubetarum à *Barbette* laudantur. Quoad maturantia medicamenta aſteriſco notandum eſt, quòd hiſce cautè incedendum ſit, ne, quemadmodum à potentioribus exſiccantibus durities redditur ſcirrhoſa, maturantium fortioribus malignitatem cancroſam inducamus. Melius ergo mitioribus reſolventibus ut empl. ex gumm. ammoniac. ol. ſuccin. & pulv. rad. pyrethri mixto, tumores hi diſcutiuntur, mediante enim hoc remedio, Tumorem tunicatum in maxilla ruptum fuiſſe teſtatur *Sennertus*. Cauſtica verò ſeu corroſiva medicamenta externa Tumores hos Tunicatos erodentia aliquando in uſum vocantur, quæ cutem cum folliculo eorum abrodunt, ſicque Tumores excavant, eapropter ea in Meliceride, Atheromate & Steatomate maxime conveniunt. Ex quorum erodentium ſeu cauſticorum claſſe uti cuti erodendæ applicandorum ſunt lapis infernalis ſive cauſticus officinarum, oleum vel butyrum antimonii, item vitriolum lunæ, vel quæ Eſcharâ, quam illa induxerunt, remotâ; ipſum folliculum penitus erodunt, inter quæ ſunt viride æris, colchotar dulciſſ. Alum. uſt. Mercurius ſublimatus, & præcipitatus, ung. fuſcum *Wurſii*, quibus tamen medicamentis eo allaborandum eſt, ut cum materia contenta omnis folliculi ſubſtantia auferatur, & oſſa quoque, ſi his adhæreſcant tales humores, ſtudioſè abradantur, aliàs Tumores hi in ulcera abeunt fiſtuloſa, faciléque repullulant. Chirurgica ac manualis curatio horum Tumorum Tunicatorum conſiſtit in pugni ictu, prout ſuperiùs in curatione Ganglii diximus, poſtea curari poteſt ut aliud ulcus. Cauſtico priùs adoriendi, & cultro reliquiæ exſcindi poſſunt. Operatio ergo ſequenti modo peragenda eſt: Incidatur cutis ſuperpoſita ad formam crucis, & manu labris à Tumore ſeparatis cyſtis eximi debet cum tota intus contenta materia, quæ interdum pinguedinis, mellis, pultis, interdum lapidis, vel calcis, vel etiam ceræ, vel glandulæ coctæ ſimilitudinem habet, &, ſi aliquid membranæ remanſerit, ad iſtam deſtruendam penicillum ſp. ſal. comm. imbui, & ſic applicari poteſt.

Vel, ℞. Empl. diaſulphur. ℥ iij. ol. ſuccin. ol. tartar. ana ʒij. & applica Tumoribus Tunicatis, Lupiæ, aliiſque.

Curatio Emphyſematis conſiſtit potiſſimùm in removendis tubulorum obſtructionibus, per interna Diaphoretica volatilia ac carminativa ſpecifica, ut ſunt ſp. nitri dulcis, eſſent. carminativ. camomill. Rom. cort. aurant. menth. zedoar. arcan. dupl. ſem. carminativa quæcumque, & ex eis parata ſpiritus & olea. Omnia enim aromatica hîc egregia ſunt, ut Tinctura cinnamomi, macis & ſexcenta alia cum aqua fœnicul. carmin. aliiſque propinanda. In Juniorum gratiam eſto ſequens formula.

℞. Aquæ fœnicul. ℥ij. carminat. ℥j. flor. chamomill. ℥ i ß. eſſent. cort. aurant. ʒ iij. ſp. nitri dulc. ℈ ß. Syr. flor. chamom. ʒvj. m. detur cochleatim. Vel detur per vices arcanum duplicatum à ℈ ß. ad ℈ j. excellens in flatibus remedium, interponantur ſpiritus aniſi, angel. matricar. catarthal. elix. vit. eſſent. bacc. lauri, Juniperi, ſpir. ſal. armoniac. aniſat. Ut & omnia reliqua ſalia volatilia oleoſa conducunt. Solis enim ſudoriferis internis curatur *Emphyſema*. Externè in *Emphyſemate* conducunt ſacculi ex flor. chamomill. ſambuc. ſem. aniſ. &c. in vino cocti & tepidè parti flatulentæ impoſiti; vel parentur ex herbis rutæ, ſcordii, malv. flor. chamomill. ſem. cumin. carvi, bacc. laur. juniper. ſal. armoniac. tartar. &c. Ex quibus pro re nata parentur fotus vel epithemata vino Gallico vel lixivio incoquenda & calidè applicanda. Vel ſequens.

℞. Aquæ flor. ſambuc. aq. calc. ana ℥ ij. ſpir. vini camphor. ſp. matricar. angel. ana ℥ j. m. cum quadruplicatis linteis applicandum epithema. Ceratum de Cumino, Empl. de bacc. laur. de Thea, de Labdano, carminat. Sylv. &c. optimo ſæpè cum ſucceſſu applicantur. Tumores hi flatuoſi haud incidi aut ferro aperiri debent, Gangræna enim ac Sphacelus facilè ſubſequi ſolent ſed potiùs medicamentis idoneis cataplaſmatibus, aliiſque oleis chamomill. Philoſophor. ſuccin. carvi, cumini, aniſ. &c. reſolvendi ac diſcutiendi ſunt. Conducunt etiam ſuffumigia ex carminativis ac gummoſis reſinoſiſque parata. *Joan. Dolæus in Encyclop. Chirurg. rational.*

Atheroma, Steatoma, & Meliceris, quandoquidem Tumores ſunt folliculis incluſi, vix niſi per manualem operationem curantur; ſique inter operandum contingat, quod membranula rumpatur, aut tota non auferatur, Fiſtula ferè, aut ulcus fœdum remanet, quorum difficilis & tarda plerumque curatio. Curationis conſilium tribus hiſce abſceſſuum generibus, Atheromati viz. Steatomati, & Meliceridi commune eſt, ut quod tunica illa continet diſcutiatur, aut medicamentis totum cum ſua tunica exedatur, vel ſuppuretur, aut Sectione auferatur. Triplici hac ratione curatur Meliceris, utpotè humorem continens liquidiorem. Sed Atheroma, humorem continens glutinoſiorem, vel ſectione tollitur, aut medicamentis exeditur ſeu ſuppuratur, atqui nunquam diſcutitur. Steatoma verò nec diſcuti, nec exedi aut ſuppurari poteſt; at ſolâ manûs operâ, hoc eſt, Sectione duntaxat curatur, quoniam ſevo haud abſimilis materies nec reſolvi, nec ſuppurari aut exedi, poteſt, ſemperque duriore includitur tunica. Notandum quoque hujuſmodi folliculis incluſos Tumores, ſi recentes ſunt ac molles, & Reſolvi, & Suppurari poſſe, duros verò & inveteratos ſolâ Chirurgiâ Curari. Hinc diligenter in eo laborandum, ut ſingulæ differentiæ diſcernantur.

tur. Steatoma quippe duḟlus eſt, reſiſtitque tangenti, & baſin habet ſolidiorem. Meliceris è contrario facile ſubſidet, cedit in ſe compreſſa, lenteque diſſilit, citò tamen revertitur. Atheroma eſt veluti medium inter utrumque extremum. Igitur hujuſmodi tumor ſi mollis ſit, Reſolventibus erit tentanda Curatio, impoſito ſcilicet emplaſtro Stiptico Paracelſi, vel è Ranis cum Mercurio; vel mane diu fricetur Tumor digitis ſalivâ hominis jejuni identidem madefactis, cui ratione ſalis volatilis & ſpirituum in ea abundantium vis attenuandi reſolvendique copioſa ineſt; vel poſt Tumoris diutinam frictionem illinatur *Balſamum Peruvianum*, quo ſolo ſcribit Barbette ſe aliquando molliores hujuſmodi tumores curaſſe.

Scultetus *poſt Armament. Cheir. Obſerv. 66.* eum in finem valde laudat Ceratum Diaſinapios, quo duas Melicerides reſolviſſe ſcribit, alteram in Humero, alteram in Genu, ovum anſerinum ſua magnitudine æquantem, quam tamen hoc ſolo Cerato menſis ſpatio integrè diſcuſſiſſe refert. Ceratum Diaſinapios Aquapendens deſcribit *Cap. de Meliceride*, & à Spigelio correctum ita proponit Scultetus *Armam. Chirurg. Tab. 43.*

℞. Salis gemmæ, ceruſſæ, lythargiri an. ℥iiij. Ceræ, terebinthinæ an. ℥ ij. Galbani, opopanacis, an. ℥ß. pulver. ſemin. ſinapi ℥ij. olei veter. ℥ix. aceti acerrimi q. ſ. M. F. S. A. Ceratum. Barbette hoc habet emplaſtrum.

℞. Gummi Sagapen. Ammoniac. an. ℥ß. pulv. euphorb. rad. pyrethri an. ʒß. ſulphuris ʒiij. ol. ſuccin. ʒj. M. F. S. A. emplaſtrum. Alii laudant id quod ſequitur.

℞. Paſſularum majorum enucleatarum ℔ß. Contundantur minutim in mortario, & addendo pulv. ſem. cumini ℥iij. ſalis nitri ℥iß. ſimul ſubigantur, & adhibeantur.

Alterum Curationis conſilium eſt, ut Folliculi hi *Cauſtico exedantur*: viz. Cauterium in medio imponatur Potentiale; aut ſi magnus ſit Tumor multa ſimul admoveantur Cauteria, cumque Cruſta deciderit immittantur Penicilli *Unguento Ægyptiaco & Apoſtolorum* illiti, aut *Melle* cum *Mercurio Præcipitato*. Joan. de Vigo Menſis intra ſpatium omnes excreſcentias indolenter erodit: Accipit Linteorum uſu detritorum & decerptorum ℥ij. medullæ panis albi ℥iij. Sublimati tenuiſſimè pulveriſati ℥j. Aquæ Roſarum & Plantaginis an. ℔j. omnia ſimul coquit in vaſe æneo ad conſumptionem duarum aut trium partium; dein expreſſa linamenta exſiccat in fumo medіocriter calido, quæ iterum diſcerpta ſervat in vaſe bene operto ad uſum, qualem ipſe ita deſcribit. Primum defenſivo vicinæ partes muniantur; deinde ulcus quod fecit Pyroticum prædictis linamentis impleatur, ſupponatur unguentum de Tutia, vel de Ceruſſa; atque ita perſiſtendum, donec viva appareat caro, tum ulcus melle Roſaceo & Terebinthina mundandum, &c. Nonnulli Arſenico utuntur & Auripigmento, ſed non niſi ſummo cum periculo ea uſurpantur, quia acria nimis ſunt, parteſque ſubjectas penitus erodunt. Non deſunt quoque qui parva hujuſmodi Tubercula tranſverſim incidunt, moxque implent Alumine, aut Vitriolo uſto, quæ folliculum erodunt ſimul, & hæmorrhagiam ſiſtunt, vel oleum aut Spiritum Vitrioli cum Plumaceolis applicant: Magna verò cruciatim trajiciunt duplici Setone, altero ſecundum longitudinem, altero per tranſverſum. Sin ad ſuppurationem tendant hi Tumores, quod tamen rarò contingit, naturam Chirurgus adjuvet Maturantibus fortioribus.

At verò omnium tutiſſima Curationis Methodus eſt, Tumores hoſce per Sectionem & Separationem auferre. Fit autem hoc modo: Primò tum ad lumen illuſtre, tum ad Chirurgum quàm commodiſſimè vel in lecto collocandus eſt Patiens; dein atramento ſignetur ſectionis longitudo, quæ ſit tanta, quanta eſt tumoris rotunditas, tum elevanda cutis, quæ incidenda vel cruciatim, eaque poſtea circumquaque lato ſpecillo, aut ſcalpelli manubriolo, aut indice digito ſeparanda, donec integer Folliculus appareat, qui tum circa pedunculum reſecandus eſt, ſimul cum vaſe tumori nutrimentum adferente, ne vel minima relinquatur folliculi portio, tumorque regeneretur. Quo in caſu notat Joan. van. Horne *in Microtechne*, priùs arctè vaſculum tumorem nutriens eſſe ligandum, antequam reſecetur. Hoc peracto, & folliculum poſtquam extraxit Cheirurgus, vulneris labia ſunt conjungenda Linteolis emplaſticis in crucem appoſitis, &c. Quod ſi Folliculus jam ruptus ſit, aut per ſe, aut per Cheirurgi negligentiam, tum neceſſe eſt, ut vel tumor revertatur, vel ulcus remaneat fœdum, & ferme incurabile, niſi Cathæreticis abſumatur folliculus. Plura de modo excidendi hujuſmodi Tumores videri poſſunt apud Fabricium ad Aquapendente Operat. Chirurg. part. 2. lib. 1. cap. 16. & Scultetum Armament. Cheirurg. Tabul. 35 Sed hujuſmodi Tumor ſi ingentis ſit magnitudinis, magniſque vaſis, arteriis puta, venis, nervis, adhæreat, ſinendus is eſt aut ſaltem magna in excidendo requiritur induſtria. Ita refert Scultetus obſerv. 88. ſe in externa femoris parte Atheroma ovum gallinaceum magnitudine ſuperans exciſione curaſſe. Et ſcribit Petrus de Marchettis obſerv. Medico-Cheirurg. 21. ſe Melicеridem majoris oculi anguli, ad pupillam uſque protenſam, illæſo oculo, cum folliculo extirpaſſe. Atque obſerv. 24. & 25. duas non minùs raras addit hiſtorias: alteram Atheromatis inferioris palpebræ, interna parte, prope angulum majorem oculi, ab ortu geniti, avellanæ mole, in puella quinque menſium, ſectione extirpati & ſanati, alteram Meliceridis colli prope aſperam arteriam, & venas jugulares externas, in cujus diſſecto folliculo alius ejuſdem generis tumor, ſed minor delituit ſuâ & ipſe membranulâ concluſus. Haud minùs rarum fuit Steatoma in dorſo circa finem vertebrarum colli, quod pondus librarum ſeptem excedens, à Joanne Griffonio Medico-Chirurgo feliciter extirpatum fuit: uti videre eſt apud Fabritium Hildanum *Cent. 6. Obſ. 16.*

Cæterum Tunicatis hiſce tumoribus propè accedere videntur Propenduli, qui non exciduntur, ſed funditus amputantur; in Puſillanimis filo ad ſtuporem partis conſtricto & relicto, donec tumor decidat; in Animoſis ſcalpello. Quod ſi poſt Tumoris Propenduli abſciſſionem, ſanguis copiosè profluat, aut filum aliquid de radice relinquat, ne recidiva fiat, locus candente ferro leviter tangatur, & eſcarâ ablatâ, cicatrice obducatur: vel id quod ex radice relictum eſt abſumatur admotis Cathæreticis, uti Alumine uſto cum Mercurio præcipitato inſperſo, vel Unguento Baſiliconi admixto, ſicque impoſito, &c.

Magnus Flatuoſus Tumor periculoſus eſt, ob ſui magnitudinem, & partem affectam debili calore præditam. At Parvi ſi ſint hujuſmodi Tumores, omnis

omnis periculi expertes meritò cenſentur. Porro Hyeme frequentiùs, quàm Æſtate evenire ſolent. In Curatione, generalibus circa Diætam, & intus ſumenda medicamina roborantia ac evacuantia, præmiſſis, haud ſecus ac in Oedemate, partis læſæ meatus aperiendi, in eaque contenta Flatulenta materies attenuanda, diſcutienda, reſolvenda. Quem in finem conducunt Calida, Siccantia, & Attenuantia, (*Carminativa* dicta, ut apertis membri læſi poris humores flatuſque diſſipari queant, verbi gratiâ.

℞. Herb. malv. menthæ, pulegii, rutæ, an. m. j. Flor. camomillæ m. ß. Summit. aneth. flor. roſar. rubr. an. m. j. Sem. cumini ℥j. Bacc. lauri ʒvj. Coq. in S. Q. Cereviſiæ tenuis, vel Æq. Part. Aq. puræ & vini Albi ad ℔iij. Colatura ſit pro Fomento. Egregios aliquando vidimus ſucceſſus in hujuſmodi Tumore reſolvendo ſolo Oleo *Cucumeris Aſinini* illito. Poteſt tamen ejus loco fieri Linimentum, v. g.

℞. Olei cucumeris Aſinini ʒvj. Anethi, Rutæ an. ℥ß. Nucis moſchatæ expreſſ. ʒiß. Cumin. ſtillat. gutt. vj. miſceantur. *Barbette* Chirurg. part. 2. lib. 1. cap. 7. laudat hoc cataplaſma.

℞. Fol. Rutæ, Calamenthæ an. m. ß. Farinæ Fabar. ℥ij. ſem. Aniſ. Cumin. an. ℥ß. Baccar. laur. Salis comm. an. ʒiij. Nitri, Sulphuris an. ʒj. Stercoris caprilli ʒvj. Olei Anethini, Nardini an. ℥j. Vini alb. Gallici q. ſ. Coq. ſimul. S. A. & contund. in formam cataplaſmatis. Conducit quoque emplaſtrum de meliloto, de Ranis cum, aut ſine mercurio.

Vel ℞. Emplaſtr. de melilot. de Ranis ſine Mercurio an. ℥j. Gumm. Galban. in aceto ſolut. ʒij ß. Pulv. caſtor. ℈ij. olei Cumini ſtillat. gutt. vj. Ceræ & Terebinthinæ q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum, extendendum in Corio. Sed notandum ejuſmodi medicamenta actu calida parti ægræ ſemper imponenda eſſe, caloremque conſervandum appoſitis linteis, lateribus, lagenis, ſimilibuſque rebus calentibus. Veruntamen Genu cum Flatuoſo Tumore vehementer inflatum ſit, nonnulli ſequens commendant.

℞. Fæcis Ceræ novæ ex prælo ℔iß. Micæ Panis Furfuracei ℔ß. Florum Roſarum Rubr. ℥j. Bulliant in vino albo, dein contundantur, & addendo Piperis, Caryophyllorum, Nucis moſchatæ, zinziberis an. ʒij ß. Sem. Cumini, Aniſi, Fœniculi, Ammios an. ℥ß. olei chamæmelini, Anethini, Rutacei an. ℥ij. M. F. S. A. Cataplaſma. Platerus *Obſ.* lib. 3. Tumorem in Genu immenſum, mollem, laxum, & diuturnum diſcuſſum, ac penitus curatum ſcribit impoſito Cataplaſmate ex Radicibus Bryoniæ, Iridis, & Liliorum recentibus, ſimul contuſis, atque in vino, additâ etiam Aquâ vitæ decoctis. Vel fiat Cataplaſma ex raſura Radicis Raphani Ruſtici cum Aceto Roſaceo, quod calide apponatur. Magno quoque cum levamine inflato & tumido admodum Genu aliquando applicari juſſi Veſicatorium magnum, ex Cantharidibus & Fermento acri, addito Aceto, confectum.

Ganglion Cheirurgia, hoc eſt, exciſione raro curatur, præſertim ſi in quodam manus pediſve articulo ſitum ſit: eſt nempe, monente Paulo Ægineta lib. 6. cap. 39. periculum ſi quid illic excidatur, mutilum reddi illud membrum. Sed Ganglion ut tollatur, imponenda ſunt molliendi, attenuandi, & diſcutiendi vim habentia medicamenta, v. gr.

℞. Emplaſtri de meliloto, oxycrocei, de mucilaginibus an. Part. Æqual. olei Petræ tantillum, M. F. S. A. emplaſtrum, extendendum in Corio.

℞. Gummi Galbani, Ammoniaci, Sagapeni in acet. ſolut. an. ʒiß. emplaſtr. è Ranis cum duplicato mercurio ℥ß. M. F. S. A. emplaſtrum.

℞. Gummi Ammoniaci, Sagapeni in acet. ſolut. an. ℥ß. Liquefiant, hinc addendo Sulphuris Pulveriſati ʒij. M. F. S. A. emplaſtrum. Eundem in finem conducit Gummi Ammoniacum, vel Galbanum in Spiritu vini diſſolutum, atque emplaſtri modo impoſitum. Vel imponatur emplaſtrum de Ranis cum Mercurio, & ſtricta ſatis ligatura, quæ impediat, ne viſcoſi denuo humores affluere, cum aliis concreſcere, ſicque Ganglion augere queant. Felix Platerus laudat hoc cataplaſma, quo Ganglion pugni magnitudine in utroque Genu curavit, ut refert *lib.* 3. *Obſervationum.*

℞. Rad. Bryoniæ, Iridis Noſtrat. rec. an. ℔ß. Liliorum alborum rec. ℥ij. Coctis in Aceto fortiſſimo ad mollitiem, & in mortario minutim contuſis, adde olei lilior. alborum ℥ij. Gummi Ammoniaci in Spiritu vini ſoluti ℥iij. Pulv. Rad. Iridis Florent. ℥ij. M. & S. A. redigantur in formam emplaſtri ſeu Cataplaſmatis. Cùm igitur Remediis hiſce emollitus ſit Tumor, atterendus tantiſper, quoad ſub digito cyſtis frangatur; mox lamina plumbea Argento vivo illita fortiter ipſi apprimatur, & advinciatur, quæ quod ſupereſt Tumoris tabefacere & conſumere queat. Etiam crebra tantummodo tumoris Frictione, humoriſque huc illuc diſtractione non raro ſanatur Ganglion. Et ſcribit Antonius Chalmeteus *in Encheiridio Chirurgico*, ſe Ganglia in carpo exiſtentia frequenti cum ſaliva frictione ſæpius curaſſe, abſque aliorum medicamentorum uſu.

Reinerus Solenander Conſil. Medicin. 24. ſequens commendat emplaſtrum.

℞. Emplaſtri oxycrocei ℥j. Gumm. Ammoniac. Bdellii diſſol. an. ʒij. Pulv. Rad. Irid. Florent. ℈j. Lumbricos terreſtres vino lotos & diſſolutos num. iij. Commixtis omnibus cum pauco oleo Terebinthinæ & Cerâ novâ F. S. A. Ceratum, quod extendatur in Corio, applicetur Tumori, & Faſciâ arctè conſtringatur. Tumore autem Cerati ope quodammodo emollito, addit; ſingulis quatuor quinque, ſexve diebus ſolutâ faſciâ, & ablato Cerato, Tumorem debere ſuffumigari ſuffitu aceti acerrimi, cui Satureia, Origanum, vel ſimilia incocta ſunt, affuſi Pyritidi, vel Lapidum Molarium fruſtis candentibus; dein abſterſo ſudore, compreſſo attritoque ſatis Tumori rurſus Ceratum imponi. Tandem hiſce aliquoties factis præcipit, ut tenuis Plumbi lamina arctè Ganglio illigetur, qua ulteriùs conſumatur. Sin verò his modis Ganglion non ceſſerit, nonnulli volunt ferro reſecandum & extirpandum eſſe; Quorum ſententiæ tamen minimè ſubſcribimus, ſi in manus pediſve articulo exiſtat, ob tendines aliaſque partes nervoſas ibidem facilè læſuras. Sed potiùs Sectione Tumor aperiatur, atque viſcoſo educto humore, impoſitoque Balſamo Peruviano, aut Balſamo Sulphuris Terebinthinato, ulcus porrò curetur. Jobus Mekeranus Obſerv. Chirurg. cap. 60. prolixè docet, quomodo Ganglion in Carpo exiſtens Contuſione curari queat. Viz. manus plana menſæ imponatur, hinc Cheirurgus manu in pugnum contractâ bis terve Tumorem vehementer contundat, donec cyſtis findatur, humorque contentus effundatur, humorque contentus effundatur, qui dein continuo articuli motu, accedente inſuper crebra partis affectæ frictione, facilè reſolvitur: præſertim ſi hoc vel ſimile linimentum frequenter inungatur.

℞. Olei Ceræ, Terebinthinæ an. ʒij. ol. philoſophorum ʒvj. vitellum unius ovi M. F. S. A. linimentum.

Ad

Ad Curationem Lupiæ quod attinet. Materia hæc nec Reſolutioni, nec veræ ſuppurationi facilè cedit; ſed ut humor evacuetur, tumor hic aperiendus eſt. Quod ut tutò ac feliciter fiat, tumoris magnitudo, ſitus, latitudo ſeu denſitas, denique & baſis ſeu fundamentum conſideretur. Si igitur magnus ſit Tumor, vaſis majoribus, partibuſve nervoſis ac tendinoſis proximus, ſinendus is eſt ob periculum, quod ex Apertione facilè conſequitur. At ſi parvus ſit, in quacunque parte fuerit, ſæpe reſolvitur comprimendo, digitis Salivâ madefactis identidem fricando, frangendo tamen cyſtim ſeu folliculum, quo includitur, ut hinc illinc effuſus humor diſpergatur, & dein naturæ ipſius beneficio diſcutiatur, reſolvaturque. Quod ſi Lupia in eo loco ſit, in quo validam compreſſionem facere non liceat, ut in Facie, Thorace, Ventre, Gutture, ſimilibuſve locis, emplaſtrum aliquod in Ganglii Curatione præſcriptum apponatur, quod reſolvendi vim habeat. Scribit Riverius *in Obſerv. communicatis à Dionyſio Pomaret*, Lupias reſolutione curatas fuiſſe Foliis Acetoſæ chartâ madidâ involutis; & ſub cineribus coctis, quæ poſtmodum cum cineribus per cribrum trajectis incorporabantur in formam cataplaſmatis, calidè applicandi. Sin Lupia mediocris ſit, neque in Articulo exiſtat, tollatur exciſione, ut Atheroma, Steatoma, vel Meliceris. Quod ſi baſin habeat anguſtiorem, infima illius pars ligetur, non aperiatur, neque ſecetur; atque ſingulis diebus ligatura conſtringatur, donec alimentum ei omnino detrahatur, ſicque Lupia ſponte decidat. *J. Munniks in Prax. Chirurgic.*

Conſultatio.

Pro Meliceride.

Triennium agitur, cùm Illuſtriſſ. Palatino Polono tumor quidam ſubortus fuit in anteriori parte ſiniſtri femoris, doloris expers, concolor, prementi digito cedens, nullo tamen relicto veſtigio; qui in amplam adeò molem ſenſim excrevit, ut in præſentia ab inguine uſque ad genu, illi firmiùs adhærens, protuberet, inſtar amplæ cucurbitæ, anteriori, & exteriori femoris parti appoſitæ; non ſine manifeſta motûs cruris noxa; cujus cauſâ variis ubique locorum conſultis Medicis meam nunc quoque expoſcit ſententiam, cùm de præſentis affectûs eſſentia, & natura, tum de medicis præſidiis huic extirpando in uſum revocandis. Quod Illuſtriſſimi, & generoſiſſimi Herois mandatis morem gerens, pro virili aggredior; quò eventus ipſius, & curationis ratio conſtet. Eſt autem hic tumor morbus in aucta magnitudine, lædens flexionem cruris, à pituita ortum ducens; hoc indicio, quod nullo dolore ſit moleſtus, atque cuti ſit concolor: quæ tamen pituita naturalis non eſt, cùm non ſit œdematoſus, preſſo digito cedens, ſed præter naturam, non ex permiſtione humorum heterogeneorum, ſed ex converſione potiùs propriæ ſubſtantiæ in alienam; non quidem flatulentam, in quam non rarò facesſere ſolet, ex Galeno; neque enim tamdiu duraſſet affectus cum tanto ponderis ſenſu; minus longè in ſeroſam, & aquoſam, particularis hydropis cauſam; tunc enim pelluceret cutis, tumor eſſet adeo expanſus, ſine fluctuatione; quinimo in corporis erectione pars tumida præ aquæ pondere ad inferiora procumberet. Fuerit itaque pituita tenuior, & fluida in lentam, viſcidam, tenacem, flatulentæ, & ſeroſæ immixtam, converſa; cujus ratione tumor hic accenſendus eſt tumoribus illis, quos Antiquiores Abſceſſus; Recentiorum verò barbarorum aliqui Arabum interpretes, exituras vocant, genitas ex humoribus, & aliis excrementis heterogeneis folliculo concluſis: quorum triplex eſt genus, Meliceris, Steatoma, & Atheroma; quibus Recentiores addunt Teſtudinem, Lupiam, & Nattam, ſeu Naptam, & Strumam. Qui quidem tumor ſtruma non eſt, glandularum propria; Non Teſtudo, ſeu Talpa, capiti familiaris; non Napta; cùm hæc ſit tumor carnis inſtar, durus, prementi digito non cedens; cujus generis præſens non eſt, quippe qui cedit, & eſt mollis; atque ideo neque Steatoma, neque Atheroma, ſed meliceris cenſendus, illi non abſimilis, quem Ambroſius Paræus Lupiam vocavit. 6. de Tumoribus præter naturam qui aliquando partibus adhæret firmius, inquit ille: aliquando verò mobilis eſt; ſemper tamen venas habet exiles quidem in principio; proceſſu verò temporis ampliores, qualem hunc obſervamus: qui proinde abſceſſus eſt ex tenui pituita ortus, ſeroſæ & flatulentæ immixta: à cerebro, ventriculo; & venoſo genere ſenſim eo tranſmiſſa, ac cyſti ſeu folliculo concluſa, parti affectæ adhærens. Ex his patet, quis hunc affectum maneat eventus, cùm conſenſu præſtantiſſimorum virorum, quibus & ego accedo, ſit inſanabilis: quippe qui diſcuti non poſſit, cùm ob ejus amplam molem, tum ob fluxionis periculum, quod à localium calidiorum uſu impendet, quorum ope reſolvendus eſt, neque evacuari patefacto abſceſſu, & ſuppurata materia; metu ſcilicet ulceris, quod immedicabile evaderet ex fluxione continua, & fortè cancroſum. Neque radicitùs extirpari poterit, abſque enormi ſanguinis profluvio, ob venarum copiam & amplitudinem, non ſine vitæ præſenti diſcrimine in ipſa operatione, *Benedict. Silvatic. Conſil. & Reſponſ. medic. Cent.* 4.

Obſervationes.

Atheroma.

In genu ſiniſtro 12. jam annos geſtaverat tuber folliculi luſorii minoris magnitudinem æquans Fr. Stephanus à Calatio Capucinus, vir quantæ in Deum pietatis, vel hoc argumento cognoſcendus, quod cùm lethiferam hanc in articulo diſſectionem celebratiſſimi Medici uno omnes ore pronunciaſſent: nihilominus hic tandiu privatus eâ, quæ ſolo defixis utriſque genubus fieri conſuevit à Sodalibus Sancti Numinis adoratione frequenti: facultatem hanc etiam cum tormento at diſcrimine vitæ maluit conſequi, quàm officio ſuo cedere, ac ſanctarum exercitationum carere fructibus. Hujus igitur viri, tam pro deſiderio gratificatus; cunctis ex ordine proviſis, præcautiſque his, quæ curationis curſum interturbare potuiſſent: rem inſtituto cominus, acuto ſcalpro cutem amplè, qua maximè extabat, inſeco, divido que quoad pateret membrana. Quæ ſubſecta circum, tandem in manus venit, & media diſciſſa saniem reddidit ſubnigram fœcis vini ſubſtantia, cartilagineis ferme cruſtis internè obſita. Qua cavitatis quidem, & externa aliqua parte carunculæ putres, & boleti formam referentes extumeſcebant. In univerſum erat membrana uteri, corii modo denſa, dura, craſſa, quæ poſtquàm eſt deterſa miniſtri manu, vellere infarcta, & ad caminum depoſita, vendicata jam à putredine

putredine talis apud me ad hanc diem aſſervatur. Chirurgiam ferme nihil inſecutum eſt mali, niſi ſi paucum effuſum ſanguinem admemoraveris. Atque hæc de primo illo exciſionis actu; cæterùm quod ad reliquam curationem pertinet; in ulcere medicamentis primùm digerentibus, mox expurgantibus rite percurato; paulatim accreta caro vacuum orbem implevit, ſanatuſque eſt homo 40. dierum ſpatio ſine ulla inceſſûs offenſa, Deo bene favente: cui quidem auctori medicationis omnis felicitas accepta eſto.

Neapoli urbe cunctis artibus boniſque florentiſſima ex honeſta Coppularum familia juvenis fuit, ac modò eſt, cui Tiberio nomen, ortum, huic 16. jam annis ſuper lævam mammam tuberculum principio puſillum piſi inſtar, quod ſingulos in annos aggeratum tandem excreverat in ovi gallinacei magnitudinem, concolor, mobile, æquale, duriuſculum; dolorem non inferens, niſi cum vehementer premeretur, toto decennio ſollicitè chirurgicos, qui ſunt in urbe omnes conſuluit, requiſivitque de tollendo vitio. Reſpondere alii, nihil ut adhibens rem naturæ committeret: quippe vitium irritare periculoſum. Alii vel ut balſamelæo, vel appreſſa plumbea laminula excuteretur. Nullus è pleriſque in multis chirurgiæ meminit, quam nemo non ex auctoribus hujus diſciplinæ proponit. Demum me, ac ſex è principibus medicis congregat domi, ſinguli; ut diceremus ſententiam: Scirrhum dixere quidam: quidam occultum cancrum, qui tentandus non eſſet. ad Hippocratis ſententiam 38. aphor. lib. 6. Tertii quidam Emphyſema abſurda quadam opinione: ſcirrhum œdematoſum pronunciavere plurimi. Ego atque alter quidam, qui ſententiam meam à conſulente reſciverat, ſteatoma pronunciavimus. Conſenſere in id omnes ut medicamentis tractaretur, chirurgia valere juſſa. Ego contra chirurgia certum, atque unicum in hac re præſidium, ut profeſſus fueram ſemper: ita & in dictione mea peroravi. Refutavere omnes curandi genus, adhæſitque homo alteri ſententiæ, ut quæ leniora proponeret; veruntamen fatigatus diu remediis, victu tenui, ſudoribus, decoct. ſarſæparill. fonticulis; neque aliquid aſſequutus ex his, niſi longa laborum tædia, venit ad me feſtinè, ſuccurrerem: vitam odiſſe ſe præ noxa iſta corporis. Tantum ne quid ferro agerem, certum ſe pati quidquid oporteret. Breviter: pyrotico cutem aperui, patuit cyſtis putaminis ovi modo candicans, qua diſſecta promptum fuit merè putridam fœtidam, atque attocreæ coctæ modo laminoſam, ſed cruſta referentem ſubſtantiam late complentem infarctu ſuo amplexum omnem folliculi. Labor fuit in eximendis membraneis fibris, quæ radicum inſtar hærebant: quibus tamen extirpatis, dies circiter quadraginta finita curatio eſt. Hærere autem abſceſſus hujuſmodi anomalos plerunque nerveis & cartilagineis fibris obſervationes teſtantur, qualem contigit obſervaſſe aliquando in pedis digito medio, quales etiam fuere obſervatæ fibræ in abſceſſu Marini Caputi Vicarii, Archidiaconi vici Equenſis viri ſpectatiſſimi: Similiter cartilaginearum fibrarum in abſceſſu reſpectarum exemplum habes In R. P. D. Andrea Cancelliero Cartuſiano Monacho probatiſſimo, cujus rei hiſtoriam ab amico fideliſſimè conſcriptam, huic noſtro de abſceſſibus anomalis tractatui inſerere placuit; eſt autem ex autographo talis.

Quàm lepidè abs te compellari videor, Clariſſime Simon, quàm urbanè, parum abeſt, quin dixerim ridiculè: ſic revocaſti ejectas jam pridem è domo tua philoſophica argutas Curialium nugas; quarum quantò major, & religioſior in hoc fucato ſeculo cultus, eò pernicioſior eſt uſus, magno cum ingenuitatis opprobrio. Quid agis cum rythmicis iſtis alloquiis? amicum, qualem me noſti, ſtoicum & rigidum (ut tua tibi regeram verba) rogas, precaris, blandimentis excitas? Me fatuum hominem fingis, te Logodædalum, quo utroque vitio, ſicuti revera vacamus ambo, ita cynicè, ac liberè effando, uterque noſtrûm, tali etiam ſuſpicione liber eſt. Amicitia quidem ſicuti animorum nexum facit, ita & bonorum omnium communionem. An fortaſſe noſtræ Eutopiæ mores oblitus es; an amicitiæ transfuga videri vis? Abſit. Quid igitur precario poſtulare, quod jure tuo tuum eſt? tua ſunt mea ſtudia, tui laborum meorum, ſi qui ſunt, fructus, ſiquidem quod vivo, & ſpiro tuum eſt. Hac igitur eadem epiſtola nobilem illam, quam tam anxiè efflagitaſti, curationis oſtracoli tumoris, à noſtræ ætatis Chirone, Doctiſſimo inquam M. Aurelio Severino magno naturæ myſtæ confectæ deſcriptam habebis, utinam tam eruditè, quàm verè; potero ſiquidem oculatus teſtis de re integra fidem facere, qui tunc temporis Chartuſianorum hoſpes vixerim, quorum ut ſingularis eſt in bonarum artium, & muſarum aſſeclas ſtudium & propenſio, ita liberalitas, ac munificentia compotem reddidit, ut cuncta exactiſſimè adnotarem. Feracia ſunt (ut hinc exordiar) Chartuſianorum corpora, malorum complurium è tartaro ortum ducentium (tolera interim verbum hoc Paracelſæum) ſed tumorum in articulis excreſcentium ferociſſima: an ob ſtrictam vivendi regulam, quâ carnibus cane pejus, & angue abſtinent? An ob nocturnarum vigiliarum frequentiam, in quibus Deo pſallunt diutisſimè recti, vel incurvi, ſedentes nunquam.; laboraverat pertinacisſimâ meliceride in dextro genu R. P. D. Dionyſius Coccia Cœnobita ſeveriori vitæ addictus in clauſtro, cui poſt aliorum Medicorum ludibria, auxiliares manus Severinus ipſe dederat eventu feliciſſimo; cùm V. P. D. Andreas Cancellarius alere ſe etiam in dextero genu tumorem non ſpernendæ magnitudinis, cujus natalia ab anno 1632. numerabat; veluti per jocum affirmavit: ſphæricus is erat, cujus ambitus ſeſquipalmaris fili menſura comprehendebatur, omnino indolens, ſolo pondere religioſo viro moleſtus, ut proinde mollium, & inermium Chirurgorum, quibus nunc Neapolis abundat, timiditate eviratus, nihil de illo extirpando cogitaret, quidquid Clariſſimus Severinus pronunciaret de corruptionis periculo. Indulſit igitur proprio genio natura, ſenſimque & furtim molem illam adauxit adeò, ut operis veluti ſumptuoſi poſtmodum pertæſa, ceperit orbis, quem tam ſedulò conſtruxerat, ruinam moliri. Accerſita igitur fermentatione magno illo ſeparationis inſtrumento calorem & ruborem, & dolorem etiam aliquem in ſui auxilium convocavit, pulſum verò nullum, ob arteriarum defectum, quibus meritò carent hujuſmodi tumores, Doctiſſimi Dureti ſententiâ, ubi hæc urgere cœperunt, cœpit etiam Chartuſianus ſuæ ſalutis integritatem deſiderare, ac Medicorum conventus adire, ut præſentaneo, ſed leni aliquo remedio ſævienti morbo obviam iret. Deflexit ergo ad comptos illos & mulieres Chirurgos, à quibus, ut pingues aliquas inunctiones impetravit, ita pinguem inquilinum hoſtem reddidit: adeo ut circa Februarii finem, anni 1640. puſtulis

aliquibus

aliquibus in tumore apparentibus ob vim adauctæ intus corruptionis, inceperit in eo floridus color occidere, ac tenebræ ex inferiori Limbo obrepere ſurſum, & corpus molis totum febris incrementum ſumpſit, ſtipata ſuis aſſeclis lumborum gravedine, ſtomachi debilitate, virium lapſu: interim excavato foramine ab arſenicali intus congeſto excremento in ſuperiori parte materia ab illo emanavit, coloris quidem fæci vini ſimilis, ſed odoris adeò horribilis, &, ut ita dicam, peſtiferi, ut etiam adſtantibus & ipſis Medicis ſtatim atque in cubiculum ingrediebantur, alioquin peregrinis ſuffumigiis odoratum, nauſeam, & capitis dolorem excitaret. Cutis in nigrum abibat ex aliqua parte inſenſilis. Tunc ſeriò res ſuas agi animadvertit religioſiſſimus Pater, ac ſe ab unguentariis Medicis deluſum, ſicuti ingenuè ab Excellentiſſimo Severino præmonitum agnovit. Interim R. Prior Joan. Baptiſta Aſſintius incomparabilis in ſuos pietatis, & zeli, acciti Medicorum conſilium voluit, in quo ſex capita diſceptavere, ut Neopoli mos eſt ad pompam; tritum enim tempus eſt trium horarum in exquirendis & conciliandis Galeni locis: quandoquidem in varias ſententias itum eſt; putantibus aliis ſteatoma, aliis meliceridem eſſe, cùm tamen Excell. Severinus demonſtraſſet innominatum eſſe abſceſſum, de quo aliqua obiter Galen. 14. meth. poſt carbunculi curam: quod poſtea confirmavit eventus. Concluſum tandem à Senioribus, de ægro jam conclamatum eſſe, futurumque ut degenerente gangræna in ſphacelum cita mors adſtaret foribus, vel minimo minus etiam ob alias cauſas ægrum lenta tabe liquatum iri. Præſcripta ſunt putida illa Arabum cordiala ad ſpirituum vim confirmandam, quæ ſi poſtero die aliquo pacto reſtituta viſa fuiſſet, poterat de foramine aperiendo è diametro prioris reſpondente cogitari. His medicorum conventus ſolutus eſt ſub veſperam diei quinti Martii, in cujus nocte ſubſequente efficaciſſimè operante cataplaſmate ad intercipiendum gangrænæ motum à Severino præſcripto; præter aliquorum Medicorum ſpem remiſſa eſt febris, & ſymptomata leviora apparuerunt, ſupererat ex Medicorum conſilio foraminis apertio, de qua cùm Clariſſimus Severinus, tanquam inefficaci præſidio juſtis de cauſis etiam difficili malè ſentiret: coram Reverendiſſimo Priore prius cauſâ benè retextâ, ægro aſſentiente magna cum promptitudine, atque animi alacritate decrevit, poſtero die regularem curam potentibus auxiliis inchoare. Mane igitur octavi diei Martii cauſticum, haud quidem ad planum femoris, ſed ſuperius ad duorum digitorum tranſverſorum altitudinem toti tumori circumduxit, quod intra paucas horas egregiam operam præſtitit, adeo ut die decima tertia extractæ fuerint cruſtæ ad daleri craſſitiem, excavato circumcirca vallo, quod ſericeo filo per ligneum vecticulum conſtrictum ad diem uſque decimum ſextum tandem novacula omnino exæquatum eſt, exciſo globuli tumoris ſuperiori hæmiſphærio, inferiori candente ferro pluries aduſto, ſic nulla ſubſecuta eſt hæmorrhagia; doloreſque, adhibitâ prope genu quantum ferre potuit, calidiſſimâ teſtâ cum adſtantium omnium admiratione ſedati ſunt, pependit amputatum culmen uncias circiter 18. atque in oſtracoſæ carnis illius medio, quæ novaculæ aciem obtundere potuit, obſervatus eſt ſinus inæqualis, & cavitas minor quidem quàm putabamus, ex proportione magnitudinis, in quo ſinu ſtagnaverat fœtidiſſimum illud virus. Conſtitit poſt reciſionem, tumori non fuiſſe folliculum, ex quo Severini ſententia triumphavit. Verùm enim verò fuit inter Miniſtros chirurgus, qui ſubtiliùs rem diſquiſiverat, putans exactiori ſuâ acri via ſe reperturum ſaltem quicquam proportionale cyſti; ſed utcumque allaboraverit præter oſtracoſam carnem, quæ variis fibris intertexta erat, ac veluti inæqualibus corticibus compoſita, nihil aliud notare potuit curioſus ille anatomicus; octiduò autem elapſo ab hac prima operatione ex frequenti, & efficaci illitu ſaturnini butyri, & aliorum emollientium ſeparata eſt à viva carne cruſta digitalis craſſitudinis. Interim bene ſe habente ægrò in omnibus, vivido ſuo naturali colore perfuſo; & ſuperſtite ſucculentia illa habitûs, qua naturaliter præditus is erat; Cœpimus de tam felici eventu omnes lætari, & rem in tuto poſitam, beneque peractam exiſtimare: Verùm Clariſſimus Severinus in ſubtus derelicta tumoris parte ſyrtes latere, hoc eſt, graves difficultates, & pericula muſſitabat; nimirum terreri ſeipſum, aiebat ingenuè per rebellem illam duritiem in tumoris radice firmatam; adverſus quam etiam validiſſima cauſtica ficulneum robur ſuum oſtendebant. Verùm nihilo non cadendum tamen animo ſuadebat: deprompturum ſe efficacis Chirurgiæ ſuæ arma, quibus omnino futurum erat, ut caderet hoſtis. Viciſſim ergo nunc cauſticis ſolidis, nunc liquidis, nunc actuali igne noſtri ſeculi Hercules Lernæa Hydra tentavit, at illa ſui officii haud immemor cùm ſupra os patellæ jam deventum eſſet; ex rimis, in quibus tendones vel ad invicem, vel cum oſſe coëunt, vel unius noctis ſpatio fungoſa capita emittebat, contra quæ etiam Hermeticorum illa Draconum ſpuma hebes videbatur. Sed tamen excogitavit Clariſſimus Vir malo nodo, malum cuneum; ac liquore quodam, cujus nunc compoſitionem non ſcribo, ſuperfuſo & agitato; è ſpongioſa illa carne glutinoſum humorem emungebat prius, inde arcano ſuo albo præcipitato deſuper adſperſo ſæpius cruſtulas extraxit; tandem ad operis compendium ignito auro radicitus renaſcentem beſtiam occidit; adeò ut non amplius pullularent capita. Detectus ex parte tendo latus eſt, ac non ſine admiratione obſervatum eſt, oſtracoſam carnem, & fungos intra tendonum fibras radices habuiſſe, & in medio patellæ omnino labem ad os uſque pertigiſſe; unde opus deſquamationi vacare; quam egregiè præſtitit extractum Ariſtolochiæ rotundæ; euphorbii æqua portione commixta. Hujuſmodi laboribus Aprilis & Majus menſes inſumpti, ac jam ulcus ad daleri magnitudinem, quod in prima ſectione diametro ſpithamæ menſurabatur; devenerat: curabatur autem emplaſtro ſtyptico Paracelſi; cùm ſub nocte D. Joanna cujus feſtum 24. Junii celebramus; deſcendens æger lecto, ſcipione non benè firmo innixus in pavimentum toto corpore illiſit, ac genu affectò præcipuè; unde & diſciſſa ſunt ulceris labra, & fluxione acerſita recruduit ex parte malum; adeò, ut inſudandum pertinaciſſimè fuerit uſque ad vigeſimam Auguſti, qua die jam otii pertæſus, & ſuæ ipſius ſalutis bene conſcius Religioſiſſimus vir è Monaſterio D. Martini ad officii ſui curam diſceſſit, qui vivit nunc pancraticè motus nullo impedimento notatus; Cum Martino Delrio ſæpe dictitans; non pejus eſſe ab uno lictore morti addici; quàm à centum medicis. Hæc eſt ipſiſſima curationis Hiſtoria. Utinam verò, amice, egregia illa Severini facinora, ut apud exteros gloriam, ita apud Neapolitanos invidiam nunc excitaſſent, qua una torpere tanquam facinus videtur Clariſſimus vir ad ſua ingrato mundo bona communicanda, maximo cum litterarum,

& Hip-

& Hippocraticæ Medicinæ detrimento, cujus alioquin reparator eſſe poſſet. Cæterùm tibi librorum helluoni, quid nunc in os ingeram non habeo; nam ut noſti; & ut cum Scaligero dicam, Italiæ nonniſi Mercaturæ, & forenſium librorum chartæ excuduntur, at feliciſſima illa Germanorum præla, vel ob Martis ſtrepitus quieſcunt, vel ad nos ſua non tranſmittunt, licet ad miraculum nunquam ſatis laudata ingenia teutonica inter bellorum turbines, & literas profiteantur, & in medicina exornanda deſudent perpetuò; quibus ſicuti gratias pro tanto opere debemus, ita Italicæ gloriæ memores invidere etiam poſſumus. Vale, vir clariſſime, qui ſicut à me coleris unicè, ita fac, ut abs te redamer æque. Neapoli nonis Januarii, Anno 1641. *Marc. Aurel. Severin. de recond. abſceſſ. natur.*

Puellam quinque menſium curavi, cui ab ortu genitum fuit tuberculum ciceris magnitudine, parte interna palpebræ inferioris, prope angulum majorem oculi, quod ſpatio quinque menſium avellanæ molem æquavit, ex genere tumorum, quos nattas vulgò vocant; totus ſiquidem carneus erat, tenui folliculo involutus; quem propterea ſecui radicitùs forfice, cum effluxu ſanguinis ad unciam circiter qui fuit ſuppreſſus bolo armena, ſanguine draconis, ovique albumine, cum filamentis tenuiſſimis, cui poſtmodum applicui aquam roſaceam cum ovi albumine conquaſſatam, & bolo armena in pollinem redacta; quibus ſpatio octo dierum fuit ſanata ægra, in hunc uſque diem incolumis. *Petrus de Marchettis in Obſerv. Medico-Chirurg.*

Anno 1666. Legionis Vice-Præfectus ferè ſexagenarius ſtrenuus olim in bello miles Cæſareanus, nomine La Branche, ante 12. annos erupit atheroma in humero ſiniſtro ad ſpinam vergens, quod tractu temporis in tantam excrevit molem, ut ovi anſerini magnitudinem excederet; remedia plurima adhibita prohibere non potuerunt, quo minus in putrefactionem abiret, talem nimirum, ut ulcus ad baſim ſe extenderet, quo venæ eroſæ periculoſæ hæmorrhagiæ cauſa fuerunt, imò ſæpe ſæpius ad duas libras ſanguinis effluxit, quare animo linquebatur æger, ſuaſi itaque exciſionem quam annuit *Exc. D. Zwvelferus*, præparato itaque corpore Medicamentis idoneis præſcripta diæta, venâ ſectâ, illud adorior cauſtico, quod ſæpius applicatum ultra quartam partem baſis non corroſit, quod mihi corpus aliquod durum & calloſum ſubeſſe indicavit, reliquum ergo cultro exſecui, unde tres venæ obtruncatæ, ingentem hæmorrhagiam cauſarunt, quæ non ſine labore ſiſtebatur; vulnus ut artis eſt, tractatum, ſpatio trium ſeptimanarum ſanatum fuit, partem abſciſſam inſpexi, quæ conſtitit ex diverſis involucris, primum ſimile erat corio porcino, alterum primo non abſimile, reliquum ſemiputridum, oſſicula manſa, & quaſi ſcobem, & malè olentem materiam in ſe continentem. *Dom. Joann. Pilas.*

Meliceris.

Juvenis quidam XIV. annorum ætatis, Reverendi & Doctiſſimi Viri, Dom. Jacobi Haberuteri, p. m. quondam hujus urbis Divini verbi Miniſtri filius, cùm 10. Auguſti ſuperioris anni pedem inter deambulandum leviter contorſiſſet, & ab initio circa curationem error à barbitonſoribus commiſſus fuiſſet, exortum primò dolorem maximum ſequuta eſt inflammatio totius tibiæ, & ad coxam ferè uſque. Febris item maxima, inquietudines, nauſea, cum virium proſtratione ſupervenerunt. Tandem, videlicet 8. Septembris cùm à barbitonſore ſuo derelictus & affectus pro deplorato habitus fuiſſet, ego quoque advocatus fui. Tum circumcirca juncturam pedis novem inveni ulcera, & quidem nonnulla eorum in ipſam articulationem uſque penetrantia: ex quibus ichoroſa materia tam copioſè aliquandiu effluxit, ut mirum ſit, unde in corpore tam extenuato & debili, tanta humorum colluvies provenire potuerit. Ligamenta, imò & oſſa ipſa eroſa erant. Os calcis (quod dicam, admiratione non vacat) in medio ex una in alteram partem, ut progreſſu temporis cognovimus, & vidimus, perforatum fuit, ac ſi aliquis terebello illud perforaſſet. Perforationem hancce oſſis, cùm durante curatione inveniſſem, funem ex uno in alterum latus per ipſum os traduxi, quo Oſſa carioſa extrahere poſſem. In medio tibiæ ulcus erat cuniculoſum: ex una enim parte ad genu uſque extendebatur, ex altera verò ad talum uſque ferè deſcendebat. Ab initio omnem adhibui diligentiam, atque induſtriam, ut dolores quamprimùm ſedarentur: & vires (quæ adeo labefactatæ erant, ut mortem proximam eſſe, omnes putarent) refricarentur. Deus ita benedixit remediis, ut duos hoſce ſcopos paucis diebus abſolverem. Poſtea ulcera mundavi, ligamenta putrida, & oſſa carioſa, atque à virulenta illa materia contaminata, extraxi. Curatio perquàm difficilis & laborioſa fuit. Omnia tamen (laus ſit Deo) nunc in tuto ſunt, etiamſi ulcus, quod, ut antea dixi, calcaneum perforavit, nondum penitus cicatrice ſit obductum. Genu, quod propter magnitudinem morbi, & retractionem nervorum, incurvatum erat, in priſtinum ſtatum reſtitutum quoque fuit. Articulus tamen pedis rigidus immobiliſque permanebit. Id enim plerumque quod ante me nullus, quod ſciam, obſervavit, fit in Meliceride, quando ligamenta & cartilagines oſſium eroduntur: tunc enim mediante callo, coaleſcit junctura, fitque rigida, uti fuſiùs, & quidem exemplis, Deo volente, in tractatu meo de Meliceride oſtendam. His vale, Vir Nobiliſſime, cum Tuis omnibus, quos tecum quàm demiſſè ſaluto. Raptim Bernæ 7. Junii 1623. *Guilielm. Fabric. Hildan. Obſ. Chirurgic. Centur. 6.*

Petrus Antonius Ruſſus Amalphenſis V. jam annis ferebat dexterâ mammâ meliceridem tam magno tubere, ut caput hominis æquaſſet. Hanc dum medici valetudinarii noſtri ferro vererentur attingere, intrepidus ego ſectionem aggreſſus ſum. certus anatome ſub gracilis viri mammæ corpore, nihil præter cutem, & adipem extare: deinde & fluctuatio ſuffuſum intro fluorem me docebat. Jam igitur huic execto tenuis ichor exiit mellis albi referens ſpeciem, quo in dies exhauſto ſanatus eſt homo nòn longiore, quàm menſis unius curriculo. Similiter Honofrium Stranerium Neapolitanum Iſabellæ nobilis obſtetricis ex fratre nepotem 12. annos natum ex ingenti meliceride circa ſiniſtram mammam inhærente vexatum, cùm plerique medici pharmacis internis, & decocto ſarſæparill. & quotidiano ſudore, quibus unicè confidebant, adhibitis; nulla unquam parte juviſſent: ſola nos tumoris apertione ſuæ prorſus integritati reſtituimus. Res nota perviſaque tum tonſoribus ad compita Spiritûs ſancti, tum Aloyſio de

de Gratia, & Franciſco Laviano Medicis præſtantiſſimis. Exempla ſunt hujuſmodi, ut non poſſint eſſe graviora, tum exceſſu magnitudinis, tum locorum perdifficili ſitu, tum vitii gravitate, ac novitate. Quibus tamen nihil operantibus ſunt homines integrè reſtituti. Quas ob res niſi verè ſint impotentes, atque omnia tuta timentes; non eſt, quod ſimiles, ac ſæpe etiam minores operas refugiant noſtri Chirurgici. *Marc. Aurel. Severin. de recond. abſceſſ. natura.*

Lingua pluribus morbis tentatur; ſoluta ſcilicet continuitate, ac variis tumoribus; in quibus quendam curavi obſervatione dignum, meliceridis nomine; in Reverendo Patre Theatrino, Hyeronymo Capite Bovis Mutinenſi, cui ſub lingua, ubi venæ raninæ, & tumores ranulæ dicti ſuccreſcunt, obortus fuit tumor, de genere quidem ranularum, non legitimus tamen, qui ex continuo affluxu materiæ, paulatim crevit ad magnitudinem ovi; ſenſim exporrectus per latus dextrum colli, juxta jugulares venas, & carotides arterias, ad fauces uſque infra tonſillas, & œſophagum, qui aſperam arteriam adeò graviter comprimebat mole ſua, ut ni chirurgus quolibet menſe, eo patefacto, materiam contentam eduxiſſet, periclitaretur æger intercepta reſpiratione, & impedita deglutitione, ad vitam planè neceſſariis. Multi verò tentarunt curationem ſectione ſola ipſius tumoris, cum patientis quidem aliquo levamine, non perfecta tamen valetudine; cùm menſe poſt circiter tumor in eandem magnitudinem excreverit, cujus cauſa Reverendus æger, metu ſuffocationis, Patavium venit, & meæ curæ ſe commiſit, cui præſcripto primùm omni revulſionum genere, per totius corporis purgationem, & ſanguinis miſſionem, ſtatim deveni ad partem affectam, tumoremque cultro, longa ſatis ſectione, in inferiori parte patefeci, multis venarum ramulis datâ operâ diſruptis, à ranulis diffuſis, quo folliculus contabeſceret, intercepto nutrimento; in quem poſtmodùm immiſi craſſam, & longam turundam, imbutam ovi albumine conquaſſato, ad tumoris uſque fundum, ſequenti die alia facta ſectione, & quidem ampla in collo exterius parte, qua deſinebat tumor, illæſis interim vaſis majoribus, turundam pariter indidi vulneri æqualem, intinctam ovi albumine, ſuperaddito goſſypio uſto, cum pulveribus ex ſanguine draconis, & bolo armena, ſanguini copiosè ſatis fluenti ſiſtendo. Sexto verò poſt die, nullo amplius periculo inflammationis imminente, intra os, & exterius in collo totum folliculum ferramento candente inuſſi; atque removendæ, ac detergendæ eſcharæ in parte externa digeſtivo uſus ſum ex terebinthina, & butyro lotis aquâ roſaceâ, vitello ovi, & oleo ſambucino; parte verò interna, globulis melle roſaceo imbutis. Laudabili verò pure apparente turundas inunxi unguento ex Betonica, iiſdem in dies decurtatis; Interiùs verò applicui filamenta inſperſa pulveribus ex tuthia, cornu cervi uſto, & terrâ ſigillatâ; quibus ſpatio quadraginta dierum æger omnino ſanatus eſt, nunquam ampliùs recurrente morbo. *Petrus de Marchettis in Obſ. Medico-Chirurgic.*

Reverendus Theatinus Genuenſis, ex familia Spinolæ, laborabat tumore colli, magnitudine ovi gallinacei; prope aſperam arteriam, & venas jugulares. Habita conſultatione cum viris Præclariſſimis, ſtatuimus unanimes, tumorem eſſe meliceridem, quo tamen diſſecto nihil aliud effluxit, quàm ſeroſitas quædam flaveſcens; quod verò mirum, ſeparato folliculo à tegumentis communibus, eoque ſecto; quò melius radicitus educeretur; ſub eodem deprehenſus alius tumor, ſuo & ipſe folliculo obductus: eâdem materiâ repleto, alio minor, qui ſectus tandem ſeroſitatem flavam effudit. Hic verò ita excipiebatur à primo folliculo, ut videretur veluti innatare materiæ illi incluſæ; quem cùm tranſverſum forfice ſecarem, ac ſimul ramulum jugularis externæ ad nutritionem ipſius tumoris exporrectum, quò faciliùs folliculum extraherem, maximo impetu ſanguinis copia erupit; quem tamen facili negotio digito, goſſypio uſto, & pulveribus adſtringentibus ſuppreſſi; adeò ut ne ejus quidem guttula ampliùs effluxerit, cùm verò folliculi reliquum nec forfice, nec cultro auderem abſcindere, & extrahere; propter venas & arterias ſubjectas, digeſtionem priùs tentavi digeſtivo roſaceo; atque inflammationis metu, à ſectione, applicui oleum roſaceum circumcircà vulnus, & linimentum ſimplex. Facta digeſtione, ſuperſtite adhuc aliqua portione folliculi, tenuiori, & ſubtiliori ejus parti adhibui præcipitatum pulveriſatum, craſſiſſimæ verò portiunculam cauſtici, atque paulatim, ſine ulla effuſione ſanguinis ambos folliculos abſumpſi; ſarcoticis poſtmodùm cavitate carne inducta, & cicatrice epuloticis obducta longitudine digiti indicis; quibus feliciter fuit ſanitati reſtitutus æger, non ſine præmiſſa totius corporis expiatione, ex methodi lege. *Idem ibidem.*

Steatoma.

Steatoma 4. librarum pondo 10. jam annos pro inſanabili deſtitutum de poplite pendulum excidimus Reverendo cuidam è Carmelitis novæ formæ ſodalibus Sacerdoti, cui nomen Eugenio Calleſano Hiſpano Madritenſi pro inſanabili tot annos à medicis permultis Europæis deſtituto, qui ponderis, quo fere dejiciebatur, impatiens multa ſe mihi prece, atque obſecratione curandum commiſerat: curavique ſectâ ample cute, ac tubere cyſtico circumquaque reſoluto; mox ulcere repurgato, & intra 40. dies obducto: intervenientibus ad eam rem Adamo Marchio Medico perdocto, Franciſco Moſca, Franciſco Romano, & Bartholomæo Calova in noſtro Incurabilium Noſocomio Chirurgis aſſiduis; ac multos annos exercitis.

Gratiæ de Philippis virgini Deo ſacræ in Cœnobio Jeſu Neapoli, ſpectante Mario Schipano, viro quidem non ſine honore nominando; exectum eſt per me ſub jugulum ſteatoma, quod ſelibram pependit: abſceſſus; qui ſex jam annos nullo medicamentorum fructu continenter creſcens ſacram fœminam perpetuò torſerat, ac penè jugulaverat. *Marc. Aurel. Severin. de recond. abſceſſ. natur.*

Cuidam ſexaginta circiter annorum, *Jean Girau de la Four* nomine, robuſtiſſimo, & optimo corporis habitu prædito viro, in ipſo dorſo, circa finem vertebrarum colli, paulatim ſteatoma in tantam molem excreverat, ut moleſtum eſſet ægro onus hocce quamvis indolens, veluti coloſſicum; amplius geſtare: quapropter ut ab ipſo liberari poſſet, expertorum Medicorum & Chirurgorum auxilia imploravit. Vivebat autem eodem tempore Lauſannæ egregius quidam ac excellentiſſimus Medico-Chirurgus, Joannes Griffonius, olim præceptor meus fideliſſimus, qui cùm vocatus & ab ægro & ab adſtantibus ſup-

plex

plex rogatus fuiſſet, ut manum adhibere vellet, curationem hoc modo aggreſſus eſt. Primò optimam victûs rationem inſtituit, & ut à vino omnibuſque cibis potentiâ calidis, ad tempus quoddam ante operationem planè abſtineret, juſſit. Interim apozemata & purgantia exhibuit, venamque ſecuit. Sic ſatis præparato corpore, cutem ad radicem tumoris ad ſubjectam carnem uſque circumcirca tumorem incidit. Poſtea totam illam partem tumoris, quæ ſpinam verſus tendebat, cum ſua membrana unguibus ſeparavit; & integrè extraxit, & mox quæ hæmorrhagiam cohibent, vulneri; quod maximum erat, applicuit: deinde illud more aliorum vulnerum feliciter ſanavit. Finita operatione, trutinata excreſcentiæ pondus librarum ſeptem excedere reperta eſt. Vixit homo iſte per multos annos ſine ullo incommodo. *Gulielm. Fabric. Hildan. Obſerv. Chirurgic. Centur. 6.*

Eliſabetha S. ex Palatinatu, ætatis præterpropter annorum quinquaginta, ſteatoma prægrande per annos ferè ſexdecim geſtarat, abſciſſionem hujus ponderoſi oneris expetiit, quæ & anno 1659. die 21. Februarii Ratiſbonæ, præſentibus tribus Medicis à Davide Schaffnero, lithotomo & Chirurgo Auguſtano, feliciter peracta, cæteriſque ritè adplicatis, ab hoc moleſto comite penitus illa liberata, nec quidquam ejuſmodi hactenus illi recrevit, ſeſeque optimè habuit, cuncta munia ſua liberè obiens. Steatoma hoc in podice lateris dextri non longè ab iſchiade excreverat, magnitudine caput viri robuſtiſſimi exſuperans librarum pondere facilè decem. *D. Joann. Helvvigii.*

Vetula erat ruſtica ſexagenaria curſoriis plerumque operis deſtinata; hæc à plurimis annis in latere ſuper coſtis ſpuriis tumorem alebat puerili capite majorem, qui cùm non tantùm curſioni pedumque velocitati, quâ aliàs pollebat, officeret, ſed & identidem Eryſipelate afficeretur, magnopere laboravit ut à tam oneroſa mole liberaretur. Increbuerat fortè fama B. Affinem meum D. Langelottum Chirurgiæ felicis ſpecimina aliquot jam tum edidiſſe; itaque mulier fidens animi ad eum ſe confert ſævæ manus beneficium exoratura. Affinis tumoris magnitudine, diviteque venarum, etiam grandium, copiâ exterritus meum quoque poſcit conſilium; ibi ego in tam ampla tumoris radice, & venarum tum magnitudine tum copiâ periculum, quod putabam, proſpiciens, curam diſſuadeo. At illa iterum iterumque manum ejus ſollicitans mori ſe malle aiebat, quàm cum mole iſta tam oneroſa atque incommoda vivere. Ergo precibus & conſtantia mulieris mortem aliàs expetentis victus, periculo ejus curam recipit diemque ſectioni dicit. Præparata illa, velut ad mortem, animos cunctanti addit, & tantundem ſibi eſſe adjurat, ſive vivat ſive moriatur, dum ab iſto onere immunis eſſe poſſit. Itaque me inſpectante præſentibuſque duobus Chirurgis extirpationem aggreditur, cutemque injectam ſecundùm longitudinem novaculâ diſcindi jubet; ibi tum ipſe admotis digitis primoribus, quâ poterat dexteritate, veſicam vel abſceſſum à cute ſolvit, cùmque coſtis eum firmiùs adfigi ſentiret, forfice immiſſo radicem amputabat, integramque molem ferè ſine notabili hæmorrhagia, quod ſtupendum erat, eximebat. Fortè metus ex dolorum ſenſu enatus, qui & conſtantiſſimo cuique ſub lenta operatione exprimi ſolet, ſanguinis motum ſufflaminaverat. Interim mulier ne hiſcebat quidem, ſed in Lipothymiam prona, quam dolor haud dubiè intulerat, cardiaco revocari opus habeat. Quanta verò illa, & quàm hiulca plaga, dependentibus utrinque vaſti corii laciniis? vulnus ſtyptico & defenſivo obligatum compoſitis ad latus cutis laxæ fimbriis, poſtridie reſolvebatur; ubi cùm vulneris oras explorant, fortè arteria rumpitur, copioſis ſe ſe iteratiſque pulſibus in lucem efferens. Huic cauterium actuale, vel decies adhibitum nihil profuit, donec Bodeti ſtyptico occurreretur. Tum deinde abſciſsâ magnâ laciniarum parte vulnereque per digeſtiva ad maturitatem perducto conſui cutis, commiſſiſque invicem labris intra quinque ſeptimanas ſanari cœpit, fœminâ nullis interim ſymptomatis in illa temperamenti duritie labefactatâ. Tumor ſive abſceſſus exemtus quatuor ferè libras æquabat; & ſi texturæ habeas rationem nihil aliud erat; quàm compoſitum glandulosum pingue membraneum, intertextis copioſiſſimis inque ſuperficiem ſatis manifeſtè expoſitis venis.

Emphyſema.

Pro tumore ventoſo in genu poſt univerſalia remedia conſului, ut hoc cataplaſma reſolutivum (etiam valens in materia phlegmatica) apponeretur.

℞. Sem. aniſ. ſubtilit. pulver. ſem. fænic. cumin. carvi ana quartar. ß. far. fabar. ℥j. ſucci ebuli, ſambuci, & vin. aromat. ana q. ſ. decoquendo fiat cataplaſma, quo apoſtema illud ventoſum reſolutum eſt. *Petr. Foreſt. Obſ. Chir. l. 3. Obſ. 3.*

Natta.

Nuper erumpentes ſi dentibus leviter comprimantur Nattæ, ſenſim marceſcunt & pereunt, quod bis obſervatum *Patavii*, ſemel in Nobili Fœmina, cujus erumpentem Nattam dentibus vicina mulier apprehendit; & ſemel in filia ſummi juriſconſulti. *Thom. Bartholinus hiſtor. 40. cent. 3.*

Lupia.

Puella quædam laborabat tumore ſcirrhoſo nucis juglandis magnitudine, ſuperiorem metacarpii partem occupante, qui diſcuſſus eſt meo conſilio, admotâ ſuper partem affectam laminâ plumbeâ hydrargyro illitâ, eâque per octo dies geſtatâ tumor diſparuit, nec ampliùs eſt reverſus. *Simeon Jacoz. obſ. 9.*

Frater quidam Capucinus Lupiam habebat in genu, quod longum tempus ad ſummam mollitiem tandem perducta fuit: cujus ratione apertionem ſuadebam, ille verò renuit, inquiens ſe Lupias huic ſimiles reſolutione curatas vidiſſe foliis acetoſæ chartâ madidâ involutis & ſub cineribus coctis; quæ poſtmodùm cum cineribus per cribrum trajectis, incorporabantur in formam cataplaſmatis; quod ille per plures dies applicuit calidè & tumor prorſus evanuit, quod ego valde miratus ſum, & poſtea duas alias Lupias in eadem parte eodem remedio curavi. *Dionyſius Pomaret. obſ. 3.*

Ganglium.

Honeſta quædam matrona aliquot annos in poplite in utroque crure tumorem gerebat, pugni magnitudine in uno, & altero paulo majorem, concolorem, moleſtiam potiùs quàm dolorem afferentem,

afferentem, flexionem tamen articuli illius, & ſic inceſſionem aliquo modo impedientem: quem tumorem cùm inſpicerem, Ganglion eſſe judicavi. Plumbariis thermis, ut eos extirparet, aliiſque remediis, ſed ſine fructu, uſa fuerat. Ad fortiora tranſeundum eſſe docui, illique primum hunc fotum præſcripſi.

♃. Lixivii, urinæ, & vini an. pt. æq. adde ad menſ. j. hujus liquoris, aq. vitæ ℥ j. ſpir. juniper ℥ j. cum ſpongia intincta fomententur tumores calidè. Poſtea apponatur hoc emplaſtrum.

♃. Rad. bryon. irid. rec. an. ℔ß. bulb. lilior. ℥ ij. coq. in aceto fortiſſimo & contund. & piſtentur: addendo olei lilior. ℥ ij. gumm. ammoniac. in aq. vit. ſolut. ℥ iij. pulv. rad. ireos ʒ ij. redigantur in formam emplaſtri vel cataplaſmatis, continuabat fotum & emplaſtrum in dies domum reverſa, ſpatio trium menſium, unde admodum immuniti tumores, adeò ut licèt aliquid adhuc appareret, tamen nullum ferè impedimentum ampliùs adferrent. *Felix Platerus obſerv. lib. 3. pag. 703.*

Juvenis quædam mulier Ganglion habebat in facie Ceraſi magnitudine, infra oculum ſupra zygoma, quod intra menſem diſcuſſum eſt, admota lamina plumbea hydrargyro illita & amplaſtro infixa, ut meliùs hæreret: eâque ſuper Ganglion admotâ, unà cum emplaſtro, ſplenium ſatis ſolidum ſuper imponebam, deinde faſciâ alligabam, quæ ſemiphalera à *Galeno* nominatur. *Samuel Formius Obſ. 16.*

Mulier quædam ictum frontis paſſa eſt, quem tumor nullus ſubſecutus eſt, ante quindecimum diem, quo tumor obortus eſt magnitudine nucis juglandis, ſed mobilis, nuncque dolebat, nunc molleſcebat, nunc minuebatur, nunc augebatur, & ſic per longum tempus cum maximo incommodo permanſit: curatus tandem fuit aq. vitæ cum rutæ ſucco mixtæ admotione, linteiſque fronti appoſitis. *Petrus Borellus. Obſ. 5. Cent. 1.*

Adoleſcens ſedecim annos natus conquerebatur de tumore duro, indolenteque, qui, in ſuperna manûs dextræ parte ſitus, mole ſua nucem avellanam adæquabat, eratque ejuſdem cum cute ſana coloris; atque jam tertius menſis erat, ex quo æger poſt laborem conſueto majorem hoc malo affectus eſt. Jacebat nempe tendo in ſuperna manûs parte, cujus tubuli ab inſueto labore ita diſtorquebantur, ut humores, in circulatione multas obſtructiones pro obſtaculo offendentes: ſtagnarent in tubulis tendinis, tandemque ab humoribus à tergo inſequentibus propellerentur uſque ad membranam illam, quæ tendinem inveſtit, ubi, efformatâ ſibi cavitate, colligebantur & concreſcebant aliquatenus particulæ viſcoſiores, tenuioribus interim abeuntibus, & ſic exortus eſt tumor, de quo hîc ago, & qui ganglii nomine à pleriſque appellatur. Ego pollice manus meæ tumorem hunc validè ſatis compreſſi, eumque hoc pacto extemplò evaneſcere vidi, dum ſcilicet vi compreſſionis humores tumorem conſtituentes protrudebantur iterum quaquaversùm per tubulos tendinis; ſed quia obſtructiones ſic nondum ſublatæ erant, ideò recidivæ formidine tenebar, quapropter ad humores viſcoſos attenuandos & obſtructiones reliquas tollendas impoſui emplaſtrum de ranis cum Mercurio, & ſtrictam ſatis ligaturam, quæ impediebat, ne humores viſcoſi in conſueta cavitate iterum, ut ante, congregarentur. Sed ubi tumor hic jam per aliquot annos duravit, tunc à pollice comprimente tolli non poteſt, ſed adhibenda eſt ferula lignea, non differens ab illa, qua præceptores in caſtigandis pueris utuntur, niſi quod plumbi portio in illius medio infuſa jaceat; & talis ſerulæ unico ictu, ægroti facie à manu affecta in dorſum aversâ, prorſus evaneſcere vidi ganglium, quod per quadriennium patientem vexaverat, cujus medela tunc brevi per emplaſtrum hic citatum & ſtrictam ligaturam abſoluta fuit. *Joan. Muys in Prax. Chirurg. ration.*

Quandoquidem hôc capite Tumores Anomalos, eorumque curationem ex parte tradimus; plura forſitan Capite de Tumoribus in genere & in ſpecie exhibituri; commodum duximus quæ de Abſceſſibus, ſeu Tumoribus Anomalis ex propriâ praxi, doctè & accuratiſſimè commentatus eſt. Clariſſ. Marcus Aurelius Severinus, *Sic autem ille.*

Cap. I. *Diviſio abſceſſuum, & qui ſint ex his pertractandi.*

Ex ſolutæ unitatis, & magnitudinis auctæ genere compoſito, (quod commune medicorum omnium decretum fuit) conflatur apoſtema, ſive apoſtaſis græcè, abſceſſus latinè: ſic quidem dictus, autore Galeno in l. 2. ad Glauc. cap. 6. quod hujus vitio abſcedant à ſe ipſis, quæ ſe invicem contingebant corpora, humida, vel halituoſa, vel mista ſubſtantia diſcludente. Et humor quidem contiguas partes diſtrahit, vel dilatata cavitate in quam incidit, naturali, vel alio, & inſolenti ſibi comparato ſinu, poſtquam ſuppuratas carnes liquavit, quas prima inflammatio corripuit, hoc quidem uſu frequentiſſimum genus abſceſſus eſt cum phlegmone conjunctum; alterum verò ipſo adnotante Galeno lib. 14. meth. med. cap. 12. eſt cum nulla præcedente plegmone humor aliquis ſtatim ab initio, iſque aliâs ſpecie alius, cæterùm omnino acris in parte aliqua colligitur. Porrò excoriat hic circumpoſita corpora ſpatium videlicet ſibi moliens, vel inter duas tunicas vel ſub certis membranis. Excoriat autem omnino ipſa copia diſtendens: interim verò acrimoniam quandam putredinoſam tempore contrahens. Sanè inveniuntur in hujuſmodi abſceſſibus, cum ſcalpello ſunt diviſi, proprietates quædam non paucæ, nec humorum modò, ſed etiam ſolidorum quorundam corporum. Siquidem ungnium, pilorum, oſſium, teſtarum, lapidum, & porri fragmentorum ſimilia inventa in his corpora quædam ſunt. Ac humorum ipſorum, alius veluti lutum, vel cœnum vel olei quidam limus, vel vini fæx, alius adeò graviter olens, ut omnes averſentur. Verùm hæc rariùs incidunt; frequentiſſima verò hujus morbi ſunt tria genera, quorum ſingula propriam appellationem græcè ſunt ſortita. Ea ſunt atheroma, ſteatoma, & meliceris, à ſimilitudine contentarum in tumoribus ſubſtantiarum dicta; eſt enim aliud eorum veluti ſevum, aliud veluti mel, aliud pulticulæ, quam Atheram vocant, ſimile; quæ quidem teſte eodem l. de tumoribus p. n. ab aliis inter abſceſſus reponuntur, ab aliis verò ad aliud genus referuntur. hæc ille: quæ verba quidem autographi modo ſemel in hanc rem producere viſum eſt nobis, qui pertractantes iſtiuſmodi abſceſſus ſine phlegmone naſcentes, quando communi nomine careant, operæ pretium rati ſumus facere, ſi illud adinveniremus, Ad extremum autem unum vocavimus anomalorum propterea, quod ad unam aliquam quaternionis ſive humorum, ſive tumorum principum ſpeciem referri, præter quàm per aliquas ambages; non poſſunt,

quos eoſdem abſceſſus vocavimus. & fœtabula; cujus nominis ratio commodiore mox loco referretur, priùs enim aliqua præmonſtrare oportuit.

Cap. 2. *An ſecundùm naturam, an prater naturam ſit hæc affectio?*

DIfficile autem deliberatu videtur num ſecundùm naturam, aut præter naturam cenſenda ſit corporis, hæc affectio, utrumque enim affirmari fas eſt: ſecundùm naturam affectum æmulari apparet propterea, quod inter omnes tumores maximè ad naturam accedunt, amiceque, aut minimè omnium hoſtiliter in multos annos nobiſcum hoſpitantur: quod ſi ullam aliquando moleſtiam inducunt, id quidem non pravitate ſua, ſed incremento ac diſtentione accidit. Deinde membraneis amiculis veluti res utiles, & veluti fætus momenti eſt, ut venis hiſce nutriculis perpetua ſuggeratur alimenti materia veluti matrix quædam ſubdita eſt, quam & radicem interdum appellavimus: quod conſervandæ rei ſtudium in naturâ providâ non minimum arguit: quas ob res non ineptè neque inconſultò puto factum ut natæ græco phymati reſpondente nomine fuerint deſignata, quam vocabuli rationem amplexus eſt & Falloppius lib. de tumor. præter natur. c. 10. Aſt natam Joannes Manardus & Jo. Tagaultius ſub ſteatomate cenſuerunt. falsò autem & citra etymologiæ dignitatem naptæ ab aliis quibuſdam, napthæ verò Jo. Manardo l. 7. epiſt. 2. & à Jo. Lang. l. 3. epiſtol. 4. ſunt dictæ: Licèt autem quidam hanc ipſam natæ nomine. ut Joan. Langius, alii naptæ ut Theophraſti interpres Dornæus, alii verò naſdæ & napæ ut Conſ. Tigurinus vocaverint, attamen cùm hujus nomen nullius certæ originis videatur, niſi quod ipſa naturæ nomine ſe tueatur, hinc docti viri, quo referrent nomen incerti fuerunt. Illud tamen demonſtrationes omnes ſuperat, quod cauſæ in his procreandis ſunt omnes naturales; efficiens, quæ natura formatrix; materia, quæ ſuavis & mitis, ut pinguedo & mellea ſubſtantia; forma, quæ membraneum opificium; finis, qui fætabulum quoddam, & germen eſt. Verùm n. verò contra eſt Galenus, qui lib. 3. meth. cap. 1. & l. 14. ejuſdem cap. 13. & 17. tumores hos dixit toto genere præter naturam, & totis ſubſtantiis, ut ipſemet explicat, diſpares, id eſt; à conſtituta naturæ corporis idea diſſiti, heterogenea & æquivoca ſolidæ ſubſtantiæ concrementa, quod uno verbo alienum propriè dictum appellavit autor Iſagogici c. poſtremo. Aliud etiam retulit Hieronymus Fabricius memorato jamdudum loco, quod eſt, quia vena ſola nutrix obſervatur ſine arteria; unde fit ut materia, quæ his abſceſſibus eſt, non vertatur in naturam humorum, aut formam ipſius partis, quæ deſtituta eſt calore naturali, ac vitali, qui communicatur per arterias, qui in his abſceſſibus nullæ ſunt, hæc iſti. Veruntamen hæc non faciunt, ut germina & fætabula quædam ſecundùm aliam communiorem naturam eſſe non poſſint eadem.

Ad ſummam autem mihi videtur illorum natura inter alienam & animatam conditionem media, nempe natura procreatrix, neque hanc in animantium ſortem, in quam comparata non erat, dignata eſt: neque prorſus abalienavit, quæ nil incaſſum abire permittit: eam excogitavit formam, quæ conjugium utriuſque retinuit. materiâ ſcilicet ſe ſubſternente, quæ non ſic ex humida proprietate infirma ſit, quæ calori putrido ſubjiceretur, neque tam firma, quæ plena valeret obſiſtenti virtute. Itaque cum viſciditate non nihil etiam utilis ſucci comprædentem hanc maſſulam, neque in totum à naturâ diſſentaneam, aliquando dignatus calor, qui corpori nutricando, & his quæ ad nutricatum ſpectant; præeſt: non abjecit; ſed ſepoſitam ſuis interdum radiis illuſtravit, atque aliqua formationis forte donavit. Quibus apparet communem formantem facultatem ab ipſo formationis tempore non deſtitiſſe, ſed ad omnem vitam munus ſuum extendiſſe, quemadmodum acutè monſtravit Laurentinus Jubertus, in paradoxis; nil contra operantibus quibuſdam doctis, qui placitum exercuere: cui placito niſi fallor & Gabriel Falloppius acceſſiſſe videtur l. de tumor. c. 15. Ad hunc modum membranæ, quæ in tunicam ſervitura germinis illius erat, conformationem accepit, Hac item ratione fit, ut peculiares laudabilioribus hiſce phymatis radices ſint, id eſt, venæ, & fibræ, unde perpetuum incrementum capeſſant eædem.

Cap. 3. *Ad animantium, an ad ſtirpium naturam accedant hi abſceſſus?*

INveſtigantibus igitur jam nobis abſceſſuum iſtorum naturam, & conditionem, id quod primò ſe offert eſt ipſorum auctio à parvulo, quæ auctio quemadmodum inſpectio docuit, non eſt quidem per continuam particularem oppoſitionem; vel per dilatationem impletionemque pororum, & ex infarctu diſtentionem, ſed per nutricatûs veri conditionem, qui dubius tamen, & anceps eſt, num plantarum, num animalium modo fiat. Animatæ quidem rei videtur generatio, quia vena quadam nutricula velut umbilicalibus vaſis ſuggeritur in hos nutrimentum. ſed nihilominus non animatæ rei nutritio eſt. ſiquidem arteria venæ comes deeſt, quod acutè advertit Hieronymus Fabricius ab Aquapendente lib. de tum. append. Quoniam igitur appendiculum quoddam eſt hocce genus, an ſit veluti muſcus in arbore, vel viſcum, quod non ſua ſeminat arbos; atque adeò ſtirpium inſtar erit hujuſmodi accretio? præſertim quando ad extremum corporis habitum plurimùm excitari conſuceverint hæc phymata, phymata inquam propriè dicta ſecundùm græcam literaturam, id eſt, communia quidem illa, non qualia ſpeciatim à noſtris medicis uſurpari conſuevere. Rurſus autem, quia germen eſt quædam fructûs ſpecies, ad ſtirpium privatas partes referemus; qualis vel ulmi folliculus eſt, vel pruni fructus ſine ſemine, quæ anticipans eſt arboris luxuries. At ſatius rectiuſque fuerit fortaſſe utramque & ſtirpis, & animantis agnoſcere productionem. Non ſtirpis quidem ſolius, quia vena ſubeſt, non animantis verò ſolius, quia germen præfert & fructum propriè dictum. Omnibus autem modis fætabula magis quàm germina mihi videntur hæc appellanda, ſiquidem in animante ſunt genita.

Cap. 4. *De proprietatibus cyſticorum abſceſſuum & horum definitio.*

HIS ſic expoſitis, apparet quatuor proprietates ineſſe his abſceſſibus, prima quod ſubſtantia quædam ſolida ſit eorundem materia: quod & Gabriel Falloppius ex Gal. ſententia teſtatus eſt l. de tum. præter nat. cap. 15. itaque ad numerum auctum referri liquidò poſſunt iidem; quo factum eſt, ut Gal. 3. meth. med. c. 1. & cap. 13. profeſſus fuerit hos toto genere præter naturam. deinde proprium eſt horum abſceſſuum comprehendi folliculo, ſive cyſti: qui ipſe quo conſilio, quave materia productus ſit poſteriùs inquiremus. Ad hæc venis quibuſdam ſuppoſitis nutriuntur atque augeſcunt fætabuli modo. His autem venis,

venis, & hôc poſtremo notem, ortus & ſcaturigo eſt ex una, quæ ſeu radix, ſeu matrix eſt, quemadmodum ante audiſti, ex quibus omnibus conflari poteſt facile definitio, quæ ſit; abceſſus anomali ſunt concrementa quædam ſubſtantiæ ſolidæ, quæ fœtûs cujuſdam modo venis ſuppoſitis nutriuntur, augeſcunt, & folliculo comprehenduntur.

Hactenus iſtorum germinum dum vivunt; & nihil manu violata fuerunt, proprietates audiſti: cæterum exemptorum aliam, quam equidem obſervavi, ſingularem conditionem accipe.

Namque ipſorum nulla longos in annos corrumpuntur, ego autem maximos, quos abſtraxi folliculos, quorum picturas paulò poſterius viſes hoc eodem opere exſculptas; jam ad ſeptem annos, & ſuprà ſervo. Argumento ſ. non obſcuro, quod ſint ſubſtantiâ ſiccâ, quamobrem judicioſe Fallopius refert omnium originem tum ad pituitam ſiccam, tum ad melancholiæ portionem, auctoritate uſus Aetii l. 6. cap. 68. & Avicennæ in l. 1. fen. 2. doctr. 1. & in l. 4. fen. 3. unde neque abſurde vulgus hominum omnis medicinæ rude, tubercula hæc omnia melancholicum humorem appellare conſuevit.

Quod autem ſteatoma privatim adipoſæ rei ſpeciem referat, id non te moveat, neque perturbet: quando & oſſa ex pingui plurima, ſed exuſta materia conſtare nos certos fecit Hipp. l. de carnibus. Quanquam autem neque ipſe nego pinguedinem ineſſe ſteatomati (æſtivo namque tempore reſolutam adipem è ſteatomate, quod aſſervo domi manaſſe comperi) nihilominus eſt cum eodem adipe plurima fibroſa portio conjuncta. Verùm enim verò aliud relatu dignum adnotabo, neque ſteatomata omnia ſingularis ejuſdem ſemper ſubſtantiæ, vel formæ videri: ſed aliud iſtorum viridius & pinguius aliud exucicus & denſius eſſe, quod enim cœnobitæ Franciſcanæ juniori de jugulo exemptum eſt, pinguiſſimum; quod Monaco Carmelitæ ſeniori de poplite reſolvimus, exuccum eſt magis, quaſi ſecundùm ſexus, ætates, corporis loca diverſa eſſe debeant hæc concrementa. Sed & Falloppius in ſteatomate, quod ipſe aperuit medio liquorem quendam cryſtallo, & adamante lucidiorem reperiſſe reſtatus eſt, ita multiformis ſubſtantiæ ſunt hæc omnia; Atque hactenus materialis & cauſæ aliæ, & procreandi modus ſecundùm noſtram opinionem tibi patuere.

Cap. 5. *An meliceridestunicatæ?*

ILlud nunc expendi ſubit ad rectam curandi rationem non inutile futurum; num omnibus his æquè abſceſſibus ſua membranula indita ſit, enim verò ſicut aliquorum certiſſima, ſic cujuſpiam obſcura & dubia eſt. Atheromati inquam, quæ materiam pultaceam continet, & ſteatomati, quæ ſebacea conſtat; longo noſtro experimento ſemper amiculum comperimus: quod ipſum etiam autores omnes veteres ac poſteriores affirmavere; verùm meliceridi num neceſſarium ſit involucrum, haud planè diſcerno. Nimirum omnes uno conſenſu volunt; ſi curatis, id eſt, excîſis hiſce tuberibus tuniculæ vel pauca portio reſtet, fieri, ut quaſi reſiduis radicibus exultet rurſus germinatio, recidivuſque fiat abſceſſus, id equidem in atheromate Alexandri Beltrami Petiliani viri legum periti licuit obſervare, quod ab ineunte ætate ſecundùm ſupercilium exterius geſtatum & medicamentis omnibus ab uno quodam chirurgo exagitatum nunquam curari potuit, à me verò cauteriolo peruſtum viſum eſt ex toto ceſſiſſe, nam plenè ſiccatum, & obductum eſt cicatrice ulcus; ſed nihilominus uno poſt anno ſponte erupit, & donec diſcerptim membraneæ portiunculæ prodiiſſent è ſuo ſinu omnes, neque unquam exiccatu facile, neque ad obducendum comparatum fuit ulcus: quod ultrò tamen fieri viſum eſt, cùm deſiit vitium. Rem quidem, quam accuratè mecum obſervavit Horatius Lumbiſanus medicus, qui ſui ipſius ſcriptis inclaruit. Contrà meliceris ad carpum nata, & mihi mea ipſius manu per aculeum paſtinacæ marinæ compuncta vix exacto quatriduo curata eſt ſic, ut nunquam redierit, quod & Sororiæ Andreæ Manſi Scribæ Prætoriani, & aliis accidiſſe comperi. quid autem quæſo re, reſponderis, quod affricatu vehementi dirupta ſæpe meliccrides ac diſcuſſæ ſunt viſæ. noſti autem & nonnullos Autores ad demoliendas, atque delendas eaſdem, plumbeos verticillos impoſitos tradiſſe, quin verò & alia iſtiuſmodi tubercula, & Gal. l. 14. meth. med. c. 13. & Aetius tetrab. 4. ſerm. 3. cap. 78. & Paulus l. 4. cap. 34. medicamentis quibuſdam exſolvenda propoſuere. qui idem Paulus & ſtrumas, quod etiam mirum eſt, tunica velut melicerides, atheromata, ſteatomata, contectas & medicamentis diſcutientibus exhaurit, ut & modò citato loco, & cap. 25. ejuſdem libri docuit, quo autem pacto, niſi educta fuerit univerſa membranæ portio, nunquam curabiles eaſdem dixit l. 6. cap. 35. An igitur ineuntibus duntaxat his ſunt aliqua valentia folliculum atterere, ut diſſolvatur; inveteratis verò his, & obduratis non item: quod etiam judicaſſe propemodum viſus eſt Hieron. Fabricius in c. de meliceride.

Verùm tamen, quod experti nos ſumus, id affirmare profiterique poſſumus, neque aliud aſſeverandum audemus. Adde quod Gal. de tum. ut plurimum tunicas poſuit.

Cap. 6. *Quid commune habeant hæ tres abſceſſûs ſpecies: & in qua re differant.*

PRæmonſtratum antea fuit, præcipuos tres iſtos tumores, quos nos fœtabuli nomine deſignavimus, ſingulos ſua peculiari, & propria materia conſtantes. atheroma, quod pultem frumenti, & caſtaneæ fructus moliti materiam refert; ſteatoma, quod ſebacea; meliceris, quæ mel referente ſubſtantia conſtat. tria hæc commune illud habet, quod ſuo ſingula folliculo ſunt amicta, teſtimonio Galeni, Aetii, Pauli, & juniorum omnium, ſed diſcrimen ex adverſo illud habent, quod atheroma, & ſteatoma, ſolidam nacti fuerunt ſubſtantiam; meliceris verò fluidam natura retulit. tametſi verò Gal. 14. meth. med. c. 11. cauſam omnium humorum poſuit, nihilominus recto ſuo ſenſu intelligendus eſt hic autor, nimirum principio frigidus, & pituitoſus humor eſt, qui ſe procreandis hiſce tumoribus ſubjecit, quod poſteà concreto, & craſſiore in dies facto, tum agitatu caloris, qui parti inſidet, tum membranarum amplexu frigido; fortem aliam compararunt, concrementi, atque fœtabuli; qualia nos ſæpe deſcripſimus. una tamen meliceris in abſolutum, atque perfectum craſſamentum non abſceſſit, materiæ certè liquidioris conditione: Major & admirabilior differentia fuit atheromatis, & ſteatomatis: quorum hoc inculpatius, & naturalius, ſi dici conceditur, ex pingui craſſamento formam tulit, alterum verò magis alienum, & corruptius concrementum accepit: uſque adeò, ut ſæpe vermes, muſcas, pilos, ungues, carnem hebetem, ſoleas, calcem, carbones apud quoſdam exhibeat, quæ quidem omnia jure merito Galenus toto genere præter naturam æſtimavit; citatis loc. meth.

-therapeut. quod quidem judicium, cùm ad mitiores alios duos abſceſſus extendit, injuriam his profecto videtur feciſſe; niſi fortaſſe vis, quod & tunicam cum ſingulis hiſce conjunctam ſpectavit, quæ ſanè alienum quid eſt propriè dictum, ac propterea per chirurgiam eximendum. Præter hæc iſtorum abſceſſuum diſcrimina ſecundùm alios hæc ſunt, abſceſſus cum folliculo alii habent materiam unico, & continuo folliculo, qui non habet exitum, alii, qui non habent materiam fluxilem, habent illam inter duas tunicas, ut illi, qui non habent materiam fluxilem, ſed coactam. Hæc Hieron. Fabricius.

Verùm digna ſunt hæc animadverſione. commentum enim videtur, quod ullis, id eſt, concrementi abſceſſibus duplex tunica ſit, ſeu verius, ut ipſe loquitur, duæ ſint tunicæ, juſtius autem fluxili meliceriæ ſubſtantiæ debita eſſet diplois. Quod autem Fabritio impoſuit, oratio fuit Galeni l. 14. meth. cap. 12. ſub his verbis; Porro excoriat hic circumpoſita corpora; ſpatium videlicet ſibi moliens, vel inter duas tunicas, vel ſub certis membranis. Senſus eſt, ut poſſint abſceſſus, adurgentis vi materiæ deduxiſſe ſpatium inter duas tunicas; puta inter duram, & tenuem cerebri membranam, & poſſit diduxiſſe ſpatium ſub membrana, exempli causâ tenui cerebri, ſermo autem Galeno eſt de abſceſſu primi ſignificati; non autem de anomalo, ut putaſſe Fabricium certus ſum. Confirmatur autem interpretatio noſtra vel ejuſdem Galeni verbis proxime ſubjectis: quæ ſunt; excoriat autem omnino, &c. quæ nequeunt adaptari anomalis, quorum acris, & putredinoſa conditio non eſt; ſteatomatis præſertim. Quamquam objicies, quod ſubinde meminit Gal. contentorum in abſceſſibus unguium, pilorum, oſſium, teſtarum, lapidum, & pori fragmentorum, quæ omnia reperiuntur abſceſſibus quibuſdam.

At hic communis multorum error eſt, inquam, & hallucinatio credentium, hæc per Gal. ineſſe anomalis. Subſtantia meliceridis ſola eſt mellea; atheromatis propria pultea; ſteatomatis peculiaris ſebacea; fallimur autem facile, cum his alia, quàm aſſignata per ſingulorum voces contenta tribuimus, confundimuſque ſic anomalos cum prædicti ſignificati abſceſſibus, & utrorumque naturas ignorare nos ipſos prodimus. Diſcrevit autem hæc genera Galenus manifeſtè, cùm ſubdidit, verùm hæc rarius incidunt, frequentiſſima verò hujus morbi ſunt tria genera; quorum ſingula propriam appellationem græcè ſunt ſortita, &c. ſed ad differentiarum rem redeo. Aëtius tumores, ait, quidam ſunt elevati, & ad motum, & contactum expoſiti. facileque curabiles: quidam verò inſerti, & ad motum non expoſiti, & in chirurgiæ aggreſſione ſummam diligentiam expetentes, propter imminentes ſanguinis eruptiones, ac nervorum puncturas.

Præter has, & alia differentia eſt, quod ſteatoma ſuppurationem nunquam ſubire paratum eſt; cujus non ſunt expertes atheroma, atque meliceris.

Poſtrema eſt & alia, ſed ad curationem ſpectans ſteatomatis, à reliquis differentia notata per Aëtium Tetrab. 4. ſer. 3. c. 8. quod in ſteatomate præſecando non ſic, ut in atheromate, ac meliceride tunicæ ſectionem timemus; nimirum adeps, quidcunque feceris, effluere paratus non eſt, ſed communitates & diſcrimina cyſticorum abſceſſuum habet jam omnes.

Cap. 7. *An præter tria celebria fœtabula ſint ſtrumæ bronchocelæve.*

INter hæc omnia nobilis ſe offert quæſtio, num ſtruma de fœtabulorum ordine ſint, & cum anomalis abſceſſibus accipiendæ, porro ſi Galen. audimus, qui 14. meth. med. ſtrumas dixit eſſe ſcirrhos in glandulis, videbuntur & ſtrumæ ad certum humoris pituitoſi, vel melancholici vitium referendæ, atque adeò intra quaternionem eſſe humorum, cui teſtimonium accedit Celſi, qui l. 6. rei medicæ cap. 28. dixit ſtrumas eſſe tumorem, in quo ſubter quædam ex pure, & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur, quò auctore vides ſtrumas ad ſanguinem referri.

Tamen ex adverſo Paulus Ægineta l. 6. cap. 35. diſertis verbis pronunciavit, ſtrumam intra tunicam contineri, quemadmodum atheromata, & ſteatomata, & meliceriđes, & quemadmodum etiam hæc curari, nec curabiles quidem, ubi exciſorum portio quantulacunque remanſerit, & Aëtius ex Leonida lib. 13. cap. 5. cùm voluit ſtrumas eſſe carnes ſubcandidas facile augeſcentes in membrana contentas, etiam apertè videtur faſſus ſtrumas folliculo contineri, atque augeſcere. Accedit autem ad hæc teſtimonia & tertium Guidonis Cauliaci, qui tectas membranis ſtrumas admonuit; ut cùm hæc curantur, nulla reſtet portio membranæ continentis. Sed & folliculum provide detrahendum eſſe ſtrumis admonuit Hieron. Mercurialis l. de morb. puer. c. proprio. Nos verò ſtrumas cum folliculis, & pultea ſubſtantia obſervamus in Hieronymo Caphorio Calabro Oriolenſi. experimentum autem abunde monſtrat, quod niſi tota membranæ portio eximatur non ſuccedit curatio; ac ſi obducatur ulcus; denuo recrudeſcit, & reciduum fit vitium id, quod comperimus cum doctiſſimo medico Franciſco Noma anno 1630. in filia Marcelli Muſcettolæ viri patricii Neapolitani: cui adoleſcentulæ amplè patefacto ulcere, & impoſitis acerrimis medicamentis, atque trochiſcis, viſum eſt quidem ſatisfactum extirpationi radicum: ſed fibræ tamen exiliſſimæ ſub carne latitantes intimiùs oculis impoſuere, atque occluſo jam ulcere poſt aliquod tempus vitium inſtauravere. Verùm enim verò ſiquidem rectè inſpicimus conditiones anomalorum, quæ ſunt concrementa ſubſtantiæ ſolidæ, quæ fætus cujuſdam modo venis ſuppoſitis nutriuntur, & augentur folliculo comprehenſa: certè pleraque iſtorum ſtrumis deſunt, nam ne nutriuntur quidem ſtrumæ; ſiquidem vena nulla ad nutriendum eſt ſubdita, quod autem augeantur apparet quidem, verùm per pororum infarctum eſt ejuſmodi accretio, non per legitimum augmentum; ut ego autumo.

Major ambiguitas eſt de bronchocelis, quæ videntur etiam ſub fœtabuli genere concludendæ, quandoquidem & ſolidæ partes ſunt tuniculâ comprehenſæ, & cùm in immenſum excreſcant, neque per pororum infarctum augeri, ſed per ſuggeſtum alimentum eſt probabile; inſuper etiam melleâ pultaceâ & ſebaceâ ſubſtantiâ contineantur, ut credit Aëtius l. 4. ſect. 3. quod etiam aſſerit de gummi ſyphiliis Fallop. l. de morbo gallico; ubi de gummis agit. verùm neque ad anomalorum aliquam ſpeciem bronchocelas referemus, (cùm multifidæ ſint & glandulas contineant præduras & rubentes, ut obſervavimus 1625. in cadavere cujuſdam puellæ per nos in domo templi, viſita pauperes, dicti diſſecto) ſed ad carnoſos tumores, quod in præſenti non explico: ſuus enim de his ſermo paulò poſterius erit. Simile quippiam videtur de batrachio, quod Celſus l. 7. c. 12. §.

12. §. 4. ſub abſceſſuum genere reponit ejuſdemque materia ad meliceridis naturam accedentem membranulâ ſeu folliculo contineri expreſsè ibidem teſtatur: ob quam cauſſam fortaſſe παλινδρομεῖν recidivum fuit Clerico Neapolitano cuidam Acolyto templi ſanctimonialium D. Pobiti; itemque infantulæ cuidam, cui bis pariter recurrit, utrumque candente ſcalpro confectum, ſed compreſſo abundè tuberculo ſentientes ſe liberos & immunes, medicam ſubinde manum ambo ſpreverunt, nec ante vitii recurſum ad me redierunt, qui ſpumâ duorum draconum impoſitâ fibras cyſticas convuſi ac delevi, quoniam ſecundam ex obtuſo ferramento uſtionem non ferebant; evomuit hians clerici ranula aquatum ovi rancidulum, infantulæ verò prænigrum, cui rei aſtitit Paulus Æmilius Ferillus Archiater Gallorum Reginæ meritiſſimus,

De nobis autem quid ſentiendum? cùm & hi ipſi colem non prætereant, verùm eundem ſæpè offendant, ut ſcriptis prodidit Petrus Argelata l. 2. c. 5. tract. 3. Sunt autem nodi Arabibus autoribus & Galenicè ſentientibus.

Cap. 8. *De triplicis abſceſſûs materiâ communis ſcholæ placitum.*

PRoducturi nos hoc loco tum noſtram, tum aliorum novam opinionem de natura fœtabulorum, & materia; factum iri rectius putamus ſi communem etiam multorum ſententiam prius exponamus, quorum primus Galenus diſſerens hac de re lib. 4. meth. med. c. 12. Falloppio interprete ſtatuit humorem, qui gignendis his abſceſſibus præbet materiam, eſſe varium: id eſt, qui triplicem triplici fœtabulo producendo materiam ſubſternat; craſſiſſimam ſcilicet, & pinguiſſimam ſteatomati; flexilem, & lenem meliceridi: mediam, & inter omnes ſicciſſimam atheromati; eſt tamen antequam concreſcat in abſceſſum unus humor è venis exiens tum melancholicus. Avicenna verò in l. 1. fen. 2. doctrinâ primâ ſermone inſtituto de tumoribus à melancholico ſucco profectis, in his recenſet nodos, è quibus ſunt abſceſſus à nobis in præſens tractati: quæ opinio videtur & Aëtii propterea, quod lib. 6. cap. 68. meliceridem curans capitis, offert pro purgando corpore ſerum caprinum cum epithymo, quod accommodatum eſt humori melancholico perpurgando medicamentum. Sed enim Avicenna lib. 4. fen. 4. ad curationem nodorum ait; etiamſi nonnihil humoris melancholici contineant: tamen plurimâ conſtant pituitâ ſiccâ, in quam ſententiam iviſſe videtur & Aëtius qui loco citato colocynthidis dilutum in curationem approbat peculiari naturæ conditione, phlegmagogum. Quid igitur, contradicunt-ne ſibimet authores iſti? Non opinor equidem, ſed quod elici ex utriſque poſſe videtur, illud eſt, pituitam potiſſimam eſſe cauſſam, quæ modò craſſior, modò dilutior ſit; accidit autem non rarò, ut cùm plurimæ pituitæ nonnulla portio ſe inſerat humoris atri, à quibus ſuccis excluſos habet tum ſanguinem, tum bilis quamcunque ſpeciem: atque ex hujuſmodi materia variam coctionem, aut corruptionem nacta, fiunt humores ſpecie varii, ex quibus abſceſſus iſti proficiſcuntur.

Cap. 9. *De naturæ conſilio in obducendis tunicâ fœtabulis.*

ILlud verò pleroſque ancipites habebit; quod opifex natura non vulgari videtur ſtudio membranam hiſce fœtabulis induxiſſe: tegmentum alioquin utilis, ac neceſſariæ rei cujuſpiam, qualis certe trium abſceſſuum nullus eſt, quin etiam materiæ fœdæ plurimum, & abjectæ. Sed enim hujus ſcirpi nodus ſic ſolvitur.

Hæc concrementa, veluti monſtra ſunt corporis ſuam aliqua parte fabricationem nacta. Aut dicamus naturam ſibimet ex hiſce fomitibus proponere quædam animalcula, atque fæturas, ova membranulis obtecta tenuiſſimis viſa refert Laurentius Scholzius apud Joannem Schenckium obſerv. medic. l. 5. & ab abſceſſu femoris ejectum ovum majuſculum refert Marcellus Donatus l. 4. med. hiſt. mirab. cap. 30. & Ambroſius Paræus l. 9. chirurgic. operum cap. 3. ſcripſit ova etiam reperta in abſceſſu dorſi. Atqui huic rerum generi univerſo membrana veluti chorion requirebatur. Aut (quod omnium eſt maxime probabile) dicamus; neceſſariam omnino viſam opifici membranam, qua & fœtabulum illud ſuis ipſius terminis concluderetur, diſcluderenturque à proximo ambitu partis inculpatæ; quod autem ad priorem hujus placiti partem attinet; confirmatur, ſiquidem natura quidquid initio gignit ſuo ſemper involucro, ſive quidem diſcreto, ſive cum corpore cohærente concludit: quam rem quidem rite cognoſcere licet in animantibus quibuſlibet & harum partibus; in ovis horumque particulis, in fructibus, pomiſque, & horum partibus; & in ſeminibus: quin etiam pomorum interiorum quibuſdam plicaturis mirum eſt ſane, ut parens omnium communis minuta illa ſegmenta ex integro conveſtiverit ſuis membranis perinde, ut periculum aliquod incurſuris tunicam, & munimentum adponens. Quod verò ad diſcludendos affinium terminos antè aſſertos ſpectat, facit in hanc rem illud, quod adnotavit eruditiſſimus Ambroſius Paræus l. 6. fine; Concreari circa aneuriſmata chartilagineam, aut etiam oſſeam tunicam, quæ aggeris modo furentis ſanguinis ſpirituum vitalium copiâ turgentis impetu frenet; ita curante Dei miniſtrâ naturâ.

Cap. 10. *De procreatione cyſticorum abſceſſuum, opinio Ambroſii Paræi*

JAm autem requiri videor, ut diſputetur, quid de horum abſceſſuum generatione, generandique modo ſentiendum ſit. In qua re primus de his, quos legerim Ambr. Paræus memorat nobis, quod in homine mirabilis eſt omnium, quæ naturæ lege, imperioque continentur, amplexus; atque adeò, quæ magnus mundus ampliſſimo ſuo ſinu coërcet, hic parva, velut tabula compendioque cogit, atque æmulatur. In hoc enim non archetypa, non cœleſtis, non elementaris regio defuit, quas res, qui non intelligunt, hi nullis philoſophiæ partibus ſunt imbuti. Præterea ut meteororum, ita & miſtorum omnium in ſe & abditas imagines refert, & perſæpe etiam apertè retexit, quare & animantium vim omnem continet, & ſtirpium lapidumque formas, & quæ ſupra terram, infraque gignuntur; ea omnia mira quadam ratione in ſe geſtas, & profert. Itaque quid miremur, inquit, quod ſeu fœtabula, ſeu germina iſta quacunque ſui parte, & varia in his, & enormia contenta gignat, & ſervet homo, in quo fæcundiſſima parens natura

univerſæ materiæ, qua macrocoſmus conſtitit, varias particulas, & ſemina condidit? Itaque in eo ſibi placere, ut omnes actiones, motuſque, quos obire, atque edere in majoris illius mundi ſcena ſolet in hoc parvo etiam affingat, nunquam in nobis otioſa, modò ne materia deſit.

Cap. 11. *De materia fœtabulorum opinio* Fœlicis *Plateri.*

ALiam opinionem amplexus eſt Fœlix Platerus diligens naturæ veſtigator, qui Prax. medicæ tract. 3. c. 3. §. de cauſis, decrevit crudiorem ſuccum, quàm carni nutriendæ convenit, hujuſmodi concrementorum materiam eſſe, quod autem aliena pleraque connaſcantur; fit, inquit, quod nutrimenti alterius partis, quæ craſſo admodum ſucco ali debuit, portio ab ea abſcedens in carnoſas ſedes cum illarum nutrimento delata talem duritiem in illis gignat. Quæres inde comprobari poteſt, quod in ejuſmodi abſceſſibus ex illis tumoribus genitis, aliquid aliarum partium ſubſtantiæ ſimile invenitur; nunc pilum, nunc unguem, nunc os, nunc glandulam referens, quæ vix dum ex aliis, quàm ex ſucco haſce partes illic in cute, vel carne vicina nutriente, huc cum proprio carnis nutrimento delato naſci potuiſſent; uti & ſi ſævum referat, pinguiorem ſanguinis partem, quæ pinguedinem efficit, huc quoque perveniſſet; ex eoque ſic concreviſſe veriſimile videtur: vel ſi pultem, aut mel exprimat ſuccum carneum non in pus tale, quale in calidis tumoribus per ſuppurationem naſcitur, ſed ejuſmodi humorem magis tenacem maturatione, vi caloris excoctum fuiſſe: qui ſi ulterius torreatur; ſuccuſque ille magis terreus ſit, aliud quid, ut carbones, vel calculos ſimiliaque refert. Hæc ſi propria incluſa ſint membrana, & illa quoque à membranoſo ſucco ſimiliter, uti de cæteris partibus dictum, huc perveniente naſcetur. Quæ ut in tumore in abſceſſum degenerante ita fieri poſſunt, ſic & alterius craſſioris durioriſque partis ſuccus carni inſertus. Addidit & his denique confirmationem Platerus, nam ſi ex ejuſmodi melancholiæ, ſcilicet, & pituitæ excrementis tale quid miſceretur; non tam ſtabile, ſed putredini, & corruptioni obnoxium eſſet; ſicuti etiam in aliis tumoribus, quos ab iiſdem humoribus proficiſci exiſtimarunt, oſtendimus: hæc ille: quorum poſtrema ratio non parum inſolens, & improbabilis futura eſt apud multos propterea, quod omnium à communi ſchola deflectit; niſi quod non melancholicum aut pituitoſum ipſum ſuccum, ſed horum excrementa refutavit hic auctor.

Cap. 12. *De eadem re ſingularis opinio Gabrielis* Ferrarii.

SED & de materia nova eſt opinio Gabrielis Ferrarii viri quidem & ſi non omnibus medicinæ partibus exculti, nihilominus ſcriptarum rerum firmitudine ſic approbati multis, ut & omnes ejuſdem libros pluribus editionibus viſendos Itali, & Latine lectitandos voluerint Germani. Ita non indignus viſus eſt nobis, qui ſcriptis interdum noſtris citaretur; Hic libr. primo chir. adverſione 27. profeſſus eſt natos dictos abſceſſus oriri ex ſuperfluitate copioſi ſpermatis. Indicia ſunt: primum, quod hæ in vaſtum excreſcunt; ſumpto videlicet alimento ex venis capillaribus deducentibus (quæ ſecunda eſt ratio) ſanguinem ſubſtantiæ coactioris, ex quali & ſperma procreatur. Tertiò, quemadmodum in prima embryonis conceptione ex tenuiſſimis, & varie confluentibus venulis unus veluti caudex conflatur, indeque haurit perpetuo nutricatum fœtus: ad eum propemodum venularum ſi dici licet radicatio eſt his hemizoophytis. Quartò, reperiuntur in horum conceptaculis, aut digitus cum ungue unus vel alter, aut brachiolum, aut pes, aut auricula, aut mamma, nunc pilis obducta, nunc ſimplex, interdum & qualis ſpinæ dorſi medulla innaſcitur. Hæc ejus viri ſunt argumenta firma quidem parum, verum tamen haud continenter explodenda, quin prope interpretanda, aut caſtiganda cum ſua ejuſdem prolepſi, nimirum, quod non ſpermatica ſit aliqua cyſtularum ſubſtantia; ſed ſpermatis certe materiam, & ſuggermina æmulantur.

Cap. 13. De *procreatione iſtorum phymatum, & tunicularum opinio noſtra.*

NOſtra nunc inter has omnes proferenda ſententia eſt, quam equidem confido viris candidis ſimul, & doctis non vulgariter placituram; ſic veſtigiis hæret naturæ, ſic probabili nititur obſervatione rerum. Conſtat affectum hunc oriri ſemper ob plenitudinem, vel non ſine ipſa eſſe tum, ut tumores quidem omnes communiter, tum privata etiam ratione. Porro plurimum hominibus inexercitatis, otioſis, ac plenis ſaltem excrementorum, quales cœnobitæ ſunt, etiam corporibus partibuſque horum venoſis, & laxis, & in quas ad ſummam promptior eſt defluxus, atque luxuries, phymata iſta naſcuntur.

Alterum etiam advertendum eſt, humorem jam memoratum, qui exuberat, ſubſtantiâ craſſum eſſe propterea, quod obſervatione longa comperimus, ſuccum hunc è cute effluere non poſſe, ſed infra ipſam perpetuò conſtitiſſe, fortaſſe autem à natura plerumque ad effluxum deſtinatus erat; at verò, quia nimius, & craſſus eſt, quoniam diſcuti, aut difflari nequit, conſiſtat in ſe ipſum oportet. Inſuper verò craſſitudo monſtratur, quod ejuſdem ſui ipſius ſubſtantia tunicâ conflatur craſsâ, & corpulenta, quod utique non fieret niſi craſſities ineſſet.

Tertiò ſtatuendum ſuperfluam quidem, ſed nutritoriam hanc materiam plurima parte eſſe. Argumento eſt, quod placida, & miti prædita eſt naturâ. Verùm contempta ſuperfluitate, tandem à naturæ complexu recipitur, & in aliquod concrementum præparatur: quoniam autem in legitimam corporis humani partem abire non poteſt, quia ſemel rejecta eſt ab unaquaque parte aliena, ob id in eam formam deducitur, quæ maxime ſubſtratæ materiæ conſentanea eſt, ſeu tenuior, eademque viſcida, & pituitoſa ſit, qualis mucilago è mucilaginoſis ſtirpium ſeminibus partibuſque aliis ipſarum elicitur; ſeu craſſior itemque viſcoſa, atque aliqua parte pinguis, quæ percoctior eſt ſpecies excrementitii ſanguinis; ſeu craſſa, & incocta, & lutulenta, qua pituitæ glaſteæ reſpondet. Triplicem enim hanc effuſam materiam agitans calor partis cujuſpiam potiſſimum à proximis arteriis adjutus, commodiorem in aliquam formam immutat: qua ſane rotunda eſt, aut ad hanc accedens alia. Illud autem cùm ſit, quoniam unicuique ſuam vivendi ſortem jam nanciſcenti; obſervatione à nobis ante producta, tunicula ſua debetur: ob eam rem ſedula natura, ſeu de lenta tenacique ſuppoſitæ materiæ portione ſpiritus vi ſufflantis opificis vitrarii modo ſicut Hippocrates in l. de carnibus docuit; veſiculam exhibet: ſeu quod Hieronymo Fabricio placuit non exordio, nec plane funditus id rei creat, ſed cùm adverſam illam ſubſtantiam ſentit; continuo de membraneis

brancis nexibus tunicam extendit. Jam vero venula vocata nutriculà ſuboritur ex eructato primùm copioſo ſanguine, quem natura nil utile abjiciens, & omnia meliorem in formam trahens, & ſua etiam adoptata cuſtodiens, vi ſpiritus, ut modò diximus, in vaſculò formam educit, ut educatum ſuum fætabulum in vita manere queat, & à cæteris partibus diſcludatur. Nata etiam ex nutrimentitiis propriis membri liquoribus originem ducit, eorumque à quibus provenit liquoribus, ſimilitudinem recipit, ut inde ſequatur, aliquas eſſe cartilaginoſas, aliquas carnoſas & nonnullas ligamentoſas aut aliis membris ſimiles, ut oſſibus & articulis. Hæc Paracelſus Chirurg. Min. l. 3. de ſteatomate c. 15. quod inſcriptum eſt de glandulis & naptis. Cæterum ut in his abſceſſibus venæ ſuboriantur, operæ pretium eſt dignoſci: equidem non ita certâ fide cum Hieronymo ab Aquapendente ſentio, ſicut arterias hiſce abſceſſibus negatas, ita venas iiſdem datas nutriculas aſſerit, ut non credam poſſe dubitari non ineptè, num æquivoca ſint vaſa iſta, atque adeò dico probabile, ut ſimilis ſint iſtæ conditionis cum venis Zebel vel Sebel Arabibus Medicis auctoribus dictis, quæ in tunica oculi annata ſæpe ſolent oriri, ſunt autem autore Avenzoar. in 1. theiſir. tract. 8. cap. 28. contextura quædam rubra facta in ſuperficie conjunctivæ ſive albi oculorum & nominantur in Arabico venæ altheben & non ſunt venæ procedentes ab hepate, nec arteriæ à corde venientes: ſed aſſimilantes, quæ involutæ ſunt, & contextæ ſupra albedinem: & aliquando in tantum extenduntur, quod nigrum cooperire reperiuntur. Hæc Avenzoar; quem ſecutus videtur Averrhoes in ſecunda parte cantic. comm. 87. per hæc, Zebel eſt quędam textura venarum innaturalium ſuper conjunctivam oculi facta. Hunc vaſorum fortuitum exortum cùm profeſſi fuerint uterque autor; nihilominus haud quidquam de generandi modo prodiderunt; quem modum explicatius aperuit Philip. Ingraſſias in lib. de tumoribus p. n. ubi ait; Quoniam ſc. tam venæ quàm arteriæ naturales ibi exiſtentes mirum in modum craſſiori ſanguine replentur: Dein verò ex reſidente paulatim è vaſis glutinoſo ſanguine, inprimis juxta illas venas & arterias; quædam exterius lineæ ac tanquam novæ venæ & arteriæ depinguntur, non quidem, quod veræ venæ aut arteriæ ſint, ſed cùm rubeæ lineæ ſupra venas jam arteriaſque exteriùs emineant, illarum penitus vel gyros vel rectitudinem conſervantes, earum quoque effigiem minùs exquiſitè intuentibus repræſentant. Ita quidem Philip. Ingraſſias, cujus eandem rationem gignendis anomalorum vicibus accommodari, nihil eſſe, quod vetet, arbitror; quod ſi naturalem iſtorum exortum retinere placet, certe me non latet, Galen. in 1. de ſem. c. 3. P. & 15. m. m. cap. 17. F. profeſſum ſæpè ſibi viſas venas & multas & amplas in ulceribus renatas. Quod ſi calor nativus id præſtare poteſt ſolus, quidni valeat idem cum extraneo conjunctus? Hæc ſunt, quæ in obſcura, atque arcana alioqui re, ut gratis equidem in commenta non abeam, certiora judico.

Cap. 14. *De varia magnitudine iſtorum abſceſſuum.*

Poſthæc verò magnitudinem, ac formam, quæ in his abſceſſibus ſæpe viſi conſueverunt, expediemus. parvum quidem eſt ſteatoma trium librarum, de quo retulit Joannes Schenckius l. 5. cap. de ſtrumis, ſed idem narrat eodem lib. cap. de cervice, natum homini cuidam ea parte tuber rotundum capitis humani ferme magnitudine, bicipitis hominis ſpecie. Adhæc lupiam octo librarum etiam capitis magnitudine cervicibus exectam narrat Ambr. Paræus l. 6. ſuorum operum cap. 20. Itemque Jacobus Hollerius refert in obſervat. de ganglio concreto in inguine, quod pueri caput æquabat. In qua parte, & 24. librarum alteram obſervaſſe ſcribit Amat. Luſit. cent. 5. c. 88. Aliam verò naphtam ſeptem librarum veluti pulvinar expanſam in humero ſe vidiſſe profeſſus eſt Theodoricus lib. 3. chirurg. cap. 31. vaſtam, ac immanem viſam adeo, ut ipſe reformidarit reſcindere. Aliam, quæ ſextarium æquabat, geſtandi labore intolerabilem, exectam à chirurgis ſui temporis ſcriptum reliquit Antonius Muſa Braſavolus ad aphor. 27. l. 6. aphor. Hippocr. Vaſtiſſimas denique alias hujus generis excreſcentias ſcripſit Marc. Donatus mirabilis hiſtoriæ medicæ libro V. c. 3. Sed extra normam omnem, & fines evagata videtur fuiſſe illa, quam Anton. Benivenius l. de abditis, & Jo. Langius l. 3. epiſt. 4. narravit ſexaginta uſque libras pendentem. Ad ſummam, quod ad magnitudinem eorundem ſpectat, has tantum ſæpe vidimus excreſcentes, ut admiratione fuerint omnibus, & incredibiles ſint relatu. Hæc tibi de abſceſſuum iſtorum magnitudine ſufficiant.

Cap. 15. *De varia eorumdem forma.*

Formæ verò apprime variæ ſunt à nobis obſervatæ, & ab autoribus ante deſcriptæ. Guido enim tract. 2. doct. prima cap. 3. retulit aliquando referre melonem, aut cucurbitam, aut natem; unde natas dici volunt nonnulli, quanquam hoc etymon alii alio referunt. Præterea vel latâ baſi ſunt, ut mammæ, vel tenuiore pedunculo exortæ in majorem aſſurgunt molem, quo fit, ut ficus, aut piri, aut fructus cujuſpiam figuram propemodum habeant: interdum etiam compreſſæ ſunt adeò, ut non facilè ſe prodant, longo etiam ſchæmate obſervare licuit, itemque tuberoſos, ut pleræque bronchocelæ, aliquando rotundos, aliquando formâ nucis caſtaneæ, nucis juglandis, ac teſticuli; aliàs lupini; aliàs glandis modo ſubſiſtentes, non rarò etiam multiformis, & compoſitæ figuræ ſe proferunt cum appendiculis, & ſtriamentis quibuſdam, qualia Franciſcanæ, & Carmelitæ Cænobitis ejecta tubera depingentur. Adeò videbis multa fætabulorum luxurie ac varietate incertas iſtorum formas.

Cap. 16. *De enormibus contentis atque fæturis.*

Etſi equidem aliquando dixi, conſentaneos non nihil humanæ conditioni tunicatos abſceſſus: nihilominus hoc facta collatione ad alios cum dolore, inflammatione, putredine conjunctos, & de recentibus, & maxime de privatis ſteatomatis dixiſſe volui, namque deſunt etiam in his aliena ac præternaturalis conditionis argumenta. Quorum illud maximum, quod tanta his interdum incluſa putredo eſt, ut extremè fæteat adaperto folliculo; quod nos experti ſumus in atheromate Tyberii Coppulę, aliàs à nobis memorato in phyſicochirurgici cap. 12. cujus per IX. annos concluſæ materiæ tam gravis exhalabat odor, ut non niſi applicitis ad nares odoramentis potuerim equidem fibrarum laborioſius evellendarum operam adminiſtrare. Qua tanta abſceſſuum extante putredine, cui mirum in his innaſci vermes, & animalcula, quæ ſemper ex putri ſubditâ materiâ proveniunt. Strumam amplam pediculis refertam caſu curatam memoriæ prodidit Jo. Schenckius libr. 5. tit. de cervic. & alibi. In inguinis abſceſſu vermes reperit Gabriel Falloppius, &

us, & in alio etiam animalcula multi Bartholomęus Cabrol us obſervat. 27 præter autem animalcula ex putri g n ta, quot & quæ tum inſolentis materiæ vitio, tum putrifici caloris opera ſubſtantiæ non coaleſcunt ſub his lacunis? Dicam de mirabilibus quibuſdam rebus innatis, quando nulla fere ſpurcitiei ſpeci.s eſt, quæ his veluti ſtagnis, & matricibus concretæ non offendantur: ungues, inquam, oſſa, pili, teſtæ, lapides, & pori ſimilia fragmenta, & ligni ramenta, humidorum verò generi reſpondentia & lutum, & cænum, & olei amurca, & vini fæcula, item ſubſtantia raſæ cartilaginis, carnis hebetis, & cruentæ. Item cuidam adoleſcenti famulo Alexandri Pelliccia Tropienſi eductus adunco ſcalpro de gena ſubjecta folliculus cum inſerto ovo puſillo naſcenti jam in matrice gallinæ reticulatus, & implexus amphibliſtroidi membranæ modo; in cujus ulcus die 5. & 7. atque deinceps ſecuta ſanguinis profuſio vix compreſſa eſt, ſic moribus obnoxio loco, non prius autem quàm 40. ſanitas reſtituta. Sic carnoſam in abſceſſibus materiam vidiſſe teſtatus eſt Philip. Ingraſſias l. de tumoribus in fine. Adhæc creta, limacum cochleæ, ſpicæ, cornua, carnes tum duræ, tum ſpongioſæ, atque alia complura. & quia carnis hebetis, cruentæ mentio facta eſt, ſimilis rei narrabo hiſtoriam, quæ eſt. Carunculas muci lutei concrementa expreſſi de atheromate ſupra genu, quod duos jam annos conqueſta fuerat venerab. in Chriſto Soror Antonia de Siano Parthenophilacii Spiritûs ſancti Abbatiſſa: de qua re compertum eſt Aloyſio de Gratia, & Franciſco Laviano præſtantiſſimis ejus domûs medicis, atque etiam Io. Andreæ Baſilico Medico Collegii Neapolitani, atque urbis primario.

Atheromatis vitio concretas albas cruſtulas deſquamatiles, & ovorum teſtulas, ſi tantum has molliores animo conceperis, offendi in homine, quem Jacobus à Salvatore Chirurgus Herniarius Neapoli percelebris curaverat, & ad me relegaverat A. Chriſti circiter 1615. Dictum verò cum eſt, de ſtæbe multiplici: lapideas item ineſſe qui credat? at nihilominus omni figura ſunt in his reperti; id eſt, varia ſorte effigiatæ, quadrangulæ, triangulæ, ovales, multiformis, & incertæ figuræ; quemadmodum Joannes Centimanus in libello de calculis, Marcellus Donatus, Ambroſius Paræus, & Joannes Schenckius ſuis ſcriptis prodidere.

Cap. 17. *Nullum corporis eſſe locum, qui hiſce tuberculis non ſit obnoxius.*

NAſcuntur quidem hoc genus tubercula variis in locis corporis. Verùm ſecundùm caput viſuntur, tam frequenter, ut plures ſint, quàm ut memorari dedeant, ſingulares homines, qui ſecundum id loci ſunt hæc experti. Fronte medio, ſed qua capillus attingit, atheroma excuſſi Thomæ lautitio Lucano ex oppido Sancti Mauri. De intima ſuperiori palpebra viſum oculo integro præcludentem meliceridem teſtudinis ovo majorem Romano cuidam advenæ noſtro in Valetudinario detraxi; cujus alioquin magnitudine memorabilis exculptam ære imaginem ſuo loco dabimus. Itemque pone canthum oculi exteriorem atheroma Vincentio Cæſario adoleſcenti ex oppido Sancti Anthymi. Ad externum angulum oculi dextri atheroma palumbino minus ovo geſtat Joſephus Albaſius Neapol. vir & legum ſcientia, & hac nota conſpicuus. contentus autem abunde ſua ſtudii claritate poſſet eſſe, qui jampridem venerat hominem, qui facile tuberculum exemiſſet. Atheroma Aureliæ Vitalianæ M. Antonii filiæ poſt aurem excuſſi, rem approbante Joan. Thoma Jovino docto Philoſopho, ac Medico Neapolitano. In auriculę verò pinna Paulo Nannio Juriſperito, & Civi Tarentino ornatiſſimo. Sed & ſub maxilla inferiore ſteatoma natum eſt moniali cuidam D. Potiti Cœnobii Neapolitani vetuſtiſſimi, cui cum efficaci Medico Franciſco Ferruccio conſultavimus. In cervicibus atheroma longos jam annos geſtat ſpectabilis patricius Neapolitanus Octavius Laynus, quod à parvæ avellanæ magnitudine in ſemipugnum excrevit. Matthæo Soccoliuo Cæſenati Theatino pictori Illuſtri viroque ingenioſo, qui rheumate diuturno atque aſthmate, non ſine phthiſis ſuſpicione vexatus fuerat, atheromata duo de paryſthmiis extraxi in Sacris ædib. SS. Apoſtolorum, Sebaſtiano Vecchiono medico clariſſimo ſpectante. Sed & calculos ab hiſce partibus excidiſſe refert Langius l. 2. epiſt. 57. Atheromatis ſub lingua meminit Conradus hiſtor. gener. animant. pag. 8. & Fælix Platerus Prax. medic. tract. 3. tit. de exuberantia pag. 124. De jugulo reſciſſum ſteatoma Gratiæ de Philipis Sodali Franciſcanæ in Sacris ædibus Jeſu Neap. pictura expreſſum paulo poſterius dabo. Cujus ejuſdem Cœnobii vetula ſacra virgo Eugenia Suarda ſteatoma ſub ſpatula habuit. In dorſo atheroma curavi Lucretiæ Cacaci Moniali Parthenophilacii Spiritûs ſancti, cujus materia alba foliata velut artocreæ. Super enſiformi poſitum ſteatoma Dominico Riccardo puero Abellinati. Toto coſtarum ſpatio exteriore plurima Ferrandus Brunus Franciſci F. in valetudinarium curanda detulit, quorum unum teſtudinis terreſtris majuſculæ magnitudine coſtas medias occupabat. In media manû, vola ex ictu colliſuve multo ante prægreſſo atheroma grani indici modo Urſulæ Sodal. Franciſcanæ Sacri Cœnobii Jeſu Virginum, exemi. In cubiti flexura atheroma curavi Joanni Alphonſo Gryllo Calabro viro podagrico. Ad interiorem pollicis ſupremi canthum, qua manus tuber maximum attingit, meliceridem geſtaverat Adamus Marchius Valetudinarii noſtri medicus excellens. In metacarpi flexura naſcuntur ſæpiſſimè melicerides; ex quo genere unam mihimet ipſe radio paſtinacæ marinæ Pithecuſis aperui: humor autem prodiit albuminis ovi tenuitatem, mellis albi colorem (inde meliceride dictam puta) olei verò amygdalini lenitatem referens. Aliam ibidem corporis Leonardo Ciccono Abellinati rei medicæ doctori. Aliam Andreæ Manſi Sororiæ. In digito verò Joanni Fontanæ picturarum ex minio coloratori. In extremo indice meliceridem Julio Cæſari Capacio clariſſ. Muſagetæ noſtro Neapolitano curavi. Aliud è genu Capucino, cui nomen Stephano Calacenſi detraxi, cujus imaginem paulo poſterius ſub conſpectum dabo. In genu etiam utroque non mediocre ſteatoma ſuſtuli Domino Franciſco Antonio Principi reverendo Sacerdoti Neapolitano, ex cujus tuberculi apertione moriturum hominem convulſione prædixerant inexperti medici quidam. Inguinibus & abſceſſus hujus generis exectos ſe vidiſſe perhibet Jo. Arculanus in com. ad Razem cap. 69. In crure verò compertos eoſdem refert Jo. Centimanus libello de calculis. De poplite magnum ſteatoma Eugenio Calleſano Madritenſi Carmelitano Sacerdoti detraxi, de cujus forma, & magnitudine poſterius te docebo viva ad hanc rem imagine repreſentata. Hactenus habes abſceſſum anomalorum locos, quibus avidem certis partibus, & numero definitis contentos nos eſſe decet, enim verò partem corporis, quæ ab hiſce tuber-

culis immunis ſit, ſiquidem exactus in pervidendo fueris, prorſus invenies nullam.

Cap. 18. *De cauſis externis, quæ prænarratos abſceſſus interdum inducere ſolent.*

SAtis jam de præcipua rei natura: deinceps ad cæteras affectiones, & proprietate enucleandas accedamus. Quoniam quidem anomalis his abſceſſibus phymatum nomen accomodavimus: continuò ſe ſpontaneam declarat rerum iſtiuſmodi procreatio. Nihilominus non deſunt mea quidem obſervatione, ac judicio, quorum ab exterioribus illatis cauſis primus fuit initus, & origo. Sic à verberibus & alliſu crebro jumentis: præſertim equini generis per aliqua membra corporis extantes, & pendulas has formas ſæpe vidi. Sed ut privatum de noſtra hominum gente ſermonem faciamus: ſpecta primùm ad quoſdam religioſos orationi genubus ad terram demiſſis factitandæ aſſuetos ſic, ut articuli diu fatigentur, & obſtupeſcant (ex hoc vitæ genere maxime Capucini, atque obſervantioris voti Auguſtiniani, Carmelitanique ſunt) hi quàm ſæpiſſime genus hoc mali ſolent incurrere. Sed ex percuſſu etiam, qui parvulum atheroma retuli nuperrime narravi; præterquam quod & ganglium conſimile tuberculum in carpum ex vi atque ictu proficiſci teſtantur Græci omnes, & Paulus Aegineta l. 4. At ſi ganglia ex ſylva noſtra rejicis; ſunt & melicerides, quas ex oblata ſimiliter cauſa pleriſque ſub carpo naſci comperi, affectu videlicet conſentaneo, qui ad dolentes infirmataſque particulas præſertim ad articulos, qui laxi ſunt, ſuccos evocet è corpore, qui ſucci poſtmodum decernente calore in hanc, aut illam formam tranſeunt, atque ita, & atheromata, & melicerida exhibita extrinſecus occaſione accidere poſſe jam apparet, de ſteatomate idem, quod neque hactenus obſervavi, aut auſim dicere.

Cap. 19. *Normæ diſcretices anomalorum.*

GEnerales autem iſtorum notæ ſunt hæ, ex parvulo incipiunt, & diu paulatimque increſcunt, & tunicâ ſuâ includuntur, fereque ſine dolore ſunt, quid intus habent ut conjectura præſagiri poteſt; ſed ex toto cognoſci, niſi cùm ejecta ſunt, non poteſt. maxime autem in his, quæ reſcinduntur, aut lapillis quædam ſimilia, aut concreti confertique pili reperiuntur. In his verò, quæ cedunt, aut melli ſimile aliquid aut tenui pulticulæ, aut quaſi raſæ cartilagini, aut carni hebeti, & cruentæ, quibus aliqui dolores eſſe conſueverunt. Atheromatis humor ideoque preſſum circumfluit, ſteatomati pingue quiddam, idque latiſſime patere conſuevit, reſolvitque totam cutem ſuperpoſitam ſic, ut ea labet, cùm in cæteris ſit abſtrictior. Hæc Cornelius l. 7. cap. 6. Sed hos omnes ita diſtinxit Aëtius Tetrab. 4. ſerm. 3. cap. 7. & 8. Eſt atheromatis tumor ſpecie, & figura oblongus ſublatuſque, & ad compreſſionem digitorum, ob humoris craſſitudinem tarde cedens, & amotis digitis tarde revertens. Meliceris differt ab atheromate figurâ, & humoris eſſentiâ, nam & figura rotundior eſt, & humoris eſſentia tenuior, & hujus tumor magis revertitur. ſteatoma & tumor tactus levis, & in principio quidem puſillus, ſed temporis progreſſu amplior. Sed Paulus Ægineta l. 6. cap. 36. abſceſſuum iſtorum notas, & indicia breviſſime deſcripſit his verbis; ſteatoma aliis durius eſt, tactui renititur, & baſin habet ſolidiorem. Meliceris laxi cujusdam corporis modo ſubſidet. & tarde quidem funditur. citò verò rurſum ſuccreſcit.

Cap. 20. *Quæ ad futura ſpectant judicia.*

ABſceſſuum iſtorum præſagia ſummatim, & paucis attigerunt omnes, qui de his tradidere: nos autem de univerſis optima deſcribemus. Quod ad eventum pertinet, hos omnes periculo non terrere pronunciavit Celſus, verùm non ita quidem alii poſteriores è quibus unus Julius Cæſar Arantius in l. de tumor. præter natur. cap. 3. refert tum cauſtico medicamento, cum ferro frigido, aut candente tractatos ex his aliquos interiiſſe propterea, quod inflammato pericranio craſſa cerebri membrana coaffecta eſt. Et Vidus Florentinus in oper. de curat. gener. part. 2. l. 12. c. 11. eventus, ait, ſalubris expectari debet, ubi curetur abſceſſus priuſquam valdè increſcat; qui admodum grandis eſt; vel non curatur; vel hominem diu torquet, vel cum periculo curatur, ne venæ, & arteriæ magnæ violentur, & homo effuſo ſanguine decedat. Sed Gabriel Fallopius loco ſæpius memorato; ſi capitis, inquit, aliqua parte occupata ſic hæſerint, ut loco moveri non poſſint; oſſioſſis timenda corruptio eſt: maxime ex atheromatis luis venereæ fructibus, manet, inquam, vel oſſis, vel membranæ corruptio, ni mature ſuccurrat præveniatque medicus. Eſt item difficilis, & verenda curatio, ſi tumores hi guttur adorti ſint, ampli potiſſimum. Ex adverſo, qui ſe quocunque trahi ſinunt tutiſſimi ſunt omnes; ſi tantum eos, qui tenui diſcludente membrana cavis corporis locis incumbunt, exemeris. Cæterùm ſunt interdum abſceſſus iſti ſuppurabiles; quod cognoveris ex colore rubente, & aliquantulum accenſo: unde & curationis brevitatem prænunciare licebit.

Quod ad curationis attinet tempus; hoc quidem medicamentis longum, chirurgia verò expedita eſt. Sed via, qua tolluntur hæc tubera, paulo poſterius exponetur.

Cap. 21. *Sunt abſceſſus hi curandi; & de curationis neceſſitate.*

HAC noſtra tempeſtate medicorum omne decretum in eo conſtitit, ut neutiquam per ſcalprum attrectanda judicent hæc apoſtemata, utpote quæ non urgeant. Veruntamen incommoda multa, quæ genus hoc afferre ſolent inconſultè tranſcurrunt. Taceo formæ turpitudinem; quæ multis eſt ſupplicio; ſiquidem in locum corporis oculis aſpectabilem inciderint, præcipuè verò fœminis & mollibus hominibus; quibus, ut notat Celſus, eripi cura cultus ſui non poteſt. Sed enim qui horum moleſtiam, quis alienæ ſubſtantiæ inhæſum diſſimulet, totis vitæ curriculis ſtabilem? Sunt autem horum materiæ toto genere præter naturam, ut notat Gal. l. 3. meth. med. non ſemel.

Præterea vaſtitatis incommodum interdum eſt tale, ut motiones corporis, & muſculorum impediat, perpetuum autem illud, quod in unum latus decubitu privant homines; ſi de majuſculis tamen hoc dictum intelligas. Porro videre licuit ſæpe Neapoli mendicum, cui abſceſſus erat in ſiniſtra nate (napam & naſdam vocat Conradus Tigurinus) major, quàm totum abdomen ſit communis menſuræ hominis, undoſus fluctuans; tota ſua comprehenſione concolor, indolens, & mobilis velut utris. homo habitu ſtrigoſo, & ſqualenti atque etiam quaſi confecto. Plures quoque relati ſunt à me antè, quibus incommoda vita erat, & qui principio ſanari potuerant facile jam inſanabiles. Tertio etiam ad plenilunia atque

atque interlunia dolent acriter, atque efferaſcunt ita diſtenti, ut diſcerpi ſibi membra ſentiant laborantes. Ad hæc per extremos brumæ rigores difficile non eſt, ut rigorem nigroremve obeant. Etenim æſtate media licuit obſervare in fronte cujuſdam hominis atheroma, quod attactu perſentiretur frigens: adeò ſcil. à natura, & comite calore diſtat incluſus fomes. Poſtremo ſi locum excarnem infimi, vel medii ventris atheroma prehenderit, aliquot annorum curriculis non eſt difficile, ut factis eroſione cuniculis interdum in cava penetret viſcerum, quod Dominico adoleſcenti Abellinati eveniſſe comperi, eventu planè funeſto. Etenim ulcerato circa Xyphoidem atheromate poſt aliquod facto ſinuatio in ultimam membranam; & clauſtra pectoris ſenſim exhauſto ſpiritu finiit puerum alioquin imbecillum.

Adhæc mala omnia illud accedit maximum, & difficillimum, quod ſub longa contage ſaniei, atque putredinis ad uſque os ſubjectum conteri ſolet, ut ſi in caput vitium inciderit, pericranium, & cranium infectionem maneante ut evenire ſolet è gummi venereo, quod adnotavit Falloppius loco ſæpius recitato; Itemque è talparia, teſtimonio Lanfranci Mediolanenſis, Guidonis Cauliaci tract. 2. doctr. 2. c. 1. Amati Luſitani centur. 1. curat. 16.

Cùm igitur, inquam, putridi vitii pericula foveant hi abſceſſus; cùm menſtruis incrementis, diſtentionum, & molis, onerisque moleſtiâ fatigent; detrimentum afferentes amictus, inſeſſus, decubitus, motus, item plerisque vitæ muneribus; nec non majeſtati vultus, cui tantopere natura ſtuduit; incommodent; denique cùm non ſemel ad uſque mortem inſolentia ſint; quid non amputandos eoſdem, & quacunque licèt arte demoliendos exiſtimet quiſpiam? vel quis etiam nunc deliberate reſcindendos abnuat? Suaſum hoc quippe nobis per veteres autores Græcos, Latinos, Pœnos, Mauros, Arabas, & Arabiſtas omnes, ſeu Medicos, ſeu Chirurgos, ſuaſum etiam noviſſime à Gabriele Falloppio, Joanne Tagautio, Hieronymo Fabricio, Joanne Riolano in Chirurgia cap. de bronchocele, nata, teſtudine, talpa; Bartholomæo Cabrolio obſ. 30. & Fabricio Hildano, obſervatione 63. Illud autem frugis conſequitur, ſi declinetur, differaturque Chirurgia, ſive geſtantium hominum, qui non permittunt, ſive medicorum, qui operam attrectare non audent; culpâ; ut ſæpe cùm allaborare velint, non poſſint. Notus eſt homo Neapoli, qui circumſeptas cervices, & collum quatuor atheromatis folliculi luſorii magnitudinem æquantibus habet, jam jam, ut apparet, ſtrangulaturis. Notus & eadem urbe Ferrandus Laudiſella ſophiſta doctorque adoleſcentium eruditus, qui cùm ſteatomatis in gena extantis excisionem multis jam annis ab experientis medici manu refugerit: jam accretum ad magnitudinem mali inſani tumorem, & amictu inſolenti nunc obtegere coactus eſt, & vix aliquem reperit, qui tutò ab eo ſe malo liberare confidat. itaque neglectam in arduis chirurgiam pœnitentia ſemper ſequitur. Quod ſi me audient, aut medentes aut virium hoc ferentes, cùm primum ſe prodiderit exultans cute tuberculum: è veſtigio ſuccidant; nil veriti. facile tenella revellitur arbuſcula, quæ cùm altas in patrio ſolo fixerit radices, & revellentis omnes vires ridet, & reſecta repullulaſcit.

Cap. 22. *Exciſorum aliquot abſceſſuum hiſtoriæ memorabiles.*

Sed hos, qui ne arduas quidem, ſed mediocres operas, tam multum reformidant, inertes ac degeneres noſtros homines productis aliquot externarum quidem, ſed felicium curationum exemplis confirmemus. Nempe nos eventu proſpero nonnullos ejuſmodi tumores excidimus, quorum omnium non ſolùm exciſionem, ſed etiam apertionem nemo unus non credidit exitio futuram. Quatuor ex his memorabiles hiſtorias tota propemodum urbe notas expoſuimus in noſtro phyſico-chirurgico; cap. 12. ex quo tranſcriptas hîc habe atheromatum, ac ſteatomatum enarrationes.

Hiſtoria ſteatomatis I.

Steatoma IV. librarum pondo 10. jam annos pro inſanabili deſtitutum, de poplite pendulum excidimus Reverendo cuidam è Carmelitis novæ formæ ſodalibus Sacerdoti, cui nomen Eugenio Calleſano Hiſpano Madritenſi pro inſanabili tot annos à medicis permultis Europæis deſtituto, qui ponderis, quo fere dejiciebatur, impatiens multa ſe mihi prece, atque obſecratione curandum commiſerat: curavique ſecta amplè cute, ac tubere cyſtico circumquaque reſoluto, mox ulcere repurgato, & intra 40. dies obducto: intervenientibus ad eam rem Adamo Marchio medico perdocto, Franciſco Moſca, Franciſco Romano, & Bartholomæo Calova in noſtro Incurabilium Noſocomio Chirurgis aſſiduis, ac multos annos exercitis.

Steatomatis hiſtoria altera.

Gratiæ de Philippis virgini Deo ſacræ in Cœnobio Jeſu Neapoli ſpectante Mario Schipano viro quidem non ſine honore nominando, excctum eſt per me ſub jugulum ſteatoma, quod ſelibram pependit: abſceſſus, qui ſex jam annos nullo medicamentorum fructu continenter creſcens, ſacram fœminam perpetuò torſerat ac pene jugulaverat.

Hiſtoria atheromatis I.

In genu ſiniſtro 12. jam annos geſtaverat tuber folliculi luſorii minoris magnitudinem æquans Fr. Stephanus à Calatio Capucinus, vir quantæ in Deum pietatis, vel hoc argumento cognoſcendus, quòd cùm lætiferam, hanc in articulo diſſectionem celebratiſſimi noſtri Medici uno omnes ore pronunciaſſent: nihilominus hic tamdiu privatus eâ, quæ ſolo defixis utriuſque genubus fieri conſuevit à Sodalibus Sancti numinis adoratione frequenti: facultatem hanc etiam cum tormento ac diſcrimine vitæ maluit conſequi, quàm officio ſuo cedere, ac ſanctarum exercitationum carere fructibus. Hujus igitur viri, tam pio deſiderio gratificatus; cunctis ex ordine proviſis, præcautiſque his, quæ curationis curſum interturbare potuiſſent: rem inſtituto cominus, acuto Scalpro cutem amplè, qua maximè extabat, inſeco, divìdoque quoad pateret membrana. Quæ ſubſecta circum, tandem in manus venit, & media diſciſſâ ſaniem reddidit ſubnigram fæcis vini ſubſtantiâ, cartilagineis ferme cruſtis interne obſita. Qua cavitatis quidem, & externa aliqua parte caruncula putres, & boleti formam referentes extumeſcebant. In univerſum erat membrana uterini chorii modo denſa, dura, craſſa, quæ poſtquam eſt deterſa miniſtri manu, vellere infarcta, & ad caminum depoſita, vendicata jam à putredine talis apud me ad hanc diem aſſervatur. Chirurgiam ferme nihil inſequutum eſt mali; niſi ſi paucum effuſum ſanguinem admemoraveris. Atque hæc de primo illo exciſionis actu; cæterùm quod ad reliquam curationem pertinet; in ulcere medicamentis primùm digerentibus, mox expurgantibus

tibus ritè procurato; paulatim accreta caro vacuum orbem implevit, ſanatuſque eſt homo 40. dierum ſpatio, ſine ulla inceſſûs offenſa, Deo bene favente: cui quidem auctori medicationis omnis felicitas accepta eſto.

Atheromatis hiſtoria II.

Neapoli urbe cunctis artibus boniſque florentiſſima, ex honeſta Coppularum familia juvenis fuit, & modo eſt, cui Tyberio nomen ortum huic 16. jam annis ſupra lævam mammam tuberculum principio puſillum piſi inſtar, quod ſingulos in annos aggeratum tandem excreverat in ovi gallinacei magnitudinem, concolor, mobile, æquale, duriuſculum, dolorem non inferens, niſi cùm vehementer premeretur. toto decennio ſollicitè chirurgicos, qui ſunt in urbe omnes conſuluit, requiſivitque de tollendo vitio. Reſpondere alii, nihil ut adhibens, rem naturæ committeret: quippe vitium irritare periculoſum. Alii vel ut balſamelæo, vel appreſſa plumbea laminula excuteretur. Nullus è pleriſque in multis chirurgiæ meminit, quam nemo non ex auctoribus hujus diſciplinæ proponit. Demum me, ac ſex è principibus medicis congregat domi, ſinguli, ut diceremus ſententiam. Scirrhum dixere quidam: quidam occultum cancrum, qui, tentandus non eſſet ad Hippocratis ſententiam 38. aphor. lib. 6. Tertii quidam emphyſema abſurda quadam opinione: ſcirrhum œdematoſum pronunciavere plurimi. Ego atque alter quidam, qui ſententiam meam à conſulente reſciverat, ſteatoma pronum clavimus. Conſenſere in id omnes, ut medicamentis tractaretur chirurgia valere juſſa. Ego contra chirurgia certum, atque unicum in hac re præſidium, ut profeſſus fueram ſemper: ita & in dictione mea peroravi. Refutavere omnes curandi genus, adhæſitque homo alteri ſententiæ, ut quæ leniora proponeret, veruntamen fatigatus diu remediis, victu tenui, ſudoribus, decocto ſarſæ paril. fonticulis; neque aliquid aſſequutus ex his, niſi longa laborum tædia, venit ad me feſtinè, ſuccurrerem: vitam odiſſe ſe præ noxa iſta corporis. Tantùm ne quid ferro agerem, certum ſe pati quidquid oporteret. Breviter, pyrotico cutem aperui. patuit cyſtis putaminis ovi modo candicans, qua diſſecta promptum fuit merè putridam fætidam, atque artocreæ coctæ modo laminoſam, ſed cruſta referentem ſubſtantiam latè complentem infarctu ſuo amplexum omnium folliculi. Labor fuit in eximendis membraneis fibris, quæ radicum inſtar hærebant: quibus tamen extirpatis, dies circiter quadraginta finita curatio eſt.

Hærere autem abſceſſus hujuſmodi anomalos plerunque nerveis & cartilagineis fibris obſervationes teſtantur, qualem contigit obſervaſſe aliquando in pedis digito medio, quales etiam fuêre obſervatæ fibræ in abſceſſu Marini Caputi & Vicarii, Archidiaconi vici Equenſis; viri ſpectatiſſimi: Similiter cartilaginearum fibrarum in abſceſſu reſpectarum exemplum habes. In R. P. D. Andrea Cancelliero Cartuſiano Monacho probatiſſimo, cui rei hiſtoriam ab amico fideliſſimè conſcriptam, huic noſtro de abſceſſibus anomalis tractatui inſerere placuit; eſt autem ex autographo talis:

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO Viro D. Ioanni Simoni de Gratia Philoſopho & Medico præſtantiſſimo. Ioannes Baptiſta Capucius Doctor medicus S. P. D.

Quam lepidè abs te compellari videor clariſſime Simon, quàm urbanè; parum abeſt, quin dixerim ridiculè: ſic revocaſti ejectas jam pridem è domo tua philoſophica argutas Curialium nugas; quarum quantò major, & religioſior in hoc fucato ſeculo cultus, eò pernicioſior eſt uſus, magno cum ingenuitatis opprobrio. Quid agis cum rythmicis iſtis alloquiis amicùm, qualem me noſti, ſtoicum& rigidum (ut tua tibi regeram verba) rogas, precaris, blandimentis excitas? Me fatuum hominem fingis, te Logodædalum, quo utroque vitio, ſicuti revera vacamus ambo, ita cynicè, ac liberè effando, uterque noſtrûm, tali etiam ſuſpicione liber eſt. Amicitia quidem ſicuti animorum nexum facit, ita & bonorum omnium communionem. An fortaſſe noſtræ Europæ mores oblitus es; an amicitiæ transfuga videri vis? Abſit. Quid igitur precatiò poſtulare, quod jure tuo tuum eſt? tua ſunt mea ſtudia, tui laborum meorum, ſi qui ſunt, fructus, ſiquidem quod vivo, & ſpiro tuum eſt. Hac igitur eâdem epiſtolâ nobilem illam, quam tam anxiè efflagitaſti, curationis oſtracoli tumoris, à noſtræ ætatis Chirone, Doctiſſimo inquam M. Aurelio Severino magno naturæ myſtâ confectæ deſcriptam habebis, utinam tam eruditè, quàm verè? potero ſiquidem oculatus teſtis de re integra fidem facere, qui tunc temporis Chartuſianorum hoſpes vixerim, quorum ut ſingularis eſt in bonarum artium, & muſarum aſſeclas ſtudium & propenſio, ita liberalitas, ac munificentia compotem reddidit, ut cuncta exactiſſimè adnotarem. Feracia ſunt (ut hinc exordiar) Carthuſianorum corpora, malorum complurium è tartaro ortum ducentium (tolera interim verbum hoc Paracelſæum) ſed tumorum in articulis excreſcentium feraciſſima. an ob ſtrictam vivendi regulam, quâ carnibus cane pejus, & angue abſtinent? An ob nocturnarum vigiliarum frequentia, in quibus Deo pſallunt diutiſſimè recti, vel incurvi, ſedentes nunquam; laboraverat pertinaciſſimâ meliceride in dextero genu R. P. D. Dionyſius Coccia Cœnobita ſeveriori vitæ addictus in clauſtro, cui poſt aliorum Medicorum ludibria, auxiliares manus Severinus ipſe dederat eventu feliciſſimo; cùm V. P. D. Andreas Cancellarius alere ſe etiam in dextero genu tumorem non ſpernendæ magnitudinis, cujus natalia ab anno 1632. numerabat; veluti per jocum affirmavit: ſphæricus is erat: cujus ambitus ſeſquipalmaris fili menſurâ comprehendebatur, omnino indolens, ſolo pondere religioſo viro moleſtus, ut proinde mollium, & inermium Chirurgorum, quibus nunc Neapolis abundat, timiditate eviratus, nihil de illo extirpando cogitaret, quidquid Clariſſimus Severinus pronunciaret de corruptionis periculo. Indulſit igitur proprio genio naturâ, ſenſimque & furtim molem illam adauxit adeò, ut operis veluti ſumptuoſi poſtmodum pertæſa, ceperit orbis, quem tam ſedulo conſtruxerat ruinam moliri. Accerſitâ igitur fermentatione magno illo ſeparationis inſtrumento calorem, & ruborem, & dolorem etiam aliquem in ſui auxilium convocavit, pulſum verò nullum, ob arteriarum defectum, quibus meritò carent hujuſmodi tumores Doctiſſimi Dureti ſententiâ, ubi hæc urgere cæperunt, cæpit etiam Chartuſianus ſuæ ſalutis

ſalutis integritatem deſiderare, ac Medicorum conventus adire, ut præſentaneo, ſed leni aliquo remedio ſævienti morbo obviam iret. Deflexit ergo ad comptos illos, & muliebres Chirurgos, à quibus, ut pingues aliquas inunctiones impetravit, ita pinguem inquilinum hoſtem reddidit; adeò ut circa Februarii finem, anni 1640. puſtulis aliquibus in tumore apparentibus, ob vim adauctæ intus corruptionis inceperit in eo floridus color occidere, ac tenebræ ex inferiori Limbo obrepere ſurſum, & corpus molis totum febris incrementum ſumpſit, ſtipata ſuis aſſeclis lumborum gravedine, ſtomachi debilitate, virium lapſu. interim excavato foramine ab arſenicali intus congeſto excremento in ſuperiori parte materia ab illo emanavit, coloris quidem fæci vini ſimilis, ſed odoris adeò horribilis, & ut, ita dicam, peſtiferi, ut etiam adſtantibus & ipſis Medicis ſtatim atque in cubiculum ingrediebantur alioquin peregrinis ſuffumigiis odoratum, nauſeâ, & capitis dolorem excitaret. Cutis in nigrum abibat ex aliqua parte inſenſilis. Tunc ſeriò res ſuas agi animadvertit religioſiſſimus Pater, ac ſe ab unguentariis Medicis deluſum, ſicuti ingenuè ab Excellentiſſimo Severino præmonitum agnovit. Interim R. Prior Jo. Baptiſta Aſſantius incomparabilis in ſuos pietatis; & Zeli acciri Medicorum conſilium voluit, in quo ſex capita diſceptavere, ut Neapoli mos eſt, ad pompam; trium enim tempus eſt trium horarum in exquirendis, & conciliandis Galeni locis: quandoquidem in varias ſententias itum eſt; putantibus aliis ſteatoma, aliis meliceridem eſſe, cùm tamen Excell. Severinus demonſtraſſet innominatum eſſe abſceſſum, de quo aliqua obiter Galen. 14. meth. poſt carbunculi curam: quod poſtea confirmavit eventus. Concluſum tandem à Senioribus, de ægro jam conclamatum eſſe, futurumque ut degenerante gangræna in ſphacelum cita mors adſtaret foribus, vel minimo minus etiam ob alias cauſas ægrum lenta tabe liquatum iri. Præſcripta ſunt putida illa Arabum cordialia ad ſpirituum vim confirmandam, quæ ſi poſtero die aliquo pacto reſtituta viſa fuiſſet, poterat de foramine aperiendo è diametro prioris reſpondente cogitari. His Medicorum conventus ſolutus eſt ſub veſperam diei quinti Martii, in cujus nocte ſubſequente efficaciſſimè operante cataplaſmate ad intercipiendum gangrænæ motum à Severino præſcripto; præter aliquorum Medicorum ſpem remiſſa eſt febris, & ſymtomata leviora apparuerunt, ſupererat ex Medicorum conſilio foraminis apertio, de qua cùm Clariſſimus Severinus, tanquam inefficaci præſidio juſtis de cauſis etiam difficili malè ſentiret: coram Reverendiſſimo Priore priùs cauſâ benè retextâ, ægro aſſentiente magna cum promptitudine, atque animi alacritate decrevit, poſtero die regularum curam potentibus auxiliis inchoare. Mane igitur octavi diei Martii cauſticum, haud quidem ad planum femoris, ſed ſuperiùs ad duorum digitorum tranſverſorum altitudine toti tumori circumduxit, quod intra paucas horas egregiam operam præſtitit, adeò ut die decima tertia extractæ fuerint cruſtæ ad daleri craſſitiem excavato circumcirca vallo, quod ſericeo filo per ligneum vecticulum conſtrictum ad diem uſque decimum ſextum, tandem novaculâ omnino exæquatum eſt, exciſo globoſi tumoris ſuperiori hemiſphærio, inferiori candente ferro pluries aduſto, ſic nulla ſubſecuta eſt hæmorrhagia, doloreſque, adhibita propè genu quantùm ferre potuit, calidiſſima teſta cum adſtantium omnium admiratione ſedati ſunt, pependit amputatum culmen uncias circiter 18. atque in oſtracoſæ carnis illius medio, quæ novaculæ aciem obtundere potuit, obſervatus eſt ſinus inæqualis, & cavitas minor quidem quàm putabamus, ex proportione magnitudinis, in quo ſinu ſtagnaverat fætidiſſimum illud virus. Conſtitit poſt reciſionem, tumori non fuiſſe folliculum, ex quo Severini ſententia triumphavit. Verùm enim verò fit inter Miniſtros Chirurgus, qui ſubtilius rem diſquiſiverat, putans exactiori ſua acri via ſe reperturum ſaltem quicquam proportionale cyſti, ſed utcumque allaboraverit præter oſtracoſam carnem, quæ variis fibris intertexta erat, ac veluti inæqualibus corticibus compoſita, nihil aliud notare potuit curioſus ille anatomicus; octiduo autem elapſo ab hac primâ operatione ex frequenti, & efficaci illitu ſaturnini butyri, & aliorum emollientium ſeparata eſt à viva carne cruſta digitalis craſſitudinis. Interim benè ſe habente ægro in omnibus vivido ſuo naturalis colore perfuſo, & ſuperſtite ſucculentia illa habitus, qua naturaliter præditus is erat; Cæpimus de tam felici eventu omnes lætari, & rem in tuto poſitam, beneque peractam exiſtimare: Verùm clariſſimus Severinus in ſubtus derelicta tumoris parte ſyrtes latere, hoc eſt, graves difficultates, & pericula muſſitabat; nimirum terreri ſeipſum, aiebat ingenuè, per rebellem illam duritiem in tumoris radice firmatam; adverſus quam etiam validiſſima cauſtica ficulneum robur ſuum oſtendebant. Verùm nihil non cadendum tamen animo ſuadebat: depromptûrum ſe efficacis Chirurgiæ ſuæ arma, quibus omnino futurum erat, ut caderet hoſtis. Viciſſim ergo nunc cauſticis ſolidis, nunc liquidis, nunc actuali igne noſtri ſæculi Hercules Lernæa Hydra tentavit, at illa ſui officii haud immemor cùm ſupra os patellæ jam deventum eſſet, ex rimis, in quibus tendones vel ad invicem, vel cum oſſe coëunt vel unius noctis ſpatio fungoſa capita emittebat, contra quæ etiam Hermeticorum illa Draconum ſpuma hebes videbatur. Sed tamen excogitavit Clariſſimus Vir malo nodo, malum cuneum; ac liquore quodam, cujus nunc compoſitionem non ſcribo, ſuperfuſo & agitato, è ſpongiola illa carne glutinoſum humorem emungebat priùs, inde arcano ſuo albo præcipitato deſuper adſperſo ſæpius cruſtulas extraxit; tandem ad operis compendium, ignito auro radicitus renaſcentem beſtiam occidit; adeò ut non ampliùs pullularent capita. Detectus ex parte tendo latus eſt, ac non ſine admiratione obſervatum eſt, oſtracoſam carnem, & fungos intra tendonum fibras radices habuiſſe, & in medio patellæ omnino labem ad os uſque pertigiſſe; unde opus fuit deſquamationi vacare, quam egregiè præſtitit extractum Ariſtolochię rotundæ, euphorbii aliqua portione commixta. Hujuſmodi laboribus Aprilis & Majus menſes inſumpti, ac jam ulcus ad daleri magnitudinem, quod in primâ ſectione diametro ſpithamæ menſurabatur, devenerat. curabatur autem emplaſtro ſtyptico Paracelſi, cùm ſub nocte D. Joan. cujus feſtum 24. Junii celebramus; deſcendens æger lecto, ſcipione non benè firmo innixus, in pavimentum toto corpore illiſit, ac genu affecto præcipuè: unde & diſciſſa ſunt ulceris labra, & fluxione accerſita recruduit ex parte malum; adeò ut inſudandum pertinaciſſimè fuerit uſque ad vigeſimam Auguſti, quâ die jam ocii pertæſus, & ſuæ ipſius ſalutis benè conſcius Religioſiſſimus Vir è Monaſterio D. Martini ad officii ſui curam diſceſſit, qui vivit, nunc Pancraticè motûs nullo impedimento notatus; Cum Martino Delrio ſæpè dictitans non pejus eſſe ab uno lictore morti addici, quàm à centum medicis.

Hæc

Hæc eſt ipſiſſima curationis Hiſtoria. Vtinam verò amice, egregia illa Severini facinora, ut apud exteros gloriam, ita apud Neapolitanos invidiam non excitaſſent, qua una torpere tanquam faſcino videtur Clariſſimus Vir ad ſua ingrato mundo bona communicanda, maximo cum litterarum, & Hippocraticæ Medecinæ detrimento, cujus alioquin reparator eſſe poſſet. Cæterùm tibi librorum helluoni, quid nunc in os ingeram non habeo; nam ut noſti; & ut cum Scaligero dicam, Italiæ non niſi Mercaturæ, & forenſium librorum chartæ excuduntur, at feliciſſima illa Germanorum prælа, vel ob Martis ſtrepitus quieſcunt, vel ad nos ſua non tranſmittunt, licet ad miraculum nunquam ſatis laudata illa ingenia teutonica inter bellorum turbines, & literas profiteantur & in Medicina exornanda deſudent perpetuò; quibus ſicuti gratias pro tanto opere debemus, ita Italicæ gloriæ memores invidere etiam poſſumus. Vale vir clariſſime, qui ſicut à me coleris unicè, ita fac, ut abs te redamer æquè. Neapoli, nonis Ianuarii, Anno 1642.

Hiſtoriæ meliceridis.

AD hæc meliceridis hiſtorias memoratu dignas non ſilebo, quarum una eſt. Petrus Antonius Ruſſus Amalphenſis V. iam annis ferebat dextera mamma melicеridem tam magno tubere, ut caput hominis æquaſſet. Hanc dum medici Valetudinarii noſtri ferro vererentur attingere, intrepidus ego ſectionem aggreſſus ſum, certus anatome ſub gracilis viri mammæ corpore, nihil præter cutem, & adipem extare: deinde & fluctuatio ſuffuſum intro fluorem me docebat. Iam igitur huic exeċto tenuis ichor exiit mellis albi referens ſpeciem, quo in dies exhauſto ſanatus eſt homo non longiore, quàm menſis unius curriculo.

Similiter Honofrium Stranerium Neapolitanum Iſabellæ nobilis obſtetricis ex fratre Nepotem, 12. annos natum ex ingenti meliceride circa ſiniſtram mammam inhærente vexatum, cùm plerique medici pharmacis internis, & decocto ſariæparil. & quotidiano ſudore, quibus unicè confidebant, adhibitis; nulla unquam parte juviſſent: ſola nos tumoris apertione ſuæ, prorſus integritati reſtituimus. Res nota perviſaque, tum tonſoribus ad compita Spiritus Sancti, tum Aloyſio de Gratia, & Franciſco Laviano medicis præſtantiſſimis. Exempla ſunt hujuſmodi, ut non poſſint eſſe graviora tum exceſſu magnitudinis, tum locorum perdifficili ſitu, tum vitii gravitate, ac novitate. Quibus tamen nil operantibus ſunt homines integrè reſtituti. Quas ob res niſi verè ſint impotentes, atque omnia tuta timentes; non eſt, quod ſimiles, ac ſæpe etiam minores operas refugiant noſtri chirurgici.

Cap. 23. *Indicationes curativæ.*

ANtequam verò ad ipſam anomalorum abſceſſuum curationem accedamus, mentio quidem eſſet facienda curationis eorundem prophylacticæ, ſed quia eandem abundè deſcriptam nobis reliquit Ioannes Langius in epiſt. 4. l. 10 itaque te eo remitto, interim tamen aſolutè plurimos uſtione Arabicâ me curaſſe, te latere nolo; inter quos etiam eſt integerrimus Generalis Antiſtes ordinis Montis Virginei, Reverendus item P. Ioannes Baptiſta Nenna ejuſque ſodalis Horatius Tarantellus utrique ſocietate Jeſu viri: Inſuper ſacerdotes templi incurabilium duo, & Auguſtinus Saulinus Doctor Medicus probatus ac Gregorius Saponelibrarius compoſitor, ampilo aut ulceri delapſa cruſta & membranula per corroſiva ſubducta, facilis fuit carnis inductio & in cicatricem obductio. Hæc de prophylactica curatione ſufficiant, ſequitur nunc altera.

Cùm autem triplex is abſceſſus alieno conſtiterit concremento: expletur omnis curandi ſcopus evacuatu, atque abſumptu materiæ, quæ opera, vel ſenſu evidens, vel obſcura eſt. Evidens quidem, tum putrefaciendo, tum exſcindendo habetur, obſcura medicatio per diſcuſſum eſt lentum, quem medicamenta extreme calida præſtant, & abſorbentia, qualia ſunt inter cætera Galeni empl. diapyrites, & diadictamnum, & ſacrum opere de comp. med. per gen. deſcripta. Itaque horum abſceſſuum omnium curatio communis eſt triplex, per dirigentia, per liquantia, per exectum. Porrò uni meliceridi triplex hæc omnis ratio pro libitu, proque affectus accommodari poteſt: corruptoria verò, & exectui atheromati conveniunt. Solus exectus ſteatomati competit, quippe materiæ craſſitie contumaciſſimum ad medicatum ſteatoma; minus atheroma eſt. multò omnium minime meliceris: de qua Galenus in l. meth. med. cap. Paulus in l 13. c. 34. Falloppius, & Fabricius memoratis locis.

Jam verò, quod Galenus l. 3. meth. meliceridem reſcindendam abſolutè poſuit; 14. verò ejuſdem operis per diſcuſſum medendam: contradictionem aliquam non habet. Etenim eo loco curationem extremam; hîc promiſcuam, & multiplicem explicuit. Præterea meminiſſe nos oportet, Galenum in l. de tumor. præt. natur. cap. 5. haud perpetuas feciſſe tunicas Abſceſſibus. Fieri ergo potuit, ut tunicata quidem tubercula per exectum à ſcalpro; tunicæ verò expertia per digeſtum â medicamentis curaverit. Enimvero diverſitas hæc, & mihi comperta eſt, qui juveni Romano meliceriem de palpebra detraxi cyſti circumſeptam; in carpo verò mihi, & aliis eandem curavi præter eductum rei ſolidæ. Sed & atheromati non unus eſt modus. interdum enim adhærens leviùs tunica cuti, interdum adjacens laxè reperta eſt. Sic & ſteatomatis variam madore, pinguedine, ſitate, compagine, toto habitu ſyſtaſin adverti ſuperius.

Vides etiam non diſſenſiſſe ſibi Galenum productis locis. Major ambiguitas eſt apud Aetium Amidenum, qui Tetrabib. l. 4. ſerm. 3. cap. 7. propoſuit medicamenta, quæ meliceridas, & ſteatomata citra chirurgiam exolvere valent; ſed pro eis, qui chirurgiam recuſant ea verba protulit: quaſi verò condocefactos hos faciamus in medicamentis utendis tædium, non veram curandi efficacitatem eſſe. vel dixeris, tentanda omnia ſub tumorum initiis. Et Gal. myrmecias diſcuti licere docuit l. 6. epid. com. 2. qui meth. cap. 1. & l 14. cap. 13. & 17. cenſuit excindendas, nimirum, quia toto ſunt genere præter naturam. ſed & Paulus Aegineta l. 3. cap. 34. remedia digerentia potiſſimùm ad meliceridas expoſuit, quæ alia operis parte tradidit excindendas.

Cap. 24. *Curatio per medicamenta.*

QVoniam igitur cyſticis abſceſſibus una meliceris curationem per medicamenta diſcutientia ſibi prærogat; ſeptica verò expoſcit atheroma; de horum utrorumque delectu neceſſe eſt, ut dicamus. Quod autem ad melicеridem ſpectat; curatio per medicamenta difficilis plurimumque fallens uſu comperitur: nihilominus, quia tumoris initio debita, omnibus ſemper optabilis, & à ſcriptoribus pleriſque propoſita eſt: exequemur etiam hîc nos medicamentorum ejuſmodi deſcriptiones, auctore primum adſcito Gal.

qui l. *6*. de compoſitione medicam. per gen. cap. 14. expoſuit Alexandri unum ; quod recipit, Salis hiſpani, argenti ſpumæ, ceruſſæ ana ℔. j. ceræ, terebinthinæ ana ℥j. Galbani, & opopanacis viſci quercin. ana ℥ij. ſinapeos ℥vj. olei veteris ℔. iij. aceti ſextarios octo. Deſcribit & ſic Fallop.

Alterum deſcripſit ex Democrate, quod ſic conficitur:

Libram ſalis laviſſimi
Tenuis, duas ceruſſæ, tot & galbani,
Fac uncias, totidem pura propoleos.
Ariſtolochia binas pariter uncias,
Præſtantis olei libras annoſi duas.
Craſſiſſimum ſi fuerit, addes alteram.
Coquito ſimiliter, temp ratumque probe
Ab igne tollito: lævigatam tunc quoque
Ariſtolochiam inſperges, injeceris ubi
Mollita, propolim ſcilicet, atque galbanum

Hæc Galenus. Aëtius verò propoſuit & ſuum aliud, quod R. Ceræ, terebinthinæ, ſquamæ æris, ſing. ſextantem, ſulphuris vivi, nitri, ſing. unc. 1. radicum ſiccatum, cannabis ſylveſtris drac. xxxv. & ſi defuerint, Ariſtolochiæ tantundem, olei antiqui lib. 1. Radices per triduum aquâ madefactas, & contuſas in oleo coquito, donec torrefiant. Deinde ipſis abjectis cætera, quæ liquari debent, liquata admiſceto, & arida ex aceto trita adjicito, atque utitor.

Sed Paulus Ægineta l. 4. cap. 34. præter alia multa commendat unum ab Archigene excogitatum, quod R. aphronitri, & veratri partem duplam cum cerato duriore impoſitam.

Hæc iſti veteres. è Junioribus verò Joannes Langius l. *3*. epiſt. & Evonymus Philiatrus, tum in operis parte priori; tum in poſteriore, & poſt hoc alii celebrarunt oleum ſubtiliore ignis arte (chymicam vocant) extuſum.

De quo hæc ille: Aqua mirabilis, quæ delet napas, tubercula, ſeu puſtulas papulaſve, aliqui napas vocant (Itali puto) Lupias, glandulas, ſcrophulas, porros, id eſt verrucas, & omnia naſcentia mala ubivis in corpore tollit. ♃. Olei laurini ℔ ij. thuris albi, maſtiches electæ, gummi Arabici, terebinthinæ claræ, ℥. iij. Tritis terendis miſce omnia, & deſtilla per alembicum. & in aqua iſta ſic deſtillata infunde ℔. ß. cineris terræ & iterum deſtilla, & ſerva aquam tanquam theſaurum. Innominatus. Cinerem terrę, calcem puto.

Cap. 25. *De chirurgica curandi ratione.*

DEvenit jam ſermo ad rationem adminiſtrandæ rei chirurgicæ, quam Cornelius Celſus omnium poſt Hippocratem vetuſtiſſimus abſolutiſſimuſque auctor ſcripta reliquit libro 7. rei medicæ c. *6*. his verbis.

Si capillis conteguntur, per medium oportet incidere: ſed ſteatomatis tunica quoque ſecanda eſt, ut effundatur quidquid intus coit: quia non facile à cute ſubjecta carne ea ſeparatur: in cæteris ipſa tunica inviolata ſervanda eſt. Protinus autem alba, & intenta ſe oſtendit. tum ſcalpelli manubriolo diducenda à cute, & carne eſt, eijciendaque cum eo, quod intus tenet, ſi quando tamen ab inferiore parte tunicæ muſculus inhæſit, ne is lædatur, ſuperior pars illius decidenda, alia ibidem relinquenda eſt; ubi tota exempta eſt, committendę oræ, fibulaque his injicienda, & ſuper medicamentum glutinans dandum eſt, ubi vel tota tunica, vel aliquid ex ea relictum eſt; pus moventia adhibenda ſunt. Hæc ille. Addidit Paulus præcipuam emundandæ tunicæ diligentiam ſervandam eſſe in brachiali, in talo, & articulamentis motui dicatis: in quibus locis relicta membranæ portio conſuevit occaſionem exuſcitandi vitij præbere.

Sed nos adſcribemus his utiles quaſdam agendi rationes, & obſervationes.

Primùm abſceſſus cum tunica, qui manibus attrectati permotique ſeſe exhibent circumfluos, id eſt, quoquo verſum ſub cute mobiles: hos confidentiùs arripi curandos licet: in alteros verò, qui firmiùs hærent, jam apertos materiaque opplente exhauſtos, candentia ferramenta tutiùs immittuntur, qui ignis inſuper, ubi minus evulſæ videantur fibræ, quibus abſceſſus nititur, atque ubi periculum eſt, vel profluxuri ſanguinis, vel acceſſuræ corruptionis, opportuniſſimus erit. Ad inſecandum autem cauteria non vulgariter acuta deſiderantur. Smilion, id eſt, recurvum ſcalprum requirit Hieronymus Fabricius Aquapend. in Tract. de tum. c. de atheromate, &c. Sed interim homo, qui tractandus eſt, Hippocr. præcepto in l. de offic. medic. paulò poſt initia, tum ad lumen illuſtre, tum ad te curantem, quàm commodiſſime collocandus eſt; qui ſi timidus ſit, ſive puer, ſive fœmina, manibus ad dorſum retractis religandus; nimirum ne doloris impatiens medicum agentem actis variè manibus impediat, aut pavens, quoquoverſum agitetur. Poſt hæc ordinatis, quæ ſunt ex uſu rituque potiſſimum, habe paratam ſpongiam, qua inter ſecamdum effluens turbator ſanguis extergatur, notabiſque aptè per atramentum ſcriptorium diſſectionis neceſſariæ ſitum, magnitudinem, figuram: quæ ſectio, qua tumor exporrigitur aut paulò citeriùs extendi debet: ſic enim & commodiùs diduci fibras, & apprehendi tunicam, & purgari ventriculum licebit, tum obverſo ſcalpro rem peragas licet, tentans obliqua manu deſciſſionem atque ita etiam excorians cutem, ne folliculum, id eſt, veſtientem membranam convulneres. Inciſione facta præcipit Cornelius, ut tunica ſcalpelli manubriolo diducenda ſit ex cute, & carne, ejiciendaque cum eo, quod intus tenet. Sed nihilominus compertum eſt mihi firmius hanc adhæreſcere, quam ut obtuſæ rei ſcalptu divellatur, quapropter acie ferramenti ſub tunicam immiſſi ſubſecanda eſt, totaque detrahenda; vel ſi hoc æger non patiatur, medicamentis cauſticis exedenda: in qua ſæpius laborare medicum contingit.

Cap. 26. *Adverſiones circa ſingula iſtorum genera, & primo de meliceride.*

MEliceris, quæ carpo paulò ſuperiùs oboritur, his, qui rem minime ſunt experti plerumque imponit ſic, ut credant ſcirrhoſum eſſe tuberculum gangliumve: atque adeo diſſectionem execrantur medentes, Sed nihilominus ſcire licet hanc duritiem evenire diſtentione humoris copioſi, qui candidum ovi, aut, ut veriùs fortaſſe dicam, mel album refert. Hunc igitur mobilem circumquaque tumorem non contrectaveris; confidenter, ſi me audis, aperueris, ſive phlebotomo, ſive paſtinacæ marinæ radio, quem homines timidi minus exhorrebunt. Comperta hæc obſervatio mihi fuit in multis. primum in me ipſo, qui Pithecuſæ degens unam ex his in metacarpo natam diſcidi; deinde in aliis, & in Leonardo Ciccono Civi Abellinati doctore jam medico, qui tum uſum medendi ſub Mario Schipano medico celebri erudiebatur, cujus ſiniſtræ manus initio natum tuberculum licet aliquibus ganglii ſpeciem referret, nihilominus à me ſuppunctum pellucida effuſa

pituita

pituita meliceriam manifeſtam fecit. Cui operę interfuit principio Dominus Coccia Neapolitanus medicus eruditus. Meliceridis ſuper carpo ſuperiore natę folliculus inhærens nullus, quantùm ego in plurimis obſervavi; quare neque ampliorem illius causâ ſectionem feceris; neque ab inſecta illa cyſtis exſolvenda fueris ſollicitus, quam curam multi falsò volunt habendam.

Adverſiones de ſteatomate.

STeatoma cùm abſcideris, memento intemperiem nonnullam, pręcipue ſi majuſculum fuerit idem, in parte relictam curare: conſilium autem tui medentis erit eandem medicamentis naturæ amicis fovere: ubi verò fibras aliquot reſiduas inſpexeris, conſultum his fuerit induci cauſticum, vel ignem leviculum. Hæc equidem à me comprobata ſunt omnia, in eo, quod curavimus Gratię à Philippis Cœnobitæ minori: cujus in hoc libro plus ſemel mentio facta eſt. Atque hęc quidem curatio eſt, ſi lata ſit baſi ſteatoma; namque ſi tenui ſit pedunculo propendens, ſatis erit ad imum exectio. Corroſivis contentus eſt Falloppius.

Illud etiam ex Aëtio negligendum non eſt, quod in ſtrumis ſervatur, ſi ſteatoma ſublevatum fuerit; in circuitu per ſcalpellum, ſubter verò digitis, inſertum verò in ambitu, & ſubter incidendum eſſe. Cæterùm ex ejuſdem viri doctrina ſcire licet in atheromate, ac meliceride tunicæ ſectionem formidari: in ſteatomate, quia ſolidioris eſt ſubſtantiæ, quę non effluit: nullam ejus rei neceſſariam cautionem eſſe.

Adverſiones de atheromate.

SED in atheromatis genere illud inter cętera maximè advertendum eſt, ab aliis quidem nullis admonitum, à me verò dum hęc ſæpe tracto, non ſemel obſervatum: detectam amplè tuniculam abſceſsûs haud ſemper oportere totam à cute revelli concluſo tum infarcta integram: quippe peracerba revulſio, & ab omnibus vix tolerabilis. Satis eſt, ut latiuſculè diſſecta cute, potiſſimùm autem decuſſatim, quam maximam licet, membranæ partem forficulis, aut ſcalpro reſcindas; cęteram portionem medicamentis, non dico equidem cauſticis, ſed digerentibus & erodentibus detracturus: Id equidem comperi primùm in valetudinario, curans Dominicum Riccardum Adoleſcentulum Abellinatem, qui atheroma obtulerat ſuper enſiformi cartilagine, ſexto plus menſe natum. In quo adoleſcente nulla etiamnum facta reſectione, folliculus amplè apertus computruit, & partim abſtergentibus, partim cathereticis extritus eſt, & liquatus. Non diſſentit autem à me Paulus l. 6. cap. 36. Verùm enimvero non te lateat velim, hujus ſortis non eſſe craſſiores folliculos, & cartilagineos ferè. Ejuſmodi fuit is, quem Capucino de genu ſubſtuli, porrò par non omnium eſt conditio etiam ejuſdem generis. Ergo prudens medicus exercituſque ſit oportet, qui perſpicienter omnia diſcernat in ſingulis. Aliud etiam à me comprobatum ſuper eodem adoleſcente reſcias velim. Circa pectus execta hæc tubercula diſtentionem aliquam lacertis thoracis induxiſſe, quapropter ſollicitus eſto laxandorum continuò muſculorum, tum ad ipſos datis medicamentis tum ad axillas, & inguina.

Aliud ex Aëtio ſervandum eſt. Poſt ablatam pelliculam, ſi labia plus æquo laxa fuerint, redundans cutis exſecanda, deinde ſuturis labia connectenda. Atque illud inſuper animadverſione dignum eſt, eodem auctore; ut ſi in capite hujuſmodi tumor fuerit poſt ablatam pelliculam os ambientem ſecemus, & calvariam diligenter abradamus, qua in re facienda, quid conſilii ſit, Aëtius quidem ipſe non expreſſit; ſed nos illud interpretamur, aut quia ſic omnis mali fomes eluitur, ſcatenſque quaſi fons ejuſdem occæcatur: nimirum in pericranium, & cranium inducto per deraſionem poro, calloque: aut quia ſecurius ſic exteritur omnis à vitio primùm inducta labes, nulluſque recidivæ relinquitur locus. Confirmat autem opinionem ſimile quiddam apud Jo. Riolanum, atque alios etiam antiquiores, qui talparium capitis vitium, ut perfectè curetur, etiam pericranium exſcindunt, & os deradunt, ne aliquando vitiatum, plagæ coalitum remoretur.

Cap. 25. *An exemptâ tunicâ, conſuenda plaga ſit?*

QUæſtio nunc ad extremum hunc locum occurrit, num folliculo ad unguem extracto, ſutura conficienda ſit, nimirum, quia vulneris cruenti ratio conglutinatum exigit ſui ipſius. Cujus rei determinatio non ita facilis eſt: nam ſi magnitudinem conſulas, & ſecundùm hanc requiri ſuturam velis, parvus quidem hiatus ex plaga ſolis medicamentis conglutinantibus contentus eſt, ſi magnus eſt ſinus, quantum quidem amplitudo vulneris adjumentum conglutinandi requirit, tantundem etiam difficultatis exhibet, & ambiguitatis, ne fornice aliqua remanente per antiquum cutis habitum ex antea ſubſtrata materia abſceſſus falſus fiat & irritus coalitus, itaque neceſſum eſſet evagantem, & cohærentem cum carne cutim priùs abſcindere, deinde, conſuere, ſed hoc ſæpe homines, qui tractantur, doloribus multis pertæſi non concedunt, poſſunt autem ſi conceſſerint, ſuturâ uti; liberam autem, ut conſuas, vel abſtineas poteſtatem fecit Aëtius, qui, inquit, peractâ operâ, vulneris labia ſuturis conſtringantur, ut meliùs glutinentur, aut linamenta profunda indantur, & curatio ad puris generationem adhibeatur. Tradidit & de ſutura idem vir Tetrabibl. 2. ſerm. 3. cap. 33. & Tetrab. 4. ſerm. 3. c. 7. & 8. At Celſus l. 7. cap. 6. tradidit hæc; ubi tota (tunica) exempta committendæ oræ, fibulaque his injicienda, & ſuper medicamentum glutinans dandum eſt. Approbavit, & ſuturam Paulus Ægineta lib. 6. cap. 36. pręter quam (addens) ſi quid membranulæ reſtitiſſe fuerit deprehenſum, tum enim erodentibus medicamentis reliquiæ ſunt abſumendæ. His & Hieron. Fabricius adhęſit.

Cap. 28. *De Nata abſceſſu ex tenuiore baſi propendulo.*

PRivatam, & peculiarem curationem nanciſcitur Nata, ſeu Naſda, quod plerique dixerunt; tuberculum ex anomalis unum, quod interdum ex graciliore baſi, velut ex pedunculo ficus, propendet. Ad ſteatoma quidem retulit Joannes Tagautius inſtit. chirurg. l. 1. cap. 13. verùm ego potiùs de genere meliceridis fecerim, quippe ſteatoma baſi nititur ampliore, ſi credimus Aëtio: id quod de meliceride atque de atheromate, neque idem ipſe, neque alius quiſpiam dixit. Utcunque cùm hoc tenuiore baſi dependeat; circumſectione, atque amputatione tractandum eſt, non ſimplici apertione. Ita enim Brunus Calaber Longoburgenſis libr. 2. chir. magnæ cap. 8. quæ cæteroquin exciſo ſive adſtricto filo in puſillanimis ad ſtupefactum uſque partis; ſive etiam ſine innodatu, quod Bruno viſum eſt, fiat; in noſtra eſt manu. Inuſtionis verò neque ille meminit, neque neceſſitas ulla eſt; niſi cùm aut profluvii ſanguinis, aut recurſûs vitii metus ſuadet.

PERORATIO.

Jamque abſceſſus anomalos, & incompertos adeo, ut ne genus quidem, aut forma, aut cauſæ, aut generationis, modus, aut exortus, aut incrementa, aut augendi vis cognita prius eſſent, explicavimus, illuſtravimuſque quantum unicuique ſit ſatis. Opus, ita me Deus amet, quod, ut multi laboris fuit, ſic & non pauci credam operæ precii: nam quid exleges naturę res & inordinatas (ſi quæ ſunt tamen hujuſmodi à ſe veraciter emiſſæ aliquæ) ad legem normamque id eſt, ad notitiam lucemque revocari? quod igitur id jam præſtiterim, ut fatear, mihi ipſe non gaudere non poſſum defunctus hoc commentationis genere, quod nemo hactenus attigit: bene autem de re ipſa meritus an ſecus, aliorum eſto judicium, mihi ſatis eſſe potuit, elaboraſſe argumentum, quod dignum ſuo propoſito ſit, ut legatur. Qualecunque igitur illud ſit, meâ nunc opellâ fruere, Deumque bonorum omnium auctorem mecum commenda lector.

AURIUM MORBI, ubi ſcilicet

De earum Dolore atque Inflammatione, Vlcere, Vermibus, Caruncula obſtruente, Humiditate ac Fluxu, rebus externis immiſſis, & Parotide, agitur.

Ut *Aurium morbos* explicemus, nihil opus eſt partes has deſcribamus quarum ideam mox ubi *de Auditûs Læſionibus*, dedimus.

Dolor auris ſæpe inflammatione, ſępe abſque illa oboriri ſolet. *Inflammatio* autem ſæpe eſt cum abſceſſu eumque conſequente ulcere in meatu auditorio, aliquando etiam conſequitur vulnera & contuſiones.

Vlcus auris fit per rupturam abſceſsûs in meatu auditorio partibuſque maximè vicinis, vel per acrimoniam liquoris alicujus ex aure ſtillantis, aut ab extra in eam immiſſi. Ex eo autem ulcere prodire poſſunt *vermes*, quales ſæpiſſime viderunt Practici.

Res extraneæ variæ *in aurem* immitti poſſunt, ſcilic. piſa, globi, nuclei, animalcula, velut araneæ, grilli &c. de quibus vide in ſequentibus.

Caruncula aut excreſcentia aurem obſtruens, tum ab ejuſdem ulcere, tum etiam ſine eo, qualiter in aliis corporis partibus ejuſmodi excreſcentias progigni videmus, efformatur.

Humiditas & fluxus aurium vel à glandulis, membranam meatum auditorium ex parte obveſtientem, occupantibus plus nimium turgidis, unde ſcilicet ſerum copioſum depluit, quod tractu temporis in purulentum quid abit, lacerata ſc. & ulcerata prædictarum glandularum compage per ſeri acrioris, non tantum importunam alluitionem, ſed quaſi inundationem enaſcitur. Vel eadem etiam humiditas à partibus vicinis aliquando ſufficitur per canales cæcos, aut vias quas ſibi excavat humor aggeſtus.

Parotis eſt tumor contra naturam glandulas quæ pone & circum aures ſitæ ſunt, quæque cerebri emunctoria vulgò dicuntur. occupans. Eſt autem vel *critica* vel *ſymptomatica*; illa à morbi pręcedanei materia mitificata, quæ vi naturæ eo depulſa provenit; hæc quæ ſine ullo morbo præcedaneo, à cauſis iiſdem quę in omnibus aliis inflammationibus, quales ſuprà ex parte in Angina, infrà verò ſub inflammationis titulo, deſcribemus, efformatur. Rurſus *Parotis* alia eſt *venenoſa* & *peſtilens*, alia minimùm.

De *Prognoſi* iſtorum affectuum hęc habeto. *Dolores aurium*, præcipuè qui in ipſius meatu ſentiuntur, ſunt ſemper violenti; ſi autem febri acutæ ſuperveniant, iiſque accedant deliria, inſomnia, convulſiones, & leipothymię, infauſti ſunt ſanè ominis. *Inflammationem* ſi ſequatur *abſceſſus* peſſimum eſt; ſi verò abſceſſus in *ulcus* terminetur, hoc difficillimum eſt curatu, proptet materiam ſalſam è glandulis vicinis continuò ſuffectam quæ reiinionem ac cicatriſationem quàm maximè prohibet. Si verò ulcera in meatu oſſeo; ſc. meatûs auditorii parte tympano viciniori poſita fuerint, prætorquàm quod cariem promptè inducunt, difficiliùs etiam ſanantur, quàm quæ in ejuſdem meatûs parte anteriore collocantur, quia canalis oſſeus verſus tympani membranam declivis eſt, & ubi in planum deſcendit foſſam efficit notabilem, è qua pus difficulter eximitur. *Humiditas aurium* effluens à pluribus præſervat capitis ſymptomatibus, uti in infantibus frequentiùs, & in adultis etiam, ſed rariùs, obſervatur.

Vermes cùm maximam corruptionem denotent, nihil boni portendunt. *Res externa auribus immiſſa* maximâ ut plurimum cum difficultate eximuntur, præcipuè ſi profundiùs introductæ, aut figurę rotundæ fuerint, quia non facilè arripi pro eductione queunt. *Excreſcentiæ fungoſa* in cancroſum quid frequenter abeunt, *carnoſa* verò exciſione curantur. *Parotis* febri die critico ſuperveniens cum ſignis concoctionis, bona eſt, ſin minùs, mala, quę verò per febris decurſum, hac nullatenus remittente enaſcitur, omninò eſt pernicioſa. Si Parotis intrò repellatur, aut per ſe ſine ulla pręgreſſa evacuatione ſubitò retrocedat, delirium imò phrenitis aliique cerebri inflammati affectus promptè oriuntur. Parotidem ſi nulla ſequatur ſuppuratio malum eſt, ni larga hæmorrhagia aut alvi fluxus ſuperveniat, hîc autem dum de alvi fluxu verba facimus, illumque parotidibus non ſuppuratis ſupervenientem fauſtum dicimus, de Parotide peſtilenti hoc dictum nolumus quæ cum alvi fluxu ægros enecat. Parotis ſine malignitate Juvenes graviùs exercet quàm ſenes, & curatu contumax eſt, ſi fuerit ab humore craſſo, lento & viſcido.

Curationes, Conſultationes & obſervationes è variis Autoribus.

Curationes.

Curationes haſce ab Aurium Chirurgia incipiemus, ac poſtmodum ad alia multa, Aurium morbos ſpectantia progrediemur. Aurium autem Chirurgiam nobis exhibebunt Clariſſ. Viri, Fabricius ab Aquapendente, & Antonius Nuexius.

Aurium itaque Chirurgia I*. *ex Fabricio ab Aquapendente, hac erit.*

Tres potiſſimum Chirurgiæ in auribus fiunt; nam curta auricula ex vulnere, ſeu ulcere reficitur, & corrigitur; qua de re ſupra in naſi Chirurgia diximus. Secunda operatio eſt, quomodo meatus auditorius obſtructus, aut non perforatus, Chirurgiâ curetur. Tertia, quomodo extrahantur ea, quæ in meatum auditorium inciderunt. Addit Celſus quartam, quæ ad eos dirigitur, quorum aures perforandæ, perforatæque ſunt, cujuſpiam rei ad decorem geſtandę gratiâ.

Ad primam quod attinet, jam vobis ſuprâ dixi, me libenter, ubi materia aliunde quærenda eſt, vos remittere ad ejus rei profeſſores, tum Antiquos, tum Recentiores, qui ſcripſerunt, quomodo curta reſarciri debent.

Venio ad ſecundam Chirurgiam, quę pertinet ad meatum auditorium obſtructum, unde ſurdi fiunt patientes; quod ſi à nativitate id vitium inceperit, etiam muti. Igitur obſtruitur meatus auditorius, qui longus eſt ductus, incipiens ab auriculę concha, & obliquè

deorium procedens, uſque ad membranam tenuiſſimam, tympanum appellatam,qui meatus, vel obſtruitur à nativitate,vel poſtea;ſi à nativitate, ex Paulo Lib.6. Cap.23. duplex eſt membrana,quę obſtruit, exterior, & interior, hoc eſt, vel in ſuperficie eſt, oculis patens, vel profunda, & oculis non obvia. Membranam in alto obſtruentem bis ego toto vitæ curriculo, ex Anatome , obſervavi in puerulis, qui membranam ſupra tympanum habebant craſſiſſimam, & robuſtiſſimam, ac quodammodo cutaneam, quos ob id exiſtimavi ſurdos, & mutos; immo ſurdos, & mutos à nativitate non puto aliunde provenire, quam à propoſita membrana.

Pro qua eximenda, Paulus proponit Chirurgiam, & quidem duobus verbis; dicit primo, difficilem hujus futuram eſſe adminiſtrationem; poſtea ſubdit, tentandum tamen eſt tenui quodam inſtrumento ipſam incidere: ſatius, ut puto, erat dicere, fruſtrà tentandum ipſam incidere; quoniam ut ſuprà dixi, membrana hęc tum craſſa, tum denſa, tum robuſtiſſima eſt, & tympano ſuperpoſita, ac in circuitu adhærens, ut nullo modò conſpici poſſit, ne dicam attingi, propter quam cauſam credo ego, uti dixi, ſurdos, & mutos ab ortu perpetuò ita eſſe,affectos & incurabilem eſſe caſum.Ideò Celſ.Lib. 7.Cap.9.longè melius,quàm Paulus; etiamſi non videatur hujuſce membranę notitiam habuiſſe, tamen quod dicit, idem videtur ſignificare, videlicet, ſi in alto ſit quod meatum replet,& obſtruit,tunc ut ait Celſus,illud attingi non debet; ne ſine effectûs ſpe diſtenſio oriatur nervorum, à qua mortis periculum, propterea ego, ut ingenuè fatear, internam hanc membranam nunquam curavi, neque curare aggreſſus ſum; dicam tamen vobis quid in hoc caſu tentare, ſi ſurdum, & mutum à nativitate , rogatus, aut coactus ſuſciperem curandum ; cùm omne ferramentum aut incidens, aut adurens in propoſito caſu alienum ſit, tentarem per liquores inſtillatos priùs membranam attenuare, inde erodere, inſtillarem igitur primò, aut acetum ſimplex, aut ſquilliticum tum ſuccum cępe, aut aquam vitæ, poſtea roſaceam aquam, cum gutta una olei de ſulphure, aut de vitrioſo mixtam; & procedente proſperè curatione, ita ut patiens obtuſè audire ſe fateretur, olea propoſita, minore quantitate aliis permixta infunderem; quæ omnia inſtillanda ſunt per fiſtulam argenteam recurvatam , foramine perquam exiguo in fine perviam , ita ut fiſtulæ extremitas membranam attingat, ne medicamentum in aliud, quàm in membranam agat; ſubeſt autem periculum , ne tympanum unà cum membrana erodatur; quod tamen evitabitur; quia ubi erodenda membrana, ſub medicamento majori ex parte attenuata, & eroſa eſt, jam aliquod ſignum, licet obtuſum, ſenſûs audiendi percipitur, quod ubi obſervatur, jam ſpes ſaluris ſupereſt, & mitiora erodentia, & attenuantia tunc uſurpanda.

Hęc igitur pro membrana interna ſuccurrunt. Si verò membrana meatum obſtruens auditorium, exterior ſit, longè facilior manuum curatio ſuccedit, ex Celſo. Scalpro ait Paulus, quod Greci σκολοπομαχαίριον appellant, hanc diviſam, etiam ubi uſus exiget, auferemus, ignoro quis uſus ſcalpri ſit hoc loco, præcipuè ſi prius membrana fuerit diviſa; propterea ego ſcalpri vice, ſcalpellum legi debere puto; quia σκολοπομαχαίριον ſignificat inſtrumentum pungens, & incidens, cujuſmodi eſt quod vulgò, gamaut, dicitur. Celſus autem longè exactius rem hanc proſequitur, & docet ; comprehendit enim obſtructionem, ſeu repletionem meatûs auditorii, ſive fiat ab ortu, ſive poſtea, ex exulceratione, carne primùm ſuperflua genita, inde cicatrice inducta, & vult; quà cavus eſſe debet, vel medicamentum aliquod imponendum eſſe ex adurentibus, vel candente ferro aperiendun, vel etiam ſcalpello incidendum. Ponit treș modos Celſus aperiendi, ſeu perforandi meatum, & omnes ſunt congrui, ſubdit Celſus, quod cùm locus patefactus eſt, & jam ulcus purum, ne rurſus coaleſcat injicienda eò pinna eſt, illita medicamento cicatricem inducente, circaque, idem medicamentum dandum, & ut cutis circa pinnam ſaneſcat, quò ea remota, poſtea facultas audiendi ſit integra. Paulus autem, vice pinnæ, ſumit tortile linamentum, ex viliore panniculo factum, hoc eſt, turundam, quod ſimplex meatûs ſinui aptatum aquâ imbuemus, involutumque chalcitide lævigata, in meatum demittemus, ne caro rurſus enaſcatur.

Tertia Chirurgia aurium eſt, quę ab aure extrahit lapillum, aut vitrum, aut fabę granum, aut ceraſi oſſiculum, aut ſiliquarum ſemen, aliaque id genus extranea corpora ; ut plurimum autem ſolet pueris incidere in aurem ſemen ceraſi aut ſiliquę, temerè eadem ſibi ipſis intrudentibus. Ceterùm lapillus, & vitrum, ubi intra aurem incidunt, ſuam ſervant magnitudinem, at dicta ſemina, ſeu grana, naturali ejus loci humiditate madefacta, eaque intus abſorpta, & combibita, inflantur, & intumeſcunt, maximoſque cruciatus, ut dicit Paulus, movent; nonnunquam diutiùs detenta , humiditate, & calore operante, eò uſque creſcunt, ut germinent, & expullulent, cum majori cruciatu, quem poſtea ſequitur inflammatio, convulſio, & omnino vitę periculum; cui malo propterea quàm citiſſimè ſuccurrendum. Paulus multis modis, variiſque inſtrumentis eximit, quæ ex varia dependent, magnitudine, forma, & ſitu; quatenus videlicet cauſę,aut valentiùs hærent,ſedemque ſibi penè immobilem faciunt, aut leviter inſident.

Si igitur lapillus exiguus, rotundus, & lævigatus inciderit, aut etiam culex, neque ad imum uſque meatum deſcenderit, tunc capite in aurem tantùm inclinato , erit; aut in aurem, ſalivâ, vel repente oleo amygdalarum dulcium inſtillato, mox capite inclinato exibit. Quod ſi corpus extrahendum ſit angulare, & majus, magiſque inſideat, efficacior operatio Chirurgica requiritur, ut eſt capitis concuſſio, aure interea ſuper circulum quendam inclinata; qua ex concuſſione ſi extraneum non exit corpus, pręcipit Paulus, extrahendum eſſe ſpecillo, lanâ, aut goſſypio involuto: addo ego, aut ſpongia alligata, & in reſinam terebinthinam, aut aliud quoddam glutinans demiſſo, eoque leniter in meatum auditorium injecto; ſin minus hęc profecerint, medicamento, quod ſternutamentum moveat, naribus indito, ore, & naribus obturatis. Convenit poſt hęc, vel auriculari ſpecillo, vel hamulo, vel volſellâ hęc extrahere; hamulum verò cœcum ex uſu arbitror. Quod ſi nullo horum eximatur, ad ferramenta, atque inciſionem recurrendum eſſe Paulus monet. ſed quęſo, notetis Chirurgiam Pauli, & de ea judicetis. Collocabitur itaque ęgrotus, ut auris averſa ſit, ad baſin ipſius, poſt appellatam fibram, & lunata utemur diviſione exigua, averſaque ſpecilli parte corpuſculum , quod inſidet, eximemus: hoc ablato, vulnus ſuturis committemus , & medicaminibus ad cruenta præſcriptis utemur. Hæc Paulus. Ex quibus verbis, primùm difficulter quo loco efficienda ſectio ſit, intelligimus; crediderim, ęgrum eſſe collocandum ita, ut poſterior auris, dorſum ſcilicet ejuſdem, Chirurgo oſtendat , nam averſus ſignificat , qui dorſum oſtendit, tunc incidatur lunata inciſione auris, ad baſin, poſt appellatam fibram, donec ad foramen meatûs in confinio pinnę deveniatur, ubi ſcilicet deſinit fibra, & incipit pinna; ubi ſi fiat ſectio , in meatum itur; inde per eam diviſionem ſpecillo immiſſo, ad extrahendum corpuſculum accommodato, hoc eſt, uno extremo latum mucronem habente, rem noxiam eximemus. non video quid lucremur ex lunata inciſione , ad corpuſculum extrahendum, niſi fortè meatûs directionem , & brevitatem ; quæ ſi compa-

comparetur cum vulnere, certè vulnus majoris momenti eſt, & vitandum ſi fieri poteſt; ex vulnere enim ſanguis profluit, qui illicò operationem obſcurat; poſtera die inflammatio, quæ vulneri ſupervenit, adminiſtrationem ſimiliter impedit; ideoque Pauli inciſio omnino vitanda eſt; præterquam quod, Paulus videtur ſtatim corpus extrahere tam facilè, ut mirum ſit. Ego autem, ad quem plurimi hujuſmodi pueri ex Italia, & aliis Provinciis delati fuere, enixè cavens, ut minimùm tympanum membrana violaretur, ac ptoinde ſurditas ſequeretur, ſanitati reddidi, non aliis inſtrumentis, quàm volſellâ, & ſpecillo duplici; quorum alterum in uno extremo cavitatem, ut commune auriſcalpium habet, alterum verò ſpecilli mucronem recurvatum obtinet. Puero igitur jacente, ad oppoſitum latus collocato, ut auris Chirurgo adverſa ſit, & à miniſtro, capite ejus firmato, & toto quoque corpore, ſi opus ſit, prout fit frequentiſſimè propter puerorum impatientiam; ante omnia verò ductus meatûs auditorii dirigendus eſt. & quàm maxime diducendus; ut verò dirigatur canalis, ſeu meatus auditorius, & dilatetur, cujus cauſa fortè Paulus ſectionem præcipit lunatam, ego dimiſſa omni ſectione, tanquam multis nominibus noxia, traho. & attollo auris pinnam ſiniſtra manu, dextra verò, primò ſpecillum ad alterum extremum latius, & recurvatum, in aurem immitto, quouſque corpuſculum noxium attingatur; quod non difficulter dignoſcitur, ex duro, aſperoque ſpecilli contactu; tum ſubter corpuſculum ſubjicitur, & ita ſurſum impulſum extrahitur, interdum opus eſt ſpecillo, quod cavitatem habeat, aut auriſcalpium ſit, quo corpuſculum cavitati inſideat, & ſurſum feratur. Quod ſi his corpus extrahi nequit, tandem volſellâ utor, quæ ſuo extremo forcipis inſtar facto, & eo ſerrato, ſolet validè corpuſculum, aut ſemen extrarneum apprehendere, & foras trahere; perpetuò tamen, antequam apprehendo, inſtrumenti cuſpide extraneum corpus tango, ut ſciam quid apprehendendum ſit. hæc eſt Chirurgia, quam in plurimis pueris feliciter adminiſtravi, De quarta aurium Chirurgia nil dico, quia apud Celſum ipſam legere quilibet poterit.

Aurium Chirurgia ex Antonio Nuek.

Cerumen, Auriumque ſordes meatui auditorio inhærentes, cum aliquando ita obturant, ut ſurdaſter reddatur patiens, imò ipſam ſæpiùs incurrat ſurditatem.

- Quô in caſû (ſi molliuſcula fuerint cerumina) auriſcalpiô extrahenda erunt, probè cavendo, ne inter exttahendum, tympani membrana, cutiſve meatûs auditorii glanduloſa lædatur.

Si quædam Ceruminis portio membranæ firmiter annexa maneat, dictôque inſtrumento ab eadem avelli nequeat.

℞. *Hydromell. Calid. q. ſ.* quo ope Syphonis aliquoties auris eluatur, ita enim de duritie ſua remittit, feliciuſque extrahitur. Eodem quoque auriſcalpio vel ferramento, ſi linteum carptum ei affixum, eruitur.

Ad Lapillum, Nucleum ceraſorum, ſimiléve durum corpus, meatum auditorium obſtruens, extrahendum, variæ formæ Anriſcalpia requiruntur.

Ut verò eò faciliùs Operatio peragatur, olei alicujus guttæ aliquot auri priùs inſtillandæ.

Piſo eundem meatum obturante, & in magnam molem intumeſcente, inſtrumento, *Auris Speculum* dicto, utendum, quò meatus auditorius, diductis ab invicem lateribus, faciliùs inſpiciatur, & faba piſumve Auriſcalpio meliùs extrahantur.

Quod tamen certius aliquando peragitur, ſi oblato ſternutatorio caput concutiatur.

Globulus ligneus aut plumbeus eodem modo erit extrahendus, non verò *Terebello*, quo globuli ex aliis partibus eruuntur; eo enim hoc in caſu premuntur nimis; & preſſi non raro Tympani membranam graviter afficiunt.

Aliquando *Turunda* altiùs immiſſa extrahi facilè nequit, ipſamque ſurditatem inducit. Quo in caſu, ſi nec forcipe nec Volſellâ quid proficimus; *inſtrumento*, cylindro acutiori donato, extractio facilè peragitur.

Quod ſi Animalcula, v. g. Muſcæ, Araneæ & id genus alia inſecta auris meatum fuerint ingreſſa, ſpongiæ portiuncula ſtylo ferreo alliganda, quæ reſinâ Terebinthinæ imbuta auri immittatur: quâque dum animalculum ipſi adhæret, haud difficulter extrahitur.

Si verò ex voto res nondum ſucceſſerit, immiſſo liquore amaricante v. g. *Succo Abſinth. Cent. minor. Tinct. Card. bened. Oleo amygd. amar. Ol. Tanacet.* necantur atque eruuntur. Quo artificio etiam vermes, in meatûs auditorii ulceribus prognati, interficiuntur.

Excreſcentiæ Aurium carnoſæ vel fungoſæ prudenter ſunt tractandæ; forfice nimirum vel cultello, ſi poſſibile, abſcindendæ, partique læſæ ſtypticum parum aut nihil de acrimonia participans, ne membrana Tympani lædatur, applicandum: mox turunda duriot Unguento cicatricante oblita, & pulvere *C.C. Uſt.* aſperſa immittenda.

Aliàs optato cum ſucceſſu ejuſmodi excreſcentiæ iiſdem medicamentis, quibus carunculæ in meatu urinario, curantur.

Hinc medicamentum ſequens maximoperè commendamus,

℞. *Oſſ. Sep.*
Tut. præpar. aa. ℥ij.
C. C. Uſt.
Aloës lct.
Ariſt. Rot. aa. ℥j.
Alum Uſt. ℥ß.
M. F. Pulvis Subtiliſſ.
Dein ℞. *Ol. Roſar.* ℥ij.
Litharg. aur. ℥j.

Coq. ad Emplaſtri conſiſt. tunc ab igne removeatur, & addatur prædictus Pulvis, miſceanturque ad ignem tamdiu, donec duriuſculum evadat medicamentum.

Hujus portiuncula excreſcentiæ admota eandem ſenſim & ſenſim conſumit.

Nonnunquam meatus auditorius membranâ quâdam ſicuti Velo expanſo clauditur, quæ pertundenda, & pertuſa cicatricanda erit.

Si verò illa membrana prope Tympani membranam conſpiciatur, eamque tegat, cave operationem inſtituas, ſed manum retrahas.

Aliquando aures intolerabili afficiuntur dolore. Quo in caſu ſæpius cum ſucceſſu adhibetur ſequens,

℞. *Lact. muliebr.* ℥ß.
Croc. gr. xij.
Decoct. Chamom. vel Fænugræc. ℥iij.
Sach. Saturn. ℈j.

Hujus Mixturæ portiuncula auri calidè immittatur. Si dolor nimis vehemens adhuc urgeat,

℞. *Ol. Sem. papav.* ℥iß.
Caph. gr. V.
Op. Crud. gr. ij.
M. & Auri inſtillentur.

Opiatis tamen non utendum niſi urgente neceſſitate. Quomodo inflammationes, Abſceſſus, & Ulcera ſint tractanda, de iis conſulantur Autores.

In quavis Surditate aut obauditione, medicamentis non cedente, convenit *Tuba Sonorifera*, ſeu *Acoviſtica*, quam ęgri propriis auribus adaptant, ut ſonum diſtinctiùs percipiant. (*vid. ſub titulô Inſtrumenta Chirurgica tab. XVI. fig. I.*)

Si verò aurium adfuerit Tinnitus; Tubę rariùs prodeſſe ſolent.

Matronę quędam & Puellę auris lobum nonnunquam perforari cupiunt, ut per foramen arte factum annullus traducatur, quem vel ornatûs gratiâ, vel (uti perhibent) pro quibuſdam oculorum affectibus mitigandis, pendulum geſtant.

Operatio hęc facili modo, ſequenti methodo peragitur: Lobus levi frictione agitatus, loco perforando atramento prius notato, acu modò ignitâ, modô non ignitâ perforatur, annulusque trajicitur.

Non raró autem contigit, annulum ex aure pendulum, foraminis facti latus inferius duriori attactu premendo, tandémque dilacerando, decidiſſe, hiatu quodam cum turpi cicatrice remanente.

Ad huic malo ſuccurrendum, Chirurgi conveniens excogitarunt inſtrumentum, quod *Forcipem Cannulatam* vocant: cujus beneficiô, locô perforando priùs notatô, lobi particula juxtæ magnitudinis annuli ſcilicet trajiciendi craſſitiem circumferentiâ adæquans aufertur, parvulumque foramen relinquitur: mox annullus, unguentô aliquô cicatriſante, v. g. *de minio, Diapophol.* et ſim. oblitus traducitur, ſicque ſine notabili incommodô foraminis latera facilè conſolidantur.

Hactenus Nucxiuſi. Sequantur jam alia ſuper Aurium Morbi.

Aurium dolor & inflammatio.

Præmiſſis purgatione & venæ ſectione, ad topica remedia confugiendum eſt: quorum omnium mox præſcribenda efficaciſſima tutiſſimaque ſunt ad mitigandum dolorem, cui quàm maximè ſtudendum eſt.

♃. Ol. roſac. omphacin. nymphϾ, amygd. dulc. an. ℥ß. ſucc. ſolani depurati ℥j. m. omnia exactè & in aurem ſenſim inſtillentur actu tepida, vel adeps anſeris in butyro recenti liquatus cum oleo roſac. in aurem pariter inſtilletur, mirificè dolorem omnem mitigabit. Ubi verò doloris cauſa frigido morbo accepta fertur, vel inflammatio ad ſuppurationem tendit, *Benedicti Victoris Faventini* emplaſtrum ex cœpa, fœliciſſimo cum ſucceſſu adminiſtratur, quod hujuſmodi eſt.

♃. Cæpæ ſub ignitis cineribus excoctæ num. j. butyr. rec. ℥ij. ol. chamæm. & roſac. an. ʒj. croci ℈j. omnia ſimul contuſa & probè ſubacta ad emplaſtri formam redigantur, quod temperatè calidum dolenti parti applicetur. *Joan. Zecchius Conſult. 62.*

In dolore aurium folium hyoſcyami vel tabaci prodeſt. Internè pulvis anodynus cum ſpecifico cephalico ſaturn. & globulus, quô fera eſt confoſſa laudantur vulgò. Applicetur quoque oleum nuciſtæ cum moſcho. It. pinguedo anſeris cum ſucco cæparum.

♃. Cœpam, ſub cineribus coctam butyri recent. ℥ij. ol. chamælin. roſat. an. ℥j. croci ʒß. mucilag. ſem. cydon. cum aq. roſ. q. ſ. f. Cataplaſma. Prodeſt etiam oleum roſarum, cui lumbrici terreſtres præpar. & loti incoquantur. It. oleum roſarum ʒij. cum acet. optim. ʒß. coq. ad. 4. p. conſumptionem, poſt add. laudan. opiat. vel extract. opii cum ſpir. vitriol. vel acet. facti gr. iij. m. In cauſa frigida expertum ſe ſcribit Horſtius oleum camphoræ præſentiſſimum fuiſſe remedium. vid. Foreſt. l. 12. obſ. j. *Joann. Michael. in Prax. clinic. general.*

In aurium inflammatione ſuccus ſempervivi præſtantior eſt ſucco ranuncui, ob nimiam hujus acrimoniam. In affectibus aurium internè dentur medicamenta ex betonica, eſſentiâ lignorum, Tinctura lign. Tinctur. corallor. quibus miſceantur ſpecifica cephalica.

♃. Succ. lactuc. ſucc. nymph. ſucc. roſar. an. ʒj. m. Ubi materia ad ſuppurationem tendit, prodeſt decoctum lactis cum ficubus. Ad rupturam apoſtematis.

♃. Succi ſempervivi expreſſ. ʒiij. lact. mulieb. ℥ß. m. *Idem ibidem.*

Remedia ad dolorem auris maximè ſenſilem ſedandum diverſa eſſe debent, pro diverſis morbi cauſis. Auſpicanda ergo doloris curatio à cauſarum externarum, antecedentis item & continentis per contraria ablatione. Si dolor proinde à frigore fuerit ſubortus, contra frigus & procellis agitatum aërem defendenda venit auris, applicatis ſuper aurem omnibus illis, quæ calefacere poſſunt; frigida enim acria & acida auribus ſunt inimica, ut & repellentia dicta topica applicata, ex quibus ſæpe majus damnum quàm emolumentum ægris affertur, de quibus legi meretur Obſ. 82. Ephem. German. Ann. 6. & 7. Præſtat ergo ſpecies pro fomento ſacculo incluſas cum lacte coctas auribus imponere. Ex gr.

♃. Herb. ſalv. calaminth. roſmar. meliſſ. hyſſop. flor. chamomill. an. m. j. ſem. fœnicul. ℥j. Dentur inciſa pro ſacculo. Panis quoque calidus cum ſem. carvi vel aneth. coctus & diſciſſus auri applicetur ſępiùs. Vel infundatur ol. amygd. amar. rec. cum guttula una vel altera ol. de garyophyll. vel carvi, aneth. anis. & cum goſſipio moſchato auris obturetur, quę jam dicta remedia ſale abundant volatili valde penetranti, haſce partes facilè calefaciunt, poros & canales glandularum aperiunt, & circulationem humorum adjuvant: hinc & convenit ſpiritus formicar. Cùm dolor verò ſit à congeſtione ſeri ſcil. acris & ſalſi, qui chronicos & moleſtos affectus producere ſolet, hinc conveniunt ſpirituoſa, quę tamen cum cautela applicanda ſunt; nihil ſpiritibus auris magis alienum eſt, quàm humor talis peregrinus: excipiatur ergo in eum finem fumus tabaci, vel ex thure, maſtiche, ſuccino, gumm. ſandarac. Omnia hîc quoque conveniunt remedia ſale volatili alcalico prędita, aciditatem humorum ſeroſorum deſtruentia, necnon ambrata, moſchata, eſſentia ſcil. ad auditum Michaëlis ſequens.

♃. Fol. aſar. m. iiij. laur. herb. card. bened. aa. m. j. flor. ſtœchad. Arab. p. iij. chamomill. Rom. m. j. ſem. raphan. ʒij. cępar. porri an. ʒß. cumin. carvi, aneth. an. ʒj. rad. aſar. cyclam. an. ʒiß. elleb. alb. ʒj. Inciſa & contuſa groſſo modo infund. ſpir. formicar. tum inſtillentur aliquot guttę. Convenit pręprimis tinctura mea nepenthes in aurem immiſſa guttatim. Spiritus Otalgicus *Mynſ.* aq. apoplect. *Lang.* Anhald. Acoris. *Mind.* ſunt prolychreſta roborantia auribus remedia. Laudatur cœpa ſub cineribus aſſata. In dolore aurium egregium quoque eſt remedium ob vim ſuam anodynam oleum ſcorpionum, vel ſcarabęorum per infuſionem paratum, ad guttulas aliquot cum bombac. auribus inditum, vel cum lacte muliebri commixtum.

℞. Ol. chamomill. aneth. an. ℥j. hyoſcyam. expreſſ. ʒß. m. Balſamus ſulphuris ſequenti modo paratus in dolore aurium eſt egregius.

♃. Sulphuris part. j. ol. terebinth. p. IV. coq. in aren. ad ſolut. ſulphur. inſtar balſami rubri, ei affunde Sp. vini rectific. digere ad Tinctur. decanta & inſpiſſa in Balneo, qui remanet balſamus eſt & poteſt per Retortam deſtillari in oleum dulce. Nec hîc interna negligenda ſunt, imprimis diaphoretica cinnabarinis mixta in Otalgia omnem implent paginam, lympha enim, ceu diximus, omnium affectuum aurium eſt cauſa; quæ omnibus modis emendanda,

diſſipanda & in ordinem redigenda. Hîc ergo præ aliis conducit balſamus noſter nervinus, vel liqu. c.c. ſuccinat. Eſſent. viperin. anodyna Wedelii permixta, & ſæpius exhibita. Tinctura ſuccini per vices exhibita noſtrâ experientiâ eſt polychreſtum remedium. Vel detur ſæpius ſequens pulvis.

℞. Specif. cephal. Mich. ℈j. pulv. anodyn. gr. iiij. m. f. pulvis. Detur una vice, & reiteretur aliquando. Pulvis anodynus confortans eſt ſequens.

℞. Magiſter. cordial. ℥iij. laudan. opiat. ʒß. m. f. pulvis: Vel ſpaſmodicus noſter. In contumaciori malo & decoctum lignorum cum herbis appropriatis ſæpe magno cum fructu profuit; tem conducit Tinctura antimonii volatilis noſtra, ſp. cephalicus. In doloribus hiſce ſæpe quoque ad caput aliaque viſcera reſpiciendum eſt, hinc conveniunt ſæpe in ſexu ſequiori antihiſterica, ſplenetica, aliaque ut Tinctur. martis noſtra. Dolorem hunc ſæpe unico veſicatorio in nucha applicato curavi. In graviore & diuturniore etiam conveniunt fonticuli, ſetacea &c. ſi ſimul humor ex auribus effluat, aſſumat pilulas *Ruffi*, cum extract. rhabarb. vel ſequens hydragogum, cautè tamen purgantibus incedendum.

℞. Pulv. rad. laxat. ℈j. reſin. jalapp. gran. iiij. ſalis euphras. gran. v. m. Si à rebus externis in aurem immiſſis dolor hic obortus fuerit, illę ut exſiccentur neceſſe eſt, de quo modò inferius dicemus. In his doloribus non opus eſt tanto apparatu, modò internè exhibeantur opiata, imprimis Tinctur. nepenthes, quâ ſola plures feliciter curavimus, exhibendo 30. vel. 40. guttas. Si verò dolor auris ab ejus *inflammatione* dependeat, ea curanda ut alia inflammatio, nam hic eędem indicationes obſervandę ſunt, quę in cęteris aliarum partium inflammationibus. Abſtinendum eſt à Carminativis aliiſque nimis acribus, ſed eligenda ſunt blanda diaphoretica; interna & externa, anodyna & demulcentia: non enim ſtatim ad ſuppurationem accedendum eſt, nec venę ſectio tam citò inſtituenda, quod tamen ſæpè magnanimi Medici & Chyrurgorum vulgus facere ſolent; non ſine ęgri periculo & tortura. Ut inflammatio tollatur, ſuccus evaſatus diſcuſſione ſuis vaſis iterum afferendus eſt. Auribus imponantur varii ſacculi ex floribus ſambuci, hyſſopi, aliiſque herbis parati & lacte incocti, vel infundatur auri ol. amygd. amar. dulc. cum gr. j. vel altero camphoræ, alii oleum ovorum magni faciunt, auribus per vices immiſſum, & ol. roſato vel nymph. permiſtum; Pinguia verò & oleoſa mihi valde ſuſpecta ſunt, poteſt meliùs cataplaſma emolliens & diſcutiens ex prædictis parari & auribus imponi. Si autem pertinax ſit inflammatio, & ad ſuppurationem tendat, maturantibus utendum eſt, qualia ſunt cataplaſmata ex mica panis, cœpis coctis, bulb. lil. flor. chamomill. melilot. &c. *Joann. Dolæus Encyclo-ped. chirurgic. rational. lib.* 1. *cap.* 14.

Ulcus aurium.

Ulcera fiunt in meatu auditorio, tum ab externa cauſa, ut ictu; lapſu: tum ab interna, ut abſceſſu illic genito (ſunt enim talia ulcera ferè exigua, & præterea in parte ſpermatica) ſed decubitu facto ab univerſo cerebro. Ad curationem habenda imprimis ratio eſt cauſæ antecedentis, quæ ulcus fovet eaque divertenda cathar-ticis, maſticatoriis & errhinis: maſticatorii quidem hæc eſt forma.

℞. Maſtich. ʒj. ſtaph. agrię & pyrethri an. ℈j. cinnam. & garyophyll. an. ʒß. fiant maſticatoria, quibus utatur mane & veſperi, longe à paſtu ſæpe ex ſpuendo, errhini verò hæc eſt forma.

℞. Succor. betæ, mercur. & meliſſ. an. ℥ß. vin. alb. ℥j. miſce & frequenter naribus attrahatur. Quod ad topica remedia ſpectat, pinguia omnia & oleoſa vitanda ſunt, ut Galeno notatum 5. Meth. med. ubi arguit Theſſ. ſi quendam ſectatorem qui tetrapharmaco adhibito ulcus auris ſordidius in dies reddebat, quod Galenus ſanavit trochiſcis Andronii in aceto diſſolutis, quorum hæc eſt compoſitio.

℞. Balauſtior. atramenti ſutorii, thuris. ariſtol. gallar. an. ʒij. alum. myrrh. ſal. ammomiac. ʒj. excipiantur omnia melicrato & fiant trochiſci. Galenus eodem loco teſtatur ſe hujus generis ulcera inveterata, ac duorum annorum ſanaſſe cum ferri ſcoria in pulverem redacta, indeque cocta cum aceto acerrimo quoad mellis acquireret conſiſtentiam. Sed & putredinem quą hęc diffluunt ulcera emendat & ſiccat fel bubulum in forti aceto diſſolutum tepidè inſtillatum: Itemque fæx ferri in pollinem redacta in acetoque acerrimo decocta, reſiccata, & aſperſa. Quod ſi viarum anguſtia non pateret, contento in aurium anfractibus puri exitus, eliciendum id foras erit inſtrumento Pyulcum inde dicto. *Joann. Vigier. Chirurg. lib.* 3.

In ulcere recenti & inveterato internè conducit Decoctum ſequens:

℞. Rad. chin. rub. tinctor. an. ℥iß. enul. campan. ʒij. bacc. laur. juniper. an. ʒß. roriſmar. ℥ß. ſalv. ʒij. ſal. tartar. ℈ß. coq. in vin. colat. ℥xL. add. oxymell. ſcyll. ℥j. m. conducet quoque ſal volat. ol. Cùm abſceſſus fuerit apertus, ad extergentia fugiendum, quæ non tantùm obſtructiones reſerant, ſed & mundant, inter quæ ſunt ariſtol. raphan. ruſt. cæpæ & amara, ipſæ quoque rad. helleb. colocynth. imprimis abſynthium in lacte coctum, & per injectionem adhibendum, flor. perſicor. aſarum, roſmar. chamomill. ut & ol. amygd. amar. velut baſis omnium oticorum extern. quæ omnia in ulceribus aliiſque ſordibus proficua ſunt, & ſi ulcus valdè putridum & ſordidum ſit, fruſtum ſpongiæ imponatur, quod imbibit pus, ac arcet aërem ambientem, & præſertim indatur ſeq.

℞. Elix. vitæ ℥ß. tinctur. caſtor. aſſ. fœtid. an. ʒß. ſp. volatil. ſal. armoniac. ʒß. camphor. ℈ij. m. Tincturam aloës cum Sp. vini paratam magnifacio, ad guttulas aliquot immiſſam, vel tinctur. myrrh. & ſi valdè profundum fuerit, balſamum viride noſtrum proderit. Cùm deterſum fuerit ulcus, exſiccandum deinceps & ad cicatricem reducendum, ubi laudatur vinum granatorum deſcriptum à *de Vigo*, ſed cùm auris ſicca expetat, poſſunt in formam pulveris, vel fumi, vel balſami exſiccantia adhiberi, quæ parari ſolent ex maſtiche, ſuccin. ſandarac. & thure, aliiſque *Joann. Dolæus encyclopæd. chyrurgic. rational. lib.* 1.

Aurium Vermes.

In vermibus aurium tum evocandis, tum extrahendis, quemadmodum etiam in vermibus narium & cerebri præſtant unguentum ex axungia capi & oleo coryli cum pauxillo mercur. pręcip. vel mercur. dulcis miſtum (gr. ij. ne fiat eſchara) & in orificio aurium cum bombace impoſitum *Joann. Hartmann. in prax. chymiatric.*

Ad interficiendos vermes amara commendamus auribus injicienda, ut ſuccum abſynth. flor. perſicor. centaur. minor. decoct. colocynthid. vel etiam guttas aliquot olei amygd. amar. cum oleo tanaceti, vel oleo diacolocynthid. maritati; item convenit oleum nucleorum perſicor. cum eſſentia fellis perdicis vel lucii piſcis maritatum, fel enim animalis alicujus hîc optimè conducet. Sequens mixtura oleoſa non ſine inſigni adhibebitur juvamine.

℞. Ol. diacolocynth. ʒij. ol. nucl. perſicor. ol. amygd. amar.

amar. an. ℈j. ligni coryl. gutt. iij. Sic quoque urinoſa hoc in caſu conveniunt. Ephem. Gallor. anni 1677. commendant ſpiritum vini tanquam infallibile remedium contra vermes aurium. Ex remediis hiſce illa quæ oleoſa ſunt & ſpiſſa, excellunt, & quidem eo nomine, quod inſectorum roſtella & proboſcides obturent, atque ita eo momento ſuffocent. Hic & omnia anthelminthica in Encyclopæd. Med. jam dicta proderunt. Sæpe & allicitur vermis impoſito dimidio pomo excavato, mox enim vermis, ex aure properat in cavitatem pomi. Et cùm acidum viſcidum in corpore peccet ubi vermes hoſpitantur, hinc hîc corrigendum eſt, in quem finem ſeq. vel ſimile decoctum præſcribere ſoleo.

℞. Lign. ſanct. ℥iij. ſaſſafras ℥j. rad gentian. angelic. an. ℥ß. bacc. laur. juniper. an. ℥j. herb. centaur. cochlear. an. m. j. ſal. tartar. vitriolat. ʒj. Inf. & coq. in ſ. q. ſeri lactis. Colaturæ ad ℥xxx. add. oxymel. ſcyllit. ℥j. vel delicatulis infund. vino & amara poſſunt interponi.

℞. Eſſent. abſynth. camph. ℥ß. Elix. vitæ ʒv. Tinctur. corallor. ʒj. ol. ſaſſafras gt. xv. ol. aurant gt. x. m. aſſumantur 60. guttæ in vino mane, ſtomacho jejuno, dentur per ſeptimanam bis pilulæ ſeq.

℞. Reſin. guajac. ℈ß. gumm. ammon. gr. iij. mercur. dulc. gr. iij. ol. ſaſſafras q. ſ. In infantibus quibus non multa exhiberi poſſunt, ſolum decoct. rad. contrayerv. vel chinæ conducet, & in vino malv. exhibeantur guttulæ 6. vel. 9. ſeq. Mich.

℞. Elix. vitæ ʒj. ſal. volat. oleoſi ʒß. ol. ſaſſafras gr. x. m. Externè conducet in ulcere ipſo ſeq.

℞. Elix. vit. ℥j. tinctur. myrrh. ℥ß. Spir. ſal. armoniac. ʒij. Extract. centaur. min. gentian. an. ℥ß. camphoræ ʒij. ol. lign. ſanct. m. Si verò alia animalia in aurem irrepſerint, ea variis blandioribns elicienda ſunt, vel lacte, vel oleo olivarum, ſcorpion. Legimus exemplum in Ephem., ann. 4. obſ. 50. quòd grillus in aurem irrepſerit, & immiſſis 8. guttis olei grillorum cum oleo olivarum parati, grillus in aure mori cœpit. Simili modo aurium illa veſpa ſeu ſcolopendra parva, portione pomi dulcis recens inciſi & auribus admota elici poteſt, ut pulex, ex ſuaſu D. Riverii pilis caninis in globum convolutis & auri inſertis allicitur, ut iiſdem inhærens unà cum iis eximatur, *Joann. Dolæus Encyclopæd. chirurgic. rational. lib.* 1.

Caruncula Aurem obſtruens.

Ad excreſcentias fungoſas & carnoſas Auri adnatas vel innatas tollendas meretur legi Obſ. 1. cent. 3. *Fabric. Hildani*, ubi deſcribit excreſcentiam fungoſam & ſcirrhoſam, quæ meatui innata erat poſt abſceſſum, antequam verò illam aggrediebatur, præparabat cum cura ægri corpus, quo facto, quantum poterat, auferebat. Si excreſcentia hæc magna eſt, & extra meatum prodit, abſcindenda eſt vel forficis cuſpide, vel cultello inciſorio, vel etiam filo liganda, & dein abſcindenda, ad ſanguinem ſiſtendum liquor ſtipticus uſurpetur, & dein Eſchara inducatur, ſed cavendum, ne membrana interna lædatur cauſticis. Eſcharâ inductâ applicandæ ſunt aliquot guttæ olei ovorum vel amygdalar. ad eandem ſeparandam. Alii illinunt unguentum fuſcum Würtzii. Deinceps deterſivis & mitigantibus remediis utendum, ut incarnetur ulcus & cicatriſetur, ſubindè tamen miſtis ejuſmodi remediis, quæ renaſcentiam fungorum impediunt, ut ſunt omnia acidum imbibentia, ex. gr. C. C. uſt. pulv. myrrh. compphol. ſacchar. vitriol. paululum enim vitrioli ſolutum in ſufficienti quantitate decocti alicujus vulnerarii admodum proficuum erit, ſi injectiones ex hoc liquore fiant in aurem, & tormenti aliquantum hoc liquore imbutum in aurem imponatur, & imprimis utile erit tormentum, ſi facilè poſſit imponi, comprimit enim ulcus & excreſcere carnem prohibet. Ad cancroſas excreſcentias nulla cura ſupereſt, niſi ab initio pars ſuperflua extirpetur & radicitùs tollatur, tollitur enim fungus ex aure ſcirrhoſus, vel inſtrumentis vel ligaturâ vel cauſtico, & ſi hoc fieri nequit, curâ palliativâ utendum, & tantùm majus incrementum impediendum, & hoc obtinere poſſumus, ſi quotidie parti affectæ inſpergamus pulveres ex ariſtolochia, myrrha, ſaturno, ſaccharo, vitriolo, lapid. cancror. calce viva & ſimilibus paratos, quandoque & opus eſt præcipicato, ſi hic non ſuffecerit, malum lethale eſt. In mitiori verò caſu interna, imprimis diaphoretica remedia non negligenda, quæ jam ad nauſeam uſque ſuperiùs diximus. *Joan. Dolæus. Encyclop. Chir. lib.* 1.

Aurium humiditas & fluxus.

In fluxu aurium perpetuo, inque colluvie, laudatur urina puerorum deſtillata, immiſſa in aurem ad gutt. aliquot etiam uſque ad x. Relinquitur immiſſa urina aliquandiu (mane quotidie ventriculo jejuno) poſtea inclinato capite denuo emittitur. In hoc caſu neceſſariæ ſunt purgationes capitis, vel medicamentis communibus, pilulis. vel etiam ex panchymagogo vegetabili. Item ſpecifico purgante Paracelſi. Datur prætereà decoctum guajaci pro potu. In pueris, qui propter humiditatem potiſſimùm huic morbo obnoxii ſunt, non deproperandum ad curam, ſed malum ætati creſcenti relinquendum. *Joan. Hartmann. in Pract. Chymiatric.*

In aurium humiditate prodeſt externè eſſentia abſinth. ſpir. urinę non adeo acris neque ſæpe rectificatus, oleum amygd. amarar. ol. ſtillat. abſynthii, urina puerorum non deſtillata &c. *Joann. Michael in prax. clinic. general.*

Res externæ auribus immiſſæ.

Si corpora externa in meatum auditorium incidant, ante omnia hæc extrahantur, quod ut dextrè fiat, perpendendum eſt, an corpora talia ſint ut emolliri poſſint, ſicut piſa, vel an dura ſint; ut globi vitrei, nuclei, &c. videndum etiam eſt, an corpora iſta in meatu cartilagineo, an verò in meatu oſſeo lateant. Si corpora mollia ſint, & in meatu tantùm cartilagineo, eò annitendum, ut frangantur, vel cochlear ab *Hildano obſ.* 4. cent. 1. deſignatum pone ea adigendum, quod in parte flexili, qualis eſt cartilago auris, haud difficulter fieri poteſt, atque ita eadem extra meatum protrahi: idem fieri poteſt circa corpora dura, quæ ſunt in eodem loco, & cochleari vel terebello eximi poſſunt. Quod ſi verò corpora extranea in meatu oſſeo hæreant, illumque in totum adimpleant, difficillimum eſt ea cochleari vel terebello eximere; melius verò eſt inciſionem facere pone aurem; & verſus ejus partem ſuperiorem, id quod hoc loco ſatis tutò fieri poteſt, cùm nullum ibi vas ſit notabile; eo modo evitari quadantenus poteſt obliquitas meatus, & adhiberi terebellum cujus uſus potiſſimùm eſt in globis plumbeis extrahendis. Sed priùs injicienda ſunt ad vias lubricandas varia olea, præſertim verò amygd. dulc. & ſi nucleus vel piſum, in meatum oſſeum fuerit intruſus, qui propter figuram ovalem utraque ſui extremitate poſſet adprehendi, utendum eſt inſtrumento deſcripto à *Fabric. Hildan.* quod tenaculum nominat, oportet autem ut in genuina curâ conficiantur hujuſmodi inſtrumenta, ex optimo chalybe, ut tenuia

ut tenuia fieri poſſint, & ſi incurventur, ex ſeipſis iterum recta fiant. Sed cavendum in his operationibus, ne membrana tympani lædatur. *Joann. Dolæus Encyclopæd. Chirurgic. rational. lib.* 1.

Parotis.

Parotidis curatio perficitur diætâ, quæ humoris qualitati in ciborum qualitate & conſiſtentia contrarietur. Si ingens ſubſit inflammatio & robur quæ ſanguinis copiam indicent, ſanguinis miſſio erit utilis, immò neceſſaria. Topicorum verò adhibendorum non debet hîc ſimile eſſe judicium quod in reliquis tumoribus, ut Galenus monet lib. 3. de comp. med. ſecundùm locos cap. 2. nempe initio non eſt locus repercutientibus, ſi præſertim criticus fuerit abſceſſus, ſic enim naturæ conatum ſeſe morbificæ materiæ impetu in eas partes expedientis impediremus. Multò verò minus repellendum eſt, ſi materia quæ eò defluit ſit venenata, inde enim ejus funeſtus contingeret recurſus ad partes nobiles. Quare chirurgus potiùs dabit operam ut attrahatur & proliciatur humor ille. Quanquam ſi adeò immanis fuerit fluxio, ſi dolor adeò acris, ut inde metus ſit vigiliarum & febris, quæ vires proſternerent ex uſu futurum cenſet Galenus, reſolventibus multis nonnihil admiſcere repellentium. Quare initio ejuſmodi imponetur cataplaſma.

℞. Farin. hord. & ſemin. lini an. ℥ij. coquantur cum mulſa aut decocto chamæmel. addendo butyri recentis & olei chamæm. an. ℥j. f. puls.

Vel. ℞. Butyri recentis ℨij. ol. chamæm. & lilior. an. ℥j. unguent. dialthææ ℥ß. ceræ parùm, fiat linimentum, admovendum cum lana ſuccida parotidi. Dolore miteſcente ex uſu erunt diſcutientia & reſolventia paulò validiora. Ut.

℞. Rad. alth. & brion. an. ℥ij. folior. rutæ, puleg. origan. an. m. j. flor. chamæmeli, melil. an. p. j. coquantur in hydromelite, piſtentur, trajiciantur, addendo farin. fœnugr. orobi an. ℥j. pulv. ireos Florent. chamæm. melil. ℨij. ol. anethini & rutacei an. ℥j. f. cataplaſma. Quòd ſi ampliùs reſolvere fuerit conſilium, uti poteris emplaſtro oxycroceo, de meliloto, diachylo ireato. Si concreſcat illic & induretur humor, convertes te ad ea medicamenta quæ capite de ſcirrho fuerunt præſcripta. Quod ſi ad ſuppurationem tendat, ſequens appones medicamentum.

℞. Rad. lilior. & cæpar. ſub cineribus coctarum an. ℥iij. vitellos ovor. numero ij. axung. ſuill. & unguent. baſil. an. ℥j. farin. ſem. lini ℥iß. fiat cataplaſma. Suppuratione autem facta, materiaque probe evacuata, ulcus leniter tractandum erit, non irritandum affectæ partis ratione habita. Si verò tumor fuerit peſtilens & contagioſus, adde theriacam & alia alexiteria pharmaca. *Joann. Vigierius Chirurg. lib.* 1.

In Parotide oleum fœtidum Guajaci vel tartari juvat, ſi adeſt exulceratio, mollificetur locus, quo facto inſpergatur pulvere menthę (ulcere rupto) & ulcus ſæpius eluatur aquâ menthæ, adhibito Emplaſtro convenienti, quale eſt Diaſulphuris. *Joann. Hartmann. in pract. Chymiatric.*

Parotides ubi ſuam habeant ſedem, & quale ſit earum πρῶτον πάσχον, tam nomen ipſum, quàm etiam verba Authoris abundè ſignificant. Sunt autem nihil aliud, quàm inflammationes tumoris juxta aures erumpentis pariter ac doloris ſtipatæ ſatellitio, quæ ibidem in partibus adenoſis ſeu glanduloſis fiunt; quarum quędam venenata qualitate ac malignitate ſunt ſuſpectæ, quædam verò non. Atque ſic duplex parotidum occurrit differentia, ut ſponte hoc liquet: Tertia ſpecies eſt, quando parotis frigidam cauſam agnoſcens plane indolens exiſtit, ſed nihilominus in abſceſſum deſinit, è quo tamen non pus, ſed materia quædam duriuſcula, & ad inſtar craſſi cremoris, imò etiam tartarea & non raro calculoſa egreditur. Certiſſimum autem eſt, quod parotis ſeu tumor hic inflammatus pone aures plerumque in laborioſis, hoc eſt malignis, peſtilentialibus, ac purpuralibus febribus ſupervenire ſoleat, dum Natura ad hoc emiſſarium ſuperfluos humores & quidem tunc temporis venenata, velut notanter loquitur Autor arſenicali aura (quæ Realgar alioquin dicitur) infectos à ſede ſeu centro mali huc tanquam circumferentiam tranſponit, & ad has ipſas glandulas expellit: Ubi nihilominus negari non poteſt, quod ex imperfecta criſi febribus malignis parotides ſuperveniant, quod tamen fieri tunc præcipuè ſolet, ſi ab initio graviter compatiatur quoque cerebrum. Unde etiam nullum eſt dubium, quod febris malignæ ſolutio illa, quæ fit per Parotides, minùs fida & ſecura ſit, nec ſemper ſalutem certò polliceatur, præſertim ſi non debitè accreſcat hujuſmodi tumor, ſed retrocedat potiùs ibi ſtabulans virulentia, id eſt, etiamſi accreſcat febris, attamen & æſtûs ferocia non remittat, & magna inſimul ſubſit proſtratio, ſiquidem hujuſmodi criſis per abſceſſus facta validum virtutis robur exoptare ſoleat. Magis igitur ob dictas cauſas quandoquè lethales ſunt excreſcentes hi prope aurium regionem tumores, quàm ipſæ febres malignæ, quibus ſuperveniunt: Ex adverſo autem ſalutares non immeritò judicantur parotides illæ, ſi vires ſuperſint, quò humor impactus ritè reſolvi ac ſuppurari maturè queat.

De parotidibus illis, quæ malignitatis ſunt expertes, hîc verborum faciemus nihil, quod facilè curari poſſint per reſolventia ac maturantia ſeu ſuppurationem promoventia, vel etiam quòd ſponte non raro evaneſcere, ac levibus & internè duntaxat ſumtis medicamentis, tam purgantibus, quàm diaphoreticis, cedere ſoleant. Quam verò potiorem & valdè accuratam ſui curam depoſtulent illę parotides, ſub quibus anguis latere, hoc eſt, quę à venenata atque maligna provenire cauſa ſolent, ideoque album protinus calculum adjicimus Autoris ſententię, qua docet, perpetim fontem, unde parotides illę ſcaturiunt, eſſe attendendum, atque proinde febris malignę hos tumores cauſantis rationem, nobiliora alexipharmaca, quale eſt Bezoardicum minerale, ab Autore commendatum, ſtudioſè prębendo, tunc potiſſimùm habendum. Qua methodo autem febris malignę curatio rectè celebrari queat, ſuo loco docebitur. In eo tamen ab Autore noſtro diſcedere cogimur, dum purgationem in parotidibus à febri maligna oriundis, aut cum ea adhuc conjunctis commendat, quum notum cuivis ſit, quod purgantia in hoc caſu ſint exitioſa, & propterea planiſſimè nullum habeant locum; quoniam, non tantùm vires alioquin tunc fractas extremè penituſque proſternunt, verùm etiam malignitatis virus à circumferentia ad centrum potiùs revocant, atque ſic ad mortis neceſſitatem ſolemniter deducunt, ſin verò ſtatum declinationis aut convaleſcentię hic ſubinnuat Autor, ubi vires ad ſe nonnihil redire auſpicantur, & malignitatis ſuſpicio nulla ampliùs ſubeſt, parotides verò adhuc prę ſto ſunt, tunc (adhibito tamen ſic medendi moderamine) cum indulgentia etiam noſtra id fieri patiemur, licet virtuoſi clyſteres tutiùs rectiùſque tunc adhiberentur. Ceterùm rectiſſime ſtatuit Autor, à repellentibus, ſeu repercutientibus, ubi malignitatis vigor dominatur, omnimodè abſtinendum, ſed attrahentibus ſeu extrahentibus utendum potiùs, ac quidem talibus, quæ vim alexiteriam inſimul obtinent. Neoterici Chirurgi hîc nobis placent omninò, ac ſincerum merentur applauſum, qui

ut anthraces atque bubones omnes, ſic & parotidum apparentes abſceſſus atque tantiſper excreſcentes celeriter ac nulla expectata ſuppuratione cauſtici ſive actualis illius ac per uſtionem celebrati, ſive potentialis & per corroſivum facti (quorum hoc tolerabilius ac minùs crudele eſt) adminiſtratione aperiendos dictitant, ut materia venenata & infauſtiſſima citiſſime & ſine ulla mora à corpore amoveri ac educi queat, quoniam, ſi hoc ipſum negligatur, ex diuturna mora, dum ad partes principes leviſſima de cauſa retrogreditur, plerumque vitę periculum & mortis repentinus inſultus imminet: Cui accedit, quod ob naturam inſigniter tunc exhauſtam ſuppuratio (quę ad naturę, cauſam morbificam, pro commodiore expulſione præparantis & edomantis conatum quoque pertinet) tardiſſimè ſuccedat, vel planè etiam expectare eam virulentiſſimus hoſpes, vitali officinę crudeliter inſidians, non ſoleat. Qua curandi dexteritate obſervata, ſeu abſceſſûs venenati apertione accelerata, Autores illi bona fide teſtantur, multos plurimoſque ſe hâc ratione è faucibus Orci ſic eripuiſſe. Deinde hoc quoque non negligendum, ut jam laudato medio aperti abſceſſus non ſtatim conglutinantibus ac cicatricem inducentibus claudantur, ſed aperti diutiùs ſerventur, donec malignitatis ſęvitia decreſcere ac evaneſcere, adeoque cum bona valetudine in gratiam redire ægrotus incipiat. Quibus verò deproperata parotidum illa cauſtici beneficio apertura non arridet (ſicuti cuncta cunctis placere non ſoleant, ac quemlibet ſuo abundare ſenſu notiſſimum ſit) illis egregium & magneticum hîc commendatum pręſidium ibimus, cujus virtus uti eſt probatiſſima & fidiſſimis experimentis ſtabilita, ita etiam tutò & ſub rationum favore nunquam non adminiſtrari poterit: Accipiatur nempe buſo exſiccatus ac probè torridus (ſic enim de volatilibus ejus partibus, in quibus veneni tyrannis, præſertim vigere ſolet, indubitatò conſumtis & diſperſis certiores eſſe quimus) iſque linteolo involutus apponatur loco affecto ſive tumori maligno, ubi elapſo aliquot horarum ſpatio valdopere buſo ita intumeſcet, ut quaſi revixiſſe ob torvos cumprimis oculos, quos ſic tumefactos oſtendit, videatur; quo facto, is confeſtim, quod veneno è corpore microcoſmi vi ſuâ magnetica attracto vehementer jam impprægnatus ac turgidus reverâ tunc exiſtat, removendus (vel potiùs profundè ſepeliendus, aut etiam ſulphureo ſuffumigio à concepta virulentia liberandus, poſteaque ſoli expoſitus denuò exſiccandus) & alius retorridus ſtatim ſubſtituendus, atque hoc toties ſic iterandum, quoties hanc medendi technam, quæ non immeritò inter arcana reponitur, neceſſitas efflagitat. Emplaſtrum, quod beneficio ceræ ex balſamo ſulphuris conficere docet, peculiarem poſſidet facultatem veneno potenter reſiſtendi, veluti nobis etiam conſtat, non tantùm ſuffumigium cum ſulphure inſtitutum tempore peſtis conclavia egregiè à virulentis ſorditatibus ſive effluviis depurare, verùm etiam flores ſive lac ſulphuris, item alia quoque exinde parata remedia antidotis excellentiſſimis & maſculè valentibus accenſeri. Quum ergo attrahentibus ſemper aliquid alexipharmaci commiſcendum Autor paulò ante conſuaſerit, Emplaſtri hujus ex ſulphure facti nobilitas ſive nobiliſſimâ efficaciâ ſuâ deſubitò luce reſplendet, quam tamen fieri ex admixtione Mercurii vivi præſtabiliorem nulli dubitamus; Cujus aſſerti cauſam amuleta cum argento vivo confecta reddere ac confirmare ſtatim poterunt, veluti hoc etiam in genere circa hæc remedia notum habere ſufficiat, quod ſimile quodlibet ſuum conſimile magnetica quadam adpetentia deſideret & attrahat: Atque eatenus etiam mercurius currens cum emplaſtro ſulphureo extra adhibitus malignitatem tumoris nondum aperti retundere dicitur, quatenus nempe virulenta miaſmata, quibus tumor ille tunc refertus eſſe ſolet, validè attrahit, atque ſic malignitatis ferociam imminuit, ac demum penitus expugnat. *Chriſtian. Langius in Patholog. animat.*

In Parotide ſi malignitas adeſt & Parotis ſine maturatione evaneſcit, tunc malum ſignum eſt & recidivæ metus. Hîc E. uſurpanda ſunt malignitati reſiſtentia, præcipuè expellentia, v. g. C.C. ſine igne ac antimonium diaphoreticum. Externè verò oleum ſcorpionum. Aliàs eſt dolor manifeſtiſſimus. Prodeſt hîc oleum chamomillæ deſtillat. ℈j. cum oleo hyoſciami expr. ℥j. m. certiſſimum eſt in inflammatione. In Parotide omni cum & ſine malignitate mirè prodeſt ſpecificum cephalicum, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Cinnabar. nativ. Armen. per ſublimationem vel ſexies vel ultra rectific. cinnab. antimonii toties rectif. ℥iij. fæcul. rad. Pæon. ℥iß. Mag. epilept. ℥ß. mag. cordial. ℥ij. fol. auri num. j. m. f. ſpecificum cephalicum. *Joann. Michael. in Prax. clinic. general.*

Conſultationes.

Aurium Dolor.

Juvenis 28. annorum, robuſtus, plethoricus, intenſiſſimo afficitur dolore dextræ auris, quo pene ad delirium adigitur. Adeſt febricula continua; diſtentionemque, gravitatem, ac calorem, pulſationemque, non tantùm foris, ſed etiam intus in aure percipit. Rubor & calor ad tempora & malam uſque pertenditur. Interiora quoque auris aliquo modo tumere & rubere conſpiciuntur.

Afficitur in hoc ægro auris dextra ſecundùm partes internas & externas; quod ex querela ægri, item ex rubore, tumore, pulſatione, & calore, circa aurem & in aure perceptis, eſt manifeſtum. Afficitur etiam cor & totum corpus; ut ex febricula colligitur.

Morbus qui ægrum affligit, eſt intemperies ſanguinea & biliosa auris dextræ; quę dolorem, tumorem, pulſationem, gravitatem, & tenſionem, in ea & vicinis partibus, item febrim continuam producens, à potiore ſymptomate *otalgia* gręce, & *dolor auris* latinè appellari ſolet.

Cauſa antecedens hujus morbi eſt plethora noſtri ægri; pars verò ejus ad aures à corde propulſa, & ibidem propter poros ibi juſto magis patentes, auris partibus internis & externis inſinuata, ibique corrupta, & inde cum fervore ad cor delata, continens hujus morbi & ſymptomatum ejus eſt cauſa.

Dum enim humor ſanguineus bilioſus partibus iſtis inſinuatus, nimia ſuâ quantitate partes auris, & vicinorum membrorum replet & extendit, facit in iis tumorem, ruborem, gravitatem & diſtentionem; & ob arteriarum ex quantitate iſta nimia elapſorum humorum preſſionem, eorum pulſationem. Dum verò vehementi ſuo fervore, quem ab æthérea materia, vehementiùs in poris ejus ſe agitante, accipit, membranas, nervos, aliaſque acutiſſimo ſenſu præditas auris, temporum, & malæ partes, vehementiſſimè agitat, eumque motum ad cerebrum defert, intenſiſſimum in iis partibus excitat dolorem, qui, ob ſuam vehementiam, ægrum noſtrum ad inſaniam pene redigit.

Morbus hic, ob doloris vehementiam, & acutum partium affectarum ſenſum & cerebri ſympathiam, periculoſiſſimus eſt. Metus enim eſt, ne delirium, lipothymiam, cerebri inflammationem, & convulſionem, aliaque graviſſima inducat ſymptomata.

Celeri itaque & accuratiſſima curatione hic morbus eſt impugnandus; quæ in intemperiei & tumoris, per contraria

contraria ablatione, & doloris ſedatione, conſiſtet. Primò itaque tali clyſtere emolliente, refrigerante, & laxante fiat corporis evacuatio.

℞. Rad. althææ, lil. alb. an. ℥j. herb. malv. biſmalv. parietariæ, lactuc. an. m. j. ſem. lini, fænugræci an. ℥ß. coq. ex aq. commun. ad lib. j. colaturæ adde el. diaphœnic. diaprun. an. ℨvj. ol. violacei, camomill. an. ℥j. ſal. commun. ʒj. M. F. Clyſter, mox injiciendus.

Corpore expurgato, & horâ unâ atque alterâ intermiſsâ, vena in dextro brachio aperiatur, ſanguiſque liberaliter, ad uncias decem præter propter; & clyſter atque venæ ſectio ſequenti die reiterentur.

Interea temporis ad revulſionem humorum, ac intemperiem corrigendam, doloremque ſedandum tale medicamentum auribus inſtilletur.

℞. Lactis muliebris recenter emulcti ℥ij. Albuminis ovi in liquorem agitati ℥ß. Miſce & inſtillentur in aurem tepidè, citra vehementem auris contactum. Oleum etiam roſarum cum ſucco plantag. & ſolani, ſi ardor ingens ſit, inſtillari poteſt, præſertim ſi ei aſelli vivi incocti & expreſſi fuerint: dolorem enim valdè ſedant. Tali etiam utatur fotu:

℞. Malvæ, biſmalvæ, violariæ, lactucæ, an. m. j. ſem. cydonior. malvæ an. ℨiß. flor. camomill. melilot. an. p. j. flor. roſar. rubr. p. ß. F. Decoctio, qua pars affecta leviter & tepidè; cum ſpongia madefacta & expreſſa, foveatur. Et poſt fotum tale imponatur cataplaſma.

℞. Herb. malv. bismalv. chærefolii an. m. j. farin. ſem. lini, fœnugræci an. ℥ß. medullæ panis candidi ℥ij. cum lacte vaccino F. Cataplaſma, tepidè cum linteis applicandum. Hoc cataplaſma reſolvit, & ſi materia reſolvi non poteſt, etiam ſuppurationem procurat. Si doloris ſumma vehementia urgeat, tale narcoticum adhiberi poterit.

℞. Opii Thebaici gr. iiij. caſtor. croci an. gr. j. ß. cum lacte muliebri q. ſ. ſubigantur & in aurem inſtillentur. Et ſub tempus ſomni exhibeatur philonii Perſic. ℈j. vel laudan. opiat. gr. iij. Ad ſuppurationem maximè commendatur tale cataplaſma ex cæpa factum:

℞. Cæpam majorem Num. 1. butyr. recent. ℥ij. ol. camomill. roſac. an. ℥j. croci ℈j. F. Cataplaſma, quod moderatè calidum parti adhibeatur. Factâ ſuppuratione, æger in partem affectam decumbat, ut pus commodè effluat; eluatur auris tali remedio:

℞. Decocti hordei ℥iiij, mell. roſar. ℥j. miſce; & inſtilletur tepide in aurem.

In diæta aër ſit temperatus; Cibus parcus, refrigerans. Potus cereviſia tenuis, & julapium ex ſyr. de limonibus & aqua hordei. Motus vitetur; concilietur omni ratione ſomnus; atque ideo utatur lacte amydgdalato cum ſyr. & ſem. papav. albi. Alvus quotidie reſpondeat naturâ vel arte. Vitet omnia vehementiora animi pathemata. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen.*

Aurium ulcus.

Licet quandoque contingat, ut cerebrum ab excrementitia materia per aures expurgetur, quæ in via pravum quoque poteſt odorem, atque colorem contrahere; idque abſque ulla eſſentiali auris noxa, attamen hoc caſu, cùm jam quindecim abhinc annis, à diuturna mora ſub radiis ſolaribus; acerbiſſimis doloribus auris dexteræ Illuſtriſſ. Pat. fuerit diu vexatus, quibus cum febre ceſſantibus, purulenta materia, non ſine aliqua cruoris tinctura ſponte excreta obſervata fuit, ideo inflammationem tunc in aure excitatam fuiſſe, eamque ab excalefacto, atque fuſo in capite ſanguine, ad aurem tranſmiſſo, manifeſtiſſimum eſt. Aures ſiquidem ut potè naturâ debiles, faciliùs cæteris partibus fluxionem ſuſceperunt. Ab inflammatione autem tunc temporis ſuppurata, num ulcus perduraverit, necne, in hiſtoria deſideratur, in qua de continuo materiæ effluxu nulla fit mentio, ſed de hoc ſolùm, quod tribus poſt annis à decocto & ſudore, in aure ſibilus ſupervenit, qui licet non continuus, temporis tamen progreſſu ſenſibilior & moleſtior fuit redditus, cum audiendi quoque non levi difficultate; ubi enim aures intra ſe ſonant, externum ſonum recipere nequeunt, ob vaporoſam materiam ab auris intemperie, cum aliquo humore elevatam. Sed tandem, ſex circiter abhinc menſibus, quibus Romæ degit Illuſtriſſ. Pat. bis fluxionibus à capite in eandem aurem tentatus fuit, cum doloribus ſomnum quoque interturbantibus, qui materia maturata, eademque alba & cocta per aurem excreta, ceſſarunt, cui effluenti portiunculę quoque membranoſæ immiſtę obſervatæ ſunt, interim turunda bombycea immiſſa, nonnunquam cruore tincta extracta fuit. Quare de ulcere, à diſrupto abſceſſu ſuperſtite non eſt quod dubitemus, non quidem in cochlea, neque in labyrintho, ſed vel in tympano, vel in meatu auditorio, cùm turunda immiſſa tingatur ſanguine probabili indicio quod ad ulcus pertingat. Verùm quoniam ab eadem materia in halitus converſa, aër implantatus continuò inordinatè movetur, ideò continuus quoque ſequitur aurium ſibilus, cum auditu quoque diminuto, tum ob aëris ejuſdem confuſionem, tum maximè ob inſtrumentorum & tympani potiſſimum humectationem; ac tandem quia omne recipiens debet eſſe denudatum qualibet conditione recepti.

Quæ ulcera ſunt difficillimæ ſanationis, potiſſimùm verò ſi annua & profunda, inque tum ob excrementa perpetuò à capite manantia, quæ tamen ad ſanationem, accuratam exſiccationem poſtulant, tum quia calloſa fiunt, cujus ratione eorum cicatrix prohibetur atque protrahitur. Attamen cùm materia effluat ſatis concocta, & à paucis diebus meliùs ſe habere videatur Illuſtriſſ. Pat. ſalutis ſpes non omnino abjicienda.

Pro qua medicę intentiones erunt, purgato toto & capite, ulcus detergere, exſiccare, ſarcoticis implere, & cicatrice obducere. ſiquidem cum viris iſtis Excellentiſſ. ſoli naturæ opus non eſſe relinquendum exiſtimo, cùm naturalis alterius auris imbecillitas, alterius quoque imbecillitatem ſupponat.

Quare ſanguinis miſſionem repetendam cenſeo, & quidem prima vice ex lateris affecti brachio, ſecunda verò ex hæmorrhoidibus, habitâ melancholici habitûs ratione. Cauterium quoque omnino brachio inurendum, & pedum lotiones familiariter ante cibum adhibendæ, prout frictiones quoque ſcapulis & dorſo, matutino tempore non negligendæ.

Medicamenta verò erunt Lenientia, Præparantia, totum & caput Purgantia, ab auribus Divertentia, & Roborantia. Leniens itaque ſit pot. ex manna clarif. addita aqua flor. citri. Præparans ſine diluto, quinque diebus, pro ſyr. matutino aſſumendum, erit julap. acet. cort. citri aromatiz. ad ℥iij. cum cremor. tart. qualibet vice. Repetatur evacuatio ſyr. roſ. ſol. & de polyp. vel caſſ. lenit. & tart. Mox ulterior ſequatur humorum pręparatio, ſuccis potiùs depur. quàm ſyr. ſaccharatis. aut mellitis, qui hypochondriacis non adeò convenire ſolent. Quare præbeantur ſucci depur. ſonchi, borragin. & betonic. an. ℥iij. in decoct. cichor. borrag. ſonchi, endiv. betonic. majoranæ, addito ℈ß. tartar. vitriol. pro ſyr. & ita pro aliis ſeptem. A quibus pręparati humores expurgentur infuſ. agar. rhab. & ſennæ, addito ſyr. roſ. ſol. vel elect. lenit. diacath. additis pilul. de tribus ſuperbibat. P. Illuſtriſſ. aq. Nocer. ℔. ij.

Purgato

Purgato toto, purgetur & caput pil. & errhinis. Pil. erunt cochiæ, aur. & aggregat. epota ſemper ab iis aqua Noceræ, aut hordeac. ne exſiccentur hypochondria, quæ tribus vicibus quarto aut quinto quoque die repetendæ, atque vacuis diebus, ſucci depur. aſſumendi, ut ſuprà. Interim Errhinum ſuave erit parandum quo, more tabaci utatur ex pulvere rad. ireos, nigellæ & fol. majoranæ. De capitis verò majori exſiccatione non loquor, utpote nimis operoſa, quod tamen aliqui conſerva capitali erit roborandum, ſub ingreſſum lecti aſſumenda, è floribus betonicę, ſalviæ, roriſmarini, & à prandio, roſarum.

Tandem partis affectæ, ulceris ſcilicet, curatio tentanda, atque omnium primò leviora mundificantia ſint mel. roſ. cum aq. hord. modica diſſolutum, quo paulò validius erit mel ſcilliticum cum ſucco cæparum, ſicut validiſſimum foret (quo tamen opus non eſt) Ægyptiacum melle dilutum, valida enim exſiccantia admittunt, imò poſtulant aures, quæ tamen non ſunt infundenda, ne meatum auditorium attingant, ſed ſpecillum ſolùm lanâ obvolutum inſinuandum.

Ulcus deterſum erit exſiccandum, in quem finem Galenus extollit ſcoriam ferri, in tenuiſſimum pollinem redactam, cum aceto fervefactam ad linimenti conſiſtentiam, quale exſiccans medicamentum parari poterit hoc modo.

℞. *Scoriæ ferri ſubtiliſſ.* ℥ß. vitriol. ʒj. m. bul. in aceto & vino, & eadem turunda intincta immittatur.

Carne denique implendum, & cicatrice obducendum ulcus, in quam rem priùs ſuffumigium in aurem præcipi poterit, ex maſtiche, myrrha & thure paratum. Mox ſarcoticum hujuſmodi inducatur.

℞. Ceruſę, tuthiæ præp. an. ʒj. rad. ariſtol. myrrhæ, ſarcocollę, aloës an. ʒj. rad. Ireos ℈j. m. f. pulvis & excipiatur melle & ſucco agreſtę, quo turunda imbuta intrudatur.

Quibus omnibus congrua victûs ratio erit addenda. Hæc ſint in ſalutem viri Illuſtriſſ. præſcripta, quæ omnia ſi adhibere recuſet, quod plurimùm ceſſerit affectus, non deerunt ſelectiora & maximè opportuna eligenda. Ita Deus vota noſtra ſecundet. *Joann. Raymund. Fortis Conſult. & Reſponſ. Med. T.* I. *Centur.* I.

Illuſtriſſima virgo annorum quatuordecim, temperamenti hepatis paulò calidioris; cerebri verò calidi & humidi, quarto ætatis anno ob luxuriantes in cerebro humores, aquoſum per aures effluvium pati cœpit, quod cùm à principio per Medicum ordinarium, & Adſtantes minus curatum eſſet, diuturnitate temporis ſymptomaticum evaſit, ut novem abhinc annis materia fœtens, ſordida, corroſiva, & ſæpius ſanguinolenta excernatur, cum notabili auditûs gravitate. Pro cujus ſymptomatis Curatione, in vitiis excretorum enumerandi, à diverſis Medicis diverſa tentata ſunt. Atque in primis præter diætam convenientem, ad mentem Galeni 4. Meth. per ſyrupum magiſtralem, humoris peccantis blandè, & per epicraſin à toto facta eſt evacuatio. Data poſt hæc catapotia aliquoties ex alto trahentia; celebratæ venæ ſectiones; dum etiam ad revulſionem & derivationem materiæ, adhibitæ cucurbitulę, cum & ſine ſcarificatione, veſicatoria, fonticuli in brachio & nucha. Tandem etiam poſt plenariam corporis & capitis expurgationem, ad evacuationem cauſæ conjunctæ Maſticatoriis & Errhinis pugnatum eſt. Thermæ naturales ſulphureæ adhibithæ, dum etiam ad locum affectum magis exixccandum, præter Decoctum chinæ pro potu ordinario, Decocta ſudorifera ex lignis cum corrigentibus uſurpata fuere. Succeſſit uſus herbæ Thee, ut omnium catharrhorum alexipharmaci. Nec omiſſa quæ ab intus & extra corpus confortarent, illiuſque mali partes mandantes, viſcera nempe principalia. Minùs neglecta, quę aures blandè detergerent & exiccarent, ex ſuccis agrim. abſynth. vino, mell. roſ. urinâ pueri impubis &c. Sed nec his proficientibus, ad fortiora quæ abſtergerent, exiccarent, carnem generarent, & cicatricem inducerent, deſcenſum eſt, ſcil. ad Decoctum lignorum, ſarcocollæ, myrrhæ, aloës, croci metallorum, cum ſuccis apii, abſynthii, agrimoniæ, centaur. min. quæ tepidè in aurem infuſa ſunt; ſucceſſere ſuffumigia ex gum. ladano, ſandaracha, ſarcocolla, myrrha, olibano, omnibus terebinthinâ exceptis. Tandem ad ipſa etiam metallica adventum eſt, quæ commendat Galenus 3. de Compoſit. Medic. ſec. loc. & Raſis 9. ad Almanſorem cap. 26. ſcoriam nempe ferri cum ſucco agrimon. centaur. minor. abſynth. & aceti modico præparatam. Sed initis omnibus, & ſymptomatibus, non tantùm perdurantibus, verùm cum dolore ingraveſcentibus, cùm humor ſuâ copiâ non tantùm membranoſas, ſed & cartilaginoſas aurium partes diſtendat, membranaſq; muſculorum ſuâ acrimoniâ vellicet; verùm etiam cùm jam ulcus ſordidum evaſerit, ipſaque Natura omnes cerebri humiditates illuc ad parotidum glandulas deponat, putarem (ſalvo ſaniori judicio) hoc unicum ſupereſſe remedium, manualem nempè atque chirurgicam operationem à perito Artifice faciendam, ne hæmorrhagia major, dolor aut inflammatio ſuccedat, ſcilicet ut primò ſecundùm longitudinem quatuor communia integumenta ad glandulas parotidas ſecentur; poſtea inſtrumento ad operationem apto cum cautela eædem glandulę eruantur; ne vaſa majora, venæ ſcilicet, à jugularibus externis, & interiores à carotidibus lædantur, & hæmorrhagia incurabilis & lethalis ſuccedat. Quam ipſam Ambroſius Paræus timens glandulas haſce potiùs filo in fundo earumdem ligat, ut paulatim exiccentur, flacceſcant & ſponte decidant. Glandulis hiſce hoc modo erutis, cùm nullus ibidem humor ſeſe cumulare poterit, omnia pręfata ſymptomata ceſſabunt; ipſe verò humor ad ductuum ſalivalium principium derivabitur, ac per eoſdem expurgabitur. Et hęc Præclariſſimi in arte conſummati viri judicio penſitanda deferuntur.

Cùm Hippocrates pronunciaverit, quod *caput dolenti & circumdolenti, ſi pus, vel aqua per nares, aures, ac per os effluat, ſolvitur dolor.* Ideò credendum naturam totum caput humiditatibus ſcatens per aures olim expurgare tentaſſe, & intentum obtinuiſſe. Verùm quoniam ſuperſtes manſit ejuſdem humiditatis in capite reproductio, cùm affectus ipſe vel à Domeſticis, vel à Medicis neglectus fuerit: hinc factum eſt quòd nova reproducta materia calidior & craſſior, ad aures tranſmiſſa, erodendo, progreſſu temporis ulcus excitaverit, non in cochlea, nec in Labyrintho juxta tympanum, auditus enim non ſolùm imminutus, ſed olim ex toto abolitus fuiſſet: ſed in meatu auditorio in quo præter cartilaginem & membranam, ſubſtantia quoque nonnihil carnea, ſive potiùs pinguedinoſa reperitur, in qua ulcus faciliùs fieri & diutiùs conſervari potuit. Hoc autem ulcus abſceſſum inflammatorium non præceſſiſſe credendum, quoniam de intenſis doloribus cum febre Nobiliſſima Puella conqueſta fuiſſet. Ulcus itaque in utraque parte intra aures modò multis abhinc annis Nobiliſſimam Puellam geſtare, ſive pati non eſt dubitandum, cui à capite calida & humida intemperie affecto, continuò catharrhalis ſeroſa materia ſuggeritur: quæ tamen malè olens non eſſet, niſi ex mora in ulcere ipſo corrumperetur, & pravum odorem adipiſceretur. Quoniam verò in tranſitu & aërem implantatum quodammodo turbatum fuiſſe neceſſe eſt, ideo ſibilus, ſive tinnitus: ſicut tympani membrana made-

facta, auditus imminutus ſequutus fuit. Materiæ autem fluxio ab utraque aure adeo copioſa. totque annis effluens, credibile non eſt quod à glandulis parotidibus ipſis auribus ſuppeditetur: ſed pro certo habendum quod immediatè ad aures tranſmittatur: etenim adeo copioſa diutna ſi ad parotidas ſeſe inſinuaſſet, jam molles & tumefactæ tactu, imò & viſu perciperentur. Et quamvis ab iiſdem glandulis aures ipſæ materiæ portionem aliquam ſuſciperent, non tamen in glandulas; ſed in cerebrum cauſa referenda eſſet; à quo non ſolùm humectato, ſed humiditatibus referto, tanta emanavit ſeroſitas, quæ in Infantula retenta facilè Hidrocephalum induxiſſet.

Quare ſi huic inveterato affectui providendum ſit, non eſt qui non videat capitis curam, omnium primò habendam eſſe, illud ipſum ut mali fontem & ulceris fomitem exiccando, & reſiduum fluxionis ab auribus divertendo, ut quamvis difficillimum fore cenſendum ſit (propter diuturnitatem affectûs) non tamen impoſſibile, quoniam appropriata præſidia non adeò legitimè & perfectè adminiſtrata fuiſſe puto.

Primæ viæ itaque ab excrementis mundandæ. Secundò Totum corpus ab humoribus excrementitiis vindicandum. Tertiò caput purgandum. Quartò Capitis humiditas exiccanda & humida intemperies corrigenda. Quintò ſi aliqua materiæ reproductio ſupereſſet, ab auribus divertenda; Atque tandem ulcus, amoto impedimento, exiccandum & cicatrizandum.

Primam & ſecundam intentionem viro Doctiſſimo explendam relinquo; non omittendo aliquam ſanguinis miſſionem, ſaltem ex ſaphæna pedis, cùm tempus inſtet Purgationis menſtruæ. Pro tertia, pilulas capitales Paracelſi propono ad ℈ß. circa noctis dimidium à primo ſomno, more Tralliani, ter quarto quoque die exhibendas; & iiſdem diebus errhinum ex pulvere majoranæ, ireos & nigellæ paratum. Pro quarta intentione, Decoctum ſudorificum pro egregio & unico remedio propono ita parandum.

℞. Ligni viſc. querc. ver. ror. mar. an. ℥j. ligni guajaci pinguis rec. chinæ opt. an. ℥ß. aq. ſtillat. cichor. beton. an. ℔ ij. m. f. infuſ. per horas XXIV. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & facta colatura ſervetur pro tribus vicibus, ſummo mane horâ unâ ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda. Pro potu conſueto.

℞. Reſiduum lignorum, aq. fontis opt. ℔. xij. m. bull. ad conſumptionem tertiæ partis, in fine verò ebullitionis adde cinam. integri ℥ij. bulliant parùm, & fiat colatura, cui adhuc ferventi adde fruſtula citri recentis, & ſacchar. alb. ℥IV. ut agitando fiat aqua ſuavis vulgò dicta Cedrata. Pro ſudore provocando ingrediatur hypocauſtum, adeò ut caput principaliter ſudet: alioquin tantùm abeſt ut caput exſiccari poſſit, ut potiùs ab humoribus in toto fuſis magis magiſque impleatur atque gravetur; & in hoc potiſſimùm conſiſtit rectus uſus tanti remedii, in quo delinqui ſolet cum incredibili præjudicio Patientum. Sudet autem quadraginta diebus manè tantùm, nimirum ſemel in die, & primis diebus per horæ quadrantem, ſequentibus verò uſque ad horæ dimidium, & non ultra; ſicut poſtea reliquum dimidium horæ ſudabit in lecto. Maneat autem toto ſudoris tempore ſemper domi non ſolùm, ſed in cubiculo, non hypocauſti; ſed hypocauſto proximo ab aëre & ventis cuſtodito. Decimo quoque die præbeantur pilulæ capitales jam ſuprà deſcriptæ, ea die omiſſo ſudore. Victus non ſit adeò tenuis, ſed quotidie in prandio tantùm concedatur caro aſſa pulli junioris, aut palumba ex turre præter panem biſcoctum, nucleos pineos & paſſulas ad libitum; quandoque in cœna permittatur ptiſana hordeacea probè cocta, addito ſaccharo.

Abſoluto ſudore (quoniam facilè adhuc aliqua in capite humiditas reproduci poterit) idcirco ut ab auribus divertatur, & à capite extraducatur, Setaceum occipiti erit affigendum, & ſerico laqueo per menſes apertum conſervandum: non enim glandularum parotidum extractioni ſubſcribere poſſum, non ſolùm ob rationes à me ſuperiùs adductas (fluxio namque ad aures, etiam demptis glandulis, dubio procul perſeveraret) verùm quoque quoniam non ſine vitæ diſcrimine barbara illa operatio adminiſtrari poſſet.

Interim ulcus detergendum & exiccandum; cùm ulceris curatio vera ſit exiccatio. Pro deterſione introduci poterit mel roſ. ſimplex, aqua Tettuciana, aut ſulphurea dilutum, in cujus uſu aliquot diebus inſiſtendum quater in die auditorium meatum abluendo. Mox pro exiccatione, Metallica præſertim ſcoria ferri, à Galeno propoſita, & à Paulo comprobata; efficax erit remedium: præterea ex uſu eſſe poterit vinum ita parandum.

℞. Vitrioli rom. calcinati ℥ij. vini rubri ℥viij. ſucci cydoniorum ℥iv. m. f. infuſio in loco calido per XXIV. horas, deinde f. colatura quæ introducatur mediante turunda bombycina. Præſtantiſſimum quoque remedium ad hujuſmodi ulcera contumacia eſt ſpiritus Mercurii dulcis, pariter turundâ madefactâ introductus.

Jam dictis omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, ita ut caput ab inclementiis ambientis, tam frigidis, quàm calidis cuſtodiatur & omnia vaporoſa, tam frigida, quàm calida interdicantur, ut lactaria omnia, lactucæ comeſtio, fœniculi, cardui, fungorum, tuberum, Leguminum, vini meracioris potus: & à prandio uſus Conſervæ roſarum, à cœna verò è floribus betonicæ & roriſmarini inſtituatur, alvuſque aliquo familiari Medicamento bis in menſe ſolicitetur. *Idem Tom. ij. Centur. I.*

Aurium vermes.

Proponitur caſus generoſi patientis Hungarici, annum agentis 25. qui poſt febrem quotidianam ſex continuos menſes in pueritia affligentem anno 1639. annum agens duodecimum, conqueri cœpit de dolore ſiniſtræ auris, quæ matutinis horis non audiebat, niſi poſt prandium: atque dolore hoc in dies magis ac magis infeſtante, oleiſque variis non cedente, ad mulierem adiit, quæ ipſi eduxit vermiculos albos circiter decem, perſeveranteque dolore, & fonticulo ſiniſtro brachio anno 1642. inuſto, nihil juvante, iterum aurem applicuit ollæ, herbis & vino plenæ, cujus remedii uſu, eruperunt inde pluſquam 20. vermes, menſem vivi qui fuerunt. Non ob id tamen convaluit: ac proprerea multis applicitis non conferentibus, inſtillatis quinetiam in utramque aurem tribus guttulis olei elixyr. Proprietatis, quotidie erumpebant vermiculi piloſi mortui: ac proinde cùm perſeveret dolor, cum continuo vermium ſuſurro, auditui, ſtudiis, & ſomno valdè moleſto, quærit, utrum hîc Patavii habeatur oleum hoc elixyr proprietatis dictum vel quid aliud, quod vermes enecare, caput roborare, & priſtinam ſanitatem ipſi reſtituere poſſit.

Cui ſatisfacturi, negare non poſſumus, vermes in auribus generari poſſe. Ubicunque enim adeſt materia putrida, ex ipſa vermes produci poſſunt; adeſſe autem poteſt in qualibet parte noſtri corporis, quotieſcumque calor extraneus dominatur calori nativo, ita ut ab eo terminari non poſſint paſſivæ qualitates,

ſed

ld humiditas prævaleat. Habemus namque ex Ariſtot. 4. Meteor. *putredinem eſſe corruptionem propriæ, & nativæ caliditatis in uno quoque humido, à calore extraneo factam.* Quam ob cauſam vermes ut plurimum generantur in inteſtinis, quoniam in ipſis frequentiſſima eſt putredo. Generari tamen poſſunt etiam in ventriculo, in capite, thorace, & alibi, teſtimonio Avicennę, Alzaravii, Benivenii, Gabucini, aliorumque plurium medicinæ Scriptorum, & præſertim Valeſci de Taranta in ſuo Philonio, ſtatuentis dolores aurium aliquando fieri à vermibus. Tandiu autem perſeverare hanc vermium generationem, totque adeſſe in capite vermes, ut ſtrepitum inferre valeant, ſomnumque, & ſtudia interpellare, non tam facilè perſuaderi poſſumus, cùm præſertim non referat patiens, ſanioſam materiam jugiter fluere, ex qua ſtatutis temporibus novi regenerentur vermes, atque ita dolor & ſtrepitus perſeveret, non obſtante, quod ſæpius & plures vermes fuerint extracti. Quin potiùs in eam concedo ſententiam, quod adſit firma, & fixa imaginatio ſuper hoc objectum, quam propterea ratio corrigere non valeat.

Utcunque tamen ſit cùm imaginarii affectus & ipſi medicis præſidiis non raro tollantur, quatuor in caſu præſenti peropportuna cenſemus. Primò quidem mentem ab hoc objecto divertentia, ſecundò corpus diligenter expurgantia, tertiò aures, & cerebrum exſiccantia, quartò & ultimò cordialia, & humori melancholico occurrentia.

Primæ intentioni ſatisfiet per ſex res non naturales, & præſertim per intermiſſionem ſtudiorum, ſodalitates, & peregrinationes; ſecundæ, ſanguinis detractione ex venis ſedalibus ſemel in menſe, repetitâ totius corporis expiatione per melanagoga, & capitis ipſius, per naſalia, & maſticatoria: attritionem namque dentibus factam juvare ad digerendam materiam ad aures noctu fluentem, colligitur ex perfectiori auditu poſt prandium, quàm ante ipſum. Caput deinde, & aures exſiccanda per uſum *elixyr.* non quidem proprietatis, ſed *vitæ majoris & minoris* à Quercetano deſcripti in Pharmacopæa Reſtituta: per fumum etiam tabaci ore exceptum ita, ut exſuffletur ex auribus, & per pulveres gentianæ, acori, ſcordii, & ſimilium: ex quibus cum lauro parabitur lixivium pro capite; ac tandem præſcribantur magnæ antidoti, ut puta Mithridatica conf. juleb. gemmatum, el. de gemmis, confectio Alchermes, & ſimilia, Ad vermes in auribus Aëtius Tetrab. 2. ſermon. 2. cap. 8. commendat hæc remedia: calaminthæ ſuccum inſtillatum in aures, Veratrum album cum vino: colocynthidis decoctum, centaurii, & abſynthii, cum vino; ſcordii tandem, & marrubii ſuccum. Et hæc agenda duxi pro medela ſaltem animi, ſi non corporis, Reverendi patientis. *Benedict. Silvatic. Conſil. & Reſponſ. Medic. Centur. ij.*

Parotis.

Patricius Illuſtriſſ. Juvenis 20. annum agens, temperamenti totius, jecoris & capitis calidi & humidi, poſt varios errores in vivendi ratione commiſſos, & potiſſimum in exercitio parvæ pilæ, & meri potibus, incidit in febrem acutam, quæ ut bilioſa, ſed ſpuria, à Domeſticis Medicis curata fuit, cujus hodie dies decima quarta numeratur. Et quoniam in toto febris progreſſu de dolore capitis conqueſtus fuit, & ſeptima die nonnihil deliravit & undecima comatoſus fieri cœpit, decimæ quartæ initio glandula poſt aurem dexteram intumeſcere cum dolore viſa eſt, qui tumor hodie, ſub finem quartæ decimæ elevatus eſt ad ovi anſerini magnitudinem, cum rubore & dolore, & adeò œſophagi muſculos comprimit, ut difficilem reddat deglutitionem. Pulſus conſtant, ſuntque ſatis magni, frequentes, ſed adeò celeres. Urinæ potiùs tenuiores, nunc verò aquoſæ ſubſtantiæ. Modò Parentes de agendis conſulunt.

Et ego cum Viris Excellentiſſ. cenſeo febrem hanc fuiſſe bilioſam, cum non exiguo ſanguinis ſubdominio, qui juſto calidior, tum à vehementibus motibus, tum à meri potibus bilioſior fuit redditus, unde febris ſynochus, *Quoddammodo biliosa* Gal. dicta ſuborta fuit. In cujus curatione, quoniam natura à Medica manu opportunè adjuta & ſublevata fuit, & ſanguinis miſſione, & alterantium atque evacuantium adminiſtratione, ideò uſque in hunc diem, vitalis facultas viguit, nec naturalis dejecta eſt, licet animalis quodammodo turbata fuerit, cùm ſeptima die nonnihil Patiens deliraverit, & poſtea ad ſomnum præter naturam inclinaverit, cùm enim venoſum genus humoribus redundet non adeò craſſis, adſitque fervidus calor, facultas expultrix validior eoſdem in aliquam corporis partem detrudere tentans, caput calidum & humidum ad attrahendum proinde & ſuſcipiendum opportunum nacta, in eodem reſiduum redundantes humores depoſuit, & ad cerebri emunctorium tranſmiſit, & tumorem in eadem parte poſt autem excitavit, qui Parotis propriè appellari ſolet, quæ licèt nonnunquam fieri poſſit à multis, craſſis & crudis humoribus, multò tamen tunc vehementior & acutior debet eſſe febrilis calor. Hujus autem imminentis abſceſſus præceſſerunt ſigna, nimirum capitis dolor, cum comate, quibus ſurditatem quoque addit Gal. licèt hęc frigidæ potiùs naturæ & ætati accidat. Præſentem autem ſicut demonſtrant tumor & dolor, ita ejuſdem cauſam, ſanguinem ſcil. non adeò tenuem nobis ſignificat calor cum rubore.

Si de eventu hujus febris loquamur, licèt incertus ſit, ſalutis tamen ſpes eluceſcit, cùm Pat. ſit Juvenis, valida virtus, & per abſceſſum terminanda videatur, qui abſceſſui modò nos maximè attentos eſſe oportet, nam licet ſuperiores abſceſſus, inferioribus difficiliores ſint, quia tamen non in principio, & intempeſtivè, ſed die critica hic apparuit, ideò fovendus aut adiuvandus: Parotides enim, ſi evaneſcant, recidivam imò ſæpè mortem expectare oportet, ut contigit quoque Nicolai Concubinæ ab utraque parte. In caſu verò noſtro ſaltem recrudeſcentiæ metus eſſet, quinimò *ſi non matureſcant Parotides, nec ex naribus ſanguis fluxerit, aut urinæ ſubſidentiam copioſam & craſſam habuerint; omnes pereunt.* Quare circa abſceſſum hunc ſermo noſter potiſſimùm verſari debet.

In cujus curatione, licet nunquam repellentibus, ſed attrahentibus potiùs utendum eſſe conſulant, & Orib. & Aëtius, nihilominus, ſi cum impetu irruat humor, nil curioſè agendum eſſe, jubet idem Aëtius, imò Tral. notat quod ſi à ſanguine fiat, attrahentibus facilè ſuffocatio induci poteſt. Quæ omnia à Gal. deſumpſerunt, dicente, *non repellentia, ſed potius attrahentia, aut ſaltem laxantia, vel naturæ bene agenti totum opus permittendum.* Cùm igitur hoc caſu, natura bene & ſatis agat, ab attrahentibus abſtinendum, & ſola laxantia tutò adhibenda, nec ab uſu butyri recedendum, *Concoquit enim, laxat, & digerit,* ut dicebat Gal. & licèt Celſus quamprimum Parotidem aperiendam conſulat, ab initio tamen nunquam id fieri debet, nonniſi præſente aliqua materiæ ſuppuratione, cui dum attendimus, ſi forte contingeret ut

ut ab humorum affluxu, aut hodie veſperi, aut cras mane tumor in amplam molem adeò excreſceret, ut & deglutitio, & forſan etiam anhelitus interciperetur, tunc ad ſanguinis miſſionem per venam ſectam, dubio procul erit deveniendum, ut nos docet Gal. Quinimo dum à Sanguine Parotides fiunt, ſtatim venam aperiendam conſulit Tral. ut arceatur ſuffocatio. Si verò craſtina die eodem ſit ſtatu ipſe tumor, Emplaſt. aliquod illi erit admovendum, quod laxandi, nonnihil attrahendi, & omnino concoquendi atque maturandi facultatem obtineat, quale eſſe poterit paratum ex Fol. Malv. in lacte vaccino decoctis & contuſis, addito butyro, adipe gallinæ, & Ol. amygd. cui veſperi fermentum quoque addi poterit, quinimo & farina cum Caricis ping. exemplo Paul. Quamprimùm autem tumor erit aperiendus, ut monet Celſus, neque expectandum in ſuperficie pus, ut aliqui inexperti, non enim attollitur priuſquam deprimatur, & in ſinus varios atque difficiles ſe diffuderit, præterquam quod ſi tardè aperiatur abſceſſus, materia antecedens in capite hæret, cùm ei à conjuncta non cedatur locus, etenim intus exiſtens prohibet extraneum. Ferro igitur aperietur abſceſſus hoc caſu, cùm Juvenis ſit Pat. vegetus nativus calor, & tumor ſit phlegmonoſus potiùs, & bile immiſtus, quàm œdematoſus, aut cum pituita. Neque ſemper ferrum adeo tutum, inclinante ſcil. ætate, nativo calore imbecilli, & febrili intenſiori, atque humore, tumoris causâ ad frigidum vergente, tunc enim ex vulnere Gangræna excitari poſſet, cujus causa cauſticum ferro tutiùs ſubſtituitur.

De reliquis febri extinguendæ adminiſtrandis non eſt quod loquar, ut potè Viris Excellentiſſ. perquàm notis, quod ſcil. aperto abſceſſu à medicamentis evacuantibus atque divertentibus ſit omnino abſtinendum, & ſolis clyſteribus utendum, ſicut attenuantibus inſiſtendum, uſui nimirum copioſi Julap. Acet. neque ab alterantibus diſcedendum, habita ſcil. febrilis caloris ratione, congruam victûs rationem, jam præſcriptam obſervando, quę in præſenti caſu dicta ſatis. *Joann. Raymund. Fortis Conſult. & reſp. Medic. T.* 1. *Cent.* 1.

Obſervationes.

Auris Dolor.

Cùm mulierem auris dolore intenſiſſimo afflictam pilulis cochiis & aureis purgaſſem, & cucurbitulas ſcapulis cum ſcarificatione, & ventoſam in Nucha appoſuiſſem; hoc cataplaſmate impoſito, miraculi inſtar ab omni dolore liberata eſt.

℞. Cæpæ num. j. ſub cineribus ferventibus decoct. ol. Chamæmel. ℥ß. butyr. rec. ol. aneth. an. ℥ſ. croci ℈j. Contuſa emplaſtri modo, auri dolenti appoſita ſunt, *Petrus Foreſtus Obſ.* 1. *lib.* 12. *De aurium morbis.*

Auris dolorem ex inflammatione ſic curavi. Præmiſſo clyſtere emolliente & refrigerante, ſanguinem detraxi ex vena cephalica ejuſdem lateris: Poſtea, cùm fervens eſſet inflammatio, ovi candidum tenue cum lacte muliebri tepidum infudi. Aliquando etiam uſus ſum ol. viol. in quo aſelli infuſi ſunt & expreſſi, modò etiam roſaceo ſolo, modò lacte admiſto, aut albo ovi. Similiter extrinſecus lanam jam dictis imbutam impoſui, cavendo tamen ne calefierent. Pars quoque dolens hoc fotu foveatur.

℞. Fol. Malv. biſmalv. viol. lactuc. ſalic. an. m. j. ſem. cydonior. malv. an. ʒiß. flor. chamæmel. melilot. an. p. j. flor. roſar. rubr. p. ß. F. decoctio, qua pars leviter & tepidè cum ſpongia madefactâ & expreſſa foveatur: Talis fotus optimè conveniebat, ut materia digeratur, & ſic paulatim materia fuit reſoluta ſine abſceſſu. *Petrus Foreſtus. Obſ.* 5. *lib.* 12.

Quidam aurem dolentem ex percuſſione ita curavit; medullam panis albam calidè tritam cum melle apponebat, quæ frequenter ſuperpoſita dolorem ſedabat. Particula etiam thuris infundatur in lacte, donec diſſolvatur, & guttatim in aurem mittatur: Hoc enim illico dolorem tollit, ut expertum eſt. *Petrus Foreſtus. Obſerv.* 7. *in ſcol. lib.* 12.

Cuidam auris dolore cum apoſtemate & ulcere laboranti in conſilium poſt multa fruſtra tentata Medicamenta, adhibitus, juſſi, ut manè ac veſperi in aurem læſam 3. vel 4. guttas olei ſulphuris tepidi, priore rejecto injiceret & poſtea in ſano latere horas aliquot decumberet, quod cùm feciſſet in dies, omnis dolor mitigatus, ulcus abſterſum curatumque fuit paucis diebus, cum omnium admiratione. Cum eodem ſulphuris Balſamo ad eundem modum adminiſtrato, ſanavi auris dolorem intenſiſſimum in alio. *Martinus Rulandus. Curat.* 85. *cent.* 1.

Divinus ſenex, lib. 2. epidem. ſect. 6. ſic præfatur; graviſſimos aurium dolores affixa cucurbitula tollit. Hæc memoranda ſententia ſummam attulit opem miſero cuidam, qui ex dolore auris atroci malè habens; omnibus præſidiis deſtitutus, vigil, debilis, & amens factus, continuò febriens, in horas moriturus ſperabatur. Hic cùm ex venæ ſectione, cucurbitulis, coſtis, humeris, collo affixis, revellentibus clyſteriis, expurgantibus, cæteriſque revulſoriis auxiliis, ſicut & anodynis intra aurem inditis, nullam ſentiret utilitatem, cucurbitulâ ſcarificatâ juxta aurium glandulas applicatâ, levatus eſt: extracto enim copioſo ſanguine, inflammatione reſolutâ, hujus auxilii beneficio omnino ſanus permanſit. *Zacutus Luſitanus. Obſ.* 69. *lib.* 1. *prax. admirand.*

Notarius Proventuum Oeconomiæ Regiæ nomine Michael Dam, inexplicabili dolore auris dextræ affligebatur, noctes dieſque ducebat inſomnes, ac vix delirium effugit. Humor quidam primò fluebat ex aure, ſed, poſtquam Chirurgus hujus loci emplaſtrum applicaſſet, & ſimul linteaminibus aurem bene muniſſet, deſiit fluxus, continuatis interim & ſimul ex parte auctis doloribus. Medicus quidam accerſitus opii uſum pro ſedandis doloribus ſuadet, ſed abſque penitiori effectu, niſi quod ex memorati opii uſu ægrotus dormire, inſequentibus inſomniis, horis duabus poterat, recedente mox dolore. Tandem ex ſuaſu alterius amici, qui me conſuluerat, aſſumpſit pilulas ex M. P. Ruff. & extract. Rharbarb. continuis quatuor diebus, manè & veſperi, cum euphoria, remotis omnibus emplaſtris & linteaminibus. Pus incipiebat fluere copioſè, ſucceſſit levis purgatio, ex pulv. rad. jalapp. ℈j. cum reſin. jalapp. gr. v. acuato, & ſic poſt tres ſeptimanas reſtitutus eſt æger.

Vir magni nominis apud nos æquè tali dolore gravi aurium infeſtabatur, unica nocte horrendiſſimo dolore capitis noctem totam inſomnem, ſed miſerandam conſumebat, quid ageret, vix ſciebat, nam dolor videbatur modum excedere. Hic ſepoſitis omnibus externis, quæ ſuadebantur (exemplo enim erat affinis prædictus) ſtatim conſilio meo confugit ad pilul. quarum ſequens eſt formula.

℞. Extract. hellebr nigr. cum ſp. v. facti ℈ j. maſſ. pilul. Ruff. ʒß. reſin. jalap. gr. vi. m. F. L. a. pil. divid. in p. ij. æqual. Mane prima parte Pilul. uſus eſt. ſedibus quatuor motis, cum alleviatione doloris; altera die ſecundam partem iterum priori ſimilem aſſumpſit ſequentibus ſex ſedibus. A meridie incipiebat pus fluere ex aure, quæ deinde tantùm externo leni linteamine muniebatur, fluxus autem cum euphoria 14. diebus continuavit, & æger reſtitutus eſt.

Vir

Vir quidam nomine Johann. Lonhert, civis Riſenburgenſis in Pruſſia ducali, dolorem auris graviſſimum ſentit dextræ: quinque vel ſex diebus continuavit dolor, & parùm abfuit, quin ſibi ipſi mortem conſciviſſet æger. Confugit ad Mariæ Inſulanum ibidem medicum qui omnem etiam cum pharmacopola ejus loci dant operam, ut reſtituant ægrum. Emplaſtra, linteamina externa, fotus & quæ neceſſaria videbantur, applicant, ſed abſque fructu, dolore quidem non aucto, interim tamen permanente in eodem, itaque tandem quærens auxilium tendit Mariæburgum. Chirurgus hujus loci omnem movet lapidem, quo poſſit dolorem hunc blandè ſopire, propinat *Laudan. Opiat.* gr. iij. omni veſpere, unde dormit quidem eum allevatione patiens, nihilominus effectu hujus exſpirante, denuo uti priùs dolor urget, donec poſt aliquot dies tandem tumor ponè aurem exſurgeret, qui ſcarificatus, naturalem locum doloris mutat. Ab aure enim divertit ad lumbos, & rependo quaſi ibi conſtrictionem cauſat, emplaſtris applicatis tendit deorſum in ſpinam dorſi, circa regionem renum, deinde eo de loco expulſus in ſiniſtro genu ſe figit. Sudoriferis autem attenuatus non quidem ad natale ſolum, ſed ad aurem ipſam, & quidem carneam ejus ſubſtantiam redit, ibique rependo ac conſtringendo non quidem inſignes dolores, ſed tamen moleſtiam pariebat, ab aure autem iterum pugni magnitudine uſque ad gulam ingens tumor ſe prodebat, ita ut ſuffocationem quaſi minitaretur. Interea fluit pus ex aure, & quidem ſatis copioſè, patiens ſe domum confert. Sequuntur domi continuæ lipothymiæ, nemo præſens poteſt ferre auxilium: Moritur in Domino.

Ex his itaque recenſitis caſibus, facili negotio quilibet Medicus & Chirurgus colliget, externa applicata circa hunc affectum potiùs damnum inferre, quàm prodeſſe, & tutius eſſe, ſequi naturæ ductum, ſecundùm Hippocratem, & quo vergat ducere, quàm topicis figere, quod ad volatilitatem videtur eſſe progeneratum. Experientia etiam teſtatur, plus poſſe unica die in talibus caſibus Medicum perficere internis ſpecificis, materiam diſcutientibus, & ad expulſionem præparantibus, quàm topicis repellentibus, quæ plus ab extra impediunt, quo minus materia peccans ad effluxum diſpoſita ſuo fine potiri queat. *Andreas Crioeſſelius.*

Virgo viginti annorum jam per quindecim ſeptimanas egregiè conqueſta fuerat de auris dolore propemodum intolerabili, ac per totas aliquando noctes ſomnum prohibente; auris interea temporis multùm puris bene cocti quotidie fundebat; complura jam medicamenta ſine fructu fuere adhibita. Accerſitus ad omnes & quidem minimas circumſtantias tam circumſpectè, quàm potui, attendebam, tandemque digitis meis perſenſi undulationem quandam puris profundè ſiti poſt aurem affectam; atque hic abſceſſus ab aliis non fuerat obſervatus, licet cauſa foret totius mali. Rem bene mecum perpendens facilè intellexi hunc abſceſſum poſt aurem nunquam ſponte, hoc eſt, abſque externo artificio iri apertum, non tantùm ob profunditatem ſuam, ſed præterea etiam, quia pus inibi contentum jam per aurem exitum ſibi quæſiverat, quamvis valde ſinuoſum ac minimè ſufficientem; quapropter mox impoſui corroſivum ſatis acre, cujus eſchara ſeparatâ ingens copia puris bene cocti prodibat, ex arte facto foramine, ac poſt illud tempus auris dolor & puris ex auris cavitate profluxus protinus in totum ceſſavit; foramen autem corroſivo inductum; omni pure per illud evacuato, intra duas ſeptimanas prorſus coaluit, ac ægrota omnino reſtituta fuit priſtinæ ſanitati.

Hanc aperturam poſt aurem, nullâ morâ interjectâ, fieri debere exiſtimabam, ne pus aliàs tandem os ſubjectum attingeret, illudque temporis progreſſu carie inficeret; quanquam pus bonum ſuper oſſe aliquandiu moram nectens non neceſſariò ſemper inducat cariem, ſicut id exemplo ſequenti demonſtrare mihi facile eſt.

Vir circa trigeſimum ſextum ætatis ſuę annum tempore brumali ac aëre ventis, haud parùm agitato iter faciens brevi poſt ſentiebat auris dextræ dolorem, ex qua deinde quotidie prodibat nonnihil puris, tuncque aderat doloris illius non mediocre levamen; poſtea, pure non ampliùs promanante, æger de ſummo iterum conquerebatur cruciatu, qui, noctu non rarò delirium producens, jam per aliquot menſes duraverat, nec ullis externis, interniſve remediis obſecundabat.

Advocatus, poſt aurem reperi tumorem longè lateque extenſum, in quo pus contineri firmiſſimè mihi perſuaſi, licèt ob profunditatem loci, in quo pus deliteſcebat, palpando nulla animadverti poſſet undulatio; impoſui igitur corroſivum, cujus eſcharâ valde craſsâ ſeparatâ, incredibilis puris copia proffuxit; hoc autem pus jacuerat ſuper os petroſum quod totum nudum exiſtebat, ſicut id ſpecillo obſervare facilè potui, ac interim tamen abſque ulla fragmentorum oſſeorum ſeparatione patiens intra ſex ſeptimanas prorſus ſanatus eſt ac ſanus poſtea permanſit, non adhibitis aliis medicamentis, quàm injectione idonea, bono digeſtivo, ac tandem, oſſe iterum contecto, tincturâ meâ antimonii, quam externè multis in caſibus mirum in modum prodeſſe quotidie comperi.

Tympano auris ab ulcere eroſo auditum ſuperſtitem permanſiſſe legere datur apud Vopiſcum Fortunatum Plempium in fundamentis Medicinæ p. 148. Præterea memini me conſpexiſſe Rotterodami apud Jacobum Lodenſteyn, claſſis navalis Archi-Chirurgum, virum dexterrimum, oſſicula auditûs omnia, quæ poſt ulcus ex aure pueri alicujus prodierant; ſed puer hic eadem aure poſtea nunquam audivit. Novi Chirurgum, qui ad dentium dolorem auferendum urit aurem ferro ignito, ſed ridicula ac inutilis videtur hæc operatio. *Muys in Prax. Chirurgic. rational.*

Aurium vermes.

Non in inteſtinis tantùm, ſed in omnibus prope corporis humani cavitatibus vermes generari obſervant Obſervationum ſcriptores. Fœmina quædam hîc Poſonii in ſuburbio habitans per longum temporis ſpatium capitis auriumque divexata doloribus, tandem Chirurgum accerſit, petens auxilium, credere enim ſibi aliquando ſub dio dormienti aliquod animal in aurem dextram irrepſiſſe. Applicuit iſte ſubridens cataplaſma, & quæ neſcio alia. Sed ecce cùm quadam die de ingentibus lancinantibus doloribus conquereretur, aurem inſpexit, vermeſque deprehendit, quorum in mea & D. D. Zolicoferi, nunc Archiatr. Brogenſ. præſentia, complures extraxit albos, cum capitulis nigricantibus illis ſimiles, qui in pyris vel avellanis naſci & inveniri ſolent. Incluſi tres chartæ bibulæ domum eos portaturus, & ad Microſcopium examinaturus, ſed cùm illos eximere vellem in arroſa vel attrita charta, quamvis nihil præterea in illo ſacco habuerim, nullum invenio niſi unicum extra eam in ſacco, quò reliqui aufugerint, neſcio. Videbantur autem vermes non irrepſiſſe, ſed geniti fuiſſe ex ulcere, id quod fieri poſſe

poſſe ex Obſervationibus conſtat. Mulier adhibitis fomentis ex herbis vermes necantibus & ulcus aurium (nam pus quoque & ſanguis ex illis fluxerat) conſolidantibus, convaluit. Similes planè vermes annotavit *Henr. à Moinichen* Obſ. 16. *à Th. Barth. Cultro Anat. Lyſeri annexa.* Caroli Raygeri

Caruncula Aurem obſtruens.

Circiter annum 1594. genere & virtute verè nobilis puella, Margarita de Martines, Nobiliſſimi ac prudentiſſimi viri Dn. J. Franciſci de Martines, Domini in Bourgeou & Pally, filia primogenita, ætatis annum octavum agens, variolis correpta fuit; ex quibus eò gravius laborabat, quia puſtulæ ad extremam cutem nihil ferè eruperunt. Porrò quia materia variolarum non ſatis ad partes externas expulſa, puella quin etiam à teneris annis ſcabie in capite, & circa emunctoria, parùm obnoxia fuerat; non diu poſt, nimirum anno 1595. qui fuit annus 9. ætatis, dolor in meatu auris dextræ præcipuè acutus & pungens erat, ita ut tota illa pars faciei in tumorem elevaretur. Auri oleum chamæmelinum tepidum, doloris leniendi causâ, goſſipio imponebant, faciemque eodem oleo inungebant. Poſt dies aliquot in ipſo meatu auris ruptus eſt abſceſſus, ex quo primis quidem diebus materia ſubtilis, & loturæ carnis inſtar, deinde pus craſſum ſpiſſumque extillabat. Dolor capitis & auris paulatim ceſſavit, tumefactio quin etiam faciei evanuit, Tribus elapſis menſibus, iterum materia ſubtilis extillare cœpit, & deinceps continuò extillavit; abſque tamen dolore: quapropter nullum ex hoc malo ſibi accidere poſſe incommodum, cuncti arbitrabantur. Circa annum verò 1600. cùm auditum paulatim diminui viderent parentes, atque hac de re ſolliciti eſſent, meatumque auris inſpexiſſent, in profundo ipſius excreſcentiam quandam carnoſam & meatum planè obſtruentem deprehenderunt. Interim tamen, etſi quotidie nonnihil materiæ ſubtilis extillaret, quia tamen neque dolor, neque aliud quodpiam adeſſet ſymptoma, puella quin etiam ratione ætatis timida eſſet, & ab operationibus chirurgicis abhorreret, res de die in diem prolata fuit.

Anno verò 1604. cùm excreſcentiam illam carneam, ex meatu auris propullulantem, viderent parentes, attoniti ac perturbati fuerunt, protinuſque medicos eoſque doctiſſimos, imprimis verò Dn. Marcum Offredum, & D. Andream Bonetum, apud Genevenſes Medicinæ Doctores longè celeberrimos, hac de re conſuluerunt, illi cùm affectum difficilem eſſe, & manum diligentem requiri cognoviſſent, ut ego vocarer, ſuaſerunt. Vigeſimo itaque tertio Decembris 1604. cùm in Perroy ad lacum Lemanum, ad prædictum Dominum de Bourgeou perveniſſem, & aurem inſpexiſſem, excreſcentiam in ipſo meatu auditorio, magnitudinis ingentis inveni. Hæc extuberantia dura, inæqualis, lividaque erat, & tympanum verſus in apicem deſinebat, habebatque planè formam fungi, nondum tamen integrè conſpici potuit.

Superficie ſive extuberantia hujus fungi, uti poſtea dicemus ablata, quod reliquum erat, paulatim uſque ad ipſius radicem quæ prope tympanum erat in conſpectum veniebat; à forma itaque & duritie excreſcentiam hanc fungum ſchirroſum appellare libuit.

Propullulabant præterea circa ipſius radicem duo parva germina, ex quibus proculdubio etiam fungi procreati fuiſſent, niſi anguſtia meatus auditorii obfuiſſet. Eſt tamen notandum meatum huncce dextrum alterô aliquomodo ampliorem apparuiſſe. Videbatur enim dura iſta excreſcentia, interim dum accreſceret puella, impedimento fuiſſe quominus proportionem ſuam obſervaret meatus iſte.

Porrò cùm ex colore livido & duritie affectum huncce difficilem eſſe, & periculo minimè vacare vidiſſem, denuo ut prædicti Medici in conſilium adhiberentur, autor fui, iis itaque convocatis, & diligenter explorato & perquiſito morbo, deliberatum fuit ut curatio propter maximum frigus uſque in proximum ver protraheretur.

27. Itaque die menſis Martii 1605. cùm iterum in Perroy perveniſſem, expurgato corpore, cucurbitulis cum multa flamma & ſcarificatione, pro diverſione ſcapulis adhibitis, item ſetaceo per verticem trajecto, imò electuario pro cerebro confortando, & pulveribus capiti inſpergendis in uſum revocatis, fungo bis in die linteum ſuave reduplicatum aquâ noſtrâ ad ulcera maligna (cujus deſcriptionem vide in Cent. 1. Obſ. 1.) imbutum, tepidè applicui: neque aliud quicquam uſque ad menſem Majum cum fungo tentare volui: quo natura ante omnia ad ablegandas ſuperfluitates cerebri verſus ſetaceum ſeſe aſſuefaceret. Interim tamen, uti & per totum curationis tempus, optimam victûs rationem obſervabat.

13. Maij. ad ipſam reverſus, purgato corpore, ſanguine per medianam dextram ad unc. 7. emiſſo, & apozematibus per tres dies continuos exhibitis, poſteaque repurgato corpore per opiatam, toto curationis tempore per intervalla ſumendam, ad fungi extirpationem tranſeundum fuit: ea autem quia, aut abſciſſione, aut erodentibus & cauſticis medicamentis, vel ligatura fieri debebat, ante omnia nobis explorandum perpendendumque erat, quænam tutior & ſecurior eſſet via atque methodus? Exciſio adſtantibus propter hæmorrhagiam ſuſpecta erat, & ægra illam abhorrebat. Erodentibus quoque & cauſticis medicamentis maſſam illam fungi, qui externam partem auris adimplebat, abſque periculo abſumi minimè me poſſe ſciebam. Imprimis verò quia ex colore livido, duritie, & inæqualitate tumoris, malignitatem aliquam ſubeſſe apparebat, verebar ne ex uſu medicamentorum cauſticorum magis irritaretur malum, & humor ille acris qui poſt applicationem cauſticorum ex ulceribus effluere ſolet, vicinas partes ſimul exulceraret. Malui itaque ligaturam inſtituere. Singulari enim & ad hanc operationem perficiendam commodiſſimo à me excogitato inſtrumento quodam fungum iſtum ſatis profundè in ipſo meatu auditorio amplecti & ligare me poſſe ſperabam. Inſtrumentum autem hoc forceps fuit ex lamina cuprea aut argentea fabricatus, ita quidem ſcilicet ut per ſe apertum ſit, extremitates digitis facilè comprimi ac claudi poſſint. Prædictæ extremitates quoque aliquomodo excavatæ eſſe debent, quò carunculam quæ lubrica eſt melius amplecti poſſint.

23. Itaque Maij, electo loco ſplendido ægram in ſedem collocavi, & ita quidem ut radii ſolares in auris meatum penetrare poſſent. poſtea caput, ſive externam fungi extuberantiam filo epprehendi. Hujus enim fili beneficio caput fungi ſuſpenſum tenebam. Interim funiculum cum ſeminodo intromiſi, & cum ſtylo quodam exploratorio tam profundè, quantùm fieri potuit intruſi. Deinde ambas extremitates hujus funiculi in extremitatibus forcipis prædicti, facta, traxi. Poſtea inſtrumenro tam altè quantùm fieri potuit in meatum auditorium, & quidem ad utrumque latus fungi intromiſſo, extremitatibus funiculi ambobus indicibus

dicibus apprehenſis & fortiter tractis atque conſtrictis, fungum arctiſſimè ligavi. Interim autem dum filum ſimul & inſtrumentum intruduntur, miniſter filum extuberantiç fungi annexum clementer leviterque in altum trahet, idque in eum finem ut funiculus ſimul & inſtrumentum eò facilius & profundius intromittere poſſit. Factâ ligaturâ inſtrumentum clementer extraxi; filum verò ſuſpenſum reliqui. Deinde linteum reduplicatum, & ſequenti liquore inſuccatum applicui.

℞. Aq. noſtr. ad ulcera maligna ℥j. aq. ranar. aquatil. plantagin. roſar. ana ℥ß. ſemin. cydonior. ſubtiliſſ. pulver. ℈ß. C. C. uſti, tutiç, & plumb. uſti ppt. ana ℈ß. M.

Monitum autem velim lectorem, funiculum in hujuſmodi affectibus nullô modô (ut in aliis quidem corporis excreſcentiis aliquando fieri ſolet) aqua forti inſuccandum, multò minus arſenico illiniendum eſſe, propter graviſſima quç inde ſequuntur ſymptomata; funiculum tamen, ut fungum paulatim abſcinderet, ſingulis diebus iterum immiſſo & adaptato inſtrumento, clementer contraxi, nodumque magis magiſque conſtrinxi.

Cùm extuberantia fungi ita ligata eſſet, paulatim flacceſcere cçpit, emanavitque ex illa humor fœtidus & putridus, is verò ne in meatum auris internum defluat, quotidie ter quaterve peniculis è ſpongiis paratis, abſterſi. Deinde extuberantiæ undique ſpongias in præſcripto liquore madefactas iterumque fortiter expreſſas, ſuppoſui, idque in illum finem ut humorem illum putridum fœtidumque abſorberent exciperèntque. Ita paulatim abſciſſa eſt extuberantia fungi, ita ut 27. ejuſdem menſis abſque dolore & hçmorrhagia, excideret.

Sed quia fungum ad radicem ipſius propter anguſtiam meatus auditorii ligare non potueram, quod reliquum erat erodentibus, ut poſtea dicam, abſumere cogebar: priùs tamen, nimirum 24. doſim electuarii purgantis exhibui, quô optimè expurgata fuit ægra. Ad majorem quoque humorum exſiccationem ſequens exhibui decoctum.

℞. Radic. ſarſçpar. ℥j. Lign. ſaſſafr. minut. diſſecti ʒiij. radic. chin. in tenues orbiculos ſect. ℥j.

Macerentur horas 20. in aq. font. tepidæ lib.iij. & coquantur ad duarum partium conſumptionem. De colatura moderatè calida ad ℥iiij. horâ quintâ matutinâ exhibui; interim dum utebar prçſcripto decocto victum utcunque tenuem & exſiccantem obſervabat, à juſculis & fructibus horariis humidiſque abſtinebat, eorum verò loco uvis paſſulis & amygdalis toſtis utebatur. Pro potu ordinario ſequens decoctum præſcripſi.

℞. Reſiduum prçdict. decoct. paſſular. liquirit. ana ʒjß. aq. fontis lib.vj.

Macerentur per horas 15. deinde coquantur ad unius tertiæ partis conſumptionem: paretur potio guſtui grata, & aromatiſetur pauco coriandro præparato.

Hoc decocto, & victus ratione per menſem integrum utebatur, interim corpus per intervalla expurgabatur, & cucurbitulæ ſcarificatæ applicabantur.

Extuberantiæ parte beneficio ligaturæ excisâ, quod reliquum erat uſque ad radicem prope tympanum ſita, quomodo abſumſerim dicendum. Statim itaque poſtquam extuberantia exciderat, iterum ægram ad radios ſolares in ſedile collocavi: mox laminas parvas tenuiſſimaſque è cera fabricatas, & aliquantum incurvatas undique circumcirca carunculam impoſui, idque in eum finem, ne medicamenta acria quç imponenda erant, meatum auditorium attingerent exulcerarentque, deinde penicillis ex ſpongiis paratis abſterſa humiditate, eſcharotici noſtri ad magnitudinem capitis aciculæ impoſui: poſtea filamentis & ſpongiis meatum implevi, & linteum reduplicatum, nec non liquore ſuperiùs deſcripto imbe exteriùs auri ſuperimpoſui. Medicamento quotidie bis, nimirum hora ſeptima matutina & quarta pomeridiana, (ad candelam enim hujuſmodi operationes minimè ſunt tentandæ) impoſito. 28. ac 29. eſcharam induxi, illa verò ut abſcederet, ſequens medicamentum filamentis in eo intinctis, applicui.

℞. Mucilag. ſem. cydonior. extractæ cum çqualib. partib. aq. arnogloſſ. & ranar. aquatil. ℥ij. C.C. uſti & præpar. tutiç pp. lapid. calamin. an.ʒj. croc. mart. ſaturn. calcin. an. ʒß.

M. Fiat medicamentum ad inſtar collyrii utcunque liquidi. Medicamentum hoc propter meam abſentiam uſque ad 4. Junii impoſitum fuit. Tum, uti & ſequenti die, laminis cereis iterum inveſtita caruncula, denuò de prçdicto eſcharotico bis in die applicui.

Sexta die ejuſdem menſis repurgato corpore 7. 8. & 9. collyrium deſcriptum applicui. Decima eſcaroticum ea die ter, undecima verò bis iteravi.

Duodecima die menſis, quia eſchara magna apparebat, neque pinguia ut imponerentur conſultum mihi videbatur, cultello ſeparatorio incurvato ad carunculas ex auris meatu excidendas aptiſſimo, eam excidi.

Exciſâ eſcharâ, quia propter anguſtiam meatûs auditorii, laminas cereas difficulter imponere mihi licuit, eſcharoticum applicare auſus non fui: globulum itaque lentis magnitudine ex filamentis contortum, ſequenti pulveri immerſum applicui, & ſpongiis collyrio ſuprà deſcripto madefactis iterumque expreſſis, ductum auditorium adimplevi. Spongiç autem in purulentis auribus ſummopere conveniunt, materiam enim purulentam ex profundo attrahunt abſorbentque, partemque affectam ab injuria aëris vindicant.

℞. Pulver. prçcip. optimè rectific. ℈j. lapid. bezoard. diligenter pulveris. ſaturn. calcin. & abluti an. ℈ß. miſceantur, fiatque pulvis.

Decima ſexta, cùm beneficio ſpeculi auris ad tympanum uſque ferè inſpexiſſem, & nonnihil de radice fungi ſupereſſe probè cognoviſſem, ſequenti die iterum laminas cereas, eâ quâ fieri potuit diligentiâ infixi, & medicamentum eſcharoticum applicui. Verùm decima ſeptima cùm domum proficiſci coactus eſſem, ſequentem pulverem prçſcripſi, & me abſente imponere juſſi.

℞. Croc. mart. optimè pp. C.C. uſti & pp. Saturn. calcin. & ablut. lapid. calamin. pp. aa ℈iß.

M. Fiat pulvis tenuiſſim. qui filamentis collurio ſupra notato madefactis uſque ad tertium Julii impoſitus fuit. Quartâ cùm ad nobilem çgram rediiſſem, & radicem fungi nondum penitus abſumtam eſſe, imò & præter radicem duo parva germina, adeſſe cognoviſſem, iterum pulverem ex prçcipitato &c. & ſpongias madefactas impoſui.

Sextâ Julii ſpeculi & radiorum ſolis beneficio, nonnihil puris in profundo meatus auditorii oculis ſe ſe offerebat, in quo motus, veluti diaſtole & ſyſtole arteriarum, conſpici potuit. Abſterſo pure, quia radicem mali nondum omnino abſumtam eſſe obſervavi iterum laminam ceream cui ex una parte nonnihil eſcharo-

charotici annexam, ad radicem ipſam applicui, & ſpongias madefactas ſuperimpoſui. Radicem præterea fungi cranio adhærentem, imò ex ipſo cranio originem traxiſſe, bellè apparuit. Septimâ de eodem medicamento eſcharotico ad magnitudinem capitis acicula bis applicui.

Octavâ ægram expurgavi, poſt prandium, cùm radiorum ſolis & ſpeculi auris beneficio meatum auditorium inſpexiſſem, fungi veſtigium nullum nobis apparuit; qua de re in poſterum nihil, præterquam paſtillos Andronis, ſyrupo de roſis ſiccis diſſolutos, impoſui. Poſt dies tamen aliquot, cùm in profundo auris, & illa quidem parte quâ radix fungi fuerat, os denudatum inveniſſem, ſequentem pulverem catagmaticum, melle roſaceo parùmque ſpir. vini, mixtum, per menſem ferè integrum, me abſente imponere juſſi.

℞. Pulver. flor. betonic. roſar. an. ℈ß. rad. irid. florent. angelic. caryophyll. maſtic. an. ℈j. benzoi. ſtyrac. calam. an. ℈iß. M.

Poſt menſem cùm ad ipſam rediiſſem, nullam ampliùs oſſis denudationem inveni: qua de re ut in poſterum pro corroboratione partis affectæ, linimentum ex paſtillis Andronis, & ſyrupo de roſis ſiccis imponeretur; corpuſque per intervalla expurgaretur, ac optima victus ratio obſervaretur conſului. Sic Divino aſpirante Numine priſtinę ſanitati reſtituta fuit, quâ & ad hodiernum uſque diem 24. Octobr. 1613. feliciter utitur, & quidem in matrimonio non infeliciter utitur, proles præterea aliquot progenuit, & auditum, qui antea per annos liquot deperditus fuerat magna cum admiratione multorum recuperavit. Tam provida & diligens eſt natura; præcipuè ſi in juvenibus diligentia Medici intervenerit. *Guilielm. Fabric. Hildan. Obſerv. Chyrurgic. Cent. 3. Obſerv. 1.*

Aurium Fluxus.

Habemus hîc in vicinia, in Oppido Solignen, matronam piam atque honeſtam, quæ nunc vigeſimum quintum annum ætatis prętergreſſa eſt, illa à juventute in hoc uſque tempus purulentas aures habuit. Extillat quoque materia, aliquando cocta & digeſta, nonnunquam quoque ſubtilis & tenuis, & tum dolores adeunt, aliquando & fœtor percipitur. Cœlo exiſtente frigido & humido, de dolore brachiorum conqueritur: proculdubio propter nervum, quem ego ex nervo auditorio deorſum deſcendentem obſervavi, uti ex obſ. 4. Cent. 1. videre poteris. Inviſi illam aliquoties, aures quinetiam diligenter inſpexi; & ut plurimùm ductus auditorios materiâ purulentâ repletos reperi. Ante menſes duos cùm aures abſtergerem, fruſtum cartilaginis ſemi putridæ, ex ipſo ductu auditorio extraxi. Id autem obſervatione dignum in hoc affectu occurrit, nimirum aërem, clauſis naribus & ore, tam violenter ex auribus efflare & expirare, ut impoſitis pennis aut feſtucis illas expellat, & bullas in ipſo pure excitet. Cujus rei ego aliquoties periculum feci. Interim tamen, quod admiratione dignum, auditum non multùm depravatum eſſe, & exiguam moleſtiam ſibi adferre malum hoc, ipſa ægra mihi retulit. *Guilh. Fabric. Hildan. obſ. Chirurg. cent. iij.*

Admiratione dignus eſt caſus venatoris cujuſdam, qui conſilii causâ ſuperioribus menſibus me accedens, inter cætera referebat, quod hactenus ingentes capitis dolores, inprimiſque auris dextræ perpeſſus fuerit, ubi tandem aperto abſceſſu, multùm puris & ſanici, unà cum animalculis nigris quàm plurimis, ex ſingulari putredine proculdubio genitis, effluxerit. Ab hoc cruciatu tamen ſe liberatum eſſe dicebat, id tantùm ægrè ferens, quòd aurium ſordes profundiùs extrahere cogeretur, ſimulque auriſcalpium ad digiti longitudinem oſtendebat, quod ſine moleſtia hinc inde auris in cavitatem agitabat, nec ullum dolorem vel etiam auditûs difficultatem, quod maximè mirabar, percipiebat. Quid dicam igitur de uſu Tympani; quodnam munus oſſiculis auditûs attribuendum erit? membranam hanc putredine corruptam & cum malleolo & incude, quæ ſuſtinet, quis non opinabitur: &c. *Gregor. Horſtius, Obſ. medic. lib. 9. Obſerv. 8.*

Res externa auribus immiſſa.

Anno 1596. Puellæ Genevę inſinuatum fuit piſum in auris meatum: quod cùm mox excitaſſet dolorem, ſuadet vetula fovendam eſſe partem affectam ſpongiâ madefactâ lacte calido. Ex hac humiditate accreſcit piſum: inde fit dolor vehementiſſimus. Vocatus in conſilium Clariſſimus Dn. D. Andreas Bonetus, ejus urbis medicus celeberrimus, me advocandum jubet. Pręparatis igitur omnibus neceſſariis, caput firmiter tenendùm jubeo. Deinde ſuprà ſcriptis inſtrumentis piſum ſine violentia extraho. Extracto piſo, ſpongiâ in decocto radicum chamomillæ, meliloti, & betonicæ madefacto, & quotidie ter aut quater applicatâ, ſedatus eſt dolor, & brevi convaluit ægra. *Guil. Fabr. Hild. Obſ. Chirurg. cent. 1.*

Roſæ filiæ quondam Roberti Chaperonis, annos 10. natæ, verno tempore ſui ſimilibus colludenti, inſinuatus fuerat in concavum auris ſiniſtræ globulus vitreus inſtar piſi, cujuſmodi puerorum carpis pro brachialibus accommodantur. Admonita mater Chirurgum advocat, qui globulum extraheret: fruſtra. Venit & alter, tertius item, & quartus, diverſis tamen temporibus: ex his nemo juvit, quin imò altiùs inſinuatus eſt ab illis globulus. Exin deſperavit mater de extractione: & quamvis caſum filiæ, doloribus aſſiduis conflictatæ, ægrè ferebat, Dei tamen & naturæ arbitrio permittendum ſtatuit. Poſtmodum ſedatus quidem eſt auris dolor: ſed tota illa pars capitis, uſque ad ſuturam rectam, nocte dieque doluit, plus tamen minusve pro aëris conſtitutione: cœlo maxime humido ac pluvioſo, quale eſt hyeme & autumno, cruciatus urgebant. Accidebant præterea lævo brachio quaſi ſtupores, uſque ad digitos pollicem & indicem, progredientes ad lumbos uſque, tibiam & pedem: & ut paucis dicam, totum latus ſiniſtrum continuis iis ceu ſtuporibus languebat. Tranſmutati ſunt poſtea torpores in dolores graviſſimos brachii, humeri, & cruris: idque, ut dictum eſt noctu & aëre frigido & humido. Tuſſicula ſicca aſſiduò aderat. Menſtrua ex parte ſupprimebantur, & nonniſi ſemel ſingulis trimeſtribus, aut parùm fluebant. Quum annis quatuor aut quinque ſic doleret, acciderunt interdum epilepticæ convulſiones: ipſum quoque brachium in atrophiam incidit. Videns mater tam dira ſymptomata, varios adhibuit medicos, chirurgos & empiricos: & quum nullus auris dolor adeſſet (quippe maximi dolores obſcurabant minimum) de ſymptomatis tantùm querebatur; omiſsâ primariâ morbi causâ. Nequicquam autem hæc omnia juvere, neque enim intermittebant dolores, aut ſymptoma ullum, imò augeſcebant. Tandem adiit me anno 1595. menſe Novembri. Purgavi ipſam aliquoties: inunxi præterea humerum, brachium, & reliquas partes dolentes, oleis anodynis & calidis: breviter, quæcunque neceſſaria ad hunc morbum videbantur, adbibui: fruſtra tamen, ut priores. Quum viderem morbum repugnare omnibus idoneis remediis, deſperabam de ſalute. Latebat enim me iſtius morbi cauſa, niſi fortean ex catarrho foret.

Interim

Interim cogitanti mihi quid melius adhibere poſſem, ipſa nec opina cæpit recitare caſum: nempe quòd ſibi ante octo annos globulus in aurem demiſſus eſſet. Hæc ego audiens, cœpi cogitare, eam eſſe morbi cauſam. Et quamvis illa valde repugnaret operationi, propter ſuperiorum chirurgorum irritos conatus in recenti morbo, tandem tamen paruit. Tum ego feliciter extraxi globulum ſine vi ulla, quamvis profundiùs, prope tympanum videlicet, excrementis & ſordibus auris firmiſſimè hærentem. Ceſſarunt illicò dolores capitis, reliquarumque partium corporis, & ſubſequente nocte meliuſculè habuit: ſicque paulatim leni inunctione olei lumbricorum reſtituta fuit. Ceſſarunt inquam, dolores, ſtupores, convulſiones epilepticæ, reliquaque omnia ſymptomata. Reſtitutum eſt quoque brachium: ita ut hactenus, Dei beneficio, bene ſe habeat. *Idem Obſerv. Chirurg. cent. 1. Obſ. 4.*

Anno 1610. Rev. viri D. Jonæ Merulæ, apud Aventicenſes verbi divini miniſtri fideliſſimi, filio duodecim annorum ætatis, nucleus cerasi in dextrum auris meatum infixus fuit. Hac de re, ut extraheretur nucleus, cùm ſolliciti eſſent parentes, (quia ego Auguſtam Vindelicorum profectus) empiricum advocant. Is etiamſi omnem ſuam diligentiam atque induſtriam adhiberet, nucleum tamen extrahere non potuit. immò profundiùs intruſit: idque non ſine dolore & cruciatu: Eſt enim meatus auris exquiſitiſſimo ſenſu præditus. In iſta autem operatione, hamulo acuto uſus fuerat, quo ductum auris ita dilaceraverat, ut ſanguis ſequeretur, atque operationem impediret. Remanſit itaque nucleus uſque ad 14. octobr. cùm pater puerum mihi adducere vellet, ac aurem inſpiceret, nucleum ab ingreſſu auris undique pure immerſum, animadvertit: illumque acie aciculi parvo cum negotio extraxit: Meatus enim auris materiâ purulentâ, quæ nucleum extruſerat, impletus erat. Poſtea brevi convaluit.

Etſi curatio hæc, atque expulſio nuclei ad votum ſucceſſiſſe videatur, nunquam tamen hac methodo, ac naturæ opus planè relinquendum eſſe ſuadeo. Multa enim variaque ſymptomata ex ſuppuratione harum partium oriri ſolent. Cùm enim ductus auris exquiſitiſſimo ſenſu ſit præditus, facilè propter doloris vehementiam humores affluunt, atque membranam tympanum corrumpunt: Inde ſurditas. Non rarò quoque os, quod exiguâ tantùm membranâ inveſtitum eſt, ex hujuſmodi ſuppurationibus cariem contraxit. Carnem item fungoſam ex ductu auris, propter ſuppurationem exortam eſſe, & fungum ſcirrhoſum procreaſſe, ex præcedenti obſerv. apparet. Diligentia itaque adhibenda ut quicquid extranei auribus infixum eſt, protinus extrahatur. *Idem Obſerv. Chirurg. cent. 11. Obſerv. 5.*

Grillus in aure.

Ruſticus penes fornacem jacens, in ſcamno, non advertit in ſomno ingredientem grillum in aurem, quem tamen expergefactus ex clamore, ut dicebat, terribili ſtatim percipiebat. Homo hic ferè ad inſaniam redactus eſt, nec ullo modo potuit eum vel interimere vel extrahere: Venit tandem ad me, ſuadeo, ut infundat oleum ſcorpionis. Paret: ſed ſine fructu. Itaque juſſi, ut afferat grillum vivum ex campo; allatum injicio oleo olivarum, moritur in eo grillus. Hujus olei cùm duodecim ferè guttas in aurem immiſiſſem, paulò poſt grillus in aure mori cœpit, inter moriendum tamen, retrogradum quaſi motum repentis inſecti ſentit æger; fruſtatim deinde cum multo pure grillum auris evomuit cum reſtitutione ægri *Andreæ Cnoeffelii.*

Aranea aure contenta.

Quot, quantiſque malis humana copora tam internis quàm externis, exiguæ quandoque premant, obruantque cauſæ, evidenter demonſtrat, quod referre aggredior.

In Michaëlis Digbaucher die 30. Decembr. anno 1682. ſub tecto quodam nudo capite operantis aurem aranea quædem coloris fuſci, irrepſit, quæ ipſum adeò torſit, ut non parùm anxius, quò eam eximeret, omnem moveret lapidem. Trium autem Chirurgorum ope nequicquam implorata; tandem ad Medicum, Chirurgumque noſtrum Cornelium Solingium itur, qui, licet ſpeculo ſive inſtrumento dilatatorio, cavitate auris ampliata, araneam conſpicere non potuit. Capitalem tamen inimicum, hominem tam miſerè cruciantem, poſt quinque horarum moras, diſcedere coëgit tenui quodam, plenoque, ac lapidilli in morem efformato cochleari uſus. Animadvertebatur autem circa Araneam illico poſt extractionem extinctam nonninihil ſaniei, cujus reliquiis exemptis, Solingius auri Arcæi balſamum cum Peruviano, & oleo hyperici, gummique elemmi mixtum inſtillavit, cujus virium effectus tanti fuere, ut Michaël poſtridie optimè ſe habens, lætuſque non ſine gratiarum actione à medico diſceſſerit. *Cornel. Stalpart. Obſerv. rarior. Cent. 2. Obſ. 11.*

Parotis.

Nobilis quidam puer tumorem juxta aurem ovi magnitudine, jamdiu habebat, in ambitu durum, inæqualem, in medio mollem, ubi preſſus cedebat, ex quo materiam quandam ineſſe deprehendi: dolor alioquin nullus, niſi quod pruritum interdum ſentiebat, Corpore purgato, uſus eſt ſequentibus. Fotus fiebat ex decocto rad. ireos, brioniæ, in dies bis. Poſtea applicabat ſequens emplaſtrum.

℞. Gummi ammoniaci in aceto fortiſſ. diſſol. empl. diachyl. ireat. an. ℥j. malaxentur, quo facto duodecimo circiter die, ſponte ſe aperuit tumor, purulentamque & ſpiſſam admodum materiam copioſe tota ſeptimana reddidit, multùmque ſubſedit. Reſtabat adhuc in humiliore ſede, exigua durities, cujus cauſa, cùm Chirurgi maturantia adhiberent, tentaque immiſſa ulcus apertum ſervarent: tandem tentæ fundo cùm extraheretur, ſabuloſa materia penituſque terrea, grani milii majoris inſtar adhærens apparuit, poſteaque pluſquam triginta ejuſmodi grana terrea, ejuſdem magnitudinis, aliquando etiam majora prodierunt; ſicque repurgato ulcere, ceſſanteque duritie, ulcus conſolidatum fuit. *Felix. Platerus. Obſ. lib. 3. pag. 107.*

Anno 1599. ineunte Aprili, quadragenariam & innuptam puellam Coloniæ Agrippinæ, abſceſſu poſt aurem ſiniſtram (quem Medici parotidem nuncupant) laborantem vidi. Nulla adfuit in principio febris, neque lecto decumbebat, imo domeſtica adminiſtrabat. Demum circa decimum quartum morbi diem, quum abſceſſus ad pugni magnitudinem excreviſſet, & materia planè eſſet præparata, ſed propter duritiem cutis diutiùs retenta, viam deorſum ſibi petebat. Tum advocatus, inveni abſceſſum ex ſemet ipſo ante aliquot horas ruptum: puellam verò febre, lipothymiâ, nauſeâ & cibi faſtidio, vigiliis item, dolore dorſi & renum, laborantem: nihil tamen aut parum ex abſceſſu effluebat, neque pus ſurſum revocari potuit. Itaque paucos poſt dies è vita deceſſit: Ex quibus perſpicuum eſt, in hujuſmodi abſceſſibus, ſive ſint in emunctoriis, ſive in vicinia non eſſe expectandum, donec ſponte erumpant. *Guil. Fabric. Hildan. Obſerv. Chirurg. Centur. 1. Obſ. 30.*

Veriſſimum eſſe quod aſſerto P. Alpin. l. 7. M. M. præſag. ult. [citante M. Aurel. Sever. de recond. Abſc. nat. l. 1. cap. 29. ex quo etiam *Riverius* fortaſſis ſuum ſumpſit Theorema Inſtit. Med. l. 2. S. 2. cap. 3.] Abſceſſus poſt aures perpetuò ſint ſuſpecti, nam ſe è ſupervenïunt fractis viribus & videntur novas morborum attexere cauſas; vel ex ſequentibus patebit Hiſtoriis. Illuſtriſſ. Comes ab Hardegat, magnæ ſpei Juvenis intra 17. & 18. ni fallor, annum morbillis corripitur Argentinæ, à quibus cura medicorum extra periculum conſtituitur, & liberatur die 12. vel 14. Poſtquam jam meliùs valere viſus in hypocauſto deambulare & literas domum de reſtituta ſanitate exarare, cœpit, ſubito in novam incidit febriculam cum virium omnium languore ac proſtratione, erumpentibus inopinatò ponè aures parotidibus, & licèt omnia, quæ conducere videbantur, adhibita, nihilominus ille, tertio vel quarto die in flore ætatis, ingenti ſuorum cum luctu obiit. Fortè hæc Andegavi narravi Medico Urbis Noſodochio præfecto, cùm ille manu me duceret ad lectum ægroti cujuſdam, ecce, inquiens, hic periculoſiſſima febri continua laboravit, ſed jam apparentibus motu naturæ critico, iſtis tumoribus rectiùs ſe habet, & ſpero evaſurum. Interrogatus ægrotus affirmabat, quæ medicus dicebat, nihilque jam ſibi moleſtius eſſe ſiti & virium languore. Hæc mihi diſplicuere. Hæc mihi diſplicuere, in memoriam revocando illud *Hippocr. in Coacis*: qui morbi in malis ſignis levantur, & qui in bonis non remittunt, difficiles, ut & 2. *Aphor.* 27. non ſi quid in morbo præter rationem fiat, leviùs fidendum &c. quippe Criſis, quæ fit ad partem principem (ut pote caput) perpetuò ſuſpecta. Reverſi altero die inquiſiſivimus in iſtum ægrotum, ſed ille circa mediam noctem mortuus cum admiratione Medici, qui fidem obſervationi meæ tum demum dedit. Hic Poſſonii A. 1671. in lepida puella undecim, credo, annorum mihi conſanguinea, ſimiles funeſtas notavi Parotides. Laborat illa præteriti anni autumno morbillis, ſed inde legitimè tractata penitus convaluit. Circa initium autem præfati anni, ſine dolore apparuere tumores in collo, concomitante lenta & leviſſima febricula, ſemper de nocte recurrente. Crevere in dies tumores, & aucta febris degeneravit in Hecticam, inſequente maraſmo, quo totum corpus miſerum in modum contrabuit, ut cutis oſſibus hæſerit, donec menſe Auguſto vitam cum morte ingenti matris viduæ cum luctu commutavit. Hi tumores nullis remediis ad ſuppurationem deduci poterant, ſemper duri ad tactum manentes.

Quartum adjungo, ſed felicioris eventûs Exemplum in Illuſtriſſ. cujuſdam Comitis, qui primò nominatum conſanguineitatis gradu attingebat, filiolo, Ottone Henrico. Convaleſcens hic Poſonii 1670. ex morbillis tubercula circa aures, cùm febri quidem intermittente, ſingulis tamen diebus circa veſperam redeunte, afflictiſſimis parentibus priorem flebilem caſum non ignorantibus. Ego verò nihil territus repetendo Alexiteria & Diaphoretica (reſiduam enim à morbillis judicavi malignitatem eo expulſam) & ſub finem purgando ipſum feliciter per D. G. reſtitui. Eſt autem hoc morbi genus noſtratibus, inprimis in juventute valde commune, & quandoque cum tali invadit ſignorum vehementia, ut meritò aliquem tempore imprimis contagii, & rei ignarum terreant, aut aliquid mali ſuſpicari faciant. Remittit tamen ut plurimum intra 24. horas morbi vis, & tubercula ſenſim ſine ſuppuratione evaneſcunt, ad quæ ne redeant præſervationis ergo communiter Cucurbitulas cum ſcarificatione adhibent. De Parotidibus in maligna febre earundemque cura vid. *River. in tr. de Febribus cap. febr. peſt. ſub finem.*

AXILLARUM FÆTOR

De eo vide Caput de Fœtore in genere & in ſpecie.

FINIS LIBRI PRIMI.

IOH.

JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ

LIBER SECUNDUS

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Litera B incipientibus.

BALSAMATIO CADAVERUM. *Vid.* CADAVERUM CONDITURA.

BATRACHIUM *Vid.* RANULA.

BOTIUM *Vide ſub titulô* BRONCOCELE.

BRACHERIUM *Vid.* SUBLIGACULUM. *ſive potiùs ſub titulô* HERNIA.

BRONCHOCELE.

Bronchocele, Hernia gutturalis, aliis Struma, tumor eſt colli præternaturalis, magnus, ſæpiùs æqualis, atque ut plurimum indolens.

Illius plures dantur differentię; nam aliquando de ſteatomatum, aliquando atheromatum, aliquando meliceridum, genere eſt; aliquando verum exiſtit ſarcoma, cujus ſc. materia eſt caro pro tempore hebes & ſtupida; aliquando materiam tophoſam, aliquando tartaream, aliquando gypſeam, aliquando lapideam, aliquando oſſa, aliquando filamenta & quaſi pilos, aliquando carbones & alia non minùs prodigioſa concludit, ut nos ex parte vidimus, & alii ulteriùs ſe vidiſſe enarrant. Satis ex hiſce patet nos de vera & genuina hernia gutturis ſeu tracheæ, (quæ rara admodum, & propè inaudita in praxi,) & à diſtentis fiſtulæ pulmonalis membranis oritur, unde & vox & reſpiratio non parum impediuntur, imò etiam ſupprimuntur, verba non facere; neque etiam de tumoribus à dilatatis colli venis aut arteriis, in quarum illis mollities multa cum retroceſſione materiæ per compreſſionem, in his verò pulſatio magna reperitur; ſed de tumore grandiore colli à vario infarctu orto, vel ſarcomate ibidem efformato. Tumor hic aliquando ita magnus exiſtit, ut in totum fermè guttur expanſum cernatur.

Cauſa conjuncta eſt pituita ſeu lympha viſcidior, ſale multo, particuliſque terreſtrioribus impprægnata; unde pro varia ſua coagulatione & concretione, varias etiam ementitur materiarum ſpecies. Hæc autem pituita à ſanguine ad colli glandulas amandatur, poſtquam in eo ipſo fuit collecta, propter cauſam aliquam antecedentem, victus nimirum rationem illi cumulandæ aptam, aquarum pro potu ordinario uſurpatarum ſpecificam qualitatem, (propterea endemius eſt hic affectus, ex parte Sabaudis, Allobrogibus, & iis qui Alpes & Pyrenæos montes incolunt, qui aquis gelidis, quales de rupibus ſcaturiunt uti coguntur.) Ventriculi debilitatem cibis diſſolvendis imparem, &c. Adde aliquando pro ejuſdem pituitæ, ad partes glandulosas & membranas juxta laryngem ſitas, derivatione, cauſam aliquam evidentem, nimirum vim factam partibus iſtis, vel præ nimio niſu, in partu difficiliori, vel præ nimiis clamoribus in diuturnioribus atque intenſioribus doloribus, &c. unde lacerata compage glandularum, diductis earundem membranis, & impetuoſiùs lympha in ipſas devecta, non mirum ſi tum ipſius lymphæ, tum ſalivalis materiæ effuſiones in viciniam fiant, quæ mora congelatę, ſenſim magis ac magis indurantur, dum ſc. evolante aquoſiori motuique aptiori parte, terreſtrior, quaſi caput mortuum, in dies ulteriùs deſiccatur, atque poſtea compreſſione qua viciniam urget, dum circulationem in vaſibus varii generis, vel omnino impedit, vel remoratur, magis ac magis continuò augetur. Rationibus mox enarratis alia etiam addi poteſt, ſc. obſtructio in ipſo parotidum conglomeratarum aut conglobatarum corpore, vel in vaſorum ſalivalium truncis, aut eorundem ramis aliquibus, enata; ſic enim vel ſeri tranſcolatione per glandulas impedita, vel ſeri in glandulis tranſcolati, & ad os continuò derivandi, via obſtructa, moras trahit illud ſerum, & moras trahendo inſpiſſatur.

De

De parte amandante, non mihi ſanè convenit cum quibuſdam, qui è cerebro humorem depluere, per ſibi ignotas vias, nulliquo unquam demonſtrabiles, aſſerunt. Quale enim cerebro cum partibus colli exterioribus commercium, præter illud quod per ſpiritus animales peragitur? Concedam forſitan ex ſyſtemate eorum qui ſuccum tuentur nervoſum, aliquando eò morbi deduci poſſe eum ſuccum, ut non amplius ſpirituum animalium vehendorum officio, fungi valeat, ſed potiùs fermenti ſerò coagulando apprimè inſervientis vices gerat. Sic non tamen tota tumoris ſtrumas conſtituentis materia, è cerebro deplucre dicatur; nam quis non videt morboſi iſtius muneris partem præcipuam, imò auſim prope dicere integram ſanguini deberi; qui dum ſero nimiùm coagulabili imbutus, ſalibuſque fixioribus & motui ineptioribus impregnatus reperitur, aliquid ſarcinæ ſuæ in glandulis per quas filtratur, neceſſariò deponit, præſertim ſi præ fermenti aliunde advecti vi, ſalium illorum, atque terreſtriorum particularum, præcipitatio priùs in glandulis fiat, ſique, vel frigus externum, vel pororum immutatio per contuſionem, aut alia id genus, præceſſerint.

Prognoſim quod attinet, ſi tumor hic fuerit ſcirrhoſus, in cancrum quàm facillimè abit, nec eſt quòd aliquid per chirurgiam moliaris, quandoquidem ſic fieret tantùm irritatio multa, quæ vitari & declinati totis viribus debet. Si ex tactu appareat, nec majoribus vaſis, nec nervis, nec profundioribus colli partibus adhæreſcere, nec interim tamen medicamentis cedat, eſt ſanè quòd aliquid per cultrum & ignem, nec fruſtrà tentes. Si verò humor intercutaneus fuerit, nec profundiùs infiltretur, aut ejus malagma nimis exſiccatum non reperiatur, ſperanda ejus reſolutio & abſumptio, à medicamentis melioris notæ admotis.

Indicationum prima erit pituitæ in toto ſanguine evacuatio aut correctio. Secunda novi ejuſdem proventus per diætam, ventriculi corroborationem, ſanguiniſque & ſpirituum invigorationem, inhibitio. Tertia fluxionis ad partem affectam repreſſio. Quarta materiæ in tumorem aggeſtæ emollitio, reſolutio & diſcuſſio, ſique rebellior fuerit, per ferrum & ignem, ſive actualem, ſive potentialem totalis extirpatio. Quinta, ſi tumor in ſcirrhum cancrum minantem abierit, totis viribus humor eſt mitigandus & demulcendus.

Diæta itaque ſit mediocriter ſiccans & attenuans, propterea vitentur ea omnia quæ ſunt, vel aquoſiora, vel crudiora, vel craſſiora, vel viſcoſiora, vel ſale, aut fumo condita, vel acidiora, coagulationibus quippe conficiendis nata; vitetur nimia deſidia ut & nimius ſomnus, alvus ſervetur libera, ſique illud per ſe non fiat, adhibeantur clyſteria, aut alia id genus.

Remedia erunt & interna & externa; interna, præter purgantia, ſunt varia. Boucherius Camberiacenſis apud Nicolaum de Blegny decoctum commendat, cujus duo cochlearia decreſcenre luna, mane & veſperi ſumenda.

℞. Spongiam puram, affunde ſpir. vini quantum imbibit, colloca in medio ſtribitariæ coquullæ cupreæ ſtanno obductæ, & manipulo radicum porri circumda, ſuperpoſitoque cooperculo, admoveatur ignis validus, qui urgendus, quouſque contenta in carbones redigantur, demum in cacabum conjice, additis duabus aquæ fluviatilis pintis, cum una cotyla, ſulphuris communis unciis duabus, ebulliant, non igni imponendo, ſed ope decem, aut duodecim grandiorum ſilicum, in ripa fluminis collectorum, & nunquam aliàs in uſum ductorum: illos probè ignitos conjice in cacabum, relinquendo quouſque deſinat ebullitio: his exemptis tranſcoletur decoctum per chartam emporeticam, aſſervandum in lagena ritè obturata.

Non tamen operoſo artificio paratur vinum cujus efficaciam ego ſæpiùs vidi.

℞. Salviæ M. ß. aluminis ʒjß. ſpongię uſtę ʒij. infunde in vini bene maturi ℔. ij. ſume quatuor aut quinque uncias, decreſcente luna matutinis horis & iteretur pro exigentia.

Theveninus pulverem è borrace venet. & ſpongia trita ad ʒj. in vehiculo apto ſępiùs exhibet.

Clariſſ. D. Johann. Jacob. Nozet Archiater Friburgenſis apud Helvetios Celeberrimus, methodum curandæ herniæ gutturalis mihi amiciſſimè communicavit, quam hic inſerere pergratum lectori fuerit.

Primò, ſequenti remedio corpus expurgat.

℞. Trochiſcor. alandh. extracti maſſæ pilular. cochiar. extracti agarici, ana gr. viij. mercur. dulc. g. xv. olei garyoph. ſtil. gtt. iij. M. F. e. a. pilulę pro una doſi in ſubjecto robuſtiori.

Secundò, corpore expurgato exhibet ſæpiùs tincturam è ſpeciebus hieræ, & pulvere guttetæ, cum ſpiritu vini extractam.

Tertiò, pro potu ordinario decoctum parat è guajac. ſaſſafr. ſarſaparill. ligno aloëtico, flor. lilii convall. ſalv. beton. pæon. & tilii.

Quartò, cùm per iteratas medicamentorum jam memoratorum doſes videt humoris fontem aliquatenus exhauſtum, ſecunda aut tertia quaque die hora ſomni, exhibet extractum opii ſpiritui apoplectico maritatum, ut ſic fluxio reprimatur.

Quintò & præcipuè parat ſyrup. pro quo.

℞. Spong. finiſſ. in carbones non in cinerem uſtarum & pulver. ℈iiij. ſyrup. ex decocto ligni aloës, fol. naſturtii aquat. flor. ſalviæ, beton. & ſem. ocymi ℥ij. M. & capiat cochleare unum ſingulis diebus matutinis horis.

Pharmacopęa Auguſt. ſequent. habet pulverem qui eſt Arnold. de Villa nova.

℞. Spong. combuſt. pilæ marin. toſtæ, oſſis ſepiæ, piper. long. & nigri, zingiber. cinnam. ſal. gemm. pyrethr. gallar. lap. ſpong. ana ℥j. pulveriſ. & miſceant.

Clar. Joſephus Donzellus in ſuo Theatro Pharmaceut. italicè conſcripto commendat pulverem, pro quo.

℞. Spong. mar. ſpong. ſtipitib. roſæ caninæ adnaſcentis ana ℥ij. ex iis incineratis fiat pulvis, cujus.

℞. ℥j. ciner. chart. bibulæ ʒij. cinnam. ʒß. corallor. rubr. pulverat. ʒjß. M. F. pulvis, cujus hic eſt uſus.

℞. Pulveris deſcripti ℥j, aut ℥ij. infunde in vaſe vino albo pleno. macer. dies tres. dein tempore plenilunii ſumantur omni mane hujus liquoris ℥iij. donec incipiat luna creſcere, quo tempore eo abſtinendum; plenilunio verò ſubſequente reaſſumatur liquor ut priùs.

Uſum ſalium volatilium ego præcipuè commendo, interque eos ſalem volatilem aromaticum & amarum meæ compoſitionis, cujus virtutes in hiſce & aliis caſibus non ſemel expertus ſum.

Uſurpentur prętereа gargariſmata, ductus ſalivales reſerantia, lymphamque & humorem ſalivalem coagulatum fundentia, quale v. g. hoc fuerit.

℞. Radic. ciclam. virent. verbaſc. polypod. fol. beton. & rad. brioniæ ana, bulliant in vino. Item maſticatoria ex myrrh. radic. imperat. angel. mont. garyoph. &c.

Exterius

Exteriùs applicabuntur, emplaſtrum de cineribus, balſamo ſulphuris tachamahacato prægnans; cataplaſma è porris & baccis myrtill. vino incoctis; item è foliis & nucibus cupreſſi pulver. vino auſtero incoctis, & pulvere limacum rubr. ſinapiſatis. Sale volatili armoniaco ſpirituì vini artificiosè maritato, non ſine fructu præterea tumor ſæpius, ſed parcè fovebitur, ut & ſale volatili verè oleoſo è gummi caranna extracto.

Si hiſce omnibus non cedat malum ad Chirurgiam deveniendum, quæ eadem prorſus hîc erit, quam in ſcrophulis deſcribemus. Hocce in negotio tantùm advertendum, an tumor fuerit aneuriſma, quod intactum relinquendum; anque vaſis majoribus & nervis adhæreat; ſi enim nervus recurrens in hac exciſione læderetur uſum vocis perderet æger; ut illud abundè teſtantur hiſtoriæ ex Galeno, Avicenna, Amato Luſitano &c. cuivis facilè depromendæ; ut & propria experimenta in brutis animalibus ſæpiſſimè inſtituta; Clar. Isbrand. de Diemerbroeck hiſtoriam præterea læſi nervi recurrentis adfert, quam hic adducere non piget. Ruſticus Hollandus, inquit ille, in conflictu quodam aurigarum vulnus cultro inflictum recepit in colli latus dextrum circa jugulum. Vulnus à Chirurgo cito curatum fuerat. Poſt aliquot deinde menſes ad me venit, rogans ut ipſi aliquod medicamentum præſcriberem pro maxima ſua raucedine, qua ſtatim ab accepto vulnere laborare cœpiſſet, & quam medicus ille, qui ipſum cum chirurgo tractaverat, nullis linctibus, tabellis, decoctionibus, aliiſque medicamentis diſpellere potuiſſet. Vox homini adeò exilis & rauca erat, ut vix, quid diceret, intelligi poſſet. Ego è vulneris loco animadverti nervum recurrentem tranſverſim præciſum fuiſſe, per quem vocis efformandæ virtus defertur, hincque mediam vocalitatem deficere; quod malum cùm nullis remediis remediis reſtaurari poſſet, ægrum pro incurabili dimiſi.

Obſervationes.

Obſervavi vinicolam poſt ingentem ex frigida & cœnoſa aqua hauſtum in Bronchocelam incidiſſe, quæ plurimum excrevit; deinde ex abſceſſu facto exivit Bufo vivus, quem meis/ipſe oculis vidi; fortaſſe ſeminalis virtus cum aqua ad colli membranas exſudans hujus generationis cauſa fuit. *Paulus de Sorbait in Miſcell. Curios.*

Paupercula 30. annos circiter nata, inde ab incunabulis inſignem ſtrumam in collo geſſit, ut vix reſpirare, nedum deglutire potuerit, nam tunc maximos dolores patiebatur, ægra fuit macie conſumpta & pulſum habebat parvum, languidum: conſultum judicatum eſt ægræ obſtaculum ab organis reſpirationis & deglutitionis, dimovere. Struma itaque in parte molli & declivi profundiùs inciſa fundebat libram ſeroſæ & glutinoſæ materiæ foramen vulneris ſpongiâ præparatâ adimpletum & diapalma deligatum eſt, evacuatâ omni materiâ, maſſa carnea pugni magnitudine comparuit, tam dura ut nec cathæreticis, nec cauſticis potentialibus nec igni actuali cedere potuerit, cultro quoque reſecari ægrè conceſſum, inventa fuere in maſſa hac quatuor oſſa ſibi cohærentia, tam putida, ut adſtantibus lipothymiam.cauſata ſint; oſſicula minora ultra duodecim quoque inde exempta, ægraque perfectè reſtituta eſt. *D. Ioh. Muralt. in Miſcell. Curios.*

BRONCHOTOMIA.

Hanc Operationem, quæ in arteria aſperâ peragitur, & de quâ jam aliquid dicitur, ſub titulo Angina, ubi ſcilicet de Anginâ deſperatâ, ſeu in quâ ſpiritus per tumorem in laringe præcluſus certam ſuffocationem prænunciat Hic ſpecialiter deſcribitur ab accuratiſſimo Thomâ Fienô, in ſuo de Præcipuis Artis Chirurgicæ Controverſiis Tractatû.

Bronchotomia quæ etiam Tracheotomia & laryngotomia vocatur, eſt ſectio artificio Chyrurgico in aſpera arteria facta, in eum finem, ut per foramen ejus aër externus in pulmonem ingredi poſſit, qui propter anginam vel obſtructionem aliquam in ingreſſu aſperæ arteriæ exiſtentem ingredi non poteſt, & ſic ſuffocatio & mors evitetur. Hæc laryngotomia locum habet in angina deplorata, quando propter phlegmonem ibi exiſtentem tanta gutturis eſt anguſtia, ut æger nec loqui nec reſpirare poſſit, & jam manifeſtum eſt periculum, ægrum moriturum; tunc enim melius hoc remedio uti, quàm ægrum certæ morti relinquere.

Eſt autem hoc remedium periculoſum, & ideò non licet eo uti, niſi in deploratiſſimo caſu, ſed quæri exactius poteſt, an unquam eâ ſit utendum? Plurimi hanc omnino improbant, & dicunt lethalem, & non poſſe unquam prodeſſe, quin imò potiùs nocere. Primò, quia in angina periculum ſuffocationis eſt à magnitudine inflammationis, at illa inflammatio per hanc vulnerationem tracheæ magis augebitur, ergo & angina & ſuffocatio magis augebuntur. Secundò in periculo ſuffocationis tuſſis eſt mala, quia tuſſiendo facilè ægri ſtrangulantur, at per hanc vulnerationem tracheæ neceſſe eſt tuſſim excitari & augere; quia omnis læſio tracheæ debet cauſare tuſſim, quia natura conatur illud, quod lædit excutere. Ergo periculum ſuffocationis augebitur. Tertiò, ſectione tracheæ contingit ſanguinem in eam delabi, at ille ſanguis ſuper pulmonem cadens obſtruendo augebit difficultatem reſpirandi & ſuffocationem, ergo. Quartò, tracheæ vulnus non poteſt conſolidari, quia trachea eſt cartilago, cartilagines autem teſte Hipp. cùm ſint partes ſpermaticæ non conſolidantur ſemper, ſi non conſolidantur neceſſe ægrum ex eo mori, ergo. Hac ratione Aretæus & Cœlius Aurelianus improbant hanc operationem & dicunt eam caducam, temerariam & omnino omittendam eſſe.

Contrà alii dicunt eam poſſe & debere adhiberi in maxima & deplorata angina, & per eam poſſe ægros à morte liberari, & licèt periculoſa nonnihil ſit, non eſſe tamen certè lethalem & poſſe arteriam ſcindi, & inde tamen ægros adhuc convaleſcere. Et in primis quòd illa ſciſſio arteriæ aſperæ non ſit omnino lethalis probatur.

Primò ab experientia multorum, qui à trachea vulnerata mortui non ſunt, ſed convaluere. Albucaſiſus lib. 1. c. 43. ſuæ Chyrurgiæ ſcribit: Quod quædam ancilla cultro cannam pulmonis ſibi ſciderat, & tamen adhuc fuit curata. Abelſear lib. 10. L. 14. ſcribit: Capram quandam convaluiſſe, cui trachea erat ſciſſa. Guilielmus Placentinus lib. 2. Chyrurgiæ c. 7. ſcribit, à ſe curatum quendam qui ſibi præ deſperatione cannam pulmonis præſciderat, in ſcholiis collegii lib. 10.c.210. legitur hiſtoria cujuſdam, qui in angina

guttur ſibi deſperabundus præſcidit, & tamen eſt ſalvatus. Paræus lib. 9. c. 29. recitat etiam tria exempla eorum, quibus aſpera arteria graviter vulnerata fuit, & tamen convaluere. Jacotius ad Aphor. 16. l. 1. ſect. 5. Coacorum. Hipp. tenet etiam aſperæ arteriæ vulnera ſanari poſſe. Et Jouber. lib. 1. de effectibus thoracis dicit, ſe vidiſſe ulcus tracheæ ſanatum. Buſodolis comment. lib. 4. ſect. 35. de ratione victûs dicit, à ſe curatum quendam, qui paſcebat oves ducis Ferrariæ, qui lamina ferrea è lorica effracta ſibi guttur abſcindere nitens, quinque annulos ejus diſſecuerat.

Verùm quod etiam artificiosè in magna angina liceat, ſic tracheam ſecare multorum gravium virorum authoritate probatur, ſimul etiam exemplis. Nam ut ab antiquioribus incipiam. Cœlius Aurelianus ait: Hanc tracheæ ſectionem à veteribus etiam comprobatam eſſe, quantumvis eam vituperet. Paulus Ægineta l. 6. c. 33. hanc etiam ex Antylli antiquiſſimi medici ſententia commendat, ac ejus faciendæ modum quoque docet. Idem facit Rhaſis 30. continentis, & fatetur ſe vidiſſe Andruſium medicum in angina tali ſectione uſum fuiſſe. Eandem probat Alſaharanius lib. pract. tract. 11. c. 9. Avicenna l. 3. eandem quoque ſententiam tenet. Inter Neotericos plurimi hanc commendant, & omnino in caſu neceſſitatis practicandum, & ſe eam felici ſucceſſu practicaſſe aiunt. Jubertus lib. 1. de morbis, c. de affect. thoracis eam admittit, & Arethæum reprehendit, quòd ipſe damnet. Anton. Berintenius lib. de abditis morb. cauſ. c. 88. ſcribit, hanc ſectionem, in quodam ſe exercuiſſe & evaſiſſe. Columbus in ſua Anat. fatetur etiam in ſummo periculo tracheam incidi poſſe. Joannes Agricola l. 2. rei herb. in angina inquit, cum adeò magnus eſt tumor, ut nec cibus nec aër permeare poſſint, inter ſemicirculos cartilagineos etiam aſperam arteriam incidunt. Jacotius in comm. ad Aphor. 16. c. 1. ſect. 3. Coacorum etiam hanc ſectionem admittit. Braſavolus loco citato docet modum, quo illa fieri debet, & dicit, ſe eâ plures in anginoſis uſum fuiſſe. Avic. l. 3. ſect. 9. cap. 11. eam admittit etiam, & ejus uſum commendat, & modum ejus adminiſtrationis docet. Julius Caſſelius Chyrurgus Patavinus in ſua Chyrurgia docet hanc ſectionem utilem eſſe, & ejus etiam faciendæ modum latè deſcribit.

Quapropter ad argumenta in contrariam partem allata ſic R. ad primam. Inflammationem per illam ſectionem non augeri, quin imò per illam eductionem ſanguinis minui potiùs. Atque ut augeretur, non ideò ſuffocationis periculum tunc augeri, propterea, quod illa, facto jam in trachea foramine tollatur. Ad ſecundum, quod etſi ita eſſet, ut ibi dicitur ſuffocationis tamen periculum per hoc non augeretur, cùm illud per illam ſectionem jam ſit elevatum. Ad tertium, tracheam utpote cartilaginoſam & exanguem non multùm ſanguinis fundere, & qui funditur, caveri facilè poſſe, ne in tracheam incidat, ſi à perito Chyrurgo ſectio adhibeatur. Ad quartum patet ex allatis exemplis id falſum eſſe, ſed è contra eam ſæpiſſimè curatam fuiſſe.

Quoad modùm hujus ſectionis faciendæ notandum, quod in angina duplex ſectio fieri poteſt, una eſt de qua Celſus facit mentionem, qui dicit: *In angina ultimum remedium eſſe incidere plagis ſatis altis ſub ipſis maxillis, ac etiam ſuprà collum, & in palato circa venam vel eas venas, quæ ſub lingua ſunt, ut per illa inquit vulnera morbus erumpat.* Hunc modum ſecutus eſt etiam Benivenus c. 24. de abditis cauſis, ubi ait, quod cùm Nicol. Rota deſperatâ anginâ laboraret, ipſe altioribus (inquit) plagis ſub ipſis maxillis, & etiam ſuprà collum inciderit, ex quo ſanies multa prorumpebat, & ſanatus eſt, cùm tamen (ait) antea nullus tumor extra apparuiſſet. Sed de illa ſectione, qua trachea non ſecatur, ſed tantùm cutis & caro externa, nos hîc non loquimur. Altera ſectio eſt, qua ipſa trachea aperitur, ejus modum docet Paulus Alſcharavius, Jacotius, Caſſerius, & ſuprà citati, ſed diverſis modis. Iſte optimus & verus modus, æger ſedeat ex oppoſito medici in ſede, quæ parte poſteriore ſit elevata. Vel (quod ego cum Braſavalo malim) jaceat in lecto, ne defatigatus ſedendo in ſyncopen labatur, niſi fortè jacens videatur ſibi ſuffocari: Et tum linea ex atramento notatur per longitudinem gutturis locus in quo ſectio eſt facienda, cum medicus ſiniſtra manu à dextero latere lineæ ſeu gutturis, & miniſter à ſiniſtro cutem attollant tranſverſaliter. Tum medicus novaculâ ſupra nigram lineam incidat vulnus latitudinis trium ferè digitorum, ita ut vulnus illud cutem penetret, & membranoſam illam latam muſculam, ſeu quod malim carnoſum panniculum. Inde diducta miniſtri digitis cute fiat. Secundò inciſio per medios oſſis Hyoidis & Laringis Bronchicos muſculos ad ipſam tracheam uſque. Quando trachea jam apparebit, labra vulneris per hamulos divaricentur, & tum cum phlebotomo fiat punctio in ipſa trachea inter annullum, & annullum tranſverſaliter. In foramen punctionis indatur cannula argentea habens multa foramina, per quæ aër in pulmonem attrahi poteſt. Quæ filo utramque ad poſteriora religetur, ut hærere poſſit & non excidat. Hoc foramen debet eſſe majus quàm ut talis cannula intromitti poſſit, debet etiam fieri tranſverſaliter inter annulos, ut citius cùm opus eſt, conglutinetur; propterea quod ille locus magis ſit carnoſus, quàm ipſi annuli.

Locum ſectionis, dicunt omnes eſſe debere tribus aut quatuor circulis ſub ipſa larynge. Hoc etſi ordinarium ſit, non poteſt tamen certò locus determinari, propterea quod incertus ſit locus abſceſſûs, hoc verò ſemper certum, quod infra ipſum abſceſſum ſit aperiendum, alioqui fruſtra apertio facta eſſet, eaque iteranda. His factis angina interim eſt curanda. Cùm curata eſt eximenda, & vulnus conſuendum non quidem ſuturâ quæ tracheam comprehendat, ſed tantùm externam illam cutem, quæ prima ſectione fuit diviſa & incarnativa foris exhibenda, & intus linctus deterſivi. Et brevi tempore vulnus erit conſolidatum.

Hujus Operationis methodum ſic rurſus paucis explicat Clariſſ. Antonius Nuck.

In quibuſdam Anginæ ſpeciebus, poſt externa & interna in caſſum tentata remedia, adeò ſæpe tuba reſpiratoria anguſtatur, ut patiens ſpiritum ducere nequeat, ſed ſuffocationis periculum incurrat, niſi Bronchotomia (nonnullis Laryngotomia dicta) inſtituatur. Quæ Operatio hactenus quidem ferè neglecta, aliquando tamen ſummè neceſſaria; præſtat enim anceps quàm nullum adhibere remedium. Hac ſiquidem Operatione omiſsâ, mortem aufugere patiens nullo modo poſſet, quum è contrario Operatione hac prudenter inſtitutâ, nonnullos ſubinde fuiſſe reſtitutos experientiâ ſit manifeſtum.

Urgente itaque neceſſitate, ſequenti methodo procedere licebit: Servus à tergo patientis in ſedili collocati caput, ſcapulam verſus reflexum, immobile teneat,

cutim

cutimque atramento prius notatam, ſiniſtrâ Chirurgus, & dextrâ famulorum alter elevet, elevatamque incidat. Factâ inciſione, ſeparatiſque tantillum *muſculis ſternohyoideis*, diductiſque digitorum ope integumentis, intra tertiam & quartam, vel quartam & quintam cartilaginem, vulnus infligat, quo inflicto ſtatim impetuoſè exit, patienſque levamen aliquod percipit; mox *Tubulum aureum* aut *argenteum* vel *plumbeum* lævem & in extremitate rotundum, leviterque incurvum, variis foraminibus perforatum & alatum, foramini facto immittat, immiſſus Emplaſtro Glutinoſo & perforato affigatur, ibidemque tamdiu maneat, donec patiens viâ ordinariâ ſpiritum iterum ducere poterit.

Poſtmodum ad partis læſæ conſolidationem perveniendum, vulnuſque aſperæ arteriæ, ſi multum hiet, *Suturâ* quadam adducendum, caputque magis pronum geſtandum, quo cartilaginum latera eò propiùs ad ſe invicem accedant.

Cavendum interim ne humida aut oleoſa admota vulnus inter cartilagineum ſubintrent, quia facilè nova indè oriri poſſent Symptomata.

Medicamentum denique, parti cartilagineæ applicandum, ex *Balſam. Copayv. Hypericon, & Oleo Terebinth.* componatur, vulneriſque reliquum ordinariis conſolidantibus, vel ſequenti unguento ad cicatricem perducatur.

℞. *Terebinth. lotæ* ℥v.
Pulver. maſtich. ℨj.
Alb. Ov. Vitell. permixt. q. ſ.
F. Ungu.

B U B O.

Curationes, Conſultationes & Obſervationes ex variis.

Curationes.

HIppocrates magnas in emunctoriis ſitas glandulas vocat *Bubones*, traducto nomine ab affecta parte, quandoquidem illarum inflammatio *Bubo* nuncupari ſolet. Ita Galenus *lib. 2. ad Glauconem cap. 1. & de differ. Febr. lib. 1. cap. 5.* inquit, *Bubo eſt Glandularum ſeu glanduloſarum inflammatio & lib. 2. de Meth. Med. ait*, *Bubonem eſſe affectionem corporis Glanduloſi*, & quandoque peſtiferæ febri aſſociari.

Eſt igitur Bubo inflammatio ſeu potiùs tumor præter naturam glandularum rubicundus, dolens, renitens, & ex impuro ſanguine enicè in illas expulſo ortus. Hinc pars affecta in Bubonibus inſunt plerumque Glandulæ ponè auriculas, ſub axillis, aut inguinibus ſitæ, aliàs namque in aliis Glandulis vix unquam aut ſaltem rarò Bubones fiunt.

Hujuſmodi verò glandularum tumoris quædam dantur differentiæ. Enim verò minor ſi ſit tumor, minuſque dolens, facilè tamen ſuppuretur, *Phima* dici conſuevit, ſin ad Eryſipelatis naturam magis accedat, neque facilè ſuppuretur, quin potiùs diſcutiatur, *Phygethlon* appellatur. Si ſub Maxilla exiſtat *panus*: atqui poſt auriculas *parotis* nominatur.

Inſuper Bubones alii critici ſunt, alii ſimptomatici, & horum alii contagioſi, alii, non contagioſi; alii peſtilentes ſunt, quia ſequuntur febres, atqui vulgò *bubones maligni ſeu peſtilentes*, alii non ſunt peſtilentes: qui *Venerei* ſeu *Gallici bubones*, cùm à gallica lue proveniant.

Generalis ergo Bubonum cauſa eſt ſanguis vitioſus, aceſcens, dictas in Glandulas naturæ robore expulſus; qui illic hærens, cùm propter abundans *acidum* ſanguinis formam amiſerit atque ſuppuretur, tumorē hunc excitat.

Cauſa verò efficiens eſt partium internarum robur, quæ in Glandulas ceu vera Emunctoria vitioſos ablegant humores. Sed quod in Glandulis tantùm bubones contingant, ratio eſt, non quòd deſtinatione quadam naturæ cruoris recrementa has in partes deferuntur; at cùm vitioſæ particulæ ubique paſſim in ſanguine ſcatent, in Glandulis ſeu partibus laxioribus velut in communi foco promptiùs aggeruntur, præſertim cùm ſanguis illic ad arteriolarum extrema delatus, difficulter & non ita promptè ſuſcipitur, ac refertur à venis, atque hoc circa glandulas fieri experientiâ, & hodiernorum anatomicorum obſervationibus liquidò conſtare putamus: quare cùm in locos glanduloſos vitioſi in toto corpore ſcatentes humores promptiùs, quàm aliàs in partes deponuntur impuritatis velut nidus ibidem conflatur.

Ita *peſtilens bubo* fit, quando particulæ venenatæ & malignæ in glandulas ponè aures, aut ſub alis, aut in inguinibus, aut in collo ſitas, naturæ robore expelluntur.

Atqui *venereus bubo* plerumque in Inguine fit, eſtque tumor, qui nec ſponte, intimoque vitio, nec ullo ſimplici attactu, congreſſuve, aut corrupti aëris inductione, ſed impuro duntaxat concubitu contrahitur atque adeò Efficiens ejus Cauſa haud immeritò cenſetur maligna & venenata quædam labes, quæ coitu in Pene primùm accepta, non nunquam puſtulis, tuberculis, & ulceribus ipſum conſpurcat, & ſeſe manifeſto prodit, antequam partium continuatione altiùs in corpus propagetur: non numquam verò, pene adhuc integro clanculum penitiùs ſeſe inſinuans, inteſtinas partes primùm afficit, fœdatque, nullis adhuc notis extrinſecus conſpicua. quæ ſi exigua infirmiorque eſt, corpus verò ſanum & firmum, humorum vitium atque corruptela parva conſequitur, quam natura ſuis facultatibus tanquam copiis nixa, in partes externas, Inguinum putà glandulas deponit, unde *Bubonem venereum* naſci contingit.

Equidem varia hæc bubonum genera facilè dignoſcuntur, & ſignis à ſe invicem diſtinguuntur. Ita ſymptomatici, non tamen contagioſi bubones cognoſcuntur, ex tumore, rubore, calore, tentione, renitentia, pulſatione quibus ſæpè febris adeſt. In Critico bubone eadem adſunt ſigna; Sed inſuper [illegible] præcedens morbus, per erumpentem Bubonem morbi ſublevatio, & dein ab eodem morbo liberatio.

Peſtilentis bubonis ſigna ſunt, quòd conjuncta ſit febris maligna Peſtilens, malignis, ſymptomatibus, ut Nauſeâ, Vomitu, Cordis oppreſſione, animi deliquio, & ſimilibus quæ in Peſte obſervari ſolent comitata: inſuper ſi Ægrotans verſatus fuerit in aëre peſtilenti aut in loco, in quo plures peſte ſunt correpti.

Venerei Bubonis Signa ſunt, non ſolummodo tumor, dolor, rubor, calor & alia propoſita, ſed coitus cum perſona gallica lue infecta nonnunquam & alia adſunt luis venereæ ſigna, ut Penis ulcera virulenta, Gonorrhea, dolores vagantes & noctu magis affligentes, pilorum defluvium &c.

Cæterùm benigni Bubones periculoſi non ſunt, niſi tardè diſſipentur aut ſuppurentur. Nam quamvis ex ſuâ naturâ non ſint periculoſi, facilè tamen ſi diutiùs protrahantur, in fiſtulas abeunt; quæ non ſolùm ſunt difficiles curatu, ſed ſæpè periculoſæ.

In genere Bubones citiùs maturantur ſub axillis quàm in Inguinibus, & hic citiùs quàm ponè aures.

Malignus ſeu peſtilens bubo ſubitaneæ mortis non rarò prodromus eſt; minùs tamen periculoſus eſt, qui præcedit febrem peſtilentialem quàm qui eandem ſequitur. Qui in Inguine apparet, minùs habet periculi

culi quàm pone Aures aut ſub Alis. Etiam talis Bubo quò minor eſt, eò periculoſior.

Venereus Bubo lethalis non eſt, ſed difficilis curationis idque non Bubonis, ſed venereæ infectionis ratione: eſt equidem ſalubris, eo namque mediante brevi ſæpè curatur venerea lues.

Cùm igitur Bubonum ſpecies hoc modo diſtinxerimus, proponenda erunt & accommodata remedia. Sic in *Bubonibus benignis, ortis per modum expulſionis*, antecedens cauſa primò eſt evacuanda. quem in finem lenis *Purgatio* ſæpe admodum neceſſaria eſt. *Venæſectio*, niſi febris gravior aut Plethora exegerit, ne inſtituatur, quippe quæ ſanguinem perturbare, atque adeò naturam in opere expulſionis impedire poſſit. Verùm ſudoris provocatio in omni Bubone valdè prodeſt.

Deinde ad conjunctæ materiæ correctionem & evacuationem, nec non ſymptomatum mitigationem conducunt reſolventia, imo & attrahentia, ac maturantia foris impoſita: Repellentia verò non admoveantur, quæ vitioſos robuſto naturæ conatu expulſos humores cohibere, adeòque interiora verſus repellere ſolent, unde gravia oriuntur ſymptomata, atque non rarò pallida mors ſuccedit, Ita Hildanus *Cent. 3 Obſerv.* 78. ſe obſervaſſe ſcribit, ex intempeſtivo Repellentium ad Emunctoria applicatorum uſu, mortis periculum ſequutum fuiſſe.

Sed in dolorifico Bubone neceſſarium omnino eſt *dolorem ſedare* antequam ulla imponantur remedia, admoto hoc vel ſimili cataplaſmate.

℞. Fol. Malvæ, Althææ an. M. j. ß. coctis in aqua pura ad mollitiem, & minutim contuſis, adde Farinæ Hordei, althææ, Fœni Græci an. ℥iß. Vitellos ovorum numero 2. Croci pulver. ʒj. Butyri recent. ℥iß. M. F. Cataplaſma. Sedato pauliſper dolore Attrahentia & ſuppurantia admovenda ſunt V. G.

℞. Rad. Lilior. albor. rec. ℥iiij. cæparum ſub cinerib. aſſat. ℥ij. Malvæ, Althææ. Flor. Meliloti. an. m. j. caricar. ping. conſciſſ. num. 10. Coctis in aqua pura ad mollitiem, & minutim contuſis adde farinæ ſemin. lini, Fœni græci an. ℥iß. unguenti Baſilici ℥j. M. F. cataplaſma. Suppuratus Bubo quàm citiſſimè aperiatur, ferro potiùs quàm cauſtico, atque apertus ſervetur, donec omnis materia fuerit evacuata, & dein aliorum ulcerum ad inſtar curetur. Viz. *Emplaſtrum Diachilum Cum Gummi* aut *de mucilaginibus applicetur: ſolo* ſæpe *oleo olivarum, raparum, camomillæ* vel *liliorum alborum* curatur.

In *Venereo* autem ſeu *Gallico Bubone*, nec repellentibus utendum eſt, nec Reſolventibus, verùm omni operâ curandum, ut quamprimum fiat curatio & ſuppuratio, cùm indies videamus, Bubones hi ſi maturefcant & ad ſuppurationem deveniant, ſæpiſſimè à lue venerea evadere ægrotantes. E contrario in Gallicam luem facilè illos incidere, in quibus vel repellentibus, vel Reſolventibus Bubones curare conamur. Hinc nec venam ſecare, nec corpus purgare licet, quamdiu ulla ſpes eſt Topicis medicamentis eos curare poſſe.

Igitur ad malignorum humorum perfectam expulſionem, ſi tardior ac imbecillior videatur natura, attrahentibus adjuvanda eſt, imponendumque cataplaſma v. gr. ℞. cæparum ſub cineribus. aſſat. ℥ij, ſaponis nigri, emplaſtri Diachili cum gummi an. ℥iß. unguenti Baſiliconis ℥j. Fiat ex his S. A. cataplaſma.

Vel ℞. Rad. liliorum albor. ſub cinerib. coct. ℥iij. cæparum pari modo coctarum ℥iiij. Axungiæ Porci ℥ij. croci pulv. ʒj. vitellos duorum ovorum M. F. S. A. cataplaſma.

Verùm tamen cùm talis Bubo pertinax ſit nonnunquam *cucurbitula cum magna flamma imponi* ſolet.

Botallus *lib. de Lue venerea cap.* 10. ad Gallicos Bubones maturandos, *Frictiones & cucurbitulas ventoſas* valdè commendat, nihilque his citius vel melius ſuppurationem accelerare ait. Fricentur autem digitis ſimpliciter, vel recenti Butyro illitis, uſque dum tumentes, & phlegmone obliti tactum amplius ferre nequeant; quo tempore ſuppurantia imponenda.

Fallopius *lib. de morbo gallico. cap.* 91. commendat motum, & mandat ut ludant gladio, vel pilâ parvâ, ut ſaliant, & motu iſto fiat fluxio, ac promoveatur ſuppuratio.

Suppuratus hujuſmodi Bubo, mox aperiatur ferro potiùs quàm Cauſtico; *etiam ſemicocta exiſtente materia.* Enim verò tardiùs facta apertura ſæpe noxia eſt, quòd ampliorem quàm par eſt ſibi ſedem efficiat, venereum venenum vicinas partes inficiat, peſſimaque ſymptomata inducat, ut exemplo demonſtrat Hildanus *Cent.* 5. *Obſerv.* 65. Hiſce tamen omnibus nihil efficientibus, universâ tum ſanguinis tum Limphæ maſsâ infectâ, curatio porrò inſtituatur ut in Lue venerea.

Similiter in *Peſtilenti Bubone* nec venæſectio nec purgatio, (quidquid etiam contra adferant Adverſarii) locum habet, ſufficiunt ſudorifera & Alexipharmaca, ut in generali peſtis curatione.

Extinſecùs nonnulli ſuadent Bubonibus hiſce imponere diſcutientia, quos inter eſt Cl. Sylvius, *qui Prax. Medic. lib.* 5. *tractat.* 2. Laudat Peſtilentes Bubones in Principio diſcutere Litu *Olei Cornu cervini.* ſed cùm modus hic periculoſus ſit & incertus, ei non ſubſcribimus; verùm præſtat per Attrahentia & ſuppurantia curationem inſtiruere.

Quum Ergo Peſte correpti duritiem cum dolore ſentiunt ponè Aures, in Collo, ſub Axillis, vel in Inguinibus, mox ei applicetur *veſicatorium ex cantaridibus & fermento acri*, ut venenata materies naturæ robore expulſa foràs ulteriùs protrahatur. Altero die admoveatur cataplaſma Attrahens, & vehementer maturans. Ex. gr.

℞. *Rad. Lilior. Albor. rec.* ℥ij. *Fol. Rutæ, Malvæ, Althææ, Scabioſæ an. Mj. Caricarum ping. conſciſſ. Num.* 10. *omnia in aqua pura cocta in mortario contundantur, additis tribus Bulbis cœparum ſub cinerib. aſſatar. & farinæ Althææ, Tritici an.* ℥vj. *fermenti acris* ℥iß. *Mellis* ℥j. *unguenti Baſiliconis* ℥iß. *Butyri rec.* ℥ij. *M. F. S. A. Cataplaſma.* Equidem in ſecundo cataplaſmate *Fimus columbinus, fermentum* acre & cœpæ poſſunt omitti.

Vel ℞. *Rad. Althææ, cœparum ſub cinerib. aſſat. an.* ℥iß. *Fol. ſcabioſæ, malvæ, Rutæ an. coctis in aqu. communi ad mollitiem, & contuſis, adde Emplaſtri Diachili cum gummi* ℥iß. *Olei ſcorpionum, Mitridati an.* ʒß. *Croci puri.* ʒj. *M. F. S. A. Cataplaſma.*

Vel. ℞. *Cœpam unam quæ excavetur, & cavitas impleatur Theriacâ Vel Mitridatio; dein chartâ involuta ſub cineribus Coquatur, hinc Teratur cum oleo Scorpionum & fiat S. A. Cataplaſma.* Cui nonnunquam *fermentum acre* addi ſolet. Vel ſolæ *cæpæ ſub cineribus aſſatæ*, contuſæ cum pauxillo *Theriaces & Butyri inſulſi* mixtæ cataplaſmatis formâ per biduum aut triduum imponantur.

Barbette hoc in caſu vehementer laudat Emplaſtrum.

℞. *Emplaſtri Diachyli cum Gummi, de Mucilaginibus an.* ℔ ß. *unguenti Baſiliconis* ℥iiij. *ſemin. ſinapi. pulver.* ℥iij. *M. F. S. A. Emplaſtrum.*

Nonnulli Gallinam, aut Ranam viventem atque diſciſſam parti affectæ applicant, ſæpius eandem renovando. Alii Gallinæ aut columbæ viventis podicem deplumatum admovent. Quidam totum Bubonem ſectione auferre conantur quod periculoſum valdè, & ne-

& nequaquam permittendum. Neque etiam cucurbitæ vel infrà Bubonem vel ipſi Buboni appoſitæ conducunt, quoniam & in Peſte & Peſtilenti Buboni eæ admodum damnoſæ ſunt. Tumor verò maturus mox ſcalpello incidendus, ut puri exitus detur: & quidem aperiendus eſt, priuſquam omnino matureſcat, ut de Bubone venereo dictum fuit; cùm citiſſimè venenum ſit educendum. Atque hujuſmodi Bubo aliquandiu, quantùm fieri poteſt, apertus ſervandus; dein ab omni ſorde mundificandus & aliorum ulcerum ad inſtar porro tractandus: quem in finem ſummopere conducit *Digeſtivum ex unguento Baſilicone, Melle, Theriaca, & Balſamo ſulphuris Terebenthinato.* Joannes Munnliks Chirur. lib. 1. cap. 15.

In bubone convenit emplaſtrum diachylon cum gummat. & mucilag. ſeminis lini. Si ſuppurationem volumus maturare, addatur aliquid ſaponis Veneti. Empl. diachylon malax. cum oleo lumbricorum, chamomillæ, lini. Cataplaſmatibus, addantur lumbrici, & gummata, v. g. Tacamahaca, ammoniacum. Ad attractionem quoque faciunt ficus, fimus columbinus, parum de magnete arſenicali. Internè dentur diaphoretica & expellentia communia, antimonium diaphoreticum, tinctura bezoardica, pulv. bezoardicus, medicamenta omnia antimoniata, quæ valdè expellunt.

℞. Herb. uvæ inverſæ, flor. chamomill. flor. memelilot. malv. an. m. j. Rad. altheæ lil. alb. an ℥j. ſem. alkekengi ʒiij. ſem. lini fœnugræc. an ℥j. Coq. in ſ. q. aq. ſimpl. ad putrilaginem. F. l. a. Cataplaſma. adde ol. ſcorpion. ol. bufonum an. ʒiij.

℞. Emplaſtr. diachylon c. gum. ℥ij. malaxetur cum ol. ſcorpionum, bufon. an. q. ſ. Poteſt imponi cataplaſma ex ſola uva inverſa: vel ſi recens haberi poteſt, contundatur, & ſuccus expreſſus applicetur. Convenit etiam unguentum dialthææ. Item fuligo, ſi miſceatur cataplaſmatibus & emplaſtris. *Ioh. Michael. in Prax. clinic. general.*

Conſultationes.

Expendenti Aphoriſticam Divini Hippocratis, qui nunquam erravit ex Macrobio, ſententiam, quòd ſcil. *ex Bubone febres omnes malæ, præter ephemeras,* cùm inviſerem ad Præclariſſimum Virum Adrianum Spigelium, celeberrimum Anatomicum, è vivis ſublatum, cum bubone ſub axilla ſiniſtra anno 1625. annorum 47. non levis mihi ſcrupulus occurrit, numquid ex bubonibus fiant ſolæ ephemeræ, vel putridæ etiam; Ex Hippocr. enim ſententia in Aph. propoſito expreſſâ luce clariùs ſtatui videtur, ex bubone putridas quinetiam febres fieri poſſe. Non enim dixiſſet: *Ex Bubone febres omnes malæ præter ephemeras,* ſi ex Bubone fierent ſolæ febres ephemeræ. Cui ſubſcribentes omnes ferè Medicinæ Scriptores, aſſerunt fieri poſſe ex Bubonibus non ſolùm febres ephemeras, ſed etiam putridas. Atque de putridis id palam fit ex præſenti Spigelii morbo, à quo extinctus eſt, quem ferè continuè obſervavi 63. dierum ſpatio quibus decubuit. Hic etenim Vir præclariſſ. ex indicis digiti punctura dolorem, & tumorem inſignem in ſiniſtro brachio paſſus eſt, cui ſucceſſit abſceſſus, ſeu Bubo ſub axilla, cum dolore adeò gravi, ut non ſolùm brachium, ſed & totum corpus immobile factum ſit, cum febre acuta abſque annotationibus manifeſtis, inappetentia, vigiliis & gravi virium languore. Vigeſima ſponte erupit abſceſſus, & multam ſaniei copiam tridnum effudit ſubcruentam, fœtidam, liquidam, à qua remiſit dolor, adeò ut in latus affectum decumbere potuerit, quod antea fieri non poterat. Perſtitit tamen febris vehementia, cum tenſione, & dolore dextri hypochondrii ad claviculam uſque: cui ſucceſſit diarrhæa primò billioſa, mox & ſanioſa, non diſſimilis materiæ ex abſceſſu emanantis, quod anſam præbuit dubitandi, numquid eſſet dyſenteria, vel abſceſſus jecoris. Cùm verò nulla præceſſiſſent tormina, non ramenta, aut inteſtinorum eroſiones, in jecoris abſceſſum conſpirarunt ſententiæ, cùm præſertim præteritis annis abſceſſus ventriculi per vomitum expurgatus fuerit. Interim plura interna fuere præſcripta, cum durante febricula, cùm dejectione materiæ ſanioſæ 63. die extinctus eſt. Diſſecto cadavere, occurrit abſceſſus in concava jecoris, juxta prognoſticum. Ex quibus patet, putridas, quin etiam febres ex bubonibus fieri poſſe. Quod præteritis annis obſervatum à me fuit in Nobili Margareta de Doctis fratris mei conjuge, undecima extincta febre peſtilentiali, cum bubone in inguine dextro ſuppurato, & aperto. Quòd ſi Galenum conſulamus primo de Differ. Febr. ubi de Ephemera ex bubone, adſtruit expreſſiſſimis verbis, ſolas ephemeras ex bubonibus fieri, quæ ſunt: *Quæ ex bubonibus febres fiunt, calefaciunt ſemper partes continuas. donec ad cor uſque calor febrilis propagatur. Non pervenit autem ad ipſum putrida fuligo, ſed ibi permanet, loco bubonis circumſcripta, ſola alteratione per continuum facta uſque ad cor perveniente calore, eo propè modo quo in iis qui ſolis calore deuruntur.* Ex quibus verbis compertiſſimum redditur, ex bubonibus putridas fuligines ad cor non elevari, atque ideò neque febrem putridam fieri. Accedit quod pulſus in febribus ex bubone ſunt æquales, ex Gal. L. de Dignoſcendis Pulſibus; cùm in putridis ſint ſemper inæquales. Pro ſolutione itaque contradictionis qua diſſentire videtur Hipp. à Gal. non dixerim quidem cum Capivac. & aliis, febres ex bubone vel fieri à causâ externâ, & manifeſtâ, & has eſſe ephemeras; vel à causâ occultâ, & eſſe putridas; quod videntur mutuati ex Gal. com. Aphor. citati; licèt & eo loco non dicat Gal. Bubones qui ſine causâ manifeſtâ ortum habuerunt, cauſas eſſe febrium putridarum, ſed hoc ſolùm; *Veriſimile eſt, unà cum viſcerum inflammationibus acceſſiones ſuas habere.* prout in caſu noſtro, in quo licèt bubo ſub axilla factus ſit à cauſa manifeſta, punctura ſcilicet digiti, nihilominus febrem putridam annexam habuit eamque lethalem, propter hepatis abſceſſum. Quare ſtatuendum eſt bubones factos à cauſa occulta non inferre putridas, ſed ſignificare noxam viſcerum principum; ac propterea malas eſſe ratione ſigni, non rationes cauſæ. Non enim excitant febrem putridam, quoniam putredo illa cor non ſubit per vapores putridos; ideoque ubi legitur in Aph. *ex bubone febres,* legendum, *cum bubone febres omnes malæ, præter ephemeras.* Aliæ enim omnes poſſunt eſſe cum bubone, & non ex bubone. Quod & hac ratione confirmare licet. Putridus vapor in cor exhalans, & ab eo remota parte ignobili, non inducit febres malas: Sed emunctoria ſunt partes ignobiles, & inguinum partes diſtant à corde. Ergo ex ſe non poſſunt facere febres malas, ſed ſolùm eas ſignificant, putridinis etiam fuliginibus ad illud pertingentibus, ex Hipp. 2. 6. Epidem. 10. quod, *Abſceſſus veluti glandularum ſignum quidem ſunt germina habentium cùm aliorum, tum præcipuè viſcerum; maligni autem ſunt hi.* Ubi intelligit per *germina habentium,* affectionem earum partium, cum quibus habent rectitudinem; atque ideò ſi bubones appareant retrò aures, ſignificant affectionem cerebri; ſi ſub axillis, cordis; ſi in inguinibus, hepatis. Subjungit tamen,

tum aliorum; quoniam non ſemper ſervatur hæc rectitudo, ut in caſu noſtro, in quo jecur erat affectum, & nihilominus bubo factus fuit ſub axilla ſiniſtra, ſervatâ convenientiâ, & rectitudine, neque ratione ſitûs, quia fuiſſet in parte dextra, neque ratione loci, quia erupiſſe in inguine, & non ſub axilla ſiniſtra: cujus tamen diverſitatis causâ provenit à punctura digiti valdè dolorifica. Semper enim natura affluit medio ſanguine, & ſpiritu in ſubſidium partis dolentis, propterea confluxit ad ſiniſtrum brachium, hæſitque materia in glandula, & non ad manum, & digitum decubuit, duplicem ob cauſam, vaſorum ſcilicet copiam in glandulas diffuſorum, per quæ fluit materia; ſecundò ob laxitatem prædictarum partium, cujus ratione expultrix materiam, quæ confluxit inde repellere non potuit. Et hæc de affectu propoſito dicenda habui, omiſſa ejus curatione. quòd eſſet incurabilis & lethalis. *Benedict. Sylvatic. Conſil. & Reſponſ. Medic. Cent.* 3.

Exhibitâ mihi morbi & ſymptomatum, eundem comitantium, hiſtoriâ & ſchemate quodam, meam de ipſius indole & ingenio ſcutentiam, ut petitioni tuæ morem geram, breviter ſed candidè declarabo. Et ne longiùs abeam, tumores iſtos in inguine propè pubem, & in perinæo juvenis, nec non alium puellæ ſub axilla, & aliorum etiam ejus loci, obortos, calidæ cujuſdam fluxionis ſobolem eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe duco. Hippocrates, venerandus medicorum coryphæus, inguina bubonum nomine inſignit, & glandularum eo loci phlegmones ſive inflammationes eodem nomine appellare ſolet; Tales ſunt in dictis perſonis puſtulantes, renitente tumore conſpicui, rubore perfuſi, doloris æſtu efferveſcentes, in principio febriculam quandam, ephemeræ ſeu diariæ æmulam, comitem nacti. Horum aliqui ſunt ſimplices & benigni, minimè contagioſi? Alii verò maligni, & hi vel peſtilentiales, vel venerei. Quod eos attinet, de quibus conſulor, nec venereos eſſe, nec peſtilentiæ characterem præ ſe ferre judico. De illis non eſt ut aliquid addam. De his verò, etſi in peſtilenti conſtiturione cælitus nata bubones ſemper ſint ſuſpecti, attamen credo me ſatis firmas poſſe in medium proferre rationes, nullam ineſſe tumoribus iſtis peſtilentis contagii notam. Nulla graſſatur in vicinia peſtis; nulla ejus, quod ſciam ſparſa ſunt alicubi ſemina; nullum interceſſit cum infectis rebus, vel perſonis commercium; tumores ipſi non ſunt lethales, nec gravia, qualia in peſte conſpiciuntur, adſunt ſymptomata. Quamprimùm enim de communi morborum cauſa peſtiferæ luis ſeminaria orta per pulmones aut alios quoſvis meatus in arterias & venas irrepſerint, & ſanguinem coinquinarunt, tum primùm ſtomachus nauſeat, & cibum averſatur, aſſumpta eructat, caput dolore affligitur, urgent vigiliæ & deliria, in aliis ſopores, & comatoſi affectus contingunt, animi deliquia accidunt, univerſa corporis moles laſſitudine & ſomnolentia torpet, calor intra præcordia æſtuat, longè tamen mitior, quàm in aliis febribus continuis per artus, velut in Hectica, expanditur. Nec enim tanta humorum putredine, quanta in ardente febri, Cauſone dicta, ſuccenditur. Virus quippe peſtilentiale abſque ulla putredine necare ſatis eſt. Unde accidit, ut plerumque pulſus & urina ſint in principio ſanorum ſimillima, ſed lenta illa febris vaporulentis de lue virulenta vaporibus, quavis putredine perniciofioribus, cor, vitæ fontem & domicilium, obſidet; unde pulſus arteriarum exilis & imbecillis diſpari motûs tempore diaſtolen ejus & ſyſtolen metitur. Si verò cordis robur & vires conſtiterint, expultrix & vegetior eſt, tum noxios humores vel in principio adhuc crudos & incoctos ad emunctoria protrudit, unde bubones peſtiferi & anthraces, carbonum more urentes, nigri, petechiæ quoque enaſcuntur, per quos natura vel ſe exonerat vel tanquam viribus exhauſta in criſis conflictu ſuccumbit. His & aliis ſignis pathognomonicis, quæ ſunt inſeparabiles morborum comites & accidentia, ſubſtantialiter ut *Galenus* ait, illis adhærentia, peſtis ab aliis morbis diſcernitur. Horum, cùm nulla ſe in propoſito caſu ſe manifeſtent, ægros à peſtilentis contagii ſuſpicione immunes & liberos judico. Facilè tamen fieri poreſt, ut tumores hujuſmodi in peſtilenti conſtitutione à benignitate ſua degenerent & malignam naturam induant. Ordinarii ſunt iſtiuſmodi bubones & mihi in praxi mea haud infrequenter occurrerunt. Vidi, quibus labore nimio defeſſis, longo itinere & inconſueta equitatione laſſatis, artuum dolore gravatis, pruritu, ſcabie & ulceribus obſeſſis, & aliis, tumores iſtiuſmodi eruperunt, ſubſiſtente nimirum materia copioſa, naturæ ſibi conſulentis vi ac robore ad brachia & crura expulsâ, in inguinum & alârum glandulis & adenibus, recipiendis humoribus accommodatiſſimis. Tumores verò iſti ortûs ſui primordia derivant à vitioſis ſucciś, præcipuè verò à ſanguine vitioſo, ex mala victûs ratione in corpore congeſtis, qui poſtea à natura onere ſe levante, virtute expultrice cooperante, qua data porta, nunc in corporis ambitum, nunc ad principum partium emunctoria amandantur. Nempe quod in Oligarchia contigit, ut potentiores opprimant imbecilliores, in eoſque totum onus deponant, idem in corporis œconomia contingit. Natura ſiquidem, provida rerum mater, ſemper cuſtodit & deſiderat principum membrorum ſalutem; Et hæc eſt tumorum dictorum idea, in quorum cura, cùm non ſint per modum criſeos, præcedente alio morbo, ſed ſponte ſua oborti, ſanguine cùm copiâ ſuâ, tum pravitate naturam ad expulſionem irritante, vena à principio ſecta profuiſſet; humoribus etiam accommodatis in eam rem præſidiis ſedulò expurgandis inſudandum erat. Quibus neglectis, quid mirum, ſi dolores ingraveſcunt & cura protrahatur? Quoad partem affectam, ſolet ſanguis influxus evacuari repellentibus & digerentibus. Illa non ſunt tuta; metuendum enim, ne fluxio ad partes principes retrocedat. Hæc verò ruptis jam ſpontè tumoribus vana & minimè neceſſaria. Urgente ſaltem dolore Anodynis utendum, poſt ulcus ipſum probè mundandum, carne implendum & cicatrice obducendum, quod Chirurgo præſenti relinquo. Cavendum ſaltem, ne ulcus in fiſtulam degeneret, quod facilè contingit niſi ex artis lege tractetur. Sed de his ſatis. Scabie & pruritu detentus, ſectâ cubiti venâ, purgetur Apozemate ex radicibus Oxylapathi, Fumaria, Sena, Liquiritia & Prunis Damaſcenis compoſito, adjecto ſyrupo Roſaceo ſolutivo, poſtea verò utatur ſero lactis Fumariâ medicato. *Frideric, Loſſius in Conſil. Medicin.*

Obſervationes.

Juveni cuidam 15. annorum Bubo & Apoſtema enatum erat ſub alis ſine febre. Perunxi manè & veſperi oleo noſtro ſulphuris; ac deſuper applicavi Emplaſtr. Diaſulphuris: quibus ſtatim emollitum, matura-

turatum, ruptum, mundificatum; & conſolidatum fuit intra decem dies. *Martinus Rulandus curat. 3. cent. 4.*

Quidam natus annos 9. ſupra 10. habebat inguinum permagnam inflammationem, cum dolore, propter quam ægrè movit pedes, non potuit ſtare, hunc ita curavi.

℞. Pingued. porci ℔j. abſint. contuſ. q. ſ. m. ac F. pulticula; quam applicabam manè ac veſperi per tres dies; unde tumor emollitus, ac cum dolore diminutus fuit. Poſt tres dies bubonem perrupi oleo ſulph. & deſuper impoſui empl. diaſulphur. ex quorum uſu intra quatuor dies rectiſſimè convaluit. Interea dum ambulare cœpit accepit talem potionem.

℞. Decoct. ſenæ ℥iij. Syr. è rhabarb. ℥j. m. pro hauſtu qui magnopere profuit. *Martinus Rulandus. curat. 28. cent. 8.*

De Sambuco venit in mentem quoddam remedium, quod tibi reticere non debeo, præſertim cùm ſingulari modo aliud agens, in ſcripto libro meo repetirem, & certo experimento comprobatum legerim, accipiendi ſunt fl. ſambuci, cum his contundenda eruca, atque fimus columbinus, vel piper. Si Sambucus non ſit recens, aliquid aq. ſambuci admiſcendum ac fingendum, Cataplaſma, idque Buboni applicandum, abjiciendum, poſteaquam tribus horis jacuerit, in ignem, atque ter repetendum; non ratione carere videtur remedium & autor ſanctè affirmat, magno & manifeſto ſucceſſu ſe eo uſum. *Jo. Crato Epiſtol. ad Camerar. lib. 5. conſil. & Epiſt. &c.*

Alia in eôdem argumentô videri poſſunt capite *de Tumoribus. ut & ſub titulo Lues Venerea.*

BUTIGA. *vid, Gutta Roſacea.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

JOH. JAC. MANGETI
BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ
LIBER TERTIUS
De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Litera C incipientibus.

CADAVERUM EXAMINA. *vid. ſub titulo* RENUNCIATIO.

CADAVERUM CONDITURA, *ſeu*

BALSAMATIO.

B*Alſamatio* Græcè σμυρνισμὸς, ſumitur in ſpecie pro conditura Cadaverum; de qua cùm elegantem admodùm Tractatum conſcripſerit Clariſſ. Clauderus, non ægrè feret Lector, ſi illum integrum pro iſtius materiæ explicatione jam adferamus; ſuperadjectis etiam aliis quibuſdam non minùs curioſis, tum è Clariſſ. Blancardo, Rev. Celeberrimo Rhuyſchio, tum ex aliis. Veniat itaque primò.

Gabrielis Clauderi D. M. Methodus Balſamandi Corpora Humana, aliaque Majora, ſine eviſceratione & Sectione hucuſque ſolita &c.

Occaſio Scribendi.

Cum amico diverſos aliquando miſcebam diſcurſus, ac inter alia negotii Balſamatorii incidebat mentio; ubi in memoriam mihi revocabam quæ anno 1660. *Roterodami* apud *Dn. Ludov. de Bils* cadavera mumiſata videram; item, quæ Nobiliſſimus Dn. D. *Bohnius*, Anatomicus Lipſienſis ſtrenuus, ac Philoſophus per ignem indefeſſus retulerat, quòd ſcilicèt in Anglia & Bataviâ plures viderit ac audiverit huic operi penitiùs dilucidando acriter invigilare; quæ item poſt meum abhinc abitum in inſectis, viſceribuſque exemtis condiendis præſtiterint *Hornius*, *Ruyſchius*, *Swammerdamius*, aliique; quæ non minùs alibi à nonnullis fuerint curioſè tentata; Memoriæ quoque ſuccurrebat Hiſtoria *Tulliæ Romanæ* infrà deſcribendæ, quæ poſt 1500. Annos fuit inventa à corruptione libera liquori cuidam innatans.

Alium quoque Medicum in Saxoniâ inferiori fœtum ſemeſtrem à putredine ſervare liberum, liquori cuidam innatantem; Inſuper referebat mihi hic Amicus, Amicum ſibi monſtraſſe cucurbitam magnam, (vitri deſtillatorii capacis ſpeciem illam intelligo) continentem varia inſecta, minoreſque beſtiolas, v. g. viperas bufones, lacertas, ranas, aves, ſciurum, canem item minorem è delicatô illô Bononienſium genere, &c. liquori cuidam albo innatantia, figuramque externam ferè eandem præ ſe ferentia, qualem ſolent viventia; eademque hôc in liquore pluribus annis à putredine & corruptione eſſe futura libera.

Rarâ hâc jucundâque modô relatorum elegantiâ commotus obliviſcebar quodammodò laboris mei nuper inchoati, Deô quaſi nolente, ceu exitus docebat; & poſtquàm attentâ mente volutaveram, per fundamenta chymiatrica, rationeſque phyſicas examinaveram, num curioſiſſima iſta tractatio, partim in majoribus præmiſſa eviſceratione, vel corporis in liquore continuâ reſervatione, partim in inſectis & minoribus integris atque non diſſectis tentata, ſeſe quoque extendi patiatur ad cadavera majorum tam brutorum, quàm ipſorum præcipuè Hominum; ut ita hæc ſine concurrente exenteratione ab inſtante aut propinquâ aliàs Putredine, longioribus annis, & quidem liquoribus condientibus exemta, ſpeciebuſque talibus remotis, conſervari valeant; inſimulque corpora mortua Magnatum ſimilibus condituris deſtinatâ ſine ſolita hactenus, eaque tædioſa apertione, partium laceratione, viſcerumque diſperſione tractari poſſint.

Siquidem plus vice ſimplici, ut verum fatear, non mediocriter mirabar ac miſerebar, quòd jam dicti Proceres Orbis (utpote quorum in gratiam noſtrâ ætate

ætate præprimis cadaverum conditturæ inſtituuntur,) Suis beatè defunctis plerumque dum vivebant, molliuſculè ac delicatè tractatis, poſt innumeras varietatumque mundanarum calamitates ac turbas, miſerabileſque morboſos cruciatus, mediante morte placidam ad requiem avitaque dormitoria translatis, ultimum vel inter ultimos præcipuum quærant honorem in miſella corporis diſſectione, viſcerumque crudelitatem aliqualem tantum-non præ ſe ferentibus extractionibus atque diſtractionibus.

Hinc etiam Papa *Bonifacius* VIII deteſtandæ feritatis abuſum, morem horribilem, abuſûs ſævitiam, mentes fidelium horrore commoventem, & auditum perturbantem, improbandæ conſuetudinis vitium, impiæ pietatis affectum nuncupat, truculenter exenterare mortuos; Additque, id Divinæ Majeſtatis conſpectui abominabile, Humanæ conſiderationis obtutibus vehementiùs abhorrendum eſſe; citante hæc *And. Gryphio*, Tract. de Mumiis de Wratislavienſibus, pag 82. 83.

Neutiquam tamen modò propoſita intellecta velim, quaſi improbatem laudabilem illam nonnullarum Regionum conſuetudinem, dum Familiæ præcipuæ & divites, pro cauſa morbifica, & morbis ac curatiùs inquirenda, demortuos ſuos ſubmittunt cultro anatomico, ſummâ tamen modeſtiâ officium ſuum facienti, ut ſic cultûs debiti devotionem, turbatoſque animi condolentis ſenſus per hunc obitum ac triſte divortium excitatos eò clariùs teſtarentur; ac perciperent, quænam fuerit gemina ac primaria cauſa, quòd defunctus conſortio eorum tam amicabili fuerit ereptus.

Per placidam enim illam corporis apertionem tantùm abeſt, ut viſcera parteſque contentæ lacerentur, hinc inde diſpergantur, ac ſeparatim ſepeliantur, ceu, ut plurimùm fieri ſolet in cadaveribus conditturæ deſtinatis, ut potiùs decente in mortuos reverentia ac molliuſculè tractentur, honeſtè omnia juxta ſitum naturalem reponantur, corpus denuò conſuatur; atque ita legitimè compoſitum Matri noſtræ communi, Terræ, integrum reſtituatur.

Dum itaque tales Hæredes per honorificam hanc culturam, corporiſque inſpectionem immediatè ſatisfaciunt ceremoniis ſepulchralibus, vel ad funerationem pertinentibus, mediatè ſimul perficiunt opus non tam bonum, quàm optimum, quia per honeſtam hanc anatomiam ſtatûs morboſi indagationem, perceptamque inde cognitionem adverſæ ac dubiæ aliorum ægrotantium valetudini incomparabile emergit levamen, ac aurò contra carum ſolatium; optandumque eſſet, quò pluribus in Regionibus ſimilis mortuorum tractatio, ac libertas ſcrutandi pro difficultatibus cauſarum morbificarum magis magiſque indagandis (utpotè à quarum notitiâ vera morbi ſanatio potiſſimùm dependet,) Medicis pro Proximi ſalute curioſis ac laborioſis concederetur.

Objectiones quædam ventilantur ac ſopiuntur.

Ut autem ad Methodum condiendi redeam, dictis hiſce meis meditationibus ſcrupulum ſtatim movebat hoc; quòd (poſitò quidem, menſtrua talia balſamica, ac ſpecies medicamentoſas alexiterias, ratione qualitatis ſuæ innatæ ac penetrantis efficaciæ eſſe ſufficientes, ne cruditates mucoſæ in Viſceribus coctionis, præcipuè in Stomachô, Inteſtinis ac Meſenteriô latentes, ut & Sanguis ipſe cum Viſceribus reliquiſque partibus in putridam corruptionem fermentent;) procul dubiò neceſſaria pretioſa nimis ac diuturna, difficiliſque elaboratio, vix ſit permiſſura, quin illud tam citò, ac in copia obtineri, atque ita ad corpora majora perfectiùs balſamanda commodè adhiberi poſſit; corpori enim mortuo, utpote ad putredinem proclivi, matura requiritur unctura balſamica, 24. horas non facilè excedens.

Propterea in cogitationibus meis ulteriùs progrediebar, ventilans, annon è Principiis Phyſico-chymicis poſſet extorqueri analogum quoddam quod pretioſitate, elaborationiſque difficultate ac diuturnitate Proceſſibus aliis (quorum hæc procul dubiò ſunt pediſſequæ,) cederet.

Poſt diverſa experimenta fruſtraneò eventu inſtituta, multóque labore, fœtore, ac impenſis redemta, tandem mihi licuit pertingere ad hancce methodum inferiùs capite ſextô deſcribendam.

Non minùs mecum controvertebam mihique opponebam, quòd ab Adoleſcentiâ vitam meam deſtinaverim, & adhuc deſtinem Arti ſervandorum ſanandorumque hominum, ut proinde jam demum nulla mihi res debeat eſſe cum exoſâ morte, atque demortuorum corporibus; Cùm ita malè elocem Talentum meum, & actiones huc uſque proximi ſolatio inſtitutas ſufflaminem, atque non parvam facerem injuriam *Hygiea* ſacris reverenter habendis, quibus tamdiu litaveram; Veſpillonibus ac Libitinariis me aſſocians.

Accedit, quod à propoſitô me deterrere debuerit, Auguſtum Romanorum Imperatorem, *Maximilianum primum* Teſtamento caviſſe, ut corpus ſuum ſine ulla exenteratione à ſuis terræ ſtatim mandaretur, huic locô aromatum calx viva applicaretur, ut corpus putredini natum, per corroſivam calcis vivæ vim eò citiùs quoque in terram ſuam reduceretur. Talem condituram ſuo quoque corpori denegavit *Chriſtianus* IV. Auguſtus Daniæ Rex, teſtante magnô *Thomâ Bartholino*, Reſponſione de Experimentis Bilſianis p. 27. Præcipuè cùm huic opinioni aut mandato Cæſareo ac Regio pondus addant ac conſentiant ipſæ *Sacræ Literæ*, de Homine pronunciantes, quòd ſit Terra, ac in Terram revertatur, Geneſ. 3. v. 19. Noſque cum *Jobo* exclamare cogamur è cap. 17. v. 14. Putredinem voco meum Patrem, & vermes meam Matrem & meam Sororem. Ut propterea Labor hic meus audaculam redoleat temeritatem, ac *Scripturæ Sacræ* quaſi contradicere videatur; dum macreſcere ac iterum putreſcere ſingula Humani Generis individua jubeat horrenda Divinæ pœnæ ſeveritas.

Verùm enim verò à nemine mihi methodum condiendi cadavera humana, præprimis tam honeſtam ac modeſtam deſcribenti injurioſum infamiæ ſtigma inuri meritò poſſe, evincent, ſpero, *rationes Theologico-Medico-Politicæ ſequentes:*

Theologicas quod concernit, cùm I. Conſcientia propria cuilibet quotidiè aurem vellicet, ut diſcat mori, ac unuſquiſque quotidie moriatur, antequam moritur, ut ſic non moriatur, quando moritur; Vitaque Humana juxta *Senecam* nihil aliud ſit, quàm iter ad mortem, non video, quomodo tractatio mumiſationis, ac ſimilium i ob tum noſtrum omnibus communem vel antecedentium, vel conſequentium haberi vel eſſe poſſit inhumana, aut Medico Chriſtiano indigna.

Deinde II. Balſamicæ operam navantes condituræ, nobis tanquam in aliquô ſpeculô ob oculos ponimus præludium ac argumentum Reſurrectionis corporum noſtrorum; imò Symbolum futuræ integritatis, ac teſtimonium Fidei noſtræ de ſperatâ ac ſperandâ olim incorruptibilitate, perennanteque

Noſtri

Noſtra Æternitate, qualem nobis Amicis ſuis fraterrimis *Salvator* in ſacris Paginis abunde promittit. Ut è centum teſtimoniis unicum ſaltem adducam, nimirum ponderoſa religioſi *Jobi* verba, extantia cap. 19. v. 25. 26. *Scio, quòd meus Redemptor vivat, & in noviſſimô die de Terra ſum reſurrecturus; Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carnea mea videbo Deum; Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.*

Si igitur ſanctiſſimus *Jobus* ſolatium ſibi reſurrectionis promittit in corporis ſui putridi ulceroſâ carne, & cute ſcabioſa, cur non ſimilem quoque renovationis Typum Nobis ſiſtemus in corpore Anima ſua, utpote illius conſervatrice, ad tempus quidem privatô, tamen per balſamationem tam longis annis durabili redditô?

III. Proinde nequaquam quoque dedecet Medicum de Mumiſatione eſſe ſollicitum, & curioſum, cùm tractet corpus Humanum, nobiliſſimum illud Animæ immortalis domicilium, quippe quod ſolum futura reſurrectione dignaturus eſt Deus O. M.

IV. Dictum huncce, Reſurrectionis ſcilicet, finem è lumine Naturæ ſubolfacientes Ethnici quidam ſapientes ac devoti, dum de *Campis Elyſiis*, de immortalitate Animæ, & ſimilibus plura meditabantur ac loquebantur, impium ac improbum in mortuos ſuos facinus judicavere, ſi permitteretur, ut horum Cadavera aut igne comburerentur, aut putredini, vermibuſque traderentur; propterea ſummô ſtudiô invigilaverunt Balſamationibus.

V. Piam hancce Ethnicorum, & præprimis Ægyptiorum ſapientiam Judæi didicerunt, & acceperunt à Majoribus ſuis, teſte quà Veteri, quà Novô Teſtamentô, v. g. Dum *Joſephus*, *Ægyti* Pro-Rex, juſſit condire Parentem ſuum, *In obum* Patriarcham, Geneſ. cap. 50. v. 1. Et *Joſephus Arimathienſis*, atque *Nicodemus*; Anteceſſorum veſtigia ſequentes, ipſum *Chriſti* Soſandri corpus Balſamatione honoratûnt; (licèt pia ac honeſta ſimplicitas heic ſaltem laudanda, cùm hôc labore ſuperſedere potuiſſent in hôc Corpore mortem tertiô die Majeſtaticè ſuperante.) Adhæc Chriſtus ipſe, mortis candidatus, teſtatur, ſibi non diſplicere conditurам corporis ſui, dum Diſcipulos Fœminæ aquam nardinam pretioſam capiti affundenti indignantes ſeveris verbis increpat, juxta ſanctiſſimorum Evangeliſtarum teſtimonium dicens: *Quid moleſti eſtis mulieri? Hac enim unguenti effuſione me ad ſepulturam præparavit.*

VI. Adhæc laudabilis illa conſuetudo, ac in Mortuos cultus, honeſtus neutiquam contradicit *Sacræ Scripturæ* Dicto, Geneſ. 3. v. 19. quaſi prædicta illa ob peccatum Adamiticum univerſalis in Terram converſio, aut reductio infringeretur per dictas corporum Balſamationes; cum hæ multos annos inhibeant putredinem ſubitò aliàs irruentem; nequaquam verò planè & in æternum eandem præſervare aut tollere ſeu valeant, ſeu etiam conentur.

VII. Cùm etiam Deus O. M. permittat, ut variæ Creaturæ, v. g. Homines, bruta, vegetabilia, &c. petreſcant vi ſaltem aliquâ lapidificâ, ſine ope, operaque Humanâ, utpote qua petrificatione, quamdiu mundus duraturus eſt, tales à putredine & corruptione quaſi ſunt immunes, ſequitur, eidem quoque non ingratam fore corporum conditurам.

II. Cauſas *Medicas* quod attinet, Hæ non minùs illud, quòd cauſæ jam adductæ *Theologicæ* de Conditurâ exercendâ probarunt, monent, nimirum (1.) ut ſic differatur fœtor cadaveroſus, ac putredo corruptibilis, imò potiùs per aromatica odorifera gratam obtineat ſuaveolentiam domicilium illud pretioſiſſimæ, ac miraculoſæ ſtructuræ, in quô Anima tamdiu habitavit, vel potiùs dictæ domûs pars fuit pluſquam dimidia, atque eſſentialis; Cùm ob hæreditarium τὸ θεῖον vel *Divinæ Auræ particulam* Nobis mortalibus immortalitatis deſiderium ſit innatum, ac traducatur. (2.) Improviſo ac ſubitò aliquando accidit, ut mortuó Rege, Principe, Magnatibus, aut aliis longinquiùs in Patriam ſuam tranſportandis, à Medicô petatur, quò in conditurâ parandâ ſuam conferat operam ac conſilium. Ne igitur imperitiæ argui poſſit Medicus, aut Medicina ipſa, (quam alias, licèt malè, imperfectam, conjecturalem, ac mancam ſuſpicantur nonnulli,) opprobriô afficiatur, cognitam habeat, neceſſe eſt, condiendi methodum; Et ſi ipſe operi manum non admoveret, quomodo Chirurgi hoc tractent, quibuſque mediis ac enchiriſibus utendum ad minimum edoceat. Operationem enim hancce balſamatoriam non ſolùm indoctis Balneatoribus aut inexpertis Barbitonſoribus ob arduam ſuam difficultatem concredendam eſſe, fatebitur ille, qui alienis periculis cautus factus eſt.

Audiamus adcuratè hac de re diſſerentem *Petrum à Caſtrô* in Bibliotheca eruditi Medici, p. m. 55. 56. *Balſamationis notitia accurata maximè convenit Medico, ei præſertim, qui apud Principes & Magnates fecerit Medicinam, Nam præcipit Joſephus ſervis ſuis Medicis, ut aromatibus condirent Patrem ſuum, Geneſ. 50. Hoc nobile teſtimonium impellere poteſt etiam doctiſſimos Viros, hàc de Materia ſcribere, Sebizium, Veslingium, & alios, quos conſule.*

III. *Politica* tandem ſuccedit cauſa, Cedrô digna, nimirum ſuperſtitum vivorum in Cognatos Morte ereptos reverentia.

Quemadmodum enim pictoriæ artis ope nobis reſervamus, ac imprimimus memorię memoriam amicorum morte ad plures miſſorum, ac ab oblivionis carie vindicamus, horum figuras externas ſaltem æmulando atque repræſentando; ita quoque majorem honoris cultum iiſdem exhibemus, dum de ipſis illorum, quos in vivis honorificô cultu ac amore mactavimus, & magnifecimus, corporibus mortuis non minùs optimè mereri ſtudeamus, à corruptione putrida per tempus liberando; genuinô teſtimoniô, favorem viventibus exhibitum poſt mortem non eſſe mortuum, ſed erga mortuos-abſentes, veluti vivos-præſentes eſſe vegetum ac durabilem.

Traditur quid ſit Balſamatio.

Quamvis unicus meus ſit ſcopus, Phyſicô-Medicè ſaltem proponere Methodum præparandi cadavera Humana, aliáque (ſi cuidam curioſo fortè liberet) majora ſine illa hactenus ſolitâ exenteratione aut ſectione: Minimè autem animum induxerim ampliùs ambagibus excurrere, atque ab aliis dicta exſcribere & repetere de conditturæ, conditorumque ſtatu ac conditione, cùm hæc à diverſis Autoribus, quà antiquis, quà recentioribus, jamdum ſint deſcripta, ac Orbi literato communicata. Nihilominus non poſſum non quędam, ea tamen brevia, de hâc præmittere, Mediciſque meditationibus miſcere, quò clariora magiſque dilucidata Curioſorum oculis & auribus obviam eant Medico-phyſicè propoſita.

Denominationem itaque quod concernit, quamvis in Tractatu variis nominibus promiſcuè ſim uſurus; placuit tamen in Titulô ponere vocem *Balſamationis*, nullus dubitans, quin Manes Ciceroniani ideò mihi non ſint indignaturi; (Barbariem enim aliqualem hæc vox olet,) dum heic non tàm Philologicè, quam Medicè ſit loquendum; vox autem hæc à *Bal-*

ſama-

ſamare, hoc à *Balſamô* ortum ducat, quod eſſentiam rei noſtræ penitùs declarat; ſpecies enim medicamentoſæ corpora à putredine præſervantes virtute balſamicâ peculiari ſunt dotatæ.

Adhæc vocabulum balſamare non modò in vernaculâ Germanorum Linguâ; ſed Latinitate quoque non paucis receptum eſt; inſuperque Terminis Artis Noſtræ, vel technicis, quos vocant, quodammodò eſt adſcribendum. Ab aliis dicitur *conditura*; *à* condire, vel *mumiſatio*, *à* mumiſare, quod *Mumia* Veterum, propter analogiam; vel *Unctura feralis*, vel *Medicatio cadaverum aromatica*; Antiquiorum nonnulli vocitabant *Pollincturam*, illumque qui opus perficiebat Pollinctorem à verbô pollingere vel pollincire, quod eſt poliendo ungere; vel pellem ungere; de ſpecialiori tamen hujus vocis ſignificatione controvertentes conſulantur Philologi. Corpora ab Ægyptiis, Perſis, Arabibuſque olim condita communi voce audiunt Mumiæ, quæ Arabicæ Linguæ natales debet. *Ioh. de Mey.* Phyſiolog. Sacrâ, Loc. 30. Super Geneſin. p. m. 83. eadem vocari *Carnomomia refert.*

Definitionem pono talem. *Balſamatio, vel conditura eſt operatio artificioſa, qua corpus Humanum à perito Medico per balſamicas rerum medicamentoſarum qualitates, vel cum, vel ſine exenteratione & diſſectione ita præparatur, ut plures annos integrum duret, & à putredine aut corruptione liberum conſervari poſſit.*

Dicitur heic (1.) *Operatio artificioſa.* Appellationem hancce non eſſe injuſtam vel ſupervacaneam, fatebuntur ſinguli, qui ejuſdem admiſtrationi manum tam peritam & ſedulam expoſcenti interfuerunt. Quantâ verò dexteritate, quantis cautelis quantâ item experientiâ hæc ſit tractanda, adhuc clariùs pateſcit ex effectu contrario, dum ſcilicet Medicus aut Chirurgus enchiriſium conſuetarum neceſſariarum ignarus, vel alius quidam methodô nec ſufficienter uſu probatâ, licet curiosè & laboriosè ſatis, eandem aggreditur.

Dicitur (2.) *qua Corpus Humanum* &c. Denominatione ſumtâ à potiori, cùm circa hoc primariò & præcipuè Medicus verſetur, hujuſque gratiâ ut plurimùm ſimiles medicationes balſamicas inſtituat. Quamvis quidem ita planè excludi non debeant corpora Brutorum. Quemadmodum enim Philiatri, Medicique juniores ſæpiſſimè cultrum exercent in aperiendis & diſſecandis aliis præter Hominem Animalibus, ut per laborioſas haſce inquiſitiones ſæpè repetitas Humanæ valetudini eò meliùs conſulant: ita quoque condiendi actio ſimiliter in Brutis poterit aliquando tentari, tam pro comparandô agiliore in perficiendis condituris habitu, quàm pro depingendo, laudabilis devotionis gratiâ, deſideratiſſimæ Reſurrectionis myſteriô; & hoc quidem ob cadaverum Humanorum, præprimis in noſtris Regionibus, obtinendorum raritatem ac difficultatem: Siquidem & ipſe ego peculiarem hunc meum mumiſandi modum in ſimilibus ſaltem, iis tamen variis ob dictum cadaverum humanorum defectum vel raritatem, aggredi fui coactus.

(3.) Dicitur, à *Medico perito.* Ex diverſis quidem conſtat Hiſtoricis, Veteres Græcos, Romanos, imò Ægyptios aliquando cadaverum unctiones perfici curaſſe partim per mulieres; partim per viros plebeios, aut miniſtros. Hoc tamen potiſſimùm intelligendum eſſe de unctionibus vilioribus & ſuperficiariis, res ipſa loquitur. Cùm illis temporibus, præcipuè apud Ægyptios, Mortui tantùm non omnes ungebantur, vel ad minimum quodammodò balſamicè præparabantur. Accedit, quòd ex iiſdem pateſcat Scriptoribus, multos, & imprimis Magnates, atque eos, qui pretioſas, genuinaſque aromaticas Balſamationes deſiderabant, Medicorum conditura ſua cadavera crediſiſſe.

Quicquid a. horum ſit, illud neutiquam Nos, Noſtramque ferit ætatem, cùm opus de Magiſtri ſui dexteritate ac qualitatibus teſtari debeat, juxta verba *Syracidis* c. 9. v. 21. & tales conditura, quales in Magnatum ſaltem corporibus hodiè fieri videmus omninò requirant. Mentem in re Medicâ benè exercitatam, dextramque adcuratè anatomiſantem; niſi ejuſmodi operatores ob effectum promiſſis non reſpondentem, ſubſannationum ac opprobriorum ſtigmata ſibi ipſis inurere velint.

Neque attendenda eſt iſta objectio, quaſi operatio balſamatoria contrarietur honori ac autoritati Medicorum, quippe quos deceat, ſolatium vivis in adverſâ valetudine adferre; neutiquam verò circa mortuos verſari; ideòque etiam Medicina pompoſô ac magnificô titulô, quod nimirum ſit *Ars ſervandorum Hominum*, inſigniretur. Cùm enim Noſtrô ſeculô Pollincturæ ſaltim deſtinentur *Dii terreſtres*, hoc eſt, Imperatores, Reges, Duces, aliique Orbis proceres, quos viventes ſubmiſsè coluimus & honoravimus, non immeritò ſolemni dexteritate ac genuinâ ſedulitate opus erit tentandum. Et cùm dictæ conditura, ratione materiæ non poſſint abſolvi, niſi mediantibus rebus medicamentoſis iiſdem, nimirum balſamicis, ac putredinem cohibentibus, quas viventibus, diverſas tamen ob cauſas adhibere ſolemus, non video, quiſnam alius huic rei curandæ aptus ſit, ac peritus Medicus; Quemadmodum nemo elegans poculum vel annulum ex auro poterit conficere, niſi aurifaber; nemo diverſorum colorum materias in concinnam cogere effigiem mediante penicillô, niſi pictor; nemo è truncô effingere ac ſculpere artificioſam ſtatuam, quam ſculptor; & ſic porrò.

(4.) Dicitur, *per balſamicas rerum medicamentoſarum qualitates.* Dum enim nobiliſſimus ille Hoſpes, Anima, domicilium ſuum, corpus deſerit, calor nativus & Spiritus vitales, ſubitò operari ceſſant; hinc ſequitur totius corruptio ac putredo poſt pauciſſimos dies fœtore manifeſtô ſeſe oſtendens, quod & ruſticorum puſionibus & infimæ Plebi eſt notiſſimum.

Ut itaque putredo adducta præcaveatur, longiſque annis differatur, Divina Sapientia inter alias innumeras miraculoſas operationes docuit curioſos naturalium indagatores, quomodo iſta mediantibus Medicamentis Balſamica virtute ac Sulphureo volatili penetrabilitate pollentibus ſit arcenda. Quænam autem ſint iſta, caput ſextum te erudiet.

(5.) Dicitur, *vel cum, vel ſine exenteratione & diſſectione.* Tam Veterum ſeculis, quàm hôc noſtrô, dum mumiſabantur, & adhuc mumiſantur corpora, ſicut plurimùm fieri ſolebat, & adhuc ſolet, præmiſſa exenteratione & diſſectione; exemtis è ſupremô, mediô & infimô ventre contentis ac viſceribus, imò ſanguine è vaſis expreſsô; Partibus durioribus, magiſque ſolidis, utpote aptioribus, huic operi poſtea ſolùm deſtinatis. Tentârunt quidem nonnulli ſucceſſivè eandem abſolvere quoque ſine modò notatâ exenteratione & diſſectione. Verùm taliſmodi Antiquorum tentamen ſuperficiaria ſaltem conditura, & potiùs paucis diebus putredini ſolùm reſiſtens vocitanda erit Unctio. Inter modernos verò in tali conditurâ, quod cadavera majora, aliquid memoriâ & laude digni præſtitiſſe nonnullos; orbi literato incognitum eſt; quantum mihi quidem conſtat, quàm laboriosè etiam inquiſiverim; Dn. Lud. de Bils, Belgæ, operationes fortè huc quodammodò trahere velis. Sed de hiſce, & quæ tenuitatis meæ ſint tentamina & ſpecimina itidem conſulantur capita ſequentia.

Tan-

Tandem auditur in Definitione (*Cauſa finalis*, & (6.) dicitur, *Ut corpus plures annos integrum & à corruptione liberum conſervetur.* Mon modò eruditis, per rationes phyſicas, ſed & illis, qui per ſolam experientiam veritatem metiuntur, id eſt, Plebi innotuit certiſſimè, Mortis pediſſequam individuam, & quaſi inſeparabilem eſſe putredinem aut corruptionem. Ut igitur Reſurrectionis futuræ Symbolum ac Typum ante oculos nobis ponamus, inſimulque teſtemur, quantô cordoliô illi nobis ſint erepti, quantùmque deſideraviſſemus ulteriorem eorundem in Mundô, præſentiam, excogitata eſt conditura, quæ cadavera proximam aliàs vermium eſcam, per tempus à putredine vindicat.

Ortus & progreſſus Balſamationis in genere monſtratur.

Quemadmodum *felix illa eſt civitas, quæ Pacis tempore cogitat de Bello*, juxta axioma Politicum, hoc eſt, quæ ſplendente Pacis aureæ Sole meditatur ſuam defenſionem contra ferreos novercantis Fati inclementiâ impoſterum fòrſitan ingruentes Belli turbines. Ac veluti, juxta *Auguſtini* verba, *latet Homines una dies, ut metuantur omnes*, id eſt, cùm nemini certô conſtet, quando ſit compariturus dies ille noviſſimus, judicio extremo generali deſtinatus, vel in ſpecies dies ille, hujus vel illius Hominis Vitæ ultimus ac emortualis; ita optimè ſuæ æternitati, vel Vitæ poſt mortem naturalem poſtea in æternum ſine morte ulteriori duraturæ conſulit ille, qui ſingulis diebus, vel ſingulis horis potiùs eandem ſibi ultimam imaginatur, & proinde de obitu beatô, Animæque curâ magis eſt ſollicitus, quàm ut Mundanis vanitatibus, in ſpecie quoque magnificæ ac pompoſæ ſepulturæ; & quæ his analoga, cogitationes applicat; Ut proinde ſecurior, magiſque neceſſaria ſit ſollicitudo, benè ac beatè mori, quàm bene atque ſplendidè ſepeliri.

Quamvis autem ambabus manibus concedam, & ipſe quoque ſtatuam, ſapientum, imô potiſſimùm Chriſtianorum omnium omninò eſſe, ut quæratur primò Regnum Cœlorum, fideliſſimô Chriſti mandatô; nihilominùs tamen quilibet, poſtquam propriè Animæ fuit curator, jure meritò abhorret deteſtandam & beſtialem corporis ſui Anima, utpote Hoſpite tam gratiſſimô, tam nobiliſſimô, privati tractationem, quam *ſepulturam aſininam*, id eſt, nullam nominat Scriptura Sacra, *Jeremiæ* cap. 22. v. 19. ac magis optat, ut molliuſcule tractentur ſua oſſa ad requiem toties-toties deſideratam tandem perducta. Deteſtabilis enim eſſet incuria, mentiſque laxitas, ſi corpus ſanguinea ipſius Chriſti Purpura tam carè redemtum ſine honorificô cultu Terræ redderetur.

Hinc norunt quoque iſti, qui moribundis adſtitere, quod partes illas, è quibus eſſentialiter conſtamus, Animam nimirum & corpus, Majeſtaticus Creator tam amicâ copulâ univerit, ut non modò Ethnici;ſed & ipſi Chriſtiani, licèt hi ob ſpem vitæ melioris ſucceſſuræ, ac generosô mortis contemtu beatam analyſin diu expetierint & expectârent, (concurrente præprimis decubitu diuturnô, dolorosô, morbosô;) ſæpeſæpiùs tamen ægrè ferant, & moleſtum ſentiant inſtans dictarum partium divortium, cùm ſuperanda eſt mors, horribilium illud horribiliſſimum.

Verùm, quid dico de miſellis Hominibus, cùm Mors horribilitate ſuâ horrorem incuſſerit ipſi Theanthropo Chriſto, ut perficiens opus à conditô Mundô omnium maximum, opus nimirum Humanæ Reſurrectionis, in hæc erumperet verba apud S. *Matthæum*, cap. 26. v. 39. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*; Cordis anxietate Sanguineum ipſi extorquente ſudorem.

Huc quadrant egregia verba *Heinrici Salmulth*, Commentar. in *Guid. Pancirolli* res memorabiles, Parte priore, Titulo 62. p. 326. inquientis: *Conſentaneum veritati & obſervantiæ, imò indubitatum eſt Sapientibus, quædam Nobis cognata eſſe ſemina immortalitatis; cujus adeò appetentes ſumus, ut etiam ſepulturæ proſpiciamus, & nolimus cadaver noſtrum malè haberi. Humanum ingenium, quod Animæ noſtræ vis eſt, cùm ſe ſciat immortale, optat etiam, ut corpus ipſum, domicilium ſuum, quoad fieri poteſt, eadem fruatur felicitate*, &c.

Hinc ſine ingenti admiratione & animi perturbatione legi neutiquam poſſunt, quæ prolixè pluribus ab Hiſtoricis produntur, quàm magnificis, quàm honeſtis, quàm variis, quàm miris, imò quàm ſtupendis modis cadaverum, quibus Anima valedixerat, curam geſſerint relicti Cognati, Amici, Subditi; adeò quidem, ut non minùs illæ Gentes, quarum Animos tamen Barbaries & Atheiſmus obſederat, & quæ Carnis Reſurrectionem pro figmentô & ludibriô habent, non intermiſerint hunc vel illum honorem ingenuâ ac devotâ mente ſuis defunctis exhibere. Quamvis nonnulli talium mortuos honorandi modorum (ceu inferiùs pateſcet,) in Chriſtianæ ac ſanioris ſapientiæ Cultorum auribus jure meritò dutiuſculè ſonent.

Prolixis Exemplorum ambagibus hîc exſpatiari non mei eſt propoſiti; ſed curioſum avidumque Lectorem potiùs remitto ad Autores latè dilucideque hæc proponentes, *Herodotum*, *Diodorum Siculum*, & alios Antiquitatum Scriptores.

In ſpecie verò eundem ablegatum volo ad *Eraſmum Franciſci*, qui more ſuô, id eſt: adcuratâ dexteritate plurima lectu digna collegit, & propalat in ſpeculô ſuô artium & morum exterorum Populorum, lib. 6. de ſepulturis & honoribus ſepulchralibus, p. 480. ſequ. Non poſſum tamen non, quin ex hiſce quædam paucis verbis tangam; & quidem non adeò ſpeciales proferam modos, quômodo hinc inde Reges, aliique Orbis Proceres à Populis fermè omnibus poſt obitum extraordinaria ſepultura pompa fuerint honorati; ſed potiſſimum in genere, quænam Gentium diverſarum in ſuos defunctos conſueta fuerit reverentia.

Plures ſepeliendi ritus enarrantur.

Itaque 1. Morem illum noſtratem modernum corpora ſepeliendi, eaque reddendi Terræ, utpote communi Noſtræ Matri, ac cui ortum debemus omnes, non hodiè, aut nudius tertius initium ſumſiſſe; ſed & apud diverſos veteres Populos ſcilicet Ebræos, Græcos, Romanos, ut & quoſdam Peruvianarum & Braſilianarum Provinciarum incolas, alioſque Indos uſitatum fuiſſe, adeò notum eſt, ut teſtimoniorum productio ſit ſupervacanea, licèt ſolemnitates honorificæ apud hos vel illos fuerint modò majores, modò minores.

Audiamus piè & honeſtè de ſepulturâ ſentientem optimè meritum J. M. *Dilbertum*, in Diſputat. Philolog. p. m. 9. ſic loquentem: *Quod Chriſtiani ſuorum cadavera non ceu Taxali, Brachmanni & Iberi vulturibus objiciant, aut more Hircanorum canibus* (*quos inde canes ſepulchrales nominabant*) *præbeant deglutienda; ſed honeſtè tumulent, illud in ſpem faciunt, uti è Prudentiô cognoſcimus, futuræ Reſurrectionis, quæ fiducia eſt Chriſtianorum.* Quibus ſubjungam

lectu digna verba *Ioh. Iac. Chiffletii*, Criti Hiſtorica de Linteis ſepulchralibus Chriſti, cap. 1. p. m. 1. *Supremus Mortalium honor ſemper Sepultura eſt habitus, pax & quies defunctorum, ſolatium ſuperſtitum atque munus; Quod actum eſt, & perſolutum vario planè ritu; nam ſi ordine Elementa ſpectes, ex more credita ſingulis invenies cadavera.*

Græcos, Romanos, Gallos, Germanos, & pleraſque alias Gentes olim flamma conſumſit; Colchi ad arbores in aëre cadavera ſuſpenderunt: Senibus Hyperboreis ſepulchrum fuit mare, flumina Æthiopibus. Scythis algidioribus nives. Sed antiquiſſimum ſepulturæ genus illud fuit, quòd redditum corpus eſt Terræ & ita locatum ac ſitum, ut quaſi operimento matris obduceretur, teſte Tullio. Sanè ab ipſa Natura eſt, ut mortuorum corpora Terra mandentur. Plura vide apud Autorem.

Ioh. de Mey; Phyſiolog. Sacræ Locô 30. ſuper 50. caput Geneſeos, p. m. 84. elegantia refert de Romanorum antiquorum ritu ſepeliendi, & quòd cadavera in Terram abſconderint. E *Plinio* autem Lib. 7. cap. 54. refert, Horum cremationem demùm initium ſumpſiſſe, poſtquam longinquis bellis obruti cognoverant, eadem erui; multas nihilominus Familias, v. g. Corneliam, antiquos ſervaſſe ritus.

2. Romani, Germani, ac Sinenſes veteres, Deaſtrorum cultui adhuc inhærentes, Mortuos ſuos partim comburebant; Quem mortuos in igne ſepeliendi modum apud plures alias gentes, & adhuc hodiè apud *Iaponenſes, Peruvianos, Peguvianos, Mexicanos, Calecutenſes, Tartaros, Aſiaticos, Siamenſes,* ſub *Magni Mogolis* Imperiô degentes, alioſque Indorum aliquando in honore ac uſu haberi, teſtari uberiùs cum aliis poterit laudatus *Eraſmus Franciſci*, locô ſuperius citatô, qui variâ è variis Autoribus, *Petro Bertio, Chriſtoph. à Coſtâ, Ioach. Brulio, Pet. Pinto, Rob. Harcourtio, Guilh. Piſone, VValthero Rhalegio, Laudonniero, Caſp. Barlæo, Ioh. Lerio, Martinio*, laborioſè collegit.

Jam notatæ autem combuſtioni non ſubjiciebantur ſaltem inferioris conditionis Homines, pauperes, vel hoſtes bello victi; ſed etiam divites, populique Magnates, imò Reges, & quidem non ſine ſumtuoſâ per Ligna aromatica incenſa, per gummata ſuaveolentia inſperſa, per balſama ac olea pretioſa igni infuſa magnificentiâ.

Lubet ſaltem è pluribus adjungere verba *Athan. Kircheri*, in China illuſtrata, Partis ſecundæ, cap. 3. f. m. 107. de Imperatore *Sinarum* & *Tartarorum Xanchi*, paucis ab hinc luſtris mortuô hæc referente: *Peractis exequiis, in quibus extructo ex pretioſis lignis rogo, theſauris, qui opulentiſſimi cujuſpiam Regni divitiis comparari poterant, unà cum cadavere Regio combuſtis, magnificentiæ & granditati Imperatoriæ finem impoſuerunt.*

3. Dictæ corporum combuſtioni, tanquam analogas, ſubjungimus incenſiones ſpecierum aromaticarum ac ſuffumigia Gummatum ſuaveolentium, quibus Regum ac Procerum ſepulturas honorare conſueverant aliquando *Ebræi*. Sic lib. 1. *Samuel.* cap. 31. v. 12. legere eſt *Iabitas* è *Gilead* cadavera *Sauli* & Filiorum murô detracta & ſepulturis deſtinata ſimilibus fumis pretioſis honoraſſe in gratitudinis teſſeram, quod olim illos ex *Ammonitarum* tyrannide liberaverit. Sic 2. *Chronic.* c. 16. v. 14. *Regem Aſſam ſepelierunt in hoc ſepulchro & poſuerunt ſuper lectum ſuum plenum ſuffimentis & unguentis aromaticis, arte Pharmaceutica confectis, & inſtituerunt ſuper eum combuſtionem valdè pompoſam.* Similem honorificam in Sepultura incenſionem fumorum promittit Divina Majeſtas per *Ieremiam* Regi *Zedekiæ*, Jerem. cap. 34. v. 5. quod ſecundùm conſuetudinem Patribus, Regibus prioribus exhibitam comburantur in ſepultura ejus aromaticæ ſpecies. E contra 2. *Chronic.* cap. 21. verſ. 19. de impiô Rege *Joram* narratur, quod ſubditi eundem ſolita ſuavi incenſione apud ſepulturam non honoraverint.

Sepulturæ & combuſtioni ſimpliciter quaſi inſtitutæ ſubnectimus alios nonnullos modos è pluribus ſaltem ſequentes.

(4.) Quomodo *Perſæ*, ut & *Syri*, *Arabeſque* veteres, mortuos ſuos obduxerint melle aut cerâ, atque ita conditos ſervârint Capite ſequ. quartô, Sect. 3. ſpecialiùs dilucidabitur.

(5.) Laudatus *Eraſmus Franciſci* locô citatô, fol. 1486. hæc habet: Populus quidam Regni *Guianæ* (*Tivitivæ* vocantur) circa fluvium *Orenoque* habitans, magnô cordoliô luget mortuos ſuos præcipuos & ſepelit. Dum ſuſpicatur carnem cadaveris mediante putredine ab oſſibus eſſe ſeparatam, effodiunt illud denuò, ſceleton ſuſpendunt ejus in domo, cranium decorant plurimis diverſicoloribus, brachiiſque ac cruribus annectunt laminas aureas.

(6.) Idem ibidem: Alia Natio Regni *Guianæ* (*Arvvacæ* vocantur) pulveriſat oſſa Dominorum, Dominarum, Cognatorum, &c. Pulverem hunc miſcet potui ordinario, & bibendo ita abſorbet.

(7.) Idem fol. 1488. Quidam *Braſilianorum* mortem Cognatorum inſigni luctu ac fletu dolent, deinde corpus variis coloribus pingunt, poſtea bombyce involvunt, ne à Terra, cui imponitur, ruditer tangatur.

(8.) Idem ibidem fol. 1489. Nonnulli *Braſilianorum* (quæ *Tuppin Imbæ* audiunt) defunctos immittunt foveæ, non quidem oblongæ, ſed rotundæ ac profundæ, ut ita erectus inibi ſtans locetur.

(9.) Id. ibid. f. 1490. Horum *Tuppim Imbarum* inimici jurati, *Tappuyi* dicti, horrendô modô defunctis ſuis vivum concedunt, & exhibent ſepulchrum; Cùm enim ſpes reconvaleſcentiæ apud ægrotum, quendam decollet, communi omnium conſilio illum clavâ occidunt, poſtquam eidem priùs de obitu inſtante fuerint gratulati; Siquidem & ipſe mortis candidatus ob finem Vitæ tam generoſum ſecum gaudeat, ac inter medios clavarum ictus triumphet. Evolante poſtea animâ Clericus cadaver in multas partes diſſecat, quas aniculæ nonnullæ prope ignem aſſant vociferationes lugubres & fletum non exiguum interea miſcentes. Fœminæ devorant carnes, vix relictis ſolidioribus oſſium partibus. Oſſa proximo Feſto reſervata in pulverem comminuunt ac aquæ miſta deglutiunt. Hæc autem ita peragunt non inimicitiâ, vindictâ, aut fame irritati; ſed in peculiare fidelitatis ac Amoris ſignum.

(10.) Idem fol. 1491. dum inter *Cannibales* moritur præcipuus quidam, cadaver imponitur currui, admoto igne leniore & remotiore; ut ſic ſucceſſiva aſſatione humiditas extillet omnis ſola cute & oſſibus reſiduis, quæ poſtea ſervantur, tanquam res ſacra.

(11.) Id. ibid. fol. 1502. in Regno *Tranziane* mortui lavantur, Cor & inteſtina mediantibus lignis aromaticis ſuaveolentibus comburuntur in honorem Deaſtri *Duma*. Cineres in ventrem reponuntur, ne in futurâ Reſurrectione aliquid deficiat.

(12.) Id. ibid. fol. 1509. Sæpè accidit apud *Sinenſes*, ut Liberi Parentum mortuorum cadavera tribus vel quatuor annis ſervent domi inſepulta, in τεκμήριον devoti amoris ac cultûs; cùm rimas Loculi tam arctè pice Judaicâ glutinare nôrint, ut ne minimus quidem moleſtus putredinis ſenſus, nares feriens, exhalare poſſit.

(13.) Id ibid. f. 1514. in inſulâ *Formoſâ*, referente *Georgiô Candidio*, cadaver ponitur in elevatô quôdam locô, admovetur per dies novem ignis è longinquô, uſquedum cadaver exſiccetur, neglectô interea nimiô ob atomos putridas prodeuntes fœtore. Corpus dictô novendiô exſiccatum, tribus annis ſic reſervatur; poſtea demum Terræ mandatur. Tali modo inſtitutam cadaveris exſiccationem vix poſſibilem credent Rerum Phyſicarum periti, niſi humiditas corpori forſitan extillet per modum aſſationis

aſſationis, ceu ſuperiùs de *Cannibalibus* dictum.)

(14.) Id. ibid. f.1516. *Tartari Occidentales* mortuos comburunt; illos maximô jubileô & ſaltationibus acervo adportantes; concomitantibus defuncti Cognatis & Amicis.

(15.) Id. ibidem. Alii illos ſuſpendunt ex arboribus trienniô ibidem relinquentes, uſquedum exſiccentur, tunc removentur & comburuntur.

(16.) *Adamus Olearius* Itineratio Moſcovvitico-Perſico lib. 6. cap. 20. fol. m.744. refert, *Tartaros Cyrcaſſenſes*, licet verè ſint barbari, ac in viliſſimis tuguriolis habitent, nihilominùs ſuos vitâ functos honorare ſolennitatibus exequialibus, & extructo ſuper ſepulchra domo è ligneis aſſeribus variegatè pictis.

(17.) Teſte *Cicerone*, *Hyrcani*, *Parthi*, *Caſpii* & *Bactriani* mortuos ſuos devorandos præbuerunt canibus domi ad id officium educatis, vulturibus item, aliiſque Beſtiis. Audiamus ipſa ejuſdem verba Lib. 1. Tuſculan. quæſtion. ad finem: *Magorum mos eſt, non humare ſuorum corpora, niſi à feris anteà ſint laniata. In Hircaniâ Plebs publicos alit canes, optimates domeſticos; nobile autem genus illud ſcimus eſſe, quod pro ſua quiſque Familia parat, à quibus lanietur.*

(18.) *Rhodiginus* lib. 9. b. Antiq. Lect. cap. 43. refert, *Magorum* morem fuiſſe, non humare ſuorum cadavera, niſi antea fuiſſent à feris laniata; vel, uti *Herodotus* Lib. 1. Hiſtoria 1. qui *Clio* inſcribitur, p.m.94. loquitur, quod horum cadavera non humentur niſi priùs ab alite, vel cane trahantur.

(19.) Sic *Chii* & *Romanorum* veterum quidam defunctorum comburere, oſſa in mortariô contuſa, & in pulverem tenuem per cribrum reſoluta ventorum flatibus diſpergenda exponere ſolebant.

(20.) *Scythæ*, *Maſſagetæ* & *Derbiei* ſenio confectos Parentes mactabant, coquebant, & tanquam ad convivium ſolenne congredientes devorabant.

(21.) *Eſſedones* Parentum funeribus cantilenis proſecutis, & mox cœtibus Propinquorum advocatis, veſcebantur, ipſis cadaveribus carni ovillæ miſtis.

(22.) *Plinius* lib.4.cap.12. narrat, morem fuiſſe apud *Hyperboreos* Populos, propè *montes Riphæos* degentes in aquis ſepelire funera.

(23.) Sic quidam in *Scythia* olim Parentum cadavera inter nives & glaciem truncis affixa detinebant.

(24.) *Romani* antiqui aliquando virgines, alioſque defunctos præter cæteros honores ſepulchrales pingebant quoque in facie. Unde nonnunquam eveniebat, ut Mortui pulchriores apparerent, ac fuerant, dum vivebant.

(25.) Barbarum verè *Scytharum* Reges mortuos honorandi ritum proponit *Herodotus* lib. 4. *Melpomene* dictô, p.m. 388. ſequ. *Cum Rex eorum diſceſſit, ingentem ſcrobem effodiunt formâ quadratâ. Hanc ubi præpararunt, accipiunt mortuum corpore inceratô, alvo evulſa & expurgata, quam ſilere contuſo, & thymiamate, apiique & aniſi ſemine cùm expleverunt, reſuunt rurſus, impoſitumque plauſtro cadaver ad aliam gentem ferunt. Quod qui excipiunt, eadem agunt, quæ regii Scythæ, aurem decidunt, crinem circumtondunt, brachia circumcidunt, frontem, naſumque conſauciant, ſiniſtram manum ſagittis trajiciunt.*

Poſtmodùm Regis cadaver carpento ferunt ad aliam gentem, cui imperitant, quæ ipſos comitetur ad eos, unde primùm venerunt. Ubi jam mortuum circumferentes ad ſingulas Gentes, quibus imperavit, apud eos deponunt, qui in extremis Gerrhis habitant, ubi Regum ſunt ſepulchra, & ſepeliunt, &c. Plura vide apud Autorem.

(26.) *Diogenes Cynicus*, Homo ille præpoſterus apud *Stobæum*, ſatis quidem cynicè, id eſt, inhoneſtè ac impiè, non adeò ingratam vel turpem æſtimavit locô ſepulturæ lacerationem cadaveris à canibus, vel devorationem à vulturibus factam; ſi verò nullum planè animal accederet, pulcherrimam ſibi fore ſepulturam, dixit, ſi corpus à Sole vel Pluvia, rebus ut pote pretioſiſſimis (fortaſſe in patibulô, rotâ, &c.) conſumeretur.

(27.) Hæreo ſanè, an hiſce adnumerare debeam verè barbaram, tyrannicam, ac impiam colendi denatos conſuetudinem; dum non modò apud nonnullas Veterum; ſed etiam adhuc hodie apud varias Indorum Gentes, moriente maritô ſimul enecentur, comburantur, & ſepeliantur Uxores & pellices, adeò, ut apud Reges, alioſque Magnates ſæpe earundem non invitæ quidem, ſed voluntariæ morti ſimul deſtinatarum numerus centenarium imò millenarium, &, quod excurrit, ſuperet. (Quæcunque autem Uxor aut Pellex vitæ ſuæ prolongatione hujus mortis generi præponit, communi omnium ignominiæ ac ſummæ infamiæ ſeſe exponit.)

Haſce inſequuntur apud Reges Regnorumque Proceres cœtu numeroſiore miniſtri ſecretiores aulici, Camerarii, aliique Famuli, ut mortuo eidem in alterâ vita quorſum ceſſerat, ſint à ſervitiis. Quibus Miniſtris voluntariè obeuntibus nòn rarò tamen aſſociantur, pro numerô Famulorum aulicorum augendo, multi captivorum hoſtium.

In *Japonia* jam dictæ Perſonæ conſueta ibidem trucidationis methodô (dum nimirum ventrem cultrô acutiſſimô oblongô ſibi ipſis diſſecant) aliis ſeſe enecandi occaſionem ſubitò præripiunt; ac per autochiriam generosè, ceu ethnicè & impiè credunt, frequentiſſimè intereunt.

Modò deſcripta ſpontanea (ut obiter hæc addam) moriendi genera, ſcilicet ut moriantur, antequam ægrotent, planè diſplicent *Europæis* noſtris Populis, (vel hi potiùs ſeveris Chriſtianiſmi Legibus inde prohibentur) veluti jucundum & ferè ridiculum, notabile tamen exemplum proponit ſupra laudatus *Eraſmus Franciſci*, locô citatô pag. 1484. *Luſitanus* quidam in Prælio à *Peruvianis* capitur, & cuidam è Regni præcipuis occiſo deſtinatur pro ſepulchrali ſociô ac miniſtrô. Hic *Luſitanus* per ſagittæ violentiam dicto in prælio amiſerat oculum infortunio ſibi admodùm fortunato. Percipiens enim, quod jamjam ſibi magnum pugnę periculum vix ſuperanti ſit moriendum, innatum diutiùs vivendi deſiderium, ubi ſubitaneum, ita argutum ſuggerebat ſtratagema: Proponebat enim ſuis occiſoribus, Ducem illum honori ac autoritati ſuę in altera vita remoram non exiguam eſſe injecturum, aliorumque magnatum ſeſe vilipendio expoſiturum, ſi uteretur ſervitio monoculi; proinde multò honeſtiùs & commodiùs fore, ſi ſui in vicem ſubſtitueretur alius, ambobus inſtructus oculis, Conſilio huic applaudebant ſimplices iſti Ethnici, eoque dimiſſo alterum binoculum mori ſimul jubebant, & cum aliis mactabant.

Camerarius cent. 1. Horar. ſubciſiv. p. 86. 87. rata profert ex *Ortelio* ſequentia; modò veritatis ſimplicitas per ſucceſſivam relationum varietatem non fuerit ſophiſticata. *Mirum eſt, quod Ortelius in Theatro Orbis,* Tabul. 10. *de Hybernia è Gyraldo notavit, in Artanicis Inſulis Hominum cadavera non putreſcere, ideoque non humari, ſed diu expoſita permanere incorrupta. Sic Homines, avos, atavos, tritavos longamque ſtirpis ſuæ ſeriem admiratione magna cognoſcere. Idem nos eſt quibuſdam Indis Occidentalibus in Comagra, uti Petrus Martyr refert. Reguli hujus inquit, penetrale ingreſſi Hiſpani, Cameram reperiunt penſilibus refertam cadaveribus. Interrogati quid ſibi vellet iſta ſuperſtitio? Parentum eſſe, avorum, atavorumque Comagri Reguli cadavera, inquiunt; de quibus ſervandis maximam apud eos curam eſſe, & pro religione eam pietatem haberi cenſent. Pro cujuſque gradu indumenta cadaveribus impoſita ſunt auro gemmiſque intermixta.*

Soli *Nabathæi*, quæ *Arabum* fuit Natio apud Poſteros malè audiunt ob inhoneſtam mortuorum ſuorum

tracta-

tractationem. Teſte enim *Strabone*, Lib. 16. p. 539. Hominum cadavera abjectiora ſtercoribus habebant; idcòque non modò Plebeios; ſed & Reges ipſos in ſterquiliniis ſepeliebant.

Curioſæ indagationis gratiâ ſubnectam raram Hiſtoriam, quam tradit celeberr. *Adamus Olearius*, in Itineris Moſcovv. Perſici Libro 4. cap. 1. f. m. 335. *Prope primum pagum, inquit, fluvius Ocea protrudebat cadaver Humanum nudum, quòd, quia fortè longo tempore aquæ innataverat, à Sole planè nigrum & exſiccatum conſpiciebatur. Credebatur illum à Coſacis, & mancipiis profugis ibi latitantibus fuiſſe occiſum.* Verùm, quod Pace viri clariſſimi dixero, non video, quomodo talis exſiccatio mediante Sole facta ſtatui poſſit, cùm tantùm abſit, ut aquæ humiditas radiis ſolaribus exſiccationem permiſerit, ut potiùs corruptioni totius corporis fermentatoriæ anſam dederit. Proinde aut accidit, quædam fallacia viſûs, aut alia latuit cauſa; quam ulterius indagare non eſt hujus loci.

Specialiora de Pollinctura Ægyptiorum atque Iudæorum exhibentur.

Prælibatis ac præmiſſis miris hiſce amori defunctorum teſtando modis, pergimus ad ipſam Balſamationem, cujus exercitium quidem in plurimis Mundi partibus ac regionibus fuit receptum, atque ita antiquiſſimum. Natales autem communi tantùm non ſuffragio debet *Ægyptiis*, tam juxta Scriptores antiquos, *Herodotum*, *Diod. Siculum*, *Dioſcoridem*, *Plinium*, *Strabonem*, *Platonem*, *Ciceronem*, *Pompon. Melam*, *Myiepſum*, *&c.* quàm juxta Neotericos, *Athanaſ. Kircherum*, & plures alios.

Nullam enim Gentem in Hiſtoricorum monumentis reperire ullibi licet, quæ majori labore, elegantiâ & accuratiore diligentiâ defunctorum ſuorum corpora tàm à putreſcente interitu præſervare, quàm artificioſa cura, ac ſumptuoſo ornatu ſepulchris deſtinare ſtuduerit ac fuerint *Ægyptii*. Lubet heic inſerere verba Megalandri noſtri, *Lutheri*, in Tomo Operum nono, edit. Altenburg. in Explic. Cap. 50. Geneſeos, f. m. 1553. inquientis. *Cùm Auguſtinus veniſſet in Ægyptum, oſtenderunt. Et corpus Alexandri Magni & Ptolomæi qui multis annis fuerant, in ſepulchris reconditi, quod vehementer miratus eſt, ita ſervari ea poſſe, ut extarent adhuc cutis & omnia membra. Propterea patet, pretioſis & efficacibus Ægyptum pollere aromatibus, tàm longo tempore corruptioni reſiſtentibus.*

Hoc autem illis factu, & Nobis creditu eſt eò faciliùs, quòd ii, ut in genere rei literariæ culturâ populis omnibus palmam facilè præripuerint, ideòque *Ægyptus* non immeritò veteris ſapientiæ ſacrarium ſit nominandum, ita in ſpecie rerum phyſicarum, & quæ his ſunt affines, ſtudium copioſiſſimè excoluerint; Quam quidem ſcientiam eò feliciùs faciliùſque excolere licuit, cùm dicta regio ad hanc præ aliis Terris omnibus fuerit accommodatiſſima, ob extraordinariam ſpecierum aromaticarum & medicamentoſarum ad condituras decenter perficiendas neceſſariarum feracitatem ac abundantiam.

Quod defunctorum corporibus tàm ſplendidam conditurâ, exhibuerint reverentiam, magis ardua quoque adhuc ſubeſt cauſa, nimirum, ut ita illis æternitatem quaſi aliquam, & à putredine certò aliàs imminente immunitatem conciliarent. Credebant enim Sapientes *Ægyptii*, fundamentis Philoſophiæ Stoicæ inhærentes, Animam tamdiu vivere & ſupereſſe, quamdiu corpus rebus reſiduum duraret. Sic enim *Servius*, in Schol. ad Libr. 3. Æneid. *Ægyptii periti condita diutius reſervant corpora, ſcilicet, ut Anima multò tempore perduret, & corpori ſit obnoxia, ne citò ad alind tranſiret.*

Alii putabant, Animas poſt longiſſimos annos redire in ſua corpora, metempſychoſi quadam Pythagoricâ; eas tamen intrare tunc non poſſe corpora corruptione putrefactâ, aut in cineres redacta, aut aliis modis mutilata, aut deturpata.

Nonnulli *Ægyptiorum* valdè delectabantur cadaveribus Majorum ſuorum magnô ſumtu ita conditis, idcòque multis annis domi ſervabant. Alii convivas & compotatores quaſi faciebant cadavera ſiccata, teſte *Diodoro Siculo*, *Herodoto*, *Luciano*. Hinc & *Silius Italicus canit*,

Ægyptia Tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia Saxo
Corpora & à menſis exanguem haud ſeparat umbram.

Quidam & hinc Pollincturæ Ægyptiacæ cauſam adducunt; cùm Natio hæc orbis eruditi teſtimonio, ſuperſtitioſæ Idololatriæ fuerit deditiſſima, inter alias abſurdas opiniones, ignem quoque credebant *Deaſtram* & Belluam animatam, omnia quæcunque obtinere poſſet, devorantem; tandem verò devorando expletam & ſaturatam unà cum rebus comeſtis ſeipſam conſumere & mori. Ideoque Sectæ Stoicorum ſuperiùs notatæ faventes, igni, utpote fictitiæ huic belluæ, cadavera juxta morem pluribus Populis communem, non tradebant; ſed potiùs pro ſecuriore interitûs præſervatione, & à vermium comeſtione arcenda balſamando condiebant. Qua de re conſuli poterunt *Athanaſ. Kircherus* Oedipi Ægyptiaci, Tom. 3. Syntagm. 13. cap. 2. p. m. 392. & *Chriſtophor. Arnoldus* in ſelectis additamentis ad *Abraham. Rogeri* apertam Januam ad occultum Ethniciſmum cap. 33. p. 909. aliique varii. *Ioannes Iacobus Chiffletius*, Criſi Hiſtorica de Linteis Chriſti ſepulchralibus, cap. 2. f. m. 10. refert, *Caſſianum*, Coll. 15. cap. 3. condituram Ægyptiorum non tam tribuere vanitati & ſuperſtitioni, quàm neceſſitati, propter frequentem Nili inundationem, & hinc corpora mortuorum in editioribus cellulis recondiderunt.

Conſuetudo ac Methodus condiendi cadavera ab *Ægyptiis* ad diverſas alias poſtea traducta eſt Gentes. Ut à ſanctô Dei populô exordiar, *Iudæi* illum ſecum tranſportabant in Terram Canaan. Sic enim loquuntur ſacræ Literæ, Geneſ. 50. v. 1. 2. Ioſephus, Ægypti Pro-Rex, mandabat miniſtris ſuis, Medicis, ut ungerent Patrem ſuum, Patriarcham Jacobum, & inungebant eum ſpatiô, 40 dierum. Ibid. v. 26. legere eſt ſic moriebatur Joſephus, & ejuſdem Fratres ipſum ungebant, imponebantque ciſtæ in Ægypto. Idem teſtatum eunt ſanctiſſimi Hiſtorici & Evangeliſtæ *Marcus*, cap. 16. v. 1. atque *Johannes*, cap. 19. v. 39. *De Nicodemo & Joſepho Aritmathienſi*, qui Honorem illum ab innumeris Eccleſiæ membris fruſtra deſideratum, (ut videre licuerit Soſandrum incarnatnm,) redhoſtiebant balſamando corpus Salvatoris Mundi ſepulturæ deſtinatum, qui nos inæſtimabili ſanguinis ſui pretioſiſſimi Balſamô ab æternâ corruptione & putredine præſervavit.

Idem ultimi honoris officium Salvatori exhibere intendebant piiſſimæ Maria Magdalena, Maria Jacobi & Salome, dum aromata emerant, ut venientes ungerent eum, juxta Marcum cap. 16. v. 1. & *Lucam* cap. 13. verſ. ultimo. Modus autem pollingendi *Ebræorum* ab *Ægyptiaco* valdè differt; ſiquidem horum conditura 30 40, imò aliquando 70. diebus demum, & quidem rebus balſamantibus cavitati corporis immiſſis, exemtiſque viſceribus ac partibus interiùs hærentibus, perficiebatur; inſuper quotidiè nova aromata, modò hæc, modò illa certis ritibus adhibendo, ut condituræ vis ad omnes corporis partes penetraret, veluti è *Tremellio*, obſervavit magnus J. M. Dilherrus in Diſputat. Philologicis. *Ebræi* autem hoc abſolvebant unica, eaque brevi

unctione, partibus externis ſaltem applicando ſpecies aromaticas, & balſamica unguenta, non inſimul inſtituta *Ægyptiis* uſuali & in ſimilibus condituris neceſſaria eviſceratione. Poſtea linteis eaſdem involventes ad ſepulchrum ſtatim deferri curabant.

Morem ſepeliendi Judaïcum fusè deſcribit Rabbi *Moyſes Maymonides*, Tract. de luctu, cap. 4. his verbis: *Mos eſt in Iſraële circa mortuos & eorum ſepulturam, ut cùm quis mortuus eſt ejus oculos occludant, & ſi os habuerit apertum claudatur faſciâ maxillis circumligata, ne iterum aperiatur. Obturatur etiam locus per quem excrementa ejiciuntur, ſed hoc poſtquam corpus fuerit lotum. Unguentis deinde ex diverſis aromatum generibus confectis ungitur, &, detonsô capite, convolvitur corpus albis veſtibus lineis ad hoc ipſum paratis, & quæ non ſunt magni pretii, ut poſſit æqualitas ſervari inter divites & pauperes. Tegitur quoque facies mortui, priuſquam imponatur feretro ſudariolo, cujus pretium non excedat quartam partem Sicli, &c.* *Iohannes Iacobus Chiffletius*, Criſi Hiſtorica de Linteis Chriſti ſepulchralibus cap. 4. f. m. 16. è *Baroniô* refert; modum curandi cadavera *Iudæis Palæſtinam* incolentibus familiarem minoris fuiſſe ſumptûs, & à priori, Patriarchis, *Jacobo*, *Joſepho*, &c. exhibitam multum diverſum & Præceptô *Gamalielis* ſenioris.

Is cùm vidiſſet (referente Rabbi *Jacob* in Thurim Jora Degha, cap. 352. excreviſſe tantùm apud *Ebræos* impenſam funerum, ut ejus magnitudine cognati perterriti, relictô cadavere aliquando ſe ſubducerent, ejus ſententiâ factum eſt, ut non niſi lineis linteaminibus, iiſque non magni pretii, corpora defunctorum obvolverentur; in quô nullam voluit haberi rationem cujuſvis ordinis aut dignitatis.

Proinde videtur mihi non abſurdum, ſtatuere, Balſamationem hancce magis venerandi mortuos gratiâ quàm ad putredinem diuturnam præcavendam fuiſſe adhibitam; & hoc quidem ideò, cùm viſcera interiùs relicta, ut & ſanguis in vaſis, mucus in inteſtinis, meſenterii glandulis, &c. corruptioni maximè obnoxia hanc facilè concipiant, ſenſimque ſerpendo & fermentando univerſum corporis habitum contra eandem non ſufficienter præmunitum inficiant. Illa enim balſamica tunc applicari uſitata, ſi exteriùs ſaltem adhibeantur; ob agentis balſamici & patientis putrefactionem minantis, ac foventis diſtantiam, & actualis in ſuum contrarium operationis vel pugnæ abſentiam ad omnem corporis humiditatem abſorbendam, ejuſque invicem juſtam ſiccitatem inducendam neutiquam ſufficiunt. Quemadmodum ignis in interiore domûs parte furens ad exteriora ſucceſſivè quoque tranſit, licèt aqua copioſiſſimè tecto ſaltem, externiſque parietibus adſpergatur, niſi inſimul in flammæ incunabula ac latibula ad eadem ſuffocanda infundatur.

Poſitô autem, quod *Ebræi* condituris ſuis majorem quàm mortuis ſaltem ultimum cultûs & amoris ſignum teſtificandi (nimirum corpora ſimul diu à putredine vindicandi; ſcopum intenderint, hunc tamen eoſdem vix, ac ne vix quidem attingere valuiſſe; incredulum me reddunt propriis manibus, proprioque Marte ſæpiùs inſtituta experimenta. Si enim cadaver quoddam majus remediis penetrantibus ac methodo capite penultimô declarandâ per aliquot ſeptimanas, vel potiùs menſes tractatum ita penitùs non poteſt cogi, ne cruditates corruptibiles in interioribus latitantes partibus, imò viſcera ipſa adhuc in putredinalem fermentationem inclinent, atque ſerpente contagio totum corpus in conſenſum ac interitum trahant; niſi poſt exemptionem inſtanti ruinæ aliis adhuc enchiriſibus obex ponitur, ac obviam eatur; ſanè non video, quomodo res aliæ, licèt inſigni virtute balſamica dotatæ fixiores tamen, & penetrabili efficacia carentes huic operi feliciter abſolvendo ſufficere valeant.

Hinc devotiſſimi *Nicodemus & Ioſephus Arimathienſis* Sanctiſſimum *Chriſti* corpus balſamaturi, vel ſolum dictum honorem ex conſuetudine Nationis ſuæ huic exhibere voluerunt, vel ſi opus ultra putrefactionis antidotum Chriſtianâ & laudabili ex ignorantia, Reſurrectionis inſtantis inſcii, intendiſſent, laterem tamen laviſſent, etiamſi plures centenas condimentorum pretioſiſſimorum externè applicuiſſent libras, Terramque Deus fuiſſet dignatus (contra promiſſum in Sacra Scriptura ſuis ſanctis factum) inæſtimabile *Salvatoris* corpus diutiùs mortuum ſervare. Non minùs *Maria* ſanctiſſima, Sanctiſſimorum Evangeliſtarum teſtimonio, communem Mundi *Soſandrum*, mortis & ſepulchri candidatum, ungebat Balſamo pretioſo nardino. Quam actionem ipſe *Redemptor* æſtimavit pro unctione corporis ſui ſepulchrali per anticipationem facta; veluti propria ejuſdem verba ſurdaſtras ſtupidorum Apoſtolorum increpant Aures.

Sic quoque nullum eſt dubium *Lazarum*, ut pote divitem quendam, & non infimæ ſortis *Iudæum* fuiſſe balſamatum, ſi Textum Biblicum Jo. 11. v. 39. ſequu. & ſuperiùs adducta verba Rabbi *Moyſis*, ponderamus, affirmativamque *Chiffletii*, *Dilherri*, ac aliorum addimus: Nihilominus Sancta *Martha* veretur, ut jamdum fœteat, cùm quatriduô deceſſerit.

Ex his propoſitis non mihi videtur abſurdus, qui ſtatuit, balſamandi Artificium, quod *Iudæorum* Majores ab *Ægyptiis* didicerant, temporum diuturnitate & injuria (ſiquidem ipſis ex ſacris, & variis aliis Hiſtoricis abundè conſtat, apud *Ebræos*, uti non rarò per tempus Legis ita quoque multò magis extra dubium artes liberales inter Bella & ferrea ſecula ſiluiſſe) ſucceſſivè exoleviſſe, & aliqualem quaſi ſitum contraxiſſe; eoſque ſuis Poſteris hujus ſcientiam ſaltem confuſam reliquiſſe. Quæ ſententia confirmatur, quod Iſraëlitæ multorum Regum ſepulturas ſaltem decoraverint accenſione ſuffumigiorum ſuaveolentium (magni tamen æſtimata) ceu ſuperiùs adductum eſt de *Saulô* Rege, ejuſque Filiis è 1. Samuel. cap. 16. v. 12. Item de Rege *Aſſâ*, è 2. *Chronic.* cap. 16. v. 14. Et de Rege *Zedekiâ*, è *Ierem.* cap. 34. v. 5. ut & de impio Rege *Joram.* è 2. *Chronicor.* cap. 21. v. 19.

Aliorum Veterum condiendi ritus deſcribuntur.

Similes honorum ſepulchralium reliquias reſtirare adhuc modernos *Perſas*, ipſorumque vicinos *Muſcovvitas*, (cùm injuria temporum pravorum methodum pleniorem & adcuratiorem conſumpſerit) hariolor. Sic enim *Adamus Olearius*, in Itineratio Muſcovitico Perſico, lib. 5. cap. 42. p. m. 686. inquit: Magnatum corpora apud Perſas poſt lotionem elevantur, ſuperfundi-turque capiti aqua Camphoræ, adeò, ut totum corpus eâ humectetur (Camphoræ autem virtutem balſamicam mihi nemo negabit;) Idem ibidem, l. 3. c. 31. p. m. 314. Muſcovitæ mortuum loculo impoſitum immittunt templo, ibi tempore Hyemali per 8. dies relinquentes, præcipuè ſi fuerit dives. Interea Sacerdos illum adſpergit aquâ ſacratâ, & fumigat Myrrhâ.

Non minùs illæ, quæ aliis Ethnicis longis abhinc annis fuere familiares conditurarum ſpecies, erant ſaltem ſuperficiariæ, vel ad ſummum abſolvebantur unâ, alterave operatione, aut enchiriſi ſimplici, quam Natura magis, quàm ars ipſos docuerat, vel ſi ex abundanti quidquam de pollincturis, verè & legitimè inſtituendis illi noverant, hoc, utplurimùm ab *Ægyptiis* didicerunt; methodo imperfecta in ſuis mortuis poſtea exercuerunt. Ita conſtat diverſorum Hiſtoricorum, v. g. *Herodoti* in Melpomene, *Strabonis* lib. 16. &c. teſtimonio, apud Perſas,

Scythas,

Scythas, Arabes veteres, &c. ſimiles & analogas fuiſſe in uſu.

Producam ſolummodo nonnulla exempla ex *Eraſmo Franciſci*, qui libro ſuperiùs allegato p.1483. hæc habet: Peruviani, ut demortuos Reges, Ingas dictos, à fœtore & corruptione liberent, laborabant, quod etiam præſtabant per tempus ducentos annos ſuperans, cadavere figuram viventis retinente, dum certa quadam reſina hoc illinebant. Quænam aut qualis hæc fuerit reſina, non certò conſtat; ſuſpicatur autem fuiſſe Balſamum ex arbore *Copaibæ* extillans, cujus vires balſamicas & vulnerarias inſignes deſcribit laudatus Autor, Horti Orientalis & Occidentalis Indiæ ac Synæ parte prima, fol. m. 572. Id. ibid. p.1490. inquit: Incolæ Chilenſes involvebant cadavera herbis & aromatibus contra putredinem, per aliquot menſes ita relinquentes, poſtea demùm adhibitis aliis ceremoniis ſepeliunt.

Idem ibidem p.1502. In Regno Tranziane cœmeteria habent prope montem Culmam, qui corruptionem cadaverum non permittit, ob vim ventorum exſiccantium, ut & Species aromaticas corpori incluſas.

Idem ibidem p. 1517. Dum ſub magni Mogolis Imperio moritur Bramannus, corpus balſamatur & utplurimum elapſo octiduo comburitur pompa ſolemni, ſi fuerit dives. Si itaque genuina fuerit inſtituta conditura, nimirum, ut per hanc corpus à putredine conſervari potuerit, abſurdiſſimum ſanè foret, illud elapſo ſaltem octiduò comburere; Ac credibile, eſt condituram hanc fuiſſe ſaltem inſtitutam pro honorifico cultu exhibendo cadaveri, & pro conciliandâ huic ſuaveolentiâ per applicita pretioſa unguenta.

Huc quadrant, quæ *Herodotus* lib.3. de *Æthiopibus* narrat, quòd non modò *Ægyptiorum* more ſuos mortuos areſecerint; ſed totos gypſo obductos, & picturâ, quòad poſſibile eſſet, ad effigiem ipſorum repræſentandam exornatas ita vitro indiderunt, ut nihil ingrati odoris aut fœditatis inde manaret, ſed omnia ſibi ſimilia haberent. Hos quotannis paſſim in Urbe conſpicandos proponebant, ipſis rerum primitias & hoſtias offerentes.

E quibus pateſcit modos hoſce omnes neutiquam eſſe comparandos Ægyptiacis, quippe qui tam artificioſâ laborioſæ operationis ſedulitate, quàm quod omnium optimè ſcopum balſamandi tetigerint, nimirum, ut cadavera longis annis à fœtore ac putredine ſerventur libera, præ aliis omnibus ſeſe mirum-quantum commendant, veluti mumiæ toti Orbi hodie adhuc communicatæ, manifeſtum exhibent teſtimonium, præcipuè *Iſidis* aliorumque Idolorum *Ægyptiis* olim Ethnicis familiarium figuræ (ex argilla ſubviridi *Iſidis* imagunculam invenit *Gryphius*, Tract. de Mumiis VVratislavienſibus p.52.) ventri mumiarum involutæ aut incluſæ harum longævitatem manifeſtè demonſtrant. Teſtaturque *Franciſc. Baco*, Baro de *Verulamio*, in Sylva ſylvar. cent. 8. Theſ. 771. f.m.913. quod credatur, nonnullas mumias perduraſſe tria annorum millia, & quaſi lapideſcere.

Quemadmodum *Romani* veteres ab *Ægyptiis* plurimum hauſerunt ſapientiæ, pluriumarumque ſcientiarum elegantiorem culturam, ita quoque in variis rebus honores ſepulchrales concernentibus eorum fuere æmuli perpetui, non tamen in hôc illis pares; multò minùs ſuperiores. Exemplis hîc adducendis immorari propoſitum meum non concedit. Unicum tamen extraordinaria raritate ſeſe Lectori commendans, ſub finem capitis annectam, quod ibidem ſæpe laudatus *Eraſmus Franciſci* p. 1531. è *Pflanmero*, *Pancirollo*, &c. producit: Sub regimine Papæ, Pauli Tertii, in via Appia, ubi multi à præcipuis Ethnicorum olim fuere reconditi, apertum fuit ſepulchrum; inibique repertum adhuc integrum corpus Virginis pulcherrimæ, mirabili ſucco innatans & per hunc à putredine conſervatum; adeò quidem, ut facies ne quidem depreſſa, ſed decora & vivæ ſimilis videretur. Capilli erant flavi, artificioſâ ligaturâ collecti, atque circulo vel annullo aureo connexi. Sub pedibus ardebat lucerna vel lampas, cujus flamma tamen, aperto ſepulchro, evaneſcebat. E nonnullis inſculptis ſignis innoteſcebat, ante 1500. annos hoc cadaver inibi fuiſſe ſepultum. Cujus autem fuerit, non conſtitit; quamvis multi fuerint ſuſpicati, illud fuiſſe corpus Tulliæ, Ciceronis Filiæ.

Paulò aliter hæc tradit *Cœlius Rhodiginus*, Antiquar. Lect. lib.3. cap.24. inquiens: Dignum ſcitu: Cùm Pontifex Sixtus, ejus nominis quartus, Reipubl. Chriſtianæ præſideret, compertum Romæ in via Appia è regione Ciceronis conditorii muliebre cadaver, quod ex inſcriptione, conjectatum eſt, fuiſſe Tulliolæ.

Id erat aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non ſentiret. In eo viſebantur capilli aureo implicití reticulo, ſumma omnium admiratione, reperiri aliquid, in quod anni mille quingenti fere nil evaluiſſent. Cæterùm cadaver in urbem delatum tridui morâ computruit, medicamine amotô aut vitiatô.

Num hoc cadaver fuerit *Tulliæ*, me Medica tractantem non ferit. D. *Caſp. Sagittarius*, Hiſtoricus in Academiâ Salanâ celeberrimus, dum in Hiſtoria vitæ ac mortis *Tulliæ* allegat dicta *Rhodigini* verba, ſubjungit dubius: *Sed quis credat, Tulliæ cadaver non fuiſſe crematum?*

Ab *Ebræis* Balſamatio ad *Chriſtianos* tranſiit, ubi aliquando Magnates condire, facta corporum apertione, viſcerum extractione, rerumque balſamicarum immiſſione, hactenus fuit ſolitum; Licèt hi modi *Ebræorum* & *Chriſtianorum* ſint ſatis differentes, de quibus in ſequentibus.

Materia & Modus Condiendi Veterum, mediante exenteratione factus exponitur.

Herodoti relatio traditur & examinatur.

De inventa adcuratiore mumiſandi ratione gloriam meritò aſſignari *Ægyptiis*, caput præcedens docuit, Cùm eadem venerabili antiquitate, pretioſa operoſaque elegantia, ac diuturniore ſine putredine conſervatione aliorum methodos multis paraſangis ſuperet; atque dictæ methodi ab *Ægyptiis* maximam præcipuamque partem ſucceſſivè fuerint traductæ; aut hi illorum in ſimilibus operationibus quaſi ſint ſimiæ. Proinde *Ægyptii* hîc quoque primùm jure occupant locum in materiæ, modique Veteribus uſitati tractatione.

Præmittam verba *Herodoti*, lib. 2. Hiſtor. *Euterpes* inſignito, p. m. 90. ſeq. *Ægyptiorum* condituras amplioribus, ac alii, circumſtantiis proponentis; atque ita differentis: His actis mortuum demum ac condiendum portant; ſunt autem certi ad hoc ipſum conſtituti, quo artificium factitant; qui, cùm ad ipſos cadaver portatum eſt, oſtendunt his, qui portaverant, exemplaria mortuorum lignea pingendo aſſimilata. Et eorum unum accuratiſſimè fabrefactum eſſe aiunt: Alterum illo inferius ac vilioris pretii; Tertium viliſſimi. Ea dicentes, ſciſcitantur ab his, ad quod Exemplum velint effingi, mortuum ſuum. Iſti convento de pretio illinc abeunt. At hi, qui relinquuntur in ædibus; hunc in modum diligentiſſimè condiunt corpus.

Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt; ut quamque partem educentes; ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide Æthiopico, circa Ilia conſcindunt, atque illac omnem alvum protrahunt; quam ubi repurgarunt, ac vino Phœnicio expleverunt, rurſus aromatibus contuſis reſarciunt; tum omen-

omenta complentes contuſa myrrha pura, & Caſſia, & cæteris (excepto thure odoribus iterum conſuunt. Ubi hæc fecere ſaliunt intrò abditum ſeptuaginta dies; nam diutiùs ſalire non licet.

Exactis ſeptuaginta diebus, cadaver ubi abluerunt ſindone byſſina totum inciſis loris involvunt, gummi illinentes, quo Ægyptii glutinis loco plerunque utuntur. Eo denique recepto, Propinqui ligneam Hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſumque ita theſaurizant, id eſt, reponunt.

Hi autem, qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumptum, ita comparant: Clyſterem unguine, quod è cedro gignitur, complent. Deinde ex hac alvum mortui ipſam neque ſcindentes, neque extrahentes; ſed per ſeceſſum, prehenſo viæ poſterioris hiatu infarciunt, & tot, quot dixi, diebus ſale condiunt, quorum dierum ultimo cedrinum unguen, quod prius ingeſſerant, ex alvo egerunt, quod tantam habet vim, ut unà ſecum alvum & inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantùm cutis & oſſa relinquuntur. Ubi iſta fecerunt, ex quo ſic tradidere mortuum, nil amplius negotii ſuſcipiunt.

Tertia conditura hæc eſt adornandi eorum mortuum: Qui tenuioris ſunt Fortunæ, dilutionibus ventrem abſtergunt; arefaciuntque ſale ſeptuaginta per dies; deinde tradunt reportandum. Et paulò poſt:

Quiſquis autem vel ipſorum Ægyptiorum, vel hoſpitum compertus ſit mortuus, ſive à Crocodilo raptus, ſive ab ipſo flumine, neceſſarium prorſus eſt ei Civitati, ad quam ejectus eſt, condire, & quàm honeſtiſſimo funere ſepelire, ſacris monumentis, quem ne contingere quidem fas eſt alteri aut Proximorum, aut Amicorum, niſi ipſis Nili Sacerdotibus, utpotè majus quiddam, quàm Hominem mortuum tractantibus ad ſepeliendum.

Inter adducta *Herodoti* verba nonnulla fidem adeò ſimpliciter non merentur. Dicit enim 1. *ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt.* Quæ relatio ignoſcendi eſt viro hiſtorico, rerum anatomicarum extra dubium imperito. Cui enim è fundamentis anatomicis ſtructura cranii, ſituſque cerebri cognita ſunt, fateri cogitur, dictam cerebri per nares extractionem ſine læſione partium cartilaginoſarum in naribus, & carnoſarum, cutanearumque in facie, ita ſine hujus deturpatione non eſſe adeò commodam & poſſibilem. Veritati verò magis conſentaneum judicamus cum *Gryphio*, Tract. de Mum. Wratislav. p. 45. Cerebrum ab iiſdem fuiſſe commodiùs extractum per foramen magnum Occipitis propè ſuperiores colli vertebras. Deinde dicit: *dum alvum omnem repurgarunt, ac vino Phœnicio expleverunt, rurſus aromatibus contuſis refarciunt.* Ubi rationi Phyſicæ magis conforme erit, ſtatuere, ut loco expletionis vino Phœnicio factæ corpus hoc eluatur & lavetur, 2. Primam quam deſcribit pollingendi methodum per applicata & corporibus immiſſa balſamica pretioſa, (quæ juxta nonnullos Talenti pretiò conſtabant) utpotè fundamentis medicis concordantem, aliorùmque teſtimonis confirmatam ſuò in honore relinquimus. Quæ verò de ſecundi generis conditurâ refert, quòd ſine apertione ventris, ſola ſalis vel nitri adſperſione, ac immiſſione olei cedrini in alvum per clyſterem applicatum, quod oleum poſtea reductum ſimul reducat inteſtina tabefacta, mihi ut hoc credam, perſuadere nondum valeo; ſed ſtatuo, Autorem non Medicum quarundam adhuc neceſſariò præſtandarum eſſe oblitum. Quamvis enim huic liquori balſamico per Siphonem in inteſtina immiſſo ſua efficacia omninò concedatur, tamen quia notum eſt Medicis, pharmaca per clyſterem intruſa lethaliter decumbentibus, pedemque in cymbâ *Charontis* habentibus, ſtatim alvò rurſus effluere, partibus nervoſis hæc aliàs retinentibus, ſed ob ſtuporem, Spirituumque defectum non ampliùs operantibus: non video, quomodo hoc ſtante, in corporibus mortuis cohiberi, & operari poſtea poſſit. Vel ſi fortean vi intruderetur, ad minimum tam citò ad ſuperiora penetrare non adeò aptus eſt; Et ſi eo penetraret, ſanè antequàm per tabefacta (uti loquitur) inteſtina quoque tranſiret ad meſenterium, ſtomachum, imò hepar, lienem, ipſaque in Thorace contenta aſcenderet, eadem ſanè putredine corrumperentur; præprimis, & quod quaſi cardo rei eſt, cùm illi exteriùs præter ſolam ſalituram nullum corruptioni reſiſtens ſuccurrat.

Salituram autem aliqualem, non adeò magnam tamen & conſtantem conferre operam huic operi, docebit Hiſtoria paulò inferiùs è *Kircheri* Oedipô Ægyptiacô adducta, imò quotidiana id evincit Experientia, cùm omnibus Patribus familias & Oeconomis conſtet, ſale aut muriâ conditas carnes, ut & piſces, lucios, haleces, & ſimiles exenteratas tamen, non facilè aliquot menſes vel unicum annum ſine fœtoris ac interitûs ſucceſſu durabiles eſſe. Ut nihil dicam de hôc, quod unum alterumve horum viſcerum ante obitum è ſtatu morboſo tabô ulceroſô jamdum correpta eſſe potuerint.

Propria enim eaque frequenti teſtari poſſum experientia, quanta-quantavis fermentatoria inſit cadaveri vitali balſamô orbatô, vitali flamma extincta. Cùm cruditates & indigeſta in primis viis ſtagnantia per atomos putridas ebullientia ventrem elevent, eundem perforent, & quâ datâ portâ ruant, ac impetuosè effluant, neutiquam quæſita anguſtiore, aliàs ſolita gutturis inferioris via & exitu.

3 Quibus ſtantibus, genus tertium, viliſſimum ipſi dictum, eô quo deſcribit modo (dum nimirùm corpora non exenterata aut diſſecta præparantur ſaltem admota externè ſalis vel nitri conditura) multò minùs erit poſſibile, eique experimenta quotidiana manifeſtiſſimè contradicunt; Atque ita hæc erunt condonanda Hiſtorico rei Medico-Pharmaceuticæ ignaro, relata referenti, & fortaſſe nimis credulo, aut nonnullarum aliarum ſpecierum, aut operationum addendarum obliviſcenti.

Cùm etiam ad Nos quæ tranſportantur Mummiæ, non omnes ſint Magnatum, ceu paulò poſt declarabitur, ſed etiam ſæpiùs Plebeiorum, qui vilioribus modis mumiſantur; autopſia autem doceat, præter memoratam ſalis, & nitri adminiſtrationem alia ingredientia fuiſſe applicita & immiſſa, v. g. Gummata, ſpecies bituminoſas reſolutas, &c. allatum Autoris teſtimonium ſua ſponte collabaſcit. Niſi fortè quidam ſtatuere velit, mumias ſolâ cedriâ, & ſalis conditurâ præparatas in aliis Regionibus, ſeu reliquæ mumiæ gummatibus imbutæ, nunquàm nobis fuiſſe communicatas; vel modos illos, viliores dictos, demum ab obitu *Herodoti* ortum duxiſſe, & increbuiſſe; poſitô quidem, non tamen ideò conceſſô, dictam pollingendi methodum fuiſſe genuinam & poſſibilem; vel effectum reſpondiſſe propoſito.

Cùm *Herodotus* unguentum cedrinum laudaverit, operæ erit pretium, de hôc quædam inſerere. *Pedacius Dioſcorides*, lib. 1. de Mat. Med. c 89. p. m. 83. ita effatur: *Cedrus arbor eſt magna, è qua picem colligunt, quæ Cedria vocatur; cui ea vi ineſt, ut defuncta corpora, conſervet, & viventia corrumpat, quæ ex cauſa mortuorum vitam aliqui eam appellavere, ob eximiam calefaciendi & exſiccandi dotem.* Et *Matthiolus* in Commentario ibid. p 84. addit: *Cedrea* (ita vocatur *Cedri* oleum) *exſiccat, ſimulque à corruptione tuetur corpora demortua, utpote humiditates ſuperfluas eorum depaſcens.*

Aliorum opiniones traduntur ac ventilantur.

Dum autem æqua mentis lance pondero ac confero

adducta *Herodoti* verba cum aliis qui nonnulla quoque, brevioribus tamen Hiſtoriis ac circumſtantiis hac de re Orbi literato ſcripta reliquerunt, v. g. cum *Strabone*, Lib. 16. *Alexand. ab Alexandro* Lib. 3. dier. gen. cap. 1. *Diodor. Siculô*, Lib. 2. cap. 5. *Plinio*, in Hiſtor. natur. *Scaligero* in Exercitationibus. *Melch. Sebizio*, diſputat. de conditura Cadaver. *Athanaſio Kirchero*, in Oepido Ægyptiacô, *Joann. Nardii* Opiniones proponente, *Chriſtiano Arnoldo*, in additam ſelect. ad *Abrah. Rogeri*, apertam januam occulti Ethniciſmi, *And. Gryphio* Tract. de Mum. VVratislav. aliiſque pluribus, videntur eorum teſtimonia, ut & mumiæ ipſæ in Europam tranſportatæ, atque à curioſis Phyſicis hactenus accuratiùs diſſectæ ac inſpectæ, in hoc maximam partem concordare, quod *Ægyptii* præcipuè, & qui horum veſtigia in mumiſatione præ aliis ſunt ſecuti, quidam ex *Arabibus*, *Aſſyriis*, *Perſiſque* veteribus corpora medicata ſervarint (veluti *Plinius* loquitur:) vel balſamando præparârint dupliciter, partim methodo adcuratiore & ſumptuoſiore, pro Magnatibus ac divitibus, partim viliore pro plebeiis ac pauperibus.

In priore, eaque pretioſiore adhibebantur tàm externa pro inunctione ac involucrorum linteorum cum iis imbibitione, quàm in ſingulos tres ventres immiſſione ſpecies diverſæ aromaticæ, virtute ſua innatâ balſamicâ, amaritie item, ac oleoſa ſulphurea vel ſalis volatilis penetrabilitate putredini reſiſtentes, grataque ſuaveolentia fœtorem, odoreſque moleſtos præcaventes, quales ſunt *opobalſamum*, *oleum cedri*, *aloë*, *myrrha*, *crocus*, *cinamomum*, *caſſia*, &c.

Dum multi Scriptorum, imò ipſa *Scriptura Sacra* inter ſpecies balſamantes reponunt *Aloën*, omiſſa ſpecialiore ſignificatione vocis, controvertitur, an intelligendus ſit ſuccus ille ex *Aloës*, ſtirpe, & foliis expreſſus, an verò aromaticum illud *Aloës* arboris lignum? D. *D. Heinr. Mullerus*, Theologus Roſtochienſis, de Eccleſia quondam benè meritus, in Tractatu Jeſus patiens inſignitô, cap. 91. p. m. 234. cum *Iſidoro* ſtatuit, Autores indigitare *Aloën* aromaticam vel *Agallochum*, quod arbor eſt inſtar *Oleæ* in *Sina*, pluribuſque Provinciis Orientalibus creſcens; & cùm guſtum aromaticum & ſubamarum præ ſe ferat, ideo non videri abſurdum, illud fuiſſe adhibitum inter alias materias condituris perficiendis accommodatas.

Verùm enimverò, quod pace Viri magni dictum ſit, ſi magis Medicè ſentire velimus, nec obſtante hoc, notatum *aloës* lignum quoque pollere nonnullis qualitatibus balſamicis, judicarem, intelligi ſuccum illum è ſtirpe aut foliis craſſis *Aloës* expreſſum, ob extraordinariam & incomparabilem amaritie manifeſtiſſima ſeſe prodentem putredini reſiſtendi efficaciam. Quæ opinio habebit Autores Medicos, materiam hanc publicè tractantes vel in aliis ſcriptis condituras obiter tangentes, tantum non omnes faventes atque conſentientes.

Qui ſtatueret, utrumque fuiſſe applicitum, non magnum fortè committeret errorem. Quæ de *Aloë metallicâ Hieroſolymitana Plinii* more ſuô, id eſt nervoſè & eleganter diſſerit & collegit curioſiſſ. Noſter *Georg. Hieron. Velſchius*, Hecatoſt. 1. obſervat. Phyſico-Medic. 63. p. m. 84. ibidem poterunt.

Hæc de modo ſumtuoſiore dicta ſint. In altera verò, eaque viliore methodô pro plebeiis & pauperibus applicare ſolebant *aſphaltum* vel *piſſaſphaltum* factitium.

Pro meliore rei hujus declaratione monendum cenſeo Lectorem, à nonnullis confundi *piſſaſphaltum* & *aſphaltum*, imò ipſius *Mumiæ* vocabulum; cùm illud ſit vel nativum vel factitium. *Piſſaſphaltum* nativum juxta *Pedac. Dioſcoridem*, Lib. 1. de Mat. Med. f. m. 78. naſcitur in *Apollonia Epirotarum* agro circa *Epidaurum*, ubi Ceranniis montibus devolutum impetu fluminis rapitur, æſtuque in litus ejicitur; illic in glebas coactum miſtam bitumini picem redolet; Videturque nihil aliud eſſe, quàm *aſphaltum* verum, cujus præcipua ſpecies eſt *bitumen Judaicum*, maris mortui (*Aſphaltitis* propriè dicti) genitura, noſtratibus *Juden-Pech*, de quo conſulatur *Galenus*, de Medicam. ſimplic. Facultatibus, Lib. 11. theſ. de Aſphalto, f. m 312. & juxta *Schrôderum*, Pharmacop. chym. Lib. 3. cap 32. p. m. 514. & Lib. 4. claſſ. 2. theſ. 396. p. m. 208. Conſului item poterit *Frider. Hofmannus*, Clavis Pharmaceutic. Schrôder lib. 3 cap. 32. p. m. 387. Quia verò rariſſimum eſt, ut plurimum ejus loco in uſum venit *Piſſaſphaltum* factitium. Hoc autem eſt mixtura ex pice & bitumine, ceu proprio nomine, veluti ſorex, ſeſe prodit; & communiter uſurpatur pro balſamandis pauperibus, & Plebe *Ægyptiorum*.

Plura de *aſphalto* & *piſſaſphalto* adderem, niſi prolixitatem propoſito meo contrariam nauſearem. Proinde uberiora deſiderans, conſulat Andr. *Libavii* ſingularia, Partis tertiæ Librô ſeptimô, in capitibus quatuordecim prioribus.

Ipſam denique *Mumiam* quod attinet, eodem non minùs in duplici apud nonnullos eſt conſideratione, vel enim eſt nativa, cùm *mumiæ* vocabulum ortu ſit Arabicum, atque juxta *Rhaſen* ac *Avicennam* idem quod *Piſſaſphaltum* denotet; (Quamvis *Kircherius* in Oedipo *Ægyptiaco*, Tom. 3. Syntagm. 13. cap. 2. f. m. 396. vocem *Perſicam* eſſe, idemque notare dicat, quod cadaver exſiccatum, certa ratione conditum, corruptionis expers) Vel eſt factitia, quæ itidem eſt duplex, una Magnatum & Divitum cadaveribus inſerviens, parata è ſuperiùs dictis *aloe*, *myrrha*, *croco*, *balſamo*, *cinnamomo*, &c. Altera verò eſt idem quod *Piſſaſphaltum*, ſeu mixtura è pice & bitumine, uti modò traditum.

De ipſo quoque Veterum condiendi modo ac ritu proponere nonnulla neceſſarium videtur; quantùm quidem ex antiquorum Hiſtoricorum, ut plurimùm non Medicorum relatione, ut & ex corporum mumiſatorum (*mumias* quas vocant) inſpectione à *Petro de Valle Joh. Nardio*, *Andr. Gryphio*, &c. exactè hactenus facta conſtat. Ubi Lectorem latere nolo, de Methodo *Ægyptiaca*, utpote perfectiore ac adcuratiore præcipuè ſermonem eſſe.

Conſiſtebat autem Pollinctura in hoc, ut, juxta regulam ac normam quidem ſumtuoſiorem ſpecies ſuperiùs enumeratas aromaticas, pulveres, reſinas, olea, balſama, &c. atque his analogas optimè mixtas calore actuali liquarent, liquefacta in maſſam balſami aut unguenti formam cogerent, ventribus omnibus infunderent, partibuſque ſingulis largiſſimè illinerent, imò involucra exteriùs admota abundè iiſdem humectarent; vel potiùs corpora in dictis mixturis bituminoſis aut balſamicis macerarent, & hoc plus vice ſimplici, uſquedum cadavera haſce ſufficienter imbibiſſe, conjicerent.

Modo verò viliore, quem vulgus experiebatur, tantum-non ſimiliter, veluti jam deſcriptum, procedebatur, ſolis rebus balſamantibus differentibus; dum huic nimirum ſolummodo *Piſſaſphaltum* vel *pix*, atque *bitumen* ſufficere debebat, ut ſic cadavera hiſce quaſi picarentur vel obducerentur. Hiſce dictis adde verba *Herodoti*, capite præcedente & ſuperiùs adducta, cùm heic ea repetere, ſupervacaneum.

Prætereunda tamen non eſt ſalitura; vel externa ſalis aut nitri inunctio ex *Herodoto* ſuprà adducta, dum nimirum integro tempore condituris deſtinato, 70. dierum ſpatio ſimul hæc adminiſtrabatur pro fine ſuo, eò certiùs obtinendo. Controvertunt

Autores an ſal, vel nitrum intelligi hac in operatione debeat. Quamvis controverſiam eam propriè non meam facere velim, cùm utrumque quodammodo hîc ſuam conferre operam, ob notam vim balſamicam & exſiccantem ipſis innatam, valeat. Videtur tamen nonnullis virtus ſalina in ſimilibus magis commendabilis, ac nitroſa, licèt Græcus *Herodoti* textus hoc innuat; ceu caput ſequens plura & clariora docebit. Immortalis quidem *Kircherus*, in loco modò citato Oedipi Ægyptiaci fol. m. 398. ſalituræ in mumiſandis cadaveribus non favet, dum ſtatuit, *Corpora incorruptionis donum non conſequi, ceu multi putant, ob ſalem condituris adjunctum, cùm ſalita corpora facilè diffluant.* Et pag. ſequent. dicit: *Tametſi certo tempore hæc corruptioni reſiſtant, longo tamen temporis ſpatio defluere.* Adducit pro hujus opinionis confirmatione è *Baronii* Annalibus hiſtoriam quam adnectere hîc libet, propter rei raritatem, & cùm tam *Baronius*, quàm *Kircheri* Oedipus non in omnium verſetur manibus. Dum Salisburgi in montibus ſale foſſili prægnantibus foſſores inciderent in antris ſubterraneis in foſſam aquâ ſalinâ repletam & ſatis profundam, aquamque in uſum ſalis coquendi derivarent, contingit ut inter evacuandum in ea corpus Humanum detegerent, prorſus integrum incorruptumque; cutis colore prorſus niveo candebat, oculi ipſam vitam ſpirabant aperti, capilli, pilique ab omni corruptione immunes; cæterùm totum corpus rigidum ad inſtar ſaxi. Stupefactis ad tam inuſitatum Naturæ prodigium foſſoribus, res ad Bavariæ Ducem delata, qui & ipſe rei novitate attonitus, portentique videndi deſiderio percitus, illud propediem ad ſe deferri præcepit. Quod ubi factum, & jam triduo hoc ſalis figmentum oculis omnium fuiſſet expoſitum; ecce! id tandem aëris veluti impatiens intra paucos dies in aquam reſolutum ſuoque elemento reſtitutum prorſus defluxit. Ex qua Hiſtoria ſatis liquet; corpora ſalita, tametſi certo tempore corruptioni reſiſtant, longo tamen tempore defluere.

Quæ ſententia *Kircheriana* certò reſpectu ſuam meretur laudem ac Experientiæ Phyſico-Oeconomicæ reſpondet; ſiquidem Lanionibus, imò Patribus familias ac ancillis noſtris conſtat, carnes Brutorum ſalis muriâ maceratas paucos ſaltem menſes eſſe durabiles. Tamen ſal, & quæ huic analoga, in cadaveribus per res alias balſamicas ad condiendum jamdum præparatis aliqualem quoque opellam conferre, nec eadem ab hoc ad diffluxum diſponi, neutiquam poteſt negari, veluti rationes & experientia in ſequentibus capitibus teſtabuntur.

Quæ de condituris peractis, earumque methodo jam fuere, propoſita, fundamentis Phyſico-Medicis verè innituntur, genuinuſque ſapientiæ *Ægyptiorum*, vel etiam *Arabum*, antiquæ ſunt effectus ac ſpecimen. Siquidem tactæ materiæ medicamentoſæ putredinem arcent virtute ſuâ aromatica ac balſamica, olei vel Salis volatilis penetrabili efficaciâ, quædam item actuali amaritie cruditates cadaverum aceſcentes in ſubjecti ruinam fermentantes ſuffocant, qualitate item exſiccante humiditates putreſcibiles abſorbent; partim quoque glutinoſitate ſua ac adſtrictione diffluxum ac reſolutionem cadaveris prohibent.

Aſphaltus verò, vel *pix* & *bitumen* tenuioris fortunæ Hominibus, quæ balſamationis in vicem ſufficere debent, id præprimis præſtant vi ſua adſtringente & exſiccante humidumque in corruptionem luxurians coërcente; atque ita non minùs balſamica; (qua de re plura paulò inferiùs) ſua inſimul viſcoſitate impediunt, ne atomi aëreæ fluidæ in cadaveris interna penetrando, huic interitui feneſtram aperiant. Reliqua, quæ teſtando in defunctos ſuos (proteſtatûs tamen cujuslibet ac vitæ generis diverſitate) adfectû tractabantur, quomodo eos Byſſo, aliiſque linteis pretioſis veſtiebant, pingebant, inaurabant, faſciis variis involvebant, &c. videatur apud laudatum *Andr. Gryphium*, adcuratè talia enodantem & depingentem, *Athanaſ. Kircherum*, Oedipi Ægyptiac. Tom. 3. Syntagmat. 13. cap. 2. f. m. 397. *Joh. Nardii* Comment. in Lucret. p. 635. de his multa producentem, *Pet. Gaſſendum*, Lib. 4. de vita *Peireſkii* p. m. 153. fruſtra naulum in ore *Mumiæ Ægyptiacæ* benè aliàs ornatæ quærentem. Item Dn. *Radzivilii*, Polonici Principis, adcuratas relationes in autopſia fundatas; Atque his ſimiles *Joh. Veſlingii*, obſervationes anatomicas, obſervat. 39. p. m. 151. 152. *Joh. Jacob. Chiffletium*, criſi Hiſtorica, de Linteis Chriſti ſepulchralibus, cap. 3. p. 10. ſequent. alioſque; cùm ſcopus meus non ſit, ex aliis ampla hîc transponere; ſed Medico-Pharmaceuticam ſaltem balſamandi tractationem communicare.

Mentio quoque hîc meritò facienda, quod aliquando condituram perficere curaverint *Ægyptii*, non tam à Medicis propriè conſideratis, quàm *Taricheutis* huic operi in ſpecie deſtinatis. Pro me loquitur magnus *Conringius*, de Medicina Hermetica, Lib. I. cap. 10. p. m. 92. *Corporum ſectioni*, inquit, *non videntur ipſi Medici præfuiſſe; ſed Taricheutæ; Etſi enim Jacobi Patriarchæ ævo iidem fuerint & Medici & Pollinctores, quod liquet ex ſacra noſtra hiſtoria, tamen id ſequ. ſeculis mutavit, quemadmodum hodie apud nos diſtincta ſunt munera medentium & pharmaca præparantium; ſecùs quàm fuit olim, aut hodie etiam in Aſia & Africa uſu venit.*

Conditura in Melle & cerâ olim facta, ut & mumia in Lybia arenâ ſiccata, aliaque chymicè ſic vocata explanantur.

Modis hiſce condiendi jam enarratis ſubjungo ſuccedaneam aliquam methodum, ſepulturam nimirum cadaverum in melle aut cerâ aliquando à nonnullis populis inſtitutam. Poſteritati enim reliquit *Strabo*, Lib. 16. *Babylonios* ſepelire mortuos ſuos in melle, cerâ obducentes. Et *Herodotus*, Lib. I. Hiſtoriar. quem *Clio* inſcribit, ſcribit, *Perſas* mortuum cerâ involventes in terram condere. Idem lib. 4. *Melpomene* inſignito, p. m. 388. inquit *Scytharum* Regum ſepulchra ſunt apud *Gerrhos*, ubi *Boriſthenes* jam navigabilis eſt. Ibi cum Rex eorum deceſſit, ingentem ſcrobem effodiunt, quadratâ formâ. Hanc ubi præparatunt, accipiunt mortuum corpore incerato, alvo evolutâ, atque expurgatâ, quam ſilere contuſo thymiamate, apiique ſemine, & aniſi cùm expleverunt, reſuunt. Quod ſimiliter nonnumquam *Syris, Arabibus*, eorumque vicinis in uſu fuiſſe, alii quoque licèt quodammodo ſaltem ac ὡς ἐν παρόδῳ teſtatum eunt Autores.

Multùm lucis afferunt huic relationi verba *Thomæ Dempſteri*. qui in notis ad *Joh. Roſini* Antiq. Roman. cap. 4. vel ultim. p. m. 64. ſeq. ſic loquitur: Quod ſi aliquis peregrè obiiſſet, cadaver melle perungebant, donec domum referri poſſet. *C. Plinius* lib. 22. c. 24. inquit. Mellis quidem ipſius natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat jucundò ſapore, atque non aſperô, aliâ, quàm ſalis naturâ. Quod in conſuetudine fuiſſe Græcis, diſcimus ex Hiſtoriâ *Ageſilai*, *Lacedæmonior.* Regis, qui febri mortuus, apud *Xenophontem*, Hiſtor. Græcar. Lib. 5. p. 564. melle oblitus domum deportatur, ac regiam ſepul-

turam

turam conſequitur. Et paulò pòſt: Nec modò melle ſed & cerâ cadavera oblinere receptum. *M. Tullius* Lib. I. Tuſculan. Quæſtion. ad finem inquit: Condiunt *Ægyptii*, & eos domi reſervant. *Perſæ* etiam cerâ circumlitos condiunt, ut quàm maximè diuturna permaneant corpora, &c. Sed ſuſpicor locum ceræ tantùm relictum ad perungenda defunctorum corpora, quando mel non ſuppetebat.

Huc quadrant, quæ *Jul. Cæſ. Baricellus*, Horti Genialis p. m. 284. proponit. *Alexandri Magni* corpus inter alia ad incorruptibilitatem facientia quoque fuiſſe melle oblitum, teſtatur *Statius Papinius* in ſylvis, citante *Andr. Rivino*, Diſputatione de Pollinct. quæſt. 3.

Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger Urbis,
Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat.

Rationem Phyſicam hujus Pollincturæ ſi ventilamus, eadem proculdubio quærenda in hoc, quòd tam mel, quàm cera virtute ſua exſiccante putredini obviam eat, ſimul tamen inſitâ ſibi viſciditate ac lentore prohibeat, ne atomi internæ calidæ cadaveris in corruptibilem ſuum interitum ſecuta morte, omnibus conſueta tuentes, & fermentantes egredi; econtra atomi aëris exteriùs irrumpentis humidæ eundem quoque maturantes ingredi valeant. An autem effectus intentioni diuturnè ac plenariè reſpondeat, habeo, quod dubitem. Siquidem pro indaganda hujus rei veritate, atque ut ſatisfaciam manuum mearum in rebus ſimilibus oculatarum deſideriô, & melli & ceræ liquefactis ſeorſim immiſi mures, aliaque Bruta minora ſuffocata ſaltem, nec exenterata; reliqui ita in locis frigidioribus repoſita, atque incraſſata unô alterove menſe.

Quæ melli fuere tradita, ſtatim tertio aut quartô die præ ſe ferebant ſtrias cruentas, non levi argumentô, partem cadaveris jamjam in putrefactionem ebulliiſſe, ac per melleam ſubſtantiam non adeò ſolidam ac tenacem eſſe diſperſam. Cùm autem fœtor ingens non ſuccederet, per aliquot ſeptimanas ita ulteriùs ſubſiſtere volui;

Quæ verò ceræ fuerant concredita, neque oculis ſtrias cruentas, neque odorem cadaveroſum, naribus communicabant, quia viſcidius tenaciuſque ceræum corpus talia procul dubio prohibebat. Nihilominùs totidem quoque ſeptimanas in locö frigido repoſui. Poſteà verò utrumque leni calore reſolutum ac liquefactum atque exemptum inſpiciens, reperi & medium & infimum ventres latè apertos, ac interiùs contenta in tabum reſoluta, penitus diſperſa fuiſſe neque reliquas etiam partes tàm conſtantem duritiem ac durabilitatem oſtendiſſe.

Ut proinde ſic argumentater: ſi condimentorum horum energia balſamica non eſt tanta, ut in corpuſculis tàm minutis integritatem ſtabilire valeat, quid de illis erit ſperandum in ſubſtantiis majoribus; ubi cruditates putredinales largiore alveô exitum, diffluxum, atque ruinam minantur? Nec crediderim, licèt corpora, præcipuè magna, ſtatim die emortuali exenterata in efficaci ac ludicro hocce condiendi fucô ac mùco ſubjicerentur, quenquam ſibi ſuiſque quidpiam conſtantis & perfecti veluti ab aliis quidem ſpeciebus balſamantibus, promittere poſſe.

Poſtquam tamen aliquot adhuc menſibus ita reliqueram, obſervavi nihilominus, partes externas firmiores, oſſeas nimirum, & muſculoſas (interioribus, veluti dictum, dilapſis & effluxis) præprimis quidem in illis ſubjectis, quæ ceræ, utpote ſubſtantiæ ob denſitatem majorem aëris colliquantis ingreſſum magis impedienti, fuerant incluſa, quodammodò & quoad bonam ſui partem perduraſſe, ut inter ſolitas hactenus balſamandi ſpecies admitti debeat, quamuis blattæ, aliique vermiculi ſucceſſivè inde orti iiſdem pro pabulo fuerint uſi.

Paucis abhinc paginis dictum eſt, *Mumia* vocem natales debere linguæ Arabicæ, atque idem denotare ac *Piſſaſphaltum*. Longævâ autem poſtea conſuetudine evenit, ut eodem vocabulo indigitetur cadaver Humanum integrum, hoc vel illo modo artificioſè ſpeciebus balſamicis conditum, ut ita ab interitu ſuô putridô longum tempus præſervari, vel uſu Medico aliis præſtare opem Hominibus valeat.

Non minùs ſucceſſivè factum eſt, ut eodem verbo diverſa huic analoga ſignificentur; v. g. Corpora Humana in *Arabiâ* arenæ turbinibus obruta, poſteà Solis æſtu ſiccata; Item *Mumia Paracelſi*, item *Mumia* recentiorum, cujus *Schroderus* meminit; Alii non minùs ob analogiam effectûs Medici diverſâ eadem denominatione inſigniunt medicamenta ſingularia, Extracta, Eſſentias, &c. Aliis ipſum calidum innatum noſtrum vocitare *mumiam* placet, ob operationem balſamicam *Mumiis* confinem.

Propterea non immeritò mentio heic facienda cadaverum Solis æſtu ſub arenâ torrefactorum, quæ latè & impropriè ſumtâ vocis *mumiæ* ſignificatione, eadem indigitantur. Originem autem talia corpora non Arti debent, ac laborioſæ cujuſdam curioſitati; veluti illa cadaverá ab *Ægyptiis*, *Arabibus*, aliiſque ſingulari dexteritate condita ac præparata; communi nomine quoque audiunt *Mumiæ*; Sed illis vivis accidit iſta invita ac inopina *Pollinctura*; dum nimirum in ingenti *Lybiæ* deſerto, vel transnilana *Africæ* regione (ut utar verbis *Athanaſ. Kircheri*, loco ſuprà aliquoties citato, fol. m. 396.) ſabuli ac cumuli arenæ, quibus iu immenſum hoc deſertum exporrectum eſt, ventis auſtralibus agitatæ tàm ſævas ſubinde tempeſtates movent, ut arenis in clivos aggeſtis, turbinum violentiâ, & jumenta & viatores cum mercibus ſuis vivos ſepeliant, nullâ evadendi ſpe relictâ. Veluti ita, *Herodoto* teſte; totus ferè *Cambyſis* Regis exercitus æſtuantis arenæ impetu abſorptus dicitur. Talia corpora ita, antequàm moriantur; ſepulta, poſtmodum partim à flagrante Solis æſtu, partim ab inſigni arenæ ſummè calefactæ vi exſiccante torreſiunt & ſicceſcunt. Proinde cum nemine litigabo, qui latè accepto *Mumiæ* vocabulo corpora modò ſiccata *Mumias* nominare amet. *Mumis* autem noſtris medicinalibus, vel uſui medicamentoſo deſtinatis adnumerari neutiquam poterunt; cùm in hiſce non tàm caro Humana, quàm ſpecies condientes deſiderentur ac conſiderentur.

Theoph. Paracelſus, Tomo 9. Operum, Tract. 3. Philoſophiæ, f. m. 400. ſequ. Loco *Mumiæ* uſualis commendat cadavera violentâ morte occiſorum, præcipuè eorum, qui in patibulo vel rotâ fuere exſiccata. Meminit quoque f. m. 402. *Mumiæ* cujuſdam *magneticæ* è carne vivorum Hominum parabilis, tam contra morbos contumaciores, quàm pro aliis uſibus adhibendæ. Verùm hâc de re multa heic philoſophari extra meum eſt propoſitum, imò planè tacere magis conſultum judico.

De dictâ hâc *Mumiâ transplantatoriâ* peculiarem conſcripſit Tractatum *And. Tenzelius*, quem Medicina Diaſtatica appellitat, cujus mentem ibidem videre, cuicunque libet; licèt. *Joh. Schroderus*, Pharmacop. Medico-chym. Lib. 5. claſſ. 1. cap. de *Homine*, p. m. 294. meminit *Mumiæ* recentiorum, dum cadaver Humanum violentâ morte peremptum; myrrhâ, aloë, &c. præparat, & in *Mumiam* exſiccat Depromſit autem hæc è *Crollii* Baſilicâ Chymicâ; qui p. m. 257. hanc deſcripſit ſub titulo *Theriaca de Mumiâ Petrus Poterius*, Cent. 3. obſervat. Med. 80. p. m. 296. & alibi

medi-

medicamentum quoddam externum contra ulcera maligna inveterata, &c. nominat *mumiam mineralem*, ejuſque præparandi rationem tradit in Appendice ad Pharmacop. Spagyric. p. m. 638. è *plumbi* parte 1. & *Mercurii* partibus 2.

In uſum Mumiæ Medicum inquiritur.

Hâc occaſione non poſſum non, quin mentionem faciam controverſiæ illius, an illæ Veterum *Mumiæ* tanti ſint æſtimandæ, ideòque in uſum medicum trahendæ, quanti hucuſque à nonnullis fuerunt judicatæ, an verò potiùs Chriſtiano indigna ſit harum applicatio Medica, veluti itidem non pauci rigoroſam hactenus foverunt, & adhuc fovent ſententiam?

Affirmativam amplectentes, in ſpecie dum loquuntur de cadaveribus pretioſiore modò pollinctis, mirum-quantum deprædicant laude omni, invidiæque livore majorem efficaciam, rerum ſummè aromaticarum v. g. Myrrhæ, aloës, opobalſami, cinamomi, &c. artificiosè admixtarum, ac in maſſam durabilem coactarum applicationem; præprimis cùm hæ pleræque recentes, natalibuſque locis vicinæ, ideoque virtute innatâ adhuc fortiori ac unita turgidæ, nec diuturnitate tranſportationum, temporis, diverſi aëris, ac climatis mutatione, myrobolarum adulteratione, &c. corruptæ adhiberi poſſint veluti noſtris quidem in Regionibus horum uſu contenti eſſe cogimur.

Non minùs optimè ſentiunt de corporibus viliore ſaltem methodo mumiſatis, cùm ſpecierum balſamantium (modò etiam nobiliores non fuerint ac *aſphaltum* & *piſſaſphaltum*,) effectus tàm laudabiliter de ſua cauſa teſtetur, producuntque non ſolùm pro ſtabilienda ſua aſſertione magnam variorum Medicinæ Procerum autoritatem, v. g. *Galeni*, de ſimpl. Medic. facult. Lib. 11. cap. de *Aſphalto*, p. m. 312. & *Avicennæ*, Lib. 2. Canon. tractat. 2. cap. 17. f. m. 111. ut taceam mille aliorum, quâ Veterum, quâ Neotericorum, quæ adduci poſſent, teſtimonia; ſed etiam concatenatâ tot ſeculorum confidunt experientia, quippe quâ indubiè conſtat, mumiale hoc medicamentum, etiam levioris quod ſaltem eſt pretii, tam affectibus variis externis, quàm internis (non multis, ſed) plurimis per Orbem, ubi-ubi Medicina viget, felici ut plurimum effectu exhiberi. Hinc Bellonii quoque verba, Lib. 2. obſervation. cap. 47. teſtantur, tantum *mumiarum* uſum atque æſtimationem fuiſſe in *Gallia*, ut Rex *Franciſcus I.* Literarum ille reſtitutor nuſquam proficiſceretur, quin penui ejus Præfecti illam ſemper cum Rhabarbaro deferrent, atque etiam ipſemet geſtare, ſolitus eſſet.

Qui verò negativam defendunt; Medicas *mumiarum* vires neutiquam tanti eſſe ponderis ſtatuunt, ceu vulgò creditur. Cum 1. aromatibus, & quæ ad hæc pertinent ſimilibus ſumptuoſis & efficacibus ſaltem conditi fuerint Magnates; hi verò ſerventur in ſepulchris bene munitis ac clauſis, nec tradantur Mercatoribus, ut turpiter eas vendant, juxta *Matthiolum*, Commentar. in *Dioſcoridem*, Lib. 1. cap. 85. f. m. 89. imò eas ſurripere, ſit capitale, teſte *Jul. Cæſ. Scaligero*, exercitat. de ſubtilitate 104. num. 9. p. m. 388.

Econtra ad Exteros tranſportentur ſaltem viliores, eamque minus virtuoſam expertæ conditurам.

2. Quia vires, ipſis quæ tribuuntur, non tam à carne aut oſſibus humanis dependeant, quàm à remediis condientibus. Quo ſtante, multò magis erit conducibile hæc ſola & recentia, nec cadaveroſa corruptione alterata ac adulterata uſurpare, præcipuè, quod neutiquam ſimilium materiarum balſamicarum raritate ac caritate ad hoc compellamur; ſed eaſdem non modiò aut trimodiò; ſed toto quaſi horreo, ceu dicitur, hunc uſque in diem *Europæ* Noſtræ admetiantur impigri Mercatores, 3. Quoniam omne extra dubium conditura non modò aliquid mali contraxit à cadaverum tabo ac ſanie; verùm etiam in ſpecubus ſubterraneis eadem aſſervantibus vagentur perpetui halitus cadaveroſi, aëriſque adſit torpor, ac pigritiès, à quibus ſanè balſamico-aromatica cadaveribus infarcta reddi meliora atque efficaciora vix erit credibile. 4. Dum quoque multi pollinctorum Peſte, febre maligna, Phthiſi, Hydrope, Lepra, aliiſque morbis abominabilibus ſunt extincti, *Mumia* autem nihil aliud ſit, quàm ſuccus expreſſus cadaveris, proinde rationi neutiquam conſentaneum videtur, à *Mumiis* ſepulchralibus effectum laude dignum, ac proficuum eſſe ſperandum.

5. Adhæc ſtultum, barbarumque omninò eſſet, viliſſimæ *Ægyptiorum* plebeculæ, ac facinoroſorum cadaverum putreſcentes carnes devorare, quaſi Divina Ars Medica, Ars illa ſervandorum Hominum; non noverit alia, quàm horrenda hac inſitione Homines ſuos conſervare. Veluti uberiora legi poterunt, præter varios alios apud *Ambroſ. Paræum*, Oper. Chirurg. lib. 11. cap. 7. f. m. 366. *Melch. Sebizium*, in accuratiſſima Diſputatione de Conditura cadaverum, *Joh. Brunonem*, Diſputat. de Medicamentis ex Homine peritis, *Paul. Ammannum*, in manuduct. ad materiam Medic. ſect. 4. cap. 1. theſ. 5. p. m. 156. alioſque; In ſpecie conſuli poterit *Andr. Libavius*, ſingularium Parte tertia, Lib. 7. præcipuè cap. 16. 17. 18. 19. 20. p. m. 914. ſequ. ubi affirmantium & negantium argumenta multis ambagibus ventilantur.

Ut tenuem quoque hiſce diſſentientibus (Pace tamen tantorum virorum) meam ſubnectam opinionem, videntur nimis duriuſcule ſentire negativam aſſerentes. Nam (1.) quamvis concedatur, Magnates pretioſis aromatibus conditos præteritis ſeculis non fuiſſe ſepulchris exemtos, venditos, & ad Noſtrates miſſos, *Ægyptiis*, *Aſſyriis* ac *Babyloniis* ſuo adhuc jure ac autoritate, ſub proprio Regis imperiô fruentibus. Jam verò iiſdem modò à *Perſa*, modo à *Turca* ſubjugatis, tantùm abeſt, ut ſepulchra divitum ac Procerum, ex devictorum Regnis reſiduorum poſtea ſemper tam reverenter fuerint habita, ut potiùs inter tot ac tot tumultus bellicos invaſionumque hoſtilium altercationes lucrum è re qualibet quæri, militibus, & qui ſeſe hiſce aſſociarunt fuerit conceſſum. Quam opinionem confirmant ipſæ apud nos conſpicuæ *Mumiæ*, dum multæ ſeſe oculis offerunt, non nudæ, aut leviter ſaltem veſtitæ; ſed ſyndone, byſſo, ſimilibuſque linteis rarâ texturâ, & pretioſitate ſeſe commendantibus, artificiosè obvolutæ, item inauratæ, multifariamque decoratæ, imò coronas partim geſtantes; de quibus largum exhibent teſtimonium *Gryphius*, aliique ſuperiùs adducti curioſi ſcrutatores ac Hiſtorici. An igitur hæc ſint ſigna & inſignia plebis & ruſticorum; non verò Magnatum, judicent alii.

Poſitô autem & conceſſo bonam talium corporum nobis communicatorum partem, viliore ſaltem modo eſſe conditam, ſi deficerent rationes pro ſtabilienda harum virtute, & efficacia, à poſteriori vel ab effectu argumentando, more in Medicina Practica communi, ſola ſufficeret Experientia, magna illa rerum omnium magiſtra, quippe quæ ſingulis diebus undiquaque egregia hujus rei producit teſtimonia contra diverſos morbos, fortem quoque ſæpius Herculeam clavam poſcentes; qua de re clariora

& ampliora tradet cap. 7. vel ultimum, ſub titulo *Eſſentiæ purificantis.*

Non deficiunt tamen quoque rationes; *Piſſaſphaltum* enim *Ægyptiorum*, hoc eſt, mixtura è pice & bitumine innata qualitate longius antecellit picem & reſinas noſtri climatis, ideò quòd majorem ab illuſtrioribus & ditioribus ſolaribus irradiationibus hauſerit efficaciam.

Adhæc credibile eſt, illam picem eſſe confectam è *Terebinthô*, *Cedrô*, ſimilibuſque arboribus inſigni balſamicâ virtute pollentibus. Veluti quidem manifeſtum de *Cedrô* teſtimonium in promptu eſt *Ped. Dioſcoridis* Lib. 1. de Mat. Med. cap. 89. f. m. 83. Cedrus Arbor eſt magna, è quâ picem colligunt, &c. ampliora verba videantur paulò ſuperiùs, ubi de unguentô cedrinô balſamico *Herodoti* tractavimus.

Licèt Noſtræ itidem tàm abjectæ pici ſua laus non deroganda, ipſique & ſimilibus rebus vilibus adhuc major deberetur, modò in rerum naturalium penetralia majori fervore intrare ſtuderent Hygieæ Filii. Siquidem præter illud, quod Chirurgi eandem variis externis non ſine fructu applicent affectibus, aliquot Amicorum. imò propriâ mihi conſtat experientiâ, è pice communi per ſpiritum vini, ſale alcali fixo quodam, quale hoc ſit, extrahi poſſe eſſentiam contra Scorbutum, alioſque morbos putridos multa valentem. Retulit mihi inſuper Amicus, chimicarum rerum notitiâ celeberrimus, è Pice parari poſſe oleum, cujus gutta unica in Peſte ac morbis malignis mirabilem præ ſe ferat efficaciam. Fieri autem hoc, dicit, dum pici pulveriſatæ ſuperfundatur lixivii è cineribus clavellatis, vel ſimili alcali quantùm ſufficit; ſtet ita aliquot menſibus in digeſtione, pòſt tempore Hyemali in glaciem coaguletur, ac tandem deſtilletur inde oleum.

Deinde facilè quidem concedi poterit, operationem Medicam mumialem non eſſe adſcribendam carni, aut oſſibus Humanis; nihilominùs imperfecta, eſt conſequentia, ergo hoc vel illud dictorum ingredientium balſamantium feliciori effectu ſolum & recens exhiberi poterit.

Ut enim taceam de hoc, quod denuò ad experientiam contrarium teſtantem provocare liceat, (cùm opem à *Mumia* allatam hujus ſimplicia aromatica ſolùm & ſeparatim propinata certè non præſtabunt) v. g. Conſtat magni cujuſdam Archiatri, proprioque experimentô, *mumiam* in Partu difficili raram & optatam conferre opem; an idem ſit ſperandum de dictis ſpeciebus ſeorſim ſumptis, judicent Praxeos Medicæ gnari. Dico ſaltem, longam omninò intercedere differentiam inter compoſitionem quandam medicamentoſam in regione calida *Orientali* ipſi natali artificioſè mixtam, atque ita optimè munitam ad Nos tranſvectam, & inter hujus compoſiti ingredientia ſeparatim nobis communicata. Nam hujus vel illius ſimplicis virtus minimè una eademque eſt cum totius mixturæ compoſitæ virtute. Ad hæc modicum illud halituum noxiorum, quod fortaſſe inferrent *Mumiis* extraordinarie tamen, & ſuperflue quaſi contra injurias omnes externas munitis accuſatæ cryptæ ſepulchrales, neutiquam æquiparandum eſt jacturæ virium, cui expoſita ſunt ſingula ſpecialia remedia tam diverſa climata, tamque diverſas aëris mutationes tranſeundo experiri coacta. Accedit, quòd de horum adulteratione à mercatoribus aliquando tentata non ſecuri eſſe poſſimus.

Expende, ſis, ſequentem inſtantiam: Magnus Lipſienſium Chymiater, *D. Ioh Michaëlis* νῦν ἐν ἁγίοις, Anno 1659. curabat parari Balſamum ſuum apoplecticum ex ambra, moſcho, Zibethô, oleis cinamomi & caryophillorum ſtillatitiis, & pro maſſâ oleô nucis moſchatæ expreſſô ingredientibus conſueta doſi mixtis, Verùm Zibethi graveolentia, qualis nota eſt rei Pharmaceuticæ peritis, dum in quantitate & magna doſi naribus offerebatur, tanquam ſingulis pariebat indignationem, ſuffocando ſuaves reliquorum odores, ut Jovem juràſſes lapidem, alia modò notata non fuiſſe admixta: nec poterat ingratus odor Zibethicus ſupprimi, uſquedum reliquæ dictæ ſpecies in duplâ doſi, juxta ſolitam proportionem, omiſſâ ſolâ ulteriori Zibethi additione priori mixturæ unirentur. Cauſam hujus rei miratus laudatiſſimus Chymicus, tandem hanc inveniebat: Paulò antea dono acceperat ab Amico Batavo, Societatis Indicæ Orientalis, quam dicunt, Membro, vaſculum Zibetho plenum, quod ipſum in Bataviâ novâ erat repletum, neque unquam, niſi tunc Lipſiæ apertum.

Num igitur Zibethum, quod ordinariè venditur, tàm magnam patiatur virium ſuarum ruinam, ob repetitam vaſorum continentium in emptione & venditione apertionem, & atomorum evaporationem, an verò ob adjuncta nonnulla ſuppoſititia; an ab utrâque cauſâ, judicent alii.

De ſimili ſuppoſitione adnectam aliud notatu dignum exemplum: Dn. *Ioh. Langermannus*, mercaturæ frequentia & candore celebris Myropola *Hamburgenſis*, monſtrabat mihi Anno 1660. non unam alteramve drachmam aut unciam; ſed plures libras *Lapidum Bezoar* ſpuriorum, fraudulentæ manûs beneficio confectorum à *Iudæis Luſitanis* ſucceſſivè inter alios genuinos ipſi communicatorum. Indicabat quoque ſimul, adulterinos iſtos à veris nullo, niſi hôc unicô dignoſci poſſe ſignô; chartæ albæ affricetur creta, & huic aliquoties lapis Bezoar; genuinus tingit chartam cretatam colore è nigro flaveſcente; iſte verò è gypſo, &c. paratus non item. Quantùm ſumptuum inde fuerit perpeſſus diſpendium, cùm falſos aliis non venderet pro nota ſua ingenuitate dictus *Largermannus*, non difficile eſt hariolari.

Ex quibus (ut obiter hæc addam) pateſcit, quàm dubius ſit *Lapidum Bezoar* uſus Medicus; nam quod omnes mercatores & Pharmacopæi dicto modo veros à falſis diſcernere noverint, & ſi noverint, quoque diſcernant, nec indifferenter eos venditent, & propinent ob nummorum ſuorum jacturam, vix affirmare auderem.

Quod denique attinet tertium & quartum negantium argumentum (quaſi tabum ac ſanies, præcipuè illorum, qui morbis malignis, item Phthiſi, hydrope, lepra, ac ſimilibus putredini ſanguinis natales debentibus ad plures ſunt miſſi, pravitate noxiâ corrumpant ac inficiant remedia condientia, ſuperfluum non minùs metum inculcare videtur, ideò, quod viſcera (ſive tabida & corrupta fuerint, ſive non) juxta relationem hiſtoricam variorum Autorum in præcedentibus adductam, eximantur, ſanguis exprimatur, ventreſque omnes optimè vino Phœnicio eluantur, antequam dictæ ſpecies pollingentes applicentur & intrudantur, ut ita nihil reſiduum maneat præter cutem & oſſa exſiccata, juxta clara Herodoti Verba.

Quod quintò tandem de comeſtione *carnis Humanæ* objicitur, non opponam illis, quòd Neoterici è pluribus corporibus Humanis partibus, v. g. è *Sanguine*, *cerebro*, *cranio*, *oſſibus*, *pinguedine*, *urina*, *&c.* Medicamenta diverſa laudabili effectu in quotidianô habeant uſu; ſed ſtatuam, quòd veritati conſentaneum videtur, eſum huncce ſimpliciter conſideratum barbariem olere, ſi eadem devoretur. Sed quomodo in *Mumiis* id fiat, non video, quippe quod hiſtoricorum plurium, imò ipſius autopſiæ

teſtimonio,

teſtimonio, ceu modò dictum, ſola hîc reſtent cutis & oſſa humana ſiccata. Hinc, cùm in *Mumiæ* ad uſus medicos diſpenſatione removeantur involucra externa, oſſa, &c. nemo tunc *carnem humanam* devorare, etiam ſi vellet, poterit. Proinde corpora hæc mumiſata aliter ferè æſtimare non valeo, quàm pro thecis & capſulis mixturarum balſamicarum egregiarum in locis ſuis natalibus curiosè compoſitarum tranſportatoriis. Quod autem *Ægyptii*, aliique ſua cadavera nobis ad ſimilia officia exhibeant, ſibi habeant.

Materia & modus Condiendi Recentiorum exenteratione factus declaratur.

Formulæ nonnullæ condiendi latiores enarrantur.

Propoſitâ nunc Veterum materiâ, ac condiendi methodô, operæ erit pretium ulteriùs progredi, quidnam hâc in re prioribus ſeculis tanti æſtimata, (& hoc quidem non immerito, cùm extremum in mortuos honorem ac cultum concernat, ſinguliſque hæredes de ſuis defunctis benè mereri ſtudeant (præſtare placuerit, & adhuc placeat Noſtrorum temporum Medicis.

Cùm autem tempora mutentur, Nos & mutemur in ipſis; ita quoque evenit, ut ritus cadavera condiendi quibuſvis tantum non *Mundi* plagis ſucceſſivè apud plurimos evanuerit & ceſſaverit. Econtra aliæ, aliæque pro exhibenda in demortuos decente reverentia ortæ, ac introductæ ſunt conſuetudines, & eæ non minùs pompoſæ quàm pretioſæ. Hinc *And.Gryphius*, Tract. de *Mumiis VVratisl.* p. m. 81. inquit: *Eviluit illud decus mortuis quæſitum per lanienam & eviſcerationes, quas exigit Pollinctor, habitumque eſt immane, & inſigni dehoneſtamentô Pietatis famam affectantibus, Popæ alicujus aut victimarii inſtar ſævire in cadavera. Solenne econtra honorare defunctos quavis cura potiùs, & ingenti vel odorum, unguentorumque apparatu credere ſepulchris, ſed non diſciſſos.*

Nihilominus mos ille mortuos pollingendi nondum penitus deſiit ſeculis hiſce ultimis; ſed aliquando inter alias ſepulturarum ſolennitates atque luxûs in *Mundi* Proceribus vitâ functis exerceri ſolitos adhuc dum viget, diverſis tamen maximam partem, ac apud antiquas Gentes, *Ebræos*, *Ethnicos*, &c. fieri conſueverat, circumſtantiis.

Antequam autem proponam, qualem è variis Scriptoribus hauſerim hac de re notitiam, in meliorem ac majorem Lectoris notitiam lubet præmittere unum alterumvè modum integrum, eumque adcuratiorem mihi viſum inter illos, quos moderni pro condiendis Magnatum corporibus applicare hactenus ſoliti fuerunt.

Primus itaque in ſcenam prodeat *Ambroſius Paræus* qui in fine operum ſuorum Chirurgorum brevem, elegantem tamen, de cadaverum embammatibus Tractatum poſteritati reliquit. Ea quæ magis ad rem noſtram pertinent, f. m. 883. 884. deſcripta ſunt ab Autore, quæ contractiùs paulò hîc ſum relaturus, ita autem loquitur: Cæterùm aromatibus ad æternitatem condiendum corpus ante omnia exenterari debet; Corde ſeorſim habitô, ut per ſe conſanguineorum pro arbitrio condiri poſſit. Cerebrum quoque, cranio ſerrâ diviſo, avellendum eſt. Hinc profundis plagis ſecundùm brachiorum, femorum, crurum & dorſi, lumborum ac natium longitudinem diducendum eſt, præſertim quâ parte majores venæ & arteriæ excurrunt, primùm quidem ut ſic exprimatur ſanguis, qui alioquin corrumperetur, ac putredinis initium, ac occaſionem reliquo corpori præberet; deinde, ut pulviſculis aromaticis inſpergendis ſit locus, unde totum corpus lavandum eſt ſpongiâ imbutâ aquâ vitæ, & acri acetô, in quo incocta ſint abſynthium; aloë, colocynthis, ſal commune & alumen. Poſtea illæ plagæ, corporiſque ductus & hiatus omnes atque tres ventres infarciendi erunt aromatibus ſequentibus craſſiuſcule pulveriſatis: Recipe pulv. roſarum, chamomillæ, meliloti, balſami, menthæ, ſalviæ, lavendulæ, roriſmarini, majoranæ, thymi, abſynthii. cyperi, calami aromatici, gentianæ, ireos Florentinæ, aſſæ odoratæ, caryophyllorum, nucis moſchatæ, cinamomi, ſtyracis calamitæ, benzoës, myrrhæ, aloës, ſantalorum omnium, quod ſufficit. Conſuantur plagæ, ac hiatus, ne quid excidat. Mox totum iuungatur therebinthinâ liquefactâ cum oleo chamæmelino, & roſaceo, additis, ſi videtur oleis aromaticis, per eſſentiam extractis; iterumque aſpergatur pulvere commemorato. Inde ſindone involvatur, hinc telâ inceratâ. Denique capſa plumbea fideliter ferruminata componatur, herbis ſiccis odoratis plena. Quod ſi non adſit copia commemoratorum aromatum, uti ferè contingit in oppidis obſceſſis, pulvere erit contentus Chirurgus è calce extincta, cinere communi, uti querno conflata. Sic enim cadaver inſuper forti acetô aut lixivio lotum in multum tempus aſſervabitur; modò calor ingens & colliquans non vigeat, aut non reponatur in loco calido & humido. Atque iſthæc tempo is & loci conditio in cauſa eſt, cur Principum & Regum cadavera, multa quantumvis arte & impenſis condita in ſex aut ſeptem dies, quibus poſt condituram Populo ſpectanda ſervantur, antequam inhumentur, adeò gravem odorem ſpirent, ut eum nemo ferre poſſit, ſic ut neceſſe habeant, plumbeo feretro recondi. Præſertim hoc fit, cùm rerum aromaticarum liquore non antea imbuantur, & macerentur, quemadmodum Ægyptiis olim in more fuiſſe, dum in Salſilagine per ſeptuaginta dies continebantur, veluti antea ex *Herodoto* prodidimus. Hâc ego ratione admonitus, ſoleo, quò conditura ad æternitatem melior ſit, cadavera eviſcerata & ſtylis acutis, quò altiùs in ipſa ſubeat liquor putredinem arcens, compuncta in culpam ligneam forti aceto decoctionis rerum aromaticarum, & amararum, uti aloës, rutæ, abſynthii, colocynthidis plenam demergere, ibique ad viginti dies, affuſis aquæ vitæ undecim vel duodecim libris continere mox exempta, & in pedes erecta loco ſudo & ſicco aſſervare, &c. Hucuſque *Paræus.*

Paræo ſuccedat *Balthaſar Timæus* à *Guldenklee*, Vir in conditurâ cadaverum percelebris; Hic lib. 6. Epiſtol. Medicinal. Epiſtol. 10. p. m. 413. Filio ſuo, Dn. D. *Ioh. Eduardo Timæo*, Amico olim meo Academico, ſequentia ſcribit: Modus condiendi funera, quem ex me ſcire deſideras, varius eſt, & pro arbitrio Parentum ſeu Cognatorum inſtituitur. Interdùm totum cadaver, omneſque ejus ventres & artus artificioſè condiuntur, ſæpe medius & infimus, nonnunquàm tantùm infimus venter exenteratur, remediiſque convenientibus à putredine & corruptione præſervatur; quæ & ipſa varia ſunt & diverſi generis. Alii ſola aloë & Myrrha, alii Spiritu Vini, alii acetô & ſale, alii lixivio & calce viva, alii pulveribus compoſitis, oleis deſtillatis, unguentis & balſamis utuntur.

Ego Illuſtrium quorundam condituram ſequenti modo adornavi, cui etiam nunc inhæreo: Primò de

de inſtrumentis, aliiſque rebus ad hanc operationem pertinentibus proſpicio, quales ſunt cultelli, novaculæ, forfices, volſellæ, ſtyli, acus, filum, uncinus, habenæ, faſciæ, ſerra, ſpongiæ, ſtuppæ, linteola, acetum, aqua vitæ, aqua ſalſa, tela cerata, olea, balſama, pulvis magiſtralis infra deſcriptus, &c. His omnibus rectè diſpoſitis cadaver Vino calente à ſordibus externis benè deterſum & mundatum locô congruô collocari jubeo, ventremque infimum decuſſatim ſecundùm longitudinem & latitudinem incido, & inteſtina cum Meſenteriô, ſtomachum, renes, lienem, veſicam, uterum eruo, & miniſtrante Chirurgô exprimo. Mox & medium ventrem, ſive Thoracem aperio, & pulmones cum corde, venis, arteriis, diaphragmate, Oeſophago, ad epiglottida uſque exſcindo, vaſaque omnia diligenter exprimo. Deinde totam illam ventris & thoracis cavitatem primò aquâ frigidâ eluo; ſpongiiſque probè detergo; hinc acetô acerrimô, & tandem aquâ vitæ vel Spiritu Salomonis, qui ad arcendam putredinem & corruptionem efficaciſſimus eſt. His præmiſſis pulverem infrà deſcriptum partibus omnibus inſpergo, & fortiùs infrico, ac deinde faldellas è ſtuppa vel goſſypiô aquæ vitæ immerſas undique applico, inſperſoque denuò pulvere totam & ventris & thoracis cavitatem adimpleo, ac demum cutem, quæ ſciſſa eſt, conſuo.

Capitis conditurain ſic inſtituo; Cranium ſerrâ acutiſſimâ circulariter ſeparo, vel à vertice tantùm verſus occiput aperio; mox Cerebrum eximo, & cavitatem eôdem modô, quô ventrem, primò aquâ frigidâ, deinde acetô, tandem aquâ vitæ vel ſpiritu Salomonis probè eluo, ſpongiiſque abſtergo, & pulvere, ſtuppiſque repleo. Fauces per ſyringam probè repurgatas pulvere caryophyllorum & cinnamomi infarcio, Faciem Balſamô *Peruviano* vel Spiritu Salomonis largiter & repetitim illino.

Tandem partes muſculoſas & carnoſas profundis inciſionibus, potiſſimùm circa nates, femora, ſuras & brachia divido, diligenterque lotas & expreſſas pulvere infrà deſcriptô conſpergo. Poſtremò omnium cadaver linteo incerato adhuc calente involvo, & pice navali, vel reſina pini & ſtyrace liquida ad ignem fuſis illino. Si in longius tempus cadaver aſſervandum eſt, partes carnoſæ ſubmoveri, & unà cum interioribus ſepeliri debent. Si cor ex Amicorum placitô vel ſedi ſuæ reſtituendum, vel in capſula ſeorſim cuſtodiendum eſt, abluatur primò aqua noſtra balſamica ex aloë & myrrha, poſtmodùm Spiritu Salomonis, & tandem Balſamo Peruviano illinatur.

Cœterùm & hæc obſervanda: 1. conditurain à morte defuncti maturandam, nec ultra diem naturalem, præſertim æſtuante cœlo, differendam. 2. Cadaver etiam locô frigidô, nec radiis Solaribus expoſitô aſſervandum. 3. Nec ciſtæ ligneæ, ſed plumbeæ & ſupra hanc ſtanneæ vel argenteæ includendum. Lignum enim facilè teredinem vel cariem contrahit, & in locis ſubterraneis & humidis protuberat, ciſtaſque ſeu ſtanneas, ſeu argenteas, qua parte ferruminatæ ſunt, diſſolvit. 4. Omnia circa conditurain fideliter & ſummo ſtudio peragenda ſunt, ne putridum quid poſtea exhalet, & fœtore ſuo vel Amicos, aut quibus cuſtodia aut funeris cura demandata eſt, offendat; id quod non ſine ignominia magni cujuſdam Medici factum, memini. 5. Tandem & ipſi, qui circa operationem hanc occupantur, ſibi caveant, ne quid damni ab effluviis & vaporibus à putrida viſcerum corruptorum labe exhalantibus, capiant; præſertim cùm eorum corpora, quæ morbo aliquo contagioſo, aut Phthiſi, vel empyemate interiere, ſunt condienda.

Æſtate fiat hæc operatio in conclavi ventis pervio, & qua *Boream* ſpectat, feneſtris apertis, *Hyeme* lucente camino, accenſis lignis fraxineis, vel quercinis, aut juniperinis, minimè verò in Hypocauſto. Aggreſſurus hunc laborem aſſumat aliquid ex alexipharmacis, quibus cor & cerebrum adverſus exhalationes noxias præmuniat.

Nares etiam Balſamo aliquo inungat, vel ſpongiam aceto bezoardico impragnatam admoveat, in ore trochiſcos de Zedoaria, de corticibus citri, vel alios præſervantes detineat. Vel ſi nihil horum ad manus ſit, ſaltem aliquid cibi, vel buccellam panis vinô intinctam capiat. Commodiùs puto ſectionem à ventre infimo, quàm à mediô exordiri; & à calce vivâ, alijſque corpora non aſſervantur, ſed conſumuntur;

Pulvis pro implendis cavitatibus calvariæ, thoracis, abdominis: Recipe Myrrhæ electæ libras 4. Croci ſylv. lib. 2. ſtyrac. calamitæ lib. 2. cinamomi acutiſſimi, lib. caryophyllor. lib. 2. aloës caball. l. 5. roriſmarini ſiccat. lib. 2. Thuris lib. 1. fol. lauri arid. roſarum rubr. ana lib. ſemis, incidenda incidantur, fiatque pulvis groſſus. Sparadrapus pro involvendô corpore, interiuſque obducendo capulô: Recipe Ceræ flavæ lib. 25. Terebint. Venet. Colophoniæ, reſinæ ana libras tres. Picis navalis libras duas ſemis, viridis æris libram unam, Thuris, ſtyracis liquid. ana libras duas, olei ſpicæ libram ſemis; Liquefactis & mixtis adde ſevi libras duas, vel quantùm ſufficit, mixturæ huic immergantur telę lineæ, & fiant ſparadrapi. Pulvis ſparadrapis inſpergendus: Recipe Abſynthii vulgaris, abrotani, lavendulæ, roriſmar. fol. lauri ana manipulos ſex, ſalvię, flor. chamomill. ana manipul. tres, radic. ireos Florentinæ, libras quatuor, calami aromatici, angelicę, cyperi, cortic. aurantiorum, citri ana libram unam, ligni rhodii libras tres, Juniperi; ſaſſafras, ana libram unam ſemis, ſantali citrini, ligni oloës ana libram ſemis, cinamomi, caryophyllorum ana libram unam, florum roſarum rubrarum libras duas, Aloës, myrrhæ, thuris, ſtyracis, benzoës optimi ana libras duas, ſalis libras quatuor, miſceatur, fiat Pulvis qui irroretur olei ſpicæ librâ ſemis. Recipe olei roris marini, ligni rhodii ana uncias tres, caryophyllorum unciam unam; miſce exactiſſimè pro Balſamo. Recipe ſtyracis liquidæ uncias ſex, Balſami Peruviani uncias duas, olei macis unciam ſemis, ligni rhodii unciam unam ſemis, M. F. Balſamus.

Tertius ordine nunc prodeat *Melchior Sebizius* verus ille, ſi à *Daniele Sennerto*, communi illo Præceptore diſceſſeris, Germanus *Hippocrates*, Hic in accuratè elaborata diſputatione de conditura cadaverum Humanorum varia è variis Autoribus antiquis & recentioribus hanc rem concernentia curiosè collegit, quæ quidem partim è duobus modò præmiſſis Medicis jamdum adducta ſunt, atque è meis ſuprà hinc inde allegatis pateſcunt; partim verò heic ſubjungam; præcipuis tamen ſaltem propoſitis, ne inutili ac tædioſa repetitione moleſta pariatur nauſea Lectori.

Dividemus autem è laudato *Sebizio* producenda in materiam & modum condiendi. Materiam dicit eſſe quintuplicis generis; primò enim pertinet ad cadaveris macerationem ſeu infuſionem, 2. ad ejuſdem ablutionem, 3. ad impletionem & infarctum, 4. ad illinitionem externam, 5. ad fragrantiam & odoris ſuavitatem comparandam.

I. Macerationis materiam, quæ ideò requiritur, ut diutiùs à corruptione corpus præſervetur, dicit eſſe variam, nimirum muriam; vel ſalſaginem, hoc eſt, liquorem è ſale reſolutô, lixivium forte, acetum acerrimum, item Spiritum Vini fortem. II. Materia pro ca-

daveris ablutione tàm externa, quàm interna itidem eſt aqua frigida, aquâ ſalſa, lixivium, acetum acre, in quô parum aluminis vel ſalis diſſolutum eſt, & aqua vitæ. III. Materia pro infarctu & balſamatione, ut & pro illinitione atque odoris ſuavitate conciliandâ, iterum varia eſt, & multiplex, ſtuppæ ſcilicet cannabinæ, atque goſſypium, quæ Spiritu vini imbuuntur, exprimuntur, iiſque cavitates cadaveris replentur; ubi priùs pulvis putredinem inhibens inſperſus eſt, & fortiter infrictus.

Petitur verò materia hęc à pluribus ſpeciebus medicamentoſis, nimirum ex aromatibus, pręcipuè cinamomô, caſſia lignea, caryophyllis, nuce moſchatâ, macis, cubebis, cardamomô utrôque, galanga, piperibus, Zingibere, crocô, &c. item è lacrymis & gummatibus, maſtiche, thure, myrrha, ſtyrace, calamita, benzoë, camphora, pice; Item è ſuccis inſpiſſatis aloës ſuccotrinæ, acacię; item è radicibus, ubi pręaliis valent radix gentianæ; ariſtolochiæ rotundę & longę, pimpinellæ, dictamni Cretici, Iridis Florentinæ, cyperi rotundi, helenii, cardui benedicti, caryophyllatę, angelicę, imperatoriæ, mei, calami aromatici, Zedoarię, tormentillæ, biſtortæ, galangæ, pyrethri, peucedani. Item ex herbis, ſcordio, abſynthio, matricariæ, botryos, carduo benedicto, abrotano, artemiſiâ, marrubio, chamædryos, chamæpythios, rutâ, ſalviâ. Item è floribus roſarum, lavendulæ, ſpicæ, nardi celticæ, chamomillę, meliloti, caryophyllorum, roris marini, ſtœchados arabicæ, ſtœchados citrinę, tanaceti, cheiri, ſummit. anethi, fœniculi, item è fructibus, baccis lauci, juniperi, myrthi, nucis cupreſſi, colocynthide, gallâ; item è ſeminibus aniſi, fœniculi, ammeos, apii, carvi, coriandri, cumini, amomi, ſileris montani, nigellæ, lupini; item è corticibus citri, aurantiorum, limoniorum, citriorum, granatorum; item è Lignis, ſantalo rubro, citrino, albo, Xyloaloë, guajaco, ſaſſafras, rhodio, cupreſſi, cedri, ebeni, buxi, juniperi; item è foſſilibus & mineralibus corporibus, calce, ſulphure, ſale gemmæ, gypſo, ſuccino; Item è ſuccis concretis, ſale, alumine, nitro, tartaro; item è reſinis, abietinâ, laricea, cędriâ, ſi haberi poteſt. Simplicia, quę odoris gratiâ in feretrum conjiciuntur, ſunt tum multa è jam dictis, tum etiam roſmarinus, lavendula, ſpica, thymus, origanum, calamintha, ſatureia, hyſſopus, meliſſa. mentha, menthaſtrum, nepetha, baſilicum vulgare, caryophyllatum, & citratum, pulegium, polium, ſerpillum, folia lauri & myrti, Olea deſtillata, & inde parata balſama, fragrantię causâ illinuntur, oleum lavendulæ, ſpicæ, majoranæ, ſalviæ, nucis moſchat. roſarum, roriſmarini. cinamomi, caryophyllorum, aniſi, fœniculi, benzoini, ſtoracis, carvi, corticis aurantiorum, citri. Ex oleis coctis vilioribus eligi poterunt odoratiora, ut oleum anethi, majoranæ, menthæ, ſalviæ, nardi, iiſque tum terebintina, tùm olea deſtillata, & balſama miſceri.

Cadaver maceratum, infarctum & illinitum immediatè tegit atque involvit linteamen. Mediatè verò idem operit tela cerata & loculus è cupro, ſtanno vel plumbo facta, quæ includenda alii feretro ligneo, probè undiquaque obturato, aut pice lutato.

Ipſum verò condiendi modum quod concernit, balſamatio adminiſtretur à Medico aut Chirurgo ejuſmodi actui aſſueto, & materiei ad condituram neceſſarię gnaro, inſtrumentiſque ſufficienter inſtructo. Imperitus enim & minùs exercitatus condiet ita cadaver, ut brevi tempore putreat, cum dedecore & ignominiâ propria, Hæredum indignatione, ſpecierumque aromaticarum jactura.

Ad præcautionem, ne ab atomis putridis inficiantur Balſamator, miniſtri & adſtantes, quinque pręſidijs ſeſe muniant, nimirum eſculentis, potulentis, ſublingualibus, odoramentis, & ſuffitu. Eſculenta ſunt confectio alchermes, confectio de hyacintho, Theriaca, Mithridatium, antidotumMatthioli, Diaſcordium Fracaſtorij, cortices citri conditi, aurantiorum, nux moſchata, calamus aromaticus, nux juglans, radix helenij, pimpinellę, ſcorzonerę, omnia condita; Conſerva roſarum, violarum vitriolatę, acetoſę, citri, flor. citri, florum aurantiorum; Potulenta ſunt Vinum creticum, Vinum Hippocraticum, Spiritus vini, Spiritus aniſi, fœniculi, aqua theriacalis cum aceto, aqua theriacalis cum vino, Syrupus acetoſitatis citri, corticis citri, limonum, granatorum. Sublingualia, & quę in ore detinentur ſunt trochiſci ſublinguales, radic. angelicę, helenij, imperatorię, petaſitidis, Zedoarię, cortices citri, aurantiorum, calamus aromaticus, acorum verum, cinamomum, caryophylli. Odoramenta naribus illinenda ſunt Balſamus apoplecticus, citri, ſuccini, rutę, angelicę, corticum aurantiorum, citri, aniſi, fœniculi, ſalvię, roriſmarini, pulegij, menthę, majoranę, lavendulę; Acetum rutę, roſarum, calendulę, Bezoardicum.

Naribus ſępè applicentur Faſciculi ex herbâ meliſſæ, rutæ, menthę criſpę, menthę rubrę, baſilici, pulegij, ſerpilli, thymi, majoranę, roriſmarini, lavendulę, ſatureję, hyſſopi, fl. roſarum, violarum, citri, aurantiorum; Suffitus parentur è ſuccinô, thure, ſtorace, benzoë, lignô Juniperinô. Accendantur candelę pro fumô officinales, Trochiſci pro fumô Regis Hiſpanię. Tandem tela cerata ſic paretur: Recipe cerę novę libras quatuor, reſinę pini, terebintinę ana libras duas, gummi arabici uncias octo, liquentur unà, & linteamen immergatur.

Quę hactenus propoſuimus de conditurâ, pręſupponit laudatus Sebizius, eam eſſe defuncti conditionem, eaſque facultates, ut nihil deſiderari poſſit eorum, quæ ad ſumtuoſiorem operoſioremque modum requiruntur, Cùm pauperum pollinctura ſeculis ultimis deſierit, de hâc nihil hîc diſſerendum ampliùs, ſed ad pręcedentia benevolum Lectorem remitto capita.

Addit verò Sebizius Noſter, in Urbium obſeſſionibus aliquando requiri condituram Ducum Belli; Cùm autem tunc ut plurimùm deficiat odoramentorum & aromatum copia; Ideòque contenti eſſe tenemur pulvere ex calce extinctâ, & cineribus quercinis, utpote pręalijs magis exſiccantibus. Cadaver tamen priùs forti acetô, aut lixiviô lavandum, & conditum in locô frigidô aſſervandum. Sufficere item poſſe, inquit, ſalituram illam qua mactatorũ pecorũ corpora ſaliri ſolent, ut putredo arceatur.

Gregorius Horſtius, Sen. Lib.3. obſervation. Medicinal. in appendice ad obſerv.9. f. m.130. talem deſcribit mumiſandi rationem: CumNobil. à *Lehrbarch*, Mareſchalli *Darmſtadini* corpus ad ſepulturam eſſet condiendum, modò ſequenti ſumtibus non admodum operoſis id ipſum fuit peractum: Recipe Vini ſublimati menſuras 2. prò abluenda poſt exenterationem tota cavitate interiore pectoris & abdominis, quæ ſtatim poſt factam ablutionem terebinthina undiquaque adſpergatur, ut pulveres & herbæ injiciendæ meliùs adhęrent, & ſequentibus impleatur: Recipe fol. roriſmarini, lauri, hyſſopi, abſynthii, mentæ, rutæ, ſalvię, ſerpilli, pulegii. origani, ſcordii, flor. roriſmar. roſarum, lavendulę, chamæmeli, ſtœchados, Spicæ ana M.2. ſemin. carvi, fœniculi, ana libram ſemis, radic. gentianę, caryophyllat. angelicæ, valerianę, ana libram unam, incidantur craſſiuſculè. Tunc recipe Aloës lotæ libras duas, myrrhæ, libram ſemis, maſticis, thuris ana uncias duas, benzoës, ſtyracis, calamitę, ladani, cinamomi, caryophyllorum, macis, nucis moſchatæ, Croci ana unciam unam, mumię uncias duas ſemis, groſſo modo contuſa miſce, & cum pręcedentibus hæc omnia capacitati injiciantur, corpuſque ſuturis occludatur, ac ſequentibus oleis totum inungatur: Recipe olei abſynthii, rutæ, ſpicę, chamomillæ ana uncias quatuor, juniperi, laurini

ana

ana uncias duas, petroſelini unciam unam ſemis, terebinthinę unciam unam. Ad inceratíonem induſii, quô corpus poſt inunctionem induatur, Recipe Terebinthinæ libras tres, ceræ libras quindecim, diſſolvantur cum oleô pro cerato. Pro replenda capacitate narium ac aurium, Recipe olei nucis moſchatæ expreſſi, unciam ſemis, ſtillatitii caryophyllorum unciam unam ſemis, miſce.

Wolffgang. Hœferus, Hercul. Medici lib. 5. c. 2. p. m. 248. hæc Poſteritati reliquit; Sequentem Balſamationis methodum vidi *Ingolſtadii*, cùm in prælio *Nordlingenſi* egregius Heros, *Montecuculi*, occubuit; cujus cadaver à Parente meo pro itinere in *Italiam*, & ulteriore etiam duratione ſic fuit pręparatum: Primò exemta viſcera omnia, cum corde, pulmonibus, cerebrô, oculis; tota cavitas vino lota, deinde adſperſa terebinthina cocta; Pulveres erant compoſiti è myrrhâ, aloë, thure, maſtiche, ſuccino, mumiâ, benzoë, ladano, croco, & reliquis aromatibus, quibus omnibus craſſo modo contuſis, & manipulatim inſperſis ſuperadditæ fuerint herbæ ſiccæ, & craſſiuſculè inciſæ, ut univerſa cavitas, poſtea conſuenda, impleretur. (Herbas antea nominatas hîc non repetimus) Caro autem muſculoſa per longitudinem inciſa pari modo Spiritu Vini lota, oleis inuncta, terebinthina adſperſa, & ſupradictis pulveribus, tamen ſine herbis, repleta eſt. Totum denique corpus faſciis inceratis obductum, ſervatis artuum figuris, ſtatuæ cereę ſimilitudinem repręſentavit, Cavitates verò oculorũ, nariũ, aurium & oris pretioſo balſamo ex oleo nucis moſchatæ, caryophyllorũ, cinamomi, ſuccini, rutæ, Balſamo *Peruviano*, moſcho & ambrâ implevimus & obturavimus. Poſſunt etiam ſimilibus oleis, addito oleo ſpicæ, terebinthinæ, & ſimilibus cavitates & inciſurę muſculorum priùs inungi loco terebint. coctę, antequam pulveres & herbæ inſpergantur.

Hieronymus Reuſnerus. in Obſervat. & Curat. Medicis, Obſervat. 200. p. m. 105. (quas edidit, de re Medica optimè meritus *Georg. Hieron. Velſchius*, Collega noſter honorandus, b. m.) proponit methodum, quâ *Joh. Stœkelius*, Profeſſor in Academiâ Julia cadaver Sereniſſ. *Principis Brunſvicenſis Sophiæ* condiverat; additq; aliam, qua ipſe in multis Nobilibus uſus eſt. Cùm autem ab hactenus dictis non adeò multùm differant, ſpeciatim omnia enumerare ſuperſedeo; ſaltem hoc addens, laudatum Dn. *Velſchium* meminiſſe, quod ſervet ſingularem Tractatum manuſcriptum de conditura cadaverum à *Reuſnero* nondum editum, cui ſi fortè expeteretur, plurima alia exempla, quà Veterum Mumias & Taricheumata, quà etiam recentiorum, noſtriq; ſeculi conſuetudines, cum neceſſariis quibuſdam animadverſionibus addere poſſet. Verùm Fati inclementiâ factum eſt, ut immaturum incomparabilis *Uelſchii*, Academici curioſi primarii, obitum dolere cogamur, eô tempore, quô ſperabamus fore, ut Collegio Noſtro, totique Reipublicæ literariæ de tot ac tot promiſſis ipſis ſcriptis lucernam olentibus tandem editis gratulari porrò potuiſſemus!

Rolfincius, Lib. de Purgantibus vegetabilibus, Sect. 1. Artic. 2. cap. 44. p. m. 58. elegantem mediocris impenſæ proponit modum, & præcipuè ſimul quoàd cultum externum nonnulla nondum propoſita. Ne autem in allegandis Autorum exemplis nimiùm ſim largus, & tædioſus, Lectorem ad Autorem ipſum ablegatum volo, cùm dictus Tractatus in plurium verſetur manibus.

Philippus Guibertus, in Medicô ſuo officioſo, p. m. 702. ſequ. docet non minùs methodum condiendi cadavera adcuratam, raroſq; Balſamorum, & acetorum adplicandorum deſcribit modos, quę omnia cùm ſint nimis copioſa & ampla, hîc deſcribere non conſultum videtur; ſed ad Autorem ipſum Lectorem benevolum itidem remitto, Peraguntur tamen omnia per ſolitas, eaſq; frequentiſſimas inciſiones, non modò partiùm ex ventribus ſingulis extractione; ſed etiam ſanguinis, ubicunq; latuerit, expreſſione. Quamvis mirari ſatis nequeam, cur tam laborioſus ſit in tradendis regulis balſamatoriis per inciſiones dictas & exenterationes perficiendis, cùm tamen p. m. 708. ſequentibus utatur verbis. *Dominus Guillemeau*, Chirurgus Regius ordinarius, Tractatu de modo corpora mortua condiendi rationem conditurę deſcribit citra inciſionem & eviſcerationem, ut integra ſerventur, quam ſe obſervaſſe tradit in *Belgio*, in cujuſdam illuſtris viri corpore, cujus affines expetebant, ut integrum in *Hiſpaniam* veheretur. Modus id præſtandi inibi patet; quò Lectorem ablego. Quamvis autem diverſa hujus Autoris ſcripta laude digna vel ipſe poſſideam, vel apud Amicos viderim, v. g. *De la Groſſeſſe & accouchement des femmes*; item *Traicté des abus, qui ſe commettent ſur les procedures de l'impuiſſance des hommes, & des femmes*; item *Aphoriſmes de Chirurgie, tirés d'Hippocrate, avec les commentaires*; Item, *Queſtion Cardinale*. Tractatum tamen à *Guiberto* citatum nullo modo alicubi, imò nec in adcuratiſſimô *Lindenii* de ſcriptis Medicis Librô offendere licuit, nec ulli Amicorum de hoc quiquam conſtat.

Joh. Jeſſenius à Jeſſen, in appendice Inſtitutionum chirurgicarum p. m. 105. deſcribit duas condiendi methodos, quarum una ſecundæ illi *Ægyptiorum* ex *Herodoto*, Capite præcedente adductæ bonam partem conformis eſt; Breviter tamen & ſine neceſſariis enchiriſibus rem pertractat verbis ſequentibus: Duplex eſt condiendorum cadaverum modus, unus, ut clyſteribus acribus è colocynthide & borace, capite declivi collocatô, injectis; dein in pedes converſo cadavere, ejuſque ventre compreſsô, excrementa protrudantur; mox aliô clyſtere ex aloë, myrrhâ, acaciâ, galliâ moſchatâ, nuce cupreſſi, ſantalis, ligno aloës, ſale, alumine, aceto diſſolutis injectô, anus ſtylo & ſtuppis eôdem medicamentô imbutis obturandus, faſciâque obligandus; Naribus verò, auribus & ori argentum vivum inſtillandum. Poſtea ſparadrapô è pice nigra, reſina, colophonia, thure, maſtiche, ſtyrace, gummi arabico, tragacantho, aliiſque putredini reſiſtentibus pulveribus totum corpus involvendum. Et primò quidem quodlibet crus ſeparatim ad nates uſque & dein brachium ſingulum uſque ad humeros, poſtmodum univerſum corpus vinctis ſecundùm longitudinem pedibus, & lateribus adactis brachiis ad caput uſque colligandum, ſuatur autem diligenter ſparadrapus, ſuturæque pix illinatur; poteritque pluribus hujuſmodi ſparadrapis corpus circumdari; poſtremò fortiſſimis faſciis deligari, ſindoneque involvi. Demum feretro ſtanneo aut æneo, odoriferis herbis referto excipiendum cadaver. Et hic modus eſt primus. Alter verò ſic peragitur: Per apertum ventrem viſcera omnia extrahuntur, aromatibus locus expletur. In ſyncipite quoque cranium perforatur, cerebrumque omne eximitur, oculis inciſis humores effunduntur. Ultimò brachiorum & crurum ea loca, ubi vaſa grandiora, vulnerantur, reliquumque ſanguinis exprimitur.

Prior ratio macilentis & hyberno tempore convenientior; alter verò in æſtate & ventricoſis. Sed ut iſtud etiam obiter hoc loco admoneam; evenit quibuſdam cadaveribus adeò inflari ventrem, ut contineri loculô nequeat, qui ut ſubſideat, acuto ſtylo aliquoties compungendus. (Hâc de re caput ſequens meam mentem deteget.)

Varia adhuc de Condituris, breviora tamen, enumerantur.

Quæ largioribus verbis & prolixis ferè ambagibus è *Paræo*, *Timæo*, *Sebizio*, *Horſtio*, *Reuſnero*, *Rolfincio*

cio, *Guiberto*, *Hœfero*, *Ieſſenio*, jam protuli, non fortè fortunâ, ſed datâ operâ factum eſt, & quidem partim ideò, ne curioſum Lectorem lateat, quibuſnam vijs ac modis poſteriorum ſeculorum Medici cadaverum conditturas exercuerint, cùm varia, eaque ſpecialia ſatis de antiquâ *Ægyptiorum, Arabum, Ebræorum*. diverſarumque aliarum Gentium pollinctura ruminando declaraverim. Partim verò, ut inde eluceſcat, quàm ſpecioſô ſumtu, quamq; laborioſâ induſtriâ, pro teſtando ſubmiſsô in Magnates cultu, hac in operatione Anteceſſoribus voluerint eſſe pares, ſi non ſuperiores; præcipuè cùm unuſquiſque citatorum Autorum ad minimum nonnulla peculiaria, & ab aliis diverſa producat.

Quamvis, ſi ſcapham, ſcapham nominare velim, moderna in Mundi Proceribus, aliiſq; cadaveribus facta conditura cum *Ægyptiacâ* veteri neutiquam ſit comparanda. Præter id enim, quod & in vetuſtâ, & in recentiore interiora removeantur, in reliquis magna adeſt diſparitas, tùm quoad ſpecies condientes, tum quoad modum adhibendi, ut & reliquum apparatum, utpote quæ in recentiorum balſamatione ſunt inſufficientes ad plenariam corporis humiditatem abſorbendam, duramque ſiccitatem inducendam; unde poſtea in hac quoq; veteribus ſolita tam longa perennitas minimè eſt ſperanda atque expectanda.

Nunc quoque ſubnectam quædam è nonnullis Neotericis; quæ ex eorum ſcriptis ad rem conditoriam ſpectantia ſparſim collegi. Hæc vel congruunt, aut collimant ad methodos modò propoſitas, vel alios ad modos iiſdem analogos quadrant.

De mumiis integris, vel earum partibus aſſervatis varia demonſtrat exempla Catalogus Theatri anatomici publici *Lugduni Batavorum*, item vitrum materiam balſamantem continens; quæ ibidem poterunt videri.

Franc. Baco, *Baro de Verulamio*, in ſylva Sylvarum, vel Hiſt. Naturalis centur. 8. experiment. 771. fol.m. 913. ſequent: nervosè & verè Phyſicè philoſophatur, quomodo Putredo diutius prohibenda & cadaver longiùs incorruptum ſervandum, dum inter alia inquit: Si tria puttefactionem cauſari ſolita prohibeantur, penitus arceri poterit corruptio: Primum eſt, ut excludatur aër, qui corpus tacitè ſubruit, & cum ejus ſpiritu in diſſolutionem quaſi conjurat. Secundum, ne corpus quod in ambitu eſt, aut adjacet, ejuſdem ſit materiæ, ſed heterogeneum plane, quoad corpus conſervandum. Sic enim alterum nihil recipere, ex altero nihil progredi poteſt. Unde ſtatuitur, corpora in *ambra ſplendente*, *Mercurio*, *balſamo*, *ſuccino*, *cerâ*, *melle*, *gummatibus*, & *fortè nivium* conditoriis diu ſervari. Tertium eſt, ut corpus conſervandum, non ſit ea mole, ut ſponte diffluere poſſit in corruptionem etiam nihilô egrediente in adſitum corpus. Ideò illud tenue potiùs, & parvum ſit oportet, quàm vaſtum. Datur & quartum adjumentum, nimirum, ut corpus continens ſit præditum facultate attrahendi & exſiccandi humidum corporis contenti, ne putredo interiùs inchoata invaleſcat.

Georg. Hornius, Hiſtor. natural. & civil. Lib. 1. cap. 9. p. m. 29. ſtatuit, corpora Humana altiùs ſub Terra defoſſa non putreſcere; producitque teſtimonium *Felicis Plateri*, Centur. poſthum. Quæſtion. 9. *Falſam Magnatum perſuaſionem hîc videre licet, qui naturali hâc corporum à putredine vindicandi ratione neglecta, artificiali per balſama utuntur.* Hæc uberiùs explanata vide apud *Ioh. de Mey*, Phyſiolog. Sacræ Loc. 30. ſuper *Geneſios* cap. 50. p. m. 86.

Morhoſius, in Epiſtola ad *Langelottum* de metallorum tranſmutatione p. m. 49. 50. rariſſimæ ac jucundiſſimæ infantium cadavera condiendi meminit methodi, ita loquens: *Cùm Amſtelodami viverem, vidi apud Theod. Kerkringium inſigne artificium ſolo ignis minuterio, nec ulla re alia addua, ſolvendi ſuccinum. Nam oſtendit mihi cadavera infantum ſuccino obducta, ut omnia membra tranſparerent; monſtravit etiam Phiolam tali ſuccino ſoluto, iterumque coagulato impletam. Quam ſplendidè* (addit) *jam Magnatum cadavera condiri, ac à putredine præſervari poſſent! Nam citra ullam eviſcerationem corporum contra omnem injuriam aëris & humorum nova hac è ſuccino tunica quaſi cataphracti jacerent.*

Paracelſus, Tom. 7. Oper. Tract. de ſale communi, p. m. 82. 83. non modò laudat *ſalis communis* efficaciam pro corruptibilitate variarum rerum arcenda aut ſufflaminanda; ſed & præcipue raras *ſalis ſulenixi* vires evehit; dum in hæc erumpit verò ut Sal crudum mutum præſtat; ſi verò ſal enixum conficitur, tunc conſervat res omnes tempore incredibiliter longo. In hoc quoque lignum lapideſcit; limus petreſcit; folia arborum viriditatem non amittunt; & quicquid ſale enixo adſpergitur, mutationis eſt expers. In conſervatione æquipollet balſamo, imò illum ſuperat; omnia enim ſucceſſu temporis coagulat in formam lapideam. Quamvis etiam ſal enixum exſiccetur, abeat; evaneſcat; tamen res adeò eſt coagulata & firma reddita, ut in terrâ, aqua, & Aëre ſit durabilis.

Joh. Rudolph. Glauberus, Oper. Chymic. Tom. 1. Tract. de *natura ſalium*, p. m. 490. ſequu. hęc habet: (verbis tamen magis contractis eadem proponam, cùm brevitas nauſeæ legentium ſit antidotum] *Paracelſus* dicit, *ſal enixum* ſuum præſervare omnia quęcunque ipſi immittuntur, ab interitu longiſſimo tempore, tandemque eadem in lapides convertere, quod meum *ſal mirabile* itidem præſtat, & adhuc plus decies majora. Antequam autem virtutes *Salis* hujus *mirabilis* enarrem, commodum erit priùs ſignificare, quod ſimilia *ſalia* hinc inde in *Mundo* à Natura ſub Terra præparentur, atque per aquaticos rivos nobis adducanrur. Similes fontes in *Germania* noſtra dantur non pauci, de quibus conſulendi *Georg. Agricola*, *Caſius*, &c. ſi modò illi curioſè obſervarentur. Talis fons reperitur in *Helvetia*, qui ligna certo temporis ſpatio ipſi impoſita in duriſſimos mutat lapides. Ego huncce fontem quidem non vidi; vidi tamen *Baſileæ* infantem apud Dn. *D. Exium* quem à patruo ipſius, ſeniore. *D. Exio* b. m. acceperat; dictus infans in vitro capaci ſellulæ inſidens, ac peculiari aliquo liquore ſuperfuſo ad hanc ipſam horam uſque incorruptus mihi monſtrabatur. Perhibebatur eundem eſſe petrefactum; quod tàm certè aſſeverare nequeo; Hoc tamen vidi, quod dicto modo infans ſedeat, corpore bene diſpoſito, quaſi recens natus. Viginti jamdum tranſiere anni, cùm huncce ita conſpexerim. Eo autem tempore 10. ad 15. annos ſic liquori illi inſederat; ac non ita pridem intellexi, jamjam eundem hoc modo adhuc eſſe conſpicuum. Quânam autem aquâ dictus *D. Exius* ſenior infantem humectaverit, an hauſerit è fonte vi lapidificâ pollente; an verò artificioſè compoſuerit, nemini planè conſtat.

Ut ad ipſum *ſal mirabile Glauberianum* redeam, notum eſt, illum, ſeu ſecretum maximum aliorum cognitioni illud ſubtraxiſſe; Proinde Lectori non ingratum fore cenſeo, ſi ejuſdem præparationem, qualis mihi per D. *Matth. Zittemannum*, Chymicum *Lipſienſem* ſolertem, alioſque innotuit, fideliter communicem, ea autem eſt talis: *Salis communis libra una ſolvatur, in aqua in cucurbitâ terreâ, miſceatur olei Vitrioli libra unâ; impoſito alembico optimè lutato deſtilletur è capella in arena igne primum leni, deinde fortiter aucto, & deſcendit ibi Spiritus ſalis. In cucurbitæ fundo remanens caput mortuum ſolvatur, filtretur, coaguletur, purificetur, ceu norunt Artis filii, & obtinebit dictum ſal mirabile.*

Olaus Borrichius, in Centur. 3. Epiſt. Medicinal. *Th. Bartholini*, Epid. 89. p. m. 385. tale fert judicium de *Sale mirabili Glauberiano. Sal* ille *mirabilis Glauberi* ſupra communem ſalium pargatorum ſortem non multùm videtur eminere, quantumcunque ultimis ſcriptis ampulletur. Embryonem tamen humanum in eo, ſed aqua diſſoluto conſervat clariſſ. *Sylvius*; Et glandulas aliquot in cartilaginis æmulam ſubſtantiam convertit hîc *Gottvaldus* Dantiſcanus. Sed ſperaverim hæc ab aliis etiam ſalibus legitimo item Spiritu vini alcoholiſato aut æque promptè, aut forſan feliciùs poſſe præſtari.

Frigus quoque intenſum & nivem copioſam à cadaveroſo interitu præſervare per tempus, certum eſt; audiamus verba Viri de re Medica ſummè meriti *Thom. Bartholini* Obſerv. de *nivis* uſu Med. c. 12. p. m. 79. ſeqq. ita diſſerentis: Hoc nivium tumulo ſepulti in *Helvetia* ad tempus Æſtatis deliteſcunt, qua ſoluta, non nihil nive decidua, corpora mortua inviolata patent, ſi ab amicis vel tranſeuntibus quærantur. Vidimus ipſi triſte hoc ſpectaculum; & *Nicol. Monardus* de nive obſervavit, corpora Humana & animantium congelata ſub nive reperta, ut videantur condita.

Qui *Spizbergâ*, *Groenlandiæ* parte, ad Nos redeunt Mercatores *Hafnienſes*, teſtantur, nihil ibi ob frigus intenſum putreſcere aut corrumpi, ut etiam ſepulta cadavera per 30. annos inviolata & integra ſine putredine conſerventur. Et pag. 81. cur congelata non putreſcant, ſi quæras, promptè nonnulli ad ſiccitatem, caloriſque defectum provocant. Durum eſt ex *Ariſtotele*, quod congelatum eſt, quod autem concretum eſt, ſiccum eſt. Nix quoque inſtar arenarum *Ægypti* cadavera ſiccando à putredine defendit. Et pag. 82. frigori tamen potiores deferendæ ſunt partes, cum ſiccitate. Hinc etiam ſine nive animalium corpora à frigore perennant.

Joh. Joach. Becherus; Phyſic. ſubterran. lib. 1. Sect. 5. cap. 1. accuratè philoſophatur, quomodo aër calidus-humidus maximè ad putrefactionem faciat; contra aër frigidus-ſiccus, & calidus-ſiccus eandem impediat, ubi varia de putredine corporum occurrunt lectu digna; qui poterit conſuli, cùm allegatorum neceſſariorum numerus jamdum hîc excreverit & excreſcat.

Philippus Camerarius, Horar. ſubciſivar. Cent. 1. c. 14. p. m. 8. ſequ. narrat, ſe vidiſſe *Venetiis*, apud Nobilem *Lauredanum* nonnullas imagunculas æreas, quæ reperiuntur in conditis *Ægyptiorum* defunctorum cadaveribus; ſtatuitque, eaſdem non tam ex ſuperſtitione, veluti idola, eſſe immiſſas; ſed alia peculiari ratione corporibus eſſe inſutas. Nimirum aſſerit *Ægyptios* experientiâ fuiſſe edoctos, æs non tantùm ſeipſum à putredine & ærugine quàm diutiſſimè conſervare; ſed etiam adverſus putreſcentia peculiarem quandam vim habere, iſtaſque æreas icunculas cadaveribus infuiſſe, ut diutius à putredine aſſervarentur; cùm præſertim ob hanc rem etiam acutos mucrones æreos cadaveribus fuiſſe infixos, teſtetur *Pierius* in Hieroglyphicis. Num dictæ æreæ icones cadaveribus ab *Ægyptiis* inſertæ, putredinis inhibendæ gratiâ fuerint immiſſæ, & an illud præſtare valuerint, vix credent viro de Orbe literatô aliàs optimè merito rerum phyſico-Medicarum gnari; Siquidem ipſe egomet è propriorum experimentorum hactenus hoc in opere inſtitutorum fundamentis ſtatuere cogerer, talis illud præſtare neutiquam ſufficere, etiamſi harum centum, imo mille ventribus immitterentur, vel corpori applicarentur. De rationibus in contrarium ſimul valentibus, jam nihil dicam. Majorem meretur fidem, ejuſmodi idola fuiſſe incluſa ex ſuperſtitione; præcipuè, cùm horum plura *Iſidis*, Dealtiæ illius *Ægyptiaca* figuram, Autorum teſtimonio, præ ſe ferant.

Sed audiamus hac de re diſſerentem *Joh. Jacob. Chifletium*, Criſeos hiſtoricæ de linteis *Chriſti* ſepulchral. cap. 3. fol. m. 11. In corporum conditorum truncis frequenter latent icunculæ quædam ſpithameæ, ac etiam minores, quæ corpus *Ægyptio* more conditum & linteis involutum egregiè referunt. *Thevetus*, Coſm. Orient. cap. 42. imagunculas illas vult eſſe ſigna Numinum, quæ quis defunctus in vitâ coluiſſet; A cujus ſententiâ non multùm abiit *Bellonius*, de Fun. med. cap. 4, *Goropius Becanus*. 7. Hieroglyphic. *Canopi* cenſet eſſe ſimulacra; *Guichardus*, lib. 3. Fun. c. 10. verò *Iſidis* vel *Oſiridis*. Ego in tanto diſcrimine quid affirmem? Verum forſitan, ſi dixero, imagines illas eſſe cadaverum conditorum Exemplaria. Favet Princeps *Radzivilus*, in peregrinatione ſua *Jeroſolymitana*, ſcrutatus ipſemet diligenter ſepulchra *Ægyptiaca*: Idola illa, inquit, ſunt ex argilla, cærulei vel violacei coloris, ad unius digiti longitudinem; quædam etiam minora, formam infantuli faſciis circumligati, adjectis multis *Ægyptiorum* characteribus exprimentia. Qualia autem ſunt idola, tali modô & ipſa corpora linteis ſunt involuta, quæ ob antiquitatem adeò ſunt marcida, ut papyrum combuſtam, quæ nigreſcit, & facillimè diffluit, imitentur.

Alii mixturâ è calce vivâ & arenâ factâ putredinem coërceri, & ſic corpora exſiccari; & ſuô modô condiri poſſe promittunt.

Oldenburgius, in Actis Philoſoph. *Anglicanis*, Anni 1666. Theſi 1. p. m. 71. proponit celebertimi *Rob. Boylai*, modum præſervandi à corruptione aves ovis exemtas, aliosque parvos Fœtus; dum nimirum animalcula conditturæ deſtinata aliquandiu detinet in communi ſpiritu vini ad abluendas ſolutiores ſordes, quæ adhærent pullo ex ovô exemtô; poſtea aviculam injicit ſpiritui vini fortiori, admiſtô modicô ſpiritûs ſalis armoniaci ope calcis vivæ confecti.

Johan. Adamus Weberus, in Diſcurſ. curioſ. & fructuoſis, diſcurſu 14. obſerv. 21. p. m. 225. hæc habet: Volens ſerpentes (idem eſt de lacertis, aliiſque ſimilibus reptilibus,) ſervare incorruptos, injiciat eos vivos in vas vitreum, amplum & forte, vinô aduſtô, vel acetô fortiſſimô repletum, obturetque vas, ne elabatur; Mortui apparebunt vivi; & manebunt perpetuò incorrupti. Num promiſſus hic effectus tam rarus, tamque egregius à dictis liquoribus ſit tam conſtanter & diuturnè ſperandus, licet per tempus ſint ita duratura, ſimilia corpuſcula, judicandum relinquo ſagacioribus; Ego pro mea tenuitate dubitarem.

Tranſmittit è *Batavia* magnus amicus, impiger naturalium ſcrutator, loco magni arcani proceſſum aliquem Chymicum, hieroglyphicis & occultatis verbis deſcriptum; (cujus cap. 1. mentio facta) cùm autem prolixitatem odio proſequar, iiſqve obſcuri loquendi formulis nauſeam Lectori excitem, placuit brevibus verbis ſaltem declarare eorum ſummam; ideoque dico, dictum arcanum conſiſtere in hoc, quod Urina pueri decennis colligatur, Lunâ decreſcente, & quidem ſub ſigno virginis, vel in principio arietis, reponatur per menſem in fermentatione, poſtea methodicè deſtilletur, & optimè rectificetur; Servetur in cucurbita munita. Huic ſi injicitur quodcunque libuerit inſectorum, Brutorumque minorum, inibique relinquatur, priſtinum formæ innatæ vigorem longiſſimo tempore obtinebit.

Jul. Caſ. Baricellus, in Hortulô Geniali, p. m. 282. refert, miram eſſe ſacchari virtutem, in conſervandis à corruptelâ adipibus. Cùm enim Hyeme quâdam gallinarum adipes ſaccharo albo benè obvolutas in vaſculo repo-

repoſuiſſet, ejuſdem Filia, Æſtate ſubſequente illud reperit oleô ſemiplenum, adeò pellucido, ac colore, odoreque eodem, quo recentes fuerunt clauſæ. Inſimul addit, ſe ab Amico Chirurgo intellexiſſe, adipem Humanam ſaccharo convolutam per longiſſima tempora à carie & rancore præſervari, putetque in omnibus animantium adipibus id evenire, Quare concludit, & credit, Magnatum cadavera condienda meliùs ſaccharo impleta, quàm aromatibus poſſe conſervari, & quidem eò magis, quia hoc præſidio corpora in proprio colore conſiſterent.

Idem ferè ſtatuit *Ioh. Ioach. Becherus*, in adcuratâ ſuâ *Phyſicâ Subterraneâ*, lib.1. Sect.5. c. 1. p.m.318. inquiens: Saccharum multò meliùs à putredine præſervare varia corpora, quàm Sal. Cùm enim Saccharum in ſuis partibus temperatum exiſtat, nullam in corporibus reactionem, alterationem, aut intrinſecam mixtionem facit, veluti ſal commune; ſed eâ tantùm præſervat humiditati influenti reſiſtendo & internum Balſamum confortando. Sed ampliora videantur apud Autorem ipſum.

Quomodo alaudæ, aliæque aves pluribus ſeptimanis pro linguis delicaris incluſæ avenæ, vel milio, poſſint incorruptæ ſervari, imò hinc inde tranſportari per multa milliaria, norunt non pauci Patres familias.

Huc quadrant, quæ *Ioh. Bapt. Porta* in Magiæ natural. lib.2. cap.3. p. m.75. ſequu. adducit, quomodo fructus, flores, &c. per plures menſes à corruptione, & conſueto aliàs interitu vindicari poſſint. Inter diverſa talia ibi notata præcipuum & ſingulorum quaſi baſis eſt prohibitus aëris externi ingreſſus, quippe qui, imprimis verò calidus & humidus, tonum naturalem turbat, atomoſque exeuntes in tumultus fermentatorios irritat; Aëris autem ingreſſus prohibetur vel fructuum pediculos pice liquatâ obducendo, poſteaque melli imponendo, & ſic in vaſe optimè clausô ſervando. Vel ſi mavis fructus diuturniori durationi deſtinati obducantur gypſo aut Terrâ figulinâ, aut vitro pulveriſato obruantur, ac in vaſe picato Terræ concredantur. Soli quoque flores aut fructus ſine dicti vitri pulvere in vas pice obductum incluſi injiciantur in aquam fluvialem vel fontem.

Quomodo frumenta in granariis conſervanda, ne conferbeſcant, aut humiditate tangantur, & inde tam putredo, quàm Situs, imò marcor, carieſque & beſtiolę, curculiones, coſſi, blattæ, papiliunculi exitio ſint, atque generentur, docet è Strabone aliiſque *Th. Reineſius*, lib.3. variar. Lection. cap.5. p. m.418. Conſule item *Fr. Baconem*, Baronem *de Verulamiô*. ut & Acta Philoſophica Anglica, & in peculiari Tractatu, de curculionibus inſignito, *Cunradum Tiburtium Rangonem*.

Conditura Bilſiana nova offertur.

Hactenus propoſita tantum-non omnia concernunt conditurам cadaverum Humanorum eviſceratione ſimul peractâ inſtitutam. Nunc operæ erit pretium, nonnulla quoque ſubnectere, quę ad *Balſamationem Bilſianam*, ac aliorum modernorum ſummè differentem atque ſervatis ſimul mediante virtute balſamica partibus interioribus factam ſpectant; & quæ alii Autores de illâ, utpote huc uſque occultatâ, ſubolfacere ac divinare, atque inde aut benè aut malè ſentire voluerint-potuerint.

Ludovicus de Bils, Dominus de *Coppenſdamme*, *Boonen*, &c, Civitatis & Territorii *Aërdenburgici in Flandria* Pretor, quatuor abhinc Luſtris oculos curioſorum, & pręcipue anatomicorum omnium in ſe figebat; & quidem non immeritò, quippe qui novas haud vulgares opiniones diſſeminabat, de vaſis lymphaticis, lacteis, Thoracicis, ductu ſuo rorifero, & ſimilibus tunc temporis recens inventis; contradicens anatomicis primiceriis, literatorum ſingulorum adplauſu fruentibus, *Bartholino*, *Sylvio*, *Hornio*, aliiſque, cum quibus frequentiſſimè & acerrimè controverſiarum trahebat ſerram. Invenerat etiam methodum corpora anatomicè ſecandi ſine omni ſanguinis effuſione aut cruentatione, more novo & inaudito, & quidem cum omnium partium, ac vaſculorum etiam capillis minorum adcuratâ ſeparatione, atque manifeſtâ demonſtratione. Præcipuè verò noverat modum condiendi cadavera, aperta aut diſſecta quidem, novum & elegantem, repoſitis in locum naturalem interiùs balſamicè conditis viſceribus, v. g. cerebrô in craniô, in abdomine inteſtinis, inſimul quoque nihil ſpecierum Balſamantium corporis partibus adhærente. Dicta hæc nova, dicta hæc arcana in ſui quoque admirationem rapiebant *Hiſpaniæ* Monarcham, ut per *Brabantiæ* Gubernatorem, Marchionem *de Caracena* vigeſies mille imperiales ipſis ſolvi juſſerit, ea quidem Lege, ut tribus *Brabantiæ* Ordinibus juramento præſtito, atque ingenuè aperiat laudata artificia; ac ipſe tanquam Profeſſor honorarius in Academia Lovanienſi ſtudium Anatomicum publicè profitendo doceat juxta ſuas enchiriſes pro annuo ſtipendio bis mille imperialibus ſoluto; inſimulque modo notatam peculiarem ſuam methodum detegat perito cuidam anatomico, ut poſt ſuum quoque obitum ſine interitu & corruptione in Publici ac Philiatrorum commodum rariſſima hęc ars vireat, duretque immortalis. Quamvis autem *Bilſius* acceptâ tantâ pecuniæ ſummâ, ut promiſſa præſtet, *Lovanium* adierit; Academia tamen *Lovanienſis* in ſocietatem Profeſſoriam eundem recipere niſu audaci recuſavit, & quidem ideò, quòd illa, *Bilſio Religioni Reformatorum* addicto, excommunicationi à *Romano-Catholica Eccleſia*, juxta ſtatuta ſic ſeſe ſubjiceret.

Magnę hinc natæ diſceptationes, plura orta litigia, uſquedum *Bilſius*, ſtipatus ſuis nummis *Lovanio* valedixerit, ac ſuum *Belgium* fœderatum repetierit, reſervatis ſibi ſoli ſuperiùs enarratis enchiriſibus arcanis, atque permiſerit, ut hæc ipſa ars ad arcendam putredinem inſtituta (quantùm quidem mihi cum pluribus poſt diligentem quoque inquiſitionem conſtat) cum ſuô inventore ſepulchro ac oblivioni fuerit tradita.

Quæ durante hac lite variè fuerint controverſa ac tractata, amplis circumſtantiis ſunt comprehenſa ac publicata in dicti *Ludovici de Bils* reſponſione ad *Tob. Andreæ*. Profeſſoris tunc *Duysburgenſis* Epiſtola. Cùm itaque, veluti dictum, *Bilſius* partim Anatomicorum Principibus, & αὐλὲς ἔφα tunc exiſtentibus in rebus bonam partem autopſia demonſtratis contradicendo, partim verò curioſiſſimam & laude dignam condiendi normam inveniendo tam Medicum, quàm univerſum *Orbem* literatum commoverit, ipſe autem has balſamandi regulas modis omnibus occultarit, factum eſt, ut varii, rei raritate ac novitate impulſi, varia hariolari ac concipere fuerint auſi; quorum pręcipuos publicè inde aut malè ſentientes avidis oculis producere libet.

Ioh. Heinric. Pauli, in Anatomiæ *Bilſianæ* Anatome, cap.7. p. m.14. in hęc erumpit verba: *Inter experimenta Bilſiana, quæ novitatis famâ ubivis inclaruere, familiam merito ducit conditura cadaverum, quam nec quiſquam hactenus adæquare, multò minus ſuperare, nec inimici ipſius quidem criminari potuerunt. Auſus eſt interim periculum Dn. Joh. von Horne in brachio Humano, exacta nitidaque muſculorum ſeparatione imprimis conſpicua, cujus oculatus ſum teſtis. Ut non ſit dubium, ſi modum*

dum

dum præparandi univerſum corpus eâdem methodô conſequatur, quin artificium habebit, encomio omni majus.

Antonius Deuſingius, veluti in variis Scriptis parvis, quæ tribus ac quatuor abhinc luſtris ob acerrimas ſibi cum *Lugdunenſibus*, aliiſque intercedentes diſceptationes edebat, honeſtè ſentit de *Pollinctura* B*ilſiana*, ita in vindiciis Fœtûs extra uterum geniti, ſect. 6. p. m. 122. quoque adducit verba *Joh. von. Horne*, Anatomici *Lugdunenſis*, antequam tantum huic cum B*ilſiô* interveniebat diſſidium) inquientis: Fidem ſuperat omnem, exſiccatum Hominis cadaver recenter mortuum diceres, tantô theatrô digniſſimum opus. At verò ſingula penitiùs inſpicienti & conſideranti attentiùs, quanto cum pecuniæ & temporis diſpendiô, addo & moleſtiis comparata ſint; & quàm bellè exornata hæc omnia non jam admirationem, ſed ſtuporem pariunt.

Olaus Borrichius, *in Thom.* B*artholini* Cent. 3. Epiſt. medicinal. Epiſtola 89. p. m. 344. huic ſequentia è B*atavia* tranſcribit nova: Artificium B*ilſii* ſine ſanguine ſecanti, quantum hactenus licuit colligere, in eô conſiſtit, quòd in quamcunque corporis partem libuerit, triplum ſanguinis, aut plus triplo, quàm ordinaria lege capiunt vaſa, premendo impellat, atque ligaturis, ne regurgitatio fiat, viam recurrenti intercipiat. Diſtentis ita ſupra modum vaſis, videtur partim digitis, partim cultris oſſeis ſecundùm ductum vaſorum muſculos lentè & cautè dividere, ita ut nullum vas ſanguineum lædatur. Ut autem mumiam conficiat, ſi benè obſervavi, in capaci ahenô corpus jam artificioſe ſectum decoquit, & quicquid aquoſum, quicquid oleoſum eſt nimis, deſpumando & evaporando aufert; reliquum *Piſſaſphalto*, aliiſque putredini adverſis incoquit. Hæc videbar mihi partim ex ipſius ore, partim ex propiore inſpectione colligere. Et pag. ſequent. 386. ut taceam ſubjecta beneficiô *ſalis mirrhilis Glauberiani* à putredine vindicanda liquori huic ſalſo innatare debere; id quod B*ilſianis Mumiis* non contingit, in quibus nihil ſalinum; ſed omnia moleſtô balſami odore plena.

Anton. Deuſingius in nuper citatis vindiciis Fœtûs extra uterum geniti, ſect. 6. p. m. 130. allegat ex Antagoniſtæ ſui (ſub fictô B*ernhardi* à *Doma* nomine) Tractatu, mihi nuſpiam visô, ſequentia: Odor balſamicus, inquis, adeò eſt in conclavi, ubi aſſervantur corpora B*ilſiana* condita, ut non omnes ſine capitis gravedine eundem ferre poſſint. Et pag. 136. B*ilſianas*, inquis, *mumias* ne hiſce quidem annis à mucore ſeſe defendere poſſe, niſi curioſè aliquando abſtergantur. Quomodo ergo in ſecula ſint duraturæ? Incuſat autem notatus Autor *anti*-D*euſingius* ſummam & diuturnam tunc temporis in primordio veris ingruentem aëris humiditatem, mumiis dictis ſummè inimicam.

Celeberrimus *Thom.* B*artholinus*, Diſſert. de Hepate defuncto ad D*euſingium*, p. m. 551. contra B*ilſianam* condituram ſic inſurgit: An miraculorum magnitudo oculos tuos perſtrinxit; quę *Orbi* promittuntur? Certè jam ea vileſcunt & evaneſcunt. Multos artificium illius in ſtuporem rapuit, quo præparata corpora à putredine, veluti Balſamo condita fertur conſervare. Sed ſpecioſa promiſſa eventus deſtituit. Scripſit enim nuper Amicus ad me, balſamica ejus corpora nunc valdè madere, nunc juſto ſicciora, veluti pulverulenta videri. Quamdiu igitur ſint duratura, judicent *ſalis* & *aluminis* naturæ gnari, quorum quoque beneficio brevi artificium illud publicè proſtabit, quod magno pretio Principi cuidam *Germano* divendidit Mercator nobilis, ut ſpes ſit, ad plures ſecreti hujus notitiam dimanaturam.

Idem, Actor. Medicor. & Philoſophicor. *Haffnienſ.* Volum. 3. & 4. obſervat. 5. p. m. 9. 10. ita effatur: Cùm Magnus Proſector Noſter, D. *Nicol. Stenonius*, Studioſorum commodis invigilaturus, corpora Humana & Brutorum diutiſſime mumiâ (credo legendum eſſe muriâ) condita conſervaret, & curioſis artis data occaſione demonſtraret *Haffniæ*, etiam vertente anno ſine omni putredinis labe, continere me non potuit, quin *Stenonianam* artem & induſtriam *Bilſianæ* præferrem.

Quod cùm B*ilſianæ* factionis fautori veteri, viro erudiciſſimo, D. *Tobiæ Andreæ*, per literas amicas ſignificarem, hoc reſponſum tuli, quod meretur publicè legi: Et Epiſtola D. *Tobiæ Andreæ*. Scripta B*remæ*, 21. Junii, 1674. Quantùm jam ad clariſſimi Doctoris *Stenonii* conſervationem cadaverum per muriam, illam nullo modo id, quod B*ilſii* effecturam, ratio mihi à priori tam manifeſtè dictat, ut, ſi *D. Stenonius* illius experientiam capiat, meam ſententiam ſit approbaturus. Et poſtquam quinque rationes ſpecioſas ibidem conſpiciendas adduxerat. *D. Andreæ*, concludit ita: Hæc generaliora ſunt, quæ ſi conſervatio talis per muriam præſtaret, ſimplici hâc methodo contenti cur non eſſemus? ſed nullus dubito, quin contrarium experientia ſit edoctura. Quibus D. *Andreæ* verbis Dn. D. B*artholinus* ſuam mentem ſubnectit: *Magnifica* B*ilſianæ mumiæ encomia pro veris non facilè crederem, ſi præter Tobiam Andreæ, Virum fidei plenum, alius pronunciaret. Semper enim, nec immerito, major mihi Orbique viſus eſt Stenonius, quàm* B*ilſius, quamquam etiam interdum, quæ tu non noris, fortaſſis norit Oſellus.*

Succedat nunc, qualis ipſe B*ilſio* fuerim venator auritis & ocularibus plagis, ut *Terentianis* utar verbis; Dum Anno 1660. L*ugduni* B*atavorum* viverem cum ſtudiorum & itineris Sociô, Dn. D. *Friderici*, Profeſſore poſtea *Ienenſi*, Adfine & Compatre honorandô, gliſcebat bellum anatomicum inter incomparabiles ibidem Profeſſores *Sylvium & Hornium*, contra B*ilſium*, R*oterodami* tunc degentem, adeò quidem, ut hic Philiatris L*ugdunô* venientibus aditum & alloquium præter Humanitatis ſuæ conſuetudinem denegaret. Cùm autem Famâ multiloquâ curioſis omnibus perſuadente, & rerum novitate allecti inhiaremus diſcurſibus ejuſdem audiendis, corporibuſque balſamatis conſpiciendis, nihilominus ipſum accedamus, Nos venditantes pro Studioſis Politices *Groningæ* commorantibus. Ille lecto affixus querebatur de diſpoſitione phthiſicâ, obtuſi, aſthmate, atrophia, ob Pulmones putridis cadaverum, Brutorum pręcipuè, copioſiſſimè ſectorum evaporationibus debilitatos; Ferebatur enim plus ducentos canes diſſecuiſſe. Proinde civilitate jubente, eum ſibi ipſi quaſi indignantem diſcurſibus eruditis & anatomicis turbare, noluimus; & hoc eò magis, quod & Nos latitare, vel incogniti eſſe, conſultum judicaverimus.

Hinc abſolutô brevi colloquio generali, de ſpecioſis novis inventis, & de lite, quam cum L*ugdunenſibus* alebat, mandabat Amanuenſi, ut monſtraret cadavera; Soluto itaque Jmperiali, veluti ſolitum erat omnibus Spectaturis, & conclave ingreſſi oculis ſeſe offerebant quatuor corpora Humana virilia, ac unus Embryo duorum fortè menſium, & quidem eleganti omnino & rara figura ſeſe commendantia. Embryo non erat diſſectus; concinnè tamen præparatus. In illis verò quatuor majoribus partes internę omnes, ut & externæ, muſculi, arterię, venæ, nervi, erant exemtę, ac ſeorſim artificioſè præparatæ: poſtea loco illi, quem Natura cuilibet aſſignavit, redditæ; Integra corpora naturalem præ ſe ferebant faciem, exſiccatis ſimilia, colore tamen cutis exiſtente ſubobſcuro &

ro & fuſco. Odorem balſamicum nullum, multò minus gravedinem inde ortam, de quâ alii ſcripſere, in camera Nos percepimus, ut proinde hactenus in mentem mihi venerit conjectura, odorem accuſatum per ſuffumigium penetrans à *Bilſio* fuiſſe excitatum, quotieſcunque admittendi fuerint anatomici, noti, aliique curioſi ſperſpicaces, ut ita eos in invenienda condiendi materia eò faciliùs ſeduceret & confunderet. Eos tenebriones autem, aut Studioſos Politices, aut levioris ſaltim armaturæ milites in anatomicorum caſtris tali ſuffimento indignos procul dubio æſtimabat.

Tetigi quoque aliquoties corpora dicta, digito clanculum madefacto, cùm tam apertè non concederetur inquirere, & nullum alium præter ſalinum haurire potui ſaporem; ut proinde condituram dictam per ſalina nonnulla perfici, nullus quaſi dubitem, præcipuè, cùm partium neutri quicquam rei balſamantis adhæreat. Alia expiſcari tunc temporis non licuit, prætcrquam, quod faſſus fuerit dictus famulus; hoc ad opus pollinctorium decenter abſolvendum requiri nonaginta dies, vel tres menſes. Retulit non ita pridem Dn. D. *Wedelius*, Medicus Ducalis *Saxonicus*, Profeſſor *Ienenſis* extraordinariò Philiatrorum commodô natus, Collega honorandus, Diſcipulos *Drelincurtii*, Profeſſoris nuper *Lugdunenſis* digniſſimi ſuſpicionem foviſſe, *Bilſium* hoc opus quoque è principio ſalino tentaſſe ac inſtituiſſe.

Non prætereunda ſunt, quæ Johann. *Schvvammerdammus*, de Uteri muliebris fabricâ, cap. 2. p. m. 35. ſequu. ſcripta reliquit; quæ pro evitanda prolixitate breviùs tradam; Naturæ opera corruptioni ſunt obnoxia, quod non ſolùm plantæ & vegetabilia; ſed ipſa quoque ſenſibilia experiuntur. Quare ab omni ævo actum eſt, ut commodis remediis huic corruptioni obviam iretur, & partes illæ, quæ Nos in ſui admirationem rapiunt, per annos aliquot integræ ſervari poſſent. In hâc arte conſervandi corpora, horumque partes noſtro tempore præ aliis eminet. D. *von Horne*, beatæ memoriæ, nec temere quenquam invenias, qui vis à ejuſdem curioſiſſimâ inteſtinorum præparatione ingenium tanti viri non ſuſpexerit. Proximum ab hôc locum Dn. de *Bils* occupavit, qui muſculos totius corporis exſiccando, & balſamo inficiendo induſtriam ſuam probavit. Sed præter hæc fortè plura promiſit, quàm præſtare poſſet; id quod ob prægnantes non modò rationes; ſed vel maximè ob ea, quæ ipſe mihi ore propriô, & *Gvetshofius* retulere, me optimô jure ſuſpicari arbitror. Hunc D. *Stalpert van der VViel* excepit, Diſcipulus D. *von Horne*; ſed utrâque major; qui rara ſimul arte corpora balſamô inficere & conſervare; nec non venas è carne, pinguedine & parenchymate purgare, cavitates corporis aëre implere, & quod omnium curioſſimum, & nulli quod ſciam, hactenus datum eſt, ipſa etiam humentia corpora in aëre exſiccare novit.

Sequitur ordine D. *Ruyſchius*, chirurgiæ apud *Amſtelodamenſes* Prælector, iiſdem ferè artibus dotatus, cujus res adcuratè confectas, quivis inſpicere poteſt. Hic addit propriam Methodum, quâ mediante qualeſcunque corporis partes, (viſcera, venas, arterias, & ſimiles præcipuè intelligit) citra apparentem aperturam, aëris beneficiô expleri, exſiccari & conſervari poſſint, ut per mediæ Æſtatis tempora quinque vel ſex ſeptimanarum ſpatio perdurent. Hujus autem rei producit ſpecimen, quaſi commune, dum vaſa omnia, ipſique etiam rami capillares in Uterô muliebri ita præparantur, ut non modò in conſpectum prodeant, Sed & archetypi locô eſſe poſſint, deſignandæ veræ & infallibili figuræ. Sic autem proceditur: Recipe ceræ albæ quantum vis, eam liquefactam rubrô, flavô, viridi, vel aliô colore tinge, & ſiphone, qui cochleâ adſtrictum tubulum habeat, properanter excipe, & in ramum venæ vel arteriæ uteri majorem injice; cavendo, ne intercedens aër progreſſum ceræ impediat; ac ne quid impedimento ſit, ſanguinem antea, quàm Operi te accingas, ex venis, quantum quidem fieri poteſt, exprime. Utut rami, majores aliàs facillimè diſtenduntur, & perinde eſt, ſive per arteriam ſpermaticam, vel hypogaſtrinam cera injiciatur; idemque in venis obtinet, tantùm, ut valvulæ obtuſò ſtylô pertundantur, quô factô, unâ injectione venæ uteri omnes, eorumque partes, vel ab unô latere impleri poſſunt; Idemque in arteriis fieri poteſt. Si tamen viſibiles earundem anaſtomoſes ſatis magnæ ſint, nec aër progreſſum ceræ impediat. Plura videantur apud Autorem.

Methodus condiendi ſine omni exenteratione, & diſciſſione abſolvenda communicatur.

Poſtquam in capitibus præcedentibus non modò varia curioſa & ſcitu digna rem conditoriam aut propriè concernentia, aut huic analoga fuerint tractata; ſed etiam illis diſcurſibus generalioribus ſubjunctæ formulæ ac regulæ, quomodo tàm *Ægyptii Arabes*, aliæque veteres Gentes, quàm ultimorum ſeculorum Medici Balſamationes ſuas aggreſſi fuerint, ac abſolverint.

Reſtat nunc, ut progrediamur ad illud, quod primarius, quomodo corpora Humana, imo alia majora omnia (ſi fortaſſis Manui cuidam naturalia ſcrutaturæ luberet in iiſdem illud tentare, animumque exercere) ſic poſſint præparari ac diſponi remediis virtute pollentibus; ne opus ſit, veluti hucuſque tantum-non ſemper in condituris conficiendis opus fuit, è ſupremô, medio ac infimo Ventre eximere viſcera & reliqua contenta extracta ſeorſim ſepelire, partes muſculoſas totius corporis conſcindere, exprimere ſingulas reſiduas ſanguinis guttulas, oculos effodere, & quæ ulteriùs fuerant conſueta peragenda, cui quidem capita præmiſſa ſufficienter docuere. Sed ut corpus integrum & illæſum, poſtquam præcipua ejus pars, Anima evolavit, breviſſimorum dierum ſucceſſu aliàs interitui putredinàli infallibiliter obnoxium, in eôdem ſtatu per longum tempus durabile corruptioni ſit ſubtrahendum; Præcipuè cum multis, & quidem non immerito, quaſi indecens & barbariem olens videatur ritus iſte balſamandi cadavera hactenus in *Europâ* Noſtrâ conſuetus, & tanti conſtans; cùm ſcilicet Primates *Orbis* aliique divites, teſtaturi, quòd poſt obitum quoque de ſuis defunctis benè mereri ſtudeant, eadem aliquando balſamare juſſerint. Medicis autem tunc temporis, & hucuſque viventibus, aliàs ex parte ſupra omnem laudem poſitis, ac honore memoriâque digniſſimis (veluti eorum de variis rebus ſcripta publicè edita abundè teſtatum eunt). alia præter methodum per eviſcerationem faciendam, à multis ſeculis ad ipſos, licèt ſucceſſivè immutatam, non erat adeò cognita, vel conſueta, nec poſſibilis credebatur.

Sanctiſſimè tamen proteſtor, me dicta hæc neutiquam velle intelligi, ut vel in leviſſimum cedant opprobrium Medicis tam ſupra allegatis (partim meis olim Præceptoribus non ſine laude mihi nominandis) quàm aliis omnibus mediante exenteratione condientibus, cùm hoc non eorundem imperitiæ aut ignaviæ, ſed illius ſeculi hôc in paſſu infelicitati debeatur. Non aliter ac inventum *Circulationis ſanguinis*, *venarum lactearum*, *lymphaticarum*, *thoracicarum* & mille aliorum juſtum ruborem minimè injicit Medicis noſtrâ ætate prioribus, quoad alia innumera prudentiam & ſolertiam ſuam *Mundo* literato abundè

de commendantibus. Plura enim latuerunt Anteceſſores noſtros; plura, & fortè rariora majoreque admiratione digna Nos latent, quæ dies ſucceſſu temporis, Deo gratioſè dirigente, aut Nobis aut Poſteris communicabit. Nôrunt enim *Orbis* eruditi Cives, quod à Majeſtatico decreto Divino, uti quibuſvis Provinciis ac Terris peculiaria admetiri dona ac regalia, ita quoque ſingulis ſingularem ſapientiam reſervare, atque moderatam diverſarum rerum ac ſcientiarum cognitionem ſuppeditare, atque ita juxta notum dicterium, *ſua bona labore multò, multis meditationibus vendere Hominibus*. Sed cùm hâc de re uberiùs, diverſiſque in locis egerim, in diſſertatione meâ de *Tinctura Univerſali* præterito Annô editâ, benevolum lectorem eò ablegatum volo, ne alibi jamdum dicta toties-totieſque producantur.

Quamvis autem â nemine cordatorum Antiquitati debitus derogatur honor ac gloria; nihilominus tamen minimè tenemur jurare in horum, Magiſtrorum verba, veluti, & ii ipſi idem fecerunt.

Dum itaque perlegeram elegans *Andr. Gryphii* de *Mumiis Wratilavienſibus* ſcriptum, ibique offenderam, p. m. 81. verba ſequentia: *Eviluit illud decus mortui, quaſi tum per lanienam & eviſcerationes, quas exigit Pellinctos, habitumque immane & inſigni dehoneſtamento Pietatis famam affectantibus, Popa alicujus aut victimarii inſtar ſævire in cadavera*; *ſolenne econtra, honorare defunctos quavis cura potiùs, & ingenti vel odorum unguentorumque apparatu credere ſepulchris, ſed non diſciſſos.* Atque ſimul æqua animi lance ponderaveram, (veluti nonnulla in primô Tractatûs capite tetigi,) extra omne dubium multò magis honeſtum eſſe, multò magis arridere Magnatibus, multoque majorem rei anatomico-pharmaceutico-Medicę eſſe acceſſuram autoritatem, ſi corpora à dictis Proceribus conditutæ deſtinata (utpote, dum vivebant, delicatè ac molliuſculè tractata) ſuperatis tumultibus & alterationibus mundanis tam in ſtatu valetudinis, quàm politicô & per obitum ad requiem conſtantem perductis, tali artificiô poſſint ab irruente corruptione defendi per annorum variorum ſeriem, ut integrum corpus, ejuſque partes ita amicè adhuc unitę, ceu Natura, & Natura naturans, Deus, eadem conjunxit, & totô Vitæ curriculô conjunctas ſervavit, Terræ, omnium Matri, à quâ primum ortę, modeſtè quoque reddi, & ſic ſuperſedere poſſint ſuperiùs dicta corporis diſſectione, viſcerum extractione, & ſimilibus opellis.

Verùm enim verò, dum tales cogitationes menti occurrunt, dumque meditor, quibus mediis, quibuſque viis opus hoc difficillimum, opus hoc principiis ac fundamentis phyſicis (quô ſcilicet Viſcera interna, ſanguinis maſſa balſamo vitali nutriente orbata, mucus inteſtinorum excrementitius, & ſimilia aliàs primò ſtatim, vel ad ſummum ſecundo die per putredinem reſoluta & diffluxa, unà cum partibus externis omnibus ita poſſint incraſſari, balſamicè exſiccari, inſtanſque eorum interitus ad tempus differri) tantùm-non ſimpliciter contradicens, ſit aggrediendum, plurimę naſcuntur remoræ, plurima obviam eünt impedimenta.

Conſiderans enim, & examini ſubjiciens, (ut brevimiſſimis in capite pręcedente dicta ventilando repetam;) ſpecierum medicamentoſarum ab *Ægyptiis* aliiſque veteribus pro mumiſatione conficienda exhibitarum, ſtatum, ſive reſpiciam ad illam pretioſiorem methodum per *opobalſamum, cinamomum, myrrham, aloën*, vel ſaltem ad viliorem, per *piſſaſphaltum*, & ſimilia factam, ut earum efficacia balſamica ipſas etiam invidiæ contradictiones ſuperet; nihilominùs eaſdem meæ intentioni obtinendæ reperio inſufficientes, cùm dictę qualitates bonam partem careant penetrabilitate extraordinaria hîc præ aliis omnibus neceſſaria, & violento ſalis volatilis adminiculô.

Non enim nunc in dubium vocabo, imò ſponte concedam, illas valere â partibus corporis externis, item à ſanguine in vaſis, imo à Viſceribus, Corde, Pulmonibus, Hepate, Liene, Cerebro, putrefactionis periculum avertere, (qualem virtutem tamen nullus antecedentium Balſamatorum ſibi ab iiſdem promiſit) Ad minimum tamen nullô modô ſufficientes ſunt, pro avertendis tumultibus fermentatoriis meſenterium, contentumque in inteſtinis mucum excrementitium in ſubitaneam corruptionem præcipitantibus; Vel ſi potior etiam horum pars à virtute balſamica vinceretur ac domaretur, tamen ſi vel in unicâ glandulâ, vel latibulo meſenterii hæſitet modicum materiæ mucoſæ vim medicamentoſam eludentis illud ſanè ſolùm tantæ erit efficaciæ, ut per inimicum fermentationis contagium vicinas particulas, & ſic ulteriùs ſerpendo reliquas omnes nondum penitus exſiccatas, iterum in conſenſum trahat, per putredinem reſolvat, atque ſecum peſſundet.

Quod attinet modum *Ægyptiorum* pollingendi ſecundum, vel mediocrem, ſupęriùs nominatum quem *Herodotus* dicit ſine exenteratione fieri, & peragi, injecto per clyſterem in guttur inferiùs *oleo cedrino*, & corpore exteriùs nitro vel ſale conſperſo: Quamvis debitum honorem neutiquam derogare velim penetrabili *oleô cedrino*, mihi tamen perſuadere non poſſum; ut credam ab eo, velut dictum, immiſſo felicem hanc operationem expectari poſſe. Sed condonandam relationem hanc eſſe *Herodoto* rerum medicarum imperito, & relata referenti, nec circumſtantias phyſicas neceſſarias indaganti. In corpore enim mortuo partes nervoſæ à ſpirituum & caloris nativi influxu deſertæ operari ceſſant & feriantur, nec ampliùs retinet intruſa; vel ſi violento conatu impellerentur, vereor, ne mucus inteſtinorum apud defunctos in flatus copioſos ebulliens (veluti mortuorum elevati ventris quotidianâ autopſiâ docent) dictum oleum repellat, vel ad minimum intrudendi copiam ſummè neceſſariam non admittat.

Num quoque inteſtini Coli valvula copioſis dictis flatibus motu violento ſurſum protruſa adſcenſum olei ſimul impediat, pluribus adeò non controvertam: cùm rationi conſonum videatur. Quibus ſtantibus tantùm abeſt, ut dictum *oleum cedrinum* ad reliqua Viſcera, imò Thoracem, ac ipſum remotum, oſſibuſque undiquaque præcluſum, Cerebrum penetrare atque progredi valeat, ut potiùs fermentatoria corruptio antiquum jus ſuum in corpus exanime exerceat, atque deſideratæ mumiæ durabilitati inſidias ſtruat, vel potiùs ruinam afferat totalem.

Effectum autem optatum eò minus eſſe ſperandum, confirmatur ideò, quod *oleo cedrino* ſic injecto, præter ſolam aliqualem ſalis aut nitri adſperſionem, remedia alia incorruptibilitatem promoventia, ceu ſummè neceſſarium, externè non ſuccurrant. Quàm leve autem remedium abdomini non exenterato recens mortui corporis adferat aſperſio ſalis aut nitri, repetitis experimentis ego teſtari poſſum.

Condituras in melle & cerâ olim factas propoſito meo nullam facem accendere, è capite antecedente patet. Si enim hæc etiam ſine eviſceratione Bruta minima conſervare diutiùs apta nata non ſunt, quid inde ſolatii mihi promittere poſſum in corporibus Humanis & majoribus?

Progrediens

Progrediens ad balſamationis normam ac formam ultimis ſeculis uſitatam, idem ſanè experior fatum. Dum nimirum *Paræus*, aliique expreſſis verbis moneat, ante omnia inſtituendam eſſe ſectionem, reliqui verò ſuperiùs adducti ſinguli, licèt fuerint magni ſuo tempore *Hygiéa* Sacerdotes, non minus eâdem ſuam pollincturam exordiantur.

Jeſſenius, ſuprà allegatus, meminit diverſorum pollingendi proceſſuum, interque hos unius ſine exenteratione, quem fieri dicit, dum clyſtere è colocyntide & borrace injecto mucus inteſtinorum exturbatur, poſtea alio clyſtere ex *aloë*, *myrrha*, &c. partes interitum minantes vegetantur. Verùm, Virum hunce, aliàs de Republica Medica optimè meritum, potius ex aliorum relatione, quàm propriorum experimentorum fide teſtari, rationi conſonum videtur, atque ita aſſenſum vix obtinebit. Nam præter rationes ſuperiùs de mediocri *Herod.* condiendi methodo dictas contra irritam ferè clyſteris operationem in cadaveribus, ſeipſum quaſi refutat, dicens, Ventrem in quibuſdam cadaveribus intumuiſſe, ut ſandapila (rectiùs fortè loculus hîc intelligitur) ideò claudi non potuerit; ſed neceſſe, ventris aliquot punctiones facere, ut nimirum cavitates ibidem flatuosè fermentantes habuerint, unde exierint. Cadaver autem ita tumidè ebulliens omnino aliter adhuc eſt tractandum, antequam de balſamica præparatione & exſiccatione gloriari valeamus, idemque ceu perfectum ſandapilæ aut loculo tradi curemus; veluti proprio damno, & quidem plus vice ſimplici ſum expertus; Et ſi loculus *Jeſſenianus* poſt 3. vel 4. dies denuò fuiſſet apertus, cadaver contentum loco mumiæ balſamicè adornatę oculis omnium certè ſeſe obtuliſſet vermium copioſiſſimorum ſtapulam, eſcam & ludibrium.

Nicol. Guibertus itidem breviter mentionem facit pollincturæ ſine exenteratione peragendæ; eam tamen non deſcribit; econtra ipſe aliam normam commendat ac docet viâ communi & juxta ſingulos frequentiore inſtituendam.

Franciſcus Baco, Baro de Verulamio communicat nonnullas rationes verè philoſophicas in præcavenda cadaverum putrefactione obſervatu neceſſarias; admiſcet tamen illis aliquam, quæ monet, ad hoc opus perficiendum magis apta eſſe & requiri corpora minora, quàm magna, v. g. Hominum, Brutorumque magnorum.

Georg. Hornius, ſtatuit, corpora altiùs in Terram defoſſa non putreſcere. *Thom. Bartholinus* teſtatur in *Groenlandia* per 30. & plures annos cadavera corruptionem non ſentire, ob vehemens frigus, congelatione eandem arcens. *Kerkringius*, citante Morhofio, infantem ſuccino obduxit, atque ita inſtanti putredini eripuit. *Schvvamerdamius* infundit vaſis ceram liquatam, & ita integras, inque ſtatu naturali per tempus durabiles exhibet ſpectatoribus.

Camerarius arbitratur, icones vel imagunculas ex ære confectas ab *Ægyptiis* mumiſando corpori pro hoc ſcopo fuiſſe immiſſas.

Joh. And. Weberus inſecta diu ſervari vegeta, & vivis ſimillima dicit, ſi immitantur aceto vel Spiritu vini. Acta philoſophica *Anglica* pullos ovis excluſos in Spiritu vini, Spiritu ſalis armoniaci acuato eodem modo ſuſtentant. Amicus *Batavus* idem præſtat ſpiritu urinæ rectificato. Alii cadaverum conditùram promittunt per mixturam ex arenâ & calce vivâ. *Jul. Cæſar Baricellus* fructus, etiam majores, ſi ſaccharo optimè muniantur, pluſquam annuo ſpatio non putruiſſe, propriâ fidem facit experientiâ. Cui opinioni quoque favet *Joh. Jacobus Becherus*, addens, ſaccharum ad has operationes longè præferendum eſſe ſali & ſalſamentis, *Joh. Baptiſt. Porta* fructuum pediculos pice liquata obſtruit, eundemque effectum promittit. *Paracelſus* miracula adſcribit *ſali ſuo enixo*, pro longiùs inhibenda in cadaveribus putredine. Majores autem laudes hoc in paſſu mereri *ſal ſuum mirabile* è ſpiritu vitrioli & ſale compoſitum, gloriatur *Joh. Rudolph. Glauberus*. Haſce tamen amplius rejicit *Borrichius*, credens, ab aliis quoque ſalibus & ſpiritu eandem operationem fortè fore ſperandam:

Tandem meditationibus meis conſilium præſenſque auxilium ſperabam è methodo *Bilſiana* maximè famigerabili, aureſque ac oculos omnium in ſe figente, & hoc quidem non immeritò; ſed nullum planè hucuſque inde experiri mihi licuit. Ipſe enim opus hoc omnibus, quantùm poſſibile, modis, occultavit, pluribuſque ambagibus & mutationibus ſeduxit, & dubios reddidit indagatores curioſos, unde factum, ut varii varia de eodem fuerint ſuſpicati, artificiumque detecturi illud obſcurius quaſi reddiderint, ſic v. g. celeberrimi *Bartholinus*, *Silvius*, *Borrichius*; & alii teſtantur corpora ejuſdem condita nimis forti odore balſamico conclave ita repleviſſe, ut multorum capita illius gravedinem tolerare non valuerint; atque ita credunt, procul dubio, pollincturam ab eo fieri per fortiora balſamica. Ego verò cùm *D. Friderici* præſens tunc nullum planè odorem balſamicum perſenſi. Cadavera autem digito humectato à me tacta aliqualem ſaporem ſalſum præ ſe ferebant. *Borrichius* refert *Bartholino*, ſeſe ex *Bilſii* ore & oculari inſpectione tantum colligere potuiſſe, quod pinguiores & humidiores partes eorum per factam in aheno coctionem ſeparatæ, reſiduumque *Piſſaſphalto*, aliiſque balſamicis pręparatum; de quo tamen modo condiendi è propriæ experientiæ fundamentis & rationibus habeo, cur valdè dubitem.

Alii Amici ſuſpicabantur *Bilſium* pro hiſce laboribus ſuis uti peculiaris fornacis adminiculo. Cl. *Thom. Bartholinus* aliquando hariolatur, eos abſolvi mediante ſale & alumine. Econtra *Kircherus*, inconſtantem ſalſamentorum in mumiſatione perficienda energiam & effectum ſpecioſâ ac ampliſſimâ Hiſtoriâ infringere conatur. Modò laudatus *Thom. Bartholinus*, ſtatuit, *D. Stenonium* ſervare Anatomiæ deſtinata per *muriam* ità elaborata; Ejuſdemque artificium longè ſuperare *Bilſianum* affirmat, cui tamen fortiter contradicit D. *Tob. Andreæ*, cujus fidem atteſtantem tamen ipſe *Bartholinus* magni æſtimat loco cit.

Quantę turbę animo meo fuerint ortę, quantaque impedimenta nata è tantis dubiis, è tam diverſis ſuſpicionibus infirmis, ſibique invicem contràdicentibus; quidnam item conſilii ſanioris & fortioris haurire potuerim è modis condiendi tàm diſparibus, meoque ſcopo inſufficientibus, judicatu non erit difficile.

Nihilominùs, cùm fixum ſederit, immotumque meæ menti, aggredi hanc *Augiæ* ſtabuli expurgationem, ſententiam non mutavi, & quidem ob finem, uti ſpero, non adeò culpandum, partim, quia ſic ſum demonſtraturus, quàm miraculoſa ſint Dei O. M. opera, meditationes noſtras dirigentia; dum ſcilicet circa honorificum mortuorùm cultum videor occupari; præter illud negotium inſimul emergant plura, quoad uſum Medicum viventibus proficua; veluti caput ſequens docebit; partim, ut corruptivum interitum à tàm nobili ac ſpecioſo *Animæ immortalis* domicilio ad tempus ſuſpendamus; Nobiſque ità ſummum ac delectabile, imò deſideratiſſimum Illud *Reſurrectionis* Myſterium in memoriam revocemus. (Plures cauſas impulſivas vide ſis, in principio primi capitis.)

Quis

Quis enim neſcit, Hominem, qui erat *Microcoſmus*, ad *Dei* imaginem conditus, ſtructura ſumma admiratione dignâ & miraculô pleniſſima, ſtructurâ, cujus dotes pulcherrimæ, rariſſimæ, & imperſcrutabiles ob hæreditariam, eamque juſtam *Dei* in Humanum Genus incandeſcentiam paucis ſtatim ab obitu diebus tranſire (ſi ejuſdem particulam Divinæ Auræ exceperis) in ens cadaveroſum, fœtidum, omnibus intolerabile, imò in ipſos vermes abominabiles immutari. Quàm primùm enim evolavit Animula vagula, blandula, gratiſſimus ille ſuæ ſedis Hoſpes & Cuſtos, ſubitanea ſuccedit putredo, & hoc ideò, quia tunc calor innatus, humidum radicale, ſeu ſpiritus vitalis balſamicus, (quomodocunque id vocitaveris) feriatur, ac operari ceſſat; hinc eo in maſſam ſanguineam non ampliùs influente, perit ejuſdem pars oleoſa & ſulphurea, quâ tamen, ceu præcipua baſi innititur, ut ità à denegatò motu circulatorio ſanguis viſcidus reddatur, craſſeſcat, vappeſcat, atque aceſcat, & magis magiſque in plenariam putrefactionem fermentet.

Ad hanc igitur infringendam confugi ad antiquam illam Conſiliariorum Medicorum bigam, *Rationem & Experientiam*, atque tam per rationes è phyſica ſpeculativa, quàm è phyſica per ignem & practica vel experimentali depromptas ventilavi adcuratè ſingula plurium Autorum in præcedentibus allegata, ut alia menti ſuccurrentia, quæcunque aliquid ſaltem ad hanc rem conferre poſſe videbantur. Poſtea quoque in minoribus ſubjectis ſæpius experimenta inſtitui, diverſis quidem medicamentis, & adhuc magis diverſis modis; Verùm quotquot horum tentavi, inveni pro ſcopo meo obtinendo aut minùs convenientia, aut minùs ſufficientia, & hoc quidem præprimis ideò, quòd mihi non adeò conſiderandum, imò vilipendendum quaſi fuerit imminens putredinis periculum, in partibus totius licèt corporis externis, (quod quidem ferè ſolum requiritur in condituris reliquorum Medicorum ſupra memoratis) habitô reſpectu erga Viſcera, mucum inteſtinalem, meſenterium, aliaque interiùs latitantia, nec exenteratione ſeparata; Uſquedum poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum, poſt ſuperatas plurimas meditationes, lucubrationes, labores tædioſos, fœtores, impenſas, aliaque incommoda per toties repetita in minoribus, poſtea etiam magnis corporibus tentamina (quorum quidem uno plura irrito inſtituebantur effectu) Deo benedicente, tandem ad deſideratum illud *Ptolomæi* εὕρηκα pervenire mihi licuit, & quidem per ſalia volatilia ſulphurea, penetrabilitate ſua efficaci, præ alijs omnibus mirum - quantum hoc in negotio neceſſaria, ſeſe commendantia.

Sequenti autem methodo conditoriâ præparavi non pauca corpora, quæ cuivis curioſo, quandocunque libuerit, demonſtrare valeo, imò demonſtravi hactenus non paucis, v. g. vitulum, capram, porcum, gallos, gallinas, carpiones, ranas, mures, aves minores; Viſcera item, corda, hepata, pulmones, renes vituli, canis, agni, &c.

Propoſiturus autem ſum priùs proceſſum ipſum priorem per ſe conſideratum ſine ambagibus; poſtea verò ſubjungam varias enchiriſes certis numeris inſignitas pro rei dilucidatione, ut & modum breviorem, in gratiam inexercitatorum, & ut alij eò citiùs ad ſcopum quoque pertingere valeant, imo inſimul ad penitiorem hujus arcani illuſtrationem quærendam irritentur, ſummè neceſſarias.

Propterea quoque Corpus balſamationi deſtinatum poſtquam à morte vel naturaliter, vel per ſuffocationem aut ſtrangulationem inducta 18. ſive ad ſummum 24. horis ità recubuerit, imponatur vaſi è ligno querno, vel ſimili duriore, oblongo vel quodammodo juxta ſubjecti proportionem confecto. (1.) Tunc in promptu ſit Spiritus ſalis armoniaci balſamans extemporaneo modo inſequente præparatus. [2.] Recipe cinerum clavellatorum, libr. 1. (*Boodaſche* Linguâ vernaculâ, audit mercatoribus) ſuperfunde aquæ communis lib. 6. ſtet per horam unam, & aliquoties agitetur pro meliore diſſolutione. Huic ſolutioni injice ſalis armoniaci pulveriſati libram ſemis, vel paulò plus, agitetur itidem aliquando pro plenaria ſpecierum in aqua diffluxu, & quidem in vaſe obturato, ne partes volatiles evaporent; Poſtea filtretur per chartam emporeticam.

(3.) Corpori ſic in vaſe locato affundatur Spiritus hujus ſecundùm dictam proportionem parati tantum, quantum ſufficit, ſcilicet, ut hic ſuper illud ad unius ulnæ quadrantem ſupereminéat. Cùm autem dictus ſpiritus, utpote ſale alcalico tam largè ſaturatus impoſitum corpus, ob cruditates abdomen tympanitice ac flatuoſe diſtentendes, & poroſum reddentes, ſtatim elevet, nec ſubmergi, præcipuè primis diebus vel ſeptimanis, concedat; in parte eminente autem, quem liquor non tegit, metuenda ſit corruptio, ideoque vas vel quotidiè agitatione moderata moveatur, ut ità à liquore perfundente & humectante etiam, veluti partes ſubmerſæ, balſamicè imbuantur, atque imminens & plus ultra tendens interitus præcaveatur. Vel, quod meliùs, una alteraque ligneæ laminæ particula arcte ſuper cadaver cogatur in vaſe, quo ſuppreſſum humiditate ſuperfluente continuò irrigetur. Vas continens poſtea accuratiſſimè occludatur, juncturis glutine farinaceô papyro illitô optime munitis; partim ideò, ne ſpiritus volatiles evaporent; ſed eò fortius in ſubſtantiam contrariam agere, eamque vincere ac edomare valeant; partim, ne aër externus, præcipuè humidus, ſuâ penetrabilitate illam, aliâs in putredinem flecti ceream, eò magis magiſque diſponat ac irritet.

Dictô modô compoſitum ita relinquatur, corpus majus quidem per 3. menſes; minora verò per duas ſaltem vel ſex ſeptimanas, imò quædam per unicum ſolùm menſem, ubi diſcernendum tibi erit, num carnes corporis tractandi fuerint duriores an molliores; ſic præcipue caro piſcium ſi diutiùs ac duas vel tres ſeptimanas ibidem aſſervatur, in tabum mucoſum facilè reſolvitur, nec poſtea diu durat. Viſcera item animalium ſi ſeorſim, exemta ſuis corporibus, condiuntur, paucarum ſeptimanarum vel menſium tantummodò condituram deſiderat,

(4.) Aſſerventur autem, ſi poſſibile eſt, in locis magis frigidis, quàm calidis ac humidis; quod obſervandum præcipuè menſibus æſtivis ſubjecta putredini obedientia facilè colliquantibus; ſi tunc fortè cuidam libuerit ſimilem operationem inſtituere, vel ſi mortis neceſſitate ſic jubente, in corpore Humanô fuerit tunc peragenda,

(5.) Elapſo jam notato bi-vel trimeſtri ſpatio vas aperiatur, liquor modeſtè decantetur, vel exhauriatur. (6.) Corpus tunc exemtum molliuſculè & tenellis manibus tractetur. (7.) Receptaculo extractum ita requieſcat per 18. vel 24. horas. Cùm autem humidi actualiter præſentis ab ebullitionibus corrupti vis reſidui moderata requiratur exſiccatio, & negotium hoc ſoli Naturæ non eſſe committendum, noxius & inſperatus me aliquoties docuerit exitus.

(8.) Propterea per unam alteramque diem aut ſeptimanam (prout ſubjectum citiùs vel tardiùs induréſcere, atque deſideratam ſiccitatem aſſumſiſſe videbis) repone in hypocauſtô mediocriter calefactô, vel aliquando ſupra fornacem; nonnunquam ſimul

abdomini

abdomini imponendo lateres calefactos; vel immitte illud involutum (ne conſpurcetur) duabus vel tribus vicibus in die, arenæ calefactæ, vel hanc adſperge corpori, præprimis verò contumaci ad obſequium ventri inferiori. Tempore æſtivo re ita per aliquot dies tractatâ, poterit exponi radiis Solaribus fortibus. (9.) Monendum quoque eſt, ſingulis diebus in alteram partem vertendum eſſe corpus, ut humiditas hinc inde hærens à calore externô, eò meliùs ubique abſorberi poſſit. (10.) Tandem abluatur ſpongiâ pro removendis, ſi quędam fortaſſis adeſſent, ſordibus.

In antecedentibus monui, ſcopum meum primùm eſſe hiſce meditationibus, ut corpora Humana balſamicè poſſint pręparari, & per tempus â corruptionis aliàs certo ſtatim inſequentis carie vindicari. Cùm autem methodus modò dicta tres menſes, & quod ferè excurrit, ad hoc opus expoſcat, quę mora ſanè longior non adeò commoda videtur ob ceremonias funerales, ac ſepulturam non tamdiu ſemper ſuſpendendam. Propterea, poſt ſuperiùs memorata tam tędioſa & laborioſa, totieſque repetita tentamina, non ceſſavi aliis aliiſque indagationibus huic artificio inſudare, annon poſſibile foret, ſpatium perfectionis concentrare ac compendifacere; Et tandem mihi licuit eſſe tam felici, Deô operi annuente, ut arctiore tempore id abſolvere via ſequente valuerim.

Pagellæ proximiores docuere, fermentum putredinale pręcipuè inſidias ſtruere partibus interiùs, & in ſpecie in abdomine contentis, quod poſtea, (veluti ſcintilla ſub cineribus latitans vento agitata cornua ſumit,) in maximam ſępe flammam excreſcit, ac vaſta domûm, imò pagorum, atque urbium corpora conſumit) ulteriùs ſerpendo aliàs quoque rurſus inficit.

Proinde ratiocinia poſteriora experientiæ innixa dictitarunt, ut ante omnia principiis hiſce obviam eatur; quod commodiùs ità præſtandum judicavi, & quoque pręſtiti: Corpori condiendo (de majore ſermonem eſſe, ſciat Lector, cùm in minoribus non opus ſit,) aliquot ſtatim ab obitu horis, non facilè poſt duodecimam infundantur per os in Oeſophagum Spiritus balſamantis antea deſcripti nonnullę unciæ; corpus erectum ſervetur, ut lentè delabatur in ſtomachum, ac annexa; poſtea fauces bombyce claudantur, varia enim pericula me cautum fecêre, quod corpore poſtea reclinato, vel in declivi locato, rurſus ex ore effluat. (11.) Non minùs fiat leviſſima inciſio cultello acuto ſub utraque ala, & in utroque inguine, punctura hîc in abdominis cavitatem adſcendente, ac intrudantur canaliculi è pennis anſerinis, vel rectiùs lignei aut eburnei paulò incurvati; aliàs enim prolabuntur, ut hoc medio liquori ſpirituoſo balſamicè imperanti & aptior ac liberior pateat introitus: pro cruditatibus meſenterii, pro ſanguine, ipſiſque Viſceribus internè latitantibus in putredinem propenſis, eò felicius faciliuſque ſubigendis & exſiccandis. (12.) Poſt factam ſiphunculorum inciſionem cadaveri ſuperfundatur liquor ſolitus, idque tractetur eô, quô paulò antea notatum, modô, niſi quod poſt 6. vel octo ſeptimanas ſpiritus poſſit decantari; quia hôc infuſionis adminiculô opus citiùs deſiderato potiri fine, obſervaverim.

Ut etiam Spiritus ſalini, pręcipuè volatiles, in cadavere exſiccatô, eò firmius intra hęreant, ac deliteſcant, nec evaporandi anſam arripiant; ſed cutis, ejuſque pori illorum retentione quodammodò conſtringantur, congruam quoque hanc inveni enchiriſin: Poſtquam ſubjectum ſex vel octo ſeptimanis ſaltem ità remanſerit, in liquore condiente, & hic jam fuerit decantatus, vel modeſtè remotus, illudque 18. ad 24. horis ita fuerit per ſe relictum, tunc ſuperfundatur aqua, in qua decens portio nitri vel aluminis ſoluta, uſque ad aquę ſuper corpus eminentiam. Stet ita itidem duobus aut tribus diebus; hinc aquâ denuò ſeparatâ & effusâ, cadaver tractetur leni hypocauſti, arenæ vel Solis calore, veluti pauciſſimis abhinc paginis manuductio ad hanc conditurain clariſſimis fuit deſcripta verbis.

Nunc ſequentur promiſſę, eaque Operatori ſummè neceſſarię enchiriſes, numeris modò injectis concordantes. (1.) Lignum eligendum eſt durum; molliora enim, v. g. abietis, pini, & ſimilia ob ſubſtantiam ſuam laxam & poroſam abſorbent largiſſimam ſpiritûs volatilis penetrantis quantitatem, adeò quidem, ut poſtea non penitùs tegatur eidem immiſſum cadaver, & ita in parte non tecta aut humectatâ putredini inſidianti feneſtra aperiatur; veluti quidem damnô meô aliquoties ſum expertus.

(2.) Utor voce ſpiritûs in lata ſignificatione, ob virtutem nimirum penetrabilem ſpiritibus deſtillatione elicitis aliàs competentem; cùm hic meus ſpiritus potiùs ſtrictè ſumto vocabulo mixtura vel liquor ſit appellandus.

(3.). Poſui hîc ſaltem proportionem ingredientium; judicabit autem facilè laborem aggreſſurus, in qua quantitate ad condituram ſuam, ſive majorem, ſive minorem, hujus indigebit.

(4.) Dixi carnes molliores, in ſpecie verò piſcium, à diuturniore (nimirum tempore aliquot annis durante,) in liquore morâ dilabi, & in tabum reſolvi, quod quidem potiſſimum intellectum velim, ſi ſpeciebus condientibus fuerint poſtea exemtæ, vel poſt harum extractionem; Siquidem pluribus menſibus innatantes ſpiritui ſine noxa ſervari piſces, inſecta, varia item Viſcera; quę ita ſeorſim condita poterunt pluribus annis in vitris arctiſſimè tamen munitis jucundo ſpectaculo reſervari, vel etiam, ſi lubet, aliundè mitti in principio conditurę; Poſtea verò motûs abſentia diuturnitatem promovet. Jam dicta de incolumitate diuturna in ſpiritu balſamante, & quòd ſuccedente tandem extractione corpora ſubitò quaſi delabantur & pereant, confirmat Tullia Romana, cujus Hiſtoriam amplam ſatis in antecedentibus communicavi, è Cœlio Rhodigino, ut & Hiſtoria è Kircheri Oedipô Ægypt. ſuperiùs cap. 2. Sect. 2. adducta.

(5.) Anguſtiori temporis ſpatio opus hoc, præprimis in majoribus, abſolvi non poſſe, contrarius effectus me plus vice ſimplici docuit. Liquor abjiciatur tanquam inutilis, cùm virtus ejuſdem in edomandis contrariis contumacibus ſit deperdita, & in eo nihil reſtet, quàm vappa, ut ſic loquar.

(6) Ob diutinam enim in liquore, pręprimis vi ſua efficaci & volatili omnia penetrante detentionem, ſingulæ partes valde ſunt emollitæ & quaſi flexiles redditæ. In ſpecie verò abdomen (ob contenta varia & copioſa in corruptionem proclivia, flatuosè fermentantia, & ſpiritui ſuum officium facienti non niſi invitè obedientia) valde elevatur, & intumeſcit, ut jamjam rumpi & lacerari videatur.

Non minùs mephitim inſignem ac odorem cadaveroſum & moleſtum de ſe ſpargit, ut proinde inexperti totalem putrefactionem præſtò eſſe, metuant; ſed bono animo eos eſſe jubeo; cùm certò mihi conſtet, ſingula balſamatione à me præparata ante abſolutionem, fœtorem ſimilem naribus obtruſiſſe. Dum prima experimenta faciebam in minoribus ſubjectis in vitris pellu-

pullucidis, vidi ſæpius inter ſpem & metum ante debitum exemtionis tempus horum ventres ſummè tumidos ita vacillare ac tremere, quaſi jamjam penitus ſint diffluxura, quod tamen in neutro horum accidit.

(7.) Sperabam quidem in una & altera operatione prima vice inſtituta ſucceſſuram lentam eamque plenariam exſiccationem; ſed eventus contrarium monſtrabat; Siquidem modò dicta in inferiore Ventre hactenus, remoto liquore imperante cornua denuo ſumebant, atomi reſiduæ putreſcibiles partes, modò edomitas, adhuc teneras & molliores in conſenſum trahebant, ventrem nuper quaſi tympaniticum, & moderato ſucceſſu reliquas quoque totius partes contagio emortuali in tabum putridum & mucoſum reſolvebant.

(8.) Tempore æſtivo poſtquam methodo jam notatâ paucis diebus cadaver hypocauſti calore fuerit tractatum, pro obtinenda perfecta duritie & ſiccitate poterit, ſi lubet, quoque per aliquot dierum ſeriem exponi radiis Solaribus. Quamvis quidem ſingula muſcarum genera mortuo huic inſultent, præcipuè quoque majores illæ, *die Schmeiſz-Fliegen* Noſtratibus dictæ, ſemen ſuum ſuper hoc emittant, unde in aliis cadaveribus vel carnibus ſtatim inſtat cum putredine vermium generatio; veluti quidem ſingulis opera culinaria & œconomica vel leviſſimè callentibus notiſſimum eſt, In ſubſtantiis tamen hiſce balſamicô antidoto munitis conſuetum huncce in aliis effectum nuſpiam ſuccedere vidi, jucundô & rarô in phyſicis rebus ſpectaculo. Verùm, ut primis quoque diebus præſente adhuc largiore humiditate, ita exponatur Soli ardenti, nulli tam facilè autor eſſem, in ſpecie in cadaveribus majoribus, cùm in dicto humido copioſo, partibuſque mollibus reſtet aliquid fermenti putredinalis? ut ita accedente muſcarum ſemine anſa detur putredini verminoſæ. Cùm etiam plerumque poſt integram exſiccationem, reſtare ſoleat graveolens ab atomis putridis odor, non ineptum aut innoxium eſt, pro plenaria hujus ſuppreſſione continuare calorem vel hypocauſti, vel Solis moderatum, præcipuè in ſubjectis, quæ curioſæ demonſtrationis gratiâ ſic conficiuntur.

(9.) Verebar in primis experimentis, ne calor hypocauſti, arenæ & Solis externus evocaret & diſſiparet ſpiritum ſalis armoniaci, & per conſequens ſperatam durabilitatem infringeret. Sed odor quodammodo mephiticus & cadaveroſus, non verò volatilitate nares adeò feriens, ceu aliàs ſolet *Spiritus ſalis armoniaci*, in pluribus exemplis à me repertus, teſtatur, præter humidum corruptivum nihil vel modicum ſolummodo Spiritûs adeò evaporare; ſed huncce per *ſal alcali cinerum clavellatorum* ità potiùs eſſe fixatum & coagulatum, ut de hujus exſpiratione ſupervacaneus maximam partem ſit metus. Adhæc potior ac ſubtilior ejus virtus cum ſuppreſſis & edomitis particulis putreſcibilibus ſimul occubuit.

(10.) Dixi, liquorem faucibus infundendum eſſe paucis ab obitu horis. Dixi autem hæc propriâ edoctus experientiâ; niſi enim infuſio iſta propediem peragatur, poſtea calore innato & ſpiritibus vitalibus non ampliùs operantibus, tunicæ œſophagi collabentes, vix ac ne vix quidem aditum concedunt liquori ingreſſuro, Obſervavi quoque etiamſi cadaver aliquot horis erectè fuerit locatum, poſtea verò declive poſitum, infuſa tamen refluxiſſe, niſi fauces fuerint benè obturatæ. Si itaque tàm difficilis per ſtomachum plerunque vacuum obtingit ingreſſus, non video, quomodo clyſter *Jeſſenij*, càpite præcedente memoratus per anum injiciendus in neceſſaria (quæ ob penetrantiam ad ſuperiora extra dubium deberet eſſe copioſa) quantitate poſſet intrudi inteſtinis mucô ac flatibus ferè ſemper repletis; & quamvis commoda cadaveris locatione, atque arcta podicis obturatione retineretur, quomodo infuſum decenter aſcendere, ac inde aut evacuatoria aut balſamatoria totius operatio expectari poſſet?

(11.) Poſſet quidem in ipſo Thorace aut Ventre inferiore manifeſta fieri inciſio, pro intrudendis canaliculis; ne autem dedecus per hanc lacerationem emergat corpori condito, commodæ ſatis & ſufficientes erunt factæ ſub alis, & in inguinibus puncturæ.

Poſt modò dictas notas ipſam methodum concernentes, reſtant adhuc aliæ generaliores, operationi non minus multùm lucis afferentes, ſcituque neceſſariæ.

Quamdiu duratura ſint corpora juxta inſtructionem hactenus declaratam condita tam accuratè definire non audeo; Siquidem hâc de re non niſi per conjecturas loqui licet, & omnino multorum annorum ſeries ſperanda, ſiquidem in variis corporibus exſiccationem petrificationi quaſi analogam vidi. Me quidem non latet, à nonnullis, qui tamen vel relata referunt, vel minora ſaltem hôc in artificio experimenta fecerunt, nimis hyperbolicâ jactari, & promitti horum quaſi æternam (& quod ferè excurrit) durabilitatem. Me quoque non latet, quamdiu Corpora *Ægyptiorum* muniſata plura corruptionem eluſerint, & adhuc inde eludant. Nec incognitum mihi eſt, corpus *Tulliæ*, aliquando fuiſſe *Romæ* repertum per mille & quingentos annos liquori cuidam innatans, corruptionis expers. Nihilominus paulò modeſtiùs hâc de re ſentire, magis conſultum, & Chriſtianæ rationi conſonum videtur. Siquidem notum eſt, Pharmacopæis, Myropolis, &c. *Mumias Ægyptiacas* Pyramidibus, & cryptis ſepulcralibus exemtas aëris injurioſas mutationes tàm impunè non tolerare, ſed artificiosè ab hiſce defendi debere. Quamvis è ſuperiùs dictis pateat, in hiſce præter cutem & oſſa ferè nihil reſtare; ut ſic magis ſpecies balſamantes, quàm corpus conſiderari debeat. *Tulliæ Romanæ* autem pollincturam, quod attinet, longiſſimè differre conſervationem actualem cadaveris in liquore balſamicô ab illâ, quæ fit in liberâ aëris, qualis etiam illa ſit, expoſitione, teſtem habemus experientiam, rerum omnium magiſtram. Singulæ enim creaturæ, juxta ſeverum *Sacri Codicis* Præceptum, tandem ad ſuam ruinam inclinant; imò ipſa remedia aliis corruptionem ſuſpendentia ab hàc non ſunt immunia, veluti amara, aloë, myrrha aliaque plura teſtatum eunt.

Ego ſimilia cadavera varia ſervo (cùm huic artificioſæ Curioſitati diutiùs non incubuerim) per *6. 9. 12. 15. 18.* menſes, & quidem pleraque ſine alterationis putridæ labe, aliiſque corruptionem minantibus indiciis; nullus dubitans, quin longum adhuc per tempus jam præſenti nativa facie & formâ ſuperbire poſſint, præprimis ſi legitima eorum cura geratur, ac in aëris temperie tam ipſis, quàm ſimul ſpeciebus balſamantibus conveniente adcuratiùs, quàm hactenus à me factum, foveantur.

Fundamentum enim talis conſervationis & durabilitatis bonam partem conſiſtit in defenſione ab aëris mutationibus, & in ſpecie ab ipſius humiditate, ſubſtantiam ſalinam colliquante & reſolvente, de qua re plura paulo inferius.

Quamvis autem ipſa mea cadavera tàm molliter non tractaverim, ſed quibuſlibet aëris alterationibus liberè expoſuerim; imò horum varia ad Excellentiſſimum ac Generoſſimum Dn. Carolum, L. Baronem â Frieſen

à Fieſen, Sereniſſ. Saxoniæ Electoris Conſiliarium intimum, Camerarium & ſuperioris Conſiſtorii Præſidem, communem & primicerium rei literariæ Patronum, illius Curioſitati ſatisfacturus in prædium ejus Rotham aliquot abhinc milliaribus ſitum tranſportari curaverim. Et hôc quidem datâ operâ, ut eò certiùs experirer, quidnam harum injuriarum ferre queant, quid ferre recuſent. Nullam tamen ferè in his ſingulis immutationem perſenſi, niſi quod cadavera integra, priore ſaltem modo (ſine immiſſione in nitratam aquam) parata, in abdominis parte inferna & teneriore, ob ſalinam qualitatem quodammodò quaſi liquatam, parum mollescere viderim; viſcera autem ſeparatim balſamata, & præcipuè Pulmonum aſpera arteria, & Hepati inhærens veſicula fellea vermiculorum quorundam, quaſi blattarum aliquando, præprimis & ferè ſolùm menſe Junio, fuerint experta inſidias; ſingulis verò hiſce corporibus tempore æſtivo, ſine damnô tamen illato, ſeſe aſſociaverit Vermium domeſticorum, à frumento plerunque oriundorum genus quoddam.

Sic quoque ſubjecta & viſcera quædam planè nuda, non involuta, aut munita impoſui cellæ, exploraturus, quomodo ejusdem humiditatem ſint toleratura; Cùm notum ſit, ſalina ibidem aliàs citò in liquorem reſolvi, atque in illis per aliquot ſeptimanas ibi relictis obſervavi, guttas paucas inhærere, vel alíqualem madorem, quod quidem accidere ſolet rebus ſingulis cellæ impoſitis. Neutiquam autem majorem colliquationem aut reſolutionem, ſiquidem hæc cum reliquis adhuc in eodem vigore oculo cuilibet curioſo oſtendere, ſi libet, licet.

Nihilominùs pro diuturniore, elegantiore & firmiore durabilitate concilianda, ſecundùm fundamenta phyſica ſecurior erit via ut cadaver ab aëris alterationibus, & in ſpecie ab ejuſdem humiditatis injurioſo tactu defendatur. Proinde locentur vel in loco calido & ſicco, vel frigido & ſicco, qui poſterior eligendus vel commodior erit, aut arte potiùs ità comparandus corporibus Humanis in cryptas quodammodo humidas plerunque recondendis. Hinc talia poſſent involvi linteo optimè cerato, è cerâ & terebinthinâ compoſito, quale è capite præcedenti in formulis condiendi cum exenteratione tradidi, peti poterit.

Tunc circumdetur linteo, aut ſacculo nitro repleto, imponaturque loculis ligneo & ſtanneo, vel plumbeo, pro infrigenda aëris liquefacientis aut cujuſcunque laſcivientis violentia.

Si enim corpora *ſuccinô*, *cerâ* & ſimilibus, item fructûs ſaccharô obducti, anteà, autem balſamicè minimè condita ob ſolum aëris injurioſi acceſſum prohibitum aliquandiu durare potuerunt, cur non majora & durabiliora nobis promittere poterimus in hiſce artificioſô cultu & cautelis providis largè elaboratis & compoſitis?

Diverſitatem climatis atque aëris multa poſſe in cadavera, docet *Camerarius*, Centur. 1. Horar. ſubciſiv. p. m. 85. *Magna eſt*, inquit, *differentia cadaverum Europæorum & Orientalium. Hi enim ob ſicciorem conſtitutionem putredini non ità obnoxii ſunt, quàm illi. Idque conſtat ex Ammianô Marcellino, cadavera Romanorum, à Perſi cæſorum in prælio diſcerni potuiſſe; Cùm Romanorum cæſorum cadavera citò fatiſcant, & diffluant, adeò ut nullius mortui facies poſt quatriduum cognoſcatur. Interfectorum verò Perſarum corpora inareſcunt in modum ſtipitum ut nec liquentibus membris, nec ſaniè perfuſâ madeſcant Quod vita parcior facit, & ubi naſcuntur exuſtæ caloribus Terra.*

Vigori horum, quæ cryptis non ità includuntur, ſervando, aut reſtaurando quoque vidi conducere, ſi tempore æſtivô aliquoties exponantur radiis Solaribus fortiter ardentibus, vel aliquoties & ſucceſſivè, aëre humidô prædominante, hypocauſto calefacto immittantur, pro humidi ſubreptitii exſiccatione. Defenſio tamen ab aëre per telam inceratam, & immiſſionem in nitrum vel arenam præ aliis eſt commendabilis. Quamvis confidam, me cum Deo & die inventurum eſſe enchiriſes ſimiles aëris injurias eludentes.

Suam quoque pro diuturniore durabilitate extra dubium conferet operam, ſi cadavera vel viſcera aliquot ſeptimanis ſemel leniter ſaltem abſtergantur, vel tangantur ſpongiâ ſpiritu balſamante conſuetô aut aquâ nitratâ humectatâ, ut ſic atomi putreſcibiles cuti adhærentes in tempore diſſipentur; quamvis eâ Ego enchiriſi non fuerim uſus.

Ex hactenus traditis innotuit benevolo Lectori, quanam via condituram meam fuerim aggreſſus & abſolverim, & quomodo ſpiritus balſamans citò ſit parabilis. Quamvis autem penetrabilem ſuam efficaciam & virtutem mihi abundè commendaverit; nihilominùs magis conducibile reperi, ſi recens ſpiritus tranſactis duabus ſeptimanis adfunderetur, priore per modeſtam decantationem remoto; quia hic per contrarias partium in putrefactionem ruentium qualitates ſupprimendas fatigatus, atque vi ſua innata ſpirituoſa depauperatus eſt. Quod poſt idem temporis ſpatium eôdem modo erit repetendum. Sæpius tamen hæc repetita affuſio Spiritus recentis non eſt inſtituenda, quia à nimia ejuſdem penetrabilitate tibi aliàs Abdominis eroſio metuenda; quod itidem proprio damno, ſum aliquoties expertus.

Si cuidam libuerit adhuc ſubtiliorem operi admovere ſpiritum, ille quidem prima vice affundat liquorem ſolitum, ob extemporaneum ſuum auxilium, veluti hîc quidem neceſſitas exigit, laude rara conſpicuum; poſtea modis modò dictis ſemel vel bis affundatur per deſtillationem factus ejuſdem generis, & quidem in copia, facilè & ſine magnis impenſis itidem obtinendus, qui elaborandi modus quibuſdam Chymiatris jamdum innotuit; ſic autem conficitur: Recipe *Ciner. Clavellator.* libras duas, *ſalis armoniaci* pulveriſati libram unam, ſuperaffundantur aquæ communis libræ ſex, deſtillenturque per alembicum in arena, obſervatis ignis gradibus, veluti notum Artis Filiis.

Atque ita non erit dubitandum, quin methodus mea balſamatoria, accedente & hac enchiriſi tempore adhuc multô anguſtiore ſit abſolvenda, quod ego quidem in duobus ſaltem cadaveribus, dum hæc ſcribo, tentavi, & eô, quem optabam eventu, Deo benedicente, abſolvi.

Si fortè quidam vereretur, ne *ſal cinerum clavellatorum* (præcipuè in cryptis humido aëre prægnantibus,) ſucceſſu temporis reſolutionem liquidam ſit experturum, quod ego tamen non adeò metuerem, ſi juxta monita ſuperiùs tradita tam in loculis, quàm alibi cautè munirentur, ipſe etiam in meis ſatis ſuperficiariè licèt habitis & repoſitis corporibus hactenus ſimile offendere non valuerim, ille poterit, poſtquam liquor juxta nuper edoctas regulas extemporaneè confectus ab uſu nonnullorum dierum fuerit remotus, adhibere ſpirum *ſalis armoniaci*, communiore, at pretioſiore modo, ſine admiſtione *cinerum clavellatorum*, vel ſimilium deſtillatum.

Si quoque liquoribus hiſce lixivioſis ac ſpirituoſis aliquis admiſcere velit extractum, vel ſuccum *abſynthii*, vel alia amara, *myrrham, aloën*, &c. energiam balſamicam magis augeret, quàm imminueret.

Si offerret ſe condiendum corpus, in quo vel affectu hæmoptoico, vel aliâ cauſâ violentâ, vulnerationibus, & ſimilibus à vaſe læſo aut rupto ſanguis extravaſatus

ſatus largus offenderetur, tunc ſtatim poſt paucos dies novus affundatur ſpiritus; quia ſanguis exterius, & ſui juris exiſtens non tam ſubitò à ſpirituum virture poteſt ſuperari & edomari, ac ille incraſſatur & figitur, qui eſt intra ſua receptacula recluſus; ſed putrefactivâ ſuâ petulantiâ adeò enervem & exanimem reddit liquorem, ut quaſi evictus citò vappeſcat, nec poſteà ſufficiat perfectè ſuperandæ putredini reliquis partibus inhærenti; veluti hoc quidem ſpecierum condientium, & temporis jacturâ ſum edoctus in moloſſo Anglico raræ magnitudinis, artem meam eludente, ille enim inter ſtrangulandum ſummè contranitens rumpebat vas in pulmonibus; hinc copioſa orta hæmorrhagia.

Subjecta pinguiora difficiliùs & tardiùs experiuntur conditurarm, cùm pinguedinis craſſities reſiſtat conatibus Spirituum penetrantium; ideoque talia paulò diutius ſunt retinenda. Ubi ſimul monendum, hiſce nimis fortem ab eorum exemtione arenæ aut hypocauſti calorem non eſſe admovendum, cùm hic pinguedinem nondum penitus exſiccatam & edomitam liquefaceret.

Econtra non adeò multùm referet, an ſubjecta fuerint ſenilia, morboſa, aut pulmones, aliaq; Viſcera ulceroſa & corrupta; Cùm aliquoties viderim in diverſorum Brutorum ad exſiccationem paulò citius exemtorum vel me à negotiis Practicis peregrè avocato ſpeciminibus, ventres diſruptos vermibus millenis ſcaturiiſſe; nihilominus à ſpiritu denuò affuſo hos fuiſſe ſuffocatos, corpore poſtea, licèt non tam concinnè uti aliàs exſiccatô.

Si quoque cuidam fortè libuerit, conditurarn inſtituere methodo hùc uſque à me declaratâ extractis inteſtinis, aliiſque infimi vel etiam medii ventris contentis, atque ità per exenterationem antiquis receptam, dicto modo multo anguſtioris temporis ſpatio ſcopum ſuum attinget, præprimis ſi viſcera ſeorſim condita reponeret.

Singulis quoque pollincturam ità aggreſſuris aut tentaturis autor eſſem, ut primos conatus experiantur in ſubjectis nonnullis minoribus, antequam ad Humana & alia majora progrediantur, ut ſic pedetentim adſueſcant obſervare neceſſarias enchiriſes.

Hæc ſunt, quæ hâc vice Orbi literato de negotiô balſamatoriô communicare volui, vel rectiùs potui; Confidens, eâdem animi dexteritate, quà ſcripta ſunt, acceptum iri. Siquidem ad meam Ego provoco conſcientiam, me cunctà poſſibili, & Medicum ingenuum, imò Chriſtianum decente perſpicuitate ac fidelitate propoſuiſſe. Si fortaſſe quibuſdam nonnulla obſcuriora viderentur, vel operatiò inchoata è voto non ſuccederet, iidem ſibi ipſis eventum contrarium adſcribant, velim; quia ſcilicet vel inexercitati unius, alteriuſve enchiriſeos fuerint obliti, vel materiæ ſpiritum balſamicum conſtituentes caruerint debitô qualitatum ſuarum vigore, & ſufficiente penetrabilitate, quod tamen in hoc negotiô plurimum confert. Egò autem inſuper verè promitto cuilibet indagatori illud poſtulanti mentem ac operam pro virili meâ auxiliatrîcem, ſi nonnulla illius ingenio obſcuriora viderentur propoſita.

Clariora divulgare experimenta primô hôc conatu certè non licuit, quoniam in re difficultatibus pleniſſimâ, & quaſi novâ nullius veſtigia certò legere potuerim; Accedit, quòd omnia inter concatenatas negotiorum practicorum turbas tractare fuerim coactus. Aſſenſum merentur verba dictata à *Rob. Boyle*, Experim. Phyſico-mechan. in proœmio, p. m. 3. *Rariſſimè contingit, inventa primò conatu ſic perfici, ut neque defectu aliquò ſordeſcant, qui remedium depoſcuit nec ulteriore aliàs indigeat complementô.*

Sanctâ enim fide atteſtor, mihi ne gry quidem aut minimam notitiam conſtitiſſe, qualem ſe geſſerit in condiendis corporibus ſuis Humanis *Bilſius*, *Belga.* aut poſt eundem ipſius æmuli, in præparandis præcipuè ſubjectis minoribus atque viſceribus animalium, ſive materiam ſive modum eorum conſideres. Quæcunque inde, ut & ex aliis Autoribus ſuperiore in capite adductis hariolari, aut divinare licuit, me ſanè magis confuſum, & dubium reddiderunt, ob ſummum opinionum diſſenſum.

Siquidem inter illos alium de re aliqua condiente tam ſplendidis conjecturis ſentire, alium penitus de re alia planè certi quiddam definire offenderim, quæ tamen, poſtquam examini experimentali ſubjecerim, fidem ſuam mihi liberare, aut promiſſis ſtare non valuerunt; Cùm opus aut planè ità non ſucceſſerit, aut ad minimum durabile non fuerit.

Hîc ſæpius non parum admiratus ſum quàm infirma & incerta ſit experimentorum per ſcripta publica concreditorum relatio hiſtorica; ubi non ſimul acceſſerit mannum propriarum, utpote oculatarum, teſtimonium.

Quamvis quidem jucunda ſit malorum præteritorum & ſuperatorum recordatio; Lectori tamen moleſtus eſſe nolo, in enumerandis ſimilibus rebus ac modis diverſis, in quibus ſpecimina infauſtô eventu tentaverim; Ut tamen è pluribus ſaltem hoc memorem; Novi, quoſdam ſtatuere, mediante ſolâ exſiccatione Bruta minora poſſe ab interitu vindicari; quod probavi in columbis, muribus, &c. atque aliquando ſub cautô ignis regimine veritatem rei quidem inveni, ſed paucis poſt ſeptimanis ceſſerunt in blattarum, aliorumque vermium eſcam & ludubrium, cujus rei ratio reddenda quidem non erit adeò difficilis; dum ſcilicet talibus defuit quiddam balſamicum, quod reſiſtere potuerit aëri in corpora quælibet animâ ſuâ orbata injuriosè & corruptivè agenti.

Non minùs quidam ſuperiùs allegatus, Vir aliàs ob ſcripta edita laude dignus tradit in Libro publicè proſtante, Bruta minora, & inſecta, in vitrô, acetô fortiſſimô replerô ſervata, perpetuò manere incorrupta. Pro veritate hujus indaganda ego immiſi aliquot piſces vitro acetum continente; verùm paucis abhinc diebus reperi eoſdem à corrodente aceti acrimonia in particulas diviſas vitro innatantes. Tentavi itidem in gallo ſatis grandi & veteri; ſed diebus 10. ad 12. elapſis bona non minùs pars exterior jamdum ab aceto in ſuccum erat redacta tabidum.

Quàm multa ego tulerim, fecerim, ſudârim & alſerim in inquirendo, hoc artificiô curioſo, ipſe optimè novi. Maximi autem labores, fœtores, ſumptus, aliaque incommoda mihi præprimis ſunt ſuborta, antequam didicerim legitimum Balſamationi perfectæ neceſſarium tempus; & quod illud toties-totieſque contrahere, abbreviare, & compendifacere auſus fuerim.

Inter tædioſas tamen haſce operationes non mediocre mihi occurrebat ſolatium ac levamen, quod Uxor mea dulciſſima, ſupra Sexûs ſequioris, rerum anatomicarum, & quæ his analogæ, ingratas operationes aliàs ſummè nauſeantis conſuetudinem, moleſtias haſce mephiticas mecum dividerit, manumque operatricem fideliſſimè ſimul admoverit; cùm ſolis ſubjectis majoribus elevandis, invertendis, varieque tractandis non ſuffecerim: (Peregrinos autem & amanuenſes adjungere talibus occultis & dubii adhuc eventûs tentaminibus, non fuiſſet conſultum;) uſquedum meus è Fratre Nepos dilectus, *Frid. Wilh. Clauderus*, Medicinæ Candidatus, ex Academiis redux ſuam quoque ſubminiſtrabat opellam.

Conſtitueram quidem ſuſpendere aliquamdiu hujus Tractatûs publicationem, & adhuc adcuratiùs invigilare per crebriores indagationes huic arti magis illuſtrandæ; Verùm à curioſis rerum naturalium ſcrutatoribus, quà Medicis, qui aliàs editioni inhiantibus, ſæpius ſtimulatus ac monitus invidere illum diutius Orbi literario nolui. Præcipuè cùm vires quodammodo recolligere à meditationibus ac laboribus per tantà tædia, per tantos ſumptus proprio ſemper ære factos, & per meæ valetudinis diſpendium coëmtos, atque ità ſanitatem ac crumenam meam aliquo modo ſolari, rationi conſonum judicaverim.

Quantas autem Ego hîc fecerim expenſas, rerum chymicarum gnari diſcant inde, quòd ad cadaver quoddam magnum (quorum varia ſucceſſivè partim irrito, partim optato effectu balſamando tractavi) condiendum mihi fuerint comparandæ 50. ad 60. non unciæ ſed libræ ſpiritûs balſamici, ad ſingula recentem adhibendo.

Neutiquam tamen planè deſiſtam ab hac arte meliùs excolenda, non modò quidem rogantibus amicis, conſilio aſſiſtendo; ſed & ipſe porrò mentem manumque operi applicando, eidemque majorem lucem accendendo, vitam quidem atque ſanitatem, Deo gratioſè concedente.

Hactenus Clauderus in Tractatu de Balſamatione. Videamus jam elucidationes quaſdam ejuſdem Autoris in eôdem argumentô è Miſcellaneis Curioſis petitas.

De Balſamatione Cadaverum, etiam majorum, ſine eviſceratione nonnulla.

In recenti habebit memoria Orbis eruditus, me undecim ab hinc annis Publico communicaſſe Methodum balſamandi corpora ſine prævia eviſceratione; quem laborem antequam variis experimentis abſolveram, mihi ſummè tædioſum, poſtea pluribus fuiſſe gratum, conſtat. Quamvis autem diverſa cadavera ante illud tempus condita adhuc integra, nec putredine corrupta ſingulis curioſis demonſtrare valeam quot horis libuerit, placuit tamen pro candore virum honeſtum decente hæc addere: Notum eſt curioſis è dicto Tractatu, me opus hoc conficere mediante liquore ſpirituoſo penetrante è ſale armoniaco, & cineribus clavellatis. Cùm autem negandum non ſit, cineres clavellatos in aëre humidiore, citiùs liquefieri, ac alia alcalia, & per conſequens inde parata injuriam pati; ideò, cùm inventis facile ſit addere, poſtea operi loco cinerum clavellatorum ſubſtitui calcem vivam, cùm alcali hujus contumacia uniuſcujuſque aëris injurias eludat. Notum non minùs eſt, Dn. *Kerckringium*, Virum de Medicina noſtra optimè meritum oſtendiſſe curioſis fœtum humanum ſuccino mollificato obductum; ſpectaculo ſanè oculos mirum-quantum paſcente; quam curioſitatem meritò veneror & commendo, præprimis cùm ſuccini mollificatio hactenus multis innotuerit, magnis ſumptibus olim quæſita & redemta. Licebit tamen mihi, mentionem facere, me viâ ſatis brevi diverſa cadavera, plumis & crinibus carentia; ſed nudam cutem, vel ſquamas ſuas præ ſe ferentia, meâ methodo tamen priùs parata, jucundè non minùs viſui offerre poſſe, ſi illinantur vernice aliquo, à pictoribus & ſimilibus facilè diſcendo; Ego talem paro è terebinthinæ puræ parte una, & olei pini vel terebinth. partibus tribus; Poterit quoque gummi maſtichis vel ſuccini in oleo pini vel terebinthinæ aut juniperi reſolutum ità pro vernice illiniri. Magis adhuc tamen oculos recreat, ſi corpora dicta vernice planè albo obducantur.

Cæterùm, quæ aliquot huc uſque annis eleganti curioſitate tractârunt nonnulli, dum aves, ſerpentes, & ſimilia corpora minora exſucca & ſolidioris ſubſtantiæ, mediante ſpiritu vini & terebinthinæ aut ſimili, oleo item juniperi à putredine non minùs vindicant, jucundum quoque non minùs, ac laude ſuâ conſpicuum eſt. Corpora autem majora humidiora, nec eviſcerata horum ſpirituum efficaciæ neutiquam obedire, experientiâ diſcitur. *G. Clauder. Miſcell. Curioſor. Decur. ij. Ann. viij.*

Clariſſ. Clauderum excipiat jam Clar. Blancardus qui in hac Balſamandi Arte apud Batavos, populares ſuos, à Bilſii temporibus tantopere exculta, non parum lucis præbet, ſic ſcribit.

Conſervatio cadaverum duplex eſſe poteſt, nempe mediante liquore, aut ſicca balſamatione. Ea quæ fit mediante humido, fit cùm cadavera eorumve partes ab una regione in aliam, abſque ulla corruptione aut decoloratione tranſmitti debent: fiat igitur muria vel lixivium fortiſſimum ex marino ſale & alumine an. quantùm ſufficit; cadaveri in capulo picato jacenti ſuperfundatur hic liquor, adeò ut bene immergant: atque hoc modo ex longinquis regionibus in alias, ſine ullo fœtore aut corruptionis indicio transferri poſſunt; imò ſectioni anatomicæ, non inepta erunt, quia inter diſſecandum minimè fœtent. Aliquando, quod mirum, infantes eo modo conditos accepi, qui vivum adhuc colorem retinuerant; non ſecus ac ſi in cunis dormiverant. Optimè hæc methodus inſtituitur, cùm aliud negotium ſit, & cùm occaſio diſſecandi tibi commoda non fuerit, in aliud tempus differatur. Alter conſervandi modus eſt, quo cadavera in oleo terebinthinæ condiuntur; atque hoc modo per aliquot annos in priſtinum ſtatum perſeverant. Affuſione ſpiritûs vini conſervari poſſunt, imò ſi more veterum incedas, melle condiantur. Verùm in melle, aloë, myrrhâ, ſimilibuſque Balſamis cadavera deformia fiunt, in ſpiritu verò vini ſenſim conſumuntur. Optimum ideoque eſt, ut cadavera mediante ſpiritu vini primò tincturam ſuam evomant. Spiritus iſte iterum rectificatus reaffundetur, tincturamque de novo extrahas, qui rurſum deſtillatus iterumque reaffuſus, tamdiu rectificari poteſt, donec nullam ampliùs tincturam imbibat. Accipe tunc ſpiritum vini rectificatum, cui admiſce ſpiritûs ſalis armoniaci cum calce viva deſtillati partem quartam aut quintam: hanc mixturam cadaveri ſuperfunde: hoc ritu diutiſſime conſervantur. Ità generationes ex ovo, quæ ſingulis diebus conſpiciuntur, conſervantur; quæ omni anni tempore repræſentari curioſis poſſunt. Imò ſi hac methodo incedas, ſemper & ſingulis diebus diſcipulis inſtructionem dare potes, abſque ulla Anatomica ἐγχειρήσει. Elutriatâ omni tincturâ ſæpe affudi ſpiritum ex myrrha, olibano, maſtiche, ſuccino & ſpiritu vini deſtillatum, quem ob eximium in Medicina uſum, ſpiritum matricalem voco. In hoc ſpiritu optimè dephlegmato conſervantur pulli, angues, lacertæ, limaces marinæ & ejuſmodi alia, ſine ulla coloris deperditione, Si tibi contingat integrum cadaver à corruptione præcavere, per os & œſophagum aqua calida ſiphone immittenda, ut nimirum materia,

alias facilè corruptura, ex ventriculo, & inteſtinis foras per anum emandetur: idque tamdiu continuandum, donec aqua pura & limpida exeat. Poſtea ſpiritus vini magna quantitate immittatur, ut nempe hoc modo omnis aquoſitas relicta, abſorberetur. Porrò arteriæ quoque & venæ majores aperiendæ, iiſque aqua quoque calida tamdiu injicienda, donec omnis ſanguinis rubedo exire deſinat, & aqua tantùm clara prodeat: deinde, ut ſuprà, ſpiritus vini immittendus, ut particulæ aquoſæ ab hoc ſpiritu eluttrientur. Operatione hac prævia multùm ſpiritûs parcitur, aliàs ingenti ſpiritûs copiâ opus fuiſſet, quod mediante aquâ jam fieri poteſt *Sandapila plumbea* aut *Stannea*, ne ſpiritus exhalet ad id opus requiritur, ſi integrum conſervari debeat cadaver: verùm ſi partes quædam conſervandæ ſint, vitra omnis generis requiruntur, quæ veſicis firmiter ſatis obturari poſſunt.

Poſt Balſamandi modum in humido, alter ſequitur ſiccus; Quando contingat ut totum cadaver Balſamationi ſiccæ exponetur, potiſſimùm ad faciem & manus advertendum, ne colorem vivum perdant. Aquâ igitur calidâ & vino aduſto, ut ſuprà expoſitum cadaver eluendum; poſtea limpidus terebinthinæ ſpiritus cui pigmentum aliquod album admixtum fuit, de novo immittendum ut præcaveatur, ne cadaver ſiccum flavedine tingatur. Hujus liquoris, immiſſio in ſingulis ferè membris ubi arteriæ aut venæ manifeſtæ ſunt inſtitui debet. Cadaver hoc modo præparatum, altioribus domi partibus exponatur, ſituque debito membra diſponantur: replendæ tunc omnes arteriæ & venæ cerâ parùm miniatâ, ut corpus nempe vividum acquirat colorem: Hæc ceræ injectio fit, ne corpus ſiccatum aridum fiat, verùm ut membra debitam expanſionem ſervent. His peractis lenſim ſiccetur cadaver ventis expoſitum, ſingulis diebus tamen adeundum, ne quid mali accidat. Facies interim & manus coſmeticâ vernice obliniendæ, ne flaveſcant nimis. Oculorum orbitæ, vitreis oculis, ejuſdem coloris ac vivus habuit, replendæ quamvis cilia claudi poſſunt, & tunc mortuum, quaſi dormientem conſpicies. Genæ, labia, ſimileſque partes rubore vivo pingendæ: vivus enim color, quoad poſſumus, imitandus eſt.

Exſiccatum cadaver, ità ut nihil humidi in ſe contineat, ab omni parte vernice illinendum eſt, ut nempe ab aëris injurijs præcaveatur. Fiat igitur mixtio ex aloë, terebinthina & maſtiche, quibus ſimul colliquatis nonnihil ceruſſæ admiſce, ne color fiat flavus. Hiſce ità peractis: arcæ ligneæ, ad præſervationem comparatæ, mumia imponatur, ne ab omni aëris immunditie lædatur. Quamvis hoc ritu cadavera præſervari poſſint, melius tamen erit, ut viſcera, facilè corruptibilia, eximantur: exempli gratiâ, ſi capitis cutis cruciali modo incidatur calvariaque ſerrâ elevetur, cerebrum facilè corrupturum, eximetur: cavitas, poſt debitam exſiccationem eadem vernice obducatur: replenda interim cavitas Aromatis, gummiſque bene olentibus: imponatur deinde calvaria, cutiſque jam reſiccata filo ſericeo conſuatur. Porrò ipſum cerebrum condiri poteſt, ut poſtea dicemus & cavitati loco aromatum; imponi. Simili modo & Thoracis & abdomninis contenta eximi poſſunt & balſamo indurari, ut nimirum poſtea ſuo loco locentur; verùm ſi licitum ſit inteſtina ſepeliri, cavitates aromatis replendæ, cutis diſſecta reſuenda.

Si quis ſolummodo muſculos condire ſtudeat, cutis decorticanda, Omnes muſculi arte anatomica à membranis ſolvendi, ut diſcipulis omnes totius corporis muſculos exhibere poſſis. Solutis omnibus muſculis, tamdiu aquâ calidâ eluantur, donec nihil cruenti amplius appareat, poſtea ſpiritu vini irrorandi, ut omnis nempe aquoſitas imbibatur. Poſtea cadaver ante foramen modicè calidum ponatur, ut pedetentim exſiccetur, deinde oleo terebinthinæ quotidie muſculi inungendi, donec omnes partes penetraverit. Hæc olei penetratio fit, ut partes ab omni corruptione præſerventur. Exſiccato poſtea oleo, muſculi aliquoties ab invicem ſeparandi ſunt, ne mutuò adhæreant. Interim erigatur corpus hoc modo ut erat in vivis, ita nimirum ut muſculi poſteriores & anteriores facilè conſpiciantur. Induratis jam pro ſiccitate muſculis, illitio rerum ſit vernice ex oleo terebinthinæ & maſtiche facta, ne externæ aëris injuriæ quippiam lædant: Si enim omnia providè peracta fuerint, hoc modo cadavera in aliquot centenos annos conſervari poſſunt.

Minorum infantium cadavera ad ſiccitatem uſque concinnè Balſamo indurati, vitriſque cryſtallinis includi poſſunt, ut; poſt mille annos ità conſpiciantur, ac ſi recens eſſent conditi. Hoc igitur incede modo: infantis aut embrionis corpuſculum per octo aut plures dies vini ſpiritui immergatur; ſed recens ſpritus ſingulis diebus affundendus. Infanti majori autem inteſtina ſiphonibus purga, eique terebinthinæ oleum ſuperaffunde. Interim vernix ex oleo terebinthinæ, maſtiche, ſuccino, copal. &c. præparanda: eaque ſit ità ſpiſſa, ut, ſi ab igne movetur, in rigidum ferè vernicem rigeſcat. Hæc, calida in vitrum amplum, ad magnitudinem fœtûs accommodatum, infunditur. Tepidæ huic vernici embryon balſamandum immergitur, ut in medio vernicis ſpatio obrigeſcat, vernixq; inſtar ſuccini diaphani apparebit. Mirum ſanè, quod magnatum maximi hoc modo non condiantur, cùm id paucis ſumptibus & brevi tempore fieri poſſit.

Locuti jam ſumus de modo, quo integra cadavera Balſamo condiantur, nunc de viſcerum Balſamatione particulatim agemus. Ventriculus, inteſtina, imò veſica urinaria, uretheres, Cyſtis fellea, omniaque ea quæ fiſtuloſa aut membranacea ſunt eadem methodo præparantur: nempe, primo aquâ à ſordibus purgantur, deinde ſpiritus vini ad aliquot digitorum eminentiam ſuperfunditur, perque dies nonnullos infunduntur, ut omnis nempe aquoſitas extrahatur. Hiſce peractis vento diſtendi debent, & quemadmodum vulgares veſicæ exſiccari. Poſtea feneſtricula in ſtomacho vel inteſtinis fiat, partem nempe cultello feneſtellæ in modum conſcindendo, ut interiores parietes oculis pateant, tunc omnes æqualitates, & inæqualitates, ut ſunt valvulæ miliares ob oculum ſiſtuntur. Poſthàc eadem vernice intus & extus oblinantur, ne acari & teredines partes corrodant.

Lieni illæſo aqua tepida per arteriam lienarem immittenda, donec per venæ portæ ramos nihil cruenti redeat, tunc lien, ob ſanguinis penuriam, planè albus apparebit. Injiciatur tunc ſæpe vinum aduſtum eique per aliquot dies immergatur, ut ſuprà. Lien deinde inflandus ut ſpiritus exeat, iterumque terebinthinæ oleo imbuatur. Omni jam liquido liene efflato, venâ portæ vinculis conſtringenda, & arteria inſufflетur, & ligetur. Lien hoc modo ad ſiccitatem induratus, vernice eodem modo ab omni corruptione cuſtodiendus eſt. Poſt exſiccationem membrana quę lienem inveſtit, ſcalpello acutiſſimo facilè abſcinditur, ut interior ſubſtantia, arteriæque diſtributio cominus conſpiciantur.

In Balſamando jecore, immittenda per portæ venam aqua tepida, necnon per arteriam hepaticam, tunc omne ſanguinolentum per venam cavam exhibet:

deinde ſpiritus vini & poſtea oleum terebinthinæ injiciatur, ut ſuprà. Interim quoque fellea cyſtis purgetur, inſufflətur & exſiccetur ut ante de ventriculo & inteſtinis dictum. Sic quoque inſufflandum eſt jecur per vaſa ſua, iiſque extimè ligatis, exſiccationi exponantur, verniceque obducantur. Eodem modo & renes condiri poſſunt. Oculis inamœnum non eſt, venas eſſe cerâ nigrâ & arterias rubrâ repletas, ut nempe earum ramificatio eò diſtinctius conſpiciatur.

Omentum exſiccatum, byſſum aut carbaſum, refert, quibus ſe mulierculæ ornant. Primò per aliquot dies ſpiritui vini immergatur, leviterque ſiccetur. Verùm quia multi dúctus adipoſi per illud excurrunt, idem amyli farinæ aut furfuribus immergendum, tum ab omni pinguedine liberabitur.

Pulmonum Balſamatio haud ità facilè fit, quia difficilè vento replentur, inſufflatis enim pulmonibus, omnis aër elabitur. Si enim pulmones eximantur è corpore plurimi meatus, poſt vaſculorum lymphaticorum abruptionem relinquuntur, per quos aër & mercurius exeunt. Præparatio per aquam calidam, pulmonum arteriæ injectam, deinde per ſpiritum vini, oleumque terebinthinæ, eodem modo ut ſuprà fit. Poſtea, ligatis omnibus vaſis ſanguineis, pulmones vitro largioris colli immittantur. Trachea tunc hoc modo in veſicæ alicujus medio ità accommodatur, ut flatus tamen in aſperam arteriam immitti poſſit: veſica hæc ex cujus medio trachea dependet, ſupra vitri os ita expanditur & circumligatur, ne aëris momentum intrare vel exire queat. Verùm antequam veſica ligetur, alius quidam pulmones inflare oportet, ne ſcilicet poſt conſtrictionem iterum ſubſideant. Omnibus jam optimè ligatis inflatiſque arctè trachea eſt conſtringenda; tunc nullus nec per tracheam, nec per veſicam, aëri aditus & reditus patebit. Deinde exſiccationi exponantur, & vernice obliniantur, ſicque pulmones expanſi manebunt.

Cerebrum cum immiſſione humidorum non ad votum penetratur, immergendum tantùm eſt ſpiritui vini. & eouſque renovandum, donec nulla tinctura aut aquoſitas extrahatur. Superfunditur deinde oleum aut ſpiritus terebinthinæ, donec penetraverit oleum; poſtea vernici fervidæ aliquoties immergatur, & papyro oleo olivarum madidæ, ut exſiccetur, cerebrum imponendum.

Mirum in modum, vaſa ſanguinea capillaria per omnes corporis partes excurrentia videbis, modò ea cerâ miniatâ aut alîus coloris impleas exempli gratiâ, ſi quis vaſcula pulmonum tenella conſpicere cupiat. Primò, ut in præcedentibus dictum, pulmones ab omni ſanguine liberandi ſunt, & poſtquàm omnem humiditatem expreſſeris, arteria cerâ liquidâ, eâque miniatâ, mediante ſiphone repleatur, verùm nigrâ cerâ implenda eſt vena, viridi arteria bronchialis, albâ verò Trachea. Putrefiant deinde omnes membranæ & veſiculæ, ex quibus pulmonum Subſtantia contexta ſit & aquâ frigidâ tandiu eluantur, idque ſingulis diebus, donec omnis materia putrida ſit elota. Tunc apparebunt omnes arteriarum venarumque, nec non Tracheæ ramuſculi, inſtar arbuſculi.

Jam quoad oſſa, nulla ferè arte opus eſt, cùm duritie ſua ſeipſa ſatis præſervare poſſunt. Verùm in hoc verſatur totius cardo ut ab omni carne, membranis, tendinibus, & præſertim pinguedine liberentur, nitoremque eburneum acquirant, atque hoc fit ſola coctione, tunc non tantùm multum medullæ extrahitur, ſed & externa cultello facilè deraduntur: poſtea per aliquot dies calcis aquæ imponenda, deinde ſupra eminentias arenoſas circa maris littus inſolentur, tunc poſt aliquot tempus eboris nitorem acquirent. Poſtea terebra verſatili, ſeu verticillo circa articulationes perterebrantur, & invicem filis æneis junguntur, ut ſenſim ſceleton erigantur. Os ſacrum porrò, omneſque vertebræ ut in vivis erant virgæ ferreæ vel cupreæ accommodantur, quibus caput, cum cranio, pro virgæ tranſitu, perforata, imponitur, atque ſic omnia cochleari inſtrumento firmentur. Inferior virgæ pars tripes eſſe debet, ut totum ſceletum virili magnitudine erigatur, & ſubſtentetur. Quæ ulterius ad ſceleti erectionem pertinent, meliùs quis conſpiciet ſi Anatomias publicas & privatas conſulat. Atque hoc modo corpus integrum, ejuſque partes Balſamo præſervatæ privatim & ſingulis momentis curioſorum, diſcipulorumque oculis ſiſti poſſunt: nam cadavera recens denata ubique præſto non ſunt. Inque anatomiis publicis ſpecialiora ità quoque non repræſentantur, quin priùs fœtorem contrahant. Atque hæc de Balſamandi Methodo, qui plura deſiderat, me adeat rogo. *Steph. Blancard. in fine ſuæ Anatomiæ.*

Ut nihil deſit quô Curioſis ac verè Eruditis ſatisfiat, hic rurſus adjiciemus elegantem de Cadaverum Balſamatione Tractatum, à Præclariſſimô D no. Joſephô Lanzonô, multis titulis verè Illuſtri, conſcriptum, ac nobis perhonorificè inſcriptum. Quô non tantùm de Pollinċturâ apud Veteres uſitatâ; ſed etiam de variis Balſamandi cadavera modis apud Recentiores adhibitis, methodicè agitur. Sic itaque Vir Doctiſſimus.

Cap. I. *De Antiquitate, & Nobilitate Balſamationis.*

Semper ingenioſa, atque immortalitatis amans adeò mens hominum fuit, ut non tantùm ipſa proprios ad perpetuè vivendum exhibuerit partus unde Venuſinus Vates.

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam......

& Saluſtius *ingenii egregia facinora uti Anima immortalia ſunt*; hinc ex Suvertio in Select. Chriſt. orb. delit. D. Joſeph Malateſta Garuffius Amicus meus Maximus in principio ſuæ erudiſſ. lapidariæ lucernę ait; *Mortales ſumus, ſed tamen quodam naturæ nobilioris inſtinctu immortalitatis avidiſſimi, quò fit, ut fugientem vitam perennare jubeamus in nomine quantum poſſumus*; Verùm humana etiam corpora arte balſamica accommodavit; ut inimicę obſtaret mortalitati, quem religioſum Balſamandi corpora morem, antiquiſſimum, ideoque nobiliſſimum ſemper fuiſſe, ex eo colligitur, quòd docti Veteres poſt conclamatum, ſeu vale ter dictum jam expirato, propinquiores calidâ aquâ cadaver abluebant, & precioſiſſimis unguentis ungebant, undè Ennius.

Tarquinii corpus bona Fœmina lavit, & unxit. Perſius
Compoſitus lecto craſſiſque lutatus amomis. & Ovidius.
Nec poſitos Artus unget amica manus.

Hinc Joſephi Patris Cadaver unctum fuiſſe colligitur ab ultimo cap. Geneſ. in his verbis *præcepit ſervis ſuis medicis, ut aromatibus condirent Patrem*; immò tam fuit balſamationis Amica ſapiens Antiquitas, ut poſt Rogi quoque extinctionem vino, & lacte reſperſo factam, oſſa Cadaveris lachrymis rigans ſinu fovebat, inde tollebat in altum, ac demum in urna condebat unguentis, & odoribus perfuſa, unde legitur apud Simon. Maiol. Dier. Canicular. colloquio primo; *cineres, & quod reliquum erat veteres collexiſſe, & ſuavi odore extinxiſſe:* Quamobrem Ægyptii tanti exiſtimaverunt Cadaverum inunctionem, ut nec cremarent, nec tumularent Mortuos, ut refert Pompon. Mela lib. 1. cap. 9. his verbis, *nec cremare nec fodere fas putant mortuos,*

verum arte medicatos, intra penetralia collocant, unde Silius ital. cecinit

Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funera ſtantia ſaxo
Corpora......

idemque ait Tullius in tuſcul. *mortuos Ægyptii condiunt, & eos domi ſervant.* quibus aliquando datis fænore accipiunt, ut ait Sardus noſter; cum igitur tanta antiquitate, & per conſequens nobilitate gaudeat Cadaverum unctio, ideò aliquod in ſequentibus capitibus de hac exarare decrevi, ut cùm ſtili mei tenuitas nulla prorſus perſpicuitate induatur, ſaltem ſubjecti gaudeat nobilitate.

Cap. 2. *De Balſamationis utilitate, & Cadaverum conditorum duratione.*

CUm ex capite antecedenti jam conſtet, vetuſtiſſimum fuiſſe inventum condiendi mortuos, quippe apud antiquos Ægyptios, Judęos, & Romanos ſuaviſſimis unguentis, corpora perfundi, repleri, ac pollinciri conſueviſſe nemini non notum, ita fatendum eſt ipſos tantas diligentias, tantoſque ſumptus in condituta Cadaverum adhibuiſſe, ut ad longum tempus integra manere poſſent; unde docuit Licetus de Lucern. Sepulcr. b. 4. cap. 6. poſſe virtute Balſami adeò condiri Cadaver ut ad plures Olympiadum centurias integrum ſervetur, hujuſque rationem reddidit ipſe Licetus cap. 4. illius libri dicendo, *ubi per multos menſes nedum per annos plurimos medicamen in corpore manſerit, non poteſt poſtea ulla ratione ab eo removeri, ſiquidem altiſſimè penetrat ejus vis, & cum virtute materiæ penitiores corporis defuncti, partes, ita ut amplius ab eo ſeparari non poſſe videatur*, & ſic qui mortem evitare non poſſunt, corporis ſaltem gaudeant duratione;

Patet ergò quænam ſit utilitas Balſamationis, hac enim mediante ad incredibile quoddam tempus perdurant Cadavera, etſi non viva, incorrupta tamen, & integra permanent corpora, unde optimè Homerus.

Patroclo autem rurſus ambroſiam, & nectar rubrum.
Inſtillavit in nares, ut ei corpus integrum eſſet.

Sic Cleopatræ Reginæ corpus, 126. Olympiadum ſpatio integrum, ac incorruptum Heraclius Imperator invenit, ut ex illius epiſtola ad Sophoclem Amicum ſuum apparet; De Tulliolæ Ciceronis filiæ corpore, referunt multi, hoc nulla læſum fuiſſe putredine è ſuo tempore uſque ad Sixtum. IV. Pontif. Max. narrantes, ipſumque Tulliolæ Cadaver non tantùm ſe vidiſſe, ſed quoque tetigiſſe ait Gabriel Zerbus in Anatom. de qua re Raphael Volaterranus inquit, *ungebantur corpora, & eum aromatibus tantâ condebantur curâ, ut nos Romæ teſtes ſimus ante paucos hos annos fæminam in tumulis albanis fuiſſe effoſſam ſuprà mille trecentos Annos ſepultam, ut è veſtigio Sepulchrorum animadvertimus, integram membris, craſſo opertam unguento*; quin immò Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2. genial. dier. ſcribit; *memini dum Romæ agerem in vetuſtis Sepulchris quæ in via Appia plurima viſuntur, inter ædificia, hortoſque, interque coagmenta lapidum, erutum Cadaver fuiſſe multo ævo vetuſtum adoleſcentulæ Mulieris facie, capillo, oculis, naribus, & reliquis lineamentis prorſus integris, & incoruptis, niſi quod veſtigia liquaminum, & unguentorum, quibus delibutum fuerat apparebant*, Alii autem Autores, hoc Cadaver Tulliolæ fuiſſe negant, quocirca Fortun. Licetus aſſerit, tria eodem in loco Romano, & eodem ferè tempore mulierum Cadavera detecta fuiſſe, Tulliolæ unum, Juliæ Priſcę Secundę alterum, de quâ Domitius, & Statius, & tertium Mulieris adhuc ignotæ;

Concludendum igitur, Cadavera medicata ad multiſſimos Annos incorrupta poſſe conſervari non ſine magno inſpicientium ſtupore, quemadmodum apparet hodie in Magnatum Muſæis, & celeberrimis Pharmacopœis, in illis enim, & iſtis, & corpora integra, & corporis humani partes medicamine accommodatæ reſpiciuntur, quę Cadavera condita Mummias vulgus appellat, de quibus ſermo erit in capite octavo hujus opuſculi.

De tali verò incorruptione Cadaverum plura qui cupit, *legat Theophil. Rainaud. Soc. Jeſu* tom. 13. & Joh. Hieron. Sopran. Soc. ejuſd. comm. in David. *digreſſ. 2. cap. 5. 6. & 7.*, alioſque multos, tum Antiquos, tum recentes Autores.

Cap. 3. *De Balſamationis, Definitione, cauſis, ſine &c.*

DEfinitur Balſamatio corporum Mortuorum pręparatio, ne ob putredinem, tam facilè pereant, unde duplex cauſa Balſamationis, ſeu condituræ apparet, una ſcilicet phiſica, altera civilis, prima, ut putredo à corpore arceatur, ſecunda, ut his honos in primis honoratis Viris exhibeatur; Miſticam addi cauſam Quenſtedt in Tractatu de rit. Sepul. cap. 5. ut ſcilicet ſit teſtificatio Fidei de reſurrectione corporum, & Symbolum incoruptibilitatis futuræ; ideoque finis hujus laudatiſſimi operis erit Cadaverum conſervatio à corruptione, licet multi ad Cadaveris fętorem arcendum condituram fieri autument, & Tib. Donatus in 6. Æneid. rationem hanc adſignavit, ut nempè celerius flammam Cadavera conciperent; Julius Jacobonus autem in append. ad Fonteium de priſca Cæſiorum gente, arcendi cauſâ intolerabilem uſtrinæ fætorem, condituram fieri voluit, quando ſcripſit, *ex quo mos invaluit, ut mortui omnes poſtmodum lavarentur, dein aromatibus, odoratiſque aſpergerentur unguentis ob intollerabilem, ut opinor, uſtrinæ fætorem*, quæ ſanè cauſę locum non habent apud eos, qui corpora non cremabant; Porrò Ægyptii ſummâ diligentiâ Balſamatione, utebantur, non aliam ſanè ob cauſam niſi, ut diuturnius corpora incorrupta ſervarentur, nam illi teſte Servio in 3. Æneid. ſecuti Stoicorum ſententiam perſuaſum habebant, tandiù animam durare, quandjù duraret & corpus. Ad condituram hanc exercendam multa religione, ac ſumma diligentia utebatur Antiquitas; hinc pios ungendi ritus invexit, Pellinctores elegit, varias condiendi formas aptavit, & Pollincturam, hoc eſt, funeralem cænam inſtituit; de iſtis ergo breviter aliquid in ſequentibus capitibus delibemus, antequam de recenti Balſamandi Cadavera modo ſermonem faciamus, ut ſic ſuavior, atque jucundior noſter hic libellus incedat.

Cap. 4. *De Mortuorum Vnctione.*

CAdavera ungebant Antiqui, & tanti ęſtimabant Mortuorum unctionem, ut pretioſiſſima unguenta ſeligerent, ità ut cederent in Cadaverum linimenta theſauri, & Pollincturæ pretium mortem quoque faciebat pretioſam, cui uſui alludens Juvenalis cecinit

Et matutinos ſudans Criſpinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera,.....

Nec tantum patrii odores ad mortuos ungendos ſufficiebant, ſed ad hunc uſum Indica quoque tellus demandabat aromata, quaproptet referente D. Marco, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum; & D. Joannes ait *acceperunt ergo corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judeis ſepelire;*

immò Jeſus quoque dixit de Magdalena loquendo, *prævenit ungere corpus meum in ſepulturam*; unde meritò Tertullianus vocavit aromata ſolatia Sepulturæ undè Judæos extrinſecus corporibus mortuis unguenta, & aromata antiquitus applicaſſe, & deinde faſciis involviſſe notavit cum B. Gherardo, & Iſaac. Caſaubono, Quenſtedt in Sepultur. Vet. & Judæorum conſuetudinem fuiſſe corpora condere more Ægyptio autor eſt Tacitus, quod, & in Judæorum ſacris libris manifeſtius conſpicitur; condiri, verò odoramentis, & aromatibus obſervavit Cl. noſter Lil. Greg. Giraldus de var. ſep. ritu, & Commenius in Janua Erudit. hinc Polid. Virgilius lib. *6*. de rer. inventor. ait *Cadavera abluuntur, & unguntur*, Minutius Fœlix. *non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honeſtatis*; *reſervatis unguenta funeribus*, Clemens Alexandrinus, *nimiæ unguentorum unctiones juxtà quæ fiunt mortuis potiùs quàm familiarem vitæ conſuetudinem redolent*. Nicol. Perotus, *unguenti voluptas inter laudatiſſima vitæ bona admiſſa eſt, cæperuntque etiam defunctorum corpora ungi*. De Funere Juſtiniani Imperatoris, qui immenſa veteris prudentiæ volumina coadunavit in uno ſic canit Corrippus.

..........unguentaque mira feruntur;
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.

hinc Virgilius lib. *6*. Æneid. in funere Miſeni cecinit

..........corpuſque lavant frigentis, & ungunt.

Homerus 24. odyſſ.

Depoſuimus in lectis, purgantes corpus pulchrum
Aquaque calida, & unguento.

& in Iliad. lib. 18. idem Homerus ſcripſit

Poſtquam calefacta eſt aqua in ſonante lebete.,
Tunc jam lavarunt, & unxerunt pingui oleo.

& apud Anacreontem ex interpretatione Henrici Stephani.

Tumulum quid eſt quod ungas.

D. Hieronym. *mortuo Cadaveri atque polluto* ait adu. Vigilant. unde Kirchmanus lib. 1. cap. 7. de funer. Rom. ſcribit; *ungi cæperunt mortuorum Cadavera, ſive ea terræ mandanda eſſent, ſive igni comburenda*. Plutarcus ordinem funeris deſcripturus dixit *unguenta, aromata, & id genus cætera diſponebantur, inde funerationem faciebant*, quod confirmavit doctiſſ. Lil. Greg. Girald. noſter l. c. dum ſcripſit *poſtquam moriens exhalaverat animam, Cadaver, ii, quos Libitinarios, & Pollinctores appellatos diximus lavabant, ungebantque*, unde non ſolùm vivis, ſed mortuis etiam affricari unguenta obſervavit P. Servius in diſſertat. de odorib. hinc Propertius lib. 3.

Afferet huc unguenta mihi ſertiſque ſepulcrum
Ornabit cuſtos ad mea buſta ſedens.

Carolus Paſcalius de coronis lib. 4. 7. ex Tullio colligit funera aſperſa fuiſſe unguentis; Ovidius 4. Faſtor. in Funere Remi canit

Arſuroſque artus unxit..........

Polydor. Ripa de Act. in mort. articul. cap. 90. *corpora* ait *defunctorum ungebantur*, quod etiam notat Macer l. C. in l. Funer. ſumpt. D. de relig. & ſumpt. funer. Caſſaneus de gloria Mundi part. 2. ait, *Cadavera pretioſis unguentis ungebantur, & in rogis multa aromata ſimul cum Cadaveribus concremabantur*; de mortuis pollingendis meminit Claudius Salmaſius de Cruce ad Thomam Bartholinum, Iſ. Caſaubonus coment. in Perſium; & Mar. de die Natali, hinc antiquas etiam mulierculas Martyrum Cadavera odoratis unguentis curaviſſe colligit ex Baronio Kirchmanus de Funer. Rom. lib. 1. cap. 9. Quamobrem poſtea reſurrectionis ſpe Chriſtianos antiquos ad Cadavera condenda unguenta, & odores liberaliter adhibuiſſe, ut diutius integra ſervarentur ſcribit. Octav. Ferrarius in diſſertat. de lucern. ſepulchr. ut non falsò Tertullianus in Apolog. jactaverit *ſi Arabiæ quærantur, ſciant Sabei pluris, & carius merces ſuas à Chriſtianias ſepeliendis profligarit, quàm Diis fumigandis*, hoc eſt plus odoramentorum è Chriſtianis in illa paupertate prodigi conſueviſſe, quàm ab Ethnicis; ſcilicet Ethnici duobus digitulis paucas thuris globulas Diis numerabant: Chriſtiani plena manu, & ſinu caſſiam, & cinnama effundebant, ſumptibusque funerum Arabias, & Sabeos exhauriebant; Futuræ ergo reſurrectionis fiduciâ bene ait cit. Ferrarius, cùm enim incertum eſſet tempus ſupremi Judicis adventus, ipſis Eccleſiæ incunabilis, non longè abfore ſummum diem credebant, atque ita omnia faciebant, ut brevi excitandas mortales exuvias à labe præſtarent immunes; quam Sententiam confirmat D. Auguſtinus de civit. Dei lib. 1. cap. 13. ubi hæc habet. *Ipſe quoque Dominus die tertio reſurrecturus, religioſæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretioſum ſuper membra ejus effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit*; *& laudabiliter commemoratur, in Evangelio, qui corpus cùm de Cruce acceptum, diligenter, atque honorificè ungendum ſepeliendumque curarunt; Verùm iſtæ autoritates non hoc admovent, quod ipſe ullus Cadaveribus ſenſus; ſed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia. corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem reſurrectionis adſtruendam.*

Notare autem oportet Ethnicos antiquitùs aliquos fuiſſe referente, P. Bellonio, & Volſio cum Laurent. Legato in Muſæo Goſpiano lib. 5. cap. 20. qui intrà cavitatem Cadaverum Balſamo accommodatotum ad æternitatem, clauſiſſe ſcriptas paginas, Idolos, variaſque ſupellectiles, quapropter narrat Rondeletius de Cadavere unguentis odoratis condito ab Ægypto in Gallias translato, in cujus thorace aperto viginti antiquæ tabellæ fuere repertæ, in quibus arabici characteres conſpiciebantur, quos continere hiſtoriam vitæ Defuncti dicebant aliqui?

Notandum eſt etiam aliquos eſſe Scriptores exiſtimantes legibus, 22. tab. vetitam fuiſſe pollincturam, id eſt feralem unctionem, ſic enim ſervilem uncturam apud Ciceronem. 1. de legib. interpretantur Turnebus, Urſinus, Marcilius, & alii; quanquam, ne quid diſſimules, ait Kirchmanus, Decemviros voluiſſe nè Servis honor iſte tribueretur.

De Mortuorum unctione plura cupienti dabunt Petr. Bellonius cenoman, de Admirab. oper. antiquor. & de Medic. Funere; Alexand. ab Alexandro Gen. dier. Joan. Andreas Quenſtedt in Sepult. Veterum; Joſeph Laurentius in Polymatia; Jo. Annos Comenius in Janua Erudition. aliique.

Cap. 5. *De Libitinariis, Pollinctoribus, & Vnguentariis.*

Pro antiquorum mortuos ungendi ritu, jam in capite ſuperiori demonſtrato, nunc de Pollinctoribus, qui Cadavera ungebant verba facere oportet, & quia iſti erant Servi Libitinariorum, quibus tota funeris functio commiſſa erat, ideò prius aliquid de Libitinariis dicendum, poſtea de Pollinctoribus, ne aliquid quod ad noſtram faciat Materiam relinquatur; Libitinarii ergò à Libitina ſic dicti ſunt, ut ait Varro in cujus æde (ut Acron Autor eſt) conſtituti erant, eſt enim Libitina exequiarum Dea, undè Libitinarii dicuntur, qui exequias, funeràque curant, iſtique in æde Libitinæ, quę ad Sepulchrum ſpectant vendere conſueverunt; undè ait Tranquillus in Nerone *triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt*. Horatius.

Autum-

. *Autumnuſque gravis Libitinæ quæſtus acerbæ*, & Livius *Peſtilentia in agris, foriſque & conciliabulis, & in urbe tanta ut vix Libitina ſufficeret.*

Multi autem Libitinam Venerem eſſe dixerunt, inter quos Jacobonus, undè nonnulli veteres Venerem non ſolùm natalium, ſed, & Mortis quoque præſidem coluerunt, Libitinam nil aliud eſſe exiſtimantes, quàm Venerem, ſicuti prodidit Plutarc. in Numa Pompil. hujuſque vocandi Libitinam Venerem, cauſam reddit Andreas Tiraquellus in 15. leg. connubial. Gloſ. prim. part. 15. pag. mihi 219. dicendo, *hoc fortè argumento admonentes, eandem, quæ cauſa vitæ eſt, mortis quoque cauſam eſt plurimis, quia nonnunquam mors in ipſo concubitu, aut etiam ob frequentiorem uſum evenit*, optimè igitur legebatur in Epigrammate olim inſcripto Athenis in Adriani gymnaſio, Venerem cæleſtem Parcarum eſſe vetutiſſimam, de qua re Pauſanias; de Venere quoque Libitina meminit Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 4. Varro de ling. lat. lib. 2. & huc pariter reſpicit, quod Plautus in Mercatore Deam Aſtartem dixerit, quæ & ipſa Venus eſt, ut tradit Suidas, & Theophilactus in Oſeam; & ante eos Cicero lib. 3. de Nat. Deor. dixit, vitam Hominum, Deorumque, & eandem mortem, & interitum eſſe, dum hæc verba protulit: *Diva Aſtarte hominum, Deorumque vis, vita ſalus*; *rurſus eademque eſt Pernicies; mors, interitus*; De hac Aſtarte Dea fit mentio apud Joſephum Antiqu. judaic. lib. 6. Lucianum in lib. de Syria Dea, Euſebium lib. 1. evang. præpar. cap. 7. Seldenium de Diis Syriis Syntagm. 2. Arnobium lib. 8. diſput. adverſus Gentes, Artemidorum de ſom. Cornutum, & Jul. Aurelium de cognom. Deor. Theocritum in Idyl. M. Andr. Beyerum in Selden. Epiphanium adverſus Gentes, Ælianum, alioſque; & hinc fortaſſis eſt, quod ab Ægyptiis Venus *nephtè* vocatur, quam finem ſive Mortem nuncupant; Silendum autem non eſt, Libitinam etiam à Martiale pro feretro haberi in lib. 8. Epigram. 42.

.........*una duos, ut Libitina ferat.*

Iſti funeribus neceſſaria præbebant, & ad hos Libitinarios pertinebat funus facere, quapropter non ſolùm quidquid ad exequiarum apparatum requirebatur vendebant, ſed & peram ſuam funerum curatorib. elocare ſolebant, unde legitur apud Valer. Maximum lib. 5. cap. 2. *M. Cornuto Prætore funus Hirtii, & Panſæ juſsû Senatûs locante, qui tunc libitinam exercebant*: hinc Plinius lib. 6. Romæ ait quoque Corfidium Materteræ ſuæ Maritum funere locato revixiſſe, & locatorem funeris ab eo elatum; Seneca de tranquillitate capit. 2. *dum illi hæres publicum funus eſurienti locat*; hos verò homines, etſi neceſſarios ob munus ſuum inter viles tamen habitos jam fuiſſe putat Kirchmanus propter ſordidum, & turpe genus vitæ, quandoquidem nulli alii rei vivebant quàm quæſtui, quem abſque plurimorum Morte facere non poterant; In funerum adminiſtratione iſti Servorum operâ utebantur, & in primis Pollinctorum, quos Libitinariorum ſervos fuiſſe colligitur ex Ulpiano qui ait, *ſi libitinarius Servum pollinctorem habuerit, iſque Mortuum ſpoliaverit &c.* & Jul. Jacobonus in Appendice ad Fonteium de priſca Cæſiorum gente ſcribit, *habebant libitinarii Pollinctores domi ſua ſervorum loco*, de quibus nunc ſcribendum eſt.

Pollinctores à verbo antiquo pollincio, vel pollinceo, aut ut Gloſarium pollingo, quod eſt lavare, ungere, & curare Cadavera, dicuntur; ut habetur ex Peroto, Nonio Marcello, & aliis; Fulgentius Pollinctores, quaſi Pollutorum unctores dicit, hoc eſt Cadaverum curatores; Servius ad lib. 9. Æneid. Pollinctoris nomen deducit à polline, quô mortuis os oblinebant, ne livor appareret extincti; Turnebus à pelle ungenda, quaſi pellis unctores; iſtorumque erat officium corpora mortuorum abluere, ungereque, unde Apuleius ait *pollinctor ejus funeri, dum unctionem parat*, & Plautus in prologo Pænulli; *eorum alter vivit, alter eſt emortuus, propterea apud vos dico confidentius, quia mihi Pollinctor dixit, qui eum Pollinxerat*; hinc legitur in Ezechiel. cap. 39. *donec ſepeliant illud Pollinctores in valle &c.* Arnobius huc reſpexit lib. 1. adverſ. Gentes, dum inquit, *unus fuit è nobis, qui redire in corpora iam dudum animas præcipiebat efflatas; pr dire ab aggeribus conditos, & poſt diem funeris tertium Pollinctorum velaminibus expediri*, & locum indè captavit Paraſitus Plautinus Aſinaria, ubi Demenetum viſa Uxore, ejuſque minis auditis metu eſſe exanimatum, & penè mortuum ſignificaturus exclamat; *Ecquis currit Pollinctorem accerſere*, & Martialis lib. 10. Epigr. 97.

Jam Scrobe, jam lecto, jam Pollinctore parato.

De iſtis loquens Nicolaus Rigaltius in funere Paraſit. dixit; *Accedunt Pollinctores, & odoro unguentorum ſuffitu naſorum peſtem interficiunt, ſimul, & honori Cadaveris cinamomum, thus, caſſiamque acervatim congerunt, &c.* Hic patet ergo Sidonium impropriè Pollinctorem dixiſſe pro Uſtore lib. 3. epiſt. 13. dum ſcripſit; *enim verò illa ſordidior eſt, atque deformior Cadavere rogali, quod facibus admotis ſemicombuſtum, moxque ſidente ſtrue torrium devolutum reddere pyræ jam faſtidioſus Pollinctor exhorret.* Pollinctorem etiam ſub Presbyteri nomine habuerũt aliqui, undè legitur in libro cui titulus, *les Religions du Monde écrites par Alexandre Roſſ, & traduites par le Segn. Thomas Lagrüe, diviſion.* 4. p. 212. *Le Prètre avoit de coutume de laver, oindre, couroner, & porter ou mettre le corps devant le portail de la maiſon &c.* Santorellus autem in Poſtprax. med. quia hodie Pollinctores non ſunt, Chirurgis, ac Pharmacopolis ait, datum eſſe aliorum munus exercere. De iſtis meminerunt Pignorius in lib. de ſervis, Budæus in Pandectas, Joſeph Laurentius in Polymatia; & alii plures.

Diximus de Pollinctoribus Cadavera ungentibus, nunc de unguenta vendentib. brevem ſermonem faciamus; Iſti unguentarii, ſeu ut ſcribit Servius, unguentarii dicebantur, & à nonnullis pigmentarii, & illi erant, qui unguenta conficiebant, & vendebant, de quibus Jul. Pollux in dictionar. quapropter ad alicujus Cadaveris conditurам parandam ab iſtis emebantur unguenta, & aromata, quæ jam præparata, & bene diſpoſita ad venditionem ſervabant, unde apud D. Marcum Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum; de iſtis Cicero. 1. de Officiis meminit dicendo *adde huc ſi placet unguentarios, ſaltatores &c.* & unà cum Servio Pignorius ſcribendo, Amaracum puerum, regium unguentarium fuiſſe, qui caſu lapſus dum ferret unguenta majorem ex confuſione odorem creaverit, quæ omnia Iſidorus in ſuas origin. lib. 4. tranſtulit; hinc legitur in cantic. cap. 5. *Genæ illius ſicuti areolæ aromatum conſitæ à Pigmentariis.*

Unguentariis autem ſub nomine Medici, ut & Pollinctor accepti fuere à variis, unde Geneſ. legitur Joſephum ſervis ſuis Medicis præcepiſſe. ut patris defuncti Cadaver aromatibus condirent, & apud D. Gregorium lib. 4. Dial. ſequentia habentur verba, quæ ad noſtram rem faciunt; *Illuſtris Vir Stephanus, quem bene noſti, de ſemetipſo mihi narrare conſueverat, quia in Conſtantinopolitana urbe pro quadam cauſa demoratus, & moleſtia corporis ſuperveniente defunctus eſt, cùmque Medicus, ac Pigmentarius ad aperiendum eum, atque condiendum eſſet quæſitus, & die eodem minimè inventus ſubſequente nocte corpus jacuit inhumatum.*

Spartam autem non admiſiſſe unguentarios legitur apud *Cælium Rodiginum lect. antiq. lib. 27. cap. 24. pag. mihi*, 1050.

Refe-

Referuntur etiam ab Autoribus alii Libitinariorum ſervi, ut *Succolatores*, *Uſtores*, *Necrophori*, *Veſpillones*, *Sandapillarii*, *Codonophori*, *Pileati*, *Anteambulones atrati*, *Ferales præcones*, *Orcini &c.* de quibus vid. Laur. Pignorius, Lil. Gregor. Giraldus. Budæus, & alii; quapropter benè Petr. Chryſologus in Sermon. ait. *Funus Divitis antecedit lugubris turba ſervorum.*

Cap. 6. De Cœna Pollinctura.

Diximus in capite ſuperiori de Pollinctoribus nunc verba faciamus *de cœna Pollinctura, ſeu funerali*, quæ à multis dicitur *novendialis*; ſubque hujus nomine etiam totam funeris curationem intellexere nonnulli; Mortuis enim ritû romano non ante diem nonum parentabatur, unde ſi in nuptiis ſeptimus dies inſtaurationem voti habebat, ſic in funere nonus, quô parentalia concludebantur; huic ergo Poëtæ alludunt, ut Virgilius

Præterea ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit........

& Statius

Roſcida jam novies Cœlo dimiſerat Aſtra
Lucifer.....

Hinc legitur apud Thom. Garzonium in Plat. univerſali *l'ottavo di ardevaſi, & al nono ſi ſepelivano le ſue ceneri, e quindi hebbero, origine i giorni novendiali*, Rodiginus autem ait novendiale dictum fuiſſe, quòd novem diebus mortuos fierent Antiqui, & rationem adducit, ut enim nonus dies naſcentium, qui, & luſtricus dictus fuit celebris, ita & nonum diem mortuorum celebrandum voluerunt;

Nono ergo die præter alia, cœna funebris fiebat, quam feralem vocavit Apuleius lib. 4. Floridor. his verbis; *procul ignes amolirentur cœnam feralem à tumulo ad menſam referrent*, hæc feralis cœna ponitur apud Feſtium itaque, & Fulv. Urſinum in appendic. ad Chiacconium de. Triclin. meritò inter feralia, de qua Ovidius lib. 2. factor. ita cecinit

Hanc quia juſta ferunt dixere feralia lucem
Ultima placandis Manibus illa fuit.

diciturque feralis juxta multos à ferendis epulis ad tumulum, cui cœnæ alluſiſſe videtur Alexand. Rubeus in Gallico libro, titulus *Les Religions du Monde, diviſion 6. pag. mihi*, 280. *dum ſcripſit*; *les femmes n'accompagnent pas le corps juſque au ſepulchre, mais elles demeurent aut logis à pleurer, & à preparer des bonnes viandes &c.*

Hanc etiam cœnam Silicernium vocatam fuiſſe docent Nonnius, Feſtius, & Tertullianus; *quò differs ab epulo Jovis Silicernium? à Simpuvio obba? ab aruſpice Pollinctor?* verùm Silicernium ex Donato Cœna eſt, quæ propriè inferebatur Diis Manibus, quòd eam ſilentes umbræ cernerent, id eſt poſſiderent, vel quod qui ferebant cernerent, ſed non deguſtarent, nam Inferis quæ libabantur, quiſquis guſtaſſet funeſtabatur, unde Pythagoræ Symbolum. *Ne guſtes quæcunque de menſa deciderint*; ea enim Amici defunctis ſacra putabantur; ideò Silicernia vel relicta ſuper ſepulchra, vel in funere combuſta fuiſſe notat Laurentius Polymatia lib. 3.

Hinc diſcitur ex Athenæo lib. 10. quicquid inter edendum ſub menſam cecidiſſe, id Amicis defunctis ſacrum putatum fuiſſe; & Jo. Kirchmanus de Silicerniis loquens ait, *& inde opinor ortum, ut Silicernia hæc antiquitùs ſuper tumulum relinquerentur ſive etiam comburerentur, vel in culina, undè Feſtus, culina vocatur locus, in quo epulæ in funere comburebantur, vel in ipſo rogo, undè Virgilius*

..........congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivo.

Ex hoc igitur fonte manaſſe videtur genus loquendi. *Cœnam è rogo rapere*; vel ſimile aliquid, quò utebantur olim, aut ſummam mendicitatem alicui imprecaturi, aut exprobraturi diram habendi cupiditatem, ſive quod extrema mendicimonia neceſſitate coacta ſolerent Silicernia in buſticetis vorare, ſive quod inſigniter rapaces oporteret eſſe eos, qui à feralibus iſtis epulis non poſſent ſibi temperare, hinc Catull.

......Sæpe quam in ſepulcretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam;

& Tibullus

Ipſa fame ſtimulante furens, eſcaſque ſepulcris
Quærat, & à ſævis oſſa relicta lupis.

Si qui verò lucri causâ omnia nefanda ſubire non verebantur, *Buſtirapi*, audiebant, ut notat Janus Guilielminus in veriſimil.

Has Epulas ad tumulos inſtitutas ex vetuſtiſſima conſuetudine fuiſſe advertit Jac. Phil. Thomaſin. de donar. cap. 36. unde Prôpheta in Pſalmo ait, *Comederunt Sacrificia mortuorum.*

Athenis per funeri præfectos, epulum apud defunctos maximè neceſſarium fuiſſe notat Alex. ab Alexandro Genial. dier. lib. 3. cap. 7. & de ferali hoc epulo, ſive cœna novendiali loquens Jul. Obſequens dixit, *in Sacro novendiali cœna Deæ poſita, à cane adeſa antequam delibaretur*; cui cœnæ ferali alludens D. Auguſtinus lib. 6. confeſſ. cap. 2. ait, *cùm ad memorias Sanctorum, ſicut in Africa ſolebat, pultes, & panem, & merum attuliſſet.*

De hac cœna loquens Giraldus noſter de var. ſepel. ritu ait; *ſunt apud Autores ferales cœnæ, Silicernia, & funerum fercula, quem morem vix dum Chriſtiana lex compeſcuit; extant certè D. Ambroſii, & aliorum poſt eum contra hanc conſuetudinem orationes, & decreta &c.*

In funerali autem cœna certos quoſdam cibos proprios fuiſſe tradit Xiphilinus in Domitiano; quare Hermol. Barbarus in Plinium in uſum cœnæ hujus feralis veniſſe apud veteres ſcribit far, Pollentam, Vinum, panem fermentatum, paſſam, ſuillam, bubulam, agninam, caſeum, ovillam, Alicam ſeſamam, oleum, & piſces; hinc apium, lentem, atque ſalem lugubria fuiſſe ex Plutarcho Sardus noſter teſtatur, Fabam pariter Feſtus inter lugubria ponit dum ſcribit. *Fabam nec tangere, nec nominare Diali flamini licet, quòd ea putatur ad mortuos pertinere*; Lactucam etiam appellat funebrem Eubulus apud Athenæum lib. 2. immo ova quoque locum in mortuali cœna habuiſſe colligitur ex Juvenali,

...dimidio conſtrictus gammarus ovo,
Ponitur exiguâ feralis cœnâ patella.

Gregor. Toloſanus Syntagmat. Juris lib. 25. cap. 11. refert Numæ edictum, ne piſces qui ſquammoſi non eſſent ad Pollinctum emere fasforet; ſcilicet ne nimis magno in funeralibus cœnis mercatentur obſonia pretio, quam cœnam Pollincturam dixere, in quâ, & ſi nihil deeſſet, omniaque affatim ſuppeterent, lætari tamen minimè decere ſcripſit Alex. ab Alexandro Gen. dier. lib. 3. cap. 7. Fuitque in hac cœna inſtitutum, ut per vini, cibique lenimen defuncti deſiderium levaretur. Cœnaturi priùs potabant mulſum, & ii, qui funus efferebant, priùs id in funeſta domo bibebant; unde Romani, referente Livio, libationes, & epulas, tum in ipſa ſepultura, tum poſt illam uſurpabant: Hujus autem cœnæ feralis uſum olim tranſiiſſe ad Chriſtianos D. Auguſtinus narrat lib. 9. de civit. Dei, *quicunque*, inquit *Epulas ſuas eò deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terris nulla eſt talis conſuetudo, tamen quicunque id faciunt, eas cùm appoſuerint orant & auferunt, ut veſcantur*; hinc Paulinus cecinit.

..... ignoſcenda tamen puto talia parvis.
Gaudia quæ ducunt, quia mentibus error
Incepit rudibus, nec tanta conſcia culpæ
Simplicitas pietate cadit, male credula Sanctos,
Perfuſis halante mero gaudere Sepulcri,

De Epulo autem funebri, quod in funere Potentiorum

rum fiebat meminit Gulielm. Budæus in Pandectas pag. mihi, 493. & de Coco ferali, qui mortuis tantùm cœnam parabat Juſtus Lipſius comment. ad 4. Annal. Cornelii Taciti: Aſt de Pollinctura cœna ſatis, nunc ad mortuorum condituram redeamus.

Cap. 7. *De Variis Condiendi Cadavera modis apud Veteres.*

SIcuti variæ apud Antiquos fuerunt Cadavera ſepeliendi rationes, ita varii quoque apud eoſdem Balſamandi ritus fuere; Legitur enim uſos fuiſſe veteres in mortuis condiendis, & putredine abigenda, nunc ſale, tunc nitro, nunc cedro, modò Aſphalto, modò melle, modò cerâ ſeu Myrrhâ, ſeu Balſamo, ſeu Gypſo, & calce, & aliis hujuſmodi, undè optimè Schindlerus in lex. pentagl. ait; *condivit aromatibus, myrrha, aloë, cedro, melle, cera, bitumine, & reſinâ corpora mortuorum, ut incorrupta maneant.*

De Salitis Martyrum corporibus mentionem facit Eunapius Sardianus de vir. Philoſ. in Ædeſio, quapropter Plinius lib. 31. cap. 9. ait *ſalis natura eſt per ſe ignea, omnia erodens, corpora verò aſtringens, ſiccans, alligans, defuncta etiam à putreſcendo vindicans, ut durent ita per ſæcula*; De Cadaveribus Sale conditis ſcribit Herodotus lib. 2. & 3.

Nitrum teſte Herodoto lib. 2. carnes ita tabefacit, ut mortui tantùm cutis, & oſſa relinquantur; hinc ſcribit Sext. Empiricus, Perſarum morem fuiſſe vitâ functos in cruce tollere, nitro ſalire, & poſtmodum corio contegere,

Ad Cadavera condienda, & incorrupta ſervanda cedrum facere dixi in mea Citrologia part. 2. cap. 7. quà propter legitur apud Plinium, cedrum dare picem, quæ cedria vocatur, & hæc defuncta corpora ævis ſervat; hancque picem; talem h bere virtutem aſſerit Dioſcorides cum Galeno, & Joh Kirchmano; de Cedri virtute in conſervandis incorruptis Cadaveribus multa ſcripſere Scholiaſtes Nicandri, & Pancirolus; quare optimè ſcripſit Guillandinus de Papyro, pag 203. *Cedrum eſſe mortuorum corporum cuſtodiam, ſine particularum emortuarum deperditione.*

Ægyptios aſphalto ad condituram mortuorum uſos fuiſſe narrat Strabo lib. 26. quare condita Cadavera, quæ hodie ad nos tranſvehuntur aſphalto eſſe medicata notat Frid. Hofmannus clav. in Scroder.

Mel, Cadavera incorrupta ſervandi habere potentiam, dixit Plinius lib. 22. cap. 24. & poſt eum Mercurialis var. lect. lib. 2. cum Aldrovando de inſectis lib. 1. Columella lib. 12. ideoque Democritus juſſit, mortuos in melle ſervandos eſſe, cui alluſit Lucretius.

Avi melle ſitum ſuffocari, atque rigere.

Hinc Alexandrum Magnum melle conditum fuiſſe indicavit Statius lib. 3. Sylv. id ipſum de Hippocentauro qui Claudio Cæſari allatus fuit ex Ægypto narrat Plinius, & Atheneus lib. 2. Ageſipolim quoque, cùm è Macedonia cum exercitu rediret in vicinis Olynthi oppidi locis gravi morbo correptum, mortuumque ſeptima die in melle conditum Lacedemonem eſſe reportatum, atque regiâ ſepulturâ ornatum, autor eſt Xenophon lib. 5. de reb. geſt. Græcor. Aſſyrios melle conditos mortuos ſuos voluiſſe, ait Alex. ab Alexandro lib. 3. gen. dier. ut & Babilones feciſſe refert Boëmus Aubanus lib. 2. de moribus Gentium; hinc de aliis Cadaveribus olim melle conditis meminerunt Marc. Donatus dilucid. ad T. Liv lib 4. Corn. Nepos, Plutarchus, Diodorus, Porfirius, Herodotus, à Reies, aliique; Virtutem autem hanc corporum mortuorum conſervativam, mel habere ait Etmullerus in Scrod. dilucid. à Sale univerſali, quod in ſe continet.

Ab hoc ritu non multùm differt illorum conſuetudo, qui cerâ mortuos oblinebant, unde Cicero. 1. Tuſcul. ait *Perſæ jam cerâ circumlitos condiunt, ut quàm maximè permaneant diuturna corpora*; De Ageſilao ſic loquitur Æmil. Probus, *ibi eum Amici, quo Spartam faciliùs perferre poſſent, quòd mel non habebant, cerâ circumfuderunt, atque ità domum retulerunt*; de cerea Magorum Balſamatione loquitur Herodotus. lib. 1. & Aldrovand. lib. 1. de inſectis.

De mortuis in glacie, ac nive ſepultis meminit Thom. Porcacchius in Funer. antiq.

Myrrha corpora mortuorum condita jam fuiſſe, ſcribit Philo Carpatiorum Epiſcopus in cantica, undè Marini muſa ad funus Adonidis, delatam fuiſſe myrrham narrat., dum canit

Fanciulle arechan poi candide, e bionde
Di lagrime di Mirra altre vaſcella,
E ſoſtien del licor, ch'entro s'aſconde
Mille dramme di peſo ogni Donzella.

Et Prudentius in Hymno

Candore nitentia claro
Pretendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha ſabæo
Corpus medicamine ſervat.

Myrrham in Cadaverum ſuorum condituram adhibuiſſe Ægyptios colligitur ex Herodoto lib. 2. ubi etiam egregius iſte Autor tres tradit deſcriptiones Balſamationis Ægypriacæ, de quibus etiam Diodor. Siculus lib. 1. Lucianus, Cryſippus, Sextus Empiricus, Plutarchus, Gherard. Stotten, & alii. Myrrham quoque maximè ad funera olim ſpectaſſe colligitur, ex ſequentibus Sedullii carminibus de muneribus oblatis Puero Jeſu.

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi;
Thura dedere Deo, myrrham tribuere ſepulto.

Nec tantùm myrrhâ, ſed & oleo quoq; Myrrhino Cadavera nonnulla condita antiquitùs fuiſſe colligitur ex Hiſtoricis, quam olei compoſitionem nos amiſiſſe aſſerit Gulielmus Coul. in Sermon. de Balneis Veterum pag. mihi 68. his verbis: *Ma noi habbiam perſo l'uſo della compoſitione dell' oglio di Mirra, perche la Mirra, che ſi porta oggi d'Aleſſandria, e del tutto contrafata, e ne viene pochiſſima in Francia, & in Italia.*

Opobalſamum ad condituram Cadaverum jam fuiſſe uſurpatum colligitur ex inſcriptione Hiſpanica relata ab Arnobio lib. quint. & Kirchmano lib. 1. de Fun. Rom. cap. 8. quæ talis eſt. *Mater ad luctum, & gemitum relicta, eum lacrymis & opobalſamo udum hoc ſepulcro condidit.* De Cadaveribus Balſamo medicatis vid. Kornmanus de Mir. mort. & Reies camp. Elyſ. jncund. quæſt.

Gypſo Æthyopes induxiſſe ſuos mortuos ait Herodot. lib. 3. unde Aldrovandus lib. 6. de inſect. ait *Æthiopes amicorum ſuorum Cadavera, ubi interaneis, & carne expediverant, gypſo obduxiſſe, ipſiſque ſic incruſtatis mox opere tanquam tectorio, colores apinxiſſe, qui defunctos ad vivum exprimebant; hac autem Arte ornatos columnâ vitreâ, & cavâ includebant; ut pixidati per medium vitrum apparerent, neque interim odore tetro ſpectatores à ſe averterent.*

Calcis uſum ad Cadavera conſervanda adhibitum jam fuiſſe notat Welſerus; ſi corpus D. Thomæ Apoſtoli calce conditum Melianator in Coromandelio littore ſub Joanne III. Luſitaniæ Rege inventum fuiſſe Autor eſt Mafeius in Indicis lib. 8. ſcilicet immixta calci, & arenæ candidiſſima ſpecie oſſa, appoſita lanceæ cuſpide, & viatorii bacilli fruſto atque vaſe fictili ait Joh. Kirchmanus loc. cit.

Pythagorei non unguentis, ſed foliis populi, myrti, & aloës ſtipati humi mandabantur, ſicut M. Cato condi, & humari voluit. Arabes; & Sabeos Cadavera fimo, & ſtercore condita ſepulcro tradidiſſe ait Thom. Porcacchius in Funer. Antiqu. unà cum Cælio, Jo.

Textore in Officina, & Al. Sardo lib. 1. de Mor. Gentium. Indi Adipem ſuillum adhibuere ad mortuorum condituram; Herba Aloë uſos nonnullos fuiſſe ad Cadavera condienda legitur apud Meſuem cap. de Aloë, & rectè quidem; nam herba Aloë, ait Chriſoſtomus, ut eſt amariſſimi ſucci, ita vim habet reſiſtendi vermibus, & putredini. Spartanos mortuis ſuis condituram paraviſſe foliis Oleæ legitur apud multos, ſed præcipuè apud Thom. Porcacchium in Fun. antiq. his verbis: *In Sparta de Corpi morti ſi ſepelivano nelle foglie dell' Vlivo.* Aſſyriorum Cadavera Regum in Paludibus, pleraque; paluſtribuſque in locis fuiſſe condita tradit Cœl. Rodiginus lib. 17. lect. antiq. cap. 20. Scitarum Cadavera cupreſſû; ſeminibuſque aniſorum, & petroſelini, ut ad longiſſimum tempus conſervarentur accommodata fuiſſe ſcribit Joſ. Donzelus in petitor. Neapol. unde notat Pareus ipſam Sciticam gentem, quæ barbarie, atque immanitate reliquas ſuperare videtur, Regis ſui Cadaver non ſepelire, niſi priùs exenteratum, & cupreſſo tuſo, thure, petroſelini, & aniſi ſeminibus farctum, cerâ oblinierint. Oleo Palmæ uſos ad mortuorum conditurarn aliquos Giaghos idololatras narrat Fr. Anton. Cavazzius Capuccinus in Hiſtorica deſcriptione Conghi, Matambæ &c. lib. 1. Aquam Stygiam vim habuiſſe incorrupta conſervandi Cadavera deducit Alex. Taſſonus lib. 9. ſuar. opinion. ex Cardano. qui è Q. Curtio notat, Cadaver Alexandri magni utpote aquâ ſtygiâ venenati, incorruptum, & inſepultum ad multos dies duraviſſe, quam opinionem, ut ineptam ridet Scaliger.

In Galliis terram eſſe, conſervandi incorrupta Cadavera potentiam habentem ſcribit P. Menochius in hiſtor. part. 4. cap. 44. his verbis *I. P. Franceſco Annati m'hà racontato, come teſtimonio di veduta, che in Toloſa in Francia nel Convento de P. P. Franceſcani detti della grand' obſervanza, vi è un certo ſito, la cui Terra hà proprietà di conſervare i corpi in lei ſepolti, incorotti, dè qualli ſe ne moſtra ivi buona quantità poſta per ordine, e ſi và dà Foreſtieri à vedere per meraviglia.*

Syros reſinâ corpora ſuorum mortuorum medicata ad longum tempus aſſervaſſe notat Alex. ab Alexandro, lib. 3. gen. dier.

Fumo nonnullo Cadavera olim condita fuiſſe, & ita ad longiſſimum tempus duraviſſe legitur apud multos, & præſertim apud Licetum de lucernis.

Panebios caput Regis ſui mortui auro circumtectum, conditum, atque ornatum ad æternitatem poſuiſſe ait Porcacchius in Funer. antiq; his verbis; *I. Panebii tagliavano la teſte al Rè morto, e indorandola bene, le conſagravano un tempio &c.*

Cedrino Unguento ad æternitatem accommodata fuiſſe Cadavera legitur apud Gherardum Von Stotten in Amænit. Hiſtoric. Græc. & Rom. centur. 1.

Afros Græcorum imitantes olim Cadavera ſuorum mortuorum Balſamicis liquoribus accommodaviſſe ſcribit Boem. Aubanus in ſuo lib. de Morib. Legib. & ritib. omnium gentium cap. 6. lib. 1. qui de Africa agit.

Plura cupienti de variis condiendi Cadavera modis apud VETERES dabunt Herodotus, Diodorus Siculus, Jo. Stefan. Menochius in Storeis; Kirchmanus de Fun. Rom. Thom. Porchaccius in Fun. Antiq; Alexander ab Alexandro Genial. dier. libro; Aldrovandus lib. de Inſectis, Caſpar à Reies in camp. Elyſ. jucund. Quæſtion. Tiraquel. in not. ad Alexandr. Plutarchus in vitis Illuſt. virorum; & alii plures tam Antiqui, quàm recentes Scriptores.

Cap. 8. *De Mumia.*

QUia Mumia per Authores nil aliud eſt, quàm Cadaver Balſamatione accommodatum, ideò nonnulla in capite præſenti mihi liceat afferre de Mumia ex variis Scriptoribus collecta. Mumia vocabulum eſt Arabicum, & Perſicum monente Braſavola, & Brunone in lexic. med. quod per Rhaſim, Avicennam, Dioſcorid. Serapionemquè piſſaſphaltum denotat, de quo Scaligerus, Belon. & Agricola; per Haachum autem liquamen quoddam in ſepulcuris inventum ſignificat, in quibus Hominum Cadavera aromatibus condita per multos Annos ſervata fuere; Aſt Bernardus Cæſius Jeſuita ait, *nomen Mumiæ mauritanum eſſe, & ſignificare utiliſſimum ad medicos uſus ſuccum.*

Sex eſſe Mumiæ Species novi apud Scriptores; prima naturalis, quæ Serapionis dicitur, & piſſaſphaltum eſt, aliæ quinque artificiales ſunt, de quibus eruditè ſcribit *Illuſtriſſ. D. Paulus Maria Terzagus Medicus Mediolanenſis præſtantiſſimus, Patronus, ac Amicus meus ſemper colendus in Muſeo Septaliano ex Latinis, Italicis vocibus donato à P. Franc. Scu abello*, Secunda ergò Mumiæ Species Arabica, & Ægyptiaca nobilium dicitur, ex Aloë, Croco, Myrrha, & aromatibus confecta, de qua vid. Wormius in Muſeo lib. 3. cap. 26. hanc verò Mumiam, quæ olim in defunctorum Regum, & Heroum Ægyptiorum ſepulchris tantùm inveniebatur, modò ad nos non pervenire ait Zwelfer. in Pharm. Anguſt. In tanta enim æſtimatione apud Ægyptios ſunt Regum ipſorum Cadavera, eaque tam reverenter habent, ut nonniſi in magna egeſtate, tanquam prætioſiſſimum ſuum diadema pro magno ære aliis oppignorent; Porrò Arabum Mumiam antiquiorem, & pretioſiorem ita paratam fuiſſe legitur in Muſæo Calceolariano à Ceruto incœpto, & à Chiocco perfecto, ſect. 6. Mos erat Arabum, cùm quis nobilitate præſtans moriebatur, corpus ungebant; unguento ex Aloë, Myrrha, & thure confecto; inde pannis lineis opertum corpus in conditoriis ſervabant; temporis progreſſu accedente corpori putredine, & colliquata pinguedine cum illa conditura, fermentata, mixtura optima fiebat, hanc è ſepulcris ſubreptam Mercatores in Europam deferebant, ut optimè notat Montanus in lib. 1. Avicen. cap. 1. de humoribus; de hac plura apud Matthiolum in Dioſcor. lib. 1.

Tertia Plebeorum Ægyptiorum conditura eſt, bitumine minoris diſpendii facta quam illam eſſe, quæ frequenter ad Europeos transfertur, teſtatur. Laur. Legatus in Muſ. Coſp. & Jul. Cæſ. Scaliger. de Subtil. ad Cardanum; de hac loquens Zvvelferus loc. cit. ait, *quæ ad nos autem hodierna die tranſportantur Cadavera nigricantia linteis involuta, ſæpenumero fœdiſſima morte defuncta, nil minus ſunt quàm vera Mumia Ægyptiorum, quæ ipſa etiam tantum abeſt, ut utiliter intra corpus aſſumi, quin magè plurimum obeſſe poſſit*, de hac plura apud Joh. Daniel. Horſtium in Pharmacopea ſua.

Quarta Piſſaſphaltum eſt factitium ex bitumine, & pice conflatum, quod tamen negare videtur Fer. Imperatus in hiſtor. naturali lib. 14. his verbis; *ſono inganati alcuni che il Piſſaſphalto fuſſe coſa compoſta di pece, e di bitume*, Quinta Mumia recentium dicitur, quæ fit carnibus juvenis morte violenta interempti, expoſitis ſolaribus radiis, indè in umbra reſervatis, conſperſis pulveribus Myrrhæ, & Aloës, & poſtea aquâ vitæ irroratis, & in umbroſo loco ſiccatis; de qua plura apud Scroder. & Crollium.

Sexta, Cadaver eſt eſt ſub arena ſepultum, & exſiccatum à fervidis ſolis radiis, ut accidit apud ſolitudines Ammoniorum intra Cirenem, & Alexandriam, ſi Legato credamus, ubi viatores ſub arenæ montibus priùs ſepulti, quàm mortui remanent, monente Daniele Bartolo in Geograf. moral. cap. 24. undè Solinus cap. 30. ſcripſit; *ita etiam continens naturam maris patitur, nec intereſt, ubi potius ſint procellæ, cùm ad exitum viantium Elementis congruentibus in Terris Flabra ſæviant, in Mari Terræ*, cujus naturę quoque eſſe arenas in fine Judeæ cecinit Taſſus, cant 17. hieruſ. liber.

Gaza

Gaza è Città della Giudea; nel fine
Sù quella via, che in ver Peluſio mena
Poſto in riva del Mare, & ha vicine
Immenſe ſolitudini d'arena,
Le qual com' Auſtro ſuol l'onde Marine
Meſce il terbo ſpirante, onde à gran pena
Ritrova il Peregrin riparo, ò ſcampo
Nelle tempeſte dell' inſtabil Campo.

De iſtis Mumiis ſub Arenæ Montibus repertis ſcribens Illuſtriſſ. D. Carolus Patinus in Archilycœo Patavino Lector primarius, Patronus, atque Amicus meus ſemper colendus in Secunda relatione ſuor. itiner. è Gallico ſermone in Italicum translatorum opera Antonii Bulifoni, ait, *Venè uno in Ulma nel gabinetto del Signor Veiemano, che mi pare altretanto meraviglioſo, quanto, che eſſendo tutto intiero, ſi è conſervato ſenza Balſamo, e ſenza medicamenti; Fù ritrovato nel ſecolo paſſato nell' Arene dell' Arabia, gli ardori del Sole, che ivi è violente hà veriſimilmente diſſipato tutta l'humidità di queſto corpo, &c. & hò letto in Herodoto, che un' Armata fù opreſſa dà una maniagna d'arena, che il vento traſporta alcune volte, e che molt' Anni doppo, un vento contrario havendo ripoſto queſt' arena nel ſuo luogo primiero, ſcopri agli abitanti li corpi di queſti Soldati coſi intieri come ſe fuſſero ſpirati quel giorno ſteſſo.*

De Mumiæ virtutibus varia narrant Doctores, nam hanc reſolvere ſanguinem coagulatum ait Bacò de Verulamio, aliique dicunt conferre tuſſi, punctioni lienis, inflationi corporis, menſibus obſtructis, aliiſque uteri affectibus; Varia ſunt medicamina ex officinali Mumia, ut Tinctura de qua Crollius, & Quercetanus, Elixir, de quo Andr. Tenzelius in med. diaſtat. & Scroderus; Arcanum ſuum carnis Humanæ dictum ex Mumia parat Petr. Joan. Faber; oleum Mumiæ Quercetanus componit; de oleo exaltato Mumiæ loquitur Libavius; Notat Ettmulerus, in Scrod. dilucid. nullum ferè unguentum in graviori vulnere ſine admixtione Mumiæ præparatæ artificialis parari, de qua ſuprà num. 5.

Aquam Divinam dictã præparat Scroderus ope Mumiæ.

Mumiam autem, quæ eſt confecta à corpore ſub arena ſuffocato, ut vidimus ſuprà, nullam in ſe habere qualitatem ait Montanus loc. cit. non habet enim niſi ſummam terreſtreitatem, & faciunt nos devorare iſta Cadavera, inquit ipſe Montanus, ſic torrefacta, & aduſta pro nihilo; Veram autem Mumiam; quæ in ſecundo loco à nobis fuit in preſenti capite deſcripta, mirandum in modum juvare dicit cit. Montanus ad convulſionem tollendam, & hæc optimè datur etiam in potu, ad ſanandas contuſiones tam interiores, quàm exteriores; hanc capitis dolorem, paralyſim, epilepſiam, vertiginem, cordis paſſiones, & incontinentiam urinæ curare aſſumptam tradit Joſeph Donzellus in ſuo Theatro Pharmac. part. 3.

Multi fuere Doctores, qui docuerunt poſſe fieri veram Mumiam in Xenodochiis, ponendo nimirum Myrrham, aliaque aromata in ventriculo mortuorum, deinde eos ſepelire in loco ſeparato, & poſt duos, treſve Annos extrahere, & Mumiam habere; quod tamen ego non approbo, neque credo, tam facilè Mumiam haberi poſſe, neque tam facilè coruptionem Cadaverum arceri;

Quia verò difficillimum eſt in tanta varietate, & diverſitate, optimam habere apud nos Mumiam, hoc remedii genere ſine pharmaceutices incommodo facilè carere poſſumus, ut optimè monet Frid. Hoffmannus com. in Scroder. & hujus loco alia medicamina ejuſdem energiæ ſubſtitui queunt, Mumiis ad nos delatis ex pharmacopoliis exulantibus; & pro explenda curioſorum cupidine; ad conclavium ornamenta repoſitis, majoris ſecuritatis gratiâ, vel Arte confectas Mumias, vel alia medicamenta ex carne Humana præparata adhiberi poſſe docet cit. Hoffmannus.

De Franciſco primo Galliæ Rege ſcribit Bellon. nuſquam profectum eſſe, quin ſecum haberet Mumiam, & rhabarbarum; A Saxonibus ſe audiviſſe, narrat Caſpar. Hofmannus in Paralipom. officinal. cap. 7. apud ipſos nullum convivium tranſigi poſſe ſine *Mummei*, ut appellant; & Radzevillus ſcribit, ſe voluiſſe ſecum in patriam, duo talia Cadavera condita ferre, ſed in mari ſingulis noctibus vexatum à duobus atris diabolis, abjeciſſe in profundum, & liberatum à moleſtia;

De Mumia leporina mentionem facit Phil. Jacob. Hartmannus in Miſcell. curioſ. decad. 2. Ann. 7. obſerv. 20.

De Mumia loquendo Avicenna, de virib. cord. tractar. 2. ait, *Mumia calida eſt in fine tertii; ſicca pro ut creditur in primo; ineſt autem ei proprietas omnem ſpiritum confortandi, quod adjuvat continuativa viſcoſitas*; & lib. 4. fen. 5. tract. 3. docuit Mumiam eſſe Medicinam mirabilem ad corporis reſtaurationem quod confirmat Wedelius.

Mumiam ſummopere ad Epilepſiam fugandam laudare Paracelſum, ait Doleus in Encyclop. med. lib. 1.

Contra aurium dolores hanc valere ſcribunt multi; Singultum ſedare volunt alii; Venenis obſtare ait Matthiolus; Sanguinis fluxus ſiſtere docent Practici; Virturem corroborandi habere notat Sgobes in Theatro Pharmac. lib. 2. ob ſuam potentiam ſympathicam cum noſtro humido radicali quam in ſe habet Mumia; meritò igitur à non paucis Autoribus Elogia Mumiæ conſcripta ſunt, hoc enim ſæpe magnum eſt Remedium.

Optanti plura de Mumia dabunt Clariſſ. & nunquam ſatis laudatus D. Terzagus Patronus ac Amicus meus magnus in Muſæo Septal. Cerutus in Calceolariano; Muſæum Moſcardum; Gabriel. Bremond. in ſuis itiner. Gallicè ſcriptis, & ad Ital. ſerm. translat. à Bruno, commendato ab Illuſtriſſ. Equite Mandoſio in tom. 2. Bibliothecæ Romanæ, & alii.

Cap. 9. *De Recentibus Balſamandi Cadavera modis.*

Sicuti variæ fuere, uti vidimus ſupra Condiendi Mortuos rationes uſurpatæ ab Antiquis, ita varii ſunt à Recentioribus Balſamandi Cadavera modi adinventi, quos in præſenti capite breviter tangere fas eſt, ut promiſſis facti reſpondeant; Non incongruum ergo cogitavi in ultimo hoc, iſtius mei tenuis tractatuli, capite, varias præcipuorum Medicorum Balſamandi formulas proponere, ut inde Lector ſeligere poſſit illam, quæ ipſi magis arrideat, & ſi aliquæ nimium ob ſumptum difficiles apparuerint, nonnullæ fortè placebunt non tam ſumptuoſæ atque faciliores; ſi enim unicam tantùm propoſuiſſem, omnium palato non ſatisfeciſſem, quam communem ſatisfactionem maximè ſuſpiro; Veniat ergo primò in conſpectum Lectoris Rhaſis Sententia de Cadaveris Conditura, qui vult, ut clyſterizentur corpora medicanda, medicinis acutis ſiccis, cum colocyntide, addito multo Sale, ipſo corpore exiſtente erecto, ita ut venter comprimatur, & ſic excrementa egrediantur: Hoc facto ſi expedit aliud injiciatur clyſterium ex Aloe, Myrrha, Acacia, Gallia Moſc. Alipta Moſcat. Nuc. Cupreſſ. Nuce Myriſtica, Cinam. ligo. Aloës, Santalis, Croco, Alumine, in aceto, & aqua Roſ. diſſolutis, illud totum injiciatur in inteſtina; deinde anus bene ligetur, cum multiplici compreſſione, ac faſcia, ne liquor exeat; deinde corpus cum alkitra, id eſt pice nigra liniatur; dein- de auris

de auribus, naſo, & ori argentum vivum injiciatur, iis enim cuſtodirur nè effluat cerebrum; Inde totum corpus ſparadrapo facto ex Pice Nigra, Reſina, Colophonia, Thure, Maſtice, Sthoracc, Gum. Arab. Tragac. & pulvere jam in ſecundo clyſtere dicto involvatur, priùs tamen brachiis, tibiiſque per ſe involutis &c.

Balſamandi modum, quem Medici obſervaverunt in conditura Cadaveris *Alexandri Papæ quinti*, de qua Petr. de Argelata multa ſcribit, nunc deſcribo; primò præceperunt miniſtris ut ſcinderent ventrem à pomo granato uſquè ad os pectinis, reſpiciendo tamen, né inteſtina rumperentur; Deinde inteſtino recto ligato in duobus locis, & conſequenter in medio ſiniſtri inciderunt, & ſuperius, uſq; ad duodenum ſimiliter, & ſic extracta fuerunt inteſtina munda, abſque fætore; hoc modo, & hepar, Splenem, reneſque vaſis interceptis, ligatiſque, & inciſis eximebant, omnibus in capſam poſitis: deinde ad Spiritualia tranſeuntes, remoto pulmone à corde, eodemque modo mery, ac ſtomocho cum ſuis ligaculis; ſed cùm volebant extrahere linguam, & non ſcitent, Medicus hoc videns incidit ipſam ſub mento & illam extraxit per illum locum, cum trachea, & mery; inde amovit aortam, & cavam, & reſiduum inteſtinum, ligatum uſque ad anum incluſivè; hoc completo benè ſiccarunt omnia loca ſpongiis, poſteà poſuerunt in ventre plurimum de aqua vitæ; hinc omnibus dè novo ter, quaterque cum ſpongiis exſiccatis de pulvere ſequenti in ventre poſuerunt;

℞, *Mirrhæ, aloes ſuccotrinæ, caballinæ, acaciæ; macis; gall. muſc. a ipta muſc. ſandalor omn. ligni aloes, cumini, aluminis uſti, ſang. dracon. bol. armen. terra ſigillatæ, ana p. æq. f. Pulv quo impleatur. totus venter, interponendo ſemper de bombace; & iterum de pulvere, uſque dum totus venter repleatur*; inde miniſtri fuerunt ventrem cum acu, ut pelliones pelliceas veſtes conſuere ſolent, & ita gula quoque pulveribus referta; Tandem balſamum colliquatum cum albumine ovi, & bombace intinctum ano poſitum fuit, & eodem modo, & alia bombax intincta eſt, ac in ore poſita, & in naribus, & auribus; Deinde habebant ſparadrapum confectum ex cera, & terebinthina, & totum corpus fuit hoc ſparadrapo involutum, & alligatum &c.

Modum, quò Nobilium, corpora condita fiunt à Gregorio Horſtio, à me quoque commendatum in Animadverſ. meis Anno 1688. impreſſ. pag. 328. nunc expono; Accipitur videlicet primò vinum ſublimatum ad menſuras duas pro abluenda poſt exenterationem tota cavitate interiore pectoris, & abdominis, quæ poſt factam ablutionem terebinth. undique aſpergatur, ut pulveres, & herbæ injiciendæ meliùs adhæreant, poſtea ſequentibus impleatur.

℞, *Fol. roſmar. lauri, hyſop. abſint. ſerpil. puleg. menthæ, rutæ, ſalviæ, orig. ſcordii, flor. antos, lavendul. camomel. ſtæcad. ſpicæ, ana m. ij. ſemin. carvi, fæniculi ana lib. ſ. radic. gentianæ, caryofilatæ, angel. valerian. ana lib.* 1. omnia incid. craſſo modo; inde.

℞, *Aloes lotæ, lib. ij. myrræ lib. ſ. maſtic. thuris. ana unc. ij. benzoin. ſtirac. calam. ladan. cinamom. caryofil. macis, croci, ana unc. j. Mumiæ unc. ij. craſſoque modo contuſa, m. cum præcedentibus, & omnia hæc capacitati injiciantur*, corpuſque ſuturis occludatur, ac ſequentibus oleis totum corpus inungatur;

℞. *Ol. abſint. ſpicæ, rutæ, camemel. ana unc. iv. ol. juniper. laurini, ana unc. ij. petrol. unc. i. ſ. ol. terebinth. unc. j. m.* Ad incerationem autem induſii, quo corpus poſt inunctionem induatur;

℞. *Terebint. lib iij. ceræ lib. 15. & diſſolve cum oleo pro cerato*; tandem pro implenda narium, & aurium cavitate.

℞. *Ol. nuc. moſc. expreſſ. unc. ſ. ol. deſtil. caryophil. unc. ſ. m.*

Conditura, qua uſus fuit Foreſtus in condiendo corpore D. de Abbenbroek talis eſt.

℞. *Salis com. lib. vj. cum lib. iij. aloes cabalinæ, lib. i. vitrioli, mirti lib. j. myrræ quart. j. boli lib. v. cortic. aurantior. unc. v. flor. camemel. lavendul. antos, majoran. origani, pulegii, calament. abrotani, mentæ, meliſſæ, mentaſtri, thymi, abſint. rutæ, ſalviæ ana m. v. f. Pulvis pro conditura*; Aperiuntur ergo, ait ipſe Foreſtus obſerv. 29. lib. 29. mortuorum Cadavera, & viſcera omnia extrahuntur, & cavitates pulvere ſuperiùs dicto impletæ clauduntur.

Promittit Lodovicus de Bils in fine ſui operis impreſſi Roterodami 1661. 4. cui titulus *Specimina Anatomica*, brevem, atque compendioſam Hiſtoriam eorum, quæ ſpectant Artem, ac ſcientiam condiendi Balſamo Cadavera; verùm titulo verba non reſpondent, narrat enim in paucis illis paginis controverſiam habitam pro Cadavere condiendo, ſed nullum docet modum, nullamque exhibet formulam, quâ poſſint condiri Cadavera, undè Lectores non-inſtruit, ſed decipit; Aſt non ita ſanè facit Thom. Burnetus in ſuo Theſaur. med. pract. qui, ex Solenandro deſumptum Balſamandi modum, candidè exponit his verbis. *In Italia* hic ordo ſervatur; primùm Pharmacopolam jubent, ut hæc ſimplicia adornet, quorum poſtea in conditura uſus erit.

℞. *Roſ. rubr. abſynt lavendul. nuc. cupreſſ. ſalviæ ana m. iij. cal. aromat. ſpic. nard. ana m. j. myrræ, maſtic. aloes, ana unc. j. ſ. cinamom. macis, nuc. moſcat. caryophil. croci, ana unc. i. aluminis roch. acaciæ, ana unc ij. ſal. com. lib. j. cumini, furfuri, torrefacti ana lib. . contuſa omnia groſſo modo ſerventur ad conduturam*; item.

℞. *Aquæ vitæ lib. x. aceti, lib. xv. ſtup. canab. lib. viij ſpongias magnas num. iv.* iſta omnia parata habere decet; Adminiſtratio autem conditurae hâc ratione perficitur. Incisô ventre longitudinaliter, atque latitudinaliter, detractô etiam ſternô, & ſerrâ ablatô craniô, auferuntur omnia interanea omnium trium cavitatum; Poſtea totum corpus intus aquâ frigidâ primò eluitur, ac ſpongiis abſtergitur; ſecundò aceto acerrimo; tertiò aquâ vitæ diligentiſſimè: Deinde facta cum ſicca ſpongia abſterſione, pulvis inſperſus infricatur, ea ratione quâ ſuillam carnem ſale condimus: Tandem faldellæ ex ſtupa, aut cotto, aquâ vitæ immerſæ, & rurſus manu expreſſæ undequaque carni applicantur, inſperſo unà pulvere, quibus cavitas ventris, pectoris, & capitis tota impletur, ac demum conſuitur cutis: poſtremò omnium linteo incerato calente adhuc, Cadaver obvolvitur ita tamen, ut digitus à digito ſit ſeparatus; Denique Cadaver linteo incerato involutum pro Colophone Pici Navali illinitur; Conſervatur Cadaver hac ratione conditum ad decem, vel plures Annos, quòd ſi diutiùs adſervari velis, omnes muſculi totius corporis longitudinaliter inciſi, & præſcriptô modô eloti, pulvere erunt inſpergendi, & apprimendi;

Cadavera condiendi modum apud Europeços adſignat Aldrovandus lib. 6. de inſect. cap. 2. his verbis; *Reges noſtri Europæi, magnateſque ſua Cadavera condiri curant Medicis, & Chirurgis, qui primùm exenterant corpus, corde ſeorſum habitô, ut per ſe conſanguineorum arbitriô condiri poſſit; Cerebrum deinde ſerrâ diviſô craniô avellunt; hinc profundis plagis ſecundùm brachiorum, femorum, crurum, & dorſi, lumborum, ac natium longitudinem deducunt, præſertim qua parte venæ majores, & arteriæ excurrunt: primùm quidem ut ſic exprimatur ſanguis, qui alioqui corrumperetur, & putredinis initium reliquo corpori præberet, deinde ad aromaticos pulveres inſpergendos lavant ſpongia madefacta in aqua vitæ, aut acri aceto, in quo incoxerint abſynthium, aloe, colocyntis, ſal*

commune.

alume, *deinceps ventres tres*, *plagas*, *ductuſque corporis infarciunt aromatibus ſequentibus craſſiuſcule tritis.*

℞. *Pulv. roſ. camamel. melilot. balſam. menthæ, aneti ſalviæ, lavendulæ, roſmar. majorana, thymi, abſint. cyperi, calami arom. gentianæ, ireos flor. aſſæ fætidæ, caryophillor. nuc. moſc. cinamom. ſtirac. calam. belzoin. myrrhæ, aloes, ſantalor. omnium, q. ſ. conſuunt. plagas, & hiatus ne quid decidat. mox totum corpus inungunt terebinthinâ liquefactâ cum oleo camæmelino, & roſaceo, additis oleis aromaticis per quintam eſſentiam extractis, iterumque conſpergunt pulvere commemorato, inde tenuiſſimo involvunt linteo, mox telâ ceratâ; Ubi verò aromatum non adeſt copia, calce extincta, ac querno cinere utuntur, fortique aceto, & lixivio Cadaver lavant, ac loco frigidiori reponunt, ſi æſtas ferveat*; Taliſque modus autem Balſamandi doctus fuit olim ab Ambroſ. Pareo in fine ſui operis, ubi de conditura Cadaverum tractat, immò narrat ipſe Pareus, hac arte conditum à ſe fuiſſe Cadaver unius Rei, quod domi ſuę conſervatum à pluſquam quinque & viginti annis extitit incolume, adeò ut ſingulos dexteræ partis muſculos (quos capite tenus execuit, & pendulos à circumſtantibus diſtinctionis gratiâ, revulſi, quò ipſos quoties libebat oculis luſtrare, & manibus tractare poſſent) numerare poterat ſpectator parte ſiniſtra illibata, pulmoneſque, cor, diaphragma, ventriculum, lienem, renes, barbam, capillos, imò, & ungues, quos reſectos à ſe crebriùs increſcere, & ad priorem mox magnitudinem redire obſervavit, notare ſingulatim poterat curioſus inſpector.

Clariſſimus P. Andr. Matthiolus, & Sim. Paulli tradunt Scordium optimum eſſe ad incorrupta ſervanda Cadavera; referunt enim multi celebres Viri, quòd cùm in prælio interemptorum Cadavera multos ad dies inſepulta jacuiſſent, quęcumque ſupra ſcordium fortè fortunâ ceciderant multò minùs aliis computruerint, eà pręſertim ex parte, quâ herbam attingerant;

Joſeph Donzellus in peritor. Neapolit: pag. mihi. 279. modum Balſamandi Cadavera deſcribit, quem, ut jacet exponam, ne quid eruditionis, & fidei minuatur, iſtius Autoris ergo verba hæc ſunt. *Un giorno naturale doppo, che il Corpo ſarà rimaſto ſenza Anima, ſi dovrà lavare con vino, temperatamente caldo, à fine di pollirlo dà ogni ſorditia eſteriore, e doppo farlo aprire nel torace, e trarne le parti vitali. e condire ſeparatamente il cuore à guſto de parenti; Doppo ſi ſpremerà il ſangue contenuto nella vena cava, e l'arteria aorta, & aſſorbirne con ſpongia tutte le humidità; Polito bene il torace ſi aprirà il ventre inferiore cavandone le parti naturali, & aſciugando ſimilmente con ſpongie la cavità; Aſciugate, che ſaranno le dette due cavità ſi laveranno diligentemente con ſpongie infuſe bene in aqua vita, aceto, li ſeia, o aqua ſalſa, laſciando bene aſciutar ogni parte: fatto queſto ſi dovrà ſegare il cranio, e cavarne tutta la ſoſtanza del cervello, e lavare come di ſopra la parte vuotata, laſciandola ben aſciutare; ſi dovrà poi attendere alle parti muſculoſe, e dividerle con profonde inciſioni, maſſime verſo le natiche, e coſcie, e le parti più carnoſe delle bracia, avertendo di levare ogni pinguedine dal ventre, e farla ſeplere con l'interiora; ricordandoſi di lavare tutte le ſudette parti con aceto, & aqua ſalſa, e bene aſciugate empirle delle ſeguenti polveri deſcritte dà Franceſco Ranchini*;

℞. *Calam. arom. Cyper, Ir. flor. Ariſtol. rot. Stirac. calam. Belzoini, Ladani, Myrrhæ, Aloes, ana lib. ſ. Caryophil. piper. Nuc. Moſcatæ, Cinamomi, ana unc. iij. fol. ſicc. Majoranæ, origani, Calamintæ, Scordii, Pulegii, Abſynt. Salviæ, Roriſma. lavendul. ana m. iv. Roſar, Balauſtior. ana pug. 6. Aluminis, Salis, Calcis vivæ, Gypſi, ana lib. j. m. f. Pulvis. con queſta polvere ſi riempiono tutte le parti vuote, e poi ſi cuſciono, e tutto il corpo ſi unge di Terebentina liquefata con olio Roſato, ò pure in ogli Aromatici deſtilati di Timo, Salvia, Lavendula, Garofali; Il Corpo poi aſperſo della parte più ſotille della detta pulvere s'involge in un ſotilliſſimo panno, e ſopra s'involge di tela incerata, e ſi ripone in caſſa impiombata*; Hæc citatus Donzellus.

Spiritum vini à corruptione, & putrefactione Cadavera defendere ait Michael Savonarola Medicus noſter Ferrar. in ſuo Libro de Viribus Aquę Ardentis, & mihi nuper per litteras ſuas humaniſſimas communicavit inſignis Medicus, perfectiſſimus Antiquarius, & Clariſſ. Philologus *Dom. Eques Carolus Patinus*, Spiritum vini egregiè conſervare molliora corpora, ut infantium &c.

Duplicem modum Balſamandi Corpora notat Cl. Blancardus, humidum nempè, & ſiccum.

Humidè Balſamari poteſt per muriam vel lixivium fortiſſimum, ex Marino ſale, & alumine; vel per oleum terebinthinæ, vel per ſpiritum ex myrrha, olibano, Succino, & ſpiritu vini deſtillatum, quem ob eximium in medicina uſum Spiritum matricalem vocat ipſe Blancard. vel per immiſſionem Balſamicorum liquorum ope Siphonis per os in corpus;

Siccè Balſamari poteſt Cadaver per infumationem, quod fit ſuſpenſis ſuprà ignem quidem carnibus, ſed ita ne flamma contingere poſſit; vel ſiccatio fit, monente Caſpàro Hofmanno, cùm Cadaver ſervatur in loco ſicco; Modus verò egregius, atque ſanè ſingularis ſiccæ Balſamationis legi poteſt apud Blancardum tractat. de Balſamatione in fine ſuæ Anatom. poſito, ubi etiam hic autor modum tradit Balſamandi viſcera præcipua corporis humani, ut jecur, lien, Pulmo, &c. ut tali ſcilicet pacto poſſint quovis tempore in publicis Anatomicis reprę ſentari; ideoque curioſum Lectorem ad iſtum librum remitto, ne ſcilicet ab ipſo ſcripta, reſcribam, & ſic crambem bis coctam apponam:

Reſcribere autem hîc mihi liceat formulam Balſamationis, quam in libro Manuſcripto inveni, quem librum ſine Autoris nomine inter catervam Manuſcriptorum in meo Muſęo ſervatorum teneo; hæc autem talis eſt.

℞. *Terebintin. unc. vi. Incenſo unc. ij. Aloe Succotrino, Maſtice ana unc. j. ſ. Garofani, Galanga, Cinamomo, Zaffarano, Noci Moſc. (ubebe, ana unc. j. Gomma di Foco unc j. Gomma Edera unc. iij. contuſo groſſamente il tutto, e poi meſſo in Storta di Vetro, e deſtila per arena, prima verrà l' Aqua e doppo l'Olio del quale ongendone un corpo morto lo conſerva intatto uſando però prima le debite eſpurgationi delle parti interne, e incidendo le parti carnoſe e inſinuandoli del ſudetto Balſamo*.

Joan. Daniel Geierus in Miſcell. Acad. natur. curioſ. decur. 2. Ann. 8. obſ. 137. modum docet facilem ad conſervanda animalium corpora; qui talis eſt.

℞. *Spiritûs vini rectific. lib. j. Succini Albi unc. ij. digere in B. M. per 48. horas, adde pulver. Sandarachæ Albæ, Maſtic. ana unc. j. Terebint. Venet. unc. j. ſ. & itidem B. M. impone per 24. horas, donec omnia ſint ſoluta*, dein accipe Animalia probe exenterata, immitte Sp. Vin. rectific. mixto ſaccharo clarificato per aliquot dies, deinde obduc, aut inunge vernice, uſque dum inſtar vitri albi ſplendeſcant, ſic ad longum tempus durabunt.

Sequentes deſcriptiones medicamentorum pro conditura Cadaveris adſignat poſt debitam corporis exenterationem, & optimam purgationem D. Georgius Tobias Durrius in Miſcell. Curioſ. Anno ſuprà dicto obſerv. 170.

℞. *Aceti Acerrimi lib. xij.*

℞. *Aloes Sucotrin. lib. ij, Myrrhæ, Thuris, ana lib. j. Nuc. Cupreſſ. Gallar. ana lib. j. flor. Acaciæ, Nuc. Moſcat. ana unc. iiij, Sãdal. Omniũ, ligni Aloes ana unc. ij. Sẽ. Cymini lib. j. m. f. Pulvis Subtiliſſ. & cũ Reſina Pini, & Therebin-*

bint. ana lib.iv. Picis Navalis lib.ſ. Ol. Spic. & Iuniper. ana q.ſ. m.f. Unguent.

℞. Herbar. Majoranæ, Lavendulæ, Spicæ, Lauri, Scordii, Pulegii, Abſynt. Roriſmarin. Salviæ, Menthæ, Calamentæ, Origan. ana m.x. Inciſ. groſſo Modo.m.

℞. Ol. Spic. lib.i. Terebinth. lib.j. ſ. Ol. Nuc. Moſc. Expreſſ. unc. j. Ol. Caryophilor. dracm. ſ. f. Linimentum.

℞. Terebinth. de Cypro unc. ij. ſ. Ol. Cinamom. dracm. j. Ol. Spic. unc. ſ Zibet. dracm. ſ. Moſchi ſcrup. j. m. pro Unguento &c.

Nobilem Balſamandi formam tradit Charas in Pharmac. Galen. lib.2. quam videat curioſus Lector.

Methodum Balſamandi corpora ſine prævia eviſceratione communicavit in ſuo tractatu Gabriel Clauderus, mediante liquore ſpirituoſo penetrante è ſale armoniaco, & cineribus clavellatis; verùm in miſcellan. Acad. Curioſ. decur. 2. Ann. 8. ipſe Clauderus loco cinerum clavellatorum ſubſtituit calcem vivam, cùm alchalica hujus contumacia, uniuſcujuſvis aëris injuriam eludat, & notũ non minus eſſe, ait hic Autor, D. Kerchringium, virum de Medicina optimè meritum oſtendiſſe curioſis fœtũ Humanum ſuccino mollificato obductum;

Multi corpora mortuorum conſervant, ſi illinantur ſequenti vernice quæ fit è Terebinthinæ parte una, & Olei Pini partibus tribus.

Nunc autem Balſamandi Methodum à Jo. Helfrico Jungen; in med. præſ. ſecul. accomm. ſect. 2. traditum videamus; mortuus, ait, loco ſicco reponatur; hinc Balſamator corpore aperto viſcera extrahat, cum cerebro, artiſicioſe tamen, ne faciem lędat, cavitates abluat aquâ ſalsâ, vel vini ſpiritu, poſtea aſpergat cavitates Terebinthinâ coctâ, & Maſticis, vel Succini pulvere, impleat poſtea cavitates ſequenti pulvere.

℞. Aloës, Mirrhæ, Colofon. ana p. unam, Benzoin. Aſphalti, Succini, Cinamomi, Caryophilor. Croci, ana p. ſ. Salis optimi p. unam & ſ. m.f. Pulvis : inde conſuat corpus, & inungat ſeq. linimento.

℞. Olei Terebinth. lib. ij. lavendulæ unc.v. Succini, lib. ſ. Spicæ unc. ij. Caryophil. unc. ſ. m. Superinfunde Sulfuris cum ſale Tartari cocto, ut extrahatur tinctura, & f. Balſamum;

Faſciæ autem, quibus corpus involvi debet ſequenti liquore intinctæ ſint.

℞. Reſinæ Pini, lib. iij. Colofon, lib. j. ſ. Maſtic. Succini ana lib. ſ. Storacis liquid. Gum. anim. Terebinth. ana lib. ſ. Ol. Laur. juniper. Spicæ ana unc. viij. Petrolei unc. iv. Lavendulæ unc. ij. Ceræ q. ſ. m. f. S.A. Linimentum: Servetur in loco quoad poſſibile ſicco: atque hoc modo durabit corpus diutiſſimè.

Poſt debitas Cadaveris exenterationes, & purgationes, adhibendo ſequentia, ſe optimè Cadavera conſervare mihi affirmavit Chirurgus quidam;

℞. Fol. Nicotian. Pulegii, Scordii, Salviæ. Roriſmar. Serpill. Calamint. Camomil. odor. Abrotani. Dictamni Cretic. ana unc. ij. fol. Roſ. Antos, Citri, ana m. j. Semin. Fæniculi, Coriandr. Piperis, Aniſor. ana m. ſ. Radic. Gentianæ. Imperator. Carlinæ, ana m. j. Ligni Aloes, Cinamomi, Calami Aromatici, Sandalor. omnium ana unc. j Nuc. Moſcat. Cupreſſ. ana unc. j. Baccar. Juniper. Cupreſſ. ana m. j. m. & ſiccata omnia incidantur, & utantur, ad conditu- ram: externè autem inungatur corpus Terebinth. & Ol. Roſ. atque Pice Navali, cavitates verò narium, oculorum, aurium &c. muniantur Ol. Nuc. Moſcat. expreſſ.

Tandem ex Amico habui, plurimùm facere ad Cadaverum conſervationem Balſamicam quintam eſſentiam Roriſmarini, Spiritum Vini Canforatum, ac Aquam Reginæ Ungariæ dictam.

Atque hæc ſunt quæ Deo adjuvante de Cadaverum Balſamatione obſervata à nobis fuerunt in tumultuaria Autorum Veterum, ac recentiorum lectione; Plura inſi, & meliora addet alius; Nos Scriptionis iſtius metam attigiſſe nobis videbimur, ſi alios excitaverimus, ad illa inveſtiganda, atque notanda, quæ noſtros oculos fugerunt:

Si verò aliquid inter ſcribendum, aut excudendum errati irrepſerit benignè corrigas *Lector Amice*, & noli exagitare, ſi inveneris quædam minùs perfecta, minùſque exculta, nam *non omnia poſſumus omnes*; ſed inſtar Apum meliora elige; ſi enim in hoc tractatu aliquid gratum, & acceptum tibi fuiſſe video, animum meum ad plura elaboranda excitabis; Laudem verò à te pro brevi hoc labore non poſtulo; mihi enim propoſitum eſt non quærere plauſum legentium, nam qui hunc ſequitur, monente D. *Hieronymo*, planctũ proſequendus eſt, & incipit laude indignus eſſe, qui legentium laudem ambit.

Plures alias condiendorum cadaverum methodos, ac medicamentorum in id adhibendorum formulas, commode hîc rurſus adjicere poſſemus.

Verùm ne diutius in hiſce eſtiſpiciis, ac mortualibus immorari videamur iis quæ hactenus attulimus contenti, ſubjungemus tantùm, quòd pluribus annis antequam aliquid de artificiis à Celeberrimo Claudero ut & Clariſſ. Blancardo deſcriptis audiviſſemus, non ſemel balſamationes per injectiones tentavimus, ac propterea poſt elotiones ex aqua in arterias infuſa, & per venas recurrente, peractas eaq; quando ità neceſſarium videbatur pro ſanguine grumoſo fundendo, pauco ſale tartari impręgnata; ſpiritum vini armoniacatum, poſtque eum oleum terebinthinæ æthereum pluribus balſamicis & aromaticis ſaturatum; non tantùm in eadem intrudebamus vaſa, ſed etiam per tempus iis colligatis ſuceſſivè detinebamus, ut medicamentorum vi carnes intimiùs imbuerentur, quod ſanè non mediocrem ſucceſſum nobis præbuit: At operationem illam aliquando in hâc, aliquando in alia parte adhibuimus, nunquam totum aliquod corpus ſic conditum aſſervavimus, ut facili negotio, ſi in diſtractionibus perpetuis, ità licuiſſet, potuiſſemus: Non ſic tamen illam conditu- ræ perfectionem polliceri nobis dabatur de quâ nunquam ſatis laudandus Famigeratiſſimus D. Rhuyſchius in ſuis ad nos Amſtelodamo amicè exaratis literis decimo Aprilis Ann. 1696, verba facit. A tribus, inquit, circiter annis novam corporum humanorum balſamationem ſuſcepi, quod tam feliciter evenit ut abſque omni oſtentatione dicere auſim inter homines viventes & cadavera noſtra ne minima quidem intercedat diverſitas: Cadavera hujus artificii ope, excepto motu, redduntur quaſi in ſtatu hominum viventium, ità ut ne minimæ particulæ viſum effugiant. Addit præterea vir Clariſſimus quod ad illum conſcripſerint nonnulli viri curioſi quibus reſponſum quoque dederit, adjectis figuris aliquot novis, quòdque hæc omnia primâ occaſione data ad vos tranſmiſſurus ſit. Ac revera accepimus in ſequentibus quod promiſerat vir Clariſſimus, admiratique ſumus quòd artificio ſuo, non tantùm corpora integra per annos conſervarit viſceribus minimè remotis, eaq; publicè tempore æſtivo, ipſiſq; diebus canicularibus ſine ulla fœtoris moleſtia diſſecuerit, ſed etiam ſic minutiſſima vaſa, oculis aliàs nullatenus obvia, qualia ſunt quæ ſuper perioſtiis, tympani membrana, aliiſq; locis exanguibus veteribus creditis, repunt, ſenſibilia ac manifeſta faciat, unde ductus omnis generis referantur, nihilque prope in corpore tam reconditum eſt, quod non pateſcat ac anatomes ſtudioſis facilè ſe non offerat. Utinam tam nobile artificium vulgaſſet Vir Clariſſimus, ſic ampla nobis ad totam œconomiam animalem, functioneſque viſcerum perquam commodè

indagandas,

indagandas, aperiretur via; verùm quandoquidem æquum non eſt hoc ab eo expoſcamus, & quod magnis ſudoribus conquiſitum poſſidet, nobis gratis fruendum exhibeat expoſtulemus. Donec proprius labor aliquid detexerit quo avidum in hiſce animum explere aliquatenus queamus, iis quæ præmemoratus Clar. Rhuyſchius ſic curioſè admodum ſcrutatus eſt quæq; publico commodo hactenus dilucidè explicare non recuſavit, & in poſterum explicare rurſus paratus eſt contenti; hîc jam nimium longę, per varios quos attulimus Auctores, de Balſamationibus diſſertationi finem facimus, verbulumque non ampliùs addimus.

CALCULUS.

Doctiſſimo Lectori minimè ingratum fore ſperamus ſi quæ de Calculi natura, origine, progreſſibus, varietatibus, diverſisque ſedibus ac curâ; magnâ diligentiâ ſcriptis conſignarunt Præclariſſimi Viri Carolus Drelincurtius, Marinus Liſterus, *hîc atris omnibus in eodem argumentô traditis, præmittamus, eoque magis, quod quæ ex illius Autoris primô locô nominati, Diſcipulis, Magni ſui Præceptoris ductû ſcribentibus & diſputantibus, habemus, ejuſdem variis obſervationibus, raris prorsùs & curioſis, nobis jam dudum à Celeberrimô hôc ipſa Virô communicatis, abundè illuſtrare valeamus. Sit itaque primò.*

DISPUTATIO MEDICA DE CALCULO VESICÆ.

Quam ſub Præſidio Præclariſſimi Viri,

CAROLI DRELINCURTII

Lugduni in Batavis Profeſſoris Medici Senioris, habuit doctiſſimus Philippus Roſe, Gallo-Cadomæus.

Cùm Microcoſmum inter & Macrocoſmum, collationem inſtituo, & ſummas utriſque dignitates, rationis bilance exploro, ſummam illiùs, cum hoc neceſſitudinem, ſatis demirari non poſſum. Quanquam etenim meliore principeque ſui parte, Microcoſmus omnes Macrocoſmi potiores excellentioreſque videatur dotes excedere, poſteriore tamen, utpote materiali; tanta illi cum hoc datur affinitas, ut ab iiſdem principiis, ab iiſdem elementis, iiſdem prorſus, variorum impetuum; à ſapientiſſimo Creatore, editis legibus omnino pendeant. Hinc ſanè ter beatum prædicabimus, qui indefatigatâ, exactâque Orbis Machinę φαινομένων, indagatione, accuratiſſimam, perfectiſſimamque eorum notionem erit adeptus. Enimverò hîc pręvię ſcientię memor, conſciuſque, factà attentionis ſuę tranſlatione, omnes corporis humani tam ſalubres quàm inſalubres, anomalaſque conſtitutiones, maximo cum emolumento, ſcrutari potis eſt. Aſt quanquam tam diviti ſcientię theſauro mentis noſtrę arcam, locupletatam non ſentiamus, nihil tamen eſt, quod nos à ſpeciminis conſilio deterreat, vel impediat quominus omnes contendamus nervos, ut *Calculi*, affectuum quibus adeo miſerè conflictatur Adami Poſteritas, mehercule non infimi, *Naturâ, Differentiis, & Symptomatis* ritè explanatis, ejuſdem *medela* delineationem abſolvamus, eamque rationi conſentaneam. Adſit infirmo Tyroni Saluberrimus Humanæ Proſapię Medicus.

Quia animi Mercurius, loquela eſt, atque mentis noſtrę ſenſa, aliter quàm ſermone; ſcripturâ vel nutibus, unicuique ſignificare penes, nos non eſt: hac moti ratione quędam in Calculi ἔτυμον prçlibare, ab inſtituto haud alienum ducimus. Calculus Latinis vulgò ſic appellatur, eos verò, qui aliquam in veſicâ fovent rupem, Calculoſos nominant. Iſtud autem concretum, à calce ſuam traxiſſe denominationem (alicujus, nempe, ἀναλογίας ergò) cum fœcundiſſimo *Ger. Johan. Voſſ. in Etymol. Ling. Lat.* exiſtimamus. Medicorum Princeps nomine λίθος calculum plerumque intelligit, uti videre eſt *libro* IV. de morbis. Calculoſos verò λιθιῶντας, *libro de vuln. cap.* ut & affectum λιθίασιν, *aphoriſm. 29. ſect. 3.* nuncupat. *Helmont* ò poſt *Paracelſum*, calculus in tractatu de Lithiaſi, vocabulo *Duelech* indigitatur.

Calculi nomine explicato, rem ipſam aggrediamur. Ejus autem naturę certam, diſtinctamque notionem aſſecuti videbimur, ſi diligenti, rectoque examine, cauſas ejus tam *efficientem* quàm *materialem*; quantùm in nobis eſt, in medium protulerimus. De calculi materiâ, ipſiuſque concreſcendi modo, non parùm apud Artis Proceres hactenus fuit dimicatum: quod quidem nemini admirationem pariat, ſi quot de cęteris affectibus & morbis, inter ipſos variç promulgentur ſententię, pauliſper apud ſe perpenderit. Sed ne curioſiùs quæſitâ harum diſſentionum occaſione, extra operis cancellos vagari conſpiciamur, Ἰατρικῆς Primariorum, hâc de re ſenſus huc referre, atque ex iiſdem quid potiùs, quid veroſimimilius habeant ad majorem hujus lemmatis dilucidationem; depromere ſat nobis fore judicamus.

Venerandus Ἀρχιατρὸς *lib. 4. de morbis*, quid ſit calculus quaque generetur ratione trutinans, ſic ſcribit: Ἐν τῇ κύστει γίνεται λίθος τρόπῳ τοιῷδε. ὥσπερ ἐφ' ὕδατι μὴ καθαρῷ, ταραχθέντι ἐν κύλικι, ἢ ἐν χαλκῷ, καὶ καταστάντι, ὑπόστασις ἅμα ἅλις γίνεται ἐν τῷ μέσῳ. Οὕτω δὲ ἐν τῇ κύστει ἀπὸ τοῦ οὔρου, μὴ καθαροῦ ἐόντος &c. *In veſicâ generatur lapis hoc modo: quemadmodum in aqua non purâ turbatâ in calice, aut in vaſe æneo, & denuo quieſcente, fæx ſimul fit in medio; ſic & in veſicâ, ab urinâ non purâ exiſtente.* Quæ quidem explicatio propter tanti Viri Autoritatem nobis plurimùm arrideret, niſi fæcis in calicis fundo coacervatæ exemplum, quadantenus impar, mancumque animadverteremus. Quamvis enim fæcis in calicis fundo coacervatio, & calculi in veſica formatio utcunque convenire videantur; quòd utrobique fiat quædam particularum mixti liquidi, ab aliis ſecretio, ſeu coagulatio, procul tamen a ſeſe invicem eas non parùm diſtare, neminem negaturum arbitror, qui vel minimùm ad ſpeciem formamque utriuſque concreti attenderit. Nec dubio locum fore ſpero, ſi αὐτοψία diſcrimen quod intendo, unicuique palàm fecerit.

Opticè nimirùm dignoſcitur, fęcis in fundo calicis congeſtionem eam eſſe, quæ vel minimo ipſius vaſis motu, vel aquę in eodem vaſe coërcitę, factâ bacillo agitatione, omnino ſolvatur, atque aqua impuris iſtis quisquiliis modò purgata, ipſis iterum inquinetur, ſummeque ſaturetur. Quod ſanè à calculi concretione longè abeſſe, nullus refragabitur, qui matulam introſpicere non dedignatur: nam inibi non ſecùs ac in veſicâ calculum formari, cum Paracelſo Helmontioque, mens nobis eſt: quod poſtea ſolidis confirmabimus argumentis. Si ergo calculi materia ſive calculus ipſe parietibus & fundo ma-

tulæ adhęrens examinetur, magnam certè ejus eſſe duritiem, nec non arctam vaſis concavo adhęſionem, ſenſûs organis innoteſcet, adeò ut vel matulâ concuſsâ, vel lotio aliâ ratione commoto, prædictus calculus à matulę muris non ſecedat. Præterea ſilentio non poſſum prętermittere, calculi coagulationem abſolutè in fundo matulę, inſtar fęcis prędictæ nequaquam fieri: inſpicientibus enim patet, matulę fundi cruſtam, ab ejuſdem parietum loricâ non multùm differre, & æqualem ferè cum eâ craſſitudinem habere. Unde meritò concludimus, pace Hippocratis, fęcis in fundo vaſis aquâ pleni, cumulatę exemplum, calculi διαμόρφωσιν, minùs perfectè exponere.

At fortè aliquis integer Hipppocratis ſenſuum aſſertor, noſtram in improbando culpabit audaciam. atque ad paulopòſt ſequentia ejuſdem Authoris verba nos ablegabit. Πήγνυται τε ὑπὸ τοῦ φλέγματος ὠμοῦ ἐόντος, κόλλα γὰρ γίνεται τῇ ὑποστάθμῃ τὸ φλέγμα μεμιγμένον: *Induraturque à phlegmate crudo, gluten enim fit, phlegmate cum fæce mixto.* Sed hęc prędictam noſtram ſententiam nullatenus debilitant, quin nihil aliud probant quàm calculi concretionem à fæcis coactione, ut jam innuimus, maximè diſcrepare: κόλλα enim quam ex phlegmate & fęcis commiſtione ſtatuit Hippocrates, coagulationem calculoſam alio penitus modo ac fęculentam perfici, certò arguit. Nec etiam tale phlegma ſive materiam pituitoſam, ad calculi compactionem, & indurationem, maximè neceſſariam nobis fingimus: cùm in matula tale gluten utplurimùm non reperiatur, nec ideò ibidem deſinat conſtipari calculus. Sed donemus adeſſe in matulâ aliquam glutinis ſpeciem, an inde conſequi liceat, eam calculi formationis cauſam eſſe genuinam, nec-non eandem iſtam materiam eſſe meram pituitam? Quoad prius ſtare nequit; adſit enim tale gluten vel deſit, calculus in matula perinde naſcitur. Quoad poſterius, meritò in dubium revocemus, utrùm iſta materia, pura puta ſit pituita, an potiùs internum veſicę adverſus urinę acumina propugnaculum, ab ipsâ veſicâ intro exſudans, atque ex ea in matulam emictum. Et licèt talis mucago, calculi compoſitionem forſan ingrediatur, immeritò tamen ejus concretionis atque indurationis cauſam, ad phlegma, idque ὠμὸν, referamus.

Verùm reclamabit alius, calculum ſuam coagmentationem duritiemque, glutini prędicto non abſolutè quidem debere, ſed veſicę calore atque ſiccitate, inſtar laterum fictilium, condenſari atque lapideſcere. Sed quàm futilia & abſurda ſint illa veſicę calor & ſiccitas, aut frigus ipſum, ad calculi γένεσιν, nemo non videt. Nec etenim matula, ſive veſica, intenſis clibani ardoribus retorrentur, aut quid ex gravi, Borealis Poli frigore participant, quò calculus inſtar lateris coquatur, aut inſtar glaciei congeletur, atque ad debitam, quam ſolet exhibere ſoliditatem deducatur. Quis etenim neſcit, veſicam perpetuo ſeroſi laticis ſtillicidio irrorari, matulamque dum in ipſa calculus perficitur lotio madere. Nonne etiam notum eſt matulę calorem, ſi quis adſit, igni admoto, veſicę autem, calculo benignam ejus mucaginem abſtergenti, fibras aſperitatibus vellicanti, atque atterenti, acceptum referri debere. At hæc non magis in renum, quàm veſicæ, calculi generatione, prædictarum cauſarum ullam agnoſcimus. Utrumque enim ab eadem cauſa eſſe oriundum poſthac propalabimus.

Sed in tantis rerum anguſtiis, támque obſcuro opinionum penè infinitarum chao, veritatis partus maximè langueſcit: cui plures obſtetricandi avidi, renum vel veſicæ vim lapidificam altâ voce implorabunt. Aſt talis Lucinæ auxilium fruſtra invocetur. Quem etenim fugit ita philoſophantes, obſcurum per obſcurius explicare niti, & ad patens celeberrimùmque craſſioris ignorantiæ Sacellum citatis equis confugere. Apage apage inſulſas, cauſas ignotas, ſuperbamque qualitarum Quadrigam, quâ velociſſimè abrepti omnia naturæ ænigmata ſolvere, univerſaſque difficultates ſuperare, ac veluti calcare, nimis glorioſè contendunt. Hos itaque miſſos facimus, ut quid hâc de re ſentiat Fernelius curioſè expendamus.

Prædictus Autor. lib. VI. de part. morb. & ſympt. cap. XIII. aſſerit: *omnem calculum in veſicâ concluſum, rudimentum quoddam ex renibus traxiſſe, è quibus per nephriticum dolorem excidens, ſi grandiuſculus eſt, in veſica aliquandiu hæret, ac plerumque perſiſtit, illicque allatarum ſordium adhæſu coagmentatur, dum verus confirmatuſque lapis fiat.* Quæ Fernelii mens ſuâ non orbatur veroſimilitudine, eamque ob rem ab eâ non omninò diſſentimus: cum enim ipſe eodem libro notaverit, ſe neminem in veſica calculum habentem offendiſſe, qui nephriticis doloribus ante non fuiſſet divexatus; inde ſanè liquet pleroſque veſicæ lapides, calculo è renibus per ureteres in veſicam delapſo, principium ſuum debere. Quod ſuum judicium ſequentę paulopòſt obſervatione confirmare conatur Autor, aiens; *Quoſcunque exemptos veſicæ calculos obtrivi (autem experiundi gratiâ permultos) in eorum medio quaſi nucleum reperi; verum rudimentum è renibus deturbatum, diverſi quàm reliquum integumentum, ac involucrum, & coloris & ſubſtantiæ.* Luculentiſſima hæc Fernelii, animadverſio, ad ejus opinionem fulciendam non parùm confert, adeò ut ipſius veſtigiis incedentes calculos veſicę maximam partem, prima à renibus accepiſſe voluminis ſui ſtamina, non dubitemus affirmare: nec tamen ipſi penitus ſubſcribimus; veſicam enim non ſecus ac renes ſaxeo fœtu, quanquam rariùs, imprægnari, à ratione alienum, minimè cenſemus.

Enim verò quamvis â Fernelii parte contra Hippocratem ſtamus, fęcem ſubſidentem, ſanguinis grumos, pus, mucoſam pituitam aliaque id genus craſſiora, facilè ex veſicâ profluere cum urinâ, ac proinde calculum ex his non formari: ipſi tamen talium è veſica excretione poſitâ, calculi ibidem generationem, eamque primariam, tolli conſtanter negamus, neque etenim ex ejus ratiocinio, inductionem imperfectam referente, quid generale deduci poteſt. Nam unicuique, primo intuitu eluceſcit, prædicta omnia à Fernelio enumerata, ſiquidem valeant ſemper è veſicâ foras amandari, calculi formationi, neutiquam prodeſſe, ac proinde ex iſtis calculum progigni, negare, ipſi fas eſſe: ſed inde omnem calculi in veſicâ concretionem, primariamque, ut jam ſcriptum eſt, omnino explodi, inficias imus: nam peculiarem calculi materiam, & à fæce ſubſidente grumis ſanguineis, pure, mucoſâ pituitâ, maximè diverſam poſteà aſſignabimus.

Quæcunque hactenus Autorum placita ponderavimus quò obſcuram calculi cognitionem, è Democriti puteo nobis fortunatè contingeret eruere, parùm utilitatis, noſtræ tribuerunt indagini: aliorſum ergo proram convertamus; ut ad optatum veritatis portum, tutò valeamus appellere, Jamque mihi fauſtum iter polliceor, modò hâc in denſâ tenebrarum caligine, ad ignem protinus apparentem, portûſque optati mihi monſtrantem oſtia, rectâ contendam. Emporii *Spagyrici* ſiquidem portus hic eſt, benè eſt; nec etenim ſibi temerè perſuadeant, abſtruſam calculi indolem, aliter quàm induſtriâ Vulcani reſolutione, poſſe unquam reſerari. Hæcce inveſtiganti, ratio, omnium tutiſſima nobis eſt, ſed cùm curis, laboribus, nec non impenſis, ardua ſit, incerti de proſpero

cœpti

cœpti eventu, fortitan foribus hæreremus, niſi, bonis avibus res in promptu nobis occurreret. Vigili quippe & indefeſſo, *Praſtantiſſimi*, & *Expertiſſimi*, *DD. Caroli Drelincurtii*, *Apollinis mei*, *æternùm ſuſpiciendi*, *reverendique*, ſcrutinio, perfectam calculi nanciſcor analyſim. Hic enim in *Epiſtola* ſua Gallicè exarata, cui nomen eſt, *La Legende du Gaſcon* &c. calculum in ſingula principia ſubtiliſſimè diremptum, famoſo offert Viro. Quantâ autem maximâ poſſum fidelitate verba quę pagina 55. habentur hîc Latinè referam. *Sed quod tuâ longè dignius eſt experientiâ*, *& quod evidentiſſimum argumentorum augmentum mihi eſt*; *ſcilicet corporis humani calculi per ignem mihi ſuppeditant*, *longè potiori ratione quàm per aquam*, *tertiam ſalis volatilis*, *& ſpiritus urinoſi penetrantiſſimi*, *& circiter quadrageſimam partem olei fœtidi aut ſulphuris*, *adeo ut inde mihi ſuperſint ferè duæ tertiæ partium terrenarum*, *quæ trigeſimam partem continent ſalis adeò fixi*, *ut ignem violentiſſimum ſuſtineat.* Quibus verbis cernere eſt hanc calculi reſolutionem igne fuiſſe peractam, poſt aliam beneficio aquæ expeditam; quæ in ſuperiori paginâ eſt reperiunda: eâ tamen quæ igne fuit abſoluta frequentiùs uſuri, quandoquidem ut placet clariſſimo Autori: *per ignem mihi ſuppeditat longè potiori ratione*, *quàm per aquam.* Tam certâ tamque egregiâ calculi potitus anatomê, hic pedem figere ſegniter, inſtituti conditio prohibet. Pergo igitur inſitas unicuique principio δυνάμεις ſedulò inveſtigaturus.

Scenam recludit *ſpiritus urinoſus*, iſque penetrantiſſimus potentiſſimum, mehercule, naturæ coagulum ac forſan pari non gaudens. Talem enim præ ſe fert ἐνέργειαν, ut ſpiritum vini, ſeu aquam vitæ dephlegmatam in offam coagulet. Teſtem appello *Helmontium de Lithiaſi* cap. 3. §. 5. Rara hæc mirabiliſque ſimul ſpiritus urinoſi virium experientia, obſcipientes calculi συμπῆξιν, nebulas non parùm diluit & diſſipat. Validiſſimum quippe aſſequimur ἐλατῆρα, quo præceps à peripheriâ in centrum motus peragitur. Hic per tranſennam hominum ſortem dolere mihi incumbit, quod ipſis ferè ſolis inter animalia, talem ſpiritum gignere contigerit. Helmontii etenim operâ diſtillata eſt urina equina, verùm diſſimilis prorſus inde emanavit ſpiritus, quod apud ipſum legere eſt, *Tract. de Lith. cap.* 3. §. 9. Hujus phænomeni, humano generi, proh dolor! nimium familiaris, rationem hanc eſſe arbitror. Homo ſcilicet gulę ſatiandæ avidior, viſcera condit in viſceribus, ſæpéque intempeſtivâ eduliorum, ſpiritibus tam ſulphureis, quàm ſalinis, præſertímque terreſtribus abundantium, farragine ventriculum ingurgitat, quæ ipſius fermento fortè non imbelli edomita atque elaborata per ductus meſentericos in lebetem cardiacum promoventur, ubi ulteriore donata coctione, majoréque exaltatione, numeroſos ſpiritus, à ſeſe invicem, volumine, figurâ, motùque ſæpiſſimè non parùm diverſos acquirunt. Quemadmodum autem plurium Regnorum Imperia, dominationis ſuæ imminutionem pertimeſcere non ſolent, cum libratis ſingulorum viribus, ex nullâ parte in aliam, cum ſucceſſu, fieri poteſt invaſio: pariter ſi ſpiritus varii maſſam ſanguineam exagitantes, eamque uno tenore compellentes, temperatâ quadam proportione, æquiſque legibus, motus ſuos exerant, nihil ſanè, tunc, humano corpori, damni impendere poteſt. Sin autem res aliter ſe habeat, adeò ut v. g. *Spiritus urinoſus* aliis dominetur, ipſe, procul dubio, in ſubtiliſſimas adjacentes particulas perpetim incurrens, eas non ſolùm variâ impellet ratione, ſed etiam cum ipſis in mutuos ruens amplexus, ſiquidem idoneâ, ad coëundum figurâ prędítę fuerint, pro ſuperficierum magis vel minùs, immediato contactu, magis vel minus ſolidum lapidem, ſeu calculum exhibebit. Felicior hac in parte Equus ſuo Domino, ut & multæ alię brutę animantes. Nam herbaceis parúmque ſpirituoſis veſcentes pabulis, ſuccum particulis activis minimè, vel ſaltem parùm turgentem obtinent: adeóque fermento generoſiori, ſeu agente efficaciori, quale eſt *ſpiritus urinæ*, deſtituti, calculoſis concretionibus vacare, vel ſaltem raro infeſtari, debent. Quod rationi, nec non experientię conſonum reperimus.

Canere palinodiam, moleſtum eſt: valeant ergo quæ ſcripſimus, ſitque *ſpiritus urinæ* ſummus coagulator, ſeu genuina calculi *efficiens* cauſa audiat. Nunc in ſubjectam ipſius *materiam* diligenter inquiramus. At certè ipſa, φλέγμα ὠμὸν nequaquam erit. In matula enim materiam, ſeu calculum ipſum concavo adnatum vidimus, ſed antea nullum urinæ phlegma aderat; neque etiam terra, ſicuti videtur in concreto calculo: quin potiùs urina recens emicta, ubique & æqualiter citrino erat colore perfuſa. Præterea notante Helmontio tractatu de *lith. cap.* 3. §.36. concretio calculoſa in vitreo recipiente è ſpiritibus, liquoribus nempe ſtillatis & claris, facta eſt: unde infero calculoſam cruſtam in matula contentam, pariter è ſpiritibus in urinâ meâ deliteſcentibus fuiſſe confectam. Nec nobis obtrudant urinam noſtram non fuiſſe deſtillatam; certiſſimum enim eſt, Helmontii urinam ab ipſo deſtillatam aliud duelech non produxiſſe, quem quod non deſtillata fuiſſet editura.

Satis commodè ſatiſque evidenter *ſpiritus urinoſi* notitiam videmur adepti, nec aliorùm cognitionem majus nobis negocium faceſſituram confidimus, ſi methodo jam inceptâ progrediamur: Ideò *quadrageſimam partem olei fœtidi aut ſulphuris* conſiderare ſubeſt. Non ſolùm autem ad prædicti olei *qualitatem* ſed & *quantitatem*, fortiter attendere, non parvi momenti eſt. Primò quoad ejus *qualitatem*, aliorum oleorum naturam ſapit: quatenus ex particulis longiuſculis, ramoſis, ſibi invicem intricatis, ac proinde ductilibus conſtat. Fœtidum etiam eſt, quatenus nimirum in deſtillatione, & præcipuè in ſanguineâ fermentatione, ac dein, vel in naturali, vel in artificiali matulâ maximam paſſum eſt ſui diſſolutionem, unde corpuſcula ab ipſo jugiter emanantia, nimioque fermentationis attritu figuras valdè irregulares nacta, cùm ad nervos olfactorios alliduntur, irregularem etiam, ſeu ingratum ſenſum in nobis debent excitare. Secundò quod ad *quantitatem* attinet, valdè exilis eſt: *quadrageſimam* enim tantùm exhibet. Unde jure conſequimur, parùm olei ſeu *ſpiritûs urinoſi* ad concretionem duelech concurrere. Præterea hoc ſulphure eruto, *materiam* habemus in quam ſpiritus urinoſus, dum in urinâ adhuc reſideret ſuam potuerit ἀπόῤῥοιαν exercere; eâdem ferè ratione quâ in Helmontii experimento citato.

Supereſt tandem, ut *duas tertias* partium *terrenarum*, ut par eſt, contemplemur: eæ ſiquidem etſi craſſiores & graviores ſentiantur, quàm quæ ullo poſſent motu cieri, ſicque vix eò inducamur, ut eas naturam ſpirituum potuiſſe unquam aſciſcere, credamus, ex præcognitis tamen liquidò apparet, iſtam quam rudem & penè informem cernimus molem, motui tamen non planè fuiſſe ineptam atque aliàs, ante ſcilicet ipſius coagulationem, volatiliſationis legibus paruiſſe. Raſuræ etenim matulæ quæ duelech in pulverem reductum repręſentant, ante ipſarum otium & captivitatem, per campum lotii liberè expatiabantur,

atque in omnem loci differentiam abreptæ, ſpirituum indolem neceſſariò æmulabantur, eòque magis,quòd nullâ peculiarem nobis præberent ſui viſionem.

Integrum non eſſet *partium terrenarum* examen, niſi quædam in *ſalem* intra earum viſcera concluſum quædam mitteremus. Nam etſi *terrenas* calculi partes, *ſpirituoſas* olim extitiſſe, in propatulo ſit, dubio tamen aliquo poſſet quis nos laceſſere; eo præſertim fretus, quòd perpetuò Laudandus Clariſſimus *D. Drelincurtius*, deſignet illum ſalem adeo fixum, ut ignem violentiſſimum ſuſtineret. Sed objectionis hujus facilis eſt enodatio, ſi maturè conſideraverimus, iſtius ſalis, dum ignis viribus ſubjiceretur, eam fuiſſe conſtitutionem, ut ipſius minutiſſimæ particulæ arctiſſimam inter ſe iniiſſent unionem, convenientique prætere a caruiſſe juvamine, ſeu vehiculo, quò veluti mechanicè potuiſſent attolli. In matulâ, vel in veſicâ non item, ſingula etenim corpuſcula ſalina, tum ſeroſo latice, tum aliis particulis ibidem occurrentibus à ſeſe invicem diſtincta, & diviſa, communi liquoris motu, ultro citroque provehebantur. Ad hanc ſententiam ulteriùs corroborandam multa poſſemus afferre, rationi & experientiæ cognata, ſed cùm præſcriptæ nobis anguſtiæ ſeu limites id non patiantur, iter maturabimus.

Cùm res ita ſe habeant, cauſas calculoſæ concretionis, tam *efficientem*, quàm *materialem*, nos jam fuiſſe conſequutos arbitramur. Penſitandum nunc eſt quonam pacto ab iſtis duelech in matula oriatur. Quod ſanè non fuerit nobis cognitu difficile, ſi *ſpiritûs urinoſi*, ſpiritum vitæ, coagulantis, virium meminerimus: is etenim *penetrantiſſimus*, id eſt particulis valde activis donatus, ſtipatuſque, vinoſas, ſeu ſulphureas impetens, eaſque ad mutuum cogens acceſſum,intermedias,tum terreſtres, tum ſalinas, in ſummas redigit anguſtias, adeò ut velut irretitę,motúmque ſuum idcirco ampliùs edere neſciæ, immediatũ ferè cum vicinis acquirant ſuperficierum contactum, ac proinde cum ipſis firmiſſimâ fruantur connexione. Hoc prorſus modo in matula æquè ac in veſica; calculum fieri, perſuaſum habemus. Cùm nimirum ægri urina in veſica, vel ſani in matula, talem ſui textûs aſſequuta eſt diſſolutionem, ſeu corruptionem, ut *ſpiritus urinæ, penetrantiſſimi* titulum adeptus talem valeat effectum producere. Si quis autem cum *Paracelſo*, *Crollio*, aliiſque cauſam calculi *materialem*, *tartari* nomine velit intelligere, de verbo non litigabimus.

Calculi *naturâ* abundè ſatis explanatâ, pręcipuas ipſius differentias enumerare, ordo poſtulat. Primò, alius eſt magnus, alius parvus. Secundò alius mollis, alius durus. Tertiò alius gravis, alius levis. Quartò, alius lævis, alius aſper. Quintò alius albus, alius ſubfuſcus &c. Sextò alius in centro nucleum haber, alius caret. Septimò denique alius adhęrens, alius vagus: quorum diſcriminum cauſas, has eſſe opinor. Primò, quò diutiùs vel breviùs in veſicâ calculus hoſpitatus eſt,eò majorem vel minorem materiæ appoſitionem paſſus eſt, ideóque grandior vel exilior eſt. Secundò quò abundantior internæ veſicæ mucaginis copia in calculi compoſitionem contrahitur, eò mollius; quò autem parcior, eò durius duelec compingitur. Tertiò alius gravis, alius levis; Quod quidem ſecundùm ampliorem tantùm & minorem molem non eſt intelligendum, ſed etiam reſpectu ejuſdem calculi voluminis: uti perbellè *Mecœnas* meus, in Epiſtola ſuâ à nobis citatâ, *ſcil. pag.* 32. animadvertit. Quartò alius lævis,alius aſper; prout nimirũ æqualis vel inęqualis facta eſt materię acceſſio, indéque ſequitur: Quinta differentia, quæ colorem ſpectat: nam à variâ corpuſculorum ordinatione variæ parantur ſuperficies, quæ ſolares, vel candelares radios diverſimodè reflectentes modificantéſque, diverſos neceſſariò, τῷ ὁρῶντι αἰσθητηρίῳ ſuggerant colorum ſenſus: de quibus in *phyſica*. Sextò ſi nucleus, ut ſæpiſſimè accidi è renibus per ureteres in veſicam devolvatur, ibique ulterius accipiat molis ſuæ incrementum, haud laborioſum cogitatu eſt, in calculi inde orti centro, nucleum debere occurrere: non ſolùm enim nucleus ille ſuperſtratis corticibus longè durior & æternùm colendus *Mecœnas*, prædictæ Epiſtolæ, *pag.* 34. Sed inſuper tam congrua, tamque homogenea, particularum, uno verbo *tartarearum*, fieri non potuit adjectio, quin earum ſtratificationum ordines, à genuinis nuclei corpuſculorum ſeriebus maximè differrent. Iſta omnia contra *Fernelii* ſententiam à nobis ſuperiùs oppugnatam nihil facerent, niſi ex doctiſſimi *Salmaſii* ad eruditiſſimum *Breverovicium* reſponſione *pag.* 141. ſciremus calculos dari nucleo carentes; qui proinde in ipſa veſicâ primariam, ut antè à nobis ſcriptum eſt, ſortiti fuerint generationem. Septimò tandem alius veſicæ adhęrens, alius vagus: hujus ratio nulli non perſpicua: illius verò hanc eſſe reor. Quemadmodum matulæ, ſeu figulinæ, ſeu ſtannee, interior ſuperficies tam continua ubique, & polita non eſt, quin innumeris ſcateat poris & aſperitatibus, quibus proximè adjacens calculi materia concreſcendo impingatur, atque affigatur, ſimiliter in veſica eòque potiori jure, cùm ea ſit membranacea, accidere putamus. His ſubnectimus expertiſſimi Barthol. obſervationem *pag.* 200. anatomiæ recens editæ; *ubi* (inquit de intimâ veſicæ membranâ *rugæ quàmplurimæ in calculoſis, & veluti cuniculi exſculpti cernuntur, calculos ſervantes ex dilatationis deſuetudine contracti.* Unde haurio calculos non ſolùm prædicto modo, interiori veſicę membranæ, ſummâ adhæſione adnaſci, ſed etiam intra ejuſdem membranæ rugas intimè coarcervari; atq; ibidem cavos cuniculos agere. (*a*)

Præci-

(*a*) *Hæc omnia quàm maximè illuſtrabuntur per ea quæ nobis olim amiciſſimè communicavit Vir omni ſanè laude major, ipſe ſcilicet* Carolus Drelincurtius: *cujus hæc ipſa ſunt verba.*

Calculos inſtar corallii ramoſos, & expaſſos ab ambitû pedis anſerini in pelvim, ubi coëunt molem in unam, aliàs compactam & unicam; aliàs verò multiplicem atque divulſam, nec-non articulis veluti diſtinctam, & *ginglymi ritu*, ad lumbos inflexos & erectos, mobilem: aliquando eduxi & inter muſei mei cimelia anatomica curioſis oculis objicio. Et iſti porrò calculi *caput ureteris* obturant quidem & expandunt, ſed quia rarò ſphærici ſunt, urinam vulgò è pelvi in veſicam influere ſinunt.

Calculos præterea in *extremô uretere* ita conſtrictos vidi, ut in veſicam devolvi nequeant, ſed inibi hęrentes, dum urinæ tenuiſſimum per rimulas tranſmittunt, craſſamen retinent, cujus acceſſu mole fiunt auctiores, & *ureteris* inſimul atque *veſicæ tunicas* ita diſtendunt, ut alterius ideâ veſicæ rudiores deludant, quaſi reapſe foret *veſica duplex*; & in illum craſſum atque ſupinum errorem Medicos Caſauboni incidiſſe putem, dum viri tanti *veſicam urinar*: nobis geminam obtrudunt. Hîc porrò, ubi ad extrema deventum eſt, & calculi in *infimo uretere* taliter impacti atque cuneati viam urinæ præcludunt omninò, tunc illa in uretere ſtagnat, & illum enormiter expandit, unà cum pelvi ſuâ. Inde eſt ut in cadaveribus aliquot diſtentam urinâ pelvim, illàque olidiſſimâ detexerim. Imò totum ureterem eadem illa turgidulum & expaſſum. Sed à *calculis* divelli nequeo citra hiſt. *unam* & *alteram*. Ia. eſt de molli unô & farinaceô, qui ſolius in veſicam catheteris impulsû ita comminutus eſt & attritus, ut per fruſtilla minutiora totus fuerit abreptus urinæ fluento: atque ſic qui cyſtotomus erat in procinctû ad carnificinam, ab eâ fuerit longè ſemotus. At è diverſo calculos conſervo ſiliceos omninò, quíque de marmore reſiliunt, uti *Braſſavol*: narrat Comm: in Aph. 79. Sect. IV. Altera hiſt: *puerilis* quidem eſt, ſed *Pœoniô* ſtylô notanda. *Puer* calculi doloribus excarnificatus, & ambulationi impar, lectô detinetur, ubi poſt aliquot dies furunculos in perinæô ſubortus eſt, cujus pus per medios acceleratores tam profundè ſerpſit, ut veſicam arroſerit, quæ validiùs contracta non *urinam* modò, ſed & *calculum* per ulcus emiſit, atque ita prædam quidem eripuit cyſtotomo, ſed fiſtulam ingeneravit, quæ perennat, & quâ jugiter & unicè effluit urina, abolito prorſus uſû ductus nativi.

Cortoni-

Præcipuis calculi *Differentiis* perluſtratis, antequam ad ipſius *Symptomatum Signorumque* explorationem nos accingamus. operæ pretium videtur, diſquirere quinam illi ſint in quos gravis hic affectus imperium ſuum exercere ſoleat. Primum obtinent locum, qui à patre vel à matre, vel ab utroque calculoſum acceperunt characterem: nam ut ait *Fernelius lib.* I. *de morborum cauſis,cap.* XI. *nephritici, arthritici, & epileptici, filios vitioſa conſtitutione gignunt, quâ tandem in morbos ſimiles, hæreditarios idcirco nuncupatos, incurrant, ut parentibus liberi ſuccedant, non minùs morborum quàm poſſeſſionum hæredes,*

Quare mirum non videatur ſi tot infantes, tótque adulti miſeræ vitæ ſtadium ſæpe imperfectè emetientes, tam horrendis cruciatibus diſtorqueantur. Apud ipſos enim morboſum patrimonium tam validas, tamque altas egit radices, ut nulla mortalium vis id unquam valeat penitus extorquere, funditusſque revellere. *Gaudeant* ergo *benè nati.* Prioribus ſuccedunt ii qui à parentibus alioquin ſanis oriundi, propter tamen magnam à cauſis externis in ipſos introductam alterationem, eodem ac prçcedentes, affliguntur malo. Novit enim quilibet, quòd *cauſæ neceſſariæ* quas declinare non poſſumus, ut ſunt *aër* quem reſpiramus, *cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia,* quæ *excernuntur* aut *ſubſiſtunt, animi deniquè perturbationes,* totam animalis Oeconomiam gubernent, ideòque eorum vitio, vel ipſius animalis abuſu, multa emergant monſtra. humanæ valetudini infenſiſſima. Hîc inter marem & fœminam, diſcrimen aliquod interſerendum venit. Quamvis enim acceptas à parentibus morboſas affectiones, æquali jure, portionèque partiantur, attamen propter diverſam partium, veſicæ imprimis, varietatem, ille hâc, in calculum propenſior evadit. Utriuſque nimirum anatome docet maris urethram longam, curvam, & anguſtam, fœminæ verò ductum, brevem, rectum, amplùmque exiſtere, adeòque difficulter ex illius, verùm ex hujus, veſicâ, facilè ſatis calculum nondum ſeniorem poſſe eliminari. Non omittendum adultiores, renum, infantes verò & ſenes veſicæ calculo magis eſſe obnoxios. Illis ſcilicet arteriæ & venæ ſanguine adeò fermentato turgeſcunt, ut cùm ſerum in renibus à maſſa ſanguinea ſegregatur *ſpiritus urinoſus*, quo tinctum eſt, tali jam polleat virtute, ut particulas ſulphureas & ſalino-terrenas in renum anfractibus ſtatim coagulet, quo peracto latex aquoſus per ureteres in veſicam ſtillans in ipſa ſterilis omnino reſidet, utpote ſaxeo ſemine in renibus orbatus. In infantibus ſenioribuſq; contrà res habet. In illis enim adhuc tenellis & imbecillibus, ſanguinis principia, tanto fermentationis orgaſmo non percelluntur, nec his ſenio pene confectis ſpirituum δυνάμις adeò vegetæ, ut *coagulator urinoſus*, tartareas particulas, in renibus dum eos cum ſero pertranſit, queat in unum cogere. Exinde ſalvis ſępè renibus in veſicam cum ſeroſo latice depluit, ubi majori robore, atque imperio in particulas ſulphureas & ſalino terrenas, comparatis earum vibrationes infringit, & quaſi arctis compedibus revinctas impedit quò minus veſicæ carcerem effugiant. Haud dubiè tamen multi ſunt ſenium à limine ſalutantes, qui calculos in veſica, ex renibus contraxerint, eodem pacto, quo cum *Fernelio*, ſupra narravimus.

Symptomata, quæ calculum vulgò comitantur, & ex quibus affectûs διάγνωσιν haurit Medicus, quinque enumerat *Hippocrates*, *lib.* 4. *de morbis.* Σημήια ἢ ὁ νοῦσος ἔχει πέντε, ἐπήντε οὐρῆσαι θέλῃ, πονέεται. καὶ τὸ οὖρον κατ᾽ ὀλίγον ῥέει, ὥσπερ στραγγουριῶσι. καὶ ἔστιν ὕφαιμον οἷα τῆς κύστιος ἡλκωμένης, ὑπὸ τοῦ λίθου καὶ ἡ κύστις φλεγμαίνει. ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἀφανές, σημήιον ἢ ἀκροποσθίη. *Signa autem morbus quinque habet: nam ubi mejere vult, dolore affligitur, & urina paulatim fluit, velut in urinæ ſtillicidio: & eſt ſubcruenta nimirum veſicâ à lapide exulceratâ: & veſica inflammata eſt: verùm hoc ſignum inconſpicuum eſt: indicat tamen ſumma glandis pars.* Horum ſymptomatum ſignorumque cauſas has eſſe ducimus. Primò quidem ἐπήντε οὐρῆσαι θέλῃ, πονέεται. Quia cùm muſculi abdominis, nec non diaphragma, veſicam in urinę excretione comprimant, valdè veroſimile eſt eorum & membranæ muſculoſæ veſicæ actione, lapidem è ſuo loco dimoveri, atq; aſperitatibus ejus interioris membranę fibras corradi: unde non parùm ſenſilis debet exoriri dolor. Verùm quandoquidem totus omnium prædictorum muſculorum impulſus, urinam ad meatum urinarium impellit, maximè probabile eſt: calculum eâdem vi, eodèm loci pelli, præſentiáque ſuâ quâ egreſſum urinę ferè præcludit, eam ſinere κατ᾽ ὀλίγον ῥέειν ὥσπερ στραγγουριῶσι id eſt veluti in urinę ſtillicidio dolorifico: quod eſt tertium ſymptoma. Quartò καὶ ἔστιν ὕφαιμον, & eſt urina ſubcruenta. Cujus ſymptomatis rationem reddit ipſe Hippocrates: οἷα τῆς κύστιος ἡλκωμένης, ὑπὸ τοῦ λίθου *nimirum veſica à lapide exulcerata.* Quintò tandem, καὶ ἡ κύστις φλεγμαίνει, *& veſica inflammata eſt.* Quo de ſymptomate nutare videtur Autor, id enim vocat ἀφανές. Exinde conjectare licet, illud ſymptoma non eſſe perpetuum nec παθογνωμονικὸν, ſed tantùm in iis locum habere quibus veſica calculo impensè lęſa fuerit; adeò ut etiam ἀκροποσθία, id eſt, *ſummæ glandis ardor* illud ſignificare debeat, ſeu potiùs ordinariò manifeſtet. His accedit ſubſequens Hippocratis

Coronidis vice *fœmineos* calculos ſubnectam per urethram [*virili breviorem, latiorem* atque *rectiorem*] longè optatiùs excerni quàm in nobis, atque ita raras eſſe fœminas quibus calculus extrahatur. Imò quaſdam vidi *veſicæ* doloribus, *ceu labore partûs*, excruciatas, ſed quæ poſt tormenta enormia *petræos fœtus* excluſerint, in renibus embryonatos, & intra urinæ ciſternam ſenſim auctos in molem uſque ovi columbini. Et id ipſum profectò, imò quid majus ab *Hipp*: viſum eſt, viro ubique Praxeos ſummè peritæ.

Calculorum Chymicam analyſin habes in Epimetris Theſium de *Lienoſis*. Sed iſthæc Chymicâ calculorum veſicæ analyſis, paucum exhibet oleum, quô bilarii calculi ſcatent tantò ut aquæ innatent, & toti bilarii & calculi ſcatent tantò ut aquæ innatent, & *toti* ardeant, picis inſtar. Deridendos ergo ſeſe propinant, qui profitentur bilarios calculos in veſicula bilis & ejus ductibus concreſcere ob prædominium *tartari* ſive *calcis*, & defectum *olei*, ſive *ſulphuris*. Et id ipſum nequidem verè proferrent de concretionibus in arthritide nodoſâ, nam è virili pede, *menſis unius decurſû* gypſum vidi, ſing. dieb. matut. eductum, quod glutine multô è tendinibus extenſorum nudatis, & lymphæ ductibus inciſis, viſcatum erat; ſed quod exiccatum, ac cerei flammulæ admotum leviter tantùm arſit. Sulphuris itaque conſors, fellei calculi ſorte. Id autem tartari ſingulis diebus à me collectum, ſupra chartam emporeticam extendebatur, exiccationis gratiâ; & ex illo, [*ad unciam circiter unam probè ſiccato*] fruſta majora aquæ impoſui, ac etiam demerſi; ſed ſuberis inſtar ſemper reſiluerunt & innatarunt. Illorum igitur comparatio cum calce vel gypſo, candoris quidem ratione valet, ſed ponderis ergò claudicat. At calculi urinariæ veſicæ plani quidem innatant, ſed depreſſi reſiliunt nunquam flammæ autem admoti non ardent, etſi ſulphuris non exortes, ſed ob ejus parcitatem non igneſcunt.

Iſthæc rara quidem ſed rariora 2. proferam, 1. de calculo ℥xv. quem inter κειμήλια ſedulus conſervo. Is intra viri pancreas ſenſim increverat cum gravitate ad lumbos, maximè poſt paſtum & inter ambulandum. Vomitus denique cievit enormes & lethiferam athrophiam intulit, omni prępedito tam conficiendo quàm diſtribuendo chylo, Mediæ eſt conſiſtentiæ atque ſoliditatis inter veſicales, quos farinaceos ſiliceóſque deſignavi. Fundum aquę petit, nec ardet, metalli more.

Alterum eſt de Virgine ann. circiter 20. quæ dira cephalæa ſemeſtri diſcruciata, occœcata eſt tandem, ac reliquis deinceps ſenſibus orbata & mediis in planctibus extincta.

Tota ipſi pinealis gland: ſaxea fuit, unius ovi gallin. amplitudine, & mole tanta nervor. opticor. thalamos, nec-non reliquos tandem nervos lethificè compreſſit.

cretis textus ex quo aphoriſmus 79. *ſect.* 4. Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ; *quibus in urinâ ſubſident ſabuloſa, iis veſica calculo laborat.* At hic aphoriſmus tam renum quàm veſicæ calculo competere mihi videtur. Renibus quippe calculo laborantibus, ſabuloſa etiam excernuntur. Veſicam tamen vel renes ſpeciatim poteſt reſpicere, modò cum aliis ſignis magis particularibus conjungatur, ſeu coincidat. Hæc & alia ſigna ut: crurum inter-cruciationes, manuum pudendis admotio, priapiſmus, teneſmus, &c. tam ab *Hippocrate* quam Fernelio, Sennerto, aliiſque notæ Autoribus probata, cum fructu poſſunt uſurpari ſi calculus vagus fuerit: at ſi laterali veſicæ parti, vel etiam ejus fundo adhæſerit, vix ullum ex prædictis ſignis de illo nuntiū referet. Hac in re nobis favet *Fernelius de part. morb. & ſympt. lib.* VI. *cap.* 13. Huc accedit memorabilis hiſtoria ab *Helmōtio* deſcripta *tractatu de lithiaſi*, cap. 3. §. 40. de quodā Prædicatore prope Barclaiam in Anglia, qui anno 1629 ſanus atque ſoſpes contendens à prandio, librum è ſublimi ad ſe trahere, in imo ventre, magno perculſus pondere atq; dolore, certis inde à quatriduo ſignis, ſcivit ſe calculo gravatū. Ex hujus narrationis conditione & circumſtantiis, judicare poſſumus Prædicatorem, nullā anteà ab iſto calculo tuliſſe moleſtiam, nec ullam fortè utcunq; manifeſtam, de illo ſuſpicionis cauſam habuiſſe. Omnia hoc in caſu Medicorum dubia ſolvit catheter: ipſo etenim leniter & induſtriè in veſicam immiſſo omnes explorantur amfractus, omniaq; latibula, in quibus alioquin, calculus omnem Medicorum ſolertiam & ſagacitatem eluderet.

Jam hujus ægritudinis curationem ſuſpiciendi, hora eſt. Sed *hoc opus, hic labor eſt.* Nam etſi concepta, cauſarum externarum immoderatione, atq; intemperie, in calculum inclinatio, earumdem moderatione, & temperie, ſæpe avertatur & emendetur, hæreditariam tamē, nullâ poſſe fugari ratione, ratum habeo. Rara etiam, at fortaſſe ignota ſunt medicamenta, quę ore aſſumpta activitatis ſphæram, tam longè lateq; ferant, ut ad calculum in regione veſicæ ſitum, cū extendatur. Tentandum tamen eſt quod ratio experientiæ maritata nobis eſt dictatura.

Verâ & rectâ hujus hoſtis debellandi, methodo inſiſtemus, ſi primò graſſari incipientis progreſſus inhibeamus, eumq; ſi fieri queat, capite truncemus. Secundò, ſi eum jam veſicæ muris loricatum atq; munitum, foras ejiciamus, integrâ, imprimis, remanente arce. Primam *indicationem* abſolvere poterimus, tali vivendi ratione, quę maſſæ ſanguineæ ſuccos, ad priſtinā συμμετρίαν revocet; adeò ut *ſpiritus urinoſus* omni ſuâ ferocia depoſitâ, cum partibus tartareis, tragicam ſuam perſonam ampliùs non poſſit agere. Primò ſi *aër* ſit intemperatus, atque vaporibus ſeu effluviis è cryptis ſaxeis avolantibus, infamis, protinus deſeratur. Hæc etenim non ſolùm fermenta ſeu ſemina, calculo excitando idonea largiuntur, ſed & homines, beſtias, carpenta, reliquamque ſupellectilem, in rupes aliquando valent convertere: uti legitur in *Helmontio de lith. cap.* 1. §. 18. multiſque in aliis autoribus. Secundò, ſumma cautio in *eſculentis & potulentis* capienda. Quippe ut ea, nimiâ quantitate ingeſta, grave ventriculi fermento, detrimentum inurunt, & vitalem auram maximè peſſumdant, ſæpèque ſuffocant, ſic nocivâ qualitate, pluribus heteroclitis affectibus, ac præcipuè huic, anſam præbent. Abſit, tetra ingluvies, *quæ plures quàm gladius perimit.* Procul panis malè fermentatus nec benè coctus. Legumina ferè omnia, rubris ciceribus exceptis, caſeus, lacticinia omnia, piſces grandiores, haleces paſſæ, ſeu infumatæ, oſtreæ & conchylia, & tandem omnia quæ copiam ſeminis petrificantis, ſecum gerunt. Horum vices ſubeant caro vervecina, vitulina; capones, perdices, turdi, coturnices, vitelli ovorum &c. amygdalæ amaræ, piſtacia, pineæ, nuclei perſicorum, ceraſ. ficus, rubra cicera. Inter herbas malva, atriplex, petroſelinum, aſparagus, & inprimis chærefolium *Sennerto* ſingulare calculi remedium. Vitetur cereviſia nondum benè fermentata, in eamque dum coquitur ſemen dauci injiciatur. Fugiatur etiam vinum non defęcatum. Nam ea, morbi cauſam ſecum portant. Ex inſalubrium numero eſt aqua ſtagnans, in fundo conceptaculi, ſilicibus, ſeu arenis orba; talis enim impura eſt, & terrenis gravida. Verùm ea optima cenſetur, quæ perenni ſcaturigine, jugique fluento è terræ viſceribus per ſummum ejus corticem derivatur, inumeriſque calculis & arenulis fundum ſtratum habet. Motu nimirum, à corruptione vindicatur, & à ſpermate lapideſcente purgatur, dum ipſum in arenas faceſcens ſubſidet. Vinum Rhenanum, album, liquor pomaceus, pyraceus, propter vim diureticam, valdè juvant. Si qua autem purgatione utendum, ad ſuccum ſanguineum reformandum, inter alias hæc eſto, à celebri Riverio probata. ℞. Caſſiæ recenter extractę cum ol. amygd. dulcium ℥j. Diaphœnici ʒiij. rhabarb. pulv. ʒj. cum pulvere liquiritiæ, fiat bolus. Ad hujus affectûs προφύλαξιν mirè faciunt aquæ minerales acidulæ, & vitriolatæ; ut etenim eę varia corporum concreta valent diſſolvere, ita calculoſam diſpoſitionem potenter enervant. Plura utiliſſima apud *Paracelſum*, *Helmontium*, *Sennertum*, *Riverium*, alioſque famæ Medicos, quorum ampliora volumina hic inſerere non decrevi. Tertiò excernendorum *excretioni*, & non excernendorum *retentioni*, proſpiciatur. Quartò motu nimio pretioſum hominis *balſamum* non profundatur, nec pigriori quiete torpeat, aut gravetur. Quintò de *ſomno* & *vigilia*, idem dicimus. Sextò *animi perturbationibus* conſulendum, eæ etenim, idem ac motus intenſior, & quies deſidior, præſtant. Omnia igitur medio modo procedant. His & aliis, quæ opuſculi brevitas recenſeri renuit, ingruenti huic affectui ſuccurritur.

Ad alteram *indicationem* adimplendam non ita pollet Medicus. Vix etenim pharmaca cum ſuâ operandi facultate, ad veſicam pertingunt. Tentanda tamen quæ calculum minuere feruntur. Radices apii, petroſelini, bruſci, graminis, aſparagi. Folia pariet. Semina aniſi, fœniculi, dauci, carvi, ameos, carthami, rutæ, ſal prunellæ, cryſtal. tartar. Primas obtinet ſanguis hirci, vel integer, vel deſtillatus per B. M. Studendum autem cum Riverio, ut hircus nutriatur per menſem, ſaxifragâ, pimpinellâ, baccis juniperi, petroſelino, aliiſque diureticis, ſine potu. Vinum alkekengi ab Arnoldo Villanov. maximè commendatur: quod fit fructus alkekengi contundendo, cum vino albo & colaturam exhibendo. *Horatius Augenius* hiſtoriam refert cujuſdam typographi filii, calculo liberati per pharmacum à Jeſuita ipſi oblatum, quod tale eſt. ℞. pulv. millep. ʒj. ad ſummum ℈iiij. aquę vitæ ℥ß. juris ciceris rubrorum ℥ix. vel x. capiat horis ante prandium quinque. Spirit. ſalis hiſpalenſis extollit *Helmont. de lith. cap.* 8. §. 28. aitque ipſo calculum imminui. His omnibus ore hauſtis palmam præripere medicamenta, quæ ſuadente *Paracelſo*, aliiſque in veſicam ſyringâ transfunduntur; at ægrorum experientia id alienat. Nam mitiora medicamenta, in ipſam veſicam injecta, dolores magnos cient. Si igitur *diætæ* appoſitæ, & remediis deglutitis, affectus rebellis non cedat, ſacra anchora, κυστοτομία, amplectenda. Veſicæ inflationem, flabello peractam, apud Ægyptios olim exercitam, abhorremus: varia etenim abhinc crudelia imaginamur tormenta, nec commodam calculi eductionem. Nec ſcriptus à Fab. Hildano extrahendi calculi modus, magis nobis cordi eſt. Regnet ergo ea ſola calculi eruendi ratio quæ tot excellentibus practicis, Celſoque præſertim, maximè arridet. Si quis autem noſſe aveat, quale in viro, quale in puero, mulieribus, aut virginibus calculi educendi ἐγχείρημα excellat, peritorum

χἰρυργῶν monumenta adeat. Sed à tędioſo librorum evolvendorum labore abſtinere queat, quicunque eximiam dictam Epiſtolam, ab ipſo naturæ Genio, ſcriptam, conſulere voluerit. Hic ſiſto calamum, & DEO TRI-UNI, gratias ex imo meo corde fundo, & *ipſum* demiſſo, humilique rogo animo, ut tentamini huicce benignus faveat, Luminiſque ſcintillulam gratus impertire dignetur, quò denſis ignorantiæ tenebris mens mea tandem eripiatur.

Diſſertationem hanc primam, alia jam Præclariſſimi* Martini Liſter, *excipiat. Quæ ſic habet.

DISSERTATIO MEDICINALIS DE CALCULO HUMANO, &c.

C*Alculi* ubique corporis humani, at pręcipuè in Renibus & veſica generantur: cujus rei rationem infra privatim exponam. Igitur inventi ſunt Calculi ſub lingua, in ductibus pituitariis, in cerebro, in hepate, in pulmone, in veſiculis ſeminalibus, in utero, in ventriculo, in inteſtinis, in articulis, tùm manuum tùm pedum, at multò frequentiùs in Renibus & veſica. Adiſis *Hiſtoriæ Medicinalis* Scriptores & pręcipuè mortuorum diſſectores.

Calculi autem, etiamſi maximè inter ſe diſcrepare videantur & figurâ & colore & pondere; nam in iis ſunt lęves, ſunt aſperi: alii opaci, alii pellucidi & cryſtallorum ęmuli: ſunt & tophacei & valde friabiles: alii verò verè metallici ponderoſi, penèque ſilicei videntur: alii rotundi, alii inęquales: alii quadrati, alii fiſſiles: alii Teſtacei &c. tamen eorum natura & generationis ratio eadem eſt; non ſolùm in hominibus, ſed etiam in aliis animalibus ubi calculorum quoque quàm maxima varietas differentiæque occurrunt.

At licèt ea diſtinctio calculorum ſecundùm loca & *animalium genera* laudabilis & Hiſtorica ſit, inſtituti ramen noſtri brevitas nos diutius inſiſtere iſtiuſmodi minutiis non patitur.

Verùm ne futilibus conjecturis oratio noſtra procedat; primùm videndum eſt, quid nobis de calculorum natura, & ex eorum analyſi per ignem, & cùm crudi nondùmque ignem experti fuerint, exiſtimare liceat.

De calculo autem humano cremato hæc exhibet diligentiſſimus Leuvvenhoekius ope microſcopii.

„ In calculo humano, inquit, ignis vi in calcem redacto, magnâ copiâ inſunt & ſalia fixa & volatilia. *Idem alibi,* ex ſale volatili & fixo maxima pars calculi conſtituitur; *itemque,* calculi veſicę humanę ex magnâ particularum ſalinarum copiâ conſtant.

Porrò: „ *ex calculo combuſto* cryſtalli erant pellucidæ, atque ita angulares ac lateribus planis, ac ſi ipſum fuiſſet cryſtallum.

„ Rurſus ex calculo aduſto cui aqua infuſa eſt, ſal coagulatur, ac *tam durum fit ac rigidum,* ut quamvis aqua adcoctionem uſque ferveſcat, ſal illud tamen cum aqua non denuò conjungitur.

„ Item ſal volatile *calculi* adeò *rigidum & firmum* eſt, ut, ubi coagulatum eſt, humido cœlo diſſolvi nequeat.

„ Ex capite mortuo *calculi combuſtio,* cui aqua pura infuſa eſt, eadem aqua ſenſim in aëre ſiccata detegi plures ſalis figuras, pellucidas inſtar Adamantum: nec ſolùm erant pellucidę, ſed & anguli earum erant adeò glabri, ac adamantum anguli poſſint poliri. Inter eas verò maxima erat plana, & ejus baſis triangularis: unus ex angulis erat obtuſus juxta hanc verò jacebat particula ſalina, cujus baſis erat ſexangularis, &c.

„ Præterea jacebat [præcipuè in liquoris ſuperficie] magna copia particularum ſalinarum, ſimilium iis quas in *Arthriticis calcem* appellamus.

„ Etiamſi cœlum, dum accuratè intuerer ſalis particulas, admodum eſſet humidum ac frigidum, omnes hæ particulæ undique, quaſi aqueo humori injectæ erant: unde earum rigiditas facilè conjici poteſt.

„ *Calculus crudus* ex aqua frigida infuſus *ſuos quoque ſales* ſimiliter rigidos dat.

„ Nullam vidi particulam ſalinam, ex tot myriadibus ſalis, qui calculo humano inſunt communi noſtro ſali ſimilem. Neque illud ex ſiccato humore detegi potuit.

„ Omne ſal palato noſtro non ſapit; ita nec ſal è teſtis conchyliorum crematis, ex alabaſtro crudo; ita nec ſapit qui elicitur ex calculo humano: id eſt, *acrem & acidum* ſaporem admodum ſalis communis non exhibet; ſed ſal tamen eſſe non deſinit, i. e. ſuum habet peculiarem ſaporem, de quo ſuprà ſatis dictum eſt.

„ *Capiti mortuo* materiæ calcariæ *Arthriticorum* ad nigredinem exuſto, aquâ adiectâ ineſt magna copia particularum ſalinarum, ſimilium ſalium in calculo humano: ſcilicet rigidorum pluriumque angulorum; nihil ſalis vulgaris, quo in cibis utimur, ineſt materia calcaria arthriticorum. *Hactenus Leeuvvenhoekius.*

Illud autem notes velim, figurarum ſalium illorum varietatem ac imperfectionem apud eum ab incredibili particularum ſalinarum exiguitate dependere, quæ, ut is teſtatur, vix tantæ ſunt, ut multæ earum myriades arenulam æquent: adeoque propter parvitatem vix ſatis rectè depingi poterant.

In cryſtallos itaque majuſculas (quantùm fieri poteſt) aliquo artificio cogendæ ſunt, ut lenta ſiccatione in umbra, idque diebus maximè calidis: quo certè tempore ex aquis noſtris mineralibus cryſtallos ad ſeſqui ſcrupuli pondus habuimus: deinde quo major quantitas ſalis erit, eò prompriùs experimentum ejus concretionis in cryſtallos, magnitudinis conſpicuæ & perfectiſſimę ſucceſſurum eſt.

Hæc autem non exhibui, ac ſi aliquod dubium ſit de veritate experimenti à Leeuvvenhoekio de illis ſalibus expoſiti, ſed ut, etiam ſine microſcopio, vel nudis oculis res manifeſtaretur.

Igitur de copia & natura ſalis in Calculo Humano jam ſatis ferè diximus; item de ipſa calce ſimiliter, ſive materia calcaria & metallica.

Illud autem unum addam de hac calculi humani materia, ſcilicet quod in earum aliquibus debitè crematis etiam ipſum *ferreum metallum,* ad aliquot grana adhibito magnete, poſſe extrahi; id quod olim oſtendi coram *ſocietate Regia Londinenſi,* cùm ibi fortè caput mortuum dictum alicujus calculi humani à *D. Slare* expoſitum fuiſſet. Appello autem Regiſtra ejuſdem S. de fide experimenti.

Quæ

Quæ verò præterea *calculi, chymicâ analyſi* dent, minus moror, nempe olea & aquam. Cùm non alia ſint à ſanguine humoribusve corporis: adeòque minus faciunt ad calculi generandi intelligentiam; quę tamen hujus diſſertationis pręcipua intentio eſt.

Igitur his expoſitis quale ſit id, quod in homine lapideſcat, ſatis intellectum puto, atque ita *calculum definio*, nempe eſſe quid verè lapideum à ſale lapideque calcario & interdum à ferreo metallo, humoribusque quibuslibet corporis concretum, atque in plerisque ductibus viſcerum excretoriis, maximè verò in Renibus & veſica natum.

Cauſam itaque *materialem* calculi in ſolis humoribus, ut in pituitoſis, craſſis, viſcoſis, tartareis aut fæculentis non poſuimus. Etenim materiam non ſolùm concretioni aptam, quales ſunt humores, indicare ſatis eſt, ſed aliam etiam verè lapideam & metallicam calculi exigere videntur, atque ea ipſiſſima eſt, quam in proximè ſuperiore Tractatu Anatomico exhibuimus, è quibus Conchyliorum Teſtæ fiunt, inque Fontibus Medicatis inveniri diximus; nempe ſuccum lapideſcentem è ſaxo quovis calcario, Pyriteve ſive ferreo metallo *Germinante* ortum, atque aquis abreptum, nobis aliisque animalibus quovis alimento, maximè verò potione aſſumptum.

Humor autem iſte ſive ſuccus lapideſcens, etiamſi ejus effectus paſſim extra nos innumeris exemplis appareant, tamen à nemine quod ſcio, explicatus eſt. Etenim Helmontii ſomnia hìc non vendito; videlicet cuncta metalla ex mera aqua fieri, ſpecifica metallorum ſemina, fermenta, odorem & ſpiritum neſcio quem urinæ lapidificum, Terram ejuſdem volatilem, ſpiritum vini urinæ incolam, hæ meræ nugæ ſunt.

Non ſemen; inquit Helmontius, cum aqua ſibi ſubdita ſolùm petreſcit, quin inſuper corpus ſibi contiguum, odoris ſeminis petrifici, ſolo attactu petrificat, & ſi ita eſſet, cur renes & ipſa veſica non petrificarentur: ubi interdum ſemen iſtud, odor, & fermentum tam vehemens eſt ut innumeros & ſæpe ingentes calculos generare potis ſit; ἀλλα ἐυνϑεῖς τὸ τῆς ἐυήϑεις τῶν λόγων λίαν ἐξετάξειν.

Quæ verò paſſim obſervare licet, ea tantum exhibeo, ſcil. ſaxa calcaria & pyriten, i. e. ferri metallum ſulphurulentum, præ omnibus metallis, *ſalia ſua lapideis particulis gravida* edere, more plantarum pullulantium; has verò *plantas ſalinas* aquarum curſibus diſſolvi, iterumque vel ob moram, adhæſionem ex aptitudine quadam partium & contiguitate, imbibitionem, aliave ignorabilia accidentia inter ſe coire, & in primam ſuam materiam redire, hinc, inquam, petrificationes extraneas, & calculos intra nos fieri veriſimile eſt.

Eſt itaque peculiaris quædam materiæ ſive ſucci lapideſcentis aptitudo ut in lapidem convertatur, nimirum ex ſalis lapidei naturali coitione, ejuſque rigiditate, ut diſſolutioni ut dictum eſt, reſiſtat; itemque ex copia & qualitate particularum lapidearum in iſto ſucco contentarum, ſuo ſcilicet ſali ex quadam harmonia ortûs, promptè committendarum, nexu haud facilè diſſolubili.

Igitur calculi materiam ab eſculentis & potulentis, quæ hujuſmodi ſalibus lapideiſque particulis abundant, provenire. Si verò corpus bene ſe habeat, foras ejiciuntur, neque in renibus aut veſica retinentur; ſi renes imbecilli fuerint & veſica labefactetur, in lapidem coire apta ſunt.

Efficiens itaque cauſa calculi eſt copia materiæ lapideæ in ductibus viſcerum excretoriis imbecillis diutiùs ſuppreſſa.

Si qua verò ſit in aliquibus hominibus hereditaria diſpoſitio ad calculum generandum, ea oriri poſſit ex malâ partium conſtitutione, ex uſu tamen quotidiano victûs; lapideâ materiâ maximè infeſti, vel in maximè integris hominibus calculi etiam generantur, videlicet ſi alimentis continuò & magnâ copiâ utantur; quæ plurimum ſucci lapideſcentis in ſe contineant, aquaſve bibant tali ſucco vitiatas, quia in illis aquis aut cibis cauſa materialis; unde eſt, quod in quibusdam regionibus pręaliis incolæ complures calculo laborent.

Itaque renes & veſica vitiantur, vel ex nativa conſtitutione, vel victu calculoſo ſupervacaneo, quam autem rem ſic intelligo, nimirum à nimia copia & pondere materiæ metallicæ arteriolę capillares, renum ductibus excretoriis commiſſę, diſtenduntur, pręterque naturam valdè ampliantur, unde excretio debilitatur à conſtrictione arteriolarum labefactata. Igitur materia metallica in ductibus excretoriis imbecillibus ſenſim accumulatur moramque trahit, unde ejus coitio in calculos; idem cogita in labe hęreditaria, ubi mala renum conſtitutio.

Inter *cauſas* autem calculi *antecedentes* & *procatarcticas*, hę rectè numerantur.

1. Mala concoctio quâ chylus crudus & lentus quo involuitur ſuccus lapideſcens, indiſcriminatim intra habitum corporis aſſumitur, etiamſi verò cauſa calculi materialis non ex ſtomacho deducenda ſit, tamen eo labefactato in officio ſuo chyli conficiendi, ſuccus putreſcens plus minus in omnigeno alimento neceſſariò & naturaliter exiſtens, poſſit ob chyli craſſitiem citiùs & faciliùs in majores arenulas coire in renibus.

Profectò robur inæquale partium eſt calculoſorum præcipua ratio; ita renum alter calculos parit altero ſano, quod ſatis evincit calculi vitium à parte labefactata potiùs quàm ab ullo materiæ calculoſæ defectu oriri; quæ ſemper, ut dictum eſt, adeſt; at rarò ſupra modum arenularum concreſcit, niſi vitietur tonus & vigor renis expulſivus.

2. *Lactea infirmata*, nam ab iis integris etiam chylus bene digeſtus à ſucco iſtiuſmodi putreſcente ex parte purgatur; quòd ſcilicet is fluori minus aptus ſit, adeoque inter alimenti ſoluti excrementa per inteſtina dejicitur, antequam venas lacteas ſubire poſſit.

3. Hyems autumnusque calculos renum parit, autore *Aretæo*, an, quòd magis laborent renes, ſuppreſſa ex frigore perſpiratione cutanea?

Sed ad alia pergamus, & privatim materiam calculi ſuppeditant maximè *oſtrea* & omnia *Teſtacea* animalia; *aquæ medicatæ*, quæque vel calcario vel ferreo metallo imbutæ, & quæ petreſcentes ob conſpicuos effectus præcipuè audiunt. *Vina* aut quælibet alia alimenta locis aqua petreſcente vitioſis nutrita.

Salſa autem *carnes* minimè, prout Leeuvvenhœckius extra dubium poſuit; ſcilicet in calculo omninò nil ſalis culinarii repertum eſſe.

His verò adjici poſſunt *vehementiſſima quæque Diuretica*, quæ materiam morbificam, vel nimio impetu ad renes deturbent, vel victum per ſe minus noxium infeſtum reddant, quòd ipſi renes ob nimiam excretionem infirmentur.

In his quoque cauſis *Balnea* ponenda ſunt, quibus renes nimirum laxentur, item alimenta vehementer calida, ut Piper, Allia, Reſinæ quævis, exercitium vehemens: Venus immoderata.

Audi Hippocratem, (*a*) Pueris „ calculi principium „ *ex lacte impuro*; pituita enim ex eo lacte urinę ſedi„ mento admixta, glutinum evadit; ac primùm qui„ dem parva lanugo accreſcit, deinde quod accedit „ arenoſum. Rurſus autem alimentum ſolidum aut *la*„ *pidoſum* efficitur, non ſecus ac *ferrum ex lapidibus* „ &c.

(*a*) *Lib.* 4. *de Morbis*,

Ita

Ita nobiſcum ſatis benè ſentit antiquiſſimus Medicus, calculum accreſcere ex arenâ pituitæ commiſtâ, i. e. ex materia verè lapidea, primòque mollem velut lanuginem, mox virtute arenoſæ acceſſionis ſolidum ac lapidoſum effici: non ſecus *ac ferrum ex lapidibus.*

Hactenus de calculi natura, ejuſque generandi modo cauſiſque; proximo autem in loco ipſius *morbi* ratio ſive *pathologia*, ſive is in renibus ſive in veſica fiat, inſtituenda eſt; cum *Diagnoſticis* verò incipiam.

Hæc autem Calculi in Renibus indicia ſunt. 1. Omnium certiſſima ſignificatio, calculus excretus eſt.

2. Ad renem doloris gravitas. (*b*)

3. Femoris è directo ſtupor ſentitur, *idem ibidem.*

4. Nauſea & vomitus.

5. Urina cruenta: at hoc perpetuum non eſt: unum tamen è præcipuis eſt, quando contigerit quod dolorem nephriticum à colico diſtinguat.

6. Urina in principio aquea, pauca, aut integra ſuppreſſio: à moto verò calculo per ureteres, ea copioſa, ferè turbida, arenoſa.

Hæc autem indicia per ſe patent, neque ulla explicatione, certè arte peritis, indigent.

Ubi verò id malum in veſica fuerit, his indiciis, inquit Celſus, (*c*) cognoſcitur. „Difficulter urina redditur; paulatimque, interdum etiam ſine voluntate „deſtillat, eadem arenoſa eſt, nonnunquam aut ſanguis, „aut cruentum, aut *purulentum* aliquid cum ea excernitur; eamque quidam promptiùs recti, quidam reſupinati, maximè hi, qui grandes habent calculos, „quidam etiam inclinati reddunt, colemque extendendo dolorem levant. Gravitatis quoque cujuſdam in ea „parte ſenſus eſt; atque ea curſu omnique motu augetur: quidam etiam cùm torquentur, pedes inter ſe, „ſubinde mutatis vicibus implicant. Fœminæ verò oras „naturalium ſuorum, manibus admotis, ſcabere crebrò „coguntur; nonnunquam ſi digitum admoverint, ubi „veſicæ cervicem is urget, calculum ſentiunt.

Neque multùm aliter Hippocrates. (*d*) „Hic morbus „quinque habet ſigna: Dolor in urina reddenda; ejus „ſtillicidium: interdum cruenta, à veſicâ inflammatione vexatâ: verùm id non apparet, indicio tamen eſt. „*ſumma præputii pars* (i. e. inflammata) interdum arenoſa reddit, interdum duos aut plures calculos.

Aretæus ex antiquiſſimis autoribus in pleriſque conſentit. „Si veſicæ inhæſerit calculus, ex colliquationibus pateſiat, neque doloris neque gravitatis expertes „ſunt, licet urinam expeditè reddant: Sin minùs & urinæ difficultas accedet: omnes verò calculos ex ſabuloſis urinæ ſubſidentiis deprehendes, & quod iſtis vitilia ſæpius arriguntur: quando enim mejunt ſubeſtque „calculus, dolent, tractant, attrahuntque pudenda, „anus quoque vitii particeps redditur.

De *inflammatione* autem veſicæ ſatis conſtat ex obſervatione Hippocratis, cùm ad ſummam glandem ferè viſibilis ſit ex inſigni rubore; unde non mirandum eſt ſi moleſtus interdum *pruritus* ſit in pudendo, *dolorque* in veſicæ collo incipiens, ad glandis extremum uſque porrigatur, unde etiam *Virilium* frequens *erectio*, non ſecus ac cantharidibus ſumptis.

Urinæ autem *Stillicidium*, & ponderis ſenſus: item mictio facilior in uno corporis poſitu quàm in alio: item dejiciendi cupiditas, quæ mictionem excipit; hæc omnia à magnitudine, & figura & motu calculi oriri videntur.

Ultimum autem & omnium certiſſimum ſignum eſt, exploratio, vel per digitum in anum vel per catheterem in ipſam veſicam immiſſum.

De illo autem Hippocratis (*e*) Aphoriſmo magna interpretum diſſenſio eſt à Galeno ad noſtra tempora. Quibus in urina oneroſa (ψαμμώδεα) ſubſident, his veſica calculo laborat.

Joannis Zechii (*b*) opinio, ut video, pleriſque arridet; qui hanc ſubſidentiam non meram arenam eſſe vult, ſed gluten iſtud mucaginoſum in pleriſque calculoſis conſpicuum; at hoc non perpetuum ſignum eſt, adeoque minimè pathognomonicum.

Sed, brevitatis cauſâ, miſſis aliorum diſputationibus, mihi videtur Hippocratem hîc, generationis arenæ locum, non calculi exiſtentiam indicare voluiſſe, & dicit tantùm ipſam veſicam in vitio, ubi arenæ à mictione formantur atque ſubſident; ita quidem expono ἡ κύστη λιθιᾷ, imò idem Hippocrates (*c*) alibi ait arenam non eſſe ſignum calculi in veſica; atque ita ille Aphoriſmus diverſo ab hoc ſenſu intelligendus eſt.

Verùm ais, arenæ non ſunt calculi, neque negandum eſt, quod à quibuſdam exhibetur, ſcilicet vix è decem unum repetiri, qui arenas cum lotio non excernant; raros tamen eſſe, qui renum calculo laborent, & rariores multò, qui veſicæ.

Quamvis autem arenæ revera calculi ſint, nec ab iis eſſentialiter differant; tantùm ſecundùm magis & minùs, nam perexiguus Calculus arena eſt; tamen aliquo ſenſu, in gratiam Medicorum, probanda eſt iſta diſtinctio, nempe arenarum quotidianarum cum urina ejectarum, & calculorum majuſculorum non ſine dolore & difficulter excernendorum, utræque tamen partes, & Renes & Veſica tum ſuas arenas, ſuoſque calculos generant: neque aliter viſum eſt Hippocrati, ut ſuprà dictum eſt in diagnoſticis; vult autem in hoc Aphoriſmo arenas ex urina micta ſubſidentes præcipuè à veſica vitiata oriri, eamque calculis generandis præ renibus pronam eſſe innuere. At hîc prætereunda non eſt ſingularis opinio Fernelii, qui ſtatuit omnem veſicæ calculum, rudimentum quoddam, ceu interiorem nucleum ex renibus trahere, è quibus per nephriticum dolorem excidens, ſi ſit grandiuſculus, in Veſica hæret, & ſordium illic allatorum adhæſu coagmentatur, dum adoleverit in juſtum lapidem; eo, inquit, argumento, quod neminem offenderit in veſica calculoſum qui non fuerit diu ante nephritide vexatus, item quod in contritis veſicæ lapidibus nucleum quendam ſe reperiſſe aſſerit, diverſi à reliquo integumento coloris & ſubſtantiæ.

Huic autem opinioni ipſe addo, etiam in mediis calculis, è veſica exectis, vidi & *ferramenta* (*d*) & oſſa, per ipſum penem injecta: poſſint, itaque arenulæ renum eſſe pro rudimentis calculorum veſicæ: at hoc perpetuum non eſt.

Etenim priorem hujus rei rationem alii Medici ex propria ſua experientia negant; nempe in pueris calculoſos dari, quibus nulli nephritici dolores anteceſſerunt: item non in omnibus calculis nucleum iſtiuſmodi ineſſe.

Illud quidem verum eſt, calculos renum ſive arenulas ab iis plerumque fulvas eſſe, veſicæ verò albicantes: quare? calculorum color, ut ſuprà dictum eſt & conſiſtentia varia: modò rufi, modò nigricantes, modò albidi ſunt, nempe pro ratione cibi potioniſve aſſumpti; at ferè à renibus ſubcrocei, à veſica albidi: an quia in renibus urina defœcatior, puriorque ei inſit arenularum materia ad ocram accedens, in veſica verò eadem pituitæ mucoſæ & albicanti, è glandulis excretæ, miſta & contaminata ſit.

Sed ad *Prognoſtica* tranſeamus.

Lapis magnus potione, neque medicamento frangitur, autore Aretæo. Chimicorum inſomnia hactenus vana ſunt.

Morbus periculoſus: hæreditarius incurabilis: nam calculorum procreationem (cum Aretæo loquor) è fœcunda Sterilem reddere, nemo poteſt: facilius eſt enim uterum à pariendo prohibere quàm calculoſos renes calculis vacuare.

(*b*) *Hipp. Epid. l.* 1. *S.* 1. (*c*) *l.* 2. *c.* 7.
(*d*) 4 *de Morbis.* (*e*) *Aphor.* 79. *S.* 4.

(*b*) *Conſ.* 58. (*c*) *L. de in affectibus.* (*d*) *Acta Philoſoph. Lond.*

Vitia renum & veſicæ in ſenibus difficulter curantur. (b)

Hippocrates in Coacis vult lapidem in veſica non generari à 14. ætatis anno uſque ad 60. niſi prius extiterit.

Ita pueri & ſenes ſunt ipſis viris calculoſiores. Pueri autem magis calculo veſicæ laborant, ſenes verò calculo renum: quid ita? audi Galenum (c) quia in pueris facultas renum expultrix fortior eſt, ejus autem actio naturalis eſt, item retinendi in veſica facultas non minus fortis eſt; at cùm veſica propriè receptaculum eſt. & pueri parum bibant, parumque mingant, cùm mictio actio voluntaria eſt, veſicæ exonerandæ non attendunt, ſic calculorum coitioni major opportunitas ex mora.

Ex anatomia autem diſcimus, ubi calculoſis ægris mucoſa urina effunditur, veſicæ corpus cancroſum eſſe, & digiti aut pollicis craſſitiem nonnunquam adeptum eſſe: in calculoſis verò, qui claram ac tenuem urinam mingunt, veſicæ ſubſtantia invenitur membranoſa, ferèque ut in ſtatu naturali ſe habet, de his autem ita ſentio, calculum primùm exiguum concreviſſe, veſicâ adhuc integrâ; aucto verò calculo, ab ejus pondere, aſperitate motuque veſicam lædi, ejuſque membranarum glandulas inflammari, intumeſcere, indurari, i. e. cancroſas fieri: unde veluti putis ſive pituitæ viſcoſæ; interdum cruentatæ ingens copia cum urina profluit.

Poſtremò in *ſectione* ſola cura magnorum lapidum. *Cœlio Aureliano* (a) autore.

At, inquies, cur non quibuſdam medicamentis diſſolvantur, certè quidam lapides majores, cùm ex calculis in humano corpore repertis, quidam tophacei & friabiles & leves, quales ſub lingua & in articulis orti? reſpondeo in veſica lapides ferè ſilicei ſunt; rarò molles: & ſi ita; tamen ex arenulis duris compaginantur; ratio eſt, quia per majores vias & in majoribus conceptaculis metalla, ſive particulæ tum ſalinæ, tum lapideæ, è quibus iſte ſuccus putreſcens conſtat, ponderis ſui virtute ferè copioſiùs & excernantur & in calculos concreſcunt, atque hęc hactenus. Proximo autem in loco de curatione & medicamentis dicendum eſt.

Curationes autem hæ ferè inſtituendę ſunt: vel ad calculos minores, arenaſve, cùm moleſti fuerint, expellendos, ſpecialibus adjutoriis; atque hæc ferè diuretica ſunt: vel materiam calculoſam minuendam doloreſque acerbos mitigandos, in majoribus calculis excretioni ineptis: atque illa prophylactica anodina ſunt, profecto qui dolorem ſuſtulit, ſatis ad valetudinem profuit.

Quoniam autem inſtituti noſtri ratio brevitatem requirat, & ut repetitiones ſupervacaneæ evitentur, ex adverſariis noſtris ęgros aliquot, qui nobis commiſſi fuerint, eorumque curationes paucis enarrabo, deinde medicamentorum, maximè à nobis exhibitorum rationes exponam.

Hi autem *Nephritide* laborarunt.

1. *Ægrotus.*

D. Dryden Presbiter Eccleſiæ Eboracenſis, medię ætatis vir, ex pluribus menſibus ſanguinis mictione miſerè affectus eſt, maximè ab omni equitatione, aut vehementiori corporis motu: item calculos innumeros, ferè arenoſos, (& in iis fuerunt, qui ſeminum coriandri grana implebant) excernere conſuevit, huic etiam frequentiſſime mingendi cupiditas.

Is autem multa à multis fruſtra ſumpſit: tandem hoc remedium à me feliciter præſcriptum eſt (*♃. ſem. & rad. pæoniæ maris, agarici, vitrioli Romani, mithridat. an. ʒj. ß. conſervæ roſ. rubr. ℥iij. Syrup. è roſis q. ſ. f. Electuarium.*

(b) *Hipp. Aphor. 6. 5. 6.* (c) *In 6. Epid. ſect. 9.* (a) *T. P. l. 5.*

Convaluit à ſanguiniis mictione & à Calculo.

2. *Ægrotus.*

D. Breeden de Pangburne, unus è Parliamento Jacobi Secundi Regis, ſexagenarius, ex vehementi ſaltatione in uno & dextro pede per hortos ſuos, quod exercitio aliis ſæpius certare conſuevit, ſanguinem minxit.

Huic malo curando ei pluries ſanguis è brachio miſſus eſt: aquas *ferratas* ſumpſit; aliaque plurima medicamenta fruſtrà ab aliis atque aliis medicis adhibita ſunt.

Poſt ſeſquiannum autem hominem in hac conditione inveni. Sanguinis plus minus ab aliquot ſeptimanis quotidie mingebat, non ſine urinæ ſtillicidio, tumor ingens & durus in abdomine contra renem dextrum; item dolor continuus in dorſo: ſummus ardor in imo abdomine è regione renis dextri: *venæ* abdominis externæ ejuſdem lateris *varicoſæ* & præter modum tumidæ; habitus corporis qualis in Leucophlegmatia: multùm ſitiebat: parùm dormiebat. Denique huic coxendicum ſtupor, & ſumma crurum imbecillitas.

Huic autem malo ſic auxiliandum cenſui. (*♃. Mithridatii ſine opio confect. ʒjß. G. Tragacanth. aq. roſac. diſſolut. ʒ. ſſ. f. pilul. n. vj.*) ex his unam ſingulis noctibus ſumpſit.

Item. (℞. *Aq. hordei ℔ij. olei vitrioli guttas VI. ſucci limon. ℥iv. C. C. uſti ʒj. ſacch. candi albi. ℥iij. ß. miſce; de quo ad ℥vj. bis quotidie propinavit.*

Item (℞. *Balſami martis (j. e. ſalis martis ex balſamo Lucatelli ℥j. optimè ſuper marmor contriti) gr. iij. horâ aliquâ veſpertinâ devoravit.*

Ex his autem medicamentis intra diem unum vel alterùm multò meliùs ſe habuit.

Poſtremò bis hominem purgavi Hieræ diacolocynthidos ʒj. quod medicamentum facile tulit.

N. B. Quamvis in reliquis mirè à meis medicamentis levatus eſt; adeò ut non amplius ſanguinem mingeret, & optimè dormiret, & ſat bene cibum appeteret, tamen vix ambulare centum paſſus præ mira imbecillitate crurum potuit, aut ſcalas ullatenus aſcendere.

In hoc ſtatu ad tres hebdomadas manſit: tandem nulla amicorum prece prohiberi potuit, quin rus iret ad quinquageſimum ferè lapidem à Londiniis ad videndam uxorem moribundam; ex itinere autem (quamvis lectica veheretur) iterum ſanguinem minxit, & aliquot poſtea diebus ex urinæ ſuppreſſione interiit.

Ex diſſectione Ren dexter immenſæ magnitudinis inventus eſt, cancroſus, ad quinquaginta uncias pendebat, atque in eo inventi ſunt plurimi exigui calculi.

Nequeo ſanè mirari ſatis veterum diligentiam; nam cùm rariſſimum ſit hoc morbi genus, idque mihi ſemel tantùm in Praxi occurrit, tamen apud Aëtium ſumma accuratione deſcriptum illud legere eſt.

3. *Ægrotus.*

D. Athins. Quinquagenarius, unus è regni Juſticiariis, Eboraci, cùm publica negotia obiturus erat, calculo laboravit, huic in altero Rene dolor vehemens vomuit, mingere cupivit, at fruſtra, nam paucam tantùm urinam reddidit, eamque aqueam.

E lenioribus autem medicamentis hæc ſumpſit; nimirum præmiſſo enemate è Terebinthina ex vitello ovi diſſoluta in decoct. communi, cui vini Emetici ℥iij. adjectæ fuerint; parum efficimus: ideo ſtatim hæc Purgatoria exhibuimus cum diureticis mixta & ſtomachicis (*℞. Elect. lenitiv. ℥ß. aſellorum cochinell. an. ℈j. ſal. abſinth. ℈j. m. f. bolus, huic ſuperbibat potionem ſequentem. ℞. decoct. ſennæ Gereon. ℥ij. ſyr. è ſpinâ*

ſpina cervina ℥j. ſ. aq. mirab. ℥vj. olei amygdalarum dulcium ℥j. miſce f. potio:) bene fecit: calculos enim aliquot albidos cum urina ſubfulva & fœculenta excrevit; & poſtridie publicis negotiis præfuit.

4. Ægrotus.

Domina *Bellingham* quadragenaria ſubitò poſt dejectionem vehementi dolore nephritico & ad alteram abdominis partem correpta eſt; vomuit, mox quatuor calculos excrevit cum tantillo urinæ. ab his primis calculis dolore perſeverante hoc medicamentum præcripſi (R. *Caſſiæ recenter extractæ* ʒß. *pulv. jalap* ℈ß. *mercurii dulcis gr.* vj. *olei cinam. gut.* 1. *m. f. bolus*) alios autem multos calculos deinceps per aliquot dies reddidit.

N. B. Horum autem calculorum color *luteus*; figura omnium ſubteres; at non eadem magnitudo: ad grana verò piperis majuſculi; omnium durities inſignis: aliquot ex iis fractis cortex lapideus unus, more ceparum alteri ſuper-injectus eſt, item interior medulla ſimiliter & lapidea, & rufeſcens.

5. Ægrotus.

D. Hurduich, mediæ ætatis vir, ex itinere primùm ſanguinem minxit, cum renum dolore; poſt aliquot verò menſes calculos *rufos* exiguos non ſine vomitu & vehementi renum dolore excrevit, item intra annum tertium eodem dolore renum correptus eſt, cum vomitu & calculorum excretione.

Huic ſic præſcripſi. (R. *Agarici. pulv.* ℈i. ß. *jalap pulver. gr.* vj. *ſummitat. hyperici pulveriſat.* ʒij. *vini veteris Rhenani* ℥v. *m. f potio*) ab ea vigeſies minimùm, dejecit, neque tardè aut cum ullis torminibus alvum movebat; convaluit.

6. Ægrotus.

D. *Aſcough* ſenex calculo ſæpè vexatus eſt, renisque alterius vehementi dolore, vòmitu, ſanguineo mictu, is autem dolor, ante meum adventum ſine febre ad octiduum manſerat, exibui ſtatim Caſſiæ ad ʒvj, &c. in bolo, à quo non ſine levamine purgatus eſt; at rediit vehemens dolor, ideò nocte dormituro data eſt *Trochiſc. Alkekengi* ʒj. optimè ſe habuit, poſtridieque manè ſine ullo dolore calculum grandiuſculum minxit.

7. Ægrotus.

D. *Rhodes* diu multumque renis dolore affecta eſt, cum vomitu: multa & enemata & alia remedia data ſunt, à quibus inducias trium circiter dierum habuit, dormituræ veſperi *Trochiſc. Alkekengi* ʒj. exhibuimus, ea nocte placidè quievit, & poſtridie horâ aliquâ pomeridianâ tres calculos majuſculos ferè ſine dolore excrevit, convaluit.

N. B. In his Trochiſcis inſunt præter baccas ſolani Alkekengi dictas, & amygdalas amaras, & opium, &c.

8. Ægrotus.

D. *Legger* quinquagenaria, prima in fœmina, diu febre intermittente luctavit, tandem ad me venit, Eboraci degentem: graviter præter febrem Symptomatis hiſtericis affecta eſt, huic adeò Apozema præſcripſi ex Cortice Peruviano, Phyllitide, Ceterac, ruta muraria, &c. Singulorum ad ℥iij. in vino poſt longam macerationem leviter coquend. de eo per aliquot dies ſumpſit, tandem febre victa; vomitu & vehementis renis dolore correpta eſt, calculumque majuſculum excrevit; id quod ſemel tantùm in vita ante quinquennium fecerat, agnoſco autem libens, & expertus jam egregiam vim herbarum capillarium ad affectus uterinos; at ſuſpicor illas herbas non tantùm calculum expellere, ſed etiam ex parte illum ab iis, tanquam materia, gigni; quod rupibus ferè calcariis, locíſque montanis uliginoſiſque naturaliter creſcunt, ubi eas plurimùm ſucco calcario imbui nutririque neceſſe eſt.

Idem de eodem Apozemate in alia fœmina, D. *Rookſbie*, &c. obſervavi: unde magis magiſque fidem do jam poſitæ ſententiæ.

D. *Green* Coquus aliquoties calculos à renibus excrevit; at ultimo paroxyſmo, quo me accerſivit ut opem ei ferrem, ex communi conſilio cum D. *barvvick* collegâ meo digniſſimo, *dyſuriam* ad triduum paſſus eſt magna corporis jactatione atque anxietate; in extremis autem cum penè de hominis vita deſperatum fuerit, ſic præſcripſimus. (*R. Cantharid. probè toſtarum; tantùm non crematarum* ℈ß. *aq. ſpermatis Ranarum* ℔j. *m. f. hauſtus*,) paucis horis elapſis urinam ad quatuor minimum libras reddit, & unà plurimos calculos, convaluit.

Hi autem Calculo Veſicæ laborarunt, renibus fortè in pleriſque non integris.

9. Ægrotus.

D. *Ramſden*, mercator Eboracenſis, mediæ ætatis vir, ex patre calculis miſerè afflicto natus, & ipſe renum & veſicæ calculo à multis retro annis vehementer laboravit, item ejus filius unicus triennis calculo correptus eſt, & ſuctione tandem à pene pueri grandiuſculus calculus exemptus eſt. graviſſimis autem ſymptomatis malum in dies & moleſtius & periculoſius fit; nam ſanguinem ſæpius minxit; modo dyſuriâ, modò lumborum contra renes dolore, horrendum! cruciatus eſt: ſæpenumerò verò calculos ferè aſperos, & inæquales excrevit, tum albidos, tum flavos hordei grani magnitudine.

Tandem verò ab equitatione primùm obſervavit ſe humorem quendam albidum tenacem cum urina reddidiſſe; is autem humor præ lentore ſuo matulæ fundo adhæſit, nec facilè cum urina effundi potuit; & interdum ad plures uncias diei unius ſpatio excretus eſt; neque unquam ſine dolore excerni potuit; propter virgam (putà) inflammatam & acrimoniam fracidæ & marceſcentis urinæ; nam vetuſtatem redoluit; etiamſi noviſſimè fuerit reddita.

Sanè hunc hominem, cùm primùm medicinam facerem, curavi; mihique adeò ex propria experientia minùs notæ eſſent medicamentorum vires; illud equidem unum totis viribus efficere conatus ſum, ſcilicet ut materiam iſtam lentam aut minuerem, aut liquefacerem quò minore cum dolore per urethram exire poſſet.

Neque aliud magis profuit, quàm *mercurius dulcis ad gr.* vi. *ex pulver. jalap.* ℈j. exhibitus: quippe eò & alvus diu liquefacta eſt, & materia lenta & mucoſa in grumos farinaceos diviſa eſt: ac ſic multò meliùs ſe habuit & ratione dyſuriæ, & minus frequenter mingendi cupiditate vexatus eſt: tandem verò maxima ex parte deſiit prodire iſte mucus, at fœtor urinæ uſque permanſit, etiam cùm cætera ſanus ſibi viſus fuerit.

Poſt menſem verò ex frigore & cruditatibus eodem muco mirè viſcido tentatus eſt.

Tum verò hominem ſic purgavi (℞. *Rhei Torrefacti* ʒß. *Terebinth. Venet. ad duritiem coct. & pulveriſat.* ʒiij. *f. Pulvis: detur ex hauſtu ſequenti.* ℞. *mellis deſpumati* ℥j. ß. *aq. ſperm. ranar.* ℥ij. *miſce.*)

Urina autem quæ antea aquea fuit, jam ex rheo intenſè colorata eſt, eique ex Terebinthina odor ſuavis conciliatus eſt, at poſtridie idem urinæ pallor atque idem fœtor redierunt.

Porrò, ex ſemicupio, in quo ſemel tantùm ad mitigandos dolores demiſſus eſt, involuntaria mictio ſequuta eſt, idem obſervavi ex uſu opii.

Rurſus, ex mercurii dulcis aucta doſi ad gr. x. & pro ſecunda vice dato, idem effectus ſequutus eſt, ut ſc. mucoſæ urinæ materia in exiguos grumos incideretur & matulæ fundo vix ampliùs adhæreret: at propter ſtimulatum anum & ex conſenſu communi cum ſphinctere veſicæ, diarrhœam plurium dierum, imò ferè integri menſis induxit, item aphthæ in ore & faucibus ortæ ſunt.

Cùm verò levi febricula ſub eo malo corriperetur, venam in brachio incidimus: ſanguis autem miſſus & refrigeratus, craſſa pelle albida contectus eſt.

Tandem ex communi conſilio aliorum mecum Medicorum & Trochiſci, Alkekengi & emulſio cum ſeminibus frigidis minoribus cum decocto Symphyti majoris, &c. præſcripta ſunt.

Ab his autem remediis calculi multi, ſed *albiſſimi*, qualis color fuit emulſionis, excreti ſunt; item poſtridie rediit urina mucoſa & lenta & dolor vehementer auctus eſt, & urinæ difficultas: ideò abſtinuit à præſcriptis medicamentis: itaque ſpiritus ſalis Armoniaci cum Gummi ammoniaci deſtillati ad guttas vj. ter quotidie ſumpſit ex aquæ ſpermatis ranarum hauſtulo.

Ejus autem medicamenti poſt aliquot dies effectus erat, ut urinæ malus odor, ferè ſublatus eſt, & ejus ſedimentum jam bona ex parte ſimilagineum, candidius & leve factum fuerit.

Rediit autem appetitus, & ex uſu ſalſamenti veteris, apud noſtrates *Ling.* dicti, alvus ſubitò compreſſa eſt, & urinam rurſus continuit, cæteraque omnia incommoda mirificè levata ſunt præter unicum in urina fœtorem, neque ampliùs urina viſcoſa.

Hic autem vir, tolerabilem valetudinem conſequutus, Eboraco Londinum ſe contulit, ubi à chirurgis, ejus artis peritis examinatus, digitis in anum immiſſis, calculus ad ovi magnitudinem compertus eſt.

Illud ſedulò autem notavi, medicamenta leniter diuretica, & Renum dolorem ſupra modum intendiſſe, & ſi è valentiſſimis fuerunt, & Teſticulorum, ipſiuſque urethræ, & glandis, ad exitum; inflammationem & rubedinem excitaſſe.

Ab eo tempore, quo Eboracum rediit; nihil, quantùm ſcio ſumpſit; certè unum vel alterum annum vixit, ſed graviter decubuit, nec calculum ullum poſtea excrevit.

Tandem neſcio cujus ſuaſu, unciam unam Guttarum dictarum à *Goddard* autore. à Londino nactus, ad ejus ℔ ß. in aqua parietariæ bis aut ter in die ſumpſit, hoc autem medicamentum (ut poſtea didici ab ipſo Rege Carolo Secundo, qui à vidua Goddard magno pretio ſecretum redemit) nihil aliud fuit, quàm *ſpiritus* ſalinus volatilis à *ſerico crudo* vi ignis elicitus, at tanta erat ejus malitia in optimo viro, ut biduo à ſumtione, ſanguinis mictu, & diris cruciatibus, correptus, miſereque convulſus, diem ultimum obiit.

Sub eo tempore in eadem urbe duos ſenes, metallorum fuſores, ex calculo à plurimis annis decumbentes (*Smith* unus appellatus eſt, alterius nominis oblitus ſum) convulſi perierunt, potione ſpiritûs Terebinthinæ, ad ℈ij. aliquoties exhibiti, unde inflammatio imum ventrem ex toto occupavit, in Gangrænam protinus mutata, hoc medicamentum ſuaſu cujuſdam Agyrtæ chimici ſumpſerunt, quorum alterum, ſuper pontem habitantem, prece viduæ, diſſecui.

10. *Ægrotus.*

Illuſtriſſimus Baro D. *Fanshavv*: Puer novennis, calculo veſicæ ab aliquot annis laboravit, illum *Sandbeck* vidi, villam amœniſſimam D. Comitis de *Caſtleton*, dum ibi ejus matri decumbenti advocatus ſum.

Hujus autem pueri urina, inſtar ſeri lactis recenter concreti, turbida & grumoſa erat: item in fundo ejus reſedere grumi albiſſimi, verè caſeoſi; ejuſque urinæ odor ipſiſſimus qui caſei recentis: is autem puer, ex præſcripto Medicorum, quotidie lac aſininum bibere conſuevit, ex ejus verò veſica poſtea calculus feliciter exectus eſt Londini.

Illud autem ex hoc caſu conſtat, ſc. lactearum venarum imbecillitatem, eaſque officio ſuo non rectè fungi quò [cœtera ſanus puer] odorem & ſubſtantiam fracidi caſei ejus urina exhibebat; aliter multò, quàm in integris etiam puerulis lactantibus, quorum urinæ ſuus odor & conſiſtentia eſt.

11. *Ægrotus.*

D. *Little* Prætoriæ cohortis eques, Eboraci tùm degens mediæ ætatis vir, ex equitatione, primùm urinæ difficultate correptus eſt: mox ea ferè ex toto ſuppreſſa eſt cum vehementi dolore circa pubem & in ipſo penis itinere.

Cùm urina verò exiit mucus quidam albidus, viſci inſtar tenax, matulæque fundo pertinaciter adhærens, item ejus odor fœtidus, qualis ex urina veteri.

Ob vehemens verò malum ſæpius animâ defecit, & miſerè convulſus eſt.

Hæc autem ante meum adventum, ſtatim oleum amygdalarum dulcium leniter tepefactum, injiciendum veſicæ præſcripſi, cum bono eventu, deinde hoc medicamentum exhibui devorandum (℞. *mercurii dulcis gr. iv. pulv. jalap.* ℈j. *Caſſiæ* ʒij. *f. bolus*) à quo alvus ſepties mota, dolores levati ſunt; nocte Troch. Alkekengi ʒj. dati. Verùm poſtridie & ſanguinem minxit & aliquàm multos majuſculos calculos albidos excrevit, alioſque per aliquot dies: calculis autem excretis & iſte mucus exire deſiit: convaluit: hunc fortè hominem Noſocomio militari Chelſienſi ſuperiore anno vidi, beneficii mei non immemorem & (ut mihi narravit) poſt viginti annos calculos quod attinet, ſanum.

12. *Ægrotus.*

D. *Hedley*, in Vicinia Leedes, oppidi agri Eboracenſis degens, quinquagenaria, admodum obeſa, ex multis annis *calculi cujuſdam arenacei* excretione vehementer cruciata eſt. Ii autem calculi ipſum *Saxum molare* noſtrum arenaceum valdè referebant; nam *ex arenis majuſculis Cryſtallinis, inter ſe coagmentatis* in calculos majuſculos conſtabant, interdum verò ſolidos, interdum ſolutiores eos: quotidie, haud modica quantitate cum urina reddebat.

Hæc autem Symptomata præter calculorum excretionem paſſa eſt, cordis palpitatione, aſſiduam mingendi cupiditatem, lumborum & veſicæ dolorem, urinam aqueam, cibi inappetentiam, &c.

His autem malis ſic occurrendum eſſe cenſui, (℞. *Linguæ cervinæ, Trichoman. an* ʒj. *macis* ℈ß. *f. pulvis ſubtiliſſimus, detur ex aq. hordei hauſtu, poſt horam infuſionis, ter quoti-*

quotidie) poſt 4. dies non ampliùs calculos reddidit; urina jam fulva, qualis ſanorum cum ſedimento albido, quod ferè defuit antè: ad aliquot ampliùs dies iiſdem medicamentis, at aliâ atque aliâ compoſitionis ratione, uſa eſt; præter. opinionem convaluit.

Reverſa autem ad ſuos, rurſus calculorum id genus excretione correpta eſt: iterumque ad me Eboracum venit: atque, iiſdem medicamentis ſimiliter ſumptis, convaluit.

Huic domum redeunti uſum cerevisiæ præcepi tantummodo ex aqua fluminis, & non putei, ut antè conſueverat, confectæ: nam non ſine ratione arbitratus ſum, aquas puteales horum calculorum materiam; ut pote ſuccum lapideum, in ſe continuiſſe.

13. *Ægrotus.*

D. *Freeſtone* de Hornecaſtle, micturitione admodùm doloroſa & frequenti, cum viſcoſa materia matulę fundo adhærente, correptus eſt: niſi tamen erectus mingere haud potuit, ut multoties per noctem mingendi causâ è lectulo ſurgere coactus ſit. Diu vitam ſic miſeram traxit, huic ſic præſcripſi. (℞. *Balſami martis* (i. e. balſ. Leucatell. & ſalis martis an:) ℈j. *f. pilula ſive bolus, quem ſumat nocte & tantundem mane.*) quo per triduum ſumpto non amplius cubitum per noctem reliquit: ſed facilè reſupinatus in lecto mingere potuit, item huic minor dolor in Urethra & extremo pene.

Item (℞. *Aq. ſpermatis Ranarum* ℔j. *C. C. uſti in ſubtiliſſimum pollinem contriti* ℥j. *gummi Tragacanth.* ʒj *miſce hujus bene conquaſſati* ℥iv. *ter quotidie bibat.*)

Item (℞. *Balſami veneris* ℈j. *dividatur in ſex doſes*) has autem per triduum ſumpſit ſingulis diebus manè: à quo alvus die tertio leniter mota eſt. Omnino meliùs ſe habuit, rurſuſque abiit, neſcio an hic æger calculoſus fuit, nam in adverſariis noſtris de calculo nihil ſcriptum inveni.

14. *Ægrotus.*

D. *Lane.* Divi Laurentii in Urbe Ludi-magiſter, ex tribus circiter annis, Urinæ ſtillicidio vehementer cruciatus eſt. Item plurimos calculos excrevit. Huic autem mingendi cupiditas bis aut ter aut pluries in hora die nocteque: alvus firma, urina fœtida & viſco quodam referta, item doloris acuti ſenſus in ano, & circa pubem.

Huic autem ſic præſcripſi. [℞ *Succi hypociſtidis, glycyrrhizæ ana* ℈j. *mithridatii ſine opio* ʒj. *Gummi Tragacanth. aq. ſp. ranar. diſſolut.* ℈ij. *CC. uſti* ʒß. *miſce f. pilul.* vjj. *ex* ʒj. *maſſæ harum pilularum, unam veſperi atque alteram manè quotidie ſumat.*]

N. B. Tertia nocte ab iis ſumptis ter tantùm minxit; at quotidie alvus bis aut pluries ſoluta eſt. Ab eo autem tempore ad dies ſeptem tantùm bis aut ter in nocte minxit & placidè dormivit, & mirificè levatus eſt; meque opium ei dediſſe putavit: imò planè ſe convaluiſſe affirmavit; adeò dolor mitigatus eſt præ eo, quem ante meum adventum ſentire conſuevit, at potioni, præ ſiti, contra meum præceptum indulgere voluit Unde rediit mingendi frequens cupiditas, & remediis abſtinuit.

Alios autem multos calculoſos omitto, quibus hęc medicamenta in micturitione ſive mingendi importuna cupiditate profuerunt: neque aliud malum gravius eſt, ex iis quæ humano generi contingunt; imò omnium perhibente Plinio, ex deciſione veterum Medicorum, longè graviſſimum eſt ſtillicidium urinæ.

15. *Ægrotus.*

D. *Spacy* ex multis annis ſanguinem mingere conſuevit: Interim plurima intervalla optimæ ſanitatis habuit, eoque malo vacuus. Tandem verò mucum quendam ſive Pituitam vitream, viſcidamque reddidit, fundo matulæ pertinaciter adhærentem: jamque urinæ odor fœtidus, ejuſque ſtillicidium moleſtum; at à mictione in extrema penis glande ſæviſſimus dolor.

Huic ſic medicinam feci. *Trochiſcos Alb. Rhaſis* ex aq. ſperm. ranar. in penem injici feci.

Item (℞. *Merc. dulcis* ℈j. *Elect. lenitiv. mithridatii an.* ℈jß. *f. Bolus veſperi detur*) mane alvus ſoluta eſt mannæ potione.

At his medicamentis, calculos plurimos excrevit albidos, leves, anguloſos. Symptomata ex bona parte ſublata ſunt.

16. *Ægrotus.*

D. *Montege*, ſexagenarius & ampliùs, optimus vir, calculoſus cum urina mirè viſcida; huic viſcoſitati urinæ ter remedia preſcripſi, & toties ex ea ad menſe minimum convaluit: Scil. (℞. *Aq. ſimplicis limacum, ex lacte deſtillatæ* ℔jj. *CC. uſti & in tenuiſſimum pollinem cont.* ℥j. *ſacch. cand alb.* ℥ß. *miſce. Hujus probè conquaſſati & turbidi* ℥jv. *quotidie potavit*) Item ℞. *Penis viridis teſtudinis furno ſiccati* ℥jj. *Hujus pulveris ad* ℥j. *alternis diebus ſumpſit ex eadem aqua*: At ex recidivis frequentibus mali vitæque pertæſus, in lithotomorum manibus tertio à ſectione die, obiit.

Verùm ægrotorum & mihi & tibi fortaſſe Lector ſatis ſuperque eſt: ad medicamentorum verò rationes explicandas, quorum præcipuè causâ hæ narratiunculæ ex adverſariis noſtris tranſcriptæ ſunt, propero. Simplicia autem medicamenta calculo maximè accommodata, ſivè *ſpecialia adjutoria*, ut Cœlii Aureliani verbis utar, hęc ſunt, nempe, quæ in quatuor claſſes commodè redigi poſſint.

Prima autem & præcipua *Claſſis* eſt eorum quæ ex *Inſectis* animalibus oriuntur.

Penis Teſtudinis viridis toſtus. Margaritæ. Conchyliorum teſtæ, & crudæ, & crematæ. Millepedes ſive Aſelli. Scorpionum, Cantharidum, Cochineil, lumbricorum terreſtrium, apum, formicarum naſcentium cinis. Coccos baphice. Spongia Bedegaris ſive Roſæ Sylveſtris, mel. aq. ſpermatis Ranarum, cochlearum terreſtrium. Jus conchyliorum marinorum, ſericum, ejuſque ſpiritus deſtillatus.

Hæc autem omnia mirificè calculos expellunt, idque communi ferè virtute præſtant, nempe ſeptica, quâ vehementer corrodunt, ſtimulantque ductus viſcerum excretorios, præcipueque majores Renum & veſicæ.

In horum autem aliquibus ea vis tanta eſt, ut illa cruda ſumere; nemo impunè ferre poſſit, quin Sanguinem quoque cum calculis effundat, contractioneſque nervorum patiatur. Ideo torrenda ſunt, ut igne miteſcat vis illa ſeptica, ſalinis particulis acrioribus ex bona parte evaporatis.

De horum autem aliquibus privatim diſſerere lubet. De millepedis audi *Scribonium Largum* † Aſellos quinque ex aquæ cyathis tribus ſuffundere (1. infundere) & per urinam extrahere lapides certum eſt. Tanta erat de his animalculis experientia apud veteres.

Hîc autem præterire nolo, quod olim * ediderim, nempe ex *multipedarum* genere eſſe *ſpeciem* quandam apud nos non infrequentem in ſepibus, teretem, longiuſculam, ad digitum puta; quam ſi conteras naribuſque protinus admoveas, eos tanto odore ſulphurulento & corroſivo percellit, ut multo mitior ſit odoratus ex integra uncia ſpiritûs urinæ deſtillati.

† *Comp.* 151. * *Act. Philoſ. Lond. N.*

Haud diſſimilis verò odor è *Formicis* crudis contritis prodiit, maximè ab *Hippomyrmecis* noſtris, conſule nares.

Pulvis autem *Lumbricorum terreſtrium* toſtorum ſalſedo inſignis eſt.

Margaritarum verò & Conchyliorum crematorum calx ſale ſupra fidem abundat, teſte Leeuvvenhoekio.

Vis autem ſalina è ſerico evaporata apud noſtrates notiſſima eſt, ſub nomine. (*Goddards. drops.*)

Cantharidum, apum, formicarum, Scorpionum vis ſeptica & exurens, ab illorum animalculorum effectibus, ſi viva aliquem pupugerint, cutive admoveantur, neminem latet.

Idem cogita de *Cocco baphicâ ſpongiâque* dicta *Roſa Sylveſtris*, quæ ex Apiculis conficiuntur fœturæ gratiâ.

Neque ob aliam rationem Gallæ, (ut id hîc obiter dicam) tanti uſûs ſunt, ad lanas tingendas aliave, in arte infectoria, niſi quod Inſectorum mera opificia ſint, eorumque excrementis & veneno ſeptico penitus imbuantur, at pergam ad ea quæ reſtant.

Cochineil verò medius ſtatus eſt alicujus ſcarabæi, Indici, i. e. Cantharidibus congeneris; at multò mitioris virtutis.

In hoc autem cenſu ſunt *Cicadæ*, ad calculoſos commodæ, vide *Aëtium*, nempe *Inſectum* quoddam ad Scarabæos accedens.

Cochleæ autem maximè earum cervices, ubi organa generationi dicata, ut veſicam & penem mirificè afficiant, diximus in prima exercitatione ex *Petronio*.

Idem puta de pene Teſtudinis viridis, Ranarumque aqua ſtillatitia, magna equidem volumina non affecto; res tantùm attingo, earumque virtutes quaſdam communes indicare contentus, ut in ſingulis admiratione dignam quandam vim ſepticam & urentem, vehementer adeò ſtimulantem ductuum excretoriorum; privatum verò renum & veſicæ, mecum agnoſcas.

His autem annumerari debent inſectivora quædam animalia, propter victûs rationem, calculis expellendis idonea. Tales ſunt Aves quædam ut Hirundines, ille Regulus ſive Paſſerculus quidam Troglodites, noſtratibus *a Weren* dictus, de quo conſule Aëtium. * Hanc autem Aviculam ad calculoſos ſummè efficacem, magna accuratione deſcribit, ejuſque condiendi exhibendique modum. Naturalem autem, inquit, vim omnino admiratione dignam habet, itaque ſale conditus & crudus in cibo acceptus morbum perfectè ſanat: & *novi* adeò quoſdam ab ejus uſu nunquam ampliùs ab affectione vexatos: & infrà, de cauſa tantæ virtutis rectè judicare videtur. Arbitror, inquit & Sanguinis iſtius aviculæ naturam quiddam in ſe complecti, quod minimè vulgariter proſit, cui amplius ſtercoris efficacia accedit; ac revera & in Sanguine & in ſtercore inſectorum, quibus veſcitur, vis ſeptica inſignis eſt, ſecunda autem claſſis ſit ex animalibus vel *frigidis*; nempe oſſa cremata in capite Tuberonis, Aſelli piſcis, ſimiliumque: hæc quidem parem virtutem habent cum conchyliis crematis, & ob eandem rationem, quod in calcem ſalinam ſimiliter comburantur, vel *calidis*; ſcilicet Tunicæ interiores Ventriculi Gallinæ, & ſtercus album ejuſdem, item cinis corticum ovorum aduſtorum: atque illa eandem facultatis ſuæ expulſivæ rationem habere videntur cum ſuperioribus. Nam Tunica illa tanquam cornea eſt: albumque ſtercus & urinoſum, & ipſum cortexque ovorum ad teſtaceum genus quàm proximè accedunt.

Tertia verò claſſis ex herbis diureticis ferè eſt ut Terebinthina, Balſamum Judaicum, Peruvianum, Copivi &c.

* *Tetr. 3. Sermon. 3. c. 11.*

Omnia autem Terebinthinata vehementer urinam movent, quòd cuti admota corrodant: neque vim ſuam emplaſticam, niſi uſtione quadam exerunt. Etenim quatenus vulneris carnem putridam marceſcentemque excedendo abſtergeant; viva interim, quæ ſubſit, in cicatricem commodè nutritur.

Ex illa autem corroſione calor ac inflammatio oritur: unde ductus urinæ majores ad vehementem contractionem, expulſionemque ſtimulantur.

Porrò in hac claſſe numerare licet Tartarum ex vino, ipſumque vinum album acidulum, vel per ſe, vel ſulphure, more Gallorum, vel ex Gypſo, more Hiſpanorum conditum: item ſuccum limonum: Balauſtia ex granatis acidis ac Sylveſtribus: atque hæc omnia herbarum ſale eſſentiali dicto, & utrinque mucronato, tenuiſſimis acutiſſimiſque particulis conſtante abundant, quo majores ductus renum & veſicæ continuò laceſſantur.

In hac quoque claſſe & *Legumina* habentur, præ reliquis verò *cicera rubra* decantantur ob acrium flatuum copiam: nam hos mirè excitant; fortè materiam iis non paucam adjiciant, ita velut mantiſsâ quadam additâ ferociam quandam flatibus, in corpore præ-exiſtentibus; præſtant, eoſque per Renes tranant. Quàm vehementer autem penem, eoſque ductus afficiant, ſcire licet ex teſtimonio Veterum: quos adi. Igitur veriſimile eſt conferunt & flatus excitantia, quod illas partes diſtendere & expulſione ob acredinem promovere aptà ſint.

Poſtremò ad hanc claſſem pertinent nuces avellanę; amygdalæ præcipuè amaræ: hæc autem medicamenta lenire potiùs videntur quàm expellere; adeoque inter anodyna cenſenda ſunt. at amaritudo amygdalarum aliud ſuadet.

Reliqua autem olea dulcia iter expediunt: lubricando. Sanè hujuſmodi olea verè pinguia ſunt, nec concreſcere apta; perinde ut alibi de oleo lini, nucum juglandis, & Papaveris à me dictum eſt.

At pereunt; inquies, iſtiuſmodi virtutes à concoctione: ſcilicet ſuccus, puta citri, ex prima digeſtione acorem ſuum amittit; minimè verò ſi rectè ſe habeat aliquis & dolore vacuus ſit, ita eſſe concedo: ubi autem adeſt Nephritis, ac horrenda illa à veſicæ renumve calculo ſymptomata, digeſtio ex bona parte ceſſat, corporis habitum medicamenta tantùm non integra pertranſeunt, inque venas viſcerum excretorias promota, parum mutata egrediuntur, ita in maximis calculi doloribus is ſuccus v. c. ſubcrudior vim ſuam extenſivam in ipſis renum glandulis vehementer exerit profectò in ægris Renes, ut & omnia alia itinera tam citra quàm extra ſanguinis curriculum magis aperta ſunt, ac laxata; unde virium medicamentorum mira retentio & celerrima trajectio.

Ad *Quartam* autem ac ultimam Claſſem pertinent à metallis medicamenta: ſcilicet corrallium; lapis Judaicus, nitrum Veterum, ſpiritus ſalis vitrioli, ſulphuris, ſal prunellæ, aquæ medicatæ, vel acidulæ, ferratæ, calcariæve, vel mixtæ ſcilicet muriaticæ, calidæ, frigidæque, mercurius dulcis. Atque ex his fere medicamentis vani homines Lapidum renum & veſicæ non expulſionem tantùm, ſed & fractionem comminutionemque vehementer jactitant.

A ſalibus certè metallicis, fateor, ob ſtimulum & ſummam acrimoniam vehemens contractio majorum ductuum & lapidum expulſio exſpectanda eſt: idque Veteribus probè cognitum eſt ex multiplici experientia; quos conſule unam aut alteram tantùm inſtantiam exhibebo.

Nitri victoriati pondo, ex vino, in arenam Solvit lapidem, Scribonio Largo Autore. †

† *Comp.* 153.

'Aquæ calidæ quæ ſunt Tuſciâ *Ferratæ*, mirificè re- 'mediant veſicæ vitia; appellantur item *veſicariæ* quon- 'dam Milenis Gracchi, Prætorii hominis optimi ad 'quinquageſimum lapidem reddentis eodem * perhi- 'bente.

Iis qui veſicæ lapidibus afficiuntur erunt aquæ eligen- dæ *ſalſæ*, vel quæ *Nitri* habeant qualitatem; ut apud *Tenariam* Inſulam, quæ potandæ & lavacro adhibendæ ſunt ita Cœlius Aurelianus.

At in labefactatis calculo renibus & veſica, maxima opera danda eſt, ne quid metallicorum, aquarumve me- dicatarum nimis exhibeatur. Etenim fortiter licèt cal- culum expellant, tamen propter imbecillitatem iſtarum partium metus eſt, ne & ipſa quoque remedia ibidem concreſcerent in lapidem, cùm ipſiſſimam lapidis novi materiam in ſe contineant: ſcilicet & ſalem & ſuc- cum lapideum, id quod vehementer moneo, ſæpiuſque dicendum eſſe putavi.

Huic autem noſtræ ſententiæ favet 'illud Hippo- 'cratis præceptum; qui ſanus eſt ac valet, is * nullo 'habito diſcrimine, ſemper eam aquam bibat, quæ 'adeſt. Qui verò *morbi cauſâ* (puta calculi) eam, quæ 'maximè conveniat, bibere volet, is ſanitatem conſe- 'quetur.

Item alibi; calculis maximè tentantur & renum morbis qui *aquas*, *ſalſas* (i. e. medicatas,) bibunt.

Ejus autem rei rationem reddit; ſcilicet aquæ qua- 'rum Fontes in ſaxoſis locis ſunt, *duræ* ſint, neceſſe 'eſt: aut ſi ubi aquæ calidæ exiſtant, aut *ferrum* naſ- 'citur aut *ſulphur*, aut *Nitrum*.

'Etenim aquæ ſalſæ, nitroſæ, ferratæ, ſaxoſæ *in- 'domitæ* naſcuntur & coqui nequeunt, ſunt tamen natu- 'ræ quædam & *morbi* quibus tales aquæ potu ſunt com- 'modæ, i. e. ventribus mollibus & humidis & pitui- 'toſis; iis duriſſimæ aquæ & coctu difficiles & aliquan- 'tulum ſalſæ accommodatæ ſunt.

Profectò illud ſæpius vidi, ex iis qui animi tantùm cauſâ aquas noſtras medicatas biberunt, quoſdam inter ipſa remedia nephritide primùm correptos fuiſſe, & calculos excreviſſe; quos ex aquis iſtis putreſcentibus (ita omnes aquæ medicatę meritò, ut ex ſuprâ nar- ratis ſatis oſtenſum eſt, exiſtimandæ ſunt) ortos fuiſſe nullus dubito, cùm in renum pelvi aut ureteribus nul- la arenula majuſcula, vel momento conſiſtere poſſit ſi- ne vehementi dolore, non magis quàm in aſpera arte- ria vel minima mica panis putà ſine gravi Tuſſi.

At, inquies, nulla fere aqua ſucco petreſcente pror- ſus vacua eſt, atque adeò hoc nomine nobis noxia fo- ret. Quid igitur indulſit natura humano generi præ re- liquis animalibus! libenter accedo pleraſque aquas, certè quatenus ſucci petreſcentis participes ſint, non uſque adeò tutas eſſe.

Atque idem olim nobis exhibuit. Hippocrates. * 'Qui magnis fluminibus bibunt, in quæ alia flumi- 'na decurrunt, & de ſtagno in quod multarum & cu- 'juſvis generis aquarum rivuli decurrunt: quippe adven- 'titiis (per fiſtulas plumbeas putà) aquis aluntur, quæ 'ex longo intervallo deducuntur, & calculo maximè ten- 'tantur, & renum morbis ac urinæ ſtillicidio &c. 'ſcilicet quia ex iis mixtis aquis aliæ ſalſæ ſunt, i. e. 'medicatæ.

Idem quoque nobis abundè manifeſtatur, ex aquis pleriſque noſtris coctis, tam fluviatilibus, quàm mari- nis: videlicet in fundo lebetis lapidem quendam calca- rium, lapidis alicujus fiſſilis more, adhærere.

Providentia tamen Divina admiranda eſt, vel ob hoc commune beneficium omnibus animalibus conceſ- ſum: atque homo ſolus culpandus eſt, ſi eò non te- mere uſus fuerit ex intemperantiâ: ſi quidem noluit natu- ra uſpiam deeſſe materiam animalium teſtis oſſibuſque generandis, nutriendis, firmandis.

Igitur, ſuadeo, memor ſis admonitionis illius Hip- pocraticæ, ſuprà poſitæ; nempe de aquis non ſolicitus ſit ſanus; at qui calculo puta laboret, aquis petreſcen- tibus abſtineat; certè de iis admodum parcè, cauteque bibat ne juſtas intemperantiæ pœnas luat, atque hæc hactenus; antequam verò manum de hac Tabula aufe- ram, illud quoque Hippocraticum de aquarum vitiis verbo conſiderandum non alienum erit; nimirum, Pravæ ſunt *aquæ* omnes, quæ ex *nive & glacie* fiunt. ubi enim ſemel concreverint, non amplius ad priſtinam naturam redeunt. Hinc, inquit, Urinæ ſtillicidium & Herniæ, an quòd ex frigore intenſo eadem particularum petreſcentium concretio metuenda ſit, ac ex coctione? ſanè conſtat experientiâ, & ex obſervatione, olim edi- ta, D. Johannis Raij inter principes hujus ſeculi philo- ſophos, mihique veteri amicitia conjunctiſſimi ab hye- me duriſſima, & à longa aquarum congelatione æta- tem maximè morboſam ſequutam eſſe.

Verùm cùm nivatæ aquæ ad ſe nunquam redeant: tamen cur eædem aquæ Fluminis alicujus, Thameſis noſtri puta, toties putreſcant & ſuaves denuò ac pota- biles fiant, inquirere lubet; certè ad Indiam Orienta- lem navigantes experiuntur, iſtam aquam ferè intra Tropicos & ſub linea Æquinoctiali ſupra modum fœ- tere turbidamque fieri: mox limpidam reddi & bene olere, item eandem aquam iterum fœtere & turbari in reditu ad nos; denuò purgari à fœcibus & à malo o- dore, imò interdum ſub hac mutatione illam ardeſcere ad candelam admotam, inſtar ſpiritûs vini, dolio aper- to exhalanteque.

Hujus equidem rei rationem ſic intelligo; ſcilicet omnem aquam fluviatilem plus minus Inſectis refertam eſſe; quod microſcopio adhibito extra dubium ponitur; hæc autem animalcula, quòd noſtratia ſint, ſub ardo- ribus pereunt, unde aquę tantus fœtor: ubi verò iſta pu- tredo è beſtiolis corruptis in fundum dolii ſubſederit; coiveritque aqua fit limpida odore malo vacua. Rurſus in Indiâ eadem aqua novis Inſectis Indicis repletur, quæ tamen in reditu ſimiliter moriuntur, unde novus fœtor ac aquæ turbatio; iiſdem quoque rationibus aqua ad claritatem ſuam ſuavitatemque redit.

Ad ardorem verò & inflammationem aquę iſtiuſmo- di quod attinet, ab inſectorum quoque putrefactione, id commodè oriri poſſit, perinde ut flatus inteſtinorum per anum emiſſos, & ab alimentorum coctione putre- dinoſa ortos, flammâ admotâ ardere, notiſſimum eſt: atque ita expoſui, quàm breviſſimè potui, medicamen- torum ad calculos maximè accommodatorum cognatas virtutes, earumque rationes & uſus ex Veterum ferè di- ligentia fideque. *Hactenus Drelincurtius & Liſterus.*

Sequuntur jam aliæ de Calculo explicationes & curationes.

C*Alculus* eſt corpus durum, tartareum, topha- ceum, aut etiam ſolidius, è multis quaſi pellicu- lis ut plurimùm concinnatum, & in omnibus corpo- ris cavitatibus, ac partibus generabile.

Omnes corporis partes, ac cavitates calculi ſedes eſ- ſe poſſunt, ſed hîc præcipuè de calculo renum ac veſi- cę urinarię verba facturi ſumus.

Differunt inter ſe calculi, quòd alii ſint duriores ac ſolidiores, alii verò molliores ac in pulverem facilè re- ducibiles, alii anguloſi, triangulares, quadrati, aſperi &c. alii rotundi, læves &c. calculi renum ut pluri- mum ſunt friabiles ac anguloſi, calculi verò veſicæ urinarię ſunt ſtricturę compactioris & magis rotundi.

* *Comp.* 146. * Taral. *P. l.* 5. † *Lib.* de *Aere loci, & aquis.* * *Ibidem*

Cauſa calculi ſecundùm Galenum, alioſque veteres eſt ſuccus pituitoſus ac viſcidus, calore exſiccatus ac induratus. Hoc eſt ſuccus crudus atque craſſus cauſa eſt calculi materialis, qui ſi viſciditatis ſit expers ita ut ejus partes invicem cohærere nequeant, in moleculas arenularum corpus formantes, compingetur, ſi verò lentus, mucoſus & glutinoſus fuerit in lapidem conglobabitur. Calor verò ſecundùm eoſdem calculi eſt cauſa efficiens, iſque non naturalis, ſed immoderatus quo ſcilicet mediante particulæ ſucci prædicti liquidiores exhalant, atque reliquæ non ſecus ac lateres in fornacibus ſiccati indurantur. Verùm primò ex ſucco pituitoſo quantumvis indurato ut & amurcâ exſiccatâ quis unquam lapides, aut aliud quid quàm cruſtulas enatas vidit? Imò rarum eſt lapides reperire in ipſis pituitæ præcipuis officinis; quid ergo opinabimur eam vias urinarias affectantem, & per renum ſecernicula minutiſſima tranſcolatam, in ejuſdem viſceris pelvi aut canalibus ex ipſo in veſicam lotium deducentibus, ureteribus dictis, imò in ipſa veſica urinaria in calculos compaginari? Quidni potiùs filtro ſuo adhærebit, illudque ad inſtar particularum quæ fontium lapideſcentium vim faciunt, in lapideum quid ſemper commutabit? Aut ſi in ſecerniculis illis dilutior ſit, quomodo quæſo in ipſis lotii ſtagnis, pelvi ſcilicet, & veſicâ urinariâ denſabitur atque reſiccabitur? Dices hoc fieri vi caloris præternaturalis ibidem concluſi, in eoque poſitam eſſe calculi cauſam efficientem; Sed hæc ſunt mera verba; Nam primò ſi calor ſatis intenſus in renum pelvi, aut veſicâ urinariâ daretur qui ſuccum pituitoſum in lapideam ſubſtantiam concoquere valeret, quomodo ille idem in viſceris ſubſtantiam non ageret, eamque deaſſando perderet, ſiquidem ſecundùm eoſdem calor mitior ac totus naturalis in ventriculo nidulans, diſſolvendis carnibus aliiſque multò ſolidioribus, iiſque in pulticulam diſſolvendis par eſt; Secundò detur talem calorem adeſſe qualem illi fingunt; quomodo in pituitam multo ſero tenui dilutam aget adeò, ut à menſtruo illo ſecedens mutuo particularum ſuarum amplexu in durum corpus compaginetur? Quis potius quotidie non videt ſalia in lixiviis fortioribus parteſque glutinoſas iis itidem, ut & ipſi urinæ innatantes, vi caloris ſuſpendi ut liquorem continentem minimè conturbent; imò urinas etiam turbidiſſimas aliaſque omnes quàm purulentas, igni expoſitas clareſcere.

Recentiores quidam, inter quos Celeberr. Menjotius, volunt calculi humani cauſam eandem eſſe quæ lapides in macrocoſmo gignat, ſcilicet ſalinum quid terreſtres particulas complectens in lapideam ſubſtantiam abire dicunt. Quod explicaturus mox citatus Menjotius, ſal, inquit, ingenita proprietate corporum omnium gluten eſt & quaſi ferrumen; ideoque pacis & amicitiæ ſymbolum cenſetur. Hinc conchilia, ovorum teſtæ, cornua & oſſa animalium concretionem ſuam ſali, qui multus ex illis arte educitur, ferunt acceptam; hinc animalium duris cibis veſcentium fœces uberrimo ſcatent ſale, ac ſtercus canis oſſivori anginoſum tumorem ſtrenuè diſcutit. Laterculi & tegulæ non ex quavis terra vi ignis coquuntur, ſed ex terra ſale referta; ideoque viſcida & cohæreſcente, quam vulgus pinguem, ſicut ſalem quo terra fœcundatur, pinguedinem vocitat; ſed impropriè: hæc namque fertilitati potiùs officeret: Lapis etiam ille oſteocolla dictus, habens pro domicilio, præ cæteris Germaniæ locis, Heidelbergenſem tractum, qui pondo ſemidrachmæ oſſa fracta ferruminat, totus ferè reſolvitur in ſalem: ligna tantò ſunt ſolidiora, quantò plùs ſunt ſale onuſta, ut fagus, quercus, guajacum, ebenum quod aquæ demergitur. Lachrymæ inſuper quia paululum ſalſæ, in tenuiſſimas formantur arenulas, quibus ſeu pulviſculo, genarum limbi ac cilia aſperguntur, oculi ἀχνώδεις dicuntur Hippocrati; imò cervorum lachrymæ vertuntur in lapillum quem venatores adverſus ſerpentum ictus morſuſque curioſè recondunt. Tandem lapidoſi ſoli natura nitroſa eſt, plantaſque ſummittit ejuſdem indolis participes. Sic prope Arelatem in campis Herculeis (Crautiam vocant) inter congeriem lapidum incredibilem, herba enaſcitur, quâ, utpote multo ſale gravidâ, mirum in modum pecora ſaginantur. Hæc ille; quibus addimus hanc ſententiam eò faciliùs excipi poſſe, quòd non eadem incurrat incommoda quæ de pituita mox diximus, non enim neceſſariò filtro ſuo renum ſcilicet fibroſæ ſeu potiùs vaſculoſæ ſubſtantiæ adhærebit, ſed liberiùs eamdem permeando in chryſtallos, arenulas ſenſimque grandiores lapides concreſcet, quô modô videmus quotidie ſalium nitroſorum particulas, rimulas ac porulos rupium pervadentes, in ipſo egreſſu in lapideum quid abire, illudque modò opacum, modò hoc, modò alio etiam colore tinctum. Interim tamen nondum ſic ſatis patet, quid in ipſis renum aut veſicæ antris ſalinam hanc materiam ad coagulationem promptam diſponat, nec enim ex omnibus rupibus ſtillans in chryſtallos abit, ſed in quibuſdam tantùm, in quibus ſcilicet ſpecifica vis inhæret, quæ egreſſui paratam materiam ſalinam congelationi aptam faciat, aut aër concluditur ſpefica qualitate imbutus ac imprægnatus. Itaque hîc cum Helmontio non tantùm ſalinum aliquod principium in genere, at illud duplex ſtatuimus lixivioſum unum, aliud acidum, quorum concurſu maſſa efformatur, quæ quandoque, dum ſcilicet ſuccum crudiorem ſeu pituitoſum complectitur albida eſt, quandoque, dum ſanguine per venulas ſtillante ſeroque excepto tingitur, rubra evadit. At quandoquidem materia illa lixivialis in urina naturaliter conſtituta, nuda non reperitur, ut in illam agere valeant ſpiritus acidi advenientes, quod ad coagulationem prædictam neceſſarium eſt; propterea omnes homines calculo non ſunt obnoxii, ut aliàs proculdubio contingeret, ſed illi tantùm in quibus hæreditaria, aut aliunde acquiſita diſpoſitio fermentum in renes induxit miſcellæ urinæ naturali deſtruendæ eidemque quaſi petrefaciendę aptum, unde pars lixivialis atque ſal urinę volatile ſui juris factum, cum ſucco acido in omnibus corporis noſtri partibus facile reperibili, intimiùs cohęreſcit. Hęc exemplo ſpir. urinę volatilis cum ſpiritu vini, ac potiùs ſpir. ſulphuris acidi cum oleo tartari per deliquium &c. illuſtrare neceſſarium non eſt.

Cauſę calculi externę, ſunt primò Ingluvies, & pręcipuè alimentorum craſſorum, dyſpeptorum, ſalſorum, ſaccharatorum, terreſtrium, crudorum ſuccoque lapidifico turgentium, qualia ſunt pyra, ovorum induratorum, lactiſque propter caſeoſam partem admiſtam, abundantior uſus. Hiſce omnibus adde panem azymum aut malè coctum, è frumento pulverulento nec ritè repurgato confectum, nec non biſcoctum ac nauticum, imò ejuſdem cruſtarum crebrum uſum, pręterea aquas cænoſas pluribuſque ſalibus pręgnantes, vina generoſa ac in terra lapidoſa nata, ut etiam turbida, ſomnum diuturniorem & à cibo, tergi ad ignem obverſionem, ſupinum in culcitra decubitum, exercitationes à paſtu, balnea intempeſtiva, vitam deſidem, ventris aſtrictionem, venerem immodeſtam, triſtitiam, uberem fęculentorum humorum fontem, & aliàs de quibus *Menjotius Diſſertatione de Nephritide*. Ex hiſce omnibus patet puerulos atque ſenes calculo eſſe precipuè obnoxios debere, propter crudorum & indigeſtorum

ſtorum ſuccorum ſalibus craſſioribus onuſtorum in utriſque ſaburram, illic quidem per ingluviem, hîc verò debilitatum ventriculum parteſque digeſtionibus variis inſervientes, accumulatam.

Signa Diagnoſtica Calculi renalis traduntur apud Menjotium capite de Nephritide, Ettmullerum in Collegio Practico, capite de calculo renum & veſicæ, Lucam Tozzi Medicinæ Practicæ lib. 2. cap. de renum dolore & nephritide: ſed cùm diſtinctè adinodum & paucis verbis à Joan. Groenevelt, Diſſertatione Lithologica deſcribantur non opus erit aliunde ea expetamus; Illa itaque ex ipsô ſic habeto.

1. Dolor circa regionem lumbarem fixus omninò & ſtabilis, obtuſus quidem, & gravantis ponderis ſenſum inferens, cùm in ipsô renum parenchymate, obtuſiore utpote ſensû donatô, calculus ſtabulatur, at ubi in caput ureteris ſeſe inſinuavit, acutus, lancinans, omniumque crudeliſſimus.

Quinque jam annis circùm circa elapſis, ægrotus quidam Iſchuriâ laborans, conſilium noſtrum imploravit (urinam nullam emittebat) niſi quòd vomitû ſursùm excernebatur, (urinalem quoque odorem expiratio præ ſe ferebat) quô continuatô maximè debilitatus fuit, conſultis aliis non imæ notæ Medicis, multis remediis uſi fuimus, ſed fruſtra, vitam tandem cum morte mutavit; corpus ejus cùm diſſectum fuerit, pelvis renis dextri majori calculô fuit oppleta, cujus pars inferior, papillæ in modum protuberans, ureterem omninò obſtruebat; capiti ureteris ſiniſtri acutus calculus adeò exactè erat infixus ut renes utrique ſuô officiô fungi neutiquam potuerint, atque adeò expiravit.

2. Spinam inflectendi difficultas, compreſſis ſcilicet diſtentiſque ejus nervis aut muſculis.

3. Calor lumborum moleſtus prorſum.

4. Stupor femoris cruriſque è directô, ob compreſſionem (à calculi grandioris pondere) muſculi ψόα dicti, vel nervi in omnes crurum muſculos divaricati.

5. Teſticuli retractio è regione affecti renis, ob vaſorum [quæ à renibus ad teſtes vergunt] versùs ſuperiora adductionem.

6. Nauſea & vomitus propter conſenſum ſcilicet renum cum ventriculô, qui fit non tam mediante, ut volunt, peritonæô, cujus membranam utrumque viſcus participat, quàm quidem ob communem illum nervulum, à ſtomachicô ſexti paris ramô, in propriam & interiorem renum tunicam implantatum.

7. Urina plerumque cruenta, laceratis apertiſque à calculi aſperioris attritione, venulis; per renis ſubſtantiam diſperſis, quin & quandoque, præſertim circa initia, tenuis, aquoſa, & parvâ copiâ prodiens, propter renis à calculô obſtructionem, quoties verò per ureteres in veſicam demittitur, urinæ craſſę, turbidę & aquoſę ut plurimùm excernuntur.

8. Calculos per urinas excretos, ut & arenas (non quæ vaſorum lateribus adhærent, ſed quę ſtatim matulę fundum petunt) unde ęgroti notabile levamen ſentiunt, inter pręcipua ſigna recenſeri vellem.

Sed quia tanta eſt ſimilitudo nephritidis cum dolore colicô, ut non ſolùm ſępiſſimè Empiricum, ſed & Medicum rationalem falli contingat, diſtinctionis ergô hæc ſigna notari vellem.

Si ſupra renes ſit dolor, non ad renes ſed ad inteſtina pertinet.

Dolor Nephriticus extrorſum vergit, nec ab eô locô unquam diſcedit, niſi cùm tophus, è nidô ſuô excuſſus, delabitur in ureterem:

Colicus verò ſępiſſimè peregrinatur, locum mutat, & per omnem inteſtinorum circuitum oberrat, inque pectinem declinat.

Nephritici à ſumptô alimentô meliùs, colici verò pejus habent. *Hæc ille.*

Conveniunt interim Autores nil prorsùs certi è ſignis prædictis decerni poſſe, ſed dubium ſemper relinqui, an arena, an phlegma, grumus ſanguinis, an pus craſſum, an flatus ureterem ſubeuntes dolorem nephriticum procreent, de quibus ipsô de Nephritide capite. In ulteriorem verò nephriticorum dolorum à colicis diſtinctionem hæc adjicimus ex Menjotio. Dolor colicus pro coli poſitione aſcendere potiùs videtur, nephriticus deſcendere ſecundùm ureterum ductum. Colicus dolor ſupernis inferniſque vacuationibus, ſeu naturalibus, ſeu artificialibus, vel mitigatur vel prorſus deſinit; ni forſitan ejus materia geminis inteſtinorum tunicis involuta fuerit ac intricata: Nephriticus paululum equidem concedit, quod depletis inteſtinis non ita coarctentur renes, verùm minùs quàm colicus, conſtante lapidis ſtimulo. Colico dolori aſſociatur quidem vomitus, ſed non ut in nephriticô bilioſus & æruginoſus poſt pituitoſum. Ob inteſtinorum cum ventriculo continuitatem, nauſea, vomitus, cibi faſtidium, dyſpepſia, ſimiliaque ſymptomata in colico dolore, magis vigent: in nephriticô verò, propter renum cum lumbis connexionem, corporis flectendi erigendique impotentia magis urget; crus etiàm torpet è directo, quod alienum eſt à colico cruciatu. Per colicos dolores fæces, & quandoque etiam flatus reſtitant; per nephriticos urina aut retinetur aut vitioſa emingitur. Denique laxatis viis per fotus & cataplaſmata, nephriticus dolor multùm remittit; colicus tantillùm quidem lenteſcit, ſed illico invaleſcit, diffuſis à calore humoribus, adauctoque flatuum proventu, ex Aëtio. Porrò omittendum non eſt nephriticô dolori colicum, eumque ut plurimum à bile ſolere complicari.

Signa Diagnoſtica Calculi Veſicæ ex Helidæo pro certis habentur, ſi poſt meiendi deſiderium etiam adſit deſiderium excernendi fæces inteſtinorum: & ſi ægri dum humi ponderoſum quid tollere volentes ſe inclinant, in veſicæ regione ſentiunt puncturam. Deinde ſi inter mingendum ſupprimatur urina, æger verò pedibus in altum ſublatis poſtmodum liberè mingat. Omnia autem propè calculi veſicalis ſigna ſic accuratiſſimè deſcribit Clariſſ. Joan. Gronevelt in ſua Diſſertatione Lithologica. 1. In principiô, cùm calculus adhuc minor eſt, fit, ut calculoſus excretâ jam urinâ, obtuſiorem dolorem in glande ſentiat; qui dolor à glande per urethram vergit ad veſicam, eodem modo ac ſi ſtranguriam pateretur. Aſperitate enim ſua; quamvis calculus minor ſit veſicæ, tamen cervicem pungit; adeoque dolorem glandi infert, qui dolor à glande revertit ad veſicam.

2. Calculoſus anteriorem virgæ ferè partem ſemper, præcipuè verò urinam reddituius, digitis fricat, comprimit, trahit, ac mulget, & hinc fit quòd infantes calculoſi ſemper manum brachiis admoveant, & vellicando membrum virile, dimidia ferè parte ſolito longius faciant.

3. Si gravior ſit calculus, dolorem tunc gravativum ſentit calculoſus, ac ſi grave quoddam pondus infimo ipſius ventri ac inteſtino rectô inter oſſa pubis incumberet, eaque deorſum deprimeret; dolorem patitur tunc præterea circa umbilicum, quia fundo ſuo per urachum umbilico jungitur veſica.

4. Si calculus meatum urinarium non omninò obſtruit, natura ad expellendam urinam ſæpiùs irritatur, ſed fruſtrà; aliquando effluit paululum; aliquando continuò nolenti volenti urina emittitur, dolore interim ſemper ægrum affligente.

5. Sur-

5. Surſum elevatis pedibus, capite ad terram demiſſo, ſæpiùs evenit, ut calculus ad veſicæ fundum delabatur, urinaque liberiorem exitum nanciſcatur.

6. Extra paroxiſmum videmus non raro calculo afflictum crura ſua tranſverſim complicare, eo enim modo calculus aliquo modo è collo veſicæ ſurſum elevatur, ità ut urina exitum liberiorem habeat.

7. Urina detenta, acris & ardens, præ doloris magnitudine, quem excitat, ſpiritus ad virgam allicit, ſicque virile membrum in infantibus æquè ac adultis, tenditur & erigitur, non ex venereo quodam appetitu & libidine, ut aliàs quis crederet.

8. Ex conſenſu ſphincteris ani & veſicæ, ob nervorum, quos ab uno ramo recipiunt communionem & colligentiam, *ſimultaneos deſidendi meiendique calculo afflictus habet conatus.* Sed irritationes illæ fruſtraneæ ſunt, & ſi quid excernatur, parum eſt, idque cum cruciatu; in infantibus ſæpius ſummus fit inteſtini recti prolapſus.

9. Calculoſi plerique continuò ſitiunt, & ſæpiùs multum potum appetunt, quia, quamvis parum urinæ ſingulis vicibus excernunt, ob frequentem tamen ac crebram excretionem multùm urinæ emittunt, & ſic ſerum ſanguinis abſumitur, quod naturâ quidem compenſare, adeòque interiora viſcera in conveniente ſuo temperamento ac ſymmetria naturali conſervare ſtudet: ob continuos porrò dolores, vigiliæ & inquietudines oriuntur, ſalſum in illis acrius redditur, ſanguinis etiam maſſa magis in dies incaleſcit, unde multum ac crebrum refrigerium requiritur, aliquando etiam Icterici, Hydropici, ſimileſque affectus ſequuntur.

10. Ab opiatis aſſumptis meliùs ſeſe habent calculoſi, à diureticis verò potentioribus in pejorem vergunt intemperiem.

11. Hippocrates (Aphor. 79. Sect. 4.) veſicam calculo laborare ex urinis hoc modo judicat Ὁκόσοισιν ἐν οὔρῳ ψαμμώδεα, *&c.* Joann. Zechius in Conſult. Med. libr conſult. 58. per ψαμμώδεα intelligit ſabulum craſſum, cœnoſum excrementum (narium veluti mucum) matulæ fundo tenaciter adhæreſcens, quod calculi majoris in veſica, & diu illic concreti ſignum eſt pathognomonicum.

12. Certum eſt cùm digitum in anum puerorum intrudunt, vel catheterem per urethram in veſicam adultorum immittunt, & explorant ſæpiùs, calculus an ſit, vel quotuplex ſit, magnus an parvus, unus vel plures, multùm enim intereſt Medico hæc exactè noviſſe.

Huc quoque cauſarum antecedentium conſideratio ſpectat, nim. temperamenti, diætæ quàm habuit æger, ſymptomatum quæ ſubiit; ſine dubio enim crudelem fuit paſſus dolorem, ſi calculus ſit magnus, durus, & inæqualis, porrò an ſacculo incluſi ſint calculi, & veſicæ membranæ cum eo adhæreſcant, cognitu quamvis ſit neceſſarium, difficillimum tamen, niſi cathetere vel digitò inveſtigetur. *Atque hæc ille.*

Signa autem hæc nunc plura, nunc pauciora, vix imò nunquam omnia, ſimul in eòdem individuò reperiuntur, & etiamſi illud contingeret non minùs interdum forent fallacia; quia aliquatenus ſunt æquivoca; & aliis veſicæ, partiumque vicinarum morbis communia. Rarus eſt caſus Illuſtr. Caſauboni, in quò concurſus aderat omnium propè ſignorum enarratorum, interim eorundem cauſa non in calculis, qui tantùm minimi & exquiſitè rotundi, in veſicæ rugis profundioribus viſi ſunt; ſed partim in corpore carnoſo meatûs urinarii radicem occupante, & foris intrò reſiſtente, partim & præcipuè in veſicæ herniâ, quæ quaſi in ſaccum abierat, capacitatis ad veſicam ſextuplæ; prout hæc omnia fusè, nec minùs doctè deſcribit D. de Mayerne, in hiſtoriâ veſicæ monſtroſæ magni Caſauboni, quam propriò nomine evulgavit Broüardus; & nos Bibliothecæ Anatomicæ Vol. 1. pag. 387. & ſequ. inſeruimus. Signa univoca quod ſpectat, ea non ſunt alia quàm exploratio per ſpecillum in veſicam immiſſum, vel digitos in anum aut mulierum vulvam introductos; nec etiam iis ita fidendum quaſi nunquam prorſus fallerent; ſic Clar. Von Hammen in Epiſtolica ad Clar. Pechlin. de mendaci veſicæ calculo enarratione, dicit ſe in virô ſexagenariô variis calculoſorum cruciatibus afflictô, corpus durum per ſpecillum in veſica inveniſſe, quod dum evocare per ſectionem tentaret, illud non calculum ſed veſicæ tumorem eſſe vidit, quem tamen fruſtillatim illæsô cui adhærebat veſicæ ſphinctere, educere licuit. Præterea ſpecillum etiam fallit quando lapidem contentum non adinvenit; cujus rei hiſtoriam raram profert Bened. Sylvaricus in Epiſtolâ ad Beverovicium de Nobili Veneto, qui ſtranguriâ laborans cum ſubſidentiâ materiæ tartareæ, diureticis refrigerantibus & lacte caprillô quaſi ſanatus, catheteri immiſſo nullum præſentis calculi ſignum præbuit; & poſtea & currû & equô ſine magna moleſtiâ iter habuit; dum verò tandem tabefactus obiret, veſica aperta calculum magnitudinis ovi gallinacei, nec mucoſitate, nec membranâ aliquâ involutum, in ſui cavitate commonſtravit. Sæpe etiam inhabiles fallit, conflictus ille qui inter urinam & aërem per catheterem ſe inſinuantes, oritur; nam eò audito crederes in corpus aliquod extraneum & durum allidi.

Quàm autem infida ſit etiam ipſa calculi per ſpecillum, ſeu catheterem exploratio, nobis aliquando ſatis conſtitit in Matronâ apud Noſtros Nobili, quæ cùm diù calculoſorum doloribus, non tantùm afflicta, ſed quaſi contrita fuiſſet, de Clariſſ. Medicorum Ordinariorum ſententia (renuentibus licèt aliis) calculô veſicæ laborare creditum eſt, atque ea propter exploratio à peritiſſimô Lithotomô è Viciniâ advocatô inſtituta, qui primâ vice calculum ſibi occurrere, ſed mucô, ſeu membranâ veſtitum affirmavit, ita ut opinatus fuerit calculum veſicæ parietibus impactum, & immobilem membranâ ejuſdem interiori contegi; poſt tamen aliquas injectiones detergentes, exploratoriô inſtrumentô rursùs adhibitô, idem ille jam in calculum nudum, in quem etiam cum ſenſibili atque evidentiſſimô ſonô allideret, ſe incidere pronunciavit: Sic itaque omnia ad extractionem in tempeſtate commodâ methodô ordinariâ peragendam parantur; interea tamen moritur Ægra, præ morbo inducias dare neſcio, & cruciatus novos, quaſi totidem malignos, atque nimis funeſtos fœtus in dies pariente. Cadaver, me abſente, quamvis prius aliquoties conſulto, à Dexterrimo Chirurgo D. Jacobo Coudougnant, ſtatim de Nobilis Matronæ Mariti petitione, præſentibus D. Medicis Ordinariis, aperitur, cùmque ad vias urinarias rectâ perventum eſſet, ren dexter calculô minoris caſtaneæ magnitudine, multòque pure, ſcilicet ad uncias circiter octo, obſeſſum reperitur, veſica verò urinaria omnino vacua, & per fibras ſuas, propter irritationem præcedaneam, ita contracta, ut in cavitatem ſuam vix fabam majorem admitteret. Reputabant prædicti Clar. Medici laceratam fuiſſe veſicam, ſicque contentum calculum in abdominis cavum erupiſſe; verùm perquiſitione diligentiori factâ, contrarium tandem perceptum: revera veſicæ fundum aliquatenus lacerum deprehenderunt, & duplicaturæ peritonæi undique adhærentem; ſcilicet ichor ille qui continuò è rene, ut ſuprà dictum, infarctô depluens, urinę in veſicâ immiſcebatur, non tantùm dyſuriam creabat, ſed etiam à prædictæ veſicæ parietibus imbibitus, eas ſenſim & attrivit, & viciniæ præter

naturam

naturam univit; Sic videmus præputium balano, plenram pulmonum lobis, aliaſque partes per ſeroſos & corrodentes humores ſæpiùs invicem necti; & aliquando mihi in cane à Clariſſ. Dominô Zvviky, Clarcanô Helvetico, Medicinæ tum Candidatô, nunc, Practicô apud ſuos Celeberrimô, & Anatomicô eximiô, apud me exſectô videre contigit coſtas aliquot inferiores per ictum priùs inflictum diſruptas, ſaniemque interiùs ſtillantes, medio propè diaphragmati intime adhæſiſſe, vulnere aliàs abſolutè ſanatô; ut & in eôdem majorem hepatis ſuperficiei partem peritonæo undique alligatam, propter vim iſti viſceri factam in ictû præmemoratô, unde ex eô ſeroſius ichor tranſudavit qui glutinis vices egerit. Sed ad rem revertamur, & expiſcemur quid cauſæ fuerit, cur peritus atque verſatiſſimus Lithotomus de calculi veſicæ præſentiâ tam confidenter cum Medicis aſſidentibus, pronunciarit, exploratione dexteriter per ſpecillum facta? Super hoc recurrendum credimus ad ea quæ mox attulimus, nec ampliùs verbulum addere neceſſarium credimus.

Prognoſis Calculi renum & veſicæ ex mox citatô *Jean. Groënevelt* hæc eſt.

Pueri, inquit Hippocrates 6. Epidem. maximè veſicæ; ſenes renum calculo magis ſunt obnoxii. Et aphor. VI. renum & veſicæ vitia in ſenibus difficulter ſanantur.

Lithiaſis à parentibus in ſobolem, primigenia ſeminis labe, omnem fermè, quamvis alioquin generoſiſſimam ſpernit eluditque medicinam tam prophylaxeos quàm curationis ergò adhibitam, unde Aretæus multò difficilius eſſe putavit, renes aut veſicam, diſpoſitionibus calculi obnoxia, artis beneficio ab illis generandis impediri, quàm uterum fœcunditate luxuriantem à concipiendis fœtibus.

Veſicæ Calculus pharmacorum reſpectu curatu difficilior quàm qui in renibus eſt; ſi verò chirurgiam ſpectemus, longè ſæpè facilior; aliquando tamen, doloribus ad ſpinæ muſculos extra vergentibus abſceſſu facto, illæc calculos excretos, & ulcus conſolidatum fuiſſe, conſtat. Calculus vehemens & periculoſum eſt malum, inflammationes, exulcerationes, dolores atroces, vigilias, febres, urinæ ſuppreſſionem, aliaque graviſſima ſymptomata inferens.

Si calculus non ſit magnus ſed parvus, non in corpore chachectico, nec humorum ad calculum generandum magna copia adſit, non hæreditaria ad illum diſpoſitio, bona, contraria vero ſi adfuerint, mala exinde prognoſis haurienda eſt.

Si calculus ſit ſatis magnus & durus, æger operationi chirurgicæ, quamvis periculi plenæ, ſi ab eo liberari velit, ſeſe ſubjiciat neceſſe eſt.

Quod ſi lapis ſit inconſuetæ magnitudinis & ponderis, qualem in plurium præſentia eduximus è cadavere N.L. juxta Noſocomium S. T. qui 19. uncias & tres drachmas pendebat, tales pro deſperatis habendi ſunt, & minimè, dum vivunt attingendi.

Qui calculum ſive folliculo incluſum ſive ſolum veſicæ membranæ tamen annexum in ſuo geſtat corpore, in eodem prædicamento verſatur, ut & ſenes debiles, pueri & infantes, minori ætate, ſed infirmi.

E contra, ſi vires conſtent ægris, viſcera benè ſint diſpoſita, calculus non ſit nimis magnus, quamvis ſint plures, implorato Dei auxilio, operatio animosè aggredienda, & de ejus ſucceſſu benè ſperandum eſt.

Feliciùs & ſecuriùs ejiciuntur & extrahuntur calculi in mulieribus, quàm in viris, quia brevem & amplum habent urinæ meatum.

De Indicationibus & Curatione vide quæ ſequuntur.

Curationes.

In Cura Calculi ab initio Clyſter injiciendus leniens & flatus diſcutiens, ne ſcilicet flatus & excrementa in inteſtinis contenta renes comprimant & dolores augeant. Flatus dico, quia calculoſi plerumque generant flatuum copiam propter ventriculi imbecillitatem. Fortes autem clyſteres & diuretica, ſolaque ſolutiva ab initio devitanda, quia humores agitant, qui agitati ad renes decumbunt & dolorem augent. Diuretica verò ſeroſos humores ad renes dirigunt, unde dolor quoque augetur. Statim quoque regio renum inungatur oleo ſequenti:

℞. Ol. ſcorpion. part. j. terebinthin. part. ß. Superpoſito Emplaſtro, quod.

℞. Cerati infrigidantis Galeni ℥iiß. ung. roſat. camphorat. ℥ij. Opiat. ℥iß. extendatur ſuper alutam, qua regio renum tegatur. Intra corpus aſſumat olei Amygdalarum dulcium ℥ij. in juſculo aliquo cum eſſentiæ Croci g. vj. ipſius ℈ß. ut viæ laxentur. His peractis, ſi patiens Plethoricus fuerit, vena ſecari poteſt, ne ſanguinis multitudo ob dolorem & tenſionem in partem dolentem ruat ac dolorem augeat. Offerri etiam poteſt doſis laudan. opiati, imo, ſi dolor ſit vehemens, ex eo fieri poteſt Emplaſtrum renibus applicandum: detur etiam ſyrupus de mucilaginibus cum emulſione 4. ſem. frig. majorum: hinc exhibeatur bolus ex Caſſia recens extracta. Et ſi dolor non remittat, fiat balneum in quo æger ſedeat uſque ad brachia.

℞. Rad. malv. altheæ an. ℥ij. flor. chamomill. melilot. an. p. iiij. reſtæ bovis p. vj. ſem. fænicul. ℥viij. lini ℥iiij. bacc. juniper. m. iiij. Coque in ſ. q. aquæ pro balneo, in quo commoretur per horam 1. vel 2. Poſt 2. horas ſi non remittat dolor, parum ſe moveat ambulando per cubiculum, & iterum ingrediatur balneum, in eo ſedens aſſumat gr. vj. olei oculorum cancrorum (quod præparatur ſequenti modo.)

℞. Pulv. cancrorum ℥v. olei tartari per deliquium facti ℥vj. miſta digerentur in B. vel fimo equino per 15. dies, poſtea coagula materiam in phiala in arenam locata, tandem pulveriſa, pulverem cum ſpiritu vini extrahe in formam olei ſpiſſiſſimi, abſtrahendo inde ſp. Vini redige; doſis à gr. iiij. ad vj. in aqua petroſelini vel ononidis cum ſyrup. de mucilaginibus ℥iß. aut ſi cares, oleo iſto:

℞. Oculorum cancrorum præparatorum, trochiſcor. de Alkekengi opt. pulveriſatorum an. ℈ß. detur cum ſyrupo dicto: poteſt etiam cataplaſmatis loco applicari regioni Renum Naſturtium in lacte coctum.

Hinc ad ea, quæ proprietate quadam Calculum pellunt, accedendum, quæ omnia dolore priùs præſente in balneo afferenda, in quo æger, ut dictum, commoretur, præmiſſa tamen, ſi inducias patiatur dolor, purgatione leni, quæ fit apozemate aut ſyrupo aliquo.

℞. Fruct. alkekengi ʒß. rhabarb. elect. trochiſc. de agarico, an. ʒj. nuc. moſcha. ʒß. Decoque in ſ. q. aq. comm. ad ℥vj. colaturæ adde ſyrup. de 5. radicibus, de cichorio cum rhabarbaro ana ℥iß. F. Apozema pro duabus doſibus. Medicamenta quæ proprietate quadam contra hunc morbum faciunt, ſunt: 1. Aqua Antinephritica.

℞. Rad. reſtæ bovis ℔j. minutim conciſe macerentur in vini generoſi ℔ij. per 3. dies. Deinde exprimantur & colentur. In colatura macerentur, Rad. Petroſelin. eryngii, parietariæ; herb. herniariæ, ſaxifragæ cum toto an. ℥iiij. fruct. alkekengi, granor. juniper. conquaſſat. an. ℥ij. ſem. fœnicul. urticæ, melonum,

milij

milii ſolis an. ℥ij. Omnia inciſa in dicta Colatura macerentur per 4. dies, fortiterque exprimantur, expreſſo adde ſucci portulac. ℔ij. deſtillentur per Alembicum. Doſis Cochl. ij. tum præſervationis, tum curationis ratione. 2. Commendatur ſequens, quam Aq. Fuckerorum aliqui nominant.

℞ Rad. liquiritiæ ℥ij. petroſelin. ononidis, pimpinellæ an. ℥iß. enulæ ℥j. fol. heder. terreſtr. m. iiij. ſem. fœnicul. urticæ an. ℥vj. ſucci heder. terreſtris ℥v. præmiſſa per 3. dies infuſione deſtilla, aqua ſervetur, cui ſyr. de Caryophillis vel de Canella pro condimento admiſceri poteſt, doſis ut præcedentis. Huc ſpectat oculor. cancrorum oleum ſuprà deſcriptum. Ut autem reliquiæ & mucus in renibus & veſica exiſtens expurgetur, & dictæ partes corroborentur nodulum ſequentem in vino maceret, & ſingulis diebus matutinis hauſtum nodulo tamen expreſſo, aſſumat. Nodulus ſit talis.

℞. Lign. ſaſſafr. nephritic. an. ℈iß. rad. polypod. petroſelin. an. ℥ij. reſtæ bovis, pimpinellæ ſanguiſorbæ an. ℥iiß. aſparag. irid noſtr. an. ℈ij. irid. Florent. ʒß. turibth. albiſſimi ℈ij. herb. roriſmar. fragariæ, ſaxifragiæ, pimpinell. an. m. ß. flor. roſar. borragin. an. p. j. ſemin. anis. fœnicul. ſileris montani an. ʒß. fruct. alkekeng. Num. vi. cinnam. elect. ʒß. macis ℈ij. Contuſa ligentur in ſindone rubro. F. Nodulus in ℔iß. Vini per tres dies macerandus. Alternis quoque diebus capiat ʒ. ß. terebinthinæ lotæ in aqua Halicacabi & interdum cum ſyrupo ſequente aut etiam in vino calido cum ſpiritu terebintinæ ℈ß. It. ad libitum, tempore matutino in uſu habeat Morſulos Imperatorios, quibus ol. nuc. moſchat. deſtillat. inſtillet gutt. 1. ad iij. Syrupus fiat ex ſyr. 5. radicib. ℥iij. è lupulo ℥ij, aq. petroſelin. halicacab. an. ℥iß. Capiat cochl. j. vel ij. cum ſpiritûs Terebinthinæ ℈ß. Si à potione dicti jam noduli alvus non ſit libera, aliquo ex ſuperiùs dictis ſyrupis, aut alio ad placitum purgante leniter purgetur. Si lignum Nephriticum verum haberi poſſit maceretur ʒß. in vino per 7. dies, vinumque bibatur manè: ab eo aſſumpto ſe exerceat æger. Ad miraculum, ſi repetatur, renum calculoſam diſpoſitionem emendat, eos confortando & materiam lapidis ſine moleſtia educendo. Celebre nephriticum paratur ex capitulis illis calloſis, in fructibus Cynosbati ſive roſæ caninæ innaſci ſolitis, Germanis *Schlafopffel.* capitella illa per medium diſſecta calloſa ſunt, ac in centro eorum plerumque reperiuntur Vermiculi viij. Præparatio fit exſiccatis & pulveriſatis, exemptis tamen vermibus, in modum extracti cum ſpiritu vini, præparatur.

In Calculo veſicæ.

Lithontripticon famoſum ex millepedibus deſcribitur in notis ad Crollium: quo reſolvi calculum ovi magnitudinem excedentem. Methodum medendi calculo tradit Mercatus Tom. 3. lib. 4. cap. 10. Præter iſta omnia maximè utile eſt ut quolibet anno expurget humores crudos cum caſſia & Terebinthina. Poſt purgationem venæ ſectio, & poſt urinæ procurationem Evacuatio etiam ſingulis menſibus poteſt inſtitui. Hujus (ſupra dicti) ſpecifici adminiſtratio eſt talis: 1. Purgetur patiens calculum veſicæ purgante convenienre. Præſtat in hoc caſu ſpecificum purgans Paraceſi, acres purgationes reliquæ hic minùs locum habere poſſunt. 2.

℞. Pulv. Oniſcorum à ʒß. ad ℈iiij. ſpir. vini; à ʒj. ad ʒiß. (bilioſis medetur tantùm ſp. vini) juris Cicerum rubeorum ℥j. m. Hanc mixturam exhibe totam, deinceps ſingulis diebus patienti mane jejuno ventriculo, quinque nempe horis ante paſtum: ita tamen, ut ſemper ante ſumptionem ſpecifici, Enema molliens & lene ſine acrimonia purgantium capiat (niſi nimirum alvus libera:) uſum hujus ſpecifici excipit febris, ac deinceps per totius curæ curſum utatur diætâ convenienti & molli, ne uſpiam alvus obſtruatur (ab initio ne detur vinum ante diem 16.)

Poſt aſſumptum ſpecificum ſequitur Calor ferè totius Corporis præter naturam. It. ſitis moleſta & dolores circa pubem ſentiuntur. Medicamentum hoc lapidem Veſicæ vi quâdam invadere ſolet: quapropter omnia calida diligenter evitentur, & nonnumquam lapidis prunellæ aliquid in aqua fragorum aut fl. fabarum. It. Julapium ex iſtis aquis cum ſyrupo violaceo & guttis iij. vel iiij. ſpir. vitrioli exhibeatur. Diebus primis urina inprimis progreditur admodum craſſa & & exigua, ſequentibus v. diebus ut pote 9. 10. 11. &c. copioſiùs calor remittit, dolores ſiſtuntur, & univerſa ſubſtantia calculi comminuta in minimas partes progreditur. Urina nimirum toto curſu curæ collecta, ſi bulliendo, exſiccetur, tandem prodit quantitatem calculi; denuò in lapidem convertibilem, ſi cum ſolutione Tragac. vel Ichthyocollæ conformetur.

N. B. Interdum in hac cura opus eſt, ut aliquando dies unus atque alter vacuus ſit ab hac medicina, & quieſcat patiens propter vires colligendas, idque in tenerioribus locum habere poteſt. Hoc tamen hîc obſervandum, ut medicamenta interdum per Catheterem in veſicam mittantur, ægerque ſtatim in B. locetur, inungatur poſt Balneum calidè pecten & perinæum ol. Scorpionum, amygdalarum amararum, axungia cuniculi, & gallinarum ana ℥iß. ſucci parietariæ ʒij. Lapis veſicæ ſi confirmatus jam ſit, & ad aliquam magnitudinem jam pervenit, vix alia ratione curari poteſt, quàm ſectione. Poterit tamen tractari ſuprà dictis, præſertim in mulieribus, in quibus via laxior & recta.

Tinctura antinephritica & ſplenetica.

℞. Nitri purif. part. ij. Tart. part. j. trita in ſartagine decrepitent, contuſis iterum in M. B. calido mortario affunde tantum Aq. fraxini vel cardui benedict. aut alterius cujuſvis aquæ ſpecificæ, quantum ad ſolutionem neceſſarium, nec plus, quod obſerva & coletur. Colaturæ adde tartar. opt. crud. pulv. & in vaſe amplo ligneo colloca ne quid fermentatione, quæ ſequitur, effluens pereat; Extrahatur tinctura Tartari rubicundiſſima; Coletur denuò & ſervetur uſui, cujus non ſatis laudandus, ad calculum enim & affectus lienoſos præſentiſſimum & expertum eſt remedium, flatuſque optimè diſpellit, principio prandii ad ʒj. datum. *Ioan. Hartmann. in Pract. Chymiatric.*

In calculo renum, in Diæta radices petroſelini & herba ejus, ſi exinde juſcula parentur, cavet, ne calculus augeatur. Crato pariter in his affectibus cynoſbati fructus commendat. Oleum Amygd. dulcium recens dilatat ureteres. Conveniunt etiam grana juniperi in cibo. Comminuentia ſunt lignum Nephriticum; Dicitur etiam ſantalum cœruleum, quia aq. tingit colore cæruleo & flavo pro diverſitate diverſa, ſi ad lucem ponatur, videtur flavum, ſi verò in umbra, cæruleum, aliàs non poteſt diſtingui ab alio ſantalo. Porrò aq. fragorum eorumdemque ſyrupus, emulſio ex ſem. 4. frig. majoribus, ſemen violarum, ut & pediculi violarum qui mira hic præſtant, cùm aliàs abjiciantur. Fortioribus pollentibus ſemper addenda ſunt laxativa in calculo uſitata, ut cathol. terebinthinatum Mynſichti, ejuſdem pilul. terebinthinatæ, ſyrupus nephrocatharcti-

cus. Clyſteres ad curationem proſunt emollientes, additis carminativis & ſpecificis; V. S. Ego non adhibeo, nec aliquid juvare arbitror. Laxant alias vias ſyrupus de althæa Fernelii, de mucilaginibus, ſyr. violarum ex floribus cum folliculis, ubi ſemen ineſt, quod purgat & pellit calculum. Externè ol. amygd. dulcium lubricat: Miſcetur cum ſucco citri. Magiſterium tartar. vitriolat. debet miſceri cum ſalibus appropriatis, vel diſſolvatur cum brodio in quo petroſelinum coctum fuerit, conterit enim frangitque calculum. Lapis ſpongiæ, lyncis & judaicus huc pertinent, ex quibus ego habeo peculiarem liquorem. Aq. Nephritica porrò, cryſtallus, lapis percarum, ova ſtruthionis & ſal ex hiſce. Cortices ovorum excluſis pullis. De lapide Nephrit. vid. *Vnzerus & Lauremberginus*. Si dolor eſt acutus, additur aliquid de laudanô opiatô, tam externè quàm internè, v. g. unguent. anodyn. Mynſ. aliis ſpecificis additum. Si adeſt urinæ ſuppreſſio prodeſt cataplaſma Cratonis, additur etiam aliquid de oleô ſcorpionum vel nucl. meſpilorum. Sanguis hirci ab *Helmontiô* commendatur, ſi nutriatur per aliquod tempus herbis nephriticis & diureticis. It. lepus combuſtus menſe martiô & ſanguis eôdem tempore collectus. Semen urticæ, ſaxifragiæ, bardanæ, milii ſolis, geniſtæ, violarum. It. ſal geniſtæ, ſtip. fabarum, ononidis, ſtercoris columbini huc pertinent. It. eſſentia nephritica ex vegetabilibus cum ſpiritû glomorum cynosbati fructûs; glomi ſimul ſiſtunt dolores; Infundantur vino & excitant ſomnum; eſt ingrediens Eſſentiæ meæ nephriticæ. Eſſ. ocul. cancr. & cineres eorum. It. Claretum juniperi, quod præparatur ex rob cum ſpiritû juniperi.

Alvus in calculô ſemper ſit aperta. In Paroxyſmô proſunt clyſteres:

♃. Herb. viol. parietar. malv. an. m. j. rad. althææ ℥ij. flor. malv. chamomill. an. p. iij. Coq. in ſ. q. aq. com.

Col. ♃. ℥viij. in quibus diſſolve Caſſiæ pro clyſt. ℥iß. ol. lil. alb. ℥j. ſcorpion. ſimpl. ʒij. m. F. l. a. Enema.

♃. Herb. ononidis, heder. terreſtris, parietariæ, virg. aureæ an. m. j. Rad. ononidis bardanæ, an. ℥j. ſem. althææ. ʒiij. flor ſambuci, geniſtæ an. m. ß. Coq. in ſ. q. aq. communis.

Col. ♃. ℥vj. unguent. clyſmat. caſſ. pro clyſt. ℥j. ſal. geniſtę ℈j. vitell. ovorum N. j. antimon. cum vitriol. fixati ʒj. m. F. Clyſter. pro ditioribus addi poteſt oleum amygd. dulcium. Purgantia:

♃. Pil. de Terebinth. ʒiij, Doſ. ʒß. ad ʒj.

♃. Pil. de Terebinth. Mynſ. ʒij.

♃. Terebinth. cum aq. malv. & vitell. ovi in liquorem redactæ ʒiij.

♃. Sem. viol. purpur. ʒiij. c. ſ. q. aq. ſaxifrag. F. Emulſio. Edulcoretur Julepô roſatô vel viol. Eſt ſecretum Hartmanni etiam in urinæ retentione vel ſuppreſſione valens.

♃. Tartar. vitriolat. ℈j. ſalis geniſtæ gr. viij. ſcam. roſ. gr. vij. m. pro una doſi. In Paroxyſmo.

♃. Unguent. dialth. ℥j. ol. amygd. dulc. perſicor. expreſſor. an ʒß. M. F. unguentum.

♃. Ol. lil. alb. amygd. chamomill. an. ℥ß. ol. ſcorpion. ſimpl. ʒiß. m. Poteſt etiam addi ol. ſtillat. chamomillæ & ceræ.

♃. Unguent. nephrit. Mynſ. ℥ß. ol. nephrit. ℥iß. m.

♃. Ol. anethi ℥iß. ol. ſcorpionum ʒiij. ol. capparum ʒj. axung. caninæ vel porcinę ℥ij. ſucci rad. bardanæ ſucc. urticæ an. ℥ij. Coq. lento igne ad conſumptionem humorum. Valet etiam in ſuppreſſione urinæ.

♃. Herb. malvæ, parietarię, heder. terreſtris, ſaxifragiæ an. m. ij. flor. chamomill. hyperici, geniſtæ, ſambuci an. m. j. rad. ononidis, bardanæ, althææ an. ℥ij. ſem. urticæ, ſem. geniſt. an. ℥j. Inciſ. & contus. D. S. ſpecies pro Balneo.

♃. Ol. amygd. dulc. rec. expreſſ. ℥j. Poteſt ſumi cum. brodio carnis, in quo radix petroſelini cocta fuerit.

♃. Sem. 4. frigid. major. an. ʒiß. violar. ſaxifrag. an. ʒij. Nucl. perſicor. ʒiij. c. ſ. q. aq. ononidis, ſaxifrag. an. F. l. a. Emulſio, edulcor. parum Julepô violatô.

♃. Aq. ononid. ſaxifrag. malv. an. ℥j. Syrup. Fernel. de alth. ℥ij. Ubi dolor acutiſſimus & vigilię.

♃. Pulv. anodyn. gr. XII. magiſt. nephrit. gran. x.

♃. Aq. malv. ℥iij. ſyr. Dialth. Fernel. ℥ß. Laud. opiat. gr. iij.

♃. Extract. nephritic. gran. vj. Laudan. opiat. gr. iij. M. F. Pilulę.

♃. Conſerv. heder. terreſtris ʒj. mag. ocul. cancr. mag. lapid. nephrit. an. gr. iij. Laudan. opiat. gr. iij. cum ſyr. dialth. F. Bolus. Extra Paroxyſmum.

♃. Lign. nephrit. ʒß. Doſ. gutt. xx.

♃. Tinctur. contra calculum ℥ß. Doſ. gut. 30.

♃. Eſſent. nephrit. veget. ʒvj. Doſ. ℈j. ad ʒß.

♃. Vin. malvat. juniper. ℔ j. Syr. de althęa ℥ iij.

♃. Rob. juniper. rob. cynosbatos an. ℥ iij.

♃. Magiſt. nephrit. ʒ ij.

♃. Tartar. vitriolat. ʒ iß. ſal. ſtip. fabarum, ſal. geniſtę, ſal. ononidis, ſal. ſterc. columb. an. ʒß. m.

♃. Lign. Nephritici ℥ iij. Infund. aq. ononid. ſaxifrag. contra calcul. uſit. an. ℥iij. Stent in loco calido, poſtea filtrentur. Tingitur hęc aqua à ligno cœruleo colore, *vid. Hornungi ciſta Medica & Diſput. Renodæi.*

♃. Tereb. aq. parietar. ſępius lotæ ℥ß. ſal. ovor. ſtruth. ℈j. pulv. liquirit. ʒß. cinamom. ℈ß. c. ſ. q. aq. Nymph. F. Pilulę inſtar piſorum. *Joan. Michael in Prax. clinic. general.*

In calculo veſicę commendatur ſal tartari diſſolutum in aq. petroſelini; ſed meliùs diſſolvitur in aqua quadam compoſita lithontriptica. Millepedes, variis pręparantur modis, ſed optimus eſt, qui fit ſpirit. ſalis. Si calculus veſicę obſtruat urethram, aliquando juvat; ſi æger pedibus tollatur, & ita fortiter commoveatur. Conveniunt autem hîc medicamenta ſuperiùs in calculo renum laudata. Hîc verò fortiora non poſſunt.

♃. Aſell. præp. cum ſp. ſal. ʒj. ſpir. juniper. ʒ ij. juris cicerum ℥ ß. m. Eſt experimentum Laurembergii.

♃. Tereb. citrin. cum ſucco citr. lotæ ℥ß. ſpec. lithontriptic. ʒ i ß. ſcamm. roſat. ℈ ij. M. F. l. a. Pilulæ.

♃. Tereb. cum aq. ſaxifrag. lot. ʒij. magiſt. Nephrit. ʒ j. m.

♃. Herb. herniar. ſaxifrag. an. m. j. Glom. cynosbat. num. IV. rad. eryng. ononid. bardan. an. ʒ ij. F. l. a. Nodulus.

♃. Sal. fimi columb. ſal. ſtip. fabarum an. ʒ ij. ſp. ſal. ʒ j. M. *Idem, ibidem.*

In dolore nephritico, obſtructione & calculo renum & veſicæ.

♃. Rad. Althæę, lilior. alb. an. ℥ j, Herb. malv. ſaxifrag. branc. urſin. flor. chamomill. melilot. an. m. ß. ſem. aniſ. ℥ ß. fœnicul. lini an. ℥j. coq. in ſ. q. aquę communis, colat. ℔j. adde extract. caſſ. ℥j.

Tereb. in vitell. ovor. ſolut. ℥ß. ol. anethin. ol. ſcorpion. an. ℥ j. m. f. enema.

℞. Extract. caſſ. ʒß. pulv. rhab. ʒj. tinctur. tartar. ℈ j. ol. amygd. dulc. ʒj. miſce f. Bolus.

℞. Pulp. caſſ. ℥ß. extract. liquiritiæ ℈ß. ſal. eſſent. tartar. gr. vi. Laudan. liquid. tartariſ. gt. iij. aq. fœnicul. ℥ij. m. f. potio. *In India.*

℞. Conſerv. flor. caſſiæ ʒij. pulver. rhab. ʒj. pulv. liquirit. ℈j. lap. percar. pręp. ℈ß. ol. amygd. dulc. ʒj. miſce f. Bolus.

Vel ℞. Aq. petroſelin. fœnicul. an. ℥ij. liquoris lapid. Hæmatit. ʒß. Laudan. liquid. tartariſat. gr. v. Syr. fœniculi, liquiritiæ an. ℥ß. miſc. doſis cochlear. j. bis in die.

Seu ℞. Aq. Morungæ, fœniculi an. ℥j. ſp. ſal. ammoniac. ſp. lign. ebeni an. gr. xv. ſyr. perlar. ℥ß. miſc. detur cochleatim.

Vel ℞. Marmeladę antinephritic. ℥j. Doſis ʒj. ad ʒij. mane & veſperi cum aq. fœniculi.

In calculo renum & veſicæ.

℞. Spir. ſal. ammoniac. acidi ʒj. Doſis à gutt. x. ad xv. in aq. Saxifragiæ.

℞. Liquor. lapid. Hęmatit. ℈j. eſſent. juniper. ʒß. miſc. doſis gt. xv.

Vel ℞. Tartari vitriolati ʒß. ocul. cancror. gr. xv. ſal. ſuccin. volat. gr. v. ſal. ſtipit. fabarum ℈ß. miſc. f. Pulvis pro j. doſi.

Seu ℞. Nitri vitriolati ʒß. lapid. perc. pręp. ʒj. ſuccin. pręp. ℈j. m. f. Pulvis pro 1. doſi.

Sive ℞. Spir. urin. hirc. ʒß. eſſent. Hyperici ʒj. ſyr. liquirit. ℥ß. aq. Hyperici ℥iij. miſc. doſis cochlear, bis in die.

℞. Spir. ſanguinis hirci ʒß. vini Alkekengi, ℥ij. miſc. pro 2. doſibus.

℞. Spir. ſal. tartariſati ʒ j. Doſ. gt. x.

℞ Marmelad. Antinephritic. ℥j. Doſis manè & veſperi ʒj. ad ʒ ij. *Herm. Nicol. Grimm. in Compend. Medico-Chymic.*

In mictûs ſanguinei à calculô renibus impactô remedium, & ſanguinem ſatis copioſum è brachio mitti curabam, & poſt purgationes univerſales, medicamenta refrigerantia & incraſſantia, varii generis in uſum revocabam; Diætam interea his conſentaneam adhibens, liquores acidos, acres, & attenuantes ſollicitè devitans. Cùm autem neque iſta, neque alia permulta, quę numerare longum eſſet, quicquam prodeſſent; & metuens calculum quem grandiorem eſſe ſuſpicabar quàm ut expelli poſſit, aquis chalibeatis ad exitum ſollicitare, tandem ſpem rei bene gerendę prorſus amiſi. idque eo potiſſimùm nomine, quod obſervâram ſenes aliquot mihi notos, ſibi mortem acceſſiſſe, dum hujuſmodi remediis incaſſum morbi curationem molirentur. Steterit itaque ſententia non ampliùs tentare, at vitato tantùm quàm potui maximè corporis motu, ab hoc affectu mihi cavere. Tandem verò animo fortè recolens, quàm mirè nonnulli deprędicent ſeminis *Fraxini* vim Lithontripticam, ſubiit cogitare quòd ſi ſemen ejuſmodi virtute polleret, omnino veriſimile eſſet *Mannam* Fraxini adhuc plus poſſe. Cùm manna quam habemus, docente Botanographo τοῦ πάνυ Domino *Joan. Ray* poſt alios ſcriptores, neque Mel Aëreum eſt, nec Ros aliquis Cœleſtis, ſed liquor potiùs, tam è foliis, quàm è trunco & ramis Fraxinorum in Calabria naſcentium, exudans, de cujus rei veritate idem dum in *Italiâ* peregrinaretur certior factus eſt ab eruditiſſimô Medicô, qui ex ramulis & foliis linteô à ſe curioſè contectis Mannam (qui eſt ſuccus ita concretus ut dixi) ſæpius collegit. *Vid. Joan. Ray Catalogum plantarum* Angliç: experimentum itaque facturus, Mannæ ℥iiß. in ſeri lactis ℔ ij. ſolutæ hauſi, pauxillum ſucci limonum ſubinde, dum purgaret, deglutiens; quo & Catharticum acuerem, quod ſegnius operari ſolet, & ventriculo minùs ingratum redderetur. Ab hujuſce remedii uſu vix dici queat quantùm ego levaminis circa Renum regionem perceperim; licèt enim antea non ſemper dolerent Renes, tamen pondere quodam gravativo & moleſto ſenſu afficiebantur. Quod cùm ita feliciter mihi ceſſit, idem Catharticum ſingulis Hebdomadis ſtato quodam die ad menſes aliquot continuos in uſum revocabam, & poſt ſingulas Catharſeos vices meliùs me habuiſſe planè ſum expertus, donec tandem etiam rudiorem Currûs conquaſſationem ferre potuerim; ab hoc ſymptomate prorſus liberatus uſque ad veris tempus jam proximè elapſum. Quo apparente, cùm per prægreſſam hyemem ferè omnem Podagrâ laboraſſem, & prę nimia corporis ad motum inhabilitate, quieti & ἀκινησίᾳ magis quàm aliàs ſolebam, indulſiſſem, rediit denuo ſanguinis mictus. Hic ego an ad Catharſin me iterum reciperem hęrebam dubius; quoniam nuperis hiſce annis omni corporis ſubſtantia in Podagrę ſedem & fomitem quaſi perversâ, Catharticum, quantumlibet lene, diutinum Podagrę paroxyſmum certò certiùs accerſebat. Tandem animo ſuccurrebat quòd ſi Paregoricum ſingulis noctibus poſt purgationem adhiberem, quo tumultus à Carthartico excitatus ſedaretur, poſſe me priſtinam methodum Mannæ ſemel in hebdomade capiendę tutò reſumere. Uncias itaque duas cum ſemiſſe in ſeri lactis ℔ ij. diſſolutæ manè hauſi, & ſerò guttas XVI. Laudani liquidi in Cereviſia tenui dormiturus adjeci. Et Mannam & Laudanum dicto modo repetens bis in Septimana ad ſex vices. Poſtea verò mannâ ſemel in ſeptimana tantùm uterer, humorum illuvie jam ita copioſè à Carthartico ſubductâ, ut à Podagra minùs metuendum erat. Cùm tamen mea mihi ratio planè dictaverit, quòd ſi facultate aliqua, ſive diſſolvente, ſive alio quovis modo Lithontripticâ fuerit inſignita Manna, omnino eſt neceſſe ut Medicamentum, quale eſt Laudanum, valdè aſtringens, remedii, in quo ſpem collocaveram, efficaciam ac vim quadantenus infringat; ſatius eſſe duxi Hypnoticum miſſum facere cùm jam ſemel in ſeptimana alvum ſolverem. In qua Methodo jam ad menſes aliquammultos perſiſto, eundem ſeptimanæ diem ubique Catharſi dicans; nec me ab hoc more, ex quacunque data anſa dimoveri patior. Licet à prima hujus remedii doſi dolor qui in dorſo erat, remittebat uti priùs, tamen non ita diu poſt repetita Catharſis Podagræ ſignum dedit; quod nunc Artubus, nunc viſceribus, bellum cœpit indicere; at hęc morbi tentamina Laudanum fortiter repreſſit. Cùm hæc mihi medendi ratio hactenus bene verterit, in eadem perſeverandum mihi eſſe judico, tam ad præcavendum mictûs ſanguinis recurſum, quàm ad imminuendum aliquantulum ipſius Podagræ fomitem, (cujus radicalem curationem jam à me poſſe obtineri planè deſpero, rariores paroxyſmos eoſque breves ac tolerabiles ſolùm exoptans) ſubductis per hæc intervalla fœdis illis humoribus, qui à depravata coctione prima hujuſce morbi origine, in corpore ſenſim accumulantur, donec tandem ſummum depravationis gradum adepti, in Podagrę Paroxyſmum actu deſinant, ex occaſione vel ſolito majoris ſive animi ſive corporis agitationis & motûs, vel cauſæ alterius cujuslibet, unde dicti humores ad fluxum inciantur. Purgationem itaque quod attinet (modò cathartico, mannâ ſcilicet, & ſecundùm methodum ſuprà à me traditam ſubducatur alvus) jam retractanda mihi eſt ſententia illa mea quam

in ſcripto

in ſcripto de Podagra olim evulgaveram: nempe Podagrâ affectis minimè conducere, ut vel initio, vel in declinatione, vel per Paroxyſmorum intervalla purgentur.

------*Nec ſi miſerum fortuna Sinonem*
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Nondum enim in mentem mihi venerat, Paroxyſmum quem à tumultuante cathartico excitandum metuebam, exhibito ſub noctem Hypnotico prohiberi potuiſſe.

De Regimine victûs ratione, quæ utrovis horum affectuum laborantibus competere mihi videntur, (quando nihil eorum præterire velim quę iſtis uſui eſſe poterint qui iiſdem, quibuſcum ego, morbis confligantur) hæc addo mane lecto exſurgens, decoctionis *foliorum Tea* cyathum unum alterumve exicco; dein curru ad meridiem uſque geſtatus, & domum reverſus, quovis ciborum genere mihi grato & eupepto modicè [id enim ante omnia ſemper, & diligenti cum cura tenendum eſt.) me reficio; ſtatim à prandio per ſingulos dies vini Canarini plus aliquid quarta parte cibrę (ſeu Pintę) vulgaris ad promovendam ciborum in ventriculo concoctionem, & ad Arthritidem à viſceribuus procul arcendam, haurire ſoleo. Pranſus iterum Rhedâ vector, & quoties per occupationes meas non deſtineor, Rus peto, aëris ſalubrioris inſpirandi gratiâ, ad milliaria duo vel tria. Cereviſię tenuioris hauſtus mihi pro cœna eſt: ſed & hunc repeto etiam in lectulo, me jam ſomnum compoſiturus; idque eo fine ut hoc Julapio ſuccos acres calidoſque in renibus ſtabulantes, è quibus fit calculus, refrigerem ſimul ac diluam. Ego verò & hîc & inter prandendum cereviſiam tenuem lupulatam, cereviſię non lupulatę, quantumlibet tenui, ac miti, pręferendam cenſeo. Licèt enim non lupulata, mollitie ac lubricitate quâ pollet, ad ſubducendum calculum jam in Renibus concretum magis faciat; attamen Lupulata, ob levem illam ſtypticitatem quam impertiunt Lupuli, minùs facit ad ſabuli vel materię calculoſę generationem, quàm facit non lupulata, cujus & viſcidior eſt ſubſtantia, & lutulentior: Quo die catharſi defungor, ex Pulli carnibus Prandium mihi eſt; vinum tamen Canarinum pro more meo ſuperbibo. Mihi curę eſt, pręſertim hyeme, ut lectum temporiùs petam: quo nihil magis confert ad concoctiones rectè perficiendas, & ad conſervandum pariter tenorem illum atque ordinem qui naturæ jure debetur. Sicuti ex adverſo, nocturnę lucubrationes, ſenum cum morbo chronico qualicunque confligantium, tum concoctiones imminuunt ac depravant, tum eorumdem principio vitali vulnus haud medicabile infligunt. Illud etiam ſedulò obſervo, ad præcavendum à calculo mictum ſanguineum, ut quoties per plateas ad longius aliquod intervallum curru vehendus ſim [geſtatio enim, vel ad maximam quamlibet diſtantiam, per vias lapidibus non ſtratas minimè obfuit, mihi] non priùs rhedam ingredior quàm hauſtum cereviſiæ tenuis paulò liberaliorem ingeſſero, quem pariter itero ante regreſſum domum verſus, ſi fortè alicubi diutiùs fuerim commoratus: quo pacto ſemper mihi à mictu ſanguineo ſatis eſt pręcautum. Etſi verò haud quenquam fortaſſe deceat (eum maximè quem ſive ſalvum, ſive mortuum eſſe Hominem vix interſit) ita crebram ſui mentionem injicere; hęc tamen eo animo dicta volui, ut aliis quorum vita ſaluſque majoris fortaſſe ponderis & momenti ſunt, queant prodeſſe.

Hîc poſtremò ſubindicandum eſt ingens diſcrimen in quod nonnulli ſe conjiciunt, tam calculo quàm podagrâ laborantes quoties mannam in *aquis mineralibus* catharticis ſolutam inconſultò capiunt. Quamvis enim hoc modo aſſumpta, & celeriùs vim catharticam edat, & minori nauſeâ ventriculum irritet; tamen minora iſta commoda injuriam aliàs ab aquis illatam penſare non valent. Etenim ei calculus renibus incluſus ita magnæ molis ſit, ut per ureterum ductus in veſicam propelli nequeat, iſtæ aquæ paroxyſmum ut plurimum excitant, qui couſque perdurabit, cum vitę ęgri periculo, donec tandem calculus in pelvim redierit. Quinimo nec *chalybeatis aquis* ęger ſe tutò committet, niſi priùs certò ſciat calculum majorem non eſſe quàm ut per ureteres viam poſſit ſive invenire ſive facere, quod hoc tantum modò, quantùm ego conjicio, certò dignoſcere poteſt; ſi nempe jam antea paroxyſmum aliquem nephriticum fuerit perpeſſus, (cum dolore ſcilicet ſæviſſimo in Renum alterutro, per ureterum ductus propagato, & vomitu enormi) pro comperto habeat, non tam grandiorem aliquem calculum pelvi concludi; quàm lapillorum exiguorum congeriem, quorum unus ſubinde in ureterem illabitur, atque ita Paroxyſmum hunc invitat, qui ferè non deſinit niſi calculo in veſicam detruſo. Cùm res ita ſe habeat nullum eſt magis efficax remedium ſive ad pręcavendum minorum calculorum incrementum, ſive ad eoſdem è Renibus deturbandos, quàm *aquarum chalybeatarum* potatio liberalior, per ſingulas ęſtates jugiter repetenda.

Cùm verò ſępè accidat, ut *Paroxyſmo Nephriticę* quis corripiatur, quando hujuſmodi minerales aquæ haud pręſto ſint, vel etiam tempeſtas anni adſit, quę earundem potationi minùs faveat; hac itaque compendioſâ methodo, ſine ulteriore remediorum apparatu, inſiſtendum. Si æger tempetamento ſanguineo prędítus fuerit, & ætatem provectiorem haud adhuc attigerit, ſanguis ex brachio Reni affecto reſpondenti, ad ℥ x. extrahatur; deinde liquoris poſſetici cui rad. altheæ ℥ ij. incoctę fuerint congium unum quàm citiſſimè devoretur, & ſequens enema injiciatur.

℞. Rad. althęę & lilior. an ℥j. fol. malvæ, Parietar. branc. urſin. & flor. chamæmel. an. m. j. ſem. lini & fœnugr. an. ℥ß. coq. in ſ. q. aq. ad ℔ i ß. colaturâ diſſolve ſacchari culinaris & ſyr. dialthęę. Fernel. an. ℥ij. m. f. enema. Quamprimùm per vomitionem ęger totum reddiderit, quod per os ingeſtum fuerit, aut etiam enema rejecerit, Laudani liquidi ſatis magna doſis propinetur viz. ad gut. xxv. vel *Pil. Mathæi*, gr. xv. vel xvi. In ſenibus verò, morbo aliquo diuturno fractis, ut & in vetulis, *vaporibus*, vulgò dictis, obnoxiis (præcipuè ſi ſub initium paroxyſmi urinam eę reddant nigram ac ſabuloſam) venæ-ſectio omittatur: At quoad reliqua, eâdem, quæ jam dicta fuit, viâ omnino procedendum. Sed ut ad calculum, qui hujus loci eſt, grandiorem revertamur. Quod ſi calculoſus nullo unquam paroxyſmo nephritico fuerit tentatus, cùm jam major ſit calculus quàm ut ex pelvi poſſit elabi: non ſolùm nihil proderunt *ferreæ aquæ*, ſed etiam ob jam dictas rationes, non ſine præſenti periculo ſumentur. Neque minùs malè quandoque *Podagricis* cedit aquarum mineralium uſus, modò ſenes fuerint (ut ſunt plerumque) & pariter corporis habitu phlegmatico imbecilloque. In his enim nonnunquam naturæ vires eò uſque ſunt imminutæ ac ſucciſæ, ut omnino metuendum ſit, ne tantâ copiâ aquarum penitus obruantur ac ſuccumbant. Sive verò in cauſa ſit noxæ quam exinde capiunt homines tali habitu ac temperamento prædíti,

præditi, ſive non ſit; illud mihi compertiſſimum eſt, haud paucos quorum corpora hoc modo fracta admodum, & quaſi confecta fuerant, hiſce aquis interemptos diem ſuum obiiſſe. *Thom. Sydenh. Tractat. de mictu ſanguineô à calculô Renibus impactô.*

Calculi renum niſi magni ſunt, aut malè figurati, aut corpori inſunt arido, veniſque exilibus prędito, haud magno plerumque apparatu propelluntur, ſępe etiam ſolo Naturę ductu. Notavi ego calculos, qui diu ſatis & quovis medicamenti genere fruſtrà erant laceſſiti, tandem ſponte ſua, aut remedio molliculo corpore exceſſiſſe. Verùm quia dolores ſunt longè intenſiſſimi, non indulgetur naturæ mora, ſed extemplo poſcitur quòd dolores dolorumque leniat materiam. Statim ergo ad primas querelas conquiruntur diuretica eaque calida & ſale volatili oleoſo plena, terebinthinata, juniperina, balſama ſulphurea, alliata, & alia quæ in frigidis feroſiſque corporibus non ſunt damnanda: ita in calidis, ut ſunt plerumque nephriticorum illa, ea cum prudentia adhiberi debent, ut nec copiâ, nec qualitate ſua ſanguinem nimium accendant viaſque exſiccent. Equidem, ut vidi renalem calculum ſanguineis bilioſiſque temperamentis familiariùs evenire quàm aliis, in ſuſpicionem veni ad generationem ejus plurimùm quoque conferre bilioſum fermentum. Adeò nunquam putavi nephriticos temerè calidis ſiccisve medicaminibus fatigandos eſſe, quippe qui cruciatuum bilioſique ſanguinis effervescentiâ plus ſatis incaleſcant. Nimirum oleoſa illa aut ſpirituoſa, quæ tot nominibus celebrantur, initio quidem & nondum inflammato ſanguine ſolliciteque uſurpata, pulchrè quidem conducunt, ſed progreſſu temporis, quando bilioſi fermenti acrimonia ſanguinem reneſque pervaſit, non bilem tantùm accendunt, ſed vias quoque, quas laxare oportebat, nimium exſiccant. Profectò, ſi Indicantium in illa Empirices invaleſcentis autoritate aliqua adhuc vis eſt, nulla etiam poſt curioſum examen magis convenire morbo illi poſſunt, quàm aquea, dulcia, pinguia, & quibus aliquid ineſt nitroſi, aut ſi quid renali fermento affinius urinæque juvat ſecretionem: In quo caſu cùm omnibus numeris abſolutum ſit Foreſti Belgę, Practici Celeberrimi, decoctum, dubitem ego, an quid convenientius morbo huic excogitari poſſit; Mihi certè in plurimis feliciſſimè ceſſit ejus uſus. Reperias autem ibi primò aquam cæterę virtutis vehiculum, quæ etiam mucoſum pelvis involucrum diluvio ſolvat, materiamque prębeat ſeri. Reperias mucilaginoſa malvæ altheæque ſemina, dulce caricarum ſebeſten & glycyrrhizæ delinimentum, hordeum denique & ciceres, quę cùm nitroſa conſtent & abſtergente facultate, & ſecretionem adjuvant ſeri, nutantiſque fermenti renalis vires confirmant. Quibus ſi deinde juſcula adjungas vitulina, acido citri, oleo amygdalarum dulcium, manna tabulata, & ſyrupo de althea Fernelii, parte etiam vini Moſellani delibuta, jam haberi puto quod omnibus chimicorum arcanis, ipſi imprimis Aroph & Samech Paracelſi faſtum facere poſſit; Nam cùm hæc uni, aut ſummùm alteri indicationi, illa ex æquo omnibus reſpondent. Non negaverim interim ſi caloris immune corpus obtigerit, miſceri illis poſſe ſpiritus antinephriticos ardentes, balſama & ſulphura terebinthinata, at certâ & circumſpectâ doſi. Vidimus enim prodigo iſtorum uſu, ubi arenulæ & calculi expectabantur, triſti augurio ſanguinem è renibus defluxiſſe fuſum & colliquatum, quod ipſum etiam ab intempeſtivo uſu diuretici Langii profectum vidi. Quare etiam auctor eſſe ſoleo, ubi in calidum temperamentum incidit hic morbus, ut acidis potiùs tartareiſque, quàm ſpirituoſis ſulphureiſque certetur, ſpiritu nimirùm nitri, illo adeò nunc etiam probato, tartaro vitriolato, chryſtallis & cremore tartari, illâ quoque ex plurium acido-ſalinorum corporum conjugio orta, Amelungi tinctura antinephritica, tot olim elogiis famigerata, quo intelligatur bilioſum ſæpe fermentum totam hanc ſcenam inſtruere, & victâ renum ſiccitate ſero quoque liberiùs eundi facultatem eſſe. Pulveres fixi atque abſorbentes tum demum conducunt, quando acidum arctiùs fermento junctum renali, ſecretionem fluidi moratur impeditque, ne calculus diluvio ſeri ad veſicam deduci poſſit, & ut in hiſce peculiaris eſt lapidum cancri efficacia plurimis effectu teſtata, meritò etiam in uſum vocantur, etiam tum, cùm bilis effervescit; namque & illud nitroſum volatile, quo & ipſi perfunduntur, huic temperandæ pulchrè reſpondet. Mucilaginoſi pulveres qui ex ſeminibus malvæ, altheæ, milii ſolis, gummi tragacanthino, ceraſino, cujus commendatio apud nonnullos maxima eſt, & liquiritiâ conficiuntur, viarum potius aſperitatem fermentique renalis acrimoniam deliniunt, quàm ut vi gaudeant peculiari lithontriptica. Pilulæ ex ſucco liquiritiæ, terebinthinâ, oculis cancrorum, ſale juniperino, ſuccinato acido volatili, tartaro vitriolato aliiſque pro neceſſitate compoſitæ & ipſæ officium faciunt, etiam magis profuturæ in exquiſitis doloribus, ſi tantillo opii condiantur; neque enim hoc ſemper aut nimium eſſe debet. Ut tamen dicam, quod res eſt, non adeò Medicinis illis ſpecificis, neque unis aut alteris doſibus, evertitur calculi fermentum, nimis toti ſanguini, nimis univerſæ conſtitutioni infixum, ſed toto vitæ ordine & diætæ ductu, imprimis quotidiani potûs qualitate uſque continuata. Hinc præter potum bene compoſitum cereviſiæ, hordeatæ magis quàm ſiligineæ, tenues quàm craſſę, molliculæ & pingues, quàm diobolares & aqueæ, inter Germanicas Goſlarienſis, Belgicas Leodienſis, utræque metallicum quid redolentes, inter medicatas juniperina, ſcolopendriata, petroſelinata, dauci ſeminibus, liquiritiâ aliiſque, dum fermentationem ſuſtinent, perfuſæ, vel excogitatiſſimis remediis palmam præripiunt. Et verò non ſpernendus quoque ille jam ab aliquot retrò annis celebratus theę potus, multis nominibus, tum maximè fluidi aquei caloriſque beneficio probatiſſimus. Veronicæ potus & ipſe magno compendio in eundem medicinæ uſum vocari poſſet. In Belgio Hiſpanico rubeolæ ſylveſtris pulvis, velut ſpecificum, in maximo eſt pretio, ampliſſimiſque elogiis venditatur, ſi & ille in calida bibatur. Aquis etiam thermalibus calculos nonnullos feliciſſimè propulſos vidi; illâ enim quotidianâ thermopotatione plerumque in renes abeunte viæ in immenſum ampliantur, & cùm perpetuum eas occupet diluvium, calculi olim fixi pertinaciuſque hærentes, etiam ſupra fidem magni facilè loco, facilè anguſtiis canaliumque poris excutiuntur. Vidi tamen etiam, ne quid ab omni parte tutum eſſe credas, qui nullis unquam doloribus renum calculi vexati intempeſtiva aquarum Emſenſium potatione graviſſimè & decretoriè ex nephritide laboraverint. Namque latitaverat in hiſce calculus, qui nondum penitus ſolutus, qui aliàs Naturæ labor eſt, lentus ille & paulatinus, copioſo aquarum diluvio ſubitiùs præcipitari loculiſque ſuis excuti, nunc etiam in periculoſiores dolenteſque ſitus figuraſque, mox tamen ſuccedente novo diluvio mutandas, conjici cœpit; adeò ut aliarum rerum, ita calculi quoque videtur expectanda maturitas quædam, id verò eſt Naturę concurrentis ſolertia. A Pyrmontanis viro ex hypochondriis ægrotanti etiam calculos nunquam ante creditos, ab alvo magnâ copiâ propulſatos ſcio, tot olim

olim purgantibus, quòd diluvio iſto carerent, fruſtrà propinatis. *Nicol. Pechlin. in Obſerv.*

Operæ pretium erit veſicam cathetere explorare, an Calculus ſit doloris cauſa necne; & quantus ſit, ſi adſit: ne ſi molis ſit magnæ, fruſtra patiens Lithontribis fatigetur. Hoc enim caſu ſi lithotomiæ ſe nolit exponere, ut atroces cruciatus demulceantur, & urinæ viæ leniantur, Medico unicè nitendum eſt. Hiſce intentionibus inſerviunt ſequentia.

℞. Fol. beton. m. ij. malv. violar. parietar. an. m. j, flor. chamæmel. & melilot. an. p. iij. ſem. fœnugr. ℥ß. f. omnium decoctio in ſero lactis recent. Cap. de colatura ℔ j. in qua diſſolv. cathol. elect. lenitiv. an. ℥j. ſyr. violac. ſacchar. alb. an. ℥ij. mucilag. ſem. altheæ extract. in aq. hord. ℥ iij. m. f. Clyſter. Inſtituatur quoque Purgatio lenis. Perinæum foveatur fotu ſequenti.

℞. Rapar. ℔ iij. raphan. totius ℔ ij. rad. lil. alb. alth. ſymphyt. maj. an. ℥ iv. parietar. totius, malv. argentin. virg. aur. ſaxifrag. naſturt. betul. an. m. ij. chamæm. m. iij. baccar. juniper. ℥ iij. ſem. alkekeng. mil. ſol. an. ℥ ß. f. Sacculi, quibus decoctis in aq. font. foveantur perinæum & pubes calidè manè & veſperi per horam integram. Ex iiſdem urgente dolore, paretur *Semicupium*, etiam addito lacte vel oleo pro neceſſitate. Balneum quoque inſtituatur ex ingredientibus ſemicupii auctâ quantitate, in quod ingrediatur bis in die; & poſt tertium balneum ſumat in ipſo balneo hauſtum infrà deſcriptum è ſucco parietariæ, &c. addendo lap. prunell. ʒj. aut ampliùs pro neceſſitate ad ʒ i ß. aut ʒ ij. ſi calculum expellendi ſpes ſit.

Cereviſia medicata ſit talis.

℞. Filic. fœmin. ℥viij. alth. ſymph. an. ℥v. cort. med. ulm. nucis moſchat. an. ℥ iv. fol. ſiccor. pariet. equiſet. veronic. mar. an. m. iij. flor. malv. utriuſque, nenuphar. cum ſemin. an. p. iv. ſem. malv. cydon. an. ℥ i ß. Coq. in alæ rec. galen. vj. ad duos, addendo ejuſdem cereviſ. ferment. galen. iv. infund. per noctem, & coletur per ſetaceum manè: liquori affuſo in doliolo adde q. ſ. fermenr. cereviſ. cum ℥viij. gumm. Arabic. ſinatur fermentari ad perfectam depurationem, & lagenis lapideis indatur ad uſum.

Opiata ſequens multùm levaminis ægro ferre poterit.

℞. Conſerv. flor. malv. ℥ iv. medull. ſem. melon. ℥j. pulv. rad. ſymph. maj. glycyrrhiz. an. ℥ ß. pulv. oſſ. meſpilor. ocul. cancr. mandibul. lucii an. ʒ iij. pulv. virg. aur. ſem. alkekeng. milii ſolis an. ʒ ii ß. gum. Arab. ceraſ. prun. an. ʒ ij ß. cum ſyr. de alth. f. *Electuarium*. Doſ. quantit. nuc. juglandis manè, ſuper-hauſto cereviſ. medicat. momento. dilato prandio ad 4. horas. Convenit quoque (in arenulis vel calculis minoribus) in ipſo ſemicupio hauſtus ſequens.

℞. Succ. depurat. parietar. ℥ ij. vin. alb. ℥j. ſucc. limon. ʒß. ol. amygd. dulc. rec. ℥ i ß. m. f. Hauſtus.

Aut ℞. Cancror. fluviat. numero ij. terantur in mortario marmoreo cum vin. alb. & extrahatur cremor, cui adde ſyr. viol. de alth. an. ʒ vj. cryſtall. mineral. ʒ j. m. Cryſtallus rupis in ſucco urticæ ſpecificum eſt. Pulv. lithontripticus item exhiberi poteſt ad ʒj. qui talis eſt.

℞. Rad. alth. & glycyrrhiz. an. ℥ j ß. virg. aur. ℥ iij. rad. ononid. ling. avis an. ℥ j. nucl. meſpilor. ℥j. ſem. aquileg. ocymi, milii ſolis, alkekeng. ſpatulæ fœtid. an. ʒvj. ſem. violar. Martial. ʒx. ocul. cancror. præp. cum ſp. vitriol. & ſp. vini, lap. Tiburon. cryſt. rupis præp. an. ℥ ij. grillor. præp. cum malv. ℥j. m. f. pulvis ut alkool. Et ſi velis, cum triplo ſyrup. de alth. & nephro cathart. (ſuprà in cap. de Calculo Renum deſcript.) in æqua proportione mixtor. f. Opiata, cujus doſis à ʒj. ad ʒ iij, ſuperbibend. hauſtum cereviſ. medicat.

Si ulcus adſit, primò deterg. injectione ex aqua hordei & melle roſaceo. Aut ſit hujuſmodi, de qua injiciatur ℔ß. quavis vice quater in die, ut pertingat ad veſicę fundum & latera.

℞. Roſ. rub. fol. melilot. an. m. j. fol. agrimon. apii, prunell. veronic. utriuſque ſanicul. conſolid. maj. an. m. j. rad. ariſtol. rot. ℥iij. furfur. macr. hord. integr. an. m. ß, cancror. fluviat. clibano exſiccat. & pulv. num. vj. Coq. in vin. alb. aut ſero lact. q. ſ. Ad Colaturę ℔ij. adde ſacchar. cand. ſyr. de roſ. ſiccis aut mell. roſ. an. ℥ iij. urin. puer. impub. ℔ j. m. f. Injectio.

Ad ulceris conſolidationem talis fiat injectio.

℞. Glycyrrhiz. Hiſpan. rec. ℥ ij. rad. alth. ſymphit. maj. an. ʒ x. fol. beton. aquatic. equiſet. an. ℥ i ß. veron. mar. bugul. prunell. hyperic. totius, perſicar. maculat. an. ʒ vj. flor. malv. roſę ʒv. ſem. malv. pſyll. cydon. an. ℥ ß. gumm. Arabic. verm. terreſtr. ſiccor. veſic. bubul. ſiccat. an. ʒ iv. ß. f. pulvis craſſiuſculus, de quo ſumatur ℥ j. aq. hord. ℔ ij. Coq. ad medias f. colatura, cui adde æq. part. lact. vaccin. rec. & f. Injectio bis in die tepidè. Pilulæ meæ lenientes in veſicæ aut renum ulcere & calculo, tales ſunt.

℞. Oliban. myrrh. maſtich. an. ʒ iij. glycyrrhiz. rad. conſolid. maj. ſicc. an. ℥ß. crem. tart. ʒ ij. croci ʒ j. camph. ʒß. antim. diaphoret. ℥ j. f. pulvis & cum tereb. aq. roſ. lot. q. ſ. f. maſſa pilularis. Doſis ʒ ß. mane ſuperbibendo hauſtum cereviſiæ medicat. Paulatim augeri poteſt doſis ad ʒ j.

℞. Gumm. guajac. natural. ʒ iij. maſtich. oliban. part. alb. benzoin. ſandarac. gumm. anim. an. ʒ ij. ſantal. alb. ocul. cancr. an. ʒj. terebinth. Cyp. coctura indurat. ℥ß. ſuccin. alb. præpar. ʒ iiß. f. alkool excipiend. ſ. q. balſam. Peruv. nigr. & f. maſſa pilular. Doſis ʒ ſs. ad ʒ j. ſuperhauſt. cereviſ. medicat. hauſtu.

In ulcere Renum & veſicę, in quo cum maximis inter mejendum cruciatibus mucus viſcidiſſimus excernebatur, D. Deodatus, irritis aliis omnibus remediis, ſalivationem provocabat per Mercurii dulcis iteratam exhibitionem in vetula generoſa ferè nonagenaria, omnia ſedata fuerunt ſymptomata: ita ut quæ moribunda erat, & cui cutis vix oſſibus hęrebat, per annum vixerit ſatis ſana. Recurrente tamen mordo, ſenectute oppreſſa tandem ſupremum obiit diem.

In juniore ſubjecto iterata exhibitio Mercurii in parva quantitate, etiam ſine ptyaliſmo, proculdubio profuiſſet. Quotidie poſſunt exhiberi gr. vi. viii. x. calomel. vel de Mercurio nigro ſive Æthiope minerali. Rationalis eſt hęc via propter revulſionem, præter Mercurialem vim quæ alias ulcerationes internas & externas perſanat.

N. B. Non dubito quin poſſit prodeſſe hac viâ in tartaro lutoſo ſine ulcere; revellendo & evacuando blennam quæ vel in ſtomacho generata, vel in cerebro, ſugitur à Meſaraicis cum ſubſtantia aliment. & poſtea ſeparatur in renibus & defluit in veſicam.

Apes ſiccatæ in pulverem redactæ propinentur ex vino albo, urinam paulo poſt provocant. Num. iij. ſufficiunt utplurimum. In ſeipſo Iſchuriâ laborante ſæpius expertus eſt Hiberniæ Primas Armaghanus.

Quidam (nomine *Dinkinſon*) laborans caruncula in urethra, Iſchuriâ correptus, partim à fungoſæ carnis inflatione, partim à grandiori arenæ grano meatum jam pene occluſum penitus obſtruente, de vita deſperans, & conſilii inops, aſſumpto ſiphone ſeu ſyringâ ſtanneâ (quod inſtrumentum ipſi tunc erat ad manum ad injectiones faciendas in urethram & veſicam) aërem ſaltem ex vacuo ſyringæ corpore in meatum impulit cum aliqua violentia. Sic dilatato ductu, ſucceſſivè multum aëris intravit veſicam, qui ne erumperet, quoties ſiphonis apicem ſive fiſtulam extrahebat ad novum aërem captandum, arctè digitis premebat urethram. Tandem ſatis opplera veſica, laxato & remoto obice, flatus cum impetu erumpens, arenam expulit, & prorupit urina ſatis copioſa maximo cum levamine. Deinceps quoties aliquam experitur difficultatem, recurrit ad ſacram anchoram cujus nunquam fallacem experitur effectum.

Ego vellem inſufflare ex folle parvulo duplici, qualis eſt organor. aërem in tubum argenteum ſatis brevem & majuſculum, urethræ priùs inditum & circumligare virgam ſerico molli ſine ullo dolore; atque ita & urethram dilatare & opplere flatu veſicam, &c. vel uti veſicâ vento turgidâ eodem modo quo clyſteres injiciuntur.

In calculo majori, ubi ejuſdem excluſionis nulla ſpes eſt, ſi *Lithotomiæ* ſe ſubjicere æger velit, poſt operationem modo ſequenti tractari poteſt. Operator quidam Scotus aliàs ignarus, poſt extractionem lapidis vulneri & veſicæ hoc pacto proſpicere ſolet feliciſſimo cum ſucceſſu. Ægrum jubet obambulare paſſus aliquot, ut veſica à muco, grumis ſanguinis, & reſtitantibus lapidis fruſtulis aut arenulis liberetur (quam intentionem in debilioribus ſupplere poterit injectio detergens calidè facta in veſicam immediatè poſt abſolutam operationem) Poſtea facit ut per horæ quadrantem ſedeat in ſemicupio tepido parato ex decocto cortic. quercus tam valido, ut ejus guttula ungui ſuperpoſita non diffluat. Semicupium iſtud ſeq. die & tertio repetit: quo remedio profitetur ſanguinem ſiſti, vulnus claudi, & partem inſigniter corroborari. Deinceps uſque ad perfectam curationem vulneri proſpicit mixturâ ex decocto prædicto, melle puriſſimo & terebinth. veneta, quod ſuum balſamum vocat, & pennâ illinit. Cortex autem (*Tann dictus*) petatur à coriariis. Terebinthina facilè cum cæteris jungetur, ſi aliquid vitelli ovi crudi addatur.

Si poſt *Lithotomiam* reſtet *involuntarium urinæ profluvium*, convenit decoctum vulnerarium & aſtringens & fuffitus ex gummatibus per ſellam perforatam receptus.

Si *Gangræna* Lithotomiam ſequatur, vulneri adhibeatur fotus ex ſcord. abſynth. centaur. minor. &c. vulneri denigrato adhibeatur unguent. Ægyptiacum cum ſpir. vini. Cavendum ne vulnus aëri ſæpius exponatur. Aperta teneatur veſica turundâ lineâ balſamo digeſtivo inuncta. Fiant injectiones vulnerariæ & detergentes per tubum œſophago vel inteſtino pulli obtectum in veſicam per vulnus. Intus ſumantur decocta vulneraria. Clyſteres lenientes injiciantur alternis diebus. Ulcere deterſo occludatur vulnus perſuturam ſiccam ex pice, maſtiche, vernice, thure, ſarcocolla, &c. quæ aquæ appulſum non ſentiant. *Theodor. de Mayern. In praxi.*

In omnibus ferè partibus corporis poſſunt calculi enaſci, veſicâ, renibus, utero, folliculo fellis, inteſtinis, pulmone, hepate, in externis partibus corporis; addo quòd etiam in fronte, & ſub cute, inſtar duri tumoris natum, exſectumque fuiſſe legimus. Verùm in duabus iis valde communiter eſt, & magis ordinariè naſcitur: renibus nempe & veſica. Eorum verò, qui intus in membris, & viſceribus naſcuntur, nullus eſt per chirurgiam eximibilis præter eum, qui in veſica naſcitur: ideo ſectio calculi lithotomia dicta verſatur tantùm circa exſectionem calculi veſicæ; Calculus enim renum pharmaciâ curatur, non verò chirurgiâ; Etiamſi Rouſſettus doceat, eum etiam per abdomen poſſe exſcindi, ſed ſtultum nimis mihi temerariumque videtur, & meritò deridendum, & ideo de tali ſectione nihil dico.

Quoad calculum veſicæ, ille poteſt per Chirurgiam duobus modis eximi, vel cum ſectione, vel ſine ſectione; In mulieribus propter collum veſicæ brevius, & quia in iis facilior eſt manûs Chirurgicæ per pudenda ejus ad veſicam acceſſus, poteſt aliquando ſine ſectione extrudi: in viris non ita; Saltem ars eum ſic è viris educendi non eſt noſtris Chirurgis Europæ cognita.

Eſt tamen bene aliqua ars eum educendi, modò non ſit nimis magnus. Illam deſcribit Proſper Alpinus in lib. de Medicina Ægyptiaca, quum ait noviſſe Chirurgos Arabiæ, & Ægypti, & ſe propriis oculis vidiſſe, eam fuiſſe practicatam in aliquibus principibus Ægypti viris, & per eam vidiſſe educi calculos magnitudinis olivæ, & quendam Arabem ſic uni duci Aegypti, ſe præſente, multos calculos extraxiſſe. Ratio artificii conſiſtit in eo, quod illi membri virilis cavitatem, & colli veſicæ inſufflatione plurimi aëris valde dilatent ſicut per eum tam magnus calculus poſſit tranſire. Meatu ſic dilatato, faciunt ut fuga vacui exſucto aëre, lapis per virgam magno impetu efferatur, virgam dilatari poſſe, non debet mirum videri, quandoquidem ea tota eſt nervoſa, carnea & pelliculoſa, & proinde bene dilatabilis. Etenim ſi os uteri quod adeò connivet; ut calamus non poſſit in eum imponi, quodque conſtat ſubſtantia cartilaginea, dura, & non facilè dilatabili poſſit tempore partûs ita dilatari, ut per eum exeat fœtus tam magnus & craſſus; Quare non poſſet ſubſtantia membri virilis tam mollis in tantum dilatari, ut unus lapis poſſet per ipſum exire? modus faciendi non eſt omnibus Chirurgis idem. Unus modus eſt talis. Capiunt ligneam cannulam longitudine octo digitorum, latitudine unius pollicis, quam virgæ cannali admovent, tum fortiter inſufflant, & ne flatus ad anteriora perveniat, altera manu extremum virgæ ſtringunt, tum foramen cannulæ claudunt, ut interim virgæ canalis latior fiat, & intumeſcat. Eo facto, digitum in anum imponunt, & lapidem paulatim ad canalem virgæ & ad extremum ejus deducunt, & cum præputio lapidem appropinquaſſe ſentiunt, cannulam virgæ à foramine fortiter impetuque removent, ſic ut magna dexteritate lapis evolet. Alius modus eſt hic. Habent multas cannulas, unam majorem alterâ, factas è ſubſtantia quadam cartilaginea valdè dilatabli, in modum muſici inſtrumenti ſyringa appellati. Harum graciliorem in virgæ canalem primò intromittunt, quouſque ad veſicam pervenerit: moxque ore inſufflando, ipſam dilatant quantùm maximè poſſunt. Poſtea capiunt paulo craſſiorem, eamque ibidem immittunt inſufflandoque eam dilatant ut primam, poſtea eodem modo imponunt, & tertiam, & quartam omnium maximam. Et cùm ſic virgam dilataverunt, ut viam ſatis magnam eſſe putent, ut per eam calculus poſſit tranſire, digitos

digitos in anum imponunt; & calculum ad collum veſicæ, ubi majoris cannulæ extremitas pervenit, & uſque ad ipſam deducunt: tum altero cannulæ meatus ore excepto, ſpiritum fortiter retrahendo calculum ſimul attrahunt tanto impetu, ut ſi calculus aliquando major ſit, quàm ut foramen exire poſſit, ſæpe in fruſta rumpatur. In mulieribus adultis poteſt etiam calculus eximi ſine ſectione modò non ſit valde magnus, id eſt; modò ſit illius quantitatis, ut poſſibilis ſit per foranten colli veſicæ tranſire. In mulieribus autem faciliùs eximitur, quia via non eſt longa, & eſt recta & ob humiditatem magis explicabilis. In viris non poteſt, quia via eſt nimis longa & flexuoſa: Exprimitur autem per extrúſionem, digitis factam: Chirurgus enim duos digitos anteriores in genitalia tam profundè imponit, eos ſurſum verſus veſicam inflectendo, quouſque calculum tangat, tunc eum inter duos digitos quaſi comprehendendo adducit, trahendo in collum veſicæ, & continuatione quadam trudit, donec vel exeat, vel adeò ad extremum canalis promotus, ut forcipe in eundem meatum impoſita apprehendi, & erimi poſſit. Si via ſit anguſtior, quàm ut calculus commodè tranſire poſſit, debet fomentis emollientibus foveri, & in balneo emolliente ad umbilicum imponi, ut partes laxentur; & in viam urinariam debent imponi forcipes dilatatorii, oleo liliorum uncti, ut ea ratione amplior evadat, ſed rariùs ſine ſectione eximi poteſt.

Hæc ſectio etſi ſit valde periculoſa, & multos ex eâ mori contingat, conſtat tamen experientiâ quotidianâ, quod per eam etiam multi ſanentur, & evadant, & quamvis ſit periculoſa, tamen quia impoſſibile eſt magnum calculum aliter curari, quia intolerabilem affert cruciatum, ita ut homo libentiùs moriatur: Et quia tandem bene mortem infert, ideo ægrum melius eſt dubia cum ſpe, quàm ita perpetuo, & diuturno cruciatu & certæ morti relinquere.

Periculum in multis conſiſtit, imprimis in eo, quod in peritonæo ſint multæ inſignes venæ, & arteriæ, & imprimis vicinæ hæmorrhoidales; hinc periculum eſt, ne iis inciſis, vel per dilatatoria, & alia quæ immittuntur inſtrumenta laceratis, fiat hæmorrhagia lethalis. Sunt præterea ibi nervi, muſculus ſphincter, inteſtinum rectum, vaſa ſpermatica, tendines, & ſubſtantia veſicæ, quæ omnia hac operatione offendi poſſent, unde varia pericula oriuntur. Inprimis ſi veſicæ corpus ſcindatur à novacula, aut laceretur à calculo, aut inſtrumentis quæ immittuntur, eſt lethale: fit enim inflammatio, convulſio & poſtea mors. Si inteſtinum rectum ſcindatur, periculum eſt fiſtulæ, & inde etiam mortis. Denique in illarum partium nervoſarum tanta divexatione, per tot ſæpe inſtrumentorum in illa ſciſſione, dilatatione, catheteris impoſitione, crebro denique attractu & laceratione, maximum eſt periculum inflammationis, febris, virium debilitatis, & mortis: præcipuè, cùm ipſa jam anteà, prægreſſo calculi attritu, veſica plerumque ſit exulcerata & inflammata. Tandem, ut omnia rectè ſucceſſerint, periculum eſt, ne poſt exſectum calculum maneat defectus detinendi urinam, quod fit propter muſculum colli veſicæ læſum, vel ex vulnere fiſtula maneat, & per eam intolerabili fœtore, & magnis aliquando doloribus, totâ vitâ urina effluat. Sæpe enim fit, ut vulnus inflictum conſolidari non poſſit, vel urinæ acrimonia erodente, vel vulnus in ulcus convertente, ac pure illac exitum quærente: vel quia vulnus non eſt bene curatum à Chirurgo: vel quia intus putredines aliquæ, & ſordes ſunt relictæ, quæ non patiuntur vulnus claudi: vel quia interſtitium illud in perinęo, vel veſicæ corpus tacta ſint, quæ conglutinari nequeunt.

Non eſt autem hæc ſectio in omni ætate æquè periculoſa. In pueris enim, & mulieribus eſt facilior, in viris contrà. In pueris enim carnes humidæ ſunt & laxæ, & ideò facilius conglutinantur, & robuſtus calor nativus reſiſtit injuriis corpori illatis. Et ſecari poſſunt minori moleſtia, & ſectione minoris, quam vocant, apparatûs, quæ fit paucioribus inſtrumentis; ſicut audiemus. In mulieribus autem propter viæ urinarię brevitatem, laxitatem & rectitudinem, operatio etiam eſt facilior. Hinc minus moleſtiæ iis infertur. Poteſt enim in iis calculus immiſſis per genitalia digitis tangi, apprehendi, adduci & extrudi; catheter brevior & rectior eſt, fit minore dolore; faciliùſque imponi poteſt. In viris omnia contrà ſe habent.

Celſus dixit, non ante nonum, nec poſt undecimum, ætatis annum licitam. Verùm experientia quotidiana docet, & Chirurgi præclariſſimi ſcribunt, uſque ad 60. ætatis annum licitam eſſe, & uſque in illum quamplurimos, & cum fœlici ſucceſſu fœliciter curari, ante annum autem 9. & poſt 60. non eſſe ſecandum. Nam ante 9. annum, ætas nimis tenera eſt, & duo digiti Chirurgi non poſſunt ſine maxima violentia in anum imponi; quod pro ſectione neceſſarium eſt. Poſt annum ſexageſimum habitus corporis eſt nimis ſiccus, & calor nativus nimis imbecillus, hinc vulnera partium nervoſarum non conſolidantur, & imbecilla conſtitutio non habet tantam violentiam, ſed periculum gangrænæ adfert.

Modus ſectionis non eſt idem, ſed pro ratione ætatis, ſexûſque varius: Aliter in pueris, aliter in adultis, aliter in viris ſectio eſt inſtituenda. Præter hactenus uſitatam ſectionem exortus eſt Franciſcus Rouſetus, qui in lib. ſuo de partu cæſario ſcribit, videri longè ſecuriorem, & faciliorem ſectionis rationem futuram, ſi venter, aut abdómen à latere ſub umbilico aperiantur, & impoſitâ per foramen manu veſicæ corpus vulneretur, & inde calculus eximatur. Sed illa ratio non valet. Veſicæ enim vulnus lethale eſt, & non poteſt conſolidari: & quamvis aliquando legatur conſolidatum, eſt tamen rara avis, & temerarium nimis foret. Et quia illam rationem nemò ſecutus eſt, de ea non agimus.

Ordinaria autem ſectio fit in perinęo. In ea rectè adminiſtranda totum artificium conſiſtit, ut ſciſſio fiat in exortu colli veſicæ & in carnoſa parte ejus, ut ipſa membranoſa veſicæ ſubſtantia non vulneretur, nec ab inſtrumentis, quæ poſtea inducuntur, aut calculo egrediente non dilaceretur. Denique ut vitentur magnæ venæ, ac tendines ac partes nervoſæ: ſic enim ut convulſio & hæmorrhagia, quæ in tali opere ſunt timenda vitentur. Si in carnoſa illa parte colli veſicę ſectio fiat, & veſica non tangatur, facilè vulnus curatur. Duæ ſunt differentię principales hujus ſectionis, una vocatur Celſiſtica, vel Guidoniana, quam docuere Celſus, & Guido, quę vocatur à prędicantibus ſectio minoris apparatûs: eò quòd fiat facili modò, ſine multo inſtrumentorum apparatu. Nam tantùm ponuntur digiti in anum, & fit ſimplex ſectio ſuper ipſum calculum, & ejuſdem digitis in ano, exiſtentibus, vel tantùm calculus per vulnus extruditur, vel cum cochleari Chirurgico, aut ſimplici tena-

culo extrahitur. Altera vocatur ſectio Mariana, quam docuit & primus ſcripſit Marianus Sanctus Barolitanus, ex doctrinâ Joannis, ſui præceptoris, famoſi Chirurgi, & practicantibus vocatur ſectio majoris apparatûs, & ideo, quod illa ſit valde laborioſa, & fiat ope multò plurium instrumentorum. Nam in ea primum imponitur catheter ad calculum explorandum, tum alius catheter, qui habet ſulcum, & rimam, qui vocatur itinerarium ad hoc, ut ſuper eum fiat ſectio: tum inſtrumenta, quæ vocantur ductores, ut ducant, & quaſi viam monſtrent tenaculis, & cochlearibus ad calculum apprehendendum: immittendum tamen verticulus, ſeu inſtrumentum ad tentandum, quo loco veſicæ calculus ſit, tum dilatatoria ad foramen, ſi opus ſit explicandum; tum tenacula diverſi generis ad calculum apprehendendum, aut frangendum, tum cochlearia ad evertendum fruſtula aut arenulas. Sectio minoris apparatus locum habet in pueris ſecandis, propterea, quod in illis digitis in anum immiſſis calculus tangi, & apprehendi poteſt, & ſic extrudi. Et ideo non debet multis inſtrumentis quæri & apprehendi. Sectio majoris apparatus locum habet in adultis & maximè in viris, in quibus propter corporis magnitudinem ductus ad veſicam eſt longior; & ideo digiti in anum immiſſi non poſſunt ad calculum pertingere, & ideo cùm ſic nec digitis explorari nec apprehendi nec extrudi poteſt, debet explorari, quæri, educi magna inſtrumentorum & moleſtiæ varietate.

Cùm itaque ſecandi ſunt diverſi; primùm loquor de modo calculi pueris exſcindendi. Antequam itaque puer ſectioni exponatur, primò cognoſcendum, an calculo laboret? Hoc cognoſcitur ex communibus ſignis, & ſymptomatis calculi: ſecundò per impoſitionem digitorum in anum: Itaque curandum eſt, ut puer ſaltet vel currat, vel apprehenſus per medium duobus brachiis eſt concutiendus, ut calculus decidat deorſum ad collum veſicæ, tunc ſedenti anteriores dextræ manus oleo amygdalino, liliorum aut roſato, juncti in anum pueri ſunt immittendi quàm profundiſſimè; & antrorſum verſus ventrem ſeu veſicæ ſitum, (nam veſica inteſtino ſubjacet) inclinando, & tangendum, an ibi calculus jaceat, & quàm ſit magnus, ut pro ratione magnitudinis ſectio fiat, & explorandum an non ſit tam magnus, ut non poſſit educi. Si enim eſſet valde magnus, non deberet cura tentari, quia non poſſet ſine veſicæ laceratione extrahi, unde mortis præſens periculum eſſet: aut ſi tentetur, non debet fieri ſine prædictione ſummi periculi, ut honor operantis maneat ſalvus. Quare exploratione pridie, vel diu antè facta, ad ſectionem tranſeatur.

Celſus dicit non omni tempore ſectionem poſſe fieri, ſed tantùm in vere. Hodie verò omni fit tempore; tamen, ſi ſit hyems, curandum, ut fiat in cubiculo calido, nam puer jacet nudus, & ſic refrigeraretur, ac rigeret, quod eſſet malum. Secundò quia vulnere facto frigus ad veſicam perveniret, frigus autem membranoſis partibus eſt inimicum. Puer priùs alvum exoneret, & parum comedat, ut ſit fortior, & currat ſive concutiatur, ut calculus cadat ad collum. Tunc debet vir aliquis fortis in humili ſede ſedere, lumini obverſus, & puerum in gremio ſuo averſum, ac mediocriter ſupinum, coxis ejus ſuper viri cruribus, ponere. Dico, mediocriter, nec in totum, ut ſic liberiùs poſſit reſpirare, Tum vir curvatos, ac retractos pueri poplites manibus apprehendat, & fortiter teneat, ac diducat, ſic enim puer non poterit ſe movere & agitare. Secundò ea ratione veſica deorſum trahitur & in anguſtum redigitur. Tum Chirurgus digitos, non ut antè dextræ manûs; ſed ſiniſtræ digitos unctos in pueri anum imponat, & dextra manu ventrem inferiorem fortiter comprimat, ut illa compreſſione calculum à veſicæ fundo deorſum ſubter os pubis in ipſius cervicem detrudat. Ne autem ita fortiter comprimendo puerum lædat, & ventrem ac veſicam debilitando diſponat ad facilem inflammationem, ventrem priùs linteo aliquo tegat, ſubtus verò digitis illis in anum immiſſis calculum apprehendat, & quantùm fieri poteſt à tergo attrahat, & antrorſum nimirum in veſicæ cervicem promoveat. Eò adductum digitis iiſdem firmet, ne regrediatur. Tum ſcroto obſtante elevato notet Chirurgus vel oculo vel lineâ cum atramento factâ, locum ſecandum. Locus eſt in perinæo inter teſticulos, & anum, duobus digitis tranſverſis ab ano, non in recta linea, aut in medio, ſed à latere ſiniſtro; Nam in medio, eſt quoddam interſtitium, q. quia eſt nervoſum non debet tangi. Debet ergo locus eſſe paululum ad latus diſtantiâ unius grani hordei ab illo interſtitio, nam ſi in illo ſectio fiat, tunc rectè ſectio incidet in carnoſam partem colli veſicæ, & in ipſum calculum. Tunc ſecandum eſt novaculâ utrinque acutâ, ſuper ipſum corpus calculi, tam profundè, donec novacula ipſum calculum ſubjectum tangat, & ſcindat. Foramen debet eſſe proportionatum magnitudini calculi, jam acutè tacti & explorati. Ordinarium eſt longius duorum digitorum tranſverſorum; Nonnulli ſectionem faciunt cum novacula ignita in viris, uti poſt audiemus, ſed hoc locum non habet in pueris, in quibus ob humiditatem teneræ carnes quodammodo liquarentur: Cavendum tamen eſt, ne rectum inteſtinum vulneretur: quia ut notat Paræus fieri poteſt, & ſolet, ut dum calculus ad cervicem veſicæ è fundo educitur, illud inteſtinum replicetur, tum enim inconveniens ſequeretur: Nam fæces per vulnus exirent, & urina per anum, & maneret fiſtula. Vulnere facto, digitis, qui in ano calculum comprehendebant, jam ſuaviter per vulnus eſt extrudendus: & ſi non poterit digitis ſemper bene uncini, ſeu cochlearia Chirurgica, ad eam rem facta, per foramen deſuper inducenda ſunt, ut à tergo eum comprehendant, & comprehenſum valde educant, dum jam extractus eſt, ſi quæ ſordes, aut ſanguis grumoſus in venis putetur contentus, fiſtula tenuis argentea perforata in vulnus eſt imponenda, ut per ipſam effluere poſſit. Aliqui unâ ſuturâ vulnus conjungunt, alii non: alii etiam fiſtulam talem non imponunt. Inde medicamenta ſanguinem ſiſtentia, & conglutinantia ſunt ſupèr-imponenda, & pueri pedes ſunt colligandi, ut labra vulneris conjungantur, & ſic faciliùs conſolidentur, & ne puer pedes divaricando faciat labra inepta uniri, denuo dehiſcere; Inde vulnus more reliquorum vulnerum eſt curandum.

In viris autem jam adultis ſecandi ratio eſt talis. Quando ſigna ſeſe offerunt, calculi in veſica exiſtentis priuſquam ad ſectionem eatur, ante oculos eſt habenda certitudo, ne ſectio fiat fruſtra, ſigna enim medica ſæpe fallunt. Itaque cathetere eſt opus. In pueris id exploratur, digitorum in anum impoſitione: nam illi catheterem ob viæ anguſtiam, & carnis mollitiem non ferunt. In viris id digitorum immiſſione fieri non poteſt, propterea, quod propter partium magnitudinem digiti

uſque

roſato, pilis leporinis, & ſimilibus debet ſuperponi. digiti uſque ad collum veſicę, & locum calculi immitti non poſſunt. Æger ergo in ſede parùm altiore collocetur, corpore in poſteriora nonnihil declinato, & ſiniſtrâ apprehenſo ejus membro, & catheter ſecundùm artem in canalem imponatur uſque ad veſicam, ibi titillando, & cathetere quoquoverſum moto, exploretur, num in veſica calculus ſit, Partim enim tactu, partim ſono catheteris contra calculum acti, ibi eſſe comprehendetur. Quod ſi verò non tangatur, non ideo ſequitur eum ibi non eſſe: poteſt enim fieri, ut, etſi calculus in veſica ſit, tamen à cathetere non percipiatur. Ideo ſi nihilominus ſigna naturalia cum ſequentia multa & fortia ſint, non ideo debet ſectio omnino omitti. Contingit autem, catheterem non tangere calculum, vel quia multo limo & viſcidâ pituitâ eſt obductus, vel quia propriæ membranæ & veſiculæ includitur, ſicut aliquando fit: tum enim catheter non figitur contra calculum, quia eſt rotundus, & etiam quia catheter eſt parum curvus, ideo aberrat à latere calculi, & qua calculus eſt obductus limo, non ſentitur ejus durities, aut ſonus, concluſio ergo, quod ſectio ſit facienda. Æger multis ante diebus eſt purgandus, & ſi plethoricus ſit, etiam phlebotomandus, & ptiſana aut aqua cocta potandus, ut minus ſit obnoxius inflammationi, & febri. Dico multò ante, quia ſi immediatè ante ſectionem illam fierent, eſſet nimis debilis. Docent aliqui, ut aliquot diebus ante venter, & perinęum fomentetur decoctis emollientibus: ſed ego non probo hoc, quia illa ratione partes incaleſcunt, & videntur diſponi ad faciliorem inflammationem & fluxum recipiendum. Mane diei ſectionis alvum evacuet, vel naturâ vel clyſtere. Tum ſæpe deſcendat è gradibus vel curſitet vel ſaltet, ut calculus cadat in collum veſicæ. Eo facto, æger in menſa, aut ſcamno ſtabili ſemiſupinus collocetur: & collo ac dorſo pulvinaria ſupponantur; natibus verò linteamina multa ad ſanguinem excipiendum; poplites incurventur, & contrahantur, calcibus ad nates diductis: tum faſciâ tres digitos latâ malleolis injectâ pedes deligentur, ejuſdemque capitibus ſurſum ad cervicem adductis, manus ambæ ad ſuum quoque genu vinciantur; Ita revincto debebunt quatuor viri fortes aſtare, qui brachia & pedes ejus & totum corpus fortiſſimè contineant, ut illa movere, corpuſve aut nates attollere nequeat, ſed maneat in eadem ſemper quiete, & corporis ſitu, ne operatio impediatur. Deinde per canalem virgæ debet imponi argenteus catheter ordinarius, quia non eſt abſolutè rotundus, ſed una parte externa parùm retuſum habens ſulcum ſeu foſſam, in quam acies novaculæ ſcindentis recipiatur. Ille catheter vocatur, itinerarium, & debet imponi uſque ad veſicam, ut calculum ſi fieri poſſit, tangat. Imponitur autem propter illum finem, ut nimirum ſectio fiat contra ipſum, ut tanquam director manus Chirurgi oſtendat, ubi ſit ſecandum, & conſtituat terminum novaculæ ſcindentis, ne ipſa ulterius in ſubdita corpora pervadat. Et ideo habet ſulcum, ſeu foſſam, ut in eam novacula incidat, & ibi figatur, quæ novacula alioqui aberrare à rotundo cathetere nec figi poſſet, & ſic in inferiùs ſubdita corpora penetraret. Illę ergo catheter ſeu itinerarium relinqui debet, ulteriùs cruribus à miniſtris aſſidentibus diductis, ſcrotum attollatur, & locus ſectionis notetur atramento. Locus debet à latere eſſe: à latere ſiniſtro, ut ante, ſepti ſeu lineæ, quæ eſt in perinæo, ubi itinerarium, in veſicam immiſſum, ſeu catheter, inſiſtit, ut ſcindas, ultra ipſum ſeptum, duorum digitorum ab ano interſtitio. Nam ſeptum illud cùm ſit calloſum & exangue ſi ſecaretur, vulnus non poſſet bene conſolidari, & remaneret fiſtula: ſi etiam propiùs anum ſectio fieret periculum eſſet, ne mox, dum calculus revelleretur venarum hęmorrhoidalium aliqua diſrumperetur, unde difficilis hæmorrhagia, vel ſphincter muſculus, aut veſicę corpus dilaniaretur. Vulnus debet eſſe tam longum, quàm eſſet pollex tranſverſus; poſtea enim per inſtrumenta adhuc poteſt bene dilatari. Vulnere facto debent per illud imponi duo alia ſpecilla, quæ à ſe invicem diducta vulnus etiam diducant. Hæc inſtrumenta ideo imponantur, ne perdatur via & ingreſſus in veſicam: nam vulnere facto, prout muſculi variè contrahuntur, & unus venit ante alium, fieret, quod foramen clauderetur, & inſtrumenta ad calculum extrahendum non poſſent bene imponi, & via ingrediendi ad veſicam eſſet perdita: ideo illa duo ſpecilla imponantur, quia illis impoſitis, non poteſt via perdi, quia inter illa poſſunt inſtrumenta immitti, & quando inter illa immittuntur tunc rectà ducuntur in cavitatem veſicæ, & quia ſic illa ſpecilla ſic ducunt quodammodo inſtrumenta calculum extrahentia rectà ad veſicam, ideò vocantur ductores. Illi autem ductores rectà in veſicæ cavitatem imponantur, mediante cathetere qui in canali eſt, & uſque in veſicam pertingit; ſecundùm enim longitudinem corporis catheteris ductores imponuntur. Ductoribus impoſitis, non eſt amplius opus ullo cathetere, ſed debet extrahi, tum inter ductores debet imponi verticulum ſeu ſpecillum aliud, habens in extremitate globulum, ne lædat veſicam, ad tentandum, ubinam ſit calculus. Eo ſcito, inter duos ductores debent imponi tenacula, ad calculum apprehendendum, & extrahendum. Si calculus ſit major, quàm ut per foramen commodè poſſit educi, debet foramen per inſtrumenta quædam dilatatoria dicta dilatari, & facta dilatatione extrahi. Si apprehenſus & utrinque adductus, calculus adhuc extrahi nequeat, ſiniſtræ manûs digitis in anum immiſſis à tergo promoveri, & extrudi debet: & ſimul per tenacula dextra extrahi, ſic enim una manu trudente, & altera trahente facilius educetur. Si nec hoc ſufficit & calculus tam magnus indicetur, ut ſine veſicæ laceratione extrahi non poſſe putetur; erit imponendus forceps dentatus, qui vocatur roſtrum corvinum, ad calculum apprehendendum, & infringendum in plures partes, ut per partes extrahi poſſit. Si frangi non poteſt, deſiſtendum ab opere & calculus relinqui debet: præſtat enim calculum relinqui, quàm Chirurgum cum vi extrahendo eſſe cauſam ſubitę mortis ęgrotantis. Etenim tamen, relicto calculo, oportet foramen ſemper relinquere apertum, ut urina per ipſum effluat; ſic enim æger adhuc poteſt ſupervivere, & quidem ſine magnis cruciatibus, ut poſtea dicemus: quod præſtat, quàm ei ſic violentam mortem inferre. Si extrahatur, videndum, an ſit integer, & adhuc ſubſint alii. Si ſint fruſta, vel arenulæ, illa debent extrahi, per aliud quoddam inſtrumentum impoſitum, quod curriculum appellatur, quod eſt inſtar oblongi cochlearis. Quando adhuc calculus ſubſit, debet illo eodem ſpecillo in extremo globulum habente de quo antè mentio facta eſt tentari, & eodem modo, ut prior extrahi. Hæc ubi facta ſunt, ſi vulnus videatur eſſe magnum, debet ſui, & in ipſum debet imponi uno, aut altero die tubulus argenteus foraminatus, ut per eum concretus ſanguis qui adhuc in veſica hæret, poſſit adhuc evacuari; Interim medicamentum conſolidans ex ſanguine draconis, bolo, ovorum albumine, oleo

Non

Non eſt malum etiam vulnerarias potiones per os exhiberi, decoctum anodynum, & moderatè refrigerans, & detergens, per vulnus in veſicam tepidè injici, quo ardor veſicæ, ex pregreſſis per inſtrumenta contuſionibus excitatus temperetur & ſordes eluantur. Interim pedes ęgri debent colligari, & vulnus ſicut alia vulnera curari. Quod ſi ſordes, aliquę arenulæ, aut grumi ſanguinis in veſicæ collum incidentes meatum obſtruant, & urinę exitum impediant, debent cathetere intus cavo, per canalem immiſſo removeri; Et debet catheter in canali relinqui per dies aliquot, donec ſordes per vulnus ſint purgatæ, ut ſic canalis virgæ maneat liber, & urina per catheteris cavitatem effluat. Sed notandum in hac ſectione, quod plerique omnes doceant, eam faciendam cum novacula ignita: & hoc ſecurius eſt, eaque ratione, & convulſionem, & hęmorrhagiam quę ſupervenire poſſunt, magis evitari.

Ratio ſectionis in mulieribus adultis, ac conjugatis eſt talis. An calculus in iis ſubſit, exploratur, digitis non in anum, ſed in cunnum immiſſis, & antrorſum versùs ſitum veſicę incurvatis. Exploratur etiam per immiſſum catheterem; ſed catheter in illis debet eſſe rectus, & minimè, ut in viris curvus, & debet eſſe brevior, quia meatus urinarius in illis & rectior & brevior eſt quàm in viris; & imponitur minori moleſtia, & dolore, eò quòd in iis canalis ſit laxior. Ex quibus patet, quod modus explorandi calculum in iis ſit longè facilior, quàm in viris. Cùm conſtiterit eas, calculo laborare, compoſitis in ſcamno, ut de viris dictum, catheter ille, qui itinerarium dicitur, & foſſulam habet, ſeu rima in canalem urinæ imponi debet, ſic ut rima extrorſum vergat, & ut novacula in eam incidere poſſit. Illud itinerarium quoque debet eſſe rectum & brevius quàm in viris. Tum ſuper pudenda, inter canalem urinæ & os pubis, & non in perinæo uti de viris diximus, facienda ſectio eſt, ſic, ut novacula itinerario reſpondeat, & in ipſum incidat. Tunc digitis ſiniſtræ manûs in cervicem uteri immiſſis calculus ad vulnus protrudatur, & vel uncis vel tenaculis extrahatur. Notandum monet Paræus, q. vulnus in mulieribus tam magnum fieri non poſſet, neque tanta dilatatio licita ſit quàm in viris. Unde ſi æquè dilataretur, contingeret, ipſam veſicam dilacerari, ex qua remaneret urinæ incontinentia. Reliqua eadem ſunt, quæ in ſectione viri.

Cùm puella ſecari debet, ſi eſt infra 7. aut 10. annos, debet ſecari, ſicut pueri maſculi, digitis in anum, non autem in genitalia, ſicut in mulieribus immiſſis, & tota reliqua ſectio eſt minoris apparatûs; in iis propter ætatem digiti ſine magna violentia in genitalia immitti non poſſunt. Locus ſectionis idem eſt qui in magnis mulieribus: ſi ſecandæ ſint virgines provectioris ætatis, poſſunt illam digitorum in genitalia immiſſionem tolerare. Itaque præſtat eas ſic ſecare, quàm digitorum in anum immiſſione; Faciliùs enim, ac ſecuriùs tum ſectio procedit; propterea quod uterus veſicæ ſit vicinior, quàm rectum inteſtinum.

Verùm quia omnis extractio calculi eſt valde periculoſa, pręcipuè in ſenibus, qui ſunt imbecilli propter tot contuſiones, quas veſica debet pati: à digitis, catheteribus, ductoribus, verticulis, everticulis, tenaculis & uncis, unde inflammatio ſequitur: Et quia periculum eſt ne, dum extrahitur, veſica dilaceretur, vel ſi aſper ſit calculus, venæ hæmorrhoidales vel aliæ lacerentur, unde lethalis hæmorrhagia ſequetur: Et quod maximum eſt periculum, ne dum calculus apprehenditur, & extrahitur, una etiam ſubſtantia veſicæ cum eo apprehendatur, extrahatur, & dilaceretur: Ideo aliqui docti viri invenere aliam rationem ſectionis, qua calculus non extrahitur, ſed relinquitur. Hæc ſectio in valde ſenibus locum habet maximè, propterea, quòd illi debiles ſint, & non tam bene poſſint extractionem ferre; ad hoc quod illi jam ferè ad terminum vitæ pervenerint, & ideo non debeant hanc moleſtiam quę ab hac ſectione remaneat, tamdiu quàm juvenes tolerare. Locum etiam habet, ubi calculus eſt valde magnus, adeò ut ſine periculo dilacerationis veſicæ, & mortis non videatur extrahibilis. Hæc ſectio dubio procul minus eſt periculoſa, quàm pręcedens; nam etſi ipſum vulnus quidem ſit periculoſum, tamen ex magna parte non eſt tam periculoſum, quando tantum ſit vulnus ſimplex & nihil aliud quàm quando inſuper ſit calculi extractio. In hac ergo ſectione ſit vulnus, ſicut ſupradictum uſque ad veſicam, ſeb multò minùs quàm antea, & calculus non extrahitur, ſed relinquitur, ut vulnus nunquam claudatur, ſed ut occaleſcant labra ejus, & maneat ſemper apertum, ut ſic urina per illud perpetuo fluere poſſit. ideo primis diebus imponitur tubulus argenteus foraminatus, ne claudatur, quouſque labris obductis ipſum per ſe maneat apertum. Hæc ſectio non eſt èquidem perfectum calculi remedium, quia calculum ipſum non aufert, ſed eſt tamen valde utilis; etenim aufert & minuit præcipua ſymptomata quæ calculus adducit. Nam imprimis tollit periculum ſuppreſſionis urinæ, quod à calculo quotidie imminet, quia ſic facto foramine poteſt urina per illud ſemper exire ſine periculo ſupreſſionis ejus: nam ſi calculus ante illud foramen cadat, leniter ſtilo removetur, & ſuppreſſio tollitur; ſi verò aliàs caderet ante canalem veſicæ, occluderet ipſum, ſic ut urina exire non poſſet, niſi cum maximo dolore, & periculo imponeretur. Et ut imponatur, ſępe calculum non poteſt removere. Deinde tollit illum intolerabilem cruciatum in reddenda urina, quem calculus ſemper faciebat: propterea, quòd tum urina exeat per vulnus in cujus labris calloſis non eſt ullus ſenſus, & ſic non ſit dolor, antea verò exibat per ductum urinarium & virgam in qua eſt acutiſſimus ſenſus, & ideo excitabatur immenſus dolor. Tertiò etiam quia præcavet mortem, quæ antè certò eſſet ſecutura: nam veſicæ ulcus, & inflammatio, quæ ſemper calculum comitantur, poſſunt faciliùs curari injectionibus in veſicam per foramen factis, quàm ante poterat: aliàs autem periculum mortis erat, ſicuti etiam ab urinæ ſuppreſſione, cujus periculum, ut dixi, hac ſectione tollitur. Verùm quidem eſt quòd ſectio cum extractione calculi eſſet melior, quàm hęc, ſi eſſet æquè facilis; ſed eſt longè periculoſior. Præſtat ergo habere aliquod remedium moderatum cum ſecuritate, quàm majus cum periculo maximo eſt. Etiam verum, quòd hæc ſectio habeat magnum inconveniens, quòd ſcilicet homo totâ vitâ debeat laborare involuntario per vulnus urinæ ſtillicidio: ſed melius eſt hanc moleſtiam ferre quàm in periculum vitæ incidere; Atque hæc eſt tota de calculi ſectione doctrina. *Thom. Fien. de præcipuis artis chirurgic. controverſiis tractat.9.*

Diæteticis atque pharmaceuticis remediis jam brevîter excuſſis, ſupereſt ut ultimum illud, ſcilicet chirurgicum jam exponamus.

Venæ ſectionem, ſi plethora, vel nimius ſanguinis æſtus adſunt, ex uſu poſſe eſſe ſtatuimus.

Curcurbitulas in regione lumbari poſitas, in dolore nephritico calculum unum vel plures ad veſicam derivaſſe, experientiâ ſępiùs obſervatum.

Si veſicæ lapis major ſit quàm ut expelli queat, nec defectû requiſiti ad id medicaminis reſolvi poſſit, ſi atrocitas morbi nullis medicamentis ſuccumbat, tunc duriori nodo durus àdhibendus eſt cuneus.

Circulatores plerumque enim omnes ridemus hîc & Empiricos, qui calculum veſicę medicamentis ore aſſumptis terere fabulantur: idem evincunt literæ paucis jam elapſis diebus ad nos datæ.

J. G. Eques Auratus.

JOANNI GROENFELDIO, M. D. S. D.

CUM *mihi in mentem venit, cum quo mihi res impræſentiarium agenda eſt, viro nempe eruditione & experientiâ notiſſimo, confiſus ſpero, quod non me argues vel ingratitudinis, vel imprudentiæ, cùm de ſalute filii ſo licitus eſſem, libentiſſimè enim vellem, ita me movente paterno affectu, & naturali* στοργῇ, *ut qui Tyrannidem tantam ſubiit, modo leniſſimo ſanaretur, ideóque ſanè ſpes mihi affulſit major, quod inveni quendam (qui Veſtras fuit, qui in Arthritide & Hydrope curandis, & nuperrimè quoque in comminuendo calculo, ſummus voluit eſſe myſta, ſolâ ſpe lucri, fractis omnibus pudoris repagulis, ahenea jam diu fronte fuit indutus) qui affirmavit intra viginti dierum ſpatium ſe potuiſſe* frangere *& expellere calculum per medicamenta intus aſſumpta, etiamſi calculus tantus eſſet, ut pugni magnitudinem excederet: ſed ah! quanta de ſpe decidi cum filio meo fallacia & impudentia ignorantis Empirici miſerè fallebamur, & filius meus adhuc ſubit torturam calculi graviſſimam.*

Ad Te itaque, tanquam ad aſylum, confugio, opem implorans veſtram, ut tentares an calculum in veſica concretum invenire poſſis, & ſi invenias, ut eandem adhibeas curam quam (cum bono Deo) habuiſti, reſpectu fratris ejus Senioris, quem biennio abhinc per Lithotomiam à calculo liberaſti, & manet adhuc in perfecta valetudine.

Deum precor ut Reipublicæ bono Te diu velit ſuperſtitem eſſe & valere.

Noſtra Reſponſio.

Eximie Domine.

ACcepi *Literas à Te 2. Martii* 1684. *datas, quibus certior factus ſum de bona valetudine filii Tui, natu majoris (quem non ità pridem à calculo* σὺν Θεῷ *liberavi.) Sed me ſtatim dolor aggreſſus eſt, cum literis iiſdem percepi, filium tuum juniorem eodem malo oppreſſum eſſe, quo priùs ſenior afflictus fuit, quem (veſtrâ me invitante Dominatione) hodie viſitavi & calculum inveni, juglandem magnitudine excedentem, ſolidum etiam & confirmatum.*

Quoad iſtum, cujus audaciâ fuiſti ſeductus, benè novimus Thraſonem eſſe vanum, & qui gloriari ſolet de rebus impoſſibilibus & extra ſphœram activitatis humanæ poſitis, nec erubeſcet de rebus etiamſi turpiſſimis; qui nihil honoris vel ingenuitatis habet, nihil quoque ipſi detrahi poteſt. Ingentem offendimus talium Impoſtorum gregem, perniciosſam hominum fęcem, qui ruditate & inſcitiâ ſuà imponentes, & in circulis civitatum verſantes, vaniſſimo verborum ſtrepitu panaceę miracula jactant. His verò mendacibus, & inanibus Medicaſtris præſtat tacere, quàm in detrimentum proximi nocivâ remediorum crepitacula credulis obtrudere. *Ten Rhyne Tractat. de Arthr.*

Quod ad nos attinet, talem licentiam nobis nunquam aſſumemus, ità in aliis & contemnendam & ſupprimendam duximus.

Id nobis aſtipulavit jure nobiliſſimus ipſe Galenus; Medicorum Princeps, qui aſſerit quod medicamentum integris viribus veſicam attingere non poteſt, atque ſi concedamus attingere poſſe, vis medicamenti infringitur, tum amplitudine veſicæ, tum involucris & pituitâ multâ quâ circumvolvitur.

Itaque jam tandem ad ultima remedia progredimur quæ ſi tentanda ſunt, excectio inſtituenda eſt (de qua vid. Paræum, Schultetum, Hildanum, Cornelium Celſum, &c.) diebus verò aliquot antea, victû corpus pręparandum eſt, ut modicos ſalubreſque cibos & minimè glutinoſos aſſumat, & inter hæc ambulandi exercitatione utatur, quo magis calculus ad veſicæ cervicem deſcendat, ut ipſe Celſus.

Cujus rei ubi fides eſt, prìdie id corpus tenui victu nutriendum, & tunc locô calidô curatio adhibenda eſt, quæ diverſis modis ordinari poteſt.

PRIMUS apparatus vocatur minor; in quô omnibus præparatis index & medius digitus manu ſiniſtræ in anum immittuntur, dextrâ manu venter inferior verſùs veſicam deprimitur. [à violenta compreſſione hîc ſummopere cavendum, hinc enim atrociſſimi dolores, inflammationes, imò ipſa gangræna)

Ex quibus evenit, ut in anguſtum compulſa veſica faciliùs capi poſſit, quô captô in perinæô ſuper calculum fit inciſio, digitiſque, ſi minor ſit lapis extruditur, ſin verò major, hamulô extrahitur.

Minimè feſtinanter hâc in re agendum, ſed ità, ut quàm maximè tutò id fiat, nam læſa veſica nervorum diſtentiones cum periculô mortis excitat.

SECUNDUS eſt Hildani, qui fit hôc modô: omnibus præparatis Medicus catheterem, (non talem intelligo, quali ad urinam ſuppreſſam utimur, ſed qui ſulcum ſeu foſſam habet. vid. Paræum, lib. 17. cap. 44.) in veſicam immittit ſuper calculum, tum novaculâ mediâ ſui parte obvolutâ, inciſionem facit ad catheterem uſque, poſtmodum ſuper catheterem ſive itinerarium per vulnus conductorem immittit, catheterem, ut virga ſit libera, extrahit, conductore, ſi ſit opus, vulnus dilatat, tùmque per latus conductoris cochlearia immittit; extractô conductore, immiſsôque in anum digitô, hamulô prehendit & extrahit (Tortorem) calculum, ſive integrum, ſive fruſtulatim, ſi nempe major juſtò aut tenerioris compaginis fuerit.

TERTIUS MODUS, quando modô præcedenti vulnus eſt inflictum, ſuper conductorem tenaculam immittit, quà prehendit Medicus calculum, & ſic eum extrahit, quod locum habere poteſt, cùm lapis hamulô extrahi nequeat.

QUARTUS operandi modus Lithotomia Franconia appellatur, ab Auctore Petro Franco, fit hôc modô:

Inciſione præcedenti modô factâ circa extractionem calculi nihil molitur Lithotomus niſi calculus in vulnere compareat; ſed vulnus more ſolito ligat; poſt aliquot dies (niſi calculus ſuâ ſponte per vulnus excidat, quod ſibi in ſua praxi aliquoties accidiſſe dicit inventionis hujus Auctor Petrus Francus) calculum extrahit, quando æger eſt valde debilis, ut judicat Hildanus.

Quintus Modus eſt cùm calculus eſt tam magnus, ut per vulnus in collo veſicæ factum, tranſire non poſſit, niſi ſubſtantia membranea veſicæ, vel ejus ſphincter lædatur: quod Author Petrus Francus non proponit, ut ipſum aliquis imitaretur. Sed in caſu tanquam deſperato, coactus precibus parentum infantis, in quo operationem inſtituebat, fecit.

Æger erat infans bimulus, qui calculum ovo gallinæ non minorem in ſuo gerebat corpuſculo: (in adultis hanç operationem locum non habere vult notari Auctor) ſectionem inſtituebat in inguine & ſuperiore oſſis pubis parte, ut ferè partus cęſareus fit, & ſic fundum veſicæ transfodiebat, & extrahebat calculum.

Infans quamvis maximè debilitatus, fuit reſtitutus, & vulnus ſanatum: tale Hildanus alibi in ſuis obſervationibus quoque commemorat exemplum.

Sextus & ultimus modus fit inſtrumento quod excogitavit Hildanus: factâ eô modô (uti dictum) inciſione, immittit per vulnus ſuum inſtrumentum ſuper calculum, illud quando eſt immiſſum dilatari poteſt (inſtar inſtrumenti quod Speculum matricis vocamus) poſt dilatationem conatur Medicus calculum apprehendere apprehenſumqum extrahere.

Pariſienſis ille Lithotomus, cui Collot nomen eſt, plurimos hoc modo ſatis feliciter ſecuit, ex cujus, ut & aliorum curioſa inſpectione tantùm profecit Tractatuli hujus Auctor, ut hunc cum cęteris quoque Operationis modis aggreſſus fuerit, & adhuc quotidie peragat.

In fœmineo Sexu, ſive ſit Virgo, ſive nupta, longè minori negotio, & citra ſectionem magnamve ſanguinis effuſionem, hanc operationem inſtituere & peragere licet: quia veſicæ foramen in pudendo ſtatim occurrit viſui, ſufficit ſolùm catheterem immittere, & infra ejus ſulcum dilatatorium inſtrumentum indere, denique forcipe lapidem extrahere: Interdum tamen ob calculi nimiam quantitatem in veſicæ orificio parva inciſio facienda eſt, à qua nihilominus, ut & à nimis violenta dilatatione, periculum metuendum eſt, ne læſo ſphinctere, ſequatur involuntaria urinæ emiſſio.

Jam ſequitur, ut, extracto calculo, agamus, qua ratione ſit regendus æger, non ſtatim ille in lectum erit reponendus.

Si valens fuerit corpus, nec magnopere vexatum, ſinere oportet ſanguinem fluere, quo minor inflammatio oriatur.

Tunc deſidere debet in ſemicupium, ità ut à genibus ad umbilicum aqua teneat (cętera veſtimentis circumdentur) quo ſanguinis hæmorrhagia ſiſtatur.

In corpore imbecilliori hæmorrhagia ſtatim ſiſtenda erit, agglutinanda aliquando cucurbitula & inguinibus & coxis, & ſuper pubem, ſi ſanguinis fluxus cohiberi nequeat, qui ſi cohibitus, æger reſupinus in lectum collocandus eſt.

Venter interim inferior ab umbilico ad lumbos itidem & pudenda, oleis convenientibus paululum calefactis optimè inungatur.

Vulneri linteolum duplex vel triplex, aſtringenti medicamento madens, imponatur; cannulla aliquando vulneri immittitur, quâ arenulæ & ſanguis extravaſatus poſtmodum commodiùs expurgetur, per illam & ſipho quoque immitti poteſt, quo, neceſſitate urgente, veſica ſyringetur, ſicque continuò excernatur, quicquid pręter naturam in ea continetur.

Si Lipothymia ſuperveniat, cardiacis removeatur, ęgerque placidè ad quietem reducatur, ac ſi ſomnus non obrepat, anodinis mitioribus promovendus.

Sicque, ſi vires ferant [hæc ipſa Celſus ῥητῶς tradit] interpoſitis viginti quatuor horis, balneum iterum ingrediendum, & pro virium conſtitutione in eo demorandum, ſi ſudor aliquis erumpat, ſpongiâ detergendns erit.

Inter hęc ſi ſomnus blandior æqualisque reſpiratio adſint, ſi lingua ſit madens & modica ſitis, & venter infimus ſedit, & mediocris cum modica febre dolor, curationem feliciter procedere, certum eſt.

Denique, quantùm poſſibile eſt, & cibis & medicamentis allaborandum eſt, ut natura, quæ ſaluberrimum balſamum ſuppeditat, corroboretur ſicque vulnus conſolidetur.

Unicum ſupereſt, nempe modus eximendi calculum ex urethrâ quem breviter deſcribemus.

Contigit aliquando, ut calculus exiguus è veſicâ excludatur, in urethram tamen illapſus, ibidem ſiſtitur, urinæque iter occludit.

Quô in casû omnia remedia tentanda & applicanda, quæ apta nata ſunt calculum educere abſque ullâ inciſione.

In horum numerô. Primò occurrunt medicamenta diuretica, emollientia, fomentationes, inſeſſus in balneum, qui ſunt relaxantis qualitatis, quorum ope calculum non infimæ quantitatis eduximus ex urethrâ ingenioſiſſimi admodum Viri, Equitis Aurati, & Regi â rebus caſtrenſibus Architecti.

Secundus modus eſt extenſio urethræ per flatum, ligando eam virgę partem, quæ juxta pubem eſt, eodem modo, quo frequenti uſû fuit apud *Ægyptios*, urethrâ nempè ità dilatatâ, liberior exitus calculo patet.

Tertius modus ſugendo efficitur, cùm maximô conatû ſpiritum trahendo, lapis ſimul attrahitur.

Quartus modus eſt comminuendi calculum, ope tenaculæ & ſpecilli (de quibus vide Paræum, Hildanum, Schultetum) qui cum ſucceſſu ſæpiùs efficitur, ideoque maximè laudandus eſt.

Hæc verò ſi fruſtanea ſint, ultimò tandem fiat inciſio: inter Authores ſumma diſputatio eſt de loco, in quo inciſio hæc facienda eſt.

Quidam eligunt partem lateralem, cavendo, nè inferiorem ſecando, fiat fiſtula; aliqui partem inferiorem, ne corpora nervoſa offendantur.

Quod ad nos attinet, utrumque modum tentavimus, curam invenimus faciliorem, neque ullum ægris fuiſſe detrimentum percepimus, cùm inciſionem facimus in parte nervoſa laterali: inciſione factâ, calculus unco ſubtiliſſimo tenerrimo educi poteſt.

Quibus jam peractis, vulnera poſt extractionem calculi (ſive veſicę ſint, ſive urethræ) curanda ſuperſunt, de quibus abunde deſcripſerunt Practici, ideòque & ea impręſentiarum mittimus. *Joann. Groënevelt in Diſſertat. ſua Litholog.*

Ut nihil hâc in parte deficiat quô plenè edoceri queat Lector Studioſus; Tractatum integrum, accuratiſſimi Gulielmi Fabricii Hildani, *de Lithotomiâ, quantumvis amplum, aliis omnibus quæ hactenus tradita fuere, jam adjungamus. Ille autem ſic habet.*

Cap. I.

CAP. I.

NOn abs re, gravique cauſa, divinus ac celeberrimus ille Medicorum Parens *Hippocrates, libro de Arte*, ſic ſcriptum reliquit; *Medicus ſi ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet quoque ad ſanandum.* Quibus verbis *Hippocrates* ſolertes quoslibet Medicos hortatur, ut ante omnia ſummum ſtudium & diligentiam, ad conſequendam exactam & accuratam Morbi cognitionem, adhibeant, priusquam de inſtituenda ipſius Curatione quicquam intendant, aut cogitent. Ac ſanè aliter ſi procedat Medicus, ſive in morbis & affectibus internis, ſive in externis, tardè, imò nunquam optatum ſcopum attingere, ægrumque priſtinæ ſuæ Valetudini reſtituere poterit. His igitur verbis inprimis fidelem atque ſolertem quemvis Chirurgum hortari vult, ut in omnibus propoſitis caſibus, ejus quod agendum eſt, exactam cognitionem habere nitatur, ac ſtudeat: quod quidem ex nuda experientia obtinere & addiſcere non poteſt, ſed bonos atque probatos Autores ipſum ad manus ſumere, & evolvere neceſſe eſt. Inter Veteres *Hippocrates, Galenus, Avicenna, Paulus Ægineta, Cornelius Celſus, & Albucaſis* præcipue fontes ſunt, è quibus cuilibet Medico atque Chirurgo Theoria, & Artis fundamenta haurienda ſunt. Illos ſequuntur *Lancfrancus, Guido de Cauliaco, Vigo, Tagaultius, Veſalius, Fallopius, Ioh. Andreas à Cruce, Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, & Ambroſius Pareus*, quorum quidam Germanico quoque Idiomate ſcripſerunt.

Hoc non ſine cauſa hîc in introitu propono; Scio enim, Lithotomos quoſdam adeò leves ac temerarios eſſe, ut ex levi quavis Calculi ſuſpicione ac ſigno, Veſicæ ferrum admoveant, in eaque multùm fodicent, & quæritent, tandem tamen Calculum nullum inveniant. Talis Empiricus meo tempore *Coloniam* venit, qui magnificè de ſeipſo ſenſerat. Cùm autem cuipiam ibidem Calculum extrahere vellet, Calculum tamen nullum in ipſius Veſica repetiſſet, clam, & admodum promptè Calculum è manica ad forcipem emiſit, & ac ſi eum è Veſica eduxiſſet, ſimulavit. Cùm verò quidam ex aſtantibus Amicis dolum iſtum deprehendiſſent, ejuſq; nequitiam detexiſſent, à Magiſtratu Ampliſſimo examinatus, & ut æquum fuit, caſtigatus, atque relegatus fuit. Unde autem hoc accidit? Revera totius mali cauſa eſt; Primò, quia tot nefariis ac temerariis hominibus, eò tantùm ut loculos ſuos impleant ſpectantibus, Artis hujus exercitium conceditur: in aliis verò deſideratur Ars & Experientia, nec non accurata Morbi cognitio, quodque à ſigno uno, aut pluribus, quæ interdum Calculo cum aliis Veſicæ affectibus communia ſunt, ſeſe decipi fallique patiantur.

Ut autem Chirurgus accuratam Morbi cognitionem habeat, & aſſequatur, primò ſciendum, quid ſit Calculus deinde etiam quas cauſas habeat, hinc poſtea certa & Pathognomica Calculi Signa manifeſta fient. De quibus tribus partibus in hoc primo, ſecundo, ac tertio capite agemus.

Ut igitur inſtitutum meum aggrediar, dico Calculum Veſicæ eſſe præternaturalem, craſſum, viſcidum, terreſtrem, & calore præternaturali, occultaque qualitate in Veſica coagulatum humorem, in lapidemque coactam materiam, multorum gravium atq; periculoſorum ſymptomatum cauſam. Quando enim Calculus, ob aſperitatem & acrimoniam ſuam, ſenſibiliſſimam Veſicæ ſubſtantiam exulcerat, vellicat, pungit, & labefactat, aut etiam collo Veſicæ includitur, eumque obſtruit, tunc Urina paulatim in Veſica colligitur, eamque diſtendit, & adeò extendit, ut ſæpenumero ipſius Venæ capillares diſrumpantur, Quanto verò cum dolore hoc fiat, vix credibile, maximè iis, qui Morbum hunc parum tractarunt. Dolorem autem iſtum poſtmodum inquietudo, Vigiliæ, Calor, & Inflammatio interiorum Viſcerum, delirium, imbecillitas Ventriculi, Hepatis, & univerſi corporis ſubſequitur.

Homine itaque, ob doloris diuturnitatem, ſolita ſua quiete ſomnoque privato, interrumpuntur functiones naturales; Ventriculus enim cibos probè concoquere, atque digerere nequit, atque ita Chylus crudus & indigeſtus ad Hepar, in quo ſecunda fieri debet concoctio, tranſmittitur: & quoniam error primæ Concoctionis non corrigitur in ſecunda, idcirco etiam ex crudo, craſſo, & ſemicocto illo chylo ſanguis laudabilis generari, & ex Hepate per venas ad partes corporis diffundi non poteſt. Hinc tandē corpus pravis humoribus refertur, multique ac diverſi Morbi, tam interni quàm externi, uti ſunt, Icterus, Colica, Spaſmus, Hydrops, Arthritis, maligna Ulcera, fiſtulæ, & tandem, poſt diuturnos languores, Mors ipſa inſequitur.

Statuit Fernelius ac ſcribit, omnes Veſicæ calculos è Renibus ortum ducere, indeque primum ipſorum ſemen ſeu rudimentum per Ureteres in Veſicam tranſmitti: huic verò ſententiæ alii doctiſſimi & experientiſſimi Practici refragantur. Cùm autem Controverſia hæc, utrum Calculus prima ſua rudimenta in Renibus accipiat, an verò in ipſa Veſica generetur? parum emolumenti Chirurgo afferat, ideò Lectorem eâ ſuſpendere non cupio.

Utrum verò Calculus adſit, nec ne? illud quidem ſcire, imò de eo etiam certum oportet eſſe Medicum: qua autem ratione cognoſci queat, poſtea capite tertio videre poterit.

Cap. 2. *De Cauſis Calculi Veſicæ; ubi quidem etiam indicatur, à quibuſnam cibis Calculoſi ſibi cavere debeant.*

QUandoqnidem fidelis & induſtrius quivis Chirurgus ac Medicus, coram DEO, ſupremo Medico; non ſolùm ægros curare, ſed etiam curatis conſilio ſuo ſalutari ſanitatem conſervare, non ſolùm Calculum extrahere, ſed etiam ne novus aliquis in Veſica generetur, præpedire tenetur atq; devinctus eſt: idcirco etiam maximè requiritur, ut Chirurgus ſciat & informetur, quo modo, quibus itidem ex Cauſis Calculus in corpore humano, & potiſſimùm in Veſica generetur atq; concreſcat? De Calculis verò, qui in aliis corporis partibus ſæpè, & in copia reperiuntur, hoc loco agere non conſtitui.

Teſtantur *Hippocrates, Galenus*, & alii Autores celebres, ac ſcribunt, Calculi cauſas eſſe, primò phlegma denſum, crudum, craſſum, viſcidum, atq; terrenum, in Veſica collectum & coagulatum, quod ſi, vel ob imbecillitatem facultatis Expultricis, vel Meatuum Urinariorum anguſtiam, veluti in infantibus, ſupprimatur, diuq; ibidem retineatur, ſuborto Calore præternaturali, in Calculum convertatur, & induretur. Quemadmodum è terra viſcoſa, pingui & limoſa calore ignis lapides generari videmus.

Chymici verò concretionem ſive coagulationem Calculi Sali attribuunt, & Sal, ſive Tartarum, in humoribus corporis humani contentum, veram ac genuinam harum Calculi coagulationum cauſam, imò materiam tartaream per ſe ad generandnm Calculum proclivem atque idoneam eſſe, contendunt.

Excellentiſſimi Medici, Dn. *Felicis Plateri, p. m.* opinio huic non eſt abſimilis; Scribit enim, in Calculoſis humorem quendam acrem, ſalſum, atque terreſtrem Urinæ permiſceri, eumque Calculum efficere. Opinio hæc firmis rationibus confirmari poſſet: quoniam

niam verò hactenus brevitati ſtudui, hiſce ſuperſedebo. Hac de re legere poterit Lector Excellentiſſimum Doctiſſimumque *Joh. Fernelium, de Partium Morbis & Symptomatis*, *lib. 6. c. 12. Dn. Danielem Sennertum in ſuis Inſtitutionib. Medicis, lib. 2. part. 2. c. 9.* item *Dn. D. Gregorium Horſtium, Centur. Probl. Med. decad. 8. quæſt. 1. lib. Conſult. & Epiſt. Medicinal. Sect. 9.* Sicuti etiam *Joſephum Quercetanum, in Conſil. de Arthritide & calculo.* Prudens tamen quivis facilè judicare poteſt; quod ad coagulationem iſtam phlegmatis & Calculi generationem, aliud quid præter immoderatum frigus (ut quidam volunt) vel calorem præternaturalem, ut alii ſcribunt, concurrere oporteat. Si enim Calculus ab immoderato frigore ortum duceret, (quod tamen adeò intenſum, ut lapidem generare poſſit, in homine vivo reperiri impoſſibile eſt) calor eum rurſus diſſolveret: quod tamen non fit, Ergo frigus vera Calculi cauſa eſſe non poteſt.

Si verò coagulatio & coaleſcentia iſta humoris phlegmatici, ejuſdemque in lapidem concretio, à Calore proficiſceretur, tunc ille vel in medio, vel in ſummo gradu talis eſſet. Si in medio, & quidem vel in ſecundo, vel in tertio gradu conſtituatur, Calculus in aqua denuo reſolvetur, ut apparet in furnorum & clybanorum luto, quod aliquando plus quàm centies calore ignis induratum fuit, & nihilominus tamen in aqua rurſus molleſcit, & ſolvitur.

Si verò calor internus in ſupremo gradu collocetur, ut humorem phlegmaticum indurare queat, quemadmodum argilla ſive lutum in furno laterario per ſummum calorem in lapides convertitur, tum denuò Natura tantum calorem nec ferre nec tolerare poteſt.

Sequitur ergo neceſſariò aliud, & quidem occultum quid in humoribus latere, iiſque inhæreſcere: uti videmus, eam eſſe aquarum quarundam naturam ac proprietatem, ut quamvis aliàs claræ ac limpidæ ſint, attamen lignum, paleam, & alia in lapides convertant.

Mottrouvii ad Lacum Lemanum, in ditione Bernenſi, ab alto monte aqua pura limpidaque delabitur, quæ gramen ac herbam omniaque obvia, ut ipſe vidi, in duros lapides, qui neque in aqua reſolvuntur, neq; in igne liqueſcunt, convertit. Juxta civitatem Biennam ſimiliter flumen clarum limpidum, è monte ad mœnia in anguſtam plateam defluit, ubi parietibus adhærens, in pumicem mutatur, qui adeò augetur, ut certis temporibus eum reſcindere oporteat, alioqui tandem, paucorumque annorum ſpatio, viam tranſitumq; per plateas interciperet.

Prope rivulos autem iſtos aliæ aquæ ſunt, quæ nec ſubſident; neque lapideſcunt. Unde quidem peculiarem & occultam conſtitutionem ac proprietatem Calculoſam aquis ineſſe, manifeſtum fit.

Eadem poteſt etiam eſſe ipſius Hominis ratio, ut ex cauſis quibuſdam internis alius ad Calculum diſpoſitus ſit, alius verò non.

Anno 1624. civem quendam Bernenſem, Dn. *Johan. Wolfium*, hîc Bernæ curandum habui, qui à multis annis Calculo obnoxius fuit; Æſtate verò dicti anni, poſtquam octo vel decem circiter dierum ſpatio dolore lumborum gravi affectus fuiſſet, intra paucos dies prope 300. lapilli è Renibus per meatus Urinarios, ac Virgam ipſius, nullo ſingulari præcedente lumborum calore, multò minus frigore, aut alio quopiam percepto in corpore incommodo, prodierunt. Mira eſt Viri hujus Naturæ ad generandos Calculos diſpoſitio. Bona fide affirmare poſſum, idemque Vir dictus ipſe confirmabit, intra biennium plus quàm mille Calculos ab ipſo excretos eſſe, inter quos ante tempus aliquod quidam in Uretere dextro hæſerunt, tandem tamen, DEI beneficio & auxilio, idoneis Remediis propulſi fuerunt. Jam bene habet, ſalvus & incolumis eſt, tam eques, quam pedes negotia ſua poteſt exequi.

Statuerunt nonnulli, non omnes Calculos in corpore humano ex phlegmate, ſed etiam ex aliis humoribus pravis excrementitiis generari. Propterea quod etiam lapides quidam cineritii, alii flavi, rubri, nigri, aliiſque coloribus tincti inveniantur: cùm tamen albi futuri ſint, ſi ex humore phlegmatico ac viſcido conſtarent.

Huic quamvis Ego ſententiæ contradicere nec poſſim, nec cupiam, Doctrinam tamen *Hippocratis, Galeni* & aliorum evertere non poteſt. Quoniam in concretione & coagulatione Calculi ad cauſam naturalem primariam reſpiciunt, ubi quidem phlegma primas obtinere deprehenditur.

Quod ſi fortè alius quipiam humor, uti aliquid atræ bilis ſimul concurrit, tunc Calculus griſeus, cineritius, quinimo etiam niger, prout multùm parumve humoris dicti ad eum confluit, producitur.

Eadem quoque eſt reliquorum humorum ratio, quorum affluxu & permixtione cum phlegmate, Calculus flavus, ruber, aut aliter coloratus evadit: idque juxta caloris interni, prædictorumque humorum conſtitutionem.

Quamvis igitur ad coagulationem generationemque Calculi in homine aliquid ſuper Naturam, ut dictum eſt, concurrit, quod Sali & Tartaro, ut *Platerus, Horſtius, & Sennertus*, referunt, adſcribi poteſt; illud tamen primas duas cauſas, veluti cauſam Materialem, quæ eſt phlegma craſſum ac viſcidum, & Efficientem, puta calorem præternaturalem interiorum Viſcerum evertere non poteſt. Hæ enim duæ Cauſæ tam manifeſtè & evidenter in Calculoſis apparent, ut nemo in dubium eas vocare poſſit,

Humor phlegmaticus excrementitius, craſſus & viſcidus, quotidie in ipſorum Urina deprehenditur, nullusque Calculus adeò parvus in Veſica continetur, ubi phlegma hoc non percipiatur.

Non ita pridem mihi allatum fuit fel bovinum, in quo Calculi, magnitudine fabam circiter majorem æquantis, rudimentum aderat, qui phlegmate craſſo ac viſcido involvebatur.

De Calore quoque Præternaturali interiorum Viſcerum dubitandum non eſt, eumque ſitis præternaturalis & immoderata, qua Calculoſi vulgò afficiuntur, ſufficienter declarat.

Ex his omnibus patet, duo inprimis Ciborum genera concretionem atque coagulationem Calculi promovere; Videlicet primò ea omnia, quæ craſſum, denſum, viſcidumque humorem progenerant: deinde etiam, quæcunque Hepar, Renes, aliaque interna Viſcera calefacere, ſanguinemque & humores accendere poſſunt.

Cibi, qui multùm phlegmatis progignunt, præcipui ſunt, Lac, & omnia Lacticinia, excepto butyro; Caſeus item, & Piſces, inprimis illi, qui in ſtagnantibus, turbidis, ac putidis aquis degunt, & ſquamis deſtituuntur. Extrema etiam Capita & Viſcera Animalium, & omnia præterea viſcida; Quam quidem etiam ob cauſam caro Vitulina, hœdina, Vervecina, aliorumque Animalium recens ablactatorum, Calculoſis, ſi ea ſæpius uterentur, detrimentum allatura eſſet. Quicquid durum, craſſum, difficiliſque Concoctionis eſt, quamvis minimè viſcoſum ſit, multùm tamen phleg-

matis producit. Propterea quod cibi iſti, ſi diutius in ventriculo retinendi ſint, nec digeri poſſint, calorem innatum, Concoctionis inſtrumentum, magis ac magis debilitant, unde quidem loco boni ſucci, crudum craſſumque phlegma generatur: quod poſteà ad Renes Veſicamque perveniens, ibidem ſubſidet atque colligitur, & generando calculo occaſionem præbet. Omnis ſalſa, atque ſuffumigata caro, & piſces: caro ferina, vel cervina, aprugna, leporina, Capreolorum, Urſorum; omnis itidem panis azymus, quicquid in butyro, vel oleo frictum & aſſatum, eſt, nocet. Artocreata pariter, ſicuti etiam piſa, lentes, fabę, oryza, milium, braſſica, fructus crudi, & ſimilia, non conducunt.

Otium, Somnus multus, & potatio ſive crapula nocturna, corpus molle ac lubricum reddunt, membraque omnia humore phlegmatico excrementitio, frigidoque perfundunt, atque adeò ad Calculi generationem faciunt.

Altera cauſa calculi, ut antea dictum fuit, Calor prętern aturalis interiorum viſcerum, ſanguinis, atque humorum eſt. Illa autem in homine accenduntur ex uſu nimiùm calidorum, qualia ſunt, Piper, Zingiber, Garyophylli Cardamomum, Galanga, Baccę lauri, Piper longum, ſicuti etiam Porrum, Allium, Sinapi, Cæpæ, & alia id genus, quæ ſaporem acrem ac vellicantem obtinent. Vina generoſa & calida aſſumpta, immoderata ac violenta corporis exercitia, tam pedeſtria, quàm equeſtria, balneationes calidæ in ſtuphis, aut alibi huc etiam faciunt: ſicuti etiam diuturnus ex morbo decubitus. Hinc videmus, Podagricos ſępe etiam Calculo affici, interdumque in præſens vitæ periculum incidere; ſicuti Anno 1623. Viro cuidam ſpectabili Soloduti accidit, cui calculus in latere dextro, ad decimum quartum uſque diem Ureteri impactus inhæſit: unde ægrum non ſolùm multa pati; ſed tandem etiam vitam cum morte permutare oportuit, quamvis ſumma diligentia ab ipſius Medico circa ipſum fuerit adhibita.

Quod verò Podagrici Calculo Renum atque Veſicę obnoxii ſint, non ſolùm inde proficiſcitur, quod ipſorum Jecur, Renes, ac Lumbi, multiplici in dorſum decubitu, calefiunt; ſed etiam, quoniam ob intermiſſum corporis exercitium, dolorem, inquietudines, & Vigilias omnes tres concoctiones non probè perfici poſſunt, unde loco boni ſucci, qui ex cibis ad hepar deferri, & in laudabilem ſanguinem converti deberet, craſſus, viſcidusque humor ad illud, & ulteriùs ad renes atque veſicam devenit: & tum quidem calor pręternaturalis qui adeſt, partes tenues & aquoſas diſſipat, reliquum verò indureſcit. Primò quidem leve habet principium, quando verò quotidie novum phlegma ad Calculum) qui calorem ſemel conceptum ſemper fovet ac retinet) accedit, paulatim increſcit & augetur, uti candelam, ſæpius in ſevum intinctam, augeri cernimus.

Quod verò calculi quidam aſperi & inæquales ſint, hinc fit, quod interdum alii lapilli & arenulæ ex renibus in Veſicam delabantur, humorique viſcoſo, Calculum involventi, adhæreſcant.

Ex illis igitur, quę hactenus commemorata ſunt, prudens quivis facilè colligere atque videre poteſt, quanto judicio & prudentia Potiones Sudoriferæ ex ligno Guajaco, Chyna, Sarzaparilla, Saſſafras, & ſimilibus, decoctæ in Podagricis adhibenda ſint: ita nimirum ut ægris ſudor non adeò potenter moveatur & cieatur, ſive id fiat reduplicatis culcitris, ſive lapidibus calefactis, &c. Sic enim omnia interiora Viſcera, inprimis verò Hepar ac Renes, ſupra modum incaleſcunt, unde tenuis & aquoſus humor diſſipari, viſcoſus verò facilè indurari, & tam in articulis externis, quàm etiam in renibus lapideſcere poteſt.

Sufficit igitur, ut æger potionibus hiſce Sudoriferis moderatè utatur, neque vi Naturam ad ſudorem moveat. Ita decoctum, attenuante calefacienteque proprietate ſua, humores pravos excrementitios & præternaturales partim per ſudorem expellet, partim etiam aliter reſolvet ac diſſipabit, partes quoque internas & externas, ægrumque maximè corroborabit.

Quod verò infantes huic morbo magis quàm adulti ac ſeniores obnoxii ſint, fit, *ut teſtatur Hippocrates*, quod interdum lac inſalubre è mammis maternis ſugant. Quod etiam, *ut ſcribit Galenus*, facit inordinatus & immodicus ipſorum victus: ſic enim multos craſſos, crudos & indigeſtos humores, ac phlegma cumulant, quod cum urina ad Veſicam deducitur.

Nec exiguam quoque ad generandum calculum in infantibus occaſionem præbet, quod parum exercentur, & meatus Urinarios adhuc anguſtos obtinent, unde craſſum atque viſcoſum phlegma difficulter excerni poteſt, præſertim cùm facultas expultrix in iis debilis adhuc & imbecillis ſit.

Quando poſtea lentum craſſumque phlegma in veſica retinetur, & calor internus intenſus ſimul concurrit, eos magis quàm ſeniores huic morbo obnoxios eſſe, mirum non eſt. Quamvis enim Seniores, propter ventriculi, omniumque interiorum viſcerum imbecillitatem multos quoque viſcidos craſſoſque humores, tanquam primam & materialem hujus morbi cauſam, progenerent; altera tamen cauſa, nempe calor, ad humorem illum phlegmaticum deſiccandum & indurandum, eiſdem deficit.

Anno 1581. 28. Januar. frater 16. annorum ex calculo mihi obiit, in quo **Dn. D. Birckmannus** Medicus celebris Colonienſis (qui ipſi in hoc morbo operam ſuam navarat) hanc, tanquam præcipuam calculi cauſam, obſervavit, quod nimirum à pueritia ſua ſale peculiariter oblectatus fuerit, adeò ut cibi palato ſuo nunquam ſufficienter ſale condiri potuerint. Hinc interiora Viſcera incaluerunt, & accenſa fuerunt, ita ut humores viſcidos, in veſica contentos, facilè exſiccare, in & lapidem convertere potuerint.

Inveniuntur tamen infantes, imò etiam ſenes, qui luti, Carbonum, piſorum crudorum, imò etiam frumenti & tritici integri eſu delectantur, qui ad calculum etiam admodum ſolent eſſe diſpoſiti: calor enim naturalis aſſumptis illis præternaturalibus debilitatur & extenuatur, & loco ſanguinis laudabilis, humorem phlematicum, frigidum, tanquam primam calculi cauſam, producit, ut in ſuperioribus aliquoties commemoratum fuit.

Joſephus Furer, Civis Bernenſis, à pueritia abſtemius fuit, contrà verò nullus cibus magis gratus ei offerri potuiſſet, quàm integrum frumentum & triticum, quod dentibus minutiſſimè contrivit, ac comedit, & tamen ſanus atque incolumis annum ætatis 61. attigit, quo ſymptoma poſt ſymptoma, ſæpe gravia Ventris ac Lumborum tormina, ipſum invaſerunt, tandem cùm ingens abſceſſus circa extremitatem lumborum, & juxta os ſacrum ipſi enatus, ibidemque ruptus fuiſſet, maxima puris copia effluxit, donec multos menſes poſt occubuit. Dum adhuc in vivis eſſet, ſæpius ſtylo exploratorio ad dextrum ferè renem penetravi. Si petitionibus, ſollicitationibus, muneribusque impetrare potuiſſem, ut cadaver ipſius mihi ſecare licuiſſet, procul dubio multæ res miræ in eo repertæ fuiſſent.

Atque ita, benevole Lector, cauſas Calculi perceſpiſti, quod tibi ad præſcribendam & inſtituendam ægris tuis tam ante, quàm poſt adminiſtratam Lithotomiam, victûs rationem, inſerviet.

Cap. 3. *De Signis Calculi Veſicæ.*

QUod tot graves pernicioſique errores, circa internos & externos Morbos atque Symptomata committuntur, imo etiam tales, qui ægros ſæpenumerò interimunt, imò in cauſa ſunt, ut gravia ſymptomata, & affectus p. n. in corpore remaneant, membra reſolvantur, ægrique totum vitæ curriculum cum ſumma moleſtia tranſigere cogantur; vulgò hinc proficiſcitur, quod Medicus Morbum non rectè cognovit. Hoc itaque primum eſt, quod Medico apud ægros agendum incumbit, ut nimirum Morborum cognitioni incumbat? *Qui* enim *Medicus ſufficit ad cognoſcendum*, inquit Hippocrates, *ſufficiet quoque ad curandum.* Hac de re multa, ſi opus eſſet, in medium afferre exempla, imò etiam docere poſſem, Lithotomos aliquando Veſicæ ferrum admoviſſe, multùm diuque in ea fodicaſſe & quæritaſſe, Calculum tamen nullum inveniſſe.

Unde error iſte? Inde nimirum, quod exactam accuratamque Morbi, ejuſdemque Cauſæ cognitionem non habuerant.

Quàm pernicioſum autem id ægro, turpeque Chirurgo ſit, ſapiens quilibet judicare poteſt.

Ut verò omnia convenienter, & ſecundùm Artem peragantur, Chirurgus ſequentia capita, Calculique Signa diligenter notabit.

Excellentiſſimus ille Senex *Hippocrates*, quinque Calculi Signa proponit his verbis: *Cæterùm Morbus Signa quinque habet*; *Nam ubi mejere vult, dolore affligitur, & Urina paulatim fluit, veluti in Urinæ ſtillicidio, & eſt ſubcruenta, nimirùm Veſica à lapide exulcerata, & inflammata eſt. Verùm hoc Signum conſpicuum eſt, indicat tamen ſumma pars Præputii, Quandoque mingit arenoſa, &c.* Quamvis autem *Hippocrates* paucis his verbis ferè omnia, quæ ad cognitionem Morbi requiruntur, complectatur; In juniorum tamen & tyronum gratiam, ea paulo fuſiùs cum aliis circumſtantiis & Signis exponam. Ut Chirurgus accuratam Morbi cognitionem, antè & priuſquam periculoſam hanc Operationem adminiſtrandam ſuſcipiat, habere queat.

Hippocrates autem in verbis prædictis, non ſine cauſa Dolorem primo, inter Calculi Signa, loco ponit, cùm tamen propriè loquendo, & in rei veritate ſecundum ſit, propterea quod æger rarò Medicum, niſi dolor urgeat, in conſilium adhibet. Aliàs omnino perſuaſus ſum, quod etiam hoc non obſcurum Calculi Signum ſit (quamvis propriè loquendo Calculus nondum in Veſica coagulatus fuerit) quando nimirum *Urina craſſo, albo, viſcido humore permixta eſt: præſertim ſi fundo matulæ, quando Urina per noctem vel diem in ea immota continetur, validè adhæreat.* Hoc verò Signum Signis Calculi, ab *Hippocrate* deſcriptis, non abs re præpono, ut Medicus induſtrius illud nuntii & præcurſoris Calculi loco habeat, & ad reprimendum futurum malum maturè diligentiam adhibeat. Tale verò phlegma non ſolùm in Urina, veluti cauſa materialis Calculi, hoc eſt tanquam materia, è qua Calculus ortum ducit ac generatur, *ut in præcedente capite dictum fuit*, antè & priuſquàm Calculus ſubſedit, & coagulari cœpit, cernitur, Sed viſcida illa Urina in ægris vulgò tamdiù, quamdiù Veſica Calculo affecta eſt, imò quò magis creſcit Calculus, eò etiam majore in copia viſcoſitas hæc in Urina deprehenditur. Quoniam ea Veſicæ eſt natura atque proprietas, præſertim quando circa collum læditur, & ab acrimonia Calculi irritatur & vellicatur, ut talem Urinam viſcidam & excrementoſam progeneret.

Dico autem *vulgò*, quoniam in Calculoſis quibuſdam Urina etiam pura claraque remanet. Hoc verò potiſſimùm contingit in iis; quibus facultas expultrix debilis & infirma. Meatus itidem Urinarii parvi & anguſti ſunt.In his Calculi longè celeriùs, quàm in iis, qui perpetuò turbidam, craſſam, viſcoſamque Urinam excernunt, naſcuntur: ab his enim phlegma, utpote cauſa Calculi, excernitur; Illis verò in Veſica detinetur, Calculo adhæreſcit, eique nutrimentum, augmentum & incrementum ſuppeditat.

Quoniam verò ſæpe etiam in aliis Morbis Urina viſcida deprehenditur; Idcirco induſtrius Medicus hoc Signo ſolo non acquieſcere, ſed etiam alia ſequentia diligenter obſervare debet. In Gonorrhæa virulenta etiam humor phlegmaticus albus Urinæ admiſcetur, Urina verò in iſtis ægris non guttatim, ut in Calculoſis, deſtillat, ſed magno plenoque impetu, & in copia ferè, ac ſi nullum ſubeſſet vitium, ſummo tamen cum dolore & ardore profluit. Ita etiam interdum in menſibus albis Mulierum, Urina alba viſcida deprehenditur, nullum tamen ſingularem dolorem in ipſius excretione, niſi rem cum Viris impuris habuerint, patiuntur.

Hæc differentia diligenti Medico, ut accuratam Morbi cognitionem ſibi comparare poſſit, nihilque in Curatione omittatur, diligenter obſervanda eſt.

Quando igitur antecedens Calculi Cauſa non tollitur, & generatio phlegmatis non impeditur, ita ut coaleſcat in Veſica, & lapideſcat, tum *dolor vehemens, præſertim in mejendo* ſubſequitur: quando enim Natura ad expellendam Urinam inſurgit, ſimulque Calculus ad ſenſibiliſſimum Veſicæ collum protruditur, tunc aſperitate ſuâ cervicem pungit, ac lædit, adeòque dolorem gravem inducit. Urina quoque ſi colligatur in veſica, eam magno cum dolore diſtendit, atque diducit; Ita ut ſæpe etiam Thorax, & ſuperiora hominis Viſcera in conſenſum trahantur, ægerque interdum ſpiritum ſibi defecturum, lateraque diſrumpenda eſſe, exiſtimet.

Atque hoc primùm eſt, quod ab Hippocrate proponitur, Calculi Signum.

Tertiò, *Urina paulatim, & velut in Urinæ ſtillicidio fluit*; Cauſa eſt, quia Calculus ad Veſicæ collum decumbit, meatusque Urinarios adeò obſtruit, ut Urina liberè, & ad placitum profundi nequeat.

Quartò, *Urina ſæpe ſubcruenta fluit*, quod inde fit, quoniam aſperi Calculi anguli atque mucrones cervicem Veſicæ pungunt ac vellicant, tumque venæ capillares (quarum eo in loco ſatis magnus eſt numerus, ut poſtea capite quinto dicetur) læduntur, Urinaque cruenta ſubſequitur. Hoc verò præcipuè fit, quando æger ſive deambulare, ſive equum aut currum conſcendere volens, intempeſtivè movetur: Ubi corpus ſupra modum concutitur.

Quintò, interdum etiam *Inflammatio Veſicæ* oboritur. Propterea quòd Urina, diutiùs in Veſica retenta, in eaque collecta, Veſicam adeò extendit, ut interdum Venulas ipſius diſrumpi oporteat, tumque ſanguis in Veſicam profluit, putreſcit, & Inflammationem parit.

Hippocrates ſcribit, hoc quidem extrinſecus cognoſci non poſſe; *Præputium verò, & anteriorem Virgæ partem illud indigitare.* Cauſa eſt, quoniam ſanguis juxta collum Veſicæ confluit, & quia etiam collum plures Venas, & plus carnis, quàm ipſa Veſica obtinet,

ſica obtinet, à Calculoque aſperitate læſum ac vulneratum fuit: hinc etiam potiſſimùm & primariò inflammatur, quæ inflammatio poſtea per totam Virgam ad præputium uſque extenditur. Præterea maximus etiam atque graviſſimus dolor in hac Inflammatione Virgæ extremitatem occupat: Quamvis inflammatio cauſaque doloris in Veſica ſedem habeat. Hoc verò non ſolùm Inflammationibus Veſicæ, ſed in genere in omnibus Calculoſis cernitur, qui maxime de dolore anterioris partis, ſive glandis Virgæ queruntur; quamvis Calculus omnis doloris autor, in parte poſtrema circa collum Veſicæ hæreat, illudque vellicet, & exulceret. Hoc verò propter exquiſitum ac ſingularem balani, ſive glandis Virgæ ſenſum, & quia Nervi omnes ibidem concurrunt, contingit.

Verùm, tales Veſicæ Inflammationes plerunque propter gravia ac periculoſa ſymptomata, putà febres, immoderatas Vigilias, delirium, ſpaſmum, & ſimilia, quæ mox ſubſequuntur accidentia, lethales ſunt. Ideoque Calculoſi, ne Urina ipſorum ſupprimatur, diligenter cavere, & ubi primùm ſuppreſſionem aliquam ipſius percipiunt, peritos Medicos in conſilium adhibere debent. Et ſi fortè illa Balneis, Cataplaſmatis, Fomentis, Unguentis, & ſimilibus cedere nollet, tunc ab experto & exercitato aliquo Chirurgo, citra moram, Catheter ægro uſque ad Veſicam immittendus, ipſique etiam à medicamentis Diureticis vehementioribus abſtinendum eſſet. Quando enim meatus urinarii inferiùs obſtructi ſunt, ut ex ſuperioribus corporis partibus plures humores eò propellantur, fieri non poteſt, quin dolor, imò omnia reliqua ſymptomata ingraveſcant.

Suppreſſio autem Urinæ non ſolùm in Calculoſis, ſed etiam omnibus periculoſa eſt. Doctiſſimus Vir Dn. D. *Andreas Toxotius*, Regiæ Majeſt. in Dania Phyſicus Ordinarius, Amicus meus ſingularis, aliquando, cùm *Paterniaci* apud me viveret, narravit, præclarum atque inſigniter doctum, celeberrimumque Virum, D. *Tychonem Brache*, &c. ex ſuppreſſione Urinæ obiiſſe. Vir iſte pius ac celebris, cùm Pragæ in magno quodam convivio, ultra vires & conſuetudinem ſuam detentus, diuque Urinam retinere coactus fuiſſet, poſtea reperto idoneo ad exonerandam Veſicam loco, Urinam ampliùs excernere non potuit: cùmque Inflammatio Veſicæ ſubſecuta eſſet, è vita ei excedendum fuit.

In præcedentibus indicatum atque propoſitum fuit, Calculoſos dolorem magnum in Præputio, ſeu glande membri virilis percipere: ex quo aliud, quod diligenter obſervandum, & communiter certum Calculi Signum eſt, conſequitur. Quando nimirum *Calculoſus anteriorem Virgæ partem ferè ſemper, præcipuè verò Urinam redditurus, digitis fricat, comprimit, trahit ac mulget*, ita ut Calculoſos, inprimis verò infantes, viderim, quibus membrum virile dimidia ferè parte ſolito longius fuit.

Hîc mihi aliquis objicere poſſet, dicens; ſi dolor circa præputium & glandem membri virilis urget, quomodo igitur æger locum illum eò, quo videmus, modo comprimere, & mulgere poterit? Annon dolorem hâc ratione augebit? Id, meo judicio, hinc fit, quoniam prima atque præcipua doloris cauſa non eo in loco conſiſtit; & quòd dolor iſte præcipuè per conſenſum, & affluxum ſpirituum Animalium excitatur: hinc per compreſſionem illam Præputii, & glandis membri virilis, dicti ſpiritus Animales repelluntur, parſque exquiſitiſſimo ſuo ſenſu ex parte privatur.

Rem ita ſeſe habere, Anno 1613. in memetipſo expertus ſum. Cùm enim poſt gravem Peſtem *Lauſannæ* dolor ardens talum meum dextrum invaſiſſet, neque ſingulis diebus manè horâ quartâ & quintâ cum vehementia corripuiſſet, tunc ſingulare doloris levamen percepi, quando Pede ſpondæ inſiſtebam, aut alius quiſpiam ambabus manibus talum fortiter comprimebat: ſic enim ſpiritus ſenſitivi denuò repulſi fuerunt. Hujus rei deſcriptionem ampliorem *in* 4. *Cent. Obſ.* 23. *&* 86. invenies.

Quando Eques hyberno tempore pedibus ſuis diutiùs ſtapedi inſiſtit, hi ſupra modum frigeſcunt, ita ut planè obriguiſſe videantur. Quare? Quoniam ſpiritus Vitales, ac ſanguis è pedibus ad interiora repelluntur? mox verò ubi pedes extra ſtapedem propendent, rurſus ad eos defluunt.

Calculoſi, non tamen omnes, interdum etiam arenulas & lapillos in Urina ſua deprehendunt. Quamobrem non abs re vocabulum *Quandoque*, adjicit Hippocrates.

Ego *Coloniæ* Calculoſum non obſcuri nominis curandum habui, qui ſe calculo veſicæ laborare perſuaderi non potuit, propterea quod nunquam arenam aut lapillos in urina ſua deprehenderit, & tamen 4. Calculi in eo reperti fuerunt. Atque ita quidem fieri poteſt, ut aliquis Calculum in Veſica contineat, nullam tamen arenam cum urina excernat. Sic etiam invenias aliquos, qui lapillos & arenulas in copia cum urina emittunt, & tamen Calculo Veſicæ affecti non ſunt: ſed arena atque lapilli iſti è renibus proveniunt, & parum in Veſica ſubſiſtunt. Ad hoc induſtrius Medicus attendere, & omnia diligenter diſtinguere debet: ne Lithotomiam veſicæ in Nephriticis inſtituat.

Quando autem Calculi Renibus delabuntur, facilè ex lumborum, laterumque dolore deprehenduntur ac dignoſcuntur. Quamdiu enim Calculus hæret in Renibus, tandiu etiam ibidem vel gravem, vel exiguum dolorem, prout movetur, aut quieſcit, excitat.

Quando verò per Ureteres in Veſicam delabitur, graviſſimum dolorem in latere producit, ægerque ſucceſſivum Calculi per ſenſibiles Ureteres in Veſicam deſcenſum facilè poteſt percipere. Ad Veſicam ubi pervenit, minore cum dolore progreditur: Virga enim Ureteribus patentior eſt. Non tanta quoque lenti craſſique phlegmatis copia in iis, quibus arenulæ & lapilli è Renibus proveniunt, ac ſi Calculus in Veſica confirmatus eſſet, deprehenditur.

Præter hæc, ex prædicta vellicatione & exulceratione, à Calculo circa Veſicæ fundum, collumque facta, alius quidam corporis motus, non minùs Calculum Veſicæ denotans, ſequitur, quando nimirum *æger in excretione Urinæ, graviſſimiſque ſuis doloribus, crura ſua tranſverſim complicat, coxas comprimit, caput itidem ad terram demittit, manuque altera, interdum etiam ambabus Ventrem, juxta Os pubis, quantum poteſt conſtringit.* Ad hoc Natura ægrum impellit, quandoquidem per complicationem illam crurum, compreſſionemque coxarum, Calculus aliquo modo ex collo Veſicæ rurſum repellitur, ita ut Urinæ tranſitum minùs impediat.

Æger, præter graviſſimum Stranguriæ dolorem, interdum etiam alia Symptomate, *dolore* videlicet *gravativo*, ut vocant Medici, h. e. *ac ſi pondus quoddam grave infimo ipſius Ventri, ac inteſtino recto inter oſſa pubis, incumberet, eaque deorſum deprimeret, afficitur.* Hoc verò præcipuè ob Calculi magnitudinem ac gravitatem contingit.

Vir quidam honeſtus Genevenſis, 28. circiter annorum ſpatio Calculo laboravit. In hoc Medici illud

omnium maximè mirati ſunt, quòd æger ſtatim initio Morbi ejuſmodi grave pondus in fundo Veſicæ, & juxta inteſtinum rectum perceperit, de eoque toto Morbi decurſu, & à tot annis conqueſtus fuerit.

Aperto autem tandem poſt mortem ipſius Cadavere, magnoque Calculo in Veſica reperto; ac Medicis pondus ipſius admirantibus, eum contriverunt, in ejuſque medio ingentem globum plumbeum ante annos 30. ex periculoſo ictu, Veſicæ ipſius inflictum, phlegmate obductum, & in lapidem converſum, invenerunt. Hoc medicus quidam Excellens Genevenſis, qui ipſe caſui interfuit, ante annos aliquot ad me ſcripſit.

Urina ægrum frequenter ad excretionem ſtimulat. Propterea quòd Calculus Veſicam erodit, exulcerat, mucronibuſque & acutis angulis ſuis facultatem Veſicæ Expultricem irritat & excitat. Hinc Urina plerunque guttatim, ſed maximo cum dolore, ut antea diximus, deſtillat.

Virga ſæpiùs tam in Infantibus, quàm in adultis *tenditur & arrigitur*; Minimè quidem ex appetitu Venereo, aut naturali libidine, ſed potiùs propter magnitudinem doloris, qui ſpiritus, ac flatulentam materiam attrahit, Virgamque indurat.

Calculoſi plerique perpetuò ſitiunt, multumque ac ſæpe potum appetunt: primò, propterea quòd multa crebraque Urina ipſis reddenda eſt, adeòque humores copioſi ab eis excernuntur, quod Natura quidem compenſare, adeoque interiora Viſcera in conveniente ſuo temperamento, ac ſymmetria naturali conſervare ſtudet. Secundò, quoniam interiora Viſcera gravi continuoque dolore, inquietudine, atque Vigiliis incaleſcunt; Ideòque etiam multum ac crebrum refrigerium poſtulant, imò ſæpe quidem intempeſtivo & inconveniente tempore, hoc eſt noctu, & extra menſam. Hinc igitur, ubi Ventriculi & Hepatis concoctiones impediuntur, facilè è ſcintilla flamma accenditur: ſequuntur enim Obſtructiones, & magnæ interiorum Viſcerum imbecillitates, Icterus, Hydrops, & ſimilia, ut ſuo loco fuſiùs dicetur.

Quando Chirurgus digitum indicem in Inteſtinum rectum, quàm profundè quidem poteſt, *intrudit,* ac poſtea aliquantulum contrahit, putà versùs Os pubis, *communiter duritiem percipit*: *communiter,* dico, propterea quòd Calculus interdum etiam in ſuprema Veſicæ parte jacet, nec juxta collum percipitur. Quocirca ægro ante explorationem iſtam injungatur, ut quantùm fieri poteſt, ambulando, currendo, ac ſaltando ſe corpuſque ſuum exerceat. Infans verò ſi fuerit, ſub axillis præhendatur, corpuſque validè concutiatur. Neque tamen iſta ad adminiſtrationem Lithotomiæ ſufficiunt: duros enim tumores ſcirrhoſos in Veſica inveni, qui digitis in anum immiſſis, tam duri deprehendebantur, ac ſi fuiſſent Calculi. Alia præthereà Calculi Signa, veluti Retentio Urinæ, Urina cruenta, & ſimilia concurrerant: uti Lector *Cent.* 2. *Obſ.* 65. videre poterit.

Excellentiſſimus & Experientiſſimus Vir, Dn. *Coſmas Slotanus*, Illuſtriſſimi Ducis Juliacenſium, Clivienſium, & Montenſium, &c. Medico-Chirurgus ordinarius, Præceptor meus plurimùm honorandus, ſæpiùs mihi retulit atque narravit, ſe Coloniæ, unà cum Doctiſſimo ac celeberrimo. Viro, Dn. *Bernhardo Deſſenio Cronenburgio*, Virum quendam nobilem curandum habuiſſe, in quo omnia Calculi Signa adfuerant, niſi quòd cum Cathetere, hoc eſt, inſtrumento per Penem in Veſicam immiſſo, nihil Calculoſi deprehendi potuit. Cùm tamen tandem obiiſſet, ſcirrhum ſive tumorem durum in Veſica inventum fuiſſe, qui adeò creverat, ut totam Veſicam impleret, vixque ſpatium, quod Urina, ubi in Veſicam influit, permeare poſſet, reliquiſſet; in Mulieribus quidem etiam idem obſervavi. Quoniam igitur tumores iſti duri ſcirrhoſi tam altas egerunt radices, quemadmodum in defunctis vidi, & expertus ſum, ut eos, citra mortis periculum, avellere, & educere impoſſibile ſit: idcirco meritò nullus Chirurgus adeò levis, temerarius, atque imprudens erit, ut Operationis tam difficilis adminiſtrationem, niſi de eventu omnino certus ſit, ſuſcipiat. Explorationem itaque cum inſtrumento ſequente modo inſtituet.

Colloca ægrum ſupra ſedile, ſcamnum, vel menſam paulò elatiorem, ita tamen ut corpus aliquantulum versùs anteriora, & pedes, inclinatum & incurvatum ſit; pedes & crura quoque longè à ſe invicem diducta habeat, dorſoque incumbat. Deinde unum ex inſtrumentis, inferiùs depictis, priùs oleo amygdalarum dulc. aut butyro recent. probè illinitum, paulatim, ac lentè in Veſicam intromitte. Quòd ſi Calculus aliquis adfuerit, mox inſtrumento illud agnoſcere poteris: niſi fortaſſis alicubi adnatus, & membranulâ involutus ſit; quales mihi aliquando occurrerunt: Præcipuè verò Nobilis quidam Baſileæ, de quo poſtea cap. 8. dicetur.

In hoc autem Caſu, quoniam Lithotomia inſtitui non poteſt, Chirurgus ægrum expertis Medicis committat, ut omnibus, quibus fieri poteſt modis atque remediis, levamen ei afferant, & ne malum ingraveſcat, ut ſuo loco ulteriùs indicabitur, proſpiciant.


Effigies ac Delineatio Inſtrumentorum, & Stylorum exploratoriorum, ad Calculum in Veſica explorandum, Urinamque retentam emittendam; de quâ vide Tabulæ I. *fig.* 1.

Hæc verò inſtrumenta ex optimo argento, vel orichalco confici, & concava in parte quæ anteriore, & ad latera perforata eſſe debent, ut per ea Urina effluere, atque Veſica evacuari queat; & ſi fortè humor viſcoſus, aut ſanguis coagulatus foraminibus adhæreat, eaque obſtruat, filo argenteo expellendus eſt. Horum verò inſtrumentorum Chirurgus multa genera, longa nimirum & brevia, parva & craſſa, in promptu habeat: vidi enim aliquando, me inſtrumento parvo ad Veſicam penetrare non potuiſſe, cùm tamen magnum & craſſum citra ullum impedimentum & obſtaculum immiſſum fuerit: cauſa eſt, quia tenerum ac gracile inſtrumentum anfractibus ac rugis Virgę impingit: craſſum verò Urethram diducit, & per ſe aperit. Propterea etiam Chirurgus ſemper, quando inſtrumentum immittit, Virgam aliquantulum in altum, & versùs Umbilicum attrahet, ut meatus urinarius extendatur, rugæque inſtrumentum non detineant.

Cap. 4. *Quid Chirurgo ante adminiſtrationem Lithotomiæ conſiderandum, & prædicendum ſit.*

Quoniam inter omnes affectus & operationes Chirurgicas, Lithotomia meritò una ex graviſſimis cenſenda atque habenda eſt; Idcirco etiam fidelis & diligens Chirurgus non temerè, circumforaneorum, Agyrtarum, & Impoſtorum more, cultrum corpori humano, quemadmodum Lanii brutis Animalibus, admovere, ſed omnia priùs probè conſiderare, reique exitum diligenter trutinare debet, ut illud ægro, vel etiam propinquis & Amicis indicare & referre, adeoque ipſorum judicium, opinionem, & reſponſum percipere poſſit.

Primò


Tab. I.
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.
Fig. 5.
Fig 6
Fig. 7.
Fig. 8.
Fig: 9.
Fig. 10
D
B B B B
C
A A A
E E E
F F F

Primò autem, non prædictorum Empiricorum & Agyrtarum more, ſeipſum offeret, & inſinuabit, ſed donec ſolenniter vocetur, exſpectabit: qui enim non vocati obſequium ſuum ægris deferunt, ſe leves & impudentes homines, imò proprii ſui commodi ac lucri magis, quàm ſalutis & incolumitatis ægrorum ſtudioſos eſſe, quique præterea, dummodò Artem addiſcere & excolere poſſint, ne integræ quidem; quod ipſemet ex multis audivi, Ruſticorum centuriæ parſuri ſint, eo ipſo abundè teſtantur. Deinde etiam ludibrio nobiliſſimæ huic Arti, & ſummo Dei dono vertitur, ſi Medicus non vocatus ad ægrum accedat, eique obſequium ſuum deferat. Nullus quippe Sartor, Sutor, aut alius artifex, facilè familias, opificium ſuum exercendi gratiâ, accedet, ſed domi, donec vocetur & accerſatur exſpectabit. Præterea etiam requiritur, ut æger ſingularem animi affectum, amorem, ac confidentiam in Medicum habeat, ſi ſaltem felix Curationis ſucceſſus ſperandus ſit. Qualis verò amor iſte, & ſumma in Medicum confidentia eſſe poterit, quando ipſe ſponte ſuâ, ut multi Agyrtæ, obſequium ſuum offert, & ut ita loquar, inconſtante ſermone ſuo, oſtentatione, & garrulitate ægrum, ad fidem, etiam vitæ ſuæ diſpendio, ipſi adhibendam, quaſi faſcinat?

2. Quando ſolenniter vocatur, non pleroſque eos, qui, ne dimittantur, & alii ipſorum loco conſulantur, rem extenuant, & parvi faciunt, imitetur; Sed ægro, vel ipſius propinquis rei veritatem, difficultatemque Operationis, & eventum futurum exponat. Eventus itaque Morbi Chirurgo ideò cognoſcendus eſt; primò, ut maturè Symptomata avertere, iisque quàntùm fieri poteſt, obviam ire queat: deinde etiam, ut æger & aſtantes eò meliorem ſpem, confidentiam, & amorem erga eum concipiant. Quoniam ipſum rem & artem ſuam ex fundamentis intelligere vident. Tertiò ideò etiam eventus Morbi Chirurgo cognoſcendus, ægroque ſive propinquis prædicendus eſt, ut, ſi res optatum finem ac ſcopum non aſſequeretur, ipſe tamen ideò non vituperetur, & apud Vulgum diffametur. Cui malo Medicina hoc tempore, proh dolor! magis quàm cætera vitæ genera eſt obnoxia. Multi enim loco honorifici promeritique honorarii, nefatiis, contumelioſis, & inhumanis verbis ægrum dimittunt, & ſi per eos ſtaret, libenter eum ad cymbam Charontis amandarent, eum, inquam, quem paulò ante, dum doloribus morboque premebantur, ad cœlum extulerant, cuique dimidiam bonorum ſuorum partem vix recuſâſſent.

Nobilis quidam, cùm aliquando Coloniæ ex vehementiſſimo dolore, gravique morbo decumberet, Chirurgum, mihi probè notum, ad ſe accerſit, 200. Imperiales, ſi dolorem ejus lenire atque ſedare poſſet, ipſi offerens. Chirurgus igitur cùm ſummam diligentiam adhibuiſſet, ægrumque brevi temporis ſpatio ſanitati reſtituiſſet, vix centum aſſes ei dare voluit: re verò ad Ampliſſimum Magiſtratum delatâ, Nobilis graviter reprehenditur, eique, ut promiſſis ſtaret, & Medico mox ſatisfaceret, injungitur. *Bartholomæus Cabrollius*, Chirurgus celebris ſcribit, ſe ad puellam quandam nobilem ditiſſimam, 18. annorum, quæ Urinam non per collum Veſicæ, ſed per umbilicum reddiderit, vocatum, ſibique ſpem factam fuiſſe, fore ut Parens libentiſſimè dimidiam bonorum filiæ ſuę partem, ſi eam ſanare poſſet, ipſi donaturus eſſet. Se verò poſt abſolutam Curam atque ſanationem, quam 12. dierum ſpatio abſolvit, duplicem ſolummodò Ducatum obtinuiſſe ſcribit. Magna fuit iſta ingratitudo, quam Deus non impunè feret. Si idem mihi non ſæpiùs etiam eveniſſet, ejusmodi ingratos & inciviles homines exiſtere poſſe, vix crederem.

Aliquando, cùm Lauſannæ degerem, ad ditiſſimi Mercatoris Uxorem gravidam, quæ procul ab Urbe in vaſtiſſimo monte commorabatur, ibidemque ex caſu quodam lethaliter in capite vulnerata fuerat, vocatus fui, ad quam cùm hyberno tempore per imbres & nives, ſæpe quidem cum vitæ periculo, me contuliſſem, eamque, Dei beneficio, ſanitati priſtinæ ita reſtituiſſem, ut duos liberos, quos Utero geſtârat, ad conſtitutum uſque terminum geſtârit, eosque ſalvos & incolumes in lucem enixa ſit, poſt annum circiter demum laboris ac medicamentorum meorum remuneratio jure mihi poſcenda & extorquenda fuit. Ubi quidem homo ille ingratus tam dexterè cauſam ſuam defendere, eique talem inducere novit fucum, ut mihi exiguum quid; & ne quidem id, quod domi neglexeram, adjudicatum fuerit. Quid fit? Biennio poſt Curationem, cùm Mulier iſta opulenta & ingrata, fœtum mortuum expellere non poſſet, multæque nobiles & honeſtæ Matronæ eam hortarentur, & rogarent, ut me vocaret: noverant enim, quot Mulieribus tam Lauſannæ, quàm in aliis hujus ditionis locis, in ſimilibus Caſibus, auxilio meo adfuerim, easque divino auxilio ſalvarim; quod & ipſa eandem confidentiam habere, nec ſuſpicari debeat, quòd in ſummis ſuis anguſtiis auxilium meum ei recuſaturus, aut præterita in memoriam revocaturus ſim; Quibus reſpondit, Maritum ſuum ita ſe erga me geſſiſſe, ut auxilium meum implorare non audeat, ſe rem in craſtinum delaturam, meque tunc ad ſe vocaturam. Sequente die cùm vocandus eſſem, ne vocarer, rogavit; ſibi enim conſtare, quamvis aliàs multos ex ſimilibus anguſtiis liberarim, me tamen ipſam non ſanaturam, ſeque agnoſcere, graviſſimam hanc calamitatem, propter ingentem ingratitudinem erga me, ſibi fuiſſe impoſitam, & quoniam nullus alius in Operatione iſta exercitatus in hiſce regionibus exſtat, vitam ſibi cum morte commutandam eſſe. Atque ita in ſummo dolore & miſeria, poſtquam ſex integris diebus dolores parturientium ſuſtuliſſet, nec fœtum excludere poſſet, obiit. Plura Exempla de modo, quo Deus Opt. Max. ingratitudinem erga fideles Medicos punire ſolet, ſuppeterent: ad evitandam verò prolixitatem, his ſuperſedebo. De hac Muliere Lector videre poterit, *Cent.* 1. *Epiſt. mearum Epiſt.* 54.

Ex his verò non concludo, quòd Medicus privato ſuo commodo adeò intentus eſſe debeat. Abſit; non ita ſentio, ſed potiùs unicuique fideliſſimè ac diligentiſſimè inſervire; & potius Proximi, quàm proprium ſuum commodum ſpectare debet. Quibus autem facultates ſuppetunt, ii liberali animo laborem Medico compenſare, coram Deo tenentur, ut pauperibus gratis ſervire poſſit. Atque hoc, ut Scriptura loquitur, eſt debito honore Medicum afficere.

Ut igitur Chirurgus futurum ægri ſtatum ex Arte prædicere, & indicare queat, ſequentia diligenter obſervet.

Primò; utrùm Calculus ſit magnus; an parvus? quod partim ex circumſtantiis, partim etiam ipſis manibus, & digito in Anum immiſſo; cognoſcere atque diſcernere poterit. Ex circumſtantiis quidem magnitudinem Calculi cognoſcere poteſt Chirurgus, ſi ad principium Morbi attentus fuerit. Quò enim major eſt Calculus, eò etiam majus temporis ſpatium ad ſui generationem requirit: magnusque Calculus brevi temporis

poris intervallo vix generari poteſt, niſi corpus ægri (quod Medico diligenter obſervandum) peculiariter ad eum diſpoſitum fuerit. Preterea etiam exiguus Calculus ægro longè vehementiorem graviorem que dolorem, quàm magnus, affert: ille enim unà cum Urina in collum Veſicæ delabitur, eumque pungit & exulcerat, Urinamque ſupprimit; Hic verò, ſcilicet magnus, non adeò profundé ad collum Veſicæ pervenire poteſt, ut tam gravia excitare poſſit Symptomata. Digito verò exploratorio in Anum immiſſo, optimè magnitudinem Calculi explorare atque agnoſcere poteſt: cùmque ejusdem extremitates, angulos, altitudinem ac latitudinem digito diſcernere & comprehendere poſſit, eâdem operâ facilè magnitudinem Calculi deprehendere licebit. Si verò illud præſtare, Calculumque digito complecti nequeat, illius quoque magnitudinem non certò dignoſcere, eum verò magnum eſſe, ſibi perſuadere poterit: tumque de pondere ac mole, quam ægri circa extremitatem Ani percipiunt, diligenter ægrum examinabit; Prout enim pondus & moles illa ſe habuerit, de magnitudine quoque ſeu parvitate Calculi judicandum erit.

Secundò, etiam Conſtitutionis ægri ratio habenda eſt: ſi enim Calculus magnus, æger verò parvus, aut debilis, imbecillis & proſtratus fuerit, nihil aliud quàm infelicem exitum ſperare poteſt. Si verò Calculus non admodum magnus, æger robuſtus, & bene habitus ſit, erit unde proſpera quæque ſperare queat. Nemo verò Calculi, magnitudine ovum gallinæ minus ſuperantis, extractionem, ſine vitæ periculo, ne in grandioribus quidem adultisque Viris, tentare poteſt. talis enim Calculus, citra muſculi Veſicæ, imò ipſius etiam Veſicæ exulcerationem, vix educi poteſt. Calculum quoque frangere; non admodum tutum, imò an frangi poſſit, incertum eſt; Quoniam nonnulli duri inſtar ſilicis reperiuntur, ut alibi fuſiùs dicetur.

Tertiò, etiam diſpoſitionis ſive conſtitutionis interiorum ægri Viſcerum ratio habenda eſt: ſi enim Pulmo, Hepar, Lien, Renes, vel etiam Veſica labefactata, & ex parte corrupta eſſet, ut ſæpiùs in iſtiusmodi Morbis contingit, tunc Lithotomia ſine vitæ periculo tentari non poſſet: Natura enim poſtmodum è prædictis Viſceribus humores pravos & excrementitios ad Vulnus transmittit, indeque dolores, tumores, & alia moleſta ſymptomata, ac tandem, ut ſuprà dictum; Mors ipſa ſubſequitur. In Caſtratione Chirurgus pariter ad iſta attentus erit, nullumque ægrum internis Morbis, velut Ictero, Phthiſi, Hydrope, & ſimilibus laborantem, caſtrandum ſuſcipiet: aliàs eum citò ad Patres promovebit. Uti exempla ſatis frequentia teſtantur.

Quartò, ſi forte Lithotomia incommodo & alieno tempore; Chirurgo adminiſtranda veniret, multis etiam malis exponeretur, ut poſtea c. 10. ulteriùs dicetur.

Quintò, ſi æger ante Operationem Remedia requiſita, veluti Purgationes, Phlebotomiam, Diætam, & ſimilia, de quibus poſtea dicetur, adhibere non poſſet, aut nollet, vel Chirurgus illa ex imperitia non præſcripſiſſet, nullus etiam optatus exitus ſperari poteſt: ſi enim pravi humores & Sanguis non ante Operationem evacuentur, cum impetu poſtea ad Vulnus labuntur & fluunt, atque Symptomata ſuprà commemorata producunt.

Sextò, poſtquàm Chirurgus digito in Anum immiſſo, vel etiam Cathetere, aut. ſtylo exploratorio, Calculum inæqualem, aſperum & angulosum adeſſe deprehendit, non aliter apud ſe ſtatuere poteſt, quàm Operationem difficilem & longam, variisque periculis implicitam futuram. Diſcrimen illud Calculi etiam inde aliquo modo innoteſcit, quòd Urina alba & lactea plerumque Calculum æqualem ac lævem denotare ſoleat. Si verò Urina frequenter rubra cruentaque fuerit, certò Calculus aſper, inæqualis, & angulosus aderit: præterea etiam hunc dolor longè major, quàm illum, comitatur.

Septimò, Calculi Veſicæ adnati extractio non abſque ſummo periculo tentari poteſt; Veſica enim in extractione dilaceratur, unde multa periculoſa ſequuntur ſymptomata.

Octavò, Quòd ſi Calculus oblongus, hoc eſt inſtar Olivæ foret, Chirurgusque fortè fortunâ forcipe in medio eum prehenderet, & in obliquum extraheret, facilè etiam Veſicæ collum dilacerari & exulcerari poſſet.

Nonò, periculum Calculi, multò levius eſt in Mulieribus, quàm in Viris: collum enim Veſicæ in fœminis breve, & adeò amplum eſt, ut interdum etiam magni Calculi, citra inciſionem, per illud educi poſſint: ut cap. 22. dcejtur.

Decimò, quando poſt Operationem Turundæ Vulneri non immittuntur, illudque donec Veſica probè expurgata fuerit, apertum non retinent, tunc æger etiam in periculo Recidivæ verſatur; Uti ſuo loco fuſiùs dicturi ſumus.

Undecimò, in ſenibus, & provectæ ætatis hominibus Vulnus longè tardiùs, quàm in junioribus: In iisque quorum interiora Viſcera imbecilla, debilia, atque vitiata, multisque humoribus pravis referta ſunt, tardiùs ac difficiliùs, quàm in iis, qui Pulmones, Hepar, Lienem, ac Renes, habent integros, ſanatur. Quando enim in ſenibus corpus variis humoribus pravis refertur, iique ad Vulnus labuntur, tunc ſanatio ipſorum ab iis impeditur atque ſuſpenditur. Idem etiam de internis juniorum Viſceribus corruptis intelligitur.

Nullus autem Lithotomus ſibi perſuadeat, vel imaginetur, quòd eadem ſit Calculi quæ Rupturarum, ratio, quodque Lithotomia, ut, prôh dolor! multis uſu venire ſolet, tantâ facilitate quemadmodum Caſtratio, adminiſtrari queat. Quoniam enim multi Rupturas per integrum decennium, imò etiam diutiùs, abſque dolore ſecum circumferunt hinc etiam interiora ipſorum Viſcera non usque adeò, ut in Calculoſis, corrumpuntur. Unde quoque ex neglecta ante Operationem convenientе corporis præparatione, minus detrimenti ad eos redundat; Quamvis illud minimè probandum ſit, fidelemque atque ſolertem Lithotomum parum deceat, imò etiam coram Deo ratio ipſi reddenda ſit, ſi adeò temerè & inconſideratè ferrum corpori humano admoveat, nec majorem ejusdem curam gerat, illudque prout neceſſitas requirit, & Ars præcipit, ante Operationem non præparet. In Calculoſis verò longè gravius eſt periculum: etenim propter ingentem diuturnumque dolorem, interiora ipſorum viſcera labefactata, multisque humoribus excrementitiis referta ſunt: unde etiam ad avertenda ſymptomata longè major diligentia & induſtria, quàm in rupturis, ut etiam alibi dictum fuit, requiritur.

Cap. 5. *Deſcriptio brevis Anatomica Veſicæ.*

IN omnibus Artibus, etiam Mechanicis, commune Axioma traditur, quòd quivis opifex, Artem ſuam ad proprium honorem ſuum, proximique emolumentum, dirigere cupiens, ante omnia ſubjecti ſui, h. e. materiæ, circa quam occupatur, proprietates atque naturam agnoſcere debeat. Sic quando Aurifaber exactam auri & argenti; puri, vel cum aliis Metallis permixti, cognitionnem non habet, quomodo aliquid

aliquid boni atque laudabilis, in Arte ſua præſtare poterit? Sic neque faber lignarius, Materiarius, Lapidicida, faber ferrarius, & alii ſimiles, Naturam ac proprietates ligni, lapidum, & ferri ignorabunt: alioquin nunquam verum ſcopum perfectæ in arte ſua peritiæ attingere poterunt, ſed ſemper à peritis artificibus tyronum loco habebuntur.

Quandoquidem igitur homo, nobiliſſima Dei Creatura, imò ipſa Dei imago exiſtit, meritò illi, qui circa illius corpus occupantur, non ſicut faber lignarius, & lapidicida ligno atque lapidibus, ferrum admovere, ſed Subjecti ſui, h. e. corporis humani, præcipuè verò ejus partis, cui manus admoturi ſunt, exactam cognitionem habere deberent: ſi enim hîc error aliquis committeretur, longè gravior eſſet, quàm ſi circa prædictas materias accideret. Aurifaber ſi in opere ſuo hallucinetur, illudve ſiniſtrè tractet, argentum vel aurum denuò in crucibulum projicit, nihilque præter tempus atque laborem perdit, faber lignarius, cæmentarius, ac faber ferrarius nihil aliud, quod magni momenti ſit, amittit. Medici verò, adeoque ipſius etiam Chirurgi Subjectum, circa quod verſatur, eſt corpus humanum. Quocirca ut ipſius conſtitutionem, & planè ſtupendam divinamque ſtructuram ſciat & intelligat, neceſſe eſt. Hæc itaque cauſa eſt, benevole Lector, quòd in gratiam juniorum tyronumque Chirurgorum, nec non inſtitutionis ergò, antequam ulteriùs ad curationem, periculoſamque extractionem Calculi progrediar, brevem quoque deſcriptionem Anatomicam Veſicæ ſubjungere volui.

Sita autem eſt Veſica in infimo Ventre, undiquaque oſſe Pubis, oſſe ſacro, atque Coxis circumdata, quod natura ita conſtituit, ut tenues ſeroſasque ſanguinis partes, è Renibus ad eam defluentes, eò meliùs recipere, & per Virgam educere poſſet.

Inter duas Peritonæi membranas, in Viris quidem ſupra inteſtinum rectum, cui collum annectitur; in fœminis verò ſupra collum Veſicæ, cui itidem annexa eſt, interjacet: ita ut tabernaculum, ſuperbumque Palatium, in quo homo concipitur, & unde primam ſuam ducit originem, inter Veſicam, & inteſtinum rectum, hoc eſt in loco, ad quem omnes totius corporis ſordes veluti ad cloacam confluunt, ſitum habeat: quod meritò unicuique, in ſtatu ſuo glorianti, ſequemetipſum, non ſecus ac pavo, dum plumas intuetur, ſuſpicienti ad deprimenda ſupercilia, miſeriamque ſuam agnoſcendam, anſam præbere deberet. Hac de re conſulat Lector *Tractatum meum Germanicum, ſeu Speculum vitæ humanæ.*

Aliud verò Ligamentum à fundo Veſicæ ſurſum ad umbilicum, quo illi firmiter inſeritur, & annectitur, aſcendit, ab Anatomicis Urachus nominatum, quod Veſicam ſuſpendit, eamque impedit, quo minus urina repleta deorſum, ac ſupra muſculum colli Veſicæ decumbat, unde quidem urinam retinere non poſſet, Veſica evacuata interdum magnitudinem pugni infantis non excedit; Urina verò quando repleta eſt, grandeſcit, ita ut aliquando in ſuperiore parte oſſis Pubis deprehendi queat. Anno 1604. Paterniaci in Viro octogenario tantam urinæ ſuppreſſionem vidi, ut Veſica ipſius proximè ad umbilicum pertigerit, Venterque, ut in gravida aliqua Muliere, tumuerit; unde etiam Veſica adeò labefactata fuit, ut urina ipſi per inteſtinum rectum effluxerit. Hac de re videat *Lector 2. noſtram Centuriam Obſerv.* 65.

Lithotomus autem ea, quæ modò de parvitate Veſicæ in medium attuli, quando Lithotomiam Apparatu parvo, ut vocant, adminiſtraturus eſt, diligenter obſervet. Quoniam enim Veſica evacuata corrugatur, facilè Chirurgus digitis ſuis in anum immiſſis, fundum ipſius unà cum Calculo ad collum Veſicæ protrudere, & quandoque diſſecare poteſt, quod periculo non vacaret: quandoquidem Vulnera Veſicæ, in fundo vulneratæ, plerumque lethalia ſunt; Ut teſtatur *Hippocrates, lib. 6. Aphoriſm.* 18. Quoniam Veſica eo in loco membranoſa, & ex multis nervis conſtructa eſt, paucas præterea etiam Venas inſertas habet, hinc Vulnera ibidem, propter gravia, quæ illico, ſubſequuntur ſymptomata, difficulter ſanari poſſunt.

Communiter autem unicam Homo Veſicam obtinet, quamvis Riolanus, & alii duas aliquando repertas fuiſſe, fidem faciant. Hac de re conſule Excellentiſſimum ac celeberrimum Anatomicum *Caſparum Bauhinum, in Theatro ſuo Anatomico lib. 1. cap.* 31.

Subſtantia Veſicæ eſt partim membranoſa, ex nervis genita, partim carnoſa; Fundum ipſius ut extendi, multumque Urinæ complecti, poſtea rurſus contrahi, & corrugari queat, membranoſum: collum verò ejusdem carnoſum muſculo Sphinctere dicto munitum, cujus uſus eſt, Veſicam occludere, & ne Urina involuntariè effluat, impedire. Ea autem eſt colli iſtius carnoſi conſtitutio, ut illc meatus auxilio ac beneficio dicti muſculi ita claudatur, ut ne unica quidem Urinæ guttula è Veſica effluere poſſit. Ubi verò Veſica Urinâ repleta eſt, aut acrimoniam aliquam præternaturalem aſcivit, tunc Natura onere illo ſeſe deonerare cupit: tumque diſtenduntur Muſculi Abdominis, omnesque ſimul deorſum ſupra Veſicam deprimuntur, Atque ita Sphincter, hoc eſt Muſculus Veſicæ aperitur, Urinamque emittit. Ad propellendam & expellendam è Veſica Urinam, non parum etiam Diaphragma, quod Thoracem (in quo Cor atque Pulmones continentur,) ab infimo Ventre diſtinguit, conducit. Illud enim in excretione Urinæ ſemper Ventriculum, Hepar, atque Lienem vi deprimit, quæ poſtea ulteriùs Inteſtina ad inferiora, adeòque ad Veſicam usque protrudunt. Ut autem Diaphragma eò efficacius deprimi queat, ſæpenumero in excretione Urinæ Reſpiratio ſuſpendenda eſt, inde intumeſcunt Pulmones, dilatantur ac Diaphragmatis depreſſionem magis intendunt.

Addo autem *Sæpenumero*, quoniam Reſpiratio non ſemper in excretione Urinæ ſuſpenditur. Viri-juvenes robuſti, repletâ Veſicâ Urinam, etiam non interrupta Reſpiratione, poſſunt emittere: excepto excretionis fine, quando nihil ferè amplius in Veſica continetur, ubi quidem ſpiritus ipſis etiam junioribus aliquantulum ſuſpendendus eſt. Hoc verò inde fit, quod juniores facultatem expultricem longè robuſtiorem, meatus itidem Urinarios magis amplos ac lubricos obtinent, quàm ipſi Senes, in quibus omnia areſcuut, & collabuntur, vires quoque labaſcunt ac debilitantur, unde etiam Urinam ſæpenumero difficulter, & non niſi ſuppreſſo & coactu ſpiritu excernere poſſunt. Mulieres minore cum difficultate, quàm Viri, Urinam emittunt: quoniam collum Veſicæ brevius, & adeò amplum obtinent, ut non ſolùm ipſorum Urina, ſed etiam phlegma, & quidquid præterea in Veſica continetur, abſque vehementiore conatu, reſpirationisque ſuppreſſione, præſertim dum juniores adhuc ſunt, facilè poſſit profluere; in ſenioribus verò ſæpius obſervavi, quod Urinam, abſque ſuppreſſione ſpiritûs, magnoque conatu, excernere minimè potuerint: cujus rei ut ſuprà de Viris dictum, cauſa eſt, quoniam ipſorum corpora etiam arida & ſicca ſunt, Vireſque omnes in ipſis deficiunt.

Proximè juxta prædictum Muſculum, ſive Sphincterem, Natura duas glandulas, Proſtatas dictas produxit,

duxit, in quibus virile ſemen, poſtquam perfectè à Natura elaboratum eſt, colligitur, & ad uſum ſuum reſervatur.

Hę duę partes, puta Sphincter, ſive muſculus Veſicæ, & Proſtatæ, Lithotomo inprimis etiam obſervandæ ſunt, præſertim quando Lithotomiam apparatu parvo adminiſtrat: ſi enim Sphincter, ſive muſculus Veſicæ diſſecaretur, aut inſtrumentis dilaceraretur, æger Urinam in poſterum amplius retinere non poſſet, ſed quemadmodum illa per Ureteres à Renibus in Veſicam delabitur; ita etiam rurſus per Penem guttatim exſtillaret. Si verò prædictę glandulæ, ſive Proſtatæ diſſecentur, aut dilacerentur, tunc Vir ille ſterilis, & ad generationem ineptus evadet.

Veſica autem è triplici membranarum genere genita atque contexta eſt, quarum exterior à Peritonæo, ſive membrana interiore Abdominis proficiſcitur, craſſa quidem & valida, ne quando Veſica à copia Urinæ craſſeſcit, & extenditur, diſrumpatur. Præterea etiam Veſica beneficio iſtius membranæ aliis partibus circum jacentibus annectitur: atque adeò non tam arctè Veſicæ adhæret, eive annexa eſt, ut reliquæ duæ, quæ, propriè loquendo, Veſicam conſtituunt, & adeò tenaciter inter ſe cohærent, ut multi eas membranam ſive tunicam unicam conſtituere judicarent. Sunt autem illæ aliàs craſſæ, aliàs verò rarę ac tenues, prout Veſica à copia Urinæ diſtenditur: juxta fundum tamen & collum Veſicæ, ſicuti etiam iis in locis, in quibus Ureteres è Renibus Veſicæ inſeruntur, ſemper craſſiores ſunt, quàm alibi, præſertim circa collum Veſicæ, ne ab acrimonia Urinæ, & Calculi labefactentur.

Membranula Veſicæ interior nitida eſt, & alba, rara, tenuis, ſubtilis, & ex genere nervoſo, unde exquiſitiſſimus ipſius ſenſus oritur. Similiter etiam, ſicut reliquæ membranæ omnes, quarum eſt dilatari & contrahi, è triplici fibrarum nervoſarum genere veluti contexitur, inter quas fibræ rectæ ſunt internæ, transverſæ externæ, obliquę verò medię. Harum fibrarum beneficio Veſica functiones ſuas exequitur, h. e. attrahit, complectitur, retinet, & rurſus expellit.

Ne autem Veſica ab acrimonia Urinę labefactetur, intrinſecus quaſi mucoſa quadam pellicula, quæ, ut Anatomicis videtur, ex tertiæ Concoctionis excrementis generatur; obducta eſt. Humor iſte mucoſus plerumque in Urina, quando Calculus aliquis in Veſica continetur, deprehenditur. Media Veſicę, tunica craſſitudine eas, quas modò commemoravi, aliquantulum ſuperat, fibriſque carnoſis intertexta eſt, non quod fibrę illæ: ut in Muſculis, rubeant, ſed albidæ ſunt, quemadmodum in membranis ſive tunicis Ventriculi, & Inteſtinorum videre eſt. Fibrarum iſtarum carnoſarum beneficio, meo quidem judicio, fit, ut etiam Vulnera Veſicę interdum conſolidari queant. Carnoſis iſtis fibris calor etiam innatus Veſicę, aliàs exiguus, fovetur & augetur; ſimiliter quoque Veſicę in excretione Urinæ conferunt & inſerviunt; Veſicam enim aliquantulum comprimunt.

Qua autem ratione Urina in Veſicam influat, multis admodum mirum videtur, cùm unicum tantùm foramen, collum videlicet, in ea, quando è corpore eximitur, conſpiciatur: unde apud antiquos Philoſophos ac Medicos, Aſclepiades, Vir inſigniter doctus exiſtimavit, Urinam inſtar nebulæ atque Vaporis in eam tranſſudare, & poſtmodum in aquam converti: quam quidem opinionem erroneam Galenus pluribus in locis refellit. Hoc tempore, quo Ars Medica ad ſummum faſtigium pervenit, totque excellentiſſimi Viri eam ſcriptis illuſtrarunt, eamque quotidie Academiis docent, imò etiam reipſa demonſtrant, non ſolùm inter plebeios, & imperitos Medicinæ homines, qui Aſclepiadem ſectantur, ſed etiam inter ipſos Chirurgos inveniuntur, qui nullam præterea Anatomiæ, ſive Subjecti quod tractant, cognitionem habent; hinc ſi de Ureteribus mentio fiat, obſtupeſcunt, mirantes quomodo hoc fieri poſſit, cùm tamen unicum tantùm foramen, per quod Urina effluat, in Veſica conſpiciatur. Summopere dolendum eſt, quod nobiliſſima Ars Chirurgica eò reducta ſit, ut etiam multi, qui conſummati Artifices haberi volunt, prima adhuc, quod aiunt, Elementa ignorent; Lithotomorum & Caſtratorum nomen ſibi vendicant, cùm tamen partium iſtarum conſtitutionem & Anatomiam ignorent. Ideoque ægros languentesque homines ſæpe ſæpius ſuccumbere, vel alias vitę ac ſanitatis naufragium facere, mirum non eſt.

Sed ut ad propoſitum meum revertar, ita ſeſe res habet; Veſica tria habet foramina, duo paulo ſupra collum, utrinque nimirum unum, ubi quidem ex utroque Rene meatus Urinarius ad Veſicam deſcendit, ab Anatomicis Ureteres appellantur. Hi igitur, ubi utrinque, uti dictum, Veſicæ inſeruntur, uterque ibidem peculiarem ſuam membranam obtinet, qua meatus iſte urinarius tam arctè occluditur, ut non ſolùm Urina, ſed etiam flatus remeare & erumpere nequeant, quemadmodum folles luſorios occludi, nullumque flatum emittere, & quo magis inflantur, eò arctiùs etiam ſpiritum eos continere videmus; ita etiam Janitores iſti, ab Anatomicis Valvulæ dicti, adeò arctè clauduntur, ut ne flatus quidem, quando Veſica inflatur: per eos erumpere queat. Ureteres iſti è Renibus oriuntur, & utrinque intra Peritonæum, ſive membranam interiorem Abdominis, ad Veſicam deſcendunt: albi ſunt, unde à quibuſdam Nervi appellantur, ſicuti revera etiam naturam Nervorum æmulantur, & parum ſanguinis continent. Rotundi, & non usque adeò, præterquam in calculoſis, ampli ſunt, in quibus paulatim dilatantur, ut interdum quidem Calculi ſatis magni per eos expellantur.

Si verò aliquando contingat, ut Calculus in Ureteribus hæreat, periculum non ſpernendum ſubſequitur: Retentio enim iſta Calculi, propter exquiſitiſſimum ipſorum ſenſum, magnum poſtmodum dolorem producit, quem tumor, inflammatio, Gangræna, & mors ipſa conſequitur: ut illud ſæpius & non ita pridem quidem obſervavi. Ureteres itidem à vicinis partibus perexiles, tenues, & minutas Venarum & Arteriarum fibras, alimentum ac vitam ipſis deferentes, accipiunt. Præterea etiam Nervi, partim à ſexto pari Cerebri, partim quoque à ſpina ad eos derivantur: unde ſenſus ille exquiſitus & dolor lumborum, quando arenulæ aut Calculus è Renibus deorſum ad Veſicam delabitur, ortum habet. Atque hęc quidem de ſuperioribus duobus meatibus, ſive Ureteribus, per quos Urina è Renibus in Veſicam defluit, dicta ſunto.

Tertium Veſicæ foramen eſt ipſius collum, ſive ductus Urinarius inferior, cuivis notus, per quem Urina, phlegma, arenulæ, lapilli, & alia contenta præternaturalia è Veſica fluunt. Carnoſus, multis tamen fibris intertextus eſt: unde fit, quod iſtius loci Vulnera in Lithotomia facilè coaleſcant. De Muſculo Sphinctere ibidem ſito, ſicuti etiam de duabus glandulis Proſtatis, ſupra dictum, nec ea jam repetere neceſſe eſt.

Quod

Quod autem meatus hic Urinarius paulò amplior, quàm duo ſuperiores, ſit, inde patet, quod ſæpenumero, quando Calculi è Renibus ad Veſicam delabuntur, majorem in Ureteribus dolorem excitent; In Veſica verò ſemel exiſtentes, plerunque abſque dolore per Virgam ab ægro excernantur: hunc tamen meatum inferiorem per Virgam multò anguſtiorem & longiorem Viri, quàm fœminę obtinent.

Unum inſuper hîc coronidis loco ſilentio prætereundum non eſt, quod nimirum in utroque colli Veſicæ latere, Venæ & Arteriæ aliquot ad Veſicam, ejuſdemque collum derivantur, quæ ei à Vena cava, & arteria magna, poſtquam ſub Renibus bipartitur, transmittuntur: illa quidem, nempe Vena, ut Veſicæ, & ipſius collo nutrimentum, hæc verò, puta Arteria, ut eidem calorem nativum & inſitum ſuggerat atque communicet.

Venæ iſtæ & Arteriæ Chirurgo in Lithotomia diligenter obſervandæ ſunt, ita ut eis, quantùm fieri poteſt, parcat, quòd quidem in Operatione cum apparatu parvo præſtare non poteſt: tunc enim digitis in Ano conglomerantur, & adeò comprimuntur, ut non unus aliquis, ſed quandòque etiam plures rami diſſecentur: quando verò cum Itinerario Operatio perficitur, tunc omnes Venæ in longum extenduntur, neque tot rami diſſecari poſſunt: ut ſapiens quivis, ſi paulo accuratiùs rem perpendere velit, facilè judicare poteſt. Hæc itaque brevis eſto Deſcriptio Anatomica Veſicę, & quantùm quidem Lithotomo ſciendum incumbit. Plura qui ſcire cupit, conſulat *Galenum*, *Veſalium*, & inprimis Excellentiſſimum ac celeberrimum Anatomicum & Botanicum, Dn. *Caſparum Bauhinum*, in Theatro ſuo Anatomico.

Cap. 6. *Quid æger, cui Calculus extrahendus eſt, perpendere, & qua ratione ſeſe ad Operationem iſtam periculoſam præparare, atque diſponere debeat.*

SOlet ſolers ac providus quivis Oeconomus, ędificium aliquod magnum & ſumptuoſum extructurus, eò res ſuas dirigere, ut primò materiam requiſitam, puta lignum, lapides, & quicquid pręterea requiritur, in promptu habeat: deinde etiam ut ſibi de induſtrio, experto, atque fideli aliquo Architecto proſpiciat. Quoniam igitur multo plus tibi, benevole Lector, in difficillima graviſſimaque hac omnium, quę in corpore humano unquam inſtitui poſſent, Operatione, quàm in ædificatione Villę, domûs, aut caſtri ſitum eſt, vitaque tua in ea quandoque etiam tenui veluti filo, ut aiunt, dependet: idcirco diligenter cavebis, ne quicquàm temerè, ſed omnia maturo conſilio, atque prudenter inſtituas atque ſuſcipias. Si enim hac in parte feſtinares, & aliquid omitteres, facilè ipſi tibi exitium accelerare poſſes.

Primò autem & ante omnia, quandoquidem hora mortis & diſceſſus ex hac vita unumquemque latet, Dominusque veniet, ſicut latro ſive fur nocturno tempore, imò quandoquidem in gravi, atque periculoſa hac Operatione Vita & Mors adeò implicantur, & inter ſe digladiantur, ut nemini conſtet, utra pars Victoriam reportatura ſit; Ideoque primò rem tuam familiarem ita inſtitues, eoque diriges, ut, fatis ita ferentibus, intactâ Conſcientiâ ex hac vita diſcedere poſſis, liberique & heredes tui poſt te ab omni altercatione, rixis, atque diſſidiis immunes ſint. Deinde cum Deo Opt. Max. te conciliare, eidem peccata atque delicta tua ex animo conſiteri, ſeriamque pœnitentiam ac reſipiſcentiam agere, animo quinetiam ſincero non ſolùm divinum auxilium & præſentiam invocare atque implorare, ſed etim Eccleſias & Congregationes Chriſtianas, ut in precibus ſuis tui recordentur, ſollicitare debes. Magnum quippe pondus habent fidelium preces, & ipſas Nubes penetrant; uti ſemper in difficilibus, imò talibus quidem Caſibus, in quibus omnia deplorata videbantur, præcipuè verò in extractione fœtûs mortui, expertus ſum.

Cùm Anno 1610. die Lunæ, 14. Maji, Nobiliſſimo ac ſtrenuo *Dn. Zachariæ Geitzcofler, à Geilenbach, Domino in Hausheim, Moës, & Weſchenbeuren, &c.* Equiti S. Cæſ. Majeſtatis Rudolphi II. & Archiducis Auſtriæ, &c. Conſiliario, Calculus extrahendus eſſet, non ſolùm ea ipſa die manè in templo Haunsheimenſi, ſubditi ipſius convocati, in totaque Concione ad preces ardentes concipiendas admoniti, ſed præcedente quoque die Auguſtæ Vindelicorum, Ulmę & Laugingæ, in omnibus Concionibus Evangelicis hujus Viri, nec non gravis ac periculoſæ operationis in corpore ipſius inſtituendæ, mentio facta, ſimulque Deus, ut operationi atque Curæ benediceret, ſeriò invocatus atque rogatus fuit, idque non abſque inſigni fructu. Deus quippe Operationi ita benedixit, ut omnes in admirationem raperentur. Hujus generis exempla plurima, niſi brevitati ſtuderem, in medium afferre poſſem.

Summoperè itaque optandum foret, ut in quibusvis gravibus ac periculoſis Operationibus, Lithotomiis, Caſtrationibus, Membrorum amputationibus, Conſuetudinis hujus Chriſtianæ celebratio Lithotomis & Caſtratoribus, ab Ampliſſimo Magiſtratu, & Paſtoribus, imponeretur & injungeretur, unde ſæpenumero corpus & anima plurimorum ægrorum & infirmorum, qui vel in ipſa Operatione, vel paulo poſt, abſque ulla conſolatione & præparatione ad mortem, moriuntur, conſervari poſſet. Magiſtratum itaque Ampliſſimum, ubique locorum, ut & Præfectos Eccleſiæ admonitos velim, ut pauperum & miſerorum, qui hinc inde in Xenodochiis Chirurgiam ſubeunt, curam gerant, eisque non ſolùm corporalia, ſed etiam ſpiritualia ſuppeditent: idque eam potiſſimum ob cauſam, quoniam, ſi hac in parte officio ſuo defuerint, ratio coram divina facie ipſis reddenda erit. Ad hoc etiam eos incitare & commovere debet id, quod D. Salvator noſter Jeſus Chriſtus in die Judicii, ipſis, & in genere omnibus proponet, quod minimo ex meis (intellige Pauperes) præſtitiſtis, mihi ipſi præſtitiſtis. Quomodo igitur cum iis agetur, qui ſe erga eum, qui mortem pro ipſis ſubiit, à pœnis & cruciatibus æternis eos liberavit, imò inſuper etiam in his terris ad ſummos honores præ cæteris evexit, nihilominus tam ingratos in ipſius membris atque pauperibus exhibent? Sic alloquetur eos in ultima illa die Dominus; Diſcedite à me iniqui in gehennam æternam, quæ Vobis atque Diabolis ab æterno parata eſt: famelicus enim eram, nec me cibaſtis, ſitibundus eram, nec mihi potum exhibuiſtis. Ubi quidem non ſolùm cibus ac potus corporalis, ſed cibus potius ſpiritualis, puta auxilium, Conſolatio, & adhortatio, in agone mortis, intelligenda ſunt. Maleficis quidem, ſupplicium ſubituris, Paſtor aliquis Eccleſiæ, ut Anima ſervari poſſit, adjungitur, quod optimo quidē jure & ratione fit; quare igitur idē in membrorum Amputatione, Caſtratione, & Lithotomia omittitur? Quandoquidē etiā ibi non ſolùm Mors imminet, ſed interdum quoq; ægrum tanto dolori ſuccumbere contingit, ita ut niſi conſolatione Chriſtiana erigatur, periculū ſit,

ne gra-

ne gratiæ atque miſericordiæ divinæ diffidat, adeoque deſperabundus mortem ſubeat: quod quidem unicuiq; cujus res agitur, cogitandum relinquo.

Cap. 5. *Quem Medicum æger ſibi eligere, & quibusnam Virtutibus idem præditus & ornatus eſſe debeat.*

QUemadmodum igitur prudens ac ſapiens Oeconomus, poſtquam ſibi de omnibus rebus neceſſariis, veluti ligno, lapidibus, Calce, & ſimilibus, quæ ad propoſitum ſuum opus & ædificium requiruntur, proſpexit, omniaque ordine diſpoſuit, non quemvis fabrum lignarium, ac cæmentarium mercede conducit, eique fidem adhibet, ſed, ut fidelem & peritum aliquem Architectum nanciſci queat, omnem diligentiam adhibet: ita etiam æger operam dabit, ut in gravibus morbis & affectibus, inprimis verò in Lithotomia, corpus ac vitam ſuam, non cuivis Empirico, nefario, temerario, & inexperto homini, adeoque cuivis obvio, committat. An igitur Medicus, quem in conſilium adhibiturus eſt, ſequentibus Virtutibus ſit præditus, obſervabit.

Primò & ante omnia Medicus operam dabit, ut ſit pius, fidelis, probus, integer vitæ, neque blaſphemiis, aut aliis vitiis deditus: quamvis enim pietas omnibus cujusvis ſortis hominibus neceſſaria ſit, in iis tamen, qui Medicinam exercent, maximè requiritur. Sæpe enim Deus Opt. Max. Medicamentis vires ſuas ſubtrahit, ut eas, quando à Medico blaſphemo & impio exhibentur, exerere nequeant. E contra rebus abjectis & vilibus, à probis piisque Medicis adhibitis, miras facultates infundit.

Ebrietatem, Libidinem, & ludos ne ſectetur: his enim facilè aliquid hodiè apud ægros negligitur, & omittitur, quod craſtina ſarciri non poteſt; quoniam occaſio præceps, adeoque ſummo ſtudio arripienda eſt. *ut Hippocrates lib.* 1. *Aphoriſm.* 1. monet.

Ab iis, qui multùm apud ægros blaterant ac garriunt, magnificè de ſe ſentiunt, ac ſi ſui ſimiles vix haberent, multaque & impoſſibilia quidem pollicentur, caveat ſibi æger: plerumque enim accidit, quod Poëta canit:

Inſipienti major ineſt jactantia menti,
Vas etenim pleno tinnit inane magis.

Præterea nonnunquam ægro tædioſum atque moleſtum eſt, quando Medicus, aut alii, tàm multa loquuntur, rident, & aliàs nugas agunt; hinc ait Menander,

Medicus loquax alter languenti morbus eſt.

Talem quidem Medicum aliquando apud Virum quendam celebrem vidi, qui ægrum multiloquio, & inſtrumentis Muſicis recreare & oblectare geſtiebat; æger verò per Præfectum ſuum aulicum honorario ipſum donavit, eumque ablegare juſſit: miranti mihi reſpondit æger, ſe eum, quando in poſterum Bachanalia inſtituturus ſit, rurſus ad ſe vocaturum.

Æger etiam diligenter, an Medicus temerarius ſit, inquirat. Multi enim, proh dolor! inveniuntur, qui non magis à corporis humani, quàm faber ferrarius, ac cæmentarius à lapidum, ac ligni ſectione abhorrent: & quamvis nullam omnino ſpem, de ægro per Lithotomiam in vivis conſervando, ob oculos videant, nihilominus tamen non curant, numosque accipiunt, & Mundum decipiunt. Hoc eſt, intrepido animo, & citra peritorum conſilium inciſiones in corpore inſtituunt: quod tamen non probandum, ſed ubi nulla Sanitatis reſtitutio per Lithotomiam ſperari vel exſpectari poteſt, vita ægro non temere præcidenda. Qui hoc perpetrant, coram Deo mortis ipſius autores ſunt. Neque ipſos excuſat, quod prætendunt, ægrum ita voluiſſe, eos rogaſſe, mori ſe malle, quàm in ejusmodi miſeriis & cruciatibus diutius vitam trahere. Minimè gentium, non hac itur ad aſtra: horam nobis à Deo præfixam cum patientia Chriſtiana exſpectare, ſimulque per multas ærumnas in regnum cœlorum nobis ingrediendum eſſe, perpendemus. Hæc induſtrius quidem Medicus ægris proponat, eosque eo ipſo conſoletur; poſtea etiam omnibus, quæ excogitari poſſunt, mediis ac rationibus dolores ipſorum, per ſalutaria medicamenta atque remedia leniat.

Non leve temerarii animi indicium eſt, quando Caſtratores non priùs diligenter inquirunt, & explorant, utrum Calculus aliquis in Veſica contineatur, nec ne, ſed levi aliqua ſuſpicione, ſignisque Calculi aliquot inducti ferrum Veſicæ admovent, fruſtraque cum forcipibus diu eam perreptant, quæritant, & tamen nihil inveniunt: quemadmodum hoc ipſum contigiſſe ſcio, & quod Caſtratori cum ludibrio & re infecta ab operatione deſiſtendum, Vulnusque denuo conſolidandum fuit.

Circulator ſeu Circumforaneus quidam meo tempore Coloniæ Lithotomiam in Viro quodam adminiſtrandam ſuſcepit. Poſtquàm autem diu in veſica fodicaſſet, & quæritaſſet, nihil verò inveniſſet, tandem clandeſtino, ut arbitrabatur, Calculum è manica ad forcipes emiſit, quem quidem, ac ſi eum è cavitate Veſicæ eduxiſſet, oſtentabat. Detecto verò ab aſtantibus & Amicis ægri, dolo, levis ac nefarius iſte impoſtor meritas Ampliſſimo Magiſtratui pœnas dedit.

Animi porrò temerarii argumentum eſt, quando Lithotomus ſtatim poſt extractum Calculum Vulnus unire, ſummoque ſtudio ſanationem ipſius accelerare conatur. Sic quidem phlegma, Arenulæ & ſimilia in veſica remanent, & de novo deteriora ſymptomata, quàm ipſe Morbus fuerat, excitant.

Nec minor temeritas eſt, quando nonnulli ægros ſuos Caſtratos tertio, quarto, vel ſexto die è lecto erigunt, indeque gloriolam aliquam vanam captant, antequam funis decidit, & abſciſſus Peritonæi proceſſus probè ſanatus eſt: tunc ſæpenumerò Inteſtina iterum procidunt, & ſymptomata lethalia, quæ hìc recenſere nimis longum foret, producunt.

Multò verò magis illud dolendum eſt, quòd multi ex mera temeritate, & imprudenter, (uti multos novi) ægrum ſuper ſcamnum proſternunt, alligant, & loco hernioſi lateris, in ſano Caſtrationem inſtituunt. Hi meritò à prudentiſſimo Magiſtratu, ob tam indignum facinus, puniendi, parique ære compenſandi ſunt. Scriptum enim eſt, *Oculus pro Oculo, dens pro dente, pes pro pede, &c.* A nefariis quidem iſtis hominibus ſibi cavebunt, nec corium ſuum ipſis committent, illi, quibus Sanitas & vita pretioſa eſt.

Præter hæc omnia, ſummè quoque neceſſarium eſt, ut Lithotomus atque Caſtrator in Anatomicis verſati ſint; quid enim boni, absque cognitione corporis humani, inprimis verò illius partis, in qua Operatio inſtituenda eſt, efficere poterunt? quum unicuique Natura, proprietates, ac conſtitutio illius rei, cui manus admovenda eſt, exactè accurateque intelligenda & cognoſcenda ſit. Quando itaque Chirurgus Anatomiam non intelligit, facilè inter ſecandum unum pro altero, ſummo ægri detrimento, ſumere, & abſcindere poterit: uti ſæpiſſimè contingit; & de quo alibi exempla propoſui.

Adhæc non purus putus ſit Empiricus, h. e. qui nihil præter nudam experientiam habeat; ſed aliquid ampliùs in fundamentis Artis didicerit, ut Naturas & Conſtitutionem ægrorum, cauſas morborum, atque Symptomatum cognoſcere, eaſque, quando percipiuntur, avertere ac præcavere queat. Quia non ſemper fieri poteſt, ut Medicum præſentem habeat.

Optandum igitur eſſet, ut omnes, qui Artem hanc tractare cupiunt, literis etiam aliquantulum operam dediſſent, ut ad *Hippocratem, Galenum, Avicennam, Æginetam, Celſum*, alioſque Excellentiſſimos Viros, tanquam veros Medicinæ fontes, aditum habere, ex iiſque fundamenta artis percipere & addiſcere poſſent. Quoniam verò ſtudia à Germanis noſtris jam contemnuntur, mirum non eſt, quòd Ars hæc planè cœno obruatur, aliique populi nobis longè antecellant.

Similiter etiam æger à temerariis illis hominibus, qui Artem addiſcere volunt, quantumvis centum, ut aiunt, ruſticorum vitæ diſpendio ipſis comparanda eſſet, ſibi cavebit: initium rei faciunt, ſive ſuccedat, ſive non, ægerve ſanetur, aut obeat, ipſis perinde eſt. Sufficere exiſtimant, ſi æger ſe tanquam deploratum ipſis commiſerit, nullaque præterea excuſatione, coram Deo & hominibus, opus eſſe. Leves ſunt iſti homines, ſine conſcientia, & ſcientia, à quibus ægri diligenter quoque ſibi cavebunt. Summè enim neceſſarium eſt, ut Lithotomus ab aliis quoque peritis Lithotomis Lithotomiam adminiſtratam viderit, uti quivis facilè apud ſe judicare poteſt;

Medicum porrò Avaritiæ, privato commodo, & lucro deditum eſſe non decet: hac enim ratione ægri ſæpenumero in magna infortunia incidunt, ac malè curantur. Quando nimirum Medicus, Avaritiæ & lucri cauſa, in Curatione tenax eſt, aut ea quæ conveniunt, & neceſſaria ſunt, non adhibet: vel etiam dum ęgrum curare deberet, aliis negotiis incumbit ægrumque tyroni alicui committit, ac deſerit.

Deniq; etiam manus ſanas, firmas, robuſtas, & minimè tremulas habeat, ſicuti etiam acutum viſum, ut Operationem citò expedire poſſit, nec ęger diu crucietur ac detineatur. Non ſufficit autem Medicum pręfatis Virtutibus, induſtriâ, & experientiâ præditum & ornatum eſſe; ſed inſuper requiritur, ut æger, poſt Deum, Medicum Medicorum ſummum, totam fiduciam ſuam in ipſo collocet, eumq; ſingulari amore ac ſtudio proſequatur: ſi enim æger Medicum ſuum torvis, utaiunt, oculis intueatur, ſi ſine cauſa convitia ac ſcommata in eum effundat, morbumq; atq; dolorem ſuum ſpongiâ veluti detergi, & unguibus abradi velit, ac ſi penes ipſum ſit, Morbum pro arbitrio tractare, gubernare, regere, extendere, contrahere, quemadmodum aurifaber aurum & argentum, faber verò ferrarius ferrum tractat. Imò, ſi ęger Morbum ſibi à Deo Opt. Max. propter peccata, ut nimirum ad frugem ſe recipiat, reſipiſcat, & ab eis deſiſtat, immiſſum eſſe non agnoſcat, tunc Deus ſummam illam ægri erga Medicum ingratitudinem punit, nec medicamentis & laboribus Medici benedicit, ut aliàs fieret, ſi æger verbis ac moribus humanum, reipſa verò, quantùm facultates ipſius ferunt, gratum ſeſe exhiberet. Verbo dicam, jubet nos ſacra Scriptura Medicum honorare, quia ipſum conſtituit Altiſſimus, h. e. ad munus atque vocationem iſtam vocavit. Quibus verbis Scriptura eos, qui legitimè ad munus iſtud vocantur, & à Viris doctis approbantur, diſtinguit ab iis, qui non more ſolito per veram januam, ſed veluti fures per feneſtras & ambitus intrudumtur, & à quibus ægri Sanitate, unà cum bonis ac opibus ſuis privantur: veluti ſunt leves & imperiti Circumforanei, Circulatores, Presbyteri vagabundi, Judæi obſtinati, Carnifices, & alii hujus farinæ, nefarii homines ac nebulones, quibus multi ne obolum quidem crederent, tamen interea Sanitatem, imò corpus & Animam ſuam manibus ipſorum committant. Eò uſque occæcavit Diabolus homines, non aliam ſanè ob cauſam, quàm ob ingratitudinem noſtram erga Deum, & quoniam cœleſtia, ſalutaria, ac pretioſa ipſius dona pedibus conculcamus. Quicunque igitur erga fidum & induſtrium, nec non à Deo conſtitutum Medicum ſuum, ſive verbis, ſive moribus, multò verò magis remuneratione ingratus fuerit, cujuſmodi quidem ægri mihi ſæpenumero obtigerunt, ille facilè ſibi perſuadere poterit, quòd Deus labores, ac ſollicitudines, quibus pius, probus, atque fidelis Medicus ægrorum cauſâ afficitur, non impunè feret: ſicuti Lector *ſuperiùs cap.* 4. Ingratos à Deo fuiſſe punitos, videre poterit.

Ubi igitur æger Lithotomum commemoratis Virtutibus præditum nactus fuerit, resque ſuas, ut dictum fuit, diſpoſuerit. Operationi, invocato divino Numine, ſeſe ſubmittere poterit. Atque hæc quidem de eis, quæ ægro, ad Operationem perpendenda incumbunt, breviter dicta ſufficiant.

Cap. 8. *Quid Lithotomo ante operationem, tam ratione Calculi, quàm ipſius ægri, perpendendum ſit: ubi quidem oſtenditur, non omnium Calculorum extractionem tentandam, neque etiam omnes ægros ad Lithotomiam aptos eſſe.*

IN præcedentibus Capitibus, quomodo æger ad Lithotomiam ſeſe diſponere, qualemque ſibi Lithotomum eligere debeat, breviter propoſitum & explicatum fuit. Sequitur nunc, ut etiam de officio Lithotomi nonnulla ſubjungamus. Ut autem omnia ordine perſequi queam, ea ita diſtribuam, ut primò quidem quid Lithotomo ante Operationem, deinde etiam in ipſa Operatione, & denique poſt Operationem faciendum, ac moliendum incumbat, proponam.

Quicunque igitur Lithotomus, in tam difficili periculoſaque Operatione, aliquid boni præſtare, proximo itidem ſuo fideliter inſervire, coram Deo ſubſiſtere, neque æternam damnationem mereri cupit, ante omnia, primò Calculi conſtitutionem, deinde etiam Naturam ægri probè, ac ſumma cum diligentia explorabit, nihilque imprudenter tentabit. Id autem paulò fuſiùs, ſequente ratione explicabimus.

Calculum quod attinet, ante omnia, an adſit Calculus, explorandum, & inquirendum, neque temerarii & audaces quidam Empirici imitandi ſunt, qui levi aliquâ Calculi ſuſpicione inducti, illicò & citra ulteriorem inquiſitionem, cultrum adhibent, ægrum ſummo quinetiam periculo, ſequemetipſos, & Artem ludibrio exponunt. Externis igitur Calculi Signis, ſicuti etiam explorationi digito in Anum immiſſo factæ, ſimpliciter & per ſe fidendum non eſt; aliquando enim in diſſectione Cadaverum obſervavi, quòd duri tumores ac ſcirrhi, qui ægro adhuc vivo exiſtente, per anum tam duri, ac ſi Calculi fuiſſent, palpari potuerunt, inventi fuerunt, imò, quod magis eſt; tumores iſti duri circa collum Veſicæ eadem ferè ſymptomata, ac ſi Calculus aliquis adfuiſſet, excitârunt. Quòd autem ejuſmodi tumores indurati & ſcirrhoſi inciſione, citra mortis periculum non potuerint eximi, inde manifeſtum fit, quòd illi, ut ipſe evidenter vidi, adeò firmiter atque tenaciter Veſicæ, & ipſius collo adnati fuerint, ac ſi unum cum Veſica corpus conſtituiſſent. Exploratio igitur

cum inſtrumento facta, ad indagandum, & diſcernendum Calculum à duris iſtis tumoribus, in Veſica natis, omnium optima atque certiſſima eſt: quod cum digito in anum immiſſo diſcerni non poteſt, magnitudo verò Calculi plerumque eo agnoſcitur.

Secundò, Calculi quoque magnitudinem cognoſcere ac ſcire neceſſe eſt: ſi enim admodum magnus eſſet, nihil aliud, quàm Mors, exſpectanda foret, uti ſæpe ægros vel in ipſa Operatione, vel paulò pòſt mori contingit.

Andreas Vitellius, celeberrimus Caſtrator atque Lithotomus, anno 1602. die omnium Sanctorum, Juveni cuidam 20. annorum, *Johanni Groten* dicto, Hattingiæ in Marchia Calculum 22. uncias pendentem, extraxit, eâ verò ipsâ horâ, & in operatione occubuit. Similia Exempla, ſi opus eſſet, plura afferre poſſem. Quòd ſi igitur Medicus ægrum moriturum certus fuerit, ſententia Cornelii Celſi, *Deſperatos non eſſe attingendos*, locum habere poteſt, imò cuivis temerè factum videbitur, ſi Lithotomus in talibus ægris Lithotomiam inſtituat: quoniam æger fortaſſis cum morbo ſuo diù adhuc ſupervivere, Deoque ac Proximo inſervire poſſet; Præterea hoc coram Deo Opt. Max. difficulter excuſare poteris. Pius itaque atque fidelis quivis Medicus, ejuſmodi ægros doctis Medicis, atque Theologis committat: ut illi quidem, quantùm fieri poteſt, dolores ipſorum leniant ac mitigent, hi verò eòs conſolentur, & ad patientiam conſtantiamque Chriſtianam, donec ſupremus Archiater ſuppetias ferat, adhortentur. Quòd autem ejusmodi ægri ſæpe etiam multos annos tali morbo affecti ſupervivant, experientia teſtatur.

Petrus Pigray, Chirurgus experientiſſimus lib. 7. cap. 4. ſcribit, ſe noviſſe quendam Nobilem, qui 25. annos Calculo, citra inſignem tamen moleſtiam, affectus fuerit: quando enim Urinam excreturus erat, tunc illum inſtrumento ſibi ipſi applicato, Urinam abſque dolore emiſiſſe. Quæ cùm ita ſint, quare igitur, mi Chirurge, ægri tui corpus, Animamque tuam propriam periculo exponeres?

Quòd ſi verò etiam certus eſſes (quod difficulter tamen agnoſci poteſt) Calculum Veſicæ adnatum eſſe, tunc Lithotomia non facilè inſtituenda erit: quoniam in avulſione Calculi ſimul etiam Veſica dilaceraretur, unde nihil aliud, quàm mortis periculum, exſpectandum foret.

Anno 1610. Baſileæ, unà cum doctiſſimis ac celeberrimis Medicis, *Dn. Felice Platero, & D. Caſparo Baukino*, ad Nobilem quendam primarium ex Alſatia vocatus fui, qui à multis annis Calculo atrociter divexabatur: nullus tamen Caſtrator aut Lithotomus unquam Calculum in ipſo deprehendere potuit, quanquam experientiſſimos adhibuiſſet Medicos. Ego quoque ſummâ in Viro illo adhibitâ diligentiâ ac ſtudio nunquàm tantùm efficere potui, ut digito vel inſtrumento Calculum in Veſica deprehendere potuerim. In hoc Viro, uti præfatus *Dn. D. Bauhinus*, Amicus meus ſingularis, coràm mihi retulit, primoque Theatri ſui Anatomici libro, cap. 31. teſtatur, poſt pium ipſius obitum, Calculi aliquot ingentes, peculiari ſacculo ſive Veſiculæ, Veſicæ innatæ & adnatæ, incluſi reperti fuerunt. Si igitur Caſtrator ſive Lithotomus ſolummodò ad Signa Calculi attendere voluit, ea quidem in hoc Nobili omnia (præterquam quod digito & inſtrumento nihil reperiri potuit) videre ac deprehendere potuiſſet: & ſi poſtmodum Lithotomiam inſtituiſſet, forcipes immiſiſſet, ac Calculum cum involucro ſuo, ut facilè quidem fieri potuiſſet, prehendiſſet, & extraxiſſet, quomodo cum ægro actum fuiſſet? Non aliter certè, prôh dolor! quàm cum pluribus aliis, qui in imperitorum ac temerariorum hominum manus incidunt, ægerque ſubitò, cum ſummo dolore Veſicæ, & omnium Viſcerum interiorum inflammatione, occubuiſſet; cùm tamen cum affectu ſuo multos adhuc annos vitam agere, Deo inſervire, familiæque ſuæ præeſſe potuerit. Neque etiam ad rem facit, quod multi Caſtratores ajunt, aleam jaciendam eſſe, ut æger à doloribus liberetur, ſive hoc, ſive illo medio illud efficiatur. Minimè verò, nequaquam ita ſtatuendum, ſed Deus Opt. Max. ſæpe corpora noſtra in hac vita, his & aliis morbis gravibus viſitare & caſtigare ſolet, ut carnem noſtram mortificare diſcamus, & Anima ſervetur. Hoc idem etiam *Beatus Auguſtinus* diligenter perpendit, cùm Majeſtatem divinam ardentiſſimè precatur, dicens, *Hîc ure, hîc ſeca, ut parcas in futuro.* Quare iterum repeto, quando Chirurgus novit, (quod quidem noviſſe debet) de Sanitate per Lithotomiam nihil ſperari poſſe, tunc illam inſtituendam non eſſe.

Ægrum quod attinet, diligenter ante Operationem inquirendum eſt, primò utrum ita conſtitutus ſit, ut Lithotomia in eo poſſit inſtitui? ſi enim in infantulo aliquo Calculus magnus, ut ſæpe fit, deprehenderetur, poſtmodum patet, & concludendum eſt, eum abſque mortis periculo educi non poſſe; quoniam ipſorum vires nimis adhuc debiles & imbecilles ſunt, ad ferendum videlicet magnum, cum operatione iſta conjunctum dolorem: unde *Cornelius Celſus*, & alii ex Veteribus, Lithotomiam in infantibus, ante nonum ætatis annum, adminiſtrare noluerunt; multos tamen, & longè quidem juniores, Operationem feliciter ſuſtuliſſe, atque ſanatos fuiſſe, Calculo præſertim minore exiſtente, experientia teſtatur. Eadem eſt decrepitorum Senum ratio: quamvis enim corporis ipſorum magnitudo analogiam quandam cum Calculi magnitudine habere videatur, conſiderandum tamen eſt, Senum corpora longè aridiora, & ſicciora quàm juniorum eſſe, indeque in Operatione cutem, Muſculos, Venas, & ſimilia, non ita facilè, ut in junioribus, qui Temperamentum adhuc calidum & humidum, ac proinde cutem, carnem, & Venas lubricas obtinent, extendi ac dilatari poſſe. Vidi nihilominus, Operationem hanc etiam in Senibus feliciter ſucceſſiſſe, Calculi tamen non admodum magni erant.

Anno 1610. die 14. Maji, D*n. Johan. Iacobus Mirck*, experientiſſimus Lithotomus Ulmenſis, in mea, plurimorumque aliorum celebrium Virorum præſentia, Nobiliſſimo ac ſtrenuo Viro, *Dn. Zachariæ Geitzcoſler*, Dn. in Geilenbach, Haunsheim, Weſchenbeuren, & Moës, Equiti, & Sacræ Cæſ. Majeſt. Conſiliario, &c. Viro quinquagenario, Calculos duos, quorum alter ℥xiij. alter verò ℥j. ß. pendebat, feliciter extraxit, dictusque Dominus brevi priſtinam ſanitatem recuperavit, ita ut multos adhuc annos poſt Operationem illam ſupervixerit, Imperioque Romano prudentiſſimo ſuo conſilio atque judicio optimè inſervierit.

Anno 1598. die 28. Julii, Vivatii ad Lacum Lemanum Nobili cuidam Matronæ quadragenariæ, *Urbana Hugonin* dictæ, Calculum magnitudine ovum gallinæ ſuperantem, feliciter extraxi, quæ brevi quoque reſtituta fuit, ſanaque & incolumis vixit, ac optimè liberis ſuis præfuit, usque ad annum 1611. quo piè in Domino obdormivit, nullamque Calculi moleſtiam ad obitum usque percepit.

Secundò Conſtitutio ægri diligenter quoque obſervanda eſt: ſi enim vires ægri fortè vehementia ac diuturnitate dolorum Calculi proſtratæ eſſent, adeò ut interiora Viſcera, putà Pulmones, Hepar, Renes, &c. ex parte computruerint, & labefactata fuerint, Operatio inſtituenda non eſt; Oleum enim & opera perditur, ægerque propter ſymptomata Operationem mox ſequentia, moritur. Hîc rurſus neceſſe eſt, ut Chirurgus peritum aliquem Doctorem Medicum, cui Viſcerum interiorum conſtitutio innoteſcat, in conſilium adhibeat. Quòd ſi verò imbecillitas aliqua, propter doloris vehementiam, abſque interiorum tamen Viſcerum labe ſuperveniret, tum Medicus illi, ante Operationem, ſubveniet: quod benignis quidem Purgationibus, Clyſteribus, exquiſitâ Victûs ratione, & Corroborantibus cordialibus perfici poteſt.

Anno 1598. cùm Vivatii ſuprà dictæ *Dom. Hugonin*, ob ejusmodi magnam imbecillitatem Calculum extrahere recuſâſſem, eique optimam victûs rationem præcepiſſem, corpus purgaſſem, & Cordialia nonnulla, tam externa, quàm etiam interna præſcripſiſſem, intra paucas ſeptimanas (quoniam interiora ipſius Viſcera adhuc integra fuerant) ita reſtituta fuit, ut ei, quemadmodum dixi, die 28. Julii ingentem Calculum è Veſica per Lithotomiam extraxerim: *uti ex Cent.* 1. Obſerv. mearum videre eſt.

Cap. 9. *Quâ ratione corpus ægri, Victûs ratione, Purgatione, Venæ ſectione, ac Balneis, ad Operationem præparandum ſit.*

Poſtquam Calculus ſufficienter exploratus & detectus, illumque extrahendum eſſe, vel ab ægro ipſo, vel (ſi fortè nondum ad conſiſtentem ætatem pervenit) ab ipſius propinquis & Amicis determinatum, Chirurgus itidem ad ſuſcipiendam Operationem illam rogatus fuerit (honeſtum enim Virum parum decet, ut ad hanc, & alias Operationes difficiles, Agyrtarum & Circumforaneorum more, ſponte ſe ingerat) tunc Chirurgus non illicò ægrum, ſicuti lanius ovem, ſcamno alligabit; cultrumque adhibebit. Minimè gentium, aliter verò procedendum erit: ſi enim Operationem legitimè inſtituere, & coram Deo ſubſiſtere cupis, corpus ægri ante Lithotomiam, tam conveniente Victûs ratione, quàm etiam Purgatione, Venæ ſectione, & ſimilibus, præparandum, aptumque & idoneum reddendum eſt. Hîc rurſus fideli cuivis Lithotomo maximè incumbit, ut peritum aliquem Medicum, qui ægri naturam, interiorumque Viſcerum conſtitutionem cognoſcat, ſibi adjunctum habeat. Quod ſi fieri nequit, primò quidem ægro legitimam Victûs rationem, præſertim quoad cibum ac potum præſcribat, eique injungat, ut eam per aliquot ante Operationem dies diligenter obſervet: inprimis verò ea omnia, quæ dura; & difficilis ſunt Concoctionis, vitabit; uti eſt omnis caro ſalſa & ſuffumigata, piſces, caro ferina, caſeus, & ſimilia. Deinde etiam tam ante, quàm in ipſa Curatione, ſicuti etiam aliquandiù poſt nocent quæcunque immodicè ſalſa, aut aromatibus condita ſunt. Inprimis verò Piper, Zinziber, Caryophylli, Raphani, cæpæ, imò omnia quæ linguam adurunt, & acria ſunt. Ex Aromatibus Cinamomo, Croco, Macere, & nuce moſchata, prout commodum fuerit, uti poteſt. Tertiò, viſcoſa omnia ei vitanda ſunt; unde Capita, pedes, & viſcera Animalium, ſicuti etiam Lac, Caſeus, Piſces, in aquis turbidis degentes, & alia id genus damnum ipſi afferunt.

Carne igitur bubulâ ac vervecinâ recente, pullis gallinarum, Columbis, omnis generis avibus (exceptis aquatilibus) ſicuti etiam ovis, & butyro recente, hordeo, Avenâ decorticatâ, brodiis piſorum, & ſimilibus veſcatur. A vino, & omni potu vehementer calefaciente æger abſtineat, pro potuque ordinario Ptiſanâ communi vel Decocto ſequente utatur;

R. *Agrimon. Veronic, an. m.* ß. *Liquirit.* ℥ß. Incidantur & decoquantur *in* ℔. *iij aquæ fontan.* ut remaneant ℔. ij. quæ ebullientes in cantharum infundantur, *addendo Cinamom.* ʒvj *Sacch.* ℥j ß. Cantharus ſubitò ac probè obturetur, ut nihil exhalet. Deinde Decoctum refrigeſcat per ſe, de quo bibat æger ad libitum. Lac amygdalarum dulc. mirum quoque in modum ipſi conducit: præſertim ſi duabus partibus Amygdalarum, pars tertia ſemin. Cucurbitæ atque Melonum addita, omniaque cum aqua, cui fructum panis incoxit, per linteum trajecta, & aliquid Sacchari adjectum fuerit.

Affectus animi vehementiores, præſertim Ira, triſtitia, & ſimiles, ægro vitandi ſunt. In Somno itidem atque Vigiliis modum ſervabit: & hyberno tempore, aëre mediocriter calido utetur, æſtivo verò tempore cubiculum ſæpe frigidâ irrigabit, & foliis ac floribus refrigerantibus, ut calida aëris intemperies aliquo modo infringatur, conſperget.

Deinde etiam corpus ante operationem purgandum eſt, medicamentis tamen benignis, & quæ alvum non vehementer commoveant, ne novus quandoque humor ad meatus Urinarios deferatur, ibidemque affectum augeat. In infantibus ſufficiens eſt *Syrupus roſat. ſolut. vel Syr. de Cichor. cum Rhabarbaro.* Si verò æger paulò adultior fuerit, tunc parum Electuarii, de ſucco roſar. dicti, adjici, & cum aqua Endiviæ miſceri poteſt. Adultis ſequens Potio conveniet:

R. Rad. Cichor.
Lapat. acut.
Polypod. ana ʒj.
Liquirit. mundat. ʒij.
Herb. Scabioſ.
Agrimon.
Veronic. ana m. ß.
Flor. 3. Cordial. ana p. j.
Sem. Aniſ. ʒij.
Fol. Sennæ Alexandrin. mundat. ℥iij.

Coquantur in aqua, ut Colatura redeat ad ℔. j. in qua infundantur, & macerentur per noctem:

Rhabarb. elect. ʒij.
Agaric. recent. trochiſcat.
Turbith gummoſ. ana ʒj.

Poſt ſufficientem macerationem, & ebullitionem unam aut alteram, exprimantur fortiter, & cum ℥ iiij. Syrupi roſat. ſolut. comp. nec non ℥vj. Sacch. miſcellanei f. Syrupus Magiſtralis. De hoc Syrupo infanti, in quo Caſtratio, vel Lithotomia adminiſtranda eſt, ℥ß. adultiori ℥j. & ſic deinceps, quò adultior eſt æger, eò major etiam doſis ei conveniet. Cum aq. Endiviæ, vel Ptiſana, ſicuti etiam cum decocto Præſcripto ex Agrimon. &c. miſceri poteſt. Quoniam verò ejusmodi ægri, propter magnum ac diuturnum dolorem præcedentem, multis humoribus craſſis referti ſunt, ſimplici aliquâ Purgatione non acquieſcendum, ſed plures, donec corpus ſufficienter purgatum fuerit, adhibendæ ſunt; atque ita eò feliciùs ſuccedet Curatio, minusque negotii faceſſent Symptomata:

Poſtquam autem Corpus præfatis Remediis ſufficienter purgatum fuerit, ægro, quatenus id ætas, & aliæ circumſtantiæ concedunt, Vena ſecanda, &

prout vires ægri conſtiterint, & ſanguis abundaverit, ſanguis emittendus eſt. Plerumque in dextro brachio, ob Hepar, inſtitui ſolet: niſi æger fortè in latere ſiniſtro affectum aut vitium aliquod p...ni haberit, ut ex conſilio Medici in brachio ſiniſtro Vena ipſi ſecanda ſit. Quòd ſi etiam conſueta aliqua evacuatio in ægro ſuppimeretur, uti ſunt Hæmorrhoides, menſtrua Purgatio in Mulieribus, tunc illę, præmiſsâ corporis purgatione, inprimis movendæ atque ciendæ ſunt, antequam inſtituatur inciſio. Caſtratores quidam perniciosſum huncce abuſum ac conſuetudinem fovent, ut ægro, tribus diebus inciſionem proximè præcedentibus, manè & veſperi Potionem Diureticam vehementem exhibeant, ſe Calculum eâ ratione ad Veſicam depulſuros exiſtimantes: quantùm verò nocumenti iis afferant, *poſtea cap.* 23. inter alios abuſus, declarabitur.

Quartò, Venter inferior, præmiſsâ legitimâ ac ſufficiente Purgatione, ante inciſionem etiam ſatis potenter emolliendus, laxusque ac lubricus reddendus eſt, ut in Operatione, quando per exiguum Vulnus Calculus magnus, ut ſæpe evenire neceſſe eſt, extrahendus occurrit, membranæ & muſculus Veſicæ commodè, & minore cum periculo dilatari, diduci, atque extendi queant. Pro Semicupio verò ſumantur ſequentia;

R. Rad. Altheæ,
Malv. ana ℥ij.
Fol. Altheæ,
Malv.
Violar.
Parietar.
Flor. Chamomill.
Melilot. an. m. j.
Sem. Aniſ.
Melilot.
Aneth.
Lini,
Fœnigræc. ana ℥j.

Incidantur & contundantur omnia groſſo modo, coquanturque pro Semicupio. In hoc Semicupium æger tres aut quatuor dies ante Operationem immittatur, quod veſperi duabus horis poſt cœnam fieri poterit, ut è Semicupio calido poſtmodum in lectum calefactum ſeſe conferre, atque quieſcere poſſit. Quotiescunq; verò Semicupium egreditur, & per ſemihoram, vel diutiùs quieverit, cum Unguento ſequente Venter ipſius inferior totus inungatur;

R. Ol. Amygd. dulc. recent.
Lilior. alb.
Scorpion. an. ℥j.
Pinguedinis Capon.
Anſeris, an ℥ij.
Unguenti Dialtheæ, ʒij.
Miſce f. Linimentum.

Quòd ſi verò æger Semicupio non delectaretur, aut alia impedimenta occurrerent, tum ſumatur herbarum prædictarum q. ſ. injiciantur in ſacculum, in aqua decoquendum, & applicetur Perinæo, ejus tamen magnitudinis, ut partes omnes circumjacentes etiam cooperire queat.

Cap. 10. *Quodnam anni tempus, & ætas ægri Lithotomiæ maximè conveniat ubi quidem inſuper etiam de præparationibus quibuſdam ante Operationem neceſſariis, agitur.*

NOn ſufficit corpus ægri purgaſſe, & mundificaſſe, ſed etiam in periculoſa hac Operatione Anni tempus, ſi fieri poteſt, obſervandum erit. Quoniam enim hyeme frigida, ac proinde Veſicæ, Nervis, & omnibus in corpore noſtro è genere nervoſo conflatis aç genitis inimica, & noxia eſt; quoniam etiam ejuſmodi frigus corpora noſtra condenſat, & omnia contrahit, tempus hoc, hybernum ſcilicet, Operationi iſti non niſi pernicioſum eſſe poteſt. Quemadmodum etiam intenſiſſimus calor æſtivus, maximè verò dierum Canicularium; quandoquidem ille omnia interiora Viſcera in corpore humano calefacit, ſanguinem incendit, bilem adauget, calorem verò nativum cum humido radicali diſſipat atque conſumit, adeoque multa periculoſa ſymptomata excitat: hoc, inquam, tempore difficilis quoque Operatio iſta inſtituenda non eſt: ut ex *Hippocrate* demonſtrari poſſet. Sequitur itaque Ver, utpote quod temperatum, adeoque inter anni tempora, ut *Hippocrates libr.* 3. *Aphoriſm.* 9. teſtatur, ſaluberrimum eſt, & proinde corpora noſtra emollit, & lubrica reddit, ad inſtituendam Lithotomiam, ut *Cornelius Celſus*, & alii teſtantur, convenientiſſimum & utiliſſimum, atque adeò difficillimam ac periculoſiſſimam Operationem iſtam eo tempore potiſſimùm inſtituendam eſſe. Huc igitur induſtrius Medicus ſcopum ſuum dirigere poterit, præſertim cùm Operatio iſta plerumque ſine periculo ſuſpendi poſſit. Sequitur tandem Autumnus, in quo quamvis inconſtantia aëris morbos, atque ſymptomata periculoſa reddit, propter humidam tamen conſtitutionem ſuam Lithotomiæ magis accommodatus eſt; quàm æſtas, propter ſummum ipſius æſtum, & quàm hyems, propter intenſam ipſius frigiditatem.

Quòd ſi verò neceſſariò adverſa & intempeſtiva aëris conſtitutione ejuſmodi Operatio inſtituenda eſſet, tum quantùm fieri poteſt, adverſæ aëris qualitates Arte corrigendæ & emendandæ erunt. Hyberno igitur tempore, ſicuti etiam in Autumno æger paulò ante Inciſionem in cubiculum moderatè calidum collocari, Sacculique Emollientes prædicti, vel Semicupium paulò diutiùs ante Operationem adhiberi poterunt. Tempore æſtivo, ægro, quod ſæpe mihi in hac, & aliis Operationibus difficilibus, quæ ſuſpendi non poterant, faciendum fuit, cubiculum versùs occaſum ſitum deſtinare, illudque frequenter frigidâ irrigare, ac foliis refrigerantibus, veluti ſalicis, quercûs, Plantaginis, Roſarum, & ſimilium, conſpergere oportet.

Ætatis itidem Ægri ratio quoque habenda eſt, unde ſapientiſſimi Veteres ejuſmodi Operationes non in teneris Infantulis, neque etiam in Senibus decrepitis, inſtituere voluerunt. In Infantibus quidem, propter ipſorum imbecillitatem: & quoniam ingentem dolorem & hæmorrhagiam, quæ periculoſam illam inciſionem comitari ſolent, citra mortis periculum tolerare non poſſunt. In Senibus verò inciſio iſta ſummè periculoſa eſt, non ſolùm propterea quòd mortales omnes in declinatione ætatis ſuæ debilitantur & enervantur, ſed etiam quoniam calor nativus, imò ipſum quoque humidum radicale in iis deficit, indeque ipſorum corpora areſcunt & exſiccantur, ita ut Cutis, Muſculi, Venę, ac Nervi difficulter in inciſione extendi, & ad immittenda inſtrumenta, & educendum Calculum, non ſufficienter dilatari poſſint. Imò ſæpenumerò in Senioribus incidendis, propterea quòd ipſorum Viſcera exarefacta ſunt, Venas, Muſculos, ac Nervos ſummo ęgri periculo disrumpi atque divelli, contingit. Præterea Medico quoque perpendendum incumbit, quòd quemadmodum humidum

dum radicale, & calor nativus in Senibus deficiunt: ita etiam humores frigidos præternaturales excremen-titios atque phlegmaticos naturæ limites excedere, unde nihil aliud, quàm omnis generis prava ſymptomata in iis ſperanda ſunt.

Chirurgum denique etiam Inſtrumentorum, variis modis, & ex optimo ferro confectorum copiâ inſtructum eſſe oportet: ſæpe enim accidit, ut in Operatione eorum aliquod fractum, fragmentaque ipſius in Veſica retenta fuerint: quemadmodum ſcio aliquando Chirurgo, Crus amputaturo, ſerram in media Operatione (proprio ſuo contemptu atque dedecore, ſummoque ægri incommodo) quod nimium indurata eſſet, diſruptam fuiſſe. Varia verò Inſtrumentorum, ut dixi, genera requiruntur; veluti Catheteres, ſtyli Exploratorii, Itinerarium, Conductores, ſpecula, forcipes, Hamuli, & ſimilia, quorum magna, parva, ac media Chirurgus habere debet, ut in Operatione, prout Calculus magnus aut parvus, ægerque conſtitutus fuerit, hoc vel illud adhibere queat. Unâ fideliâ duos ſe dealbaturum parietes ne credat: neque enim in Operatione conquirendis inſtrumentis locus conceditur. Multitudinem verò & varia inſtrumentorum genera apud doctiſſimos & experientiſſimos Viros, *Marianum*, *Sanctum Barolitanum*, *Ambroſium Paræum*, *Petrum Francum*, & *Johan. Andream della Croce*, Lector videre poterit. Ego ad Operationem iſtam inſtrumentum peculiare excogitavi, & inveni, quod quivis, cui illud arridet, juxta deſcriptionem atque figuram, quam poſtea 18. *cap.* ſubjiciam, ſibi præparari conficique curabit. Duplicem autem uſum habet; non ſolùm enim ad aperiendam Veſicam, loco Speculi, inſervit, ſed ſimul quoque Calculum prehendit, ac forcipis vices ſubire poteſt.

Chirurgum præterea etiam Medicamento aliquo, ad ſanguinem ſiſtendum probato, inſtructum eſſe oportet. Quod ſequitur, ipſi in hac, & aliis periculoſis Operationibus ex uſu eſſe poteſt, quod ei è *Tractatu meo de Gangrana & Sphacelo* huc adjungere volui;

R. Farin. Volatilis ℥vj.
Sanguinis Dracon.
Thuris,
Boli armeni,
Terræ ſigillat. an. ℥ß.
Gypſi, ℥jß.
Ranarum Aquatil. præp. ℥ij.
Muſci Cranii humani ℥j.
Pilorum leporis minutiſſimè inciſ. ʒij.
Pulv. Albuminis ovorum ſole Canicular. exſiccat. ℥ij.
Spumæ maris.
Spongiæ novæ torref. an. ʒß.

Miſce, f. Pulvis tenuiſſimus, qui ſervetur ad uſum. Præter Pulverem illum ad ſiſtendum ſanguinem, Chirurgus etiam omnis generis faſciis, ſpongiis, Aquis Confortativis, & ſimilibus, ſufficienter inſtructus erit: de quo in *ſequente Capite* plura dicentur.

Poſtquam igitur tam corpus ægri præſcriptâ Victûs ratione, Purgatione, ac Venæſectione, quàm reliqua etiam quæ ad inſtituendam Lithotomiam requiruntur, præparata fuerint, non ſtatim & proxima poſt Purgationem, & Venæſectionem die, incidendus eſt æger, ſed per unum aut alterum diem quies naturæ concedenda, ut Vires à Purgatione ac Venæſectione aliquo modo dejectæ, reſtaurari atque refocillari queant: interea verò cibis boni ſucci eſt reficiendus, & Natura omnibus modis ac rationibus confortanda; Sacculorum præterea Emollientium, Oleorum & Linimentorum, de quibus *ſuprà cap. 9.* dictum fuit, applicatio & uſus manè ac veſperi continuandus.

Tandem ubi ad ipſam Operationem accedendum erit, ægroque eâ ipsâ Aurorâ alvus, ſi non naturaliter & per ſe, beneficio tamen benigni Clyſteris ſoluta fuerit, Urinamque emiſerit, ac poſtea juſculum, ovum ſorbile, & aliud quid ſimile aſſumpſerit, parumque ſuperbiberit, Dei Opt. Max. præſentia & auxilium ante omnia ſeriò & ardente animo implorandum & invocandum eſt, & ſi fortè Miniſter aliquis Eccleſiæ adfuerit, per eum preces concipiendæ, ſin minùs, aliquis ex aſtantibus unam ex Precationibus, *Tractatui meo de Gangrana ac Sphacelo* ultimæ Editionis, præfixis, recitabit. Poſtea æger è Semicupio, poſtquam per Semihoram ante inciſionem, ad emolliendum inferiorem Ventrem, in eo commoratus fuerit, eximatur, linteis calefactis diligenter abſtergatur, ſupraque menſam aut alium locum pro re nata alligetur; Ita tamen, ut antea greſſum unum aut alterum, imò ſi fieri poſſit, ſaltum fecerit, quò Calculus eò meliùs deorſum verſus Veſicam decumbere queat. Infans verò ſi fuerit, ſub utraque Axilla à Propinquis prehenſus, & in altum elevatus, concutiatur atque hinc inde commoveatur, ut Calculus eò faciliùs deorſum ad collum Veſicæ decumbere poſſit. Tunc invocato divinò Numine Operatio eo, quo poſtea dicetur, modo inſtituatur. Æger verò ſingulari artificio ac dexteritate, ut ex ſequente capite apparet, ligandus eſt.

Cap. 11. *Quomodo, Æger collocandus, atque ligandus ſit?*

UT Lithotomia ſecundùm artem, minoreque cum dolore atque periculo ægri adminiſtretur, non parum in eo ſitum eſt, ut æger rectè collocetur, & quantum opus eſt alligetur. Sic autem collocabitur, ut lux ac ſplendor Solis tibi emolumento eſſe, manusque tuas irradiare poſſit; Deinde, ne in Operatione hinc inde corpus commovere poſſit, diligenter alligandus erit. Hâc enim ratione facilè à tenaculis, aliisque Veſicæ inhærentibus inſtrumentis lædi atque feriri, tibi verò moleſtias, labores, curas, ac ſollicitudines creare poſſet. Ad vitandum igitur hoc incommodum, & ne æger in Operatione ſeſe commoveat, aut hinc inde vacillet, impediendum, ſuprà menſam ſtabilem ac firmam collocandus, & alligandus erit. Quidam volunt, ut æger erecto corpore ſedeat, quod ipſe quoque aliquando factitavi, eum quidem in finem, ut Calculus eò faciliùs versùs collum Veſicæ delabatur; Situatio verò iſta facilè periculoſæ Lipothymiæ anſam præbere poſſet: *ut cap. 20.* De Lipothymia ulteriùs dicetur.

Hâc igitur ratione collocandus, atque ligandus eſt æger, ut infimus quidem Venter ac lumbi aliquantulum deorſum propendeant, & inclinentur, ut Calculus eò faciliùs ad collum Veſicæ provenire queat. Abdomen verò, Thorax, & caput, ſupina jaceant. Thorax itidem non alligetur, ſed liber ſit. Interea tamen tot Viri robuſti adhibeantur, ut ægrum, urgente neceſſitate, continere queant: inprimis verò circa brachia, axillas, & crura. Thorax, ut dictum, non attingendus, nec comprimendus, ne ſpiritus ac reſpiratio intercipiatur. Natibus

ſuoſternatur linteum, ſive lodix reduplicata; lumbis verò & capiti unum aut alterum pulvinar, admodum compactum, ut æger eò firmiùs ei incumbere queat. Nonnulli ægrum ſuper ſaccum magnum, paleâ vel acceribus repletum, reponunt, quem quidem non improbo: huic enim æger multò firmiùs atque ſtabiliùs, quàm pulvinari incumbit. His peractis, Chirurgus crura ægri, quantum fieri poteſt, ſurſum versùs Ventrem, ac nates contorqueat: poſtea faſciam longam ac validam, è linteo paratam, & quatuor pollices in latitudine poſitos latam, utrinque contortam & convolutam, ita tamen ut ambo capita in medio æqualiter coëant, quales in fracturis cranii adhiberi ſolent, in promptu habeat. Sic autem Ligaturam inſtitues; fac ut Miniſter alterutrum caput faſciæ in poſteriore Cervicis ægri parte firmiter teneat, deinde altero capite ſuper axillam ſiniſtram, & ſub ſiniſtro brachio, versùs coxam dextram, & ſuper femur antrorſum, mox infra genu versùs exteriorem Cruris partem progredere, ubi quidem faſciam bis circa crus trajicere, indeque ſub planta pedis, & rurſus ſupra crus, & infra genu ſurſum verſus lumbos deducere poteris. Poſtea ſurſum versùs axillam ſiniſtram procede, ut turſus ſub brachio ad cervicem usque pervenire poſſis, ubi quidem caput faſciæ, quo crus dextrum ligâſti, Miniſtro continendum trades, ut verò prehenſo altero, quod eò usque continuit, capite ſuper axillam dextram primò antrorſum, mox ſub brachiis retrorſum versùs crus ſiniſtrum, ita ut ambæ faſciæ in dorſo transverſim ſeſe contingant, procedes, hinc faſciam tuam, ſupra coxam ac femur deorſum ad genu, & ſupra ſuras, femur, atque ſub planta pedis, mox iterum ſurſum ad coxam, & ſupra lumbos, ad dextram axillam usque, eodem modo, ut de ſiniſtro latere dictum fuit, protendes, ita ut tandem ambo faſciæ capita in cervice connecti poſſint, ubi nodum facies. Atque ita æger ſatis arctè ac firmiter ligatus erit. Nihilominùs tamen (ne in Operatione ſeſe commoveat) utrinque duos Viros robuſtos atque cordatos collocare poteris, quorum bini genua & pedes, reliqui verò axillas ac manus contineant: ita tamen ut Thorax, ut ſæpiùs dictum fuit, minimè comprimatur. Aliàs etiam Manus peculiari faſciâ genibus, aut genua per ſe alligantur, beneficio inſtrumenti torcularis, cum in finem menſæ infixi, & per Aſteriſmum notati, uti ex adjuncta figura, quam clarioris intelligentiæ causâ, in gratiam tyronum, & minùs exercitatorum Lithotomorum, partim ex Experientiſſimo & celeberrimo Viro *Ambroſio Paræo*, mutuatam, ſubjungere libuit, apparet. (*vid. Tab.* 1. *fig.* 2.) Peractâ Operatione, manibusque ſolutis ac deligatis, nodus in Cervice etiam illicò ſolvendus, faſcia verò eo ipſo in loco forfice diſſecanda erit, unde ſtatim ſolvi, & citra moleſtiam auferri poterit.

Mulieres eodem modo collocari & alligari poterunt: occurrerunt tamen mihi in hac, & aliis gravibus ac dolorificis Operationibus Mulieres, quæ Ligaturam reſpuerant. Inter cæteras verò Anno 1598. die 28. Junii Viviaci ad lacum Lemanum, Matronæ cuidam nobili, *Urbana Proux* dictæ, Nobiliſſimi & ſpectatiſſimi Viri, *Dn.* D*anielis* H*ugonini*, *p. m.* derelictæ Viduæ, ingentem Calculum extraxi. Cùm autem eam alligaturus eſſem, mihi objecit, quid mihi de ipſa videretur, & utrùm eam attonitam eſſe exiſtimarem: ſe tot enixam liberos, multò itidem graviores, quàm Operatio iſta ei afferre poſſit, dolores à Calculo excitatos ſuſtinuiſſe, nunquam tamen Ligaturâ opus fuiſſe. In ſellam igitur perforatam Obſtetricum eam collocavi: & quoniam Calculus locum incidendum in collo Matricis jam aliquo modo indicabat, ſcabello depreſſo ad pedes ægri inſidens, totam Operationem & Inciſionem ſub veſtibus peregi, Calculumque cum ſumma Aſtantium admiratione eduxi: & quamvis plurimi tam Viri, quàm fœminæ adeſſent, nemo tamen corpus nudum, imò nec ego quidem, conſpicere potuit. Mulier iſta per Operationem tam præſente fuit animo, ut ne ſemel quidem ſeſe loco moverit, aut ejulârit, brevique ſingulari Dei beneficio, priſtinam ſuam Valetudinem recuperavit, quam quidem ab An. 1598. ad annum 1611. integram obtinuit. Hujus quoque Mulieris mentio fit in *Cent.* 1. *Obſ.* 68. *ſicuti etiam* 22. *hujus libri Capite.* Teſtis præterea memorabilis hujus Operationis, ad hunc usque annum 1627. ſuperſtes vivit Nobiliſſima, nec non Pietate & Virtutibus ornatiſſima Matrona, *Dn. Iaquelina Meſtral, Dn. à Vandans, &c.*

Anno 1625. die 12. Maïj, hìc Bernæ Nobiliſſimę ac ſpectatiſſimæ Matronæ, *Dn. Mariæ Spirer*, Nobiliſſimi ac ſtrenui Viri, D*n. Ludovici à* D*ieſbach, Uxori* chariſſimæ, Steatoma ſatis magnum è junctura Axillæ dextræ, unà cum membranula, in qua continebatur, feliciter exſcidi. Mulier iſta meritò etiam in fœminarum cordatarum catalogum referri poteſt: nec enim ligari nec contineri voluit. Ac licet Inciſio dolorifica eſſet, propterea quòd Steatoma illud prope juncturam, membranis ſenſibilibus adnatum erat, non multùm tamen corpus commovit, & ejulavit, ſed dolorem ſumma cum patientia conſtanter tulit & brevi quoque, Dei beneficio, feliciter reſtituta fuit. Ex his tamen non concludo, quòd Chirurgus methodum meam hac in parte ſemper imitati, ægrosque ſuos in gravibus iſtis Operationibus ligare non debeat: ſucceſſus enim in multis voto fortaſſis non reſponderet.

Si tamen Operationem ſuam citra ligaturam peragere queat, ut ipſe quidem multas graves ac varias Operationes, ægro non ligato, adminiſtravi, eò conſultius erit: multi enim Ligaturâ adeò deterrentur, ut in periculoſa ſymptomata, antequam ad rem ipſam ventum ſit, incidant. Non dubito, periculoſiſſimam Lipothymiam, quæ in Amputatione brachii, Viri Nobilis, D*n. Balthaſaris à Dieſbach*, cujus c. 20. de Lipothymia mentio fit, ſupervenerat, majore quoque ex parte à terrore, è ligatura concepto, ortum duxiſſe: poſt abſolutam enim Curam ſimile quid ex eo percipere potui.

Anno circiter 1608. cùm *in Caſtello Regio Bourg. en Breſſe*, miles quidam præſidiarius ſecundâ vice ſomno oppreſſus in excubiis deprehenſus, & poſtmodum, ac ſi ictu ſclopeti trajiciendus eſſet, opertis oculis alligatus fuiſſet, acceſſit Generoſi Dn. D. *Petri de Boiſſe, Baronis à Bardalian, &c.* Caſtelli illius *Sereniſſ. Regis Henrici Magni nomine, Gubernatoris atque Vicarii* filius, flexiſque genibus, pro vita ac liberatione iſtius Militis (quoniam puerulus iſte ſingulari amore eum proſequebatur) ſupplex intercedit. Gubernator mandat, ut illicò deligetur, eique annuncietur, Excellentiam S ſupplicatione filioli ſui inductam, vitâ eum donare. Ubi igitur miſerum iſtum Militem deligaſſent, eum veluti in agone animam jam agentem, & Ratione privatum, invenerunt, unde à nonnullis è Caſtello in Urbem deportandus fuit, ubi Nobilis atque Doctiſſimus Vir, D*n. Janus de Burgo*, Medicinæ Doctor, juxta mandatum prædicti Generoſi D*n.* D*omini de Boiſſe*, conſilio ſuo ei adfuit, eumque tandem

dem reſtituit. Hæc mihi *Dn. D. de Burgo*, Fautor & Amicus meus ſingularis, cùm anno 1609. *Burgum* ad ægrum quendam vocatus eſſem, ipſe pluribus narravit: unde quidem quàm periculoſus animi affectus ſit timor terrorque, apparet.

Cap. 12. *Quomodo Chirurgus tempore Inciſionis ſeſe gerere, atque diſponere debeat.*

HActenus explicatum, ac breviter enarratum fuit, quomodo tam æger ipſe, quàm etiam Medicus ad Lithotomiam ſeſe diſponere, ac præparare debeat, quomodo itidem collocandus atque ligandus ſit æger. Sequitur nunc porrò, quâ ratione Chirurgus Lithotomiam inſtituere, in ejuſque adminiſtratione gerere ſe debeat: ubi quidem ſequentia capita diligenter notanda ſunt.

Primò, nullus unquam fidelis ac pius Lithotomus adeò audax ac temerarius erit, ut Lithotomiam *apparatu parvo*, ut vocant, quem Audaculi nonnulli in uſu habent, inſtituere ſatagat, propter plurima inde ſequentia ſymptomata, quemadmodum *cap. ſequente* dicetur, ſed potiùs ſuper *Itinerario* eam inſtituat.

Secundò, inciſio non in ipſa Sutura, à Scroto deorsùm versùs Anum deſcendente, & ab Anatomicis *Tauro* nominata, inſtituenda eſt: Vulnus enim eo in loco admodum difficulter ſanatur, quoniam ibidem pauca caro conſpicitur, libenterque fiſtulæ, & affectus inſanabiles ſubſequuntur: adde, quòd vulnus in operatione, propter duritiem iſtius Suturæ, non facilè dilatari poteſt. Inciſio igitur è regione Suturæ, & duos circiter digitos latos juxta anum versùs Coxam ſiniſtram inſtituetur.

Tertiò, Chirurgo exiſtimandum non eſt, quòd inciſionem ſecundùm proportionem Calculi facturus ſit. Quamvis enim Calculus magnitudine avellanam aut fabam non ſuperaret, Inciſionem tamen ejus magnitudinis eſſe oportet, ut inſtrumenta immitti, Calculuſque prehendi queat. E contrà verò ſi Calculus magnus eſſet, Lithotomuſque vulnus, ſecundùm magnitudinem Calculi, magnum quoque inferre contenderet, certum eſt, quòd Muſculus Veſicæ, ac venæ diſſecarentur, ægerque in mortis periculum præcipitaretur. Vulnus igitur mediocris magnitudinis eſſe oportet, & ſi Calculus magnus deprehenderetur, vulnus cum ſpeculo, atque forcipibus tantùm dilatandum & extendendum eſt, ut calculus extrahi poſſit. In hac verò vulneris extenſione Venę, ſicuti etiam Muſculus Veſicæ, non tam citò, ut per inciſionem, lædi poſſunt. Expanſæ quoque iſtæ membranæ, Venæ, & ſimilia poſt operationem denuò contrahuntur, & multò meliùs, quàm ſi diſſectæ eſſent, ad ſanationem firmam diſponuntur.

In tota porrò Operatione, tam in Inciſione, quàm inſtrumentorum immiſſione, vel calculi extractione, cavendum, & omni ſtudio proſpiciendum eſt, ne Muſculus Veſicę diſſecetur, aut à Calculo dilaceretur: hoc enim ſi accideret, æger non facilè ſanari, neque Urinam ampliùs continere poſſet, ſed ut Urina in Veſicam influit, ita etiam rurſus efflueret. Prætereà etiam Chirurgus, inſtrumenta, digitumque in Anum immittendum, ſemper Ol. Amygdalar. dulc. illinat.

Calculus, quoad fieri poteſt, integer extrahendus, nec facilè in Veſica confringendus eſt, quoniam non ſemper nobis conſtat, qualisnam Calculus in Veſica contineatur. Vidi ego Calculos, domique meæ unum adhuc, inſtar ſilicis durum reſervo. Præterquam quòd autem ejuſmodi Calculi non abſque magna violentia, intolerabilique ægri dolore confringi poſſunt, periculum inſuper eſt, ne Veſica, aut ſaltem Collum & Muſculus ejuſdem, acutiſſimis Calculi angulis dilaceretur & exulceretur. Quamvis enim interdum etiam Calculi, per ſe aſperi, acuti, & inæquales reperiantur, non tantum tamen damnum, ut prædurorum Calculorum mucrones, cultrorum aciem interdum adæquantes, inferre poſſunt. Occurrerunt interdum in ejuſmodi Operationibus Calculi, qui inſtar Pumicum diſſiliebant, nec penitus extrahi poterant: quo quidem in Caſu confractio Calculi periculo vacat; Tum verò Veſica cochleari diligenter eſt mundificanda, arenularumque ac fragmentorum reliquiæ extrahendæ. Vulnus itidem Turundulis paulò diutius apertum retinendum, ut poſtea fuſiùs dicetur. Si verò Calculus, ob magnitudinem ſuam, integer educi nequeat, tunc neceſſitate nullam legem habente, de omnis generis inſtrumentis proſpiciendum erit, quæ cum judicio tamen ſunt adhibenda, dolorque, quantum fieri poteſt, leniendus; Ingens enim & ferè incomprehenſibilis dolor, individuus operationis comes, ſæpe efficit, ut æger Lipothymia extinguatur. Nonnunquam etiam, Calculo grandiore exiſtente, ipſæ Venæ disrumpuntur, unde ęger tanta Hæmorrhagia corripitur, ut inter manus Medici ſuccumberet, vel ſaltem ſtatim poſt Operationem occumberet. Non deſunt temerarii quidam, & Anatomiæ imperiti Caſtratores, quibus fabuloſum videtur, ejuſmodi Venas Perinæo, & collo Veſicę inſertas eſſe, ut iis ruptis, ingens periculoſaque Hæmorrhagia ſubſequi poſſit; Illis verò ſequentia Exempla perpendenda ſunt.

Cùm Anno 1623. in Bacchanaliorum celebratione, *Adoleſcentes ac Viri quidam Friburgenſes* Aventicorum, ſaltando ſe exhilaraſſent, alterque ipſorum æquis pedibus altum ſcabellum tranſilire voluiſſet, eique impingens ruiſſet, ita ut angulus ſcabelli ipſum Perinæum offenderit, tanta ſubſequuta eſt Hæmorrhagia, ut intra paucos dies aliquot ſanguinis libras per Virgam (cutis enim non vulnerata fuit) emiſerit: qui quidem ex parte coagulatus, atque concretus erat, ut mirum ſit, quomodo per Virgam emanare potuerit: cum itaque Nobiliſſimus, Doctiſſimus atque Experientiſſimus Dominus, *Franciſcus Proſper Gottrouvv*. Medc. Doctor, & Phyſicus Ordinarius Civitatis Friburgenſis Aventicorum, mecum ad ipſum vocatus eſſet, vix eum reſtituere potuimus, adeò Vires, ex vehementia Hæmorrhagiæ, proſtratæ erant.

Eodem tempore idem ferè hic Bernæ *Puellæ cuidam Nobili*, quatuor annorum, contigit: cùm enim è ſcamno in baculum incidiſſet, & circa pudendorum extremum verſus Anum vulnerata fuiſſet, tam violentus ſubſecutus eſt ſanguinis fluxus, ut ferè incredibile ſit, tantam ſanguinis copiam in infante contineri poſſe. Hoc eum in finem huc inſero, ut Caſtratoribus atque Lithotomis, præſertim iis, qui Apparatu minore utuntur, documento eſſe queat. Quando igitur Calculus, ob malignitatem ſuam, ſine mortis periculo extrahi nequit, ne tum Operatio inſtituatur, iterum atque iterum ſuadeo: hoc fideli & induſtrio cuivis Chirurgo multò laudabilius & utilius erit, quàm ſi languentes ægros, ut quidam ſolent, velut ad macellum trahat.

Illud verò nullo quoque modo ſilentio prætereundum, quemadmodum nimirum multa diverſa Symptomata affectum huncce difficilem comitantur, ita etiam neceſſe ut Medicus ſufficientibus Miniſtris ac famulis inſtructus ſit, omniaque eo modo ac ordine peragantur, ut ingruente neceſſitate nihil deſideret. Primò verò, quamvis æger ſufficienter ligatus fuerit, cordati tamen aliquot Viri, qui eum ita continere queant, ne in operatione hinc inde vacillet, Medicumque in opere ſuo impediat, adhibendi ſunt. Idem mihi aliquando *Paterniaci*, cùm *quadragenario cuidam Viro* crus amputaturus, & jam-jam ſerram atque Cauteria prehenſurus eſſem, accidit: cùm enim æger alta voce vociferari cœpiſſet, omnes aufugerunt, excepto filio meo, natu majore, qui tunc temporis puſillus erat, cuique alligatum crus pro forma tenendum commiſeram; & niſi Uxor mea, tunc temporis gravida, ex alio vicino, in quo erat, cubiculo accurriſſet, ægrumque circa Thoracem prehendiſſet, æger, & ego cum ipſo, in ſummum diſcrimen incidiſſem. Alius præterea famulus cum ampla aliqua Patina, in qua inſtrumenta omnia ordine diſpoſita contineantur, ad dextrum conſtituatur, ne demum in Operatione è ſedili ſurgendum, & hoc vel illud petendum, & afferendum ſit: in eadem Patina inter cætera etiam Oleum amygdalar. dulc. in Scutella locetur, ut eo, quoties opus fuerit, inſtrumenta & digiti illiniri atque inungi queant. Et quoniam frigus Veſicæ omnino noxium, adeoque inſtrumenta calefieri neceſſe eſt, carbones verò calorem, qui hic requiritur, ſuggerere nequeunt; idcirco Chirurgus pelvem aquâ, ad inſtitutum ſuum temperatâ, plenam lateri ſuo apponet, in eadem inſtrumenta, quantum opus eſt, calefaciet, & poſtea Ol. Amygd. dulc. imbuet, Eidem famulo alia inſuper Patina, in qua ea omnia, quæ ſtatim poſt Operationem applicanda ſunt, ordine diſpoſita ſint, committenda eſt: ut extracto Calculo, quæcunque ad ſanguinem ſiſtendum, aliosve uſus requiruntur, etiam in promptu ſint. Quoniam etiam, propter vehementiam doloris ac hæmorrhagiæ, ſæpenumero ingentes imbecillitates, Viriumque dejectiones ſubſequuntur, propterea etiam alii cuidam ex aſtantibus Amicis, ut ægro ſæpius de Aqua Confortativa ſequente cochleare exhibeat, eumque refocillet, injungendum eſt.

R. Aq. ſummitat. & flor. Borrag.
Bugloſſ. Roſar. Odorif. an. ℥ij.
Cinamom. deſtill. ſine vino.
Syr. de ſucco citr.
Papaver. errat. an. ℥j. ß.
Specier. de gemmis,
Lætificant. Galen. an. ℈ij.
Confect. Alkerm. ʒj.

Miſce, f. potio. Aqua iſta Confortativa ſpiritus Vitales cordis corroborat, ac reficit, doloremque aliquo modo lenit.

Epithema quoque ſequens nequaquam intermittendum erit.

R. Aq. Meliſs.
Bugloſs.
Roſar. ana ℥j. ß.
Cinamom. ſine Vino deſtill.
Acet. Roſac. ana ℥j.
Specier. Diamargarit. frig.
Diambr. ana ℈ij.
Camphor. ℈j.
Croci, ℈ß. Miſce f. Epithema.

In hoc Epithemate, ſeu Medicamento Cordiali, non ſolùm ante Inciſionem pulvilli madefaciendi, Pulſibusque utrius manusque alligandi, ſed etiam pannus coccineus, latitudinis volæ manus eo imbuendus, cordiſque regioni calidè imponendus erit.

In ipſa verò Inciſione aliquis ex Miniſtris, & Aſtantibus eodem Medicamento ſubinde Nares, ac tempora illinat, pulvillosque in manibus madefaciat.

Cap. 13. *De diverſis Operandi modis, ac methodis adminiſtrandi Lithotomiam, ac primò, de Inciſione*, Apparatu parvo, *facta.*

Quandoquidem in præcedentibus quomodo Chirurgus ſe ante, & in ipſa Inciſione gerere debeat, indicavi: meritò jam ulteriùs mihi progrediendum, quidque ſtatim poſt extractum Calculum agendum eidem incumbat, dicendum eſſet. Quoniam verò diverſi operandi modi in adminiſtratione Lithotomiæ à Veteribus ac Neotericis Practicis adhibentur; Ideoque in gratiam juniorum atque tyronum Chirurgorum, eorum aliquos huc inſerere volui, è quibus unuſquiſque unum aut alterum, qui ipſi aptiſſimus eique tutiſſimus videbitur, eligere poterit.

Prima, & hiſce temporibus apud Lithotomos vulgares uſitatiſſima ferè Operatio, ſive Calculum extrahendi modus, ſequente ratione perficitur; Ægro, ut par eſt, ligato: Chirurgus indicem, ſeu medium manûs ſiniſtræ digitum in anum immittit, dextrâ verò inferiorem Ventrem fortiter, deorſum, verſus Veſicam, deprimit. Vel adhibeatur Miniſter, qui provinciam illam ſuſcipiat; Non ita tamen nuda manu Ventrem comprimat, ſed linteum molle multipliciter reduplicatum, vel ſtuppas in manibus contineat: quoniam Ventre hac ratione nuda manu compreſſo, muſculos ſæpenumero offendi atque contundi contingit: unde quidem dolor, tumores, Inflammationes, & alia periculoſa ſymptomata ſubſequuntur, ægroque multùm negotii faceſſunt. Repertum igitur digito in anum immiſſo Calculum ad collum uſquè Veſicæ protrudit, tumque inciſionem ſupra Calculum inſtituit, eumque digitis in Anum immiſſis foras propellere conatur; Quod quidem nonnullis, præſertim quando parvus eſt Calculus, feliciſſimè ſuccedit; Sin minus, reliquum hamulis, inferiùs depingendis, peragunt, eamque Operationem *Apparatum minorem* nominant. Quàm periculoſa autem ſit Operatio iſta, ſapiens quivis facilè colligere poterit, ubi perpenderit, quod in ea Chirurgus facilè partes collo Veſicæ adjacentes, vel ipſum collum, imò quandoque etiam ipſum Veſicæ muſculum, perfodere poſſit, unde primò quidem ingens hæmorrhagia, propter Venarum eo in loco concurrentium, & periculoſos ſanguinis fluxus concitantium; multitudinem, ut *cap. præcedente* demonſtratum fuit, exſpectanda: deinde etiam verendum eſt, ne æger Urinam retinere nequeat, aut fiſtula in parte affecta remaneat.

Præterea etiam obſervatum fuit, quod in Operatione illa, Apparatu minore facta, Veſica ipſa, propterea quòd evacuata in ſe collabitur, imò ipſum etiam inteſtinum rectum ſimul vulneratum, adeoque

diſſectum

diſſectum fuit: ita ut Lithotomus ipſe cogitum ſuum, *ut Petrus Francus* reſtatur, Novacula offenderit, tumque Urina per Inteſtinum rectum, & vice verſa al vi fæces per Vulnus effluxerunt. Quanta autem incommoda hoc ægro, quantum verò contemptum ac dedecus Lithotomo afferat, unicuique facile colligere licet.

Illud porrò in hac Operatione diligenter etiam notandum, quòd ſi nimirum contingeret, ut Medicus forte in inciſione partes tranſfoderet, & alterutrum digitum in Ano ferirer, quomodo tunc res ſua inſtituturus eſſet? Nunquid ob dolorem proprium ab Operatione deſiſtere, opuſque imperfectum relinquere cogeretur? Quamvis igitur operandi Calculumque extrahendi modus iſte, à Veteribus quibuſdam adhibitus fuerit, uti è ſcriptis ipſorum apparet, fideli tamen cuivis Chirurgo, ut rem paulò diligentiùs examinet, nec eos hac in parte imitetur, ſuadeo. Veteres quidem primam glaciem fregerunt, ac viam Poſteris in Artibus ſtraverunt, eoque ipſo multùm præſtiterunt. Quoniam verò, ut ſcribit *Hippocrates, lib.1. Aphoriſm. 1. Ars longa, vita verò hominis contrà brevis eſt*, idcirco res multas excolere non potuerunt. Proptereà à nemine vituperandi, ſed potiùs, tanquam ſupremi Medici inſtrumenta, honore afficiendi ſunt. Qui verò hoc tempore meliores ac certiores operandi modos norunt, & nihilominus tamen eorum uſum reſiciunt, eoſdem contemnunt atque vituperant, illi certè non niſi temerarii, & tales quidem homines, qui ob Conſcientiæ ſuæ levitatem, ægrorum Curam convenientem non gerunt, habendi ac æſtimandi ſunt.

Cap. 14. *In quo alter operandi modus,* ſuper Itinerario *videlicet, deſcribitur.*

ALtera Operatio, ac Lithotomiam inſtituendi modus, ſuper Inſtrumento, Latinis *Itinerario* dicto, peragitur. Rectè autem ſic appellatur, quandoquidem Chirurgo viam, ad exactam loci incidendi notitiam ſibi comparandam, monſtrat. E tenui verò argento, ſeu Orichalco ſequente ratione conficiatur. (*Vid. Tab. 1. fig. 3.*)

Ægro itaque ſufficienter ligato, omnibuſque ritè diſpoſitis, *Itinerarium* per Virgam in Veſicam, ſuperque Calculum immitte, deinde inciſionem Novaculâ (cujus mucronem utrinque acutum eſſe oportet) digiti tranſverſi diſtantiâ ad latus Tauri, à Scroto ad Anum tendentis, verſus coxam ad Itinerarium uſque facito, poſtmodum *Conductorem ſeu Semiſpeculum* ſuper Itinerario ad Calculum uſque immittito; cujus figura, *vid. Tab. 1. fig 6.* Poſtea Itinerarium, ut Virga ſit libera, extrahito. Eſt autem Conductor præfatus concavus, ex alteroque latere apertus, uti ex ipſius figurâ patet: in extremitate iridem craſſus, proptereà profundè admodum immittendus; ut Vulnus, collumque Veſicæ aliquantulum dilatet, tumque per latus Conductoris apertum *Hamulus* Lithotomis uſitatus & cognitus, in Veſicam immittendus, Conductor verò extrahendus, poſtea duobus manûs ſiniſtræ digitis, medio videlicet ac indice, in anum immiſſis, Calculus attrahendus, hamulo prehendendus, & extrahendus erit. (*De Hamulô vid. Tab. 1. fig.4.*)

Prætereà etiam Miniſtrorum alter manu ſuâ partem Oſſis Pubis ſuperiorem, Ventrem fortiter comprimat, omnia eum in finem, ut Calculus eò meliùs ad collum Veſicę decumbat. Ne autem compreſſione iſta Muſculos Abdominis offendat aut contundat, unde demum inflammatio, aliaque ſubſe qui poſſent ſymptomata, non nuda manu, ſed reduplicato panno, aut ſtupis mollibus id peragat. Lithotomi nonnulli præfatum Conductorem, aut Semiſpeculum, tanquam ſuperfluum rejiciunt, hamuloque ſuper Itinerario ad Calculum uſque penetrant: quibus ego non obſiſtam, eum tamen habet uſum, ut Vulnus collumque Veſicæ aliquando dilatet, unde eò faciliùs immitti poteſt Hamulus. Eundem quoque in finem à nonnullis *Speculum Veſicæ*, ut vocant, intromittitur: deinde Calculus cum digitis in Anum immiſſis ad Vulnus uſque adducitur, ibidemque hamulis prehenditur. Quem quidem operandi modum minimè rejiciendum, ipſemet felici cum ſucceſſu exercui: inciſionem verò mediocriter magnam eſſe oportet: nimis enim parva ſi fuerit, tunc inſtrumenta abſque vi immittere non poteris. Magnam verò ſi feceris, tunc fortè Venas plurimas, in ò etiam Muſculum, aut ipſam Veſicam lędere vel diſſecare poſſes.

Tab. 1. fig.4.

Hamulorum delineatio.

Cap.15. *De tertio Calculum extrahendi modo.*

QUod ſi verò Calculus tantæ eſſet magnitudinis, ut Hamulis depictis extrahi non poſſet, majorque vis requireretur, tunc res ſequente modo inſtituenda eſſet.

Facta ſuper Itinerario, ut dictum, Inciſione, immiſſo itidem Conductore, ſeu Semiſpeculo, ac Vulnere per idem aliquo modo dilatato, Itinerarium extrahendum, atque *Tenacula* ſupra Conductorem ad Calculum uſque intromittenda erit. Extracto poſtmodum ipſo quoque Conductore, Calculus tenaculâ diligenter inquirendus ac prehendendus eſt. Et poſtquam tenaculam iterum atque iterum fortiter compreſſeris, de Calculoque probè prehenſo certus fueris, tunc eum extrahas: in extractione verò, ambabus manibus factâ, tenaculam lentè hinc inde convertas atque contorqueas, ut Vulnus aliquantulum dilatetur, atque tenacula cum Calculo eò melius educi queat: quod ſi fortè prima vice fieri non poſſet, ita ut Calculus, quod ſæpe contingit, è tenacula excideret, tunc arreptâ aliâ paululum latiore & validiore tenaculâ, Calculum prehendas, quæ cum quidem, ob latitudinem ſuam, arctiùs complecti poterit. Dum verò tenaculam immittes, aliquis Ventrem ſub Umbilico manu fortiter comprimat, ut ſuprà quoque dictum fuit. Ad immittendam verò tenaculam, vulnus aliquantulum dilatari oportet, quod quidem Speculo Veſicæ efficitur. Quod ſi verò integer calculus educi non poſſet, adeoque conterendus eſſet, tunc diligenter obſervet Medicus, ut hac in parte prudenter agat, uti jam in ſuperioribus quoque indicatum fuit. (*De Speculô veſicæ vid. Tab. 1. fig. 5.*)

Ad confringendum verò Calculum, Doctiſſimus & Experientiſſimus Vir, *Petrus Francus* ſolertiſſimus Lithotomus, peculiare & admodum idoneum habet tenacularum genus, uti è ſequente patebit capite, quarum effigiem in gratiam Lectoris huc inſerere lubuit: quoniam dicti iſtius Viri liber Germanico idiomate non proſtat. Similiter etiam *Ambroſius Pareus*, *lib. 17. c. 44.* Chirurgiæ ſuę, peculiarem tenaculam, ad Calculum in Veſica confringendum non ineptam, proponit. Tenacularum vero *Dn. Franci* duo ſunt genera: altera in anteriore parte paululum lata & concava;

cava, calculo prehendendo, & extrahendo inſervit. Altera tenacula, ad confringendum Calculum comparata, aliquantulum acuta eſt, ut Lector poſtea ex effigie colligere poterit. (*vid. Tab.* 1.*fig.* 7.& 8.) Hic rurſus monitum velim Chirurgum, ne facilè Calculum confringere tentet, propter magnum, quod Operatio-ci, & fractioni iſti imminet periculum: ſæpe enim Calculi duriſſimi in Veſica reperiuntur, ipſeque unum adhuc, inſtar ſilicis durum, inter rariora mea reſervo. Quis autem, quæſo, ejusmodi Calculos abſq; periculo in Veſica confringere poſſet? Quoniam verò Calculi duritiem, vel mollitiem difficulter percipere poſſumus, ideoque denuo ſuadeo, ut fidelis atque induſtrius Lithotomus à grandiorum Calculorum extractione abſtineat. Quod ſi tamen neceſſariò inſtituenda eſſet Lithotomia, commodiſſima erit *Dn. Franci* tenacula, quoniam Vulnus non vehementer, nec una vice dilatat atque extendit: & quamvis pars tenaculæ anterior latè pateat, in poſtrema tamen Vulneris parte anguſta eſt; unde quidem collum Veſicæ minùs patitur, quod in periculoſa hac Operatione diligenter obſervandum.

Cap.16. *De quarto operandi modo, in Lithotomia uſitato, qui meritò* Lithotomia Franconiana *appellari poteſt.*

QUoniam Excellentiſſimi & Experientiſſimi Viri, *Dn. Petri Franci,* in hoc libro aliquoties mentionem facio, ideoque prætermittere non poſſum, quin etiam Operandi modum, primò ab ipſo inventum, huc inſeram, qui quidem *lib. ſui cap.* 33. *ita deſcribitur*; Corpore ægri, ut dictum, ad Lithotomiam præparato, factaque ſupra Itinerarium inciſione, Turundam Vulneri accommodatam imponit, nihilque præterea eâ vice circa extractionem Calculi molitur, niſi fortè per ſe in Vulnere compareat, tunc eum vel tenaculis, inſtituto ſuo appropriatis, vel hamulis, (qui in parte, ubi Calculus æqualis ac lævis fuerit, maximè idonei & commodiſſimi ſunt) extrahit; Quod ſi verò Calculus non ad Vulnus prociderit, aut grandior fuerit, tum Vulnus more ſolito obligat, ægrumque reponit: diebus aliquot poſt, ubi res ægri meliùs habent, Vulnuſque ſuppuratur, nec febris adeſt, Calculus itidem in Vulnere comparet, ut plerumque contingit, Virque prædictus hoc ſæpe ſibi eveniſſe ſcribit, tunc eum præfato modo extrahit. Calculo verò non ad Vulnus prorumpente, tunc vult, ut digitis in anum immiſſis, atque compreſſione Muſculorum Abdominis, ut antea dictum fuit, deorſum ad Vulnus attrahatur, & protrudatur, quod, ut inquit, eo tempore abſque omni periculo fieri poteſt? Quandoquidem intumefactiones remiſerunt, & Urina ſemper liberè effluxerit, præterquam quod etiam æger eò uſque exquiſitam Victus rationem obſervavit, nullaque inflammatio ampliùs in Vulnere verenda eſt. Calculum itaque deorſum ad locum inciſionis uſque deductum, tenaculis ſive hamulis, ut antea declaratum fuit, educit. Quod ſi verò Calculus tam magnus eſſet, ut per Collum veſicæ non niſi diſſectâ Veſicâ, extrahi poſſet, (quod admodum periculoſum, & inflammationis, imò etiam mortis, aut aliorum difficilium graviumque ſymptomatum mox ſubſequentium cauſa eſt, adde quod Vulnus non coaleſcit) hortatur ac monet, ut ſumma adhibeatur diligentia, ne Veſica extra collum ſuum, ubi pinguedo ac muſculi conſpiciuntur, diſſecetur. Quin potius ſi calculus, ut dictum, tantæ eſſet magnitudinis, ut per collum Veſicæ extrahi non poſſet, ut Chirurgus eum tenaculis, infra delineandis ac depingendis, confringat, ſuadet: quæ eum quidem ad uſum valde idoneæ ſunt, ita tamen ut ſufficienter acutæ ac validæ ſint; Non una tamen vice, ſed binis aut reiteratis vicibus confringi poterit, habitâ inprimis ægri ratione, ita ut hodie pars Calculi confringatur, & die uno aut altero poſt reliquum peragatur: interea etiam Medicamenta Anodyna, Inflammationem reprimentia, applicentur: ubi diligenter quidem obſervandum ut omnia calidè adhibeantur. Atque ita conſultius eſt, inquit, Calculum fruſtulatim extrahere, quàm ægrum tanto dolore atque miſeria opprimi, ſemperque è duobus malis eſt eligendum. Nullum, addit dictus *Dn. Francus,* huc uſque Autorem inveni, qui hoc modo Lithotomiam adminiſtravit, ſicuti revera multis mirum videtur, quod æger, poſt factam inciſionem, per quinque vel ſex dies plus minuſve non attingendus, tum demumque Calculi Extractio inſtituenda ſit. Viri verò docti & experti rationibus & argumentis meis perceptis, ſententiæ meæ ſubſcripſerunt. Experientia verò, inquit *Dn. Francus,* aliquoties me docuit, quod æger poſt extractionem Calculi adeò debilitatus fuit, ut nihil ulteriùs cum ipſo tentare, aut plures Calculo indagare auſus ſim, ne inter manus meas, aut paulo poſt occumberet. Poſtquam itaque eum deligavi, eidonec vires reſumeret, aſtiti, Calculum, qui poſt inciſionem in Veſica remanſerat, in altera deligatione ſponte excidiſſe, ſæpe obſervavi. Hoc verò præcipuè accidit, quando Calculus iſte altero, qui fuit extractus, minor eſt.

Interdum etiam Calculus per ſe in Vulnus procidit, ita ut in conſpectum veniat: quoniam verò Vulnus in ſuperficie, & in cute minus eſt, quàm intra ipſum collum Veſicæ fuerat, quemadmodum aliàs fieri deberet, ideoque Calculus hæſit, ita ut nonnunquam pars Calculi ante Vulnus, reliquum verò in ipſo adhuc collo Veſicæ hæſerit. Præterea quando Calculus, qui in Veſica remanſit, major eſt eo, qui extractus fuit, tunc Calculus iſte ad collum Veſicæ, ac Vulnus usque pervenit, ægroque dolores concitavit, ſicut reliqui, qui jam-jam extracti fuerant, hoc eſt, æger iisdem doloribus, ut antea, affectus fuit. Calculi autem leves ferè per ſe ad collum Veſicæ, ac Vulnus delabi ſolent, reliqui non tam facilè, interdum etiam planè non. Quod ſi verò in collo Veſicæ ac Vulnere non comparuerit Calculus, facilè detrudi poteſt, ita ut Chirurgus digitos in anum immittat, Ventremque comprimat, ut hactenus aliquoties indicatum fuit. Quæ quidem omnia periculo vacant.

Nonnunquam planè nullos amplius ſupereſſe Calculos perſuaſus fui, & tamen poſt aliquot dies contrarium expertus ſum: propterea quod æger dolorem, aliaque Calculi ſigna, perceperat. Quo quidem perſpecto, honoris ac famæ meæ tuendæ gratia, Calculum quoque ſuperſtitem pari modo extrahere coactus fui. Poſtquam autem obſervavi, & ſæpius expertus ſum, quod illud longè facilius, minoreque cum dolore atque periculo ægri, quàm in prima inciſione, præſtare poſſem, & ad modum illum calculum extrahendi uſurpandum & exercendum inciſionem, Calculus non una vice extrahatur, niſi per ſe prodeat, ſed ad dies aliquot, ut dictum fuit, Operatio ſuſpendatur, ægerque, donec vires reſumpſerit, dimittatur. Hactenus *D. Petrus Francus,* quibus quidem, quàm probus ac prudens Lithotomus Francus iſte fuerit, apparet. Idem quoque familiares ipſius de ipſo teſtati ſunt, quorum adhuc aliqui, cum anno 1586. Lauſannam

Lauſannam veniſſem, in vivis ſuperſtites fuerant. Utinam operandi modus iſte apud omnes Lithotomos & Caſtratores introduci poſſet; longè enim plures inciſos evaſuros exiſtimo. Quoniam enim Lithotomus ita apud ſe ſtatuit, neceſſe eſſe, ut æger prima vice vel à Calculo liberetur, aut moriatur, hinc ſæpe fit, ut in inciſione tantam profundat ſanguinis copiam, vel adeò torqueatur, ut propter dolorem immanem, inflammationem, aliaque pernicioſa ſymptomata mox ſubſequentia, vel in ipſa inciſione, vel ſtatim poſt moriatur. Quæ omnia impediri poſſent, ſi præſcriptum operandi modum imitaremur: quod ſequente Exemplo confirmari poteſt.

Ponamus aliquem fortè arcu, vel ſclopeto feriri, telumque ſive globum Vulneri impactum inhærere; Chirurgus itaque ingentem ſanguinis fluxum præſentem perſpiciens, annon ex tempore eum ſiſtere conabitur, tandemque poſt dies aliquot, ubi nulla amplius Hæmorrhagia verenda erit, telum, vel globum inquiret? Eadem ipſius quoque eſt Lithotomiæ ratio: cui tanta quidem aliquando ſupervenit Hęmorrhagia, ut ægrum in extremum vitæ periculum prçipitet. Tantæ itidem ſubſequuntur Lipothymiæ, ut niſi æger extemplo deligetur, ac reponatur, repentina morte extinguatur.

Cap. 17. *De quinto operandi modo, qui præfato quoque Petro Franco adſcribitur.*

Refert prædictus Dn. *Petrus Francus, lib. ſui cap.* 33. ac ſcribit, ſibi aliquando infantem bimulum, Calculo Veſicæ magnitudinis circiter ovi gallinæ laborantem, oblatum fuiſſe. Cùm autem omnem quam potuit diligentiam, ad Calculum deorſum in collum Veſicę detrudendum, adhibuiſſet, nihilque efficere potuiſſet, infans iidem à dicto Calculo adeò torqueretur ac vexaretur, ut Parentes illum libentius mortuum, quàm diutius in tanta miſeria ſpiritum ducere cuperent; Ipſe verò interea exprobrationem ſibi factam, quod Calculum educere non potuerit, in malam partem interpretatus eſſet, tandem ſe Calculum in inguine, & ſuperiore Oſſis pubis parte, paulo è regione exſecturum, apud ſe conſtituiſſe: quandoquidem Calculus deorſum deduci non potuerit, ſeque propterea Calculum, cum digitis in anum immiſſis, adeò in altum elevaſſe (dum Miniſtrorum alter à latere oppoſito Ventrem comprimeret, Calculumque ad locum incidendum protruderet), ut eum ibidem exſecuerit, infantemque, tametſi ſummopere debilitatum, nihilominus tamen reſtitutum, Vulnuſque ſanatum fuiſſe. Ex his Vir celeberrimus atque doctiſſimus Dom. Franciſcus Rouſſetus lib. de partu Cæſareo ſectione 3. capite 6. & 7. & concludere voluit, ſemper Calculum eo in loco exſecandum eſſe, illudque minore cum periculo fieri poſſe. *Lithotomiam* proinde illam *Franconianam* vocat, cùm tamen D*n. Francus* eam minimè ad imitationem præſcripſerit, ſed expreſſè in libro ſuo, ſe ſtolidè egiſſe fateatur, adeoq; unumquemq;, nè ipſum hac in parte imitetur, ſed prçcedentem Operandi modum amplectatur, hortetur, nec immeritò quidem: quamvis enim experientiâ conſtet, Vulnera Veſicę interdum etiam ſanari, cujus rei plurima in medium afferri poſſent exempla, ipſeque ſimilia Vulnera ſanavi: rarò tamen illud contingit, firmumque manet, quod ſcribit *Hippocrates, lib. 6. Aphoriſm.* 18. Vulnera Veſicæ lethalia eſſe: quemadmodum enim una hirundo non facit Ver, ita etiam ſe habent Veſicę vulnera, & quamvis unum aliquod ſanetur, è contra tamen decem aut plures deplorati obeunt; propterea quod caro ſive Parenchyma Veſicæ, non facilè ſanationem recipit, ſed quoniam Veſica è genere nervoſo, & ferè exſanguis eſt, ideoque ipſius vulnera non facilè, raròque coaleſcunt, idque inprimis etiam propter gravia atque periculoſa quæ ſuperveniunt ſymptomata: uti ſunt dolor vehemens, calor & inflammatio interna, Tumor, Spaſmus, & ſimilia. Diligenterque notandum eſt, quod interdum etiam Urina per vulnus effluere non poteſt, ſed in infima Ventris cavitate congeritur, ubi quidem putreſcit, parteſque circumjacentes accendit, atque corrumpit. Ad hanc alia quoque difficultas non ſpernenda, in hac inciſione accedit, quod nimirum inciſio iſta non niſi in infantulis tentari queat; uti prædictus *Dn. Francus* infantem illum duorum circiter annorum fuiſſe ſcribit. Quare, objicis, non pariter in Adultis? Propterea, reſpondeo, quòd digitorum tuorum longitudo, ad Calculum eò usque attollendum, donec ad inguina prodire queat, non ſufficit. Hęc tibi, benevole Lector, in Muſæo meo facilè demonſtrare poſſem, ubi quidem ſceleta anni dimidii, & integri, trium itidem atque triginta annorum reſervo. Cum dicto igitur D*n. Franco*, fideli atque induſtrio cuivis Chirurgo periculoſæ hujus Lithotomiæ adminiſtrationem iterum atque iterum diſſuadeo.

Si verò calculus ingentis fuerit magnitudinis, uti fuit ille cujus mentionem feci Centuriæ 4. Obſervatione 51. & æger, & adſtantes propter ingentes ac maximos dolores auxilium à Medico vehementer efflagitarent, tunc profectò invocato priùs numine Divino, & facto prognoſtico de eventu ancipiti, & incerto, ſectionem illam inguinalem, de qua ſcribit D. Francus cap. 33. ſectioni, quæ fit in collo veſicæ, prçferrem. Calculus enim ſi propter magnitudinem ad inguen attollitur, minori cum dolore ac periculo in inguine, quàm per collum Veſicæ extrahi poſſe, planè mihi perſuaſum habeo, præſertim in Viris: In mulieribus verò per collum matricis id fieri poſſe, & quidem ſine magno periculo, experientia me edocuit, ut Lector capite 22. videre poterit.

Antequam autem Chirurgus talem operationem aggrediatur, magnitudinem calculi diligenter exploret: niſi enim ejus fuerit magnitudinis, ut digitis, per podicem immiſſis, ad inguen elevari poſſit, tentanda non eſt operatio. Calculus enim Veſicæ incluſus, ut in hac operatione abdomini firmiter adjaceat, negotium poſtulat: Si enim inter Veſicam cum ſuo calculo, & abdomen vacuum aliquod remanſerit; illudque inteſtina impleverint, facilè in operatione novaculâ lædi poterunt. Priusquam autem operatio hæc inſtituatur, corpus tum optima victûs ratione; tum etiam purgationibus, Venæſectione aliisque præſidiis quàm diligentiſſimè & ex arte præparare convenit, de quibus omnibus ſuo loco abundè dictum fuit. In operatione autem ægrum in menſam ſtabilem ac firmam ſic collocabis, ut nates menſam nonnihil promineant: Crura verò (quæ à duobus Viris cordatis teneantur) ad latera ita extenſa ſint, ut Chirurgus inter utrumque ęgro adſtare; operationemque commodè perficere poſſit: Brachia quoque; & axillæ, à Viris fortibus firmiter ſunt tenendæ, interim tamen cavendum, ne Thorax comprimatur, propter cauſas quas capite undecimo commemoravimus. Hoc modo in dorſo poſito ęgro, lipothymię minùs ſunt verendę, & viſcera interna atque inteſtina nonnihil ſurſum inclinant; & lapis faciliùs inguen verſus ducitur.

Poſtea

Poſtea digitis ſiniſtræ manus, per podicem immiſſis, calculus ad ſiniſtrum inguen elevandus eſt, ex dextero verò latere, unus ex adſtantibus, manu, ſubſtrato linteamine reduplicato, ventrem quantùm æger ſufferre poterit, comprimat, calculumque ſiniſtrum inguen verſus retrudat, donec exteriùs manifeſtè perſentiri poſſit. Dum Lithotomus novaculâ abdomen unà cum Veſica ad Calculum uſque incidat: mox alius ex miniſtris ſtans ad ſiniſtrum latus tenaculâ calculum præhendat, extrahatque. Lithotomus autem, quod notandum, digitos ſuos ex podice non eximat; nec miniſter manum ventri amoveat, niſi alter miniſter priùs ſtylo exploratorio, & cochleare, priùs depicto perquiſiverit, & an plures adhuc calculi in Veſica contineantur, exploraverit. Quod ſi forſan alium adhuc invenerit, omnem adhibere debet diligentiam, ut ipſum hamulis, tenaculis, vel aliis inſtrumentis idoneis extrahat, alioquin fruſtanea eſſet operatio.

Exempto calculo, vulnus abdominis, turundis (quibus filum, ne in vacuum ventris dilabantur, annectere convenit) apertum tenendum eſt; idque in eum finem ne ſanguis in ventrem defluxus, putreſcat, & graviſſima ſymptomata excitet, ſed naturæ beneficio, in pus converſum, per vulnus evacuari poſſit: Turundæ autem digeſtivo, ſuo loco deſcripto inungendæ ſunt, Empl. Baſiliconis applicetur, & totum abdomen oleis convenientibus inungatur, de quibus cap. 21. fuſiùs differemus. Sunt qui vulneribus ventris decocta traumatica ſiphone injiciunt, ſed perperam: remanent enim in inferiori ventre, putreſcunt, & peſſima ſymptomata excitant: de Vulneribus pectoris idem intelligo.

Hac Methodo inſtitutâ operatione, dummodo (ut dictum) calculus ad inguen elevari poterit, in magnorum calculorum extractione, minus eſſe periculum in abdomine, quàm per collum Veſicæ certum eſt. Quandoquidem ingens ac magnus calculus, ut per collum Veſicæ extrahatur, propter ejus anguſtiam longum requirit tempus; Interim æger ingentibus affligitur doloribus, Veſica, ipſiuſque fibræ dilacerantur, ſanguis copiosè profluit, Vires diſſolvuntur, maximoque cum cruciatu æger vel in ipſa operatione, aut paulò poſt extinguitur. Operatio verò in inguine, ſine ulla ferè dilaceratione Veſicæ perficitur, hæmorrhagia præterea non uſque adeò verenda eſt. Veſicam præterea in ſuo fundo vulneratam conſolidari quoque poſſe obſervatum eſt: ſuas enim fibras carnoſas habet, quarum beneficio calor ejus innatus fovetur, & vulnera curantur, ut cap. 5. oſtendi. Contrà verò Veſicam circa collum inſigniter dilaceratam; difficulter conſolidari poſſe, inde manifeſtum fit, quod eo in loco ureteres ingrediuntur, vulnuſque continuò humectant, & conſolidationem impediunt, ſequiturque perpetuum ſtillicidium Urinæ.

Cap. 18. *De ſexto operandi Modo.*

QUanquam in quibuſdam è prædictis calculum extrahendi modis quicquam deſiderari queat, ad hunc tamen operandi modum, peculiare inſtrumentum inveni, quo calculus etiam commodiſſimè & abſque magno periculo, tam è maribus, quàm è fœminis educi poteſt: quod induſtrium quidem Cheirurgum celare nolui, ſed hîc etiam ipſius delineationem, deſcriptionem, & uſum ei communicare lubuit: quorum quidem alterum clauſum, alterum verò apertum depingitur: (*vid. Tab.* 1. *fig.* 9.)

Deſcriptio & Explicatio Inſtrumenti. fig. 9.
Tabulæ 1. *propoſiti.*

Inſtrumentum hoc ex quatuor præcipuè partibus, lit. A.A.A.A. ſignatis conſtat, quarum unaquæque roſtrum ſatis craſſum, lit. B.B.B.B. notatum, circa mucronem aliquantulum inciſum continet, quæ tamen omnia ſimul juncta, rotundum ac læve roſtrum conſtituunt, cujus pars extrema C. digiti circiter craſſitiem habet, in peripheria ſequentis figuræ circulum æquat.



Deſinit tamen in mucronem, uſque ad D. Longitudo roſtri à C. ad D. inſtrumenti mei quatuor pollices continet; qui verò pollicem integrum, vel dimidium adjicere voluerit, illi liberum erit. Partes autem prædictæ, A.A.A.A. ſignatæ, in inſtrumento ferreo E.E.E.E. cujus beneficio inſtrumentum aperiri claudique poteſt, coeunt. Hoc verò ferrum craſſitudinis lineæ ſequentis erit; |‾‾‾‾| niſi enim paulò craſſius eſſet, tunc quatuor prædictæ, & lit. A.A.A.A. ſignatæ partes, non exactè ac firmiter in illud coire poſſent. Roſtrum præterea etiam, prehenſo Calculo, non ſatis ſtrictè conſtringi claudique poſſet. Prædictas quatuor partes, AAAA. notatas etiam admodum latas validaſque eſſe neceſſe eſt, in meo quidem inſtrumento hujus ſunt latitudinis ———, craſſitudinis verò paulò plus dimidia parte minoris. Foramina verò in parte E.E.E.E. notata, ſingulari induſtriâ efingenda ſunt, ne vel in magnitudinis exceſſu, vel in defectu peccent. In exceſſu quidem, ne roſtra ad hanc vel illam partem vacillent, ſed liberè ac firmiter moveantur. Neque etiam nimis anguſta oportet eſſe foramina, aliàs pars E.E.E.E. ſignata, non liberè & abſque impedimento, beneficio torcularis attolli ac deprimi poſſet. Pars infima, F.F.F. dimidiâ parte craſſior ſit parte ſupremâ, E.E.E.E. notatâ, idque eum in finem, ut torcular eò firmiùs ac liberiùs moveatur. In inſtrumento meo hujus eſt craſſitudinis ———. In hac infima parte quatuor partes, A.A.A.A. includi, & unumquodque beneficio clavis liberè aperiri atque claudi poſſe neceſſe eſt: ut ex delineatione in lit. F. F. F. apparet. Torcular iſtud etiam validum, ſingulari ſtudio ſequentis craſſitudinis ac longitudinis conficiendum eſt. (*vid. Tab.* 1. *fig.* 10.)

Hęc igitur brevis eſt prædicti inſtrumenti deſcriptio, quod ex ferro optimo ac tenui diligentiſſimè fabricandum, ne roſtra in Operatione frangantur. Sequitur jam *ejuſdem uſus.*

Ægro ad inciſionem, ut antea dictum, fuſiuſque indicatum fuit, præparato, Chirurgus Itinerarium per Virgam ad Calculum uſq; intrudat, factaq; ſuper prædicto Itinerario inciſione, Conductorem ſupra Itinerarium ad Calculum uſque immittat, poſtea Itinerarium, ut libera ſit Virga, extrahat. (*De hoc Conductore, ſeu Semiſpeculô,* (*vid. Tab.* 1. *fig.* 6.)

Hoc verò Inſtrumentum commodiſſimè *Semiſpeculum* nominari poteſt, propterea quod illo, Speculi loco, Vulnus ſatis commodè, minoreque cum diſcrimine, quàm ipſo Veſicæ Speculo aperitur. Præterea etiam difficulter admodum cum Speculo Veſicæ alia inſtrumenta, Tenaculæ, hamuli, & ſimilia in Veſicam immitti poſſunt, niſi priùs extrahatur Speculum, ac tum Vulnus denuò clauditur, parumque prodeſt ipſius

facta

facta dilatatio. Hoc verò inſtrumento, quoniam unicum tantùm roſtrum, illudque cavum obtinet, omnia alia inſtrumenta ad Calculum uſque intromitti poſſunt. Propterea etiam commodiſſimè Conductor nuncupari poteſt. Ex argento, ferro, vel orichalco conficiatur, tenue tamen, lene, validumque ſit.

Conductore igitur ad Calculum uſque immiſſo, mucronem roſtri inſtrumenti tui D. ſignatum, per cavitatem Semiſpeculi in Veſicam quoque intrude, roſtroque ad Calculum uſque intruſo, Semiſpeculum extrahe, ut manum ſiniſtram poſſis habere liberam, tunc inſtrumentum dextrâ dirige, indice verò, ac medio manûs ſiniſtræ digito, in Anum immiſſo, Calculum ad roſtrum inſtrumenti tui attrahe, tunc collocatus ad ſiniſtram unus ex Miniſtris, inſtrumentum beneficio torcularis leniter eò uſque dilatet, donec digito in Anum immiſſo, Calculum intra quatuor roſtra, B. B. B. B. notata, irrepiiſſe deprehendas ac ſentias. Tunc Miniſtrum eo uſque inſtrumentum ſtriatim contorquere jubebis, donec Calculum ſufficienter prehenderit, quod facilè ex convolutione torcularis cognoſcere ac deprehendere poterit. Quo facto, inſtrumentum tuum unà cum Calculo extrahe, digitis verò in Anum immiſſis, eum inſequere, & ad inſtrumentum protrude. Quoniam verò ipſemet torcular ſtringere atque dirigere non potes, idcirco miniſter antea probè inſtituendus erit, ut ſciat, quonam torcular, tam in attollendo quàm deprimendo, vertere atque movere debeat. Similiter etiam ante inciſionem Calculum cum inſtrumento prehendere, eaque ratione, quando Calculum in Veſica ſufficienter prehenderit, obſervare atque addiſcere poterit.

Hujus porrò inſtrumenti utilitates aliquot ſunt: primò enim eum habet uſum, ut Vulnus collumque Veſicæ loco Speculi dilatet; Deinde etiam tenaculorum loco, ad Calculum prehendendum & extrahendum adhibetur: imò, quod magis eſt, quamvis Vulnus ad collum Veſicæ Speculo ſufficienter aperueris, & dilataveris, tenaculam tamen in Veſicam immittere non poſſes, niſi priùs Speculum rurſus extrahas, illudve (non abſque ingenti dolore atque periculo ægri) tantundem dilates, ut è regione, vel per ipſum Speculum tenaculam intromittere poſſis. Eadem quoque eſt *Aperientis Mariani* ratio. Inſtrumentum verò meum utrumque præſtat: non ſolùm enim Vulnus, collumque Veſicæ leniter ac lentè aperit ac dilatat, ſed ſimul etiam Calculum prehendit, nec opus eſt multâ inſtrumentorum permutatione, *imò Operatio inſtrumento iſto ſolo, unà cum Itinerario, & Novaculâ poſſet inſtitui*, ita ut poſt factam Inciſionem, inſtrumentum ſuprà, vel è regione itinerarii intromitteretur. Tertiò, impoſſibile eſt, ut Calculus ſemel Inſtrumento iſto prehenſus, evadere queat, ut plerumque cum tenaculis ac hamulis accidere ſolet, ubi Calculus aliquando facilè hinc poteſt excidere. Inſtrumentum verò hocce meum, Calculum quadrupliciter ſimul ac ſemel complectitur. Quartò, poteſt hoc Inſtrumentum tam in infantibus, quàm etiam in Adultis, imò tam in Maribus, quàm in fœminis adhiberi. Quoniam igitur inſtrumentum illud duplicem habet uſum, ut nimirum Speculi Veſicæ, ad aperiendum Vulnus & collum Veſicæ, nec non etiam tenacularum vices ſubire poſſit, non immeritò *Speculo forceps* nominari poteſt. Quamvis autem, benevole Lector, *Speculo-forcipes* tantas utilitates annexas habeant, ut etiam, quemadmodum ex præcedentibus patet, illarum ſolarum adminiculo difficilis hæc Operatio, adjuncto quandoque Itinerario, atque Novaculâ perfici poſſet: nihilominùs tamen Chirurgum omnis generis inſtrumentis inſtructum eſſe neceſſe eſt. Quoniam nulla occurre poſſet Operatio, cujus eventum Chirurgus ante Inciſionem minùs, quam ipſius Lithotomiæ, præſcire poſſit.

Cap. 19. *Quid Lithotomo ſtatim poſt extractionem Calculi, & ante primam deligationem, agendum incumbat.*

HActenus explicatum ac declaratum fuit, quomodo Lithotomus, tam ante, quàm in ipſa Operatione gerere ſe debeat. Peractâ itaque Dei beneficio atque auxilio, Calculi extractione, non poſtmodum obligandus, & in lectum reponendus eſt æger; accidit enim aliquando, ut duo pluresvè Calculi in Veſica contineantur, ut quidem Anno 1610. apud celebrem quendam in Suevia Virum, duos & antehac apud Colonienſem quendam quatuor, omnes quidem ſatis magnos inveni. Imò Doctiſſimus ac Celeberrimus Vir, *Rembertus Dodonæus, Cæſ. Majeſtatis Rudolphi II. Medicus* ad duodecim, *Joh.* verò *Schenckius in Obſ. lib.* 4. cap. de Calculo Veſicæ 32. Calculos, & ſingulos peculiari membranulâ incluſos, repertos eſſe teſtatur. Si quis itaque extracto uno aliquo Calculo omnia in vado eſſe exiſtimaret; Calculus verò unus aut alter, imò magna etiam fragmenta in Veſica remanerent, tunc Operatio illa periculoſa ac dolorifica, fruſtranea, & ultima miſeria major eſſet primâ. Uti Doctiſſimus, & Excellentiſſimus *Dn. D. Paulus Lentulus*, hujus Reip. Phyſicus ordinarius, p. m. aliquando mihi ſignificavit ac retulit, ſe interfuiſſe, cùm Puero cuidam 15. annorum, Nobiliſſ. ſpectatiſſimi Prudentiſſimi Viri, *Dn. Petri Chambrier*, utriusque Comitatûs, Neocomenſis & Valendinenſis Vicarii filio; ante annos aliquot Calculus ingens è Veſica, ab experientiſſimo quodam Lithotomo, feliciter extractus fuiſſet; ubi quidem procul dubio alius inſuper Calculus, ut dictum fuit, & exitus demonſtravit, in Veſica remanſit, qui quidem etiam paulatim adeò increvit, ut non levia excitârit ſymptomata: collum quinetiam Veſicæ interdum adeò obſtruxit, ut urina beneficio inſtrumenti, ac Cannulæ educenda fuerit. Poſtquam autem juvenis iſte annos aliquot in miſeria atque doloribus iſtis tranſegiſſet, & medicamenta plurima à variis Medicis, Pharmacopœis; & aliis præſcripta, fruſtrà & absque ullo dolorum ſuorum levamine, adhibuiſſet, tandem *à Auvernier* ad lacum Neocomenſem in ædibus Parentis, eum occubuiſſe. Quid verò poſt pium ipſius obitum in ipſius Cadavere repertum fuerit, celeberrimus doctiſſimusq; *Dn. Joh. Jac. Kraſftius*, Medicinæ Doctor, & Civitatis Neocomenſis Phyſicus Ordinarius, Dn. Compater meus plurimùm honorandus, non ita pridem mihi narravit, ac dixit, ſe à defuncti Dn. Parente vocatum, & rogatum fuiſſe, ut Cadaver ipſius diſſecaret, cauſamque tantorum & tam diuturnorum dolorum graviumque ſymptomatum indagaret: quo quidem diſſecto, ingentem Calculum in Veſica ſe reperiſſe, alterum præterea Renem totum putridum atque conſumptum fuiſſe.

Die 20. Novembris, 1626. Nobiliſſ. ac Generoſus Vir, *D Dn. Franciſcus Ludovicus ab Erlach*, junior, Dominus in Spiez, præfatorum Calculorum poſt mortem ægri repertorum, minimum mihi oſtendit, qui ferè rotundus eſt, inſtar globi, cineritius, durus, ac lævis, ponderis ℥iij. Calculum iſtum dictus Nobilis ab uxore ſua, Nobiliſſima ac Spectatiſſima Matrona, *Dom. Eliſabetha Chambrier*, defuncti ſorore accepit, quæ fratrem p. m. poſt Lithotomiam per annos aliquot miſerrimè vixiſſe, Vulnusqne nunquam coaluiſſe, refert.

Ad evitandam autem exitioſam illam perniciem, ſtatim poſt extractionem Calculi, ſtylo exploratorio, ſuperiùs depicto, denuò in Veſicam immiſſo, an plures Calculi in ea contineantur, omni ſtudio explorandum, ſique alii inſuper inveniantur, tunc Medicus diligentiam adhibeat, ut unus poſt alterum educatur, nihilque in Veſicâ remaneat. Veſicâ verò ab omnibus grandioribus magnisque calculis liberatâ, & expurgatâ, tunc rurſus ſequentium *Cochlearium* aliquod intromittatur, (*vid. Tab.* 11. *fig.* 1.) & ſi fortè adhuc lapilli, arenulæ, aut ſanguis coagulatus in ea contineretur, ſi tempus & occaſio nimirum id patiantur, extrahantur, ſi enim æger multùm ſanguinis emitteret, aut ut plerumq; contingit, debilis & imbecillis eſſet, aut animo linqueret, tunc (ut Lithotomi quidam caſum hunc vilipendentes, & nihilominùs inſtituto ſuo pergentes in uſu habent) non diutiùs ſuſpendendus, ſed illicò in lectum reponendus, ſanguis ſiſtendus, & Lipothymiæ, ut in ſequentibus dicetur, ſubveniendum erit. Maximis enim eductis Calculis, non neceſſe eſt, ægrū in tanto periculo, quale Lipothymiam comitari ſolet, ſuſpendere; quandoquidem Natura (ſi nempe Vulnus ad tempus apertum retineatur,) iſta omnia per Vulnus expellit, & Veſicam expurgat. Et quamvis Calculi grandiores in ea remanerent, Natura tamen eos ad Vulnus propellit, unde inſtrumentis & tenaculis accomodatis poſſunt eximi: ut poſtea, ubi de Lithotomia Mulierum ſcribam, Deo dante, docebo.

Cap. 20. *De Lipothymia, & quânam ratione ei ſit ſubveniendum?*

MEritò jam ad primam deligationem mihi progrediendum, & quanam ratione Vulnus obligandum, ægerque in lecto collocandus ſit, indicandum eſſet. Quoniam verò Lipothymiæ inter omnia Lithotomiæ ſupervenientia ſymptomata, graviſſimæ ac periculoſiſſimæ ſunt, adeò ut nonnulli eis opprimantur; ideoque antequam ulteriùs progrediar, breviter perſtringere, operę pretium eſſe duxi. Quarum quidem curationem ſubjiciam.

Cauſæ hujus Symptomatis multæ ſunt: in hac verò & ſimilibus operationibus difficilibus, vel à ſummo dolore, Vires, ac ſpiritus Vitales conſumente & diſſipante, vel etiam à diſſectione atque disruptione Venarum, indeque ſequente Hæmorrhagiâ proficiſcitur. Interdum etiam æger, ex nimia cibi & potûs ante Inciſionem aſſumptione, in gravem Lipothymiam incidit, quod mihi aliquando accidit; cùm enim *anno* 1609. *die* 31. *Maji.* Paterniaci mulieri cuidam quadragenariæ, & tamen robuſtæ, crus alterum prope genu amputâſſem, & jam-jam circa ſiſtendum ſanguinem, & reponendum truncum occupatus eſſem, in tantam incidit Lipothymiam, ut omnes mortuam eam judicarent. Cùm itaque Uxor mea, quæ operationi quoque interfuit, illicò, & dum truncum obligarem, dimidiam circiter ſequentis aquæ cordialis partem ei exhibuiſſet, ac poſtea in lectum eam repoſuiſſet, tantus ſubſecutus eſt Vomitus, ut integram pelvim crudis ac indigeſtis cibis plenam ejecerit. Feliciter tamen convaluit, annosque plurimos ſupervixit. Dies aliquot poſt Operationem, cùm eam immoderatę iſtius ingluviei, præſcripto meo conſilio è diametro repugnantis, arguiſſem, reſpondit, viſum ſibi fuiſſe, ſe in poſterum cibis valedicturam, ſeque propterea ultima vice Ventrem plenè ſaturare voluiſſe. Potio verò Cordialis è ſequentibus erat compoſita;

R. Confect. Alkerm. ℈ij.
Aq. Cinamom. deſtill. ſine Vino, ℥j.
Calendulæ,
Bugloſſ. an. ℥ß.
Miſce.

Ex his patet, Lithotomos nonnullos perperam agere, ſi præcedente veſperâ, vel etiam proximâ ante Operationem aurorâ, cum ægro vino ſe ingurgitent: hinc enim in gravia ſymptomata & imbecillitates incidunt. Niſi vorax iſta mulier evomuiſſet, fortaſſis pleno ventre occubuiſſet. Quoniam enim natura, Operatione debilitata, eſculentorum ac potulentorum copiam digerere atque concoquere nequit, inflammationes internę, febris, & plurima alia ſequuntur Symptomata. Sufficit ergo, ſi ægro ante operationem, ſive Caſtrationem, ſive Lithotomiam, & ſimilia, juſculum, ovum ſorbile, & hauſtus Vini, nihilque pręterea ad aliquot poſt operationem horas exhibeatur. Hâc quoque ratione Lipothymias, aliaque difficilia ſymptomata, ex nimia aſſumptorum copia ortum ducentia, vitabimus. In Operatione tamen Vires ęgri ſubinde ſunt reficiendę, quem quidem in uſum conducunt juſcula, Aqua Cinamomi, aut Potio Cordialis prędicta, & alia, de quibus in ſuperioribus mentio facta fuit. Tempora itidem, frons, Nares, & Pulſus pręſcripto Epithemate illinendi ſunt.

Quandoquidem vehementiſſimus quoque dolor, Lithotomiæ comes, ſępe atque communiter Lipothymias producit, ideoque Chirurgus, quantum fieri poteſt, eum pręcaveat. Det igitur operam, ut manum intrepidam, non tremulam, nec timidam obtineat, ut Operationem, tametſi gravem ac doloroſam, promptè tamen expediat. Hunc quidem in finem neceſſe etiam eſt, ut Medicus de omnis generis inſtrumentis, non craſſis quidem & ineptis, ſed maximè ſubtiliter elaboratis atque politis ſibi proſpiciat: quę aquâ quidem calidâ calefacienda, & Ol. Amygdal. dulc. ut ſuo loco diximus, illinienda ſunt.

Illud pręterea ſilentio prætereundum non eſt, ægrum videlicet erecto, ut quidam in uſu habent, corpore collocandum non eſſe, quod quidem ad calculum eò meliùs ad collum Veſicæ protrudendum conducit: Lipothymiis verò anſam quoque prębet; Ægro enim ſuper dorſum decumbente, Viſcera interiora omnia meliùs quieſcere, ſpiritusque liberè hinc inde permeare, & Operationes ſuas perficere poſſunt, quàm ſi erecto corpore ſedeat. Hinc fit, quòd ii, quibus in lecto Vena ſecatur, non facilè in Lipothymiam incidant.

Elapſis aliquot annis, hîc Bernæ Nobili cuidam brachium dextrum prope axillam, ob infelicem Phlebotomię in cubito adminiſtratæ ſucceſſum, ac ſubſecutam Gangrænam, mihi amputandum fuit. Cùm itaque in ſellam collocati brachium diſponerem, & ad inciſionem commodè inſtituendam alligarem, ęger (è gravi quidem Morbo præcedente ſummoperè debilitatus) in tantam incidit Lipothymiam, ut mortem jam jam inſtare exiſtimaremus. Diſſectis itaque illicò omnibus ligaturis & faſciis, ægroque in terram proſtrato, poſtmodum ad ſe rediit. Quoniam verò operatio, ob vehementiam Gangręnæ ulteriùs ſine mortis periculo ſuſpendi non poterat, ideoque doctiſſimus & Experientiſſimus *Dn. D. Bartholomæus Dunus*, inclytę hujus Reipublicę ac ditionis Phyſicus ordinarius, Compater meus benevolentiſſimus, ſimulque & Ego, de tentanda rurſus ſequente die brachii amputatione convenimus: ubi lectum ita quidem adaptavi atque diſpoſui, ut totum corpus æqualiter, dorſoque incumbere potuerit, ſolumque brachium è latere extenſum, & convenienter alligatum fuerit; unde quidem tam feliciter ſucceſſit Operatio, ut leviſſimam quidem Lipothymiam ſenſerit, & ad hunc

uſque

Tab. II.



Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3
Fig. 4
Fig. 5
Fig. 2.
Fig. 9.
Fig. 7
Fig. 8
Fig. 8.
Fig. 11
Fig. 10.
Fig. 10.
Fig. 12.
Fig. 12.
A
B
C
D
E
F
G

uſque annum 1627. vivat. Carnem verò Cultro candente ad os uſque, ad hæmorrhagiam, ſpirituumque Vitalium diſſipationem præpediendam, diſſecui. Hac de re plura videat Lector *in libro de Gangræna, & Sphacelo.*

Hæmorrhagia quoque non poſtremum inter Cauſas Lipothymiæ, in hac & aliis Operationibus difficilibus, locum obtinet, quę quidem Chirurgo, quoad fieri poteſt, præcavenda, atque adeò inciſio nequaquam Apparatu parvo, ſed potiùs ſupra Inſtrumentum ſive Itinerarium inſtituenda eſt: Apparatu enim parvo, cùm digitis à Chirurgo in Anum immiſſis, Venę atque Muſculi Veſicę, & Inteſtini recti adeò comprimuntur, ut non unam, ſed aliquot Venas, ſępiſſimè etiam ipſas Venas Hęmorrhoidales, eo in loco pati, ac diſſecari neceſſe ſit. A quo expertus quidem Chirurgus diligenter, non ſolùm in Inciſione, ſed etiam inſtrumentorum immiſſione, Calculique extractione ſibi cavebit.

Hìc tandem, & Coronidis loco quęritur, quid agendum incumbat Chirurgo, ſi ęger in periculoſam gravemque Lipothymiam incideret, aut periculoſa aliqua Hæmorrhagia, antequam Calculos omnes eduxerit, ſuboriretur. Reſpondetur, ęgrum ſubitò deponendum, omnemque diligentiam & curam adhibendam eſſe, ut refocilletur, ac reſtauretur, periculoſus itidem ſanguinis fluxus ſupprimatur, atque impediatur; Etenim longè pręſtat, ut tota Operatio, & Lithotomię adminiſtratio, vel pars ipſius in craſtinum ſuſpendatur, tumque peragatur, quàm ſi ęgro inter manus ipſius Chirurgi occumbendum, aut ſaltem paulò poſt, ex nimio ſanguinis profluvio, moriendum eſſet. Quòd autem modus ac methodus hæc extrahendi Calculum, cum Arte congruat, & à celeberrimis Chirurgis adhibita fuerit, apud doctiſſimum & celeberrimum Virum, *Petrum Francum*, qui ante annos 70. ditionis Bernenſis, ſicuti etiam Civitatis Lauſannenſis Chirurgus & Lithotomus ordinarius fuit (Virum probum ac pium) videre eſt: qui non ſolùm vult, ut æger ingente Hęmorrhagiâ, ac Lipothymiâ ſupervenienté, deponatur, reſtauretur, ſymptomataque amoveantur, ac poſtmodum quod reliquum eſt, Operationis etiam dies aliquot pòſt peragatur; ſed etiam requirit, ut toti Operationi dies nonnulli deſtinentur: ita ut factâ primâ die Inciſione, æger in lectum reponatur, Calculus verò poſt aliquot demum dies extrahatur, omnia eum in finem, ut vires conſervari, & lethalia ſymptomata evitari queant. Utinam hiſce quoque temporibus ægrorum ſalus & incolumitas ſingulis Caſtratoribus, atque Lithotomis æquè, ac probo iſti Viro, curæ eſſet.

Cap. 21. *Quâ ratione æger poſt Operationem primò, atque ſecundò, & uſque ad perfectam ſanationem ſit obligandus.*

QUàm primùm Calculus, & alia, ut ſuprà dictum, è Veſica educta fuerint, tunc ęger neque Suturis, nec balneis ulteriùs ſuſpendendus, ut *poſtea cap. 23.* ulteriùs indicabitur, ſed ut mox in lectum, ad recuperandas ac refocillandas Vires, collocetur, proſpiciendum erit.

Chirurgus igitur Turundam, albumine ovi imbutam, & Pulvere ad ſanguinem ſiſtendum, ſuprà cap. 10. deſcripto conſperſam, in promptu habeat, Vulnerique ad Veſicam uſque imponat. Inferiorem verò ventrem ab Umbilico, lumbos itidem, Pudenda, & Coxas ſequente Oleo, priùs paululùm calefacto, optimè inungat;

R. Ol. Roſac.
Violar. an. ℥ij.
Amygdal. dulc.
Ovorum,
Butyr. recent. an. ℥j.
Miſce, ad uſum prædictum.

Peractis his omnibus, pulvillum mediocriter craſſum albumine ovi, aquâ roſ. atque Plantaginis conquaſſato, imbibat, Vulnerique imponat, & omnia diligenter obliget: quòd ſi tum Lipothymia ſupervenerit, ægro denuò cochleare unum aut alterum de præſcripta Aqua Cordiali exhibeat, Pulvillos Pulſibus applicatos renovet, ægrumque poſtmodum, per integræ vel dimidiæ horæ ſpatium, ad quietem placidè componat. Poſteà Juſculum cum hauſtu Emulſionis Amygdalar. dulc. exhibeat: vinum enim in hoc, & aliis ſimilibus affectibus neque intra neque extra corpus, donec nulla ampliùs ſuſpecta erunt ſymptomata, adhibendum eſt; niſi fortè maximæ imbecillitates, & Lipothymiæ, ad ipſius uſum nos impellerent. Atque hęc de prima Deligatione dicta ſint.

Secunda Deligatio hoc modo inſtituenda erit Lithotomo; Ubi inciſio manè facta, ęgroque Urina ſub veſperam minimè moleſta fuerit, denuò deligandum eſt Vulnus; ne ex Suppreſſione Urinę incommodum aut Symptoma aliquod in Veſica ſuperveniat; è regione quippe iſtius Turundæ, albumine ovi imbutę, & pręfato Pulvere conſperſæ, Urina non poteſt effluere. Vulnus itaque deligaturus Medicus, duplici Medicamenti genere eum inſtructum eſſe oportet.

Primò quidem Turundâ recente, albumine ovi madefactâ, & Pulvere ad ſiſtendum ſanguinem obductâ, ſicuti etiam Pulvillis præfatis, albumine Ovi, & aquâ roſac. &c. imbutis, ut ſi fortè novus ſanguinis fluxus ſuboriretur, omnia ad rem facientia in promptu habeat, neque impudentiæ accuſari queat. Hunc quidem ordinem in omnibus Operationibus, ac inciſionibus meis, tribus aut quatuor primis diebus, donec de ſuppreſſa hęmorrhagia planè certus ſum, obſervo mihique ſemper in mentem venit, quod Caſtratori cuidam celebri, *Andreæ Vitellio*, dicto, aliquando contigit, qui cùm *Comiti cuidam à Waldeck, Epiſcopo Oſnabrucenſi*, tumorem quendam è femore exſcidiſſet, nec Medicamentis ſanguinem ſiſtentibus, Cauteriiſque actualibus ſufficienter inſtructus eſſet, dum culinæ accurrens ferrum fortè aliquod prehendere, & ignire vellet, interea pius iſte Dominus expiravit.

Præter hoc, & alio inſuper Medicamento inſtructum eſſe Lithotomum oportet, quod, ſuppreſsâ Hęmorrhagiâ, ad ſedandum dolorem, ac promovendam Suppurationem, Digeſtivum videlicet, ſequente modo præparatum, adhibendum erit.

R. Cerę novæ ℥ ß.
Gumm. Elem. pinguiſſ.
Terebinth. claræ, an. ℥j.
Colophon. ℥ß.
Ol. Amygd. dulc.
De Vitellis ovorum, an. ℥j.

Terantur lentiſſimo igne, & percolentur, Colaturę admiſce Croci ſubtiliſſimè pulveriſati ℈ij. Hujus Unguenti accipe ℥j. cui admiſce Vitellum ovi unius, & Ol. roſac. q. ſ. ut formam liquidam acquirat.

Hoc Unguento Turunda, & omnia reliqua vulneri imponenda illinienda, ex reſiduo verò vitello ovi permixto Emplaſtrum, Vulneri applicandum, conficiendum erit. Poſtea venter, Lumbi, ſicuti etiam Pudenda & Inguina Oleis ſuprà pręſcriptis inunguntur.

gantur, Pulvillus itidem albumine ovi, cum aq. Roſac. & Plantaginis, nec non pauxillo acet. roſac. conquaſſato, madefiat, & parti affectæ applicetur; ita ut omnia probè loco patienti adhæreant, eodemque modo primo, ſecundo, ac tertio die, imò etiam diutius procedendum erit.

Turundæ hac quidem ratione abſque diſcrimine adhibendæ ſunt, ut nimirum ſtatim ab initio, quando nulla amplius verenda eſt Hęmorrhagia, *Cannula Argentea*, in parte anteriore aperta ac perforata, ut ex ſequente delineatione apparet, quo Urina ſine impedimento effluere poſſit, intrudatur. Quoniam verò Cannula iſta, ob duritiem ſuam, Vulnus aliquo modo premit, ægroque interdum dolores affert, ideoque illam obducere ſoleo Panno molli, quem ex ea parte, qua Cannulæ adhærere debet, Unguento ſuprà deſcripto (cui Vitellum ovi admixtum non eſt, ut tenaciter adhæreſcat, illino, eamque probè involutam, ita tamen ut pars anterior perforata, nuda, & aperta permaneat, Digeſtivo cum Vitello Ovi, & Ol. roſac. præparato, inungo, Vulnerique impono. Ut res clarior evadat, Cannularum aliquot delineationem ſubjicere lubuit. (*vid. Tab.* 11.*fig.* 2.)

Quidam volunt, ut Cannullæ iſtæ ex laminis plumbeis malleo diductis conficiantur, quæ magis etiam arrident; quoniam in Vulnere flecti, & ad ſitum ægri accommodari poſſunt. Harum verò Cannularum aliquot, veluti parvas, magnas, & mediocres, quarum aliæ curvæ, aliæ verò rectæ, & ad foramina usq; ut dictum, panno obductæ ſint, in promptu habendæ ſunt. Si verò æger Cannulas quoque illas, propter vehementiam doloris, tolerare non poſſet, tunc Turunda ex tenero mollique linteo, pannoq; convoluto, confecta, Cannularum loco vulneri imponatur. Vulnus verò, quotiescunque urina premet ægrum, deligandum erit, ita tamen ut illud, ſi fieri poteſt, bis tantùm in die, manè nimirum ac veſperi fiat. Quando enim toties deligatur Vulnus & Medicamenta mutantur, tunc neutrum Operationes ſuas, ut par eſt, poteſt exequi. Hæc verò Medicamenta, ac deligandi modus, per dies aliquot continuandus, intereaque, ut probè expurgetur Veſica, diligentia adhibenda. Urina denique, pus, & ſimilia (ne inferiori Ventri, & Coccygi noceant) Vaſculo hic delineato excipienda ſunt. (*vid. Tab.* 11. *fig.* 3.

A. A. Cavitatem hujus Vaſculi denotat, ejus quidem capacitatis ac magnitudinis, ut tertiam circiter menſuræ partem capere poſſit. Pars verò poſterior, lit. D. notata, obtuſa ac lata eſt, paulatimque in mucronem deſinit, ut eò commodiùs ægro ſubſterni, ac pars ſuperior, lit. C. ſignata, (altitudinis etiam unius digiti (ſub Vulnere cuti applicari, atque adeò Urina per foramen lit. B. notatum, in Vaſculum poſſit influere. D. eſt manubrium, quo Vaſculum intrudi, & rurſus extrahi poteſt. Si verò dolor, tumorve, aut calor aliquis p.n. ſuperveniret, tunc ſequens Cataplaſma Turundæ, quàm calidè quidem ferre poteſt æger, imponendum; & quamvis tumerent Inguina, ut plerumque accidit, nihilominus tamen calidè applicandum erit.

R. Farin. Hord.
 Fabar. an. ℥jß.
Sem. Fœnigræc. ʒij.
 Cydon. ʒj.
Pulv. Roſ. rub.
 Chamomill.
 Melilot. an. ʒiß.

Coquantur in lacte addendo butyr. recent. & Oleum amygd. dulc. an ℥j. Vitellos ovorum num. ij. Croci ℈j.
Miſce, f. Cataplaſma.

Inunctiones præterea Ventris, Lumborum, & Partium ſupra oommemoratarum, ut antea dictum fuit, continuandæ ſunt.

Poſtquam itaque Vulnus ſufficienter ad Suppurationem perductum, Caro itidem contuſa probè expurgata, ſanguis concretus hinc inde in partibus Vulneri adjacentibus diſſipatus, nihilque alienum ampliùs in Veſica contentum fuerit, tunc nulla ampliùs turunda, aut Cannula argentea imponenda, ſed omni ratione Natura ad ſanandum, & conſolidandum Vulnus, juvanda eſt. Quod ſi tunc Chirurgus Toletanum, aut aliud aliquod conveniens atque probatum Balſamum adhibere cupiat, penes ipſum erit. Ego Unguentum præſcriptum ex gummi Elemi, ſæpe ad finem Curationis usque, in hoc, & aliis ſimilibus Vulneribus contuſis, adhibui, eaque feliciter ad ſanationem perduxi: quoniam dolorem, non ſolùm ſanationem impedientem, ſed etiam multa alia ſymptomata producentem, lenit ac mitigat, partem itidem affectam aliquo modo expurgat atq. mundificat.

Quòd ſi verò neceſſitate urgente validius aliquod medicamentum adhibendum eſſet, ut ſi Vulnus propter Contuſionem admodum ſordidum, & putredinem concepturum ſit, tunc Mundificativum ſequens Vulneri imponi poterit.

R. Aloës Succotrin. ʒij.
 Myrrh. ʒj. ß.
 Rad. Gentian.
 Angelic.
 Ariſtoloch. rotund. an. ʒj.
 Scordii, ℈iiij.

Fiat omnium pulvis tenuiſſimus, cui admiſce Terebinth. ʒij. Mell. roſac. q. ſ. Miſce, fiat unguentum.

Si verò Gangræna aut Sphacelus, uti interdum contingit, in Scroto deprehenderetur, tunc Lector *Tractatum meum de Gangræna & Sphacelo* ea de re conſulere poterit.

Si porrò, propter Contuſionem & ſanguinem coagulatum, Calor aliquis p. n. ſuboriretur, tunc Medicamentum aliquod, ad calorem illum extinguendum, Gangrænamque atque putredinem arcendam, Syringâ injiciendum erit; v. g.

R. Rad. Ariſtoloch. rotund.
 Gentian. an. ʒij.
Fol. Plantag.
 Roſar.
 Scordii,
 Rutæ, an. p. j.
 Parietar. m. ß.

Coquantur in ℔iiij. aq. ad tertiæ partis conſumptionem. in ℔j. Colaturæ diſſolve Mell. roſac. ℥j.

Remotis tandem omnibus Sanationis impedimentis; tunc crura ægri ſupra mantili colligentur, & quando deligatur, Vulnus, ne nimium diducantur crura, proſpiciatur. Hoc Suturæ loco erit.

Hoc loco etiam Chirurgi atque Lithotomi nonnulli, Potionum Traumaticarum, ſeu Vulnerariarum internum uſum, non minus quàm externum, commendant, illudque pro ſummo ſecreto habent. Quoniam verò Calculoſi, propter doloris præcedentis diuturnitatem, inquietudines atque Vigilias, plerumque Valetudinarii, & malè habiti, interiora itidem Viſcera obſtructa, multisque pravis ac viſcoſis humoribus referta ſunt: quoniam etiam Experientia teſtatur, Potiones iſtas Vulnerarias in omnibus Obſtructionibus interiorum

interiorum Viſcerum nocere, uti in *Tractatu meo de Meliceria & Ichore Celſi*, demonſtrabitur; Idcircò ab eis abſtinere poſſumus, præſertim cùm alia Medicamenta externa optima, veluti Balſama, Unguenta, Emplaſtra, & ſimilia, Dei beneficio, in copia nobis ſuppetant. Quare non opus eſt, ægrum ejusmodi Potionibus multùm vexare, eaque ratione obſtructiones internas augere. Harum verò loco, omnibus modis ac rationibus, tam cibis, quàm Medicamentis, allaborandum eſt, ut Obſtructiones internæ reſerentur, & Natura (quæ in omnibus tam internorum, quàm externorum Affectuum Curationibus præcipuum ac ſaluberrimum balſamum, & potionem Vulnerariam ſuppeditat) omnibus modis corroboretur. Hac enim debilitata atque proſtrata, Curatio nulla conſtans à Medico ſperari poteſt. Quo modo autem Æger totò curationis decurſu, in Victu, & aliis ſe gerere debeat, *nono, ac vigeſimo tertio cap.* docetur, & indicatur.

Cap. 22. *Quomodo Lithotomia Veſica in Mulieribus inſtituenda ſit?*

QUamvis in Veſica Muliebri non facilè concreſcere poſſint Calculi, quoniam collum Veſicæ in ipſis breve, & præterea etiam adeò amplum eſt, ut phlegma, arenulæ, & quicquid inſuper materiam Calculo generando ſubminiſtrare poteſt, facilè cum Urina educatur: nihilominus tamen ſæpenumero Mulieres, in quibus magni reperti ſunt Calculi, vidi. Inprimis anno 1598. Viviaci, in oppido quodam ad lacum Lemanum ſito, in nobili atque honeſta quadam Matrona, cui Calculus ſequentis magnitudinis in Veſica concreverat: (*vid. Tab.* 11. *fig.* 4.) qua de re videat Lector *Cent.* 1. *Obſ.* 68.

Anno 1608. Friburgum Aventicorum ad honeſtam quandam Matronam vocatus fui, cui difficilis laborioſusque partus fœtûs mortui, dolorem ingentem in Veſica, & in collo Uteri poſt ſe reliquit. Cùm igitur Speculo Matricis collum Uteri aliquantulum dilataſſem, in ipſius fundo Calculum album deprehendi, quo quidem cùm tenacula prehenſo, plures alii ſecuti ſunt, qui pumices albos conquaſſatos referebant, in denſoq; craſſo ac viſcido limo invicem cohærebant. Huic Matronæ intra paucos dies innumeri Calculi, cum phlegmate è Veſica per collum Matricis educti fuerunt. Qua de re conſulat Lector *Cent.* 3. *Obſervat.* 69.

Ante annos aliquot, cùm Civitatis Paterniacenſis Phyſicus eſſem ordinarius, occurrit mihi honeſta quædam Matrona, cui Calculus in Veſica ſequentis magnitudinis atque figuræ ſuccreverat, (*vid. Tab.* 11. *fig.* 5.) qua ratione verò ipſum tractarim, *in eadem Centuria Obſerv.* 68. Lector videre poterit.

Anno 1622. cùm Nobiliſſ. atque Lectiſſima quædam Matrona hic Bernæ Retentione Urinæ, cum magno dolore, ac ſtranguria correpta fuiſſet, obſtetricesque vocaſſet, ſummam ad expellendum fœtum adhibuerunt illæ diligentiam, vocata pariter Uxor mea, cùm ei tam aſſumptis quàm admotis ſubveniſſet, Calculus ſatis magnus è Veſica prodiit, fœtumq; duos circiter adhuc menſes, ad terminum conſuetum geſtavit; unde quidem apparet, quàm neceſſarium ſit ut Obſtetrices, imò omnes illi, qui circa gravidas occupantur, difficultatem Urinæ ac partûs internoſcere ſciant. Horum Exemplorum plurima in medium afferre poſſem; quoniam verò nemo adeò ignarus eſt, ut Calculos etiam in Mulieribus, ſi non tam facilè ac tam frequenter, interdum tamen etiam in ipſarum Renibus atque Veſica generari poſſe dubitet: ideoque his acquieſcam, & quanam ratione Lithotomia inſtituenda ſit, declarare pergam.

Quicquid igitur *cap.* 1. de Præparatione ægrorum maſculorum dictum, propoſitumq. fuit, idem & de fœminis obſervandum erit. Similiter etiam Chirurgus eadem, quæ cap. 2. tradita fuerunt, præcepta, æq; in Mulieribus ac in Viris obſervabit. Inprimis verò ipſum de Calculo omnino certum eſſe oportet: quod utroq; quidem modò ſuprà commemorato, digito nimirum ac inſtrumento, explorare poterit.

In Mulieribus Calculi exploratio cum digito inſtituitur, hoc modo; Ut Lithotomus manûs dextræ indicem in collum Matricis intrudat, quo ſurſùm verſus os pubis incurvato, Ventreque ſupra os Pubis ſiniſtra manu compreſſo, duritiem Calculi digito percipiet. In Puellis verò, præſertim junioribus, exploratio hæcce cum digito per collum Matricis abſque vi atque diſcrimine fieri non poteſt, ſed per Anum, ſicuti in Viris, inſtituenda eſt. Hac verò exploratione acquieſcendum eſt, reperiuntur enim etiam tumores duri in Veſica Muliebri, qui Urinam ſupprimunt, & eadem ferè, quæ Calculus, ſymptomata excitant. Tumque Exploratio cum inſtrumento facta tutiſſima atque certiſſima eſt, digitus tamen etiam magnitudinem Calculi indigitat.

Lithotomiam verò per ſe quod attinet, non parum variat: quoniam enim collum Veſicæ in Mulieribus breve, rectum, & amplum eſt, rarò facienda Inciſio, niſi Calculus magnus fuerit: tunc enim neceſſitas non habet legem, uti poſtea dicetur. Aliàs, quandoquidem collum Viris adeò dilatatur, & per illud etiam magni Calculi extrahi queant, quare non idem etiam in fœminis fieri poterit? Quoniam Veſicæ ipſarum collum admodum breve, rectum, & amplius, quàm in ipſis Viris exiſtit. Hoc præterea etiam in Lithotomia Mulierum notandum venit, eam, citra Sphincteris, vel ipſius etiam Veſicæ læſionem, vix adminiſtrari poſſe. Proptetea extremum iſtud remedium non facilè tentandum erit.

Extractio verò Calculi in Mulieribus hoc modo à Chirurgo inſtituenda eſt; Corpus ante Operationem convenienti victûs ratione præparabit, & quantùm opus eſt, purgabit, Venamque ſecabit. Præparatis præparandis, Balneisq; emollientibus, Sacculis, ac Oleis per dies aliquot, ſicuti etiam eâ ipſâ ante operationem aurorâ, à Muliere incidenda adhibitis, ſupra menſam aut ſcamnum collocanda; & pro re nata alliganda erit. Ubi quidem iterum admonitum velim Lithotomum, ne Thoracem, tam in Viris, quam Mulieribus liget, ſed liberum, ne impediatur Reſpiratio, permittat. Non abs re autem, eam pro re nata alligandam eſſe, adjicio: quandoquidem Mulieres adeò cordatæ atque magnanimes, ut Ligaturam admittere nollent, mihi occurrerunt, in quarum numerum etiam referenda eſt prædicta Nobilis Matrona Viviacenſis, quæ nec ligari, nec manibus contineri voluit, & tamen in tota Operatione ne buccas quidem corpusve commovit.

Anno 1618. honeſtiſſimæ juxta & lectiſſimæ cuidam Matronæ mammam ſiniſtram, ſicuti etiam ante annos aliquot honeſtæ cuidam Vetulæ, à Gravau, ad lacum Lemanum, crus amputavi: de quibus, & multis aliis Mulieribus, idem affirmare poſſem, bonaque fide

fide teſtari poſſum, Deum Opt. Max. maximè Mulieribus, imò etiam magis quàm ipſis Viris, gratiam, interdum etiam ineffabiles dolores atque pericula ſubeundi, nec ea abhorrendi, ſed magis audacter atque cordatè ferendi, quàm ipſis Viris, largiri.

Muliere itaque ad Inciſionem diſpoſita, & alligata, Chirurgus ſtylum ſuum exploratorium, ſeu Catheterem ad Calculum uſque in Veſicam immittat; Catheterem verò iſtum non uſque adeò incurvatum, & intortum, neque etiam tam longum, ut in Viris, ſed dimidia parte breviorem, & paulò craſſiorem, habita inprimis ægræ ratione, eſſe oportet. Supra hunc quidem Catheterem, Conductorem ſeu Semiſpeculum ad Calculum uſque intromittat Lithotomus, quo facto, tenaculam in parte anteriore non planè rotundam, ſed aliquo modo acuminatam, per Semiſpeculi cavitatem, donec Calculum inveniat, intrudat, tumque Semiſpeculum, ut manus utraque libera ſit, extrahat: poſtea indicem & medium, digitos ſiniſtræ manus in collum Matricis immittat, Calculumque ad Tenaculam adducat, & ut eum prehendere atque extrahere poſſit, omnem diligentiam adhibeat. Quod ſi prima vel ſecunda vice non ſuccederet, ita ut Calculus è latere ſaltem prehenſus, è tenacula elaberetur, tunc non minùs in fœminis, quàm in Viris, ab opere minimè deſiſtendum, verùm tenacula toties, donec prehenſus extractusque fuerit Calculus, immittenda erit. Hac etiam in parte Inſtrumentum meum, *Speculo-forceps* dictum, cujus alibi mentionem feci, multas ob cauſas (ut ibi declaratum fuit) admodum idoneum eſt; collum enim Matricis leviter ac paulatim, minoreque cum periculo dilatat, Calculum itidem non duobus tantùm, ſed quatuor in locis ſimul prehendit, ita ut neque in hanc neque in illam partem poſſit deflectere; præterea etiam Operator digitis ſuis, ne Calculus ex anteriore inſtrumenti parte elabatur, impedit. Ubi igitur Miniſter, qui dicti inſtrumenti torcular ſtringit ac moderatur, Calculum ſufficienter prehenſum eſſe animadvertit, tunc Lithotomus manu dextra inſtrumentum, cum Calculo, paulatim extrahat; ambobus verò digitis, in collum Matricis, aut anum immiſſis, Calculum ſequatur, eumque Inſtrumento foras propellat; ut ſuprà dictum fuit.

Educto itaque Calculo, Chirurgus tam in Mulieribus, quàm in Viris, Veſicam perquirat, & an quæ ſuperſint reliquię, exploret, de quo ſuprà diximus, nec opus ea idem hoc loco repetere. Mulier igitur poſtmodum in lectum deponenda, totuſque Venter ac lumbi Ol. roſac. Viol. Amygdal. & ſimilibus ſuprà commemoratis medicamentis inungendi erunt. Poſtea, ubi nulla ſuſpecta fuerit Hęmorrhagia, Turundam ſatis longam, ex linteo molli confectam, ac Digeſtivo illitam, in collum Matricis immittere conveniet. Pręterea etiam Peſſarium, è ſtuppis teneris, ſive goſſypio factum, & aqua ſequente imbutum, in collum Matricis intrudatur.

R. Aq. Plantag.
Roſar. an. ℥iij.
Meliſſ. Artemiſ. an. ℥j.
Sem. Cydon. ʒj.
Ovum, cum vitello, & albumine, num. j.

Conquaſſentur ac miſceantur: deinde Peſſario, ſicut etiam Pulvillo, aquâ illâ madefactis, Pudenda tota obducantur; reliquum verò, ut in Viris, peragatur.

Atque hæc breviter de Calculis, qui per collum Veſicę educi poſſunt, dicta ſufficiant. Qua verò ratione reliqui, qui propter magnitudinem ſuam ſine mortis periculo, per collum Veſicæ educi nequeunt, tractandi ſint, non parum ambigo. Ubi quidem omnino ſentio, longè conſultius eſſe, ut Chirurgus hac in parte cum Mulieribus eodem modo, ut ſuprà de Viris dictum fuit, procedat, ut eas videlicet peritis quoque Medicis, doctiſque Theologis commendet, iis quidem, ut doloris levamen, quantùm fieri poteſt, ipſis afferant, his verò, ut conſolationibus, piiſque ad patientiam atque conſtantiam adhortationibus eas erigant. Licebit tamen Chirurgo periculum facere, num forte Calculum in Veſica confringere, adeóque fruſtulatim extrahere poſſit. Scribunt *Marianus, Sanctus Barolitanus, Paræus & alii*, Collum Veſicæ, ille quidem è latere, hi verò in ipſo medio incidendum, Calculumque per Vulnus illud eximendum eſſe: quæ tamen Inciſio mihi, propter Sphyncterem Veſicæ, qui eo in loco vix intactus evaderet, admodum ſuſpecta eſt. Quod igitur antea dixi, repeto; quandoquidem in Viris collum Veſicæ, quod tamen anguſtius eſt, quàm in ipſis fœminis, eò uſque cum inſtrumento dilatandum eſt, donec Calculus educatur, quare idem etiam in fœminis, quarum collum Veſicæ capacius eſt, fieri non poterit?

Hîc objiciet aliquis, ac inquiet, tu-ne hanc Operationem à te ipſo adhibitam, rejicies? ut. *Cent.* I. *Obſerv.* 68. videre eſt. Cauſa, Lector benevole, eſt, quod Natura ipſa viam, & quanam ratione Operatio inſtituenda eſſet, mihi monſtravit; Calculus enim, ob acumen ſuum, Veſicam, collumque ipſius adeò eroſerat, ut in ipſo Matricis collo, per exiguum quoddam foramen, extremo digito, ſtyloque exploratorio deprehendi potuerit: propterea Vulnus iſtud Cultello incurvato, cujus figura ſequitur, ut tenaculam longam incurvatam, hîc pariter delineatam, (*vid. Tab.* 11. *fig.* 6.) immittere poſſem, dilatavi.

Hac quidem Tenacula Calculum corripui, atque ita prehendi, ut eum ſecunda prehenſione ſive conatu eduxerim, dictaque Mulier brevi convaluit, multos annos ſupervixit, ac liberos ſuos honeſtè educavit. Eadem eſt Mulieris iſtius Friburgenſis, cujus in principio hujus capitis mentionem feci, ratio: ubi quidem Natura etiam quid faciendum eſſet, indicavit.

Quandoquidem igitur ex ambobus iſtis Exemplis manifeſtum fit, Lithotomiam etiam in Mulieribus in hoc loco ſine periculo inſtitui poſſe, conſultius mihi videtur, ut collo Veſicæ parcamus. Hoc verò de iis Calculis, qui per collum Veſicæ, ob magnitudinem ſuam educi, ac propter duritiem confringi nequeunt, dictum volo. Uterque verò modus difficultates ſuas non ſpernendas annexas habet: ſi enim incidatur collum Veſicæ, verendum eſt, ne muſculus Veſicæ feriatur, neve ęger poſtea Urinam retinere nequeat: Si verò ſub collo Veſicæ fiat inciſio, tunc illud ipſum metuendum eſt, quandoquidem Veſicæ Vulnera difficulter ſanationem recipiunt. Quod ſi ex his duobus alterutrum mihi eligendum eſſet, poſtremum, præſertim in Mulieribus, collum Matricis amplum obtinentibus, tentarem. Quod enim etiam Vulnera Veſicæ ſanentur, plurima extant exempla, inter quę etiam collocanda eſt Mulier iſta Friburgenſis, cujus Vulnus perfectè ſanatum fuit, quæque Urinam, ut antea dum integra ſanitate frueretur, retinere potuit. Si autem hoc in Vulnere, ab acumine Calculi, humorumque malignorum affluxu ſuborto, accidit, quantò magis in Vulnere, ex inciſione recente orto, contingere poterit.

Hęc verò Inciſio hoc modo inſtituenda & adminiſtranda eſt; Corpore primò conveniente victus ratione, Purgatione,

Purgatione, & ſimilibus præparato, collocetur ligeturque ægra, ut ſuprà ſufficienter explicatum fuit, deinde ſtylus Conductorius, non rectus quidem, ſed aliquantulum incurvatus, atque intortus, ut ſequens figura indicat, (*vid. Tab.* 11. *fig.* 7.) in Veſicam ad Calculum usque intrudatur.

Idque in eum finem, ut Calculus è fundo Veſicæ ad collum ipſius attolli queat, alterque Miniſtrorum, prehenſo cum dicto Inſtrumento Calculo, ut è figura patet, Manubrium Inſtrumenti à ſe verſus os Pubis contorqueat; Hac ratione Calculus proximè ſub collo Veſicæ comparebit, ubi quidem Chirurgus inciſionem ſupra Calculum per Collum Matricis, donec Calculum attingat, faciet. Facta Inciſione, mox tenacula curva, ſuperiùs depicta, intruſa, Calculum prehendat & attrahat, Miniſter verò Inſtrumentum ſuum à ſe detorqueat, ut ita manus manum fricet. Novacula verò, qua Inciſio fit, ubique operta, pannoq; involuta, & nihil præter mucronem ipſius denudatum eſſe debet, ne in inciſione alicubi damnum inferat. Nec etiam attingendus eſt Muſculus Veſicæ. Tenaculam prætcrea non rectam, ſed ſurſum incurvatam eſſe oportet, ut è figura ſuperiore apparet. Si verò etiam cum Hamulo periculum facere lubuerit, quemadmodum in Viris fieri ſolet, illud non improbo. Extracto tandem Calculo, tunc in ſiſtendo ſanguine, leniendo dolore, & reliquis, eo modo procedendum erit, ut ſuprà aliquoties indicatum fuit.

Quoniam verò Vulnera iſta propter partium iſtarum ſubſtantiam valde nervoſam, parumque carnoſam, doloroſa ſunt, nec facilè, ſanationem recipiunt, propterea in gratiam Lectoris, curandi methodum cum medicamentis, in Cura Mulieris Friburgenſis, in principio hujus capitis commemoratæ, adhibitis, huc inſerere lubuit. Ac primò quidem cùm dolore vehemente afficeretur, ſubinde ipſi de die parum de ſequente Medicamento in Veſicam, ejusque collum injeci.

R. Sem. Cydon.
Fœnigræc. an. ℥j.

His groſſo modo contuſis affunde menſ. ß. aquæ, in qua hordeum ad crepaturam incoxerit, ſeminibusque prædictis per horam in ea infuſis, coletur, & Colaturæ adde Ol. Amygdalar. dulc. ℥ij. Mell. roſat. ℥j.

Quod ſi fortè in hac cura dolor aliquis p. n. ſupervenerit, Chirurgus hoc Medicamentum prædicto modo adhibere poterit. Quoniam etiam Alvus in ea non reſpondebat, ideò frequenter Clyſteres adhibui: qui parati fuerunt ex juſculi, in quo primo caput Vituli, deinde etiam manipulus Lumbricor. terreſtr. incoxerant, ℥x. Vitell. Ovorum num. ij. Ol. Anethin. Chamomelin an. ℥j. Qui clyſter non ſolùm alvum emollit, ſed etiam dolorem lenit ac mitigat. Propterea Mulieribus incidendis toties quoties conſtipatio alvi, doloresvè in corpore moleſti fuerint, injiciendus eſt.

Ad ſedandum verò dolorem, ex herbis ſeqq. q. ſ. Sacculos confeci, eósque in aqua decoctos calidè Perinæo, atque Pudendis applicui.

R. Rad. Altheæ, ℥j.
Flor. Chamomill.
Fol. Malvæ,
Violar. an. m. j.
Sem. Cydon.
Fœnigræc. an ʒij.
Aniſ.
Fœnic. an. ʒj.

Incidantur & contundantur groſſo modo, ad uſum prædictum.

Si verò poſt Operationem Hæmorrhagia ſuperveniret, tunc neque hæc, neque alia fomenta calida, donec ſuppreſſa fuerit, adhibenda ſunt. Ventrem, ungenda, & Coxas ſequente Unguento, ſive Oleis inungere juſſi.

R. Ol. Amygd. dulc.
Ovor.
Axung. human. an. ℥. ß.
Ol. Lumbric.
Aneth. an. ℥j.

Lumbi, & os Sacrum ſequentibus Oleis inungenda ſunt.

R. Ol. Roſac.
Nymphææ
Violar. an. ℥j.
Camph. ℈j.

Cum pauco albuminis ovi, & acet. roſac. miſceantur, in mortario plumbeo, & agitentur, ad formam Linimenti.

Poſt cœnam, ſicuti etiam matutino tempore de emulſione ſequente hauſtulum ei exhibui, quam quidem Chirurgus in omnibus, qui ardorem Urinæ percipiunt, præterea etiam debiles & imbecilles ſunt, cum fructu adhibere poterit.

R. Amygd. dulc.
Sem. papaver. alb.
4. frig. major. an. ʒij.

Omnia contundantur, & cum aqua ſeq. per pannum trajiciantur.

R. Priſanæ,
Aq. Nymphææ,
Roſac. an. ℥ij.
Cinamom. deſtill. ſine vino,
Borrag.
Bugloſſ. an. ℥j.
Sacch. opt. ℥j. ß. Miſce.

Ex horum medicamentorum uſu dolor brevi remiſit, multique Calculi per collum Matricis prodierunt.

Interdum etiam ſequente Potione eam purgavi.

R. Agrimon.
Veronic.
Cuſcut. an. m. ß.
Flor. Borrag. Bugloſſ.
Violar. an. p. j.
Liquirit. ℥. ß.
Sem. Aniſ.
Fol. Senn. an. ʒij.

Decoquantur in aqua, ut Colatura redeat ad ℥ij. in qua diſſolve.

Electuar. Diaphœnic. cum Rhab. ʒij.
Syr. violar. ſolut. ℥j.
Miſce, capiat in aurora.

Sæpe etiam parum Ol. amygdalar. dulc. cum ſacch. in juſculo carnis mane exhibui.

Dolore itaque medicamentis præſcriptis ſedato, per dies aliquot continuos Decoctum ſequens in Veſicam, collumque Matricis injeci.

R. Rad. Conſolid. major. ℥j.
Hordei, m. j.
Veronic.
Scordii,
Alchymill.
Sanicul. an. m. j.

Decoquantur in aquæ menſ. j. ad tertiæ partis conſumptionem, in Colatura diſſolve Mell. roſac. ℥ij.

Quoties Medicamentum illud in Veſicam injeci, toties per collum Matricis denuò effluxit, ſemper verò phlegma cum arenulis ſecum eduxit. Præterea etiam per longum temporis ſpatium Urinam retinere non potuit, à qua tamen moleſtia, Dei beneficio, rurſus liberata fuit, ut jam jam dicturus ſum. Veſica igitur comme-

moratis injectionibus repurgata, Turundam craſſam, digiti longitudinis, ex mollibus ſtuppis, & goſſypio contortam. & aqua ſequente imbutam, in collum Matricis, quàm profundè quidem potuit, immiſit.

℞. Aq. Plantag. ℥iiij.
Sem. Cydon. groſſo modo contuſi, ʒ. ß.

Miſceantur, & per dimidiam horam ad cineres macerentur: mucilago extracta trajiciatur per pannum, addendo; C. C. uſti,
Lap. Calaminar.
Tutiæ, an. ʒ. ß.
Rad. Conſolid. major. ſubtiliſſimè pulveriſ. ʒij.

Turundam hanc aliquandiu adhibuit: interea etiam præſcriptam Purgationem aliquoties reiteravi, convenientem Victûs rationem obſervare, eamque ab omnibus, quæ Urinam acriorem reddere poſſunt, tam in cibo, quàm potu, abſtinere juſſi. Præterea etiam (quoniam interiora ipſius Viſcera ab Obſtructionibus erant libera) interdum potionem Vulnerariam, atque Syr. ex herbis Traumaticis præparatam, ſumpſit. Hac ratione profluvium Urinæ per collum Veſicę remiſit, tandemque rurſus per collum Veſicæ naturaliter effluxit, multoſque annos ſalva & incolumis ſupervixit, donec tandem ex peſte extincta fuit. Ad hanc verò Curam non exiguum temporis ſpatium requiritur: nec certus interea eſt Chirurgus, utrùm perfectè Vulnus coaleſcere poſſit, an verò remanſura ſit fiſtula, Urinaque per eandem effluxura. Propterea pium atque induſtrium quemvis Lithotomum iterùm atque iterùm quàm humaniſſimè admonitum velim, ne hac in parte quicquam temerè & inconſideratè ſuſcipiat, & Operationem hancce non niſi deploratis omnibus aliis remediis, inſtituat.

Cap. 23. *De horrendis ac perniciofis quibuſdam erroribus, qui ante Operationem, in ipſa Operatione, & poſt Operationem, à multis Vulgaribus Lithotomis committuntur.*

HUc uſque de præcipuis rebus, quæ Lithotomo ante Operationem, ſicuti etiam in ipſa Operatione ac Cura, perpendenda incumbunt, dictum fuit. Clarioris autem luminis atque doctrinę gratiâ, tyronibus Lithotomiæ, craſſos inſuper atque pernicioſos quoſdam errores atque abuſus, multis, prôh dolor! qui Artem hanc profitentur, & magnificè de ſemetipſis ſentiunt, admodum familiares, coronidis loco huc inſerere, eoſque refellere lubuit: qui omni quidem humanitate, nec eo tamen fine, ac ſi quenquam in Arte ſuâ vituperare, aut eludere cuperem faciam, nihil minùs, ſed potiùs ut imperitos inſtituam, & ægros afflictos ab infortunio vindicem.

Primus autem ac pręcipuus, qui in Lithotomia, Caſtratione, & aliis Operationibus difficilibus, à vulgaribus Lithotomis committitur, error ſive abuſus eſt, quando ægro diebus Lithotomiam proximè pręcedentibus, nec non toto Curationis decurſu, liberum vitæ genus concedunt, nec ullum in victu, & aliis ſimilibus ordinem præſcribunt: imò nec corporis quidem pręparationem ac purgationem præmittunt, ſed ægros, ut ipſis offeruntur, incidunt. Ubi igitur Corpus cacochymicum, ut aliter fieri non poteſt, aut Plethoricum fuerit, tunc omnia ad locum affectum affluunt; unde poſtea dolor, tumores, inflammationes, ſpasmus, & nonnunquam Mors ipſa ſubſequitur. Chirurgus igitur difficiles iſtas Operationes, non niſi præmiſſâ ſufficiente corporis Purgatione, inſtituat.

Hic rurſus nonnulli ſæpenumerò graviter hallucinantur, exiſtimantes ſe rem acu tetigiſſe, ubi ægros ante Inciſionem *Antimonio*, *Mercurio vitæ*, & aliis ſimilibus vehementibus Medicamentis purgaverint, cùm tamen per Mineralia iſta violenta vires internæ, ac humidum radicale, cum calore nativo adeò debilitentur, & opprimantur; ut ſæpenumerò reſtitui nequeant: quòd ſi tunc Inciſio inſtituatur, viresque, ob dolorem ac hęmorrhagiam, de novo debilitentur, ęger plerumque ſuccumbit. Quicunque Chirurgus igitur non tantùm in Theoria, ſeu fundamentis Artis verſatus eſt, ut ægrorum Naturam ac Conſtitutionem, Vires, humorum prędominium, & evacuandi modum dignoſcere nequeat, ille peritum aliquem Medicum, ut multi ſolent, & ſibi adjungere non erubeſcat. Ab hoc enim diſcere, & præterea etiam laudem atque honorem reportare poterit, ægroque fata ſubeunte, Medicus iſte de diligentia ac fide ipſius teſtabitur, eumque excuſabit.

Porrò Lithotomi nonnulli ęgro, poſtremis tribus, vel pluribus ante Inciſionem diebus, manè ac veſperi plenum hauſtum Potionis, ex decocto rad. Reſtæ bovis, ſem. itidem Milii Solis, ac Saxifragę, Medicamentis Diureticis vehementioribus pręparato, exhibere ſolent: idque eum in finem faciunt, quòd exiſtiment, ſibique imaginentur, ſe Calculum hâc ratione vi ad collum Veſicæ propulſuros, ut eum poſt Inciſionem cum tenacula eò facilius prehendere queant. Quamvis autem hoc Medicamentum idoneum ac ſpecioſum eſſe videatur, non ſolùm tamen inutile, ſed etiam pernicioſum eſt. Inutile quidem, quoniam Medicamenta Diuretica, ubi per tot ambages atque circuitus, veluti è Ventriculo per Inteſtina, Venas Meſaraicas, Hepar, Venas emulgentes, Renes, ac Ureteres in Veſicam pervenerunt, viribus ſuis adeò ſpoliantur, ut ad Calculum ad collum Veſicæ protrudendum ſufficere nequeant. Pernicioſum verò eſt, quia Medicamenta Diuretica multos crudos, craſſos, ac noxios humores è Ventriculo, Inteſtinis, Venis Meſaraicis, Hepate, ac Renibus ſecum ad inferiorem Ventrem, inprimis verò ad Ureteres, atque Veſicam deducunt, qui poſt Inciſionem multa pernicioſa ac periculoſa ſymptomata, potiſſimùm verò dolores, Inflammationes, Gangręnam, Spaſmum, ac Mortem producunt. Unde etiam periti Chirurgi Calculoſis, inprimis verò proximè ante inciſionem, nullas violentas, ſed tantùm benignas potiones purgantes exhibere ſolent. Quòd ſi Medicamenta per Alvum purgantia, ſimul etiam per Ureteres evacuare poſſunt, quantò magis medicamenta illa, quæ propriè ac electivè, imò totius ſubſtantię proprietate vires ac facultates Urinam movendi obtinent, idem præſtabunt? Pius igitur & induſtrius quivis Lithotomus ab ejuſmodi Medicamentis Diureticis abſtineat. Si verò Calculum deſcendere velimus, tunc æger è balneo egreſſus, ut antea dictum fuit, & jam-jam incidendus, parumper per Cubiculum deambulet, & ſi fieri poſſit, ſaltet. Infans verò ſi fuerit, ſub brachiis pręhendatur, parumque concutiatur, atque ita Calculus per ſe, propter molem ſuam, longè faciliùs ad collum Veſicæ decumbet, quàm aliàs medicamentis Diureticis depelli poſſet. Hi igitur omnium craſſiſſimi errores, qui ante Inciſionem committuntur, exiſtunt; ſequuntur alii non leviores.

Caſtratores & Lithotomi nonnulli Vulnus unâ aut alterâ Suturâ, ut quàm citiſſimè coaleſcere poſſit, adducendum eſſe exiſtimant. An verò ſuturæ iſtæ utiles ac neceſſariæ ſint, facilè inquiri poteſt. Eas autem

autem non utiles, ſed potiùs pernicioſas eſſe, hinc patet: primò quia neque Turunda ut par eſt immitti, neque ſanguis in Veſica collectus, multaque pernicioſa ſypmtomata excitans, ſiſti poteſt. Deinde, cuivis notum eſt, poſt extractionem Calculi multas res p. n. veluti arenulas, phlegma, ſanguinem concretum, ac pus in Veſica remanere. Conſuto igitur Vulnere, quomodo quæſo ſordes iſtæ effluere poterunt? Retentæ verò in Veſica neceſſariò putreſcunt & corrumpuntur, unde dolor ingens, Inflammatio, tumores, Apoſtemata, Spaſmus, & alia lethalia ſymptomata ſubſequuntur. Tertiò, ponamus, neque ſanguinem concretum, neque arenulas, adeſſe, notum tamen eſt, ad Veſicæ, à longo temporis ſpatio à Calculo exulceratę, debilitatę, ac proinde etiam quotidie craſſum viſcidumque phlegma, uti in Calculoſis obſervamus, generantis expurgationem, tempus & otium requiri. Hoc verò per Vulnus fieri neceſſe eſt: quoniam enim meatus Urinarius longus exiſtit, anfractusque atque ambages ſuas obtinet, ideoque per illum, præſertim cùm facultas expultrix eo tempore admodum debilis & imbecillis ſit, evacuari non poteſt. Humore igitur illo viſcoſo in Veſica retento, quomodo perfecta ſanatio ſperari poterit? An non denuò novus Calculus concreſcet ac generabitur, aut aliud aliquod pernicioſum ſymptoma ſuperveniet? Ita ſanè abſque omni dubio. Idem quoque ſæpenumero obſervamus in externis Apoſtematis, imò etiam in Vulneribus recentibus, non ſufficienter mundificatis, & ante tempus cicatrice obductis: tunc enim pus in fundo generatur, atque colligitur, & de novo gravia ſymptomata producit. Ante annos aliquot Lauſannę honeſto cuidam Civi, Vulnus in muſculo bicipite, non ſufficienter turundis apertum retentum, & prę maturà Cicatrice obductum fuit, hinc materia purulenta in fundo Muſculi collecta, Venam quandam ibidem putrefecit, unde diutiùs, quàm ab initio quartę ſeptimanę, poſt inflictum Vulnus, tanta ſubſecuta eſt Hęmorrhagia, ut vitam cum morte permutârit. Quartò, languenti ęgro renovantur dolores; Vulnere enim intumeſcente, ęgrove crura movente, Suturę iſtæ incidunt atque diſtendunt labia, ęgrumque ſine intervallo excruciant. Pręterea etiam, contra Chirurgorum expertorum methodum, Contuſorum Vulnerum Sutura inſtituitur. Et hac quidem ratione Sutura iſta non utilis, ſed pernicioſa erit. Eaſdem verò Suturas ſuperfluas, & minimè neceſſarias eſſe, ſapiens quivis, perſpectâ loci affecti conſtitutione, facilè cognoſcere poterit, ubi quidem experietur, quòd colligatis ambobus Cruribus, ut ſuo loco dictum fuit, non aliter coaleſcat Vulnus, quàm ſi conſutum fuiſſet. Sic igitur Suturæ iſtæ nec utiles, nec neceſſariæ ſunt. Hoc item teſtatur Excellentiſſimus Chirurgus, *Petrus Francus, lib. de Herniis, c. 32.*

Abuſus verò Suturarum Vulnerum non novus, ſed à multis jam annis in uſu eſt, credoque *Theodoricum* primum ipſius autorem extitiſſe, ſicut *lib. 3. cap. 44.* Chirurgiæ ſuæ videre eſt. Nec mirum; illis quippe temporibus Artes liberales ad ſummam barbariem redactæ erant: præterea veriſimile non eſt, *Theodoricum*, tanquam Virum Eccleſiaſticum, & Epiſcopum Cervienſem, ipſummet manum adhibuiſſe: ſicuti ipſe in præfatione ſua fatur, ſe illa à quodam, quem *Hugonem de Luca* nominat, collegiſſe, nec diu tamen apud ipſum commoratum eſſe; ita ut non obſcurum ſit, ipſum materiam iſtam ex proprio cerebro, non autem ex ſua, vel *Hugonis* experientia adjeciſſe. Illud verò maximè mirandum, quod etiam ipſe *Lancfrancus*, *Guido*, & alii celeberrimi Practici, Eccleſiaſticum illum, qui tamen non Practicus, ſed Theoreticus Chirurgus erat, in hoc pernicioſo abuſu atque errore, tanquam fideles Diſcipuli, ſecuti ſunt, nec animadverterunt, quàm multi ægri inciſi, per Suturas iſtas Vulnerum, naturæ debitum ſolverint. Quocirca pium quemvis Lithotomum humaniſſimè ab Abuſu illo dehortatum velim.

Multi præterea Caſtratores & Lithotomi ægrum ſtatim poſt Lithotomiam in Semicupium, cui herbas quidem appropriatas incoquunt, collocare ſolent, eumque per dimidię horulæ ſpatium, plus minusve, ei inſidere ſinunt, eum, ut opinantur, in finem, ut dolor leniatur, corpusque inter Inciſionem aliquantulum refrigeratum, denuò calefiat. Hoc verò balneo ſequentibus incommodis atque ſymptomatis anſam prębet.

Primò, in Balneo illo reſerantur vulneratę Venę, & Arterię, unde quidem tanta ſubſequitur Hęmorrhagia, ut ęgri ſummâ imbecillitate ac Lipothymiis opprimantur. Neque hęc leviſſima cauſa eſt, quòd multi ſtatim poſt Operationem ſuccumbant, aut aliàs ingente virium dejectione, morbisque chronicis ſubſequentibus multùm, antequàm moriuntur, langueant, quoniam per jacturam illam ſanguinis adeò proſtratę fuerunt Vires, ut reſtaurari nequeant. Idcirco monet cenſetque *Hippocrates*, ut in iis, qui ſanguinem emittunt, aut quibus ſanguinis fluxus ſuſpectus eſt, non calida, ſed frigida Medicamenta adhibeantur.

Deinde, ponamus nullam Hæmorrhagiam verendam eſſe, cuilibet tamen notum eſt, Corpus in Operatione, propter vehementiam doloris ac hæmorrhagię, perturbatum, omnesq; corporis Vires proſtratas fuiſſe, adeoque nullum pręſtantius remedium, ad refocillandas ęgri Vires quęrendum, quàm ipſam requiem. Cùm balneum inſuper multos Vapores ſurſum mittat, facilè periculoſa Lipothymia inde ſubſequi poſſet: uti ſuperioribus annis apud celebrem quendam Virum, poſt operationem obſervavi.

Tertiò, quandoquidem proprium caloris eſt attrahere, hinc etiam per uſum Balnei magna humorum pręternaturâlium copia ex ſuperiore corporis parte, pręſertim è lumbis, utpote qui jam-jam ob pręcendentem Operationem, commoti ſunt, quaſi vi deorſum trahuntur, tantoque interdum cum impetu ad Vulnus delabuntur, ut tumor ingens cum intemperie, & alia ſymptomata ſubſequantur: ex Balnei enim iſtius uſu Venę, atque meatus omnes in loco affecto adeò dilatantur, & lubrici redduntur, ut humores excrementitii omnes ad Vulnus confluant, ſanationemque impediant.

Sextò, Lithotomi quidam uſum Turundarum rejiciunt, Nervosque omnes ad Vulnus citò conſolidandum intendunt. Magna quidem illa, & præceptis Artis repugnans temeritas: non enim ſufficit, ut æger citò ſanetur, ac priſtinæ Sanitati reſtituatur, ſed idem etiam tutò, h. e. ſine periculo atque dolore fieri oportet: quâ autem ratione ſanatio illa tutò, & abſque periculo fieri poſſit, non video; niſi enim collum Veſicæ poſt Lithotomiam, beneficio Turundarum per dies aliquot apertum retineatur, & Veſica expurgetur, Arenulæ ac phlegma de novo retinentur, fitque miſeria poſtrema deterior primâ; propterea quòd Arenulæ ac phlegma calore & inflammatione Lithotomiæ ſuccedente, denuò coagulantur, & indurantur. Quando igitur res illæ in Veſica retentæ, veluti phlegma, ac ſanguis coagulatus, ventilatione carent, ſuffocantur, & inflammantur, unde facillimè Gangræna, tandemque, poſt acerbiſſimos dolores, Mors ipſa ſequitur: Propter Inflammationem enim Veſicæ, Urina pe

Uretere

Ureteres in Veſicam defluere non poteſt: unde inflammatio Renum, intemperies interna vehemens, Lipothymiæ, Spasmus, & ſimilia oriuntur. Caſtrationes nonnulli hoc quoque modo inſtituunt, ut ægros ſexto vel quarto die è lecto erigant, ſeque rem acu tetigiſſe exiſtiment, honorem ac famam hâc ratione ſibi comparaturi: quàm periculoſum verò ſit, & quàm gravem rationem aliquando coram Deo reddituri ſint, quicunque vel tantillo pollet judicio, facilè intelligit, quod etiam multis coràm proproſui.

Septimò, prætermittere non poſſum, quin Lectorem, ut ſibi ab exitioſo pernicioſoque abuſu, quem non poſtremus inter Chirurgos noſtris temporibus, in libro ſuo deſcriptum reliquit, caveat, hoc loco obiter admoneam. Vult autem & ſcribit, ſufficere, ſi Vulnus, poſt extractionem Calculi, linteo mundo operiatur, ſtatuitque Urinam Vulneri mederi, & ad ipſius ſanationem ſufficere; Imò, addit, ſi nulla alia ſupervenirent ſymptomata. Rectè quidem & optimè dictum, quomodo verò ſymptomatis, puta dolori, intumefactionibus, Inflammationibus, & ſimilibus, quibus ſingula Vulnera, præſertim cum magna aliqua Contuſione conjuncta, ut hoc, obnoxia ſunt, ſubvenire poteris? Quomodo itidem abſque convenientibus Medicamentis atque remediis, ſymptomata impedies? Quin potiùs, inquam Ego, mortis imminebit periculum: niſi enim Vulnus ab initio, beneficio Medicamentorum ac turundarum, apertum retineatur, intumeſcit, & ita coaleſcit, ut neque Urina, multò minùs humores viſcidi, pus, & ſanguis, quæ poſt Inciſionem in Veſica remanſerunt, emanare queant: unde quidem omnis generis prava ſymptomata, tandemque Mors ipſa ſubſequitur. Urinam quod attinet, quid, quæſo ſubſidii inde ſperari, aut quanam ratione illa medicamenti vices, ad demolienda ſymptomata, ſanandumque Vulnus, hac in parte ſupplere poterit? Quandoquidem eo tempore non abſoluti ac ſimplicis excrementi, ſed aliam inſuper naturam obtinet. Propter dolorem enim & inflammationem, non Veſicæ ſolùm, ac Vulneris, ſed etiam propter calorem p. n. atque febrilem Cordis, & totius Maſſæ ſanguineæ, imò & puris in Veſica, & circa Vulnus collecti, peculiarem facultatam corroſivam, pernicioſam & acrem aſciſcit; Ita ut liberè affirmare poſſim, Urinam retentam è præcipuarum Cauſarum omnium periculoſiorum, quæ Lithotomiæ ſupervenire poſſunt ſymptomatum, numero exiſtere. Chirurgus igitur omnibus mediis ac rationibus impediat, ne urina retineatur, ſed liberè fluat. Hoc verò Cannulis atque Turundis, ut ſuo loco dictum, optimè, & citra inſignem moleſtiam, conſequi poterit.

Octavò, alius inſuper nec levis quidem Abuſus ab Empiricis quibuſdam committitur, qui non ſolum Turundarum in Vulneribus uſum rejiciunt, ſed etiam Veſicam Potionibus ſuis Vulnerariis ab omni phlegmate, arenulis, & ſimilibus expurgare, Vulnusque perfectè ſanare ſatagunt. Gravis error & abuſus ille, quo multi vitâ ſuâ privantur. Potiones enim Vulnerarias ad Veſicam usque pertingere, ibidemque aliquid boni præſtare poſſe, impoſſibile eſt; Cùm enim nec ipſa quidem Medicamenta Diuretica, ut *Galenus* & alii ſcribunt, & experientia quotidiana teſtatur, ſubtili ac penetrabili naturâ ac facultate prædita, vix ad Veſicam pervenire queant: quomodo, quæſo, Potiones Traumaticæ quæ exſiccant & aſtringunt, eò pervenire, Veſicamque expurgare atque ſanare poterunt? quin potiùs Meſenterium, Hepar aliaque interna Viſcera, ac Venas, *ut cap.* 21. dictum fuit, obſtruent, multaque prava ſymptomata, uti doctiſſimus *Joh. Matthæus*, *difficultat. Med. quæſt.* 30. teſtatur, excitabunt.

Nonò, inter ſingularia ac ſumma remedia nonnulli referunt, ſi ſtatim poſt Operationem Pulvillus, vino calido imbutus, applicetur, nec illud in prima ſolùm deligatione, ſed per totum etiam Curationis decurſum nihil aliud adhibent, ut celebris quidam Lithotomus non ita pridem ad me ſcripſit, de eoque ſententiam atque opinionem meam expetivit. Reſpondi autem, in his & aliis Vulneribus contuſis, ſtatim ab initio ejusmodi medicamenta requiri; Primò, ad ſanguinem ſiſtendum, ſecundò, ad dolorem ſedandum; Ad Suppurationem promovendam: ad humores alienos è corpore affluentes repellendos; Vinum verò ſanguinem minimè ſiſtere, hinc patet, quòd ejusmodi Medicamenta frigida & ſicca eſſe oporteat, cùm tamen Vinum naturâ calidum, & prçterea etiam acre ſit. Nec etiam dolorem lenire, multò minùs Suppurationem Vulneris promovere poteſt; Quandoquidem partem affectam calefacit, ac propter acrimoniam ſuam Vulnus vellicat, atque dolorem excitat. Medicamenta igitur Anodyna & Suppurantia, naturç calidç, & humidç, omnisq; acrimoniç expertia eſſe oportet. Quintò tandem, humores p. n. è corpore affluentes non reprimet, multò minùs repellet, cùm calidum ſit, Medicamenta verò Repellentia frigida eſſe oporteat.

Cap. 24. *De Symptomatis, eaque demoliendi modo.*

HActenus præcipuç partes ac capita: quç cuivis fideli & induſtrio Lithotomo, quantùm quidem ad inſtituendam Operationem requiritur, cognoſcenda ſunt, propoſita & explicata fuerunt. Quoniam verò nonnunquam gravi periculoſeq; Operationi huic, innumera pernicioſa ſymptomata, & affectus p. n. Curationem interdum totam invertentes, & immutantes, ſuperveniunt, qui ſçpe doctiſſimis quibusvis Medicis imponunt; Ideoque ſumma Lithotomo adhibenda eſt diligentia, ut æger expertum aliquem nanciſci poſſit Medicum, qui naturam ac conſtitutionem ipſius probè perſpectam habeat, & ad eam non ſolùm Victûs rationem, humorumq; excrementitiorum è corpore evacuationem dirigat, ſed eò etiam animum intendat, ut ſymptomata demoliatur & corrigat, atque depellat. Quod quidem Chirurgo apud honeſtos & peritos quosvis homines honorem ac laudem conciliabit. Et ſi fortè ſucceſſus voto non reſponderet, tunc Medicus Chirurgi diligentiam Propinquis commendare, famamque ipſius defendere atque tueri poterit. Hunc quidem ordinem in omnibus difficilibus ac periculoſis Operationibus, quantùm potui, non ſine fructu obſervavi. Quoniam verò Medici prçſentiam interdum denegari non ignoro; Ideòque perito atque induſtrio Chirurgo ſequentia diligenter obſervanda erunt.

Primò, ut toto Curationis tempore, tam aliquot ante Inciſionem diebus, quàm in ipſa Cura, & aliquandiu pòſt proſpiciat, ne æger in Victûs ratione peccet, inprimis verò ut omnia, quçcunque corpus, humores, ac ſanguinem calefacere & incendere poſſunt, evitet. Nihil proptetea aliud, quàm Juſcula, cremotem hordei, & avenç decorticatç (quç quidem hac in parte, ſicuti etiam in Caſtrationibus maximè commendantur) aſſumat. A Vino çgri iſti planè abſtineant, ejusq; loco Ptiſanam, & Emulſiones Amygdal. dulcium adhibeant; Uti initio fuſiùs indicatum fuit, nec opus eſt, ea hoc loco repetere.

Secundò in avertendis Symptomatis cavendum eſt, ne alvus conſtipetur, ſed ſingulis diebus naturaliter fluat: retentis enim & induratis in corpore alvi excrementis, Veſicam, Inteſtinum rectum, aliaſque in Operatione contuſas

contuſas & exulceratas partes comprimunt. Ad purgandum tamen non niſi Medicamenta lenia, veluti Manna, ſyrup. roſat. ſolut. vel Syr. de Cychor. cum Rhab. exhibenda ſunt: quantum enim damnum ex uſu Catharcticorum Medicamentorum ad ægrum redundare queat, antea dictum fuit. Optimum verò & convenientiſſimum remedium in iſtis ægris, ad alvum ſolutam ſervandam, ſequens Clyſter erit;

R. Rad. Althææ, ℥j.
Fol. Althææ,
Malvæ,
Mercurial.
Parietar. an. m. j.
Chamomill.
Melilot. an. m. ß.
Sem. Lini,
Fœnigræc. an. ℥. ß.
Aniſ.
Aneth. an. ʒj.

Decoquantur omnia in aquæ menſ. ij. ad conſumptionem tertiæ partis, hujus decocti pro adulto accipe ℥x. Butyr. recent. Ol. Aneth. an. ℥j. Vitell. ovorum num. ij. Sacch. rubr. ℥ij. Miſce, & fiat Clyſter.

Suppoſitoria hìc non facilè adhibenda, quandoquidem acredine atque duritie ſuâ Anum, qui in Operatione non parum irritatur, & conſequenter etiam collum Veſicæ comprimunt, & exulcerant. Tempeſtate verò aëris frigidâ ſuppoſitoria parva ex butyr. recent. parari, in aqua frigida ſervari, ægroque, quoties opus erit, applicari poterunt: alvum enim leniunt & emolliunt, doloremque mitigant. Æſtivo quoque tempore herbæ emollientes Carnibus adjiciendæ & incoquendæ ſunt. Inprimis verò rem facit Cichorium, Endivia, Spinachia, ac folia Rhab. Monachorum, ſicuti etiam Mercurialis, quæ duæ poſtremæ inprimis Alvum aliquo modo laxant & emolliunt.

Tertiò, ad avertenda Symptomata, ad conſtitutionem ægri quàm diligentiſſimè reſpiciendum erit: ſi enim æger juvenis, robuſtus, atque plethoricus fuerit, nec nimiam in operatione ſanguinis copiam profuderit, tum ſecundo, aut tertio poſt inciſionem die, tutò Vena in brachio dextro ei ſecari, & habitâ ratione Virium, ſanguis emitti poterit. Hæc quidem Phlebotomia calorem internum, febrem, inflammationem, tumores, ſpaſmum, dolorem, & ſimilia avertit, & impedit.

Quartò, ſingulis diebus bis, aut quoties deligatur æger, ipſius Venter ab Umbilico ad Pudenda usque, ſicuti etiam Lumbi & Os ſacrum, Ol. roſac. vel Myrtill. inungenda erunt, vel præparetur Linimentum tale;

R. Unguenti roſac. ℥j. ß.
Butyr. rec. in aq. roſac. loti,
Ol. Violar.
Nymphææ, an. ℥j.
Mucilag. Sem. Cydon. aq. roſac. extract. ʒ. ß.
Camph. aceto diſſolut. ʒj.

Miſce in mortario, ad formam Linimenti.

Si verò dolor aliquis p.n. Ventris, aut prope Vulnus ſuperveniret, tunc rurſus Olea primò adhibita, veluti Ol. amygdal. dulc. de Vitell. Ovorum, & ſimilia reiteranda eſſent. Quibus etiam parum Ol. Lumbric. ad impediendum Spaſmum admiſceri, eoque Os ſacrum inungi poſſet. Atq; hęc in genere, & breviter de Symptomatis, eorundemq; Pręcautione dicta ſunto; de iis enim omnibus prolixè agere, hujus loci non eſt, neque etiam Provincia illa Herniario aut Lithotomo, ſed perito alicui Medico, eum in finem vocato, incumbit.

Cap. 25. *De Retentione Calculi in Vreteribus.*

IN prȩcedente capite in genere de Symptomatis Lithotomiam inſequentibus actum fuit, quoniam verò duo inſuper non levia Symptomata, Calculoſis familiaria, occurrunt; ideoque ea, Chirurgos inſtituendi, docendi, & exhortandi gratiâ, in duobus inprimis ſequentibus capitibus perſtringere volui.

Primum verò ac periculoſiſſimum, quod calculoſis accidere poteſt, Symptoma eſt, quando Calculus in Ureteres decumbens, iisque impactus inhȩrens graviſſimum dolorem, ob ſummam meatuum iſtorum anguſtiam, & ſenſum, producit: *ut cap. 5.* fuſiùs dictum fuit. Graviſſimum autem dolorem iſtum facilè inflammatio partis dolentis, nec non Mors ipſa, prȩſertim ſi æger, obſtructo utroque Uretere, Urinam emittere non poſſit, inſequitur: Hìc verò Lectorem celare nolo, interdum etiam Ureteres ex aliis quoque cauſis, quàm Calculo Renum, obſtrui: uti ex ſequente Exemplo apparet.

Anno 1595. die 8. Junii, obiit Colonię filius meus primogenitus, qui ad ſeptimum usque ætatis annum caput, Cervicem, imò univerſum corpus adeò mundum purumque obtinuit, ut nulla unquam Puſtula, multò minus furunculus, aut ſcabies in eo deprehendi potuerit: unde quidem ſæpe apud Amicos queritabundus dixi, ſubitaneum aliquem affectum tandem Puerum iſtum oppreſſurum & extincturum, quod etiam evenit: Cùm enim ſeptimo ętatis anno, per unum aut alterum diem Cephalæâ quâdam affectus eſſet, ſubſecutus eſt dolor lumborum, cum febre conjunctus, ſicuti etiam Retentio Urinę, ita ut ferè ne guttulam quidem excernere poſſet. Et quamvis honorandi atque doctiſſimi Viri, *Dn. Arnoldus Manlius*, *Dn. Joh. Kuenius*, *Bredenbachius*, *&c. Dn. Joh. Slotanus*, omnes tres Med. Doctores, ſummam adhibuiſſent diligentiam, Urina tamen ſecedere noluit, atque ita ſeptimo die Morbi obiit. Cadavere itaque, præſente *Dn. Slotano*, ab honorando *Dn. Ludovico Glandorffio*, experientiſſimo ac ſolertiſſimo Chirurgo, diſſecto, ingentem & inſignem Renum, ac partium circumjacentium inflammationem, in Gangrænam jam degeneratam, reperimus.

Hoc igitur ſolertibus quibusvis Matribus familiâs diligenter notandum erit, ne ſcabiei in Infantibus, quamcunque corporis partem occupet, niſi Oculos, Aures, Nares, & ſimilia corrumpat, Manus medicas adhibeant: quoniam enim Natura in hoc infante per ſcabiem corpus à vitioſis humoribus expurgare non potuit, hinc anno ſeptimo, veluti per expulſionem criticam, ſubitò è capite, Thorace, aliisque partibus ſupra lumbos decubuerunt, ibidemque Ureteres obſtruxerunt. Quamvis autem nullum aliud prȩter hoc unicum exemplum viderim, quòd Materia Scabiei Infantibus Ureteres obſtruxerit: Sæpe etiam affectus prȩternaturales plurimi, tam interni, quàm externi, infantibus curandi mihi occurrerunt, quibus vel natura ſcabiem non expulerat, vel etiam quaſi vi, & laceſſitâ Naturâ, ſanata fuit. Inde Infantes ſępenumero malignis & inſanabilibus Apoſtematis; Scrophulis, Ulceribus, fiſtulis, & ſimilibus, infectos videmus. Ut taceam incommoda, quę ſępe internis partibus nobilibus, Naturâ in tenellis Infantulis non repurgatâ aut in opere ſuo impeditâ, ſupervenerunt, De hoc quidem Matresfamiliâs, ſicuti etiam Chirurgię tyrones, quorum nonnulli infantes Unguento Enulat. ac Bernhardino cum Mercurio illinere non erubeſcunt, monendos eſſe judicavi. Ab eo verò pius quivis Medicus ſibi caveat, & ſi fortè, neceſſitate urgente, dolor ſcabiei infantibus leniendus ſit, butyrum

recens

recens per ſe; aut aquâ roſac. lotum ſufficiens erit, ſi eo ſcabies illinatur, vel etiam cremorem lactis, recens à lacte, ſeparatum admiſce.

Ut autem ad inſtitutum meum revertar, natura Ureteres à Renibus usque ad Veſicam, anguſtos admodum condidit, quoniam ei tantùm uſui deſtinati ſunt, ut Urinam, aliquando etiam materiam viſcidam ac purulentam è Renibus in Veſicam deferrent. Si verò eveniat (ut quidem calculoſis quibusdam accidit) ut crebri multique Calculi è Renibus in Veſicam per eosdem delabantur, tum ſucceſſu temporis dilatantur, ita ut interdum etiam (quod ipſe vidi) Calculi, magnitudine ipſa, aut fabas majores æquantes, Renibus in Veſicam delapſi fuerint: Id verò non absque ingente dolore, ob exquiſitiſſimum Vreterum ſenſum, contingit; prætereà etiam periculo non vacat. Si enim Calculus in Ureteres decumbat, eisque impactus inhæreat, dolor ingens, intumefactio interna, intemperies, febris, Inquietudo, ſæpe etiam delirium, Lipothymiæ, aliaque periculoſa ſymptomata ſequuntur. Adauctâ poſtmodum in parte affecta inflammatione, ac ſubſequente Grangrænâ & Sphacelo, tum demum de hominis iſtius vita actum erit.: quemadmodum anno 1623. menſe Junio, apud celebrem quendam Virum, in vicinia ſimile vidi. In hoc Viro, cùm Calculus Ureteribus impactus inhæſiſſet, nullisque remediis deturbari potuiſſet, tandem inflammato loco affecto, extinctus fuit. Poſt pium ipſius obitum, totum latus, ut in Gangræna accidere ſolet, fuſcum evaſit.

Calculus autem ideò in Ureteribus detinetur, quia videlicet acutus, aſper, inæqualis, & anguloſus, è contrà verò Ureter anguſtus ac parvus eſt. Quòd ſi prætereà etiam facultas expultrix, ob multiplicem dolorem, debilis ac imbecillis fuerit, tum Calculus propter acumen ſuum, nec non Ureterum anguſtiam, prodire non poteſt, ſed hæret: ſique tunc æger corpore pravis humoribus repleto, Diuretica validiora adhibuerit; magnam phlegmatis, vitioſorumque humorum copiam ad locum affectum deducet, adeoq; Oleum camino addet. Obſtructo alterutro tantùm Uretere, periculum longè minus, quàm ſi uterque obſtrueretur, erit: Natura enim Urinam ad alterum Renem, & per ejusdem Ureterem ad Veſicam deducit. Bonâ fide aſſerere poſſum, quod anno 1624. honorando ac prudentiſſimo Viro, *Dn. Joh. Wolffio, Civi Bernenſi*, Calculi aliquot in Uretere dextro ad tertiam usque ſeptimanam impacti inhæſerint: interea ingentem quidem in loco affecto patiebatur dolorem, reliqua verò ſymptomata non admodum moleſta erant: propterea quòd Urina per ureterem ſiniſtrum ad Veſicam, indeque per vias ordinarias profluere potuit. In hoc quidem Viro, quamdiu Caculus in Ureteribus detentus fuit, eodem modo, ut poſtea dicetur, Curationem inſtitui, paucaq; Medicamenta Diuretica, ne humores alienos è corpore ad locum affectum pellerem, adhibui. Tandem paulatim ad Veſicam delapſi, & citra moleſtiam per Virgam excreti fuerunt.

Obſtructo verò à retentis lapillis, arenulis, aut ſimilibus, utroque Uretere, angor & cruciatus maximus oboritur, ægerque, ut Excellentiſſimus Vir, *Dn. Ambroſ. Paræus lib.* 17. *cap.* 36. teſtatur, iisdem ſæpe doloribus, quibus ſubmerſi, opprimitur. Urina enim denuò ad Venam cavam regurgitat, ſpiritus Vitales ſuffocat, caloremque innatum extinguit. Ex tali quidem angore, Calculiq; in utroque uretere retentione, honeſtiſſima atque lectiſſima quædam Matrona Lauſannenſis, Hoſpita videlicet ad crucem albam, *la Flammande* dicta, ante 30. annos extincta fuit. Præterea etiam obſervatum fuit, idemque Pareus citato loco teſtatur, ægros aliquos in tantis anguſtiis urinam ſupernè per Vomitum reddidiſſe.

Doctiſſimus ac celeberrimus Vir, *Dn. Gregorius Horſtius*, inclytæ ac liberæ Reip. Imperialis Ulmenſis Phyſicus ordinarius ac Medicus, Dn. & Amicus meus benevolentiſſimus, ante annos aliquot Caſum hunc memorabilem ad me perſcripſit. Ante quadriennium circiter, ſcribit, Darmſtadii, Puerum quendam 12. annorum vidi, qui à juventute ſua quotidiè ad minimum ſemel aquam ſalſam, inſtar Urinæ equinæ, per Os evomuit. Cauſa hujus affectûs erat, quòd Puero iſti, nondum dimidium annum agenti, pudenda à Porco cutetenus demorſa fuerunt, Vulnusque ex negligentia Barbitonſoris omninò coaluit.

Legimus apud Excellentiſſimum Chirurgum Gallum *Batholomeum Cabrollium, Obſerv.* 20. oblatam ipſi fuiſſe nobilem quandam Puellam, cui collum Veſicæ à juventute omninò occluſum, è contrà verò Urina per Umbilicum, cum ſummo incommodo & moleſtia, excernenda fuit. Hæc quidem duo Exempla; quandoquidem notatu digniſſima ac nova ſunt, in gratiam Medici induſtrii huc inſerere lubuit, ex quibus apparet, quàm mirabiliter Deus Opt. Max. interdum, & in multis hominibus, per Miniſtram ſuam Naturam operetur, resq; planè mirabiles producat.

Cùmprimum autem unus aut alter Calculus Calculoſorum Ureteribus impactus fuerit, poſtmodum ægro conveniens Vivendi ratio præſcribatur: ab omnibus crudis & difficilis coctionis, ſanguinem itidem & humores adurentibus Cibis; veluti ſunt Aromata, & ſimilia, nec non etiam à vino, planè abſtineat, ejusq; loco emulſionibus Amygdalarum dulc. ex amygd. part. 2. & Sem. Cucurbitæ parte altera, paratis utatur: vel Potionem ſeq. conficiat.

R. Agrimon. Veronic. an. m. ß.
Liquirit. ℥j.

Incidantur ac decoquantur in aquæ menſ. ij. & Mellis cochl. j. per horam circiter dimidiam. De hoc decocto bibat æger ad libitum.

Poſtmodum etiam ſumat Clyſterem ſequentem, eumque quandiu poterit, contineat.

R. Rad. Malv.
Althex, añ. ℥j.
Fol. Altheæ,
Malv.
Violar.
Mercurial. añ. m. ß.
Parietar. m. j. ß.
Flor. Chamomill.
Melilot.
Sambuc. añ. m. ß.
Sem. Aniſ.
Lini,
Fœnicul.
Fœnigræc. añ ʒij.

Incidantur, & contundantur omnia, poſtea f. decoctio in ℔ iiij. aquæ fontan. ad conſumptionem tertiæ partis: in ℥x. hujus decocti colat. diſſolve,
Butyr. recent.
Ol. Lilior. alb.
Lumbricor. añ ℥j.
Vitell. Ovor. num. ij.
Salis, ʒij. Miſce, f. Enema.

Ejusmodi Clyſteres frequenter, vel ſaltem quotidiè ſemel adhibiti, ægro maximè conducerent. Meatus enim Urinarios internos emolliunt, ac lubricos reddunt, præſertim ſi diutiùs ab ægro contineri poſſint. Si verò in Inteſtinis detinerentur, tunc adhibito Suppoſitorio alvus ſtimuletur; Similiter etiam, niſi ſufficienter eos continere poſſit, momentum ſalis adjiciat.

Loco

Loco affecto Sacculo, ejus latitudinis ac longitudinis, ut totum latus cooperire queat, applicandus, & ex iisdem herbis, quæ pro Clyſtere præſcripta fuerunt, q. s. parandus erit: & niſi Calculus remediis iſtis cederet: tunc ex præfatis herbis Semicupium paretur, cui æger ad Umbilicum uſque inſideat. Præterea etiam ſubinde Cochl. j. Ol. Amygd. duc. cum pauxillo Syr. de Althea, atque decocto Agrimon. & Veronic. additâ Liquiritiâ, permixti propinetur, & ſi fieri poſſit proſpiciatur, ut corpus equitando, vel deambulando exerceat: ut per exercitium iſtud corporis Calculus eò faciliùs ad Veſicam delabi poſſit. Semicupium verò ita præparetur, ut æger pedes extra aquam contineat, ſic enim eò diutiùs in eo permanere poterit. Pharmacopolæ, imò etiam ipſi Calculoſi, in locis quibusdam peculiaria, & admodum idonea in hunc uſum ſedilia, cum pelvi quadam in promptu habent, quæ qui ſibi conficienda curare cupit, eorum figuram & uſum apud doctiſſimum & celeberrimum Virum, *Dn. Ambroſium Paræum, lib. 17. cap. 38.* reperiet. Deficiente verò ſedili iſto, ejus loco Cupa ejus latitudinis, ut æger ei commodè inſidere queat, altitudinis verò, ut Balneum Umbilicum ipſius attingat, accipiatur. Hæc quidem Cupa, in poſteriore parte aliquantulum in altum (ut dorſo ei incumbere poſſit) elevanda, in parte verò anteriore (ut crura foras propendere queant) incidenda vel excavanda eſt. In hanc æger, quàm commodè quidem fieri poterit, collocetur, balneum temperatum conſervetur, ægerque per mediocre temporis ſpatium in eo permaneat.

Ad Balneum verò herbæ in copia adhibeantur, ut illud eò efficacius efficiant. E Balneo in lectum calefactum, ne Venter refrigeretur, deponatur: Et ſtatim poſt egreſſum è Balneo, ſeq. Potiuncula ei exhibeatur.

R. Ol. Amygd. dulc.
Syr. de Althea Fernel. añ. ℥j.
Confect. Alkerm. ℈j.

Cum aquæ Parietar. & decocti pro potu ordinario præſcripti, an. part. æqualos f. Potiuncula, detur tepidè.

Ubi verò æger poſt egreſſum Balnei aliquantulum quieverit, totum latus, Venterque ad ſpinam dorſi usque, ſequente Linimento inungatur.

R. Ol. Lilior. alb.
Amygd. dulc.
Pingued. Anſeris,
Scorpion.
Lumbric. añ. ℥j.
Capon. añ. ℥ß. Miſce.

Corpore eo, quo dictum eſt, modo inuncto, Sacculus prædictus calidè applicari poterit: vel paretur ſequens cataplaſma, & calidè applicetur.

R. Farin. Tritici, Hordei, añ. ℥ij.
Pulv. rad. Altheæ,
Foli. Malvæ, Parietar. an. ℨij.
Sem. Lini, Fœnigræc. añ. ℨiij.

Coquantur cum decocto rad. & fol. Altheæ, & Parietar. fiatque Cataplaſma, addendo ſub finem.

Butyr. recent.
Ol. Lilior. alb. Lumbric. añ. ℥j.
Vitell. ovor. num. ij.
Croci, ℈j. applicetur calidè.

Balneum verò, Lumborum inunctio, Sacculi, & Cataplaſma toties, quoties neceſſitas dolorque requiret, reiteretur.

In hoc Caſu, ad Calculum videlicet è ſede ſua ad Veſicam depellendum, etiam conducit Vomitus: eo enim corporis motu ac concuſſione Calculus interdum in Veſicam delabitur. Niſi igitur ſponte ſuboriatur Vomitus, benignis Medicamentis provocandus erit. Hauſtus aquæ tepidæ, butyro recent. vel oleo Olivarum permixtæ, Vomitum ciet: præſertim ſi ſtatim poſt aſſumptum Vomitorium, digitus vel pluma oleo imbuta, ad Uvulam intrudatur: Vel,

R. Rad. Raphan. ℨij.
Menth. Hordei decorticat. an. p. j.

Coquantur omnia in aquæ ℔j.ß. ad conſumptionem dimidiæ partis: adde parum Olei, vel butyri recent. & ægro propina.

Aliud paulò efficacius.

R. Agaric. ℈ij.
Rad. Raphan. Aſari, an. ℨj.
Flor. Roris marin. p. j.

Coquantur in aqua, ut Colatura redeat ad ℥vj. In quibus diſſolve Syr. Acetoſ. ℥ij. Miſc.

Hac potiuncula, ægro tepidè exhibita, mone ut mox digito, ſive plumâ in collum immiſsâ, Vomitum proliciat.

Purgationes in ægris iſtis adhibendæ non ſunt: humoribus enim præternaturalibus excrementitiis, viſcoſis & ſimilibus è partibus ſuperioribus ad inteſtina propulſis, facilè etiam pars aliqua ad Renes & Ureteres delabi poteſt. Caſſiam nonnulli in Calculoſis commendant, & pro ſingulari experimento ad refrigerandos Renes ac lumbos extollunt; alii verò eam Urinam ciere, & acrem reddere, reipſa comperiunt, & experiuntur. Hac de re conſulere poterit Lector Doctiſſimum & Experientiſſimum Virum, *Petrum Pigray, lib. 7. cap. 4.* Item *Cent. 1. Epiſt mearum, Epiſt. 34. & 35.* Loco verò Purgationis, Clyſteres, quoties opus erit, adhiberi poterunt.

Quidam etiam in hac Retentione & interceptione Calculi in Ureteribus, Pulverem in Officinis, Lithontribon dictum, aliaque Medicamenta Diuretica vehementiora commendant, quæ tamen periculo non vacant: niſi paulo antè corpus ab omnibus vitioſis humoribus expurgetur; ſin minus, Medicamenta iſta Diuretica vehementia, ut ſæpius obſervavi, multos vitioſos humores è ſuperiore corporis parte ad Renes propellent: ita ut Calculus non ſolùm magis magiſque Ureteribus impingatur, ſed etiam Inflammationes internas, indeque mortem ipſam ſubſecutam eſſe, expertus ſim. Prudentiâ igitur hac in parte maximè opus eſt: ſi verò interdum Naturæ Medicamentis Diureticis ſubveniendum eſſet, tunc tertia pars ſem. Cucurbitæ Amygdalis addatur, quod non ſolùm Renes & Ureteres refrigerat atque lenit, ſed etiam Urinam aliquo modo ciet. Similiter etiam ægro interdum Hauſtulus aquæ Parietar. vel Petroſelini cum Syrupo de Althea Fernel. permixtæ, propinari poterit: vel Emulſioni Amygdal. dulc. parum prædictarum aquarum affunde, hinc Urinam magis minusve, prout multùm vel parum aquæ affuderis, promovebit.

Affectibus iſtis gravioribus plerumque etiam multa periculoſa Symptomata, veluti Intemperies interna calida, Lipothymiæ, Inquietudines, Vigiliæ, & ſimilia minimè negligenda, ſuperveniunt, ubi quidem requiritur, ut Chirurgus peritum aliquem Medicum in conſilium adhibeat, ne quid omittatur, ſed omnia cum ſumma prudentia maturoque conſilio ſuſcipiantur, ac peragantur. Nihil enim hîc temerè agendum, errorque ſemel commiſſus rarò ſarciri poteſt. Quod ſi igitur Intemperies aliqua interna vehemens, ac ſitis moleſta fuerit, tunc Venæ ſectio in brachio affecti lateris nihil nocebit, quatenus nimirum Vires eam perferre poſſunt. Phlebotomia quidem iſta Inflammationem internam, aliaque ſymptomata impediet: præterea etiam tam cibus quàm potus

potus ad corporis refrigerationem dirigantur. De quibus omnibus ſupra *cap. 9.* actum fuit. Alvus verò aſtricta ſi fuerit, præſcripto Clyſtere ægro ſuccurrendum erit. De avertendis Lipothymiis nonnunquam ob doloris vehementiam, inquietudines atque Vigilias, ſupervenientibus, conſulat Lector *c. 20.* Si verò prædictis remediis dolor non leniri, nec æger quieſcere poſſet, tum ſequentem ipſi propinabis Potiunculam.

R. Aq. Lactuc.
Parietar. an. ℥jß.
Syr. de Papaver. ℥j.
Althea Fernel. ℥ß.
Confect. Alkerm. ℈j. Miſce f. Potio.

Hanc Potiunculam exhibe ægro duabus horis poſt cœnam, ut ſuperdormiat. Sæpe in ægris meis, ſedato beneficio hujus Potiunculæ, aut aliis id genus Medicamentis, dolore, ſomnoque ſubſecuto, Naturam Calculum expuliſſe, obſervavi. De quo plura *cap. ſequente* dicentur.

Cap. 26. *De Retentione Calculi in Virga.*

Calculo, Dei beneficio, ex Ureteribus in Veſicam delapſo, illicò quidem ceſſat dolor, nondum tamen abſoluta eſt operatio: Calculus enim non rarò etiam in Urethra ac Virga detineri ſolet; ubi quidem Urinam retinet, graveſque dolores & angores producit. Minùs verò affert periculi, quàm ſi in Ureteribus detineretur; quandoquidem Urethra per Virgam tranſiens plerumque paulò amplior, quàm Ureteres, eſt. Addo autem *plerumque*: Calculoſos enim curandos habui, quibus meatus Urinarius per Virgam adeò anguſtus erat, ut Calculum abſque ingente moleſtia atque dolore emittere non potuerint: cùm tamen interea ſponte, & ſine ullo negotio è Renibus per Ureteres in Veſicam delapſi eſſent.

Anguſtia verò illa urethræ primò à Natura, ſeu prima conformatione & ortu oriri poteſt, quandoquidem Natura non ſemper in omnibus Subjectis & Individuis eundem tenorem ſervat. ſed aliquando membrum aliquod majus vel minus in hoc quàm in illo producit. Deinde ex Cauſis etiam accidentalibus ortum ſuum habere poteſt: ut ſi fortè urethra Calculoſi à Gonorrhœa Venerea, in juventute labefactata, aut Calculus eidem extractus fuit: tunc enim Cicatrix Meatum Urinarium eo in loco paulò anguſtiorem, quàm antea erat, reddit. Ætatis pręterea etiam ægri ratio habenda eſt: quemadmodum enim juvenes omnia membra, Venas atque meatus, molles, lubricos & amplos obtinent; ita etiam omnia exſiccantur & indureſcunt in Senibus, adeoque Vaſa Venę, ſicuti inprimis etiam meatus urinarii, perpetuo minores & anguſtiores evadunt: unde quidem urinam ſine difficultate atque moleſtia emittere nequeunt; quo etiam imbecillitas facultatis expultricis multùm facit. Quibus verò à multis annis multi ac crebri Calculi è Renibus per ureteres & urethram prodierunt, in iis meatus urinarii paulatim dilatantur, ita ut etiam adultiores facti calculos minore cum periculo excernant.

Ante 30. annos ad Nobiliſſimum quendam Virum ab *Hartzfeld*, *Dn. in Wildenberg*, veni, qui incredibilem Calculorum, è Renibus ſuis per Virgam ejectorum, numerum mihi monſtravit. Et quamvis Nobilis iſte tunc temporis Vir ſexagenarius eſſet, Calculos tamen inſtar piſorum ac fabarum grandiuſcularum, abſque ſingulari moleſtia, emittere potuit: propterea quod Meatus ipſius urinarius à longo tempore multitudine Calculorum, ab ipſo rejectorum, dilatati fuerant. Ego Calculum, inſtar calicis dactyli; in Muſæo meo reſervo, quem ſexagenario cuidam Viro, Dn. Johanni Merulæ, Verbi divini Miniſtro Paterniacenſi, citra inciſionem, non quidem abſque dolore, ſed ſine mortis periculo, è Virga eduxi: ſex enim annos ſupervixit, ſæpeque Calculos, abſque ſingulari moleſtia excrevit. Hoc autem poſito, Retentio tamen Calculi in Virga minimè tam periculoſa eſt; ut in Ureteribus; quoniam medicamentis & inſtrumentis melius ad Calculum penetrare poſſumus, quàm ſi retineretur in Ureteribus. Et quamvis omnia fruſtra adhiberentur, ad ultimum tamen remedium, h. e. ad inciſionem Virgæ, eo in loco, cui inhęret Calculus, confugere poſſumus: ut poſtea fuſius dicetur. Si igitur contingat, ut Calculus in Virga retineatur; tunc fideli atque induſtrio Chirurgo non illicò, ut interdum temerarii Circulatores, inprimis ad majorem operi ſuo ſplendorem conciliandum, mercedemque ampliorem reportandam, factitare ſolent, inciſio inſtituenda eſt: hoc, inquam, Rationalem atque fidelem Chirurgum non decet, ſed priùs omnia remedia, ad Calculum citra Inciſionem educendum, adhibenda ſunt: quibus omnibus fruſtra adhibitis, immotoque manente Calculo, è duobus malis minus eligendum, & ad inciſionem, tanquam ſacram anchoram, confugiendum erit.

Urethræ verò, quantùm fieri poteſt, ferro quod parcendum ſit, hinc ſit, quod ſemper in loco inciſo cicatrix dura, meatus urinarii dilatationem impediens, remanet. Quando igitur poſtea alii è Veſica excernendi ſunt Calculi, Virga verò ea ex parte, qua exſectus fuit Calculus, propter Cicatricem paulò durior & anguſtior facta fuit, tum Calculus denuo intercipitur, rurſuſque nova Inciſio, vel eodem vel proximo in loco inſtituenda eſt. Inde ſæpe fit, ut Vulnus illud tandem in fiſtulam degeneret, & conſolidari nequeat. Quantum verò incommodum id ægro afferat, prudenti cuivis judicandum relinquo: quandoquidem urina ſimul & ſemen per fiſtulam illam effluunt, qua quidem de cauſa ſemper Calculum citra Inciſionem educere ſtudui. Quoties igitur Chirurgus Calculum in Virgam prolapſurum ſuſpicabitur, utpote qui jam-jam ex ureteribus in veſicam decubuit, tunc illi, quantum fieri poterit, via ſternenda & aperienda erit: ita ut meatus urinarius virgæ inferior, mollis ac lubricus ſervetur. Cui quidem ſcopo inſerviunt Clyſteres, Sacculi, Linimenta, Cataplaſmata, ac Semicupia, *capite præcedente* deſcripta. Si verò tum demum, ubi Calculus jam in meatu urinario interceptus fuerit, ad ægrum vocareris, primò quidem & ſtatim convenientem Victus rationem ei pręſcribes, de quo quoniam *in 9. ſicuti etiam in ſuperiore capite* ſatis ſuperque actum fuit, ideoque ea hoc loco repetere non eſt opus. Poſtea Sacculum, ejus magnitudinis ut pudenda tota cooperiat, herbis emollientibus, ſuperiore capite deſcriptis, repletum, & in aqua, vel lacte recent. decoctum, calidè applicabis, locoque affecto parumper fomentato, Sacculum tolles, ac totam Pudendorum regionem, ac Virgam, ſicuti etiam inferiorem Ventrem, & Perinæum, Unguento *cap. præcedente* deſcripto inunges, poſtea Sacculum rurſus applicabis, & ne refrigeretur pars affecta, cavebis: frigus enim in affectibus iſtis valde nocet; Bini propterea Sacculi, ut refrigerato & ablato uno, alter calefactus præſto & in promptu ſit. Et ſi fortè Semicupio inſidere cuperet æger, quod in hoc quidem caſu maximè conducit, tunc ſtatim, poſtquam è balneo egreſſus, & linteis calefactis abſterſus fuerit, Virga, Pudenda, inferior Venter, ac Perinæum ipſius unguento prædicto calefacto inungenda, ac poſtmodum Sacculi denuo calide applicandi, atque ita donec accedat Calculus, continuandum erit. Dum autem Virgam inungit Chirurgus, eam manu altera leniter in altum verſus Umbilicum

attollat;

attollat: altera verò manu Calculum, quantùm fieri poteſt, furſum, & verſus glandem pellat, ſed videat, ne Calculum denuo in Veſicam repellat: quin potiùs omnibus modis ac rationibus meatum Urinarium, ad educendum Calculum, emolliet, ac lubricum reddet: quem quidem in finem ſufficientem herbarum, ſuperiore capite pro Clyſtere præſcriptarum, quantitatem accipio, eaſque cum lacte rec nt. & momento butyri recent. decoquo, & Colaturam in poculum, aut ollam infuſam, ægro, ut Virgam ſuam in eam ſuſpendat, ſub culcitram trado. Quamprimum autem Colatura iſta refrigeſcere cœperit, mutabitur, & alia præſtò erit.

His quidem inunctionibus ac balneationibus meatus Urinarius emollitur, & lubricus redditur, ita ut Calculus eò faciliùs expelli queat. Non parum etiam ad rem facit, ſi Ol. amygdal. dulc. cum Ol. ſcorpion. permixtum, Syringâ in Veſicam, uſque ad locum, cui Calculus impactus eſt, injiciatur: hæc enim Injectio duplicem uſum habet, quoniam meatus Urinarius non ſolùm Oleo emollitur, & lubricus redditur, ſed etiam ab inſpirato cum Syringa aëre ac ſpiritu, aliquo modo dilatatur: quod ſi tunc æger ſimul Urinam & Calculum expellere conetur, eò meliùs ſecedere poteſt Calculus. Quemadmodum ſæpius in ægris meis obſervavi, in primis verò Venerando, pio, ac prudentiſſimo Viro ſeptuagenario, *Dn. Antonio Vetzerin*, p. m. quem à ſex ſeptemve ante pium ipſius obitum annis, ſæpenumero in urinæ retentione, & Calculi interceptione in Ureteribus & Virga, Dei beneficio, feliciter curavi: ita ut nunquam ad Lithotomiam confugere coactus fuerim. Subinde tamen ac ſæpe, dolore ingraveſcente, Potiunculam, ſub finem ſuperioris Capitis deſcriptam, ei exhibui: quod non parum ipſi, ſicut & plurimis aliis ægris, profuit: ubi enim beneficio hujus Medicamenti doloris ſævitia ac vehementia ſedata fuerit, ægerque ſomnum & quietem aliquam capeſſere potuerit, Natura refocillatur & reſtauratur, viresque novas acquirit. Indè facultas expultrix corroboratur, reviviſcit, excitatur, & quæcunque Naturæ inimica ſunt, expellit:

Hoc ego Anno 1621. diligenter obſervavi, & expertus ſum Murati, in ſexagenario quodam non obſcuri nominis Dn. *Dn. Joh. Jacobo à Dieſbach*, cui in Retentione ac ſuppreſſione Urinæ, non neglectis interea balneis, Epithematis, Unguentis, Clyſteribus, & ſimilibus, fruſtra tamen adhibitis, tandem die quadam hora nona veſpertina, potiunculam præſcriptam exhibui: cùm autem nocte illa ſuperdormiviſſet, Urina ſoluta copioſè effluxit. Unde poſtmodum dolores, ardor internus, aliaque ſymptomata remiſerunt. Proſtratis verò mirum in modum Viribus, ad quintum vel ſextum diem ſequentem urinam retinere non potuit, priſtinam tamen Sanitatem, Dei beneficio recuperavit, & ad 7. uſque diem Januar. Anni currentis 1627. vixit.

Lithotomi quidam Miniſtrum, aut alium quempiam conſtituere ſolent, qui membrum virile ſugat, aut mulgeat, eaque ratione Calculum extrahere tentet. Præterquàm quod autem ſuctione iſta meatus urinarius dilatari nequit, ſed potiùs contrahitur, Calculuſque magis impeditur, niſi in anteriore Virgæ parte contineatur, quod nimirum ſuctione iſta magna humorum ac ſanguinis copia ad Virgam quaſi vi attrahatur, malumque deterius reddant. Præſtat igitur, remediis modò commemoratis, acquieſcere, In eorumque uſu, ne alvus conſtipetur, utque conveniens Victûs ratio inſtituatur, operam dare.

Calculo verò remediis iſtis non cedente, eum confringere tentabimus, quod interdum, præſertim ſi mollis fuerit, facilè fieri poteſt.

Ambroſ. Pareus, Excellentiſſimus & Experientiſſimus iſte Chirurgus, in hunc finem terebras torculatas, parvas, acutas, quarum figura ſequitur, (*vid. Tab.* 11. *fig.* 8.) adhibet: quas tamen p racutas, & minimè è chalybe, ſed tenui ferro fabricatas eſſe oportet: & ne meatus Urinarius lædatur, primò Cannula lit. A. notata, ad Calculum uſque intromittatur, tumque Chirurgus ſiniſtra manu Virgam, ea ex parte cui Calculus inhæret, prehendens, Calculum cum pollice & indice corripiat, poſtea prædicta Cannulla à Miniſtro leniter deorſum ad calculum uſque depreſſa, Chirurgus Terebellum lit. B. ſignatum, ad Calculum intrudat, & in orbem contorqueat, atque ita mucrones ipſius Calculum paulatim imminuent & confringent. Quo facto, Oleum amygd. dulc. & Scorpion. Virgæ injiciatur, Sacculorum itidem, & Linimentorum uſus eo uſque, donec Natura arenulas & lapillos confractos cum Urina expellat, continuetur. Cannulam quidem argenteam ſubtiliſſimam, terebram verò ferream eſſe oportet: chalybs enim facilè frangi, mucroneſque ſuos in meatum Urinarium deponere poſſet.

In hac verò terebratione ac fractione Chirurgus, ne meatum Urinarium lædat aut vulneret, ſummam diligentiam adhibeat. Si igitur ſequente Tenacula attingi poſſet Calculus, omnium quidem optimum tutiſſimumque foret, quandoquidem Calculus, forcipe iſta prehenſus, ſemel ac ſimul totus extrahi, adeoque æger, ſine ulteriore moleſtia, liberari poteſt. (*de hâc Tenaculâ. vid Tab.* 11. *fig.* 9.)

Hæc verò Tenacula è ferro tenui, ne roſtrum ipſius, mediocris pennæ, vel ſtyli exploratorii maximi, ſuprà delineati, craſſitudinem excedat.

In parte verò poſteriore è ferro valido & craſſo, ut roſtrum eò firmius prehendere, prehenſaque retinere queat, fabricetur. Exactè rotundam, levemque eam eſſe oportet; ſimiliter etiam prius Oleo amygd. dulc. aut butyr. recenti probè illinentur, & ne frigida, ſed aqua calida calefacta applicetur, cavendum erit.

Tenaculam igitur manu dextra, quam leniter quidem poteris, in Virgam ad Calculum uſque intromittito. Quod ut eò commodiùs exequi poſſis; ſiniſtro pollice & indice Virgam circa glandem prehendes: & in altum attrahes; Adductâ autem ad Calculum Tenaculâ, Miniſtro Virgam attollendam committes: tu verò pollice & indice ſiniſtro Calculum prehendes, diductâque aliquantulùm Tenaculâ, Calculum ambobus digitis verſus tenaculam, ut eum prehendere & extrahere poſſis, propelles. Extracto Calculo, Oleum amygd. dulc. vel lac recens calefactum in meatum Urinarium, ut ad naturalem ſuam lubricitatem reducatur, inſperges.

Si verò Calculus meatum Urinarium contriviſſet, exulceraſſet, adeoque Inflammationem aliquam excitaſſet, tunc loco Olei amygd. dulc. Collyrium ſequens inſpergatur.

℞. Aq. Plantag. Roſar. Fragar ãn. ℥ij.
ſem. Cydonior. contuſ. ℈ij.
Macerentur per horam in loco calido, poſtea fiat expreſſio, cui adde,
C. Cornu uſti & præparat.
Tutiæ præparat.
Plumbi ſquammoſ. loti, & præparat. ãn. ʒj.
Caphuræ ℈ ß. Miſce.

Hoc collyrium dolorem ſedat, Inflammationem reprimit, parteſque exulceratas conſolidat. *Tab.* 11. *fig.* 9.

Præter prædictam terebram Parei & tenaculam, adhuc duo alia inſtrumenta, ad extrahendum calculum è

virga in Muſæo meo habeo: quorum primum ex officina Chirurgica Clariſſimi Viri Dn. D. Joh. Andr. à Cruce in Latina editione pag. 51. in Italica verò pag. 33. depictum, & ab ipſo ASTA appellatum; ex parte mutuatus ſum, ex parte inquam, nonnulla enim in ipſo mutavi & correxi, uti Lector ex delineatione & deſcriptione videre poterit. (*vid. Tab.* 11. *fig.* 10.) Author eo quidem utitur ad extrahendos globulos plumbeos ex Vulneribus ſclopetorum, ego verò illud ita adaptavi, ut etiam ad extrahendos lapillos è virga quàm aptiſſimum ſit, modò ſint extra perinæum, balanum verſus: qui enim perinæo incluſi ſunt lapilli, inſtrumentum incurvatum requirunt.

Eſt autem ſtylus ferreus ex inferiori ſua parte tricuſpis, ex ſuperiori verò torcularis, cum ſua matrice, ut videre eſt A. B. cuſpides (quas à Cruce alas appellat) *C. C. C.* expanſæ. *B.* claviculus eſt, qui ſtylo torculari infigitur, & fiſſuris fiſtulæ *E. E.* notatæ, inſeritur, ne cuſpides, ſive alæ, in operatione, in ipſa fiſtula circumvolvantur.

F. fiſtula eſt argentea vel cuprea, ejus craſſitiei artificioſè fabricata, ut ductus urinarius illam admittere poſſit. Habeat fiſtula illa ex utraque parte fiſſuram, quo clavis D. notatus, ſurſum deorſumque verſus, duci poſſit. Superior pars fiſtulæ G. notata in formam pelviculæ fabricata eſt, ut in operatione oleo amygdalarum dulcium impleri, illudque per fiſtulam ad ductum urinarium, & calculum perfluere poſſit.

Hoc modo adaptata omnia, virga adjacenteſque partes, ſacculo ex radicibus Altheæ, liliorum alborum, floribus Chamomillæ, meliloti, fol. violarum, brancæ urſinæ, parietariæ, ſemine lini & fœnigræci per ſemihoram fovendæ ſunt. Poſtea virga & vicinæ partes, oleo amygdalarum dulcium aut liliorum alborum inungantur. Tandem inungendus quoque eſt ſtylus, A. notatus, uti & fiſtula F. G. Hæc ita peracta cum fuerint, intrude ſtylum per inferiorem partem fiſtulæ, ubi G. notata eſt, uſquedum cuſpides ſive alæ *C. C. C.* notatæ, non ampliùs appareant, tum matricem, ſive verticem B. B. notatum, ſtylo torculari A. ad pelviculam ferè uſque circumvolve. Sic adaptata fiſtula, & prædicto oleo inuncta eodemque oleo impleta pelvicula, clementer in virgam, ad calculum usque immittenda eſt. Tum ductum urinarium pollice ac indice tuo ſiniſtro ſub calculo prehende, parumque conſtringe, ne Calculus inſtrumento profundiùs perinæum verſus intrudatur; Ad calculum poſita fiſtula, F. notata, ſtylus paulatim intrudendus eſt, ut cuſpides, ſive alæ, parum extra fiſtulam promineant, tunc enim tricuſpis, ad inſtar ſpeculi matricis aperitur, & ductus urinarius dilatatur. Id quum pro magnitudine calculi factum fuerit, pollice ac indice tuo ſiniſtro calculum, inſtrumentum ſive ſpeculum tuum verſus, protrude, omnemque diligentiam adhibe, ut cuſpides ſive alæ ſpeculi calculum prehendere poſſint. Tum verticem, ſive matricem ſtyli, quantùm opus eſt, circumvolve, clementerque ſpeculum unà cum calculo extrahe.

Prædictum inſtrumentum Dn. à Cruce ASTAM appellat, ego ſpeculum cœcum. Speculum, quia ductum urinarium dilatat, aperitque. Cæcum verò, quia cuſpides ſive alæ, aut roſtra, in ipſa fiſtula occultantur. Eſt etiam ad extrahendos globulos plumbeos è vulneribus ſclopetorum, aptiſſimum ſpeculum hoc, dummodo cum vulnere & globulo proportionem habeat, hoc eſt, craſſum, magnum, validumque ſit: alioquin vulnus circa globulum dilatare ſufficiens non eſſet.

Videat autem Chirurgus, ut cuſpides, ſive roſtra ex optimo ferro, non ex chalybe, per aquam frigidam indurato, fabricata ſint, ne forſan in operatione apex roſtri alicujus abrumpatur, & in meatu urinario remaneat.

Alterum inſtrumentum, cujus delineatio quoque ſequitur, (*vid. Tab.* 11. *fig.* 11.) ante annos viginti circiter mihi à Dn. Daniele Epiſcopo, hujus Reip. Lithotomo Excellentiſſimo, communicatum fuit: qui etiam ſe eo cum ſucceſſu uſum fuiſſe, mihi aſſeruit, ego ejus periculum non feci. Conſtat autem ex duobus ſtylis ferreis, ita inter ſe junctis, ut clauſo inſtrumento unicus eſſe videatur. Eſt & ex una parte, ubi *A.* notatur, craſſus & ſpiſſus cum ſua flexura, ita accommodata, ut immiſſo roſtro B. notato in ductum urinarium ad calculum usque, beneficio torcularis C. ad inſtar tenaculæ, facilè aperiri, ac claudi poſſit, uti ex delineatione ſatis ſuperque apparet.

Supereſt & aliud medium, quo Calculus è Virga, minore cum periculo atque dolore, quàm per Inciſionem ac fractionem, cum terebello atque tenacula, meatu nimirum Urinario levi inflatione aliquantulum dilatato, educi poteſt. Ubi igitur Chirurgus Syringâ ſuâ Oleum amygdalar. dulc. ut antea dictum fuit, in Virgam ad Calculum usque injecerit, ita ut meatus Urinarius Oleo amygd. dulc repleatur, ægrum, ut Oleum ubique Calculum & Urethram humectet, emolliat, ac lubricam reddat, per dimidiam horulam quieſcere ſinat, ita tamen ut Virga Sacculo emolliente, antea deſcripto, involuta ſit.

Peractis his omnibus, Chirurgus Cannulam ſupra delineatam, & lit. A. notatam, in Urethram immittat, eaque ad Calculum uſque adducta, ſiniſtra manu Virgam juxta glandem prehendat, eamque firmiter admodum comprimat. Ubi igitur Urethra à ſpiritu leniter atque paulatim per Cannulam inflato mediocriter dilatata fuerit, tunc indice dextro Calculum leniter propellet. Quod ſi fortè prima aut ſecunda vice fieri non poſſet; nihilominus tamen non deſiſtet, ſed rurſus, cum moderatione tamen, ad evitandum dolorem, Cannulam ori admovebit. Quamobrem ad inflationem Urethræ revera non tibicen, Empiricus, imperitus Circulator, aut ebrioſus, ſed circumſpectus, & expertus Chirurgus adhibendus erit.

Cap. 27. *Qua ratione Calculus è Virga ſit exſcindendus?*

Quod ſi Calculus nullis remediis cedat, & expelli queat, adeoque ex diuturna Urinæ retentione alia gravia ac periculoſa Symptomata verenda eſſent: tum quidem Lithotomia, tanquam ultimum & extremum remedium adhibenda erit. Ubi quidem Chirurgus rurſus & inprimis Victûs rationem convenientem præſcribere non negliget. Deinde etiam locum ad inſtituendam Inciſionem maximè idoneum eliget.

Chirurgi nonnulli Inciſionem ſupra ipſum Calculum, hoc eſt, in inferiore Virgæ parte, & in medio Urethræ faciunt, quod tamen non probatur: quoniam enim Urethra eo in loco parum carnoſa eſt, ideoque Vulnus non facilè conſolidatur, ita ut interdum etiam fiſtulæ, ut ipſe obſervavi, ibidem remaneant.

Hac de cauſa è regione Urethræ, & in carnoſa Virgæ parte, Inciſio ſequente modo inſtituenda eſt.

Collocato ſupra dorſum ægro, ad dextram ipſius conſtitutus, pollice & indice ſiniſtræ manus Virgam prehende, ita tamen, ut manus tua oſſi Pubis incumbat, Virgaque ſupra indicem traducta propendeat, ac pollice fortiter verſus Ventrem deprimatur, Calculus verò ſuperiori indicis parti firmiter incumbat: poſtea inciſionem aliquantulum è regione Urethræ, ſecundùm Virgæ longitudinem, donec mucrone novaculæ Calculum attigeris, inſtitue. Quod ſi tunc Calculus (quoniam cutis in ſuperiore parte diſtenſa, indicem & Virgam, unà cum Calculo ſurſum pellit)

non erumpat per ſe, tunc inſtrumentorum ſequentium aliquo extrahendus erit. (*vid. Tab.* 11. *fig.* 12.)

Superveniente verò Hæmorrhagiâ, Chirurgus Turundam, albumine ovi imbutam, & pulvere ad ſiſtendum ſanguinem, cujus diſcriptionem c. 10. præmiſimus, conſperſam, in promptu habeat, Vulneri immittat, atque pulvillo itidem albumine ovi imbuto cooperiat, atq; faſciet.

In prima Deligatione Virgam, Ventrem, ac Inguina ægri Oleis, quorum deſcriptionem in limine cap. 21. reperiet, inungat: turundas verò & Emplaſtra Digeſtivo, eodem Capite deſcripto, illinat, atque ita ægrum ſingulis diebus bis deliget. Quòd ſi tandem quoque Balſamum, ad cicatricem Vulneri inducendam, inſpergere cupias, nihil nocebit. Si verò dolor, & humorum vitioſorum affluxus in Virga ſuperveniat, Cataplaſma ſequens calidè applicari poterit;

R. Farin. Hordei ℥ ij.
Pulv. Roſar. rubr.
Balauſt. an. ʒj.

Coquantur cum ſ. q. aquæ Parietariæ ad formam Cataplaſmatis, addendo ſub finem, Oxymelitis ſimpl. j. cum vitello unius Ovi.

Ne verò Urethra eo in loco, unde Calculus exſectus fuit, anguſtior reddatur, carove luxuriet, & in poſterum rurſus moleſtias faceſſat, idcirco neceſſe eſt, ut Chirurgus Candelam ceream, ſeu filum plumbeum, Unguento Diapompholigos, vel Emplaſtro de Ranis illitum, in Virgam intrudat, & quoties opus erit, renovet.

Cap. 28. *Quomodo illi, quibus Calculus, ob magnitudinem ſuam, aliisque de Cauſis extrahi nequit, tractandi ſint.*

QUandoquidem Calculum adeò magnum in Veſicâ generari contingit, ut citra mortis periculum extrahi nequeat: ideoque multò conſultius eſt, ut æger, quemadmodum *Avicenna & Lancfrancus* ſcribit, Excellentiſſimusque Medico-Chirurgus *Joh. Andr. à Cruce, lib.* 5. *tractat.* 3. *cap.* 3. *in Officina Chirurgica* etiam hortatur, non attingatur, h. e. Lithotomia in eo non inſtituatur: vel enim æger, inquit ille, morietur, vel fiſtula in loco affecto remanebit, unde reliquum vitæ ſpatium cum ſummâ miſeria traducet. Quoniam præterea ægri quidam adeò timidi ac puſillanimes ſunt, ut ex ſolo terrore ferè extinguantur, interea verò Chirurgum pium atque fidelem non decet, ut alibi quoque dictum fuit, cuiquam vitæ ſuæ filum abrumpere, ideoque neceſſitas requirit, ut hîc modum, quo ægri illi tractandi ſint, breviter ſubjiciam. Ad patientiam Chriſtianam atque conſtantiam eum adhortaberis, eiq; propones & indicabis, primam & originalem hujus, & omnium aliorum morborum, afflictionum, & ærumnarum, quibus homo in hac vita obnoxius, cauſam partim à nobis ipſis, partim etiam à *DEO* Parente noſtro Cœleſti, ortum ducere. Dixit enim Scriptura, nullum malum accidere in Civitate, quod Deus non faciat; quod tamen cum grano ſalis, & diſtinctione accipiendum eſt.

A nobis, nec non in nobis ipſis Spiritualis, ac præternaturalis, & quandoque etiam naturalis omnium ægritudinum cauſa exiſtit. Cauſa ſpiritualis ac *ſupernaturalis* eſt. Natura corrupta ab Adamo ad nos derivata; & quòd omnes in peccatis concepti ſumus, naſcimur, incrementum ſumimus, atque ſeneſcimus, imò quod tota Natura, Vita, & actiones noſtræ non niſi ad Peccata proclives ſunt, adeoque non temporalem ſolùm, ſed etiam æternam pœnam merentur. Cauſa morborum *Naturalis*, inconveniente, turpi, & immoderata vitæ ratione, per crapulam, & ſimilia, in nobis generatur, ut ſuo loco fuſiùs dicetur. Quod verò ſuprà aſſerui, Malum quod accidit in Civitate, à *DEO* proficiſci, à veritate quidem alienum non eſt, ad alium tamen finem dirigitur. Quoniam enim tanta eſt divina erga genus humanum miſericordia, ut *DEUS* ab initio Filium ſuum dilectiſſimum, tamquam ſacrificium propitiatorium, pro peccatis, ut homo ſalvari poſſet, morti conſecratit, nihil verò impuri, peccatiſve ac vitiis inquinati, de regno ſuo communicabit, atque particeps fiet: idcirco ægritudines, afflictiones atque calamitates eum nobis præſtant uſum, ut iis ad pœnitentiam ac reſipiſcentiam inducamur, ſimulque iis, ſicut aurum igne, purificemur. Quemadmodum igitur peritus aliquis artifex ferre non poteſt, ſi ineptus & imperitus aliquis famulus aurum ipſius ante tempus, & antequam ſufficienter purificatum ſit, è prunis extraheret, illudque ad inſtitutum ſuum ineptum redderet: ita etiam Deus, Cœleſtis pater noſter, non vult, ut vel æger ipſe, vel Medicus vitæ curſum, in maximis etiam doloribus, ærumnis, & calamitatibus contrahat, vel abrumpat, ſed impatientes illos ægros, qui Crucem cum Chriſto tollere, per multasque afflictiones in ipſius regnum ingredi recuſant & averſantur, puniet. Propterea æger ſubinde ſententiam *Prophetæ* animo volvat, & infixam habeat: Domine Iram tuam feram, quia peccavi; tu verò, mi Deus, fer mihi auxilium, intuere imbecillitatem meam, mihique in omnibus patientiam atq; conſtantiam largire.

Quòd ſi Deus ægris, qui ſæpe propter acerbiſſimos dolores ad impatientiam impelluntur, non parcet, quomodo igitur tractabit temerarios Circulatores, Circumforaneos, & hujus farinæ homines; qui quamvis ægrum ex Lithotomia moriturum prævideant, & agnoſcant; nihilominùs tamen adeò temerarii, imò potius adeò impii ſunt, ut turpis & inſatiabilis lucri cauſâ, rem tam vilipendant, & ex mera temeritate, quadrupedalibus verbis, maleque fundatis ac vanis pollicitationibus eum veluti faſcinent, & obcœcent, donec eum ad carnificinam adducant. Quomodo, inquam, tractabuntur? Gravis ratio ipſis coram Deo de actionibus ſuis reddenda erit, imò propria ipſorum Conſcientia eos coram tribunali divino accuſabit. Quocirca nullus honeſtus piuſque Chirurgus neque in hoc, neque in aliis periculoſis Operationibus, ubi æger aliàs cum affectu ſuo aliquandiu ſupervivere poſſet, unquam variis levibuſque promiſſis ad Lithotomiam ſubeundam ſe inducere conetur, neque etiam rem nimium extenuet, ſed exſpectet, donec æger, vel ejuſdem propinqui, inſtinctu proprio eum vocent atque ſollicitent, ne vitæ curſum datâ operâ, turpis lucri cauſâ, ei interrumpat.

Occurrente verò ejuſmodi affectu, ex quo ægro intra paucos dies moriendum eſt; ut eum conſervet, nervos intendat. E. g. cùm Anno 1614. Coperum, ad puerum quendam, cujus *Cent.* 4. *Obſerv.* 91. mentionem feci, ut ei femur ſupra genu reſecarem, vocatus atque ſollicitatus eſſem; Operationem illam quidem ſuſcepi, cùm viderem quòd puer ultra quinq; vel ſex dies ſupervivere non potuiſſet; Operatio verò ſpem aliquam mihi feciſſet, cui quidem Deus ita benedixit, ut in hunc annum 1626. uſque, fortaſſis hac ipſâ horâ, ſalvus & incolumis ſupervivat.

Alia verò eſt Calculi ratio; Æger enim eo affectus per multos annos eum circumferre, Deoque ac Patriæ ſuæ inſervire poteſt, ſicuti plurimos quidem vidi, qui in calamitoſo iſto ſtatu atque doloribus, ad provectam ætatem pervenerunt. Quoniam igitur Operatio hæc in Senioribus, & præſertim quando Calculus magnus eſt, duabus de Cauſis periculoſa exiſtit: primò, propterea quòd Natura ipſorum labaſcit, debiliſque & imbecillis eſt. Deinde quia Cutis, Muſculi, Venæ, & reliquæ, quæ in Operatione dilatari atque extendi deberent, partes, tum demum propter ſenium areſiunt, exſiccantur, omnique ſucco atque humore naturali deſtituuntur; Ideoque etiam multò difficiliùs Calculus, ex ipſis Senioribus videlicet, quàm è junioribus educi poteſt: *ſicuti* c. 10. pluribus indicatum & declaratum fuit. Quicunque igitur Operationi illi ſeſe ſubmittere reſpuunt, & Curam Palliativam deſiderant, ſequentia diligenter perpendant.

Primò, requiritur ut Calculoſi exquiſitiſſimam victûs rationem obſervent, & ab omnibus iis, quæ Calculum augere & grandiorem reddere poſſunt, abſtineant, ſibique caveant. Proinde omnes craſſos, crudos, viſcoſoſque cibos vitabunt, Aromata omnia, excepto Cinamomo, Macere, Croco, & nuce moſchatâ: ipſis nocent; iis enim Cauſa Efficiens Calculi augetur. Nocet præterea Vinum generoſum, immoderatum corporis exercitium, Ira; & uno verbo, omnia, quæcunque corpus calefaciunt, Calculoſis noxia ſunt: ut Lector cap. 9. fuſiùs videre poterit. Præterea etiam ab omni Vino calido & forti abſtinendum, pro potuque ordinario Vinum album annuum, nullâ tamen facultate aſtringente præditum, adhibendum erit. Qui verò Cerevisiâ uti coguntur, minimè recentem, ſed quæ optimè cocta ac depurata ſit, bibent: vel etiam Decoctum Agrimon. & Veronic. cum Liquirit. ut cap. 9. dictum fuit, ſibi parari curent, eoque utantur. Emulſiones Amygdalar. dulc. modo prædicto Capite deſcripto paratæ, Calculoſis etiam, præſertim doloribus urgentibus, optimè conducunt: ſuccis enim oleaginoſis Amygdalarum ac ſem. Cucurbitæ meatus Urinarii leniuntur, & lubrici redduntur. Raphani, Sinapi, Naſturtium aquatic. imò omnia Diuretica vehementiora, Calculoſis maximè pernicioſa ſunt: per illa enim Calculus ad collum Veſicæ propellitur, ubi acerbiſſimi dolores excitantur. Quin potiùs Calculus, è collo Veſicæ, quantùm fieri poteſt, retrorſum, ut poſtea dicetur, pellendus eſt.

Præterea etiam neceſſe eſt, ut æger interdum Medicamentum aliquod, quod Ventriculum, & interiora Viſcera corroboret, Concoctionemque adjuvet, aſſumat, eum præſertim in finem, ut natura vegetior atque robuſtior reddita, humores excrementitios eò meliùs conſumere, Calculique augmentum & incrementum impedire queat. Hìc commendatur Conſerva Roſar. Menthæ, Abſynth. Pont. Cortices Citri, & Arantior. ſem. Aniſ. & fœnic. & ſimilia, vel ſequens præparetur Tragea;

R. Specier. Aromat. roſat.
Diarrhodon. Abbat.
Cinamom. elect. & pulveriſ. an. ʒj.
Cort. Citr. ſicc.
Pellic. Ventriculor. gallinarum, an. ʒj. ß.
Sacch. roſat. ℥vj. Miſce, f. Tragea.

Aut, R. Conſerv. Roſar.
Menthæ,
Abſynth. Pontic.
Cort. Citr. condit. an. ℥j.
Pellicular. interior. Ventricul. gallinar. ſubtiliſſimè pulveriſ. ʒiij.
Confect. Alkerm. ʒij.
Margarit. præparat.
Corallor. præparat. an. ʒj.
Cum Syr. de Althea Fernel. q. s. f. Elect.

De hoc Electuario capiat æger manè jejuno Stomacho, & Veſperi ſub ingreſſum lecti, ſicuti etiam poſt prandium, quantitatem Nucis juglandis.

Et ſi fortè de imbecillitate Ventriculi conquereretur, tunc ſcrobiculus Cordis ac regiò Stomachi ſequente Linimento quotidie bis inungi poterit;

R. Ol. Menthæ,
Maſtich. an. ℥j.
Gumm. Tacamahac.
Elemi, an. ʒiij.

Terantur ſimul lentiſſimo igne, & colentur per pannum: poſtea admiſce Ol. nuc. moſchat. per expreſſionem facti, ʒij. Ol. garyophyll. ʒ. ß. Miſce, ſervetur in vaſe vitreo.

Sequens quoque Emplaſtrum regioni Ventriculi applicetur:

R. gumm. Tacamahac. elect.
Elemi pinguiſſ. an. ℥j.
Ol. Menthæ,
Cydonior. an. ℥ß.

Diſſolvantur omnia lentiſſimo igne, & percolentur; poſtea admiſce Ceræ novæ ℥jß.

Pulv. Maſtic.
Oliban. an. ʒiij.
Garyophyll.
Nuc. moſchat.
Roſar. rubrar. an. ʒj.

Miſce, fiatque Cerotum ſ. a. addendo Ol. Menthæ, q. ſ. In hac porrò Cura palliativa requiritur, ut æger interdum Hepar, Renes, & Meatus Urinarios paululum refrigeret, calorique præternaturali reſiſtat: quod quidem tam Internis quàm externis Medicamentis perficitur.

Inter Remedia interna Clyſteres Lenientes & Emollientes, nec non Purgantia Lenitiva primas tenent. Purgato enim per vices corpore, ſimulque reſeratis Viſcerum obſtructionibus, non niſi refrigeratio ac reſtauratio interiorum Viſcerum ſubſequi poteſt. In Purgantibus verò diligenter obſervandum eſt, ne nimis acria ac violenta ſint, ne alii humores excrementitii è ſuperioribus corporis partibus ad Renes atque Veſicam attrahantur; qua quidem in parte Manna, Syrup. roſat. ſolut. comp. de Cichor. cum Rhabarb. vel Syrupus Magiſtralis, cap. 9. deſcriptus, paginam omnem abſolvit. Quidam in Calculoſis commendant Caſſiam, unde quidem nonnulli non levem fructum percipiunt: induſtrium tamen Medicum admonitum velim, quod alii peſſimè ex ejus uſu ſeſe habuerint, malumque ſuum adauxerint. De quo Nobiliſſimus ac ſtrenuus Dn. *Zacharias Geizkofler à Geilenbach, &c.* in Epiſt. quadam, die 18. Martii, 1601. data conqueritur, quòd nimirum ſemper poſt uſum Caſſiæ, ardor Urinæ ipſi ſupervenerit.

Idem mihi anno 1610. cùm ipſi inter cæteros in Arce ſua Haunsheim Calculum excidiſſem, aliquoties coràm narravit, dicens, ſe nunquam Caſſiâ (quam tamen ſæpiſſimè aſſumpſerit) uſum, quin dolor Urinæ, ſeu Dyſuria ſubſecuta ſit, nec Medicos, quàm diligentiſſimè & accuratiſſimè quidem Caſſiam correxiſſent, illud impedire potuiſſe. *Petrus Pigray*, celeberrimus & experientiſſimus Majeſt. Regiæ in Gallia Chirurgus, idem etiam lib. 7. cap. 4. confirmat, ubi Caſſiam Calculoſis malè conducere ſcribit.

Anno 1624. Patricius quidam Baſileenſis 22. annorum, ex *Burckardorum* familia oriundus, ut me, propter ſingularem, quæ mihi cum Parente ſuo intercedit, amicitiam, inviſeret, ad me acceſſit, mihique ſignificavit,

ficavit, ſe, ætate illâ diebus canicularibus in Italia Febre continuâ laboraſſe, cùmque Medicus Caſſiam ei exhibuiſſet, neque vulgari doſi, putà ab ℥j. ad ℥jß. quicquam præſtare potuiſſet, paulatim cum doſin auxiſſe, & ad ℥ijß. perveniſſe, unde quidem tantum Urinæ profluvium ſubſecutum ſit, ut per tres dies continuos Urinam adeò quidem acrem profundere coactus fuerit, ut ſingulis vicibus filum ferreum candens per Virgam ſuam traduci exiſtimaverit. Unde quidem, quid in Calculoſis de uſu Caſſiæ cenſendum ſit apparet. Prædicta igitur Medicamenta nobis ſufficiant: inter quæ inprimis quidem Syrupus Magiſtralis, cujus deſcriptionem c. 9. invenies, cum aq. Cichor. & Acetoſ. exhibitus, conducit.

Non leve quoque ſubſidium Calculoſis è Clyſterum uſu ſperandum eſt; Ventrem enim inferiorem ab omni phlegmate & impuritatibus expurgant, humores noxios ad renes & meatus Urinarios fluentes, ad Inteſtina attrahunt, Ureteres emolliunt, ac lubricos reddunt, dolorem leniunt, interioraque Viſcera refrigerant.

Propterea Æger ſæpiùs Clyſterem ſequentem ſibi parari, injicique curabit;

℞. Rad. Altheæ, ℥ß.
Fol. Altheæ,
Malv. an. m. ß.
Parietar. m. j.
Flor. Chamomill.
Melilot.
Sambuc. an. m. ß.
Sem. Lini,
Fœnigræc.
Aniſ.
Fœnic. an. ʒij.

Coquantur in ſ. q. aquæ, f. decoctio ad conſumptionem tertiæ partis: in ℔j. Colaturæ diſſolve;

Electuar. Diacathol.
Mellis Mercurial. an. ℥ß.
Ol. Lilior. alb.
Anethin. an. ℥i.
Vitell. ovor. num. ij.
Salis, ℈ij. Miſce, f. Enema.

Si dolor ardorque Urinæ urgeat, & ex tempore Clyſter injiciendus ſit, tunc accipe lactis recent. ℔j. adde Sacch. miſcellanei cochl. ij. Vitell. ovor. num. ij. butyr. recent. Ol. amygd. dulc. an. ℥j. Miſce, f. Enema, reiteretur toties, quoties opus fuerit. Si verò cupis, ut non diu ab ægro retineatur, Salis momentum adjicies. Hujus quidem Clyſteris frequens uſus ægro nullo modo nocere poteſt.

In Purgatione verò ob cauſas prædictas, modus tenendus, neque æger intempeſtivè eâ perturbandus eſt. Præterea etiam Calculoſis interdum aliquid, quod interiora ipſorum Viſcera, imprimis Hepar, Renes, & Meatus Urinarios refrigeret, aſſumendum eſt: quò quidem ſequens facit Julapium;

℞. Aq. Cichor.
Endiviæ, an ℥ij.
Syr. de ſucc. Citri,
Acetoſ. an. ℥j.

Miſce, pro duabus doſibus. Aut;

℞. Aq. Cichor.
Parietar.
Acetoſ. an. ℥jß.
Syr. de Althea Fernel. ℥j.

Miſce, pro duabus doſibus.

Si verò æger aquis deſtillatis non oblectaretur, ſequens Potio ei parari poterit;

℞. Rad. Petroſelin.
Acetoſ.
Liquirit. an. ʒij.
Herb. Parietar.
Herniar.
Veronic. an. m. ß.
Flor. 3. Cordial. an. P. j.

Coquantur in ℔iij. aquæ, ad dimidiæ partis conſumptionem. In ℥iij. Colaturæ clarificat. diſſolve;

Syr. de Nymphæa;
Succ. Berberor. an. ℥j.

Miſce, pro duabus doſibus.

Has verò potiunculas capiat æger mane, jejuno ſtomacho, & poſtea duabus horis ante cœnam, putà circa horam tertiam pomeridianam. Nonnulli volunt, ut capiantur poſt cœnam, verùm Concoctionem aliquo modo impediunt: ſi tamen dolor urgeat, è duobus malis minus eligendum eſt, ut poſtea dicetur.

Qui ad Acidulas interdum ſeſe conferre poſſunt, non niſi magnum ſubſidium ex earum uſu percipient: Hepar enim ac Renes refrigerant, Ureteres atque Veſicam ab omni phlegmate expurgant, Calculique generationem, & incrementum impediunt: ſicuti Doctiſſimus *Dn. D. Tabernæmontanus* in theſauro ſuo Aquario, diverſis in locis teſtatur. In uſu verò Acidularum, æger conſtitutionem corporis ſui probè explorabit, aut peritum aliquem Medicum in conſilium adhibebit: ſi enim fortè pectus aut pulmo labefactatus eſſet, quantumvis leviſſima ſit labes, Acidulæ tamen adhibendæ non ſunt: malum enim inde augetur, & ingraveſcit.

Ad refrigerandum verò extrinſecus Hepar ac Renes, poterit æger quotidie ſemel aut bis latus dextrum, ac lumbos ſequente Linimento illinire & inungere;

℞. Unguenti roſat. Meſ. ℥ij.
Ol. roſac.
Nymphææ, an. ℥. ß.
Caphuræ diſſolut. in acet. roſac. ℈j.

Miſceantur in mortario, fiatque Linimentum. Similiter etiam æger Emplaſtrum Santalin. Hepati applicatum geſtare, & altero quoque die renovare poſſet.

De reliquis Topicis, ſeu Epithematis, ex aquis deſtillat. aceto, & aliis refrigerantibus, Hepati appropriatis, hic nihil ſcribo, cùm non ſemper periculo vacent; propterea quòd nonnunquam calorem præternaturalem nimiùm repellunt, caloremque innatum ſuffocant: qua quidem in parte æger prudentis alicujus Medici, ut omnia ritè adminiſtrentur, conſilium ſequetur.

Ad reprimendam internam Hepatis intemperiem, plurimùm confert Phlebotomia, quæ tamen nonniſi cum ſumma prudentia adhibenda eſt, qua quidem in parte Medicus ad vires ac conſtitutionem ægri reſpicit: ſi enim Virtus debilis, imbecillis, atque proſtrata fuerit, quemadmodum ſæpe Calculoſis accidit, Venæ ſectio non facilè inſtituenda eſt. Præterea ubi vel propter ſenium, vel propter morbi magnitudinem, corpus minimè Plethoricum, ſed potiùs cacochymicum, praviſque humoribus refertum fuerit, Phlebotomia quoque non conveniet: multò verò magis ex uſu ægri fuerit, ſi corpus medicamentis benignis, ut c. 9. dictum fuit, purgarit, & mundificarit. Phlebotomia verò in brachio dextro adhibenda eſt, niſi fortè æger dolore ſingulari in aliqua ſiniſtri lateris parte afficeretur; Tum enim Vena in ejuſdem lateris parte ſecanda eſſet.

Quòd ſi Calculus deorſum ad collum Veſicæ decubuerit, Urinam ſuppreſſerit, &, ut ſæpe fit, dolorem gravem excitârit, tunc omnibus, quibus fieri poteſt mediis, Calculus à collo Veſicæ repellendus, dolorque lenien-

dus erit. Et quoniam ſæpe contingit, ut flatus & excrementa exſiccata Inteſtinorum, Veſicam & Calculum deorſum ad collum Veſicæ deprimant, ideoque ſtatim unus è Clyſteribus, ſuperiùs in hoc capite deſcriptis, ægro injiciendus eſt. Primus verò Clyſter, ut illicò retentos flatus & excrementa educat, ægroque levamen afferat, pauliſper acuendus erit. Clyſteres verò ſequentes aliquandiù retineri poterunt. Nonnulli ægrum doloribus iſtis correptum in Semicupium ex herbis Emollientibus paratum, demittunt, quod dolorem quidem aliquo modo lenit, meatus Urinarios emollit, ac lubricos reddit, Urinamque movet: ægro verò erecto corpore Semicupio inſidente, Calculus eò magis ad collum Veſicæ decumbit, Urinamque ſupprimit. Quare longè conſultius eſt, ut æger ſupra dorſum deponatur; ita ut Venter inferior paulò elatior ſit capite, ut Calculus retrorſum poſſit recedere. Loco verò Semicupii, Sacculum ſequentibus herbis repletum, qui inferiorem Ventrem ad Umbilicum uſque, ſicuti etiam inguina, ac Perinæum operiat, ægro, quàm calidè quidem ferre poterit, applicabis, & quoties opus fuerit, renovabis;

R. Rad. Lilior. alb.
Altheæ, an. ℥ß.
Fol. Malvæ, Altheæ,
Brancæ urſin. an. m. j.
Parietar. m. j. ß.
Flor. Melilot.
Sambuc.
Chamomill. an. m. j.
Sem. Lini,
Fœnigræc.
Aniſ. an. ℥j.

Incidantur & contundantur omnia groſſo modo pro Sacculo.

Sacculus in aqua vel lacte coquendus, & calidè applicandus, eoque remoto, Venter atque Pudenda ſequenti Linimento inungenda ſunt;

R. Butyr. recent. ℥j. ß.
Ol. Amygd. dulc.
Scorpion. an. ℥j. Miſce.

Sequens quoque Potiuncula Anodyna ægro exhiberi poterit;

R. Aq. Lactuc.
Parietar. an. ℥j. ß.
Syr. de Papaver. ℥j.
Confect. Alkerm. ℈j.

Miſce; f. Potio: detur duabus horis à cœna, aut bibat de hac Emulſione;

R. Amygd. dulc. decorticat. ij.
Sem. Papaver. alb. ʒiiij.
Frig. quatuor Major. an. ʒj.

Cum ℔ij. decocti ſequentis f. Emulſio; Addendo.
Syr. de Althea Fernel.
Nymphææ, an. ℥j. ß.

Decoctum pro Emulſione.

R. Hordei decorticat.
Uvarum paſſular. exacinat.
Liquirit. mundat. & inciſ. an. ℥j.
Fol. Veronic.
Parietar.
Herniar. an. m. ß.

Cum ℔iiij. aquæ fontan. f. decoctio ad tertiæ partis conſumptionem.

His verò remediis ſi Calculus à Collo Veſicæ repelli, dolorque leniri nequeat, Chirurgus, aut alius quiſpiam, in hoc negotio verſatus indice ſuo, Oleo, vel butyro recent. inuncto, in Anum immiſſo, Calculum, quantùm fieri poteſt, repellat. Si verò digito repelli Urinaque moveri nequeat, Chirurgus unum ex inſtrumentis, ſive Catheteribus, ſupra c. 3. depictis, Ol. Amygdal. dulc. illitum, leniter per Virgam in Veſicam intromittat, Calculumque repellat: unde Urina per Cannulam illam effluet, ſimulque dolor & cruciatus ægri omnis poſtmodum remittet. Novi Calculoſos aliquos non obſcuri nominis, qui mediante Curâ iſtâ Palliativâ annos plurimos ſupervixerunt, Patriæque & Amicis ſuis ſummo emolumento fuerunt.

Anno 1625. Nobilis quidam ex Italia veniens, hîc in Hoſpitio ad Coronam hoſpitatus eſt, qui toto die, ac ſubſequente nocte ne guttulam quidem emingere potuit. Vocatus autem manè, cùm inſtrumenti beneficio Urinam ſolviſſem, ipſemet Candelam ceream in Virgam immiſit, equum conſcendit, & diſceſſit, indicans, Candelas iſtas cereas multas ſibi moleſtias inter equitandum feceſſere. Experimentum verò non ſemper tutum eſt: meatus enim Urinarius inter equitandum facilè eâ ratione lædi & exulcerari poſſet.

Petrus Pigray teſtatur, & expreſsè ſcribit, lib. 7. c. 4. ſe noviſſe Calculoſum quendam nobilem, qui per 25. annos integros Calculum circumtulerit, & Urinam emiſſurus ipſemet Catheterem, ad ſolvendam Urinam, applicare nôrit. *Theodoricus* lib. 3. c. 44. ſcribit, Calculum ita ad fundum Veſicæ detrudi poſſe, ut per 40. annorum ſpatium ibidem hærere poſſit: quod quidem, tanquam rem incredibilem, huc inſerere auſus non fuiſſem, niſi *Guido de Cauliaco Tract. 6.* doct. 2. c. 7. ipſemet de eo ſcripſiſſet, nec contradicere potuiſſet. Ponamus verò, rem ità ſe ſe habere, & *Theodoricum paulò* liberiùs ſcripſiſſe, certum tamen eſt, idemque ipſe in multis obſervavi, qui beneficio prædictæ Curæ, ſicuti etiam ſuperiùs dictum fuit, annos plurimos ſupervixerunt. Quoniam igitur, (ut Chriſtus, Caput atque Salvator noſter, ſuprà nos docuit) per multas miſerias, afflictiones atque calamitates, ad æternam quietem nobis tranſeundum eſt; Idcirco nullus æger, ſi Calculus ob magnitudinem ſuam, citra mortis periculum, exſcindi nequeat, ex impatientia vitæ ſuæ curſum abrumpet, ſed cum patientia atque conſtantia Chriſtiana, liberationem cœlitùs à Medico Medicorum ſupremo præſtolabitur.

Atque hæc quidem benevolum Lectorem, juxta amicorum quorundam petitionem, celare nolui. Deus Opt. Max. Chirurgis ſuam largiatur gratiam, ut illa ad divini ſui nominis gloriam, ægrorum atque languentium emolumentum, nec non Animarum ſuarum ſalutem atque beatudinem dirigant. Utque verò voti compos fias, Deuſque ter Opt. Max. manibus tuis benedicat, auxilium atque præſidium ejus in omnibus tuis actionibus aſſiduis precibus implorabis, vitamque piam & honeſtam, ſobriam, modeſtam, & caſtam ages, tibique magis ægrorum ſalutem, ſanitatem & incolumitatem, quàm proprium tuum commodum ac lucrum commendatum habebis. Atque ita Deus in hac vita te ſoſpitabit, tandemque æternâ beatitudine clementer donabit.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

APPEN-

APPENDIX EPISTOLARUM Aliquot Singularium, De Vſu & Abuſu Turundarum, poſt Extractionem Calculi adhibendarum,

A GUILIELMO FABRICIO HILDANO;

AD VIROS CLARISSIMOS ET EXPErientiſſimos, tam Medicos, quàm Chirurgos, & viciſſim ab iiſdem ad ipſum, exaratarum.

VIRO Pietate, Virtute atque Doctrina Ornatiſſimo;

DN. HENRICO SCHOBINGERO, Sangallenſi, Medicinæ Candidato, Amico ſingulari,

GUILHELMUS FABRICIUS HILDANUS, *S. P. D.*

Etiamſi tenuia mea Scripta, doctiſſime atque amantiſſime mi Dom. Schobingere, ut quæ adeò impolitè & craſſâ Minervâ concinnata; ut vix digna cenſeri poſſint, quę in publicum prodeant, de die in diem magis magiſque mihi diſpliceant, & proinde dubius fuerim, an concedere vellem, ut Tractatus meus Germanicus de Lithotomia Veſicæ, eam in Linguam, quæ aliis nationibus etiam eſt cognita, Latinam videlicet, verteretur; præſertim hoc tempore; quo cenſores Scientiarum multi, & quidem rigidiſſimi, Momi & detractores infiniti, fautores verò perquàm pauci reperiuntur: attamen quia Tractatum illum à Viris doctis non improbari video, & Clariſſimum atque Doctiſſimum Virum, Dom. Sebaſtianum Schobingerum, Doctorem Medicum Gallopolenſem, longè celeberrimum, ejuſdemque Civitatis Senatorem Prudentiſſimum, Patruum tuum perquàm charum; uti & Clariſſimum Doctiſſimumque Virum, Dn. Thomam Platerum, Archiatrum Baſileenſem longè excellentiſſimum; utrumque Amicum meum ſingularem; ejus quoque eſſe ſententiæ, ut eum Latinitate dones, non ſum tibi contradicturus. En tibi igitur exemplar meum, variis in locis, imò etiam duobus Capitibus integris, videlicet de Situ ægri, & Curatione Palliativa Calculi; auctum. Annexi quoque ad calcem Libri Epiſtolas aliquot virorum doctorum, ad me ſcriptas, in quibus de Turundis, poſt extractionem Calculi collo Veſicæ imponendis; ſed ab Empiricis, & Theoriæ Artis Chirurgicæ imperitis perperam improbatis, agitur, quas ne omittas, velim: quàm perniciosa enim & humano generi infeſta ſit methodus illa Empiricorum, ſtatim poſt extractionem Calculi labia Vulneris unire; non ſolùm ex Capite 21. & 23. libri edoctus fuiſti, verùm & Epiſtolis ſubſequentibus hiſce adjunctis abunde cognoſces: ubi etiam videbis, uſum Turundarum à rationalibus Medicis & Chirurgis, ſive Germani, ſive Galli, aut Itali fuerint, non improbari.

Inter Germanos Medicos; meritò magnifacienda eſt ſententia Ampliſſimi & Doctiſſimi Viri, Dn. Doct. Georgii Horstii, Civitatis Ulmenſis Archiatri longè celeberrimi, ut qui ipſemet hujuſmodi operationibus & curationibus interfuerit; & ſucceſſum viderit. Teſtatur autem literis ad me ſcriptis, quaſque apud me vidiſti, ſe mecum ſentire, & meis rationibus ſubſcribere. Magnifacienda quoque eſt opinio Virorum doctiſſimorum Dom. D. *Danielis Sennerti*, Inſtitutionum Med. lib. 5. part. 1. ſect. 2. Cap. 13. D. D. *Joh. Jeſſeni, à Jeſſen*, Inſtitutionum Chirurgic. cap. 17. & D. D. *Henrici Petrei*, in Enchiridio Chirurgico, tract. 10. cap. 15. Hi omnes diſertè ſcribunt. Vulnus poſt Extractionem Calculi apertum eſſe retinendum, uſque dum Veſica ſatis ſit expurgata. Hujus quoque ſententiæ eſſe Gallos, non ſolùm ex *Paræo, Franco*, lib. de Herniis, c. 32. verùm etiam ex literis, quas Dn. Lud. *Panthodus*; Chirurgus excellens, hac de Controverſia ad me ſcripſit, videre licet.

Italos quin etiam mecum conſentire, Excellentiſſimus & de Chirurgia quàm optimè meritus D. Hieronymus *Fabricius ab Aquapendente*, in operibus ſuis Chirurgicis teſtatur. Quid plura? Vulnus velle claudere, antequam Veſica probè ſit expurgata, tam perniciosa & abſurda eſt ſententia, ut vix aliquid abſurdius in praxi Chirurgicâ proferri poſſit; quod tumetipſe ex αὐτοψίᾳ, & Oculari ipſius operationis inſpectione compertum habes: ideòque meritò ab omnibus abjicienda & damnanda. Ex his vides, mi Dn. Schobingere, quàm utilis, ne dicam neceſſaria, Chirurgo ſit Theoria Artis, & ignarum theoriæ vix aliquid laude dignum præſtare poſſe, imò infinitos ægros imperitiâ & temeritate ſuâ necare. Hæc, quæſo, perpendè, & trutinâ æquâ examina, quo poſthac in Praxi tuâ audaciam; ne dicam impudentiam, & nequitiam Empiricorum retundere, ſalutemque ægrorum promovere poſſis. His Doctiſſime atque amantiſſime mi Dn. *Schobingere*; divinæ Clementiæ Te commendo, qui ut ſtudiis tuis ac piis conatibus abundè benedicere, teq; in multos annos incolumem conſervare velit, ex corde oro. Dabam Bernæ, 14. Martii, Anno MDCXXVII.

Viro Clariſſimo, Experientiſſimo.

Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Medico & Chirurgo ordinario Reip. Bernenſis Helvet. Domino & Amico ſuo,

Gregorius Horſtius, S. P. D.

Gratiſſimæ mihi fuerunt Epiſtolæ tuæ, Vir Clariſſime & Experientiſſime, Fautor & Amice plurimùm colende, unà cum Germanico tuo Tractatu de Lithotomia Veſicæ, pro quo gratias ago maximas. Libenter inſuper quoque legi epiſtolam incluſam, quâ ſingularem Obſervationem de Τειχίασει *continuas.* Vitrivororum *naturæ non admodum admiranda videretur, ſi Temperamentum, hoc ævo ejuſmodi vitris conveniret, quale* Plinius *olim* Tiberio *principe excogitatum fuiſſe refert, ut ſcilicet fluxibilitatem vitra nanciſcerentur. At cùm vitrum ultimus tranſmutationis terminus aliàs conſtituatur, vix ejusmodi artificium expectandum erit; Imò potius contrarium ſequeretur, quod in ejuſmodi pellucidâ conſiſtentia, vi ignis ad ſummam puritatem deducta videatur* ἐντελέχεια, *& Perfectio quædam abſoluta; Quò nonnulli finalem Mundi tranſmutationem quoque referunt; Vnde* civitas Dei gemmea, tota pellucida, cujus plateæ aurum mundum, *ὡς ὕαλος διαφανής juxta* Apocalypſ. Johan.

Quanquam autem acutiſſima fragmenta Vitrorum aliàs acumine ſuo facilimè partes corporis lædant; alia tamen eſt ratio, quando maſticationis beneficio conteruntur, ac poſtea cum alimentorum ac potulentorum liquoribus commiſcentur, ubi non dubito, quin ad primarum viarum purificationem faciat ejusmodi vitrum comminutum in partes minimas, acrimonia ſuâ facultatem expultricem ad excernendum ſtimulante. Novi quoque tales, qui petulanter Vitrorum particulas devorarunt, ſæpius non abſque faucium Hæmorrhagia, qui num petulantiæ ſuæ pœnas dederint, ignoro. Sed fortaſſis hac de re pluribus communis noſter Amicus Clariſſimus Hoffmannus, *cujus literas mihi incluſas hic accipies. Libellum de Lithotomia propter occupationes & peregrinationes nondum perlegi, ſed eundem noſtro* Merckio, *eam ob cauſam, quòd hodiernè generoſus quidam Baro è Styria ipſius dexteritati ſeſe*

ſeſe ſubjiceret, à quo quidem Calculum ℥ij. dextrè extraxit, laborante tamen ſexta die ex Inflammatione & Sphacelo Veſicæ mortuo. De quo Caſu, tum etiam de eis, quæ Merckio *noſtro, aliàs, ut noſti, exercitatiſſimo, in hac manuali Operatione in libro tuo dubia videntur, pluribus poſthac agam. Hiſce bene vale, cum familia. Raptim Vlmæ, 17. Auguſt. 1626.*

Idem ad eundem.

S. *Prioribus meis has addo, Vir Clariſſime, Excellentiſſime, Fautor & amice plurimùm colende, tibique gratias ago pro ſcripto tuo Germanico, Lithotomiam Veſicæ continente. Rectè facis, mi Fabrici, quòd nihil non tentes, quo diverſas Medicinæ partes illuſtriores reddas. Aſſertiones tuas quod attinet, perplacet inprimis, quod in generatione Calculi potiùs cum paucis veritatem defendere, quàm cum multis errare velis.*

Miror cur toties celebriores Medici viſcidam materiam, & calorem exurentem inculcare ſoleant: cùm tamen ejusmodi figulinæ concretioni res ipſa contrarium demonſtret, ne quid dicam de varietate Calculorum, è Veſica detractorum, quorum quilibet ferè quoad conſiſtentiam, colorem, & uno verbo, quoad diverſitatem Tartari ſui nativi, diverſimodè productus conſpicitur: quemadmodum ſatis mirari non poſſum talia, cùm tot Calculorum humanorum diverſa genera penes noſtrum Lithotomum, (qui jam ultra bis mille manu propria à Calculo Veſicæ, & Herniis, ſectione & extractione liberavit) reſervata perpendo.

Quoad modos extrahendi Calculum, noſti quem noſter Lithotomus præferat aliis, non abſque certa diutinaque experientia, qui penitùs rejicit illorum ſententiam, qui ſtatuunt, Vulnus illud Turundis & aliis apertum retinendum eſſe: propterea quòd hac ratione facillimè fiſtuloſis Ulceribus occaſio præberi queat. Imprimis inhumanum omninò, & ab Artis operibus alienum eſſe ſtatuit, inquiſitionem Calculi, ubi ex voto non ſuccedit extractio totaliter, tertia vel quarta die reiterare, quod abſque inſigni dolore, viriumque jactura fieri non poſſe, veriſimile eſt, cùm Vulnus poſt triduum contra rationem de novo ſit irritandum. Quoad Balneum, noſti diſſenſum ipſius ubi puto differentiam inter Balneum aquæ dulcis temperatum, ac inter Balneum calidius, vel etiam cum herbis apparatum, dubitationes iſtas tuas conciliari poſſe. Illuſtris Baro Corinthius, Joh. L. B. à Malech, p. m. *de ſubſequente inflammatione valde ſollicitus fuit: qua de cauſa paulò ante ſectionem Acidularum potu, præmiſſis præmittendis, uſus fuit, imò Victus rationem exquiſitam temperatamque talem adhibuit, ut nihil quicquam in eadem deſideraretur. Sed quid fit? Calculus è Veſica vix fuit extractus, en ecce dolores circa pubis & Veſicæ locum nocte prima ſubſequuntur intolerabiles, quibus remiſſis, matutino tempore, grumi ſanguinis è Vulnere cum Urina excernuntur. Dolor hic remiſſior ſecundâ die, circa tertiam noctem ita exacerbatur, ut ſigna inflammationis Veſicæ vicinarumque partium inde conſpicerentur, quod omnis generis Remedia tam interna, quàm externa nobis extorſit: fruſtra tamen adhibi is omnibus ſub finem ſexti diei Vir optimus expirare, vitamque cum morte commutare cogitur. Aperto poſt mortem corpore, Veſica interiùs, unà cum ſubjacente inteſtino Recto, Sphacelo correpta conſpiciebatur. Quod cùm tam brevi tempore factum eſſet, tuæ Obſervationis olim ad me perſcriptæ mox recordabar, ubi 24. horis poſt Contuſionem gravia lethaliaque ſubſecuta fuerunt Symptomata. Integrum Caſum, cum Conſiliis Clariſſ. Medicorum huic ægrotanti communicatis, σὺν Θεῷ, per occaſionem etiam transmittam, ubi diebus hybernis, cum Deo, plus otii dabitur. Hiſce bene vale, cum familia tua diutiſſime, feliciſſime. Ocyùs Vlmæ, 20. Auguſt. 1626.*

Viro Ampliſſimo atque Doctiſſimo,

Dn. GREGORIO HORSTIO PHILOSOPHIÆ *& Medicinæ Doctori Excellentiſſimo, & Inclytæ Reip. Vlmenſis Archiatro longe celeberrimo, Amico ſingulari,*

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

An Turundæ Vulneri, poſt extractionem Calculi, imponenda.

Binas tuas poſtremas, Vir Ampliſſime, Fautor & Amice plurimum honorande, 17. & 20. Auguſti datas, ſuperiore menſe accepi, ad quas paulò maturiùs reſpondiſſem, niſi Centuriam meam quintam Francofurto exſpectare, & ex una eademque fidelia duos dealbare parietes voluiſſem. Mitto illam nunc, obnixè rogans, ut illam hilari fronte accipere, omniaque pro ſumma humanitate, & erga me benevolentia tua, benignè interpretari velis. Miror *Dn. Merckium,* Lithotomum veſtrum, Virum alioquin in manuali Operatione exercitatiſſimum, contra tot Virorum Clariſſimorum doctrinam, imò & contra rationem ipſam, rejicere eorum ſententiam, qui Vulnus poſt extractionem Calculi Turundis apertum retinendum eſſe ſtatuunt. At memini. Ego, ipſum, *Dn. Merckium* anno 1610. die 14. Maji, cùm Calculos duos è Veſica Generoſi & ſtrenui Viri, *Dn. Zachariæ Geitzcofleri à Geilenbach, Domini in Haunsheim, &c.* feliciſſimæ memoriæ, feliciter extraxiſſet, Turundam quoque, ſive fiſtulam argenteam Vulneri impoſuiſſe; ita enim ante operationem inter *D. D. Bartholomeum Merc-klinum,* David *Verbezium, ipſumque Merckium & me* communi conſenſu deliberatum ac conſtitutum fuerat. Sed, ut verum fatear, altera ſtatim die ſententiam mutavit, uſumque fiſtulæ, nobis invitis, intermiſit. Hinc poſt dies aliquot exorta eſt Ecchymoſis periculoſa, quæ totum Scrotum occupavit. Scribit autem Excellentia T. ipſum penitus rejicere eorum ſententiam, qui Vulnus poſt Calculi extractionem, Turundis apertum retinendum eſſe, ſtatuunt: propterea, inquit, quòd hâc ratione facillimè fiſtuloſis Ulceribus occaſionem præbeant. At ego dico, Rationales Medicos ac Chirurgos, poſt extractionem Calculi, Vulnus Turundis aut fiſtulis argenteis, vel plumbeis apertum tenere, ut mortem interitumque ægri evitent. Nec eſt timenda fiſtula; Vulnera enim contuſa, qualia ſunt hujuſmodi, ante eorum concoctionem, ſuppurationem, & mundificationem, in fiſtulam degenerare poſſe, abſurdum eſt dicere. Quandoquidem videmus quotidie ne minimum quidem Vulnus contuſum, etiam in partibus muſculoſis, coaleſcere poſſe, niſi caro, & quicquid contuſum eſt, priùs putreſcat, & in pus convertatur. Hinc ante quadrageſimum diem nullum, ſive Vulnus, ſive Sinus fuerit, in fiſtulam abire poſſe, teſtantur Viri docti, teſtatur & ipſa Experientia: ut enim Vulnus contuſum in fiſtulam tranſeat, neceſſe eſt, ut prius ſuppuretur, & quicquid circa ipſum contuſum eſt, in pus convertatur, quemadmodum antea quoque dixi. Id verò calidis humidiſque & unctuoſis Medicamentis, Anodynis, &, ut vocant, Digeſtivis efficimus. At illa generationem fiſtulæ, (illa enim quæ vehementer exſiccant requirit) impediunt. Nullo itaque modo ab initio poſt extractionem Calculi fiſtula eſt metuenda, ſed potiùs Mors avertenda; ſi enim ab initio Digeſtio & Concoctio Vulneris promota, & ſanguis, qui in Operatione propter Venarum & Arteriarum dilacerationem, & doloris vehementiam, tum ad ipſam Veſicæ cavitatem, tum ad vicinas partes confluit, evacuatus, & in pus converſus non fuerit, putreſcit. Hinc dolores maximi, Inflammationes Veſicæ, Inquietudines, delirium,

delirium, gangræna, tandemque Mors ipſa ſequitur. At quomodo ſanguis concretus in Veſica evacuabitur, niſi Vulnus apertum fuerit? Atq; hæc eſt cauſa, cur plurimi poſt Extractionem Calculi moriuntur; præſertim hi, in quibus facultas expultrix viresque, aut propter Senium, aut puerilem ætatem, vel denique propter Hæmorrhagiam, proſtratæ ſunt. Si verò Vulnus beneficio Turundæ, Digeſtivo, & Anodynis inunctæ, apertum retinetur, hujuſmodi ſimptomata vix pertimeſcenda, eſſe, ipſemet in ægris meis aliquoties expertus ſum.

Hæc, Vir Ampliſſime, non contradicendi ſtudio, ſed tot Virorum doctiſſimorum veriſſimam doctrinam defendendi causâ, & in utilitatem ægrorum, ad Te ſcribo. Tu ſi rationes meas ſuperiùs ſcriptas, & in Tractatu meo de Lithotomia commemoratas, examinaveris, facilè quid de hac Controverſia ſtatuendum ſit, judicare poteris. Scio quidem, hujuſmodi Vulnera nonnunquam in fiſtulas degenerare, non quòd Turundæ ab initio impoſitæ fuerant, ſed quia Muſculus Veſicæ in Operatione dilaceratus, aut Veſica, poſt extractionem Calculi, non ſatis mundificata fuit. Sed de his aliàs forſan ſcribendi dabitur occaſio. His Vale, Vir ampliſſime, & cum tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Raptim Bernæ, 31. Octob. 1626.

Excellentiſſimo atque Experientiſſimo Viro,

Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, Inclytæ Reip. Bernenſis Medico-Chirurgo Feliciſſimo, Fideliſſimo, Domino ac fautori ſuo perpetim honorando,

Johannes Burgovver, Inclytæ Reip. Scaphuſianæ Poliater, S. P. D.

De Neceſſitate Turundarum.

P*Oſtremas tuas literas longè gratiſſimas, Vir Clariſſime, Fautor æternùm colende, ſuperioribus hiſce diebus accepi. Uſum autem Turundarum, poſt Calculi extractionem, de quo ſententiam meam, & quid in Peregrinationibus meis de eo obſervârim, ſcire cupis, quod attinet, de eo mâlim Viros in Artis operibus exercitatos ac conſummatos audire, quàm meum nimis præcipitanter judicium, quod tamen perexiguum eſt, proferre.*

Gallorum hac in parte medicationem facilè crediderim, eandem eſſe cum Tua; eò quòd omnium fermè externorum affectuum, tam qui circa Fracturas atque Luxationes, quàm qui circa Tumores, Vulnera, Ulcera verſantur, tractationes eodem planè filo, quo Tuæ peraguntur, eâdemque Artis lege ac methodo curantur. Dum in Galliis vixi, hanc ipſam Operationem, Lithotomiam puta, quam omnium Chirurgicorum operum apicem ac ſummam, ob ſui difficultatem, non immeritò appellat ingenioſiſſimus Taliacotius, in Curtorum Chirurgia, *ſummoperè deſiderabam videre; ejuſque ſolius gratiâ Lutetiæ Pariſiorum menſem & ampliùs moratus fui, diutiùs, avidè exſpectans anniverſariam illam in Noſocomio Charitatis Lithotomiam, quæ in compluribus pueris calculoſis inſtitui ſolet. Verùm certas ob cauſas totum id negotium ſequentem in annum dilatum eſt.*

Ad Italos autem quod ſpectat, non obſcurè patet, Eos Tecum omninò ſentire, uſumque Turundarum approbare, ex illo Italorum Chirurgicorum Principis ab Aquapendente *loco, quem in Operationibus ſuis Chirurgicis videre licet: quando, expedito Sectionis opere inquit, Turundam ex ovi albumine & vitello, cui Croci quidpiam adjectum ſit, in plagam imponunt, & ita apertum Vulnus ſervant, quouſque Veſica ab alienis reliquiis expurgata ſit, & plus in plaga appareat extrà verò linteum ex Vino & Ol. roſac. expreſſum: poſtea verò Coxis aſtrictis, & glutinationi plagæ, & carnis generationi ſtudent, & ita curant. Atque hæc non modernorum duntaxat Rationalium Chirurgorum eſt ſententia, ſed jam olim ipſius* Celſi, *Latini Hippocratis, mens eadem fuit; uti ex fine c. 36. l. 7. ubi de Curatione Calculo avulſo habenda agit, unicuique palam fit. Imponenda (inſit ibi) Vulneri medicamenta ſunt, Pus moventia, & ſi purgandum Ulcus videbitur, melle linendum. Id ſi rodet, roſâ temperabitur. Huic Curationi aptiſſimum videtur Enneapharmacum Emplaſtrum. Nam & ſevum habet ad pus movendum, & mel ad ulcus repurgandum; medulla etiam, maximeque Vitulina, quod in id, ne fiſtula relinquatur, præcipuè proficit. Et mox addit: ubi Ulcus purgatum eſt, puro Linimento ad Cicatricem perducendum eſt.*

Plura aut meliora addere nunc, & temporis penuria, & feſtinatio tabellionis haud permittunt. Tuum erit, Venerande Senex, hæc qualia qualia, non æqui ſolùm bonique conſulere, verùm etiam pro conſummati judicii tui acumine, & multorum annorum felici experientia, corrigere. Interea annum, quem nuper cum bono Deo auſpicati ſumus, cum ſubſequentibus plurimis aliis, feliciſſimum & pacatiſſimum Excellentiæ T. Tuiſque omnibus animitùs reprecor. Deus Te nobis omnibus ac publicæ ſaluti diutiſſimè adhuc incolumem ſervet atque ſuperſtitem. Adjunctam Clariſſimi Dn. Doctoris Horſtii, *&c. manum nuper mihi miſſam, nunc unà accipies. Incluſam quoque Sirenulam, ceu animi beneficiorum memoris leve ſaltem ſymbolum, quæſo ne contemne; donec, Deo vitam Praxinque fortunante, meliora ſequantur. Vale, Venerande Senex, cum Tuis omnibus feliciſſime, & deinceps etiam me amare perge. Raptim è Muſæo, Scaphuſiæ,* VII. KAL. *Februar. Anni ab exhibito Meſſia* cIↃ IↃ cXXVII.

Viro Excellentiſſimo,

Dn. GUILHELMO FABRICIO HILDANO, apud Bernenſes Medico-Chirurgo peritiſſimo & longè celeberrimo, Amico ſuo ſingulari,

Ludovicus Panthotus, S. P. D.

De Uſu Turundarum poſt extractionem Calculi.

V*Ir Clariſſime, & Amice plurimùm Colende, Tuas ad me* 12. *Novembr. ultimò miſſas, ejuſdem menſis fine accepi, unà cum veſtrarum Centuriarum quinta; de qua gratias quàm plurimas reddo. Opus eſt perpolitum, & Autore ſuo dignum. Nihil in illa legi animadvertique poteſt, quod & Medicum eruditum, & Chirurgum expertum non ſapiat, meo non modò, ſed etiam doctorum judicio. In præſentia quid rependam nihil habeo, præter Obſervationem de Dyſenteria factam* à Dn. de la Moniere, *Lugdunenſi Medico, apud nos ſatis noto. Tanto me favore proſequitur Dominus, ut meam non dedignetur poſtulare ſententiam de præceptis, quæ Libellus ſuus de Lithotomia Veſicæ Lithotomos docet, & præſertim circa uſum Turundarum Cannulatarum, à Veſicæ lapidis extractione utilium, quamvis nonnulli earum uſum improbent, & opponant, quòd Cannulis Vulnus dilatetur, & ſæpius in fiſtulam degeneret. Liberè dicam, quid ſentiam; Vir Clariſſime, mea opinio veſtræ quadrat.*

Primùm, in Gallia Lithotomi juſta de cauſa nunquam Turundis utuntur in pueris, in quibus Lithotomiam ſolent ſolò parvo, vel infimo, *ut loquuntur,* Apparatu *exercere: quoniam impatientes, ſimul & rationis uſu nondum fruentes, ob imprudentem corporis motum, alio operandi modo graviter lædi poſſent. In Adultis verò, & iis qui ratione reguntur, in quibus fieri non poteſt Lithotomia, alio quam* magno & ſolenni Apparatu, *Turundâ Cannulata poſt Calculi extractionem utuntur, eamque intra Vulnus principio Curationis intromittunt, & ſinunt unius, duorum, trium, pluriumve dierum ſpatio, vel tanto, quanto opus eſſe judicant, ut effluant thrombi vel grumi ſanguinis, in Veſicæ capacitatem effuſi; tum etiam mucilaginoſi*

humores,

humores, arenulæ, minuti Calculi in Veſica reſidui, qui nonnunquam in Veſicæ ſinu in longius tempus cohibentur, labiis Vulneris citiùs invicem adductis, quoniam Urethra illis nec expeditum, nec ſatis amplum poteſt præbere exitum, grumis potiſſimùm ſanguinis, & tunc temporis ſanguis extra vaſa corrumpitur, creatve dolorem, febrem, abſceſſum, & gangrænam: quod accidiſſe cuidam non infimæ notæ Viro, qui nunc vitam Religioſam degit, obſervavi.

Poſt extractum Calculum Operator nititur ſtatim Vulneris labia unire, metuens fiſtulæ acceſſum; tribus hebdomadis elapſis, ipſoque Vulnere in totum ferè conglutinato, lancinantem circa Vulnus æger perſentit dolorem, & cruciatus immenſos. Convocantur Medici & Chirurgi, utrum Vulnus amplificare expediret? Aſtantes n. & Lithotomus ſuſpicabantur, delituiſſe lapidem aliquem, qui exitum quærens, & ad plagam allidens, horum eſſet cauſa dolorum, unanimi penè conſenſu illi conſulunt applicandum circa Vulnus Cataplaſma Anodynum, rati ſubeſſe Abſceſſum, ex ſanguinis non ſ. q. educti, citiùs intra Veſicam coërciti putrefactione, nec eventus feſellit, pure per Vulneris orificium paulo poſt erumpente. Tum etiam iſtud Vulnus, ſicut ſentit Dominus, eſt contuſum: ſæpiuſque dilacerationi junctum, indicans priùs Suppurantium, quàm Glutinantium & Epuloticorum uſum; adde quod Veſica, pars multùm concava & ampla, retinet multùm ſanguinis, tam ejus qui Operationis tempore, quàm illius, qui eâ peractâ Veſicam ſubit & penetrat, ex Venis ſanguinis quantitatem non mediocrem per aliquod temporis ſpatium in Veſicæ fundum effundentibus; adde quòd alii aliis plus ſanguinis emittant, non ideò tantùm, quòd & difficilis & diuturna ſit Operatio, & aliquando juſtum & conſuetum operandi tempus ob Subjecti, vel Operantis, vel utriuſque conditionem excedat; ſed maximè quòd Vaſa Hypogaſtrica & Pudenda, plurimos & valde amplos in nonnullis ſurculos emittant, qui partes iſtas Operationi ſubjectas irrigant: unde augetur neceſſitas utendi Turundis Cannulatis, quibus ſi toto Curationis Vulneri, Lithotomiæ ſoboli dicatæ tempore, cenſeremus utendum, juſto juſtiùs Operatores earum uſum damnarent. Verùm ignorantia eos hac in re pertinaces efficit, cùm tempus Turundis utendi diſtinguere neſciant. Vale Vir Clariſſime, & Neſtoreos vive annos, ut & tuis omnibus ſemper poſſis prodeſſe. Datum Lugduni 20. Decemb. 1626.

Viro Experientiſſimo,

Dn. LUDOVICO PANTHOTO, apud Lugdunenſes Gallorum Chirurgo celeberrimo, Amico meo ſingulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

S. P. D.

Reſponſum tuum ad quæſtionem meam, tibi propoſitam, Vir Excellentiſſime, & Dn. & amice pluſimùm honorande, videlicet; *An extracto Calculo, Turundæ Vulneri ſint infigendæ, nec ne?* rectè accepi, & pluris facio (loquor ſine adulatione) quàm omnium Empiricorum nugas, qui ſine ratione ea, quæ cum ratione fiunt, impudenter & ſine fundamento vituperare non erubeſcunt. Tua verò opinio non tantùm ipsâ ratione ſtabilitur, ſed & exemplo, obſervatione digniſſimo, illuſtratur. Id libenter quoque intellexi, Lithotomos veſtros in Gallia mecum conſentire, uſumque Turundarum non improbare. Turundas Cannulatas, propter cauſas, quas tu quoque recenſes, Pueris non adeò convenire, tecum ſentio; nudis tamen, in quacunque parte corporis id fuerit, nunquam utor, ſed carbaſo involutis & tectis, ita tamen ut foramina Cannulæ non ſint involuta. Præterea, ut minùs lædat Turunda, ipſam digeſtivo, ad dolores ſedandos, & pus movendum, inungo, uti videre poteris *in Tract. meo de Lithotomia Veſicæ, cap. 26.*

Quamvis autem Turundæ Cannullatæ ſive ex auro, ſive ex argento, aut plumbo (quæ mihi præ cæteris probantur) fuerint, ab initio poſt extractum Calculum maximum habeant uſum, dum Urinæ, quæ ſtatim ab operatione utplurimùm acris eſſe ſolet; ſanguini item in Veſica coagulato, arenulis, aliiſque excrementitiis humoribus, liberum exitum præbeant; ſi quis tamen earum uſum non ſolùm in pueris, verùm etiam in adultis improbare voluerit, ei non ſum contradicturus. Turundis enim ex carbaſo factis, & digeſtivo inunctis, idem quod Cannulatis perfici poſſe, in ægris meis expertus ſum: præſertim ſi vulnus bis aut ter in die curatum fuerit: Turundas enim ex carbaſo eis, quæ ex metallis fiunt, minùs eſſe doloroſas, quis non videt? At dolorem omnium ſymptomatum eſſe periculoſiſſimum, tibi notum eſt.

Porrò cavendum erit, ne Turundis, ſive ex carbaſo, ſive metallis, præſertim ex plumbo fuerint, abutamur; quemadmodum enim legitimus ipſarum uſus neceſſarius & utilis, ita abuſus, hoc eſt, ſi diutius quàm par eſt, eis utamur, uſque dum Vulnus probè ſit digeſtum, & Veſica ab omnibus in ea præter naturam collectis expurgata: quo facto, ab uſu Turundarum deſiſtendum eſt: ne Vulnus in fiſtulam tranſeat; ſed de his pleniùs in *Tractatu meo de Lithotomia Veſicæ, c. 20. & 22.* Niſi autem collum Veſicæ, beneficio Turundarum, ab initio ſatis pateat, nihil præterquàm graviſſima ſymptomata, mortemque ipſam exſpectare oportet: præſertim ſi æger imbecillis (rarò autem is, cui Calculus extrahendus eſt, robuſtus & vegetus exiſtit) aut decrepitus fuerit. Poſt operationem enim, cùm humores ex circumjacentibus partibus corporis ad Vulnus confluunt, intumeſcit, clauditurque collum Veſicæ, & tam arctè comprimitur, ut ne quidem urina ipſa liberè effluere poſſit; inde ſanguis coagulatus, & quæcunque præter naturam in Veſica retinentur, longè faciliùs quàm in quavis alia corporis parte putreſcunt, inde dolor graviſſimus, inflammatio, febris ardentiſſima, nauſea, delirium, inquietudines, ſpaſmus, gangræna & ſphacelus Veſicæ, adjacentiumque partium, tandemque mors: & ut verbo dicam, vix perfecta ſanatio expectanda eſt, niſi Veſica probè expurgata fuerit. At quomodo, quæſo, expurgabitur, ſi labia Vulneris protinus, poſt extractionem Calculi conjungantur? Hinc videmus, Empiricos dum labia Vulneris, ut fiſtulam evitent, conjungere conantur, aut mortem accelerare, aut fiſtulam procreare: quæ enim in Veſica remanent, Vulneris glutinationem impediunt, ſequiturque fiſtula, quæ plerumque ægrum ad mortem uſque comitatur: uti *Adoleſcenti* iſti *Neocomenſi*, cujus memini *in Tractatu meo de Lithotomia, cap. 18.* accidit. Hiſce diebus ipſius Soror, Matrona genere, virtute, & pietate nobilis, quæ etiam nunc apud nos vivit, coram me teſtata eſt, videlicet Vulnus fratris ſui nunquàm coaluiſſe, & poſt obitum duos Calculos in Veſica repertos fuiſſe; horum unum, qui drachmas duas pendet, mihi monſtravit. Eſt ille rotundus, politus, cinericii coloris, & durus ad inſtar ſilicis. Hoſce lapides, vel ſaltem ipſorum primordia, poſt operationem in Veſica derelicta fuiſſe, (ut etiam *Dn. Paulus Lentulus*, qui operationi interfuerat, arbitratus eſt) veriſimillimùm mihi videtur. Ex quibus omnibus apparet, quàm utilis ac neceſſarius ſit uſus Turundarum. Eſt itaque dolendum, mi Dn. Panthote, homines tam inſcios, ac rudes eſſe in eâ arte, quam profitentur, ut hæc non agnoſcant. Facit id ignorantia Theoriæ, quæ ſi ipſis nota eſſet, Turundas non improbarent, quin potiùs ad cœlum uſque extollerent.

His vale, Vir Experientiſſime, & cum tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Dabam Bernæ 20. Januarii 1627.

Illis

Illis quæ de Lithotomiâ fuſiùs ſunt hactenùs enarrata; quæ compendio in eodem argumento docet Clariſſ. Antonius Nuck, *in ſuis* Experimentis Chirurgicis, *hîc rurſùs adjiciemus, ut unô quaſi oculi ictû quæ pluribus foliis aliàs continentur, unius paginæ lectione repeti queant. Sic autem ille.*

DUplex in ſexu maſculino Calculum ex veſica extrahendi modus occurrit. Vel enim *Minori apparatu*, præprimis in infantibus & pueris, vel *Majori*, potiſſimùm in adultis, Operatio hæc inſtituitur.

Poſterior modus feliciter ut ſuccedat, patiens menſæ aut ſedili erit imponendus: dein benè ligatus ita locandus, ut *Itinerarium*, ſive *Catheter cannulatus*, oleo olivarum prius oblitus, per Urethram in veſicam intromittere ad calculum Chirurgus poſſit. Mox Itinerarii curvatura Perinæum verſus retorquenda, & à latere Perinæi inciſio obliquè ſupra Catheterem inſtituenda; hac tamen lege, ut *Cultelli* acies Itinerarii ſinui diſtinctè opponatur, eundemque tangat. Deinde retracto Cultro, vulneri *Conductor* in *ſulcum* immittendus, mox Cathetere ex Urethra ablato, Conductoris cavitati *Dilatatorium* iterum immittendum. Vulnere dilatato Conductor denuo viam monſtrabit *Forcipi Extractorio*, cujus ope tandem Calculus apprehenditur, & extrahitur.

Vulnus inflictum ubi minus fuerit Calculo, novâ inciſione ampliandum, aut Calculus Forcipis ope in partes & fruſta dividendus, atque ita per partes educendus erit.

Quandoque perquam neceſſarium eſt per tres quatuorve dies *Cannulam argenteam* immittere, ut per eandem ſanguis concretus, pituita viſcoſa, aut calculorum fragmenta minora egrediantur. Inſuper aliquando valde proficuum eſt ope *Syringæ* injectionem inſtituere, ut heterogenea in veſica contenta faciliùs prodire poſſint.

Extracto jam Calculo, vinculiſque omnibus ſolutis, vulnus, ut decet, obligandum, ſanguinemque ſiſtentia, ut *Bolus*, *Farina* &c. unà cum Faſciatione benè adminiſtratâ, admovenda. Vulnus denique, quàm primum fieri poteſt, conſolidandum, ne urina per locum vulneratum involuntariè poſtmodum effluat.

Majori apparatu propoſito, *minor* quoque ſequenti modo inſtituendus, examinandus venit. Patiens nimirum puer vel infans, robuſtioris hominis femoribus, eo, quem *Toletus* depingit, imponitur modo. Si verò natu fuerit major calculoſus, Scamno innititur: Mox Lithotomus indicem oleo olivarum madidum, quandoque etiam indicem cum medio digitô, in anum immittit. Dextrâ interim Hypogaſtrium magis minùſve premit, ut calculum, digitum inter & os pubis, exploret, eumque ad Perinæi regionem propellat. Tunc eadem manu dextra, Cultello, locum ſuprà citatum, eo uſque incidit, donec per inflictum vulnus Calculus conſpectui ſeſe offerat. Niſi enim ſua ſponte prodiret, *Lapidillo* extrahendus eſſet.

In ſexu fœmineo longè facilius, imò vix aliquâ inciſione inſtitutâ, totum negotium ſine ulla ſanguinis effuſione ſæpius abſolvitur. Immiſſo videlicet meatui urinario Cathetere ſulcato, ſulcus Dilatatorium excipit, quod meatum ita dilatat, ut Forcipe Calculum extrahere admodum difficilè non ſit. Major verò ſi fuerit Calculus, via hæc urinaria minori inciſione aliquando patentior reddenda, modò violentior à Calculo dilatatio, Urinæ Incontinentiæ cauſa non exiſtat. Calculi denique ramenta aut arenulæ in veſica remanentes, injectionibus Syringæ ope inſtituendis, expurgandæ erunt.

Poſt Lithotomiam inſtitutam, ob vulnus ſolito majus inflictum, fibras veſicæ colli reſectas, aut nimium expenſas, vel etiam propter urinæ acrimoniam ejus incontinentia, aut involuntarium ſtillicidium, vel per vulnus (cujus labia jam calloſa reddita) vel per meatum urinarium, non raro remanere ſolet.

Si vulneris vitio contingat (medicamentis convenientibus ſanguinis intemperie ſalinâ priùs correctâ) patiens clunibus elevatis ſupinus locandus: mox *Cultello*, aut *Lanceolâ* oblongiori cuſpide donatâ, foraminis urinam ſtillantis latera in Perinæo leviter incidenda & ſcarificanda, unde ſanguis hac ocaſione promanans & novæ incarnationis cauſa exiſtens, abhibito convenienti Digeſtivo, ſæpe ductum hunc ita conſolidat, ut urinæ omnis præcludatur exitus; cui ſcopo exacta & regularis diæta non parum inſerviet.

Verum urina acrior, omnia quandoque remedia eludens, viamque hanc patulam ſibi ſervans, nullis rectiùs ſiſtitur, quàm Compreſſulâ, artificioſâ methodo, ope *Bracherii* ſive *Subligaculi* ductui admotâ, quæ dictum foramen comprimendo, urinæ egreſſum inhibet. (*vid. ſub titul. Inſtrum. Chirurg. Tab.* 16. *fig.* 4.)

Si ſanatâ hâc fiſtulâ urinam ſtillante, ob veſicæ tonum relaxatum, Urinæ Incontinentia remaneat, eodem Brachetio Urethra in Perinæo ſtringi poteſt, ut urina neceſſariò in veſica remanere tam diu debeat, donec relaxatâ cochleâ (quâ pro lubitu Compreſſa comprimitur) exitus ei concedatur.

Hocce tamen Subligaculum in fœminis, quarum meatus urinarius hoc modo comprimi nequit, locum non habet. Sed tantùm inſtrumentum, veſicæ formam habens, aſt complanatum, peculiari oſtio, ſtillantem urinam excipienti, donatum, Subligaculoque annexum muliebribus partibus admovetur.

Præter Bracherium occaſione Lithotomiæ in ſexu potiori adhibitum, aliud inſtrumentum ſimpliciſſimum *Poſtomis* dictum occurrit, quo urinæ incontinentia ab aliis quoque cauſis oriunda commodè compeſcitur. (*vid. Tab.* 16. *fig.* 5.)

Inſtrumenta varia pro calculo veſicæ educendo, præter ea quæ ex Fabriciô Hildano, duabus primis tabulis comprehenſa mox delineata fuere; videri & repeti rurſùs poſſunt ex figuris 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. Tabulæ XII. ſub titulô *Inſtrumenta Chirurgica*, inſertæ.

Conſultationes.

De Calculô Renis ſiniſtri.

Ex enarratis ſymptomatibus Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. D. Marci Procuratorem divexantibus, dolore ſcilicet quodam continuo gravante in ſiniſtra parte lumborum, & ſubcruentis urinis ex levi quocunque motu, iiſdemque à validiori, & concitatiori cruentis omnino, quæ poſtmodum incidentes hypoſtaſin habent ſanguinis fæci non diſſimilem, dum autem abſtinet à quocunque motu, inclareſcunt, & ſanis ſimiles effluunt, dubium occurrit, utrum cauſam habeant æſtuoſum renum calorem, ut cenſent Virorum Præclariſſimorum aliqui, in conſilium de affectu acciti; an calculum renibus impactum. Ego verò liberè, & incunctanter pronuntio, & ſtatuo, hanc urinarum varietatem cum gravitate ſiniſtræ partis lumborum non poſſe fieri ab immoderato renum calore, duplicem potiſſimùm ob cauſam. Primò quia gravitatis ſenſus continuus in rene ſiniſtro ab intemperie induci nulla ratione poteſt; ſed vel à materia ſuo pondere gravante, ut propterea prodiderit Hipp. ubi de renum calculo Primo in 6. Epid. 6. quod *in renem dolor gravis*; vel à partibus adjacentibus, quæ comprimuntur, ex Gal. in Comm. Secundò, & id patet, luculentius ex

urinis illis variis, quæ motu cruentæ evadunt, quiete verò inclareſcunt; Siquidem quando affectus ortum ducit ab intemperie, illa vigente, dura hic; qua viciſſim recedente, & ipſe cedit, nulla ſuperſtite moleſtia, niſi denuò convaluerit intemperies; cùm nulla ſit rario, quod ex levi quocumque motu incaleſcant adeò renes, ut venæ reſeratæ ſanguinem effundant. Propterea pro comperto ſtatuendum, affectus præſentis cauſam eſſe calculum in rene ſiniſtro, cùm quantitate continua in regione ſiniſtri renis prematur. *Ubi enim dolor, morbus* qui quidem calculus inæqualis, & ſcaber eſt, non lævis, & veluti marmoreus, ut aiunt: alioquin renis ſubſtantiam non abraderet; quod contingere exiſtimo ex quolibet corporis motu; magis tamen & minùs, prout concitatior eſt & minus violentus: quod quidem aliud eſt calculi ſignum ab eodem Hipp. l. cit. memoratum his verbis: *ſanguinolentum meiunt.* Neque faceſſit negotium, quod Vir Illuſtriſſ. ſtuporem non obſervet in femore è regione partis affectæ ab eodem Hipp. propoſitum; quoniam in eam molem non excrevit, ut ex venæ cavæ, & arteriæ magnæ deſcendentis compreſſione, ſpiritûs, & ſanguinis ad infernas partes affluxum intercipiat. Vomitus autem comitatus eſt pituitoſæ materiæ multâ copiâ ab aſſumpto medicamento, & injecto clyſtere. Sicuti enim hæc in ventriculo coacervata, & ad renes decumbens, ſi ab ipſorum expultrice cavitate ampla patentium exturbetur, nullam, vel levem ſaltem infert moleſtiam, ita ſi ipſis infarcta fuerit, atque adhæſerit arctius, ita ut ab expultrice non poſſit inde extrudi, & expelli, tunc novam à vena cava ſuſcipientes, continuo partium ductu coacervatur, diſcuſſiſque partibus tenuioribus in calculum concreſcit, etiamſi renes immodico calore non æſtuent, ex Gal. in prædicti textûs Commento.

Utrum autem ipſi extirpando, & excludendo potius *aquarum Thermalium*, & in primis B. Virginis ex uſu ſit futurus, quod deinde queritur; cenſuerim equidem non inutilem hanc futuram, ſi liberè permeaverit, quà expurgandis humoribus in renibus coacervatis, quà calculi incrementa prohibendo. Quod verò ipſum jam concretum ad veſicam propellere poſſint aquæ illæ, non admiſerim, ſi in eam molem excreverit, ut ureteres ſubire non poſſit, quod vereor. Neque unquam comperi diuretica lapidem frangentia, dummodo nòn coaluerit ex pluribus arenulis compactus. Has etenim ſecernere, & expurgare fateor. Quod innuit Hipp. ſequenti textu; *Quieſcere non confert ſed exerceri non repleri. Juvenes helleboro purgare, poplitis venam ſecare, cientibus urinam purgare, attenuare, & emollire.* Hæc enim cuncta conferre poſſunt cùm præſervationis loco, à calculo, conducente materiâ ad renes, tum curationis arenularum, antequam in legitimum calculum obdureſcant; quem, quando jam concrevit, incurabilem cenſeo, ut propterea quolibet medico præſidio diuretico ſuperſedendum ſit, præter ſolam rectam victûs rationem, humorumque in corpore redundantium expurgationem, vomitu, & per alvum inſtitutam. Atque hæc reſponſi loco ad prædicta quæſita abundè fuerint. *Benedict. Sylvatic. Conſil. & Reſponſ. Medic. Cent.* 3.

De Calculo Veſicæ.

Accuratè uſque adeò à Viris Excellentiſſimis expenſus eſt affectus ille, quo paucis ab hinc menſibus Perilluſtris Dominus, integræ alioquin valetudinis, divexatur, ut quod addam non habeam. Ne tamen ſententiam rogatus detrectare videar, hanc paucis proferam. Cum igitur, ſi excretum ſanguinem cum lotio, ſi pondus in perinæo, ſi dolorem, & mordacitatem, ſi acrem illam ab urina effuſa ſuperſtitem meiendi voluntatem perpendimus, dubium nullum ſit, quin pars affecta ſit veſica. Hoc ſolum ſupereſt inquirendum, an à calculo, an verò à ſalſa pituita memorata dependeant accidentia. Equidem ut verum fatear, levior licet illa in dictis partibus, continua tamen moleſtia, ponderis aliquis ſenſus in perinæo, atque ſupra enarratorum accidentium exacerbatio ab aſcenſu, deſcenſuve ſcalarum aut exercitio violentiore; nec non & ſanguinis cum urina permixtio, cùm vel equo, vel curru vehitur; de calculo præſenti mihi gravem injiciunt ſuſpicionem, ne dixerim id præter omne dubium eſſe atque luculenter comprobari ex rubris illis, albiſque arenulis, ac mucoſa illa in urina hypoſtaſi calculo perquam familiari, ut & ex ſanguine excreto, qui à ſalſæ pituitæ fluxu haud ita facilè contingit. Accedit corporis habitus, ætaſque ſenilis; præterquam quod & cathetere ipſo à perita manu inſinuato id facilè explorari poſſit. Neque à mea me abducit ſententia, quod Vir perilluſtris duos necdum, aut certè non amplius, menſes his malis opportunus fuerit; quod temporis ſpatium anguſtius videatur, quàm ut eo concreſcere calculus poſſit. Non enim ignorant Viri illi Excellentiſſimi ſæpe-numero calculum, copioſa in primis pituita obductum, non quo tempore primùm coaleſcit, ſed nonniſi grandiorem jam factum excruciare patientes. Quod obſervatum à me eſt in quodam noſtro nobili ſex abhinc annis qui ne vel leviſſimâ quidem prius veſicæ moleſtiâ affectus, ex equi citatiori curſu, ſanguinem cum lotio cæpit effundere, ac frequenti deinceps meiendi voluntate, non abſque cruciatu ſollicitari; tertio autem poſt menſe inſtituta ſectione, quod conſtanti ſententia calculum adeſſe pronunciarem, duo mole ovi gallinacei me judicio falſum non fuiſſe prodiderunt. Fruſtra quinetiam objecerit, quis quòd perilluſtris hujus Viri moleſtia paucis admodum iiſque leviſſimis medicamentis ceſſerit. Evacuatis ſiquidem, aut contemperatis humoribus ad partem affectam decumbentibus, delitèſcit nonnunquam adeo malum, ut derepente ſe quis incolumen, atque ab omni prorſus calculo immunem exiſtimet. Quod contigit nuper Illuſtrisſimo atque Reverendiſſimo Candiæ urbis Archiepiſcopo, qui cum creſcente Luna atrociſſimis earumdem partium doloribus excruciaretur, eadem decreſcente uſque adeo dolore vacabat, ut Medicorum non pauci à mea de calculo ſententia recederent, quam nihilominus alii amplexabantur, donec tandem calculus cathetere deprehenſus eſt. Quod ſi purgante medicamento perinæi illud pondus, mordacitas, meiendi voluntas, ac reliqua partium illarum noxa uſqueadeo ceſſerit, ut quindecim aut viginti dies dolore prorſus vacaverit, adſcripſerim & ego memorata accidentia Salſæ pituitæ à capite, & ventriculo ad partes illas, natura forſitan aut alia de cauſa, imbecilliores decumbenti. Quod ſi juxta vota contingeret, ut de ſalute perilluſtris ægri firmior eſſet ſpes, in errorem tamen cùm præceps ſit lapſus, ab eo quàm maximè cavendum. *Idem. ibidem.*

De Calculis Renum & Veſicæ.

Vir Nobilis annorum 58. temperamenti calidi, & humidi, ad melancholicum vergentis, ventriculum frigidum ſortitus, catharro opportunus, conqueri cœpit x. abhinc annis de doloribus nephriticis quotannis recurrentibus, cum urinis non rarò cruentis, ab excreto tamen calculo inclareſcentibus. Ab accurata verò totius corporis purgatione, aquæ potiſſimum

Tettutianæ

Tertutianæ uſu inſtituto, anno 1643. ac ſequenti, diarrhæâ graviſſimâ, & rantùm non lethali correptus biennii ſpatio nullum excrevit calculum, cujuſcumque ferè doloris nephritici expers. Anno verò 1645. novis doloribus divexatus, non tamen gravibus adeo, ejectis octo calculis, paucis diebus ab illis immunis fuit: mox anno 1646. invaleſcente iterum dolore, cum ventris, pondere infra umbilicum & acri meiendi voluntate, non ſine conſenſu extremæ glandis, calculum fabæ mole expulit, qui in extrema glande hærens inſtrumento chirurgico inde evulſus eſt: ſuperſtite tamen ventris pondere; quod de alio calculo ſuſpicionem auxit licet à perito chirurgo cathetere facto periculo nihil ſe prodiderit; ſuperſtite nihilominus frequenti meiendi voluntate, atque cùm antehac ab exercitio validiori urina cruenta efflueret, nunc & abſque illo quin etiam hujuſmodi conſpicitur, ſupprimiturque brevi temporis ſpatio, ſponte poſtea manans. Cùm vero ante hoc tempus dolores 20. & plurium dierum ſpatio convaleſcerent, nunc octo, vel x tantùm, triduo circiter id contingit, cùm excretione materiæ catarrhalis; accedente ab aliquot annis deſtillatione catarrhi ferè continua, cum raucedine, corporiſque laſſitudine, tunc potiſſimùm quando meiendi voluntas ſollicitat; ut propterea meum literis popoſcerit conſilium, cùm Parmam anno 1647. ad curam Sereniſſ. Cardinalis immortalis memoriæ accitus eſſem, cui tunc mentem aperui, ſuſpicari me ſcil. de novo calculo, quamquam à lithotomo non deprehenſo, cùm Excellentiſſ. Medici Placentini curæ ipſius præfecti prædicta ſymptomata ad catarrhum ſalſum referrent, in quibus fuit præſtantiſſimus Medicus Lodianus; iis forſitan adduci rationibus, quod catarrhi deſtillatio ſit manifeſtiſſima, nec ardor urinæ continuus, quinimo plures dies moleſtiâ vacans, atque potiſſimùm, quod lithotomi peritiſſimi effugerit manum. Cùm tamen ego mente recolerem præteritos affectus, plures calculos antehac ejectos, urinæ ſuppreſſionem ſæpe recurrentem, & illico ſponte recedentem, abſque materiæ alicujus excretione, & inſigni moleſtia, qua afficitur non ſolùm curru vectus, in lectica, & dum pedibus ambulat, cum mictione cruenta, pro comperto aſſerui calculum adeſſe in veſica, non in renibus, ut ſenſuit Excellentiſſ. Archiater Neapolitanus. *Si enim quis ſanguinem meiat, aut grumos, aut ſtillicidium urinæ patiatur, & dolor intimum incidat ventrem, pectinem, & perinæum, ad veſicam loca laborant*; ex Hipp. 4. Aph. 80. Cùm autem tunc Nobilis patiens Parmam conceſſiſſet; conſilium rogaturus Excellentiſſ. Medicor. Aulicor. aliorumque ad curam Sereniſſ. Cardin. Farneſii accitor. eadem conſtans fuit omnium ſententia; atque periculo iterum facto à lithotomo Sereniſſ. Principis, calculus ſe prodidit, ab ægro tandem admiſſus, ut propterea cum collatis ſententiis multa in medium proferrentur, unanimi tandem conſenſu determinatum fuerit quod à Gal. ſancitum eſt 5. in 6. epidem. ſcil. veſicæ ſolam manûs operationem admittere. Quod ſæpius experientia comperi; potiſſimùm verò in Perilluſtri & Reverendiſſ. Joan. Bellono, Canonico Patavino & publico magni nominis Moralis Philoſophiæ Profeſſore veſicæ calculo laborante, qui duos annos continuos plura medica præſidia tamquam competiſſima ſibi tranſmiſſa fruſtrà adhibuit, calculo ſectione extracto ovo gallinaceo mole pari, integro omninò. Cùm autem anni tempus calidum vigeret, deliberatum hanc operationem differendam eſſe ad autumnum; quo tempore eam lithotomus Placentiam accitus adminiſtravit, eduxitque calculum, & Nobilem Patientem priſtinæ valetudini reſtituit. Hæc enim dummodo peritam manum ſortiatur, in patiente alioquin boni habitûs, & integrarum virium, ſemper eſt tutiſſima; ea lege, ut fiat potiùs amplior, quàm anguſtior, cùm non ſatis conſtet de calculi magnitudine. Si enim anguſtior fuerit, dilacerantur partes in extractione calculi, atque ita ſuborto ulcere, febris quandoque interitum accelerat; quod contigit prædicto Rever. Bellono.

Cæterùm dubium ſupereſt elucidandum, qua ratione hac ætate provecta, in primo ſenio procreari poſſint calculi in veſica, cùm proditum fuerit ab Hipp. 3. in 6. Epid. 15. quòd *Lapis à mictione pueris magis*: ubi Gal. in commento. *Scimus autem, inquit, pueros quidem in veſica calculos ſibi procreare, in renibus autem ætate provectos. Cauſam verò hujus rei aſſignans Hipp. in textu, ſubjunxit*; *Utrumne quod calidiores*, quod explicans. Gal. in commento hæc habet. *Pueris itaque, qui calorem nativum multum habent, & validas functiones, materiæ craſſities fuſa ad renes pervenit, atque ob id facilè ad veſicam colatur, functionum robore non parùm ad craſſitiei penetrationem conferente. Veſica verò cùm frigida ſit, quòd nervoſa, & pauci ſanguinis exiſtat, & magnæ intus ſit capacitatis, concreſcit hic & coagmentatur.* Ex quibus patet obiter, calorem nativum ex Hipp. & Gal. diverſum eſſe à temperamento. Ratione namque temperamenti, calidiores ſunt juvenes pueris, ſi ſermo fiat de temperamento corporis viventis, qua vivens eſt. Ille namque quò propior principiis eſt generationis, eò vegetior eſt. Ex primo enim Aph. 14. *Qui creſcunt plurimum habent de calido innato*, ut ex his conſtare videatur, calculos in veſica procreari in pueris, non verò in adultis. Propterea ſtatuimus ſolutionis loco, calculos in veſica vel concreſcere immediatè, vel coagmentari ex eorum rudimento in renibus jam conclußs; in pueris verò in ipſa concreſcere immediatè quod expreſſit Hipp *à mictu* id eſt ex materia ſuperſtite poſt mictionem; in adultis autem procreari in renibus ante mictionem, ſed in veſica non rarò hærere, vel ob craſſitiem, vel ob expultricis imbecillitatem, atque tunc in veſica coagmentari, & grandiores fieri, ob adhæſum materiæ craſſæ, & viſcidæ. Quæ ſuperpondii loco fuerint. *Idem ibidem.*

De Præſervatione à calculo poſt ſectionem. Pro Reverendiſſ. Marino Cerchiari, Veneto.

Nephritidem eſſe morbum hæreditarium, palàm facit luculentiſſimè Reverendiſſ. patiens, magni nominis Concionator, & Dominicani Cœtûs Provinciæ præfectus, quippe qui parente natus eſt à pubertate ad 48. uſque ætatis annum, quo obiit, ſtranguriæ, & arenularum excretioni maximè opportuno, ut & duo ipſius fratres. Quo propterea affectu patiens Reverendiſſ. boni alioquin habitûs, ſtaturæ mediocris, & temperato propior, ab adoleſcentia excruciari cœpit. Dominicanorum ſiquidem cœtui adſcriptus 20. ætatis anno, arenulas excrevit, atque cùm in Hiſpaniam ſtudiorum causâ equo iter faceret, nocturna, diurnaque invita pollutio illi ſuborta eſt, cujus ratione vel in ſella ſedens, vel in tabula decumbens ſomnum captare coactus fuit, cùm verò juxta facti Cœtûs normam rigidam, & ſeveram piſcibus, & ovis uteretur, atque ſtudiis aſſiduò invigilaret, laneis veſtibus amictus continuo ferè prurito in extremo pene divexatus eſt. Anno verò ætatis 28. in Italiam redux, publico docendi & concionandi muneri cùm operam addixiſſet, Cœnobiorum quin etiam cura ipſi demandata magna ſollicitudine, hominis ſui famâ nec ſine n[illegible] medicis præſidiis, & propria ſalute poſthabita Dei cultui, & Dominicano Cœtui, doloribus Nephriticis atrociſſimè triduum excruciatus fuit, anno ætatis 58.

Quibus iterum novennio poſt invadentibus, Venetiis concionatus calculum parvum ejecit; hinc per vices Venetias Veronam, & aliò concionandi causâ profectus, curru vectus, non ſolum invitis pollutionibus, ſed & doloribus nephriticis atrociſſimis, ſtranguriâ continuâ, frequentique meiendi deſiderio divexatus, urinam effudit craſſam, & cruentam; cujus ratione Patavium redux conſilii causâ, cùm meam de veſicæ calculo mentem apparuiſſem, affectu ſpreto, quanquam ex levi quolibet motu cruentum quid meieret, concionaturus. Venetias reverſus, quatriduo poſt doloribus admodum urgentibus, intermiſſo munere illo, de calculo certior factus, nulli alii remedio, præter ſectionem ceſſuro, menſe Aprili proximè præterito illam tandem admiſit, qua exemptis ſeptem calculis figuræ rotundæ quibuſdam, aliis quadratæ, avellanæ mole, excepto ipſorum altero minuto, obducta cicatrice 40. poſt diebus, immani affectu liber evaſit. Cùm tamen durans arenularum mictio ſuſpicionem, nec immeritò, illi injiciat de nova calculi concretione, in aliis non rarò obſervatâ, ad noſtram confugit opem.

Quo itaque præſervetur Patiens Reverendiſſ. morum probitate, & ſublimi doctrina præſtans, brevibus præmittam quæ generationem calculorum cùm renum, tum veſicæ ſpectant. Tria verò omnino concurrere ad eorum in renibus concretionem cenſeo, Materiam, Efficientem cauſam, & ea ſine qua non. De Materia verba faciens Gal. 3. in 6. Epid. Text. Comm. 15. hæc habet; *Igitur urinarum craſſities creandorum calculorum prima, potiſſimaque cauſa eſt:* ſive coacervetur ex incompoſita victûs ratione, aut ex imperfecta chylificatione, ob imbecillitatem ventriculi, deſtillatione à capite; cibis craſſi ſucci, lacte caſeoſo, atque vinis nigris, craſſæ ſubſtantiæ; de quibus fusè Galenus 2. & 3. de Alimentorum Facultatibus; qui propterea cap. 16. ejuſdem tertii libri ſtatuit, ab omnibus craſſi ſucci cibis concreſcere calculos in renibus. Ex immodico quin etiam exercitio ſtatim à cibo, tanquam cauſa potiſſima pueros calculoſæ affectioni opportunos eſſe, prodidit 3. in 6. Epid. 15. Comm. Secunda cauſa princeps eſt Efficiens, calor nempe denſans, cogenſque materiam craſſam renibus impactam, diſcuſſis ſcilicet partibus tenuioribus. De qua idem Galen. Lib. de dignoſcendis, & curandis Renum affectibus cap. 2. ubi deditâ operâ agit de cauſis calculi, his verbis. *Ideoque ſimpliciter à calore fit in nobis calculus.* Licet enim concretio non minùs fiat à frigido, quàm à calido, non propterea cenſuerim cum Valeſio in Epidem. calculos utramque cauſam agnoſcere. Nunquàm enim in corpore intenſa adeo frigiditas viguit, quæ condenſare & obdurare poſſit. Quanquam non eo inficias, quod calor agens poſſit eſſe intenſior, & remiſſior. Si namque materia vitioſa craſſior fuerit, denſari, & obdureſcere poteſt etiam à calore remiſſo. Quod docet Gal. 3. in 6. Epidem. 15. *Igitur*, inquit, *urinarum craſſities procreandorum calculorum prima potiſſimaque cauſa eſt.* Quibus non negat mediocrem caliditatem ad hujuſmodi materiam cogendam abundè eſſe; ut hoc nomine in veſica, & inteſtinis concreſcunt calculi, quibus etiam ſenes ſunt opportuni, in quibus tamen non viget calor; quanquam ſi tenuis materia ad renes confluxerit in tophaceam & calculoſam materiam cogi non poſſit, niſi ab eorum caliditate immodica. Præter verò diſpoſitionem ratio ne materiæ craſſæ & efficaciam agentis, renum nempe caliditatem, anguſtia vaſorum in ipſis, & eorum imbecillitas accedat oportet, ex Gal. 5. de Sanit. Tuenda 7. quod, *qui latas habent venas, à cibis craſſi ſucci non læduntur*: nec immeritò, quia cùm omnis actio fiat per contactum permanentem, hic deſideratur in iis quibus venæ non ſunt amplæ, hærente materia in renibus, quin potiùs liberè preterlabente, & cum urina effuſæ. Quod mihi contigit obſervare in Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Hercule de Sancto Bonifacio, qui octogenario major, urinas ſemper profudit, copioſę pituitę viſcidiſſime immixtas, ad libram circiter, tenaciter adeò hęrentis fundo matulę, ut & ea inverſa, effuſa urina, ab illius fundo penderet; cùm tamen nullę unquam fuerint de calculo querelę toto 10. annorum ſpatio, & quod excedit, quibus ad ipſum inviſi. Quam viarum anguſtiam, cum expulericis imbecillitate cenſeo eſſe diſpoſitionem hęreditariam, non facultatem quandam petrificam; quę aliquorum eſt ſententia; cùm etiam in aliis partibus concreſcant calculi; neque ſuccum aliquem tartareum, ut exiſtimant alii, cùm hoc non careat quęlibet terreſtris materia, atque non rarò potores à calculo immunes degant, licet vinum fuerit fœculentum, & tartareum. Sicuti enim ex gibbis gibbi, ex luſcis luſci, aliique ex aliis hujuſmodi naſcuntur, facultatis formatricis vitio à ſemine, ex Gal. 6. Aph. 18. ubi de podagra ſub finem Comm. ait: *Accedit ad has cauſas relatas, ob quas plerique nunc podagra infeſtantur, quod parentes, & avos multi podagricos habuere, in quibus ſcilicet ſemen erat corruptum, atque ideo poſteris majorem conciliavit partium imbecillitatem.* Ita renes malè conformari cenſeo, & imbecilliores reddi à ſemine vitiato. Cùm enim anguſtiora ſunt vaſa, hęret materia craſſa, aut in renum cavo, aut frequentiùs in tenuibus illis meatibus in carunculas papillares patentibus, qui urinam tranſmittunt in ureterum ramos, per illorum ſubſtantiam divaricatos; atque ita in calculum concreſcit, affluente ſenſim novâ materiâ; ex primo in 6. Epid. 6. Quod ſi quærat quis, quomodo procreentur in veſica, qua ipſos ſæpius concludi patet experientia: hoc referat reſponſum, fieri dupliciter: primariò & per ſe, ex materia craſſa, & terreſtri à renibus ad veſicam illabente: ſecundò ex arenulis aut calculis minoribus ad veſicam propulſis; ubi hærentes, ex allapſu novæ materiæ craſſæ, & glutinoſæ, atque ejus adhæſu, grandeſcunt. Primus generationis modus fuit à Gal. memoratus 3. in 6. Epidem. 15. explicante Hipp. verba. *Lapis à mictu pueris magis.* Dum enim dicit lapidem à mictu fieri, innuere voluit non excidere lapidem à renibus cum urina, ſed coagmentari in veſica poſt mictum, id eſt, ex materia prolabente cum urina. Quod clarius patet in alia verſione. *Poſt mictum concretio pueris magis.* Ideò Galenus in illo Comm. addit. *Veritas autem eſt, calculos pueris, ob urinæ craſſitudinem in veſica procreari. Porrò urinas craſſiſſimas à pueris reddi, ab omnibus ante nos medicis conceſſum eſt*; inquit Gal. Quod clariùs expreſſit, dum ait; *craſſas enim urinas excerni, & evidenter apparet, & rerum teſtimonio declaratum eſt. Hujuſmodi namque craſſitudo multa collecta, & in unum coacta, cum ſemel aliquando non opportunè excreta intus diutius manſerit, coagmentandi, concreſcendique initium capit, eoque principio facto, facilè poſtea quicquid iterum craſſum in veſicam illabitur priori agglutinatur, majorque inde tophaceus calculus redditur; quemadmodum extra corpus, & in calidis aquis ſponte naſcentibus, & in vaſis ubi caleſit aqua quotidie lapis concreſcere cernitur.* Hæc Gal. Quod confirmat 2. Progn. 75. his verbis: *Propter importunos, & exuperantes cibos copia plurima colligitur humoris crudi vocati in corporibus puerorum. Is igitur per renes expurgatur quotidie, atque etiam per urinarios meatus in veſica collectus interdum calculos in ea gignit*; omniumque luculentiſſimè 3. Aphor. 26. ubi dum collocat Hipp. calculos inter morbos puerorum, Gal. in Comm. ait; *Lithiaſis verò, id eſt calculi in veſica generatio proprius eſt puerorum morbus*, atque adducens

rationem

rationem addit. *Propter edacitatem, & ingluviem crudos humores non paucos coacervantium, ex quibus craſſior pars unà cum urinis ad veſicam comportata, ſit lapidum gignendorum materia, accedente cauſa altera, caloris ſcil. copia.* Nec alia ratione procreantur calculi in puerulis lactantibus. Quod autem calculus in illis concreſcat ex lacte, patet ex Libro de Morbis Hipp. vel Polybi potiùs, ubi hæc habentur: *Cæterùm calculi morbi principium oboritur à lacte, ubi puer lac impurum ſugit.* De loco demum concretionis eorum hæc addit: *Et ubi ſuxerit lac non purum, ſed terreum, & pituitoſum, & habuerit puer venas de ventriculo ad veſicam amplas, & attrahentes, ſi quid in lacte non purum fuerit, id quo veſica fruitur, lapis fit.* Hoc confirmat quin etiam Hipp. Lib. de Aëre, Aquis, & locis: ut propterea plus ſatis probatum fuerit, lapidem primò, & immediate quandoque in veſica procreari poſſe. Quæ fuit etiam Ariſt. ſententia 5. de Hiſtoria Animalium 15. cùm ait: *Defunctis nihil humoris in veſicam tranſmittitur; ac vivis non ſolùm humor, ſed etiam ſicca quædam excrementa deſcendunt ex quibus calculi conficiuntur,* coagmentatur ſecundò in veſica lapis ex lapillis à renibus ad veſicam exturbatis & in ea hærentibus, atque ex novæ materiæ allapſu coaleſcentibus. Quod patet in Reverendiſſ. noſtro patiente, ex cujus veſica exempti fuerunt ſeptem calculi, quorum alter in operatione obtritus, minutum alium in ſinu veluti exhibuit diverſi coloris, à materia ipſi accreſcente, & agglutinata. Quod idem palàm fecit alius ex cadavere alterius adm. Rev. ejuſdem cœtûs exemptus mole magnæ caſtaneæ, attritus, qui & ipſe minutum in medio protulit in conſpectum varii coloris: quod me judice, eſt indicium luculentum concretionis ipſorum in diverſis locis. Quanquam enim concedi poſſit, calculum etiam in veſica procreatum poſſe in ſe complecti alium minutum in eodem concretum, ſuperinductâ veluti laminâ, vel pluribus per adhæſum novæ materiæ; non tamen fuerit diverſi coloris, cùm ſemper calculi veſicæ ſint albicantes: renum verò ferè ſemper flaveſcant; ut propterea cùm minuti illi ſint flavi coloris, & cortice albi, ſtatuendum ſit, ipſos è renibus in veſicam excidiſſe, quod perſpicuum ſit magis ex alio minuto calculo in Reverendiſſ. Patre exempto flavi coloris, quod nondum excreviſſet novæ materiæ adhæſu. Qua in re obſervanda Hippoc. ſententia Lib. de morbis, ubi de veſicæ calculo; *Patiens ejicit aliquando lapides duos, aut etiam plures minutos eodem modo procreatos.* Quaſi dicat, calculos à renibus ad veſicam prolapſos eſſe quandoque plures, eoſque ſecretos, qui ſeorſum concreſcentes, plures in veſica calculos efformant; atque ideò mirum non eſt quod in Patre Reverendiſſ. inventi ſint ſeptem, ex quibus unus nondum incrementum ſuſceperat. Quòd autem in calculo veſicæ minutus alius deliteſcere poſſit, luculentiſſimè patet ex calculis in veſica fellea, ubi concreſcuut non tranſmiſſi à renibus, ſed ex minutorum quodam in ipſa rudimento, qui per adhæſum novæ materiæ augentur. Quod oculata fide confirmatum in calculo veſicæ felleæ, Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. M. Antonii Cornelii Epiſcopi Patavini, ejus cadavere me preſente diſſecto, qui penes me eſt, pluribus conſpectus. Dubium hìc tamen occurrit, cur pueri ſint opportuni magis calculi veſicæ, renum verò adulti, cùm tamen illi ſint iſtis calidiores, in quibus propterea frequentiùs concreſcere deberent in renibus, qui veſicâ ſunt calidiores, partes utpote carnoſę, pluribus venis & arteriis perfuſæ, cùm hæc ſit exanguis. Quod ego quoque obſervavi in Sereniſſ. Archiduce Joanne Carolo, Sacræ C. M. natu maximo, ad cujus curationem accitus fui. Solutio eſt, quod caliditas calculi efficiens cauſa ſit potius acris, & mordax, quæ magis viget in adultis, cùm pueri calido innato abundent, humorum concoctioni, & robori facultatum accommodato magis. Quod propterea humores crudos ad renes confluentes concoquit, qui ab expultrice valida à renibus ad veſicam poſtmodum propelluntur, in qua deinde ſi remorentur, denſantur, concreſcunt. Quod in Sereniſſ. Archiduci non contigit, quoniam hæreditariam vaſorum anguſtiam, & expultricis imbecillitatem ab utero materno contraxerat, Sereniſſimâ ipſius matre calculoſâ extinctâ: ut hoc nomine nec humores crudos attenuare, & concoquere, nec eoſdem à renibus exturbare potuerit. Quæ præmittenda duxi ad calculorum eſſentiam, & cauſas.

Præſervationem quod ſpectat, ſupponendum eſt, tanquam veriſſimum Hipp. ſancitum 6. Aphor. 6. Renum, & veſicæ vitia in ſenibus difficulter ſanari: quod clariùs 8. in 6. Epid. Text. Comm. 25. proprio teſtimonio confirmatum; cùm ait: *Vitia renum poſt annum quinquageſimum ſanata non vidi.* Quanquam enim tolli poſſint objecta aliena actu lædentia, morboſæ tamen affectiones confirmatæ & diuturnę removeri non poſſunt. Parcant Gal. manes in Comm. Ego namque in calculis ſemper obſervavi, quod ſcilicet ſectione exempti fuerint ex veſica, & obductum vulnus, vel iterum concreverint; ut contigit Reverendo Piazzolæ, ex Benedictinorum cœtu; vel effluxerit ſemper materia corrupta, ut in Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Marchione Riario, Venetiis ſecto, & à me curato obſervavi; vel impedimentum perſtiterit in congreſſu Venereo, ut accidit Illuſtriſſ. equiti Livio Zabarellę, me præſente ſecto; vel continua ſuperſtes fuerit arenularum excretio quod obſervatum in hoc Reverendiſſ. noſtro patienre: ut juxta Hippocratem de ſola præſervatione cogitandum ſit.

Hęc autem in eo potiſſimum ſita eſt, ut prohibeatur novus humoris vitioſi proventus. In morbis enim ex materia quamquam ſint hœreditarii, cum intenſa caliditate, deficiente materia vitioſa, calculus nunquam procreabitur. Tribus verò potiſſimùm medicis præſidiis hoc præſtabimus.

Primum, & potiſſimum eſt, ut cibis attenuantibus & facilis coctionis utatur, panè ſcilicet bene frumentato, ſalſamentis cibi loco, *melle*, moderatè tamen mediocriter ſalitis, vinis tenuis ſubſtantiæ, albis non dulcibus: miſſis cibis craſſi ſucci, carnibus bubulis, ſuillis vervecinis, aut oleribus, piſcibus, præſertim paluſtribus, & teſtaceis; laganis item, & leguminibus præter ciceres, atque caſeo, maximè verò antiquo. A cibo ſaltem in hebdomada abſtineat, & mediocri utatur exercitio; non tamen ſtatim à cibo, quo tempore intermittat etiam ſtudia. Quod ſi quandoque cruditates in ventriculo abundent, diutius decumbat, & dormiat manu ventriculo appoſita. A cibo vomitum ſemel in hebdomada ſaltem cieat, oxymel. ſcil. dummodo ab eo non ſit valdè alienus. Quod ſi contingeret, aſſumat drach. 1. pil. de hiera cum agar. horâ ante cœnam: atque quotidie deſcendat alvus vel ſponte, vel ſuppoſitorio, vel clyſtere; vel uſu pilul. ex aloë lota cum ſucco roſarum, vel cremore tartari cibis aſperſo. Bis autem in anno purgationem univerſalem moliatur, Vere, & Autumno, cum aliqua ſanguinis eductione ex ſalvatella dextra: quo tempore uti quin etiam poterit diureticis ad emundandos renes, & veſicam: in quem uſum accommodata erit Terebinthina Veneta, cum ſpiritu ſalis, cremore tartari, & aquis diureticis, octidui ſpatio: à quibus tamen aliis temporibus abſtinendum cenſeo, ne crudos humores, ciboſque non concoctos devehant ad renes. Quæ præſervationis loco abundè fore cenſeo.

Faxit D. O. Omnipotens ut cedant ad vota. *Idem ibidem.*

Calculus Renum &c.

Illuſtriſſimus Adoleſcens vigeſimum quintum annum agens, temperamenti totius & jecoris calidi & humidi, carnoſi habitûs; dum diebus elapſis ad inviſendas Italiæ urbes unà cum ſociis iter faciebat, dolore vehementi in latere ſiniſtro, à rene ad abdomen ſeſe extendente correptus fuit, cum mingendi & egerendi inclinatione, imò & irritamento, qui paucis horis remiſit; ſed ſequenti die rediit vehementior, cum iiſdem ſymptomatibus, addito etiam vomitu & inſigni ad vomendum irritamento. Ceſſavit iterum dolor, ſed tertio die reverſus eſt, dum in rheda iter faciebat, intolerabilis ita, ut extra rhedam pedibus incedere atque currere coactus fuerit. Veronam tandem perveniens, Clyſteres præſcripti fuerunt, & caſſia exhibita, cum nonnullis inunctionibus, quibus nonnihil quievit dolor, ita ut rurſus iter capere eidem permiſerit: nunquam tamen, nec arenulas, minuſque calculos per urinam excrevit, imò nec urinæ ipſæ turbidæ obſervatæ fuerunt, ſed tenuiſſimæ ſemper & pellucidæ. Cùm autem Patavium pervenerit; doloribus immunis, de agendis conſulit, Venetiis domi ſuę exequendis.

Nephriticis doloribus divexatum fuiſſe Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Adoleſcentem, non eſt quod dubitemus, ſi ſigna ab Hipp. recenſita conſideremus, dolorem gravem ſcilicet in regione renis dextri, cum vomitu & urinæ ſtillicidio. Et quamvis arenulæ in urinis non ſubſideant, id nihil obſtat: quando enim Hipp. dixit, quod *Quibus in urinis arenoſa ſubſident, iis renes, aut veſica calculo laborant*, vult nobis innuere, quòd arenulę calculi præſentiam confirmare poſſint; unde & Gal. dicere ſolebat, quod dum dubitatur, utrumve dolor nephriticus ſit, an potiùs colicus, ſubdit, quod *ſi arenulæ aut calculi in urinis ſubſideant, tollitur omnis quæſtio*: non tamen è contra, arenulis non apparentibus, calculos non adeſſe ſit affirmandum. Arenularum autem carentia, calculis non tophacei, ſed denſioris, & marmoreæ ſubſtantiæ ſuſpicionem præbet, ſicut magnitudinis, eſſe meatibus non proportionatę, quod ſi parvus eſſet, multò anguſtiores forent exiſtimandi ipſi meatus, papillæ nimirum, cùm nunquam antea hoc affectu tentatus fuerit: etenim cùm multo tempore intermittant dolores & redeant, calculum aut in renis cavitate, aut in infundibulo reperiri credendum, dolorem excitantem quotieſcunque ureteres ingredi tentat. Quare licet & in præſens dolore vacet Nob. Adoleſcens, calculum tamen geſtare pro certo habendum, & idcirco Curatione indigere, executione intentionum ab Hipp. propoſitarum dum dicebat, *Juvenes Veratro purgare, poplitem incidere, urinarios mundare, tenuare, & mollire.*

Quibus intentionibus ut ſatisfiat, abs re non erit Leniens repetere ex elect. lenit. & tart. vel potionem ex manna clarificata, ut tutior evadat Diureticorum uſus. Mox in caſu noſtro ordinem ita ſervandum cenſeo, quod primò Emollientia & Laxantia præmittantur, ut meatus dilatari atque laxari poſſint. Secundò. ſequantur Diuretica ad impellendum calculum ipſum; quibus non ſufficientibus, tandem ad Lithontriptica, tenuantia ab Hipp. dicta, deveniendum. Neque interim de ſanguine mittendo cogitandum, niſi imminente renis inflammatione: tunc enim poplitis vena cum Hipp. incidenda & cum Gal. vena brachii in Plethoricis pro revulſione, ſicut cum Hipp. pro derivatione.

Pro prima igitur intentione, poſt aſſumptum Leniens, uſum Terebinthinæ noſtræ Venetæ propono, liquiritiæ raſurâ reformatæ, cui poſt horam ſuperbibat jus tenue pullæ, foliis malvarum, violariæ & parietariæ alteratum. Quo eodem tempore manè & veſpere pars affecta foveatur magna ſpongia tali decoctione calente imbuta & expreſſa.

℞. Fol. malvarum, parietariæ, chamæmeli, anethi, meliloti an. m. j. rad. althææ, lil. alb. raphani. an. ℥j. fœniculi, apii an. ℥ß. aq. com. ℔xii. contund. incid. & m. bulliant ad conſumpt. tertiæ pro fotu. Amotâ verò ſpongiâ, ſtatim illiniatur pars manu, oleis lil. alb. & de ſcorpionibus inunctâ. In horum emollientium & laxantium uſu plures dies immorandum, niſi dolores revertantur & urgeant: tunc enim fomentationes & inunctiones non omittendo, ad impellentia medicamenta diuretica deveniendum, & eſſe poterunt ſal. tartar. volatilizatum ad ℈j. in aq. ſtillat. ononid. & parietariæ, addito ſucco limonum. Pariter inſignem vim permeandi & impellendi habet ſpiritus tartari alcalizatus, ad gutt. xii. vel xv. in eadem aqua; quæ medicamenta, non cedente calculo, nec remittente dolore, ſunt repetenda.

Pro tertia intentione explenda, efficaciſſima ſemper fuit eſſentia cryſtalli, à ſemidrachma uſque ad drachmam integram in jam dictis aquis offerenda: ſic & magiſterium oculorum Cancrorum. Et tandem omnibus incaſſum tentatis (quod futurum eſſe non credo) ad ſucci cæpæ albæ, per expreſſionem extracti; aq. ſtillat. parietariæ, vini malvatici ſuavis an. ℥iv. m. f. potio, urgentibus doloribus, nec cæteris medicamentis cedentibus, propinanda. Hæcque pro Curatione: nam de Præſervatione aliàs erit ſermo, dum cauſæ quoque materiales, efficientes, & ſine qua non examinandæ erunt.

His jam dictis congrua vivendi ratio eſt addenda; victus enim mediocriter tenuis eſſe debet & facillimę concoctionis: augentur enim dolores: ut ait Hipp. dum cibo implentur, vinum pro potu conſueto concedendum, album, tenue, & ſubdulce. Exercitium quàm maximè confert, & ideo Hipp. repetit, quod *Exerceri convenit, nec quieſcere.* Sicut pro evacuatione ſolicitanda frequentes debent eſſe clyſteres, præſertim oleo de lino parati, ut qui dolores quoque ſedare valeant. Quę omnia Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Adoleſcenti à ſummo Deo ſalutaria precor. *Ioann. Raym. Fortis, Conſ. & reſp. Medicin. T. 2. Cent. 3.*

Pro Calculo Renis ſiniſtri &c.

Eques Illuſtriſſimus, ex Patre Nephritico natus, Calculoſus & ipſe calculos enim aliàs, & non exiguæ magnitudinis, nephriticis prægreſſis doloribus, per urinam excrevit; quatuor ab hinc menſibus circiter calculum in rene ſiniſtro geſtat forſan neglectum, quia in renis cavitate contentus, cruciatus conſuetos non intulerit, ſed tantùm in ipſo rene dolorem gravem, ſive gravativum, ita ab Hipp. nuncupatum ut propterea, neglecta quoque facilè congrua vivendi ratione, progreſſu ad tantam molem increverit, ut papillas egredi non potuerit, & ideo dolores exacerbabantur, à quibus papilla contracta, egreſſum non admittebat, & ideo dolor gravativus manebat. Et quoniam aut in rheda, aut equitando, calculorum deſcenſum à renibus in veſicam promoveri, indiſtinctè vulgò creditur; idcirco & Illuſtriſſimus ipſe hoc deceptus axiomate, Equo gradatim currente iter fecit, ut ad aquas vitriolatas epotandas perveniret, quo violento motu

motu calculus renem contundens, nec exire valens, phlogoſin, & forſan etiam, legitimam inflammationem in ipſo rene excitavit, quam neceſſario febricula ſubſecuta fuit; ad cujus adventum & ſitim cum linguæ ſiccitate, & ventriculi anatropam, & totius corporis maciem; quæ omnia antea à calculi præſentia procedebant, adaucta fuiſſe mirandum non eſt. In deterius autem lapſum equitem Illuſtriſſ. cenſeo, ob aquæ vitriolatæ aſſumptæ retentionem, quæ ſanguini immiſta, eundem inquinare, & corrupta corrumpere quoque potuit. Nec retentionis cauſa in aquas ipſas, quamvis nondum ſatis à Sole confectas, eſt referenda, ſed in renum anguſtiam: conflictatus enim à lapide ren ipſe affectus, conſtringitur, & in conſenſum trahit renem alterum non affectum, ut propterea difficilis & imminutus valde aquarum tranſitus fuerit.

Quibus ita ſe habentibus, exiguam ſpem ſupereſſe, nullus erit in arte verſatus qui non videat, tum quia calculi excretio tot congruis remediis incaſſum tentata fuit, tum quia febris ſymptomatica, nempe à rene affecto, à me exiſtimata, inflammationem ſuppurandam minatur, & interim neceſſaria Lithontriptica prohibet; & ideò febri (ſi perſeverat) & reni afflicto, tanquam urgentiori, & veluti cauſa ſine qua non, incumbendum eſt: mox ad ipſum calculum dirigenda Curatio.

Adverſus febrem & renis afflictionem, pugnandum Evacuantibus, Refrigerantibus, Repellentibus, & Derivantibus. Adverſus calculum, Diureticis, Laxantibus & Lithontripticis, habita tamen ſemper virium ratione. Quibus omnibus ſequenti ordine ſatisfaciendum eſſe puto; ut primæ aquæ eductio iterum atque iterum procuretur blandis medicamentis, ut eſt potio ex manna clarif. aut flos caſſ. cum Magiſt. Mechoac. ſuperpræbendo jus malvis vel hordeo alteratum. Inde aperiatur ſaphæna lateris affecti, hæcque juxta Hippocratis doctrinam *Veratro, purgare, poplitis venam incidere*, idque quoniam, non conſtantibus viribus, revulſio à vena ſuperiori ipſi derivationi præmitti non poteſt. Interim extrinſecus refrigerantia, ſed cum exigua ſubaſtrictione apponenda, ut ſimplex unguentum roſac. Meſues, cui progreſſu addi poterit etiam malvinum.

Victûs autem ratio debet eſſe ſubſtantificè humectans, renutriens, vireſque non ſolùm conſervans ſed etiam, non inhibente inflammatione, ipſas adaugens.

Ablata febre & inflammationis ſuſpicione, contra calculum vires medicæ erunt intendendæ, Hippocratis præceptis obtemperando, nimirum vias urinarias mundando, ductus laxando, & lapidem ipſum frangendo: quas intentiones nobis inſinuavit ſub illis verbis, *Urinarios mundare, attenuare atque mollire.* Et quoniam propriis remediis primæ & ſecundæ intentioni à Viris Excellentiſſimis ſatisfieri non potuit, nempe poſt expectitam ventris expiationem, diureticis, atque laxantibus, & demum aquis ipſis vitriolatis; idcirco ad tertiam intentionem deveniendum eſſe mihi videtur: dum enim calculus præ magnitudine vias, nempe papillas ipſas, quamvis emollitas atque laxatas, pervadere non poteſt, tota vis Curationis in ejuſdem calculi fractione, aut eroſione & imminutione poſita eſt, nunquam tamen laxantibus & aperientibus omiſſis. Quare ad Lithontriptica confugiendum: inter quæ ſelectiora & efficaciora apud nos experta ſunt, ſal tartari volatilizatus ad ℈j. in aqua ononidis; Magiſterium oculorum cancrorum pariter ad ℈j. vel in eadem aqua, vel in aqua è thecis fabarum, Eſſentia cryſtalli montani ad ſemidrachmam in aqua parietariæ; atque tandem ſuccus cæpæ albæ, per expreſſionem extractus, ita parandus.

℞. Succi cœparum alb. aq. pariet. vin. malvaſii ſuavis an. ℥iv. m. pro potu. Et quoniam jam dicta Lithontriptica non quotidie, ſed tertio aut quarto quoque die ſunt repetenda, idcirco diebus intermediis Laxantia & Aperientia non ſunt omittenda, ut Terebinthina Cypria tota nocte detenta in aqua malvarum ad ʒj. quæ reformetur cum ſemidrach. pulver. oſſium meſpilorum, & huic ſuperbibat cyathum aquæ malvarum, vel jus malvis alteratum, addito ſucco limonum. Extrinſecus quoque fomenta mane & veſperi ſunt in uſum ducenda, quæ Balnei vicem ſupplebunt, magnam ſpongiam reni apponendo, imbutam & ſemi expreſſam, decoctione fol. malv. chamæmeli, parietar. ſaxifragiæ, meliloti, radic. althææ, lil. alb. ſem. lini & fœnugræci; Et urgentibus doloribus apponatur omentum vituli, oleo amygd. & de ſcorpionibus imbutum, quibus addi poterit etiam liliaceum pro inunctione, poſt amotam ſpongiam facienda.

Sic fracto aut comminuto calculo, tunc locum habere poterunt aquæ vitriolatæ, ad ipſum educendum, & renes atque urinarios meatus mundandos.

His autem omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, à Viris Excell. Adſtantibus præſcribenda: quibus & cætera omnia meliùs dirigenda committo.

Appendix ad antecedentem Conſultationem.

Poſt perſcriptam conſultationem, ad me pervenit relatio Præclariſſimorum Virorum de ſtatu equitis Illuſtriſſimi, à priori diverſo, cujus diverſitas in duobus conſiſtere mihi videtur, nimirum in doloris renis remiſſione, & in virium ſubitanea proſtratione. Levaminis cauſam non in ſolam calculi mictionem, ſed in materiæ pituitoſæ partim, ſi non purulentæ, ſaltem analogæ puri, excretionem referendam eſſe crediderim ego, cùm dolor in rene perſeveraverit, etiam calculo in Urethra exiſtente: urinam ex diſrupto in rene abſceſſu inflammatorio materia jam dicta alba, & forſan purulenta, pituitæ immiſta, non effluxerit, ut non ſine ratione dubitari poteſt, cùm derepente dolor evanuerit, aut ſaltem remiſſus fuerit. Nec obſtat remiſſa febris, & pulſus ferè ad totalem Apirexiam perductus, cum doceat Divinus Senex, quòd *dum pus conficitur, dolores & febres magis fiunt, quàm pure jam confecto.* Quoniam verò ſequenti die urinæ fœculentæ & ferè ſubcruentæ apparuere; idcirco calculum excretis multò majorem adhuc in rene reperiri ſummoperè dubitandum, cùm jam nuper excreti figurati fuerint, ita ut fragmenta exiſtimari non debeant. Interim tamen utriuſque affectûs ſymptomata & excreta diligenter obſervanda, ut veritas innoteſcat. Virium autem proſtrationem totam hepati ſoli tribui poſſe non video: vitiata namque hæmatoſis ipſa, ad Cachexiam, indeque ad Hydropem Patientes ducere ſolet. Quare adderam ego ſanguinis inquinamentum ab aquæ vitriolatæ retentione introductum, cujus cauſa ſpiritus vitales qui ex ipſo probo ſanguine generari debent, reproduci non poſſint: non excludendo tamen jecoris labefactationem, obruto à copia aquarum ejuſdem nativo calore, niſi concurrat forſan etiam in rene tumoris eruptio, cùm *A tuberculi intus ruptione exolutio contingere ſoleat*, ut monet Hippoc. Quare adhuc in vitæ diſcrimine verſamur, cùm pro viribus reparandis maſſæ ſanguineæ purificatio requiratur, quæ nonniſi hydragogis medicamentis à virium imbecillitate

non permiſſis, procurari poteſt; præterquam quod calculi excretio adhuc tentanda reſtat, quam difficiliorem reddere poſſet renis ulcus, ab abſceſſu diſrupto relictum.

Quibus omnibus conſideratis, urgentiori dubio procul eſt incumbendum, viribus nempe reparandis, ſive quibus cætera remedia incaſſum, imò cum præjudicio adminiſtrarentur: illis enim reaſſumptis, ut dicebat Celſus, Medicinæ dabitur locus: & hîc obſervandum venit Hippoc. præceptum, *Quibus ſemel, aut bis, plurane, an pauciora offerre oporteat*, conſiderandum eſſe; & præterea Galeni Commentum, in quo monet, viribus exiſtentibus imbecillibus, parùm & ſæpe cibum eſſe offerendum, qui ſit boni ſucci, facillimæ concoctionis ac diſtributionis, & pauci excrementi. Et quoniam *facilius eſt implere potu, quam cibo*, ideo convenire poterunt, præter jura carnium in quibus ſint diſſoluta lutea ovorum recentium, nonnunquam reſtaurum pulli, quandoque contuſum; addantur quoque emulſiones amygdalarum dulc. recent. & piſtaciorum. Proderit quoque vinum aromaticum modicè exhibitum. Semper ante cibum aliquod Cardiacum proficuum erit, ut julapium geminatum Mag. Duc. in exigua aqua totius citri, aut florum ejuſdem; Species quoque Diahyacynthi in aqua ſcorzoneræ. Interdum bolus ex Alchermes & hepate lupi paratus. Caro quoque viperina, cum reliquis carnibus ebullita, vim quandam balſamicam, & calori nativo noſtro analogam obtinet.

Quamprimùm verò Curationem vires permittant, ab aquæ eductione erit incipienda, & interim renis ſtatus obſervandus; ut opportuna medela adhiberi poſſit: non omittendo tamen Clyſteres naturam ipſam ad aquam educendam excitantes. Quæ pauca ſubdidi, à ſapientibus viris examinanda. *Idem ibidem.*

Calculi Renum in Puero.

Princeps excellentiſſimus Puer duodecim annorum, ex Patre valetudinario & immaturè defuncto natus, temperamenti ad calidum & ſiccum vergentis; hepatis calidioris, mediocris habitus, liberè vivens, imò eduliis craſſi ſucci de more utens, & immodicis exercitiis deditus; uſque ad decimum annum ætatis ſuæ ſemper valetudinarius, frequentibus nempe febribus obnoxius, cum alvi conſueta ſtypticitate. Præterea ſomni turbari, cum ſpectris terrificis quandoque ei contingunt, ita ut clamoribus expergiſcatur, nec præteritorum quicquam recordetur. Caput ejus frequentiſſimè gravatur, & per nares nonnunquam catharrhalis materia copioſa & craſſa expurgatur, quæ detenta, nares ita obſtruit, ut dormiens ore adaperto reſpirare cogatur. Duobus tamen abhinc annis ſanitate ſatis laudabili frui cœpit: verùm renum dolores acceſſerunt, per intervalla frequenter recurrentes, quos ſolvit mictio calculorum rotundæ figuræ: qui ſi diebus aliquot (integra hebdomada) retineantur, dolores vehementiores & acerbiores afferunt, donec calculus conſueto major per urinam excretus fuerit: à cujus mictione prorſus à doloribus immunis & alacris manet. Et cum frequenter repetat hujuſmodi affectus, à Te Vir Doctiſſime, præſervationem implorat.

Quod Excellentiſſimus Princeps duodecimum ſuæ ætatis annum agens, ſtatim natus, uſque ad decimum annum multis & variis ægritudinibus conflictatus fuerit, mirum videri non debet, cùm hæreditariam à Patre valetudinario pravam totius corporis diſpoſitionem ſortitus fuerit, & præſertim capitis intemperiem calidam & humidam, quæ id ipſum excrementoſum reddidit, & deſtillationibus valdè obnoxium; præterea jecur juſto calidius cum fervore, atque eorumdem pravam diatheſin & calculoſam diſpoſitionem; & propterea dicebat Galenus, quòd *Catharrus omnium morborum fons, & ſoboles eſſe poſſit, cujus vi totum corpus languere ſolet*; quod facilè deſumpſerat ab Hippocrate aſſerente, quod *deſtillationes à capite magno tædio atque moleſtiâ naturam frangant*, potiſſimùm verò in Excellentiſſ. Puero, cerebri emunctorium, nares ſcilicet, anguſtum habente. Quare cùm à perenni deſtillatione in ventriculum ciborum coctiones imminutæ ſecutæ fuerint, bilioſis humoribus à calido jecore genitis immiſtæ, & maſſam ſanguineam inquinantes, fermentatæ frequenter & putrefactæ, febres modò acutas, modò chronicas præteritis annis excitarunt; ſed tandem ad renes tranſmiſſæ ſive deductæ, extra conſuetudinem & valdè immaturè in calculos albi & flavi coloris, marmoreos potiùs, quàm tophaceos converti cœperunt, ſuggerente renibus materiam prava vivendi ratione, nimirùm craſſis, concoctu difficilibus & excrementoſis alimentis, quibus delectatur; præterea vehementibus & intempeſtivis motionibus corporis; & diureticorum, nempe granorum juniperi & fœniculi in potu, abuſu, quo materia pro calculis producendis ad renes quotidie ducitur: præſertim verò cum alvi ſtypcitate, dicente Aëtio; quòd *Si alvus bene ſubierit, pauciora lotia prodibunt.* Rariſſima equidem in Puero calculoſa conditio, quam ſemel tantùm huc uſque mihi vidiſſe contigit, & ſemel ſe videre potuiſſe aſſeruit Cardanus: Pueris enim propria & familiaris eſſe ſolet calculorum in veſica productio, unde Hippocr. dicebat, *Poſt victum concretio Pueris magis, num quoniam calidiores?* Et modum alibi explicat, dicens, *Quorum alvus ardens, ac fervida fuerit ſic & veſica, ita excalefacta, urinam non dimittit, & quod craſſiſſimum & turbidiſſimum eſt, coacervatur, & dum volvitur, concreſcit*; quod evenire ſæpe ſolet etiam infantibus ex impuro lacte Nutricis pravis alimentis connutritæ. Et quoniam ſicut calor intenſus veſicæ, unà cum cruditatibus, in Pueris Lithiaſin generat, ita ab eodem in adultis ratione ætatis in renibus adaucto, nephritis excitari ſolet: ut propterea docuerit Gal. Lac Pueris in veſica, Adultis in renibus calculos generare, ſic & magis caſeum; idque quoniam ad calculorum productionem concurrit calor, ut cauſa efficiens, & humorum craſſities, ut cauſa materialis. Cùm autem calorem hujuſmodi excedentem in renibus Pueri non habeant, ut calculum producere valeat, examinanda à nobis eſt cauſa hujus raritatis, ſi Excellentiſſimo huic Puero præſervatio eſt præſcribenda. Hanc igitur à mala vaſorum & renum conformatione hæreditaria, ab Excellentiſſimo calculoſo Patre contracta, pendere pro certo eſt habendum, quæ conſiſtit in amplitudine vaſorum emulgentium, & in renum denſitate atque ureterum anguſtia: ut ideo renes facilè à jecore per ampla ſuperiora vaſa cruditates multas ſuſcipiant & attrahant, ſed ſubinde ob propriam denſitatem eaſdem non dimittant & retineant, ſicque diu retentæ, etiam à moderato calore in calculos convertantur, quam cauſam tetigit & ipſe Gal. dum dixit, *Succi craſſi non in omnibus calculos generant, quibuſdam enim denſi renes, & peranguſta ſunt ora vaſorum, quibuſdam è contra*; quod idem alibi ita confirmavit, *omnia craſſi ſucci* in renibus calculos generant, dum tranſitus latos non habeant. Et hæc cauſa ab Oribaſio quoque recepta fuit, imò & à recentioribus ferè omnibus, dum Fonſeca protulit, quod Calculoſa &. hæreditaria renum diſpoſitio, etiam cum pauco renum calore præſente materia, eſt ſufficiens ad calculorum in renibus generationem; & idcirco ut cauſa ſine qua non ab univerſali

Medicorum

Medicorum ſcholâ recepta fuit. Ita in caſu noſtro juges cruditates, partim à capite in ventriculum deſcendentes, & coctionibus officientes, partim à ciborum ſuperingeſtionibus, Pueris conſuetis genitæ, ut cauſa materialis; calor verò & jecoris, & renum, ut cauſa efficiens; & potiſſimùm naturalis calculoſa diſpoſitio, in emulgentium amplitudine, & renum atque ureterum anguſtia conſiſtens, cauſa ſine qua non appellata, concurrunt in Excell. Puero Principe ad calculorum in renibus intempeſtivam & immaturam procreationem.

His autem ita ſeſe habentibus, cùm caput & renes ope medica indigeant, urgentiori priùs incumbendum nos docet Galenus, ipſaque ratio dictat: capitis enim exſiccatio & catarrhalis materiæ extirpatio tutius in juvenilem ætatem differri poteſt; quàm calculorum inhibitio: evidens enim periculum imminet, ne diutius aliquis calculus in renibus detentus, & major conſueto factus, non ampliùs in veſicam deſcendat, ſed manens in renibus, Principem miſerè interficiat, ut contigit Excellentiſſimo Patri defuncto. Alterum imminet periculum, ne in veſicam delapſus, propter canalis Urethræ anguſtiam in eadem moretur, per additionem grandior fiat, & pro extractione inciſione ſit opus, cùm veſicæ calculus manuum dumtaxat operâ curari poſſit.

Hoc igitur anni tempore, nempe proximo menſe Maio purgatio erit ineunda, primas vias expiando. Secundò Venoſum genus ab excrementis depurando. Tertiò caput quoque purgando. Quartò jecoris & renum calorem contemperando, & vaſa anguſta dilatando; atque tandem cauſæ materialis reproductionem inhibendo, & ipſam à renibus divertendo.

Pro prima intentione explenda, primò potio ſuavis leniens præſcribenda, ex man. clarif. cum tartaro, aut ſyrupo roſ. ſolut. aureo. Inde ſex aut ſeptem ſequentibus diebus cruditates in primis viis exiſtentes, ita præparandæ.

℞. Julap. acet. ſimpl. ſyr. de cortic. citri, aq. flor. citri an. ℥j. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; Aut ſingulo mane exhibeatur.

℞. Cremor. tartar. ſacchari albi an. ʒß. & diſſolvatur in modico jure carnis, corticibus citri alterato. Inde alterum ex præſcriptis Lenientibus repetendum.

Pro ſecunda verò intentione, ulteriora præparantia erunt uſurpanda:

Ut ℞. Decoct. in jure patatæ cich. borag. endiv. meliſſ. betonic. agrim. ℥v. oxymel. ſimpl. ſyr. de beton. an. ʒj. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem. Interim primis diebus jecorina dextera erit aperienda, ſed ſanguis parcè mittendus. Tranſactis jam dictis diebus, purgans hujuſmodi erit exhibendum.

℞. Rhabarb. opt. ʒj. agaric. trochiſc. fol. ſenn. an. ʒij. cinnam. integr. ʒß. aq. agrimon. q. ſ. m. infuſ. per hor. XII. & facta forti expreſſione, colaturæ adde ſyrupi roſat. ſolut. ℥iv. clarificentur omnia cum cremor. tartar. & f. potio brevis, cui, incepta evacuatione, ſuperbibat aquæ hordeac. vel ſeri caprin. depur. ℔j. & duabus horis ab aſſumpto ſero prandeat.

Inde ad tertiam intentionem explendam deveniri poterit pilulis capitalibus:

℞. Extracti pilular. cochiar. ℈j. aurearum ℈ß. reformentur pilulæ, & tribus interpoſitis diebus ab aſſumptâ ſupraſcripta potione; præbeantur ſummo mane, & repetantur. Intermediis verò diebus reaſſumat ſyrupos præparantes preſcriptos; & aliquod errhinum manè tantùm in uſum ducat, ſuave, non violentum.

Ut ℞. Pulv. majoran. ireos an. ℈ij. nigell. ℈j. m. f. pulvis per nares attrahendus.

Quartæ intentioni ut ſatisfaciamus, aquis acidulis omnino opus erit, non tantùm ferreis ſed vitriolatis, quales ſunt in Valle Solis naſcentes, quæ primis tribus diebus cum vehiculo dejectorio ſyrupi roſ. ſolut. aut mann. clarif. erunt præbendæ, ſequentibus verò diebus quindecim cum aliquô vehiculo diuretico; quamvis rarò eodem indigeant: poſſet autem eſſe ſpiritus tartari pluties rectificatus; harum autem uſus duobus ſequentibus annis repetendus leviori tamen præmiſſa corporis expurgatione. Terminato autem aquarum uſu, magnopere conferre poterit lac aſininum ad quadraginta dies, quod inter genera lactis prærogativam habet refrigerandi, renes emolliendi, imò & tophos in renibus diſſolvendi, ut teſtatur ipſe Galenus, & cum eo cæteri Medicinæ Principes: nec caput implet, quia celerrimè per corpus digeritur. Præbeatur autem ſtatim mulctum, ſummo manè, à quo ſomnus nullo modo permittatur, incipiendo ab unciis quatuor cum ſemicochleari ſacchari, & aſcendendo uſque ad novem, cum integro ſacchari cochleari. Quo tempore aquarum & lactis, ſtatim à cœna deglutiat Excellentiſſimus Puer duo aut tria grana maſtiches integra: à prandio verò conferre poterit conſerva abſynthii, quam ſi ob amaritudinem reſpuat, ſal abſynthii in exiguo vino diſſolutum ſupplere poterit.

Verùm ut poſtremæ intentioni ſatisfiat, ſat non eſt roborare ventriculum, ſi quotidie oneretur craſſis cibis excrementoſis & difficillimæ concoctionis: & ideo Valeſcus de Taranta ſcripſit, ridiculum eſſe medicamenta Calculoſis præſcribere, non præmiſſa congrua vivendi ratione. Quare ſi primò aërem conſideremus, neque hypocauſta, neque repentinæ mutationes à calido ad frigidum, & è contra, capiti convenire poſſunt. Si ſecundò alimenta; inter carnes ſuillæ prorſus ablegandæ, bubulæ & cæteræ annoſorum animalium, & aquatilium rarò uſurpandæ; pariter extremitates, ut pedes & capita, omittendæ. Inter piſces, ſoli ſaxatiles eligendi, & à conchyliis atque oſtreaceis omnino abſtinendum. Lacticinia omnia & edulia ex lacte & paſta parata, ſunt fugienda, & caſeus præſertim. Legumina omnia vitanda, hordeo & oriza exceptis. Inter fructus, fraga, pepones, perſica, ficus nonnunquam permitti poſſunt. Inter olera, prorſus abſtinendum ab uſu lactucæ, à fœniculo, ſelino, carduo, radice raphani, fungis & terræ tuberibus. Inter condimenta interdicitur uſus aromatum, pauco cinnamomo & pipere ruditer contuſo exceptis; neque conceditur ſuccus citri & limonum, quoniam diuretici ſunt; hoc enim documentum eſt quàm maximè obſervandum; quod dum Calculoſi actuali calculo, in renibus exiſtente laborant, tunc, primis viis ab aliquo medicamento expiatis, omnia diuretica & urinam ducentia opportuna ſunt; è contra verò extra acceſſionem, dum agitur de præſervatione, nullo modo ſunt admittenda, quoniam ducunt materiam, cruditates ſcilicet ad renes pro calculis producendis; ut propterea approbare nequeam uſum quotidianum granorum juniperi, minuſque fœniculi in vino; nec aliorum diureticorum; quoniam confunditur ita Curatio cum præſervatione & præſervatio cum Curatione, in quem errorem incidunt quoque non rarò Medici ipſi; & ideo in hunc finem reprobantur etiam vina Moſellana, Rhenana, utpote valdè diuretica, ita & cereviſia lupulata. Præſervatio enim à calculo requirit, ut cruditates non generentur, & genitæ à renibus divertantur, & per alvum ducantur. Tertiò ſomnus largior eſſe debet, ſed nocturnus; non tamen dormiat in plumis; & ſi decubitus ſupinus

conſuetus

conſuetus fuerit, ſubſternatur linteolo portio corii vervecini. Quartò exercitium ſit moderatum, & ventriculo non repleto, ita præcipiebat Hippoc. Labores ante cibum. Quintò Alvus lubrica ſervanda prunis Damaſcenis aut Hungaricis; vel paſſulis in vino ſubdulci tenui decoctis, & ſaccharo aſperſis, primâ menſâ comanſis; & ut magis divertantur cruditates à renibus, & per alvum educantur, ſemel in menſe, unica horâ ante prandium aſſumere poterit.

℞. Elect. lenit. ℥ß. Mag. Mechoac. gr. VII. aut pilul. maſtich. ℈j. m. f. boli. Tandem alacri animo ut indulgeat Princeps Excell. permittendum, neque ad nimia & intenſa ſtudia ſolicitandus, ſed geniales converſationes admittendæ, quæ tamen in vivendi ratione errandi occaſionem non præbeant. Quæ omnia faxit Deus, ut ſalutaria evadant. *Idem ibidem.*

Veſicæ Calculus.

Cùm à naturæ primordiis Vir Illuſtriſſimus non adeò probam partium principalium & inſervientium temperiem ſortitus fuerit, jecore namque juſto calidiori, capiteque humidiori, atque ventriculo frigidiori præditus fuit, ideo varia & heterogenea excrementa à jam dictis partibus jugiter produci neceſſe fuit, quæ quoniam à natura è corpore excerni vix credi poteſt, idcirco mala inde exorta fuiſſe mirum non eſt, præſertim addita libera vivendi ratione: intemperantes enim in diutinos morbos incidunt, à quibus poſtea totâ vitâ ſeſe explicare nequeunt, inter quos Nephritidem & Arthritidem, ſive Podagram enumerabat Galenus, quorum alterum, Arthritidem ſcilicet ſuperioribus annis fuit expertus Vir Illuſtriſſimus, quo ceſſante inſurrexit alter, nephriticus videlicet, cui ſtatim Lithiaſis ſucceſſit, non enim defuerunt crudi & craſſi ſucci à ventriculo naturaliter frigido, & à continuis applicationibus adhuc frigidiori reddito, addito quoque improportionato objecto: quæ cruditates ad varias corporis partes tranſmiſſæ, & præſertim ad artus, articulares quoque dolores pariebant; ad renes verò tandem converſæ ab igneo eorumdem calore, tanquam à cauſa efficiente aſſatæ, & à vaſorum naturali conformatione detentæ, in arenulaſque converſæ, à glutinoſa materia coactæ, tophaceos calculos produxerunt, qui dolores nephriticos excitarunt. Ceſſarunt autem, dum diureticorum medicamentorum ope à renibus depulſi in veſicam; & tandem per urinam ejecti viſi fuere; ſed non omnes, quandoquidem actionem mingendi depravatam, quæ ab illo tempore quoque Virum Illuſtriſſ. affligit & torquet, ab aliqua cauſa muſculum irritante, provenire dubio procul aſſerendum; de qua quoniam Sapientes & Excell. Viri iſti propriis & neceſſariis experimentis certiores facti fuere, non eſt quod dubitemus; ſiquidem conjecturæ primò calculum in veſica reperiri ſatis apertè nobis ſignificabant, cujus præſentiam non ſemel, ſed bis ſenſus ipſe tactus comprobavit: calculum enim menſe Aprili præterito à primis nephriticis doloribus in renis papillis manſiſſe, & vehementis motûs in rheda occaſione in cavitatem delatum fuiſſe pro certo habendum, qui ibi ſine dolore adſervari potuit, ſicut cum dolore ad ureteres delapſus, exquiſitiſſimo ſenſu præditos, Diureticorum ope in veſicam cecidiſſe, ſed in rene antea craſſiorem factum exitum non inveniſſe cenſendum. Quare in veſica quotidie à ſuperadditis cruditatibus involutus & grandior redditus, dum, quod turbidiſſimum, coacervatur, circumvolvitur & concreſcit, ſui ipſius etiam quotidie majora nobis præbuit indicia; etenim ab initio mictio moleſta & frequentior apparuit, in progreſſu ſtranguirioſa, adeò ut dolor adfuerit in mictione cum urinæ ſtillicidio, veſicæ ardore, & quandoque arenoſæ materiæ excretione, omnia ſigna lapidis veſicæ, ab Hipp. propoſita; quibus acceſſerunt & ponderis ſenſus, & inquietudo, & ani Teneſmus, & hæmorrhoides, quæ omnes conjecturæ eumdem confirmarent, accedentibus præterea experimentis diureticarum aquarum, & motûs vehementis in rheda, à quibus nocumentum evidens reportavit Illuſtriſſ. Patiens, atque tandem ſenſu ipſo judice facto, & candelâ in veſicam introductâ, & digito in anum immiſſo, conjecturalis cognitio ſenſata & mathematica reddita eſt.

Agitur igitur de calculo in veſica actu exiſtente, nec adeo exiguo, eo quod nunquam urinam ſupprimit, à veſica removendo; & idcirco pars curativa in præſentia à nobis conſideranda venit, de præſervatione alias cogitandum, & poſteaquam diureticis aquis, prudentiſſimè à Viris Excellentiſſ. propinatis, educi non potuit, Lithontripticis verò fidere inexperti Medici certum indicium ſit, idcirco nonniſi manuum operâ curari poſſe pronunciavit Hipp. alioquin præter urinæ ſuppreſſionem, doloribus, febriculis, ulceribus, colliquationibus contabeſcere ſolent Patientes Et quamvis hoc remedii genus potiùs inſpirationem divinam quàm Medici conſilium requirat, ut propterea Hipp. nobis conſilium dare prohibeat, imò Avenzoar vetet quoque Medici præſentiam. Nihilominus viriliter ego & ex corde agens, virilem quoque & unicam curationem, diſſectionem conſulo, antequam congruæ conditiones ad hujuſmodi operationem tutiorem reddendam effugiant, concurrunt enim in præſens anni tempus opportunum, lapidis magnitudo conveniens, cùm nec grandior, neque exiguus nimis requiratur pro faciliori extractione, quam & vires, & ætas permittunt, nec prohibent nimia gracilitas, aut febricula, aut ulcus in veſica; quæ ſicut modò non adſunt, ita ſuperventura valde ſuſpicandum. Neque præter excrementorum in primis viis exiſtentium per alvum evacuationem, alia præcedens corporis expurgatio neceſſaria mihi videtur, cùm jam ſanguis non ſemel ex hæmorrhoidibus ſatis ſponte effluxerit, qui novæ ſanguinis miſſionis pro inflammatione arcenda occaſionem aufert.

Quod ſi fortaſſis veram hanc atque legitimam Curationem non admittat Vir Illuſtriſſimus, palliata erit ſubſtituenda; pro cujus inſtitutione non adeo facilè Medico erit medicas elicere intentiones, cùm ex una parte calculi augmentum inhiberi debeat; idque crudorum excrementorum à viis urinariis ad alvum diverſione procuretur; ex altera verò cùm calculus anguloſus, aut inæqualis conjiciatur, nec æqualis & minus cruciosus reddi poſſit ſine cruditatum accurſu, nec prætcrea dolores demulceri poſſunt, niſi Anodyna diuretica ad afflictam veſicam ducantur, contrariæ exoriri videntur intentiones; in quo caſu, quoniam, cum Galeno, urgentiori eſt incumbendum, ideo poſteriori intentioni ſatisfaciendum; priori tamen non omnino neglecta. Et idcirco Diureticis demulcentibus ſtatim utendum, quæ ad veſicam quidem pervenire, ſed à veſica excrementa impellere minimè valeant, ne calculus magis à ſuis tunicis expolietur, extrema quoque non omittendo.

Interna Anodyna poſſunt eſſe & injecta, & aſſumpta; & inter injecta alia per inteſtina, alia per Urethram, per inteſtina enim parantur Clyſteres cum exiguo lacte bubulo, in quo diſſoluta fuerit drachma philonii Romani recentis; detenti namque ad duas tresve horas veſpertinas veſicæ ſenſum adeo obſtupefaciunt, ut dolor tota nocte magnopere remittatur, & ſomnus concilietur. Per Urethram verò licet medica-

medicamento injicere difficile videatur, cùm veſicæ collum habeat anfractus ad modum S. attamen per fiſtulam indirectè perforatam medicamenta injiciebat Galenus; & ideò lac aſininum, vel caprinum in quo globulus opii torrefacti noctè infuſus fuerit; aut Laudanum Nepentes, ad demulcendos dolores, injici & prodeſſe poterit. Per os verò ſumenda duo propono mihi familiaria remedia, quorum alterum eſt ſerum aſininum deſtillatum, appoſito globulo opii torrefacti roſtro Alembici, ut in tranſitu obſtupefacientem facultatem acquirat, cujus doſis erit ad ℥x. addito ſyrupo de ibiſco; & ut faciliùs ad veſicam perveniat, ex eodem emulſio quoque ſem. melonum, ſed valdè diluta, parari poterit. Alterum verò ita parabitur.

℞. Fol. malv. rec. m. iv. viol. m. ij. radic. anonidis, liquiritiæ an. ℥ij. ſem. melon. mundat. ℔ß. paſſularum ℥j. incid. incid. contund. contund. & adde aquæ Nocerianæ ℔xv. ſucci limonum ℥iij. m. macer. omnia per horas xij. deinde fiat fortis expreſſio, in qua diſſolve flor. caſſ. rec. extract. ℥iij. ponatur in Alembico vitreo, & B. M. deſtilletur & præbeatur ad ℔j. vel paulominus, addendo, ſi placeat, ſyr. de ibiſco, vel julap. viol. ℥j. mirabilis enim experta eſt, ad veſicæ & renum dolores demulcendos.

Extrinſecus quoque inſeſſiones & inunctiones fieri ſolent; ſed ut nimis operoſæ, iiſdem fomenta ſubſtituere conſuevi, bis ſaltem in die admovenda, magna ſpongia imbibita, & non expreſſa, decoctione malvæ, viol. nymph. radic. althææ, liquir. hord. & fœnugræci; quibus, urgente dolore, capita quoque papaveris albi addi poterunt. Fomentis verò ſuccedant illinitiones ex unguento malv. & populeo oleo violac. reformatis, vel oleo nenuph. & viol. ſimul miſtis; quibus, dolore urgente, addi quoque poteſt exigua portio olei juſquiami.

His autem addenda erit congrua victûs ratio inter attenuantem & incraſſantem media, ne incraſſante nimis augeatur calculi moles, & attenuante acuantur nimis urinæ & humores: media quoque debet eſſe inter tenuem & plenam, ne tenuiori vires deficiant, neve pleniori excrementa cruda in corpore redundent, & ad veſicam tanquam ad partem affectam confluant; moderata quoque in calida & frigida, ne frigiditate nativus calor elangueat, caliditate verò acriores reddantur urinæ; demulcendi autem facultatem obtineat; nec ullo modo diuretica alimenta ſunt admittenda, ne humorum ſarcina ad veſicam ducatur. Quæ ſapientibus Viris pro ſalute, aut meliori ſtatu Pat. Illuſtriſſ. quam eidem à D. O. M. enixè precor, ſat ſuperque ſunt dicta. *Idem ibidem.*

Veſica Lapis.

Illuſtriſſimus Vir annum agens quadrageſimum tertium, temperamenti calidi & ſicci, Patre natus Nephritidi & Arthritidi obnoxio, à primis ſuæ vitæ exordiis ferè morboſus, cum in ipſa pubertate rebelli hypochondriaca affectione, quæ adhucnum perdurat, affectus fuerit, fruſtra variis adhibitis medicamentis, & inimitabili victûs ſervata ratione; tertius annus excurrit, ex quo cum urina cœpit ejicere arenulas & minutos calculos, nullo tamen doloris, aut difficultatis ſenſu, niſi circa renes levi paſſione. Ante duos annos apparuerunt urinæ magis turbatæ & ſabuloſæ, quæ per aliquot dies Nob. Aegrum noctu maximè afflixerunt, de quibus tamen ſoli naturæ relictum fuit opus; à quo tempore poſtea ſæpius in urinis ipſis modò calculi obſervati ſunt, non ſine gravi Patientis moleſtia; qui tandem de ſua ſalute ſolicitus, præterita Æſtate, congrua præmiſſa corporis expiatione, ad renes & veſicam emundandam aquam B. V. meo conſilio ſumpſit; quæ licet feliciter è corpore educeretur, ſecum nihil evexit; puriſſima enim ſemper exivit, ut toto aſſumptionis tempore nil prorſus niſi aqua ipſa & naturale lotium viſum ſit; à qua poſtea per duos menſes integrè ferè convaluit, extirpato penitus dolore, licet aliquis minutus calculus aliquando apparuerit. Menſe præterito Septembri Patavio redux, quo Sellâ vectus erat, frigida ſatis aëris conſtitutione in maximum inferioris ventris dolorem incidit, qui ipſa ſanatione, quæ Hipp. certisſimum judicium eſt colicus fuit; qua occaſione in alvi artificioſis depoſitionibus, materiæ multæ, mucoſæ, necnon bilioſæ dejectæ ſunt; ſed majus & intolerabilius ſucceſſit malum, renum ſcil. infenſisſimus dolor, qui lentè ad inferiora delapſus, ureterum loco priùs afflicto in ipſa veſica hæſit, & præcipuè circa ejuſdem orificium, qui etſi, cum jam Illuſtriſſ. Aegri corpus familiaribus medicamentis pro tempore de more ſumptis ſatis expiatum eſſet, uſu Terebinth. etiam Venetę in aqua malvarum lotæ, ſuperbibito aquę hordei, vel malvæ calice, aliquod levamen viſus ſit accepiſſe, hiſce diebus poſt violentum corporis exercitium, confecto pedeſtri itinere per loca alpeſtria ſpatio ferè quatuor milliarium, adeo invaluit, ut continuis cruciatibus noctu diuque Æger divexetur tali doloroſa lotii excretione, ut prę ejus immanitate Vir alioquin patientisſimus & tolerantisſimus, altius exclamare cogatur, urinâ ipſâ, ſummâ cum difficultate ſemper & guttatim deſtillante, quam licet Aeger nixu expellere conetur, paucisſima ſemper exit immiſta pituitæ, & lacteo colore perfuſa, in quo deplorabilis conditionis ſtatu modò acutum & pungitivum, modò adurentem urinarum exitum nominat Aeger, & aliquando incendium intolerabile experiri conqueritur, vigiliis etiam & animi ſolicitudine ferè conſumptus, non ſine ſymptomaticę febris, licet levis, præſentia. Ad cujus horridi hoſtis pertinaciam devincendam, nos hîc varia experti ſumus, dum ipſam cauſam non negligentes, ad ipſum ſymptoma, ut magis urgens, manus medicas admovimus, ne ſoli cauſæ incumbentes, ſpreto Galeni conſilio, in ipſo ſymptomate prius Aeger periret. Unde multa ad ipſum dolorem directa ſunt, tum interna, tum externa. Propinato ſcil. repetitè ol. amygd. dulc. extr. ſine igne, aſſumpto cum ſucco limonum, modò ſolo, modò in ſero capr. deſtillato, necnon ipſo ſero caprino cum ſem. melonum, & aliquando ipſo malvarum jure; exterius verò veſicæ regionem fovendo petiis lacte imbutis, & unguento roſ. malv. illito, necnon per ſyphonem injecto in veſicam ipſomet lacte, aut malvarum decoctione. Quæ omnia quamvis dolorem demulcere jure debuiſſent, irrita hucuſque ſunt, perſeverante miſerabili Aegri cruciatu. Unde ad ipſum laudanum Nepenth. devenimus, cujus effectum expectamus, cum hoc veſperi tantum præſcriptum fuerit. Tali rerum diſcrimine & ulterioris perniciei metu, ad Præſtantiſſ. Virum confugit, ut ſalus ipſa, quæ verè vita eſt, ſi posſibile ſit, redimatur.

Utinam ſtrangurioſa urina in iſto Illuſtriſſ. Patiente non nephritica eſſet, ſed totum corpus per ipſam expurgaretur, ut nobis innuere videtur mucoſa materia, quæ jugiter cum urina excernitur. At contra hoc decretum plura nimium teſtimonia reclamant, & calculi præſentiam in veſica ferme atteſtantur atque confirmant, dum præterita & præſentia examino. Eſt enim è Patre Nephritico natus Vir Illuſtriſſ. temperamenti calidi & ſicci, olim & in præſens hypochondriacus, ac ſi dicamus multis cruditatibus ſcatens, & quod magis eſt, tribus ab hinc annis Nephritidi obnoxius, quinimo duobus ſuperioribus annis urinas minxit

ſabuloſas

ſabuloſas atque turbatas, cum arenulis modo, modo cum calculis; ut propterea ſumma cum ratione aquas B. V. tua conſuluerit prudentia, argumenta omni fide majora pro Lithiaſi confirmanda: ſicut tandem quæſtionem tollunt nephritici dolores menſe Septembri ingruentes; quorum occaſione à renibus ipſis calculus in veſicam decidit, & facilè inæqualis & anguloſus, nec adeo minimus, ut qui ad veſicæ collum unà cum urina perveniens, expultricem quidem quàm maximè irritare, at nunquam excerni potuerit, unde frequens & doloroſa mingendi cupiditas, unoque verbo Stranguria ſecuta fuerit, non parum fovente difficilem urinæ exitum muſculi conſtrictione, quæ fit occaſione doloris; Stranguriam verò magnopere adauxit iter illud poſtremò per aſpera loca factum, quod veritatem jam dictam prorſus & omninò confirmat, præſertim ſi addamus quoque urinas in præſens lacteas apparere. Neque huic veræ opinioni obſtare poteſt mucoſa materia, quæ continuò cum urina excernitur, ſiquidem hæc calculi in veſica exiſtentis, perpetuò comes eſſe ſolet, dum, partim à dolore à calculo in veſica excitato; partim progreſſu, & à calculi pondere cruditates à ſuperioribus partibus ad veſicam ipſam alliciuntur. Nec minus obſtat quod dum Illuſtriſſ. Vir huc atque illuc, ſurſum ac deorſum dimovetur, lapis veſicæ dolorem non inferat; eſt enim iſte calculi grandioris effectus, præterquam quod ſphincteri veſicæ (ut aſperum & inæqualem) adhærere, magnopere ſuſpicandum, cùm inceſſantes moleſtias & dolores acutiſſimos ferè continuò ſuſcitet atque conſervet; quos adeo crucioſos nullo modo excitare poſſet ſola mucoſa materia quantumvis acris, aut ſalſa niſi ab eadem, ulcere excitato, Teneſmi ad inſtar. Sed jam dictis omnibus accedet quoque (niſi calculus foras expellatur) ſimul cum mucoſa, materia quoque tartarea & alba, quæ lapidi veſicæ, ſicut arenulæ calculo renum propria eſſe ſolet.

Quibus ita ſe habentibus, totis viribus ni endum ut calculus ipſe adhuc exiguus exiſtens, auxiliis medicis extrudatur, alioquin brevi vel inflammationem, vel ſaltem ulcus in veſicæ collo excitare poterit; & præterea grandior factus, nonniſi manuum operâ curabitur, cùm Lithontryptica ſpernat, tum ob propriam duritiem atque ſoliditatem; tum ob loci diſtantiam, quæ ideo a calculis in renibus admittuntur, & quia friabiliores ſunt, & quia citiùs ad renes medicamenta perveniunt. Interim doloris ratio eſt habenda, ne vigiliis, cruciatibus atque febriculis perſeverantibus vires deficiant, & Tabe tandem vir Illuſtriſſ. conficiatur.

Noſtram autem intentionem ut aſſequamur, ex conſuetis fontibus remedia ſunt depromenda; Et in chirurgico nullum habere locum ſanguinis miſſionem cenſeo, cùm cauſæ morbificæ nihil prodeſſe, viribus valdè obeſſe poſſit; ideo Hippocrates ſanguinis miſſionem ſuaſit in Nephriticis doloribus, juvene exiſtente Aegro, ratione imminentis inflammationis. Reliqua igitur in hoc fonte remedia ſunt examinanda & adminiſtranda, nempe inſeſſiones in aqua dulci fol. malv. viol. nenuph. pariet. necnon althææ, à ſumma tua Prudentia propoſitæ; quibus ſubſtituitur fomentum, magna ſpongia eadem decoctione imbuta, & quodammodo excavata, ut Perinæo & pudendis adaptari poſſit, cui decoctioni, ſævientibus doloribus, capita quoque papav. erunt addenda, Fomentis autem ſuccedant inunctiones ex ung. malv. & popul. vel ex oleo viol. & nenupharino. Pariter per ſyphonem injiciatur medicamentum aliquod anodynum, ut lac aſininum, vel aqua ſolatri cum emulſione ſem. papav. vel aqua Caſſiæ. Dolores quoque demulcere poterit clyſter ex lacte vaccino, in quo drachma Philonii Rom. rec. diſſoluta fuerit, ob conſenſum & contiguitatem quam habet inteſtinum cum ipſa veſica.

Hinc ad Pharmaceutica remedia ſedulò deveniendum, quæ quidem veſicæ ardorem contemperare, & dolores nonnihil remittere valeant, ſed potiſſimùm horum ſymptomatum cauſam reſpiciant, quæ cùm ſit calculus, ut moibus quoque in numero t. g. p. n. ſui excuſſionem expoſtulat. Idcirco ut ductus urinarii magis pateſiant magiſque aperiantur in aqua ſtillat. à me in ſuperiori Scripto propoſita, aliquot diebus erit propinanda, cui macerationi addi quoque poterit ſucc. limon. ad ℥iij. vel iv. tum ut magis diuretica evadat, tum ut facilius in maceratione ingredientium facultates extrahantur. Et ſi eandem magis anodynam reddere velimus, ſyrupo de ibiſco, ſyrupum de papav. ſubſtituere poſſumus; & remiſſis quodammodo doloribus, magis diuretica reddatur, addendo ſp. tartar. rectif. gutt. xij. aut xv. Aquæ autem ſtillatitiæ deſcriptio talis erit.

℞. Fol. malv. viol nymphææ, parietar. an. m. ij. rad. ononid. ℥ij. liquir. ℥j. ſem. melon. mundat. anguriæ an. ℥i. ſem. papav. albi ℥ß. aq Noceræ ℔xij ſucci limon. ℥iij. incid. contund. & macer. per diem naturalem, deinde f. fortis expreſſio, & colaturæ adde flor. caſſ. rec. extr. ℥iij. m. deſtill. B. M. &c.

℞. Ejuſdem aquæ ℔j. ſyr. de ibiſco ℥j. m. pro matutin. potu. Aliquot tranſactis diebus, aquas Nocerianas de more propinandas eſſe arbitror, ut in redundanti illa aquoſa humiditate calculus ipſe, ſi adhæreat ſphincteri, removeatur, & veluti innatans unà cum aqua ipſa foras extra ducatur, ut non ſemel in praxi obſervavi, calculis exiguis exiſtentibus: me namque non latet grandioribus diuretica, & aquas præſertim hujuſmodi, atque ferratas non prodeſſe, ſed obeſſe poſſe, quas experiendas propono, cùm vina ſpes in lapidis expulſione poſita ſit. Vehiculum ideo in hunc finem ſatis validum eſſe debet, ut vehementior quoque inſequatur impulſus, quale eſſe poterit, Terebinth. ad ℥j. vel ſal. tart. volatiliz. ad gr. xv. aut xx. Dum verò mingitur aqua, omni artificio utendum, ut lapillus quoque cum aqua extraducatur; quare Patiens ipſe manu penis extremitatem ſibi adſtringat, ut intumeſcat, ſicque calculus Urethram faciliùs ingredi poſſit deinde affatim manus à pene removeatur, ut confertim exeat urina, aut aqua ipſa. Præterea dum mingitur aqua, tepentibus quoque inſeſſionibus jam dictis felici cum ſucceſſu uſus fui. Quæ jam dicta omnia materiam quoque mucoſam abſtergere & abluere, collumque veſicæ ab ulcere tueri valebunt, (ſi forſan, quod faxit Deus, calculus non adeſſet) præterquam quod jecoris, renum calorem, & humorum acrimoniam moderare atque demulcere poterunt.

Quod ſi res pro voto non ſuccedat, rurſus ad Anodynorum uſum erit confugiendum, & jam præſcriptis addi poteſt aqua ſtillat. ex emulſione quatuor ſemin. frigidorum, additis etiam ſem papav. albi, vel ſyrupo ejuſdem. Atque tandem ad lactis aſinini uſum quotidianum de more erit ducendus Vir. Illuſtriſſ. totumque corpus oleo amygd. quotidiè inungendum. Et ratio victûs ſubſtantificè humectans, ab eximia tua virtute præſcribenda eſt, ſicut reliqua omnia meliùs dirigenda & corrigenda, prudentisſimo atque in Arte verſatisſimo judicio tuo libenter committo. *Idem ibidem.*

Pro Calculo Renum.

Sævisſimo huic morbo per rectam victûs rationem occurrendum eſt. Removeatur igitur à menſa ciborum varietas,

varietas, & cruda quæ delectant cum periculo. Uvas paſſas majores unà cum acinis dentibus comminutas, in prima menſa comedat, vel quod tutiſſimum eſt, & in multis magno ſucceſſu approbatum, aliquot nuces avellanas ad IX. vel X. perpurgatas ante prandium vel cænam comedat, compertiſſimum enim habemus non paucos ſævis cruciatibus calculi diu affectos, uſu avellanarum liberatos. Ab hoc malo præſervat radix eryngii, caro Cynosbati cum ſaccharo in modum Electuarii redacta: Item ſuccus veronicę cum ſaccharo ſpiſſatus; cui ſemina viol. admiſceantur. Hęc tutiſſima & uſu atque experientiâ comprobata ſunt remedia. Conſulo etiam uſum Rhei cum carne paſſularum per ſetaceum cribratarum, vel morſulos è Rhabarbaro. Plurimum enim hepar atque renes juvant, & ventriculum tamen non lædunt, ut etiam roborent, foris multa adhiberi poſſunt, ſed duo mihi maximè probantur. Primum hoc unguentum.

℞. Succum malvarum, & miſc. lento igne cum adipe cuniculi, præſertim eo quod ad renes reperitur. Hoc ſæpe inungantur lumbi. Secùndò, miſceatur unguentum roſaceum Meſues cum oleo amygd. amar. & utatur ut priùs. Addam laudatum à peritiſſimis Medicis, cujus uſus ſingulis annis in vindemia eſt. Accipiantur vinacei prælo expreſſi, atque adhuc calentes ex uvis maturioribus & matutinis horis, ac ante cænam dimidium horæ renibus quinque diebus apponantur. Hoc remedium excellentem Medicum authorem habet, & rationi maximè conſentaneum eſt: cùm enim in renum affectione à calculo, tenuare atque mollire *Hippocr.* jubeat, & vinacei moderato ſuo calore materiam tenuem, ſubſtantiam etiam renum molliorem reddant, ut calculi per eam facillimè tranſeant, & robur aſtringente facultate addant, ſanè non video quid ad rectam præſervandi rationem in iſto uſu Vinaceorum, niſi immodicè fortè renes ſint calidi, deſiderari queat. Applicetur etiam parti dolenti hoc cataplaſma, quod refrigeratum ſtatim rurſus in ſartagine calefiat.

℞. Malv. parietar. virid. an. m. iij. raphani ſine radicula, petroſelin. cum toto an. m. j. coq. in ſ. q. aqu. puræ & additis tribus cœpis, ac oleo amygd. dulc. q. ſ. F. Cataplaſma. Deinde contunde cum oleo Scorpionum amygd. amar. ad formam emplaſtri extendatur, ac renibus ſi dolor eſt renum, vel veſicæ applicetur, nam calculum frangit atque emollit. In gravi renum dolore & calore hoc emplaſtrum ut faciliùs calculum elidat, prodeſſe ſæpe animadverti.

℞. Cancros numero IX. bulliant in q. ſ. aquæ puræ vel lactis, & contundantur ac rurſus coquantur. ſuccuſque exprimatur. Eo ſucco imbuatur panis albi medulla, & additis duobus ovorum vitellis, butyr. rec. & ol. viol. q. ſ. commiſce omnia in mortario, & extendantur in panno lineo, & renibus ac ureteribus applicentur.

Intra corpus ad viarum lenitionem & calculi attenuationem, prodeſt decoctum rad. alth. & petroſel. cum herba Veronicæ addito melle, vel ſaccharo, vel butyro rec. vel ol. amygd. d. decoctum etiam hederæ terreſtis cum veronica, ononidis etiam radices optimæ ſunt, ad Balnea autem & inſeſſus nequaquam deveniendum, niſi iſta non contulerint, & corpus fuerit clyſteribus vacuatum; tunc enim ſi graviter in viis impactus calculus hæreat, nec prædictis remediis cedat, iis locus eſſe poſſet. *Jo. Crato Conſil.* 17. *lib.* 5.

Pro Calculo Renum ad Abbatem quendam.

Si tibi ætas conſtans eſt, & vires firmæ, habituſque corporis non planè longitudine morbi & dolorum acerbitate attritus & diſſolutus, omnino tibi autor ſum, ut cures internam brachii venam aperiri, ejus nimirum quod è directo reſpondet magis affecto reni: Eam verò quantitatem demi velim, quæ præſenti medico, conſideratis cum judicio rebus omnibus neceſſaria viſa fuerit, paucis deinde intermiſſis diebus, aperies venam in poplite, aut circa talum alterutrum, ſi alter ex renibus plus altero laboret; aut venis circa talum in utroque pede apertis, ſi ex æquo renes ſint affecti, ſanguinem demes: quarum prior avertit humorem à parte dolente, & evacuat; poſterior magis à loco affecto educit: Ex poſteriore evacuatione hac, mirùm quàm ſoleant morbo hoc laborantes levari, quod ego frequenti experientia cognovi: primumque ex *Hippocrat.* didici *6. Epidem. Sect.* 1. *Aphoriſm.* 5. Poſt hanc ſanguinis evacuationem (niſi vehementer dolores præſentes alia remedia interponere nos cogant) velim corpus evacuari, non una vice ſed reiteratis, idque interpoſitis diebus, aliquando duobus aut tribus, aut pluribus, prout viſum fuerit præſenti & curationem adminiſtranti, medico, qui hoc ex virium corporis tui cognitione, & nocentium in corpore humorum multitudine facilè dignoſcet. Præſcribo hîc in eum uſum pulverem ſolutivum, qui ſine detrimento optimè educit eos humores, qui ſolent calculo materiam præbere, divertit humores à renibus, eoſque expurgat. Eſtque hic pulvis in *Gallia* hac multis probatus, qui eo ſe ſubinde à graviſſimis renum, item & coli doloribus liberant. Pulvis hic eſto.

℞. Fol. Sen. ℥ ij. rhab. opt. ʒß. (fortè ℥ß.) turbith. ℥ iß. hermodact. ℈ij. gr. v. polipod. ʒß. cinnamom. zinzib. *milii ſolis*, ſaxifrag ſem. Geniſtæ an. ʒj. F. omnium pulv. ſubtiliſſ. doſ. à ʒ j. ad ʒiß. in vino albo; etiam in ipſis graviſſimis doloribus cum juvamento & tutò exhibui. Si verò dolor malè & graviter habeat, is hoc modo tolli à me ſolet, ſingulis diebus per os velim hanc potionem manè epotari, & aliquando veſperi ante cœnam reiterari.

℞. Nucleos Perſicos numero XIV. ſucc. liquirit. ʒj. lactis ſem. frigid. maj. extract. ex aq. malv. vel capill. ven. ℥ ii ß. mixtis omnibus, contuſis nucleis, & diſſoluto ſucco; F. potio, vel hujus loco exhibeatur hic pulvis, quem ego expertiſſimum habeo.

℞. Cineris leporis integri combuſti in furno S. A. partem decimam (lepus ſuffocari debet, ne vel ſanguinis gutta ex eo pereat) ſaxifrag. ℥ß. bacc. laur. ʒ iij. ſem. viol. fructûs integr. lappæ maj. an. ʒ j. fol. quercûs ℥ ij. F. pulvis ſubtiliſſ. doſ. ʒ j. in vino albo, manè jejuno ventriculo. Verùm multò erit efficacior, ſi ſequenti aquarum miſtura diſſolvatur, quæ hoc modo fit.

℞. Aq. ex ſtercore bovino Maio menſe deſtillatæ ℥ v. vin. malvatici vel albi potentis, quod per 24. horas raphanos inciſos in vaſe vitreo infuderit ℥ ij. aq. fragor. deſtil. ℥j. Succ. aurant. vel limon. ʒ iij. M. F. potio in aurora.

Ut Palato gratius ſit medicamentum, admiſceri poteſt paululum Syr. Capill. ven. Hæc ſunt remedia quibus ego in ea diſpoſitione ſemper ſum magno cum ſucceſſu uſus. Exteriùs appplicari debent quæ leniter diſcutiunt, quæ laxant, quæ dolores mitigant, laudo maximè ſi dolores vehementes ſunt, aliquando balneum aq. dulcis, aliquando inſeſſiones in oleo. aliquando

fomenta ex decocto parietar. alth. malv. chamæm. melil. cap. ven. beton. ſem. fœnugr. lini, coriandri, fænicul. & petroſel.

His quædam ſubjungam paratu facilia, quę in promptu eſſe poſſunt, quibus etiam aliàs, hunc morbum perfectè curavi, imprimis maximè laudo uſum frequentem nucleorum perſicorum, vel ſi haberi non poſſunt amygd. amar. do edendos 10. vel 12. manè in principio prandii, vel paululum ante illud, vinum album imbecille, in exigua quantitate ſuperbibendo. Item probatus eſt mihi pulvisculus virgæ aureæ vel artemiſiæ, vel calam. aromat. pondere ℨj. in vino albo in aurora exhibitus; ſed ſit ipſorum frequentior uſus. Item accipio radices althææ elotas & exenteratas, ut ita dicam, infundo vino albo: dein deſtillo, ex aq. deſtillata propino tempore doloris cyathum dimidium, & juvantur. Item accipio aliquando columbum juvenem, deplumo, abſcindo caput, pectus integrum cum alis aufero, crura item & coccygis oſſa, ejicioque inteſtina omnia, relinquo ſolùm dorſum ipſum & quod ipſi interius adhæret, exſicco in furno in cratere ligneo, pulvero, eumque ad ℨj. vel ℨij. exhibeo in vino albo non ſine magna utilitate. Paſſer troglodites ferè ab omnibus, licet malè dictus regulus, quocunque modo exhibitus, me experiente, juvat calculoſos. *Reinerus Solenander. Conſ.* 15. *Sect.* 1.

℞. Liquirit. raſ. rec. ℨiij. lapid. judaic. ocul. cancr. an. ℨj. ſem. milii ſolis rhab. opt. an. ℈ iv. ſem. fœnicul. aniſ. maſtich. cinamom. galang. an. ℈ij. macis, caryophill. an. ℈ j. gran. juniper. ℨij. mithridat. ℨiß, conſerv. roſ. ℥ß. add. gran. alkekengi deglubator. numer. XII. vini malvatici ℔iv. indita in vitrum relinquantur per dies 16. tum coletur, hujus vini capiat manè cochlearia 2. vel 3. aut per ſe, aut in alio aliquo convenienti liquore, ut aqua graminis, alkekengi vel capill. ven. ſolet hic liquor calculum è renibus exterminare. *Reinerus Solenander. Conſ.* 11. *Sect.* 3.

Pro Calculo veſica.

Quoniam medicamenta lapidem comminuentia, nihil fermè operantur ob lapidis grandioris duritiem, unica Chirurgia ſupereſt, quæ eum detrahendo miſerum ægrotantem à tam gravibus tamque aſſiduis moleſtiis, à doloribus pene intolerabilibus liberare poſſit. Sed cùm hoc opus maximum ſibi junctum habeat, periculum, potiſſimùm in ſene molliore corpore & Cacochymia laborante, jure optimo clariſſimi viri recuſarunt hoc præſidii genus. Sed cùm ex graviſſimorum virorum decretis, in præcipiti caſu magis ex uſu ſit, ac longe melius, præſidium aliquod generoſum, licet anceps, adminiſtrare, quàm demittere ægrum morti, omnibus ad ægrotantis ſtatum præſentem & futurum attinentibus, diligenter ſummâque operâ expenſis, in eam venio ſententiam, ut ad cervicis veſicæ, inciſionem deveniretur; parva facta ſectione, eo conſilio, ut lacerato muſculo Sphinctere per vulnus licèt parvum admodum, urina perpetuò involuntariè ſenſim præterlaberetur. Hoc enim opere peracto, dolores prorſus ceſſare ſolent, ut in nonnullis à me fuit obſervatum, ac præſertim in Nobiliſſimo quodam *Savonenſe*, de *Reariis* annum agente 72. qui deinceps fœlicem ſemper duxit vitam. Siquidem in reddenda urina; geminam ob cauſam, dolores excitabantur, tum quoniam urinæ egreſſuræ impetu calculus quaſi proditurus dum dimovetur, affectas partes lacerando ingentiſſimos parit cruciatus; tum etiam quia ſub mictionis finem, Sphinctere muſculo ſeſe colligente & conſtringente, in cauſa eſt ut ſubjectæ partes nonnihil ulceratæ à duriore lapide premantur vellicenturque, at nunc utraque doloris cauſa confertim aperto loco ceſſat; quandoquidem neque urina ibi colligitur, ſed ſenſim continuò educitur, neque commemorati muſculi compreſſio aſtrictioque ampliùs locum habet, modò impoſita tenui argentea aut plumbea fiſtula vulnus apertum aſſervetur, quaſi in fiſtulam calloſam abeat. Profectò cùm ars naturam imitari ſtudeat, obſervaverimque ego non ſemel in lithiaſi affectis, diſrupto ea in parte abſceſſu ſponte nato, ob cauſas jam dictas, dolores moleſtiaſque omnes in urina reddenda ceſſare, à natura edoctus, opus hoc non potui non ſemper celebrare: noſtrum autem novum hoc conſilium, qualecunque fuerit, ſi apud aliquem authorem modernum hujus ætatis reperias, ſcias velim id totum à me accepiſſe. *Joannes Zecchius. Conſult.* 58.

Obſervationes.

Pro Calculo Renum.

Quum calculo renum laboraret mulier quędam cum intolerabili dolore ob retentam urinam vocatus ego in auxilium, hæc ſubſequentia remedia adhibeo.

℞. Parietar. virid. m. IV. cum butyro recenti & oleo anethino, & exiguo ſcorpionis adjecto, cataplaſma fiat. Clyſtere priùs immiſſo, pectini apponebatur, continuò bibebat ex decocto ſequenti.

℞. Sem. malv. alth. an. ℨ iij. cicer. rubr. ℥iij. caric. ping. numero IX. ſebeſt. numero VIII. ſem. 4. frigid. maj. an. ℨij. hord. mund. ℥ij. liquitit. raſ. ℨvj. F. decoctio in aq. pluvialis ℔ IV. ad ℔ ij. Colaturâ ad libitum utebatur, poſt cujus uſum minxit, & lapillos multos ejecit perfectamque valetudinem conſequuta eſt. Mulieri cuidam cùm meiere non poſſet, Medici adſtantes oculos cancrorum pulveriſatos dederunt, & hoc modo urinam provocabant. *Petrus Foreſtus, Obſerv.* 25. *lib.* 24.

Nobilis quidam cùm calculo laboraret, & dolor in rene & uretere illum lancinaret, poſt injectum enema ſumpſit oleum amygdalarum d. cui ſuccus limonum immixtus erat, & pectini apponebat ſacculum ex cumino, quibus præſidiis calculus expellebatur. Idem alio tempore cùm exiguum noſtræ deſtillationis (de qua ſuprà dictum eſt) prægustaſſet miraculi inſtar calculos unà cum lotio reddebat. *Petrus Foreſtus. Schol. Obſerv.* 25. *lib.* 24.

Pro Calculo Renum.

Sexagenarius quidam ob reprobum alimenti uſum, in calculum renum incidit, hic præter purgationes varias, paratas præſertim ex terebinthina abietina, cujus vi mucilaginoſam per alvum pituitam excernebat uſu aſſiduo aquæ concoctæ cum ligno illo Indico, quo aqua cœruleum dilutiorem colorem contrahit, & vocatur à Monardo Nephriticum, biennio ſanus evaſit. Poſtea exaſperato malo, ſupprimitur omninò urina, adſunt ureterum & renum cruciatus immanes; vocantur de novo Medici: quorum conſilio, enematis emollitur alvus, expurgantur excrementa, diſcutiuntur flatus, miniſtrantur unguenta, fomenta, & inferiores venæ ſecantur, ano hirudines admoventur, balneum applicatur oleagineum, lapidem comminuentia auxilia imperantur, omnia licèt utilia, citra commodum tamen celebrantur, nam aucta gravitate in lumbis, & per 18. dierum ſpatium retentâ urinâ, per intervalla jam epilepſiâ vexabatur, demum cùm nulla eſſent prætermiſſa, quæ calculi comminutionem pollicerentur, & æger conclamatus eſſet, toto corpore tumidus, diroque dolore

in

in ilium regione oppreſſus, ex præſcripto medicorum oleum amygd. d. rec. paratum cum guttulis balſami permixtum lambere cœpit; cujus auxilii ope, aliquantulum recreatus, per ſedem viſcidum humorem, & per urinam arenulas minutiſſimas excrevit, & in eodem auxilio perſiſtens, cum urina cruenta, calculum purpureum, oblongum, aſperum, duriſſimum, nucleo dactyli magni ſimilem, excrevit, libereque jam urinam reddens, majorem quantitatem amygdalini uſque ad ℥iij. & balſami uſque ad ℥ß. aſſumens. Decem dierum ſpatio 65. calculos emiſit, duros, ciceris formâ & magnitudine, tandem reſtauratis viribus ſenſim & ſine ſenſu convaleſcere cœpit. Hujus etiam ſolius auxilii beneficio in poſterum præſervatus fuit. Nam jejuno ventriculo amygdalini ℥ß. 6. balſami guttulis permixtam abſorbebat; cujus præſidii ope ſabuloſam urinam excernens in multos annos vitam produxit, magna ergo, eſt balſami pro hoc morbo & aliis frigidis curandis vitiis vis atque poteſtas: cujus uſu ſe liberaſſe virum quendam qui erat in conditione mortis à lapide gloriatur. *Avenzoar.* lib. 2. Their. Tract. 2. cap. 7.

Si verum balſamum deſit, ejus loco utere Stacte. 1. Myrrhæ prætioſiſſima gutta, vel Orientali, aut eo quod ex Peruvianis inſulis afferri ſolet, quod mirabiles præſtare utilitates veterum & juniorum diligentiſſimi literis commendarunt. Memini me pluries calculos magnos renum cavo tenaciter impactos, uſu ſtillatitiæ aquæ ex nicotiana viridi extractæ in potum exhibitæ per urinam deturbaſſe. Si ea deſit ejus decocto utere cum utilitate multa. *Zacutus Luſitanus, Obſerv. 66. lib. 2. Prax. Admirand.*

Sexagenarium immunem à renum calculo ſervavi anno ..6. (cui alioqui obnoxius erat) largo ſalis marini uſu, quod deinceps in multis confirmavi *Joan. Helmontius. Tractatu de Lithiaſi cap. 3.*

Conſiliarius quidam cùm per quindenas ſingulas ſoleret miſerè calculi dolore decumbere, uſus deinceps cereviſiâ cui ſemen dauci incoctum eſt, liber à calculo per aliquot annos vixit. *Idem Tractat. de Lithiaſi cap. 5.*

In Monaſterio prope *Bruxellam* fontes ſpirant aliquot, qui ſaxa patieri apponunt, unco namque & ſecuri frequenter ſaxa adnata decutiunt. Ibi monachi quæruntur ſe ſtrophas ſive tormina pati, niſi ſemine dauci cereviſiis incocto utantur quotidie, odor enim ſeminis dauci, odorem ſaxatilem domat & comprimit. *Idem Tract. de Lithiaſi cap. 1.*

Baro quidam noſtras dum per aliquot annos in ſua *Angliæ* legatione, pluries calculis renum ſummo cum dolore infeſtatus fuiſſet, meque ſuadente, uteretur bis hebdomadatim liquore Aroph. *Paracelſi* (quod ſonat Aroma Philoſophorum) per 18. deinceps annos à Lithiaſi liber. Tandem anno 83. defungitur, ejuſque cadaver diſſectum ne arenulam quidem aut Lapillum oſtendit. *Idem Tract. de Lithiaſi, cap. 7.*

Rariſſimum diureticum ex lapide cancrorum colligitur etiam vulnerarium ac febrifugum: modò reſolvatur in formam priſtini lactis quod quàm ſit excellens & potens, vix cuiquam quàm perito perſuaderi poteſt. *Jo. Helmontius Tract. de Lithiaſi. cap. 7.*

Pro Calculo Veſicæ incipiente in puero quinque annorum.

In conſilium adhibitus, hoc modo cum ipſo proceſſi. 1. Inſtitui optimam victûs rationem, nimirum ut aër ſit calidus, panis bene fermentatus & coctus, non recens, neque nimis durus, Juſculis utatur carnium caſtratorum, pullorum, gallinarum, aut caponum, quibus aliquid roſmarini, ſalviæ & majoranæ, nonnihilque ſalis ratione ſaporis addi poterit, radices fœniculi, petroſelin. & quæcunque urinam inſigniter movent, ſuccum indigeſtum ſimul ad venas meſaraicas ac hepar ſecum ducunt, ex quibus obſtructiones viſcerum, & materia calculoſa augetur. Viſcidi, glutinoſi, craſſi, & qui difficilis ſunt digeſtionis cibi nullo modo ſunt offerendi, uti nec ſalſi, & qui pipere, zinzibere, caryophillis, raphano, cepis & ejuſmodi rebus conditi ſunt cibi, Legumina quoque oriza, fructus crudi, piſces, caſeus, lac, & lacte confecta edulia ſummoperè vitando. Vino utatur albo & tenui, decoct. agrimon. & veronicæ diluto. Poſteâ corpus ſequenti potiunculâ expurgavi.

℞. Rad. fœnic. petroſel. eryng. marin an. ℥ß. fol. agrimon. veron. cuſcut. an. m. ß. ſem. aniſ. ʒj. coq. in aq. ad conſumptionem tertiæ partis, in colat. ℥ij. diſſolv. ſyr. roſ. compoſ. cum rhab. agar. & ſena ℥ß. elect. diacartham. ʒß M. F. potiuncula ſumenda quatuor horis ante prandium.

Purgato corpore, ſequentem præſcripſi ſyrupum magiſtralem, de quo ſingulis diebus duabus horis ante prandium. ex cochleari ſumebat ℥j. obſervatâ interim optimâ victûs ratione & per intervalla expurgato corpore, nunc præſcriptâ potiunculâ, nunc pulv. rad. mechoac. ℈ij. ſumptis cum juſculo carnium, ſyrupi autem hæc eſt deſcriptio.

℞. Rad. fœnic. petroſel. gramin. ſaxifrag. eryng. marin. an. ℥j. fol. agrimon. veron. herniar. capill. ven. cuſcut. an. m. j. fl. 3. cordial. geniſt. & fl. chamæm. an. p. j. ſem. milii ſolis, biſmalv. aniſ. & ſem. 4. frigid. maj. an. ʒ ij. liquirit. raſ. & uvarum paſſul. exacinat. an. ʒ ij. F. decoctio ad conſumpt. tertiæ partis, adde ſacch. miſcellan. ℔ i ß. mell. puri & deſpumati ℔ß. F.S.A. Syrupus, aromatizetur pulv. cinanom. el. ʒij.

Per menſes quoque aliquot ſequenti ſemicupio ex rad. herb. & ſem. emollientibus, laxantibus, lenientib. & flatus diſcutientibus per intervalla utebatur.

℞. Rad. & fol. malv. rad. fœnicul. petroſel. eryng. marin an ℥ij. herb. parietar. viol. veronic. flor. chamæm. melil. geniſt. ſambuc. an. M. ſ. ſem. fœnugræc. lini, an. ℥j. ſem. petroſel. aniſ. fœnicul. geniſt. an. ℥ij. coq. in q. ſ. aquæ pro ſemiçupio. Ex ſimili quoque decocto, quotieſcunque alvus non reſpondebat, addito vitello ovi, parumque elect. bened. laxativ. & ol. rutac. enemata præparavimus, & exhibuimus. Imum ventris, & perinæum non ei ſolùm balneo egreſſo, verùm etiam ſingulis diebus ſemel aut bis ſequenti unguento inunximus.

℞. Ol. Scorpion. amygd. amar. an. ℥j. ol. lil. alb. & ung. dialth. an. ℥ß. M. fiat unguentum.

His adhibitis remediis Dei ſingulari beneficio, paulatim convaluit, neque poſthac ullum mali hujus veſtigium ſenſit. *Guil. Fabrit. Hildanus Obſ. 71. Cent. 3.*

Pro calculo Veſicæ.

Multa uſurpavit remedia toto anno per intervalla ac tandem calculum excrevit nucis avellanæ magnitudinem æquantem, ſed figuræ oblongæ olivam referentis: at verò tantâ difficultate, ferebatur per virgæ canalem, ut intra 35. tantùm horas à veſicæ orificio ad balani radicem pervenerit, ubi meatum anguſtiorem inveniens, nullo modo eum pervadere potuit, atq; adeò neceſſum fuerit balani inciſione illum extrahere, quę in parte inferiori, propè frenũ celebrata eſt, remedia quibus pręcipuè calculi excluſio adſcribitur, talia fuere.

Poſt evacuationes univerſales, uſus eſt per menſem integrum pilulis ex ſalibus bacc. hederæ & naſturt. aquat. cryſtallo tartari & minerali part. æqualibus cum terebinth. in maſſam pilul. redactis. De qua ſumebat ʒ j. manè ſingulis diebus ; Poſtea verò per novem dies ſumpſit aquæ cœparum albar. in vino albo deſtillatarum ℥ iij. cui addebatur ſal ex capite mortuo elicitum, & nono die prædicti calculi excretio contigit. *Lazarus Riverius Obſerv.*14. *Cent.*4.

Puero mercatoris cujuſdam 7. annorum calculo veſicæ laboranti, Lithotomus Italus ſine ſectione lapidem eximere volens, digitum ſiniſtræ manus medium butyro inunctum in podicem immiſit (quæ ratio calculum inveniendi omnium eſt optima, & tutiſſima) ac dextrâ manu ventrem inferiorem in regione pectinis premens, digitoque podici intruſo calculum propellens, illum ex veſica in cervicem illius impulit : ubi cùm ob magnitudinem ſubſiſteret, & tactû ſupra podicem deprehenderetur , illic ſectione factâ ſupra lapidem cochleari ferreo mox exemit, qui ſi minor fuiſſet, per meatum penis facilè exprimi vel exugi potuiſſet. *Felix Platerus Obſ. lib.*3. *pag* 894.

Barthol. Turrianus in Jatro.6. lib. 4. Veſicæ calculum ſectioni deſtinatum fregit, propinato pulvere cryſtalli, vel potiùs ſubſtantia ejuſdem reſolubili : fit autem Cryſtallus ſolubilis, ſi vel minimum novies in fornace figuli calcinetur, tunc abit in friabilem ſubſtantiam , & in cella poſitus liqueſcit, olei tartari inſtar, vel lapis cryſtalli ignitus ſepties extinguatur in aq. vel ſpiritu urticæ minoris.

Veſicæ calculus comminuitur emplaſtro ex cœpa alba cocta pectini impoſito, teſte *Io. Prævotio* med. *Patavino*, *Schroderus* commendat urinæ ſpiritum , vel è calculo humano factum, quem & ego ſæpiùs probatum reperi. *Wolfangus Hoeferus Herc. Med. lib.*3. *cap.* 4.

Gerardus Boot Medicus doctrinâ & experientiâ præclarus, Molinæum quendam veſicæ calculo laborantem aquâ Perſicariæ deſtillatâ ad integram ſanſitatem perduxit, de eâ hauſtum ſingulis matutinis exhibendo. *D. Robertus Boyle* in aureo ſuo libro *de Utilitate naturalis Philoſophiæ, parte ſecunda*; *ſectione tertiâ.*

Pro calculo Veſicæ

Calculum in veſica exiſtentem durum & antiquatum frangere nemo potuit: Molliorem, tophaceum , friabilem, recentem cum difficultate frangemus in juvene, non in ſene, ubi aperti ſunt meatus, non adſtricti, ubi vires validæ ſint, & ægrotus medico pareat , medicuſque ſuo munere perfungatur : at etiamſi conditiones adſint hujuſmodi, raro tamen hoc opus medicamentis abſolvitur. Ego bis in hanc uſque diem fractum vidi, primùm caſû, mox deliberatione, atque maturâ conſultatione additâ. Caſus fuit, filium *Zanetti* Pontificii Typographi *Romæ* expurgandum ſuſceperamus. Doctiſſimus quidam Medicus, & ego , ut poſtea tutior ad ipſam ſectionem accederet (Jam enim cum Nurſino artifice de pretio convenerat) tentaverat ante omnia remediorum genera, tum à Medicis Venetis, tum Florentinis excogitata, cumque nullam conſequeretur utilitatem: ſecari cupidus, ſacerdotem juſſit accerſiti, ut ſumptis Eccleſiæ ſacramentis, ſi ex ſectione moreretur, animæ fuiſſet conſultum. Religioſus fuit ex ſocietate Jeſu, qui auditâ confeſſione ab ægroto, & cognito morbo proponit illi Pharmacum, ut dicebat magni uſûs, de quo & in ſeipſo, & in aliis periculum fecit, experiri placuit, neque facti pœnituit. Eodem remedio in renum calculo uſus ſum bono ſemper ſucceſsû, vidi enim circuitus illos nephriticos fuiſſe, non ſine aſſiſtentium admiratione ſanatos. in affectû veſicæ nunquam ſeſe mihi obtulit occaſio experiundi, niſi ſemel, ſed æquali cum ſuperioribus eventû, variato tamen exhibendi modo. Deſcribam primùm Pharmacum ab ipſo Jeſuitâ traditum; mox verò aliud, ſed imprimis illud remedium approbo, quia nihil deeſſe video, quod poſſit ad hujuſmodi opus perficiendum exoptari : vim agnoſco ſimplicium egregiam, componendi rationem exquiſitam conſpicio, ac eò magis probo, quod pro baſi continet antidotum, in quo ſumma vix ineſt ad frangendum calculum. Habet autem Jeſuitæ pharmacum ita.

♃. Pulv. millepedum præp. ʒ j. ad ſummum ℈ iv. aq. vitæ ℥ß. juris cicer. rubr. ℥ ix. vel ℥ x. capiat calidum horis ante prandium 5. enemate utebatur emolliente ante medicamenti potum; inſtituebat ſimul emollientem victum : effectus medicamenti fuit : horarum duarum ſpatio, totum corpus incaleſcebat, anguſtiebatur ęgrotus, ſitiebat, ac ferè loco ſtare non poterat, aliquando circa pubem dolores urgebant, urinę horâ quintâ cœperunt craſſiores reddi, ſed non multæ. Secundo die à pharmaco contingebant eadem, ſed urinæ copioſiores, & craſſiores. Tertiò ſabulum apparuit multum, ſeptimo tandem adeò plenæ ſabulo viſæ ſunt, ut rectè quis diceret, eas nihil eſſe quàm ſabulum aquâ diſſolutum, omnia in meliorem ſtatum redigebantur, ita ut qui proximè incidi debebat, liber ab omni malo, nono fuerit Die, & hic adhuc vivit, ab eo morbo Dei benignitate liber.

Ego verò Juvenem annorum 28. calido & ſicco temperamento curaturus, duxi minuendam quantitatem aquę vitæ, & ubi ſingulis diebus datum alteri fuit antidotum, huic alternis dari juſſi, ac pro refrigeratione totius corporis aquam fragariæ , & fabarum ad ℥ x. propinabam, intermedio die cum gutt. vj. ol. calcanthi & ℥ j. Julepi violati, hoc autem modo Pharmacum indicabam.

♃. Pulv. aſellor. præp. ʒi. aq. vitæ ʒ ij. decoct. cicer. rubr. ℥ VIII. M. S. & capiat tepidum 6. horis ante cibum, ſed cùm excalefaciebam igne Pharmacum, ibi non erat aqua vitæ, verùm ubi ab igne remotum erat , miſcebatur. Dedi medicamentum in Balneo decoctionis herbarum emollientium, univerſalibus præcedentibus, præparantur millepedes ad renum & veſicę calculos hoc modo.

♃. Aſellorum quam volueris quantitatem, vinoque albo generoſo abluito diligenter, mox in ollam conjicito novam vitreatam, lutoque illam incruſtato, demum in furno exſiccentur ita ut poſſint in tenuem pulverem redigi, tum verò affunde vini ejuſdem generoſi quantùm poterunt imbibere, & rurſus exſiccato ac tertio imbibito & exſiccato ut ſuprà, quarto verò pulverem irrorato hoc qui ſequitur liquore.

♃. Aq. fragor. ℥iij. ſpirit. vitriol. ʒiſs. Iterum pulvis exſiccetur, & tenuiſſimè contritus in vaſe vitreo, aureo, vel argenteo uſui ſervetur, quod ad ipſam inciſionem attinet, ſi fiat ignitis cultris, multò fœliciùs ſuccedet, hanc rationem ſecandi, meâ perſuaſione, adhibebat *Romæ* quidam ex meis diſcipulis, ac omnes ferè ſanitati reſtituebat. *Horatius Augenius Epiſt. & Conſult. Tom.*2. *lib.*9. *Epiſt. penult.*

Wilhelmus Laurembergius Profeſſor *Roſtochienſis*, ut ipſe de ſe refert, provecta jam ætate calculo veſicæ laboravit, qui cùm varias moleſtias exhiberet, & nucem ponticam æquare deprehenderetur, ac citra ſectionem exire non poſſe putaretur : ipſe verò periculoſiſſimo huic auxilio ſeſe ſubjicere nollet, de aliis remediis cogitare cepit, primò ergò liquorem illum nephriticum celeberrimum magnoperè apud Principes in pretio & uſu habitum expertus eſt, qui ita paratur.

♃. Salis

℞. Salis tartar. alb. ℥j. affund. aq. petroſel. ℔j. M. & per chartam bibulam tranſcoletur, & liquori color croceus corticibus aurantiorum concilietur, uſurpavit etiam gemmam illam Indicam, Igiada *Hiſpanis* dictam, ad calculum frangendum celeberrimam: ſed utriuſque remedii nullam vim deprehendit, ergò inter reliqua quæ ad calculum comminuendum commendantur, Pharmacum ex aſellis experiri voluit, ad imitationem Augenii in hunc modum.

R. Pulv. aſell. præp. ℨj. ſpirit. Juniper. ℈ij. Juris cicer. rub. ℥x. M. Quo manè aſſumpto, primâ & ſecundâ vice à ſumpto medicamento tribus aut 4. horis quandam pectoris compreſſionem percepit, & quaſi imminens animi deliquium, ut neceſſe haberet theriacæ ℈j. potioni admiſcere, atque ita remedio hoc totos 15. dies uſus eſt. Sed toto hoc ſpatio ne minimum quidem Sabuli expurgari reperit, itaque alia addenda ratus, ſequenti medicamento uſus eſt.

R. Aſel. præp. ℨij. lepor. præp. ſang. hirci præp. ſpong. roſ. ſylveſtr. ſem. Viol. purpur. an. ℥j. ſpec. Lithontrib. ℨij. M. F. antidotum. Hujus antidoti accepit ℨjj, decoct. diuretic. ℥x. ſpirit. Juniper. ℨij. quod medicamentum, ubi manè hora 5. hauſiſſet, ſecundâ vice poſt horas plus minùs 4. ſub pubis oſſe ad regionem oſtii veſicæ magnos ſentire cœpit dolores. Paulò poſt parum urinæ profluebat, & cum ea lamellæ exiguæ inſtar ſquammæ piſcis ſubrubræ, quæ licet aliquam viſciditatem habere viderentur, ad tactum tamen in ſabulum reſolvebantur, ita ut manifeſtò appareret tunicam vel cruſtam eſſe à majore calculo ſolutam. Cujus medicamenti uſum cùm continuaret, interdum tertio, interdum quarto, nonnunquam quinto die, hujuſmodi lamellæ craſſiores, & fragmenta ſæpè grandiuſcula profluxerunt, & præſertim ubi lavacro aquę dulcis uteretur, cùm verò & à calculo & ab ejus fragmentis, orificium veſicæ eſſet ſauciatum, ad leniendum dolorem medicamentis uſus eſt, atque ita horum medicamentorum uſu 17. ſeptimanarum ſpatio à calculo iſto liberatus eſt. Decoctum diureticum hoc fuit.

℞. Rad. liquirit. ℨvj alth. graminis, ononid. an. ℨß. baccarum halicacab. numero xx. cicer. rub. ℥iiij. uvar. paſſ. ℥j. ſem. 4. frigid. Maj. an. ℨj. hord. pij. coq. in aq. alkekengi, ononid. fragor. flor. fabarum an. ℔iß. colatur. adde ſyr. de alth. ℥iij. *Daniel Sennertus Pract. lib. 3. part. 8. ſect. 1. cap. 2.*

Piſtor quidam habebat filiolam, quæ ſæpiùs cruentum mejebat, medioque filo ſuſpendebatur lotium: erat autem pallidum cum multo ſedimine ac glutinoſo, ſicque ſeptimum vixerat annum; Villica quædam narrat piſtori, idem ſibi olim contigiſſe, juſſit adferri veſicam tauri embrionis nondum nati; veſicula iſta plerumque repleta eſt liquore ſaporis non quidem urinalis, ſed alieni, cujus ſingulo mane bibit ℥ij. cum totidem vini albi. Apud aliquot puellas pauperes idem ex embrione hirco tentatum, ac feliciùs adhuc ſucceſſit. *Joann. Helmontius tract. de Lithiaſi Cap. 7.*

Ingens calculus ex inciſo veſicæ fundo, in nobili Muliere extractus.

Veſicæ vulnera quia ſunt ut plurimùm exitioſa, non immerito inter lethalia cenſet Hippocrates; attamen læſâ veſicâ convaleſcere, cùm aliis, tum etiam mihi ex ſequenti hiſtoria compertum eſt.

Nobilis matrona Urbana Proux, vidua Danielis Hugonini, Viviacenſis patricii, biennio miſerrimè cruciata eſt calculo in veſicâ. Ego tandem adhibitus, partim cathetere in veſicam immiſſo, partim impoſito in matricis collum digito, calculum ovi gallinacei magnitudine ſenſi; à quo continuis, iiſque acutiſſimis doloribus afficiebatur; vires planè proſtratæ erant, unde ægra pariter cum adſtantibus de vita deſperabat. Pluries rogatus, ac tandem victus ipſius decumbentis & affinium precibus, ut calculum extraherem; ante omnia cùm totum corpus, tum imprimis partem affectam præparavi hunc in modum: Primò levi quodam medicamento ægram purgavi: vires quantùm potui, cibis euchymis, itemque potionibus cordialibus, & epithematibus reſtauravi. Deinde dolores, quoad fieri potuit, emollientibus & anodynis veſicæ regioni appoſitis, & ſyphone in ipſam injectis, ſedavi. Tum leviculum ulcus ipſo veſicæ fundo in collum matricis ad uteri orificium intrans, deprehendi; quod calculus ſua cùm aſperitate, tum pondere eroſerat, quodque unà cum calculo, quoties recta ſtaret ægra acie digiti indicis in collum matricis immiſſi facilè deprehendere poteram.

Die igitur 28. Julii 1598. apparatis omnibus ad operationem neceſſariis, ipsâque ægrotâ in ſede parturientis collocatâ, veſicam oleo amygdalarum dulcium, ſyphone immiſſo implevi: (ſic namque reddebatur lubrica; & ab lapidis aſperitate vindicabatur) deinde ipſo ulcere nonnihil partim digiti operâ lacerato, partim cultelli acie ad veſicæ collum inciſo, ac per ipſum immiſſis tenaculâ, & idoneo unco calculum (ut dixi) ad ovi gallinacei magnitudinem citra vim, hæmorrhagiam, doloremq; magnum eduxi. Ab operatione, ventrem, & totum inguen defenſionis gratiâ, oleo roſaceo & myrtino inunxi. Peſſarium ex ſtupis, albumine ovorum imbutum, matricis collo indidi, triduo aquam plantaginis cum oleo amygdalarum dulcium (ad dolores ſedandos) tepidè injeci. Poſtmodum decocto petroſelini, aſparagi, bruſci, Hebar. herniarię, ſaxifragiæ, & ſeminum petroſelini, geniſtæ; & aniſi cum melle roſaceo miſto, veſicam quotidiè ablui. Sic Divino auxilio nullis ſupervenientibus ſymptomatibus, reſtituta & perſanata fuit & ad annum 1611. incolumis ſupervixit. *Guil. Fabr. Hildan. Obſerv. chirurg. Cent. 1. Obſ. 68.*

Calculus ingentis magnitudinis ex veſicâ hominis extractus.

Calculos ingentis magnitudinis ante menſes aliquot mihi oſtendit Dn. Daniel Epiſcopus Bernenſis, lithotomus excellens, quos ipſe diverſis temporibus ex calculoſis extraxerat. At egò calculum, qui magnitudinem ovi gallinacei multùm excedit, ex veſica nobilis matronæ extraxi anno 1598. 28. Iulii, quæ & ad annum 1611. uſque ſupervixit.

Anno 1602 primâ Novembris Andream Vitellium, oculiſtam & lithotomum intrepidum, mihique olim cognitum; Hattingiæ in comitatu Marchiæ, calculum monſtroſæ magnitudinis cineritii coloris, inæqualem ac ſi ex multis lapidibus compactus fuiſſet, & ad uncias viginti duas pendentem, ex veſica juvenis cujuſdam, viginti annorum ætatis, Ioann. Groten nomine, extraxiſſe; Magiſter Eberhardus Stelinks, ejuſdem oppidi chirurgus, vir probus & fide dignus (in cujus pręſentia Vitellius calculum iſtum extraxerat) anno 1612. cum Hildena Hattingiam profectus eſſem; præſentibus multis aliis hujus operationis teſtibus fideliſſimis, mihi retulit. Sed in ipsâ operatione quæ & longa & laborioſa, imprimis verò doloroſa fuerat, ęger animam Deo reddidit. *Guil. Fabr. Hildan. Obſerv. Chirurg. Cent. 4. Obſ. 51.*

Valentinus Vogler Heidelbergenſis, antehac ludi moderator, grammateuſque in Schroetzingen & Munſter ad flumen Noli in Palatinatu inferiore, quadragenarius; ante annos octodecim videlicet circa annum 1608. ſtranguriâ, & difficultate inter mingendum cum

cum maximo cruciatu ventris, laborare cœpit, ſine ulla tamen cauſa, ut ille quidem teſtatur, externa. Stranguria illa, & dolores ventris, cùm in duodecimum annum perſeveraſſent, & magis magiſque adaucti fuiſſent, tandem ante annos ſex planè ſubſtitit urina, nec ampliùs per penem effluxit, ſed hinc inde per Scrotum, & è regione pubis ulcera fiſtuloſa ſibi efformavit, per quæ ab eo tempore urina ſine inſigni moleſtia & dolore effluxit. Horum ulcerum, uti fieri ſolet, jam nonnulla claudebantur, jam nova exoriebantur. Superiore præterea æſtate, cùm Novus & ingens quidem abſceſſus ad ſiniſtrum latus ſcroti exortus fuiſſet, Baſileam venit, ubi iterum multos, ingenteſque ſuſtinuit dolores. Tandem 16. Junii cùm ruptus fuiſſet, multùmque pùris effluxiſſet, calculus in conſpectum venit, qui & poſt dies aliquot à Dn. Martino Wirzio Baſileenſi, Lithotomo, & amico meo ſingulari, ſine ullo negotio ex vulnere poſt ruptum abſceſſum relicto tenaculis & hamulis, directore ac præſide clariſſimo viro Dn. D. Thoma Platero, celeberrimæ Academiæ Baſileenſis Archiatro ac Profeſſore Practico Ordinario, extractus fuit. Calculum ab initio pondus octo drachmarum exceſſiſſe nobis retulit, jam verò, uti tu ipſemet vidiſti, vix drachmas quinque pendet, eſt enim poroſus, & cineritii coloris, ita ut facilè crediderim, ab initio ipſum, veluti pumicem aquâ imbutum fuiſſe. Calculum mihi reliquit, quem inter rariora mea reſervo, Ego verò ne ingratus erga pauperem huncce exulem eſſem, viatico ipſum muneravi. Porrò ab eo tempore, quo extractus fuit calculus, tota ferè urina per illud ipſum ulcus, à calculo factum, effluit, ſine dolore tamen, interim præter ulcus hoc, ſex adhuc reperiuntur ulcera ad ductum urinarium penetrantia. Unum in pube, tria circa radicem penis, & principium Scroti, verſùs dextrum latus, & duo in Scroto ipſo. Perinæum integrum & ſanum eſt, neque antehac malè affectum fuiſſe, conſtanter affirmavit, urinam quoque ſe nunc retinere poſſe, nec guttulam quidem involuntariè effluere dicit. Quum verò ſummoperè moleſtum ipſi eſſe viderem, urinam nonniſi depoſitis caligis reddere poſſe, vel ſpongiâ, aut linteaminibus ipſam colligere coactum eſſe, ſequens vaſculum, olim Coloniæ, pio ægro quodam amico meo à me inventum, ex cupro fabricandum feci, ipſique dedi. Hujus vaſculi beneficio urinam ita excipit, ut nè guttula quidem ad caligas exſtillet.

Cæterùm de loco generationis hujus calculi nobis perquirendum eſt, in veſicâ ipſum generatum fuiſſe, vix credam; quo modo enim tantus lapis ex veſicâ per ipſum ductum urinarium uſque ad radicem penis pervenire potuiſſet, ſine inſigni læſione partium, quas tranſiit? Et quia perinæum nunquam in hoc viro malè affectum fuiſſe, & tactus ipſe, & ocularis inſpectio (lubrica enim ſunt omnia) fidem nobis fecerunt; & æger conſtanter aſſeruit, ſequitur, calculum non in veſicâ, ſed in ipſo loco ubi extractus fuit, concretum fuiſſe. Id verò quomodò acciderit, non facilè eſt ſcire, cauſam enim externam hujus mali nullam ex ipſo expiſcari potui. Quædam tamen, quæ mihi in mentem nunc veniunt, adſcribam: quæ ſi non vera, veriſimilia tamen eſſe mihi videntur. Arbitror autem, ipſum ab initio morbi (hæc ſine dubio nobis propter verecundiam celavit.) excoriatione quadam, & poſtmodum caruncula laboraſſe, & proindè urinam ſæpiſſimè retentam fuiſſe, donec tandem exorto abſceſſu circa radicem penis, relictus ſit ſinus & ex eo varii ductus & ulcera fiſtuloſa, quemadmodum & te præſente, ſex circumcirca Scrotum & in ipſo Scroto reperi. Toties itaque & quotidie collecta, imò & pleruмque ad tempus retenta urina, in ſinû ipſo circa Scrotum, nihil video quod obſtare potuiſſet, quò minus hoc in loco æque ac in veſica, concreſſere potuerit calculus, imò & forſan faciliùs. In veſicâ enim inſita illa facultas expultrix continuò operatur, & quod nocuum eſt extrudere conatur, quod circa Scrotum minimè fieri potuiſſe, tibi notum eſt. Cur quæſo in hoc ſinû calculus generari non potuiſſet, cùm & in Atheromate circa temporalem muſculum genitam fuiſſe materiam lapidoſam ſuperiori anno hîc mihi videre contigerit, *Guil. Fabr. Hildan. Obſerv. Chirurg. Cent. 6. Obſ.* 57.

De calculo in veſicâ

Inter complurimos à calculo per me liberatos mihi in mentem venit Illuſtriſſ. D. Gregorius Malvetius, qui viginti annis elapſis in calculum veſicæ incurrit. Alios prętcr me conſuluit Medicos, qui omnes calculo veſicam laborare aſſerunt. Hâc de re medicamenta plurima fruſtra ipſi præſcripſerunt. Ad nos tandem venit, maximè cùm ab illis intellexiſſet ſolam ſupereſſe inciſionem, quam toto pectore reformidans, undique conquerere remedia ſtatuit. Nos ipſi duo pręſcripſimus, in quibus ejus ſalutem repoſitam eſſe aſſero, ſi in eorum uſu perſiſtat: Primum fuit herniâria cum betonica in juſculo carnium cocta, bibit quotidie juſculum ad tres vel quatuor menſes; at cùm ipſe aſtrologiæ deditus eſſet, ſub explorato, & benevolo ſiderum poſitû plantas eas colligi curavit. Secundùm fuit aſtacorum fluviatilium lapis de quo quotidiè in veſperis ℥ß. accipiebat cum ſucco Limonum. His duobus fæliciſſimè convaluit. Quid mirum ſi quindecim annis à ſanitate elapſis ſanguinem expuere cœperit? cujus occaſione Patavio Medicos conſuluit, ſed eum ad propriam Civitatem remittunt, ubi poſt aliquod tempus in manifeſtam phthiſim incidit: tuncque pluribus in hac re habitis conſultationibus, extremum diem tandem clauſit, quamvis ſexageſimum quintum annum ageret. Hic effectus raro ſenes adoritur, Unde quidam Medicus ad Eminentem cathedram evectus, morbum hunc non eſſe phthiſim aſſerebat, quod ex Hippo. intellexiſſet, poſt trigeſimum quintum raro advenire.

Admodum Rever. Pater, moribus & vitæ integritate clarus, P. F. Antonius Vernitius Franciſcanus annos 45. natus, poſt varia tormenta, & infinita remedia pro calculo in veſica atterendo, me accerſiri curavit. Re citra ſpem habita, & potiùs de morte, quàm de vita cogitans, ad extremum confugiendum eſſe ſtatui, ne ipſum ſine remediis periturum relinquerem: Salem itaque vitrioli ſublimatum, & ad extremam puritatem adductum ipſi ſtatim exhibui cum juſculo carnium. Horâ poſt ipſum aſſumptum vomuit & excrevit calculum ſatis magnum, ex quo confeſtim ab omni dolore liber evaſit.

Vetula quædam annorum 60. in via quæ dicitur *il Borgo della Paglia,* longo tempore à calculo in veſica cruciabatur. Poſt multa remedia incaſſum adhibita, Lithotomus ad eam conducitur, qui cathetere calculo explorato, de mercede paciſcitur. At illa non tam expenſas timens, quàm operis ſævitiem, ſic diu incurata manebat, ac vitam nimis infauſtam ducebat. Quum verò minus de ſalute cogitaret, ecce calculus ad orificium externum veſicæ ſe profert. Ad eam perductus conſului, ut ſequenti mane pro viribus per civitatem deambularet, & ubi non ſufficerent vires, aliquem ſecum perduceret cui per viam inniteretur, & antequam egrederetur domo, pudenda benè inungeret oleo ſcorpionum: quod ad unguem exequitur, undè vix domum reverſa, calculum prædurum ovi Gallinacei magnitudine excernit, non ſine admiratione, à qua excretione libera penitus evaſit. *Petrus Poterius Obſervat. Cent.* 3. *& ſeq.*

De calculo renum.

Tanta eſt nephritici doloris affinitas cum dolore coli, ut non rarò peritiſſimos Medicos ambo deludant. Talis fuit is, quem nuperrimè patiebatur admodum Rever. D. P. M. Joann. Evang. de Juncis, in celeberrimo cœnobio D. Franciſci ipſe enim quindecim diebus atrociſſimo dolore ventris premebatur. Locus doloris erat circa regionem renum per ureteres ſe extendens, cum frequenti nauſeâ, & vomitu, urinæ erant multæ & tenues. Curationem aggredimur per communia, tantò magis, cùm tres eſſemus vocati ad curam. Prima die ſubducta alvo clyſtere emolliente, accepit pluries de ſpec. Eleſcoph. quod ſtatim evomuit. Sequenti die pulpa caſſiæ cum Diaphenic. adhibetur quod pariter per os rejecit. Interea fotus cum carminativis, bacc. lauri Junip. menthæ, calament. majoranæ, abſinth. fœnugr. lino, cymino, camomill. & melil. Poſt ejuſmodi fotus oleis diſcutientibus, & aperientibus inungebatur; clyſt. quoque diſcutientes cum decocto carminat. elect. de bacc. lauri, Benedict. laxat. terebint. & ſimilibus, frequenter reiterabantur. Cùm dolor magis ſæviret, ſapientiſſimè à ſeniore Medico balneum olei communis præſcribitur: ſtat per horam in dicto oleo, à quô cùm nihil levaminis, percepiſſet, imo dolor vehementior redditus videretur, conſultationem inter nos inire cæpimus rem eſſe conclamatam videbamus. Vitrioli ſalem propono, & in his morbis verum eſſe rhizotomum. Abnuunt alii duo Medici, ſed ſagaciſſimè; nam ab aſſumpto tribus horis ceſſat omnis dolor. In quo ſatis videre eſt boni & legitimi Medici eſſe, Chimica remedia non ſpernere, indocti ſoli vituperant quæ ignorant. *Idem Obſervat. & curat. Cent. 3.*

Calculus veſicæ cervicem deſerens.

Joanni Traſſito tantùm negotii, in ſenectute faceſſivit calculus veſicæ: ut non modò vix unquam mingeret ſine acerbo urgentis urinæ cruciatu, verùm rariſſime quoque deambularet, ſive ſub dio ſive in porticu, ſine evidente doloris ſenſu, ob calculum veſicæ cervicem, miſerandum in modum excarnificantem, donec tandem doloribus ac punctionibus ceſſantibus, liberè denuo urinam reddiderit adeptus non ſolùm copiam agendi iterum negotia, à quibus aliquandiù abſtinuerat, verùm etiam quocùmque proficiſcendi perindè atque ſaniſſimus.

Quam inopinatam rerum faciem, ut ſummè admirabatur Aeger, ſic non levem conjecturam movit Medicis, calculum ſtationem ſuam, ex qua tam atrox intuliſſet bellum, ſeu remediis ſive tempore deſeruiſſe. Indeque turbas receſſiſſe, pacemque corpori tandem conceſſam, à qua tamen ſententia, æger adeò fuit alienus; ut potiùs crediderit, ſe nihil unquam à calculo, verùm omnia ab indurato aliquo tumore, cujus pondus etiamnum circa anum perſentiſceret, perpeſſum fuiſſe, manſitque ipſi hæc opinio ad extremum vitæ halitum. Facto vivendi fine per omnimodam urinæ ſuppreſſionem, ubi integrum quinquennium ſatis commode habuiſſet. & producta ab anatome in lucem veritate, quæ hactenus delituerat ſpiſſa caligine ſepulta. Cujus beneficio vidimus durum aliquem tumorem prope veſicæ cervicem ſitum, in cauſa fuiſſe, quominus profluxerit ipſi lotium, ſive ſponte ſive meatu quoque per cathetere reſerato, idque ex veſicâ, aquâ, id temporis, maximè replerâ, quod inuſitatum tumoris genus, inſtar carunculæ tunicâ incluſæ, ante veſicæ exitum propendens, uti huic ægro exitio fuit, ſic etiam clanculum aliorum vitis inſidias ſtruxit; ignorantibus Medicis quo referrent exitialem ſuppreſſæ urinæ cauſam; ea enim fuit tumoris forma, ut elevata à cathetere, illud tamen ita compleсteretur, ut nihilominus impediretur urinæ effluxus, in quod haud leviter admirari licuit imperveſtigabilem Dei ſapientiam, cui nunquam deſunt miniſtri quibus animam ex hôc ergaſtulo ad meliorem evocet vitam.

Sed quid dicemus de calculis, qui primùm maximum, deinde verò nullum excitarunt cruciatum? erant hi duo, & quidem ſatis ingentes, in principio, attritu ſuo veſicæ cervici moleſti, mox verò pondere ſuo adeò extenderunt ſequacem veſicæ membranam ut paulatim deſcenderint, ad quatuor tranſverſos digitos, à priore ſtatione; provoluti quaſi in ſacculum veſicæ adhærentem in cujus receptaculo, etiam calculum ſuum dicitur concluſum habuiſſe, Vir incomparabilis eruditionis Iſaacus Caſaubonus, fuitque hæc loci mutatio veriſſima Cauſa illius levaminis, quod æger percepit poſtremis vitæ annis, deficientibus Deo optimo maximo nunquam auxiliis, quibus etiam ſine medicorum ope, ab intricatiſſimis morbis vindicet miſeram hominis vitam. *Nicol. Tulpius, Obſ. lib. 3. Cap. 48.*

Calculus Urethræ.

Filio Rectoris Campenſis ſuccreverant ab ineunte ætate, in medio urethræ ductu, plurimi calculi qui illum paulatim diſtenderunt, ad inſtar pugni puerilis, adeò ut ſinguli diſtinctè manu palparentur; illato tamen ne minimo quidem impedimento urinę exituræ, quem tumorem ſexto demum ætatis anno ablaturus Chirurgus, aperuit ſcalpello colem, propè lineam intermediam; in muſculis urethræ dilatatationi dicatis, eductiſque inde quinque & viginti calculis, inſtar maximorum piſorum, perduxit vulnus ad cicatricem, puerumque ad priſtinam ſanitatem, ante diem ſextum, ſine ullo fiſtulæ metu, nedum pervio hiatu, per quem invito efflueret vel minima urinæ guttula, uſque in decimum poſt ſectionem annum. *Idem Obſerv. lib. 4.*

Calculus per lumbos excretus.

Juriſconſultus natus patre calculoſo, eidemque cruciatui à puero obnoxius, vixit aliquandiu miſerè, & tum quidem hoc miſerius, quòd calculus a rene per lumbos expulſus reliquerit ibidem ulcus calloſum, profluens perpetim urinâ ac pure, & quidem fluxu tam perenni ac diutino, ut nec tempore nec remediis, nedum aquis Spadanis aut thermis Aquiſgranenſibus ullam perſentiſceret opem, quin potiùs, occluſo per lumbos exitu, ac derivato deorſum ſordidiſſimo pure, inciderit tandem in febrem acutiſſimam, quæ ipſum miſerandum in modum occidit.

Cui fortuitæ calculorum per lumbos eruptioni fortè innixa eſt ſectio illa, quâ Rouſſetus ſatagit, per ſcalpellum, calculos ex renibus elicere, ſed rectè, an perperam, viderint illi, quibus notus eſt cùm ipſorum renum, tum calculorum inibi concreſcentium ſitus, qui ut non ſemper ſunt uniuſmodi, ſic diſcrepant interdum evidenter formâ, loco, numero, ac magnitudine: diſperſiſque radicibus per renum carnem infident nonnulli penitiùs ipſorum ſubſtantię; quàm ut ſine omnimodâ ipſiùs dilaceratione inde extrahentur: quid quod, diſſectis tubulis ad papillares proceſſus ſive glandulas ſerum provehentibus, neceſſariò conſequatur, perenne illud, quod Juriſconſultum hunc peſſundedit, Ulcus, quod non minùs moleſtum arbitror, quàm ipſum calculum, in renibus permanentem, nè quid jam dixerim de lumborum nervis, vicinis venis ac largâ peritonæi

inciſione, quorum omnium anceps eventus facilè plus damni quàm emolumenti afflictis daret. *Idem, eodem libro.*

Vrinæ tranſitus, renis calculô, per ſedecim dies obſtructus

Plurima reliquêre nobis doctiores exempla diuturnæ urinæ obſtructionis renum calculis exortæ; nullus tamen eorum, quod ſciam animadvertit accidiſſe, ut urinæ curſum prædictâ cauſâ per ſedecim dies ſtiterit, mihi tamen illud anno 1661. in Mauricio Gerardi Boſchuliet moderatæ vitæ homine, ac ſeptuagenatio, valido tamen etiamnum, ac ſano videre contigit. Is per horas aliquot curru vectus, in aggere ſecundùm Moſam flumen, ac deſcendens, ut urinam excerneret, eandem ſanguinolentam vidit: Ac, quoniam lapis rhedæ agitatione, corporiſque hinc orto motû mobilior, minuſque adſtrictus factus, exindè ſenſim in inferius vergeret, omnis omninò lotii retentionis cauſa fuit, ac ſexto decimo demum die tranſitus lotio patuit, poſtquàm varia emollientia tam interna quàm externa, clyſterum videlicet, fomentorum, balneorumque &c. à diverſis Medicis illi præſcripta, atque adhibita eſſent, quo etiam tempore calculum ille oblongum emiſit, qui nuclei pini magnitudine par erat. Interea tamen per illos dies ipſe præ nimia oppreſſione, urinæque impedito exitu hanc at ſalſiſſimam aliquoties vomitù ejecit *Cornel. Stalpart. Obſerv. rarior. Cent.* 1. *Obſ.* 51.

Calculus per ulcus prope inguen emiſſus.

Menſe Junio 1660. cum Chirurgo H. Dorlè, intellexi filium J.Brouvver decem annos natum, ad quem vocatus eram, per aliquot dies nihil omnino lotii excernere potuiſſe, nec tamen tunc quidem ulla notabilia calculi renum deprehendimus ex accidentibus Indicia, cui licuiſſet urinæ retentionem attribuere: Nulla inſuper aderant ſigna, quæ veſicæ proderent calculum, quoniam Chirurgus, aliquoties immiſſo ad facilitandum lotii tranſitum catethere, nihil omnino obſtaculi, duritieive ſenſerat, Poſtquam itaque puer hic dies aliquot ſatis miſer tranſegiſſet, in dextrâ parte prope ſcrotum, nec procul à virgæ radice, versùs inguen abſceſſus apparuit, qui non ita diù poſt versùs partem exteriorem rumpebatur: hæc tamen antequam fierent Scroti, nec non penis cutis, præputiumque ita intumuit, ut incidere hoc neceſſe habnetimus, ut aptè ad urinæ tranſitum promovendum intromitti poſſet catether, tandem verò Calculus phaſeoli inſtar, variegatoque colore, ut ſolet marmor, prodiit; puer autem tam per Virgam, quàm per foramen propè inguen continuè tribus etiam poſt annis lotium excrevit, quamquam hoc ſenſim minutum, ac tandem ſanatum fuerit. *Idem ibidem.*

Calculus per inguen prodiens.

Vidit frater meus *Ioan. Stalpartius vander Wiel*, ut & Chirurgus *Arnoldus de Wilde* in Hagienſi πτωχείῳ quindecim annorum adoleſcentem, cui poſt diuturnum dolorem, cujus cauſa erat ureteri inhærens calculus, tandem ulcus in inguine ortum eſt, per quod ille exiens ægrum dolore liberavit, fiſtulâ tantùm ibidem ſuperſtite, per quam continuè guttatim urina ſtillabat. *Idem ibidem.*

Calculus venæ Thoracicæ.

Calculum quem nobis aliquando obtulit arteria aôrta, corpori incluſa, illum nunc demonſtratum venit vena Thoracica foris obvia, cujus os, ab interno abſceſsû reſeratum, apertumque novum hunc hoſpitem non ſecùs complexum fuit, ac ſcapulæ ille tumor, in quo teſte, Joanne Schenkio lib. v. Ferrandius ſenior conſpexit ſimillimum calculum, à ſanguine firmiter concretum.

Jano Mulerio integrum triennium à ſuppurata pleuritide divexato, tandem exortus fuit, circa extimam ulceris oram, prædurus tumor, continens in ſe, ſphæricum, ac inæqualem calculum, inſidentem arctè venæ thoracicæ externæ, cujus magnitudo, ut nuci avellanæ, ſic forma fuit ſimillima racemo uvarum corinthiacarum, quibus calculus hic rotundis, ſplendicantib., ac atris ſuis acinis adeò fuit æqualis, ut vix ovum ovo videri ſimilius poſſit. Exorto procul dubio nigro illo colore, ex aduſto venæ ſanguine; uti alba, quá inferiùs obducebantur, cruſta à candicante puris recremento,

Agedum Chirurge, fatigant te interdum inveterata ulcera, ludiſque non rarò operam in tumoribus duris, ignarus, loco puris, aliquando calculum inibi matureſcere. Vis filum Ariadnæum? cujus ductû feliciter ex hoc labyrintho evades, ſequere quod propoſui exemplum & conſidera attentè, num ſiliceus hic hoſpes clandeſtinè alicubi deliteſcat. *Nicol. Tulp. Obſerv. Medic. lib.*4. *cap.*22.

Calculus.

Rutgero Schorer, filiolo, parvus calculus cum ſummis doloribus per uretherem ad veſicam deſcendit, inde verò paulò poſt in penis meatum expulſus, cùm ob magnitudinem tranſire non poſſet, mediæ urethræ inhæſit, atque urinam totaliter obſtruxit. Variis modis illius extractio tentata fuit, ſed fruſtrà; tandem autem cùm ad doloris immanitatem etiam partis inflammatio accedere animadverteretur, eundem ſectione extrahere neceſſe fuit, quapropter cute aliquantum ſurſùm versus glandem attractâ, Chirurgus Urethram in latere loco ubi calculus ſubſiſtebat, ſectione aperuit, atque inde calculum extraxit, quod vulnuſculum poſtea facili negotio rursûs conſolidatum fuit, puello nullum incommodum inde retinente. *Isbrand.de Diemerbr. Obſervat. & Curation. Medic.* 73.

De Calculo Renum.

Civis Bergenſis conquerebatur de dolore dorſi è regione renum, vomuit, urinæ retentio aderat, & difficulter nec ſine dolore aliquid ejus excernere potuit. Adhibui enemata, dedi lithontriptica varia, balnea, & fomentationes inſtitui. Dolorum quidem acerbitas mitigabatur, & ſentiebat calculum magis magiſque deſcendere, permanſit tamen in urethere, per octiduum & eo diutiùs. Deinde ex improvisò omnes dolores evanuere, urina libere fluebat, appetitus rediit, ſed nullus excernebatur calculus, ita ut dubium nobis eſſet, an unquam calculus adfuiſſet, ſed ſignorum ſyndromen, animi trutina pôderans, & quod ante aliquot annos etiam calculum excreviſſet, calculum adhuc latere perſuaſus ſum. Quid fit, per 10. dies integra fruitur ſanitate deinde ſubitò recrudeſcit dolor cum iſchuria; dedi diureticum cum lithontripticis, & excrevit tum demum calculum magnitudine fabę. Qui proculdubio tam diu hoſpes fuit in veſica. Idem ante biennium dolore nephritico affligebatur,

deſcendeba

deſcendebat calculus in veſicam ubi adhuc latet, & interdum liberum tranſitum urinæ impedit; cùm verò id ſine dolore fiat, medicinam non admittit; Et ſi ipſi prædixerim, calculum quotidie augmentum capturum, & olim ipſi cauſam mortis præbituram *Got. Criſt. Wincleri.*

Inſolita calculi in corpore tranſeuntis via.

Fœmina hujus *urbis*, Reverendi cujuſdam *Antiſtitis filia* anno 64. de ſumma deglutiendi difficultate conqueri cœpit, cum vehementi in collo dolore. Huic ſperma ceti cum ol. amygd. dulc. camphora & ſyr. ex viol. &c. commiſtum; ad minoris cochlearis capacitatem noctu aſſumere præcepi, dolor non nihil remiſit. Altero manè repetiit eandem miſturam, non ita diu poſtea quidpiam, *à collo ad dextrum ſub diaphragma latus*, tanquam globum ſclopetarium veloci motu tranſire ſenſit, Emplaſtrum triapharmacum ad bidui tempus inibi impoſitum habuit. Exinde pari velocitate dolor ille ad pubem deſcendit, ibique moratus, donec poſt inunctiones & cataplaſmata, tres calculos piſa ſuperantes ex veſica ejecit, nullo hactenus ſubſecuto incommodo, *Ioan. Georgii Volcameri.*

Effectus pathematum animi Calculo.

Illuſtris quidam *legatus Batavus* calculo renum afflictus, & meæ curæ permiſſus, cùm ægrius potaret pharmaca, hoc gravius aliquandiu cruciabatur, ſed in mediis doloribus poſtquam ſuperveniens tabellio lætum nuncium è patria attuliſſet, è veſtigio prodiit ſponte calculus; & nobiliſſimum ægrum ſollicitudine duplici levavit. Hæc in lætis, quid in triſtibus poſſint, nunc intuebimur: *Dorothea Mothia* viduarum honeſtiſſima ſecurè dormiens, quæ jam diu nullos calculi labores experta, cùm à famula per tumultum excitaretur ob incendium vicinis domibus imminens, ſubitò graviſſimos renum cruciatus ſenſit, à quibus expediri non potuit, niſi excluſo demum grandiori calculo. Non formavit hic metus calculum, ſed quietum loco ſuo excuſſit: non ibi lętitia ejecit lapillum. ſed vaſa ampliavit ut faciliùs ejiceretur. Adeò ſtringit, arctatque formido, aperit hilaritas. *Olai Borrichii.*

Quid faciat aliquando immanitas doloris à Calculo inductio.

Dolui ex animo, cùm ex *Antonio Guainerio* apud *Gabelchoverum* legerem, Virum quendam bonum, cùm diu dolores calculi crudeles patientiſſimè ſuſtinuiſſet, tandem victum acerbitate cruciatuum, animam ſuam infeſto Dæmoni commendaſſe, modò à doloribus liberaretur. Mitius fortaſſe magnus ille Macedo, ſed tamen vehementiſſimè doluit, cùm auctore *Curtio*, epoto jam Herculis ſcypho, repente velut telo confixus ingemiſceret, & ferrum poſceret in remedia. Parùm abfuit ab honorato quodam viro noſtrate, peregrinationibus claro, ſimilis fortuna: is poſtquam diu luctatus eſſet cum infelici ſtomacho, omnia cibaria per vomitum rejiciente aliiſque doloribus hypochondria vago, ſed acerbiſſimo cruciatû affligentibus, aliquando cùm ex lege amicitiæ ægrum inviſerem, pręſente medico ordinario ad utrumque converſus, inquit, quod graviter ſauciat conſcientiam meam occidi hominem & manus innoxio ſanguine inquinavi; proinde iterum iterumque per omnia vos ſacra obteſtor, ut Regi mox atrox crimen meum aperiatis, ne diutius juſtum ſupplicium eludam, & animæ periculum adeam deſperabundus. Nos circumſpicere omnia, notare vultum ægri, habitumque, & cùm conſtaret eum ſanâ mente ex meditato ita loqui, ambigere, utrum doloris impatientia hęc verba dictaret, an vulnus conſcientię. Abeuntes premere illa ſilentio conſtituimus, & alia vice in circumſtantias facti operoſiùs inquirere, ne vel amico, vel veritati deeſſe videremur. Redeo ergò poſt dies aliquot, & de ſtatu ægri percunctor. Ille vultû ſereniori, inducias, inquit, hodiè experior, non ita acriter me lancinant dolores, cùm adeſſes ſuperioribus diebus, ea fuit tormentorum ſęvities, ut quamcumque lanienam mallem, quàm eandem ulteriùs ſuſtinere, proinde ſtudio dixi (ita me ſuperi mente) commiſſam à me eodem, ut vel publico ſupplicio domeſticum hunc & quotidianum tortorem evaderem: De militaribus ingeniis hic ego nihil, ut quibus non infrequens eſt gladio vel ſclopeto imperare doloribus ſuis quoties aliquanto diutiùs acerbiuſque perſeverant. *Olai Borrichii.*

De Olei ſuccini nimis largiter hauſti noxa.

Optimę apud nos exiſtimationis Iuvenis Mercator *Criſtophorus Memſen* τετράγων@, nephriticis doloribus ſæpiuſcule ferè oppreſſus, ἐντόἐςτον me rogat, quo neceſſitate urgente in abſentia medici tutò uti poſſit. Recommendo *Oleum ſuccini*, cujus aliquot ſubinde aſſumere guttas, non abs re fore inculcabam. Annuit, neque ingratum ſibi hoc remedium fore reſpondet. Poſt ſeptimanarum aliquot decurſum obvius mihi fit in platea, & pro communicato conſilio grates agit prolixas: Scatulam mihi monſtrans variis repletam calculis, minimis ſabuli inſtar, mediis cicerum magnitudinem referentibus, & maximis piſa æquantibus, pleriſq; autem acuminatis. Ecce, inquit hoſce hoſtes omnes unâ profligavi operâ, compendium rei faciens; tu aliquot me guttas aſſumere voluiſti, ego medium & amplius cochlear oleo iſto repletum vice una exhauſi, firmiter credens, ex parvâ doſi parùm me Levaminis ſenſurum; ex copioſâ autem majus me emolumentum habiturum: nec fefellit mea opinio, nam uno impetu, non quidem ſine dolore, illam quam monſtro excrevi quantitatem. Malè, Reſpondeo, tuę conſuluiſti ſanitati, & certam temeritatis tuæ certo augurio pænam lues; ex inordinato enim & impetuoſo diuretici hujus vehementis uſu, veſicæ orificium ita læſum deprehendes, ut nullis remediis impreſſa hæcce labes corrigi valeat. Et quamvis in prognoſi hac me erraſſe maluiſſem, tamen Eventus docuit, certiſſimum ſatis fuiſſe hocce præſagium; nimirum brevi poſt tempore exulceratam eſſe veſicam, ſigna monſtrabant non obſcura; namque urina cum dolore excernebatur, eadem cruenta primùm apparebat, poſt craſſum album, matulæ lateribus firmiter adhærens ſedimentem ſeſe monſtrabat, quod ſæpiùs cum & ſine dolore in copia excernebatur, quæ copia ad eam tandem creſcebat molem, ut mediam matulæ partem non ſemel adimpleret: & cùm potentiſſimi illius diuretici uſûs labes veſicæ impreſſa eſſet, inflammatio tandem loci affecti accedebat, cum febre continua intenſa, unde maxima pectoris anxietas oriebatur, quam extremorum mox infrigidatio ob Nervoſarum partium læſionem, hanc mors poſt paucorum dierum decurſum excipiebat. *Ioann. Schmidii.*

Calculo laborans puer immunis factus febre peſtilenti accedente.

Morbum morbo curari inſolens non eſt. Hydropem febris ſanat exſiccatione humorum, & volvulum copioſa urina 6. Aph. 44. & capitis dolorem aph. 51.

Ita

Ita & febris peſtilentialis abſumere potuit in puero calculoſam materiam illâ ætate fluidiorem. Obſervatum multis à peſte convaleſcentibus vocem diu læſam fuiſſe exſiccatis faucibus. Si bubones adfuerint, multorum in corpore puerili malorum evacuatio ſecuta. A calculo verò liberatum puerum poſthac ſecurum eſſe juberem, niſi diſpoſitio hæreditaria adſit. Induciæ enim erunt, nulla pax. *Th. Bartholini.*

Veronicæ uſus in calculo.

Ut gutta cavat lapidem non vi ſed ſæpè cadendo, ita non rarò medicamenta Simplicia & viliora ſubindè aſſumpta effectum relinquunt planè mirandum, cujus ſchema oculis meis exhibuit antè aliquot ſeptimanas, *Urſula,* ſutoris cujuſdam vidua, quæ calculum per 16. annos in rene aluit ſiniſtro qui tot cruciatibus illam afflixit, ut viribus omnibus aſſumptis, nilniſi ſceleton vivum repræſentaret, & ob ſummum cruris ſtuporem, & renis dolorem in iſto latere per totum illud tempus nunquam dormire potuerit. Tandem conſulenti aſſentiens, quotidiè *Decoctum veronicæ,* & quidem in ſatis magna doſi per tractum aliquem temporis aſſumpſit, quo effecit, ut *Calculus* priorem relinquendo Nidum, alium quærens, ad ureteres protruſus fuerit, ubi nimias anxietates excitans, ipſam inter mortis & vitæ diſcrimen conſtituit, tandem tamen aſſumpto largiori *Decocti veronicæ* doſi, veſica receptaculo fuit, ubi miſeram ſtillicidio & difficultate urinæ diu vexavit, donec ab aſſumpto ſuperiori nominato decocto, & ejus fomentatione, natura hactenus dormiens, expergefacta, maximis & iis conatibus, quibus aliàs à fœtu ſe liberare conatur, excitatis, Hoſpitem peregrinum cuſpide expulit, qui tandem vi ab ipsâ ægrâ per collum veſicæ extractus fuit, & quidem non abſque ſummâ illius læſione, &copioſâ hæmorrhagiâ. *Ioachimi Georgii Elſneri.*

Calculus penè ſiliceus in veſica pueri, medicamentis fractus & expulſus.

Puellus ſex annorum, ſenatoris Helſingburgenſis filius, calculo veſicæ tentatus, alia atque alia ſuasû amicorum & parentum deglutierat, quibus nihil proficientibus ab Agyrta, qui commodum in urbem advenerat, & intra triduum promiſerat liquefactum iri calculum, recipit potionem medicatam acerrimi ſaporis, fætoriſque ingrati; & poſtridie reddit non calculum, ſed urinam oppido cruentam, variis hinc inde filamentis ex interiori veſicæ tunica abraſis diſtinctam. Perſeverante ad plures dies urinâ ſanguinolentâ, nullo autem calculo in conſpectum veniente, proripit ſe circumforaneus & ægrum miſerabili ejulatû omnia replentem deſerit. Puellus deinde inter dolores hos Hafniam delatus meæ fidei committitur. Adverto inter mejendum intolerabiles cruciatus, video ſtrigmenta innatantia urinæ filamentorum, & tunicarum minutarum ſpecie, agnoſco craſſius ſubinde in lotio ſabulum. Igitur nullum ab acribus præſidium mutuandum ratus, balſamum ſulphuris terebinthinatum, & oculis cancr. crudis in alkohol redactis, cumque ſaccharo remiſtis in pulveris forma temperatum offero ad plures dies, eo conſilio, ut læſæ partes veſicæ (ſi tamen coaleſcere eæ unquam poſſint in loco tam acre lotium perpetuò ſentiente) ſenſim coirent, & calculus nihilominus attereretur. Quo effectum id quidem, ut glarea, & minutiora quædam calculorum fruſtilla alternis ferè diebus excernerentur, & urina non cruentaretur amplius, dolor tamen in meiendo vix tantillum interquieſcebat. Ventum igitur ad terebinthinam ipſam aquâ virgæ aureæ, & plantaginis elotam, ut glutinando aptiorem, quam & aliquandiu cum pulv. ocul. cancr. in morſellos (quos vocant) coactam uſurpavit, ſucceſsû nondum ſatis exoptato. Tandem diu propinatus ex lap. judaic. lap. Lyncis, cryſtall. mont. & ocul. cancr. pulviſculus, id noviſſimè præſtitit ut Calculus magnitudine juglandis minoris, ſiliceæ duritiei in fruſta fabis æqua confractus exierit, certas fracturæ notas ſecum afferens. Læſa tamen membrana veſicæ interior nondum plenè coaluit, nec fortaſſis bonâ fide coaleſcit unquam, ob continuum lotii erodentis affluxum, ut vel hinc conſtet, quod mercatur agyrtarum natio, quæ ita impunè per mortes & vulnera ad divitias graſſatur *Olai Borrichii.*

De mirabili calculi veſicæ cura.

Calculum veſicæ pergrandem, & duos lotones cum dimidio aliquotque granis æquantem pondere, attulit mihi fœmina, quinquagenaria Eckelfurdana, quem cùm raræ commendent circumſtantiæ, æquum ratus ut illas quoque curioſo veſtro adſpectui exhibeam. Miſera illa conſilium rogitans, quâ nimirum ratione vitam jam tot moleſtiis fractam paulò liberiorem ab iis agere poſſet, conqueſta initio eſt ſe totos annos duos immanes circa Epigaſtrium dolores ſenſiſſe, nec tamen vel proprio aut aliorum inſtinctu cognoviſſe, quid ibi malè lateret, ſed imprimis propter anguſtiam rei familiaris, medicorum operâ uti nom potuiſſe Tandem cùm impendente vere melius, & cæli temperatior aura ſpiraret, ſuaſere vicinæ, ut animi relaxandi causâ, unà ad navem onerariam noviter conſtructam pertenderet, in quod facilè conſentiens, quantum vires permittebant, comitatum ſecuta, & ad oram navis perveniens, cùm illam ſublato pede tranſcendere vellet; divaricatis cruribus medio Epigaſtrio in rude lignum impingit, inſidens ei inſtar eorum, qui equo vehuntur, quo casû ferè exanimata, & à vicinis domum deducta, tantis cum doloribus circa inferiorem ventrem conflictari cœpit, ut omnes eam ſtatim emorituram crederent, ſed ipſa illa jam ultimis confecta laboribus naturæ tamen victricis beneficio adjuta, corpus aliquod ſolidum cum tanto fragore & tonitru, ac ſi lapidem fulminarem nubila emitterent, naturalibus eſt ejaculata. Quo ſonitû perculſæ aſſidentes mulierculæ, propiùs ſe lecto admovent, & quid ægræ accidiſſet, quærunt, quæ ut de dolore dextri femoris querebatur, lodice & ſtragulis retractis, quo ſuppetias ferre laboranti poſſent, reperiunt ibi calculum ingentem in pedem exploſum. *Ioëlis Langelotti.*

De Autolithotomo.

Non ut novi aliquid proferam, ſed ut pridem à Præilluſtr. Dn. *Nicolao Tulpio.* obſervationum ſuarum medicarum L.4. C.31. divulgatam de Autolithotomo Hiſtoriam confirmatam magis redderem Picturam cultri atque lapidis unà cum authentico Teſtimonio, Belgico idiomate Amſtelodami tunc edito, nuper verò mihi à plurimum Rev. & clariſſ. Dno. *Petro Veldio,* Paſtore meritiſſimo Belgicę hujus loci congregationis, communicato, qui hoc ipſum exemplar dicti Teſtiſtimonii ab ipſomet Dno. Henrico Muon. Ultrajecti acceperat, pro Ephemeridum curioſarum exornatione ſi exhiberem, minimè curioſis lectoribus ingratum fore exiſtimavi, quod ita ſe habet.

Genuina Relatio.

De Mirando nec unquam audito facinore *Ioann. Ianſſonii* de Doot Fabri Amſtelodamenſis, qui ſemetipſum feleciſſimâ ſectione liberavit à calculo præmodum magno, hîc depicto; quod inſcriptione propria fabri & ſequentibus actis Notarialibus confirmatur.

Comparuit coram me *Petro de Bary*, Notario publico curiæ Hollandicæ, Amſtelodami agente, & conteſtatus eſt ſequentia *Ioann. Ianſonius de Doot* junior, faber hujus Urbis; habitans in vico Engelſche Stegh. dicto; ætatis circiter 30. annorum, & veris verbis jurato coram nobis inſtinctu Do. Henrici Miron Ultrajectini narravit atque profeſſus eſt, quod verum & veritati conſonum eſſet, quod teſtatum iret, diù multumque temporis ſe graviſſimas ægritudines & tormenta à calculo paſſum, jam tum bis ſectionem perpeſſum eſſe; quinto Aprilis proxime elapſo, cùm dolor intenſiſſimus, ſupra modum gravis, nec perferendus eſſet, ſemet cultro vetuſto ac ferè præfracto ipſi calculum exſecuiſſe, Ea in operatione referebar neminem adfuiſſe præterquàm diſcipulum, qui ſolummodò cultrum unà cum aceto & ſimilibus procuraſſet, itidem conteſtatus eſt callum ponderatum eſſe, & deprehenſum, quòd quadrantem unius libræ penderet. porro retulit, ſe ex charta affinxiſſe atque petentibus à ſe dediſſe calculi magnitudinem & formam juxta cum delineatione ſuprà dicti cultri, quo ſectionem perpetraverat; ſimul aſſeverans verſiculos picturæ Calculi inſcriptos, propria ſuâ manû ſe ſcripſiſſe, meditatum eſſe & compoſuiſſe. Omni bona fide acta ſunt Amſtelodami præſentibus Nicolao Blyenberch, & Arnoldo van Erp.loco teſtium ultimo Maii 1651.*Salom.Greiſelii.*

De Calculo Veſicæ feliciter exciſo.

Fœmina quædam Bergenſis, vidua, patre calculoſo, imò calculi doloris atrocitate tandem è vivis ſublato, genita, patiebatur haud inconſuetam aliàs dolorum Nephriticorum acerbitatem, & durante, affligenteque illâ calculum deſcendere ſentiebat per ureterem dextrum in veſicæ cavitatem. Iſte anteceſſorum & ſucceſſorum non carebat caterva, & inter illos, ſex fabæ majoris magnitudine numerabantur. Hic verò per ſeptem integros annos in veſicæ capacitate moram trahens, ſæpius ſummis doloribus moleſtus fuit, ita ut miſera ad omnem motum, præcipuè concitatiorem inepta eſſet. Variâ hac annorum intercapedine experta eſt remedia, ſed ſine alicujus emolumenti perceptione. Septennio hoc elapſo, alius è renibus, haud ſine doloris ſensû dejicitur calculus, qui ſeptennem magnum & moleſtum hoſpitem hoſpitio ſuo abſcondito extruſit; hic exitum quærens collum veſicæ occupavit, urinæque tranſitum liberum intercepit. Ego tùm primùm accerſitus, omnibus viribus eo contendi, quo calculi compagem, quoquo modo tam internis, quàm externis medicamentis diſſolverem, perſuaſus ab ęgra, me, & ſemetipſam fallente, calculum in duo fruſta ruptum eſſe. Cùm itaque quotidie haud parvam arenularum copiam, cum urina (quam vix eâ quantitate, quam cochlear caperet, unâ vice emittebat) excerneret, hujus curationis ſcopo menſibus duobus inſtiti. Acceſſit interim febris, imò lipothymiæ & convulſiones, omnia tamen medicamentis præſcriptis & exhibitis manus victas præbuere. Tandem ſpe calculum comminuendi fruſtratus, obſtetricem Lignicenſem expertam, Olaviæ apud Sereniſſimam Ducem tum temporis degentem, accerſivi, quæ calculum catheteris ope explorans, ipſum nucis juglandis putamini viridi incluſæ magnitudinis & duritiei ſiliceæ eſſe, pronuntiavit; movet illum ſuo loco, digitorum & olei amygd. d. per ſyringam immiſſi adminiculo, ſed ſine levaminis ſensû. Ad extremum itaque remedium, ſcilicet ſectionem inclinans, de viro hujus artificii gnaro & experto ſollicitus fui, ſed neminem, qui huic operationi ſufficeret, vel illam ſuſtinere auderet, reperire potui; donec tandem poſt trium menſium continua tormenta *Urbani Ioannis Holſt*, Chirurgi Uratislavienſis expertiſſimi dexteritas nobis commendata fuit. Eidem itaque mox inde accerſito Chirurgum noſtrum aulicum *Fredericum Springerum* adjunximus, cum utroque de ſectione colli veſicæ intra vaginam uteri deorſum facienda deliberantes; cùm verò *Sennertus* l. 3. p. 8. ſem. 2. cap. 2. excretum viderit calculum à fœminâ ovi gallinacei magnitudine, & *Fabritius Hildanus libro de Lithot. veſ. cap.* 22. Extractionem, ſi poſſibilis ſit; per collum veſicæ ſummopere ſuadeat, illam prius tentare voluimus, nihilominus ad ſectionem, ſi opus non ſuccederet, parati. Itaque in N. D. die 29. Octobr. anno 1675. cùm ægra 45. annum intraſſet, precibus ad Deum fuſis, præeunte nobis viro admodum reverendo, clariſſimoque *Dn. M. Ioan. Chriſt. Leſchoo* Parocho ac Seniore Bergenſi meritiſſimo, manè h. 10. rem aggredientes, ſpeculum uteri vaginæ ipſius indidimus, collum veſicæ haud contemnendæ amplitudinis invenimus: Calculum in eo deliteſcentem deprehendens præfatus Chirurgus, forcipe arripit, & ſpem bonam ad extrahendum abſque ſectione calculum præbet; ſed fruſtra, etſi tribus vicibus, ſummâ cum ægræ debilis conſtantia & Chirurgi induſtriâ id tentaretur. Cùm itaque miſera lipothymiâ corriperetur, ab opere deſiſtere coacti fuimus. Mane diei ſequentis rem aggredi non auſi ſumus, propterea quod uteri vagina valde tumefacta, ægraque ſummopere debilitata eſſet, itaque hâc die refociliationi operam dedimus, & tumorem, doloremque fomentationibus ſedavimus, ſectionemque in craſtinum diſtulimus. Invitavimus quoque hâc die ad conſilium *Dn. D. Zollighoferum*, Archiatrum Sereniſſimi, nunc proh dolor! deſideratiſſimi noſtri Principis, & unanimiter ſectionem craſtinâ luce, & quidem in inferiore parte colli veſicæ inſtituendam concluſimus.

Etſi enim *Fabritius Hildanus l. cit.* hanc ſectionem diſſuadeat propter metum incontinentiæ urinæ ſubſecuturæ ex læſione ſphincteris, tamen putavimus conſultius eſſe illam inſtituere in illa parte, ubi minus periculi vitæ immineret, etſi moleſtiam quandam relinqueret. Nam in ſuperiore parte veſicæ membraneam ſubſtantiam lædi, ipſe *Fabritius* fatetur. Huc accedit, quod propter oſſis pubis obſtaculum, calculus non ita commodè extrahi poſſit. Novam etiam forcipem cum dentibus aculeatis cudi curavimus, ut firmiùs calculum apprehenſum tenere, & in eo veſtigia figere poſſit, ne ut antea elaberetur. Itaque 31. Octobr. mane h. 10. iterùm convenimus, & precibus ardenter fuſis, ægram valde debilem & dubiam ſalutis decenter ligavimus, Prognoſtico in omnem eventum nos munivimus, & ſectionem per manum Chirurgi præfati *Urbani Ioan. Holſt* pręfato modo inſtituimus, qua ſummâ cum ægrę conſtantia facta, forcipem novum à *Dn. Springero* accipit, calculum eâ arripiens, ſummo conatû illum extrahere nixus eſt, ſed rem perficere non potuit; ægra valde anxia, & pręe dolore clamorem alta voce edente, quâ anxietate nos omnes affecti fuerimus, vix dici poteſt, modò hanc, modò aliam animo volutantes cauſam impedimenti. Tandem Chirurgus forcipem retrahens, animadvertit

illam

illam non prope induratam fuiſſe, & ideo incurvatam calculum non tenuiſſe, eam rejiciens, alteram accipit, calculum arripit, & feliciter extrahit. Exhilarata ægra nobiſcum, vinculis ſoluta, & vulnus debito modo deligatum eſt, ſine ullis lipothymiis vel magna ſanguinis profuſione. Calculus pendens ℥ijß. hîc æri inciſus, formâ ferè æquabat renem vervecinum. Tempore operationis ægram refocillavi convenientibus cordialibus externis & internis. Febris prægreſſa adhuc comitabatur ægram, imo vires majores acquirebat, tremor quoque & deliquium animi die tertio acceſſere. Præcipitantia plura prioribus addidi, & enema applicari curavi, unde meliùs habebat. Cum die 5. calor adhuc perſeveraret, & compreſſio ventriculi accederet, julapio confortante ipſam refici, enema reiterari, & ol. maſtich. ventriculi regionem inungi curavi, quibus adhibitis remiſerunt iſta ſymptomata. Dies ſeptimus gravis admodum ipſi erat, cum ſumma virium debilitate, & ventriculi compreſſione; ſed die octavo excrevit cum ſabulo copioſo calculos duos, quorum unus fabam minorem æquabat, quos è renibus deſcendiſſe & prædictorum ſymptomatum cauſam extitiſſe, putavi. Hos ſequebatur die nono, & ſequentibus membranaceum quid, de quo dubitavimus, utrum veſicæ fortè forcipe abraſæ tunica interior an membrana calculum involvens eſſet? Die decimo præter ſpem & opinionem menſtrua, præterito menſe ſuppreſſa, ſatis copioſe redeuntia, peſſum & canalem è veſicæ collo extruſere, ita ut ſaltem fomentationibus uti potuerimus. In fine undecimi nigror obortus eſt, per tres quadrantes horæ durans, ſubſequente calore p. n. Sed reiteratis antea perſcriptis, iterum evanuere hæc ſymptomata. Dum itaque vires recollegiſſet, & vulnus magis magiſque coaleſceret, hoc decoctum vulnerarium præſcripſi.

℞. Rad. Pyrol.
Conſol. ſarac. ana ℥ j.
Herb. Betæ. alb. & rubr.
Alchim.
Artemiſ. rub.
Sanic.
Agrimon. ana m. ß.
Herb. Beton.
Veron. an. m. ß.
Flor. Borrag.
Bugl.
Nimph. alb.
Acac. an. p. j.
Hord. m. j.
Coq. in ſ. q. aq. ſ. ad ℔ ij. col. dulc. ſyr. pomor.

Si vulnere conglutinato, urinæ tamen prædicta incontinentia remanente, injectione in collum veſicæ facta ſphincterem confortare tentavimus, ſed fruſtra, incipiente Decembri diabetica fere affectio cum febre & hydropis aſcitæ principio eam infeſtabant, quæ tamen omnia remediis methodica dexteritate præſcriptis evanuere. Anno 1676. Initio Februarii, febre continua putrida affligebatur cum dolore hypochondrii dextri, ita ut venam ſecare neceſſum fuerit, quem ab Apoſtemate in hepatis parte gibba oborto, accidiſſe inde putavimus quod deinde per urinæ ductus pus longo temporis intervallo excretum eſt, accedente iterum Hydrope. Hydrops quidem aperientibus & purgantibus uſurpatis evanuit, ſed pus tamen per urinam identidem excernebatur.

Interim novus calculus è rene dextro menſe Majo deſcendit, haud ſine dolore, locumque magni ſui anteceſſoris occupat, metum ne in ipſius magnitudinem creſceret incutiens. Variis ipſum aggreſſus ſum remediis; tamen continuo uſu *Tinctur. tartar.* die decimo octavo, Junii expulſus eſt. Ablegavi illam deinde ad thermas Landeccenſes, quæ in tantum profuerunt ut non ſaltem ab apoſtemate hepatis, ſed etiam ab urinæ incontinentia maxima parte liberata, adhuc ſana degat *Gotof. Chriſt. Wincleri*.

Calculus veſicæ inſignis feliciter excretus.

P. P. anno 1670. die 16. Maii, venit ad me à Pago Muſcheneim prope *Butisbacum* mulier 50. annorum, quærens ſe magnum circa inguina & in emiſſione urinæ ſentire dolorem, urina erat mucilaginoſa. Ego de calculo veſicæ judicare incipio, præſcribo ipſi lene purgans; pulverem lythontripticum: & fomentum externum. Quid fit? cùm continuaſſet uſum medicamenrorum præſcriptorum per 6. dies, excernit calculum aſperum, & quod mirum, nullam per excretionem in meatu urinario ſenſit læſionem. Comprobavit caſus hic eo ipſo, faciliùs, aſſerto Medicorum, in mulieribus quàm viris, ob viarum propinquitatem, calculos veſicæ poſſe excerni, ponderavit calculus ℥ß.

SCHOLION.) conſimile exemplum in fœminis facilioris calculi exitus videre licet apud *Borel. Cent* 2. *Obſ.* 22. ubi puella excrevit calculum ovi anſerini magnitudine, & fœmina calculum inſtar ovi gallinacei apud *Th. Bartholin. Cent.* 1. *hiſt.* 71. *Ioan. Ant. Clozit.*

Calculus veſicæ ſponte diſſolutus.

I. M. Vidua pietate & honeſtate maximè conſpicua poſt perpeſſos aliquot annorum decurſu ingentes à lithiaſi dolores, eorum tandem ſævitiâ delaſſata, nullo remediorum genere, quamvis ſollicitè uſurpatorum, proficiente, grangrænâ etiam partes obſcœnas occupante, anno M. DC. LXXV. 16. Cal. Junii, ætatis verò ſeptuageſimo, ſuccubuit. In cujus demortuo corpore, abdominis ſectione ad iſtum vitæ hoſtem inquirendum impetratâ, quæ ſingularia 13. Cal. Junii obſervaverim, breviter notare hîc libuit. Diſſectis itaque ventris inferioris integumentis, remotiſque inteſtinis, cùm ad veſicam parare ſtatim viam, qui manus commodabat, Chirurgum juſſiſſem, veſicæ fundum lividum & anteriorem ejus partem putridam ac levi manûs adpulsû diſruptam deprehendi, magno fœtore ex ea prodeunte, immiſſamque dextram firmiter adeò obſidente, ut arte nullâ elui potuerit, ſed per integrum quarridum, antequam penitus evaneſceret, adhæſerit. Calculum tamen, quem adeſſe debere, ſigna prægreſſa edocuerant, nullibi invenire potui, fragmentis ſaltem aliquibus minoribus manui occurentibus, quæ quidem & ipſa primo ſtatim conatu mox in limum, partim & arenulas ſoluta fuerunt. Hinc auram illam, ex putreſcente veſicæ ſubſtantia ortam, calculi compagem penetraſſe & diſſolviſſe, ſuſpicatus ſum. Adfuiſſe autem revera calculum, præter memorata modò fragmenta, perpeſſi ſæpius per aliquot annos dolores nephritici, arenularum & calculorum minutiorum, excretio, pondus & gravedo circâ pubem ac perinæum, ſtranguria & inſignis in mingendo difficultas, necnon materiæ viſcidæ, fibroſæque cum urina emiſſio, abundè evincunt. Quæ ſanè ſigna à ſagacioribus Practicis conſiderata, magnam de calculi præſentia certitudinem multoties præbuiſſe, imò majorem, quàm peritorum aliàs Lithotomorum dolorificam per catheterem explorationem, quin nunquam fefelliſſe quoſdam (quantùm ex inſtitutis poſt obitum ſectionibus colligere licuit) hactenus non una vice obſervavi. Ejuſdem verò comminutionem poſt mortem demùm accidiſſe, exinde ſuſpicari licet quod in urinis,

ultimis

ultimis ante obitum diebus excretis, nec limi, nec arenularum indicium comparuerit. Num ex hoc poſſibilitas inveniendi medicamentum lithontripticum quodammodo probabilis reddi queat, alii judicent. Mihi adſeruiſſe hoc non abſonum videtur. Haud quidem me latet, de talis modi Pharmaci exiſtentia multos præclaros Medicos dubitare, & vulgaria illa, quæ paſſim in libris commendantur, vel etiam illa, quæ tanquam arcana à plurimis magni æſtimantur, rarò effectum ſperatum ſortiri,non omnis tamen planè denegan- da eſſe videtur experientia, cui hac in parte ubique credendum, ſic edocente, quæ tamen exempla cumulare hîc ſuperſedeo, unico illo, magis ad rem faciente ; contentus, quo *Philipp. Salmuth. Cent.* I. *Obſerv.* 25. deſcribit, popularem quendam ſuum, per ſeſquiannum à Medicis tanquam calculoſum (perſuadentibus ita ſignis pathognomonicis) curatum, tandem materiæ planè argillaceæ ingentem copiam per urinam excreviſſe, ac poſtea optimè ſe habuiſſe, memorat. Nec incongruè *Ioan. Freitagius* apud *Horſtium conſultat. & epiſtol. lib.*2. *ſect.*19. Calculum veſicæ frangentia medicamenta dari ſtatuens, *quid repugnet*, inquit, *Non video, cùm æque detur ſal reſolvens, quàm coagulans*; Quę ſanè δύναμις reſolutoria agere eò liberiùs poteſt, quò laxior calculi compages exiſtit; quam majorem in corpore eſſe, & ſtrictiorem demùm evadere, ubi è veſicâ extractus liberiori aëri committitur, mihi perſuadeo; cùm omnes, quotquot expendere hactenus licuit, calculos, poſtquàm è corpore exemti, pondere majori fuiſſe præditos, & faciliùs in lamellas ſeparari potuiſſe, obſervaverim, quàm ubi aliquamdiu aëri expoſiti fuerint, ſic enim, exhalantibus ſenſim humidis eorum particulis, leviores atque ad ſeparationem lamellarum ineptiores comparuerunt. Ut ideo *Ioan. Bapt. Helmontii* decreto non ſimpliciter ſubſcribere queam, dum c. 7. *de Lithiaſi* §. 19. tam durum recenter exciſum & madidum pronuntiat, *quàm erit hic à ſeculo aſſervatus.* Cæterùm in cadavere hoc noſtro nec renes indicti abire debent; quorum dexter ſiniſtro ſuperior, præter communem naturæ in homine ordinem, in ſitu comparuit, quamvis nec lienis adfuerit inſolita magnitudo, nec hepar magnitudine naturali caruerit, quę aliàs depreſſiorem ſiniſtro locum dare, altiorem verò dextro permittere potuiſſet.Uterque aliàs quoad ſubſtantiam notatu dignus.Dexter quippe totus conſumptus, ut præter membranoſum aliquod craſſiuſculum corpus à membrana adipoſa ortum ducens, nihil, & nec guttula puris, vel unica arenula comparuerit, ac primo intuitu abeſſe planè viſus fuerit.Quam conſumptionem latitans quondam in illo rene calculus, & aſperitate ſua ipſum vulnerans inducere potuit, quod vulnus dein in ulcus, renis ſubſtantiam depaſcens abiit, pure unà cum calculo per ureterem in veſicam depoſito, & cum urina dein ejecto, ſimile exemplum in *Praxi Barbettiana*; *lib.* 4. *cap.* 8. legitur, de viro triginta per annos Nephritide detento, in quo poſt mortem diſſecto renis ſiniſtra ſubſtantia tota conſumpta fuit reperta, ita ut præter craſſam membranam, nihil ſuperfuerit, ſiniſtrum quod attinet, ipſe quidem formâ externâ naturali ſimilis, ſubſtantiâ denſus ac legetus, juſto tamen minor extitit. Diſſectus autem copioſam flaveſcentem pinguedinem circa pelvim & ductus ſive tubulos renales exhibuit. Qualem pinguedine infarctum renem etiam *Beatus noſter Sachſius*, teſte *celeberrimo D. Ioann. Daniele Majore* in *memor. Sachſ. cap.*1. conſecutus fuerat *Lucæ Scrockii*, *Luc. fil.*

Calculus extemporaneus.

Calculos in corpore humano generari pervulgatum adeò eſt, ut nulla propemodum corporis pars ſit, quæ illos aliquando non dederit; calculum autem extra corpus in momento & quaſi ex tempore generari inter rarò contingentia meritò numeramus. Contigit tamen anno 1674. menſe Majo Nicopiæ in Falſtria in filiola bimula civis & coriarii ejuſdem urbis, quæ cùm aliquot diebus peſſimè habuiſſet, doloremque ejulando prodidiſſet,cum urina emiſit materiam albam mucilaginoſam, quæ ſtatim ab aëre externo in ſubflavum oblongum riguit calculum quem adhuc ſervat Pharmacopęus loci *Chriſtophorus Hartmannus*, duritie quemvis alium æquantem. *Ioan. Henric. Brecotfeld.*

Calculus veſicæ, putaminis ovorum inſtar, fruſtillatim excretus.

Reverendiſſ. & Illuſtr. Pr. I. G. C. de H. E. R. ſępiſſimè queſtus eſt de dyſuria pergravi, verùm ſuadente me, cùm ingruentem affectum ſentiret, præmiſſo mox clyſmate convenienti, aſſumſit aliquoties in brodio, vel juſculo quodam guttulas aliquot ſpiritûs terebinthinæ, vel ſpiritûs putaminum ovi ſtruthiocameli, urina exinde non duntaxat facilior fluebat, ſed & interdum fruſta magna ovorum putaminis inſtar unà reddebantur, acri cum dolore. *Helvvigii.*

Calculus monſtroſus in fœmina vidua.

Fœmina quædam *vidua* ætate pluſquam 40. annorum, continuis doloribus cum urinæ ſtillicidio, & aliis moleſtiis fuit tentata, ex quibus ſymptomatibus *calculi veſicæ* ſuſpicionem habuit, ideò ſeſe famati *Lithotomi & Chirurgi Regis ſupremi D. Friderici Wred.* (qui in arte ſua nemini eſt ſecundus) curationi commiſit. Is ex certis ſuis indiciis prius habitis, ſingulari arte & induſtria, & abſque magno incommodo & dolore, *Lapidem* extraordinaria figura, ex orificio cervicis veſicæ extraxit, bonamque iſtam fœminam à ſuo incommodo doloroſo liberavit, quæ etiam adhuc ſana in hanc diem hîc Warſoviæ vivit. *Lapis extractus* ex omni parte & loco, *virili membro cum glande, præputio, ſcroto*, & in illo interſtincta ſutura ita *erat ſimilis*, ut omnes qui illum huc uſque viderunt in admirationem ſint deducti, propter lepidam lapidis formam. Ego ipſemet, cum Magnif. *D. Wred* mihi illum prima vice in Camera regia monſtraret, lapidem tanquam rem extraordinariam *Ser. Regi Joan. Caſimiro* Domino Clementiſſimo oſtendi, qui illum etiam vidit, & non ſine admiratione manibus tractavit. Quod imaginatio in illa fœmina ad hanc figuram cooperata ſit ſunt qui hoc omnino credant, forma autem & magnitudo illius lapidis (qui coloris quaſi Cinamomei eſt, parùm rubeſcentis) in adjecta tabula in fig.1.conſpicitur. *Martini Bernhardi.*

Calculus veſicæ ingentis molis in Patre quodam Soc. I.

Sereniſſimæ Reginæ Cæciliæ Renatæ Confeſſionarius Rev. Pat. *Schonhovius* Soc. Ieſ.ſexagenario major, à multis annis intolerabili dolore ardoris & ſtillicidii urinæ, aliiſque graviſſimis ſymptomatibus, ita cruciatus & viribus exhauſtus fuit, ut potiùs mori, quàm ulterius ita vivere, & patiſæpiſſime deſiderarit, proinde poſt medicamenta innumera prius adhibita & tentata, conſilio ante cum aliis Medicis habito, ſeſe

tandem *Magnif. D. Friderico Wred.* (cujus in præcedente Obſ. mentio facta eſt) ſectioni ſubjecit: ubi peracta illa, *Lapis ſtupendæ Magnitudinis*, coloris obſcuri rubeſcentis, fuit inventus, longitudine, formâ, ac craſſitie talis, qualis in debita *tabula N°.2.* oſtenditur. Quem ex relatione Domini Lithotomi ab anno trigeſimo, ortum ſuum habuiſſe, & in hanc magnitudinem excreviſſe, ex certis ſuis notis & argumentis, quæ habere ſe dicebat, intellexi. Qoniam verò poſt ipſam peractam operationem veſica ex una parte inventa fuit cancroſa, brevi poſt irruente gravi gangrænâ, obiit. Lapis exemtus, & purgatus in ſpiritu aliquo acido reſolutus, & ſpagirico more in liquorem potabilem redactus, tanquam medicina interna contra Calculum *Illuſtr. & Excell. Domini Palatini Polocenſis* filiolo puero ſeptem annorum, quotidie in certa doſi & in vehiculo idoneo fuit adhibitus, qui ab eo jam totus conſumptus eſt. *Martini Bernhardi.*

Calculus è ſcroto prolapſus.

Veſicæ calculum per Epigaſtrium fuiſſe eductum notavit Fr. Sanchez in obſerv. Medic. oper. pag. 370. pariter poſt graviſſimos dolores è *veſicâ pueri* Scanici quadrimi anno 1628. calculum *in Scrotum* fuiſſe *protruſum* exinde ſuppuratione factâ eundem foris rejectum, remanente fiſtula per quam urina continuò exſudavit, refert. *Th. Barthol. Cent.* IV. *hiſt.* 8. Non abſimilem caſum *Sileſia* paucis ab hinc annis exhibuit in viro robuſtiſſimo, cujus *ingens Calculus* à Natura *per Scrotum* fuit protruſus. Ad Majorem verò hujus hiſtoriæ fidem *inſtrumentum publicum* Magiſtratus Teſchnenſis ſigillo firmatum adducere placet, quod integram Hiſtoriam luculenter exponit, & ex bibliotheca rariſſima *Noſtitiana Generos. L. Baro. Othonis à Noſtiz* Capitanei Ducatuum Suidnic. & Javoriens. ſumtibus comparato (in qua *Calculus* iſte *humanus* unà cum aliis Natur. artiſque mirandis aſſervatur) communicatum.

Nos conſul & Senatores Ducalis *Urbis Teſchnenſis in Sileſia* ſuperiore per præſentes literas atteſtamur, & notum facimus, quod infrà nominato Die Generos. Dn. Dn. Caſparus à Boreck Baro in Tuvorckau, & Roſtropiz, Dn. in Ropiz & Brodiſdit. S. Cæſ. Maj. Conſiliarius, & capitaneus Ducatûs Teſchnenſis ad nos miſerit quendam ſuorum ſubditorum ex pago Ropiz nomine *Michël Leinuveber* ætatis 45. annorum, qui ingentem *Calculum* excrevit pondere 12. lotones (ſive ℥vj.) æquantem, ex balneatoris noſtri relatione. Modum excretionis nobis poſt inſtitutum examen in pleno conſceſsû in curia ſequentem fide dignum enarravit, ante biennium ſeſe ſenſiſſe primum *Calculum* iſtum & moleſtiam, cùm urina fuiſſet excernenda, ex illo tempore ſemper dolorem gravativum in pube perſeveraſſe, potiſſimùm tamen anno 1664. brevi tempore ante Menſem dolorem intenſiorem factum, adeò quidem, ut Scrotum ipſum intumuerit, ut omnes opinarentur Herniam acceſſiſſe; unde ſingulis diebus cum adipe urſino bis inunctionem inſtituit, unde & humor aliquatenus remiſit. Poſt menſem duabus ſeptimanis, antequàm calculus egrederetur, intentiſſimos ſenſit dolores, parùm de cibis aſſumpſit, præter panem & butyrum, rariſſimè etiam cereviſiâ uſus eſt, niſi aquâ limpidiſſimâ, durantibus doloribus, in ſcroto abſceſſus factus eſt cum foramine quanritatem Nucis iuglandis æquante, & per tres ſeptimanas in eodem permanſit ſtatû, tandem cùm poſt Meridiem urinam emittere tentaret, *Calculus per foramen* illud *perrupit*, & dum in terram delaberetur, fruſtulo exinde diffracto diſrupit, ægro ob doloris vehementiam lipothimâ correpto, cui tamen uxor adſtans ſuppetias tulit *foramen in ſcroto* cum pinguedine caponis inunxit, & ad hoc unguento ex pice, & adipe veteri ſanationem tentat; foramen quidem non penitùs clauſum, ſed ferè adhuc piſi magnitudinem æquat. Urina ut à principio Morbi, ſic etiam nunc quoque per ordinarium penis canalem prorumpit, nec dolorem ullum ampliùs ſentit. *Ad inſtantiam Generoſ. Dn. Capitanei pro majori confirmatione hoc atteſtatum urbis noſtræ ſigillo munivimus: Teſchini actum 23. Mart. 1665.*

De Calculo per ſcrotum excreto.

Circa feſtum S. Michaëlis anno 1674. noſtratis Pharmacopæi ad rubrum cancrum, duorum annorum filiolus dyſenteriâ aliquot diebus laboravit, urinam nonniſi cum difficultate & in minimâ quantitate reddens, inguinibus & ſcroto diſtentis ac duris exiſtentibus, calculum hîc ſubeſſe ſtatim prædixi, juſſi applicari clyſterium emolliens cum multo oleo Scorpionum, quibus jam ante adventum meum ſæpius uſus erat, & altero die dedi laxativum ex *Extract. Diacarth. Norib. cum aqua frag. tinct. tart. & ſpir. ſal.* quo accepto tam malè ſe habuit infans, continuò clamabundus, ut clamoſâ morte, ceu noſtri ajunt, moriturum eum crediderint adſtantes. Reiteratum clyſma, & applicata fomenta externa de *Meli. alth. malv. pariet. & ſaxifrag. ſemin. lini. fœnigr. & cœpis alb. rec.* quo dolor parùm ceſſavit, quieſcente quidem ad horam unam vel alteram infante, ſed in eodem vigore manente affectu Catheterem abhorrebant pater & adſtantes, cæteroquin nullum ſupererat auxilium, jamque in ſeptimum diem, penitùs ſuppreſſâ urina, quæ jam ante, ut dicebatur, à tribus ſeptimanis parcè nec ſexta parte potui reſpondens, fluxit. Tentavi candelâ cereâ, vel explorare calculum, vel viam facere vrinæ, ſed irrito conatû. Ita ad extrema redactus miſellus, abdomine jam mirum in modum tumido, nihil ampliùs videre videbatur, nihil deglutiebat, pedes ac manus tantùm parumper movens, dentibusque ſtridens metuebamus ne cum Epilepſia ultimum nobis diceret vale, Ita in agone prope conſtituti parvuli exploro inguina & ſcrotum, cum jurato hujus Civitatis chirurgo *Alexandro Schele*, invenimus hocce in ſiniſtra parte aliquatenus mollius quàm anteâ, in primis in loco quodam, nummi Hungarici magnitudine. Decrevimus hîc lancettâ aperturam facere, ne plane prognoſticis relinqueretur æger, annuit pater, ſuccedit feliciter, vix enim chirurgus inſtrumentum intra cutim adegit, ecce proſilit urina, iuſtar loturę carnium, non admodùm ſaturatæ, ad ſextarium unum; Vulnus clauſum, & infanti adhibita confortantia. Redii poſt tres horas, jam meliùs ſe habebat, & tanta per Emplaſtrum ligaculumque ſeri effluxit copia, ut in lectulo ſuper expanſum corium quaſi ſtagnaret. Aliquot diebus elapſis, paulò infra vulnuſculum à nobis factum ſponte natura molitur aperturam, & intra tres dies, dum emplaſtrum removere vult chirurgus, unà extrahit calculum Piſi majoris magnitudine. Detumuit abdomen, ægrotus meliùs in dies valuit, ſed lotium nunquam per locum legitimum, ſed ſemper per hancce aperturam fluxit, quare omnibus modis proſpectum, ne in conſuetudinem abiret, ſed ſenſim tamen coaluit, per loca legitima ſucceſſivè profluente urina. Dedi ſæpius *Decoctum Foreſti cum herbis vulnerariis*, nihil autem magis conduxit, quàm *ſpiritus ſalis cum ſyr. de alth. Fern. ſumtum. Caroli Raygeri.*

De

De calculis Piſiformibus per perinæum ſponte excretis.

Puer duodecim annis major dolore veſicæ ponderoſo, at ſine ſuſpicione calculi diu laboravit; tandem inſperatò auctis doloribus circa perinæum tumor ſeſe prodit in ulcus, quod videbatur, deſiturus; ſed tamen nullis ſive emplaſtris, ſeu linimentis ad maturitatem adduci potuit donec tandem remediorum, ſepoſitâ curâ ſponte in ulcus tranſiret rebellis hactenus tumor. Cùm autem certo die piſis in cænam appoſitis largius indulſiſſet protervus puer, pruriginem in perinęo ſentit intolerabilem, quam ut coërceret, digitos, unguesque admovit, qui cùm graves parti incumberent, nonnihil etiam lacerarent, emollitum jam humorem facilè diſrumpunt. Aperto ſine dolore vulnere, quod minime puer credebat, rectractam manum pone ſequuntur globuli, quos ille viginti numero excipiens ipſa illa comeſta piſa eſſe putabat, adeò forma & magnitudo erat ſimilis: ſed excuſſis diligenter ſphęrulis, apparuit lapillos eſſe piſiformes, Albos, & ſuperficie glabra velut quæ expoſita. Traditi poſtea ſunt chirurgo, cujus curæ ſanandum vulnus committebatur, quique ilicò lapillos tam inſolenti caſu productos mihi oſtendit, vulneriſque conditionem explicuit. Acta res anno 1671. Lugduni in Batavis. *Ioannis Nicolai Pechlini.*

De flagri funiculo è veſica à Lithotomo extracto.

Duobus abhinc Menſibus ſeſe obtulit curandus dyſuriâ & ſtranguriâ detentus *frater Ioſeph* ex Turre vulgò dicta Ceccona comitatûs Tuderti, laicus capucinus, cumque in pejus rueret ex iis quæ lixivioſas urinæ particulas edulcorare, ſalinoſulphurearum portionum exaltationem compeſcere valerent, atque ex eo quod renum gravitate, ſimulque ureteris dextri dolore paulò antea fuerit detentus, incongruum conjicere haud fuit, patientem veſicæ lithiaſi laborare. Unde à chirurgo facta exploratione per catheterem indubitato lapidem adeſſe autumavit.

Non Apollinem ab æthere, ut jaculis transfigeret, neque Neptunum ab ęquore, ut tridente domaret, neque herculem è terra, ut clavâ contunderet, imploravit Patiens, ſed expertiſſimum, & non ſatis laudabilem D. *Io. Rainaldum Bonajutum* ex caſtro Nurſiæ vulgò dicto *Io. preci*, qui ex animi pietate abſque mercedis ſubſidio, ut ſectionis opus aggrederetur, libentiſſimè huc ſe contulit, prout diligenti manu 15. Kal. Novembr. in actum deduxit.

Sectionis executioni unà mecum interfuit, præter diverſos capucinos, D. *Michaël. Angelus de Benedictis* in arte chirurgica peritiſſimus, cumque Lithotomus veſicæ collum reſcinderet, atque illius latebras ſcrutaretur, non niſi hujus formę materiam arenulis circumvolutam deprehendit, cumque eam inſtar funiculi efformatam primo intuitu judicarem, obſervaturus qua materia verè conſtaret, vino abluendam ſuaſi, qua ablutione cùm arenoſa materia exciderit, funiculum eſſe mea confirmatur opinio, & ex eo quod chirurgus admiratione captus, adnotaturus an eſſet funiculus, eum diſſolvi incępetit, verum eſſe flagri funiculum, æquareque hanc longitudinem, & rotunditatem, etiam nunc reſiccatum, omnes ſumma admiratione contemplantur. Examine facto, an unquam patiens eum deglutiverit, tantùm recordatur ſe quondam menſe Junii præteriti, inſatiabili quadam bibendi licentia, tam avidè matutinis horis aquam & è puteo hauſtam ore hiante in ſitula perpotaſſe, non ſine perículoſa deglutiendi difficultate viſum ei fuerit.

Prout tali pacto probatiſſimum ſuſpicor funiculi tranſitum ad ventriculum, ſic difficillimum intuetur iter à primis viis ad veſicam. Non me latet, Aniſi ſemen ſimulque carbones & pilos (*Hild. Cent. 5. Obſerv. 51.*) fuiſſe cum urina excretos; Pulmonis fruſtulum (*Idem Cent. 2. Obſerv. 30.*) cum urinis emiſſum, Grana Alkekingi (*Idem Cent. 2. Obſerv. 73.*) per urinarias vias demandata. Fungi fruſtulum (*Nicol. Flol. in Schenck. lib. 3. Obſerv. 22. de urin.*) cum lotio deportatum, oſſicula, (*Fel. Plat. de Mict. c. 10.*) cum alimentis aſſumpta, & cum urinis excreta; ex diabetica paſſione totum (*Amatus Luſ. Cent. 2. cur. 94.*) quod aſſumebatur per urinas fuiſſe exportatum, (non loquor de diverſorum animalium per urinas excretione, cùm captu facilior ſit modus eorum generationis vel in renibus, vel in ureteribus, vel in veſica; prout mille teſtantur teſtimonia) at latet, quo ductu iter fecerint ad veſicam.

Non enim volatile eſt, per meſaraicas ad venam portam, à vena porta ad hepar, ab hepate ad cavam, ex hac ad emulgentes venas, & ſic ad renes, ureteres & veſicam, prout tranſitum fuiſſe acum deglutitam (Jul. Cæſ. Claud. reſp. med. lib. 1. reſp. 40.) & per urinam tranſmiſſam, quondam ſomniatum fuit, nam præterquam quòd impoſſibilis ſit aditus funiculi per hepar, adhuc tamen non concedimus tranſitum cavæ ad emulgentes venas, cùm à quo innotuit ſanguinis motus in orbem, (*Harvæus de circul. ſang.*) habeamus, notum in venis eſſe à circumferentia ad centrum, adeoque à minoribus ad majores, ſimulque edocti, ſeroſitates è maſſa humorali eliminandas, ut præcipitatione facta per ureteres deponantur, non per venas emulgentes, hæ enim ſunt refluæ, ſed per arterias emulgentes (*Harveus, Th. Barthol. Valeus, Willis, Sylvius de le Boë, Charleton.*) tranſitum obtinere.

Neque reor recurrendum ad inteſtini & veſicæ perforationem, prout tranſitum feciſſe præfatam Acum, fuit affirmatum, eſſet enim fabuloſum id de funiculo aſſerere.

Cùm verò alius non poſſit eſſe tranſitus ad renes quàm per arterias emulgentes, non admittimus funiculi motum per Galaxiam viam, nempe quod per lacteas venas ad cyſternam chyli pervenerit, ita ut per thoracicas lacteas ad ſubclavias, ab his ad venam cavam, à vena cava ad dextrum cordis ventriculum, & hàc per venam arterioſam ad pulmones, ab his iterum per arteriam venoſam ad ſiniſtrum cordis ventriculum atque ex hoc per arteriam deſcendentem ad emulgentes arterias tranſitum obtinuerit: non enim ſine regiminis vitalis œconomia interrupta per anfractuoſos hos ſinus aditum ſibi funiculus paraſſet, ſed probabilem ſuſpicarer tranſitum à primis viis ad renes per venas lacteas, taliter enim ut funiculus, ad ciſternam chili inter renes, & capſulas atrabilarias ſituatam (*Pequet.*) delatus non per Thoracicas lacteas iter cum chilo fuerit proſecutus, ſed breviori tramite, nempe per ſurculos lacteos, è dicta ciſterna chili in arterias emulgentes inſertos (*Th. Bartholin. Cent. 6. de lact. Thorac.*) tranſitum fuerit ingreſſus.

Per hos ſurculos enim (*idem Bartholin. Cent. 8. de ven. lact.*) ſerum ad renes transfertur, ibi â chilo ſeparatum, vel ad capſulas atrabilarias ſeto melancholico deſtinatas traducitur.

Hinc cùm ad dictam chili lacunam & partibus inferioribus limpha progrediatur, ſive eam conſtituamus (*Th. Barth. de veniſ. limphat.*) excrementum tertiæ concoctionis; ſive credamus partim; (*Sylv. de le Boë prax. Med. lib. 10. cap. 49.*) fieri ex ſpiritibus animalibus per

per nervos delatis, partim ex ſanguinis aquoſiore parte, eaque acidiori in glandulis conglobatis è maſſa humorali ſecreta; ſive concludamus (*Gu. Charleton. de Oecon. anim. exerc.* 9.) ac halitibus cùm ſanguinis arterioſi, cùm ſucci nutricii, per nervos delati componi, & ſi non inficiamur, multùm prodeſſe, vel cordis æſtum temperare, vel ſanguinis volatilitatem facilitare, vel ſanguinis coagulationem inhibere, & micationem ejuſdem promovere, probabiliſſimam ſuſpicarer limphæ ſuperfluæ ſecretionem, & per urinarias vias translationem.

Per hunc breviorem tramitem, ſine diabetica paſſione, paulo à potu vina oligophora, clareta, lacrymæ urbavetana vina, vulgo *raſpee* & ſimilia per urinam excerni conjecturare fas eſſet: per eaſdem vias aquam nucerinam aliquando immediate à potu deportari tutò concludendum; nam cùm eâ ſæpiſſime utamur, ut fervefcentium particularum maſſæ humoralis morboſa efferatio compeſcatur [ejus aquoſitate partes ſanguinis ſulphureę diluuntur, & ratione boli, ſeu terræ Samiæ, qua inſignitur, partes ſalinæ obtunduntur, & ab ea abripiuntur] fruſtraneus ejus uſus comperitur, cùm recto tramite à ciſternâ chyli, non per thoracicas lacteas ad cor, ut cum ſanguine circulante tranſitum obtineat, ſed ad renes deferatur. His obiter dictis, redeamus unde digreſſi ſumus.

Neque dijudicandus difficilis aditus ab emulgentibus arteriis ad renes, à renibus per ureteres ad veſicam, nam renum ſubſtantia (ex Bellin. refer. Will. de Pharm. rat. ſect. 4. cap. 1.) nec Parenchymate eſt inſignita, ut hepar, lien, nec fibris carneis conſtat, ut cor, ſi recentioribus fides habenda, ſed tubulorum membranaceorum aggeriem componere videtur, ita ut per eos ductus, licet exiguos, facilis fuerit redditus motus funiculo, cùm experientiâ doceamur, calculos non exiguę magnitudinis à renibus ad veſicam deferri per ureteres, quæ vaſa duos digitos poſſe admittere (Th. Barth. lib. 1. c.19. Anat. ref.) teſtantur Anatomici.

Sed cùm renum ſubſtantia dura ſit, compacta, & denſa, adhuc non obſtat, cùm non ſolùm renes ſinus habeant, in ſinubus ſubſtantia laxa & cavernoſa eſt, (Th. Barth. lib. 1. cap. 17. Anat.) ſed ſinus ipſi membranacei exiſtant ex ureteribus in renum cavo expanſis & dilatatis, quominus funiculus per unum ex renibus tranſitum obtinuerit.

De lactearum exiguitate major difficultas: aſt non ſolùm affirmandum in vivente corpore meatus longè patentiores eſſe & ampliores, quàm in defuncto, prout quendam innuiſſe legimus, dum apii radices per urinas excretas deprehenderit (ex *Jul. Alex.* refer. *Schenck lib.* 3. *Obſer.* 20. *de urin.*) cùm non deſint etiam, qui quadruplo majores (*Joan. Fort. Cent.*4. *Conſ.*50. *tom.* 2.) eſſe pronuncient; ſed concludendum, naturam ſine doctore (*Hippocr. lib. de alim.*) ſibi invenire vias (lib. 6. epid. ſect. 5. text. 2.) quæ licet oculorum viſum effugiant (id. de art.) ea tamen mentis acie comprehenduntur.

Interim ſi incongrua vobis videbuntur, quæ rudi minerva meditatus fueram, libentiſſimè ea ſubmitto, ut purgantiſſimi judicicii veſtri cenſurâ meliora reddantur; optarem tamen, ut ſi quis veſtrum arcem Palladis conſcenderit, atque Apollineis influxibus verum funiculi excogitaverit iter, de eo per epiſtolam certior factus, tanquam ab *Æſculapii* fano in ſomniis deprompto beneficio mererer dignari favore. Valete. Tuderti 4. idus Nov. 1681.

Obſervationem hanc communicavit Ampliſſ. ac Illuſtriſſ. Curioſor. Societatis Clariſſ. *Dn. Antonius Magliabechius M. D. Hetruriæ Bibliothecarius, an.* 1682. *M. Mart.*

Calculus veſicæ ab imperito Medicaſtro in urethram protruſus, lethalis.

Notum eſt calculos renum præcedente quadam urinæ putredinali reſolutione per concurſum ſalium diverſorum generari, & quicquid in hac actione comprehendunt, in ejuſmodi tophaceum corpus coagulari, calculos autem veſicæ ut plurimum à renibus per ureteres in veſicam derivari, & ſæpe tantum ibidem ſumere argumentum, ut per vias naturales eliminari nequeant: varia proinde pro feliciori horum excluſione excogitata ſunt remedia tam Pharmaceutica, quàm Chirurgica, in quibus adhibendis plerique omnes impoſtores atque medicaſtri ſuam jactant peritiam, ſed infelix ſæpius ſucceſſus ſummam iſtorum prodit imperitiam: Quod apparuit nuper in cive quodam noſtrate nephritide & calculoſa diſpoſitione laborante, quæ poſtpoſito Medico conſilio, iſtiuſmodi Agyrtæ curæ ſe commiſit, & numerato pactæ pecuniæ dimidio (qui fucus pro emungendo à ſimplicioribus argento ipſis frequens eſt, & quaſi proprius) varia medicamenta ſub forma potionum & pulverum urinam pellentium, & calculum frangentium ab impoſtore propinata aſſumpſit; hinc calculus non ſine acerbiſſimis doloribus verſus veſicæ ſphincterem eſt promotus, quem cùm digito ano immiſſo certiùs exploraſſet, tantâ violentiâ verſus urethram promovere tentavit, ut hinc dolores non ſolùm graviores, ſed & major urinæ reddendæ difficultas, atque inflammatio periculoſior ſuccederent, quæ ſymptomata deinceps ita invaluerunt, ut nebulo malè ſibi conſcius aliquoties in auxilium vocatus non modo non comparuerit, ſed & Nuncio à miniſtro accepto, patientem delirantem in agone verſari, fugâ ſibi ſalutem quæſiverit, ægrumque ante aliquot dies ſatis robuſtum & ſanum morti tradiderit; hinc re hac ad medicos loci delata & examinata, juſſu Magiſtratûs cadaver eſt apertum, inquè urethræ radice calculus aſper, eminentiis quibuſdam inſignitus, magnitudine denti molari mediocri, binas radices inferiùs acuminatas repræſentanti, haud diſſimilis, per violentas protruſiones membranis, nervoſiſque partibus ſumme inflammatis profundiùs infixus, & verſus anteriora immobilis repertus eſt, qui omnium malorum, etiam mortis conſecutæ, author extitit. *D. Joan. Laurentii Fehr.*

Sectio calculi veſicæ in viro quater celebrata.

Furthæ Noricorum mercator quidam eximius Paulus *Lerſch.* calculo veſicæ laborans, ingraveſcentibus ſubinde doloribus ob ſuppreſſam toties urinam, ſpem tandem ſalutis certam in ſectione poſuit; quam in ſe ſuſcepit *Georgius Gentnerus* Lithotomus, ſi quis alius circumſpectus & in ea arte inſignis. Prima proinde vice anno 1674. 2. Octobris die, implorato Divino auxilio, novaculam perinæo admoveri paſſus fuit, duabus pene cum dimidia horis exactis, prægrandem enixus eſt, poſt vehementes ſæpè tractus, calculum, non ſine larga ſubſequente hæmorrhagia, ſummaque virium jactura & univerſi corporis debilitate, difficilem hanc efficere curationem arenulæ, per vulnus ſubinde effluentes, quæ multùm conſolidationem vulneris retardarunt. Lapis exemptus formæ adpictæ cum ſex draghmis uncias tres adæquavit. *Gentnero* adſtitit manus porrigens auxiliatrices Georgius Prodmanon Chirurgus noſtræ civitatis celebris practicus. Aliquandiu exinde patiens levamentum quoddam ſenſit, quamvis per vulnus continuò quædam manarint guttulæ, indubii non debitæ, propter arenulas coaleſcentiæ teſtes, unde

nova

nova paulatim incommoda circa veſicam illius ſubortа integram polliceri reſtitutionem non potuere.

Ingruente anno 77. cùm doloribus gravativis & pungitivis atrocibus ille denuo, urinæ toties redeunte ſuppreſſione, nimium urgeretur, ad iteratam refugere ſectionem, priore eandem Lithotomo maximopere diſſuadente, victus tamen intenſis doloribus, 20. Januarii poſt mediam noctem coactus fuit, & ſecundam hac operationem à dicto Georgio Prodmanno pati, quam præſente ſola ſua conjuge in genua devoluta, cum juvene Chirurgo, dum heroico prorſus animo itinerarium catheterem ſua manu dirigit, fortiter ſuſtinuit; Re feliciter & ex voto peracta, accitus ego illico fui, ſymptomatum vehementiæ obviaturus, quę exoptato remediorum uſu & ſucceſſu paulatim evanuere, meliusque ille ſe deinde quàm antehac habere cæpit. Lapillorum exinde exemptorum ingens multitudo uncias duas cum duabus draghmis pondere æquabat, formæ obſcuræ, gryſeæ cortices illi æmulabantur confractos, ſubſequente multoties inſigni tenacis & ſat viſcidæ pituitæ copia, cui crebræ ſe jungebant flatulentiæ, patienti ſatis moleſtæ. Solatio ipſi fuere injectiones decocti hordei cum vitello ovi, oleo ovorum & Hypericonis miſti; Aqua citrata cum cinnamomo & ſaccharo, & decoctum chinæ ſiti reſtinguendæ ſuffecit; alvo cum enematis ſubinde ſervata lubrica.

Vix Biennium peractum eſt, licet ſe pluribus præſervare lithontripticis ſtuduiſſet, denuo tamen graviſſimis divexatus calculi ſymptomatis, tertiam admittere adactus fuit ſectionem, quæ anno 78. 9. Januarii die, intra ſeſqui horam felici Prodmanni dextra, me duobusque ejus miniſtris præſentibus fuit finita. Dura ſatis & quaſi pultacea cum cochleari fuit exempta, unciæ unius & duarum draghmarum pondere, maſſa; quæ paulo poſt in tophum induruit, ſymptomatis non tantopere eundem exercentibus. Tertio verò poſt ſectionem die peniculus vulneri immiſſus ad articuli digiti longitudinem nigreſcere viſus fuit, non citra gangrænæ metum, quem ope injectionis ex ſeminibus frigidis preparatæ aliquoties repetitæ ſuſtulimus, felici cum ſucceſſu & veloci. Flatibus iterum in veſica tentari mirè cæpit, ut ſæpius ligaturæ ſolutionem deſiderarit, iis tamen nulla reſiſtere arte potuimus, latente eorumdem in veſicam ingreſſu, intra ſex ſeptimanas denuo ambulare cæpit, impetrata paulatim priſtina valetudine, & quam antehac longè meliori, ut ſe in portu navigare ſummè fuerit lætatus, ſupremo pro tali clementia perſolutis numini gratiis.

Sed ut vix aliquid ab omni beatum eſſe parte poteſt, ita & optimum hunc virum per binos ſaltem annos ſpes recuperatæ ex integro ſanitatis, ſatis vana lactavit. Anno ſiquidem 81. 4. februarii, Nephriticis rurſus victus doloribus, diritate ſectionis non abſterritus, denuò id officii exequente Prodmanno adfine ſuo, me juxta cum duobus miniſtris præſente, ſe tali Encheireſi invicto iterùm ſubmiſit animo, quæ ad quinque horæ quadrantes exercita felici cum ſupremi Numinis auxilio iterùm fuit peracta. Calculi complures ad ℥ij. ʒj. poſt illam exempti fuere ſectionem, doloreque ille infeſtatus tertio die poſt injectionem in veſicam olei ovorum & Hyperici cum melle Roſato, ſaccharo, & julepo roſato quietem ſenſit. Quinto exiguus, quem ſexto duo majores ſecuti fuere lapilli. Decimo omnia ceſſavere ſymptomata, præter ſalivationem poſt uſum Mercurii dulcis cum Cinnab. nativa & ocul. cancr. præparatis permiſti; pro lenienda alvo adſtricta aliquoties ab ipſo aſſumpti, quæ per plures dies ſatis ipſi fuerat moleſta. 22. Martii circa plenilunium tantam virium jacturam perſenſit, ut omnes de ipſius vita conclamatum eſſe crediderimus. Sed poſthac ad meliorem redire cæpit ſtatum, ut ſequente x. Aprilis, in templo iterum comparuerit, pro tanto beneficiò Deo opt. Max. ex intimo cordis ſui penetrali agens gratias. Subſequenti luce in vicino ſuo horto noviter conſtructo cum amicis ſe recreavit, domumque cum iiſdem commodè ſatis reverſus fuit. Duodecimo verò aprilis circa veſperam inſolenti correptus fuit horripilatione, lectumque ſuum repetiit, quæ duravit ad quinque horas; remittente dein paulatim rigore, æſtum perbrevem ſenſit. Pretioſa ſatis in ſalutem Dn. ægrotantis ordinata fuere medicamenta, ſed incaſſum omnia. Toties ſiquidem reverſus fuit horror iſte, interpolatis tamen, non certis vicibus, qui omnem eluſit opem operamque quo ad delaſſatum, conſumptumque tandem ad obitum deduxit patientem, quarto poſt decimum die 27 aprilis rarum pietatis & patientiæ Exemplar longiore ætate digniſſimum.

Poſt luctuoſum ejus ex vitâ diſceſſum, voluntati piè defuncti, ut calamitoſum ejus aperiremus corpus, parentes; omnia ferè in naturali ſuo ſtatu viſcera deprehendimus. Stomachus quippe cum hepate & inteſtinis abſque nævo comparuere. Lien penitùs corruptus marcebat, levique compreſſione pultis inſtar diſſolvebatur. Ren ſiniſter dextro longè major diſruptus totus putridus, exiguis calculis conſperſus, ureterem duplo altero majorem oſtendebat, per quem acrior transfluens urina dolorem non ſaltem ejus loci, de quo vivus continuò conqueſtus fuit, arguebat, quin & orificium veſicæ propè ſectionem rubens plane & quaſi gangrænoſum præſentabat. Pulmo ſiniſter quoque altero major fuit deprehenſus, nullo alio prætereа obſervato corporis partium incommodo.

Imber Calculorum urinoſus.

Senex quidam genere nobilis, olim etiam opibus potens, nunc religionis causâ exilio multatus, miſeraque & Dionyſiana fortuna contentus, Calculi renalis impetum ter expertus erat graviſſimum; toties tamen Deo volente decocti Foreſtiani ope liberatus. Hic cùm poſt ultimum morbum corpus refectutus amicum certum ruri viſeret, jamque mediocriter vino potus domum curru repeteret, evenit viâ propemodum media, ut urina vehementer urgeret, quam cum intempeſtivo pudore adactus in illa aliorum præſentia mittere non auderet, accedit, ut præ nimia urinę inſtantis violentia aurigam rogare cogeretur tantiſper detineret. Itaque currum deſcendens, cùm nihil præter urinam expectaret, illa ſubſiſtere paulum; mox oborta capitis vertigine, & majore meiendi conatu una exploſione, quæ & audiri poterat, juxta cum urinis imber prorupit calculorum, non tam doloris, quàm moleſtiæ cujuſdam, ſenſu notabilis. Colligit ergò fundo ſparſos in orbem calculos, inſtar glandium ſclopeto emiſſarum, non unius omnes figuræ nec magnitudinis; unum tamen ſupra quam crederet, in centro magnum, quem cæteri indefinitæ quantitatis & numeri ambibant: collectos in conum papyraceum domum refert; inſolitum portentum mihi exhibiturus, ut qui morbo ejus ſæpiuſcule adfueram. Numerum ego calculorum deprehendo eſſe ſupra triginta, prætérquam quos terræ ſinus gramínaque abſconderent; Variam inde illorum magnitudinem, aliquos papaveris, aliquos cicerum, unum, & illum in centro medium, ſeminis cucurbitini formâ & magnitudine: quæ ſane mirum eſt una exploſione ſine manifeſto doloris ſenſu prorupiſſe; cùm aliàs minima etiam fruſtilla coli negotium faceſſere ſoleant. Color & ſuperficiei lævitas indicio erant, jam diu eos in veſica hæſiſſe, detrita per muriaticum ſerum tinctura, quæ renalibus calculis adeſſe,

adeſſe, ut plurimùm ſolet. Atque ex hoc conjicias licet, quantum ſæpè natura, arte, fortuna, conſilio præſtet. Equidem futurum erat, ut hi Calculi nec exquiſitiſſimis remediis cederent, quos nunc natura vino & vectione adjuta, facilè jecit omnes; Nimirum cùm natura temporis ſit ſervantiſſima, & una omnium optimè noverit horarum momenta, cùm ſibi relinquitur, ſæpe felicius expedit morborum ſemina, quàm medelis coacta: hæ namque, cùm ſine diſcrimine urgeant atque inſtent, intempeſtivius naturam exercent, & momentum iſthoc, quo & ipſa operi ſe accingit, vel prævertunt, aut relinquunt. Id quod in Calculi ejectione, proinde ac in partu, tam eſt manifeſtum, quàm in ullo affectu, cùm non ante remedia facilè proficiant quàm conjurata venerit in ſubſidium Natura, tum etiam Empiricis ſæpe, feminiſque medicaſtris gloriam reportantibus. Ego autem exiſtimo, non in alio magis Medici boni prudentiam conſiſtere, quàm in temporis aut momenti illius æſtimatione, quo natura jam ipſa ſolvere ſe geſtit: ſiquidem illa obluctante κενὰ πάντα. De vectione autem cenſendum eſt, eam ſi modica eſt, & æqualis, naturæ & calculis pellendis idoneam eſſe; ſin immoderata, ex fortuna pendere, num utilis ſit, vel noxia. Certè intempeſtiva vel vectio, aut Equitatio, plurimis etiam damnum adtulit quod expullum ſede ſua non incommoda calculum in tranſverſum egerit, anguliſque acutis Membranæ nerveæ, arteriiſque violenter alliſerit. Quæ etiam res plurimùm nocuiſſe videtur nupero Belgii Hiſpanici Gubernatori Marchioni de Grana, cui magna acidularum copia importuniùs ſumta, Calculum ſolvit quidem, ſed ita diſpoſuit, ut accedente vectura, & ſibi & aquis exituris viam omnino obſtruxerit, moriente poſt aliquot dierum iſchuriam Marchione. Adeò appatet, non nimis urgendum eſſe Calculum mediocriter poſitum, ne mutatus in deteriùs locus novam doloribus ſcenam inſtruat, commeatumque omnem & vitam interpiciat. Melior erat Nobilis illius fortuna, qui cùm calculum in ureteribus latere deprehenderet, magnis cereviſiæ Goslarienſis (*Gooſo Vocant*) ſcyphis largius ſe invitavit; magniſque itineribus & celeri vectura domum properans (peregrè enim profectus erat) morantem jam diu etiam cereviſiam & Calculum doloribus infeſtiſſimum tandem provocavit, & itinere & morbo feliciter defunctus. *Joann. Nicol. Pechlin. Obſerv. Phyſico Medicac. lib.* 1.

Calculi Excreti ſine Dolore.

Si renum latibula, ſinuoſa, ſi anguſtiam itineris urinarii, ſi ſenſum partis nerveæ, & tot laborantium ærumnas attentè conſideramus; vix fieri poſſe videtur, ut peregrinæ ejuſmodi, ſolidæ, tuberoſæ atque acutæ Calculorum moles, ſine omni dolore, è corpore excernantur, & tamen vidi ego lapidem, ovi columbini magnitudine, quem ipſum ſine dolore in Crambriviis fœmina dejecit. Olim etiam non alio, quàm gravativi doloris ſenſu cognatum; ſed hoc ipſum in feminis adeo novum non eſt, quod ob meatus brevitatem humidique copiam, latiora ibi omnia atque expeditiora; in viris autem ubi arctior longiorque meatus, membrana fortè etiam nervea ob ſiccitatem ſubtilior, omnia periculi plena, & rariſſimi ſint Calculi, qui abſque dolore excernantur. Ut tamen ſunt mirifici Naturæ luſus, ita viris quoque nonnullis accidit, ut conceptos aliquandiù & toleratos renum calculos etiam grandiores, ſine dolore emittant. Oſtendit mihi vir ſenatorii ordinis, omnis generis lapides, majores, minores, rotundulos, oblongos, glabros, anguloſos, papaverinos, cicerinos, ſed & alios rugoſos intortæque figuræ, nec piperi longo abſimiles, quos ille cum tempore & aliquot annorum decurſu, omnes ſine ullo dolore emiſerat, & hodienum emittit. Alius, & ipſe vir gravis, muneriſque dignitate conſpicuus, narrabat, nullo ſe unquam renum dolore affectum, ex renum tamen calculo laborare, & pleroſque quos à longo tempore excreverat lapides (quamvis jam ſenex eſſet depontanus) neſcio ſibi cum urinis exire, non dolore ſe, at ſono, quem eliſi mitterent, prodentes: agnovi autem in pyxide, qua plures ejus generis lapides condiderat, aliquos, fabis, piſiſque majores, oblongoſque. Id verò non plane inſolens, exilem lapidem, modò angulum habeat aut acutiùs tuberculum, majore quoque ſed ipſo rotundulo, moleſtiorem eſſe: nam ut Calculi poſitus eſt, qui anguſtias obſidet, ita majora, minorave tormenta excitari neceſſe eſt ſanè, ſi acutior angulus membranæ impactus hæreat, jam parata dolori immenſo materia; ſi glabra aut convexior ſuperficies, averſis ſpiculis jam facilior, & ſubinde ἀνώδυν@ excretio. Adeo propitiam ſibi naturam optare oportet, quę latentem calculum è renum ſinubus, inde ex ureterum anguſtiis, imprimis, qua veſicæ junguntur, jam verò etiam urethra ſubtili, ſenſibilique parte feliciter, & ſine dolore educat. Plerumque autem non una eſt dolorum ratio; aliis in renum vicinia & pelvi, aliis in uretere, aliis prope veſicam, circa ureterum integreſſum, aliis in urethra infeſtiſſimum dolorem ſentientibus, ut ne dicam, Coli ſæpe atq; inteſtinorum ſocios calculi dolores in renes, viaſque urinarias, adeo & Calculum imprudenter rejici: certè enim, qui ſolis clyſteribus expugnantur dolores Nephritici, haud dubie à flatibus ſunt tenſione moleſtis, qui tamen ipſi cum renibus & viis urinariis graves incumbant, retardare ſæpiùs iter calculi, poſitumq; in deterius mutare poſſunt. Non infrequenter calculi ægrè & poſt varia dolorum tormenta veſicam ingreſſi; ubi flatus remiſere ſubitò & abſq; dolore, vix etiam animadvertentibus ægris, fuere expulſi. Nuper adhuc arthtitico mihi quàm familiari poſt aliquot menſium decubitum cùm nullum ante unquam calculi veſtigium notaſſet, lapis in urethram improviſus illabitur, magnus ille & durus, planè formam nuclei mali perſici, ut cortice veſtitur, referens; neq; mora quin uno impulſu, ſine doloris ſenſu ejicitur, & ſic ſatis miſerum ægrotantem prodigii novitate percellit; quod ipſum tamen etiam Proſpero Farinacco. JC. Romano famoſiſſimo eveniſſe, apud Coſlucium, libro de Querelis Nephriticorum legi; an verò etiam nonnullis tam craſſus contigerit, obtuſuſq; ſenſus, ut dolorem ea parte non facilè ſentiant, an juſto major laxitas, an emolliens aliquod unguen, litûs inſtar ſenſui doloris ſecuritatem præſtet, alii viderint *Idem ibidem.*

Militis Curoni durities.

Cùm Hamburgi degerem, Miles mihi occurrit Curonus, quod genus hominum rigidum eſt, & ſupra quàm credi poteſt laboris patientiſſimum. Conquerebatur is de renum & veſicæ calculo jam diu ſibi familiari, ſed cui ſanando vel emendando, ſi quod eſſet auxilii genus, in illa mendicitate nihil impendere poterat, igitur, qua erat fortuna tenui, manum ſibi ipſe commodabat; nam cùm affatim bibendo, modò aquas, modò cereviſias diobolares, calidas tamen, ſi licebat per loci commoditatem, calculum, quod putabat, è renibus in veſicam feliciter deduxiſſet, major jam erat de mora illa in veſica, & hinc nata iſchuria querela, doloreſque plane intolerandi: quod cùm ab anguſtia urethræ proficiſci conjiceret illud unum ſibi agendum ratus, quò viam redderet latiorem, bacillum juniperinum cultro ſibi aptavit,

aptavit, eoque ſæpiuſculè in urethram, quod aliàs Balænaria virga aut cereo fieri ſolet, immiſſo, canalem ſic ſatis dilatavit, ut grandiuſculi aliquot lapides ſponte ſequerentur, & qui majores erant, quàm ut pervadere poſſent, ab oſtio urethræ repulſi urinæ viam relinquerent; hic homo jam à tribus inde annis calculos in veſica alebat, non quidem in illo, pro nota duritie, ſueta tormenta, ſed moleſtam admodum iſchuriam jamjam ni lapis amoveatur, jugulaturam excitantes, in eum ergo uſum, quocumque iter faceret, virgam ſibi adſciverat comitem juniperinam, hanc pro neceſſitate morbi veſicę immittebat, iterumque extrahebat, donec vel calculi aut urinæ ſequerentur. Accidit autem, ut cùm Dantiſco Lubecam enavigaret in navi ab iſchuria & calculi objectu male affectus ſolitam virgam intruderet, viamque urinæ panderet, ſed jam Lubecæ, jam in via Hamburgum verſus eodem incommodo oppreſſus, neſcio qua manus levitate bacillum profundiùs adegit & tandem abrupit; itaque magna ejus pars in urethrâ relicta novam homini ſollicitudinem pariebat. Erepit tamen pedes Hamburgum, & in officinam Chirurgi hominum indicio deductus opem manûs implorat. Chirurgus temeritatem & invictum hominis animum miratus, cùm nullum in cole humorem animadverteret, & in illa urethræ toties impunè vexatæ latitudine graſſandi immunitatem habere videretur, poſt tædioſam manuum operam aliquoties fruſtratam, tandem forcipe exili fibras arripit fragmenti, illudque opportunè deducit. Stupendum erat, nullo adeò ſenſu præditum hominem fuiſſe, ut neque ad forcipis cedentiſque baculi tarditatem vel vocem mitteret, ſed credo calculi iſtis & dyſuriæ doloribus duratum facilè etiam illum ſpernere potuiſſe. Notum aliàs, quanta ſit plerunque dolorum vel ad cerei, aut catheteris immiſſionem violentia, deprecantibus ſtatim moleſtum beneficium ægris.

Sed & hoc mirandum, potuiſſe poſt tot ſollicitationes ſphyncterem quoque officium facere, & urinam retinere, quamvis vitiatum illum ex parte fuiſſe ſubindè recurrens ſtranguria, niſi eam calculus excitaverit, argumento erat. Obſervavi autem illam Finnorum, Livonum, & vicinarum gentium patientiam, ſi cum illa tractus noſtri aut plagæ comparetur, incredibilem eſſe, ut quæ ad dolores, mortiſque apparatum ferè non contremiſcar. Utrùm fluidi animalis in iſta gente motus ſint tardiores, an verò ipſa cutis callóſior ſenſum non facilè tranſmittat, cenſeat quiſque pro ingenio. Certè melior fuit hominis inepti fortuna, quàm Medici Lagathæ apud Janum Nicium Erythræum, ut qui in tuto hamulorum unciqne remedio uſus ſphyncterem reſolverit, perpetuoque urinæ profluvio imprudentiæ pœnas dederit. *Joan. Nicol. Pechlin. Obſerv. Phyſico Medicar. lib. 2.*

Mirabilis Calculorum ſectio in Octogenaria.

Inter omnes corporis affectus, qui hominem miſerè infeſtare ſolent, haud infimum locum obtinet calculus veſicæ; hoc malum quantumvis in Batavia noſtra admodum frequens, rariſſimo & inaudito tamen modo, ſeſe nobis nuper obtulit in octogenaria, præ dolore admodum emaciata, & à viginti annis propendentiam Uteri perpeſſa, cum intolerabili mingendi difficultate, & cruciatibus, ita ut ægra emori maluerit decies, quàm hoc diutiùs perpeti, præſertim poſtremis duobus annis.

Tandem menſe Maio 1681. me vocari juſſit, de uteri propendentia, & mingendi difficultate conquerens. Mirabar vetulæ querelas, quoniam numquam à ſolo uteri prolapſu ita dolere ſolent mulieres, verendumque eſſe adjeci, aliquid mali, præter uteri prolapſum, hactenus in alta nocte latuiſſe. Hiſce auditis, miſera viſum, & ulteriorem explorationem (ſine quibus nihil certi aſſeverari poterat de abſconditi morbi eſſentia) non renuit, oſtenditque mihi uteri, juſto paulo majoris prolapſum, Palpitando hunc uterum, calculos ſentire putabam, nec fefellit, quamvis circa calculorum formam deceptus: videbantur enim tenuiores laminæ calculoſæ (belgice Leyen) qui poſt inciſionem reperti ſunt anguloſi & craſſi.

Non autem interim certè determinare poteram, utrùm locum haberent dicti calculi in ipsa uteri cavitate, an verò inter ejus membranas, vel in aliqua veſicæ portione. Videbantur quidem uteri locum occupare, qui totus quantus è corpore propendebat, ſine ulla veſicę portione (ut nobis videbatur) Hiſce viſis & exploratis, calculorum exſectionem propoſui: accerſuntur Magiſtri, Petrus Adriani filius, & Andreas Bockelmannus, de re Chirurgica benè meriti, qui eandem quoque operationem commendabant, proximo die inſtituendam. Operationem in ſequentem diem dilatum iri miſera illa vetula audiens lamentari cœpit, exclamans, ô me miſeram, non reverſuri eſtis, relinquetis me &c. quibus quærelis permoti, ilico operationem inſtituimus, ſola inciſione, ſecundùm uteri propendentis longitudinem; extraximuſque momenti temporis ſpatio, calculos quadraginta & duos, partim Inſtrumentis, partim ſolis digitis.

In hac operatione non admodum doluit ægra, eâque peractâ, & hoc onere exonerata, atroces ilico evanuere dolores, quos tot annis paſſa fuerat, & ſatis commodè vivere cœpit, in ipſa ſectione præter guttulas ſanguinis, aliquid liquoris promanabat è vulnere, unde ſuſpicabamur, veſicam quoque eſſe in procinctu; nec falsò, nam ſequenti die hoc penitiùs inveſtigantes, & ſiphonis opè liquorem per meatum urinarium injicientes, eum vulnere exire reperimus: quod, ut & lotium ſequentibus diebus per vulnus ſtillans, nobis manifeſtavit, calculos dictos veſicæ portioni ſimul cum uteri mole prolapſæ, inhæſiſſe.

Hoc urinæ ſtillicidium haud exiguo nobis fuit obſtaculo in vulneris curatione, quæ tamen, (gratiâ Deo ter opt. max.) brevi peracta fuit, ſequenti methodo.

Aliquot diebus poſt balſamo Arcæi illitum vulnus, labia ejus arctiſſimè adducta ſunt emplaſtro diapalma tantillum terebinthinę, ut magis adhæreret, recipiente, quod emplaſtrum ſciſſum fuit, ſuper impoſitis ſpleniis, & ligaturâ convenienti.

Quum autem hic faciendi modus expectationi non ſatisfaceret, propter urinæ ſtillicidium continuum, & emplaſtri relaxationem; loco emplaſtri excogitavit Magiſter Boekelmannus annulum è plumbo, cujus extremitates recurvatu filo attrahebantur, unde labia vulneris tam arcte claudebantur, ut nihil urinæ amplius ſtillaret, & ſic intra triduum conglutinaretur vulnus.

In hoc affectu nonnulla conſideranda; imò miranda occurrunt. 1. Uterum è corpore propendentem ſecum rapuiſſe tantam veſicæ portionem, quod rariſſime (ſi unquam) antehàc viſum eſt, quantumvis pares ſint circa oſcula continuę.

Crediderim hoc in illa vetula accidiſſe propter difficultatem mingendi, à calculorum copiâ ortam, unde conatus urinam reddendi fuere continui, & quidem tanti, ut per cohæſionem dictam impediri non potuerit.

2. Quòd moles è corpore propendens, & nil præter uterum mentiens, ob calculorum magnitudinem & numerum, nullam inæqualitatem; nec aliam formam

ſit adepta, ſuperficies enim admodum erat æqualis, & figura uteri naturalis.

3. Admirationi eſt, calculos omnes eandem ferè obtinere formam; & adeò æquales eſſe ſuperficie, ac ſi eſſent planati.

4. Vulnus ad conſolidationem perveniſſe, quamvis parti veſicæ membranoſæ inflictum, per quod urina aſſiduo ſtillabat.

5. Conſiderandum eſt, non omnes calculos in illa veſicæ portione, quæ uterum inveſtiens ſimul è corpore propendebat, hæſiſſe; non enim ſatis ampla ratione magnitudinis & numeri calculorum, ſed nonnullos in ipſa operatione ab altiori & profundiori veſicæ parte deſcendiſſe dubitandum non eſt.

6. Inauditum lithotomiam in Muliere adeò annoſa cum tantò ſucceſſu, eſſe inſtitutam, in mulieribus calculi dilatatione urethræ quidem extrahuntur; aſt perquàm rarum eſt, ſectione veſicæ idem perfici. *Frider. Ruyſchius in Obſerv. Anatomico Chirurgic.*

Calculi tuſſi rejecti.

Dum pectoris hîc vitia recenſeo, prætéritam alibi calculorum pulmoneorum hiſtoriam adferre lubet. Mira ſane res, nullam adeò eſſe corporis partem, quam non petrifica illa idea infamet; & cùm in perpetua viſcerum ſuccuſſione ſolidum concreſcere poſſe difficile creditû ſit, jam nec pulmones, reciprocis uſque agitati motibus, à receptû ſolidi, lapideique concreti immunes apparent. Migrare ſanè aliquando & in illam partem vis petrifica ſolet, novoque Phænomeno ſpectantium oculos confundere. Studioſus Anglus, diſciplinę olim meæ concreditus, diligens valdè & ſedentarius, cùm operas ſuas vel ocii fallendi cauſâ aut exſpectatione melioris ſortis Reſidenti cuidam Anglo locaſſet, eique ab epiſtolis eſſet, nimia induſtria, vitæque partim jucundæ tædio, in tuſſiculam primùm mox ingraveſcentem, uſque tamen ſiccam, prolapſus eſt; hæc ipſa cùm quatuordecim demum dies fruſtrà laborantem fatigaſſet, tandem poſt iteratas tuſſes vehementiores ſolidum rejecit ore fruſtillum, quod cùm attentius exigeret, deprehendit lapillum eſſe inæqualem undique & crenatum, loci, in quo hæſerat, formam referentem.

Sed neque excreto eo malacia; continuò enim infeſtabat alia poſt aliam tuſſis eaque ſemper ſicca, donec elapſis aliquot diebus alterum extuſſiret lapillum. Nec dum tamen quies, inſurgente iterum tuſſi, ex qua tandem rejecto tertio poſt aliquot dies calculo convaluit. Exinde nullum ſenſit incommodum à Gambriviis ad Anglos feliciter transfretans, etiam nunc poſt biennii moram navatamque Praxi medicæ operam, commodè agente. Erat aliàs Nephriticis doloribus oculorumque inflammationibus obnoxius, ſed à quibus illo tempore immunis vixit. Tuſſi ſiccæ occurrebat quidem lentis illis viſcoſiſque ſuccis, ſyrupo jujubino, dialthæa &c. quibus etſi nihil mitigaretur, oblita tamen per viſcoſa dulcia interna Tracheæ ſuperficie hæſuros aliàs angulorum aſperitate calculos auſpicato rejecit. Hic verò non levis ſcrupulus cogitantibus oboritur, unde & quando illi calculi in pulmonum bronchia ſeſe inſeruerint. Limoſum pituitæ viſcum areſcere planè, negotiumque tuſſiculoſis faceſcere vidimus, & nullum inde calculi periculum; ideam aut fermentum lapidificum errore quodam per diverſa corporis vagatum pituitæ bronchiali tandem incubuiſſe credent haud dubiè, quos archei pridem ſubtiliumq; rerum veneratio inceſſit. Cùm autem nulla alia evadendi via ſit, alterum in re perplexa eligendum, & quidem virtuti cuidam lapidificæ in tam repentino Lymphæ coagulo hoc facilius accedo, quod nunquam ante in pulmonibus quidquam ſenſerit incommodi, & poſtquàm ſemel invadere tuſſis cœperat, non ante illa deſierit, quàm ejectis, quos ſubita vis aut halitus Gorgoneus contraxerat, lapillis. Quodnam verò fuerit coagulationis ſubjectum, perinde incertum, vero tamen ſimilius ipſam illam lympham interiora bronchiorum oblinentem, ut glandulis quibuſdam ſuis ortum debet, ab halitu coagulante ſubito deprehenſum in ſtirias, ut fieri aliàs in cryptis ſolet, coïviſſe formamque ab annulata illorum ramorum bronchialium textura collapſuque alternato accepiſſe. *Joan. Nicol. Pechlin. Obſerv. Phyſico medic. lib. 2. Obſervat. 4.*

Calculus ovi gallinacei magnitudinem ſuperans, ſine operatione, ac ſola naturæ vi, à ruſticâ trigenariâ exeretus.

Ruſtica mulier annorum circiter triginta, de die ac nocte irrequieta, de dolore in imô ventre, ac acerbiſſimô inter meiendum labore conqueritur; Dyſuriam, ac Stranguriam paſſa, non paucis ab annis, cruciatibus in dies augeſcentibus, è pagô ſuô ad me tranſmittit urinam, ſeu ad οὐρομάνθην, ut hîc locorum ſolent, qualis ſit morbus obnixè rogans? Apparuit autem urina primò intuitû turbida, rubra, confuſa; ſed brevi poſt, ſaburroſa, mucilaginoſa, non parum vitri parietibus tenaciter adhæreſcens. Multa autem ſuſcitatus à nunciô circa ægræ morbum, ejuſque ſymptomata, audaciter pronunciavi eam lithiaſi veſicæ laborare, levioraque primò diuretica adminiſtravi, quibus liberaliùs admodùm urinam emiſit, cruciatuſque allevati ſunt: Sed ab agyrtâ & circumforaneô delusa, qui protervè dejerabat illam, ſimplici colicâ laborare, aſſumſit fortiora cathartica, à quibus fermè enecata, rurſùs opem meam implorat cum lacrymis. Dolorem lenientibus primò adhibitis, diuretica mitiora adhibui, & tandem in uſum vocavi balneum aquæ dulcis tepidum, poſtea etiam calidius, & herbis emollientibus ac carminativis medicatum, per horam, horam unam & ſemiſſem, ut videam quid valeant vires, tandemque duas horas ægram in eô ſedere juſſi: cujus uſû, poſt dies circiter, duodecim, urinis tartareis, ſaburroſis, mucilaginoſis quàm uberrimè, dejectis, ſymptomatibus de die in diem mitigatis, ab ultimô in balneum ingreſsû, horâ circiter unâ, enormes cruciatus paſſa, ſeu fœtum grandiorem enixura, calculum ſummâ vi extruſit, cum obſtetricis illuc advocatâ, & adſtantium omnium ſtupore. Tophaceus erat, mucagine & ſaburrâ obductus multâ, ovi gallinacei craſſioris, ac longiuſculi molem peramplam adæquans. Sed ſuſpicatus ego ne quis adhuc lapillus in veſicâ ſubſideret, ſaxifraga rurſùs præſcripſi, non omiſsô ſpiritû terebinthinę æthereô; è quorum uſû gemellum excluſit lapillum, oblongum, dactyli nucleo haud abſimilem, labore nullô, aut exiguô: A quô tempore, id eſt ab annis duobus & triginta, ſanitate gaudet inculpata, nullis prorſùs vexata dyſuriis, aut ſtranguriis. Fœturam ſuam calculoſam, ſeu vellus aureum, ſedulò aſſervans, cujus vel videndi copiam vix ac ne vix quidem cuilibet faciens, ne quis fortè ſuis ab ædibus ſubripiat Palladium iſtud; nullâque arte juris mei facere quevi ad hunc uſque diem. *Ex communicatione Præclariſſ. Dni Antonii Drelincurtii, Genevenſium Medicorum Collegio Aggregati, & Rerumpublicarum Bernenſis, ac Friburgenſis Medici Extraordinarii & Antiſtitis.*

Calculus Veſicæ arctè agglutinatus feliciter exciſus.

Clariſſ. Viri Riedlini, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Quando duo ad id apta corpora ſibi invicem agglutinantur, & gluten ſic comparatum eſt, uti quidem ſi boni nomen mereri vult, eſſe debet, haud ita facilè à ſe invicem denuò ſeparantur, & quando vel maximè unum ab altero vi avellitur, plerumque ſimul quædem ejuſdem particula abrumpit, & ei, cui priùs peregrinum fuerat, adhæret, eodem prorſus modo & peregrina quædam corpora quibuſdam corporis humani partibus, interdum agglutinari, experientia jamdudum nos docuit, ſique alia exempla deeſſent, vel calculis veſicæ ſufficienter hoc aſſertum probari poſſet, quos interdum huic viſceri tam firmiter adhæſiſſe, notatum fuit, ut ab eodem, non niſi eo læſo, & cum quadam ejuſdem particula ſeparari potuerint, quod licet non nemo vix contingere poſſe, niſi calculus in peculiari contineatur membranâ, credat, contrarium tamen me obſervaſſe ex jam jam narrandis conſtabit. Hoſpitis cujuſdam in pago Neusas habitantis filiolus, undecim annorum puer, cùm ante hos ſeptem annos doloribus calculum veſicæ prodentibus identidem valde tortus fuiſſet, jam tum quidem, ut ſectione mediante, ab hoc tam moleſto hoſpite liberaretur, parentes deſiderarunt, u que ad hoc opus manus ſuas commodaret, Lithotomum quendam jure celebrem rogarunt, qui verò ob ætatem tenellam, ut tam periculoſam operationem differrent, ſualit, facileque perſuaſit, cùm præſertim poſtea dolores paulatim ſic remiſiſſent, ut jam, an calculo laboret? interdum dubitarint. At cùm ante ſemeſtre & quod excurrit, equo conſcenſo puer aliquandiu corpus eodem nimiùm moviſſet, inde non ſolùm dolores intenſiſſimi, verùm & reliqua calculi præſentis ſigna tanto cum foenore redierunt, ut jam ejuſdem Chirurgi opem ardentiùs ac antea implotaverint, quam quidem hac vice Eidem addixit, & unà mecum duobuſque Urbis noſtræ Chirurgis in pagum delatus, operationem aggreſſus fuit, & quidem eâ viâ, quam brevem nominare ſolent, pueto nempe cuidam Viro robuſto in menſa ſedenti alligato, ſiniſtræ quidem manûs duos primores digitos butyro inunctos ejuſdem ano inſeruit, dextraque ex veſiça eo detrudere calculum omni ope conatus fuit, quod tamen prima vice non ſucceſſit, puerque ob inſignes clamores ſolutus denuò urinam cruentam excrevit, Parentibus tamen urgentibus & ſedulò rogantibus, brevi poſt ſe iterum operi accinxit, jam mediante itinerario perficere illud intendens, cùm verò hoc puer admittere nullo modo vellet, monitus à Chirurgo adſtante, priorem modum denuò tentavit, & quidem hac vice feliciter, haud ita magnâ enim operâ jam calculus ad digitos detruſus fuit, unde ſupra eodem inciſione facta, paulò poſt illam extraxit pendentem drachmas ſeptem, & tum formâ, tum magnitudine ovum Columbinum aliquantùm excedentem, inprimis verò notatu dignum, quia alteri ejuſdem extremitati membranæ duplicem groſſum Imperialem æquans, firmiter adhæſit, quæ non niſi vi avelli potuit, quam ubi partem eſſe veſicæ, nulli dubitavimus, ita merito de Curæ difficultate ſoliciti fuimus, at utique illud nos magis confirmavit, tum ipſa conſpecta membrana, tum tam diuturna dolorum abſentia, qui demum calculo per equitationem aliquantum avulſo rediêre, tum difficultas in ipſa operatione prima obveniens, ob calculum in principio ſine dubio nondum penitus à Veſicâ ſeparatum, ita omnis ſolicitudo brevi ſublata fuit, dum non ſolùm periculoſum ſupervenit ſymtoma, verùm quinto jam die lectum reliquit puer, quin duodecimo fere ſic convaluit, ut jam ulteriori curâ non indiguerit, quæ magis adhuc poſtea confirmata fuêre, cùm puer cum patre ſanus & incolumis, nec de minimo malo conqueſtus me viſitaſſet. Ex dictis verò ſicut patet, nec de iis ſemper deſperandum eſſe, quorum Calculus veſicæ agglutinatus eſt, ita longe majorem ſpem felicis eventûs concipi poſſe, ſi pueri, quam ſi ſenes ejuſmodi Curæ ſubjiciantur, itidem ex iiſdem facilè colliges.

Calculus veſicæ, unciæ unius pondere ſine ſectione excluſus.

Clariſſ. Juſti Frider. Dillenii. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Sub initium Anni 1683. Uxor Jean N. N. natione Galli, barbitonſoris Darmſtatini, calculum mihi oſtendit magnitudine caſtaneæ grandioris & ℥ j. pondere, quem citra ſectionem, uſu balnei περὶ εὐφορίας & paucorum remediorum internorum, à ſemetipsâ excluſum fuiſſe aiebat ante V. & ampliùs annos.

Calculi, ſymptomatum mira Metamorphoſis.

Clariſſ. Godefr. David. Mayeri. Ephemer. Germanic. Centur. 3. & 4.

Illuſtris Aegra temperamenti cholerico melancholici, ætatis XLVIII. certior tandem reddita, dolori gravativi in regione veſicæ ſenſum, urinam partim aquæ fontanæ ſimilem, partim ſabuloſam, confusam, graveolentem, craſſam, purulentam, acerbum & gravem inter emittendum ardorem, mictionem crebram & guttatim factam, conatum & compreſſionem multam, certiſſimum præſentis Calculi vel calculoſæ concretionis ſignum eſſe & veræ nephritidis phoenomena (quo malo antea ex multiplici morbi Metaſchematiſmo illam divexari, non equidem judicabant omnes:) præter adcitata & alia malo huic communia phoenomena, hæc inſuper experiebatur complicata ſymptomata.

Morbo ægram infeſtante interdum ex conſiſtente materia calculoſa, ejuſdemque fortaſſe aſperitate, duritie & copia, propter ingentem ſine dubio dolorem, à compreſſis, arroſis, extenſis & contractis membranoſis, nervoſiſque partibus, ſibi non ſemper conſtat animo Patiens: Voluntarias actiones non legitimè exſequitur ac præter conſuetudinem, nunc parum, nunc multùm, nunc ferociùs & incondita tam diu eloquitur, uſque dum adminiculante vel naturâ vel arte peccantem materiam ex renibus per uretheres ad veſicam tranſmiſſam eſſe, ipſa referat, eo ipſo confeſtim mentis compos redditur, cujus ope omnia quæ agit, aut loquitur, rationi tum conſentanea eſſe, eaque omnia decorè & conſueto modo perfici adſtantibus patet. Interdum pollex pedis ſiniſtri, ad quod latus in inguine progreſſus calculoſæ materiæ frequentiùs obſervatur, tremore quaſi convellitur ſolus, citra omnem cruris ſtuporem ac reliquorum pedis digitorum conſenſum, voce tum temporis tremula & interrupta. Adhæc immanes borborygmi, viſcera ventriculumque quaſi ferientes, interdum compreſſiſſimum pectus obſervantur

ſervatur, ut plerumque ſuffocationi, metu ſe mox interituram putet, Sudor in paroxyſmo perpetuus, non per totum corpus, ſed manuum volas, quantitate adeò notabibi ſe manifeſtans, ut per attactum objecta quævis impenſiùs madefieri ſe ſentiant, qui tamen remittente paroxysmo, non aliter, ac à Sole redeunte tenebræ ſenſim diſpellitur. Paroxysmus inſtar febris tertianæ duplicis, ſicque periodice impetum molitur. Quamdiu vires integræ, motus omni decubitu præſtat: Reſupina cubans, quiescit commodior. Aliquoties circa plenilunii tempus urinam cruentam obſervavimus, quam periodum, pro Catameniorum repurgatione, antea Naturam ſibi ſolennem elegiſſe, ægra recordatur, quorum defectam, cùm ętatis ratio illum ſibi depoſcat, circa vernale & autumnale ęquinoctium, imminente cumprimis plenilunio, in pede celebrata Venæſectio, non obſtante alio contraindicante, ſupplebit.

Inter remedia lithontriptica in hoc & aliis quibuſdam ſubjectis, effectum omni laude majorem mihi præſtitiſſe Radicem Pareirabravæ, cumprimis in ſubſtantia exhibitam, ſancte teſtor: quod eximium medicamentum indefeſſæ curæ, multiplici experientiæ & commodatis conſiliis Dn. D. Mich. Friderici Lochneri, Ephemeridum Directoris, nos debere fatemur, ut elegantiſſimo ex ipſius ſchediaſmate de *Pareirabrava*, novo Americano Calculi remedio, videre licet.

Ante tres circiter annos, Genevæ, in Hoſpitali, paupercula quædam, puella annos 25. nata, atrociſſimos lumborum, pectinis, & perinæi dolores ſimulabat, tum de urinæ difficultate, & ſuppreſſione multùm querebatur, quadam autem die cùm ſymptomata omnia ingraveſcere viſa eſſent, calculum unum fabam craſſitie æquantem, ſubruſum, ſolidiſſimum, ponderoſiſſimum, uno verbo, ſilicem in fluminis ripa collectum omnino referentem, ægrè ut videbatur excrevit. Plures dein tales calculos etiam multò majores, per aliquot dierum intervallum obſtetricantibus mulierculis enixa eſt. Donec casûs inſolentiâ impulſus, ſimul & dolum ſuſpicatus Medicus Hoſpitalis ordinarius nos unà cum Chirurgis, qui rem penitiùs ſcrutaretur, accerſivit. Inquiſitionem primò, pudoris & futuri doloris prætextu recuſabat illa, ſed mox, fore ut Chirurgis etiam imponeret confidens, ſe ad examen ut par erat compoſuit. Diductis vulvę labiis, & nymphis, Urethræ foramen nullatenus dilatatum apparet. Immiſſo cathetere nullus deprehenſus in veſica calculus. Poſtquàm explorata eſt veſica, Chirurgus vaginæ ingreſſum apice digiti, virginitatis ocellum violare metuens, leviter primò attingit; at cùm ſtratum iter agnoviſſet, digitis altiùs adactis, ovo lapidem columbino ſimilem è vaginæ fundo extrahit. Nequitiam fateri cogitur mendica, virgiſque impoſtura expiatur. Sanè ſi improba hæc, unum aut alterum ſubditiтium calculum primis diebus reddidiſſe contenta, viſitatione, & inſpectione fraudis apertè convicta non fuiſſet; ſilices fluviatilibus ſimiles, etiam in veſica quandoque ſuccreviſſe, non pauci hodiè affirmarent. *Autores Bibliothec. Anatom. Tom.* I.

Anatomicæ inſpectiones.

Eas fusę vide deſcriptas capitibus de iſchuria, dyſuria, ſtranguria, ardoribus urinæ &c. Hic itaque tantùm quædam.

Hiſtoria veſicæ monſtroſæ magni Caſauboni.

Summus & Clariſſimus Vir Iſaacus Caſaubonus corpus gracile & ſiccum à natura ſortitus erat, temperamento ex bilioſo in melancholicum plurimùm declinante. Ignei vigoris & cæleſtis originis animam continebat fragile ergaſtulum, quod exili, nec importuna mole haud grave, hoſpitem ſui planè juris eſſe ſivit. Hinc factum, ut literis deditiſſima mens parvam admodum habuerit domicilii ſui rationem, ita vir magnus non impalluit modò, ſed penè inaruit chartis. Paucis vel ferè nullis magnis morbis obnoxium tranſegit illud quod Deus ipſi indulſit ætatis curriculum. Et caſtigata corporis exſucci conformatio, fecit ut ea non ſenſerit, vel leviter expertus fuerit incommoda, quæ vitam ſedentariam, ut plurimùm, conſequuntur. Arenoſam aliquando ſaburram depoſuere renes, non ſine aliquo urethræ inter meiendum ardore, nihil tamen effatu dignum, vel quod ſedulam, aut iteratam medici poſtularet operam. Cœlum, ſolumq; mutavit ſæpius, ab urbibus, & principibus viris doctrinę non vulgaris nomine humaniſſime invitatus, & exceptus honorificentiſſimè, ut pateat ipſum non uni aſſueviſſe victûs legi. Tandem à Jacobo primo Britanniæ rege accerſitus, in florentiſſimo illo regno vixit per triennium. Penſum à maximo rege accepit grave, at humeris, qui antiquorum nodis, atque ęnigmatis ſolvendis innutriti erant, non impar. Theologicum aggreſſus opus, in Baronium ultra annum inſudavit. Huic abſtruſioris ſuæ eruditionis ſpecimini edendo, animum in varia diſtrahi, & pungentibus agitari παθήμασι non novum, ubi de aſſerenda veritate & pariter de famæ diſcrimine agitur, pręſertim in polemico ſcribendi genere. Quot Evolvit illo temporis ſpatio patrum antiquorum volumina? Quot horas in muſæo Epularum immemor, veluti raptus in ἐκςασιν, trivit vir optimus, qui terram calcans pedibus, cælo mente affixus erat. Quot inſomnes tranſegit noctes? ut accuratiſſimum illud opus cuderet, & luci tandem daret, quod nunc in antiquitatis depravatores, quantumvis purputatos proſtat: Hic paulatim vires imminui, corpus magis ac magis extenuari, diſſipari ſpiritus, & debilitari calor nativus functionum omnium opifex, quibus ceſſantibus, vel ſaltem facultatum læſione depravatis, Excrementorum quotidiana germinatione increſcentium proventu, partes obrui, & naturam tandem fatiſcere neceſſe eſt.

Duodecimo circiter ante obitum menſe, qui vel antè quieverant; vel fugaci præſentia obitio ſaltem moleſti fuerant, inter meiendum punctorii dolores, & urinæ ardores, redivivi, cœperunt virum fatigare, primùm longioribus intervallis, noctuq; præſertim importuni, ita ut dulcem interrumperent ſomnum, & experrectum adigerent ad matulam. Rubrarum arenularum profuſio, cauſa iſtius irritationis ſtatuebatur; neq; ullis poterat æger incommodis à ſtudiis avelli, urina tandem ardore difficultatem pariens ſubinde ſiſtebat gradum, & non effundebatur, niſi mediocri ſaltem niſu, idq; incurvato corpore & facie prona, tanta aliquando expultricis irritatio, ut qui parcè olim, vel ſemel, tota nocte ſoleret urinam emittere, intra paucos menſes bis, ter, quater, quinquies, ſexies, & tandem infinitis vicibus cogeretur in eum finem ſurgere. Pectinis dolor, grave ano incumbens pondus, inter meiendum alvi exonerandæ cupiditas. Exeuntem urinam comitabatur dolor, cùm per totum canalem urethræ; tum maximè in glande, cujus ſenſus erat quaſi multorum acuminum ſimul pungentium. Ingens in dorſo aliquando calor, ad quem levandum veſtem ſæpiſſime deponere cogebatur. Urinæ ut plurimum

rimum pallidæ cum mucoſo ſedimento, poſt Equitationem, vel violentius exercitium ambulationis cum arenoſis granis craſſioribus, vel tenuioribus lapillis rotundis, præduris plurimis, quorum nonnulli granum tritici, pleriquc aniſi magnitudine æquabant. Iſta ſymptomatum ſyndrome medicis calculi in veſicâ latentis ſuſpicionem injecit. Quem cùm cathetere explorare licuiſſet, nullus inſtrumento in veſicam aditus, ſed ita præcluſa via, ut apparerent ὑπερομφρκώσεως meatum obsidentis injiciat. Inter numeroſum iſtum ſymptomatum concurſum, vel athletico corpori peſſumdando, ſatis erant, ſexto ante fatalem diem menſe, in parte hypochondrii ſiniſtra, inter albam lineam (ſeu veſicæ regionem ſupra pubem) & ilia, efflore ſcere cœpit tumor, inſtar juglandis primùm, qui paulatim auctus ad pugni magnitudinem vel potiùs latitudinem excrevit, deſinens in obtuſum acumen; Mollis erat, & qui fluctuatione, quæ contrectationem ſequebatur, aquam ſubeſſe certò indicabat. Sicuti liber inter tuſſiendum vel reſpirandum, muſculorum abdominis motus materiam ſub iiſdem contineri, tumoris circumſcriptio, eandem non in ventris cavitate vagam, ſed in quadam cyſti concludi arguebat. Si durius impreſſa manu tractarerur tumor, veſica in conſenſum tracta dolebat, & micturiebat æger. Id quod à partium vicinia, & veſicæ inter duas peritonæi tunicas ſepultæ, cum tumore connexione fieri credebatur. Subſidebat nonnunquam, & paucis poſt diebus ad priſtinam redibat dimenſionem. In miſero iſto ſtatu vitam languidam menſibus aliquot traxit, donec inſtante, ultima & fatali hora, ſic acceleratus fuit viri piiſſimi interitus, ut ſereno die animi recreandi, & corporis gratiâ exercendi, Rhedâ vectus, decem anglica miliaria percurrerit. Reverſus domum noctu minxit frequentiſſimè, aucti dolores, aucta dyſuria, cum ſtranguria, urinę cruentæ cum ſedimento mucoſo, quod maxime tenacis & vitreæ pituitæ ſimile aliquid puris admixtum habebat. Invaluit inter meiendum deſidendi cupiditas, excluſi calculi exiles quàm plurimi, aucta uno verbo omnia. Invaſit febris, quæ antea per intervalla inæqualia, licet levis, non tamen ſine aliquo horrore, & inordinatis rigoribus occupaverat. Pugnatum iis quę acrimoniam lotii demulcere, mucum incidere, eique facilem lenitione viarum exitum procurare valebant; Vano ſane labore. Siquidem urinæ tunc olidæ, turbidæ, inſtar lixivii, aut cerevisiæ, profluxerunt, ſine levamine: cùm mictionem novum exciperet illico meiendi deſiderium. Ardorem internum ibi moleſtiſſimum dicebat æger, & calidiſſimæ reddebantur urinæ, etiam ad tangentis manum: mucus erat dimidia lotii pars, aliquando etiam quicquid reddebatur, mucus erat tam tenaci filo cohærens, ut vix divelli poſſet, & ex matula in pavimentum lubrico & continuo contextu efflueret. Notatu autem dignum, quod poſt redditam ingentem iſtius albugineæ pituitæ quantitatem, hoc ſymptoma per duos vel tres dies inducias dabat, nova Egeſtione facta denuò ut ante recurrens. Tam diris cruciatibus excarnificatum tenue corpuſculum ad dies 20. duravit, continua febri tabefactum, perpetua effluentis lotii, & fuſæ alvi vacuatione, pumice ſiccius redditum, urinæ fœtore, quem ipſe oris ſpiritus redolebat, infectum. Donec tandem felix animula ſui carceris impatiens, cui ab ipſis conformationis primordiis, iniquis conditionibus alligata fuerat, vocante ſupremo rerum conditore, ad ſuam migrans originem, corpus humo, amicis lacrymas, literatis raram Eruditionem, omnibus probis eximiam pietatem imitandam reliquit. Die veneris Kal. Jul. 1614. ætatis anno 57. ſecto autem cadavere, poſt exquiſitam ſingularum partium perſcrutationem, ſequentia fidelibus oculis objecta fuerunt. Urethræ inditus catheter argenteus nulla arte, nulla vi, valuit in veſicam adigi, ita ut ſecta per perinæi longitudinem urethra manifeſtò apparuerit σαρκοειδὲς σῶμα meatum occupans, foris intrò reſiſtens, ſed ab interna parte foras obſequentius, collo veſicæ appoſitæ adſtites glandulæ, proſtatæ dictæ, quadruplò majores quàm naturalis ferret conſormatio, veſicæ corpus contractum, craſſum, & admodùm ſpiſſum, interna ſui parte rugis quàm plurimis & veluti cuniculis exſculptum, quorum cavernulæ lapillis infinitis rotundis ſcatebant: collum interius, quod declive levi canaliculo ſine ulla protuberantia naturaliter in urethram deſinit, introrſum tumens, elatum inſtar podicis gallinæ, vel colli interioris uteri; ita ut in ambitu eſſet veluti ſulcus, ſeu cavitas, per quam circumduci poterat digitus; cujus magnitudinem facile admittebat colli orificium, per urethræ retractionem ſurſum factam formatum, quæ virgæ in arrigendo incurvationem invehebat, ad ſiniſtrum latus perforatum fuit veſicæ corpus; & pervium rotundo foramine, quatuor digitorum apices admittente, in ſaccum ſive ἔκφυσιν veſicæ, vel addititiam veſicam quę urina turgens capacitatis erat ad veſicam ſextuplæ. Habuit ſaccus iſte tunicas tres ſeu membranas, cum veſicæ membranis, continuas, ſpiſſas admodum, (ne quis ἀπονευρώσεις comminiſcatur) cum inſignibus nervis, venis & arteriis, ſitus talis, ut totam ὑπογαστρίε partem ſiniſtram occuparet, uſque ad oſſa ilium, inſtar veſicæ, in ipſa peritonæi duplicatura latitans. Figura ejus inæqualis, ita ut infra foramen infima ſacci pars propenderet plurimum, ſicuti ſuperior peritonęo affixa firmiter, multùm ſupereminebat, utraque veſica lotio turgens pleniſſime. Aſt in addititiæ fundo, infra foramen penſibili ingens ſaburra putris & olidi muci ſive Phlegmatis vitrei, quod cum tanto niſu & dolore à miſero ægro profundebatur. Veſica ipſa neque ulcerata, neque inflammationis preſeferens veſtigium. Addititiæ interna membrana eroſa variis in locis, atque ob inflammationem rubra, livida, nigra, gangrenæ proxima, quę mortis cęrtiſſima, & inevitabilis cauſa fuiſſe videtur. Ureteres lati, urina turgidi; ſiniſter inſtar ſacci tunicas gliſcebat profundiùs, uterque autem deſinebat in veſicam veram, paulò ſuprà collum. Ren dexter totus purulentus, ſanus ſiniſter. Partes cœterę ſanæ, exceptis pulmonibus, quos corruperat & denigraverat ſalina & perennis fluxio à capite in ipſorum bronchiam ſubſtantiam, continuò ſtillans, quam prodebat ordinaria tuſſicula, & in ultimo hoc morbo conſueta raucedo ingeminata, etiam uſq; ad aliquam difficultatem vocis edendæ.

Vitioſæ iſtius conformationis in numero, ſitu, & meatu monſtrum, quoniam doctorum animis exercendis ſatis eſt atque amplum aperit campum diſquiſitioni medicæ; in hac lubet exſpatiari planitie, cùm ut credant ἰητρῶν παῖδες quotidie nova occurrere, quæ ſub antiquorum ſpecie nobis imponere poſſunt, & conjecturæ acumen fallere, tum ut in obſervando ſeduli, in prædicando, & judicando cauti, in operando religioſi, atque periculoſa feſtinatione alieniſſimi eſſe ediſcant: fatendum ignotam fuiſe tot malorum cauſam, & deceptos medicos omnes, quorum alii calculum prægrandem adeſſe, alii ulcus in veſica, quidam tumorem aquoſum, partim inter muſculos, & peritonæum exiſtentem, occupare autumabant. Rara non ſunt artis, & in conjecturis quantumvis artificialibus, parum eſt fiduciæ: Errorem ſuum confiteri ingenui eſt in rebus inauditis, & nulli viſis decipi non turpe; obſervata, (licet prognoſi potiùs quàm therapeiæ idonea) poſteris pandere non inglorium.

Equidem

Equidem ab ipſis conceptionis primordiis vim plaſticem in hoc ſubjecto inſolenti utique & gravi errore luſiſſe arbitror, dum concurrente nimia ad veſicam fingendam à parentibus decidua materia, eam cum ἐκφύσει & cum foramine, in hoc additamentum ducente formavit. Eodem planè modo quo lienes, & teſticulos duos & tres, ſextum quoque digitum non ſemel vidimus. Ita ſeminum confuſorum, & ſanguinis materni affluentis ſuperflua quantitas, unà cum vegeto calore, formas è poteſtate oblatæ materiæ educente monſtra gignit. Porrò credibile eſt iſtud additamentum primis annis vel exile admodum fuiſſe, vel etiam ipſi veſicæ, ſic agglutinatum, ut vel nihil excipere, vel exceptum ſtatim refundere in naturalem alveum valeret. Incrementi autem, ſeu dilatationis ipſius primordia tum cæpiſſe veriſimile eſt, cùm vir pius penſo graviſſimo nimium intentus, dies, noctesque libris aſſidens per multos menſes tranſegit, tum ſiquidem lotii reddendi immemorem quotidie, imò quavis hora reddebat animi à naturalibus ad ſublimia avocatio. Ita ut à corpore veluti abſtracta mens, nec incommoda ſentiret, neque muniis neceſſariis vacare, vel ad corporis vilia officia ſe demittere dignaretur. Si ii quibus mens ægrotat, dolorem non ſentiunt, quidni veſicæ pondus negligetur? quoties in ferventioribus ſtudiis calor & ſpiritus ad rationis arcem vi quadam rapti, totum cerebrum ſibi vendicant, neglectis, niſi quantùm ad vitam ſat eſt, ut ita dicam, ignobilioribus partibus Id videre eſt, non tantùm in melancholicorum, ſed in pia religioſorum, nec non in amantium ἐκστάσει. Jam verò motus principium quantumvis debile, ſat eſt ad incrementum. In dies aucta fuit iſta dilatatio, vireſque acquiſivit eundo, & concavum iſtud corpus membranoſum ductile, & facilis extenſionis, repletione crevit, inter peritonæi tunicas deorſum verſus primò, ni fallor, ob contenti fœculenti pondus, deinde ſurſum ſuam nactum dimenſionem ad lævam hypogaſtrii primò extuberavit levius, deinde inſigni erupit tumore: quòd videlicet ad inferiora dilatatio obice oſſium ilium, & pubis impediretur, quæ ad laterum mollitudinem erat facillima, neque verò impunè tulit iſtam extenſionis libertatem ipſa naturalis veſica, cujus membranas cum additamenti tunicis continuas, his licentioſius expanſis in ſe retrahi & tandem corrugari neceſſum fuit. Sed quod gravius eſt, cum fibrarum tranſverſarum & obliquarum beneficio ſuccedat quantitate gravius lotii expulſio, partis autem organicæ perfectio in legitima conformatione conſiſtat, ſolutionem illam continui, actionum læſio, quæ inutilem veſicam reddit conſequuta eſt, itaque per ureteres à calidiſſimis renibus ex toto corpore emulctum ſerum deducebatur quidem in veſicam, ſed cùm ea niſi inæqualiter in ſe comprimi non poſſet, ad expulſionem partim naturalem, partim voluntariam, antequàm meiendi inceſſerit voluntas. Saccum ſeu ἔκφυσιν oportebat impleri, etiam uſque ad moleſtiæ importunum ſenſum, & conſecutione neceſſaria, in dies paulatim magis ac magis dilatari; hinc factum eſt, ut intra paucos menſes à dilatationis principio in magnam excreverit amplitudinem, quam excrementi quantitas, & facultatis imbecillitas æquali paſſu quotidie invaleſcant. Interioris membranæ veſicæ corrugatio urethram intro traxit, & collum ipſum corrugatum in formam podicis gallinæ expulit, quæ cauſa una ex multis erat difficultatis in meiendo, unica autem, ni fallor; incurvationis virgæ in arrigendo, cùm urethræ membrana nimis ſequax, cavernoſa corpora in arcum reflexa retineret. Idem ab inflammatione tumorem abbreviantem procurante in gonorrhœa contingere ſolet. Calculos in veſicæ rugoſæ cuniculis infinitos creavit urinæ tartareum ſedimentum. Ea ſiquidem & naturaliter in hoc ſubjecto, plurimo turgebat ſale; & iſtius terræ portionis ſeparatio, ſive tartari coagulatio, promovebatur mora, quam excrementum pigro languore, imò impotentia expultricis ob organi vitium, in cavitate facere cogebatur, proinde ac ſui ipſius inſpiſſationem, & homogeneorum ab heterogeneis ſeparationem, vi caloris nunquam feriantis experiri.

Cur verò in imo ſacci fundo nullus calculus etiam prægrandis, cùm ei generando plurima materia ſuppeteret, coagulationi etiam proxima! nempe quòd in illo euripo intus lævi, non cuniculoſo, perpetuus quaſi eſſet urinæ meantis & remeantis æſtus, cujus fluctibus pars eluebatur.

At ut generetur per additionem partium calculus, quiete opus eſt. Adde quod defuit iſti concretioni tempus, ei ſiquidem mors exiſtentiam præripuit. Ulcus veſicæ qui ſtatuerunt, decepti fuerunt excreto purulento, confiſi, quòd à rene dextro putri, inflammato, & calorem intolerandum, lumborum excitante, profluebat. Ulceratus ſanè erat ſaccus; ſalſuginoſi tartari, & lotii putris & ſtatione fœtidi, amurcæ acumine. Quæ materia cùm in hujus additamenti declivi atque infra foramen multùm propendente, & demiſſo fundo diutiùs ſtagnans hæreret, eroſionem pariebat, à qua immunis erat veſica, per quam momentaneus ſaltem dabatur, ob ejus anguſtiam tranſitus. Mucum autem ſive mucilaginoſum phlegma, ſeu fæcem tartaream plurimam continebat ἔκφυσις veluti iners, actioniſque omnis expers additamentum, quod præter eam ſeparationem, quæ ab ipſa urinæ ſubſtantia fiebat; etiam conditione ſuæ ſubſtantiæ membranoſæ fundebat viſcidum excrementum, non minùs quàm ipſa veſica vel calculo irritata, vel urinæ mordaci ſale corroſa, eodem planè modo, quo puncti limaces, ſalivam ex proprio corpore in ſe contracto, expreſſione rejiciunt, viſcida eſſe ſolent ſpermaticarum partium, imprimis verò membranarum excrementa. His poſitis, & diligenter perpenſis, haud obſcurum eſt, quænam fuerint ſymptomatum cauſæ, quibus vir tantus ad acerbam & crudelem necem excarnificatus fuit. Sed cur inter meiendum oleti faciendi cupiditas, quæ ut plurimùm calculi grandioris veſicam occupantis eſt ſignum pathognomonicon? cur ano incumbens pondus, quod fallaci conjecturâ, vel oculatiſſimis medicis impoſuit? Nempe ab ingenti proſtatarum tumore, quarum corpus inter meiendum inteſtinum rectum premebat, & gravitate moleſtum naturam ad exonerendam alvum ſollicitabat, idque eò violentius, quòd pari niſû per muſculorum abdominis introrſum factam contractionem comprimendo, urina & craſſiores fœces exprimantur. Tumor autem iſtarum glandularum, an fuit naturalis in homine, cui vaſa ſpermatica ampla, & qui plurimos ſuſcepit liberos? An potius eum fecit urethræ contractio, colli veſicæ violenta ſurſùm attractio, quæ latitudini addit quod demit longitudini? an dolor, calorve, quorum proprium eſt ad partem affectam trahere, multò magis glandulas, quæ laxæ, molles, ſpongioſæ, ad recipiendum pronæ, ad expellendum ſunt ineptiſſimæ? Tot tantorum malorum hydram non potuit non conſequi mors, quæ multorum accidentium populoſa caterva ſtipata, lento pede virum fœliciùs extingui digniſſimum, tandem jugulavit, hæc habe, clariſſime vir, à tuo Brovardo. Autor *Bibliot. Anat. Tom.* 1. *ab Autore mox memorato qui hiſtoriam hanc à Clar. Theodoro de Mayerne, ut creditur, exſcripſit.*

Domini Drelincourt ad Dominum Vallot Epiſtola Prior.

In

In quâ de Calculi & caruncularum veſicæ extractione agitur,

Adſum, vir Ampliſſime, fidem meam liberaturus: cùm autem Regis abſentia, quominùs præſens præſentem te alloqui poſſim, impediat, ſcripto rem conficiam.

Normanus cyſtotomiam modò paſſus eſt. Calculus extractus tres uncias juſto pondere pendi longus & latus eſt, ut ovum gallinę majuſculum, at non ita craſſus, nec ita rotundus fundo veſicę, latere ſuo depreſſiori adhęrebat, ibique carunculis innumeris, quæ forcipibus acceſſum omnino præcludebat, veluti circumvallabatur. Oppugnandum itaque fuit vallum iſtud, duæque carunculæ quę Operatori, majori impedimento erant, extirpandę fuerunt.

Reliquæ prudenter relictæ ſunt uſque ad ſuppurationem, quę eas per vulnus ſenſim, & tutiùs quàm violenta & ſubita avulſione factum fuiſſet auferret. Duę iſtæ carunculæ, avellanę, vel teſticulo pueri x. aut XII. annorum ſimiles ſunt: fibrillas verò in baſi ſua validas, & ſubrubentes habent, quas ipſarum radices voco, quibuſque veſicę uniebantur. Porrò duræ & ſcirrhoſæ ſunt, atque adeò lubricæ ut vix digitis contineri poſſint. Cyſti, ſeu tunica rubicundiſſima & validiſſima arctè amiciuntur. Earum interior pars, tunicâ corneâ, ubi nervum opticum circumdat, magis alba & durior eſt: eas Achillis vel patellæ tendini, ſeu potiùs *lupiæ* ſeu nodo minori duriſſimo, & ganglio comparo. Dura enim illa & nervoſa veſicæ corpora *filamentorum myriadibus, quibus tendines conſtare primus retexi*, carent. At ſoliditatem coriaceam, & nodoſam non ſecus ac *lupiæ*, & ganglia duriſſima nactæ ſunt.

In harum altera cavitatem ovalem admiratus ſum, in qua calculus niger & durus, ut granum tritici ſecundùm longitudinem fiſſum, craſſus & longus, nidulabatur, ſed ad operationem noſtram redeamus.

Poſt integrum ſemihorium, quod in extirpandis duabus his carunculis conſumptum eſt, calculus ab omnibus, quibus veſicæ clavo veluti affixus erat obicibus, liberatus eſt: aliàs enim, niſi remota fuiſſent impedimenta, fruſtra forcipibus, tum aduncis, tum rectis, tentabatur; apprehenſionem uſque & uſque eludebat, quin forcipe ipſi incurvabantur, ſed tandem digitis eò intruſis, ut in placentæ ab uteri parietibus ſeparatione uſû venit, à vinculis quibus alligabatur, dexterè ſolutus eſt, atque ita totus apprehenſus, & ut par erat converſus, tandem eductus eſt.

Quòd ſi in hoc caſu repentè & primò aggreſſu expugnari non potuit, non ideò minori laude dignus D. Hieronymus Collot, cujus conſtanti ſolertia, ægri patientia non parùm adjuta, reclamantibus licèt omnibus, operationemque in aliud tempus differre ſuadentibus, audacter nihilo ſecius extractus eſt.

Si poſt cruciatus, & duratione, & gradu adeo enormes, patiens à *febre, ſingultu, vomitu, tuſſi, delirio, abdominis inflatione, gangræna* & aliis id genus peſſimis anguriis, immunis ſit, erit quo Deo benedicat: ſed partibus illis membranoſis ferro divulſis & devaſtatis, aërique tam diù expoſitis perniciosa fore, ut non accidant ſymptomata, in ſe potiſſimum, cujus vires tam longa, tamque dolorifica operatione exolutę, vix mihi perſuadeam. Neceſſaria tamen omnia ex arte peragam, rem totam, de cætero, ſupremo vitæ & mortis arbitro committens Pariſ. 28. Augusti 1663. ex traductione Autorum *Bibliothec. Anatom. Tom. 1.*

Ejuſdem ad eundem epiſtola poſterior.

Veſica, ejuſque caruncularum, tartari &c. deſcriptionem continens.

Pretioſæ benevolentiæ tuæ notas, eo quo debebam grato animo, accepi, vir ampliſſime, iis non meliùs reſpondere queo, quàm continuatione hiſtoriæ, cujus progreſſum & finem adire tantopere geſtis. Omnia cum prognoſtico meo perfectè quadrant: uno verbo: nè te anxium diutiùs detineam; bonus ille vir 24. ab operatione die, 65. ætatis anno, fato functus eſt.

Suppurationem tam lento gradu venire ægrè admodùm ferebam, undecima enim dumtaxat die, idque adeò parcè & leviter ut nullus inde ſpei radius affulgeret, apparuit. Varia ad paucitatem & tarditatem, illam conferebant; namque urina quæ copioſè & jugiter à vulnere manabat, unà cum frequentibus noſtris injectionibus, partes omnes inciſas indeſinenter lavabant, ac proindè laudabilis ſuppurationis materiam ſenſim auferebant. Adde quod calor nativus à ſpirituum exhauſtione debilitatus, in operatione adeò moleſta, & longa, nullam digeſtionem in partibus illis nervoſis, & à vitali ſcaturigine remotis, facere poterat, in ſene potiſſimum, qui ventriculum ſuum plus ęquo onerabat, & qui à tuſſi pertinaciſſima & moleſtiſſima, ſine intermiſſione, affligebatur: etenim præter ſenſibile ſtilicidium humoris cujuſdam viſcidi & copioſi tuſſim irritantis, ejus pulmones violenter aliundè ſuccutiebantur; partim, ſcilicet ab humore alio, in bronchia altiùs jam adacto, partim etiam propter admirandum pulmonum cum veſica conſenſum, qui nervorum è cerebro & ſpina ortorum utrique parti communium, atque hìc inciſione læſorum, ope fit. Eò res redactæ erant, ut ſi hinc aliquot temporis momenta, malaciâ frueremur, procella illinc diu & cum maximo impetu nos agitaret: Siquidem vix tuſſis graviſſima ceſſaverat, quum alvi fluxus, quo vires, multò magis ab ipsâ pulmonum commotione, deterebantur, ingruebat. Duo illa ſymptomata ſimul in ægri perniciem dixiſſes conſpiraviſſe, ſibi enim mutuò ſuppetias ferebant, nec ab uno eorum liberabatur patiens, quin ab altero illico etiam vehementiùs vexaretur. Verùm comparatione factâ, tuſſis diarrhœâ crudelior hoſtis erat, cùm illa ſomnum exulare juberet, vulnus irritaret, ab eoque calorem omnem naturalem & amicum diverteret, ut illius loco ignem extraneum & pernicioſum introduceret; prçter quam quod ſputa adeò viſcida erant, ut nulla arte incidi aut detergi poſſent: diarrhœa verò; etſi vires proſtaret, pectus, ex parte ſaltem, levabat & univerſalis evacuationis loco erat.

Cor nullatenus affectum videbatur, niſi reſpectu febris; quæ per vices vehementer accenſa, non parum negocii mihi fatiſcebat; incendium enim ſi medicamentis & alimentorum ſubductione extinguere conarer, nativum partium omnium ignem manifeſtè ſuffocabam. fortiori itaque cedendum erat, multùmque de mea ſeveritate remittendum, quia defuncti voracitas ordinaria me diætæ limites tranſgredi cogebat: imò febrem ſenſibiliter imminui, quotieſcumque paulò largius comederet, obſervabam; quippe cibus ingeſtus calorem illum igneum & deſtruentem, à quo alioquin conſumebatur, occupabat.

Non multùm ſitiebat, & ex quo tuſſis inducias quadantenus dabat diarrhæa quominus dormiret non obſtabat; ſomnum enim ſoluta alvus, ſeu oleti lectum inquinantis frequens excretio, non interrumpebat; Paucus autem ſomnus ipſi manifeſtò proficuus erat, excitatus ſiquidem, validior ſemper, & omnibus ſenſibus liberior apparebat. Sed ad Cyſtotomiam redeamus,

A Primis diebus abdomen tenſum admodum, ſcrotumque ſero turgidum erat plures & in eo ecchymoſes apparebant. At cùm hęc ſymptomata hujuſmodi operationem frequenter ſatis ſubſequantur, ad ea minùs attendebam quàm ad vulneris labia, quæ penitùs livida, ſicca, & ſenſû privata (non tamen dura in ambitû, aut calloſa, quanquam ſubtumida eſſent) apparebant. Varias olei roſati ſuprà infimum ventrem & ſcrotum embrochationes, variaſque ex vino albo, ſpiritu vini, ariſtolochia rotunda, myrrha, aloë, & theriaca injectiones pro vulnere præſcripſi. Unde, Deo benedicente, totum abdomen, totumque ſcrotum priſtino ſtatui reſtituta. Quin ipſa Eſchara, forficum cuſpide leviter amota, à vivo abceſſit: non ſecus ac cauterii cruſta à carne ſubjecta decidit. in undecima tum verſabamur die; tumque, duntaxat, ut jam ſuprà dixi, ſuppuratio primùm viſa eſt. Ablatâ hâc nigrâ & inſenſibili, vividus color, ſenſus exquiſitiſſimus in vulnere deprehendebatur. Interiora non ita ut priùs abdita erant, cannulæ, & forcipes haud ita ægrè introducebantur; quia nimirum, Eſcharâ delapsâ, vulnus longè apertius erat, quàm dum ipſius labia craſſis illis cruſtis obducebantur. Caruncularum etiam in veſicâ relictarum corpus flacceſcere, atque earum radices ſuppurari incipiebant, adeò ut multò minùs, quàm antea ſpatium occuparent. Imò ſex ex illis diverſis diebus exivetunt, quo factum, ut tantò faciliùs in vulneris fundum penetraremus; fœtidiſſimum odorem omnes hæ carunculę ſpirabant. Eas tamen diligenter luſtravi. Duabus primis, ſuprà deſcriptis non erant abſimiles, niſi quod hæ nullum includerent calculum, ſed tartaro albiſſimo, & duriſſimo (in nonnulis locis, veluti totidem colliculi prominentes) incruſtarentur.

Poſtquam duarum eſcharарum, ſexve caruncularum delapſus ſpatium mihi dediſſet, oculis veſicam luſtravi, & profunditatem ejus penetravi, in eaque multa corpora rotunda, confuſè accumulata, obſervavi totidem carunculas (cùm enim digitum, ne patienti horrorem incuterem, intro adigere non auderem, rectiùs judicare non poteram) credebam, atque earum, ut in ſex prioribus videram, ſuppurationem expectabam. Verùm Etſi ægro meo diligentiſſime, & juxta omnes artis canones, medicinam fecerim, mihi, nihilominus ſeciùs, nudius tertiùs, veſperi, ereptus eſt.

Abdomen lividum, peritonæum lividius, at omentum lividiſſimum erat, duoſque ut id obiter dicam, craſſos tumores in inguinibus formabat, quos hîc Epiplocelas, eodem jure ac ſi in ſcroto fuiſſent, nominarem. Verùm uſus tyrannus eſt, eique ideo me ſubmitto.

Totum cadaver impenſe fœtebat, renes nihilominùs, & quæ ab iis pendent, examini ſubjeci: ſed cùm in duobus his urinæ cribris nihil ſingulare obſervaverim, ad veſicam tranſeo. Ejus membrana interna lęvis omninò, & integerrima erat, nec ullatenus dilacerata, vel ulceribus eroſa, niſi quo in loco inciſa fuerat, toto ſcilicet cervicis ipſius tractu, & profundiùs in extremitate ureterum.

Accurato hoc examine, tam ii qui ulcus in veſica antequàm incideretur, fuiſſe putabant, quàm qui veſicam in operatione dilaceratam credebant: mendacii arguuntur. Nam præterquàm quòd nullum hîc ulceris præcedentis veſtigium nobis apparuit, defunctum nullas unquam urinas purulentas, ſed vel ſimpliciter omphacium colore referentes, vel inſtar albuminis ovi viſcidas & tenaces excreviſſe certum eſt. Ulcus autem ſine pure imaginari non poſſum. ſi etiam veſica in operatione perſtricta & lacerata fuiſſet, vel forcipes, vel calculus ipſe fibris vel laciniis onuſti viſi fuiſſent: addo horrores vehementes, febre & delirio ſtipatos, convulſioneſque horrendas, quales ſępiùs in his caſibus vidi, ægrum dubio procul à tertia die, è medio ſublatura fuiſſe, nec poſſibile nobis futurum tandiu procraſtinare, & cum fato, cujus diem factam ad 24. uſque diſtulimus, litigare; ſed ad cadaver redeamus.

Veſica quanquam interiùs lævis, pluribus in locis nodoſa, & inæqualis etat tuberculis nempe, duris, & calloſis hinc indè prominentibus, (quales ſunt manuum calli, aut pedum clavi, vel potiùs ganglia circa nervos) ſcatebat. Dura enim illa & prominula corpora, ſubſtantiam admodum compactam, & in ſoliditate æque ac in albedine ſuâ uniformem nacta erant.

Cæterùm V. A. Materiæ cujuſdam albę, grumulis refertæ, & ut tartarum album friabilis, cumulos, cum ſingulari attentione expendendo laſſari non potui, quod verò admirationem meam omnino ſuperavit. Tartarum illud Scirrho veſicæ ſubſtantiæ non tantùm aggeſtum, ſed cum ea veluti ferruminatum erat. Verum Tartarum cùm dolii veteris aſſeribus arctiùs non unitur, quam mucilago hæc petrificata his veſicę callis agglutinabatur; adeò ut eam ſine dexteritate, & violentia divellere non potuerim. Tota veſica mihi ſpecum, ſeu potiùs fodinam, è quâ lapides aut mineralia eruebam, repræſentabat. Et revera fæcunda erat fodina, quæ novos lapides perpetuò produxiſſet, recenſque in horrida illa rupe cæſum in dies auxiſſet.

Hic non ſubſtiti, V. A. quin oculis vidi, & digitis tetigi, id quod non paucis, qui in iis quę ignorant cæteris doctiores haberi volunt, pro figmento eſt. Caruncularum nimirum adhæſionem, & connexionem, quas nec in propria matrice unquam videram, nec â narivo ſolo unquam evulſeram, obſervavi, eæ primo intuitu, balani canis πρὸς ὄχειαν ὀργῶντος ideam, in imaginatione mea excitarunt; at, paulò poſt, illas honeſtiùs & forſan aptiùs cum uvula, ſeu, gurgulione, vel potiùs cum corde pulli gallinacei comparavi. Quærat, ſi lubet, Vir Ampliſſimus comparationrm minùs claudicantem. Rem clare jam deſcribam.

Præter Callos & tartarum veſicę, corpuſcula quædam rubra, & firmiſſima vidi quæ in baſi lata erant, paulatimque anguſta evadebant, donec in acumen coloris vividi, & rubentis deſinerent: acumen illud nullibi adhærebat, baſi verò veſicæ arctiſſime alligabatur innumeris fibris, quæ, ceu totidem radices, corpuſculis his vitam & nutritionem largiebantur. Qualemcumque. ea ut ſine veſicæ detrimento extirparem, adhibuerim diligentiam, incaſſum laboravi, eorum enim radices vivæ, & profundæ erant, illa tamen ſcriptorii ſcalpelli cuſpide avulſa, in ſpiritû terebinthinæ conſervo.

Singulare quid, præterea, quod ex auditione tantum noveram, at oculis nunquam uſurpaveram, admiratus ſum; maximam ſcilicet copiam corpuſculorum extraneorum; quæ inter veſicæ fibras ita irrepſerant, ut indè admodum tumens & ſcirrhoſa eſſet, veſicam, utut tribus, conſtantem membranis; naturaliter tamen ſatis tenuem, & flexilem eſſe, atque ubi, non multum extenſa, nec multùm contracta eſt, vix ad dimidii coronati argentei craſſitudinem accedere, prætereaque ductilem omninò eſſe meliùs me nemo novit. V. A. Hæc tamen, miſſa omni hyperbole, & ſecundùm menſuram juſtam, 15. lineis Geometricis, quæ pollicem unum cum quadrante conficiunt, craſſa erat, illam mulieris prægnantis, vel quę recenter pepererit, utero aſſimilavi, cum hoc tamen diſcrimine, quod hæc veſica adeò firma & dura, in toto ſuo corpore, erat, ut cornu ad ignem emollitum referre videretur. Eam ſanè nec comprimendo minuere, nec trahendo extendere quitus ſum; uterus verò licet à graviditate tumidus, mollis adhuc eſt, digitiſque cedit.

Veſicam

Veſicam iſtam, tranverſam incidi, ejuſque interiorem ſubſtantiam vaſis, infinita, diverſę magnitudinis perſpicilla, admittentibus, trajectam offendi. Quantumvis igitur dura eſſet, poris & canalibus ubique perforata erat: Durities enim neque numerum neque magnitudinem pororum, aut meatuum excludit; noſtra ſiquidem Diploë, noſtræque Epiphyſes (ut pumices, & corallia taceam) de duritie, æque ac de poris, certatim diſputare videntur.

Quemadmodum vaſa ſpermatica & Hypogaſtrica uteri, juxta embrionis incrementum, inflantur, & craſſeſcunt; ita venas & arterias veſicæ hypogaſtricas, ut carunculis alimentum (quod inde tanquam è placenta uterina, hauriebant) ſuppeditarent, omnes dilatatas, atque expanſas fuiſſe putavi.

At cùm viderem tot canaliculos earum numerum ordinarium longè ſuperare, id ita contigiſſe credidi, quia ſcilicet ſinguli capillarium vaſorum ramuſculi, ob exilitatem oculorum aciem in ſtatu naturali fugientes, plurimum in hoc ſubjecto intumuerant, ut miſeræ huic matrici, ſanguinis proventum ſolito uberiorem adveherent.

Finire non poſſum V. A. Quin priùs veſicam iſtam, imminutam ſimul & auctam fuiſſe, annotem. Extendi enim non poterat, ut ſana, ad juſtam urinæ quantitatem continendam, ſolebat. Contrahi item non potis erat, ut contrahebatur, prius quàm tot lapillis, tartaro, callis, & carunculis impediretur. Poſito etiam eam, enormem, de qua loquutus ſum, craſſitudinem non ſortitam fuiſſe, contentumque fibrarum ejus naturaliter ſe habuiſſe; ut priùs tamen agere impoſſibile ipſi erat; ſiquidem fundum tot extraneis corporibus, illam, dum conſtringebatur, ut urinam expelleret, lædentibus, refertum erat.

Imò putaverim Carunculas illas potiſſimum quarum viventem truncum reſecui, cùm animatæ, & ſenſu exquiſitiſſimo præditæ eſſent, dolorem inter meiendum, intendiſſe; quippe quæ tunc temporis omnes invicem colliderentur, omnium ſiquidem capita ſibi invicem occurrebant, vel mutuò irretiebantur.

Paucis ut abſolvam, matricis harum caruncularum, & capacitatem & craſſitudinem tibi meliùs repræſentare non potes V. A. quàm ſi digitorum apices jungendo, gallinæ podicem imiteris, tum eos, hoc modo junctos, quàm maximè fieri poterit, ad volam, & radicem manûs adduxeris, cavitas quam efformabis, veſicæ capacitatem referet; At digitorum, & præſertim metacarpii, craſſitudo, ejuſdem veſicæ (à me diverſo modo inciſæ, & in oleo terebinthinæ limpidiſſimo conſervatæ) craſſitudinem denotabit.

Nullus dubito, quin longior hæc Epiſtola patientiam tuam fatigaverit. Ego verò ad te ſcribendo, nondum laſſatus, ſum, ſed urget tempus, meque concludere cogit. &c. Paris. 22. Septemb. *1663. Ex traduct. Auth. Bibliothec. Anatom. Tom. 1.*

Calculus Renum.

Plumarum venditor emortuus ob renum ac pectoris vitia, habuit in utroque rene, inſignem calculum: diſpergentem ſe quadruplici ramo, inſtar crucis per univerſum renem: adeò ut non potuiſſet inde eximi, niſi decerpſiſſes fruſtulatim totum ipſius parenchyma. Viderint igitur illi, qui ſatis ſpecioſè docent, ex inciſis renibus calculos eximere: quàm turpi ignonomię proſtituerent & ſe & artem ſuam; ſiquidem aliquando inciderent in calculum tam firmiter renibus innatum. Sed in thorace vidimus, tres aquæ libras, pulmonem coſtis adnatum, & cor, non tantùm pericardio ſuo deſtitutum; ſed exprimens prǽterea, extima ſui parte, naturam palleſcentis ſevi. Quem colorem ipſi, procul dubio, impreſſerat aqua in thorace contenta uti luce clarius videre eſt, in eorum muſculis, quos occidit, vel λευκοφλεγματία, vel, ἀνασάρκα *Nicol. Tulpius Obſerv. Medic. lib. 2. cap. 44.*

Calculus vreterem obturans.

Quàm utile foret ægris, quemcunque curari, tam glorioſum utique eſſet Medicis ſingula futura prædicere, ſed latent ſæpè penitiùs morbi; & pertinaces ipſorum cauſæ, adnectuntur nonnunquam arctiùs corpori, quàm ut poſſis ſemper, vel infallibiliter præſagire eventum, vel integrè expellere qualemcunque morbum.

Margareta Nicola, vidua quadraginta annorum, infeſtata aliquandiu, à dolore lumborum, procidit tandem in crudele calculi renalis tormentum, cum vomitu, febre, menſtruis inordinatis, urinæ difficultate, & interdum tantâ ejus ſuppreſſione, ut totos octodecim dies, nihil lotii reddiderit: unde excitabatur ipſi, ex ſero ſurſum recurrente, primùm ſopor, ſed mox tam gravis nervorum contractio, ut cogeretur vitam cum morte commutare.

Diſſecto autem cadavere apparuit ren ſiniſter, ut extrinſecus lividus, ac tumidus: ſic intus frequenti aquâ, & pluribus calculis infarctus. Quorum maximus inſinuaverat ſe, aucto ſuo apice, tam longè in ureteris principium: ut id integrè occluderetur; neque permitteretur illac deſcendere quicquam lotii; licet potui darentur plurima aquam ducentia.

Baſi enim cùm foret latiore, quàm ut permearet commodè, anguſtum hunc ductum, neceſſe fuit; quò plus urgeretur ab affluente ſero, tantò quoque impenſiùs intercludere tranſitum urinæ à renibus deſcendenti. Præſertim cùm oppoſiti renis ureter, non minus utique occluderetur, à latiore aliquo lapide, inſtar operculi, ipſius principio impoſito. Quæ duo obſtacula conſpicuè omnibus oſtenſa, vendicarunt artem ab ignominia; & inculcarunt efficaciter.

Non eſſe in Medico, ſemper relevetur ut æger.

Sed dicat quis: quem terminum ponunt Medici, morti exſurgenti à ſuppreſſo lotio? annon alios citiùs, alios verò occidit tardiùs? valentia corpora ut interdum excurrunt diem vigeſimum: ſic attingunt infirma vix ſeptimum, vel octavum. Certum eſt, aliquos duraſſe ad undecimum; & tamen ex toto iterum convaluiſſe, ſed poſt illum diem, equidem certè vidi neminem enavigaſſe, periculoſum hoc ſyrtium æquor.

Quamvis enim cedat dolor, & fluat iterùm lotium; reddidit tamen diuturnior illa mora urinam interea loci, uſque adeò acrem, & veſicam ita effœtam: ut nè præſtantiſſima quidem medicamenta poſſint ab interitû vendicare naturam, hâc ratione, non fictè ac ſimulatè, ſed plenè emortuam. *Nicol. Tulpius Obſ. Medic. lib. 2. cap. 45.*

Renum & veſicæ ulcus cum veſicæ calculo.

Adoleſcens unde vigeſimum annum natus à longo tempore de vehementi dolore circa renis ſiniſtri & veſicæ regionem, cum vomitu aſſiduo, & dolorifica urinæ excretione queſtus, moritur.

Abdomine aperto ingens fœtor apparuit. Exteriùs in ſuperiore veſicæ parte inſolitus unus pugnum adæquans, fuit: in cujus membranis, pus concluſum ren ſiniſter plane exulceratus purulentum illud in veſicæ ſinum depoſuiſſe videbatur. In ipſa veſica pro urina calculus rotundus, & nimis aſper ſeſqui unciam pendens. Interior tunica exulcerata.

Ab obſtructionibus in renibus, aut veſicæ membranis, inflammatio: ab inflammatione ulcus unde & dolor. Vomitus ei obortus eſt, quia nervi intercoſtales cum renibus & veſica magnam connexionem habent, adeò ut ſi nervi renales convellantur, etiam & ventriculi. Veſicæ textura ex duabus tunicis tendinoſis ſeu membranoſis conſtat: intra cujus duplicaturam binæ fibrarum muſculoſarum ſeries invenitur: quibus inflammatis pus facilè intra tendinoſas tunicas effundi potuit, unde ſacculus purulentus. Calculus annè in veſicâ, an verò in rene cretus ſit dubitandum: credo tamen eum à rene primò deſcendiſſe & in veſicâ augmentum ſumpſiſſe, qui & veſicam fortè nimis irritans ad inflammandam adegit. *Stephan. Blancard. Anatom. pract. ration. Cent.* 1. *Obſ.* 43.

Calculoſus ſenex apertus.

Senex ultra ſexaginta annos natus, ſæpè febricula, apepſia, virium imbecillitate &c. corripitur. Tandem odioſæ tædia vitæ depoſuit. Inſpecto abdomine veſica calculum pyriformem continebat, admodum ductum, ac in medio pervium, per illud foramen urina exitum habebat; quatuordecim uncias pendebat. Mirum, eum per totum vitæ ductum nunquam de calculo, dolore, gravitate aut ſuppreſſa urina quæſtum fuiſſe.

Ob perforatum calculum, urina nunquam ſubſtitit, ideoque à doloribus maximis liber fuit. Cæterùm non à calculo, verùm ex ſcorbutico ſanguine tandem obiit. *Stephan. Blancard. Anatomic. practic. ration. Centur.* 1. *Obſervat.* 94.

Calculoſi diſſectio

Calculoſus à febri lethali extinguitur. Hic bis decem ante annos de dolore laterum intolerabili conqueſtus eſt, viſcoſa ſæpe per diureſin excrevit. In cadavere exenterato ren ſiniſter fuit conſumptus, verùm ejus loco calculus ramoſus inventus: dexter fuit colore magis citrino, & ſubfuſco, uretheres admodum capaces. Veſica diſtenta, & hydatidibus obſeſſa, magnum continens caculum. Ventriculus ſanguine concreto exteriùs aſperſus. *Stephan. Blancard. Anatom. pract. ration. Cent.* 2. *Obſer.* 82.

Calculoſi Anatome.

Cujuſdam, qui diù laboraverat calculo, cadaver aperitur, in cujus veſicâ ſeptem reperti ſunt calculi nucis moſchatæ majoris magnitudine, ita ut ſimul ferè libram mercatoriam æquarent. *Stephan. Blancard. Anatom. pract. ration. Cent.* 2. *Obſerv.* 96.

Ex calculis in urethere hærentibus, iſchuria lethalis.

Quàm deplorabile malum ſit veſicæ calculus, nemini ignotum; multò tamen adhuc crudelior affectus, calculus renum, ſi tantæ ſit magnitudinis, ut ureterem tranſire nequeat; quia in hoc caſû nil valet ars Medica, nil quoque Chirurgia prodeſt. Exemplo ſit Chirurgus quidam Amſtelodamenſis anno 1682. qui à longo tempore nephriticus, multos calculos excreverat: demum in iſchuriam ſpuriam incidens [à quo ſemicupii beneficio ſemel liberatus à nobis fuerat paucis ante diebus] & vehementiſſimis ventris, crurumque doloribus, & vomitû materiæ nigricantis, correptus, vitam tandem cum morte commutavit.

In cadavere aperto, reperi præter duos calculos in rene dextro, unum in uretere ſiniſtro magnitudine & forma olivæ exiguæ, cujus ſuperficies innumerabilibus calculis & arenulis obſeſſa erat, qui omnem tranſitum urinæ denegarunt.

Pars hujus uretheris ſuprà calculum, propter calculorum tranſitum admodum erat dilatata, infrà eundem verò naturalis capacitatis, aſt rubicundior juſto ab inflammatione excitatâ. Renem ejuſdem lateris monſtroſæ magnitudinis, ut & uretheris maximam partem aqueo humore obſeſſum inveni; cujus liquoris motum ſæpiſſimè percepit æger, quum ſeſe moveret, ut nobis indicabat *Frider. Ruyſchius Obſerv. anatomico-chirurg. p.* 20.

In Puello trienni calculi inſolitæ magnitudinis.

Pullus tres annos præter propter natus, plus quàm quinquaginta calculos excreverat, inter quos multi fuere magnitudine piſi minoris, ex relatione Domini Doctoris Bronckhorſtii Medici Amſtelodamenſis, dum viveret, celeberrimi. Quantis cruciatibus miſer ille fuerit vexatus, facilis eſt conjecturæ; neque ceſſarunt. Aperto dein cadavere, inveni renis ſiniſtri pelvim admodum dilatatam, calculoque ingentis magnitudinis (pro ratione ſcilicet ætatis, quamobrem hanc recenſere hiſtoriam mihi animus fuit) obſeſſam. *Frider. Ruiſchius.*

De inſignibus renum calculis.

Infans trimulus, ortum ducens à parentibus nephriticis, ſtatim poſt partum magnâ vexabatur ſiti, præprimis noctu: acceſſerunt tormina ingentia, cum diarrhœâ, & magnâ virium proſtratione: dejecit autem ab initio ſeroſa bile mixta; ſub finem verò merè ſeroſa & albicantia inſtar lactis coagulati, albumine ovorum ſimilia, appetitus tamen nunquam proſternebatur: annum agens dimidium, incepit gradiri, incuriâ verò ancillæ factum eſt, ut in ſpinam dorſi caderet: ancilla tandem malum quod evenit confitente, de vertebrarum lumborum luxatione metuerunt parentes, remediiſque decentibus, faſciatione præſertim hunc in finem uſi ſunt: nihilominus tractû temporis pedum quaſi paralifi laborare videbatur: caſum hunc in miſello octo ſeptimanas poſt excepit febris continua, ex quâ vires quidem recepit, perſiſtente tamen toto ætatis decurſu atrophiâ totius corporis, pedum maximè. Tandem motus inordinatos in ipſo animadverterunt parentes, unde noſtram opem implorarunt: vocati antiepilepticis pugnavimus, iiſque quæ nervoſum genus demulcent, quibus licet ceſſare primùm convulſiones viderentur, poſt octiduum tamen recurrerunt. Ab hoc tempore obſervarunt urinam parciùs fluere, & nonniſi magno cum dolore, quem geſtibus patefecit, uſque dum erumpentibus unà exanthematis ac puſtulis ulceroſis, convulſiones ingraveſcentes, miſellum interemerint.

Licentiâ à parentibus nobis factâ, cadaver præſentibus aliquot viris præſtantiſſimis, quâ licuit diligentiâ luſtravimus. In infimo ventre, ventriculum cum inteſtinis inflatum deprehendimus: hepar naturalis magnitudinis & mollitiei, niſi quod color ad p. n. parum acceſſerit. Veſicula fellis copioſâ bile diſtenta fuit: lien naturalis, epiploon verò conſumtum. Meſenterium glandulis præditum albicantibus, mollibus iiſque plurimis. Ren dexter naturalis erat, nihil in ſe continens alieni; in rene autem ſiniſtrò deprehendimus materiam ſabuloſam, carunculis papillaribus inerrantem; ad ipſum autem ureteris oſtium calculus ſitus erat oblongus, acuminatus ſilicis duritiei, membraniſque tenaciter involutus, adeò ut lancettâ ipſum ſeparare neceſſe habuerimus: in ventre medio pulmones putridi fuerunt, & corrupti, abſque tamen materiâ purulentâ. *Joan. Jac. Harder. Apiarii Obſerv.* 58.

De

De Calculo renali lumbos perforante.

Quod ſi auxiliares Chirurgorum Medicorumque manus operanti naturæ, quam *Joan. Bapt. ab Helmond Archeum* vocat *lib. de Aurora* §. 3. & 4. ſuccurrerent magis, quàm, imprudenter, imò ſæpius ex inſcitia, fieri obſervamus, plures ſanitati reſtituerentur ægrotantes, quàm nunc ſepulturæ exhibentur.

Franciſcus de Haas, Juvenis temperamenti boni, aſt, ob continuos dolores, quodammodo ſiccioris, ab anno ætatis decimo ſexto ad trigeſimum octavum gravi dolore nephritico, & urinæ excretione purulenta, laboravit, varia ad doloris mitigationem, arenularum excluſionem, ulceris renalis curationem, adhibita, magno cum ſucceſſu, remedia, etiam fonticulus in femoris parte interna ad genu productus, quo hoc effectum, quod & dolor per aliquot annos remiſerit, & urinæ excretio purulenta.

Anno uno cum dimidio ante obitum ſubitò recidivam paſſus eſt æger, quæ gravis adeò ipſi fuit, ut ſceleto magis quàm homini ſimilis videretur. Undè Medicis *Tabe dorſali* eum laborare probabilius viſum, quàm renum exulceratione, Antifebrilia hinc omnis conditionis exhibuerunt, lumbiſque linimenta appropriata applicarunt.

At provida natura affectum hactenus occultum brevi manifeſtum reddidit, dolore afficiebatur intolerabili lumborum parte infimâ, proximè ad oram oſſis Ilium, ſine omni protuberantiâ, intumeſcentiâ, aut craſſitie; quæcunque applicabantur *Emplaſtra*, aut *Cataplaſmata*, *Anodyna*, *Attrahentia*, nihil effecerunt. Tandem *tuberculum*, fabæ magnitudinis, rubicundum, inferiore magis loco, ac ille qui doloris, ſe exhibebat. Hoc cultro acutiore aperto puris viſcidi, cinerei, aliquomodo fœtidi, plus quàm libra ſemis effluebat, & hæc puris dicti evacuatio, licet non ſemper eâdem quantitate, ad vitæ finem perdurabat.

Excretio hæc purulenta controverſiis variis inter Medicos Chirurgoſque occaſionem dedit. *Fuerunt* qui purulentam hanc materiam *ab occipite* deorſum ad foramen ſtatuerunt, eamque, antequam perforatio à nobis inſtituta, collectioni anſam dediſſe. Sententiam hanc confirmabant plurimum quæ à fratre ægrotantis *Theodoro de Haas*, *Conſiliario*, proponebantur. Hic ante biennium dolore cervicis, capitis, lumborumque, longo tempore laboraverat, qui Empyemate terminabatur, ſimilem affectum etiam in hoc ægrotante dari, & ſibi & nobis perſuadere conabatur, maximè cùm etiam purulenta quædam, ſanguini ſæpius mixta, quandoque expectoraret, Aſthmaticus ſatis; magis ea-propter pectoris pulmoniſque rationem haberemus, quàm dorſi, lumborum, renumque, rogavit, curationem certam, qualis integra obvenerat ſibi, etiam fratri promittens.

Medici *Alii* nobiſcum nullam partem aliam internam accuſari hîc debere crediderunt, quàm *renem dextrum*, hujuſque læſionem doloris in ægrotante cauſam eſſe, idque magis, quòd accurata obſervatione notatum eſſet, puris copiam in urinali recepta imminutam eſſe, quoties ejus per foramen factum evacuatio largior. Imò credibile omninò nobis habebatur, ulcus purulentiam exhibens, ſupra muſculum glutæum majorem, ad oſſis ilii dorſum ocurrens, ex pure, à rene dextro ad muſculum ſerratum & ſacrolumbum deſtilante, ortum fuiſſe.

Concludebamus adeoque, ægtum noſtrum *Calculo renali cum exulceratione laborare*, licet pulmonum malam conſtitutionem adeſſe haud negaremus, naturamque, morborum ſæpè medicatricem, perforatione aliqua puri exitum procuraſſe, qua de re legi poſſunt quæ habentur apud *Fontan. exemp.* 42. 117. *Tulpium Obſ.* 4. *cap.* 27.

Antequam finem imponeret vitæ æger noſter; præterquam quod dolores dorſi, lumborum, pectoris, & ſtomachi, graviſſimi valdè debilitarent, febri correptus eſt continua ardente, cum vomitu purulento continuo; ad hæc tincturam benedictam propinavimus, at ſine notabili ſucceſſu. Agonizans ut Deo omnipotenti animam, ſic medicis Chirurgiſve corpus obtulit.

Aperto cadavere, præſentibus *Ampliſſ. Dn. de Haas Conſiliario*, fratre defuncti, Viris celeberrimis *Dn. Guilielmo Piſone*, *Dn. Franciſco vander Schagen*, *Medicis* & *D. Georgio van Loon*, *Chirurgo*, variiſque aliis, *Pulmonem* invenimus ſanum, ſine ulla inflammatione aut purulentiâ parvum & mollem.

Ventriculo puris cinerei, & aliquo modo fœtentis notabilis ſatis copia continebatur.

Hepar bene ſe habebat, niſi quòd convexa ejus pars inflammationis notas exhiberet.

Ren ſiniſter ſatis benè conſtitutus, at *dexter* in totum conſumptus, locum ejus occupante materiâ calculosâ, cui hærebant calculi aliquot, quorum maximus, dorſi exulceratione præmiſſâ, viam ſibi loco ulcerato, fecit, penetranre parte acutiore, relictâ intra coſtas ſpurias parte ampliore.

Diſſectio hæc docet nos, muneris noſtri eſſe naturæ providæ ſuccurrere. Quod ſi apertio quædam à nobis fuiſſet inſtituta loco altiore, eo ſc. qui renum eſt, qualem inſtituiſſe *Hildanum*. legimus *obſ. parte ſextâ in Magdalena Bis*, ſiniſtro licet ſucceſſu, non dubito quin calculum majorem extrahere licuiſſet.

De Calculo ureterem renis dextri obturante.

Diſſectio cadaveris *Magdalenæ van de Graaf* valdè contriſtavit non ſolùm Medicos Chirurgoſve, ſed & adſtantes alios, conſanguineos, amicos, quod, ejus ope, contemplari liceret, & interiorum viſcerum conſtitutionem viſam miſeræ vitæ authorem, & curationis impoſſibilitatem.

Quod enim cadaveris hujus apertionem aggreſſus fuerim, non ſolùm deſideria fecerunt medicorum variorum, qui ægrotanti manus auxiliares præbere omni ope allaborarunt, ſed & noſtra: ſic enim fore nullus dubitabam, quin cujus conditionis hoſtis ille fuerit, qui miſerè adeò hactenus vexaverat demortuam, quævè cauſa, quod, quæcunque magno numero, uſurpata media, nihil omninò luminis attulerint conſtare queat.

Non unius ſed duplicis hoſtis inſultus ſuſtinere, coacta fuit ægra noſtra, quantùm ex ventris imi apertione notare licuit.

Diſſectis *Ventris integumentis communibus*, *muſculiſque abdominis dictis*, *peritonæum* occurrebat durum valdè, imò *cartilaginoſum* omnino, forſan, quo aquæ graviori ſuſtinendæ commodius inſerviret; per annos enim ſex aut ſeptem ex ſeri hîc collecti copiâ tumidum circumgeſtaverat ventrem. Imò intra peritonæi duplicaturam ſerum hoc in hac ægrotante collectum eſſe, ſententia medicorum variorum fuerat, jam antequam venter aperiretur.

Peritonæo diſſecto *ſeri* quantitas ea, quæ eſt *viginti quinque librarum*, effluit, haut ſane magna, ſiquidem comparetur quantitati illi, quæ in aliis ſolet obſervari, forſan quod vel per vias occultas, vel per ſeceſſum aut urinationem, imminutum fuerit.

Ablatâ hinc etiam aquâ eâ quæ in cavo ventris continebatur, *peritonæum* interiore ſuperficie nigrum obſervavimus, quaſi ſphacelatum.

Omentum nigrum itidem, & ferè corruptum.

Inteſtina corrugata, commaculata.

Hepar tuberoſum, grave, contractum, variis locis muco incruſtatum.

Veſicam bilariam tubera hepatis primò occultabant, aſt mox bilis exiguam quantitatem continens ſe exhibuit.

Ventriculus vacuus erat, laxus, muco obductus.

Lien exteriùs gravis, craſſus atque ingens, at interiùs & coloris erat boni & conſiſtentiæ debitæ.

Veſica urinaria urinæ nihil continebat, mucoſâ cruſtâ, ſimiliter ac partes reliquæ, obducta.

Hydrops hic imi ventris, ex triſtitiâ, levi à causa inductâ, ortum habens, ſubitò invaſerat ægram, unde varia hominum judicia effugere haud potuit, unò hanc, altero aliam ſubitanei hujus incrementi ventris cauſam adferente, & cùm vidua eſſet ſatis formoſa, annon gravida eſſet occaſio dubitandi multis data.

Potio Monachodamenſis ſutoris, valdè hîc loci decantata, calida, acriſve aquoſi humoris plurimum educebat, at febrem continuam ęgrotanti inferebat.

Poſt varia adhibita medicamenta, meam implorare cœpit opem ægrotans, quam in alio quodam ſubjecto à me inſtitutam viderat *abdominis paracentheſin*, in ſuo inſtituere ſummopere flagitans, ſic enim curari ſe poſſe ſibi perſuaſerat. At ego, operationis hujus incommoda exponendo, ab intento deſiſteret, effeci; aquam enim, ventre contentam, ſucceſſu temporis viſcera omnia, hepar, lienem, ventriculum, inteſtina, omentum imprimis, eo quod tenerum, pingue, facilisque corruptionis, corrumpere, adeò ut tonum naturalem amittant, imò tunicam eorum exteriorem variis locis vi ſuâ corroſivâ auferre, quale quid in brutis iis videmus quę in aquis diu detenta fuerunt, certum eſſe dixi, hinc metum eſſe, ſiquidem paracentheſeos ope educeretur, ventre contenta aqua, mucoſum viſceribus inhærentem, adhęrentemque magis acrem, fœtidumque humorem cumulari, eundem dehinc citiùs putreſcere. Diſtinguenda adeoque corpora eſſe eorum, docui, quibus ventris apertio inſtituenda; ut enim ſucceſſus aliquis, incertus licet, exſpectandus, ubi paracentheſis hæc peragitur in hydrope recenter oborto, viſceribus ab illuvie ſeroſa minus alteratis viribuſque corporis minus deſtructis, ita nullus, ubi inveteratum malum, interiora corrupta, vires deperditæ.

Videns ægrotans noſtra hoc auxilio ſe deſtitutam, annon aliud quid excogitari poſſit inquirere cœpit, ego, ne nihil egiſſe viderer, plauſtra medicamentis onuſta licet jam oblata, ad ſeri aliquam evacuationem promovendam *Veſicatorium* pedi dextro applicavi, *Emplaſtrum* itidem exſicativum & corroborans abdomini, loco tamen illi maximè cui ſubjacet hepar. Pręter hæc *conditum* ſequens ſingulis diebus, aut alternis magnitudine juglandis aſſumendum, confici curavimus.

℞. *Elect. Diaphœn.* ℥j. ß.
Rad. Jalapp. ʒj. ß.
Gutta. gamb. ʒj.
Macis gr. vj.
M. F. Conditum.

Multùm profuit, adeò ut Eccleſiam adire, tempore vario, concederetur, neutiquam tamen in totum ab illuvie ſeroſâ ventre congregata, variè mobili, adeoque nec reſpirandi difficultate, liberari potuit. Miſerè eapropter hoſtis hujus impetus ſuſtinere coacta uſque dum ſecundus, qui nephritis, acceſſit, ad cujus ablationem medicorum operam de novo implorare neceſſarium fuit.

Renes in cadavere, qui hoſti ſecundo januam aperuerant, extraordinariæ erant figurę, *dexter* imprimis, magnitudinis, craſſitieique excedentis, interiùs calculis nonnullis exilibus refertus.

Siniſtro infundibulum erat inſigniter amplum, à quo ad ureterem via ſatis patens; cui digitum inſerere indicem licebat, quale exemplum. *Pareus* adfert *lib.* 17. *cap.* 31.

Ureteris hujus in medio *calculus* hærebat teres, quem ex rene deorſum deſcendiſſe certo nobis perſuademus, quarto maxime ante mortem die, quo urinam largiter uſu medicamentorum excrevit, quæ jam per dies viginti tres (horrendum dictu) ſuppreſſa fuerat.

Conſideratione dignum, ex ſeri ſanguinis diuturnâ adeò retentione nullam cerebro inductam fuiſſe alterationem ferè quæ in tali caſu ſupervenire ſolet, adeoque ægrotantem, ſana mente, ſine ullâ extraordinariâ ſomnolentiâ, aut febre graviore, interiiſſe.

In anatòme noſtrâ procedentes, *Renem* acceſſimus *dextrum*, de quo non eſt quod multa hîc proponamus, alius enim hic ſe exhibebat *calculus*, cui æquiparandum proponit *Nobil. Tulp. obſerv. lib.* 2. *cap.* 45. differt tamen noſter ab eo qui *Tulpio* in *Margareta Nicolai* repertus, quod craſſior, & inſtar epiſtomii foramen vaſis claudentis renis pelvi impoſitus. Obſtaculum hoc ſimiliter ac illud quod *Tulpius* invenit, conſpicuè omnibus oſtenſum, vindicavit artem ab ignominia, & inculcavit efficaciter.

Non eſſe in medico, ſemper relevetur ut æger.

Supereſt hoc loco moneamus, inſecta ea *cantharides*, *millepedes*, *locuſtas*, *cicadas*, ſimiliſque conditionis alia, diureticis annumerata, non ſtatim ac urinæ excretio impedita eſt, uſurpanda, cùm plus ſæpius damni quàm commodi ægrotanti adferunt; eò quod ejuſmodi animalculorum minutiſſimo ſatis inſit virium etiam craſſiſſima, attamen fluxilia, mucum ſcilicet, calculos, arenulas, & ejus generis alia, ureteres tranſire valentia, penetrandi, expellendique. *Job à Meckeren. in Obſerv. Chirurg.*

Anatome Calculoſi ex infelici ſectione defuncti.

Clariſſ. Georgii Deihardingii, Miſcellan. Curioſor. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

VEl ex omni patre, Veſicæ calculo laborare tremendum eſt morbi & cruciatuum genus, ſive locum ſpectes, commodus ſatis eſt pro majori ejus incremento, id quo juga particularum ſeſe illi applicantium, continuò parit; ſive ſymptomata cogites, ſunt dolores intenſiſſimi, urinæ ſtillicidium moleſtiſſimum, agrypnia frequens, ſive eventum mediteris, cruciat non enecat, affligit non opprimit. lenta modò tabe corpus deſtruit, ſive medelarum genera conſideres, deſiderantur lythontriptica, liquores, qui in Veſica illum frangant, poſtulatis Medicis annumerantur, ſectio ipſo morbo gravior & periculoſior. Imò ſi & hæc admiſſa ſucceſſu deſtituatur, argumenta ex triplici conſolationum genere petita, nec animum miſeri, nec corpus recreant, non niſi terribilium terribiliſſimum ſolatio eſt. Confirmet modò dicta vir 36. circiter annorum è plebe natus, qui pet ſexennium, ex calculo Veſicæ, varia decantata medicamenta ſaxifraga ſine fructu abliguriverat, quando appuliſſe reſciſſens, Operarium Batavum, ſe calculos methodo planè recenti, tutò, citò, ſi non jucundè ſecare noſſe gloriantem, ſpem remedii omnem, in Lithotomia quęrere

quærere, & hujus ducis ſe manibus curandum committere intenſiſſimis cruciatibus tandem perſuadebatur. Die hinc negotio huic ſtatâ, præſentibus & Medicis, quos invitatos inſuper lubido inceſſerat, novum ſpectandi ſectionis modum, & Chirurgis, animo ultra proſapiam magno ſe ſectioni ſubmittit, nec minori animo Lithotomus, haud quamvis Methodô illâ novâ ſeu per nates (nec enim in quibusvis individuis hanc ſuccedere regerebat;) ſed cum apparatu, ut audit, majori illam aggreditur, vias parat calculo largiſſimas, eundemque, quem adeſſe digito explorabam, ad prodeundum ſollicitat admodum, ſed incaſſum: adeò calculi moles, apprehenſionem, durities contritionem cedentibus forcipibus negabat omnem, tantùm multis moliminibus fragmentum extrahebat, primum pollicis articulum æquans. Duraverant irriti hi conatus ultra quadrantem horæ, & Lithotomus molem calculi & carnoſitatem quandam in veſica obviam, ſua molimina irrita facere videns, ac conquerens, re infectâ, quicquid miſer hic Heros, qui omnem ferramentorum vim ſtoicâ patientiâ tulerat, regereret, & cum vitæ ſuæ diſpendio hoſtem interaneum protrahendum eſſe clamitaret, deligare vulnus & lecto ægrotum tradere cogebatur; Cognatis imò & ſpectatorum plurima parte ſecantis imperitiam, temeritatem, crudelitatem (taceo conviciorum genera & minas) culpantibus: Aſt qui proximius crudeliſſimis his laboribus adſtiterant, & Lithotomum ſe virum præſtitiſſe, obſervaverant; mitius ferebant judicium, & calculum illum, ſive quod propriis membranis ſit involutus, ſive mole ſua omnem ejus cavitatem impleat, in cauſa eſſe, ut labores in irritum ceciderint, judicabant. Non niſi mors, qua ſe potius quàm ſempiterno dolore multari optabat Patiens, hos conjecturarum nodos ſolvere poterat, quo ex luſtratione. Veſicæ impedimentum innoteſceret. Beabatur ille voto ſuo, die à ſectione 12ª. & placidè, diarrhœâ præviâ, expiraverat, cùm ſecundùm optatum plurimorum licentiam defuncti corpus reſerandi à cognatis nacti in eo eramus; ut quantum conceſſum, Veſicam ejuſque vaſa in lucem protraheremus, quo in tamen & locus minùs commodus & ſpectatorum turba inſolentior his ſacris parum aſſueta, non levi obſtaculo fuit. Protraximus illum tamen, quam Sphacelus in latero ſiniſtro jamdum notaverat, & reſectis tunicis, calculum non modò, ſed & aliud quoddam corpus offendimus, ille ſiniſtrum hoc dextrum latus occupaverat (*vid. fig.* 1.) Facili negotio eximebantur ambo; nec tunicis veſicæ adhærebant, Calculo pondus ℥viij. corpore adjacente ℥viiß. ſuperante, inſuper iſte incruſtationibus colore albicante conſpicuis, tribus in locis exornatus apparebat, externa facie ad ſimilitudinem renis humani (quem tamen magnitudine ſuperabat) accedebat. Foris giblum, intus ſinuoſum, ſinu calculi protuberantiam excipiente inſtructum, ſuperficies illi lævis erat, niſi quod hinc inde ex membranarum adhæſione aſpera; ſub tali habitu calculos deliteſcere, omnes pronunciabamus, & dum per medium findere eramus intenti, cultri verò aciem duriora quædam remorari obſervantes, magis in opinione firmabantur, quando diviſum corpus non calculos ſed oſſa continere ſtupentes experiebamur. Mira hæc metamorphoſis animum mox addebat, ſcrutinio hoc quicquid erat, ſubjicere, & cùm per loci anguſtiam non liceret, domi delatum examinare, nec ſine oblectamento diverſas illius ſubſtantias obſervare poteram, illa quæ peripheriam conſtituebat, membranarum inſtar molli ſerat, inferior pars cervicem veſicæ ſpectans ad collum accedebat, medium diſtinguebant oſſa granorum milii inſtar copioſiſſimè hinc inde ſparſa, quorum præ aliis bina promontoriorum inſtar magis prominebant; calloſam inſuper ſubſtantiam diſtinguebat fiſſura locum inferioris ureteris dextri ſpectans, per quem ſerum tranſiiſſe ſuſpicio eſt. Totam rem magis explicant ac ante oculos ponunt Figuræ.

Anatome Calculoſi.

Clariſſ. Georg. Chriſt. Petri ab Hartenfels, Ephemer. Germanor. Centur. 1. & 2.

NUpertimè exonteravi miſerum calculoſum, nempe Perilluſtrem quendam & generoſſimum Dn. Colonellum, Johannem à Morſtin, qui per quatuor annos & quod excurrit, horribiles paſſus eſt calculi & hypochondrii dextri dolores, cum frequenti & ferè aſſiduâ mictione cruenta: huic cùm aliquoties ſuaderem medicamenta ad calculum curandum idonea, recuſabat illa & præcisè negabat ſe calculo laborare, accuſabat autem, obſtructiones ſibi familiares; plurimorum Medicorum ſimul conſiliis uſus, tandem fato conceſſit: Sectio autem poſt obitum à me adminiſtrata docuit, me à ſcopo non aberraſſe: ſiquidem ex veſica extraxi ſex prægrandes calculos uncias ſeptem ponderantes: in dextro verò latere reperiebatur prægrandis maſſa membranoſa, mezenterio & colo annexa, variis tunicis ſuccinta, tubulis pluribus atheromaticâ, & quibusdam ſteatomaticâ materiâ plenis referta, cujus pondus erat librarum quatuor cum ſemiſſe.

Mors à lapidibus aſperam arteriam prementibus.

Vir quidam laborabat maximâ anhelitûs difficultate: non tamen tuſſiebat, non excreabat, nec ulla vel Aſthmatis vel Orthopnææ, vel phthyſeos, aut vulgari alicujus pectoris vitii aderant ſymptomata. Medici curabant eclegmatis, ſyrupis, & ſimilibus morbum non obſequentem, æger tandem febre ſupervenìente abiit ad plures Cauſa autem morbi, & mortis poſtea, ſeſe aperto corpore aperuit, & hîc clarè omnibus appoſitam figuram intuentibus apparebit. Lapides varii variæque figuræ iis quibus picti ſunt, locis immediatè aſperæ arteriæ incumbentes, ita eam oppreſſerant, ut tandem hominem præfocaverint: cætera enim interiora nihil contraxerant vitii. Ita ſæpè, quæ latent in corpore, medicantes latent. Quo magis riſu digna eorum videtur arrogantia; qui medendi rationes ad Mathematicorum calculos volunt exigere, & medicos rident, ſi fortè ex ignoratione rei prorſus extra ordinem ſeſe offerentis mediis ordinariis fuerint uſi, ad eum morbum depellendum, quem illi prudenter, quamvis non certò ſubeſſe exiſtimabant. *Theod. Kercking. ſpecil. Anat. Obſ.* 22.

Lapis in cerebro repertus.

Joannes Nicolai Weſtphalus 14. annorum adoleſcens, id ætatis inter rationis, ſtultitiæque confinia traduxerat; ſemper ſomnolentus, ſemper capite obtuſo: ut, ſi quid ageret, quod hominem ſaperet, potiùs ex ereperæ cujuſdam rationis ſcintillis, quàm ex vero ejus uſu proficiſci videretur. Is cùm obiiſſet 8. Junii anni 1667. operæ mihi pretium facturus videbar, ſi in cauſam conſtitutionis hujus inquirerem, & quid repererim, ubi candide lector, audiveris, vide ſis prudens facias de ejuſmodi ſemiſtultis judicium.

Subſtantia cerebri omninò erat flaccida, pia mater, quod in hydrocephalicis fieri amat, ita laxè cerebro erat circumjecta, ut nullo negotio ab eo poſſet

ſeparari; cerebrum, non ut in hominibus fit, cerebellum magnâ ex parte obumbrabat, ſed ab eo recedens, ut videre eſt in ovibus; nudum cerebellum primo aſpectu oculis ſubjiciebat, Glandulæ pinealis ne veſtigium quidem natura elaboraverat; an fortè, quia non decreverat homini huic indulgere iſtud (quod hic fieri quidam putant) animæ corporiſque colloquium? an camphoræ inſtar aëri expoſitę, in nihilum redacta? an denique reſoluta erat inſtar ſalis ab humido? ratiocinentur alii in quaſlibet partes; ego nihil niſi quod vidi & tetigi, aut alio ſenſu percepi in medium profero: inter quæ aqua ſalſiſſima, quæ priores duos ventriculos fatui hujus plus mediâ parte repleverat, quorum dexter etiam incluſum ſervabat calculum colore albicantem, qui medicâ ſtaterâ examinatus grana pendebat tredecim, quem & hic, quâ apud me aſſervatur ſpecie, videndum præbeo. *Theod. Kerckring. ſpicil. Anat. Obſ.* 35.

Lapis in corde repertus.

Puella undecim annos nata vehementer de anxietate & anguſtia quàm circa regionem cordis querebatur: ubi mors eam doloribus liberaverat, curioſè in cauſam horum & mortis inquirens, reperi in corde lapillum ejus, quem in figura notavi formæ & magnitudinis, ponderis granorum 14. colore autem & reliquo habitu referentem perfectiſſimè eum lapidem, quem inter medicamenta rariora ex India aſportant, & Bezoardicum dicunt. Notet Lector curioſus, contrà ac ſentiebat Galenus, jam indefeſſa Anatomicorum indagatione in corde non unum reperiri tumoris genus, imò glandulas, carnem, oſſa, pinguedinem, & interdum ulcera; ut obſervat Civitatis noſtræ & Medicinæ lumen Nicol. Tulpius, quo teſtimonio jam locus hujus calculi eſt probatus. De formæ autem ſimilitudine cum bezoardico lapide idem accuratiſſimus obſervator dicit viginti novem caculos in una Senatoris Amſtelodamenſis veſica repertos, formâ, glabritie, ac levitate ita propè accedentes ad lapidem bezoardicum, quem fert India Orientalis, ut facilè, vel accuratiſſimo impoſuiſſent Aromatario. Iterim notetur & hoc, in omnibus ferè corporis partibus reperiri lapides. rariſſimos tamen repertos eſſe in corde qui repererint. *Idem ibidem.*

CALLUS OSSIS FRACTI.

Reunitionem oſſium fractorum medicus facere nequit, ſed ſolius naturæ opus eſt, quæ in junioribus quidem per intrinſecam & omnimodam disjunctarum partium unionem, in adultis autem, interveniente πώρῳ, ſeu callô, tanquam glutine coniungere fractas extremitates ſolet. Hæc autem ſic intelligere oportet, quòd in ambobus quidem interveniat ſubſtantia quædam, ipſiſſimum videlicet oſſis nutrimentum, quod ibidem efferveſcit, dum concoquitur, et in tumorem attollit ſubſtantiam oſſis, ut in taleolis arborum per inſitionem adaptatis, videre eſt. Quia autem hæc efferveſcentia major eſt in adultis, quorum oſſa ſunt ſicciora, hinc fit ut ſæpe affluat multa craſſa materia quæ craſſum, & notabiliter extuberantem callum, circuli inſtar os ambientem facit.

CALVITIES Vid. *Pilorum Defluvium.*

CAMAROSIS.

Præter architectonicam ſignificationem quâ concamerationem denotat, apud Medicos illam deſignat oſſis ac præcipuè cranii fracturam quę cameræ ſimilem figuram efficit. De hac autem vide fracturas in genere, & in ſpecie vulnera capitis cum fractura.

CAMBUCA MEMBRATA. PARACELSO.

Eſt ſpecies bubonis vel tumoris ulceroſi ad inguina, vel juxta genitalia ſiti. Cùm autem ſignum ſit luis venereæ; & etiam ad bubones referri debeat, de eo non eſt quòd hic ſpecialiùs agamus.

CANCER.

Curationes, Conſultationes, Obſervationes & Anatomicæ Inſpectiones ex variis.

Curationes.

Cancer, *Carcinoma* Græcis, Arabibus *Sartan*, quibuſdam *Cancroſus humor* appellatur; ut inquit Paulus Ægineta lib. 4. cap. 26. à ſimilitudine quam habet cum cancro fluviatili, quoniam circa malum hoc venæ turgeſcunt, & inſtar pedum cancri animalis intenduntur. Quidam verò hoc nomen deſumtum aſſerunt, quòd ab his, quas occupavit partibus ægrè avellatur, veluti cancer aquaticum animal, qui ſi quid pedunculis ſuis ceperit, id haud facilè avellitur: inſuper hujuſmodi tumor cancri animalis colorem præ ſe fert, qui eſt lividus atque cinereus. Igitur *Cancer tumor eſt rotundus, durus, inæqualis, coloris lividi, aut ſubnigri, magnas & eminentes circumquaque habens venas, dolore caloreque gravis, aſpectu teter & horribilis.*

Species hujus affectûs duæ ſunt, etenim *cancer* eſt vel non exulceratus, qui propriè *carcinoma* audit, vel exulceratus, iſque *phagædana* Græcis appellatur. Quæ autem à cancro affici poſſunt ſunt omnes corporis partes, imprimis laxiores & fungoſæ, quales ſunt mulierum mammę: Unde Galenus lib. 2. ad Glauc. cap. 10. ſic ait. Cancroſi tumores in omnibus conſueverunt fieri corporis partibus, ſed præcipuè in mammillis mulierum, quæcumque ſua naturali purgatione privantur. Et Corn. Celſus. lib. 5. cap. 28. Id vitium fit maximè in ſuperioribus partibus circa faciem, nares, aures, labia, mammas fœminarum &c.

Quoad cancri ſeu carcinomatis cauſas, eas quique Autores peculiares ac ſpeciales huic tumori explicando aſſignant. Galenus tanti mali cauſam putat naturalem melancholiam, quæ ſanguinis fœx ipſi dicitur, lib. de tumor. præter nat. cap. 7. & lib. 2. de criſib. cap. 12. vel bilem atram redundantem, quæ ſi in univerſo corpore exiſtat ſuperflua, Elephantiaſin, uni autem parti inhærens, cancrum excitari contendit. Galeno ſeſe opponit Sennert. 1. an. Prax. lib. 5. part. cap. 20. cancri cauſam dicens atram bilem, in quam humor melancholicus naturalis, vel bilis flava degeneravit. Illam quippe adhuc naturalem, & nondum aduſtam, potiùs Scyrrhum, quàm cancrum producere affirmat: primam nihilominùs occaſionem Cancroſo humori humorem melancholicum præbere poſſe non negat, atram interim & aduſtam accuſans bilem in venis hærentem propter craſſitiem ſuam & per Exiles meatus non penetrantem, quandoque mitiorem, minus calidam & acrem, quandoque calidiorem & acriorem, illam *Cancrum non ulceratum*, hanc verò *ulceratum* gignentem. Bilem atram, quam defendit hujus mali cauſam, humorem dicit calidum & ſiccum, acrem, ſalſum, cuncta erodentem, & corrumpentem; adeòque non frigidum & ſiccum, *hoc eſt*, humorem verè melancholicum. Avicenna *Melancholiam ad uſtam*; Oribaſius *Bilem fervefactam.* Tagaultius *ſanguinis fæcem*; Aquapendens, Pareus, & plures alii *Bilem atram, imò omne id, quod ſanguinem aduſtum ac melancholicum generare*

rare aptum eſt, accuſant. Atque hæ præcipuæ ſunt antiquorum de cancri generatione ſententiæ. Veriſimilius equidem nos putamus, *Proximam ſeu continentem cancri cauſam eſſe Humorem Acido-ſalinum, & Auſterum, intra partem aggeſtum*; & quo humor hic majorem vel minorem habet acrimoniam, hinc cancrum produci vel ulceratum, vel non ulceratum.

Auſterum, hoc eſt, *acidum acre potentius ac valentius* accuſamus, ſive relictum ex alio Tumore nimis tarde, negligenter, vel male curato, quapropter facile in *magis auſterum* deſinere poteſt, adeoque in Scyrrhum, hinc in cancrum degenerare; qui tandem ob ſummam & pertinacem auſteritatem vim corroſivam nactus exulceratur, & plane incurabilis evadit.

Atqui *cauſæ antecedentes ſeu Remotæ variæ eſſe poſſunt*; omnes nimirum quę hujuſmodi acido-acrem & auſterum humorem quovis modo generare, & in corpore augere poſſunt: tales ſunt *aër impense Calidus*; *vitioſi admodum & craſſi cibi & potus* ut allium, cœpa, Legumina, Carnes ſalitæ, & fumo ſiccatæ, Vina acida; *vigiliæ immodicæ*; *animi paſſiones vehementes*, præſertim, *Ira*. Quibus accedunt *Viſcorum quorumdam obſtructio*; *menſium, Hæmorrhoidum, aliarumve conſuetarum evacuationum ſuppreſſio*.

Cancer porro in ſua origine, cognitu quidem difficilis eſt, at curatu facilis. Sed in progreſſu facile cognoſcitur, difficile autem curatur. Itaque in principio vix, niſi à ſagaci & erudito medico vel chirurgo dignoſcitur; nam ut inquit Galenus, *Meth. Med. l.* 14. *c.* 9. quum primùm oriatur, accidentia habet mitiſſima, & maxime confuſa; tuncque parvus eſt, & dolens tumor, qui poſtmodum auctus majorem in molem accreſcit, non decreſcente interim dolore, inſuper durus eſt, tactui renitens, lividus, plumbeus, inæqualis, venis circumcirca turgidis quaſi inflammatus; ad hæc ſi talis Tumor ſit in parte ſuſpecta, in mammis puta; labiis, naribus, lingua aut Pudendis de cancri præſentia vix amplius dubitatur. Dein à ſcyrrho diſtinguitur imprimis *dolore*: Etenim vetus ſcyrrhus indolens eſt, cancer autem continuò dolorem facit, atque tum ſcyrrhum in cancrum degenerare conjicimus, quum incipiat acriter dolor. Verùm cancer exulceratus cognoſcitur facile, ex ulceris fœditate, labiis craſſis, tumidis, lividis, inæqualibus, eroſis, ſaniem ſeu potiùs ichorem foetidum & copioſum eructantibus, acriter dolentibus; atque ſanguinem frequenter fundentibus.

Cæterùm Cancer, ſive ſit non ulceratus, ſive ſit ulceratus, gravis eſt morbus atque pernicioſum malum, tum ratione ſymptomatum, tum cauſarum, difficilioriſque curationis; hic tamen illo longe gravior eſt affectus, quod confirmat Hippocrates. *Sect. 6. aphor.* 38. quibus cancri occulti adſunt, non curare melius; curati enim citius intereunt, non curati longiori tempore vivunt. Ratio eſt, quòd cancri non exulcerati, impoſitis medicamentis facile exacerbari, hinc exulcerari queant.

Incipientem Cancrum ſe curaſſe affirmat Galenus *lib. 2. ad Glauconem.* Sed quum in molem creverit inſignem, citra Cheirurgiam non eſſe ſanabilem; hujus quippe mali tanta ferocitas, tantaque ſęvitia, ut vehementiſſima quæque reſpuat medicamenta, quin illis irritetur potiùs, & excandeſcat, quàm ulla ratione curetur: hinc deteſtabile nomen, *non me tangere*, ſortitum eſt malum hoc, quod intactum relinquendum ſit, & curâ tantùm palliativâ curandum.

Ad *Curationem* itaque *hujus affectus* quod attinet abſtineat in primis ægrotans, ab iis omnibus, quæ humorem acido-acrem, & auſterum generare, atque in corpore augere poſſunt. Dein iſtius modi humor, antecedens cancri cauſa è corpore educatur, *Purgantibus Medicamentis* per intervalla exhibitis. Interim *Phlebotomia* ſi nihil contraindicet, quoque celebretur. Præterea in Mulieribus menſtrua, ſi ſint ſuppreſſa, provocanda. Hæmorrhoidum fluxus, quibus fuit familiaris, promovendus: necnon aliæ evacuationes ſuppreſſæ excitandæ: viſcerum obſtuctiones reſerandæ ut, ſic acidi & auſteri generatio, quantùm quidem poſſibile, prohibeatur. At verò *cura cancri Chirurgica* duplex eſt una fucata ſeu palliativa: altera vera ſeu legitima. *Cura Palliativa* Topica tantùm applicat Medicamenta ad inhibendum mali impetum. Sed *Legitima* conſiſtit in extrahendo, tollendoque omni eo, quicquid eſt cancroſum in parte affecta. Atque ſcite hic animadvertit Hildanus *Cent. 6. Obſerv.* 82. nullum fere affectum hodie in Cheirurgia occurrere, in quo majores committuntur errores, quàm in curando Cancro. Dum enim vident Tumorem duriſſimum, curationem adhibere volunt methodicam, ideoque medicamenta imponunt calida, humida, emollientia, & quàm periculoſa hæc ſint in curando hoc morbo, quotidiana docet experientia, & exemplis confirmat Hildanus *Cent.* 1.*Obſerv.* 89. Enimverò Pharmaca emollientia atq; pus moventia ſi imponantur magis utique excitant, & acriorem reddunt humorem cancroſum, ut tandem omnia exulceret, erodatque. Et quoniam vicinæ partes ab emollientibus admotis relaxantur ſimul, atque dilatantur, facile deinde diſpergitur, vicinaſque partes invadit illa acrimonia; quæ eſt fermenti ad inſtar, quod ſanguinem, lympham, alioſque humores inficit, & ſibi ſimiles, *hoc eſt* acres auſteros reddit: quapropter Hippocrates meritò hocce ſuum decretum Poſteris reliquit *Aphor.* 38. *Sect.* 6. *Quibus Cancri occulti naſcuntur, non curare præſtat.* quo intelligendum de curatione Methodica, quæ contrariis perficitur; nequaquam de ſectione vel uſtione, quæ ſola, ut Galenus teſtatur, ſunt cancri remedia. *Curati enim ſubitò intereunt*, ſcilicet per impoſita Emollientia, quæ protinus exaſperare ſolent cancroſum Tumorem, *non curati verò diutius vivunt*, nimirùm Curatione methodica, per Topica emollientia atque pus moventia. Sed inſtitutâ ſolummodò Palliatione.

Igitur occulti Cancri, ſi penitùs exſcindi nequeant, non methodicâ, ſed Palliativâ tantùm curâ ſunt tractandi, ne exulcerentur. Cancer namque Occultus latet ſæpe diu ſine offenſâ: ſed irritatus exedit cutem; eaque ſponte, ſive Curantis imperitiâ, adaperta, coërcetur deinceps nullis repagulis; ſed inſtar ſævientis feræ depaſcitur quicquid obvium. Et quo liberiùs exhalet vapor illi incluſus eò impenſiùs quoque affluit humor, tumorem adaucturus. Ad cujus intima ſiquidem penetret circumfluus aër à tunicis antea excluſus; inſequitur ilicò & major putredo & uberior partis affectę luxuries. Blanda quippe remedia ut nihil proſunt, ſic nocent ſummè acria: & quò plus puris, eò penitiùs deſcendit virus; ſeca itaque maturè, vel blandire prudenter. Et ſi lubet, audi C. Celſum, qui *lib. 5. cap.* 28. hæc habet, plerique ullam vim adhibendo, qua tollere id malum tentent; ſed imponendo tantùm lenia medicamenta, quę quaſi blandiuntur, quo minus ad ultimam ſenectutem perveniant, non prohibentur. Ita Scribit Hildanus *Cent.* 3. *Obſerv.* 86. matronam cancro occulto in dextra mamma per quadraginta annos laboraſſe, abſque dolore & ullo incommodo. Et Refert Ampliſſ. *Tulpius Obſerv. Med. lib. 2. cap.* 47. quandam in ſiniſtris temporibus quinquaginta annos durum ac inæquale carcinoma, ſine ullo ulcere, ullave gravi noxa tuliſſe, cui poſt tot annos exulceranti cum levamine imponebatur hoc ceratum.

℞. Olei Roſacei ℥ij. ceræ albæ. ʒvj. Plumbi uſti ac loti ℥ß. Oleum cum cerâ liquefiat & addito plumbo agitentur ſex horas in mortario plumbeo, ut fiat ceratum. Ejus loco, & hoc applicari poteſt.

℞. Olei

℞. Olei Roſacei ℥ viij. Teratur in mortario plumbeo, cum piſtillo plumbeo, donec craſſeſcat & plumbi colorem acquirat, tunc admiſceantur exactè Ceruſſæ, Lythargyri an ℥j. & detur uſui.

Enimverò ulceratum cancrum, etſi non attingendum plurimi exiſtimant, cùm tamen inhumanum ſit, ægrum etiam tali morbi laborantem deſerere, Palliativâ curâ mitigare conemur: qua ſaltem detur opera, nè phagædæna facilè proſerpat, dolorque ut leniatur, atque minore cum moleſtia vitam ducere poſſit Patiens. Hoc efficiunt medicamenta quę impoſita moderatè ſiccant atque acidum, & Auſterum imbibunt, edulcorant. Talia ſunt quæ nunc propoſuimus. Et ſcribit inſuper ampliſſ. Tulpius *loco citato*, ſe feliciter cancris ulceratis admoveri vidiſſe *pulverem concinnatum ex plumbo liquefacto cum Mercurio vivo*; quod Medicamentum *Amalgama Mercurii* dici conſuevit.

Aquapendens, Chalmetæus, & alii pro cancro ſive non ulcerato, ſive ulcerato miris laudibus extollunt, unguentum de *Ranis viridibus*, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Ranas virides in aquis puris degentes; eas conjicito in vas fictile vitreatum multiſque exiguis foraminibus in fundo pertuſum, ora butiro impleto, hinc vas ne quid exhalet, luto diligenter oblinito, cui alterum effoſſâ terrâ concluſum ſupponito, ignemque in ambitu accendito; dein Oleum ſeu liquorem ſtillantem colligito, atque cum ranarum pulvere exactè miſceto pro linimento; ſunt qui *Aquam cancrorum Fluviatilium* hîc commendant. Alii *oleum è cochleis deſtillatum* laudant. Nonnulli *Aquam Ranarum* miris modis prodeſſe ſcribunt, cujus deſcriptio apud Hildanum *lib. de gangræna & Sphacelo cap.* 19. ita habetur.

℞. Ranas aquatiles, eaſque ſuſpende in cucurbita vitrea, vita tamen, ne fundum attingant, neque comburantur, & aqua extillans gravem odorem acquirat. Accenſo igne aquam in arena clementer extrahe, ac ad uſum reſerva. Interim ne removeatur ignis, priuſquàm omninò exſiccatæ fuerint ranæ, nec ulla ampliùs extillet aqua. Scultetus poſt armament. cheirurg. obſerv. 56. ad cancrum occultum & ulceratum laudat ceratum oxylæum, & Linimentum ſimplex in mortario plumbeo agitatum, quorum deſcriptiones tradit obſerv. 52.

℞. Olei communis veteris ℔. j. aceti vini, lithargiri an. ℔ ß. Miſceantur ad iguem lentum, donec cerati acquirant conſiſtentiam.

℞. Succi ſolatri, Olei Roſacei an. ℥xx. coq. ſ. a. ad conſumptionem ſucci, tunc add. Ceruſæ, Lithargyri an. ℔j. M. S. A. in formam unguenti. Ex his nunc ſequens componit.

℞. Cerati Oxylæi, Linimenti ſimplicis an. ℥j. Olei myrtini ℥ij. miſceantur diu in mortario plumbeo pro linimento. Cancro occulto imponi quoque poteſt hoc emplaſtrum.

℞. Emplaſtri Diapompholigos ℥j. Plumbi uſti ʒiß. argenti vivi extincti ʒß. miſceantur exactè, & fiat in corio emplaſtrum. Vult Paręus, ut cancro non ulcerato imponatur Lamina Plumbea, argento vivo illita. Refert. Petrus de Marchettis obſv. chirurg. 29. ſe cancrum naſi ulceratum curaſſe ungento albo camphorato, in mortario plumbeo ducto, nullo alio adhibito remedio, atque ſic horum, ſimiliumve medicamentorum uſu cancer non ulceratus, atquè incipiens aliquando curatur. Ulceratus verò ad multos annos eodem in ſtatu ſervatur. Equidem Cheirurgia omnibus palmam pręripit ad eradicandum malum cancroſum; eaque hujuſmodi tumorem, tum in principio, tum in augmento exſcindere, ac ſectione penitùs auferre potis eſt. Hinc Avicenna cancros minores radicitus exſcindi, craſſioremque ſanguinem facta ſectione, circumquaquè exprimit, locum poſtea actuali cauterio inurens, ut mali cancroſi reliquiæ porrò abſumantur, membrum corroboretur, & hœmorrhagia ſiſtatur.

Igitur deteſtabile hocce malum, ſi manum Cheirurgi efflagitet; ac ſubire potiùs vitę periculum, quàm miſerè ſemper vexari, conſultum ducat ęgrotans; affectus erit conſiderandus, ejuſdemque locus, num commodè ſectio inſtitui poſſit. Tunc enim comprehendendus totus tumor, qui lato & acutiſſimo cultro, quàm celerrimè & promptiſſimè fieri poterit, radicitus amputandus eſt. Non autem diſſecta vaſa ſunt adurenda, ſed imponenda potiùs medicamenta ſanguinem cohibentia.

Sed cancrum ſectione etiam ſi benè curatum, anno aut biennio poſt, in loco viciniore ſæpiùs reverti, praxis docet quotidiana. Nihilominùs tamen non ſemper contingit, ut idem malum revertatur, atqui curatus aliquando manet hic morbus. Videantur C. Celſus *lib.* 5. *cap.*23. & Hildanus *Cent.* 3. *Obſerv.* 87.

Nonnulli cancrum extirpandum cenſent admotis cauſticis; ſed in re ejuſmodi, quæ acria medicamenta repellit, iiſque irritatur, ea curandi ratio dubia eſt, & periculoſa, uti ſcitè ait Pigręus *Prax. Chirurg. lib.* 10. *cap.* 22. & Hildanus *Cent. epiſtol.* 40. hâc de re ſic ſcribit: extirpatio quæ fit cauterio actuali, vel medicamentis eſcharoticis, ſive quovis ſimili medicamento erodente mihi ſuſpecta eſt, quia experientia docuit, cancroſa ulcera hujuſmodi remediis exacerbari, atque pejora fieri.

Sectionem verò & manum Cheirurgi ſi renuant ęgri, vel non admittat tumor ob profunditatem, vel exulcerationem, *cura* tantùm *Palliativa* ob vitam fœliciorem & nè malum ulteriùs ſerpendo, parteſque erodendo majorem inferat dolorem, inſtituatur, de quâ abundè nunc dictum eſt. *Joan. Munnicks Chirurgia ad prax. hodiern. accommodata. lib.* 1. *cap.* 23.

Cancer mammillarum in mulieribus plerumque ſubſequitur menſium obſtructiones, aut ſi alia cauſa procatartica ſuum initium habuerit, ſæpè tamen menſes ſubſiſtunt, & malum fit deterius.

Non exulceratum ſatiùs eſt intactum relinquere, hoc modo nihil proficientibus auxiliis, ſed malum exaſperantibus. Mitius fit, ſi menſes in priſtinum ſtatum vel à natura, vel medicamentis revocati redeant, ſi per ętatem id licuerit, aut ſi corpus aliàs cacochymum purgantibus, & mundificantibus reddatur purius.

In mundificantibus præſtat ſpecificum purgans Paracelſi. It. Mercurius dulcis, & alia melanagoga cùm chymica, tum vulgaria.

Ulceratus firmiſſimè ſanatur, primò, aquâ fuliginis mundificante, donec nempe fiat eſchara. Secundò, valet oleum arſenici fixi in aqua plantaginis diſtemperatum, donec nempè mundificetur ulcus, & eſchara ſponte vel axungiis adjuta cadat. Quod ſi fibroſę radices per cavitates hinc inde diſſeminatę fuerint, volſellis evellantur prudenter.

Internè ſæpius magiſterium ocul. cancrorum in aqua empetri aut Perſicarię exhibeatur.

Externè mundificato ulcere, & cancro mortificato, conſolidantia ex oleo, balſamoque ſulphur. ejuſque emplaſtro procurentur.

Hęc autem cura celebris eſt in ulcere cancroſo vel carcinomate tantùm incipiente. Si eſthiome non acceſſerit, ſeu ſi ulcus ſordidum, & cavernoſum redditum fuerit, præſertim, ſi in thoracem uſque propagatum, rariſſime ſanatio ulla locum habere poteſt. Præſtat poſt mundificantia ſępius ulceri aſpergere pulverem de cuticulis ovorum internis pullorum excluſorum.

Lactis redundantiam auferunt maximè folia cicutæ, vel menthæ appoſita It: Caſeationem lactis ſolvunt, feliciùs operaberis, ſi menſes ſimul fluant, itaque vel à natura vel arte movendi.

La-

Lac promovet ſemen fœniculi ſæpius comeſtum. It. radix fœniculi geſtata id præſtat, pulvis cryſtalli lapidis tenuiſſimus intro ſemel atque iterum pondere ℈ß. vel etiam ℈ j. datus in aqua fœniculi à proprietate quadam lac augere videtur. Sciſſuras mammilarum tollit axungia cochlearium, de qua ſupra de fiſſuris labiorum. Item capi pomada.

Cancer eſt tumor inæqualis aſpectû teter, aliquando cum dolore; nomen accepit à cancris. Hoc vitium fit in omnibus humani corporis partibus, cùm internis tum externis, quæ à naturâ purgationem habent, quod raræ & laxæ ſint, quæ craſſiſſimam materiam melancholicam promptiſſime excipiant. Generatur ex melancholico humore efferveſcente, qui, ſi ſit acrior; exulcerationem efficit.

Sunt cancrorum differentiæ ſpeciales. Nam quidam ulcere carent, quidam exulcerantur: ſigna ſunt tumor, magis phlegmone nigricat abſque tanta caliditate, venæque in habitu intumeſcunt, quoniam ſanguis inutilis à profundo attrahitur, ideoq; varicoſę venæ redduntur.

Color cancri cinericius, ſublividus, ad purpureum vergens, tactû duriſſimus, pungentes interdum dolores inducere ſolet, & maximè in maxillis, mammillis, in aliquibus autem corporis partibus dolorem infert, in aliquibus non.

Diverſificatur tum ratione loci, tum ratione materiæ, cùm ſint humores mixti, melancholici atque bilioſi ſimul; ratione loci in facie, in labiis, in naſo, in fronte, in manibus, digitis, ut experientia me docuit.

Hę partes immunes ſunt ab omni dolore; in mammis autem dolorem pungentem habet, in virili parte quoque dolores habere ſolet.

Naſcuntur aliquando in labiis, naſo, in angulis oculorum, in fronte, & in tota faciei parte, ut plurimùm quàſi verrucæ in forma ciceris, poſtea dilatantur, & creſcunt ſicut fungi cum labiis calloſis & inverſis, ſolent ſanguinem vel quiddam virulentum emittere, in fronte ſolent ut plurimùm corrodendo ſe dilatare.

Aliud genus, ſeu ſpecies nullo modo, ad ulcus pervenit, ſed tumor, ſcirrhuſque durus, lividus & nunquam ulceratur, & quotidie augetur. Imò ut plurimum in collo, hepate, ſplene, in vulvà, in matrice naſci ſolent, raro in aliis corporis partibus, neminem vidi niſi Patavii in naſo cujuſdam mulieris.

Primum hujus vitii genus ſi ulceretur, jugiter erodit, & profundum ſuffodit, ſaniem putridiſſimam emittit, & dolorem abominandum creat, qui ſufferri vix poteſt.

Incurabilis eſt, qui habet radices ſeu venulas varicoſas, quę ſanguinem è profundo attrahunt, in partibus thoracis, alius eſt curabilis.

In curatione cancri 1. Inſtituatur victûs ratio, in quà vitanda, quę ſuccum melancholicum generant, utendum ptiſanâ, hordeo, malvâ, atriplice, betâ & omnibus, quæ bonum generant ſanguinem, & coctû facilem, bibendum vinum tenue, album, non valde antiquum.

Vacuatio primùm tentanda ſanguinis miſſione, modò vires & ætas permiſerint.

Vena in gibbo media ſecanda, & primò menſes provocare, poſt humorem peccantem evacuare oportet.

Si hæmorrhoides in viris, quibus emanare conſuevere, ſuppreſſæ ſint recludantur.

Purgantia erunt epithymum, ſenna, polypodium, ſerum lactis, & hujuſmodi compoſita diaſenna, diabugloſſum, pilulæ, de lapide lazuli.

Poſt hæc humorem qui in partem decubuit, repellere, vel diſcutere, ad hæc particulam, ne quid homorum abundantiæ ad eam confluat, firmare oportet cum aliquo repercuſſivo circa locum affectum: poſt imponendus pulvis benedictus ab altiſſimo mihi datus ad utilitatem generis humani.

Hunc ordinem ſervare oportet medicum: manè jejuno medicus ſemper cum ſputo bombacem apponat. Si cancer eſt ulceratus, accipiat pulverem, ut aſpergunt farinam ſuper piſces cùm parantur in ſartagine; & cum prædicta bombace tegat ac cum ſputo liniat circumcirca, ut adhæreat, cùm adhęret, nunquam cadit, niſi unà ſecum radices eradicet. Solet hoc ut plurimum inferre dolorem interpolatè, quando humor acris & mordax non poteſt purgari per ulcus (etiam alioquin fit tumor magnus eo tempore, nec removendum medicamentum, nec aliquid ſupra apponendum, ſed circum oleo roſaceo illinendum, & poſtea dimittendum uſque dum per ſe cadat) quando ille humor acris purgatur per ulcus, nullum dolorem infert, poſtea purgatur ſicut alia ulcera. Sed ego ſemper uſus ſum pulvere incarnativo, mundativo, & digeſtivo ſolùm ex terebinthina & vitellis ovorum cum unguento de lithargyro, & mumia, ut infrà ſcribam.

Semper avertendum, ne aliquot radices remaneant, & ſi remanſerit, iterùm imponendus pulvis. Extant alioquin, dum adſint radices varicoſę, unus cancer ſuper alium quaſi ſtrumę, tunc oportet iterare pulverem, uſque dum ſtrumę omnes evellantur, & iſti cancri ſunt difficillimæ curationis, cùm ſint in thoracis partibus, quia inter thoracem radices habent, Multas mulieres curavi ſolo hoc emplaſtro, dum erat in fieri ulcus.

℞. Ammoniaci in acet. ſoluti, & exquiſitiſſimè purgavi ſuccum illum malignum tali modo, quod non fluebat ad locum affectum (expertus ſum in mammillis) & ſæpè iteravi ad perfectam curationem. Hoc emplaſtrum poſt conſolidationem ulceris per aliquot dies apposui, & feliciter curavi nonnullos. Pulveris benedicti conficiendi ratio.

℞. Pulveris in ſigno A. ℥ ij. B. ʒ j. C. iij. Subtiliſſimè quantùm ſufficit inpalpabilis reddatur ſuper Porphyritem, ſervetur in loco benè clauſo, nè humiditatem recipiat, & quantò magis inveteratur, tantò pretioſior eſt. Ante annum ad uſum non erit bonus.

A. Accipe in Menſe Junio, Julio, & Auguſto radices dracunculi majoris (quia eo tempore folia ſiccantur, & tota radix remanet in terrâ) radicem illam ſcinde in plures particulas, ſuſpende in loco, ubi ſpirant venti, cùm ſiccatæ ſunt, ſerva illas ad uſum in conficiendo pulvere. Quando illæ radices non haberi poſſunt, in earum vicem radices dracunculi minoris, qui dicitur Aron, ſed melior major dracunculus, qui dicitur dracuntium.

B. Sandaracha ab antiquis à vulgo dicta arſenicum album. calcinoſum, non ſplendidum, quaſi vitrum, non rubeum quod in ſe habet quandam malignitatem, ſed album calcinoſum non habet tantam malignam qualitatem; præpara ſequenti modo.

℞. Illius q. v. ſubtiliſſimè pulveriſa per 15. dies de tertio in tertium, appone aquam vitæ in loco calido, ut recipiat illius virtutem, & cooperiat aquam vitæ, ad illum pulverem poſt triduum iterum nova aqua vitæ apponatur, & illa quæ priùs adfuit, abjicienda. Miſce ſemel cum aqua, & tunc erit præparatum.

C. ℞. Fuliginem; quæ reperitur in caminis (ſuprà de confortantibus de oleo fuliginis) non antiquam neque annoſam, ſed quæ habeat in ſe ſalſuginem, qui ſolet reperiri quaſi tela araneorum, & hæc non eſt bona, & prudens operator poterit conſiderare ſuâ diligentiâ, & ut ſuprà, componat pulverem, Pulvis incarnativus, & mundificativus.

℞. Olibani, ſarcocollæ, maſtichis, myrrhæ, aloës, mumiæ, ariſtolochiæ utriuſque ana ℥ iij. mercur. præcipit. cum aquâ calcinatâ compoſiti ʒ i ß. F. Pulvis. Ego uſus ſum pręcipitato facto cum ſale amalgamato, in nobilibus unguento ſequenti.

℞. Li-

℞. Lithargyri auri ℥ iij. mumiæ ʒ i ß. ſubtiliter pulveriſat. cum oleo roſaceo; & acet. roſac. F. unguentum in mortario plumbeo: unguentum quo uti ſoleo, tale eſt.

℞. Lithargyrum, affunde oleum, & agitentur per quadrantem horæ, poſtea adde acet. roſaceum, & ſic agitetur poſtea iterùm ſolum, ſemper agitando, & fermentando per 3. vel 4. horas, & erit optimum compoſitum.

(Radicem cicutæ ſub cineribus aſſato, & calidam applica, continuando per aliquot dies, cancerque excidet, experimento probato) *Joan. Harthmannus in Pract. Chymiatr.*

Cancri non ulcerati curatio conſiſtit pręcipuè in univerſali regimine (particulari tamen minimè omiſſo) quod omnino tale erit, quale in curatione ſcirrhi docuimus, tùm quod ad aëris delectum, tum quòd ad ægroti vivendi rationem attinet. Nempè humorem ſirupis, julepis, apozematis præparandum eſſe, Purgatio quidam blanda, & modica erit, ut humores minùs agitentur, ſed ſæpè ſi ſit opus iterabitur, ſanguis ex adverſâ parte ad refrigerandum, itemque ad ſedandum & mitigandum dolorem, utiliter detrahi poterit: adhibebuntur cardiaca, & quæ cor atque præcordia corroborant medicamenta, ob malignos, vitioſoſque vapores, qui è tumore attolluntur, & eas partes offendunt. Sæpenumero quidem bibet & comedet,ſed parùm admodùm. Somnus perutilis eſt, ideoque niſi naturæ ſponte obrepat, arte conciliandus. Dandaque imprimis opera, ut hæmorrhoides viris, menſtrua autem mulieribus fluant. Proritentur hæmorrhoides acrioribus balanis, linteis aſperis, & foliis ficuum, vel admoveantur hirudines. Mulieribus verò manè ante exitum è lecto fricentur crura, & tibiæ, per ſemihoram, pręmiſſa purgatione.

Regimen verò particulare verſatur duntaxat, aut in tumoris palliatione, impediente quominus ille incaleſcat, augeatur, & invaleſcat, aut certè in totà illius ablatione & amputatione.

Tumoris Palliatio topicis remediis fiet, quæ refrænandi, mitigandi, & ſedandi humoris, furoris, & violentiæ falcultatem, virtutemque habebunt. Nam tota ſpes curationis conſiſtit in repellentibus, & reſolventibus, atque leviter reppellentibus, humor craſſus, & contumax non cedit, multò minùs leviter reſolventibus patitur ſe diſcuti. Vehementer repellentibus partes quidem tenuiores diſſipantur, ſed craſſiores manent. Itaq; mediocriter repellentibus, & reſolventibus, ſuperficiarios incipientes cancros gloriatur Galenus ſe perſanaſſe, profundos aut inveteratos, aut omnino non attigiſſe, aut duntaxat, dolorem ut demulceret, & incrementum prohiberet ſuſcepiſſe. Remedia verò mediocriter repellentia, & digerentia ſunt, ſuccus ſolani, pompholix lota quæ tuthia vulgò dicitur. Galenus q. ſimpl. ſupra cætera commendat plumbum uſtum & lotum; nam metallica lavari debent, ut acrimoniam deponant. Plumbum autem humoris melancholici acrimonię moderandæ & ſedandæ vim habet. Ex his tribus unguentum in officinis paratur, quod diapompholigos appellatur, cujus penuria permittit Gal. ut utamur emplaſtro diacalcytheos quod vulgò diapalma nuncupatur, diſſoluto ſucco ſolani, & oleo roſato, aut.

℞. Ol. roſat. ſine igne confecti ℥ viij. teratur in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo, donec craſſeſcat, & plumbi colorem acquirat, miſce cum litharg. & ceruſæ ſeorſim contritę ana ʒj. fiat unguentum. Oleum de ranis, & de limacibus non tantùm dolorem lenit, ſed etiam mediocriter repellit & reſolvit. Si placet pulvis ranarum aut teſtarum cancri cerato Galeni vel ſucco ſolani permiſceatur. Vel.

℞. Succi ſolan. & ol. roſac. an. ℥ iv. pulv. ranar. uſtar. & teſtar. cancri an. ʒiij. tuthiæ, & plumbi uſti loti an. ʒ i ß. agitentur ſimul in mortario plumbeo, fiat unguentum. Criſtalli pulvis à quibuſdam commendatur, præſertim in ulceratis. Tenella fraxini folia in aqua coquantur, decocto pars foveatur, & ex reſidentia paretur cataplaſma. Quod ſequitur ſępe, & fœliciter eſt à me uſurpatum.

℞ Theriac. veteris ℥ j. ſucci cancrorum ℥ ß. ſucc. lactuc. & olei roſat. an. ℥ i ß. vitell. ovór. ſub cinerib. coctor. ij. caphurę ʒ ß. agitentur in mortario plumbeo & fiat unguentum. Vel.

℞. Ol. roſat. & cerę albę an. ℥ ij. ſucc. granor. & fol. ſolani, ana uncias duas, plumbi uſti loti, & ceruſ. pręparatę ana ℥ß. thuris, maſtich. au. ʒ ij. fiat emplaſtrum molle. His autem remediis leniter utendum eſt, nec calefaciendum quidquam, fricando leniter tumorem, omnemque illius ambitum, deinde ſolo linteo, eoque leniſſimo & tenuiſſimo eum tegendo.

Alterum verò caput, quod eſt de cancroſi tumoris ablatione, aut amputatione, diligenter conſiderandum eſt, videndumque, an tutò id fieri poſſit, ut ſi corpus malè habitum non fuerit, ſi cancer perexiguus, & in aliqua ignobili parte, proculque à magnis vaſis ac nervoſis partibus fuerit; auferendi igitur illius erit ratio.

Tumor ille totus primùm corripiendus, & cum omnibus ſuis radicibus, acutiſſima novacula adhibita penitùs amputandus eſt quàm celerrimè & promptiſſimè fieri poterit. Deinde permittendum, ut venulæ illę, quę alimentum illi ſuppeditabant, liberè & abunde fluant & cauſæ illius antecedentis nihil omninò ſuperſit, unde recidiva fieri poſſit. Quo quidem facto cauterium actuale, quod cæteris hac in re aptius eſt & efficacius (quippe promptius, minuſque doloriferum, omnemque virulentiam & malignam qualitatem diſſipans & conſumens) parti affectę applicandum eſt; Tum accelerandus cruſtę caſus, & recenti butyro in mortario plumbeo diu agitato quodammodo provocandus: ea autem ubi deciderit, niſi aliud quoddam ſymptoma acciderit, tractandum erit ulcus, ut cętera, quorum curationem ſuo loco trademus.

Nonnulli eum extirpandum cenſent cauſticis, ſed in re ejuſmodi quę acria remedia repellit, iiſque irritatur, ea curandi ratio dubia & periculoſa eſt. Itaque ſtandum conſilio Hippocratis, pręſtat cancros occultos non attingere, ſic enim in longius vita protrahitur, ſatis eſt ſi humor melancholicus per intervalla purgetur, ut ſiſtatur incrementum, non neglecta venę-ſectione, quę ardorem contemperet & dolorem demulceat. Utatur lacte aſinæ, aut capræ; utatur etiam carnibus viperar. ſerpentium præparar. & ſale theriacali, in elephantiaſis curatione. *Joan. Vigierius Chirurg. magnæ lib.* 1.

Hic addemus icones inſtrumentorum ab Helvetiô in extirpatione cancri mammæ adhibitorum.

Tab. III. *Fig.* 1.

Tenaculum ſiſtit, eâdem magnitudine, quâ in cancro fæminæ Anglicanæ extirpandô, fuit adhibitum. Inſtrumentum videlicet eſt ferreum, cujus apices habentur tantummodò temperati.

A. A. Duo tenaculi ſunt brachia, æqualis longitudinis.

B. B. Duo ſunt apices, in quos duo brachia ſemilunaria deſinunt, ita conformati, ut alter alterum, ſic tenaculum claudatur,propter firmiorem apprehenſionem, tranſcendat. Quæ ſemilunaria brachia tota ſunt plana, non autem ſecantia, at ſenſim ſenſimquè uſque ad apices diminuuntur.

C. C.

Tab. III.

Fig. 1




Fig. 2



Fig. 3.





Fig. 4.



Morff f.

CC. Inferiores tenaculi ſunt extremitates, ſive manubria, quibus forficis ad inſtar apprehenduntur. Pro magnitudine cancri extirpandi, variabunt etiam hujus inſtrumenti longitudo, foraminis ab utrôque brachiô ſemilunari relicti capacitas, & quantum apex alter alterum tranſcendere debeat.

Fig. 2.

Cancrum exhibet eâdem magnitudine, quâ in dictâ fæminâ fuit extirpatus. . . . .

D. Parvus eſt locus, maculam lividam denotans, in quâ cancri radix exiſtebat.

Fig. 3.

Cancrum eundem reſciſſum monſtrat, quô luſtrentur & tractentur ejus interiora.

E E E E. Quatuor exiſtunt quadrantes hujus cancri, cujus durities interna, pariter atque externa, ad corneam, aut ſaltem talem, qualis cruſtæ lardi durioris eſſe ſolet, accedebat.

Fig. 4.

F F. Aliud magnum repræſentat tenaculum, amputationi potiſſimùm inſerviens, cujus extremitates duæ, quibus inſtar forficis apprehenditur, parum ſunt incurvatæ. Uſum præſtat in tumore faciliùs comprehendendô, ut ſectio ſub eô commodiùs fic novaculâ inſtitui poſſit.

Hactenus Explicationes figurarum Clariſſ. Helvetii Tabulâ noſtrâ tertiâ comprehenſarum, in quarum clariorem demonſtrationem, jam adjungemus excerpta ex Epiſtolâ ejuſdem Autoris ad D. Regis, Anno 1691. perſcriptâ; qualia in Actis Lipſienſibus reperiuntur.

Ibi Autor adnotat, quòd Cancer in principio nonniſi parvam alicujus guttæ humoris in quâdam glandulâ coagulationem, pro causâ agnoſcat; ab interna duorum humorum ſibi invicem occurrentium diſpoſitione, rariſſimè; ſed ab externâ compreſſione violentâ, frequentiſſimè inductam: Tuncque facillimum eſſe curatû cancrum, portiunculam ſcilicet ejuſmodi humoris leviter coagulati, vel diſſolvendo, vel cauſticô conſumendo. E diversò in progreſſu, quando ab aliùs humoris acceſsû, majorique hujus cum priori coagulatione, cancer increvit, ac inſtar cornu, vel firmioris cruſtæ lardi induruit, ab omni prorsùs remediô externô abſtinendum eſſe præcipit; ne humor inde irritatus ſuum diſpergat fermentum, cancerque exulceratus evadat. Reſtare hîc ſolummodò, ut incisâ cute, glandula ſubjecta tenaculô, fig. 1. mox deſcriptô, apprehendatur, apprehenſaque, pro malô, malique causâ ſimul auferendis, extirpetur; vulnuſque primùm linteô carptô ſiccô, mox in modum vulneris ſimplicis deligetur, atque conſolidetur. Huic enim theoriæ apprimè reſpondere praxin, exemplô, tum fæminæ in Angliâ natæ, tum aliarum, quibus moleſtum mammarum cancrum curavit extirpandum, ſufficienter evincit. Quòd ſi verò ægrotantis negligentiâ, vel Chirurgi culpâ, cancer in ulcus degeneràrit, fermentumque diffuſum fuerit, abſque mora, non neglectis tamen generalioribus, totam partem cancroſam, v. g. mammam, citiùs amputandam eſſe ſuadet, quàm fermentum cancri profundiùs penetrando, glandulaſque muſculorum pectoralium inficiendo, malum incurabile reddiderit. Neque adeò pertimeſcendam eſſe talem amputationem, cùm ſubitò poſſit abſolvi, omniſque hæmorrhagia, vel ſolô crepitû lupi compeſci; modò tota, v. g. mamma, tenaculô magnô, cujus manubrium in fig. 4. notatur, primùm apprehendatur, hinc cutis ſana, tenaculum & ægri corpus interjacens, quantùm fieri poteſt, digitis revellatur; integra denique mamma inſtrumentô, in novaculæ formam fabrefactô, ſubitò reſcindatur. Varia autem inter remedia, vulneri poſt vaſorum ſanguiferorum coalitum adaptanda, unguentum extollit; è ceræ flavæ ℥vj. & picis reſinoſæ ℥iv. invicem liquefactis, ac petrolei & olei lini aa. ℥iij. olei ſuccini & ſpicæ aa. ℥ij. olei camomill. olivar. ac terebinth. aa. ℥j. & ſpir. vini ℥ij. admixtis, præparatum: Tunc etiam optimum, quando profundior portio cancroſa, ne forfice quidem inflexâ omnimodè removeri valuit: Quemadmodùm aliàs, in gangrænâ etiam coercendâ, & doloribus arthriticis ſopiendis egregium. *Hæc ex Helvetiô.*

Alia quædam, rursùs alia inſtrumenta ad Cancr. extirpationem facientia videri poſſunt in Tabulis ſub Titulô *Inſtrumenta Chirurgica*, allatis: Ut & etiam ſub titulô *Mammarum Morbi*.

Cancer ulceratus cum apoſtemoſo multa habet communia, ut tumorem, duritiem, dolorem: multa particularia, ut labia tumida, dura, inverſa. Continuò ſaniem eructat tenuem & aquoſam, nigram aut fulvam graviſſimè olentem, quâ nullum eſt præſentiùs venenum. Denique ulcus eſt ipſo aſpectu horrendum, cujus differentiæ ſunt lupus, & noli me tangere. ille eſt cancer cruralis, hic in facie ab imo ſerpens ſursùm. Verùm in tibiis ſerpit citò, tardiùs in facie, niſi medicamentis irritetur, unde nomen habet. Cancro crus occupanti vulgus quotidie gallinæ carnes apponit, quarum ſuavitate furor morbi mitefcit, ſaniei malitiam benignitas carnis lenit, ſerpigo ſiſtitur, & vicinarum partium exeſio retardatur.

In aliis partibus tam externis ut mammis, & genitalibus, quàm internis, utero, retinet nomen generis, additâ parte affectâ; minus depaſcitur & dolet qui fit à pituita ſalſa, putri, converſa in atram bilem. Maximè omnium furit qui fit à flava bile pro uſtionis gradu in atram degenerante. Repurgato humore atrabilario, miſſo ſanguine, conſtitutis vitæ legibus, ſi quis affectum hunc patiatur, nec morbus magnus & obfirmatus altè jam radices egerit, totus cancer extirpetur. Nam ſi minima portio relinquatur, ſolito deterior renaſcetur. Guido ſuadet, ut abſciſſo carcinomate è fæculento ſanguine è vicinis partibus diligenter expreſſo, locus uratur: alii cauſtica, eaque non levia, ſed vehementiſſima loco uſtionis uſurpant. In quibus primas laudes habent arſenicum ſublimatum, cujus uſum ſæpè docuimus; interim vicinæ partes defenſivo aliquo muniendæ, ne dolor fluxionem & inflammationem acceſſat intra triduum ſcariham producet, qua remota, & placato dolore ulcus in modum cæterorum percuretur.

Tum verò extinctum cancrum intelligens, cùm ſubjecta caro laudabilis apparebit, nullaque inde ſanies putrida dimanabit. Inter omnia remedia laudo & probo ſequens.

℞. Radic. ſerpentar. Maio menſe vel Junio, collectam, in talleolas tranſverſum diſſectam, filo lineo trajectam, & ad umbram exſiccatam, nec parietem attingat, redigatur in pulverem tenuiſſimum, cujus ſume quantùm volueris, adde arſenici cryſtallini partem tertiam, fuliginis camini parùm, miſceatur optimè, pulvis ſervetur in pixide lignea. Carcinoma ulceratum prius acu transforetur in formam crucis, inſpergatur pulvere ſupradicto, & fiet ſcarrha, quæ circa diem duodecimum decidet per ſe: tandem uteris emplaſtro ſequenti.

℞. Galban. opopon. ſagapen. an. ℥iv. ammoniac. bdellii an. ℥viij. in aceto diſtillato ſolvantur, ſoluta exprimantur, & ad aceti conſumpt. evaporentur, & ad emplaſt. conſiſtentiam coquantur.

Poſtea ℞. Olei chamæm. ℔ ij. ol. hyperic. ℔. j. ol. laurini ℥iv. ol. Thereb. ℥j. petrolei ℔j. ceræ

novæ ℔ ij. ponantur ſimul cum prædictis gumm. & coquantur perfectè igne lento. Poſtea adde litharg. ℔ ij. ariſtol. utriuſque, olibani, maſtich. myrrh. elect. corall. rubri & albi an. ℥ iv. lapidis calamin. ℥ vj. karab. ℥ j. flor. antimon. ℥ iv. ſalis vitriol. mumiæ, camphoræ an. ℥ ij. pulveranda pulverentur, & cum ſupradictis lento igne miſceantur, continuè movendo, dum fiat maſſa emplaſtri, de qua formentur duo emplaſtra debitæ magnitudinis, unum cancro manè impone, alterum veſperi mundando qualibet vice ulcus, & abſtergendo cùm panno lineo molli & intra paucos dies curabitur.

Hoc emplaſtrum omnibus ulceribus etiam ſcrophuloſis medetur, abſque ullo alio medicamento, neque inveniri poteſt ullum præſtantius in curatione cancri.

Quòd ſi conſiſtat in parte internâ, ut utero, vel quæ exſcindi non poſſit, aut æger ſectionem, & uſtionem refugiat, contenti ſimus curâ palliativâ, quæ morbi impediat incrementum. Victus conveniens imperetur, qui atræ bilis fervorem contemperet, ut ptiſana, ſerum lactis, caro vitulina. Corpus per intervalla repurgetur, ſanguis mittatur, hæmorrhoides viris ſi ſubſtiterint, mulieribus menſes provocentur. Topica ſint linimentum ex ſucco ſolani agitato piſtillo plumbeo, in mortario plumbeo, addendo parùm camphoræ: aut ſucci penuriâ utere aquâ ſolani deſtillatâ, eâque camphoratâ. His intincta lintea ſæpè applicentur cancro; vel miſce plumbum uſtum, unguento de ceruſâ: benè faciunt quoque unguenta de minio, de ceruſâ, de tuthiâ, de plumbo, diapompholigos: lamina plumbi illita argento vivo, aut.

℞. Plumbi uſti & loti, tuthiæ & thuris an. ℥ v. olei abſynt. ℥ j. olei roſar. ℔ ß. ceræ ℥ i ß. ſucci ſolan. q. ſ. ad unguent. craſſitiem. Dolorem lenit cataplaſma ex foliis cichor. & papav. aut ex foliis alth. tritis cum paulo ol. roſacco. Vel.

℞. Tuthiæ Alexandrinæ ℥ ij. pulv. cancror. fluviat. in furno aduſtor. litharg. arg. an. ʒ i. antimon. plumbi uſti an. ʒ i ß. ſucc. plantag. gallitrici, ſolani, politrici, centinod. alleluiæ an. ʒ vj. alum. rochæ ʒ i ß. priùs colatis ſuccis, bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionem ſuccorum, deinde pulveriſentur ſubtiliter, & ducantur in mortario plumbeo, donec colorem nigrum acquirant, & utere intra cancrum ulceratum, ponendo inſuper unguentum pompholigos magiſtrale.

℞. Tuthiæ ʒ ij. mirobal. citrin. litharg. plumbi uſti an. ʒ j. calcis decies extinctæ in aqua hordei ʒ iij. ceruſæ ℥ vj. terræ ſigill. ℥ ii ß. aceti ℥ iv. ſuccor. plant. ſolan. an. ℥ iij ß. bulliant omnia ſimul uſque ad conſumt. ſuccor. & aceti, deinde piſtentur & ducantur in mortario plumbeo per tres horas, & utatur modo jam dicto. Vel.

℞. Mucag. ſem. pſyllii, lini, fœnugr. extract. in aquâ roſ. & plant. q. ſ. ex his tepidis fiat fotus. Vel.

℞. Rad. alth. ℔ ß. coquantur in hydrom. & trajiciatur, addendo ol. roſ. parùm, fiat cataplaſma; vel.

℞. Stercoris bubili ℔ iv. herbæ roberti, plantag. ſempervivi, hyoſciamii, portul. lactuc. endiv. m. j. cancros fluviat. xii. piſtentur omnia ſimul, & deſtillentur alembico plumbeo, liquor ſervetur uſui, atque de eo fiat injectio frequens in partem, vel ſi partis ſitus permiſerit, inde cancroſa ipſius ulcera abluantur, & lina carpta inſuccata ſubinde renovanda apponantur: ſic enim inflammationis acrimonia, & vis obtunditur, & dolor ſedatur; vel.

℞. Litharg. & ceruſæ an. ℥ j. terantur in mortario plumbeo, donec reducantur ad conſiſtentiam linimenti vel unguent. Vel.

℞. Plumbi uſti loti, pompholig. thuris an. ʒ ij ß. abſynth. pont. ℥ ß. ol. roſ. ℥ iij. ceræ ʒ vj. ſucci ſolan. q. ſ. fiat unguentum in mortario plumbeo cum piſtillo plumb. Theodorici emplaſtrum ad cancroſa ulcera lenienda.

℞. Olei roſat. compl. ceræ albæ an. ℥ ii ß. ſuccor. granat. & ſolan. an. ℥ ij. ceruſ. lotæ ℥ j. plumbi uſti loti & tuthiæ præpar. an ℥ ß. maſtich. ʒ ij. fiat emplaſtrum molle; vel.

℞. Thereb. vet. ℥ j. ſucci cancror. ℥ ß. ſucci lactuc. & olei roſ. an. ʒ j ß. vitellos ovor. ſub. cinerib. coctorum num. ij. caphur. ʒ ß piſtentur omnia in mortario plumbeo, fiat unguentum. vel.

℞. Spumæ argenti, axung. porci recentis, ceræ albæ an. ℔ ß. olei boni ℥ iv. vitell. ovorum aſſatorum num. iv. fiat unguentum. *Joan. Viginius Chirurg. magna lib. 2.*

Curatio cancri, quâ quidam fœliciter uſus eſt, à magno quodam viro mihi communicata, talis eſt.

℞. Rad. ſerpentar. maj. menſe Junio collectæ, tranſverſim inciſæ, & filo lineo trajectæ, & ad umbram exſiccatæ, ſuſpenſæ nè parietem attingat. in ſubtilem pulverem redactæ quantùm volueris, cui adde arſenici non ſplendentis tertiam partem, fuliginis camini parùm, omnia benè commiſc. & ſubtiliſſimè pulveriſentur, & ſerventur in pixide ligneâ. Si ulcus ſit valdè putridum, arundinaceo cultro ſcalpendum eſt; ut parùm ſanguinis exeat, & pulvis ſubtiliter inſpergendus, atque goſſipium ſalivâ madefactum, ſuperponendum, proteſtandumque eſt, quod per diem & noctem unam, dolorem moleſtum excitabit, atque pars intumeſcet, ſed quantò tumidior evadet, eò meliùs non eſt removendum medicamentum, ſed faciet eſcharam, quæ ſponte per ſe poſt octavum diem cadet; ſi poſt eſcharam elapſam, immundum remanebit ulcus, mundifica cum melle roſato, ſucco apii, & parum farinæ hordei, vel unguento iſidis, & ſuperponatur unguentum de tutia. ſi verò aliqua radix remaneret, rurſus appone pulverem prædictum, & pro removenda eſchara nihil addes, ſed naturæ permittes, ſed antequam aggrediaris curam, purga corpus competenti purgatione, & rectam victûs rationem præſcribe. *Carolus Oſtevius in epiſtola ad Laurent. Scholzium lib. 3. Epiſt. Cratonis & aliorum med. à Scholzio Edit.*

Placet hîc cancri ablationem & veram ab amico mihi communicatam, ſubjungere.

℞. Arſenic. alb. ſubtiliſſ. pulverati pt. 1. rad. ari pulveratæ part. iiij fuligin. parùm, ut in trium horum miſtione, pulvis modicè cinereus, vulgò griſeus fiat, qui ad uſum ſervandus, & quo vetuſtior, eò melior evadit, ac in quantum uſque annum durat. Hic pulvis exulcerato cancro ad craſſitiem dorſi cultri, cavendò ne bonam carnem tangat, inſpergatur, in medio tamen paulò ſpiſſius, ob mediam cancri radicem, communiter reliquis majorem. huic aſperſo pulveri goſſipium extenſum, & ſalivâ benè madidum, ut cum pulvere eò meliùs adhæreat, aliàs nihil operabitur, imponatur. Inſpergendus autem pulvis, poſtquàm æger jam paſtus fuerit, & exulceratus cancer, nullis aliis quàm ligneis inſtrumentis tangendus. In adhibitione hujus pulveris cautelæ aliquot notandæ veniunt. Ob diverſos effectus ejuſdem, aliis enim dolorem creat, aliis non item, penetrat uſque ad venas ſeu radices cancri, iiſque firmiter adhæret, ut ſine ruptione harum adimi ampliùs nequeat; quare ſemel tantùm inſpergendus, quia ejus vis, donec omnia ſecum auferat, durat. Interea nulla alia medicamenta imponenda, quia hoc ſine noxa fieri non poſſet, niſi in ambitu circumcirca, ad latitudinem 2. digitorum tranſverſorum, defenſiva, ſeu potiùs repellentia & inflamma-

inflammationem impedientia, quale hoc eſſe poteſt.

℞. Boli armen. ol. roſ. an. q. ſ. aceti roſ. parum miſce. ſolet quandoque ob penetrationem & vim medicamenti, ruptio venarum, eamque effuſio magnæ ſanguinis copiæ, & ſimul materiæ flavæ & acris, ſubſequi, quæ ubi contigerit, nullum medicamentum præter lintea duplicata imponenda, & quoties madida, renovanda; fluxio enim hæc ultra unum aut alterum diem non extenditur, hacque omnis auſertur dolor, his factis expectanda cancri ſuâ ſponte cadentis, à ſanâ carne ſeparatio, quæ continget intra 18. aut 20. dierum ſpatium: minima namque rupta radix ante hoc tempus; vi illata, totius curæ reiterationem minatur, ſeparatione hac ſecuta, ulceri ſequens pulvis in ſpergendus.

℞. Thuris puriſſ. mummiæ, maſtich. aloes, Sarcocoll. an. ℥j. opopon. opt. ʒ ß. laventur omnia aq. plantag. & roſ. fiat pulv. tenuiſſ. qui acrior reddi poteſt aucta thur. maſtich. mirrh. & ſarcocoll. quantitate, pulvere craſſo inſperſo ulceri, tale unguentum ſupra telam extenſum imponatur.

℞. Lytharg. auri ℥ij. mumm. ol. roſ. ℥i ß. aceti ros. parum: pulverata in mortario plumbeo agitata incorporentur, & ſi diuriuſculum adhuc ſit unguentum, adhito ol. roſac. mollius reddatur, Hæc 2. ſemel. in die applicare uſque ad plenam ulceris conſolidationem ſufficit, emanabit ex eorum uſu, primis diebus, materia viſcoſa, tenax & alba, quæ in dies optime extergenda, uſque ad abſolutam curam, quæ auxiliante Deo, his omnibus ritè adminiſtratis promittitur. *Felix Platerus Practic. Tom. 2. cap. 17. pag. 752.*

Hic eſt pulvis quo *Antonius Fuchius Italus* multos cancros per *Germaniam*, *Poloniam & Angliam* non ſine admiratione curavit, atque inde non exiguum lucrum fecit, & ob id Medicus cancrorum vulgò nominatus fuit. *Rodericus à caſtro lib. 1. De morbis Mulierum cap. 21. & 22. & Daniel Sennertus Practic. lib. 4. part. 3. ſect. 1. cap. 7.*

Vir quidam meis diebus in tractu Juliacenſi cancrum quemlibet ſanabat inſperſo pulvere indolente, atque tum demum emplaſtro incarnante ſolidabat; cujus ars ſecum ſepulta eſt. *Joann. Helmont.* Tractat. de *Idais morboſis.*

Si Parvus eſt cancer & non vult cedere, non dentur corroſiva fortiora, ſed inhibentia tantùm, ne ulteriùs ſerpat v. g. è Saturnô, nam Saturninis medicamentis omnium optimè hic curatur affectus. Spiritus & oleum fuliginis mirè quoque hîc proſunt.

Dentur primò purgantia, & ſanguinem putificantia v. g. Eſſent. & Ext. hellebori nigri, medicamenta ex antim. tart. ſat. Eſſent. & ſpir. ſat. Tinct. ſolari cum ſat. eſſent. ſal. armon. eſſent. ſal. fum.

Inter ſpecifica convenit perſicaria, ſolanum, virga aurea, plantago, herba cancri, rad. ſerpentariæ, aronis, ſal calcis, decoct calcis (medicamenta enim ex calce & fuligine omnium ſunt optima) aqua pomorum putridorum, ſpir. oleum & ſal fulig. ranæ calcinatæ bufones calcin. Stercus vaccinum recens. Emplaſtrum ſingulare *Penoti*, Emp. de cancris *Fabricii Hildani* quod miſceatur in mortario plumbeo, quò aliquid ſat. adhæreat. *Scherzerus in Epiſt.* pulchra tradit de pulv. benedicto. Arſenicum præpar. cum oleo arſen. proſunt. Unguenti nob. Mynſichti, Empl. Saturnin. ejuſdem; empl. de carne bubula ejuſdem.

In cancro *exulcerato* mirè commendat *Bartholus in Encyclopædia*, aquam latrabilem, quæ paratur ex cane lacte matris adhuc utente in MB. deſtillato *Joann. Michael. prax. clinic. gener.*

Conſultationes

De tumore cancroſo incipiente in Mammilla ſiniſtra pro Nobili Matrona Ravennate ad Excellentiſſ. D. Cæſarem Roſſetum Forojulienſem.

Sicuti luculenter & accuratè ſcriptis mandaſti, vir clariſſime, naturam & cauſas tumoris occupantis mamillam ſiniſtram Nobiliſſimæ patientis; ita prò ejus curatione ad rem adeò cuncta propoſuiſti, ut nihil à quolibet vel in arte verſatiſſimo his addi poſſit.

Quamobrem meam ſententiam rogatus, negare non poſſum, durum tumorem, inæqualem, magnum, indies incrementum ſuſcipientem, cùm aſperitate cutis varii coloris, & lancinationibus quidem per vices in præſentia frequentioribus tracto in conſenſum jugulo & axilla ejuſdem lateris, eſſe ſcirrhum illegitimum, ſive non exquiſitum in glanduloſo corpore prædicta mammillæ, à melancholia prædominante productum, ad atræ bilis naturam vergente, cum permixtione pituitoſæ materiæ ac proinde à carcinomatis ſeu cancri non exulcerati natura parùm degenerantem, præſertim cùm in ſuperiori loco ad partes externas ſerpat, & cutis aſperitatem producat. Nec difficile fuit Matronæ Nobiliſſimæ in prædictum affectum incurrere, ubi primùm viro fuit orbata, cum quò antea fæcunditate gaudebat. Hic autem humor nunc in majori copia genitus ſt in jecore, alioquin prræcalido, poſt inſignes animi perturbationes, & longè minori quantitate ſtatuto quoque tempore per uterum expurgatur, cùm quia ceſſant puerperia, & lactationes alias frequentes, tum quia menſes ipſi ſunt imminuti: undè facilè confluxit ab utero, & à toto corpore ad mammam ſiniſtram, tanquam partem melancholico ſucco magis redundantem, per venas quæ in ipſa ſunt valdè patentes, propter frequentem ſanguinis fluxionem ad mammas conceptionis & lactationis tempore; ſitque indè tumor & quidem durus propter repletionem à materia terreſtri & ſicca. Imminutionis autem menſium cauſa, licet antehac eſſe poterit oſculorum venarum conſtrictio, ob mœrorem, & animi perturbationes, nunc ſane eſt obſtructio producta à ſanguine craſſiore, & magis fæculento reddito, propter cauſas prædictas, & temperamenti mutationem hac ætate, quæ juventutis limites exceſſit, concurrente quinetiam cruda, & pituitoſa materia à frigido ventriculo genita, & per otium, ac vitam ſedentariam majori copia congeſta.

Cùm autem hæc ita ſe habeant, difficillimum ſane fore reor præſervare Matronam Nobiliſſimam ab imminente cancro & longè magis eandem ab affectione præſenti liberare, propter refractariam, & rebellem naturam prædominantis humoris, niſi menſes liberaliùs fluxerint, ipſis enim liberiùs fluentibus, præcavendi cancri ſpes aliqua affulgere poſſet.

Quare primò & potiſſimum curanda eſt libera menſium expurgatio, quò intercipiatur fluxio; 2. materia jam fluxa digerenda: ac tandem ejuſdem regeneratio prohibenda, refrigerando jecur ventriculumque roborando. De capite enim non eſſem valdè ſollicitus; quandoquidem cenſeo illud affici potius per conſenſum ab infernis partibus, quàm per eſſentiam. Prædictis autem intentionibus ſatisfaciemus Medicis præſidiis ex Chirurgiâ, Pharmaciâ, & Diætâ depromptis.

Quare inter chirurgica laudatur primò venæ ſectio ſaphenæ dextri pedis, vel venæ ſub poplite, ſi apparuerit tanquàm utero proximæ à quibus ſanguis educatur ad uncias decem circiter, præmiſſo fomento, & fricatione, ad faciliorem ſanguinis craſſi evacuationem. Mox aperiatur interna jecoraria ſiniſtri

Hh 2 brachii

brachii pro derivatione à parte affecta, ſingulisque menſibus tundenda erit ſaphena dextri pedis, vel aperiantur venæ hæmorrhoidales, ſi intumuerint. Perſiſtat in frequenti crurum & pedum lotione cum *lixivio dulci*, alterato *malva*, *althæa*, *floribus chamæmeli*; *matricaria*, *artemiſia*, *& origano*, urgente affectu; applicentur duo veſicantia internis femoribus, & aliquot dies in ulcus ſerventur, ipſiſque juvantibus, eidem loco duo fonticuli inurantur.

Inter Pharmaceutica, præferantur *aloëtica* cum *flore caſſiæ* recens extractæ, & *Diaſenna*. Præparentur humores *ſyrupis de pomis*, *de ſucco borraginis*, *de cichorio*, cum decoctione *cichorii*, *borraginis*, *lupulorum*, *capillorum veneris*, *& agrimoniæ*. Purgentur *Rhabarbaro*, *agarico*, *& foliis ſennæ* infuſis in decocto *Cordiali*; addito *ſyrupo de polypodio compoſito*, *violato ſolutivo & manna*. Repetatur humorum præparatio ſyrupo de fumaria compoſito, de chycorio cum rhabarbaro, & oxymelite compoſito, cum decoctione matricariæ, fumariæ, capillorum veneris, cichorii, ceterach, & agrimoniæ; præmiſſo bolo ex trochiſcis de myrrha & de Eupatorio. Purgetur deinde corpus eodem medicamento, addita decoctioni radice hellebori nigri. His peractis, inſiſtendum eſt iis quæ menſes provocare poſſunt: in quem uſum præſcribatur decoctum ex radice chinæ, ſalſa parilla, & modico ſaſſafras, paratum cum gallo juniore flagellato, & exenterato, ſalito decocto, in ſufficienti aquæ quantitate, in qua infundantur ligna prædicta diem naturalem, additis radicibus fæniculi, Petroſelini & aſparagi, ad conſumptionem medietatis, quibus accedant ſub finem cichoreum, capilli veneris, borrago, malva, & meliſſa; ſumatque ſingulis matutinis horis, uncias quinque prædicti juris in aurora, affuſis octo, vel decem guttulis chalybis potabilis, & uncia una ſucci cichorii depurati, præmiſſo bolo ex ammoniaco, & trochiſc. de myrrha. Cùm hoc viginti, & plurimum dierum ſpatio uſa fuerit, in rem erit ſerum lactis caprini optimè depuratum, cum cremore tartari, & ſucco limonum, exhibitum alternis vicibus, cum decoctione epithymi Meſues, & emulſione ſeminum quatuor frigidorum majorum ad libras duas, qualibet vice dies duodecim. Quod ſi ipſum dejici non contingat, addantur unciæ tres mannæ electæ in eo diſſolutæ. Externa localia ſint, quæ accuratiſſimè fuerunt propoſita à viro præclariſſimo; quibus ego libenter ſanè ſubſcribo, prout laudo illam victûs rationem, quæ ab eodem rectè inſtituta eſt hoc addito, quòd ſi nupſerit, ſummo futurum ipſi juvamento. *Benedict. Sylvatic. Conſil. & reſponſ. Medicin. Cent.* II.

De tumore duro, dolorifico Mamillæ dextræ, pro Illuſtriſſ. Comit. Sarega Veronenſi.

Illuſtriſſima & Elegantiſſima Matrona, temperamenti calidi, & humidi annos nata 46. boni habitûs, poſt numeroſam prolem feliciter in luminis oras editam, varias animi perturbationes perpeſſa, ceſſantibus menſtruis purgationibus, ſex ab hinc menſibus, conqueri cæpit de parvo quodam tumore mammillæ dextrę, avellanę magnitudinem non excedente duro, ad validam compreſſionem dolorifico, & per vices vellicante ac pungente, qui deinde in majorem molem excreſcens, inęqualiter expanſus, majorem dolorem infert, cum livido cutis colore, venarumque circum excurrentium nigricante turgentia, pro cujus curatione plura fuerunt hactenus fruſtra adminiſtrata. Propterea de agendis conſulit.

Quod ut fiat, primò natura præſentis Tumoris proponenda, ejuſque cauſę in medium adducendę, quò poſtmodum ſtatuamus an curari poſſit necnè, & quibus præſidiis. Ex enarratis itaque compertiſſimum eſt, tumorem hunc non eſſe œdematoſum, quia durus, etſi non Scirrhoſum, quia dolorificus, non eryſipelaceum, quia in magnam molem excreſcit; neque phlegmonoden, quia progreſſu temporis vel diſcuſſus, vel ſuppuratus fuiſſet, atque ideò alterius generis eſſe non poſſe, quàm cancroſum; cùm ſit durus, dolorificus, inęqualis, cum venarum circumpoſitarum turgentia nigricante, cutiſque proximę livore.

Hujus proindè affectus cauſa eſt ſanguis craſſus, ac atrabilaris, genitus à jecore fervido, congeſtus per animi pathemata, magiſque exuſtus, cùm per uterum ſtatutis temporibus non expurgatus fuerit, prout antea, fluentibus menſibus, magiſque in puerperiis; Idque cùm ob ejus craſſitiem, oſculorumque venarum adſtrictionem à prędictis perturbationibus animi, tum & obſtructionem ab eadem ſanguinis craſſitie inductam: qui propterea ad mammas tranſmiſſus per venas epigaſtricas ampliores, & laxiores redditas à partubus præteritis frequentioribus, in mammilla dextra jecori proxima, & forſan imbecilliore, humorem cancroſum produxit, accedente incompoſita victûs ratione.

Quibus ſic habentibus, quid de hoc affectu prędicendum ſit nos docuit Hippocr. 6. aph. 8. dum prodidit, cancros occultos melius eſſe non curare; *curati enim* inquit, *citius pereunt*, *non curati diutiùs perdurant*. Per cancros occultos, non illos tantùm intelligens, qui ſunt in penitioribus partibus ſed etiam qui non ſunt exulcerati, ut optimè explicavit Gal. in com. Quocirca ex Hippocratis ſententia, incurabilis eſt affectus. Qua de re fuſius diſſerens Galenus in commentar. ſtatuit, cancros ipſos curari non poſſe niſi ſectione vel uſtione. *Hæc enim ſola*, inquit *cancro facto comparata ſunt remedia*: *quotquot autem cancros ejuſmodi cura magis ſunt aggreſſi irritaſſe, brevique homines necaſſe*; *ulcera namque cancroſa ad cicatricem perducere non potuerunt*, *ſed homines affligentes curatione*, *ad mortem uſque excarnificarunt.* Incurabilis propterea pronunciandus pręſens affectus; quinimò irratus citius exulceratur. Non tamen ſolo prognoſtico ſunt relinquendi ægroti, quò ſaltem prohibeatur majus incrementum, & exulceratio.

Hoc autem ut fiat, divertenda eſt fluxio, conſulendo toti, contemperando malam humoris peccantis qualitatem, & ipſum alio divertendo; non omiſſis levioribus quibuſdam localibus ſubadſtringentibus, ne pręceps adeò fluat humor ad partem affectam. Quare purgetur diligenter totum corpus per lenientia, præparantia, & purgantia melanagoga, & à longinquis partibus trahentia: in quem uſum *extractum Hellebori nigri* primas partes obtinebit, cæteris Viro pręclariſſimo notiſſimis, brevitatis gratiâ ſilentio tranſmiſſis.

Sanguis interim cùm ex Saphena utriuſque pedis, tum ex venis ſedalibus alternis vicibus erit educendus, ſinguliſque menſibus ex venis ſedalibus mittetur, quò ſi fieri poſſit, natura aſſueſcat huic evacuationi.

Contemperandus interea erit ſanguis internis & externis atque inter interna, *ſerum lactis caprini* optimè depuratum ſummopere conferet, diureticum potiſſimùm redditum cum emulſione ſem. melonum & ſyrup. capillorum exhibitum cum cinere cancrorum fluviatilium, tanquam à proprietate juvantium aliquando etiam dejectorium redditum cum infuſione foliorum *ſennæ* & *Epithimi*; pergendo in uſu ipſius quindecim dies circiter, dummodo libere permeet, ab ipſius uſu *lac ipſum aſininum* ſingulis matutinis horis exhibeatur ad unc. iiij. circiter, pro tolerantia

ventriculi

ventriculi cum modico *ſaccharo* & buccella panis eo imbuta, perſiſtendo in uſu pulveris *cancrorum* propoſitorum 20. & plures dies, ea cautione adhibita quam poſtulat lactis uſus, quò concoquatur, & non aceſcat in ventriculo; atque ideo cæna ſit parca, & prandium ſumatur quinque ab illo horis. Atque hæc pro diverſione, & alteratione ſatis. Dubium eſt de localibus, utrùm ſcilicet repellentia ſint adminiſtranda. Hinc enim præſcribenda viderentur, ad intercipiendam majorem fluxionem, cùm obſervemus intumeſcere in dies partem affectam, indicio manifeſto continuę fluxionis, quę propterea aliò repellenda videtur, parſque affecta ſub aſtringentibus roboranda, nè adeò ſit opportuna fluenti materię: ex alia verò parte habemus Hipp. pręceptum ſuprà relatum *Cancros occultos melius eſſe non Curare*, imò Galen. 3. de Medicament. compoſitione ſecundùm loca, capite de Parotide, ſcripſit. in Parotidibus curandis non eſſe repellentia medicamenta adhibenda, ſed potiùs attrahentia & evocantia; cùm tamen Parotides fiant in partibus glandulоſis retro aures, non aliam ob cauſam niſi quia repellentia poſſunt retrudere materiam ad cerebrum. Quantò magis igitur abſtinendum in humore cancroſo mammillę cordi proximæ ab iis quibus materia facilè repelli poteſt, vel ſaltem impingi, & inculcari magis in parte affecta ob craſſitiem, atque ita acrior reddita exulcerationem celeriùs inducere. Quare ſtatuendum cenſeo, quod ſi eſſemus in principio morbi fiente (ut ita dicam,) tunc non eſſet abſtinendum à levioribus quibuſdam repellentibus, permixtis cum levioribus digerentibus. In quem uſum uti ſoleo *Oleo roſato completo*, agitato in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo, ad mediocrem conſiſtentiam. Hujus enim linimenti beneficio non ſemel ſuperavi cancros incipientes, repulsâ, & reſolutâ materiâ peccante, ad validiora autem repellentia neque in progreſſu deveniendum erit; non in principio, quoniam denſatâ magis ſpongiosâ mammillarum ſubſtantiâ ſanguis non raro recurrit ad uterum, ubi generatur cancer, ut ego aliquando obſervavi; minus in progreſſu, quoniam accelerant exulcerationem, prout accidit Illuſtriſſimæ noſtræ patienti, cui ego aliquot dies Patavii dedi operam, qua poſtmodum in ſpem erecta perfectæ curationis à comite Bruſchio Medico celeberrimo Mantuano, Mantuam concedens, variis, uſa eſt remediis à quibus ulceratus fuit cancer. Reverſa demum Venetias, mulieri empiricæ ſe commiſit, brevique temporis ſpatio fato functa eſt. *Benedictus Sylvaticus conſult. & reſponſ. Medic. Centur. 2.*

Tumor cancroſus in mammâ dexterâ.

Illuſtriſſima Matrona annorum quinquaginta, temperamenti & totius & hepatis præcalidi, cui nondum erant ſuppreſſæ purgationes, ſed tantùm imminutæ, menſe Februario, & paulò ante in tumorem durum mammæ dexteræ incidit, rotundum, inæqualem, cum aliquo dolore dum comprimeretur, & quandoque citrà, cum vellicationibus & laucinationibus internis uſque ad jugulum & maxillam dexteram, cui per vices addebatur inſignis ardor, & incendium. Et quia brevi incrementum ſuſcepit, ut timorem ei incuteret, conſuluit Medicos exteros, quorum aliqui tumorem cancro finitimum ſtatuere, aliqui ſcirrhum ſpurium, vel cancrum occultum cujus cauſa eſſet lympha ſpuria, acido acris, ſive ſerum concreſcibile; alii imperfectum cancrum ſeu propriùs tumorem cancroſum à ſanguine melancholico aduſto; alii eſſe Carcanaum Hiſpanum, quid medium inter cancrum & ſcirrhum, alii imminentem cancrum. Quæ opiniones licet primâ facie diverſæ poſſent dici, intimiùs tamen perſcrutanti parùm vel nihil differre, quiſque cognoſcere poterat: cùm in curatione parùm vel nihil fuerint diverſæ, quoad partem chirurgicam, inſtantibus menſtruis, ſecta fuit vena in talo: ſemel medio tempore eductus eſt ſanguis ex brachio, à quâ evacuatione inſigne percepit levamen, ita ut conſueto tempore, natura aliquid ſponte eduxerit. At quia ſequenti menſe non apparuere, repetita fuit evacuatio per talum, nec ampliùs apparentibus, & cum aliquali dolore, hirudines venis ſedalibus applicitæ ſunt, quæ optimè contulere. In fine menſis Auguſti partibus infernis inuſtum fuit cauterium, & frequentes factæ pedum lotiones: decretumque fuerat balneum, alteratum malvâ, violis, parietariâ, & ſimilibus uſque ad thoracem, verùm temporis conditio vetuit. Quoad partem Pharmaceuticam, aſſumpſit jus alteratum malvâ, endiviâ, cichorio, lupulis, addito ſyrupo de pomis ſimpl. & acet. ſimpl. aromatizat. aquâ florum citri; & poſt ſex aut ſeptem dies, aſſumpſit caſſiam cum cremore tartari, & ſic per 20. vel 22. dies, repetendo ſingulis ſex vel ſeptem diebus eandem caſſiam, unà ſemper cum ℔ij. ſeri caprini depurati. Hiſce tranſactis, ad novam præparationem deventum eſt, ex decoctione in jure ſine ſale, fol. fumar. lupulorum, cichorii, ſonchi, ſem. citri, cum ſuccis malvarum, endiviæ, borrag. & pomorum, & ſingulis quinque vel ſex diebus caſſiam deglutiebat cum extracto ſenæ & rhab. & poſt duas horas ſerum caprinum depuratum: & ſic per multos dies inceſſit, & ultimò caſſiam aſſumpſit, cum extracto ſenæ, & extracto hellebori nigri. Deventum poſteà fuit ad ſerum caprinum, quod per aliquot tantùm dies aſſumpſit, quia ſe valde tumefieri, eo aſſumpto, experiebatur. Nec ad aquam nocerianam deventum eſt, tantam molem aquæ timens, unde poſtea lac aſinę aſſumere cœpit 17. Junii, in cujus uſû adhuc progreditur, repetendo per vices caſſiam cum cremore tartari (illo tamen intermiſſo per 10. vel 12. dies) & per totum pręſentem menſem progredi decrevit, ab hiſce purgationibus ſe magis vegetam experitur, & ad obeundas actiones magis agilem: ut plurimùm dolorem in loco affecto non perſentit, per vices quidem, verùm raró aliqualem calorem ex infernis partibus elevatum ſenſibiliter percipit. Poſt aliquot dies, cum levi dolore, & ferè momentaneo premeretur, adnotavimus quod ambę papillę intus recluduntur, ut ſuprà ipſas rima quędam obſervaretur, dilatatâ verò rimâ, partis lęſę excoriatio quædam ſuperficialis apparuit, quę ſimplici unguento de plumbo brevi fuit exiccata, ut nihil modò appareat, nec de dolore aut calore ulla querela. Pro duritie mollienda & diſcutienda remedia quęrit; aſt quia reor ipſi non undequaque eſſe tutum hujuſmodi remedia pro nunc adhibere, potius quid per ſe purgatio profecerit, obſervarem; tempus enim conſilium dabit, & an ſalutare ſit futurum aliquod decoctum ex arte, à Viro celeberrimo audire pergratum mihi fuerit.

De nomine tumoris Matronam Illuſtriſſimam ſeptem adhinc menſibus moleſtantis ambigendum non eſt. Etenim relictis novatorum terminis, utpotè fuco & plerumque dolo infectis, nos Hippocrati atque Galeno adhærentes, tumorem jam dictum, atrabilarem naturam redolentem, rectè atque propriè cancroſum nominabimus, non autem cancrum, quoniam non à puro atrabilari humore, hoc eſt, non ab atrâ bile ſuperaſſata, & prorſus pręter naturam exiſtente, verùm & à portione melancholici humoris naturalis, licet inutilis, & forſan etiam non ſine aliquâ pituitosâ miſturâ proveniſſe credo; ut propterea medicamentis jam adminiſtratis non parùm ceſſerit, ſicque morbum & morbi cauſam, ut dicebat Hippocrates, oſtendat ſanatio, & pręterea non

non adeò abundare melancholiam præter naturam ſignificavit excoriatio, jam in læſa mamma ſequuta, & ſtatim medicamento exiccante appoſito agglutinata, cùm tamen ulcera à verâ atrâ bile inſanabilia ab eodem Hippocrate cenſeantur. Quod ipſa quoque confirmat quotidiana experientia, & idcirco non adeò malè ſenſerunt aliqui in relatione adducti, quod idem tumor ſapiat etiam naturam ſcirrhi. Siquidem à melancholia naturali valdè exiccata, at non exuſta ſcirrhus ipſe gigni ſolet, cui dum pituitæ ac pituitoſi ſanguinis portio aſſociatur, non ampliùs ſcirrhi ſed ſcirrhoſi tumoris nomen acquirit.

Et quamvis de nominibus certare inutile quandoque Galeno viſum fuerit, utile tamen evadit, quotieſcunque natura morbi ejuſque cauſa, ut in caſu noſtro in nomine continentur.

Ex his autem adductis metiri difficile non eſt, quanto receſſu à naturali ſtatu, ab optima ſcilicet temperie diſtet tum ſanguis in toto, tum hepar, & cor mulieris illuſtriſſimæ; omnia namque juſto calidiora, non verò calidiſſima eſſe cenſendum; alioquin & ætas bilis atræ ferax, & menſtrua purgatio prorſus ſuppreſſa cancrum legitimum atque exquiſitum produxiſſent.

Sunt hujuſmodi affectus valdè contumaces, & periculi pleni: partem enim mollem atque ſpongioſam, ubi ſemel craſſus humor apprehenderit, difficilè attenuari, reſolvi & deſtrui poteſt: quinimò alium advenientem humorem facilè admittere ſolet; eoque faciliùs in hac illuſtriſſimâ, aliquam in mammis malam conformationem à natura ſortita, & præſertim hâc ætate conſueta menſtruorum expurgatione deſtituta & ideò non exiguum afferret auxilium Illuſtriſſimæ Matronæ Medicus ille qui tumorem hunc, partim cancroſam, partim ſcirrhoſam naturam obtinentem, in ſcirrhum perfectum totum permutari curaret, quod faciliùs, quàm reſolvere ego non ſemel expertus ſum.

Interim ab inceptis minimè deſiſtendum; ſiquidem quæ adminiſtrata juvant, repetita ſanant, dicebat ille, & ideò perpauca jam adminiſtratis mihi reſtant addenda: videlicet ut humor peccans à parte affecta revellatur, & divertatur, imò & evacuetur, 2. ut ejus acrimonia atque aciditas contemperetur. Tertiò ut viſcerum intemperies calida moderetur. Quartò ut tumor ipſe potiùs repellentibus & refrigerantibus, quàm reſolventibus, & calefacientibus tractetur. Quintò à proprietate juvantia non negligenda; atque tandem doloris ratio ſemper habenda, ut qui attrahendi vim obtineat.

Quibus intentionibus ut ſatisfacere conemur, in fonte Chirurgico ſtatim conſideranda venit ſanguinis miſſio, quę ſicut opportuniſſimè à viro doctiſſimo jam bis terque adminiſtrata fuit, ita præſenti autumno omninò deſerendam non eſſe arbitror, ex pede ſcilicet aut hæmorrhoïdibus, imò etiam ex brachio; ſi jam ex eodem eductus ſanguis, craſſus, & niger obſervatus fuerit.

Cauterium cuſtodiendum: pedum lotiones non omittendæ, & tumori medicamenta infrà deſcribenda applicari poterunt.

Ex fonte quoque Pharmaceutico aliqua erunt depromenda, & repetenda remedia, tum alterantia, tum electivè purgantia, antequàm hybernum tempus accedat; quibus ſemper ſuccedant potiones refrigerantes, anteactò quoque tempore propinatæ. Et quoniam hyeme adventante, lac proprias vires atque dotes ratione paſcuorum amittere ſolet, ideò impoſterum ſupplebit lac arte factum ex ℥ij. ſem. melon. mundat. & ℥ß. ſem. angur. & cucurbitæ, cum jure pullæ extractum, cui addatur ſacchari albi cochlear: vel fiat emulſio ex iiſdem ſeminibus in aqua ſtillat. aut borag. ſummò manè quotidie aſſumenda, & in uſum diuturnum ducenda.

Quoniam verò, ut ſuprà dictum fuit, intentio noſtra dirigi debet adverſus naturam cancroſam, utpote magis urgentem atque moleſtam, non autem ſic contra ſcirrhoſam, quæ in noſtro casû deſiderabilis eſt, idcirco à quocumque decocto attenuante, tum exiccante, tum emolliente abſtinendum eſſe opinor, quale eſſe poſſet, ex ſalſaparilla, radice althææ & liquiritiæ, in aquâ ſtillat. borag. & virgæ aureæ paratum: hoc enim nonniſi humori ſcirrhoſo carcinomatosâ naturâ carenti convenire poſſet, ut propterea emulſionis jam præſcriptæ uſus vice decocti multò magis mihi arrideat.

Potiùs venturo tempore hyberno, terminato emulſionis uſû, in uſum ducere poterit Matrona Illuſtriſſima medicamen aliquod à proprietate juvans, pulverem nempè cancr. fluviat. ad ʒj. ſingulo manè per menſem in aquâ virgæ aureæ & cardui ſancti.

Et interim topica erunt adminiſtranda, alia tumorem, ejuſque cauſam, alia dolorem reſpicient: & primi ordinis erit tale linimentum.

℞. Succi ſolani, virgæ aureæ, malvar. ranarum, virid. an. ℥j. pulv. pompholygis, cancr. fluviat. ceruſſæ, camph. an. ʒj. olei roſat. compl. ℥j. olei de plumbo ℥iß. m. ſ. & adſervetur in mortario plumbeo. Pro doloribus verò.

℞. Olei roſat. compl. ℥ij. de vitellis ovorum ℥j. de plumbo ℥ß. aq. ſtillat. ex albuminibus ovorum ℥ij. m. reſor. & aſſervetur in mortario plumbeo. Lac quoque è mamma muliebri mulctum, imò & tumori ſtatim aſperſum dolores egregiè ſolet lenire.

Quibus jam dictis omnibus congrua erit addenda victûs ratio Medicis jam dictis intentionibus proportionata; quæ ab Excellentiſſimo & Eruditiſſimo Viro erit præſcribenda, cujus ſummæ prudentiæ, etiam reliqua omnia opportunè diſponenda libenter remitto. *Joan. Raym. Fortis Conſultat. & reſponſ. Medic. tom. 2. Cent. 2.*

Cancer exulceratus in mammilla.

Tumor carcinomatoſus primò ſine ulcere, atque tandem ulceratus, non ſolùm diligenti calamo delineatus, verùm & doctiſſimo penicillo depictus ab Excellentiſſimo Viro in tranſmiſſâ paginâ, offertur mihi potiùs conſiderandus, quàm curandus, & potiùs protrahendus atque leniendus, quàm auferendus; in quem finem recenſendæ ſunt cauſæ à viro præſtantiſſimo in Hiſtoria annotatæ, natura nempe illuſtriſſimæ mulieris, virilis potiùs quàm fœminea ad omnes operationes aptiſſima atque promptiſſima, & ideò juſto calidior, tum in hepate, tùm maximè in corde, indeque in toto arterioſo atque venoſo genere, unde calidioris, & in progreſſu exuſti ſanguinis neceſſarius proventus, nec purgationibus menſtruis ſatis defœcati; quam quoniam à maſſa ſanguinea natura nunquam tentare deſtitit, ideò ad partem, ſubſtantiâ in mulieribus imbecilliorem, tandem detruſit, ad mammam ſcilicet quò ab arteriis impulſus, nec à venis reaſſumptus, utpotè craſſus, aduſtus, & ideò ad nutritionem ineptus, in parte relictus, humorem cancroſum excitavit, exiguum primò, ſed tandem ad ovi magnitudinem evectum. Et quoniam atrabilaris ſanguis in dies pejorem conditionem & acredinem acquiſivit, ideò tandem tumor ipſe ulcus contraxit, non ſolùm dyſepuloticum & cacoëthe, verùm etiam œththode & verbo cancerosum. Neque ab hoc decreto nos abducere valet purulenta materia aliquando viſa, cùm impoſſibile non fuerit, portionem aliquam carnis non cancerosæ in pus ceſſiſſe, quod tunc melioris conditionis ulcus nobis repræſentaret: ſi apparere & effluere perſeveraſſet.

Quibus ita ſe habentibus, vera & legitima hujus curatio

curatio alia eſſe non poteſt, quàm partis amputatio, cùm eumdem infiltratum non eſſe ex ſcriptis conjicere poſſim; & licet barbara videatur, barbaries tamen ferè ſemper ſalutaris evadit, terrificâ quidem verùm apud nos rariſſime in perniciem deſinens. At quoniam rariſſimi quoque à mulieribus præſertim delicatioribus admittitur hoc remedii genus, id verò pro palliativa curatione inſtituenda, ſanguinis impuritas, quoad fieri poteſt removenda; ejuſdem acrimonia atque aciditas demulcenda; viſcerum calor contemperandus & à Chirurgica manu ulcus congruis modò detergentibus, modò ulteriorem corruptionem inhibentibus, modò anodynis tractandum, congruâ præſcriptâ vivendi ratione.

Quibus intentionibus ſatisfaciendum erit, ſuis loco & tempore, parcâ & potiùs repetitâ ſanguinis miſſione. Præterea ſuccorum endiviæ atque boraginis per arenam depuratorum; in jure cichoraceis & malvâ alterato, per hebdomadas exhibitione; iteratâ interim humoris melancholici electivâ eductione hellebori extracto; & ſenę, nonnunquàm caſſiæ immiſto, ſeroque lactis depur. ad libras ſuperhauſto; atque tandem lactis aſellę diuturno uſu: quibus addere placet pro mammâ tuendâ, & ad putrilaginem ſeparandam, oleum antimonii cautè adminiſtrandum, ſuperimponendo aliquod magneticum attrahens, cui ſuccedat uſus olei mercurii dulcificati; ſunt enim egregia medicamenta, ſed hiſce caſibus cum grano ſalis adminiſtranda.

Quibus omnibus ratio victûs addatur refrigerans & humectans, adeò ut lactaria omnia in uſum ducantur: fructus & olera concedantur refrigerantia, piſces ſaxatiles non prohibeantur; vinum ſit album, non dulce, non generoſum, & ſi quandoque ſitis urgeat, bibat aquam boraginis, vel ex boragine, & pomis dulcibus deſtillatam. Hæcque pauca Viro ſapienti ſufficiant. *Joan. Raym. Fortis conſultat. & reſponſ. Medic. tom. 2. cent. 2.*

Cancer incipiens in mammillâ.

Fœmina 30. annorum temperamento melancholica, jam à duobus menſibus, tuberculum habet in mammillâ ſiniſtra magnitudinem avellanæ adæquans, tactû durum, parùm dolens, ſed dum comprimitur, dolorem exhibet punctorium, velut ab acûs punctione profectum. Jam per ſex menſes ipſi ſubſiſtit menſtruorum fluxus.

Pars affecta in hâc ægrâ eſt *mammilla ſiniſtra*; quod ex tactû patet, quo tuberculum illud durum in mammillæ ſiniſtræ carne glandulosâ percipitur.

Morbus quo hæc ægra laborat, eſt tuberculum atrabilare recens, quod *cancer incipiens* appellari ſolet. Iſque ex duritie & dolore punctorio, poſt compreſſiones, in ipſo percepto; & prætereà ex menſibus per ſemeſtre ſuppreſſis, cancrum ſæpè producere ſolitis, eſt manifeſtum.

Poteſt hic cancer dici *manifeſtus*, quoniam tactû facilè deprehenditur, atque etiam *occultus*, quia non eſt ulceratus.

Procatarctica hujus morbi *cauſa* eſt menſtruorum ſuppreſſio, ante hunc affectum per aliquot menſes facta; inde enim humores pravi, qui ſingulis menſibus erant evacuandi, in corpore noſtræ ægræ fuerunt retenti, iique per totum corpus diffuſi præbuerunt *antecedentem* huic morbo *cauſam*. Pars verò eorum ad mammillam ſiniſtram delata, ibique poros plus juſto apertos inveniens & per eos ſeſe in glanduloſam mammillę carnem effundens, ac ibidem craſſeſcens, acrimoniamque atrabilarem & duritiem per particularum tenuium diſſipationem, craſſarum & acrium verò retentionem & cohæſionem adipiſcens, continens hujus duri tuberculi; & ex compreſſione, punctorii doloris ſenſationem præbentis, hoc eſt, *cancri incipientis* eſt *cauſa*.

Eſt *metus*, ne tuberculum hoc in cancrum inveteratum, imò nè in carcinoma, ſive in cancrum exulceratum, degeneret.

Curatio itaque circumſpecta, & prudens quàm primùm eſt adhibenda *eaque primum* conſiſtet in menſium provocatione, & corporis expurgatione, *& deinde* ubi illa rurſus fluxerint, in tuberculi exciſione, & mammillæ conſolidatione, ſed quia ægra talem curandi rationem forſan haud admittet, idcirco menſium provocationi, & corporis evacuationi ſtudebimus, & tuberculi incrementum impedire conabimur.

Primò itaque præſcribatur tale apozema menſes, ſanguinemque expurgans.

℞. Rad. valerianæ, ariſtolochiæ, bryoniæ, gentianæ, cyperi an. ℥vj. fol. abrotani, artemiſiæ, marrubii albi, matricariæ an. m. j. meliſſæ, majoranæ, ſalviæ, rutæ an. m. ß. ſem. rutæ, amomi, nigellæ, agni caſti, aniſi an. ℥j. flor. camomill. abrotani, matricariæ, centaur. min. an. p. j. decoq. in æq. part. aq. com. & vini albi, ſub finem additis, addendo in fine decoctionis fol. ſennæ ℥i ß. turbith. agar. trochiſc. mechoacannæ, jalappæ, an. ʒ j. in colaturâ diſſolve ſyr. de artemiſiâ, de hyſſopo an. ʒ j. m. f. apozema de quo ſumat quotidie ℥iij. vel iv. jejuna, idque reiterari poſtea poterit:

Venę ſectio hîc etiam erit adhibenda, primùm in brachio, & deinde circa tempus quo menſes fluere antea ſolebant, in talo.

Dum hæc aguntur, ipſi mammillæ tale adhibeatur unguentum.

℞. Succi plantaginis, ſolani, geran. robertiani, ſymphyti an. ℥ij. ol. roſar. omphacini ℥iij. ſub radiis ſolaribus ſimul agitentur in mortario plumbeo, donec ut gluten craſſeſcant.

Vel ℞. Ol. roſati completi, lactis an.℥j. tuthiæ præp. pulveriſ. ℥j. agitentur in mortario plumbeo ad conſiſtentiam unguenti.

Alii laminam plumbeam argento vivo oblitam adhiberi volunt. *Victus* ſit humectans & attenuans: alimenta euchyma ex pane bene fermentato, ovis ſorbilibus, pullis gallinaceis, carnibus vitulinis, vervecinis, vitentur ſalſa & acria. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicat. lib. 4. cap. 20.*

Fœmina 30. annorum poſtquàm menſes ipſi inordinate & parce aliquamdiu fluxiſſent, percepit ſibi in dextra mammilla paulatim quoddam tuber ſubnaſci durum & ſubinde dolens. Ejus emollitio & diſcuſſio multorum remediorum uſu per ſeſquiannum hactenus fruſtra fuit tentata. Jamque illud ad ingentem magnitudinem excrevit, & frequentibus punctionis acutæ ſenſationibus ægræ eſt moleſtum. Tuber hoc nec pectoris oſſibus, nec muſculis, firmiter annexum ſentitur.

Pars affecta in hâc ægrâ eſt *mammilla dextra*, uti ex viſu & tactu eſt manifeſtum. *Morbus* qui eam affligit, *ſcirrhus* mammillæ dextræ, ad cancri naturam jam vergens.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt menſium inordinatus & parcus fluxus, aliquamdiu durans; hinc enim, cùm ſanguis à ſuis excrementis non ſatis emundaretur, cacochymia multa melancholica in hujus ægræ corpore fuit genita, quæ *antecedentem* hujus morbi conſtituit *cauſam*. Hujus verò pars in mammillam dextram, propter poros ejus ibidem præ cęteris magis patentes, copioſiùs ſeſe effundens, eamque ſuâ copiâ & craſſitie diſtendens, & in *tumorem* attollens; *duritiemque* ſua partium firma cohęſione, & *dolorem punctorium* ſuâ acrimoniâ ipſi concilians, *continens* hujus morbi, ejuſque doloris, & incrementi eſt *cauſa*.

Cùm hoc malùm nullis medicamentis, etiam optimis, hactenus ceſſerit; incrementumque tum tumoris, tum doloris, perpetuò inter curandum ſit factum;

metus eſt, ne hic tumor ſcirrhoſus, majorem malignitatem contrahens, in perfectum cancrum, imò in carcinoma, degeneret.

Atque ideò, cùm hoc tuber nullam firmam cum oſſibus pectoris, vel muſculis pectoralibus connexionem habeat, ad *Chirurgiam* veniendum cenſeo, *eaque* hâc ratione erit inſtituenda.

Primò apprehendat Chirurgus mammillam dextram manu, digitiſque ſe paulatim magis, magiſque contrahentibus premat apprehenſum tuber verſus anteriora, idque in tantum ut cutis mammillæ exterior apreſſo, & propulſo tubere tenſa appareat. *Hoc* facto, incidenda mammilla inciſione rectâ in ipſum tuber penetrante; tuberque *deindè* acû falcatâ transfigendum, & ope acûs falcatæ infixæ, & digitis Chirurgi apprehenſæ, ipſum tuber cum mammilla, à pectore verſus exteriora aliquantum protrahendum. Tumque ut mammilla foris minùs deformetur, ipſum tuber ſcirrhoſum à ſanis & vicinis partibus magna circumſpectione cultro ſeparandum, & penitus eximendum, ita ut nulla tumoris vel membranæ, eam forſan involventis, pars ſuperſit. *Hæmorrhagia* poſteà aptis remediis eſt ſiſtenda, ægraque ad lectum deferenda, & porrò ulceris *ſanatio* per apta remedia ex arte procuranda. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen. Medicat. lib.* 4. *cap.* 21.

Obſervationes.

Pro cancro labrum ſuperius obſidente.

Vir quidam *Monſpelii* degens circa finem hiemis correptus fuit exiguo tuberculo labrum ſuperius obſidente, quod in dies incrementum capiens in tumorem cancroſum tandem degeneravit, in auxilium vocatus, curationem ſic aggreſſus ſum.

℞. Rad. Bugl. & cichor. an. ℥j. fol. agrimon. borrag. ceterach. & veronic. an. m. ß. coq. cum pullo gallinaceo, in colat. diſſolv. crem. tartar. ʒj. f. juſculum quod capiat manè per 12. dies; in quarto quoque juſculo diſſolv. ſyr. ſequentis ℥ij.

℞. Succor. rec. expreſſ. & per reſidentiam depurator. borrag bugl. fumar. cichor. ℔iij. ſucc. veronic. & pomor. redolent. an. ℔j. ſen. mund. ℥ij. epythym. ℥ij. rhab. el. & agar. rec. troch. an. ʒj. zinzib. & caryophill. an. ℈j. infund. & decoque ut artis eſt, donec colaturæ ſuperſint quart. v. in quibus diſſolut. ſacch. albiſſ. quart. v. fiat ſyrupus perfectè coctus, poſtremæ doſi juſculorum adde extract. hellebor. nigr. gr. iiij. capiat cum regimine: hoc medicamentum ſumma cum vehementia ægrotantem expurgavit, non ſolùm per alvum, ſed etiam per vomitum, verùm eodem die tumor valdè imminutus apparuit, & doloris expers.

Poſt uſum juſculorum uſus eſt balneo tepido per triduum; hirudines hæmorrhoidibus admotæ; cauſticùm utrique tibiæ inuſtum; ſerum lactis cum epithymo per menſem uſurpatum, & balneum iteratum ſingulis ſeptimanis.

Poſt 15. dies ab aſſumpto extracto hellebori nigri idem remedium iteratum eſt, eadem doſi cum diapruni ſolutivi ʒiij. cujus operatio fuit priori ſimilis, & eodem die tumor imminutus apparuit.

Topica omnia tumorem exaſperabant, excepto unguento ex ranis viridibus, quod maximè laudatur ab Aquapendente, Chalmetæo & aliis, & in hoc affectu plurimùm præſtitit: ita ut illius curationem duobus præſertim remediis tribuendam eſſe exiſtimem, extracto ſcil. hellebori nigri, & unguento de ranis viridibus, non parum tamen contulit ſyrupus magiſtralis, quo bis in ſeptimana utebatur.

Intra menſem à curationis principio tumoris portio ſuppurata eſt, & ſponte aperta cum pure ſatis laudabili, ulceri & tumori univerſo admovebatur continuò unguentum prædictum, & ſenſim tumor imminutus ac tandem ſenſim reſolutus eſt, & ulcus ad cicatricem perductum. Unguenti de ranis compoſitio hæc eſt.

℞. Ranas virides in aquis puris degentes, q. v. in vas fictile vitreatum, multiſque exiguis foraminibus in fundo pertuſum conjicito, earumque ora butyro impleto, vas nè quid exhalet luto diligenter oblinito, & cooperito, qui alterum effoſſâ terrâ concluſum ſuperponito, ignem in ambitû ad deſtillandum accendito, oleum ſeu liquorem illum ſtillatitium colligito, & cum pulvere ranarum miſceto, ut fiat linimentum. *Lazarus Riverius Obſerv.* 97. *cent.* 1.

Pro cancro ulcerato.

Filia *Geropii Becani* Medici *Antuerpienſis* tulit in finiſtris temporibus 50. ampliùs annos, durum ac inæquale carcinoma; ſed ſine ulcere, ullave gravi noxâ, verùm increſcente paulatim, poſt tot annos, tum dolore, tum pruritu, ſive ex adversâ mariti ſui fortunâ, ſive ab atra bile eò uberiùs effuſa, impoſuit tumori improvide, ex conſilio empirici, neſcio quæ adurentia medicamenta, quibus cutem erodentibus, concitabatur non modò malum hactenus quietum, ſed degenerabat brevi in carcinoma ulceratum cum labiis inverſis, cruſtâ cinereâ, ſinu deforme, tubere inæquali, colore livido, ſanie cadaveroſâ, dolore, vigiliis, animi deliquiis, ardore, pruritu, aliiſque conclamati cancri notis, cui nulla cùm prodeſſet medicina, applicuit tandem blandiens hoc ceratum, quod uſus comprobavit, qualicunque carcinomati ſummè utile.

℞. Ol. roſat. ℥ij. ceræ alb. ʒvj. plumb. uſti ac loti ℥ß. oleum cum cera liquefiat; & addito plumbo, agitentur 6. horas in mortario plumbeo, ut fiat ceratum. Præter quod vidimus ulceratis cancris ab aliis fœliciter admoveri pulverem concinnatum ex plumbo liquefacto cum mercurio vivo, cui ſiquidem tantillum mercurii vitræ inſperſeris, redigeſ omnia iu pulverem friabilem ulcerato cancro adprimè utilem. *Nicolaus Tulpius* cap. 27. lib. 1.

Famula quædam compeſcuit malignum carcinoma in femore, ingentis molis, ultra annum 17. ſolo plumbi unguento, cujus litu, nihil ſimili tumori utilius. *Nicolaus Tulpius* cap. 51. lib. 3.

Nobili cuidam, & electæ mulieri propè caſtellum *Neuveum* degenti tota pars faciei dextra, cancro eoque ulceroſo obſeſſa fuit diutiſſimè, & ſævis exagitata cruciatibus, à Medicis fruſtra petitis auxiliis; tum *Gallis & Italis*, tum etiam *Germanis & Hiſpanis*, exteriſque aliis quibuſque, vulgaris cujusdam barbitonſoris remedio hoc ſequenti, & euporiſto perſanata fuit. Pullos illa *Gallinaceos* in partes tenues & latas concidebat, quas ſæpiuſcule commutando, interdiu admovebat affectæ parti. Ab unico tandem eoque præſtanti remedio, reliquis quibuslibet fruſtrà, (ut diximus) tentatis, curationem recipiens, priſtinam valetudinem recuperavit. *Mauritius Cordæus. comment.* 7. in lib. 1. *Hippocrat. de Morbis mulierum.*

Alii admovent carnes pullorum columbinorum ſectas & adhuc tepidas. *Lazarus Riverius cap.* 12. *lib.* 2. *Prax. Medic.*

Vetula quædam mulier cancrum habebat in mammâ ſiniſtrâ, quem per 13. annos geſtaverat, in quo exigui tumores cancroſi adnaſcebantur, qui multò acerbiores dolores excitabant, propterea quod exulcerati fuerant, quàm tota cancri ipſius moles, qui tamen exigui tumores ſublati ſunt frequenti applicatione aquar. pap. rhæad. plantag. & roſar. cum melle roſ. permixtar.

permixtæ. ab initio, deinde ſolis aquis admotis.

In aliâ etiam muliere ulcus cancroſum in mamma patiente, idem remedium ulcus protinus ſuſtulit, & ad cicatricem perduxit. *Samuel Formius Obſer.* 21.

Quædam mulier quinquagenaria laborabat cancro in mamma ſiniſtra, ulcerari incipiente. Juvenis Chirurgus extraneus ſequens remedium admovit.

℞. Aq. fortis ℥j. ſublimati crudi ℥iv. ſal. ammoniac. ℥ij. arſenic. ʒj. ponantur omnia in alembico & deſtillentur ad ſiccitatem, addendo aceti deſtillati par pulveri pondus, deſtilletur iterum acetum, donec materia ad paſtæ conſiſtentiam redeat: primò cancrum diligenter abluebat vino calente, cum linteis eo imbutis, & fortiter fricabat, ut pars irritaretur. Deinde extendebat paſtam ſuprà plumaceolum ſextuplo minorem ipſo tumore, quod remedium ſupra partem relinquebat per 24. horas, & fiebat eſchara plumaceolo ſextuplo major, ita ut cancrum omninò abſumeret, & deciſâ eſcharâ, ulcus carne implebatur, & ad cicatricem perducebatur. Quòd ſi dicta eſchara tumorem univerſum non abſtuliſſet, ſed quædam illius radices ſubſiſterent, illas abſumebat pulvere præcipitati rubri cum alumine uſto permixti: ad ulcus verò carne implendum, linteis tantùm detriti, utebatur. Hoc notatu digniſſimum eſt, quod admoto parti medicamento febris accendebatur, vomitus & alvi fluxus excitabatur, & urinæ fluxus provocabatur, quæ ſymptomata per biduum aut triduum perſeverabant, naturâ irritatâ à venenata medicamenti deleteria qualitate.

Eodem remedio cancer in naſi extremitate obortus, qui naſi apicem exederat, in quodam milite curatus fuit. *Samuel Formius Obſerv.* 20.

Ficus cancroſus in oculi dextri orbita, cum graviſſimis capitis ſymptomatis, feliciter extirpatus.

Anno Domini 1596. Calendis Auguſti, accivit me Lauſannâ, Luſtriam Generoſus Claudius Luſtriacus: ejus loci, & totius Vallis propriè ſic dictæ majori: quoniam diro & funeſto morbo conflictabatur, is fuit tumor prominens, ſcirrhoſus, in cancrum degenerans, cum ſymptomatis internis & externis longè graviſſimis.

Hic cùm à natura, tum à variis morbis, Febribus, caſibus, luxationibus, fracturis &c. haud parùm fuit catharris obnoxius: maximè quum accederet, more patriæ victus largior cum amicis & hoſpitibus: in quos fuit perpetuò liberaliſſimus; itaque anno 1580. quum fuiſſet hyems humida, & clemens, haud dubiè corporis univerſi partes oppletæ ſunt humoribus excrementitiis, qui à jecinoris calore ſurſum ac inprimis ad caput ſublati, cœperunt divexare hominem. Ineunte enim anno 1581. circa Februarii finem, æger correptus eſt hemicrania ad dextrum latus, & fruſtrà adhibitus multùm; diuque medicus; ſiquidem humor capite concluſus, evacuationis quæſitâ viâ, impetum fecit in oculum dextrum. Hinc vehementiſſimus dolor, & inflammatio. Et ſic ſuperiora ſymptomata, dolor capitis, febris, inquietudo, vomitus, lipothymia, aucta ſunt potius quàm imminuta. Nec, ut aiebat æger, præſidiis, revulſione, derivationeve ullâ potuit ſiſti humoris affluxus: quin imò congeſtio tanta facta eſt, ut tandem eroſa ſit, vel potius putrefacta oculi membrana prima, conjunctiva dicta.

Hic verò brevi eaque neceſſaria digreſſione annotandum, ſuprà decem hebdomadas non ſolùm dolorem adfuiſſe graviſſimum, ſed & cerebri motum attrectanti perceptum fuiſſe, quia ſagittalis & coronalis ſuturæ concurrunt: auditos etiam ſonitus & cranii crepitationem quandam, perinde ac ſi lignum finderetur. Id ego tum accidiſſe autumo, quum craſſi ſuturæ ob dolorem, inflammationem, & copioſum in cerebro humorem disjunctæ ſunt, & verum fuiſſe mihi perſuadeo; cùm ex ampliſſimi viri ægroti relatu, & generoſi Gabrielis à Blonay Baronis à Chartelart &c. ejus generi aſſiduo præſentis, tum quòd ipſe tale quid obſervarim in viro honeſtiſſimo apud noſtrates geminos inferiores.

Hic ex graviſſimo morbo & febri ardente cum dolore capitis acutiſſimo habuit ſuturas adeò disjunctas, ut per interſtitium illud cerebri, ſyſtole, & diaſtole facilè deprehenderetur. Ubi via facta eſt ad conjunctivam, longo tempore exſtillavit copioſus humor tumque primùm & dolores, & reliqua ſymptomata mitigari cœperunt. Urgentibus doloribus adhibitus erat cervici ſetaceus funiculus, ſed quem ut nimis dolorificum & incommodum) ut qui circa ſextam vertebram, & ubi nervi eminentiores ſunt, adhibitus eſſet) poſt 15. dies detrahi juſſit. Clauſo vulnere impreſſum eſt ibidem potentiale cauterium: ſed & hoc ulcus, ut nimis dolorificum claudendum fuit. His fruſtra tentatis optavit æger, humori morbifico dari exitum, excitato ulcere in dextro brachio, beneficio potentialis Cauterii. Tum demum partim ob febrim ante dictam, quæ pleroſque humores ſuperfluos abſumpſerat, ipſumque adeo corpus exſiccarat, atque extenuarat, partim propter evacuationes ſubindè iteratas, partim denique quod cauterium ita ad brachium fluxionem averteret, oculus cœpit areſcere. Et quoniam tres oculi humores, ruptis conjunctivâ, & corneâ membranis, effluxerant, ſenſim etiam concidere & contractæ ſunt ipſę membranę; atque ita oculus deperdita naturali magnitudine & rotunditate, ſimul quoque in imam orbitam contractus eſt, & coëuntibus palpebris clauſus ab anno 81. ad 95. citra ſymptoma ullum, niſi quod ſingulis annis ſubinde recurrebant, & defluxus, & capitis dolor.

Anno demum 95. quum in dięta modum non ſervaſſet, rediit capitis & oculi dolor, priore tamen levior; ideò fortè quia membranæ, & reliquæ oculi partes etiamnum dilatatę erant, unde poterat humor ſine vi influere. Etenim quę ſenſim fiunt mutationes parùm dolorificę ſunt, ſic igitur affluente magis, magiſque humore, in capacitatem conjunctivę, propriis humoribus deſtitutę & contractę, ipſa paulatim intumuit. Tum verò palpebrę quindecim annis clauſæ, denuò apertæ ſunt, & oculus adeo intumuit, ut poſt ſemeſtre palpebras ſuperaret, ſparſis per totum oculum venarum ramis lividis, craſſo, aduſto & melancholico ſanguine turgentibus. Tum æger ingraveſcentibus in dies & morbo & ſymptomatis, undelibet pręſidia conquirere cœpit, inter quę adhibitum fuit medicamentum, quod adeo irritavit morbum, ut ſubito accreverit oculus plurimùm. Exin, ut initio dictum eſt, vocatus ſum ab ægro Luſtriam in ejus ædes. Laboravit ille hemicraniâ ad dextrum latus: oculus ovo anſerino major extra palpebras prominebat, partemque faciei cooperiebat.

Durus autem, ſcirrhoſus, lividus, & cancroſus erat, aderatque magna oculi & vicinarum partium inflammatio: pręter capitis dolorem, oculi quoque dolor acutiſſimè pungens, in parte exteriore potiſſimùm hominem malè habebat, quod ſiquis miretur quomodo ex tumore duro, & ſcyrrhoſo tantus dolor excitatus fuerit, in promptu ſunt cauſę. Primùm enim tunc formabatur cancer, fiebatque humor corroſivus & acris, ac proinde vellicans & calefaciens vicinas partes. Deinde invaleſcente morbo violentiùs humor irruebat in conjunctivam, quę eſt exquiſito ſenſu prædita. Doloris verò in extimâ parte, ut

plurimùm

plurimùm gravioris quàm in intima, causa fuit officulum quadratum, & undique ſcabroſum, quod interiùs ad conjunctivam latens (uti ab operatione compertum) eam perpetuò premebat, ac pungebat. Acceſſit & febris, itemque ſitis, lipothymia & vomitus. His ego ſymptomatis cœpi ſtatim occurrere. Itàque poſt præſcriptam legitimam victûs rationem, ſub veſperam juſſi lenientem clyſterem injici. Poſtridie purgatum fuit corpus ſumptis duabus unciis ſyrupi roſacei laxativi cum rhabarbaro, agarico, & ſena, infuſis & decoctis in aqua betonicæ, agrimonię, & euphraſię. Sequentibus diebus propinatum fuit julapium ſequens.

℞. Aquarum borraginis, acetoſę, & betonicæ ana unc. ij. ſyrupi de ſucco citriorum, & granatorum ana unc. ij. miſce pro tribus doſibus.

A purgatione fuit ſecta vena cephalica, reſpondens parti affectę, & miſſus ſanguis ad uncias circiter ſex. Paucis poſt diebus, admovi hirudines venis jugularibus ſub aurem ad idem latus, nec non & ſcapulis cucurbitulas modò ſiccas; modò cum ſcarificatione. Pedes lavi decocto herbarum calidarum; roriſmarini, ſalvię, majoranę, origani, menthæ, cum ſale &c. Suadebantur & frictiones, ſed quum his incaleſcat ſanguis, ſubtiliſque, calidus, & erodens evadat, cenſui abſtinendum, contentus memoratis revulſonibus: maximè quum æger lubens iteraturus eſſet ſępiùs ſuperiorem purgationem, per ſyrupum roſaceum compoſitum & ſimilia, quibus peccantem humorem ſubduxi. Ita mitigata imminutaque ſunt paulatim ſymptomata. Statim etiam partem affectam ablui goſſypio, imbuto ſtillatitiâ quadam aquâ, quæ multum poteſt adverſus cujuſcumque partis cancrum, ejus hęc eſt deſcriptio.

℞. Radicum ſcrophulariæ majoris, herbarum geranii primi Dioſcoridis, hoc eſt, herbę Roberti ana M. ij. arnogloſſę majoris, ſolani, bugloſſæ ſylveſtris, boraginis, Portulacę, euphraſię, betonicę ana. Mj. ranarum aquatilium & album. ovorum diu agitatorum, ana num. 12. ſeminis cydoniorum, & fœni gręci aliquantum conquaſſatorum, an. unc. j. His ſeminibus affunde aquarum roſarum & euphraſię, ana lib. j. incidantur omnia, & conquaſſentur, deſtillenturque in alembico plumbeo. Et quoniam ingens fuit affluxus, pręter revulſiones admove fronti ſequens unguentum ad fluxionem intercipiendam.

℞. Farinę hordei unc. ij. pulveris roſarum rubearum, myrtillorum, balauſtiorum, nucum cupreſſi, & florum betonicę, ana Drachm. ij. Acacię Drachm. j. cum oleo roſato, paucâ cerâ & aceto, fiat unguentum.

Hoc defenſivum adhibui tribus vel quatuor diebus, ad ſiſtendum fluxionis impetum: dein ſuperſedi; ne plus ſatis refrigeraretur caput. Hac methodo ſedavi ad tempus tum capitis, tum ulceris dolores acutiſſimos, cæteraque ſymptomata, creſcente nihilominus in dies tumore.

Aliquantò poſt rogatus ſum ab ægro, ut ſibi fuſiſſimè morbi naturam declararem, libereque aperirem, quæ pręviderem pericula omnia, ac ſimul quęcunque ad ſanitatem optima viderentur pręſidia proponerem. Tum ego coram clariſſimo Alberto Roſcio D. Medico celeberrimo, in ædibus Claudii Marionis, fideliſſimi ac diligentiſſimi pharmacopæi, & civis Lauſannenſis; ita diſſerui: Generoſe Domine, ſiquidem adeò exoptas & jubes coràm declarari quæ ad morbum tuum attinent, etſi pręter Medicorum inſtitutum in conſultationibus id ſum facturus, dicam tamen liberè & coràm quæ ſentio.

Ad quemvis morbum tollendum, caput eſt noſſe ipſum morbum. Tuus iſte ab eſſentia definitus nihil aliud eſt quàm Scirrhus illegitimus, ſeu potiùs cancroſus: quippe qui deſinit in cancrum occultum, & latentem, hoc eſt, non exulceratum. At ex figura Celſus φρόστωπιν vel cum latinis, exitum oculi nominat. Actuarius μῆλόν, id eſt malum vocat. Ego à figura ficum, ab eſſentia ſcirrhoſum & cancroſum, cognomino. Scirrhus propriè medicis dictus eſt tumor durus & indolens, qualis hic ante annos aliquot. Verùm poſtea humor conjunctivâ membrânâ concluſus, & ita quaſi conculcatus, ut nulla potuerit fieri tranſpiratio, tandem accenſus eſt, & acrior atque malignior redditus: ſicque formatus eſt Scirrhus illegitimus, ſeu potiùs cancroſus. Hoc indicant non modò durities, inæqualitas, dolor, color lividus, ſeu potiùs plumbeus, ſed maximè venæ craſſiores toto tumore ſparſę, atro ſanguine, aduſto, & melancholico turgentes. Et quamvis nondum exulceratus ſit tumor, periculum eſt tamen, ne temporis progreſſu ſanguis, & humores melancholici accenſi, tantùm malitiæ attrahant in locum affectum, ut tandem (proh dolor) exeſis tunicis, fiat cancer ulceratus, adverſus quem medicamentis fruſtra pugnetur.

Hujus & ſimilium morborum cauſa triplex, primitiva, antecedens, conjuncta. Primitiva medicis eſt exterior, poſita in victûs ratione, aliiſque non naturalibus, aëre, motu, & quiete, ſomno, & vigilia, animi pathematis, excretis & retentis. Plerumque enim ſi ſupprimantur ſolitæ evacuationes, ut menſium, & hæmorrhoidum, fit magna congeſtio humoris melancholici: unde hic morbus. Naſcitur etiam ex vulneribus, contuſionibus, fracturis, in primis verò eryſipelate & inflammationibus perperàm curatis: quum ſcilicet ipſarum materia frigidiorum applicatione in duritiem concreſcit, aut quum ſolis calidis, non etiam emollientibus, tenuior portio diſſolvitur, craſſiore ſubſiſtente.

Antecedens cauſa eſt humor melancholicus, item ſplenis imbecillitas, qua fit ut ex officio ſuo ſanguinis portionem fœculentam ex jecore non alliciat. Huc quoque plurimùm facit ipſa jecoris conſtitutio, ſive id natura proclive eſt ad generandum atræ bilis copiam, ſive nimis calidum & bilioſum, unde coquatur nimis, & aduratur ſanguis, nec non & alii humores.

Conjuncta cauſa eſt, humor in locum affectum congeſtus. Tres iſtæ cauſæ hîc concurrunt. Nam quum generoſus Dominus habitu ſit non mediocriter bilioſo, bilis aſſiduò prębuit materiam humori melancholico, ſiquidem cholericus humor ſummâ aduſtione tandem etiam vertitur in atram bilem. Adde victûs rationem, in quâ haud parùm peccavit Dominus largiùs potans, utenſque cibariis crudis & concoctu difficilibus, itemque aromatis, cœpis, alliis, porris, raphanis &c. Hujuſmodi primitivarum cauſarum concurſu, excitata & corroborata eſt antecedens: indè humor ille qui ab anno 81. ſupererat ex inflammatione indurata in oculi membranis, data occaſione accrevit. Cumque ſuperflui humores ferè influant in locum affectum, natura ſeſe, quantùm potuit, exoneravit in eum locum. Hinc conjuncta cauſa in iſtam, quam videmus magnitudinem, aucta eſt: & perget, inquam, niſi occurratur iis, quæ infrà proponemus, auxiliis.

Quoad ſigna: tametſi initio cancri ſicut herbæ germinantes difficilè cognoſcantur, autore Galeno, nihilominùs tumor iſte ſat liquido intelligitur cancroſus; contra eos qui merum eſſe ſcirrhum apud generoſum Dominum contenderunt. Cancri cognoſcuntur eo, quod ſint pręduri, inæquales, lividi, ſparſis circa tumorem craſſioribus venis, atro ſanguine turgentibus.

Sępè etiam adeſt intemperies calida, ſive calor, & inflammatio cùm dolore pungente & pruriente. Si fuerit exulceratus cancer, exit ſubtilis, & fœtida ſanies. Iſta autem hîc viſuntur pleraque omnia. Non

quidem

quidem pervenit cancer ad ſummam malitiam, ſed ad eam properat, brevi perventurus. Aduſtus enim eſt ſanguis loco affecto, incluſus tandem contrahet (& jam cœpit) malignitatem tantam, ut quæ hactenus mirè operata ſunt præſidia, ſedandis doloribus, reprimendo morbo, & minuendis ſymptomatis omnibus, deinum infirma futura ſunt ad reprimendum morbum, & prohibendum, ne exulceretur, & occupet reliquas faciei partes; ſicque fiat. (noli me tangere) hoc eſt, ulcus cancroſum, in facie perquam malignum & immedicabile; aſſiduo erodens imas partes affectas, nec ſiſti poteſt, ut monet Aetius.

Nunc de curatione. Hæc perfici ſolet tribus potiſſimùm: victûs ratione, evacuatione humoris antecedentis, & Chirurgicis auxiliis. Victûs & cæterorum non naturalium, quæ ſit ratio, jam ſæpe ex me audivit Dominus: vitanda nimirùm eſculenta dura, vaporoſa, & quæ facilè corrumpuntur: cujuſmodi ſunt carnes ſale aut fumo inveteratæ, bubula, ſuilla, ferina & ſimiles: item aves aquaticæ. Utendum bona vervecina, vitulina, hædina, pullis, capis, perdicibus, turdis &c. Piſcibus abſtinendum, niſi forte, ut non nihil appetitui indulgeatur, iis uti liceat ſub initium prandii non in cæna, idque adjectis paucis aliis cibis. Sint autem piſces carne firma præditi; veluti percæ, truttæ, &c. In aquatilibus optimi ſunt gammari ſine aromatis. Aromata enim omnia vitanda, piper, zingiber, garyophylli &c. item cepæ; porrum; allia; raphani, ſynapi, & quęcumque vim habent, calefaciendi nimis ſanguinem: legumina, fabæ, lenticulę, piſa; phaſeoli, &c. plurimum nocent: item caſeus & quęvis lactaria opera. Veſpertina juſcula potiſſimum noxia: vinum item vaporoſum. Bibendum autem album, maturum, & modicè potens. Diuturnus ſomnus, potiſſimum ſtatim à cęna, noxius: aër item nimis calidus, aut ſummè frigidus vitandus.

Secundam ſanationis partem diximus, poſitam in evacuando humore antecedens, quod ubi fiet, ſpectanda erit Domini habitudo bilioſa, & intemperies calida, cum Obſtructione jecoris: ideoque purgandum cholalogis, habita tamen partis affectę ratione. Quem in uſum mirè placet ſyrupus roſaceus compoſitus cum rhabarbaro, agarico & ſena, quo ſępe uſus eſt æger, cum decocto betonicę, euphraſię, agrimonię, &c. Salubriter etiam uſus eſt pręſcripto à me diaphęnico in tabellis, & electuario de ſucco roſarum. At ex Hippocrate ante purgationem pręparandus eſt & coquendus humor apozematis aperientibus, qualia poterit pręſcribere D. D. Roſcius, phlebotomia, cucurbitulę, & hirudines ſępe utiles, imò neceſſarię ad hunc morbum, tum ut evacues, minuaſque cauſam antecedentem; humorem videlicet melancholicum, tum ut derives loco affecto. Opportunum his vernum tempus, authore Hippocrate, quibuſcunque inquit, venę ſectio, vel medicatio convenit, hos verè purgare, vel vena ſecta vacuare oportet. Aperienda vena brachii ad latus partis affectę, cucurbitę, ſcapulis, & clunibus applicandę: Hirudines applicentur, quo modo jam applicuimus magno Domini bono, modò ſub aures ad jugulares venas, modò ad hęmorrhoidas ano, prout medico videbitur, idque urgente demum neceſſitate. Tum verò ſenſim emittendus ſanguis propter malè conſtitutum jecur, quod cùm ſit jam dudum debile, ſcirrhoſum, & obſtructum, dubium non eſt, quin nimia aut importuna phlebotomia plurimùm ſit nocitura.

Tertia & poſtrema tollendi morbi ratio, poſita in operatione chirurgica in curando videlicet loco affecto. Porrò hujus morbi ſanatio chirurgica duplex eſt: una palliativa, ſeu fucata: altera vera. Palliativa eſt, quam hactenus adhibuimus, & commodo victu, & purgato ſępe corpore ad deducendum humorem, ſive cauſam morbi antecedentem, atque etiam inhibendo ejus impetum exterioribus applicationibus, qualibus huc uſque ſumus uſi. Sed quum hęc curatio tandem futura ſit invalida, ad reprimendam morbi vehementiam, & perfectè ſanandum ægrum, operę pretium fuerit, proponere veram & legitimam ſanationem.

Quum igitur legitima ſanatio tumoris pręter naturam, authore Galeno, fiat extrahendo tollendoque quicquid adeſt in parte affecta: videndum, quot modis tolli poſſit tumor, ſive excreſcentia iſta, & quę tollendi tutiſſima ratio? Jam antę ex me audiit Dominus, id faciendum vel reſolventibus, vel erodentibus Pharmacis aut ipſa manu. Quoad reſolventia, quum tumor ſit duriſſimus, credibile eſt, nullo reſolutum iri medicamento niſi priùs emolliatur. At verò pręterquam quod hujuſmodi pręduria materia, tam diu (quindecim videlicet annis) congeſta, emolliri nequit, periculum eſt, ne ex illo emollientium uſu tumor ſubitò contrahat ſummam malitiam, uti teſtatur Galenus, & nos in tractatu de Gangręna confirmavimus, exemplo Scirrhi in jecinore inveterati. Hic enim adhibitis emollientibus, ſtatim verſus eſt in cancrum exulceratum, ex quo mors; ex hac ergò methodo nihil ſperandum. erodentia verò mihi perquam Periculoſa cenſentur. Nam cùm prominens hic tumor ſit duriſſimus, credibile eſt benigna medicamenta irrita futura: quin potiùs, ut ſumma durities adeſt, ſic vehemens requiritur medicatio, cujuſmodi eſt; quę vi ſepticorum, & eſcharoticorum fieri ſolet. At verò ut lenibus non afficitur cancer, ſęviſſimum malum, ſic irritatur, & ingraveſcit, vel tantillum acribus & vellicantibus ut antè expertus eſt æger. Porrò quum pars affecta ſit cerebro proxima, oculus videlicet, in quem, ut radicitus tollatur morbus, penetrandum eſt altiùs ad nervum opticum erodentibus Pharmacis, haud dubiè illorum vis communicabitur membranis cerebri, unde maxima & periculoſiſſima exorietur inflammatio, ſiquidem magna intercedit ſympathia & neceſſitudo inter oculi tunicas & capitis, ut infrà liquebit ex oculi anatome. Ergò ne ſic quidem ſanari poteſt æger.

Supereſt, quam diximus, chirurgica operatio, ut ſimul & ſemel extirpetur, quicquid vitioſum eſt. Hęc autem omnium minimè periculoſa, meo quidem judicio. Primùm, quia ſolidè conjicio, me facilè poſſe radicitus malum extrahere, quantumvis altè latens in oculi orbita, nempe ad ipſum uſque opticum nervum, cujus & pars amputanda. Deinde quia venarum & arteriarum vaſa ibi, tenuia ſunt, & quaſi capillaria: ideoque nullum hęmorrhagię periculum. Denique licet altiùs incidendi ſint nervi, opticus, & qui ſecundę conjugationis eſt, nullum tamen periculum: ſiquidem nervis perfectè inciſis in tranſverſum, eorum extremitas contrahitur, ipſique integuntur carne, ſicque deſinit illorum functio; nec aëre aut medicamentis lædi poſſunt. Unum hoc timendum, ne quum ægri corpus jam dudum cacochymum ſit, ac ætate jam provectiore ad annum videlicet accedens quinquageſimum ſextum, facilè accendatur intemperies in partibus intimis, ſimulque excitentur febris, capitis dolor aliaque id genus ſymptomata. His ut occurras, laudabili victu utendum, purgationes uſurpandæ, ſecanda vena; applicandæ cucurbitulæ, & cæterę revulſionum ac derivationum ſpecies, ſicque tuta erunt omnia, ſi modò benedixerit Deus Opt. Max. cui pro generoſo Domino vota nuncupamus.

His auditis, partim quod exhorreſceret æger, partim quod diſſuaderent nonnulli, abſurdè & imperitè ſpem facientes, fore, ut quicquid ex oculo prominebat

ſponte

ſponte excideret, viſum eſt pergere in curatione palliativâ. Hac verò etſi ſedantur dolores, nihilominùs tamen excreſcebat fungus indies. Naſcebantur quoque tubercula & varices lividæ ad piſi magnitudinem, merum quandoque ſanguinem emittentes; ejuſmodi hæmorragiam etſi probabant nonnulli, ut quæ ægrum & partem affectam levatura videretur, ego contrà conſtanter affirmavi, ita in dies magis, magiſque debilitatum & refrigeratum iri jecur jampridem obſtructum, durum & ſcirrhoſum, ac tandem illectum iri ſanguinem, alioſque humores ad caput & faciem; uti ſane accidit 13. Julii. Reverſo enim generoſo Domino à brevi peregrinatione, ex qua incaluerat ei caput, itemque corpus univerſum, tubercula illa & varices oculi cœperunt ſanguinem profundere, tanto impetu, ut 13. & 14. diebus ejus menſis, impletæ ſint ſanguine ſcutellæ ſeptem, pręter eum qui periit in linteis, ſpongiis, veſtibus & ſingularum ſcutellarum ſanguis à me appenſus, pręſentibus G. Dn. ægroto, Nicolao Gantino, Franciſco Croſerano &. Jo. Glaronio, fuit unciarum decem & ſemis: quod quidem tam verum eſt, quàm dictu mirabile. Paulo poſt æger impenſe debilis, imminente altero profluvio me accerſivit ejuſdem menſis die 15. Quum primùm advenio, faſciam quâ malum contegebatur, reſolvo: tum cœpit ſanguis longè majore quàm unquàm antea, impetu promanare: id quod, niſi fuiſſem teſtis oculatus, ægre credidiſſem, quum ſint oculi venę ferè omnes capillorum inſtar exiles: ſed hęc contrà in hoc bono viro varicum inſtar dilatatę conſpiciebantur. Attamen inſperſo pulvere noſtro, ſanguinis ſiſtendi vi prędito, cujus deſcriptio habetur in libello noſtro de gangrena, c. 19. illico ſuppreſſus eſt ita ſanguis, ut deinceps nonniſi parciſſimus fluxerit. Ab hoc profluvio declinantibus ſenſim viribus, & excreſcente in dies oculo, nonniſi miſerrima eaque propinqua mors expectabatur, quum tandem generoſi viri Gabriel in Blonay, Baro à Chattelart, & Dominus Philippus Ceritiarius, Dom. à Denezi, ejus generis, cum aliis nobilibus & honeſtiſſimis amicis ſtatuerunt advocandos eruditiſſimos & peritiſſimos quoſque Medicos, & chirurgos, quorum deliberationi & ſententię ſeſe æger ſubjiceret. Annuente ægro, accitur Genevâ clariſſimus & doctiſſimus Janus Antonius Saracenus, Philoſophus eximius, Medicus Regius, Lauſannâ item doctiſſimus DD. Albertus Roſcius, ſenex experientiſſimus. His me tertium adjunxit æger benevolus, ut, ſi opus eſſet chirurgica operatione, hanc ego perficerem. Die Julii 28. inita conſultatione, propoſui quæ infrà ſuo loco.

Inita conſultatione, commemoravi apud clariſſimos Doctores Medicos duos, quę ante apud ægrum & D.D. Roſcium in ædibus & pręſentia Marionis Lauſannę propoſueram: iterum concludens, ſolâ manûs operâ pleniſſimè ſanari poſſe ægrotum. Cumque ex nova quorundam ſententia ſperaſſet æger, commodè inciſum iri cancrum religatum ſerico, neceſſe habui meas contra ſępiùs allatas rationes ſubjicere, hunc in modum.

Primùm: quod mali radix à ligatura relinqueretur: ſiquidem quę facta eſt morbi renovatio, liquidò conſtat factam eſſe in orbita, adeoque altiùs ad opticum uſque nervum. Ligatura autem quum id ſolum apprehendat, quod prominet à palpebris, relictum eſt quicquid orbita continetur, ſicque irrita futura eſſet operatio. Etenim id quod relinquetur, illico proferet novum fungum priore maligniorem.

Secundò quod fieri poſſit, ut rumpatur vena aut arteria quęepiam importuno tempore, puta nocte; & ſic æger vel exigua ſanguinis jactura è veſtigio moriatur, quum tanta jam ſit facta profuſio.

Tertiò: quòd ex ligatura futurus eſſet graviſſimus dolor, totis quindecim diebus & ultra: propterea quod conjunctiva in qua fieret ligatio ut pote à pericranio deducta miro ſenſu ſit prędita. quo ex dolore, ut nihil dicam de cerebri lęſione, ſequeretur humorum affluxus ingens in partem affectam. Adde quod æger jam dudum debilis & extenuatus hos dolores & inquietudines, tolerare non poſſet.

Quartò: quòd pars oculi ſupra ligaturam, dùm corrumperetur, fętore ſuo graviſſimo lęſura foret partes principes, & ipſis adſtantibus intolerabilis futura. Relinquitur inciſio, quam ſpero à nobis tam dextrè factum iri, propitio numine, ut leviores ſint cruciatus, & nulla aut minima hęmorrhagia. Quod ambigitur, queat ne morbus radicitus erui? ſpero id quidem factum iri. Quippe jam pridem excogitavi inſtrumenta quędam, quibus oculum tutò & agiliter ab ima orbita reciſum extraham. Pręterea quantuluſcunque ille qui percipitur motus, apprehenſo tumore ficoſo nonnihil mobili, ſpem facit hunc non hęrere perioſtio, cui ſi adhęreret, certè eſſet immobilis. Imò & ex eo intelligimus, reliquam eſſe aliquam pinguedinis & muſculorum ambientium portionem inter oculum & os; ex quibus operatio tantò facilior, tutior, & felicior expectatur. Quoad hæmorrhagiam, ego certè nonnihil moveor, cùm ſubit animo nupera ſanguinis illa profuſio, nobis notiſſima. Attamen venæ in oculo tenuiſſimæ non videntur largum emiſſuræ ſanguinem, ſi incidantur ad baſim: & poteſt diligente manu inhiberi erumpens ſanguis; quem poſt tantum profluvium non eſt veriſimile multum futurum. Denique haud dubiè ex ægri metû & horrore major pars ſanguinis recurret ad cor.

Conſultiſſimum tamen fuerit extrema ligare arctiſſimè, brachia ſupra cubitum, tibias ſupra genua, idque horæ dimidio ante operationem, ut nimirum moleſta & conſtringente hac ligatura, ſanguis avertatur ad illas partes, & procul ab iis, in quibus futura eſt operatio. Atque hoc meum eſt de hoc morbo ejuſque chirurgica extirpatione judicium. Vos Medici videte, & de noſtris judicate, Doctores clariſſimi.

Hîc Medici, poſtquàm diſſeruiſſent de morbo & medicamentis univerſalibus, noſtra omnia comprobarunt, & decreta eſt mali extirpatio per inciſionem. D. Saracenus rem detulit ad ægri neceſſarios & amicos, quotquot aderant. Illi audito tam præſentaneæ & quidem funeſtiſſimæ mortis periculo; tum ſanationis ſpe per oculi extirpationem, facilè aſſenſerunt, multoque libentiùs æger ipſe magnanimus.

Tum poſtquàm prædixi metuenda ſymptomata, decreta eſt in proximè ſequentem diem Lunæ, qui in Auguſti Calendas incidebat, operatio. Interea præſcripta eſt ægro victûs ratio congrua, ad reparandas vires deperditas ſuperiore ſanguinis profluvio. Præſcriptus & illi ad diem ſabbathi decimum nonum Calendas Auguſti laxativus potus.

℞. Tamarind. electorum, foliorum ſenæ oriental. mundat. ana ʒij. uvarum paſſarum mundat ʒj. epithymi. ſem. aniſi, fœniculi, ana ʒß. cichorii, agrim. ceterach. polytrichi, ana p. j. fiat decoctio ad ℥iij. in qua colata macera rhabarb. elect. ʒi ß. cinnamomi electi gra. 7. in expreſſione diſſolve ſyrupi violati ex 9. infuſionibus & mannæ granatæ ana ℥j. miſce fiat potio.

Sequente die Dominico, & die lunæ, manè ante operationem, exhibitus eſt potus cordialis ſequens.

℞. Aquarum bugloſſæ, violarum, roſarum, meliſſæ, ana ℥j. ſyrupi corticum citri & de ſucco acetoſæ ana ℥j. confect. alkermes ʒj. pulv. diambræ ʒß. miſce, fiat potio pro duabus doſibus.

Exteriùs ſuper corde ante & poſt operationem applicitum eſt ſcutum ſequens.

℞. Florum

℞. Florum trium cordialium ana p. ij. meliſſæ, majoranæ, ana m. ß. ſeminis & corticum citri, ſeminis ocymi, ana ʒij. pulv. elect. diamargar. frigidi, pulv. elect. è gemmis ana ℈iiij. pulv. diamoſchi dulcis, & diambræ, ana ʒß. croci ℈j. excipiantur goſſypio, & cum ſyndone rubra fiat ſcutum interpunctum pro regione cordis.

Antè & diu poſt operationem, unctus eſt ſtomachus hoc unguento.

℞. Cerati ſtomach. Galen. ℥iij. pulv. aromat. roſati ʒj. garyophyll. & nucis moſc. ana ʒß. olei nardini & maſtichini, ana ʒß. fiat linimentum pro regione ſtomachi, ante cibum.

Aliud unguentum pro ſtomacho, aliquandiu applicitum poſt operationem factam.

℞. Olei maſtichini & de mentha, ana ℥ß. olei nardini & de abſinthio pontico ana ʒiij. cerati ſtom. gal. ʒij. ladani & olei de nuce moſch. an. ʒj. pulv. arom. roſ. & ligni aloës, ana ℈j. pulv. garyophyll. & ambræ griſeæ ana ℈ß. cum cera nova q. ſ. fiat unguentum, quo calidè illinatur regio ventriculi ante cibos, bis die.

His ita præſcriptis, amici qui aderant ſtuduerunt ægrum recreare, quantùm fieri potuit. At ille magnanimus & ſanitatis avidiſſimus conſtantiâ ſe ſuâ magis quàm alienis verbis ſolabatur; niſi quod ſtato die nonnihil territus eſt D. Roſcii excuſatione per literas factâ, veritus nimirum, ne quid ille mali præſagiret; quod tamen ita diſſimulavit, ut non niſi ab operatione reſciri potuerit: adeò urgebat ipſe operationem.

Itaque præmiſſis ſolennibus precibus pro felici ſucceſſu, & tribuenda ægro patienta ac viribus, ipſemet ſumpto recente ovo & cyatho vini, cathedram accommodatam ſibi delegit, & ultro ſedit: ita ut quum mollis quiſpiam cathedræ alligandus foret, neceſſe duntaxat habuerim, adſtantium duobus brachia, tertio caput committere. Dum crumenâ ex utrâque parte apertâ, ad hanc operationem à me inventâ, totam excreſcentiam, ſive ficum tam altè quantùm fieri potuit, verſus nervum opticum apprehendi & incluſi, crumenulámque conſtrinxi, & ſiniſtrâ meâ nonnihil attraxi. Crumena hæc fit ex corio tenerrimo ex ſupernâ parte annexi ſunt orbiculi, ex filo æneo facti ad excipiendos funiculos.

Vulgus Chirurgorum loco crumenæ, ad has, aliaſque excreſcentias, ſcirrhos, atheromata, ſteathomata, & ſimilia excidenda, excreſcentiæ, ſive tumori, filum duplicatum acu incurvatâ trajiciunt, ſed perperam, aqua enim ſive humor in oculo, aut quovis alio tumore contentus, protinus effluit, & membranæ concidunt, flacceſcitque tumor, difficilimamque efficit operationem, ſed de his forſan aliàs plura.

Sic apprehenſo, & crumena incluſo fungo, cœpi ſub palpebra ſuperiore ad majorem oculi canthum, inſtrumento (quod ipſe inveneram, & nominatim præpararam ad eam operationem) ſeparare conjunctivam: adactoque ferro ad opticum uſque nervum, percurri oculi ambitum, quæ erant ſeparanda disjungens, eodemque inſtrumento opticum ſecui: tum & eum qui ſecundæ conjugationis eſt, & tam dextrè (ſine jactantia ſit dictum) me geſſi ut vix decem paſſus fierint, dum ficus ille cancroſus, totam oculi orbitam implens, & in faciem latè prominens, intactis palpebris, radicitus erutus ſit.

Eſt autem cultellus veluti lenticulare obtuſus, ne in operatione cranium lædatur. Cuſpis enim ipſius nonnihil extuberat, ſed ex illa ſolummodo parte, quæ in operatione cranium reſpicit. Altera verò pars plana & æqualis eſt; Præterea nonnihil incurvatus eſt cultellus, ſed eodem plane modo, quemadmodum cultri quibus excavantur cochlearia lignea, incurvari ſolent.

Sed quia cuſpis cultelli in forma lenticulare, ut dixi, obtuſa, neceſſe eſt, ut phlebotomo, aut novacula, per ipſam adnatam parva fiat inciſio, quo cuſpis cultelli ſaltem per ipſam adnatam intrudi poſſit, & reliqua omnia facilè à cranio ſeparentur.

Ut autem cultellarius inſtrumentum hoc aptè atque concinnè fabricare poſſit, neceſſe eſt, ut Chirurgus ipſemet exemplar ſive ſpecimen ex plumbo ea qua fieri poteſt diligentia adornet. Id verò facilè efficiet, ſi longitudinem ac latitudinem exactè obſervaverit. Quantùm autem incurvandus ſit cultellus, facilè cognoſces, ſi interim, dum ſpecimen ex plumbo paras, cranium hominis ſua carne denudatum ad manus habueris. Hoc modo ego, cùm operatio hæc mihi facienda erat, proceſſi. Summa autem adhibenda eſt diligentia, ut quàm aptiſſimè fabricatum ſit inſtrumentum; in hoc enim totum ferè negotium operationis ſitum eſt. Si enim aptum & bene ſcindens fuerit inſtrumentum, feliciter ſuccedet operatio: infeliciter verò, ſi minùs aptum fuerit, ut fuſiùs dicturus ſum, quando de inſtrumento quo Dom. Georgius Bartiſch in hac operatione utitur, agam.

Porrò etſi adnata tunica, quæ præcipuè incidenda erat, exquiſitiſſimo ſenſu ſit prædita, non uſque adeò tamen dolorifica fuit operatio. Agitatio ægri nulla, niſi linguâ quum ter, quaterque Deum inclamavit.

Injeci illico copioſe pulverem noſtrum ad ſanguinem ſiſtendum lib. de gangræna, & ſphacelo cap. 19. ſcriptum; ſtupas quinetiam albumine ovi madefactas, & prædicto pulvere conſperſas, oculi capſulam implevi, ita ut vix unciæ duæ ſanguinis extillarint. Ideoque nihil opus fuit actuali cauterio argenteo quod proprie præpararam, propter loci affecti nobilitatem & præſtantiam.

Deinde involuta faſciis orbita, & defenſivis ad frontem & collum circumcirca adhibitis, æger ipſe ſe abluit & voluit ire pedibus in lectum, triginta circiter paſſus ab operationis loco. Nos prohibuimus, & ſellâ detulimus. Mirum tam diuturno morbo, tanto ſanguinis profluvio, ævo tam provecto, ægrum ſic ſubſtitiſſe, niſi Deus, cui laus & gloria, eum corroboraſſet.

Tumoris magnitudo ad nervum opticum uſque patebat. In tumore poſt operationem diſſecto, invenimus oſſiculi, & mole & figurâ dimidiatam fabam repræſentans, ubique tuberoſum, prope minorem oculi canthum. Hîc varia judicia. Alii in tumore natum dixére, quòd denſâ & durâ integeretur tunicâ, quæ mihi ſclerotica eſſe videbatur. Alii diutino defluxû carie affectum cranium cenſebant, indeque carioſum oſſiculum ſponte naturæ ſeparatum, ſenſim membranam illam penetraſſe, atque illud callo deinde obductum fuiſſe. Verò mihi ſimilius videtur, id oſſiculum è cranio illuc penetraſſe; quàm in ipſo tumore natum. Primùm enim ad orbitam oculi pertinuiſſe patet. Deinde materia intra quam illud repertum eſt inſtar atramenti nigra erat, nihilque aliud quàm ſanguinis fœx. At neceſſe eſt, quod ex materia aliqua gignitur, ejus colorem referre: oſſiculum autem album fuit ac proinde non ibidem genitum. Tertiò ex progreſsû curationis facilè fuit animadvertere, è cranio illud delapſum, ſiquidem percipiebatur cicatrix nonnihil cava, ad minorem canthum: qualis eſſe ſolet, ubicunque eſt oſſis deperditio, teſte Hippocrate. Reſiduum tumoris duabus diverſis ſubſtantiis conſtabat. Nam pars ea quæ extra orbitam prominebat, inſtar fæcis atramenti fuit, ſatis denſa, forti membranâ involuta, quam autumo ex conjunctiva & cornea membranis ita coaluiſſe.

Pars verò orbitâ contenta, dura fuit & ſcirrhoſa, colore livido. Hos ego fuiſſe puto oculi muſculos, qui

quidem nequaquam conſpici poterant agnoſcive, ut neque membranæ, quia plane occaluerant cum aliquâ alia materiâ reſiduâ, ex priore illa inflammatione anni 1571.

Ipſo operationis die non eſt retectum vulnus, metu hæmorrhagiæ: at poſtridie tantùm applicatum ex decerptis linamentis digeſtivum ſequens.

℞. Terebinth. lotæ in aqua betonicæ ℥ij. gummi elemi ℥ß. diſſolve in olei roſacei ℥ j. adde vitell. ovorum num. 2. croci ʒß. miſce: fiat digeſtivum. Inſuper admovi emplaſtrum baſilicum. Inunxi totum caput & collum oleo myrtil. & roſato: fronti & collo defenſivum applicui: nec aliter proceſſi, quoad facta eſſet vulneris digeſtio. Sequenti die, Saracenus relicto longiore ſcripto, in quo victûs ratio tum in rem præſentem, tum etiam in futurum conveniens, tradebatur, domum repetens mihi rem omnem commendavit. Ego ſex diebus continuavi digeſtivum & baſilicum: exin digeſto vulnere pro digeſtivo adhibui mundificativum ſequens.

℞. Terebinth. lotæ in aqua betonicæ ℥ ii. gummi elemi diſſol. in oleo roſaceo ℥ ß. radic. ariſtol. rotundæ. iridis flor. ana ʒ ij. cum melle roſaceo fiat mundificativum.

Tùm applicui emplaſtrum de betonica, eoque lapſo incarnavi vulnus: cicatricem induxi pulvere ſicco, ex ceruſſa, lithargyro, cornu cervi uſto, alumine & radicibus iridis, ſuper-inducto empl. diapalma. Victûs rationem æger adeò accuratè & lubens obſervavit, ut ſupra decimum quartum diem vino ſibi temperarit, contentus ptiſanâ, cui adjectum erat paucum coriandrum præparatum, aut etiam oxyſaccharum, cui inter parandum indebatur tantillum cinnamomi: atque ſic adductis tandem concinnè palpebris, à fico cancroſo, ejuſque omnibus ſymptomatis, vir genere & virtute, in primis verò pietate nobiliſſimus perſanatus eſt.

Porrò quùm locus multùm diuque affectus ac pro indebilis, ut plurimùm obnoxius ſit defluxionibus à valentioribus partibus tranſmiſſis, ideò ut nè deinceps novi exorirentur in facie affectus, aut in parte nuperrime ſanata, author ægro fui, ut clauderetur ulcus, cauterio excitatum in brachio dextro, quod progreſſu temporis inferius deſcenderat, & circumcirca calloſum evaſerat, & novum applicui ſuperius ac propius venam cephalicam 22. Auguſti. Porrò in eundem uſum & ad majorem præcautionem ſuaſi, ſetaceum ad cervicem trajici legitimo loco, qui eſt à prima vertebra ad tertiam, nec inferiùs. Adhibitum quidem fuerat anno 81. ineunte morbo, ſed malè ad ſextam cervicis vertebram, ubi eminentiores ſunt nervi, quàm ſuperiùs ad caput: hinc acutiſſimus dolor, ob quem adeo excitatum ulcus poſt menſem claudendum fuerat. Ille conſilium noſtrum admiſit, & conſultus Saracenus literis, eandem ſententiam ſcriptis confirmavit. *Guilielm. Fabric. Hildan. Obſerv. Chirug. Cent.* I.

Ratione officii à Sereniſſimo Principe ac Domino Dn. Philippo Ludovico Comite Palatino Neoburgico &c. mihi in patria demandati inter alios alumnos Illuſtris ſcholæ Lavinganæ, menſe Februario curandus ad me venit amicus meus conſanguineus Sebaldus Agricola; ſuperintendentis Neoburgici piæ memoriæ filius, adoleſcens pius, doctus, ſanus aliâs, aſpectu & corpore nobiliſſimus, ſed nimia ſeveritate alter Cato: hæreditario quaſi malo ſermonem nunquam articulatim explicabat, lingua craſſa, ex copia humoris affluentis ab humidiore cerebro, ob quod etiam pater ipſius p. m. continuis diſtillationibus obnoxius, neglecto conſueto ligni guajacini decocto, feliciter aliâs uſurpato, tandem apoplexiâ mox perculſus obiit.

Filio prædicto (ſequentia omnia feliciter referenti) in extremitatis linguæ magis dextra parte, ineunte æſtate, tuberculum valdè exiguum ab initio erupit. Mox ad ciceris, poſteà fabæ, tandem neglectum; ad caſtaneæ minoris, majoriſque quantitatem, abſque omni dolore, inſigni tamen duritie, ſenſim excrevit, ita tamen ut fili inſtar majoris hujus tuberculi radicem per linguæ compreſſæ ſubſtantiam ego cum Chirurgo tactu ſparſim deprehenderim. Eadem magnitudine menſe Februario ſubſiſtit; præcedentibus autem ineuntis hyemis menſibus, non ſolùm bubo frigidus; indolens, induratus ovi inſtar anſerini magnitudine, qua erupit, eadem quamvis remediis exceptus, ad ægri uſque finem vitæ pertinax quievit: æquè cum ſcrophulis forſan cancroſa malignitate rebellis futurus fuiſſet (ſi vitam longiùs æger pertraxiſſet) verùm etiam in glandula poſt aurem dextram ſita, parotis frigida at mollis prominebat. Uno & altero die ſenſim amandata, ad emunctoria dictæ ſaltem partis ſub mandibula inferiore, & muſculis oſſis hyoidis ac linguæ, ſenſim longa ſerie in χοιράδας & ſcrophulas terminabantur. Hoc modo ſingulis ferè ſeptimanis ineuntis hyemis, ad ineuntem in qua obiit æſtatem, imprimis luna creſcente, parotis recens, frigida, mollis iterùm, tandem ad emunctoria ſub mandibula in ſcrophulas ſemper deſivit tam induratas, ut in calculos abiiſſe materiam, tactu putaſſes, tamque ingentes, ut cum ſcrophulis ſiniſtræ partis ex eiſdem parotidibus enatis, ſibique obviis, tandem totam illam cavitatem, quæ eſt in colli totius ſub mento ambitu, impleverint.

Creſcentibus ſic in dies ſcrophulis, ſuæque valetudinis curandæ negligens, demùm coactus menſe Februario me conſuluit: illius natura, linguæ, & colli tumoribus aliiſque ex ægri relatione conſideratis ſtatim ſuſpicabar tubercula hæc cancroſa prodiiſſe: mihi enim tunc in mentem veniebat venerandi illud Galeni: cancroſa ſcilicet eſſe omnia, quæ ab atrabilario ſucco induruerint. Propterea non eſſe vulgares, ſed malignos tumores pronuntiabam, atque priùs alteri Medico, hoc ipſum malum dijudicandum offerat, ipſi mandavi. Illo tum peregrè abſente, aliquandiu nè nihil agere videat, aliquid remediis leniendo coactus egi: ob intenſiſſimum enim frigus, quod tempore Bacchanaliorum duravit, malum in dies augebatur, cum ſcrophulis lingua in magnum tumorem ſuffocationis periculo non ſolùm elevabatur, verùm illud ipſum tuberculum linguæ cancroſum, eodem die vidi cum puſtula, prope venam, ſub linguâ raninam dextram atro ſanguine turgente, quam æger ſæpiùs exerendo linguam tumidam, dentibus fricando aperuit, qua evacuata, ne inſtante nocte omnia augeantur, avertebam humorum affluxum: indè etiam ex præſcripto colutorio, & irrigatione oleo ligni juniperini ſeu corylini factâ, ſicque per os derivando materiam, paucis horis lingua planè detumuit. Altero die ſyrupus cum decocto diaſenæ exhibitus, ut ſudorifera ſequentibus diebus aſſumpta, feliciter ac magno ægri levamine operabantur. Poſtea alter Medicus, me abſente (cujus tamen adventum ad veram & methodicam hujus ægri curam ſuſcipiendam præſtolabar) ferè per menſem, premiſſis etiam purgationibus linguæ tuberculo impoſuit digeſtivum, ſed omne incaſſum, ſic enim digerendo ulcuſculum in dies latiùs ſerpſit. Quare alter Medicus ſuum patientem incurabilem, niſi malum ſectione auferatur, proclamabat, & abſque ullis remediis deſperatum, neque unquam attingendum putabat. Eodem tempore aſtans ego matri, ob filium ſuum medica ope excluſum ejulanti, non modò rogatus, verùm imprimis συμπαθείᾳ chriſtianorum (quia membris fide & dilectione nobis annexis omnibus ad mortem uſque opem ferre jube-

jubemur, cùm in deſperatis admirabilem ſanando Deum viderim) commotus, mea pauca, & certa remedia repetii. Erat enim cancroſus adhuc lacertoſus, & viribus validus, benè & comedebat & dormiebat. Quapropter ex præſentibus ſignis quàm minime curatio eradicativa certò ſit ſperanda præſagiens, curam palliativam, qua cancri augmentum prohiberi, aliaque ſymptomata demoliri queant, amplectendam ſuaſi; uſtioni aut ſectioni, quàm ſenior Medicus ſuadebat, ſemper meritò contradixi, ab Hippocrate & Galeno ſect. 6. Aphor. 38. fideliter admonitus, pars enim affecta nunquam gangrænoſa manifeſtè apparebat, quam alter Medicus ſuſpicabatur, ut jam de hoc curandi modo præſertim hìc periculoſiſſimo, & calumniis expoſito nihil dicam, quo ſaltem ulcus ablatum fuiſſet, latente per amputatæ linguæ ſubſtantiam maligna radice.

Decimo ergo Martii rogatus, primùm præſcripſi convenientem diætam: deinde cùm ſufficientiſſimæ à nobis binis Medicis perpurgatum corpus fuiſſet, talibus evacuationibus ſuperſedi, leviores tamen, jubente ægri natura, non negligendo.

Deinceps venam ſalvatellam aperiri juſſi; poſtea ſudorifera, occulta virtute cancro inimica, alternis diebus (quod tempus ſi neglexit, recens parotis ſtatim erupit) citra moleſtiam præbui.

Sequebantur colatoria, optimè partes ejus carcinomati vicinas deſcendentia. Denique exulcerato linguæ cancro aquam abſterſoriam ex ſtillatitiis plantaginis, cardui & ligni heraclini, nec non pollinem ulceri inſpergendum ex carduo benedicto, nicotiana & trochiſcis à viperis, magno emolumento ægri ordinavi. Præterea adhibitis prædictis, poſt horam cataplaſma ex ſaccharo cando, floribus ſulphuris & theriacâ cum oleo ligni Heraclini ad juſtam conſiſtentiam redigendo, nunc ficubus, nunc panno cerato ulceratæ linguæ imponi, & per famulum aut chirurgum uſurpari curavi; qui ambo in adminiſtratione remediorum diligentiſſimi erant; bis enim plerumque ſingulis diebus ſi non peregre advocatus, affectum tangendo ipſis adfui. Miror autem ſæpius Berckmannum famulum, quo meliorem nunquam apud ægrotos optarem, noctu patienti accumbendo, interdiu cancroſa induſtriè meis remediis tractando, tam ingentem fœtorem ſuſtinere potuiſſe abſque manifeſto damno. Sic in dies Clariſſime Dn. Fabrici, cataplaſmatis operatio mihi arridebat, cujus vim in his & ſimilibus affectibus admirandam oriri puto ex oleo ligni heraclini ſive corylini, hujus virtutem nobilem indies curando laude experior.

Inſtante Maio, cancer exulceratus in dies omnium admiratione tumore mollior, fœdo & ſordido ulcere mitior, imò labris primùm craſſis tumidis, duris, poſteà etiam nodoſis, inverſis, elatis, ac profectò aſpectu horridis, ſubſidens & evaneſcens apparuit: ita, ut interim nunc ſanguinem melancholicum (at per aliquot intervalla) guttatim ad ℔ij. nunc ſaniem ichoroſam, fœtidam, & cadaveroſam, ac quandoque atram eructaverit: venulis atro cruore & melancholica fœce deoneratis, tumor evanuit: ac malignitate extincta ulcus ſaniem laudabilem fuſit, in exulceratæ linguæ cavitate deterſa caro non livida, ſed rubella, proba & ſana ſenſim ſuccrevit; ita ut jam cicatrix obducenda foret, niſi rimulam literæ inſtar C admodum parvam cum natura etiam ſtudio apertam aliquantulum reliquerim.

Quùm ſic rem in vado eſſe ſperaſſem, in lateris ejuſdem ſcrophulæ ſub mandibula inferiore, quas in dies auctas antea ſcripſi, tumore ſerpentes intro ad linguam ſeſe inſinuarunt, ibique ſub lingua in cancrum manifeſtum terminabantur, quem dudum metuebam, quemque foras elicere, & aperire ſummo ſtudio, præſertim cum colore in rubro nigricante id ſimulaverit, laborabam, at hic funis (ut in proverbio) nihil attraxit, ſed linguæ frenum partim excedendo, labro albicante. nodoſo, ſenſim magis inverſo, demum cruento, tandem exulcerato, paucis diebus ita rebellis factus eſt, ut ſibi incumbentem & ſaneſcentem linguæ extremitatem, cataplaſmate inſuper interpoſito, tamen per ligamentum & venam raninam furiens, iterum non quidem magno aut manifeſto, ut antea, ulcere inquinaverit; atque totam linguam, præſertim, te diſcedente, magno & pertinaci tumore, oris ferè cavitati adæquaverit, geminum ac contiguum malum, quaſi datatim alternis vicibus materiam ſibi adminiſtrans, repullulando citò, latè admodum germinabat: hypochondrium utrumque inprimis dextrum valdè prominebat, quodve principio initæ curæ ſolùm prominens accuſabam, at cancroſus idem, quaſi ipſi ſit congenitum, & abſque dolore excuſabat: pectus elevatum, tuberculis nodiſque totum cum tumentibus venis perſpergebatur. Dolor prius dextri, dein utriuſque hypochondrii, primùm ſubacutum auſterus homo nolebat, rogatus etiam mihi, illum ſuſpicanti, indicare: poſtea tam vehemens, ut cruciatum diutius abſque leniente remedio, ſe ferre non poſſe clamaverit. Dolorem enim acutiſſimum, pungentium velut acicularum ſenſum inferentem, nunc unum, nunc utrumque hypochondrium, nunc ad claves uſque interioreſque homoplatas, & humeros, etiam frequenter brachium, coxendicem, & totum pedem, ejuſdem ſcilicet & dextri lateris pervadere, æger conqueſtus eſt, à quo tamen vacationem ſæpius habebat, ob mitigantia à me miſerante præſcripta. Miſerabiliter enim dolore agitata, tremula membra vidi. Tandem in dies effluxû aucto, nec avertendo, nec derivando ceſſante, prius uvulam inflammatam, ferè æque malignitate cancroſa, infectam aſpeximus, quo aſpectu prohibiti, quamvis ſtrenuè ego & chirurgus ubique laboraverimus, tamen oris cavitati adæquata tumida lingua ob veſtigia ſibi à dentibus impreſſa, ita ſecundùm dentium ſeriem planè exulcerabatur, ut ſuperiores dentes per exeſam linguam inferioribus conjuncti fuerint. ô miſerandum ſpectaculum! ô ingentem fœtorem, quem toleravimus.

Tecum omnes ſuffocationem metuebamus, quam tamen Deus prohibuit: tandem cùm nullo alimento frui poſſet, & potu vires vix reficiebantur, ſuccedente frequenti λειποθυμία, unde horis antemeridianis bis alvum cito exoneravit, pòſt magno deliquio animi commotus illius curator recitabat orationem Dominicam, quam agoniſans patientiſſimus Job qualitercunque muſſitando ad finem uſque ſequens, voce Amen clauſit, & confirmavit atque ſic placidiſſimè in Chriſto Salvatore 3. Junii, ſolis die obdormivit.

Veſperi ſuadebam tecum ſectionem cadaveris, cum prius ſæpiſſimè matri explicuerim, te mihi conſentire, malignitatis hujus cancroſæ radicem ex hepate (omnibus ſignis ſic annuentibus) & germinaſſe & propterea viſcera inſpicienda eſſe, at illa cum ſuis mulierculis hâc de re, quaſi hoc committere planè iniquum foret, incipientibus, rigidè denegando me amandavit. *Valentinus Rulandus in Gulielm. Fabric. Hildan. Obſer. Chirurg. cent. 3.*

Superiori menſe Octobri unà cum viro clariſſimo, atque Doctiſſimo Dn. Andrea Weickio, Medicinæ, doctore, convictore meo gratiſſimo, Soloduri matronam, non ex obſcura familia oriundam, inviſi, laborabat illa cancro occulto in mamma dextra, quem ante annos quadraginta, cùm infantem ablactaret, ex lacte in grumos concreto contraxit. Supervenerat autem tum temporis ex abundantia lactis, nec non reten-

retentione menſium inflammatio, qua ſedatâ tuberculum ad magnitudinem fabæ remanſerat. Quod neglectum ab initio, per annos ferè quadraginta in ipſâ mammâ delituerat, abſque tamen dolore aut ullo incommodo. Nunc verò ante annos tres, cùm decrepita ætas appropinquaret, ita accreſcere & dolere cœpit, ut tandem non ſolùm totam mammam occuparet, verùm etiam ſub axillam uſque ſeſe extenderet. Tumor iſte non uſque adeo elevatus, inæqualis tamen eſt, & undique nodulos duriſſimos, ac lividos, venuliſque infinitis nigricantibus circumdatos habet. Tumor ac noduli iſti adeo ſub axillam verſus vergunt ac retracti ſunt, ut papilla, quod notandum, ferè ſub ipſâ axillâ recondatur; Hinc fit, ut brachium quoque dextrum propter muſculum brachium pectori adducentem, in conſenſum trahatur. Totum enim brachium, imo & manus ipſa tumore præcipue ex pituita, cui tamen multùm bilis atræ admixtum (œdema ſcirrhodes appellant Medici) ab initio morbi per annos ferè quadraginta, ut dixi, nullus fuerat dolor in ipſâ mammâ, nunc tamen continuus eſt, qui quidem jam acutus & pungens, mox verò remiſſior, in ipſum tamen brachium, mediante prædicto muſculo ſeſe extendit. Dolorem autem ac intumefactionem brachii, venæ-ſectio, ab imperito barbitonſore in ipſo cubito, antè menſes octo facta, non parùm auxit. Cùm enim antea dolor brachii eſſet exiguus, poſt venæſectionem adeò auctus eſt, ut brachium nunc officio ſuo fungi ampliùs non poſſit, tantopere attraxit venæ-ſectio.

Ego etſi affectum in decrepita hacce matrona (ſeptuageſimum enim annum ætatis prætergreſſa eſt) planè incurabilem eſſe, adſtantibus ſignificaverim, quia tamen ægra, poſt Deum ſpem maximam in medicamentis, quæ adhibiturus eſſem, poſuit, nonnulla morbum palliandi causâ præſcripſi. Imprimis verò optimam victûs rationem inſtitui. Deinde corpus ſequenti potiunculâ expurgavi.

℞. Radicum lapat. acuti, ſcrophulariæ majoris, polypodii q. Cortic. interior. radic. frangulæ an. ʒß. Herb. cuſcutæ, fumariæ, ſcabioſæ, ceterach an. M.ß. ſem. aniſi & fœniculi an. ℥ij. foliorum ſenæ ℥iß. liquiritiæ raſæ ℥ß. fiat decoctio in aqua, ut colatura redeat ad ℥viij.

Hujus colaturæ accipe medietatem, cui admiſce ſyrupi roſati ſolutivi comp. cum rhabarbaro, agarico & ſena ℥j. Miſce, fiat potio, detur in crepuſculo matutino, leniter hac potione expurgato corpore, poſtridie venam malleoli dextri incidi, ſanguinem (revulſionis causâ) ad uncias circiter quatuor extraxi, & poſtquàm per diem unum aut alterum à venæ ſectione quieviſſet, alteram doſin præſcripti decocti, cui conf. hamech, ʒij. ſyrupi roſat. ſolutivi compoſiti ℥j. admixta erant, propinavi. Brachium autem ut ſequentibus oleis quotidie bis inungeretur juſſi.

℞. Ol. lumbricorum, vulpini an. ℥ij. ol. Scorpionum ℥j. de vitellis ovorum, & amygdalar. dulcium an. ℥iß. ſpicæ ℥ß. miſce. His uſque nunc maximo cum fructu utitur oleis, dolor enim & intumefactio brachii remittunt, mamma in eodem ſtatu perſiſtit, tumor non accreſcit, nec dolor adeſt, ſequens tamen emplaſtrum applicat.

℞. Empl. diapomphol. ℥ij. diapalm. ʒj. plumbi uſti & loti, lapidis calaminaris an. ʒß. cum ſ. q. olei roſacei & ſucci geranii fiat l. a. unguentum.

Porrò Clariſſime Dn. D. Toxoti, vix credas quàm exitioſum in cancroſis ulceribus ſit unguentum Ægyptiacum, ego expertus loquor, ſuperiori enim anno 1606. ad matronam, hîc in vicinia cancroſa, necnon fætidiſſimo ulcere in mamma dextra laborantem, vocatus fui, Cheirurgus, qui curationem ſuſceperat, ut fœtorem iſtum caſtigaret, & carnem quæ in cancroſis ulceribus continuò excreſcit, abſumeret, de tertio in tertium diem aut etiam, alternis diebus, unguentum Ægyptiacum applicuit, inde ulcus in continenti adeò malignum factum eſt, ut intra breve temporis ſpatium mammas ad coſtas uſque eroderet, ægramque extingueret, integram hiſtoriam ſuo loco quoque videbis: blande itaque hujuſmodi ulcera ſunt tractanda. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurg. Cent. 3.*

Matrona hîc in vicinia, ex nobili familiâ oriunda, poſtquam quinquageſimum annum ætatis prætergreſſa eſſet, nec ampliùs utero geſtaret, menſes quinetiam ſubſiſterent, tuberculo ad papillam dextram correpta fuit. Tuberculum hoc etſi ab initio durum, & aliquo modo moleſtum eſſet, attamen quia exiguum & indolens, neque ipſa ægra, neque adſtantes, hac de re uſque adeo ſolliciti erant. Anno verò ineunte 1606. quum accreſceret, & dolere cæpiſſet, chirurgus quidem in conſilium accerſitus fuit. Is cùm emollientia & pus moventia per menſem ferè integrum adhibuiſſet, paulatim acuto dolore, ruptum eſt tuberculum. Sed nihil præterquam aliquid ſaniei, loturæ carnis inſtar extillavit. Mox verò malignum, dolorificum, fœtidumque ulcus ſequutum eſt, ego 6. Julii ejuſdem anni cùm advocatus eſſem, matronam hanc ſupra modum extenuatam & debilem inveni. Ulcus quod fœtidiſſimum, adeo erat malignum, ut totam mammam ad ſternum & ſub axillam, coſtaſque ferè uſque eroſerat, idque ſpatio quatuor menſium, nimirum à principio Menſis Martii (quo tempore ruptum fuerat tuberculum) uſque ad menſem Julium perfecerat. Dolor item maximus, inquietudines, febricula, continua nauſea, & cibi faſtidium aderant. Ex quibus omnibus, quum ipſam in evidentiſſimo mortis periculo verſari cognoviſſem, manum adhibere recuſavi, domumque redii. Non diu poſt meum diſceſſum animam Deo piè, placidèque reddidit. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurg. Cent. 3.*

Matronam Nobilem, conſultiſſimi & Doctiſſimi Viri D. Joh. Mouleri J. U. Licentiati, & illuſtr. Principis ac Domini D. Guilhelmi Juliac. Clivens. & Montenſium &c. Ducis Conſiliarii Uxorem Duſſeldorpiæ circa annum 1583. cognovi, laboraverat illa per annos aliquot cancro non exulcerato in mamma, quum verò præſtantiſſimum virum Dn. Coſmum Slotanum, meum præceptorem plurimùm honorandum in conſilium adhibuiſſet, certis quibuſdam medicamentis, cùm per os exhibitis, tum etiam exteriùs admotis, incrementum tumoris ita retardavit, ut ipſum abſque dolore, & inſigni incommodo per multos annos, & quidem ad finem uſque vitæ ſuæ, patienter tulerit; neque unquam ad ulcerationem pervenerit. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurg. Cent. 3.*

Joannes *Aufder Euſt*, Hildenæ in patria, quum multos annos tumore ſcirrhoſo in ſiniſtro clune laboraſſet, ad conſilium vocavit barbitonſorem Duſſeldorpenſem, qui nulla habita morbi ratione, multis unctionibus & cataplaſmatis tumorem ad ſuppurationem provocare ſtuduit. Hinc exorta inflammatione, & dolore acutiſſimo, novaculam tumori infixit: ſed nihil præterquam aliquid ſanguinis aduſti effluxit. Dolor in dies factus eſt vehementior, ita quidem, ut nullo modo ſedari potuerit, ulcuſque intra paucos dies totum clunem invaſerit, labiis ejuſdem in altum elevatis, inverſis & calloſis. Incredibile eſt, quo dolore ipſe excruciatus fuerit. Ego illum aliquoties cum clariſſimo Dn. Doct. Reinero Solinandro Illuſtr. Princip. Cliviæ, &c. Medico & Coſmo Slotano, ejuſdem principis chirurgo præſtan-

præſtantiſſimo inviſimus. Quamvis autem nos ſummo ſtudio in hoc incumberemus, ut dolores aliquomodo lenirentur, fruſtra tamen omnia tentavimus. Tandem enim ipſe in ea miſeria & cruciatu deceſſit 17. Maii 1581.

Dominus Polerius, civis Lauſannenſis, vir ingenio & virtute præſtans, mihique amicus, tumore cancroſo ad magnitudinem ovi gallinacei circum circa papillam ſiniſtram, per multos annos vexatus eſt. Suaſerunt ipſi aliquando Medici, ut tentaret tumorem paulatim emollire, & diſcutere emplaſtris de mucilaginibus, de meliloto, & ſimilibus: ſed quamprimum ejuſcemodi medicamenta tumori admovit ſtatim exortus eſt dolor, & inflammatio, ita ut illa abſtrahere, & frigidum aliquod medicamentum applicare, coactus fuerit. Sedato dolore, ac inflammatione, denuò applicuit emollientia; ſed ut ante ſequutus eſt dolor. Tandem, quum ipſemet experientiâ exploraſſet, hunc dolorem atque inflammationem ex horum emollientium uſu manare, ab eis plane abſtinuit, diuque poſtea ſuperſtes fuit. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Obſervat. chirurg. Cent.* 1.

Anno 1600. Vetula Lauſannen. cancro exulcerato ad concurſum ſuturarum ſagittalis, & Lambdoideæ laborans, in conſilium me adhibuit, ulcus dolorificum, ſordidum, fœtidum, inæquale, labia verò dura, & ad pugni magnitudinem elevata erant. Præparato corpore, cùm optimâ victûs ratione, tum purgationibus & venæ ſectione, præſente Reverendo viro Dn. Joanne Rheterio in ſchola Lauſannenſi linguæ ſanctæ Profeſſore longè excellentiſſimo, Claudio Marione, Dav. Clerico, multiſque aliis, abraſis crinibus, totam iſtam exulceratam maſſam, & quicquid nobis malignitate iſta contaminatum videbatur, ad cranium uſque excidi. Cranium quin etiam, quia carioſum, poſt dies aliquot ſcalpris abraſi. Dein pulverem catagmaticum quotidie inſperſi, vulnuſque more aliorum vulnerum capitis, cicatrice obduxi, convaluit, & multos annos ſupervixit, tandemque plane decrepita peſte obiit.

Quidam propè Lauſannam, cui membrum virile in fungum cancroſum, ac planè monſtroſum excreverat, necnon exulceratum fuerat, cùm auxilium à me petiiſſet, membrum virile, & quicquid ita infectum, in ipſo abdomine incidi. Hic ſimiliter convaluit; & ad multos ſupervixit annos. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurg. cent.* 3.

Verruca in ſummo Balani exiſtens, tandem in Horrendum fungum cancroſum degeneravit, ubi de abſciſſione membri virilis agitur.

Pierre Perrod faber ferratius ex pago Creſciacenſi prope Lauſannam, ætate quadragenarius, vita ruſticus, temperamento melancholicus, à teneris annis verrucâ in ſummitate glandis, lentis magnitudinem vix excedente, laboravit: ex qua in cælibatu, nonniſi aliqua colliſione factâ, dolorem non ſenſit. in matrimonio autem propter confricationem, quæ fit in coitu, magnum & continuum cœpit ſentire dolorem, ita ut per tredecim annos à congreſſu uxoris abſtinuerit. Succeſſu verò temporis accrevit dolor, verruca in monſtroſum cancrum, magnitudine infantis capiti recenter nati, nihil cedenti, degeneravit. Penis in carnis maſſam inæqualem, & lividam transformatus erat, fœtor tantus aderat, ut familiares & amici conſortium ipſius ferre neqviverint. Ulcera etiam non pauca, è quibus urina hinc inde effluebat, hunc fundum cancroſum circumambiverunt. Morbo itaque indies in deterius vergente, tam empiricos quàm rationales adhibuit medicos atque chirurgos, ſed abſque fructu. Ab iis omnibus etiam æger tandem plane pro deſperato atque incurabile judicatus eſſet, in maximo quinetiam diſcrimine vitæ verſaretur; & cuncti ad commiſerationem comvoverentur, ut ſibi opem porrigere vellem, petiit. Reverendus itaque pietate ſimul & doctrina ornatiſſimus ſenex Dn. Petrus Pageſius, verbi divini miniſter fideliſſimus, author fuit, quod facto prius prognoſtico coram amicis & adſiſtentibus, curationem aggreſſus ſum. Affectum autem cùm diligenter examinaſſem, in extremo eſſe deprehendi. Cancer enim jam radices ſuas ad ipſius abdominis muſculos uſque fixerat. Quapropter extremum remedium, hoc eſt, ipſius membri abſciſſionem, potius tentare malui, quàm hominem tanta calamitate fractum atque afflictum, in ejuſmodi miſeriis diutiùs derelinquere. Quod igitur ipſam curationem attinet, hoc modo proceſſi. Primò inſtituta optima victûs ratione, corpus ſequenti potiuncula leviter purgavi. R. Herbarum fumariæ, ſcabioſæ, cuſcutæ, ceterach. an. M. ß. ſem. aniſi ℥ ß. foliorum ſenæ ʒ iij. fiat decoctio ut colatura redeat ad ℥ iij. in quibus diſſolve confectionis Hamech. ʒ iij. ſyrupi roſati ſolutivi compoſiti cum Rhabarbaro, agarico, & Sena; Aquæ cinamoni diſtillatæ abſque vino an. ℥ j. Miſce; fiat potio, detur in crepuſculo matutino.

Poſtero die venam brachii ſiniſtri incidi, & uncias ſex ſanguinis extraxi. Deinde ad majorem humorum præparationem, & evacuationem ſequens Apozema exhibui.

♃. Radicum cichorii cum toto. Radic. Lapati acuti, Petroſelini, Polypodii, Scrophulariæ majoris, corticum tamariſci, & interiorum radicum frangulæ an. ℥ j. herbarum agrimoniæ, veronicæ, ſcabioſæ, cuſcutæ, Ceterach. Polytrichi, Geranii an. M. j. Trium florum cordialium, Geniſtæ, & ſambuci ana p. j. Liquiritiæ, & uvarum paſſular. exacinatar. an. ℥ j. Fiat decoctio in ſ. q. aquæ, ad conſumptionem tertiæ partis in ℔. j. ß. colaturæ infundantur & macerentur l. a. foliorum ſenæ mundat. ℥ ij. rad. elleborinæ, hoc eſt, ſaniculæ fæm. Fuchſii, polypodii an. ℥ j. agarici recenter trochiſcati ʒ iij. rhabarbari optimi ʒ iij. fiat ſ. a. potio pro quatuor matutinis. Hiſce expurgato corpore, & exonerata veſica, decima julii anno 1601. ægrum in ſedem collocavi, & præſente clariſſimo & doctiſſimo viro Dn. Johanne Rheterio, in ſchola Lauſannenſi Hebraïcæ linguæ Profeſſore celeberrimo; Claudio Marione, pharmacopæo exercitaſſimo, David de Clerico, aliiſque multis qui etiam nunc vita fruuntur, membrum virile in ipſo abdomine abſcidi. Poſtea pulverem meum, ad ſanguinem ſiſtendum, ſtupis albumine ovi madefactis, applicui; ac linteis reduplicatis & oxycrato imbutis, inguina & ſcrotum involvi, faſciiſque colligavi. Quibus factis ſervos conſtitui, qui per vices manu madefacta oxycrato, ſtupas cum pulvere continuò continerent, nè ſanguis erumperet. Cauterium enim actuale hoc in caſu ſummè periculoſum eſt, tum quod meatum urinarium obſtruat, tum etiam veſicæ & circum jacentium partium inflammationem facilè excitet. Vulnus ſic in hoc primo apparatu ligatum in alteram diem uſque intactum reliqui. Tum primis diebus applicato digeſtivo, ventre circumjacentibuſque partibus vulneris ol. Roſarum & Myrtillorum inunctis; item applicato defenſivo imo ventris, vulnus curavi more ſolito. ſic Dei beneficio pleniſſimè convaluit.

Pro urinæ autem canali, hoc ſubſequens inſtrumentum ex Ambr. Paræo lib. 23. cap. 9. ſubſtitui, quo tam commodè ſtatim poſt abſolutam curationem utebatur, ut parum imò nihil vel obſtaculi vel doloris inde ſentiret. Vitæ etiam ſuæ munia feliciter, & firmæ

ſanitate obiret, ita ut omnes, qui ipſum antea viderunt, admirarentur.

Porrò quum nonnulli cancrum, in una parte exciſum, in altera renaſci exiſtiment, notandum eſt hominem huncce per multos annos vixiſſe, & corpore ita validum fuiſſe, ut negotia ruſticana, & opificium ſuum abſque ullo impedimento exerceret, urinam quoque libere, & quidem ſine fiſtula illa, qua in principio uſus fuerat, non ſolùm redderet, verùm etiam ipſam non ſecus ac ſi virgam ſanam & integram habuiſſet, longè expelleret. Retulit pręterea mihi aliquoties, ſe ſæpiſſime ad venerem incitari. Obiit tandem circa finem anni 1611. dum ego in Belgio eſſem, qualis autem fuerit poſtremus ſuus morbus, latet me. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurg. cent. 3.*

De Exciſione tumoris cancroſi ad radicem dentium ocularium.

Genere, virtute, doctrina, ſed pręcipue pietate Nobilis vir Dn. Wilhelmus Vom Scheidtgenam Juris U. Doctor, & Sereniſſimi principis ac Domini Dn. Willielm. Juliacenſium, Clivenſium & Montenſium &c. Ducis conſiliarius prudentiſſimus & Satrapa in Solingen &c. à multis annis tuberculo ad radicem dentium ocularium ſiniſtri lateris laboraverat, quod ex defluxionibus vehementibus ad dentes ortum ſuum traxerat. Tandem quum accreſcere & dolere cœpiſſet, majora incommoda evitaret ex conſilio Dn. D. Galeni Wieri, ejuſdem Principis Medici celeberrimi, Colonià in arcem vicinam, unà cum clariſſimo viro Dn. Joann. Coſmo Slotano, Medico Colonienſi (Dn. Wierus enim propter occupationes graviſſimas circa principem, curationi intereſſe non potuit) accerſitus fui. Anno 1593. ubi curationem ſequenti modo inſtituimus. Tuberculum autem magnitudinem juglandis adæquabat: pędurum, lividum, & inæquale erat, & partim gingivæ, partim quoque labio adhærebat; ita quoque ut exteriùs extuberantia quędam appareret. Dolor quoque pungitivus aliaque ſigna quę cancrum comitari ſolent, aderant. Porrò quia à multis annis catharris ad dentes obnoxius fuerat Nobiliſſimus æger, ne facta operatione, defluxiones negotium nobis faceſſerent, conſtitutum fuit inter nos, ut ante operationem corpus omnibus modis, & quantùm fieri poſſet, præpararetur; quapropter in primis ſequens apozema, ad humorem peccantem incidendum, & præparandum, exhibuimus.

℞. Radic. cichorii cum toto m. j. Radicum petroſelini, fœniculi ana ℥ij. Polypodii q. ℥ß. corticum frangulę ℥j. Cortic. Capparum & Tamariſci an. ʒjß, Herbar. Scolopendriæ, veronicę, betonicę, Fumariæ, ſcabioſę, ana. m. ß. flor. borraginis, bugloſſę, roſmarini, Betonic. Summitatum thymi & majoranę ana. p. j. Seminis aniſi, fœniculi an. ʒij. coriandri pręparat. ʒj. Paſſularum corinthiacarum ℥ß. decoquantur in ſ. q. aquę & tertia parte vini ad conſumptionem medietatis. Hujus Apozematis accipe ℥ij. ß. in quibus infundantur, & macerentur per noctem, rhabarbari electi ʒj. Agarici recenter trochiſcati, & turbith. gummoſi an. ℈ij. folior. ſenę mundatorum. ʒij. Sem. aniſi, & florum tartari, ana. ℈ij Maneant per noctem in infuſione, in loco tepido, mane poſt levem ebullitionem fiat fortis expreſſio, cui adde Syrupi de polypodio ℥j. aquæ cinamomi ℥ß. miſce, fiat potiuncula. Sic purgato corpore, per dies aliquot de pręſcripto apozemate bis in die, nimirum tribus horis ante prandium, totidemque ante cænam, hauſtum bibit, tandemque jam jam præſcriptam potiunculam reiteravimus, cucurbitulas quinetiam. Primò ſiccas, tandem cum ſcarificatione applicuimus, ſic præparato, & evacuato corpore per vias manifeſtas, ſudorem quoque per dies 14. duximus, ſequenti decocto.

℞. Ligni ſaſſafras optimi ℥ij. ligni Guajaci rad. ſalſę parillę an. ℥j. cinamomi ℥ß. Projiciantur in poculum ſtanneum aut terreum, & affunde aquæ clarę ℔. iiij. Claudatur quàm diligentiſſimè veſicâ madidâ primò, deinde linteo, nè quid expiret. Tandem fiat decoctio per horas ſex aut octo in duplici vaſe. Non autem illicò aperiendum eſt poculum, ſed expectandum, donec per ſe ſit refrigefactum. Hujus decocti ſumpſit ad uncias quatuor pro vice, & bis in die. Poſt ſudorem corpus iterùm expurgavimus ſequenti purgatione.

℞. Rad. polypodii quercini, cortic. rad. frangulę, Tamariſci, & capparorum an. ʒj. ceterach. fumariæ, ſcolopend. an. p. 1. flor. Bugloſſæ, borraginis, violarum an. p. ß. ſeminis aniſi, fœniculi, an. ʒß. folior. ſenæ Alexand. ſelect. ʒiß. Decoquantur in aqua fumariæ & ſcabioſę, ut colatura redeat ad ℥iij. in quibus infundantur & macerentur l. a. Rhabarbari, Rad. mechoacę, agarici trochiſcati ana. ʒj. Zingiberis & ſem. aniſi an. ℈. j. Maneant per noctem in infuſione, in colatura fortiter facta diſſolve. Electuarii roſarum Meſuę ʒij. Syrupi de polypodio ʒvj. Diaſennę Braſſavoli ℈ß. Aquę cinamomi ʒiij. miſce & detur in crepuſculo matutino. Interim autem dum decocto ſudorifico utebatur, frequenter os ſequenti Gargariſmate abluebat, idque in eum finem, ut partes defluxionibus obnoxiæ ante operationem corroborarentur.

℞. Roſarum rubear. m. j. flor. malvę hortenſis, m. ß. Cortic. granatorum. ℥ij. Balauſtior. Gallarum immatur. an. ʒj. flor. betonic. ſcabioſę, an. p. j. Radic. ſcrophularię ʒ. j. ß. coquantur in ℔ iiij. vini rubri & ſtiptici, ad tertię partis conſumptionem. Colaturę adde Mellis roſacei ℥ij. Diamoronis, Mellis violacei an. ℥j. miſce. fiat gargariſma.

Ex præſcriptis herbis quoque minutiſſimè inciſis, Sacculos duos pręparavi, quorum alter latus erat pollicem unum, longus duos; alter ejus erat latitudinis, ut ſuperius labium, naſum & genam cooperiret. Sacculos iſtos vino rubro & ſtiptico incocto, tepidè applicare juſſi & quidem continuò.

Satis præparato corpore, tam optimâ victûs ratione, quàm præſcriptis remediis, ægrum in ſedem collocavi, capite parumper retrorsùm verſus nucham reclinato. Tum miniſtrum retro ægrum conſtitui, qui ambabus manibus non ſolùm caput tenebat, verùm etiam indicibus digitis ſuperius labium in altum elevabat. Hoc facto, acû incurvatâ, filoque reduplicato apprehenſo tumore, ipſum paululum attraxi, & cultello ſeparatorio, ad ipſam mandibulam uſque fœliciter excidi.

Exciſo tumore ſequentem pulverem ad ſanguinem ſiſtendum, cum ſtupis albumine ovi madefactis impoſui, & faſciâ ligavi.

℞. Farinæ volatilis ℥ß. boli orientalis, terræ ſigillatæ an. ℈iv. pulveris albuminum ovorum ſole exſiccatorum ʒj. pilorum leporis minutiſſimè inciſorum ℈j. corallorum præparator. ℈ij. miſce. fiat pulvis tenuiſſimus. Sequentibus diebus oleum de vitellis ovorum, cum pauco croci mixtum, filamentis vulneri impoſui. digeſto ſatis vulnere, ſequenti gargariſmate os ſæpiſſimè abluere juſſi.

℞. Flor. betonicæ, roſarum, folior. alchymillę, Saniculæ, pyrolę, ſcabioſę, an. p. ij. coquantur in aq. ℔ iij. ut colatura redeat ad ℔ i ß. in qua diſſolve mellis roſati colati ℥iij. miſce fiat gargariſma. Circa finem curationis ſequentem pulverem vulneri inſperſi, & laminam plumbi tenuiſſimam applicui.

℞. Tutiæ pręparatę, pulveris gammarorum, aluminis uſti, an. ℈j. miſce. Hiſce remediis ſanitati reſti-

reſtitutus, & ex evidentiſſimo periculo liberatus fuit, ita ut ad annum 1611. ſupervixerit. Quo anno circa finem Rattingę pie & placide obdormivit, & pro calamitosâ hacce vitâ beatorum ſedem ſibi elegit, cùm annum ſeptuageſimum prętergreſſus eſſet.

Cæterùm dum circa vulnus occupatus eſſem in univerſalibus nihil prætermiſſum fuit; quotieſcumque enim alvus aſtricta erat, clyſteres injecimus, cucurbitulas quinetiam cum levi ſcarificatione applicuimus; ſingulis quoque diebus paulò ante prandium, ad nucis juglandis magnitudinem de ſequenti electuario ſumpſit:

℞. Conſerv. flor. betonicæ, ſalviæ, roſmarini, & flor. ſcabioſæ, an. ℥j. ſpecierum dianthos, aromatici roſati, & de gemmis frigid. an. ℈ij. miſce. & cum ſyrupo conſervę corticum citronum f. electuarium.

Poſt paſtum aut mivâ cydoniorum, aut ſemine aniſi, & fœniculi condito utebatur. Cucupham præterea ex ſequentibus pulveribus præparavimus, quâ per annos aliquot uſus fuit.

℞. Florum betonicæ, roſmarini, ſtœchados, roſarum rubrar. an. m. j. ſummitat. majoranæ m. ß. ſem. coriandri præp. ʒj. ligni aloës ʒj. maſticis, thuris ana ℥ß. ſpecier. diamoſchi dulcis ℈iv. nucis moſchatæ ʒß. caryophyllorum ℈iß. granorum kermes ℈ij. miſceantur & contundantur groſſo modo pro cucupha, ſequens quoque vinum medicatum præſcripſimus, de quo per intervalla paulò ante prandium hauſtum bibebat.

℞. Flor. roſmarini, betonicæ, lil. convallium, primulæ veris an. m. iij. ſummitat. thymi, majoranę, flor. ſtœchados, borag. bugloſſæ, an. m. j. radic. iridis florent. ℥j. galangæ ʒij. ligni aloës ʒij. cinnamomi; nucis moſchatæ an. ʒvj. radic. caryophyllatæ ℥ij. liquiritiæ ℥iv. incidantur omnia groſſo modo, projicianturque in dolium, pro menſuris 12. aut 13. vini optimi & depurati. Pro corroboratione gingivarum ſeq. dentrificio uſus eſt.

℞. Corallor. præpar. roſarum rubear. an. ʒj. thuris, cornu cervi uſti & præpar. cancrorum præp. ana ℈ij. ſanguinis draconis, balauſtiorum ana ℈j. margaritar. præp. oſſis ſepiæ an. ℈ß. rad. iridis florent. ʒiß. aluminis uſti ℈j. miſceantur, fiatque omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Ignoſce, quæſo, candide lector, ſi forſan nimis prolixus fuerim. Fecit id magnitudo morbi: magnitudo inquam. Gingivarum enim & labiorum cancri, niſi univerſalia ritè & ex arte adhibita fuerint, incurabiles, ut plurimum eſſe ſolent. Hęc quia empirici, & circumforanei, in exciſione cancri labiorum non obſervant, mirum non eſt, ſi utplurimùm malum recrudeſcat, & in pejus evadat. Qui itaque operationes hujuſmodi cum laude & utilitate ægri perficere cupit, videat primò, ut corpus ægri ante operationem diligenter ſit præparatum, ubi præſens obſervatio, tyronibus veluti exemplar, & idea inſervire poterit: deinde diligentiam adhibeat, ut malum cum ſuis radicibus & in parte ſana extirpetur, quandoquidem minimâ remanente portione mali, fruſtranea erit operatio; ut alibi fuſiùs demonſtravimus. *Guilielmus Fabritius Hildanus Obſervat. Chirurg. Cent. 5.*

De exciſione tumoris cancroſi, in malâ exiſtentis.

Anno 1594. Coloniæ Agrippinæ Viduam Magiſt. Henrici Sartoris, ad portam leporinam habitantem curandam habui. Laboraverat illa per multos annos tuberculo cancroſo in malâ dextrâ, quod magnitudinem nucis avellanæ haud excedebat. Durum erat, lividum, & inæquale, exterius tamen nihil apparebat. Præparato ſatis corpore, tam victûs ratione, quàm reiteratis purgationibus, & venæ-ſectione, ægrum in ſellam collocavi: deinde miniſtros duos retro conſtitui, quorum alter caput tenebat, alter indicibus digitis in os immiſſis, & ambobus pollicibus è regione tuberculi poſitis, malam invertebat. Sic ſatis in conſpectum veniente tuberculo; illoque acu incurvatâ ac filo apprehenſo, cultello ſeparatorio, excidi. Poſtea eodem modo, uti in præcedente obſervatione dictum fuit, proceſſi, curationemque feliciter abſolvi.

Binas haſce obſervationes in eum finem ſcripſi, ut junioribus Chirurgis animum adderem, nè in cancroſis tumoribus in ore exiſtentibus; facilè deſperent, & ab officio deſiſtant, dummodo ipſos apprehendere, & radicitus extirpare poſſint. *Guilielm. Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurg. cent. 5.*

Tumores duri, rebelles, cancri-formes.

Occaſione tumorum dictorum memoriam ſubit aliud genus horum, quod inſidias ſanitati, & vitæ ſtruit, & cautè tractari deſiderat, quorum aliquot dabimus exempla. Puella 15. annorum cui menſes nondum fluxerant, ſub pondere majori collapſa, ad baſin ſcapulæ dextræ tumore corripitur duro; renitente, lato, & profundo, citra dolorem ullum, non tamen citra moleſtiam in movendo brachio. Tractata aliquandiu à Chirurgo ſolo, ſucceſſû ſanitatis nullo: quin in dies malum adaugeri obſervabatur. Conſulti ex methodi legibus alterando & purgando correximus humorem peccantem melancholicum, vel atrabilarium potiùs; exterius verò, noſcentes mali naturam, ſola defenſiva topica ex empl. diaphoret. diapompliol. aliiſque ſaturninis conceſſimus; prognoſi factâ, ſi neglectim tractaturi eſſent malum ipſum; cauſę verò averruncandę ſubinde per purgantia, diaphoretica, & ſanguinem defæcantia, operam daturi, tolerabilius in futurum, contrario verò casû, quo majori ſtudio eradicationi incumberent, eò citius malum exaſperatum iri. Æmulantur enim aut revera ſunt hi ipſi cancri occulti quos non curare, puta externis illis alias in curatione tumorum fieri conſultis, melius eſt; curati enim quoad finem primum, & intentionem citius intereunt ægri, morbo exaſperato, & vitalibus principiis infecto, non curati verò longius vitam trahunt teſte Coo 6. aphor. 38.

Neglecto hoc, ut fit, ſalubri monito, circumforaneum conſulunt, qui pactâ mercede ferro aperit tumorem, coque ſic magis, magiſque exſurgente poſt aliquot hebdomades turpiter, ut fit, diſcedit, alibi ſimiles ſtructurus fraudes. Inde ad carnificem curandi defertur provincia, ubi diu etiam cruciata, exareſcente corpore aliquo, domum ferenda in via moritur. Nil ſupererat, quàm ut incantamentis apertiùs acceptum ferrent malum, quod poſt obitum factum tamen. Domum enim illato, menſe Maio, cadavere, ſonos & ſibilos adſtantes percipiunt in tumore, ultra dimidium dorſi occupantes occurrunt, & angues inibi latere ſuſpicantes rogant, ut tumorem inſpicerem. Factâ diſſectione, ichor plurimus, putredinem jam ſubiens, conjunctâ fermentatione ſenſibili; ſibilorum cauſa patuit, partibus carnoſis mirè de tono ſuo dejectis.

Vir primarius fracto pede ſiniſtro paulò ſupra talum, aliàs hypochondriacus & ſcorbuticus eminenti gradu, paulò maturius; jubente officio aulico à curatione ſolitis occupatur negotiis. Succedente tempore ſupra locum olim affectum ſentit tuberculum non tam profundum ob nudum ibi magis os tibię, quàm eminens & non adeò molle. Eadem ferè luditur fabula. Adhibitis topicis; datis internis, nil proficitur, leviori interim viſo malo, quàm ut produceretur curatio; verbo aperitur tandem tumor ſuadente id extraneo

 medico;

medico, nil niſi ſanguis effluit; inde verò labia vulneris ſenſim dilatantur, protuberat materia velut fungoſa, fruſtra quibuſvis adhibitis. Tumor ſerpit ulterius, & tum omnino ſtatum ſubit, quem deſcribit *Lamzvverde promptuar. Chir. Obſ. 26.* Reliquum corpus interim hecticum ſubit ſtatum, cum pulsû ordinario frequenti, donec conſumptis viribus placidè obdormiret.

Sectione examinatus pes poſt mortem, obtulit fracturam nonniſi laxiùs cohærentem, imò ceu ſcaturiginem omnis hujus mali, callo omni abſumpto. Mechanicus propè femur dextrum conſimili tumore corripitur, qualem ſuperiùs deſcripſimus. Poſt apertionem improvidam, reliquis licet nihil juvantibus, nil niſi merum ſanguinem ſtillat, & imminui & conſolidari renuit, donec ad ipſum abdomen facto progreſsû velut ſphacelo afficeret conſentientia inteſtina, ſummo cum fœtore, & conſumptum totum corpus reliquum fatis tandem cederet.

Alius in ſiniſtro thorace tumore ejuſdem commatis, ſed dolorifico affectus, eandem ſubiit fortunam, niſi quod poſt menſem integrum conſolidationem admiſerit ulcus à vulnere, per apertionem facto, merum itidem ſtillante ſanguinem. *Georg. Wolfg. Wedel.*

Carcinoma femoris.

Ida, famula Regneri Neckii, amici noſtri, perculſa vehementiùs, ſenſit ex inopinato illo terrore, neſcio quem ſibi oriri dolorem circa genu; cum tumore femoris, in dies uſque eò invaleſcente, ut poſt annum ſeptimum videretur, plurium medicorum calculis, ſi non excedere, ſaltem ſuo pondere, accedere quàm proximè ad illam ſtrumam, quam ibidem loci olim vidit Antonius Benivenius, ponderantem ſexaginta libras obſerv. 14.

Quam molem hæc virgo ſeptem ampliùs annos tulit tam animosè, ut nemo domeſticorum, nedum quiſquam extra familiam, animadverterit unquam, quicquam vitii, in ipſius inceſsû. Verùm eroſa paulatim, ſummâ tumoris cute, intumeſcentibus ipſius venis; increſcente indies pruritu, & carne magis liveſcente; nequit ipſa malum ſuum diutiùs clam habere, ſed coacta id detegere, imploravit tandem pudibunda ac mœrens opem medicam.

Expetens obnixè, tumorem hunc ſcalpello ſibi amputari. Qui tamen pervenerat jam tum eò incrementi, ac malignitatis, ut nemo id auderet. Quocirca, licet invitiſſima, circumferebat tamen quocumque locorum infenſiſſimum hunc hoſtem, incedens intereà temporis per ampliſſimam noſtram urbem non minùs expeditè, ac ſi femori nihil omninò ponderis inhæſiſſet. Compeſcens interim malignum hocce carcinoma, ultra annum ſeptimum decimum, ſolo plumbi unguento. Cujus litû, nihil ſimili tumori utilius.

Diſſectus autem poſt obitum hic tumor ac bilanci impoſitus, ponderabat tantummodo præter omnem opinionem, ob fungoſam ſuam ſubſtantiam, libras ſexdecim; foris quidem glaber & æqualis, ſed intus ſteatomate, gypſeâ pituitâ, induratis calculis, dilatatis venis, ac ſinuoſis ſcrobiculis, vera levitatis cauſa, impendio nimis repletus. Latitans extrinſecus ſub extimo femoris muſculo.

Aliquot annis poſt oblata nobis fuit, ibidem loci in alia quâdam virgine, longè major excreſcentia, adæquans ambitu ſeſquiulnæ longitudinem, exorta, partim ex fiſſo ob graviorem lapſum, femoris oſſe, partim verò ex venis, & arteriis uſque adeò dilatatis, ut tumorem priùs commemoratum ludum ac jocum dixiſſes, præut hujus fuerit circumferentia. *Nicol. Tulpius Obſerv. Medic. lib. 3.*

Cancer exulceratus inferioris labii.

Senem Salodienſem, octoginta quatuor annorum, laborantem cancro exulcerato in labro inferiori oris, magnitudine medii ovi gallinacei, curavi; quem licet præmonuiſſem, morbum fore inſanabilem, admiſit tamen, imò rogavit, ut ipſum ſecarem. Præmiſsâ itaque totius corporis purgatione, hunc novacula incidente radicitus reſecui, ſanguine cum impetû erumpente quem ad decem circiter uncias datâ operâ effuſum; abſque ulla poſtmodum inuſtione, verùm goſſypio tantummodò uſto, pulveribuſque adſtringentibus firmavi. Digerentibus verò priùs medicamentis aliquot dies uſus, ex ipſo vulnere optimum pus emanavit indicio, totam ſubſtantiam cancri eſſe ſublatam, atque unguento poſtmodum ex ceruſa camphorato, ducto in plumbeo mortario, ſpatio viginti dierum cicatricem induxi, incolumi ægro tres annos abſque ullâ moleſtiâ; à quibus novus cancer ſubortus in faucibus, ex quo brevi ſpatio temporis obiit, præter meam omnem opinionem qui exiſtimabam ex ætate humorem melancholicum aduſtum iterum ſuccreſcere non poſſe, novi cancri in alio loco cauſam; prout ferè ſemper contingere ſolet omnium authorum ſententiâ, quod ſcilicet cancer in aliqua parte avulſus, in altera progreſſu temporis ſuboriatur; firmabatque meam opinionem, quod in praxi viderim mulierem ſeptuaginta annorum, famulam Collegii Divæ Catharinæ cancro exulcerato naſi laborantem, cui præſcripſi idem unguentum ex cerusâ, potius ad dolorem ſedandum, quàm curationis causâ, quæ tamen præter ſpem menſis ſpatio, nullo alio remedio adhibito, fuit perfectiſſimè ſanata, vixitque multos annos eadem firmâ valetudine; quod cenſui contigiſſe ratione ætatis, prout in ſene illo futurum rationi conſentaneum erat. Et quamvis hæc curatio non ſolùm à me ſit in uſum revocata, ſed à pleriſque, ut dixi, autoribus, quia tamen rarò contingit, cancros exulceratos omninò ſanari, nec ampliùs ſuboleſcere, ut in femina illa, ideò hanc obſervationem alii adſcribendam cenſui, quamvis in ſene illo cancer in faucibus triennio poſt repullularit, quod fortè non contigiſſet, ſi quolibet ſexto menſe remedia adhibita fuiſſent, humorem melancholicum ſpectantia, eundemque expurgantia. *Petrus de Marchett. in Obſer. Chirurg.*

Alium quoque quadraginta annorum circiter in Noſocomio Sancti Franciſci Batavii laborantem cancro exulcerato labii inferioris, magnitudine ovi palumbi eodem modo quo ſuperius ſanavi, à principio tamen præſcripta vere & autumno purgatione humoris melancholici, atque ejusdem alteratione refrigerantibus, & humectantibus; quanquam idem quatuor poſt annos in eodem Noſodochio ex febre maligna obierit, cancro tamen in nullâ aliâ parte corporis ſuborto; ut propterea aliquando non ſit omninò abjicienda ſpes ſanationis iſtorum morborum: dicti ſiquidem patientes medicorum præceptis ſi obtemperaſſent, forſitan non obiiſſent. *Petrus de Marchett. in Obſervat. Chirurg.*

Fungus cancroſus in interiori matricis colli parte.

Honeſta quædam Vidua hic Hagæ habitans, quadraginta circiter annos habens, temperamentique calidi, ac ſicci, nec nòn atrâ, (quam jam olim dixere) infeſtata bile, de tumore quodam extra corpus propendente mihi queſta eſt, quem non parum incommodi ſibi adferre, quoque velut ſtimulis aſſiduè ſe pungi dixit, fœtore inſuper ingenti illum abundare, ac inſtantibus catameniis, extendi, ampliorem que multo fieri aſſeruit.

Quamo-

Quamobrem non parum ſollicitâ meam imploravit opem. Ipſe autem ſuaſi, uti, præparato, prout deceret, corpore, quicquid hoc eſſet humoris (malignum namque perſpexeram) Manuali Chirurgi operâ tolli juberet. Cùm itaque (neque enim alium mali finem videbat) conſentiret, rem cum fratre *Joanne Stalpartio vander Wiel*, nec non cum tunc quidem Chirurgo, nunc autem & Medico *Cornelio Solingio* communicavi, perpendique. Tumorem itaque hunc exactè perſpectum fungum, ſive colli matricis excreſcentiam cancroſam, eſſe comperimus, anteriori quidem parte latiorem; poſteriori verò anguſtiorem. Statuimus idcirco baſin hujus excreſcentiæ, ſi contingere daretur, valido cingere filo, ac quotidie paulò arctiùs vincire, ut ſiquidem fieri poſſet, tumor à ſana parte ſepararetur. Rem itaque aggreſſi duplici fili circuitu anteriorem, craſſioremque excreſcentiæ cinximus partem; Chirurgus autem, quòd utrâmque manum eodem tempore vagina non admitteret, digitis ſenſim eò uſque promovit filum, ut baſin attigiſſe crederet. Tùm verò ob viæ anguſtias præpediebatur vinculum contrahendi facultas: id tamen ut perficeretur, nihil conſultius duximus, quàm ſi utramque fili extremitatem craſſiori, firmiorique alligaremus ſpecillo, ut hoc contorto, illud contraheretur, coarctaretque excreſcentiam; hoc autem ita ſucceſſit, ut illa intra quatuor, vel quinque dies alimento deſtituta protinus decideret. *Cornel. Stalpart. Obſervat. rarior. Cent.* 1.

Cancer in urinario fœminæ meatu.

Anno 1672. cum Chirurgo *Cornelio Solingio* vocatus fui ad mulierem hic Hagæ commorantem, quæ urinas excernere nequiens de maximo pudendorum dolore conquerebatur. Nobis autem, ut obſtructi lotii inveniremus cauſam, cathetere utendum fuit, cujus ope ſatis commodè urinam deprompſimus: ac tum quidem cancroſum in urethra ulcus latere comperimus, quo illa pene tota exeſa erat. Illa autem nunquam niſi dicti inſtrumenti adjumento lotium egerere valuit, ac non multò poſt miſerâ admodum vitâ exceſſit. *Cornel. Stalpart. Obſervat. rarior. Cent.* 1.

Cancer Oſſis.

Cornelius Celſus lib. 8. cap. 10. aſſerit fracturæ oſſium, præter inflammationem, ac diſtentionem nervorum interdum quoque cancrum intervenire. Ecquid verò per cancrum ibidem loci intelligatur, variæ variorum ſunt conjecturæ, neque minores ſententiarum conflictus. Veriſimile tamen non eſt, verum hic deſignari cancrum, nedum ſphacelum perperam excogitatum, at ſi quis conjecturæ locus, videtur hæc vox adumbrare calloſum illud tumoris genus, quod plerumque ſequitur calamitoſas oſſium fracturas, vel immedicabilem illam eorundem mollitiem, quam imprimit oſſi acida pituita, ſolidam ipſius ſubſtantiam planè corrumpens. Cujus pernicioſiſſimi tumoris natura, quantumvis haud parùm diſcrepet à genuino cancro, in eo tamen cum ipſo convenit, quod uterque nullis cedat remediis, conſpiretque perinde in perniciem ægrotum.

Vincentius Balduinus, Vir infractæ ætatis, vixit aliquandiu miſerandum in modum, ob humeri os, intra annos 15. quater effractum, quod paulatim increſcens, ſive ex viſcido contuſi oſſis ſucco, ſive ſanguine eò uberius affluente in eam tandem devenit molem, ut ne pectus, nec ſcapula immodicum ipſius pondus fuerit ampliùs ferendo, excitatis non ſolùm maximis nervorum doloribus, verùm etiam ſummâ ſpiritûs difficultate, ob luxurians pondus, thoracis motum continenter impediens, cum indefatigabili vigilia. Quibus è ſalebris quo evaderet, uſus fuit conſilio variorum Chirurgorum, quorum alii tumorem emollire, atque in pus convertere; alii contrà luxuriem ipſius arctiore faſciâ coercere; ac nonnulli vitiatum os ſerrulâ præcidere adnixi fuere.

Sed omnes ſucceſſu infelici. Venę enim ac arteriæ hujus tumoris latiores erant, quàm ut pollice humano potuiſſent obturari, ac proindè magis impedimento, quàm auxilio fuere faſciæ. Mortemque adeò non diſtuliſſet, quàm maturaſſet amputatio improvidè inſtituta.

Facto autem vivendi fine, docuit anatome, omnia, ſub cute, viſci craſſitiem, ac ſteatomatis induiſſe naturam, parumque diſcrepaſſe à materia veri cancri, cujus nomen fortaſſis propterea, huic oſſis vitio, haud malè impoſitum ab induſtrio hoc auctore. Ipſa vero oſſa erant non modò, à ſe invicem ſejuncta, verùm quaſi malleo minutatim confracta, ac præ irriguo madore adeò tenera, flaccida, ac mollia: ut inſtar ceræ ſcalpello facillimè conciderentur.

Quam eandem alienationem oſſibus utique imprimit acida, ac maligna quædam pituita, per habitum corporis effuſa, quam interdum quinquaginta vidimus occupaſſe loca, ac depaſcere tantùm non ſolida oſſa; verùm etiam carnem, membranas, nervos, ligamenta, aut quicquid illi obvium. Parum interim, aut nihil proficientibus remediis, quibus infenſiſſimum hunc hoſtem ſatagimus domare, ſive ſponte ex latebris ſuis prodeuntem, ſive à variolis in arenam hanc productum. *Vide Fabritii Hildani Centur.* 4. *Obſerv.* 69. Nicol. Tulp. Ob. lib. 4.

Cancri contagium.

In artibus (inquit Seneca) magis utilia, quàm ſubtilia quærenda, cujus effati rationem utinam haberent illi quibus epulis jucundius, quidvis in controverſiam trahere, ignari, multum altercando veritatem amitti, ſaltem magis inumbrari, quàm illuſtrari. Quantùm enim improvidis juvenum ſenſibus imponit verborum lenocinium, tantùm nauſeæ movet exercitatis, propoſitis duntaxat, quæ neque ſtudenti proſunt, neque ignoranti nocent, è quorum numero qui exemeris, acriter diſputantes. Utrum cancer ulceratus ſit eminus contagioſus. ô Medicos verè umbratiles! ecquid enim veriſimilius quàm tenue, ac fervidum, urentis cancri virus, contagium ſuum non magis propè, quàm longinquè diſpergere? Quis exhalationi ipſius limitem præſtitit? Quis cancellos poſuit, intra quos permaneret coërcitus, volatilis ille ſpiritus? Adrianæ Lambertæ, provectæ ætatis, poſt devoratam aliquot annorum moleſtiam, ulceratum mammæ carcinoma, ad eum pervenit putredinis gradum; ut halitu ſuo inficeret famulam, continenter operam ipſi navantem, & quidem eò majore labe, quò diutius ſuppetias tulerit, ac familiarius cum illa vixerit; è quibus conceptæ pernicici ſcintillis tandem exortum ingens incendium: quod ipſam non minus quàm Dominam ſuam peſſundedit. Inſidente utriuſque pectori, ac alis, tam fœdo, ac inæquali ulcere, ut aliquandiu animi penderem, utra illarum graviori excarnificaretur ſævitia.

Quid quod mihi ipſi, ſolus fœtentis hujuſmodi carcinomatis intuitus, præter inſignem cordis defectum, aliquando guttur uſque eò exulceravit, ut non mercurio præcipitato tantùm; verùm etiam forfice quotidie opus fuerit, ad auferendas cruſtas à depaſcente veneno in faucibus excitatas, è quibus vel cæco apparet ulceratum cancrum non ſolùm cominus,

verùm

verùm etiam eminus contagium ſuum diſſeminare, ac proinde ſatis eſſe, fidem habere experimentis indubitatis; quàm incautæ juventuti illudere, frivolis argutiis, atque excogitatis captiunculis, nè dicam ſubtiliter diſſerendo aditum intercludere, quominus perſpicax mentis acies dirigatur ad meliora uſu abundè comprobata. *Nicol. Tulpius Obſervat. Medicar. lib.* 4.

Cancer Mammæ citiſſimos ad mortem progreſſus faciens, in muliere Nonageſimum ſecundum ætatis annum ſuperante.

Veneranda Matrona, Venerandi Viri, Verbi Divini Miniſtri, Religionis causâ profugi, pagi hinc non multùm diſſiti Uxor; ſtaturæ laudabilis, habitû corporis carnosô, ſubalbidô, molli, ac præpingui; ſanitate lætâ ac inculpatâ hucuſque gaudens; tandem dolore in mammâ ſiniſtrâ feritur: A ſomnô ſubſequente expergefacta, dolor augeſcit, enaſciturque tumor ſubrubicundus, durus, ac renitens; cui emolliendo, ac dolori ſedando, cataplaſma admovet, primò anodynum ac emolliens; nec ideò lenitur dolor, tumorve detumeſcit. Me conſulit: Exploro mammam, undiquaque tumorem palpans durum, profundum, ac latè circumſcriptum, obſcurè rubentem, liveſcentemve. Suadeo herbam Roberti ſtatim applicandam, cicutamve, imò nicotianam viridem, priorum defectu. Paulò pòſt ægram reviſens, 'demirari ſatis non potui tumoris progreſſum: Nam quod à primô intuitû cancrum enaſcentem fueram ſuſpicatus, tunc verus mihi apparuit Cancer, qui etiam paucis ab hinc diebus aperiebatur, jamque novus & tumor in dextrâ mammâ enaſcebatur, mammas autem habebat Venerabilis ſenex firmas ac duras, quippe quæ pepererat nunquam; mirum quid tamen videbatur mihi in ætate adeò provecta, nonageſimum quippe ſecundum vitæ annum ſuperabat. Verùm enim verò quid magis ſtupendum ob oculos mihi apparuit; carcinomatoſus ſcilicet ille tumor ac exedens cancer adeò brevi mammam depaſcens, doloremque adeò atrocem cauſatus, ut nihil magis. Curaveram autem unicum applicari remedium toti mammæ, emplaſtrum ſcilicet de cicuta, veritus ne aperiretur cancer; tanti verò contra vim morbi non eſt medicamen in hortis, dolor magis ac magis fit intentior, nullâ tamen accedente febre, ſed citò citiùs, ac tam ſævô ac voraci lupô mamma depaſcitur integra, tribus nempe circiter menſibus. Interea tot inter atroces dolorum aculeos ac morſus, animoſa mulier ſerena fronte mortem intuitur, eamque ſalutis portam vocat, jugi ac aſſidua prece à Cœleſti Archiatrô opem humillimè erogitans, animamque virtute ac pietate mactam intrepidè ac tranquillè creatori ſuo committit. *Ex communicatione amica Viri Clariſſ. D. Antonii Drelincurtii, Rerum publicarum Bernenſis & Friburgenſis Archiatri extraordinarii ac Antiſtitis.*

Cancer alius citiſſimè lethalis; ex eadem communicatione.

Pariſina mulier trigeſimum circiter vitæ annum agens, alta, vegeta, ac robuſta, εὐσάρκη, viraginem dixeris, ſed modeſtam, paucis à menſibus viro juncta, Domino Pluet, à concione in egreſsû templi Charentonis, ab homine exitum citiùs properante juxta portam vehementer repellitur, à cubitô in mammam illius adactô, exclamabat illa protinus, tu, Domine, vehementer me læſiſti cubito. Egreditur, dolorem acutiſſimum perſentiens, dolorque creſcit in horas, vocatur ſtatim Chirurgus die ſequente, qui audaci manû curam aggreditur innaſcentis rubentiſque jam tum tumoris duriſſimum. Stupeſcens autem nimis ſerò, animadvertit modò, cancrum undiquâque circumſcriptum, cum dolore acutiſſimô ac pungente. Creſcit in horas voracior lupus, qui mammam integram citò exedens ad noviſſimum vitæ diem, intra hebdomadarum ſex ſpatium, tam adèo robuſtam deducit ægram prohdolor! *Fœminam indignam quam mors tam ſæva maneret.*

Cancer brachii horrendus.

Clariſs. Guſtavi Caſimiri Gahrliep. Miſcellan. Narioſ. Decur. iij. An. 5. *&* 6.

Statuarii cujuſdam Berolinenſis, cuî nomen *Jacob ſüchtner*, uxor triginta circiter & Septem annorum, melancholicæ conſtitutionis, tuberculum aliquod parvum ac doloroſum in mamma dextra prope papillam ſentiens, ambubajarum conſilio aliquantiſper uſa, dum augeri magis quàm diminui & tumorem & dolores animadverteret, Chirurgum primò, dein & illius ſuaſu Medicum aliàs non inexpertum conſulit. Hi quod ſuberat veriti, internis partim, partim externis per cuniculos potiùs, quàm aperto Marte hoſtem illum aggredi conſultiùs rati, plurima tam interna ad ſubtrahendum fomitem & nutrimentum, quàm externa ad demulcendum illius furorem lenimenta, adminiſtrant, ſicque per annum integrum in ſtatu tolerabili palliativâ iſtâ curâ conſervant. Verùm longæ illius moræ impatiens, neglecto ſalutari illorum conſilio, ac derelicto tam Medico, quàm tandem etiam Chirurgo, rurſus circumforaneos quoſcunque ac Agyrtas obvios implorans, in deteriorem magis magiſque ſtatum redigitur, latens hactenus in apricum tandem erumpit & exulceratur cancer, mammaque in immenſam attollitur molem. Nihilo tamen & tot damnis & periculis cautior, in manus temerarii cujuſdam uroſcopi & empirici ſuburbani profeſſione Pharmacopoei, cui nomen *Lentze*, ſemet tradit. Is ſubitaneam ipſi opem prolixis verbis, Thraſonum illorum more pollicitus, enecto & extirpato funditus cancro, ſpiritum ulceri aperto corroſivum (num Antimonii butyrum? an Vitrioli oleum aut aliud aliquod Arſenicale fuerit, incertum, extorqueri enim ab illo etiam in judicium vocato non potuit) guttatim inſtillat, quo poſt excitatos immanes dolores & cruciatus intolerabiles, cardialgias, Lipothymias, Syncopas, & id genus innumera horrenda ſymptomata, mamma quidem exulcerata turgens brevi concidit ac contrahitur, at brachium dextrum cum ipſa etiam manu in tumorem ſextuplo, imò octuplo naturali brachio majorem, ad ipſam uſque axillam, cum dolore noctes dieſque inceſſanter excruciante attollitur. Ægra verò in deplorato hoc ſtatu à tortore illo potiùs, quàm Medico derelicta, dum ubivis opem quærit, in Italum, Baronem ſe venditantem de Almerigo, ac ſympateticam Medicinam crepantem, illaque ingenti exacto & accepto præmio, plurimos ad plures mittentem, ſicque hactenus è Scyllâ in Charybdim incidit. Ille etenim per integrum trimeſtre, ſuis illam largiſſimis promiſſis & nugis de die in diem, noctes dieſque ejulantem lactando, aureos pollicitus montes, aureos quidem aliquot, præmii nimirum pacto promiſſi dimidium tulit, verùm levaminis ne gry quidem attulit, ſed te peſſimè ac perfidè plane actâ; poſtquam à plurimis ex eadem cauſa repetundarum actione conveniretur, ad reſtitutionem acceptorum turpem, bis, nimirum 4. Mart. ac 23. Aprilis 1695. condemnatus, clàm tandem fugâ ſibi conſuluit, ac immaniter afflictam hanc nocturna inter diurnaque tormenta; febri inſuper Fabulæ ſuæ Sympatheticæ miſerâ

miſera cataſtrophe, quaſi in gehennâ quadam flagrantem deſtituit. Adducor ad Iliada hæc malorum à Medico illorum conſcio, non medendi, conclamatum enim jam erat de ſalute illius recuperanda, ſed monſtrum illud brachii videndi ergò, ac intima animi commotione ac commiſeratione tactus, in extrema illa calamitate dubium, quàm nullum remedium ſatius eſſe reputans, Magnatem quendam inter noſtrates magni nominis ac valde curioſum, quem magno pretio arcana quędam è Belgio redemiſſe noram, adeò, illique fœminæ illius miſeræ calamitoſum ſtatum expono, ſimulque addo, occaſionem hac ratione ipſi offerri, non modò arcanorum ſuorum effectum explorandi, ſed & Chriſtianæ charitatis à nobis requiſitæ opus inſigne præſtandi. Miſertus itaque miſerrimæ hujus Baro ille Illuſtris, cujus nomen ſilentio venerari cogor; miſſis ipſis per me, quas à Chymico quodam inſigni Germano, cujus & ipſe nomen ſilentio tegebat, pilulis quibusdam exiguis, Univerſalibus ipſi dictis, quantum autem conjecturâ è quantitate, colore ac odore colligere datum, opiatis Sulphure quodam minerali ditatis, internè quavis nocte uſurpandis inſigne doloris ac febris levamen; vino autem Panacæa, uti ipſi audiebat externâ, ab eodem Medico communicatâ, medicato, imbutis ſpleniis lineis, brachium ter de die involvendo ac fovendo, aliquale tumoris illius horrendi decrementum aliquamdiu conciliavit, ut taliter aliquo modo ſublevata & tranquillior majori patientiâ ac animi conſtantiâ ad beatam analyſin animam diſponere, atque tot menſium inquietudines, agrypniâ, ineditâ ac innumeris tormentorum myriadibus excruciata & planè conſumta, exhauſtis viribus euthanaſiâ placidâ tandem Creatori ſuo reddere potuerit.

Sarcoma Cancroſum, in cavitate genu, cum Partis Anatome.

Clariſs. Henrici à Sanden, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Ut Zizanię radice, ejuſque fibrillis penitus non evulſis eandem ſemper creſcere, latiuſque ſeſe diffundere cernimus, ita in corpore humano aliquando morbum eò altiores agere radices, eò liberiùs progerminare, quo difficiliùs ad illum cum omnibus fibrillulis exſtirpandum, remedium excogitari poteſt. Quod ſuo confirmat exemplo Vir quidem admodum Reverendus, Excellentiſſimus atque Ampliſſimus SS. Theologiæ Doctor, Per Regendi Conſiſtorii Pomeran. Aſſeſſor Primarius, nec non Archi-Presbyter in Civitate & diſtrictu Hollandenſium longè meritiſſimus, qui cùm anno 1676. in peregrinationem ſe daret, partemque itineris equo conficeret, accidit ut genu pedis ſiniſtri ab externa parte ad aliquod durum, neſciebat quale, tunderet. Unde progreſſu temporis exortum eſt ibidem tuberculum quoddam magnitudinem avellanæ non excedens, quod abſque omni moleſtia & incommodo per novendecim annos & quod excurrit, circumtulit, donec anno 1695. ex infelici alliſione tibiæ in parte acuta ſpina dicta ejuſdem pedis ad menſæ pedem acutum, pes autem læſa parte ad tuberculum dictum, intumeſceret, cum inflammatione, rubore atque dolore. Tumore hoc medicamentis externis abacto, tuberculum tamen, cui licèt imponeretur plumbum cum Mercurio, ſuadente Excellentiſſimo Dn. D. *Hartmann.* remanſit, perque foramen abſceſſus parvum ſe ſe aperuit, atque ſteatoma fibrillis carnoſis atque vaſis pertextum eſſe apparuit, quod Chirurgi dictæ civitatis, diligente curam Excellentiſſimo Dn. D. Chriſtiani jam Conſule ibidem, primò corroſivis, deinde ſectionibus crebrò repetitis auferre ſtuduerunt, aſt hiſce malum auſcultare noluit. Quapropter in conſilium & auxilium vocatis viris Excellentiſſimis, Experientiſſimis, Dn. Doct. Friderico Lepnero, Jac. Philippo *Hartman*, Adamo *Harvveck* & me, concluſum eſt, duriori nodo duriorem cuneum eſſe quærendum, atque ſecundùm Hippocratis Aphoriſmum 6. ſect. VIII. nec medicamentis, nec ferro ſanantibus, ignem, id eſt ferrum candens applicandum, amputatâ igitur hîc Regiomonti excreſcentiâ, vulneri recenti cauterium actuale tribus diverſis vicibus eſt impoſitum, à Domino Viviano Chirurgo Italo, non niſi ſummo cum Patientis dolore & adſtantium horrore. Quæ operatio magnam initio quidem faciebat ſpem priſtini pedis officii, ſiquidem vulnus totum inuſtum ſpatio quatuor ſeptimanarum cute uſque ad partem ſuperiorem genu introrſum obducebatur, quæ conſolidationem reſpuebat. Sed paulò pòſt, cùm redux factus, lento pede prorumpere latiuſque ſerpendo genu partem ſuperiorem atque inferiorem occupare incepit, ut ita malum hoc, ſecundùm allatum Aphoriſmum inſanabile fuerit. Hinc omiſſis ulteriore ſectione atque inuſtione; adhibita fuere varia cauteria potentialia, imprimis Oleum Antimonii, quorum beneficio indies decreſcebat, eouſque ut cutem æquaret. In quo ſtatu per duos menſes permanens ſacris officii ſui actubus vacare, videlicet confeſſionem audire, Concionari, Sacramentumque Cœnæ Dominicæ &c. adminiſtrare potuerit. Verùm malum recrudeſcere, peſſimique moris fieri incepit, & medicamenta hactenus efficacia repudians ad magnam pervenit deformitatem, donec tandem exhauſtis viribus, ſuperveniente febri hectica, aliiſque gravioribus ſymptomatibus placidè in Domino obdormivit. Anno 1702. d. 24. Martii.

Mammæ ſiniſtræ exulceratio, in Cancrum apertum faceſcens, feliciter curata.

Clariſs. Juſti Friderici Dillenii, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Cùm vertente Anno 1685. Werthemiæ cum familia appuliſſem, ab Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis utriuſque lineæ Comitibus regentibus, ac Dominis à *Lovvenſtein*, *Wertheim*, *Bierneburg*, &c. Comitibus ac Dominis meis gratioſiſſimis, ad Archiatri ſimul ac Phyſici ordinarii ſpartam obeundam Darmſtadio evocatus, inter alios ægros in primis oblata, & D. D. *Allmachero*, Prędeceſſore meo b. m. curæ fideique meæ commendata fuit Conjux Viri plurimùm Reverendi atque Clariſſimi Dn. N. N. *Firnhaberi*, Paſtoris & Eccleſiaſtę Wertheimenſis, è puerperio vix tum egreſſa, quæ mammæ ſiniſtræ, eryſipelate jam ante puerperium correpta fuerat. Quod cùm à barbitonſore Wertheimenſi minùs rectè curatum in ulcus apertum tranſiiſſet, parum aberat, quin in cancrum exulceratum degeneraſſet: Qui tamen, divina benedictione præſtite, multiſque generoſis auxiliis ac remediis magno ſtudio ac labore diu multumque adhibitis; Quæ inter palmam ducebant, præter univerſalia, V. S. ſcil. iteratam & purgantia adpropriata bene diu continuata, nec non diaphoretica varia, decoctum nempe lignorum, primum atque ſecundum, cum mixtura ſimplici & tinctura bezoardic. ſalibuſque volatilibus longo item tempore uſurpata; Cereviſia medicata Timæi *Süldencklee* l. 4. Caſ. Medic. 39. Succus Millepedarum cum vino expreſſus; Et externè ab initio quidem Emplaſtrum ex vernice, medulla crurum

vituli, œſypo, croco & cumino tritis è Jonſtono; Item Emplaſtrum de ſpermate ceti Mynſ. Oleum momordicæ. Balſamum ſulphuris terebinthin. Balſ. Peruvian. Emplaſt. diaſulph. Rul. & Saturnin. Mynſ. &c. præcautus atque præventus eſt; ita, ut abhinc bene habuerit, & ſequenti Anno 1687. cùm marito Reverendo Hamburgum, ad Eccleſiaſtæ munus ibi obeundum Werthemiâ evocato, ſalva & incolumis abierit.

Cancer faciei rarior, poſt variolas, lethalis.

Clariſs. Joh. Davidis Maucharti, Ephemerid. Germanic. Centur. 1. *&* 2.

Octennium eſt, quòd variolæ in vicinia graſſarentur, pleroſque tamen clementius habentes, ut plurimum negligerentur. In pago hîc vicino tamen erat fabri plauſtrarii, infauſto omine *Krebs* dicti, filiola ſexennis, quæ itidem variolis tenebatur, iiſdem ferè confita, evaſit tamen ſine medicamentis methodicè præſcriptis, ut nihilominus diu poſtea maneret in gena dextra dolor profundus, primò urens, poſtea valde pruriens, qui nullo tumore aut rubore ſe manifeſtavit, ſoli puellæ cognitus, quæ in profundo oſſis maxillę ſuperioris eum hærere querebatur. Adhibita ſunt varia, domeſtica & empirica, à Chirurgis quoque ſed in caſſum. Poſt ſeptimanas quatuor ſponte puella digitis extraxit duos dentes maxillæ ſuperioris, ocularem ſeu caninum nempe & inciſorem ei propinquum, ſubſequo puris fœtidiſſimi & nigrioris effluxu, quod utut monſtratum Chirurgo, tamen flocci penditur. Cadunt paulò poſt reliqui ejus lateris dentes, unus poſt alterum, ſucceditque ulcus cancroſum, primò gingivæ, deinde labii, poſtea genæ totius, exactè dimidiam faciei partem, in mento, utroque labio, genâ & naſo ad oculum uſque conſumens, ægerrimèque fœtens; cùm mihi octiduo ante mortem monſtraretur, omnia erant conclamata, & convulſionibus ex doloris vehementia, aut ob nobiliores oculi nervos obituram conjeci, ſed præter ſpem paulò poſt exeſus carotidis internæ ramus, qui in cantho oculi majore pulſans reperitur, lethalem induxit hæmorrhagiam. Ortum mali tribuo variolis internis frequentibus homicidis, in illo ſpecu ſeu antro maxillæ ſuperioris, quod Bartholinus in Anat. reform. Lib. IV. c. x. fig. 1. depingit, & crania diſſecta exhibent, effloreſcentibus. Ibi verò variolas oriri, utut rarius forſan obſervatum ſit, poſſe non dubito, & cùm materię effluxus purulentę negatus ſit, has excitare lachrymas.

Anatomicæ Inſpectiones.

Mulieri viduæ in mammilla ſiniſtra tumor ſenſim excreſcens prodit durus, quem alii ſcirrhum, alii cancrum eſſe judicabant, qui cùm diu duraſſet, tandem in abſceſſum converſus & ſuppuratus in ulcus abiens ſanatus eſt, relicta cicatrice admodùm inæquali, labiiſque duris &c.

Hæc tandem plurimis morbis labefactata è vivis exceſſit &c. mamma ſiniſtra quæ ſcirrho laborarat, circa radicem ſcirrhoſa, ut & circa papillæ radicem ſcirrhus erat; candidus, glandulam repræſentans. In coſtis vena lata nigricans latebat. *Platerus Obſervation. libro ſecundo pag.* 503.

Nob. Matr. in ſiniſtrâ mammillâ læſa eſt; verùm quia parùm, aut nihil indè doloris ſenſit, tanquam levius vulnus neglexit. Subſequentibus indè diebus loco affecto tumor quidam indolens ferè ſuccrevit, qui tamen citrà negotium Chirurgi induſtriâ ſublatus eſt; enatæ ſucceſſu temporis complures puſtulæ ſunt, quę in ulcera tandem terminarunt: ſollicita Matrona de cancri ſucceſſione Medico, ſed Paracelſico ſe concredidit, qui deleteriis pharmacis potionatam necavit. Mammas mortuæ crucis in modum diviſi, quarum caro dura admodùm nigreſcens, ſed non omnis putrida conſpiciebatur. In utero diſſecto materiam albam, lapidefactam, adeoque duriſſimam, ut vix cultro diſcendere licuerit, invenimus. *Ex clar. D. D. Georgii Garveri obſervationibus.*

Infanticida fœmina ſextâ à partu ſeptimanâ capite patratum ſcelus expiat. Siniſtram mammam ex lacte coagulato apoſtema occupavit, quod ipſa natura exiguo facto foramine cæpit expurgare. Glandulis ad pectoralem muſculum uſque remotis inter has &. muſculum dictum magna puris copia ſinum efformavit, illæſo muſculo. *Th. Bartholinus cent.* 1. *hiſtor.* 92.

Ulcus & cancer colli matricis.

Quędam matrona cùm bimeſtri ſpatio menſium ſuppreſſione laboraſſet, tandem exortus eſt dolor & inflammatio partium genitalium. Morbo propter verecundiam neglecto, abſceſſus & ulcus in collo matricis ſecutum eſt. Adhibito matricis ſpeculo, ulcus calloſum fœtidum, inęquale lividumque & ut brevi dicam cancroſum inventum eſt. Poſtea auctus dolor, aucta febris, inflammatio, Vigiliæ, cibi faſtidium, & ſyncope & paucos poſt dies è vita diſceſſit.

Cadavere diſſecto, totum uteri collum planè cancroſum & exulceratum erat. Menſtrua ex ſanguine nimis craſſo ſæpè ſupprimuntur, forte fortuna ſanguis depluendus in colli vaſculis ſubſtitit, pręſertim in ſubſtantia ejus glanduloſa; equidem hoc malum aliquando invadit mammas, glandulas ſalivales, aliaſque partes glanduloſas, interim ibi, corrupto ſanguine, inflammatio, cancer, & ulcus factum. Cancer nihil aliud eſt quàm glandularum ſphacelus, cujus ſævitia vicinas partes non rarò quoque depopulatur. *Stephan. Blancard. Anatom. pract. ration.*

A gulæ carcinomate mors.

Cuidam ſuccrevit humilis ac latus tumor, inſidens firmiter lateri tracheæ paulo ſupra jugulum. Hinc reſpiratio & deglutitio impediebantur, ita ut nè gutta liquoris pertranſire poterat, tandem emaciato corpore morti ſuccubuit.

Denudata poſt obitum cute, ad inſtar carcinomatis, colore plumbeo, & radicibus undiquaque diffuſus tumor, præſertim circa gulam, intus adeò concreverat, ut vix aciculę majoris glandem admittebat.

Laboravit cancro glandulę alicujus ad tracheæ latus communiter reſidentis: ſæpe glandulæ immenſum uſque excreſcunt, quæ partes vicinas premunt ut hic, ſi enim trachea & œſophagus liberum habuiſſent aëris tranſitum, nec deglutitio, nec reſpiratio læſa fuiſſent; cancer gangræna eſt alicujus glandulæ, *Stephan. Blancard. in anatom. pract. ration.*

Vir anno 22. horribili cancro in gena ſedente infamabatur, vorante eo pro more ferali, ut tandem pomum aurantium mediocre ſua cavitate monſtroſè hiante haud ægrè caperet; erat ei alioquin ſtatus corporis commodus, ut male habentis partis principis labes poſt multum examen argui à me vix potuerit. Hujus affectus incurabilis cura fruſtra ſperata chirurgo data fuit. Cancrum autem ex Hippocratis effato ſacro melius eſt non curare, quàm curare, curati enim, *ut inquit*, citius intereunt, id noverat Poëta *inquiens.*

Curando

Curando fieri quædam pejora videmus.

Vlcera, quæ meliùs non tetigiſſe fuit.

Poſt menſis circiter unius conatus ſtudioſos & pro re nata prudenter audaces, repentina morte æger, abſque ulla incidente cauſa periit. Subitum rei funeſtę monſtrum Chirurgum ſollicite movit, ut corpus ſecandum peteret, ſic ut ſenſuum judicio pateret cauſa tam inſolens casûs miſerrimi, ubi id obtinuit, me rei curioſæ impatienter avidum officioſè ad ſpectaculum rogavit. Apparuit ſtatim cadaver parvis punctis, quæ pulicum morſus imitarentur, rubris quibuſdam, aliis lividis, multis ſubnigris, ubique pictum; & dum ad ſectionem omnia ſtudioſè diſponuntur, animadverti ſenſibiliter ſe ſe explicare ea, novorumque nec non ſimilium productione augeri: rei inſolentia ſtupore aliquo commovit mirantem animum, ſed cùm tacitè mecum ipſo dubius diſcurrerem, notavi maculas eas in veſicas ſurgere ſeparata ab adnatis carnibus cute, ut quædam nuces avellanas, aliæ nuces juglandes, æquarent, aliæ verò ovis gallinaceis magnitudine omnino non cederent, ſervato ſemper eodem colore, ſed ſimul cùm omnia curioſè luſtrarem, ulcus intuens vidi id fervente ſpuma repleri, & propiùs admotus audivi inſuper iratum in eo murmur, atq; ſibilum non tacitum, utpote qui ab omnibus in hypocauſto percipi facilè potuit. Aſpexi Chirurgum, ut ille me, utriq; plus ſtuporis quàm diſcurſus erat, id ipſum miratione fecit adſtantium turba; muſcitare dein dubiè omnes, timere tacitè, ſeſeq; cubito & pede modeſtè monere, aliiſq; tum oculorum, tum capitis, vel pro genio aliarum partium, geſtibus invicem imperitè loqui; Ego interim furtim abrepto pallio me ſecretæ huic comœdiæ, ut ſuſpicabar, non fidæ, ſubtraxi; tum illi loco imperantem Tribunum Plebis piè & ex officio monui, ut quàm diligentiſſimè cadaver ſuſpectum terræ daretur, idq; loco quoad fieri poſſet remoto, altoq; ſepulcro perderetur, ne ſuſpecti virus effluvium aëre omnia ambiente imbibitum, & paſſim ab hominibus reſpiratione miſerè hauſtum, contagione, nec non deinde horribili propagatione latè omnia contaminaret; inſuper variis ſuffimentis, & aliis alexipharmacis illi domui proſpexi. Sed ubi pacato animo rem licuit otioſè ruminare, didici, Chirurgum, ut mali pertinaciam vi ſuperiore frangeret, ulcus irrigaſſe liquorib. urentibus, qui conſpurcatas carnes ederent, & intimiùs adnatum maliginitatis characterem, cùm ferro ſecanti non pareret, uſtione expungerent, eos autem à copioſis venulis eroſione hiantib. bibitos, univerſę maſſæ ſanguineæ circulationis lege datos fuiſſe; inde tantam efferveſcentiæ tempeſtatem derepente exortam, quam ferre delicatum cor citra momentaneam perniciem nequiverit, perditis nempe ſpiritibus beneficis & modeſtis, ſuppreſſaq; barbarè ebullitione religioſa vitalis ignis parente, quæ eum perenni ſimilis materiæ fabricatione & effluvio ſollicitè alit & fovet, ut vorax ignis parvum, exempli gratia, candelæ ſibi vicinum abſorbet & perdit; inde volatiliſatione nimia tenuis & volubilis ſanguis venis facilè ſeſe extricans, primò cutem triplici colore fędavit, poſtmodum, ut ſenſim aliqua quantitate fuit conglomeratus, eam in altum coegit: hinc pariter ex prurienti fervore in cancroſo ulcere, nata ſpuma, natuſq; ſibilus. *Ex commun. Dom. Nozzet Archiatr. Friburg. apud Helvet.*

Alia quædam ſuper Cancrô rursùs, etiam videri poſſunt ſub titulô *Tumores*. Item *Mammarum Morbi.*

CANIS RABIDI MORSUS Vid. ſub titulô RABIDI MORSUS item VENENA.

CANITIES Vid. *Pilorum morbi.*

CAPILLI. Vid. *Pili.*

CAPILLITIUM Vid. *Trichiaſis.*

CAPITIS HYDROPS Vid. *Hydrocephalus.*

CARBUNCULUS, ſeu, ANTRAX.

Carbunculus ſeu Carbo ita dictus, quia extinctum carbonem refert, vel, (ut alii volunt) quia illius color in ambitu inſtar Carbunculi Lapidis obſcuro rubore ſplendeſcit, Nominatur etiam *Anthrax* ab *ἀνθρακόω in Carbonem muto*, quia occurrit affecta pars extincta quaſi & in Carbonem mutata; hinc Arabibus *Ignis perſicus & Pruna* nuncupatur, quia non malè refert exuſtionem cum prunâ ignitâ factam; vel ut mavult Galenus, quia vicinæ partes vehementer inflammantur, & quaſi uruntur.

Nonnulli inter Anthracem, Carbunculum, & Ignem Perſicum aliquam ſtatuunt differentiam, cùm tamen re ipſa nihil differant neq; Veteribus ullum diſcrimen fuerit cognitum: & Avicenna in curatione ignis Perſici eadem præſcribit medicamenta, quæ Galenus in carbunculi curatione commendat. Verùm nulla alia hîc obtinet differentia, quàm quod modò major, modò minor, quandoque magis, quandoque minùs malignus ſit Carbunculus.

In cognitione autem Carbunculi graviter hallucinatum eſt inter Medicos. Galenus namq; ulcerum ordini Anthracem annumerans *in comm. ad. Hipp. Aphor. 45. Sect. 6.* ait Anthrax eſt ulcus cruſtoſum, cui *conjungitur multus partium circumſtantium fervor.* & alibi: *Carbunculus eſt ulcus cruſtam cito cum valida Phlegmone circumſtantium particularum inducens.* Hanc Galeni definitionem ſequitur Paulus Ægineta *lib. 4. cap. 25.* Cui pleriq; poſteriores Medici ſubſcripſerunt. Verùm enimvero ſi Carbunculi eſſentiam curioſiùs indagemus, obſervabimus has definitiones ipſi non ſatis propriè accommodari. Etenim Carbunculus non eſt partis alicujus exulceratio, ſed potiùs ejuſdem Necroſis ſeu ſideratio à particulis acri-ſalinis lixivialibus inducta. Eſt igitur *Carbunculus* partis alicujus gangræna, dum in fieri eſt, vel ejuſdem Sphacelus, dum in facto eſt, quorum neutrum ulceribus annumerari poteſt. Sphacelum eſſe, & non ulcus, inde liquet, quia nullâ naturæ vi edomari, & in Pus converti poteſt Carbunculus, quod poſſet, ſi ulcus eſſet; ſed integer à vicinis partibus ſeparatur.

Præterea in *cauſis Carbunculi* adhuc gravius erratum eſt. Galenus *lib. de Tumor. pr. nat.* dicit, *Carbunculos excitari, cùm ſanguis tanquam fervens & inflammationi propinquus cutem exurit.* Haud ſecus Aquapendens *Operâ Chirurg. part. 2. lib. 1. cap. 27.* ſcribit, *Carbunculum fieri fluxione ferventiſſimi ſanguinis ad partem.* Paulus Ægineta *lib. 4. cap. 17.* & Mercurialis *de Peſte cap. 18.* putant, *illum cauſari à craſſis & aduſtis* humoribus. Actuarius *Meth. med. lib. 2. cap. 12.* credit *eum oriri à ſanguine Melancholico fervente.* Fernelius *craſſum torridumq; ſanguinem.* Foreſtus *ſanguinem corruptum fervidum cum ſucco melancholico vel atra bile; Carbunculi cauſam* ſtatuunt. Sed à veritate longiſſimè aberrant, & illi, & quotquot hactenus illorum ſententiis ſubſcripſerunt medici. namque Carbunculus, ſeu Antrax, eſt partis alicujus vel incipiens, vel perfecta mortificatio aut corruptio, à particulis

ticulis acri-ſalinis lixivialibus, ac venenatis; criticè in illam expulſis, orta; unde excitatur Tumor maximè adurens, & nigram cruſtam habens.

Ut plurimum autem ab exili puſtula, in ambitu inflammata, ac dolente interdum à pluribus parvis Puſtulis, quæ poſtea in unam veſiculam coëunt; aliquando ſine Puſtula incipit Anthrax. Dein pars affecta dolorem ſentit pungitivum, & quaſi conſtringitur; hinc paulatim magis magiſq; corrumpitur ac nigrum vel cinereum acquirit colorem, partes, quę proximè Carbunculum circumſtant, alterantur, haud ſecus ac in gangræna fieri ſolet; etiam valde inflammantur, acriterq; dolent, quas natura, antequam mortificationis labes in illas quoq; proſerpat, ſuppurat, atq; hâc mediante ſuppuratione corruptam & emortuam particulam, viz. Carbunculum à ſanis ſeparat, ejicitque.

Omnis Anthrax ſua natura periculoſus eſt, præſertim tempore peſtilenti, quique niger eſt, parti principi vicinus, magnus & ſubitò evaneſcens. Minùs verò lethalis eſt Carbunculus, qui primùm ruber, dein citrinus apparet. Qui liveſcit aut nigricat, neminem ferè non jugulat.

In curando Carbunculo *purgantia* valdè mihi ſuſpecta ſunt; imò ſuſpecta magis *venæ ſectio*. Sed *Sudoriferis* & *Alexipharmacis* ſolummodò inſiſtendum, quibus particulæ venenatæ acri-ſalinæ domentur & per habitum corporis expellantur. *Topica* verò *Medicamenta nè repellant, ſed potiùs foras trahant.* Itaque Locus affectus altè ſcarificetur, atque ne ſanguis corruptus concreſcat, liberiuſque ut effluat, foveatur *Spiritu vini in quo diſſoluta Theriaca*; dein ſuperponatur Cataplaſma.

℞. Farinæ Seminis lini ℥iß. coq. cum. ſ. q. lactis dulcis recentis, & addendo croci pulver. ʒß. Vitellum unius ovi, Mellis q. ſ. F. S. A. cataplaſma.

Sed quoniam Anthracis curatio exigit, ut quamprimum *promoveatur ſuppuratio & exitioſa mali prohibeatur propagatio*, præſtans remedium ſæpè eſt, ut *candente ferro pars affecta inuratur.* Neque enim dolor metuendus, quia caro emortua non ſentit, finiſq; adurendi eſt, dum omni ex parte ſenſus doloris adſit. Sunt tamen qui eo horrendo nimis (ut dicunt) præſidio abjecto, *Cauterium potentiale*, aut *Veſicatorium* eligunt, quod utrumq; etiam conducit, quoties aut fortia ſatis videntur, aut alio medio uti non licet: ſæpiùs namq; multiſciorum adſtantium voluntati obtemperare cogitur Medicus, etiam cum damno Ægrotantis.

Hoc in caſu Vigierius *Chir. lib.* 1. *cap.* 9. ad malignitatem & virulentiam Carbunculi corrigendam, iſtud laudat remedium.

℞. Calcis vivę, & non extinctæ ℥j. ſaponis q. ſ. formentur in formam unguenti ſolidi, & fiat emplaſtrum, quod Carbunculo applicetur per duas, treſve horas.

CL. Sylvius *Praxeos medicæ lib.* 4. *tract.* 2. §. 690, teſtatur, nihil ſe hactenus noviſſe, quod potentius ac certius, citiuſq; ſerpentem Carbunculorum mortificationem ſiſtat, quàm *Butyrum Antimonii*, ſi circumcirca illinatur parti affectæ, ad miraculum enim tunc ſiſtitur partium omnium corruptio ſerpens, ac omnia depaſcens.

At verò Eſcharæ ſeparationem promovet inunctum *unguentum baſilicon*, vel *Butyrum recens*, vel id quod ſequitur.

℞. Butyri inſulſi ℥iſs. unguenti Baſiliconis ℥ſs. Theriaces ʒj. Vitellum unius ovi M. F. S. A. Linimentum.

Barbette ad cruſtæ ſeparationem commendat Emplaſtrum.

℞. Teriaces, Mithridatii an. ℥ß. Terebinthinæ, Fermenti acris an. ℥ij. Mellis Roſarum ℥iß. Butyri rec. ℥ij. Vitrioli albi ℥j. Fuliginis ℥iiß. Saponis nigri ℥iij. Croci pulver. ʒiij. Vitellos trium ovorum M. F. S. A. Emplaſtrum.

Nonnulli in principio curationis, omiſſa ſcarificatione, Carbunculo imponunt *Folium Braſſicæ rubræ aſſatum, oleo raparum inunctum*; ac poſtea hanc vel ſimilem applicant Pulticulam, ſæpius eam permutando.

℞. Rad. conſolidæ maj. pulver. fol. ſcordii pulver. an. ʒij. Farinæ Lini, Tritici, an ℥ß. coq. paulatim in aqua pura, ut mucilagines ſolvantur & compoſitio ad pulticulæ craſſioris conſiſtentiam deveniat, cui adde Mellis, Terebinthinæ, Unguenti Apoſtolorum an. ℥iij. Picis liquidæ, unguenti Baſiliconis an. ℥ij. Croci pulveriſati ℈j. Vitellum unius ovi, Miſceantur.

Vel *Pix Navalis & Liquida æqualibus partibus mixta, forma Emplaſtri imponatur, aut Emplaſtrum Diachylum cum Gummi.*

Carbone ſeparato, & exempto, Ulcus aliorum ulcerum inſtar curetur, diligenter ſc. abſtergendo; quem in finem admodùm conducet *Mundificativum ex apio*, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Succi foliorum apii depurati ℔j. vel ejus loco Abſynthii, Plantaginis, Craſſulæ an. ℥iiij. Thuris, Myrrhæ, Maſtichis an. ℥ij. Terebinthinæ ℥iiij. Farinę hordei, Fabarum, Orobi an. ℥iiß Mellis optimi ℔iß. coq. ſimul S. A. ad ſpiſſitudinem mellis, & ſit uſui. Vel loco hujus mundificativi.

℞. Fol. Scordii. pulv. ʒij. Vitellum unius ovi, Mellis, Terebinthinæ, unguenti Apoſtolorum an ℥ß. Miſceantur.

Poteſt quoque hîc uſurpari *unguentum fuſcum felicis Wurtzii.* Sed notandum ulcera hæc nimis citò occludenda non eſſe, quin potiùs aliquandiu aperta ſervanda, ut venenata materies probe expurgetur. *Joann. Munnicks Cheirurg. lib.* 1.

Pro Carbunculo Benigniore.

Primò ſecetur vena è directo partem affectam reſpiciens. Deindè ſupra locum affectum ſcarificatio rectè accommodatur, plagis ob ſucci craſſitiem altioribus. Sunt qui præcipiunt ipſos ſcarificatatus in cruſtaceo ulcere duntaxat eſſe faciendos, ipſas verò inciſiones aqua ſalſa calente ſtatim perfundunt, ne in illis ſanguis coëat, & concreſcat, ſed foras egrediatur. Interdum etiam erodens medicamentum imponunt; cujuſmodi eſt Arſenicum, quod ea in re inter cætera principatum obtinet. Cœterùm laboranti particulæ valdè repellentia haudquaquam admoveri debent. Adhibenda quidem ſunt remedia, quæ modicè reprimendo, etiam diſſipare & digerere poſſint, cujuſmodi eſt cataplaſma ex arnogloſſa quod ſic paratur.

℞. Arnogloſſ. lentium, pąnis farinacei. an. part. ęq. coq. in aqua, his gallam *Avic.* addit. Alii ex foliis plantag. coctis, lente cocta, pane clibanite, & ol. roſac. conficiunt. (Panis clibanites ex *Galeno* erat valdè laudatus, quoniam ſumma coctus diligentia, ita ut omni ſui parte cruſtam referret) ut verò radicitus carbunculus divellatur, ab adjacentium commercio, hoc ſequens probatur.

℞. Malum punicum acidum; malum punicum dulce, hordei Mj. fol. plantag. Mij. coq. in poſca, donec rumpatur hordeum; & contundantur. Poſtea adde pulpam mali cydonii ſub prunis cocti, vel alterius mali acidi, & F. Emplaſtrum. Item nucis avellanæ veteris vel etiam non veteris medulla carbunculos maturat, & rumpit. Alii nucleos juglandis viridis idem poſſe contuſos cum carnibus cydoniorum vel aliorum malorum acidorum contendunt. Optimum autem fuerit perpetuò circunjacentibus partibus unguentum ex bolo armen. roſac. vel myrtaceo oleo, & aceto confectum inducere, ne ſcilicet intrò, qui jam fluxit humor recurrat. Supra verò ipſum ulcus cruſtoſum valens aliquod medicamentum, & quod vehementer exſiccet imponendum eſt. In communi uſu eſt unguentum

Ægyptiacum,

Ægyptiacum, ſi hoc parùm proficiat, ad acriora & quæ ignis vires habeant deveniendum erit, cujus generis ſunt radix dracunculi vel ariſtolochiæ ex aceto trita, & impoſita, calx, arſenicum, & Sandaracha. Hæc proficiunt ſatis, ſi protinus à viva corruptam partem reſolvant: quicquid corruptum eſt & emortuum, quàm primum avellere & radicitus extirpare oportet. Cæterum cogimur aliquandò (victis ſcilicet malo medicamentis) malignum Carbunculum cauterio actuali extirpare: finis adurendi eſt, dum ex omni parte ſenſus doloris eſt; poſt hęc cruſta ulceribus inducta auxiliis ad id accommodis reſolvenda eſt, ut hoc emplaſtro.

♃ hord. frumenti. an. ℥iij. decoct. malv. viol. rad. alth. an. q. ſ. butyr. rec. axung. ſuill. liquefact. an. ℥ij. F. Emplaſtrum, cui ab ebullitione remoto addantur duo ovorum lutea. Poſt ablationem locus mundetur & detergatur hoc medicamento.

♃. Terebinth. ℥iij. ſyr. roſ. ſolut. ℥j. mellis roſ. ℥v. bulliant ſimul: q. ſ. & ab igne ablatis addatur ovi luteum, farin. hord. & frumenti, an. ʒvj. M purus factus locus implentibus medicamentis curari debet. Conſolida major inter duos lapides contrita, divino quodam (ut referunt) miraculo anthracem ſanat, & ex toto intra diem unum interimit, *Petrus Foreſtus Schol. Obſ. 2. lib. 1. Obſ. Chirurg.*

Monialis quædam paſſa eſt Carbunculum in pede malignum, & ſævum. Poſt multa fruſtra ab aliis tentata remedia, hanc ita ſanavimus.

♃. Stercor. vaccin. ℥iij ol. roſat. ℥iiij. croci ℈ß. M. pro Emplaſtr. quod ſingulis tribus horis applicabatur tepidè, hoc mitigatus dolor, extractus calor, remotus tumor, & morbus extirpatus eſt. *Martinus Rulandus curat. 83. cent. 10.*

Pro Carbunculo in muliere in inferiori labri dextri parte.

Ad eam ſecundo die vocatus venam tundere jubeo è directo partis, quà malum infeſtabat, plurimumq; ſanguinis detraho, quod & bene habita, & ætate florens & viribus pollens ægra erat, loco deinde in quo carbo inſidebat priùs ſcarificato, tale impoſui medicamentum.

♃. Vitel. ovor. numero ij. rutæ virid. & ſcabios. (à proprietate namque carbonibus prodeſſe omnes volunt) an. Mj. ficuum ſiccar. num. vj. acris fermenti ℥j. piper. ʒj. Piſtentur omnia, & in formam cataplaſm. reducantur: admoveri jubebam puſtulæ quod biduo carnem putrem à ſana diduxit; item hoc altero uſus ſum.

♃. Succor. ſumpilit. maj. ſcabios & calendul. an. ℥j. theriac. el. & veteris ℈iiij. (venenum namque ad ſe trahit) ſal. ʒj. ovi vitell. duo, incorporentur ſimul & applicentur. hoc apud me arcanum eſt, nec me unquam fefellit.

Calendulæ namq; ſuccus mira proprietate ad carbones, peſtilenteſq; bubones valet, ut *Alex. Benedictus* de peſte teſtatur. Eſcharam porrò ex adipe ſuillo, butyro loto, farinâ triticeâ, cum baſilicone unguento decidere feci.

Poſtea verò amotâ eſcharâ, ulcus deterſi hoc unguento.

♃. Succ. Calendul. abſynth. Scabioſ. & apii, an. ℥j. myrrh. el. rad. Irid. flor. aloës, ſarcocoll. an. ℥j. (vel potius ʒj.) mellis roſaç. ℥ij. F. Linimentum; optimè detergit, & carnem generat. Locis circumjacentibus repellens hoc adhibui,

♃. Unguenti de Bolo ℥vj. omnium ſantal. ʒiß. pulv. myrtill. & roſ an. ʒij. ol. roſ. & myrtin. an. ℥iß. aceti roſac. ʒij. album. ov. num. j. agitentur ſimul. F. Linimentum. Hiſce integrè ſanata fuit, ſed deformis remanſit contorto ore. *Franciſcus Valeriola, Obſer. 3. lib. 6.*

Pro Carbunculo Peſtilentiali.

Ut virulenta materia tutò & citò ſuppuretur, neceſſarium erit, ut Angeli Salę emplaſtrum attractivum ruptorium peſtilentiale ſit in promptu, quod ita fit.

♃. Gummi Sagapen. ammoniac. Galban. an. ℥iij. terebinth. coctæ, ceræ virgin. an. ℥iiijß. magnetis arſenical. ſubtil. pulver. ʒij. rad. aronis pulv. ℥j. gummi depurentur cum aceto ſcyllitico & ad conſiſtentiam emplaſtri coquantur; & poſtea ponderentur; deinde cum rebus aliis F. S. A. Emplaſtr. quod excellentiſſimum & ſpecificum eſt ad extrahendum virus peſtiferum ex profunditate ad extra; præcavendo, ne viciſſim ad interiora regurgiret, & cor ipſum ſuffocet, ut credam inter omnia topica ſimile remedium non inveniri.

Hoc emplaſtro Carbunculus obducatur quod paucis horis venenum extrahet. Præparatio magnetis arſenicalis antea dicti talis eſt.

♃. Arſenic. criſtalin. ſulphur. vivi, antimon. crudi, an. part. æq. hæc tria in mortario ferreo pulver. dein in vaſe fortiſſimo vitreo ponantur ad ignem arenæ, donec vitrum optimè incaleſcat, & prædicta ſolvantur atq; liquentur inſtar picis quod obſervabitur, quando filum quoddam immittatur ad fundum, quod extractum poſtea inſtar terebinth. trahetur, ubi ſatis coctum erit. Poſtea remove vitrum ab igne, & ubi refrigeratum eſt, rumpe, & ſubtiliter petram iſtam rubicundam, quam invenis, pulveriſa, quam ad uſum ſerva ut ſuprà. *Gregor. Horſtius Obſerv. 32. lib. 7.*

CARCINOMA Vid. *Cancer.*

CARIES.

GRæcis dicitur Τερηδὼν & eſt morbus ſolutæ unitatis in partibus duris, oſſibus videlicet cum deperditione ſubſtantiæ à materia acri & corroſiva proveniens, & reſpondet ulceri quod eſt ſolutio itidem unitatis, ſed in partibus mollibus, carne ſcilicet &c. De hac vide tum ulcera cum carie in genere, tum in ſpecie caput de Spina ventoſa. Cariem pudendorum quod ſpectat idem ſignificat quod Caroli.

Curationes & Obſervationes.

De carie oſſium, ubi de euphorbii uſû.

In ulcerum curatione nihil fermè occurrit, quod Chirurgo majorem pariat moleſtiam atq; plus negocii faceſſat, quàm ſi ulcus cariem in oſſe ſibi adjunctam habeat, præcipuè ſi profunda fuerit, propter humorem oſſi imbutum, ad hujus autem humoris exſiccationem, & oſſis decidentiam tum ab antiquis, tum neotericis Medicis ac Chirurgis præſtantius cauterio actuali nihil excogitatum eſt, quo & ego non rarò maximo cum fructû, uſus ſum. Poſt cauterium actuale, euphorbium hoc in casû ſecundum ſibi locum vindicare facilè concedo, quandoquidem non ſolùm quia acre eſt & calidum in quarto gradu, humores oſſi imbutos exſiccat, ſed videtur occultâ quâdam facultate hîc convenire, non immerito itaque à Dioſcoride, Avic. & recentioribus Medicis in carioſis oſſibus præ aliis medicamentis celebratur. Ego etſi hactenus in carioſis oſſibus euphorbio maximo cum fructû uſus fui: una tamen mihi occurrit difficultas, nimirùm an verum euphorbium, cujus Dioſcor. mentionem facit, hodie ad nos advehatur? ſcribunt enim Dioſcor. & Avic. beneficio euphorbii cariem

uno die abſcedere, id quod noſtrum vix ſpatio 40. dierum præſtat; neq; proximam carnem adurit, quemadmodum Dioſcor. & Avic. de ſuo euphorbio ſcribunt. Hinc veriſimile eſt, aut textum Dioſcor. adulteratum eſſe, aut euphorbium antiquorum apud nos non extare. Cæterum Dioſcor. & Avic. monent, ut ſi quando quis Euphorbio uti voluerit, propter ejus ſummam acredinem atq; Caliditatem, oſſium circumjacentem carnem linimentis aut ceratis diligenter ac probè communiat, ne contractu carnis inflammationem excitet.

Veſalius in ſua chirurgia & Fallop. in tractatu de ulceribus, non minus hac de re ſolliciti ſunt. Hinc factum ut à multis annis Euphorbio uti non auſus fuerim propter metum inflammationis aut doloris; deinde non exigua erat moleſtia, circumjacentem carnem, quotieſcunque ulcus curare neceſſe fuit, ita diligenter munire. Paulatim tamen experientia contrarium me docuit, nimirum Euphorbium noſtrum etſi linguam & nares vehementer vellicet, in ulceribus tamen etiamſi copioſe ii, inſpergatur, nullam inflammationem aut dolorem excitare; foelici itaque cum ſucceſſu in oſſa carioſa carne denudata, etiam immunitis ulcerum labris, quotidie aut alternis diebus eo inſperſo utor. Ante aliquot annos cùm hæc coram Dom. Abele Roſcio Medico doctiſſimo narrarem, miratus fuit. Qua propter petii, ut ille ipſemet Euphorbium optimum ex officina pharmaceutica ſibi eligeret, & in pulverem redigi curaret, quo facto puerum 14. annorum natum, & ulcere in anteriore parte cruris (in quo anterior pars oſſis tibiæ longitudine ſpithamæ denudata erat) laborantem acceſſimus, tum temporis ulcus implevi pulvere Euphorbii, deinde filamentis ſiccis, & emplaſtro diapalmatis ſuper impoſitis, in alterum uſq; diem reliqui, quo denuò Medicum ad ægrum duxi, qui dum nullam neque pulſûs neq; urinæ mutationem perciperet, multò minùs dolorem, aut inflammationem aliquam adeſſe videret, rei novitate obſtupuit, quod oculari demonſtratione viderit, Euphorbii ſæviriam atq; acrimoniam in ulceribus tantam non eſſe, ſicuti à doctiſſimis Medicis divulgatum atque proclamatum. *Guil. Fabric. Hildanus Obſerv.92. Cent 2.*

Pro carie oſſis cum ulcere.

Puer 15. annorum ulcus habebat vetuſtum in metapedio, quod à perito chirurgo per annum integrum curari non potuit, alter Chirurgus junior, cui poſtmodum æger commiſſus fuit, dilatato ulcere cariem percipit, pulverem catagmaticum imponit ad tollendam cariem ſed fruſtra. Poſtea oleum ſulphuris admovet, & fruſtra, poſtea me conſulit, jubeo imponi prima applicatione pulverem Euphorbii cum plumaceolo ex lenteo detrito facto, multæ exiguæ educuntur oſſium ſquillæ. Secundo die Plumaceolum nudum admovet, tertio die eundem pulverem denuò applicat, & plures iterùm ſquillæ egreſſæ ſunt, ut deinde os mundum & à carie repurgatum apparuerit, atq; ulcus poſtmodùm intra breve tempus curatum fuerit. *Lazarus Riverius Obſerv.76. cent.2.*

Oſſibus carioſis mandibularum, ut ignis & ferrum, item oleum vitrioli, & aqua fortis adhibeantur, non ſuadeo, idq; propter graviſſimas cauſas, ſed inſpergantur pulveres rad. Ariſtoloch. rot. irid. flor. angelic. thuris, corticum pini & ſimilium, quæ ſeparationem oſſium carioſorum accelerant, aut miſceantur cum ſuccis prędictis & melle Roſacc. ad formam linimenti, quod ſi mandibula aliquo in loco extra os denudata fuerit, applicarem pulverem Euphorbii quod mirandas habet proprietates in hoc caſu. Ulceribus tamen in ipſo ore exiſtentibus, quia inde ad linguam & fauces facilè pervenire poteſt, ut inſpergatur non ſuadeo. *Guil. Fabric. Hildanus Obſerv.21. Cent.4.*

Commendatur in hoc affectu à *Benedicto Bolognino* unguentum ex agarico in hunc modum.

℞. Salis, agaric. tartar. an. pt. æq. f. pulvis & cum melle unguentum. Si ita non poſſit os deſquammari, carieſque tolli, ferrum candens (quod quamvis ipſa bile amariùs videtur medicamentum, ipſo tamen ſanguine dulcius commodum quod inſequitur exiſtit) ſine cunctatione adhibendum. Extremis namque morbis extrema ſecundùm *Hipp.* appropriata conveniunt remedia. *Matthias Glandorp. cap.25. lib. de Paronychia.*

Pro carie gallica in pudendo

AQ. Plantag. ℥iij. pulv. ſquamm. æris, aduſtæ & lotæ ʒj. M. F. injectiones in virgam per ſyringam tepidè. Hoc medicamentum facultatem habet exſiccandi ſine morſu, cô meliùs habere cepit, & cum minore dolore & ardore mingebat, quia tamen perſeverabat ſanies & ardoris ſenſus, recurrimus ad præcipitatum quod omnium medicamentorum optimum pro ſananda carie gallica jure meritò cenſeri debet, & ut moderatius fieret medicamentum, cum butyro recenti miſcuimus in hanc formam.

℞. Præcipitati correcti & præpar. ʒj. butyr. rec. ℥j. M. quo intingebat linteolum anguſtum & ſtylo obvolutum intra virgam mittebat, & ad partem affectam applicabat, extrahendo ſtylum & relinquendo linteolum, ita tamen ut pars linteoli foris penderet, ut extraheretur. *Rodericus à Fonſeca Tomo 5. Conſult.35.*

Fernelius deſcribit aquam mirabilem, ad cariem malignam, quam vocat divinam; Fit ita.

℞. Sublimati opt. gr.xij. aqu. plantag. ℥vj. recoque ſupra cineres calidos in phiala vitrea ad dimidias. Hoc liquore ſtyli acumen illinatur, ut poſtmodum attingantur ulcera bis vel ter in die ſupra poſito unguento de tutia. *Rodericus à Fonſeca Tom.2. Conſ.59.*

Vidi quendam patientem Carolos (cariem) in virga, accepi lac mulieris tepidum & ablui membrum & ſanatus eſt, aliquando etiam curavi ulcera virgæ cum ſucco millefolii, & aliquando cum ſucco ſummitatum Sambuci, pulvis cariei ligni multùm etiam prodeſt, maximè verò ſalicis. Ego *Marcellus* curavi multos patientes Carolos & ulcera virgæ cum tumefactione præputii, & dolore vehementiſſimò primò facta purgatione & diæta, & defenſivo ſuprapoſito, & cum oleo roſato unguendo. Cum ſyringa injicio intra præputium lac vaccæ, capræ, vel ſi habeam, mulieris ab uberibus mulctum, tepidum, *Marcellus Cumanus Obſ.20. & 21.*

CARNOSITAS in MEATU URINARIO. Vid. *Penis Morbi.*

CARO SUPERFLUA

Pro Carne ſuperflua.

EGo uti ſoleo linamentis excerptis ità paratis.

℞. Aq. plantag. roſ. ſolan. an. ℥iiij. opii. ℈j. medullæ panis, ℥j. mercurii ſublimat. ℈iiij. ſublimatum ſupra porphyritem teratur: deinde M. & bulliant ad medietatis conſumptionem, colentur per pannum craſſiuſculum. Fila excerpta bulliant aliquandiu in hoc liquore, poſteà eximantur, exprimantur, ſiccentur,

ac ſerventur ad uſum. Seplaſiarii noſtri in officinis ad manus habent alumen uſtum, quod optimum eſt, Squammam æris, æruginem æris, pulverem hermodactylorum, pulverem aſphodelorum, præcipitatum omnium optimum, quia agit ſine dolore; ex compoſitis unguentum Aegyptiacum, Apoſtolorum, & iſidis, quæ omnia carnes ſuperfluas exedere ſolent. *Gabriel Fallopius cap.18. Tract. de ulceribus.*

CARO ABLATA

quomodo reſtituenda: ubi de Chirurgia Curtorum.

De naſi amputati, labiorum ac aurium per inſitionem reſtitutione.

Quandoquidem hæc Operatio admodum curioſa eſt; è re viſum fuit eam paulò fuſiori explicatione illuſtrare, ac propterea integram Celeberrimi Caſparis Taliacotii, Medicinæ in Bononienſi Gymnaſiô quondam Profeſſoris, de Curtorum Chirurgiâ per inſitionem Tractatum, ubi cautiones omnes ac faſciationes in tam laborioſâ operatione adhibendæ, eruditiſſimè & accuratiſſimè explicantur, ac demonſtrantur.

Sit itaque.

GASPARIS TALIACOTII DE CURTORUM CHIRURGIA PER INSITIONEM

Liber Primus,

QUI EST DE HUJUS ARTIS THEORIA.

Cap. 1. *In quo operis ſubjectum, ejus præſtantia, & utilitas, unà cum faciei appellationibus explicantur.*

PRÆCLARE *medicinam adjectionem eſſe, & ablationem* divinus ſcripſit Hippocrates; quoniam omne id, quod peritum medicum decet agere, in his duobus conſiſtat, neq; ullum in univerſa medicina detur præſidium, quod vel demendo, vel addendo morbos non arceat, & hominum ſaluti conſulat. Nam ſi cui ex comeſſatione, & crapula venter, venæq; intumuerint, aut ſi obſeratis viſceribus, & deſtructo calore inſito, mali cujuſdam labes irrepſerit, id parciore victu, medicaminibus, cæteriſq; artis auxiliis, quibus auferendi, & detrahendi inſit facultas, corrigendum eſt. E contra quos inediæ, labores, vigiliæ confecerint, his rectè ſalutem afferemus, ſi conceſſo ocio, & ſomno, atq; membris liberaliori victu refocillatis, quod conſumptum erat virium quamprimum reſtituamus. Hoc etiam abundè ſatis demonſtrat hæc noſtra in Curtis reficiendis, non minus utilis, quàm perfecto medico digna operatio, cujus rationem, & methodum tandem in lucem proferre, & publicæ utilitatis gratiâ medicinæ candidatis communicare, & impartire voluimus. Etenim & uni parti, quod abundat, aut ſi minus abundaverit, quo ſine noxa carere poteſt, adimit, & in altero quod deeſt, adjiciendo reficit. Ejus dignitatem tantâ eſſe cenſemus, ut nemo medicum ſe abſolutum prædicare poſſe exiſtimem, cui rationes illius, & momenta non modò non perſpecta, ſed in uſum etiam tranſlata non fuerint. Quomodo enim eum ad medicinæ culmen aſcendiſſe fatebimur, qui omnes omniũ morborum (hæc enim artis prima, & genuina ſunt principia) aut ut plurimùm, qui frequentiores ſunt, & rectè operantibus victi cedunt, cauſas, naturam, effectus non cognorit, neq; accerſitus, opem ſuam implorantibus, ob rerũ inſcitiã contulerit? Membra enim quędam detruncari, quorũ reſtitutio non ſolùm non impoſſibilis eſt, ſed ne quidem difficilis, quis quotidie non videt? Itaq; dignam eſſe conſtat artem hanc, quę ab omnibus, qui nomina ſua medicinę dedere, in magno precio habeatur, nec, quod multi hactenus viri haud contemnendi fecêre, contemnatur. Nam ſi ipſam medicinam, artem cęterarum omnium pręſtantiſſimam vocare, & jure quidem meritò non dedignamur, tam ob ſubjecti nobilitatem, quàm ob finis, quem in operando ſpectet, præſtantiam (taceo varietatem rerum) atq; ideò digniſſimam, ut in illius ſigna unuſquiſq; conveniat, idem & huic arti noſtræ, non iniqui Judices poſſumus concedere, quæ tantæ matris filia, ex ipſis medicinæ viſceribus progenita, ratione enutrita, experientiâ confirmata, operum ejus æmula tandem in ſolem prodit, & hominum oculis ſeſe conſpiciendam ſubjicit. Non minus etiam utilem illis eam fore cenſeo, qui non futili quadam loquacitate, & inani jactantia, ineptias ſuas oſtentant, ſed ſcitè operando ſuam in arte peritiam hominibus demonſtrant. Sed priuſquam ad artis huiuſce principia, & effectus accedamus, quorum ratio in natura morbi, ejuſque cauſis, intimè percepta, nec non auxiliis rectè inventis, & ritè diſpoſitis conſiſtit, operæ precium nos facturos exiſtimamus, ſi partium, & locorum affectorum ſubſtantiam, eâ, qua fieri poterit, diligentiâ, inprimis perſcrutemur. Conſtans enim, atq; immota hæc omnium medicorum aſſertio eſt, & in primis ipſius Galeni, *qui ex partium natura, & temperie, earum conformatione, & facultate indicationes curativas eſſe depromendas cenſet. ideoque ea primo inveſtiganda, antequam ad curationem noſmet conferamus.* Neque id alio pacto fieri poſſe credendum eſt. Videmus enim, ſi morbi vim, atq; ideam nobis proponamus, illius eſſentiam in functionum noxa conſiſtere, quam rectè pernoſcere haud quaquam poſſumus, ſi nobis actio, quæ ex naturæ præſcripto fit, fuerit incognita: ut neque hanc eandem pernoſcemus, niſi de inſtrumenti natura prius nobis convenerit. Itaq; morbi ipſius inquiſitionem, exacta locorum affectorum notitia meritò præcedit. Ut enim rectum ſimul ſui judex eſt, & obliqui, & in communi vita, ad virtutem, tamquam ad rhombum cunctę actiones accommodantur, ut quomodò & quantum à recto declinaveris videas, & quid reſpiciendo ad virtutis tramitem redire poſſis, intelligas: Sic in re medica ex partium eſſentia, velut norma quadam, atq; regula functiones examinandæ ſunt, unde quid rectum ſit, quid ſecus, & qua ratione id integrum reſtitui poſſit, liquidò patebit. Hæc itaq; cùm nobis perſpecta ſint, priuſquàm ad artis noſtræ limina pedem admoveamus, opportunum fore duximus, ut in aditu operis, qui locus eſt, & ſedes noſtræ orationis, de ſtructura narium, aurium, & labiorum, atq; eorum dignitate ageremus. Cæterùm cùm ex his ipſa facies conſtructa ſit, à ratione minimè alienum eſſe putavimus, ſi faciei appellationes priùs, ejuſq; naturam, & excellentiam indicaremus. Quamvis enim in ſingulis humani corporis partibus egregium divinæ ſapientię ſpecimen, tamquam in ſpeculo eluceſcat, atque inter illas quædam notas longè præſtantiores, & excelſiores obtineant, una tamen facies, cùm ob artificis rationem, cum eximia pulchritudine conjunctam, tum ob admirandum, ac inexplicabilem, cum animo noſtro conſenſum, reliqua membra dignitate, & præſtantiâ plurimum ſuperat. Hujus circumſcriptio oculis manifeſto patet. Quicquid enim ſub calva capitis parte, capillis conſita, conſpicitur id uno omnium ore facies nuncupatur. In hujus capacitate ſenſus ſinguli, ad officia naturæ imperio ſibi deſtinata, ſedes certas, certaq; domicilia, nares nimirum, os, aures, & oculos fixerunt. Reliquum verò, ſive horum omnium conſervationi, & tutelæ, ſive pulchritudini, & decori conciliando, natura benigna dedicavit. Appellationem autem hanc priſci homines, hominibus tantùm convenire arbitrati ſunt. Ideo Ariſtoteles *faciem eam in homine partem duntaxat nominat, quæ inter calvam & collum poſita eſt. Nam piſcis, aut bovis faciem dicere non ſolemus.* Faciem homini tantùm, cæteris os, aut roſtra natura dedit: eadem idem Ariſtoteles *πρόσωπον appellari ſcribit, nomine à re ipſa accepto.* Unus enim omnium animalium

malium homo erectus incedit, ſolus ante-proſpicit, vocemq; antrorſum emittit. Quod recte Naſo poëta innuit.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; tueri
Juſſit.

Porrò pro diverſitate particularum, variis adhuc nominib' caput ipsũ diſtinguitur. Quod negotium licet abunde ſatis, & perſpicuè Rufus Epheſius pertractarit, nos tamen ea hîc repetere non gravabimur, ut univerſa faciei hiſtoria longe clarior fiat. Principio caput vocatur id, quod capillis contegitur ſeparatim, atq; ſimul faciem comprehendit, Capillari ſeu calvæ adverſa pars ſinciput, averſa occiput nominatur. Inter hæc quod interjacet capitis faſtigium, diſcretum, & capillorum æquamentum, verticem calvæ dicunt, qua parte nimirum capilli in gyrum circumaguntur. Ab latere ſincipitis, inter oculos, & aures Græcis κόρσαι, & κόρταφοι, latinis tempora appellata collocantur. Nomen hoc ea fortaſſis de cauſa ſortiuntur, quod ex iiſdem, ætatis progreſſus, & vitæ tempus, indiciis quaſi quibuſdam appareat. Hinc Poeta:

Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.

Proximam à ſincipite partem frontem dicimus, in qua & oculos contineri Varro cenſebat, & propter oculorum foramina, quod perforata ſit, ſic appellari. In frontis confinio inferiori, utrinq; ad oculos ſupercilia ſunt, quæ Rufus *extremitates frontis hirſutas & inferiores* vocabat. Partium harum motione cùm annuamus, & negem', cumq; pro diverſis animi affectionibus eas vel attollamus vel ſubmittamus, ideo per ſupercilium faſtum aliquãdo & ſuperbiam poetę intellexerunt. Quare Satyricus.

Malo Venuſinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, ſi cum magnis virtutibus affers
Grande ſupercilium, & numeras in dote triumphos.

In quam ſententiam, & Plinius hæc habet: *in aſcenſu frontis ſupercilia homini, & pariter, & alterne mobilia, & in his pars animi: negamus, annuimus: hæc maxime indicant faſtum, ſuperbiam: alibi conceptaculum, ſed hic ſedem habet: in corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet: nihil altius ſimul, abruptiuſq; invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet.* Spacium illud anguſtum, debile ſupeciliis interjectum, Gręce μεσόφρυον, latinè glabella, quod glabra ſit, dicitur, aliàs intercilia appellari poſſit. Id in aliquibus minime eſt conſpicuum, quod ad naſi exortum ſupercilia congrediantur. Partem ſub ſuperciliis carnoſam ἐπισκύνιον quidam appellarunt, licet & infimas frontis rugas, quod noſtri ſupertentorium vocant, hoc nomine intellexiſſe videantur. His ſubjacent oculi, partes noſtri corporis pretioſiſſimæ, quorum actio certe eſt ſuaviſſima, & capaciſſima. Nonnulla in parte conſpicua magis animalibus, & homini præcipuè natura animi poſuit indicia, moderationis nimirum, clementiæ, miſericordię, iræ, odii, amoris, triſtitiæ, lætitiæ, atq; in oculis ipſis. Hinc orator *in ipſo vultu plurimum oculos valere dixit, per quos maximè animus emanet.* De iis Cornelius Nepos, dum inter Parin & Helenam amoris incunabila deſcribit ſic ſatis appoſitè refert:

——Sentit Paris, ardet, & audet,
Promiſſorq; ingens facilis præſagia prædat,
Ducit amor, dum ſigna juvant, dum nutus oberrat
Interpres, cordisque, vagi præſentior index.
Læno oculos taciti garrit præludia voti.

Jidem ex vario, & multiformi contuitu variè etiam nuncupantur, nempe truces, torvi, flagrantes, graves, tranſverſi, limi, ſubmiſſi, blandi. Plinius aiebat: *in oculis animus inhabitat, ardent, intenduntur, connivent: Hinc illæ miſericordiæ lacrymæ. Hos cùm oſculamur, animum ipſũ videntur attingere. Animo videmus, animo cernimus: oculi ceu vaſa quædam viſibilem ejus partem accipiunt, atque tranſmittunt. Morientibus illos operire, rurſuſq; in rogo patefacere Quiritium magno ritu ſacrum fuit, ita more comparato, ut neque ab homine ſupremum ejus ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtendi nefas. Uni animalium homini depravantur. Unde cognomina Straborum, & Pætorum ab iisdem, qui altero lumine orbi naſcuntur, Coclites vocabantur, qui parvis utriſque, Ocellæ.* Quæ partes cùm ſupra, tum infra oculos obvelant, palpebræ appellantur, *quas & genas vocari, & ex motu ita dictas* ſcribit Lactantius. Ab earum oris qui pili prodeunt, græcè τάρσοι ſunt, & βλεφαρίδες; latinè cilia, de quibus idem Lactantius in hunc modum ſcripſit. *Ut oculi munitiores eſſent ab injuria, eos ciliorum tegminibus Deus occuluit: unde oculos dictos eſſe Varroni placet. Nam & ipſæ palpebræ, quibus mobilitas ineſt, palpitationi vocabulum tribuere, & pilis in ordine ſtantibus vallatæ, oculis decentiſſimum ſeptum præbent. Earum motus aſſiduus incomprehenſibili celeritate concurrens, & videndi tenorem non impedit, & obtutum reficit.* Quo loco annotaſſe diverſum palpebræ, & cilii uſum apud Plinium operæ precium cenſemus. Is pilos per palpebras intellexit è genis prodeuntes, quæ nos cilia diximus. Cilium verò dixit ambitum ſuperioris genæ extremum. Ejus verba hæc ſunt: *palpebræ in genis homini utrinque, mulieribus verò etiam infectæ quotidiano. Tanta eſt decoris affectatio, ut tingantur oculi quoque. Alia de cauſa hæc, natura dederat, ceu vallum quoddam viſus, & prominens munimentum contra occurſantia animalia; aut alia fortuitò incidentia. Defluere eas haud immerito Venere abundantibus tradunt. Ex ceteris nulli ſunt, niſi quibus, & in reliquo corpore pili, ſed quadrupedibus in ſuperiori tantùm gena: volucribus in inferiori.* Et paulo poſt: *ſtruthiocamelus animalium ſola, ut homo, utrinque habet.* De cilio autem loquutus hæc verba protulit: *extremum ambitum genæ ſuperioris antiqui cilium vocavere, unde & ſupercilia.* Sed jam reliquorum hiſtoriam perſequamur. Genarum extrema, quæ dormientibus nobis mutuo coeunt, Rufus χηλάς & ungulas dici aſſeveravit. Horum ſuperficies utrinque parum perintrocedere videtur. Superius cavum, inferius ſubcavum vocant. Hoc in aqua intercute, in pravo corporis habitu, in diuturno hæmorrhoïdum effluvio, & inveteratis menſibus, nonnunquam etiam in inchoante lippitudine intumeſcere conſuevit. Quocirca, id genus affectûs, quoniam cavæ partis tumor eſt, Rufo authore græcis κοιλίδα, dicitur. Pars palpebris communis, in quam oculis circuntenſę, & diſpeſſæ concurrunt, angulus, & oculorum κανθὸς dicitur. Poëta noſter hirquos eos appellavit.

Parcius iſta viris tamen objicienda memento,
Novimus & qui te tranſverſa tuentibus hirquis

Bini ſunt in oculorum utroq; anguli, alter juxta nares: alter ad tempora: illum domeſticum & quod amplior ſit, magnum: hunc ſilveſtrem, externum, & ob anguſtiam minorem dicimus. Ab ſuperciliorum interſtitio, quod glabellam appellant, deorſum naſus exoriens, æquali veluti porrectus jugo, utramq; faciei aciem munit ſimul, & diſcernit. *Is altior homini tantum, neq; aliis animalium eminet, quem novi mores ſubdolæ irriſioni dicavere.* Ejus foramina ῥώθωνας & nares, Attice quoque μύξας appellari ſcripſit Rufus Epheſius, cùm tamen pituitoſum cerebri excrementum, quod per ipſas deſtillat, μύξαν (latinè mucorem) Hippocrates vocaverit. Cartilagineum illud, quod foramina velut parietibus diſtinguit, ex munere naſi ſeptum, ſeu narium interſeptum; & quicquid oſſeum eſt, quod promineat naſi dorſum appellatur. Extrema hinc inde mobilia, aliis pinnę, Galeno quandoq; naſi alæ dicuntur, quæ poſitu; & motione avium alas repræſentent. Hæ in orthopnoicis, anhelantibus & alioquin volentibus moventur. Naſi extremitas, ſeu apex, cùm in ſphæricam figurã conglobatus eſſe videatur, globulum anatomici dixere. Carneum illud ante naſi ſeptũ & in labia productum columna dicitur. Oſſa inſurgentia

ſub

ſub oculis, ſubocularia ὑπώπια ſunt. *Infra oculos malæ collocantur; homini tantùm, quas priſci genas vocabant, 12. tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes. Hæc pudoris eſt ſedes: ibi maxime rubor oſtenditur.* Has Lactantius *genarū nomine deſcripſit inſtar collium leniter exurgentium.* Infra malas, ſeu genas eas dixeris, buccarum regio conſiſtit, inflatione conſpicua. *In his cùm hilaritatis, tum riſûs indicia,* ex Plinio *ſeſe patefaciunt*: & qui partem hanc amplam habent, bucculenti homines dicuntur. Labra mox à naſo habentur, carne præmobili, dentium integumentum, & vocis organum. Rubent eo, quod habeant cutim ſubtiliſſimam, & motûs gratiâ carni commixtam. Os prima eſt labiorum intercilio, & reliqua omnis uſque ad fauces, inanitas, quod oris antrum vocant. In ſuperiori labro, ſub columna naſi, levis quędam cavitas inſtar vallis imprimitur, φίλτρον græcis dicta, quaſi amatorium vel amabile. Hanc *lacunam* vocavit Lactantius. Univerſum porrò illud ſub naſo, labri ſuperioris ſpacium, ὑπόρρινον græcis eſt, latino vocabulo vocat; labiorum extrema, græce προχεῖλα, latine prolabia dici poſſunt. Sed qua parte concurrunt, & committuntur προςόμιον nuncupatur. Cavùm illud, quod ſub inferiori labio reconditur, nympham vocant. Pars maxillæ inferioris, qua dextra cum ſiniſtris, ad anteriora, velut vinculo quodam, connectuntur, quod à gula promineat, mentum dicitur. *Hoc præter hominem, quemadmodum nec malæ, nulli eſt.* Inferius ita eſt concluſum, ut habet Lactantius, *ut ejus acumen extremam ſignare videatur leviter impreſſa diviſio. Ibidem* Rufus *carneſam partem* λευκανίαν *vocari dicit.* Sed nonnulli parte hac carnea, mentum: λευκανία verò cavum jugulo proximum innuunt. Mentum hominis manibus pertractare, fidei & amoris argumentum eſt, cùm apud noſtrates, tum apud antiquos. Hinc ſcriptum in ſacris: *tenuit Ioab mentum Amaſæ, quaſi deoſculans eum.* Brutorum ſi quis eam, quæ mento reſpondet, partem velit apprehendere, abdito quodam naturæ ductu refugiunt, & averſantur. Nam cùm in dentibus maxillæ inferioris, ceu in baſi defixis robur ipſorum conſiſtat, itaque virium lapſum, & armorum quæ natura dedit, detrimentum expaveſcentes, regionem illam contrectari abnuunt. Barbæ ratio incredibile eſt quantum conferat, vel ad agnoſcendam corporum maturitatem, vel ad ſexûs diſcrimen, vel ad virilitatis decorem. Hujus prima ſub temporibus germinatio ἴουλος à græcis, à noſtris lanugo dicta eſt. Primus ejus in ſuperiori labro exortus græcè προπωγώνιον, latine probarbium, ſi nomina fingere liceat, dicitur. Pili poſt hæc adaucti μύςακες, & qui ſunt in ſummo mento, pappus appellantur. *Auris pars capitis eſt; qua audimus;* ut ſcripſit Ariſtoteles, & hac voce non tantùm partem extra prominentem intellexiſſe viſus eſt, ſed quicquid & in cavitate oſſis petroſi continetur. Ut Lucretius ait:

Plenæque ſonoribus aures.

Aures nominari ea de cauſa ſcripſit Firmianus *quod vocibus hauriendis eſſent prapoſitæ.* Unde Virgilius:

Vocemque his auribus hauſi:

Aut quia vocem ipſam Græci αὐδὴν ab auditu vocant; hinc facta literæ unius permutatione, aures veluti audes dictas eſſe. Nunc intrinſecis partibus neglectis, eorum nomina duntaxat referemus, quæ extra conſpicua ſunt. Partem univerſam extimam auriculam vocant. Helix græce ἕλιξ totum illud dicitur, quod auriculæ extremam ambit oram, particulæ ſparſæ, ſive evolantes πτερυγώματα, id eſt alæ nuncupantur, τὸ πτερύγιον verò ſuprema eſt latitudo, & inflexa: Quæ retrò incurvata ſunt, & ſuis extremitatibus antrorſum replicata, κύβαδες; id eſt cubi ſimiles appellantur. Sub his ſemicirculus in gyrum reflexus, & in acutum deſinens ξύςηρ ſive ξύςριον nominatur. Quod in medio ex concavo aſſurgit, & cavitatem extollit, ἀνθέλικα ſicut concavum, quod ſubjacet, conchiliam, aut concham dicunt. ὁ τράγος eminentia eſt juxta temporum fines, & exoppoſiti ἀντίλοβις extremitas ſcilicet helicis. Foramen autem rotundum, & in medio collocatum, auditionis eſt meatus. Huic ſubjacet λόβιον, ſeu λόβος particula cornea, pinguis, quæ in verecundia, ipſa facie magis rubet. *Hujuſce partis perforatio cedit in faſtum, & verecundiæ veſtibulum ſuperbiæ ſedes evaſit, quando nec in alia parte corporis fœminis majus impendium, margaritis dependentibus, inſumitur. Quemadmodum & in oriente viris aurum geſtare, eo loci decorum exiſtimatur.* Et hæc ferè ſunt, quæ de faciei partium appellationibus, quantum ex antiquis colligere licuit, aſcripſiſſe nobis viſum fuit. Nunc ad faciem propius accedamus.

Cap. 2. *De dignitate faciei ex philoſophiæ, poëſeos, aliarumque diſciplinarum fontibus.*

Ut autem de faciei dignitate commodiùs agamus, ex re eſſe neceſſariò duximus, ut principium ac ſcaturiginem, ex qua partium corporis noſtri dignitas profluat, patefaciamus. Unde conſtabit, cur ab antiquis, homini ſoli, particula hæc, non item aliis, aſcripta ſit, & quam ob cauſam cæteras omnes dignitate, & præſtantiâ anteeat. Partium igitur dignitas, à fine, ad quem nobis natura eas conceſſit, meo judicio petenda eſt, qui eſt, ut partes illæ, animæ operanti, tanquam inſtrumenta ſerviant. Nam & *animæ organum* ſecundum Galenum *corpus eſt.* Et propterea multùm inter ſe ſe differunt animalium particulæ, quoniam & ipſæ animæ differunt. Quædam enim ſūt ferocia, quædā timida, alia agreſtia, alia manſueta, alia civilia veluti, & negocioſa, alia ſolitaria. Omnibus verò corpus, animę moribus accommodatum eſt, & facultatibus. Nam fortibus ungulis inſtructum, & rigenti juba ornatum equum eſſe decet, quod animal velox, & ſuperbum ſit, & generoſum. Leoni autem, utpote animoſo, & feroci dentes, & ungues validi conveniunt, ut & tauro, & apro, illi quidem cornua, huic verò exerti dentes. Cæterùm *cùm actionum plura ſint genera, quarum aliquæ nobiliores, aliæ minùs nobiles, nonnullæ ad vitam neceſſariæ ſint, aliquæ commodiori vitæ conducant, cæteræ utriuſque conſervationi ſtudeant,* equidem principes partes, & cæteris digniores, & præſtantiores, quod ſine iis vita noſtra non conſiſtat; meritò exiſtimemus. His enim notis judicamus, quæ pars in animantis corpore princeps, quæ ſecus habenda eſt. Reliquarum verò duarum, quæ à primi generis præſtantia diſcedunt, eæ minus diſcedere ſunt putandæ, quibus hæ principes facilè, magis verò, quibus minus facilè conſentiunt. Verumtamen ſi ipſam dignitatis partium radicem inquirere velimus, *non actiones ſolùm expendendæ ſunt, ſed & utilitates, quæ has eveſtigio ſubſequuntur, dignitate quidem priores, at conſtructione atque ortu poſteriores.* Cùm igitur ab utilitate, tamquàm à fonte præcipuo partium nobilitas emanet, ſiquidem faciei prętantiam indagare velimus, actio ejuſdem, & quæ hanc conſequitur, utilitas: atque an ea, vel omnino ad vitam, vel ad commodiorem vitam, vel ad utriuſque tutelam conceſſa ſit, primùm inquirenda eſt. Ut autem ordinata, & perſpicua ſit noſtra hæc oratio, altius exordiendo dicamus: particularum humani corporis alias principalem quandam, & univerſo corpori perutilem actionem obire: alias pręſtate quidem actionem, ſed illa minus præcipuam, & quæ uni tantùm membro emolumento ſit, quod præſertim in muſculis, atq; jecinore, partibus functione diverſis, apprimè ſpectatur. Illi enim unicæ actioni, partis nimirū, in quam inſeruntur attractioni præſunt: hoc verò in gratiam

in gratiam univerſi corporis indicavi, oblatum chylum in ſanguinem converti. Sunt & nonnullæ aliæ partes, quæ nec principalem actionem toti corpori, nec illam alteram ignobiliorem, unicæ parti conferentem, ſed uſus quoſdam haud tamen leves præſtare videntur, vel ut cauſæ ſunt, ſine quibus actio prima, & præcipua fieri non poteſt, vel ut primam partem, à qua actio præcipua provenit, conſervent, vel ut eandem, quo commodiùs poſſit agere, adiuvent. Quæ res pro exactiori noticia exemplo oculi rectè declarari poteſt. *Ejus enim actio, quæ univerſo corpori magnopere ex uſu eſt, ab humore cryſtalino perficitur, quæ certè inter omnes oculi particulas principatum obtinet.* Huic aqueus humor, vitreuſq;, & unà cum muſculis, tunica ἀραχνοειδὴς, uvea, cornea, modis jam ſupradictis opitulantur. Cæterùm facies ipſa, cùm princeps quædam corporis pars, antiquorum etiam teſtimonio exiſtat, ea-ne actionis, an potius uſus cauſa ſtatuenda erit? Si faciem omnibus inſtrumentis, quibus conjungitur, ſecluſis, ſeorſum conſideremus, omnis eam actionis expertem eſſe videbim⁹. Nam officii ratione cæterarũ partium quaſi receptaculum eſt, quas ſinu ſuo ſaltem concluſas continet, in continendo autem non agit: è converſo verò partes, quibus quid agendi munus delegatum eſt, neceſſariò operari debent. *Hæc enim regula eſt, ac norma ſecundùm Galenum, qua uſum ab actione dirimim⁹.* Si igitur uſum ſolũmodò, & non actionem faciei aſcribam⁹, pars neceſſariò ignobilis erit, ac corpori minùs neceſſaria. Sed meo judicio, conſultiùs fuerit, ut eam partem univerſam, quæ inter collum, & calvam poſita eſt, atq; ex antiquorum etiam deſcriptione, quàm plura inſtrumenta, eaque diverſa comprehendit, faciem eſſe dicamus. Quare ſic nobis ſtatuentibus, non uſum ſimplicem, non unam actionem tantùm, ſed plures, eaſq; principales, vel ad vitæ neceſſitatem, vel ad commoditatem ejus ſpectantes, faciei tribuemus. Sunt enim quæ univerſum corpus gubernant, tria membra præcipua ut multis in locis, & copioſè à Galeno expoſitum fuit, quorum unumquodq; per deſtinata ad id officii organa, vim ſuam cæteris particulis impertit. Etenim ſubſidio nervorum, & ſpinalis medullæ cerebrum, cor ope arteriarum, & venarum miniſterio jecur ipſum, virtutem ſuam, quaſi per rivulos perennes, in quaſque hominis partes demandant, atq; effundunt. Sed ut nulla eſt, vel exigua particula, quę viſcerum horum, vel primaria, vel ſecundaria opera, impreſſiones non ſentiat, ita nulla eſt, ubi magis vis eorum, & poteſtas vigeat, & innoteſcat, ac in facie ipſa, utpotè conſpicua, & ſenſibus noſtris expoſita. Cæteris enim partibus veſtimentorum operâ abſconditis, una facies honeſtè detegitur, & ſine pudoris labe oculos hominum ſubit. Sed quomodo viſceribus iſtis conſentiat, paucis declamare oportet, ut ex his præcipuæ faciei actiones eluceſcant. Eam igitur nervi, arterię, atq; venæ ſubeunt, & ventriculus cum pulmonibus, per œſophagum, & aſperam arteriam in conſenſum trahuntur, unde & viſûs, & auditûs, & odoratûs organa, loquendi, ac maſticandi inſtrumenta, reſpirandi, & alimenti aſſumendi loca, in unica facie ſpectanda nobis exhibentur. Quare per faciem videmus, per faciem audimus, per faciem odoramur, per faciem guſtamus: per ipſam effamur & mandimus, per eandem reſpiramus, & cibum aſſumimus, quia ſcilicet oculis cernimus, auribus audimus, naribus odoramur, & ſpiramus, ore loquimur, maſticamus, ex quibus particulis omnibus faciei moles compingitur. Cùm itaq; tot, & tantæ faciei ſint actiones, ut huic nullo pacto cæterarũ aliqua cõparari poſſit, jure omnib⁹ reliquis cõſpectui noſtro obviis mẽbris dignitate pręſtantiorem, atq; nobiliorẽ eam eſſe affirmabimus. Quapropter haud admirabimur, ſi faciei dotes adeò eximias, aliiſq; partibus corporis noſtri denegatas, natura juſta elargita ſit. *Ea enim ſitũ ſublimiorem obtinuit, & inſtar arcis in editiori loco collocata eſt, atq; id maximè propter oculos, quorum actio eminentiorem ſedem, nequaquã ut aliorum depreſſum poſtulabat.* Illi enim velut ab alta ſpecula, ſi quid mali immineat, à longe proſpiciunt, & ſigno dato, cętera membra de periculo commonefaciunt. Quæ cauſa eſt, quod cancris, balęnis, ſcarabæis, teſtudinibus, & omnib. animalib. quę careant capite, cervicibus longis natura ſolers oculos impoſuit. Sed redeamus, unde digreſſi ſumus. In facie etiam eſt generis indicium, ex facie invicem homines diſtinguuntur, in facie totius corporis menſura latet, facies præcipua phyſiognomiæ fundamenta continet. Hæc ætatem, hæc pulchritudinem demonſtrat, hæc ſexum ſeparat, hæc dignitatem hominis explicat, hæc tandem certiſſimum animi noſtri eſt exemplum, & ampliſſimum eorum, quæ in abſcondito latent, theatrum. Quoſcunq; enim tam animi quàm corporis affectus, una facies demonſtrat, atq; licet occulti ſint, nobis tamen ob oculos collocat. Quæ omnia, quantum fieri poterit, expendamus, quò faciei nobilitas, & excellentia longè illuſtrior fiat, atq; clarior. Quare ut ad primum accedamus, apparent in facie parentum firmiſſima indicia, quæ conjunctionem ſinceram, & maximè concupitam atteſtantur: viſuntur in filiis patres, & veræ prolis veriſſima deprehenduntur argumenta. Hinc Poeta:

Ut te fortiſſime Teucrûm
Accipio, agnoſcoque lubens, ut verba parentis,
Et vocem Anchyſæ magni, vultumque recordor.

Et rurſus. *Gaudentq; tuentes.*
Dardanidæ, veterumque agnoſcunt ora parentum.

Eſt etiam innumera, ac penè infinita facierum varietas, ut certis eam atq; finitis particulis conſtructam eſſe, meritò quis dubitaverit. Quod ideo factum à natura prudenti cenſendum eſt, ut ſinguli propriis quibuſdam notis & ſignis non fallacibus interſtinguerentur, ne corporum ſimilitudo quendam in oculis hominum errorẽ pareret. Quod quanto fuiſſet incommodo, in communi vita facilè unuſquiſq; perſpicit. *Tanta verò, & tam multiplex facierum eſt diverſitas, ut prodigii loco cenſeatur, ſi qui duo indiſcretæ ſpeciei* (quorum exempla Plinius deſcribit, & Valerius Maximus) *reperiantur, atque etiam in illis ipſis quorum primordia ex parentibus ſunt communia.* Quapropter haud immeritò facierum diverſitatem veram, & evidentiſſimam diſcernendi invicem homines notam eſſe dixerim⁹. Tradunt præterea ſapientiores aliqui exacta adeò harmonia, & ſymmetria conſtare faciem noſtram ut ex ipſius magnitudine, cognitione percepta univerſi corporis menſuram, & proportionem conjici poſſe credant, cùm cæteras partes ad illius normã commenſuratas eſſe appareat. Quo ſanè pacto faciem ipſam ſymbolum univerſæ longitudinis, & latitudinis & profunditatis humani corporis extare volunt. Opportunum verò fuerit, ut hæc, quæ diximus, corroboremus, clariſsimorum virorum de faciei dimenſionibus, in medium adducere teſtimonia. In primis tamen illud præfandum eſt, dimenſiones hujus generis ſymmetras ſymmetro corpori cõvenire, haudquaquam monſtruoſo. Primum autem faciei quãtitatem ſic dimeriuntur. Quicquid eſt à ſummo frontis, qua capilli enaſcuntur, ad mentum uſq;, id faciei longitudinem aſſerunt. Hæc ex mente eorum, tribus rurſum conſtat partibus: una eſt à ſummo frontis ſub capillorum exortu ad uſque intercilia: mox ab interciliis, ad imas nares ſecunda: tertia verò & inferior à naribus in mentum concedit. Partium harum priorem ſapientiæ, mediam pulchritudini, poſtremam honeſtati dicarunt. Sed quã longitudinem humani corporis colligunt, talis eſt ratio. Tres illas faciei in longum dimenſiones primùm ponunt, eas in ſe ductas, ut in quadratis numeris fit, totam hominis longitudinem nempe facierum novem, conficere ſtatuunt. Quas portiones Pomponius Gauricus ſic deſcribit. *Prima eſt facies ipſa. Secunda à ſummo jugulo ſeu clavibus ſummis ad xyphoidis apicem. Tertia hinc ad umbilicum. Quarta ab umbilico ad ſummum femur. Bi-*

ſeu clavibus ſummis ad xyphoidis apicem. Tertia hinc ad nas continent coxendices, ad poplitem uſque; & totidem ab hoc ad malleolum crura. Pars autem inferior ab malleolo ad uſque ſummam plantam, & quod eſt à ſummo pectoris, ad ſummum gulæ quod guttur vocant, ut & ille ſemicirculi arcus, qui fit à ſumma fronte ad verticem capitis, aliam conficiunt portionem, atque ultimam, cæteris æqualem. Nam junctura partium, nodi, poplites, tanquam interſinia, & limites à natura poſiti, nullis ſuum jus cedunt. Novies itaque facies in ſe ducta, perfectam hominis longitudinem complet. Quanquam alii octo, alii, quod rarius, ſeptem fermè, alii decem fecerint partes. Nos medium, & quid frequentius uſu venit, ſecuti ſumus, ac de adulto loquimur vero. Facies præterea, ad latitudinem, quę eſt ab uno latere ad alterum, rationem ſubduplam obtinuit. Continetur enim facies in latitudine bis, ſingulis mammillarum pro facie incluſis. *Brachiorum vero ſingula, invicem diducta ſeſqui alteram habent ad faciem proportionem, & tota manuum longitudo ſeptem faciebus continetur.* Itaque diſpeſſæ manus rectam ipſius corporis longitudinem definiunt, ſive retrorſum, ut aliqui, ſive prorſum, ut alii, metiamur. Cum profunditate autem, ſive altitudine, cujus menſura ab imo dorſi recta eſt ad ſummum ventrem, eam rationem inæqualitatis majoris obtinuit, quæ ſuper particularis ſeſquinona vocatur. Nam faciem continet profunditas ſemel cum parte ejus nona. itaque & latitudinem ipſa longitudo continet quatuor vicibus cum dimidia, & altitudines paulo minus octo unam explent longitudinem. *At humani corporis latitudinem longitudini collatam habere proportionem ſextuplam, & decem altitudines unam conſtituere longitudinem, refert D. Aug. dum Noë arcam reliquiarum humani generis promptuarium, ad hanc perfectiſſimam corporis normam eſſe conſtructam affirmat.* Quæ ratio Vitruvianæ potius dimenſioni quadrat, *quæ longitudinem faciebus decem, & latitudinem cum longitudine comparatam, ſex æqualibus latitudinis partibus circumſcribit.* Sunt præterea qui diverſas harum proportionum deſcribant rationes, quod eo referendum eſt, quoniam diverſa ab authoribus, inter ſe partium fit collatio. Nam aliqui ſeptem, alii octo faciebus hominem conſtare dixerunt. Unde & variè poſthæc, partium, quæ conferuntur, reſultant ſymmetriæ, quæ aliquod inter authores diſſidium facere videntur. Nos tamen Gauricam ſupputationem potius recipere voluimus, tanquàm experientiæ communi magis conformem. Sed hæc πάρεργα mittamus: properemus ad alia. Dignitatem faciei, & ſanè haud exiguam conſtituerunt inter phyſiognomos metopoſcopi, cùm naturales, tum aſtrologici (eadem enim eſt metopoſcopiæ cum principe ſua phyſiognomia diviſio) qui animi noſtri cum corpore mutuam conſpirationem, & in paſſionibus alterutrum ſummittendis, arctiſſimum fœdus eſſe advertentes, illud auſi ſunt profiteri, quod ex capitis, frontis, oculorum, narium, labrorum, & breviter oculorum, narium, labrorum, & breviter omnium faciei partium, qualitate deſignata, de animi impetu, & propenſione, rebus penitus abditis, callidi homines judicare vellent. Exemplo eſt ille metopoſcopus, de quo ſcripſit Appion Grammaticus, teſte Plinio, *qui non modo ex viva hominum facie, ſed ex picturis, ſcitè adeò, & affabrè ad vivum ab Apelle delineatis, aut futuræ mortis annos, aut præteritos pronuntiavit.* Naturalem hanc Metopoſcopiæ partem clariſſimi admodum viri maximè excoluerunt, ſcilicet Pythagoras, Socrates, Galenus, Polemon Athenienſis philoſophus, Arthemidorus Epheſius, Melampus, Adamantus ſophiſta, Avicennas, Razes, & alii ſanè quàm plurimi. Veruntamen omnes longo admodum intervallo ſuperavit Ariſtoteles, qui hanc divinationis phyſicæ portionem doctiſſimè perſequutus eſt, proprio huic rei libro dicato. Ut autem illius eſſe nobis oſtenderet, duabus præſertim rationibus uſum eum fuiſſe novimus, quas enarratione dignas cenſemus, quod metopoſcopiæ, aut phyſognomiæ aſſertio, dignitatem faciei plurimum illuſtret. Rationes ergo tales ſunt. Si animæ, quidam cùm corpore noſtro conſenſus eſt, ut à motibus corporeis afficiatur: & è contra impellentibus animæ affectionibus, quomodocunq; corporis ſtatum immutari licet, haudquaquam abſurdum erit, aut impoſſibile de internis hominum moribus certi aliquid effari. Sed animas ſecundùm ſe non impatibiles, ſed paſſionibus eſſe obnoxias, atq; à corporis affectibus impelli, ſatis abunde demonſtrant, quibus cerebrum largiori vino maduerit, aut qui diuturno, & vehementi cum morbo aliquando conflixerunt. Sic plurimum corpus ipſum immutant animæ impulſus, & affectiones, nempe amor, triſtitia, timor, dolor, voluptas, cæteraq paſſionum genera, ut nullatenus dubitemus, quin ex notis incognita, ex conſpicuis abdita, ex corporeis lineamentis de animæ conſtitutione quędam prędici poſſint Amplius etiam in his, quę à natura fiunt, hoc magis apparet, quod in ſeſe corpus, & anima habeant quid congeniti & nativi, ut mutuò conveniant, & quàm plurimarum invicem paſſionum ſibi ipſis cauſæ ſint. Quis unquam animal factum, vel productum eſſe meminerit, quod unius formam ſortiretur animalis, animam verò obtineret alterius, & non ſemper idem corpus eadem animâ præditum fuerit? Quare conſequi tale corpus talem formam neceſſarium eſt, atq; eorum tam arctam eſſe neceſſitudinem, ut ex unius natura cognita alterius conditio facile elucefcat. Sed quid? Nonne ſunt quamplurimi rerum periti, ut veterinarii, agaſones, venatores, qui ex corporis conformatione, generoſa animalia ab imbellib*, robuſta ab imbecillis, fructuoſa ab inutilibus, certis quibuſdam notis, & ſignis efficacibus diſcernunt? Quę certè ſi vera ſunt, ut ſemper vera ſunt, ſcientiam quandam neceſſariò dari, quæ ſagaci conjectura, ex corporis figura, de animarum motib. divinet, atque eam explorandis hominum mentibus eſſe peraccommodam, hæc inquam ab Ariſtotele tradita, liquidò oſtēdunt. Quam Ariſtotelis ſententiam & Galen⁹ docuiſſe videtur, dum à corporis temperie animi mores proficiſci diceret. Mores autem non intelligamus eos, qui ad rationem virtutis, & vitii referuntur, ſed animi paſſiones Græcis πάθη dicta, ut etiam doctiores ſentiunt inter interpretes, qualia ſunt, odium, ira, amor, ſpes, gaudium, & hujus generis alia. Nihil tamen firmi hac de re, atq; certi, ut mihi videtur, aſſerendum eſt. Anima enim hominis, utpotè divina, à corpore hoc mutationi obnoxio longè ſecluſa eſt, & poteſtas illa arbitrii noſtri ſoluta, atque libera, ut nullis unquam corporeis vinculis mancipari poſſit. Animus perſæpe ſimulatione obtegitur, & naturalis, ſi qua adfuerit, inclementia, ſtudio, legibus, & diſciplina edomatur. Non eſt igitur, ut corporeis notis perſuaſi, & pręcipuè in hominibus, de moribus internis aliquid affirmemus, cùm à corpore tanto hiatu animus ſejungatur, tantumque ſit animæ in corp⁹ imperium, ut non modò id, quò impetu fertur, retrahere, ſed conatus ejus omnino in oppoſitum poſſit inflectere. Niſi id verum eſſe dicamus in illis, qui naturæ prava ſemina inſequentes, ſenſuum & cupiditatum vitia mancipia evaſere. Sed hactenus circa phyſiognomiæ principia conſulto digreſſi ſumus, cùm ex hac facultate faciei dignitatem evidentiſſimis argumentis eruamus. Facies enim totius phyſiognomiæ pars eſt præſtantiſſima, quòd, quę ab ejus partibus ſigna depromantur, cæteris potiora ſint, atque firmiora. *Totus enim homo in capite, vultuq; conſiſtit,* ut ſentit Apuleius. *Ibi ratio viget, & ſenſuum inſtrumenta locata ſunt.* Sic Ariſtoteles *in electione ſignorum: alia aliis magis propoſitum declarare ait; at quæ ex principalibus locis petantur, ea omnium eſſe manifeſtiſſima.* Locus autem maxime principalis eſt, ubi oculos, frontem, labia, & totum caput conſpicimus. Huic ſuccedit, qui eſt circa pectus, & humeros,

humeros, & poſt hæc circa crura, & pedes. Ventris autem regio cæterarum infima eſt, & abjectiſſima. Conveniret verò pro amplificanda faciei dignitate, ut ſingularum partium judicia, quâ ratione ex phyſiognomoniæ fontibus petuntur, in medium afferremus; ſed quia ad altiora nobis properantibus, id operoſum eſt & benigno lectori tædioſum; de vultu ſaltem, & facie communia quædam, atque præcipua capita ab metopoſcopis mutuata, & quantum huic noſtro negotio ex uſu fuerit, paucis attingemus. Vultus igitur, ut ab eo exordiamur, nil aliud eſt, quàm peculiaris quædam faciei figura, & conſtitutio, ex animi paſſionibus momento prodiens. Vultum doctiores dictum eſſe volunt, quod voluntatem detegat, & quod appetimus portendat. Habitus enim ſive ſtatus faciei eſt, qui ob diverſos animi affectus, diverſas etiam mutationes induerit. Hinc facundiſſimus oratorum Cicero: *non enim nos color iſte ſenilis, ait, non piloſa gena, non dentes putridi, deceperunt: oculi, ſupercilium, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in fraudem homines impulit, hic eos, quibus erat ignotus, decepit.* Et rurſus: *imago animi vultus eſt, indices oculi: hic apud oratores vectis præcipuus ad evertendos judicum animos, & hominum voluntates coërcendas.* Quintilianus etiam de vultu hæc ſcitè protulit: *dominatur autem maximè vultus, hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſummiſſi ſumus, hoc pendent homines, intuentur, hunc ſpectant etiam antequam dicamus, hoc quoſdam amamus, hoc odimus, hoc plura intelligimus, hic eſt ſæpe pro omnibus verbis.* Multiplex igitur, & varia apud homines peritos (nempè ex multis, & variis animi motibus) vultus eſt deſcriptio. Dicitur enim ſubtiliſtis, varius, meticuloſus, bonus, humilis, remiſſus, gravis, temerarius, iracundus, elegans, liberalis, venerabilis, & auſterus.

Ex hoc quaſi ſpeculo averſum Labani animum Jacob conſpexit, cùm ad uxores ſuas converſus diceret, cognovi ex facie patris veſtri, quod non eſt amplius erga me ut heri, & nudiuſtertius. Sed his non temerè aſſentiendum eſt. Fallaces quandoque, ac doloſos perſæpe eſſe hominum vultus, notant viri perſpicaces, & in rebus politicis verſati. Quare Platonicus ille orator *mens humana,* inquit, *multis ſimulationum involucris, & quaſi velis quibuſdam obtegitur. Uniuſcujuſque naturæ frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè.* Sed hæc de vultu. Nunc de facie, ut diverſos nobis animi mores atque abſtruſas oculis inclinationes patefacit, agamus. Differentiæ autem faciei; quemadmodum à phyſiognomonibus traduntur, in primis recenſendæ ſunt. Petuntur verò ex magnitudine, vel juſta, vel excedente, vel ex parvitate cùm moderata, tum nimia. Differt non minùs facies, ſi ſit carnulenta, carnoſa, aut macilenta: ſi brevis, longa, ſi oſſea, ſi plana, ſi rotunda, aut rugoſa, atque horum omnium inſtar Polycleti regula, ſi mediocris. Facies magna, quod ea ſit aſinorum, & boum, ignaviam refert; excedens magnitudine ſtoliditatem: Perpuſilla ſimiæ, & feli ſimilis, animi abjectionem indicat: parva calliditatem atque aſſentationem, ex Polemonis, & Adamaſtri ſententia: Veruntamen ſi colore croceo ſuffuſa ſit, hominem peſſimum, vitioſum, deceptorem, vinoſum arguit. Facies carnoſa, qualis boum, inertiam, & pigritiam prædicit: carnulenta, ut ſentiunt Polemon & ipſe Adamantus, jucundum ac vegetum ingenium oſtendit. Si fuerit gracilis & macra, cautum atque circunſpectum rerum ſuarum, ac curioſum hominem indicat. Si oſſea non tamen præter modum, quod aſinis, & cervis ſit peculiaris, timiditatem: ſi nimis, ſimiamque repræſentet, laborioſos, timidos, ac inſulſos demonſtrat. Oblonga facies, quod ad canes viliores poſſit referri, injurios, ac inverecundos animos portendit. Plana facies malorum eſt ſeminarium; Nam hominem litigioſum, iracundum, moroſum, invidum ſignificat. Rotunda, iracunda eſt ex Polemonis mente, & fatua opinione Raſis. Rugoſa facies, quod in lugentibus contrahatur, mœrenti ab Ariſtotele adſcribitur. Facies autem mediocris, veracem, amantem, ſapientem, prudentem, ingenioſum, & ut brevibus dicam, in omnibus mediocrem, & congruum oſtendit. Non igitur minimum lucis, & ſplendoris ad faciei commendationem afferunt, quæ phyſiognomones, & natura & experientia edocti hac de parte tradiderunt; Facies enim viva animi imago eſt, & plurimarum cogitationum aliàs abditarum non incertus index. Sed hæc dicta ſufficiant.

Cap. 3. *In quo aliæ adhuc faciei dotes in gratiam ſuæ præſtantiæ explicantur.*

SUPERSUNT quamplures adhuc faciei dignitates, de quibus & nunc brevibus agemus. Itaque haud contemnenda eſt ea faciei dignitas, quod argumentis certiſſimis ætates hominum ex illa colligere poſſumus. Quæ ſane dignotio, tantò majores faciei præconii parit cumulos, quantò minus admiratione aſſequi poſſumus, quomodo in ætatum flexus, & annorum decurſus, quaſi quibuſdam ſuffragiis, deprehendantur, & velut in ea deſcripti ſint, agnoſcant. Nam pueritiæ, adoleſcentiæ, juventutis, cæterarumque ætatum quàm minuta etiam intervalla ex facie agnoſcimus. Hinc poeta ait,

Facies tua computat annos.

Sed non poſtremo loco ponenda eſt illa faciei dignitas, quod fulgur ille eximius pulchritudinis, & peraccepta omnibus formæ ſpecies in ea eniteſcat, quam actioni atque partium utilitati dignitate eſſe proximam, ſemper exiſtimarunt philoſophi. *Natura enim poſtquam ea, quæ magis neceſſaria ſunt, rectè adminiſtraverit, ad ornatum operis, pulchritudinem etiam, atque* ut Galenus ait *ἐκ περιουσίας adjungit, & quaſi elegans auctarium venuſtatem in membra imprimit.* Tanta enim ejus eſt benignitas, ut nullam partem neque impolitam, neque illaboratam, aut ſine rhythmo, & lepore inſtructam relinquat. Quod præter operis inſtitutum non rarò boni etiam faciunt artifices, qui artis oſtendæ gratiâ, in clathris ſeu obicibus, in clypeis, in enſium capulis, nonnunquam in phialis opus quoddam ſtatuarium aut hæderam, aut vites flexuoſas, aut cypariſſum, aut id generis emblemata, præter tamen artis regulas, pro ornamento inſculpunt. Veruntamen duplex adhuc eſſe pulchritudinis genus rectè obſervandum eſt. *Unum verum & nativum, non diverſum ab optima corporis conſtitutione & temperie, quod actionibus metiri, ſecundùm* Hippocratem, *verè poſſumus.* Hæc pulchritudo non albedine, non mollitie, non corporis lævore, non aliis quamplurimis lenociniis oſtentatur. *Altera eſt neque nativa, neque vera, ſed fucata, adulterina, & arte accerſita, ad faciendum quæſtum mangonibus, & mulierculis de forma plus nimio ſolicitis familiaris.* Quo fit, ut alia quidem corpora Toranius, alia Hippocrates laudaturus ſit. Neque verò apud Xenophontem jocari Socratem forſaſſe exiſtimandum eſt, ambigentem de pulchritudine cum illis, qui ætate ſua formoſiſſimi videbantur. Is ſi ſimpliciter loqueretur, neque referret ad actionum conſtantiam ſpeciei decorem, forſan utique ſolùm jocaretur. Sed quoniam toto illo ſermone particularum pulchritudinem in actionis bonitate & virtute collocat, ipſum, non tam joco quam ſeriò loquutum eſſe credamus. Hæc namque Socratis muſa fuit, & induſtria, ut ſeria jocis ſemper immiſceret.

Triplicem

Triplicem igitur ex hiſce, quæ à nobis dicta ſunt, pulchritudinis ſpeciem colligimus Unam quidem & veram Hippocrati aſcriptam, quæ optimus eſt partium ſtatus, & ſymmetria, & quæ ex actionibus tantùm bonis innoteſcit Alia eſt quæ ex naturæ benignitate, atque in fabricando ſolertia accedit, & priorem illam individuo paſſu conſequitur, *quæ in quibuſdam partibus per ſe manifeſta eſt: in quibuſdam ab utilitatis ſplendore obſcuratur.* Tertia tandem eſt, quæ Græcis κόμμωσις, καλλωπισμὸς, latinis lenocinium, comptus, elegantia, fucata & adulterina pulchritudo vocatur, naturæ ſimia, viſcus, & hamus miſerorum amantium. Formæ igitur decus maximè cum partium utilitatibus eſt conjunctum, atque id in facie, tamquam in præcipuo domicilio reſplendet. Quod vicinum eſſe ſanitati atque maximè ab hominibus expeti Athenæus docet, dum Platonicum illud, de pulchritudinis cenſu: in publico hominum congreſſu decantari ſolitum, hunc in modum recenſet.

Utinam qualis ſis unus quiſque videre, diſciſſoque
Pectore, & anemo proſpecto, ubi poſt rurſum clauſeris,
Amicum ſincera mente hominem æſtimare.
Bene valere optimum eſt mortalibus.
Deinde pulchrum naſci: poſt ſine fraude ditari.
Quartum verò cum amicis pubeſcere.

Hoc divino pulchritudinis dono ornati, divinis olim miniſteriis aſcribebantur, quod acceptiores fore victimas, ſi à ſpecioſis manibus proficiſcerentur, exiſtimarent. Hujus examen in Elide fiebat, Athenæi teſtimonio. Sic Archidamum regem, quòd cùm hinc formoſam mulierem ſpectaſſet, illinc deformem, ſed divitem, & ad hanc animum applicuiſſet; ab Ephoris mulctatum, objurgatumque ſeverè legimus, quia potiùs Spartiatis regulos quàm Reges procreare mallet. Formæ ſiquidem liberali auguſtum quid, & regium ineſſe homines volebant, ſic ut pulcherrimis viris plurimæ gentes regnum detulerint. Sic Euripides egregiam pluchritudinem, & quæ alias dotes vincit, regno dignam eſſe ait. Si præterea ea, quæ Homerus de Helenæ, Polyxenes, aliarumque illuſtrium fæminarum forma tradit, recenſere velimus, profectò pulchritudinem rem divinam ab antiquis eſſe habitam, & cæteris humani generis dotibus longè illuſtriorem & digniorem, facilè demonſtraremus. Sed nimis extra propoſiti cancellos digrederemur; quare hæc de pulchritudinis dignitate ſatis dicta ſunt. Ejus, ut antea dictum, præcipua ſedes (quamvis per univerſi corporis molem blandè & ſuaviter ſeſe effundat) omnium ſanè teſtimonio facies exiſtit. Nam & hac in parte anima noſtra, ſaltem ſecundùm medicos, ſi non philoſophos, tamquam in domicilio ſuo, collocata eſt: hîc vim ſuam, poteſtatem, atque imperium oſtendit, hîc ſenſuum ſunt receptacula, qui velut apparitores, & ſatellites juſſa domini excipiunt, ferunt, referunt, & moleſtias & injurias, ſi qua ingruant, à rege ſuo propellunt. Accedit quod hoc loci forma, quam cæteris, multò difficiliùs acquiratur, ubi tot, tantæ, & tam diverſæ membrorum dimenſiones, & harmoniæ in unam eamq; aptiſſimam figuram concurrunt; ideoq; naturam divitias ſuas hîc potiùs quàm alibi oſtentare voluiſſe certò credendum eſt. Frons enim & ſupercilia ſuam habent venuſtatem, ſuam decentiam oculi, ſuum nitorem nares & malæ, ſuum itidem ſplendorem labra atq; mentum obtinent. Quarum partium elegans delineatio, & ſymmetra conſtructio, ad hanc unam admirandæ pulchritudinis ſpeciem exſtruendam ſolummodo conſpirant. Propterea faciei honorem præcipuum in ſuo philoſophico poemate Lucretius tribuit.

Condere cœperunt urbes, arcemque locare
Præſidium reges ipſi ſibi, perfugiumque,
Et pecudes, & agros diviſere, atque dedere
Pro facie cujuſque, & viribus, ingenioque.
Nam facies multum valuit.

Accedit *& barbararum fœminarum conſuetudo, quæ faciem fucis illinire, formæ conciliandæ gratiâ, aſſeverant, more ad nos etiam propagato. Accedit & auctoritas Poppeæ Domitii Neronis conjugis, quæ aſinino lacte in facie dealbanda & exornanda uſa fuit.* Sed quorſum hæc: nonne id ſenſus ipſe, veritatis magiſter docet? Unica facies eſt, quæ primò ſpectatur, prima viſum percellit, prima placet: prima diſplicet; hæc hominum oculos commovet, hæc allicit, hæc animum ſubit, hæc prima & præcipua amoris ſemina conjicit. Sit enim quantumcũq; corpus bene compoſitum, & affabre factum, ut neq, ad perfectionem etiam quàm ſagaciſſimus naturę æſtimator aliquid deſideret, tamen ſi paulò illiberaliot, & indecentior facies accedat, haudquaquam pulchritudinis nomine, ſed turpitudinis potiùs id deſignamus. E contra dummodo facies adſit elegantior, & jucundior, quamvis plurimũ corporis diſpoſitio ab juſtitia ſua, & rhythmo deflectat, eam tamen prædicabimus; & ob formæ decentiam laudibus extollemus. Quare ſumma cum ratione pulchritudinis, & venuſtatis regionem, faciem ipſam deſcribemus, cùm vel non modò vulgus, quod affectibus rapitur, ſed etiam ſapientiores quamplurimi, quibus ratio imperat, idem ſenſerint. Facies præterea ſexus inter ſe diſtinguit, cùm in mulierib. depilis ſit, atq; mollis, in viris hiſpida, & aſpera. Dignitatem verò virilem peculiari ratione maximè commendat, quã pręter cæteras notas in ętatis progreſſu genę pulcherrimo pilorum ordine undiquaquam circumſeptę inveſtigantur. *Hoc enim ornatu mas ipſâ fœminâ multò eſt venerabilior, & aſpectu gravior.* Tanta fuit naturæ in efformanda facie decoris affectatio, ut ob hanc unam pulchritudinis cauſam & malæ & naſus pilorum expertia producta fuerint. Etenim ſi integra facies hominis pilis conſita, quaſi ſenrib. quibuſdam obhorruiſſet, haud certè manſuetum animal & politicum, ſed agreſte potius & ferum hoc pacto evaſiſſet. Cæterum apud antiquos tantus honor, tanta dignitas, tanta reverentia faciei habita fuit, ut ejus decorem maximè intemeratum conſervare niterentur, labefactatum quàm ingenti precio ſolicito redimerent. *Ut de Claudio Tiberio narratur, qui ad delendum faciei lichenem quinquaginta millia coronatorum medicis impendit. Faciem geſtare velatam virgines antiquitus, dum ad vota accederent, conſueverunt, vel propter honeſtatem, vel propter verecundiam. Ingenui præterea homines ac ſervi ex facie dignoſcuntur, ſecundùm Plautum, & Terentium.* Quin & vitæ inſtitutum ex eadem facie deprehendi poſſe legimus. Huc etiam referuntur, quæ à juriſperitis memoriæ mandata ſunt. tex. in l. ſi quis in metallum. c. de pœn. *Si quis in metallum pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus fuerit, minimè in ejus facie ſcribatur, cùm & in manibus, & in ſuris poſſit pœna damnationis una inſcriptione comprehendi, quo facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis eſt figurata, minimè maculetur.* Addunt etiam aliud: *ſi in pluribus locis corpus aliquod ſepultum fuerit, principalis cenſebitur ille; ubi aderit caput, ut pote in quo ſit imago, per quam mortuum hominem dignoſcere valeamus.*

Cap. 4. *De faciei dignitate ſecundùm medicos.*

CONſtat ergo faciem inter alias corporis noſtri partes, plurimùm excellere, & dignitate præſtare. His tamen & rationibus, & graviſſimorum hominum teſtimoniis adjungenda ſunt, quæ ex medicinæ ambitu, hujus rei gratiâ, in medium afferri

afferri poſſunt. Non enim nobis ſilentio prętereunda ſunt, tum quod ad profeſſionis noſtræ limites ſpectent, tum quod inſtitutum noſtrum, non aliunde accerſitis, ſed nativis coloribus exornent. Atque ut anatomicorum fontes primò guſtemus, certè in partibus animalis efformandis, naturam triplicem finem ſibi ob oculos poſuiſſe conſtat: nempe ut aliquæ illarum vitam tueantur, ut per aliquas commodiùs vitam traducamus: per quaſdam verò ut genus humanum ab interitu per propagationem vindicemus. Nequit enim ſubſtantia ex corporibus adeo diffidentibus extructa, quoad naturæ leges, perennem durationem ſortiri. Ex primo cenſu cerebrum ſunt, cor atque hepar: ſecundi ordinis nares, aures, oculi: tertii verò generis, teſtes, matrices & pudenda. Vnumquodque autem harum particularum loco, & ſede convenienti, natura docta, & provida collocavit. Quanta igitur dignitas faciei accedit, quis honor, quæ exiſtimatio, ſi ordinem, & poſitum cæterorum membrorum, & præcipuè, quæ generis conſervationi famulantur, cum illa conferamus? Taceo de reliquis, quoniam id demonſtrare eſſet infiniti operis; agam ſaltem id, ut perſpecto ſitu membrorum genitalium, quanta ratio habita fuerit excellentiæ faciei atque nobilitatis, quodque membra hæc juſtiſſimo architecti conſilio, non exiguo interſtitio inter ſe dirempta ſint, exactè cognoſcamus. Nam cùm cerebri ſit propago quædam facies, ad quam ſenſuum omnium organa deflectant, quod in loco animæ virtus, divinas ſuas vires exerat, quid inconvenientius fuiſſet, & protoplaſta indignius, quàm membra illa pecuina & abjecta, cum partibus adeo nobilibus & divinis confundere? Hoc enim dominum eſſet cum mancipio eodem loco ponere. Namque munia ſenſuum turbaret talis conſtitutio, mentis aciem obtunderet, & rationis imperium everteret. Innata enim hominibus cupiditas, levi etiam de cauſa inſtigata, ac indomita beſtia multoties in rectorem ſuum inſiliret, & habenis excuſſis, de ſede ſua eum dejiceret. Non dicam quantum obfuturum ſit decori, & venuſtati, quantaque loci fuerit iniquitas, & laboris diſpendium, ſi omnino membra illa eo locari debuiſſent. Quare ea procul hinc abrepta, natura ſapiens diſcrevit, & faciem alta in ſede, & conſpicua collocari, membra verò genitalia, inſtar vile pecus, in ſtabula; locum vilem, & depreſſum detrudi juſſit. Vt enim rationi cum cupiditate, haud quaquam convenit, ſic neque membris, quibus facultates hæ imperant, nulla eſt affinitas, nulla conjunctio, nulla penitus cognatio. *Sunt autem in maribus æque ac fœminis partes genitales, ea ratione diſpoſitæ, ubi locus eum ad ſperma rejiciendum, recipiendumque, tum ad fœtus incrementum, atque enixum omnium eſt aptiſſimus, qua neque ſenſuum operationes, neque mentis officia interpellari, neque ſplendor ille pulchritudinis obtenebrari poteſt.* Quæ omnia in faciei præſtantiam ejuſque dignitatem manifeſto cedunt. Eam tamen non imminuit, *quod cerebrum, & quæ ad faciem ſpectant, non prius efformentur, quàm brachia jam, & crura ad ſuam perfectionem devenerint.* Id enim ea ratione fieri exiſtimamus, quod natura, quæ magis neceſſaria ſunt, in primis peragat, quæ minus, poſthac efficiat. Nam quo pacto viris illuſtribus aliquo acceſſuris, prius quæ uſui futura ſunt, adornantur, ſic natura prudens ante omnia apparatum earum rerum inſtruit, quæ accedenti parti principi ad obeundas actiones commoda futura ſint. Neque fœtui opus eſt cerebro, quando vel videre, vel audire, vel olfacere, vel guſtare, nequaquam eum oportet. Sic teſte Ariſtotele *præſtantiora & perfectiora generatione ignobilioribus, atque imperfectis longè poſteriora ſunt.* Maxima igitur faciei dignitas eſt tam quod in loco adeo eminenti, & ſingulari poſita ſit, quàm quod conſtitutis jam cæteris partibus miniſtris, ipſa poſtrema omnium tamquam domina perficiatur. Illud etiam inter initia protinus certiſſimum excellentiæ faciei argumentum eſt, quod in ea, ac in tabula, temperiei ſigna, cùm totius corporis, tum ipſius cerebri nobis exponantur, per quæ velut manu ducti in univerſi corporis cognitionem pervenimus. Cutis enim cùm laxa ſit & tenuis, neque plurima carne ſuffuſa, naturam humorum affluentium, atque eſſentiam, nulla cum difficultate prodit. Protinus enim color ſuccorum ſubjacentium, niſi compulſi retroceſſerint, per cutem effloreſcit. Sic roſeus color in calidis & humidis, citrinus in calidis & ſiccis, niger, fuſcus, atque lividus, in melancholicis, albus, & pallidus in corporibus humidis & frigidis, & faciem, & cæteras partes undiquaquam perfundit. Itaque quocunque humore corpus proluatur, ejuſdem ſemper indicia, eaque certiſſima facies ipſa afferet. *Confert etiam facies maxime ad cerebri intemperiem indagandam, ſi illius magnitudinem, & parvitatem, figuram, ſenſus ibi collocatos, oculos, aures, nares, atque alia conſideremus.* Etenim hæc mutuò ſeſe indicant, & principii, quæ à principiis oriuntur, & quorum à principiis ortus eſt, principium, virtutem, & imbecillitatem atteſtantur. Suggerit etiam facies indicia ad nonnullos morbos maximè efficacia. Ut enim à cerebri affectibus exordiamur, videmus veternoſos cerebro oſcitare, labiis deductis hiare, non deſiſtere ſed diu ſic torqueri, & palpebris connivere. Hinc Aëtius *qui catoche, aut catalepſi prehenduntur*, ait, *inter cætera indicia facie quoque manifeſtò ſeſe produnt. Adeo mente occcupati ſunt, ut fixos veluti oculos, & palpebras habeant penitus immobiles, aliquado & eaſdem apertas, aut nictent, aut intensè videant, ſic ut neque oculos claudant, ſi quis manum iis obtendat.* In pneumonia peculiarem ſigni efficacis rationem habet malarum rubor, quod ad pulmonum anathymiaſin tuſſiendo expreſſam volunt attinere. Certum eſt ob venarum anguſtiam, quæ ſanguinis perfuſionem ab majoribus vaſis excipiunt, halitus illos & vapores illic ſubſiſtere neque expirare. His additur, *quod ex colore faciei laborantes morbo regio, nullo cum negotio deprehendantur, præſertim verò ex oculis, in quibus, quod album eſt, luteum fit, & viroſum.* In quam ſententiam & Galenus *oculorum alba & faciei partes temporibus propinquas, itemque malas pallore quodam ſuffundi refert.* Accedit reliquis faciei dignitatibus eximium illud, atque pene omnium conſenſu caput, quod ex eà in pluribus affectibus evidentiſſima, & efficaciſſima de eventu morbi argumenta eruamus. His maximè ſuffragatur omnis antiquitas, hoc quotidiana experientia teſtis locuples confirmat. Nam omnium bonorum auctor, & parens Hippocrates unam faciem ante omnia paulo exquiſitius in morbis acutis explorandam eſſe docet, atque illud præſertim in ea circumſpiciendum, num ægrorum facies cum ſanis conveniat, & an ſibimet ipſi ſuæque naturæ conſentiat. Sed liceat ipſius verba nobis ſubſcribere. *Conſiderare porro hoc modo convenit in morbis acutis: primum quidem faciem ægroti, an ſimilis ſit his, qui in ſanis ſunt, maximè vero an ipſa ſibi ipſi: ita enim optime fuerit: Si vero maxime contraria ſimili fuerit, horrendiſſima eſt.* Itaque ut videmus ex facie morborum ſigna depromuntur, quæ non ſolùm prima ſunt eorum, quæ medico occurrunt, ſed cæteris ferè potiora, quæque acrius examinata, inſignem in morborum prognoſi certitudinem pariunt. Cùm verò hæc ſententia ſit Hippocratis tanti viri, ea nobis ſicco pede nequaquam tranſeunda, ſed diligentius ruminanda eſt, ut quid velit, & qua ratione

diligentius ruminanda eſt, ut quid velit, & qua ratione velit optimus Hippocrates, rectè intelligamus. Tria igitur perluſtranda jam nobis proponemus. Primò, quod Hippocrates dixerit in morbis acutis primùm quidem faciem ægri attendendam eſſe, nunquid ſimilis ſit his, quæ in ſanis ſunt: videamus ergo, quænam ſint illa, quæ in ſanis conſpiciantur. Deinde cùr conſiderari velit, an ipſa ſibi ipſi ſimilis ſit: Negligere enim præcepto hoc ſanorum faciem videtur. Poſtremò cur efficacia adeo argumenta, & ad prædicendos eventus in morbis acutis utilia, facies nobis exhibeat. Conſiderare igitur oportet, quæ ad partium faciei ſpectant, colorem, molem, ſitum, ſubſtantiæ rationem, ſplendorem, & quæ ex his omnibus reſultat, quaſi ad unum ſcopum collimantibus, pulchritudinem. Hæc autem colligimus ex horrendiſſima illa faciei hypotypoſi, cùm inquit: *naſus acutus, oculi cavi, collapſa tempora, aures frigidæ & contractæ, & eorum ext emitates averſæ, cutis circa frontem dura, circumtenſa, & arida, & color faciei pallidus aut niger, aut lividus, aut plumbeus.* In primis igitur ægri facies cum ſanis conferenda eſt, & videndum, nunquid partes illius à colore bene valentium, figurâ, mole, formâ, & aliis ejus generis, & quantum deſciſcant. Sed cùm ſanitas in unoquoque ſit, quod ſibi ſecundùm naturam ineſt, & quantùm quiſque ab nativo illo tenore, & typo diſcrepet, tanto vehementiorem, & acriorem morbi vim exiſtere neceſſum ſit: ideo faciem ad ſemetipſam collatam, exactiùs perpendendam eſſe cenſebat Hippocrates; ut ſingulis quid nativum ſit & familiare, quid morbo ortum, & alienum pernoſcamus. Quæ præceptio certè firmiter memoriæ mandanda eſt, ne turpiter quandoque decipiamur. Contingit enim quamplures aſpectu à ſanis differre, & habitu mortuos potiùs quàm vivos exprimere, præcipuè verò ſenes & melancholicos, atque illos, qui in diuturnis vinculis, pædore, & ſquallore confecti, aut ad tranſtra damnati fuerunt. Qua in re Cardani hiſtoriam lubet recenſere. Is famulum quendam ſuum, ait, qui per decem, & octo annos apud Afros, ad remigia devinctus fuerat, cùm oculos clauderet, neque ullam ſui corporis partem moveret, in nullo mortuis abſimilem potuiſſe dici, adeò pallor, macies, extenſa cutis, arctæ nares, color plumbeus, ac ferrugineus, cum tumore quodam, oculi vix occluſi mortis ſpeciem referebant. Sciſcitandum itaque primò, dum ægro occurrimus, hæccine ſibi facies connata ſit, an ſecus; ne in dijudicandis morbis, eorumque ſucceſſu in errorem impingamus. Cæterùm illud profectò dignum eſt inquiſitione, cur ex facie certa adeo indicia ſalutis, vel perniciei, vitæ vel mortis eruantur. Potiora enim ſunt eorum, & prima medici oculos feriunt. *Cardanus ſubtilis tres cauſas proponit, cur facies potiùs, ac cæteræ particulæ virium lapſum & morbi magnitudinem oſtendant.* Prima eſt partium minutiſſimarum copia, & præcipuè forma diſſimilium, oris, menti, maxillarum, naſi, oculorum, frontis, palpebrarum, temporum, aurium, quæ facilius noxam ſubeunt, & evidentius, & citius a nativo ſtatu recedunt. Eſt & cutis tenuitas, ut facies, quamprimum tendatur, palleat, contrahatur. Multis in locis cartilago ſubeſt, ut in naribus, in auribus: ſuntque frontis muſculi tenues admodum & exangues. Cerebrum præterea faciei proximè adjacet, cujus affectionibus ſi percellatur, ut in mærore, in lætitia, quamplubimum & ſubitò eam mutari contingit. Etenim morbis, concuſſo corpore, actutum incaleſcit, contrahitur, humoribus gravatur, flatu, & vapore diſtenditur, abſceſſibus opprimitur, ſanguine & ſpiritu deſtituitur, & aliis quàm pluribus malis corripitur. Itaque non admirabimur cur ex facie ægri inſpectâ, aut ſalutem, aut interitum pronuntiari poſſimus. Sunt & aliæ cauſæ, non tamen uſque principales, nempe ſanguinis copia, in quibuſdam locis & regionis lævor, quorum gratia multò facilius, & expreſſius, impreſſiones factas à partibus internis facies demonſtrat. At ergo Cardani acerrimo certè viri ingenio diligentiam in his maxime desidero, cùm jejunè admodum, & vix ſummis, quod aiunt, veſtigiis rem adeo præclaram, & ſcitu dignam attigerit, & pertractarit. Tentabimus itaque nos, ut pro majori negocii intellectione, quædam in medium afferamus, & effectus hujuſce cauſam, pro viribus diſcutiamus. In primis hinc evenire cenſemus ut facies cæteris partibus evidentiora, mortis atque vitæ argumenta præbeat, quod nulla ſit corporis noſtri pars, quæ ex tot, ac tantis differentibus ſpecie particulis conglutinata, conſenſum adeo evidentem, atq; efficacem habeat cum viſceribus atq; artubus æque ac ipſa facies. Atq; hoc duplici modo. Non ignoramus convinctam eſſe inferiori ventri faciem, ut ſupra dictum fuit, per œſophagum, qui communi vinculo univerſis infimi ventris partibus annexus, & recto tramite ad ſuperiora elapſus, in fauces, & in os ipſum deſinit. Scimus præterea, & ventri medio cohærere faciem, quod aſperâ arteria innumeris fere propaginib' per pulmones diſperſis, atque in amplum caudicem aliquando collectis non ſecus, atque œſophagus, eodem ductu ad fauces emergat, & inde cum ore participet. Videmus andem & cerebrum indiſſolubili fædere cum facie conjungi, atque id per portiones illas quas vocant, mammillares, quæ ex intimis cerebri penetralibus, in faciei centrum, nares ipſas, recto paſſu producuntur. Maxima igitur faciei cum membris præcipuis, ut videtis, neceſſitudo intercedit. Si etiam nulla corporis pars, quan unumis exigua, ab viſcerum conſortio diſjuncta eſt, ſed communi providentiæ vinculo connexa, certo certius fateamur neceſſe eſt, cùm prima viſcera cum facie ipſa conſpirent, ſingulas etiam vel abjectiſſimas corporis univerſi particulas, ob commercii legem, cum eadem convenire, & colligari. Eructat præterea venter infimus, ac viſcera eodem ambitu contenta per œſophagum, quicquid amplitudine continet, ſeu vaporis, ſeu halitus, ſeu reliquorum morborum fomitis. Spectatur hoc in iliacis, in nephriticis, in ictericis, in hepaticis affectib. nec non in uteri morbis. Quam expurgandi rationem & thorax venter medius inſequitur. Sæpe enim pulmonibus deſtillatione turgentibus, ſeu alterius mali alluvio conflictatis, non ſine vehementi cruciatu, per aſperæ arteriæ tubum, hic ſua in os recrementa effundit. Non ſecus & cerebrum, quandocunque afficitur, in univerſas faciei particulas colluviem exonerat, & feces ſuas deponit. Hinc tantus ad aures, ad oculos, ad nares, ad os, ad cutis ſuperficiem, ſuperfluorum effluxus. Tantus igitur eſt conſenſus; tanta connexio, tanta faciei conſpiratio, ut jam dictum eſt, & univerſis corporis noſtri partibus. His ſuccedit & alia ratio ſocietatis mutuæ membrorum, ſuperiori illa multò prior, atque illuſtrior, in cujus cognitione in memoriam revocanda ſunt, quæ à Galeno multis in locis fuere declarata: Quod nimirum tria ſint viſcera, penes quę corporis noſtri ſit arbitrium; & quod illa per peculiaria organa, quaſi per canales & aquæductus vim ſuam in ſingulas partes demandent, atque effundant. Quapropter uti nulla eſt noſtri corporis pars, quantulacunque etiam, quæ affectiones à principiis tranſmiſſas, non ſuſcipiat, ita penitus nulla eſt, ubi citius fiat, & facilius, atque in facie, ob arctam adeò cum membris principalibus conſuetudinem. Sed videamus qualis hæc conſuetudo ſit, atque cordis conſenſum prius explicemus. Patet manifeſtò trun-

cum materię magnæ, eumq; altiorem, per cavum thoracis aſſurgere, & ut ad primam juguli regionem acceſſerit, in ramos binos, eoſq; craſſiores findi. Eorum alter in partes penitiores ſeſe inſinuat, & in cerebri culmina conſcendit: alter verò cutis regionem extimam perreptans, univerſam capitis peripheriam circumquaq; diſcurrit, & jugulares, quas vocant ana omici, exteriores conſtituit. Harum igitur arteriarum flagella exigua, in ambitum faciei deſinunt, quibus internunciis, ſi quid in corde, ſi quid in proximis vaſis novitatis contingit, id ſtatim faciei enunciatur. Patet hoc in affectibus animi, in ira, in gaudio, ſeu tenuiori ſanguine promptius in altum evolante, ſeu lege naturæ, id expetente, ut reconditi hominum mores, his tacitis delatoribus patefiant. Succedit his jecinoris per venas cum facie communicantia, quæ à cordis conſortio haudquaquam diſcrepat. Vena namq; regia, quamprimum ex hepatis convexo egreſſa eſt, in binos ramos, eoſq; quàm maximos diſcinditur, quorum alter ſtatim reflexus, in depreſſas partes diſpergitur, alter verò, per phrena, incumbendo thoracis vertebris, in altum attollitur. Hicce ramus, poſtquam ad uſq; thymum, unico ſtipite progreſſus fuerit, in duas & amplas ſeſe ſcindit propagines, quarum intima cerebri ſedem ſubit; at extima per capitis regionem diſſeminata partes externas alit. Ab hino ſurculi quidam non contemnendi ad faciem concedunt, & præcipuè per muſculos, & per muſculoſas ejus particulas diſperguntur, ea de cauſa quòd frequentius agitatę, ampliori ſanguine pro alimento indigent. Tertius tandem connexus faciei eſt cum cerebro, longe omnium clariſſimus, ac efficaciſſimus. Nam & cerebri germina, & ſenſuum domicilia in ambitu hujus conſiſtunt, & parum abeſt quin partes hæ ob viciniam concurrant, ni interjectus cranii paries obſiſtat, adeò tamen pertuſus, ut undiquaq; exitus, & aditus, ultro citroq; concedatur. Quare fieri non poteſt, quin vel minimarum turbarum, ſi quæ animæ arcem concutiant, manifeſta in facie indicia appareant. Hinc irâ excandeſcit, metu palleſcit, verecundiâ erubeſcit: mærore contabeſcit: hæc triſtitiâ obſcurat, hæc ſpe extollitur, invidiâ contrahitur, hæc gaudio explicatur. Itaque cùm è multis adeo atq; diverſis partibus facies conſtructa ſit, quæq; cum præcipuis corporis viſceribus, manifeſtò ita, & multifariam connectatur, quid mirum, ſi tot & tantas ſuggerat prædictionis & reconditarum affectionum notas? Facillimè enim faciei partes, ob ſocietatem cum reliquis noxam incurrunt, quæ cùm in aliis largius, in aliis parcius ſeſe prodat, ob multitudinem tamen & diverſitatem ſubſtantiæ membrorum, hîc minimè omnium latere poteſt, ſed quâ promptiſſimè perſpici. Quod fieri contingit, cùm per qualitates primas frigoris, & caloris, ſecundaſq; aſpectabiles, tum per molem, per figuram, per ſitum, & per ſubſtantię modum, quę omnia faciei typum exprimunt, & in ægrorum examine conſiderantur. Harum occaſione quamplurima oracula, ex quibus varios morborum eventus licet prædicere, divinus ille ſenex prodidit. Talia ſunt: *in magnis malis, facies ſi bona fuerit, bonum ſignum eſt, in parvis autem contraria, malum.* Item: *albæ oculorum partes in principio morborum denigrari ſolent, ſi invaluerit morbus: hæ igitur ſi puræ fiant, perfectam ſanitatem indicant, leviter quidem tardius, vehementer autem citius.* Item: *Si quid albæ partis oculorum ſubapparuerit palpebris non commiſſis ſi id non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione fuerit, aut ægrotus non ita dormire conſueverit, malum ſignum & valde lethale eſt. ſi verò retorta, aut contracta fuerit palpebra, aut livida, aut pallida, aut labium, aut naſus, cum aliquo ex ſignis aliis, morti eſſe proximum ſciendum eſt. Lethale eſt etiam habere labia reſoluta & pendentia, & frigida, & albicantia.* Talia etiam ſunt: *ſi lacrymentur oculi involuntarie, aut diſtorqueantur, aut alter altero minor fiat, aut alias partes rubentes habeant, aut ſordes circa oculos appareant, aut mutabiles, aut imminentes, aut cavi vehementer facti, aut ſqualentes, & obſcuri fuerint, aut color totius faciei obſcuratus, hæc omnia mala & pernicioſa putandum eſt.* Rurſus verò ſic refert: *facies, quæ ex tumida humiliatur, & vox levior, & debilior evadens & ſpiritus rarior, & levior remiſſionem in ſequentem diem ſignificant.* Item: *ſi partes circa faciem gracileſcant, & venæ in manibus & oculorum angulis aut ſuperciliis quietem habeant, cùm prius non quieviſſent, huic ſi vox fuerit debilior & levior, ſpiritus rarior, & tenuior ſequenti die remiſſio morbi contingit.* Item: *Si febre tenente partes circa faciem graciles fuerint, in die impari, ſequenti die ſolvetur.* Et rurſus: *qui faciem decolorem habent, & ubi comederint paulò poſt eructat cruda, & acor in nares ſerpit, his corpora pura non ſunt, & plus eſt qui de carne colliquatur præ labore, quam quod depurgatur præ circuitu.* Item: *faciei totus color alteratus malum.* Item: *faciei bonus color & torvitas malum.* Item: *circa faciem color bonus, & ſudores non febrientibus; ſtercora vetuſta ſubeſſe ſignificat, aut victus rationem inordinatam Facies flores habens, cum alvo liquidiori, ſuppurationes pulmonum indicat.* Itaq ut aliquando noſmet ad penſum revocemus, atq; ſententiam noſtram aperiamus, cenſemus faciem in ægris ideò curioſiſſima inquiſitione dignam, quod unus ſit, & penes gens principum, & cæterarum partium cum ea conſenſus, & quod oculorum obtutu expoſita, quam plurima indicia, de robore, & languore præcipuorum membrorum in ſeſe contineat. Quæ, cùm plura numero, tum cognitu faciliora ſunt, quod non paucas particulas, eaſque diſſentaneas in ambitu ſuo facies recipit, quibus ſigillatim nota quædam & character impreſſus eſt, quem leviter equidem affecta facie, quamprimum immutari, & in contrarium ſtatum traduci contingit. His Cardanus cutem raram atque glabram, ſanguinis multitudinem, & nos ejus tenuitatem addidimus. Quibus notis non modò ſingulæ faciei partes, ſed etiam ipſa tota definitur, & conſtituitur, quæ conditionibus iis, ſi quæ aliæ ab aliis tradi poſſunt, annumerari debent. Hic autem faciei ſtatus, cùm ſuus unicuiq; ſimilis ſit; & congeneus, quare Hippocrates non ſolùm eam in ſanis, verùm etiam in ægris advertendum eſſe admonet, ut quod unicuiq; conſuetum & familiare ſit, quod inſuetum, atq; inimicum, primum omnium pernoſcamus. Nam licet facies à ſanis diverſa ſit, ſi tamen ſecum conveniat, & priſtinum ſtatum obtineat, intra ſanitatis limites hominem illum conſiſtere ſignificabit: (unuſquiſq; enim ab eo, quod ſibi proprium eſt & amicum minus læditur) ſi verò à ſe ipſa diſcrepet, vel leviter, vel nimium, tum aut gravem morbum ſubeſſe, aut levem, liquidò oſtendet. Hæc igitur ſunt, quæ ſecundùm philoſophos, & medicos, quantum in genere fieri potuit, in expendenda dignitate faciei, declaraſſe nobis viſum fuit.

Cap. 5. *De narium dignitate.*

Abſoluta ſunt ea omnia, quæ aliundè accerſita, ad declarationem curtarum partium videbantur aliquid facere. Nunc agite propiùs accedamus, & primò, quicquid de narium præſtantia, & utilitate conſideratione dignum fuerit, in medium adducamus. Illa verò nobis præmiſiſſe viſum fuit quod ex iis rationibus, quaſi perpetuis fontibus, & argumenta nobis eſſent derivanda, & quia longè dilucidior tractatio hæc atq; perfectior futura ſit Nares igitur, ut earum dignitatem conſideremus, quantùm pulchritudini ſplendoris affectant, id ſatis explicari non poteſt. Quamvis enim cuique faciei partium ſuus honor, ſua gratia adſit, quæ ſuavi rythmo diſpoſita, in anguſtiſſimæ formę ſpeciem conſpirent, peculiaris tamen naſi ratio eſt, ut concinnus ſi fuerit

ſi fuerit, ſummopere faciem commendet; diſtortus verò, aut pravus, aut ſimus, aut vulnere notatus, totam formæ honeſtatem evertat. Hinc oblongus naſus inter deformitatis convitia refertur, ut Horatius:

Depygis, naſuta, brevi latere & pede eſt.

Et rurſus.

AEmylium circa ludum faber imus, & ungues
Exprimet, & molles imitabitur are capillos,
Infœlix operis ſumma, quia ponere totum
Neſciet: hunc ego me, ſi quid componere curem,
Non magis eſſe velim, quàm pravo vivere naſo,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Sic Terentius ex naſo formæ decorem metitur, dum ait: *illamne rufam virginem, caſiam ſparſo ore, adunco naſo.* Teſtantur id exempla, & in primis optimè cognovit, quantum pulchritudini, ex naribus accederet, decederetque purpuratus ille, *qui abrepta ab Roberto filio Petri Antiſſidorienſis, nares ſponſa pracidit, ut qua cauſa allectus fuerat Robertus ad ſponſa raptum, eadem ſpoliatus graves aculeos doloris perſentiſceret.* Sic *ſancta Eba regii ſanguinis Angla Colymbavienſis monaſterii præſes, ut funeſtam irruentium Danorum libidinem, à corpore ſuo averteret, unà cum cæteris religioſa illius vita comitibus nares ſibi obtruncavit,* quo vulnere, non tam indecoro quàm honeſto caſtitatem Deo promiſſam, caſta fœmina redemit. Etenim narium apice abſciſſo, panduntur ſinus & partium internarum receſſus, vaſti patent hiatus, & cavernæ, inſtar antri Tryphonii, obſcuræ; horrendum certè & abominandum aſpicientibus ſpectaculum. Ineſt præterea naſo neſcio quid auguſtum, & regium; an quia forma corporis, & animæ decoris index ſit: an quia peculiaris quædam imperandi dexteritas, & prudentia in eo eniteat. *Sic in rege ſuo Perſa naſum aquilinum admirantur: ſic in veteri lege, qui vel parvo, vel grandi, vel torto naſo erant, ſacerdotio, & ſacrificiis arcebantur.* Tantum tribuitur honoris ipſis naribus, ut iis, qui careant, ad gubernacula penitus non admittantur. *Id Hircano Iudæorum regi obtigit, qui mulctatus à fratre naribus, & auribus imperio cedere coactus fuit.* Sic *Martina Conſtantini Heraclii Imperatoris noverca, dum Heracleoni filio regnum aſtrueret, interfecto venenis privigno unà cum filio à ſenatu expellitur, alteri quidem, ut ineptus eſſet ad gubernacula, reſecto naſo: alteri verò lingua amputata, quo juſtas in filium cædis pœnas lueret.* Sic *Imperatores duo Iuſtinianus, & Leontius eaſdem ob cauſas hoc ſupplicium ſubierunt.* Ille enim, pravi vir ingenii, & ab orthodoxa fide alieni, factus inviſior ſuis, tam ob crudelitatem, quàm quod Synodum ſextam revocare, & Sergium Papam repugnantem, è ſede Pontificia demoliri auſus eſſet, conſpirantibus Leontio patricio, & Gallinico Patriarcha, naribus ſpoliatur, atque in exilium pellitur, Leontius autem, cùm imperii habenas arripuiſſet per Abſimarum, quem præfectura exercitus ornarat, ſolio dejectus, & in vincula detruſus, ſuæ erga dominum perfidiæ pari ſupplicio, pœnas dedit. Naſus ergo tantæ eſt exiſtimationis, ut ex ejus decore, ornatuque, ſumma ſacerdotia, ampliſſima imperia, & regna latiſſima pendere videantur. His accedit, quod peculiarem præbeat cognitionis notam, mutuæque diſcretionis characterem ſibi impreſſum habeat. Quare apud inferos Æneas hæſitat, cùm deformem, & mutilam Deiphobi faciem ex improviſo intuetur. Sic enim ait Poeta:

Atque hic Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora manuſque ambas, populataque tempora, raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Atque tunc ſubiungit:

Vix adeo agnovit pavitantem, & dira tegentem
Supplicia, & notis compellat vocibus ultro.

Idem refert Caſſandra apud Senecam.

Te ſequor nimium cito
Congreſſe Achilli Troile; incertos geris
Deiphobe vultus, conjugis munus novæ.

Dubia certè redditur facies, & omnino incerta, atque à priori ſtatu diſſimilis, ſi quæ vis, aut injuria naſum è medio abſtulerit. Quare & ſuprà omnes noxas hoc unum maximè tetrum eſt & abominandum, ſi aliqua partium harum acceſſerit defædatio. Atque vix majori ignominia afficere aliquem homines exiſtimant, quàm ſi particulam hanc decoris, & honeſtatis imaginem conſpurcent. Quare Plautus inquit: *Namque adepol ſi adſies propius, os denaſabit tibi mordicus.* Et in ſacris literis *aurium, & narium, amputationem interminatur Deus Hieroſolymæ, & Samariæ, ſub typo Oholla, & Oholiva,* quod neglecto pio cultu, & repudiata avita religione, ad gentilium Deorum ſpurcitiem deflexerint. Vult autem myſteriis hiſce Deus innuere quod interfecto rege, & datis internecioni ſacerdotibus urbes illas, miſerè ſit everſurus, ſummo dedecore affecturus, & gentium omnium ludibrio expoſiturus. Naribus igitur abſciſſis nil quicquam eſt indecentius, nil inhoneſtius. Narium etiam præſtantiam commendat, quod Pythagorei nonnulli, in parti huius efformatione, monadem, atque dyadem, à natura expreſſam contendant, cùm binas narium cavitates, unius dorſi vinculo colligatas videant, atque hinc ad encomia horum numerorum materiam arripiant. Sed hæc umbræ potius, & ſimulacra rerum ſunt. Non minor eſt æſtimatio, quæ ex principiis phyſiognomicis, atque ex myſtica Ægyptiorum diſciplina ipſis naribus accedit. *Hi naſi Hieroglyphico ſagaces homines notabantur, & Feſtus ſagaces, naſutos appellat.* Qua ratione, & obeſæ naris, & emunctæ quoſdam dicimus dum altero ſtupiditatem, ingenii perſpicaciam, altero ſignificamus. Sic naſus aduncus homines irriſores, & qui alios præ ſe contemnunt, indicat. Vt Horatius habet:

Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarit,
Vt plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.

Et deſumpto ſimili ab rhinocerote animali naſuto.

Et pueri, ait, naſum rhinocerotis habent.

Phyſiognomonica verò hæc ſunt. Naſi ſummum gracile ſi fuerit, facilem iracundiam; ſi craſſum, & depreſſum, conſceleratos mores; ſi plenum, ſolidum, & obtuſum, qualis Leonibus, & moloſſis, fortem, & jactabundum indicat. Sic naſus oblongus, gracilis, roſtratus, ejus generis mores dabit. Naſus adclinans, vitæ morumque honeſtatis ſignum eſt. Naſus rectus linguæ intemperantiam, acutus iracundiam, obtuſus molliciem, aduncus, qui & aquilinus, regalem animum & magnificentiam, ſimus immodeſtiam & ſcortationem, qualis fuit in Socrate, minor fraudem; rapacitatem, adapertus, animi vim, & corporis robur, anguſtior & rotundior, obſtructuſque, ſtoliditatem, ſocordiam, veſaniam, obliquus, & intortus, mentis & animorum obliquitatem portendit.

Cap. 6. *De narium dignitate ſecundùm philoſophos & medicos.*

Diximus jam quæ ſit narium præſtantia, deprompta argumentis tam ex ſacris, quàm ex profanis rhetorum, poëtarum, & aliarum diſciplinarum fontibus, ſed agite videamus & ea, quæ ex philoſophiæ & medicinæ campis deprompta; atque potius noſtri muneris ſunt, noſtrum de naribus negocium explanare poſſunt. *Nares* igitur unus omnium Averrhoes-

Olfactus, organa eſſe voluit, & decrevit, dignitatem certè ampliſſimam, quam ſententiam inter juniores clariſſimus Valeſius ſopitam reſuſcitavit. Hæc tamen cùm omnium conſenſu ſit exploſa opinio, & penitus repudiata, in re futili confutanda citra faſtidium, non immorabimur, ſed quid priſcorum hac in parte ſtabiliet auctoritas, & quid ratio perſuadebit, de membri hujus natura, & præſtantia indicabimus. Plures itaque narium ſunt utilitates applauſu medicorum confirmatæ. *Ea enim eſt naturæ ſolertia atque amplitudo, ut in inſtrumentis condendis confuſam multitudinem fugiat, cùm plures actiones ab uno membro ritè adminiſtrari queant.* Quare præ cæteris longè nobilior narium uſus eſt, ut in aëris attractione, efflationeq́; ſpiritum hinc inde tam ad cerebrum, quàm ad pulmones deferunt. *Nam reſpirationi ſubſervientium naſus ex ordine primus eſt.* Et ridiculum plane eſt, *quod Archi'aus, vel Alcmæon, teſte Ariſtotele, caprarum genus, non per nares, ſed per aures reſpirare dixerit.* Fit autem reſpiratio hæc, quâ ad palatum nares pertuſę ſint, ſapienti naturæ decreto, ne rectà, ad arteriam aſperam impurus aër deferatur, ſed tranſiens per ambages ſinuoſas, & anguſtos tubulos, defecatus in pulmones illabatur. Haud enim difficulter ex circunfluo nobis aëre, vel intemperato, vel impuro, vel aliena qualitate infecto, cor, atq; pulmonem lædi contingit. Sic illapſa per incuriam, & fortuitò rerum exiguarum corpuſcula, qualia ſunt cineris, atq; pulveris, ſpiritui tranſitum præpedirent, & intercluderent, quæ in ipſo meatuum flexu, in partium humore, & excrementorum uligine ſubſiſtunt, vel prætergreſſis his obſtaculis ad gargareonem adhærent. *Quod iis, qui in multo pulvere luctantur, atq; magnum iter æſtate ſquallida emenſi fuerint, uſu venire ſolet. Hi enim emungunt paulò poſt, atq; per ſtreatum pulverem reddunt.* At niſi narium pori rectà prius caput peterent, & inde ad palatum reflexi obliquè reverterentur, atq; niſi columellam ad faucium ingreſſum pro tutela poſitam haberent, nil obſtaret, quin hæc omnia in reſpirando incommoda contingerent. Hoc unuſquiſq; , ſi ore reſpiraverit, facillimè experietur. *Quamobrem luctantes in arena athletæ ſeſe ſuccubuiſſe ſæpius retulerunt*, ut Galenus ait, *quod attractis per validam inſpirationem, ex circumvolitante pulvere, minutiſſimis atomis, de ſuffocatione periclitati fuerint.* Tunc enim animalia per os tantùm ſpirant, ſiquidem rectè ſe habuerint, aut cum vel phlegmone, vel ſcyrrho, vel polypo nares obturatæ ſunt, aut ſi febris, aſthma, pleuritis, & cætera vitalium partium vitia oborta fuerint. Magnus etiam Ariſtoteles reſpirationis gratiâ, à ſolerti natura, nares conſtructas eſſe hoc modo habet: *Naſus pars faciei quæ meatum præbet ſpiritui. Aërem enim ea parte reddimus, & accipimus. Sternutamentum quoq; eadem parte agitur, quod flatus univerſi eruptio eſt. Signum augurale, & unum ex ſpirituum generibus ſanctum & ſacrum.* Et turſus: *tum etiam ſpiritum trahi in pectus, & inde reddi neceſſe eſt, quod fieri non poteſt, niſi naribus ſpiremus, cùm reciprocatio ſpiritus de pectore per gurgulionem, non de capitis parte aliqua actitetur.* Neque contrarium opinatur Ariſtoteles, *dum oris naturam ad certa quadam officia, & in animalibus quæ ſpirant, & ab extra refrigerantur, reſpirationis gratia adjunctam eſſe ſcribit.* Hoc enim oris præcipuum officium non eſt, ut reſpirationi ſerviat, ſed quaſi acceſſorium quid à prudenti natura conceſſum, quod ſolummodo præſtatur, cùm ordo naturæ interruptus fuerit, & ob exercitationem calore in viſceribus effervefacto, ſubitaneę, & confertæ inſpirationis pro refrigerando corde, neceſſitas ingruat. Itaq; enarratis puris partibus, hoc poſtremum tanquàm auctarium, & quo extremis rebus, natura abutitur, ipſi ori datur negocium. Sed evidentiſſima teſtimonia ſunt, quòd adaperto ore quę ſit reſpiratio, præter naturæ inſtitutum fiat, quæ ſcilicet naribus detruncatis, atque per os inſpirantibus ſymptomata ſuperveniunt. Siccitas enim oris, ſapor pravus, fœtorque ingratus, nec non aër juſto frigidior, & pulmoni cerebroque infeſtior, haudquaquam ore reſpirandum eſſe docent. Itaque reſpirandi munus ipſis naribus, dummodo naturæ ordo poſtulet, & non aliis, primò adſcribendum eſt, referendumq; id ad earum dignitatem, & præſtantiam non infimam, quam multo ampliorem reddit, quod eorum opera odores etiam percipiamus. Etenim dum aërem attrahimus, per narium canales, in caput odores evolant. *Nares ergo odores, ad principia ſua deferunt, non tamen percipiunt*, ſi Galeno credimus dum eorum opinionem expugnat, qui interiori narium tunicę hanc olfaciendi provinciam delegabant. Nam ſive partium conſtitutionem, ſive ea, quæ in odorando ſolent contingere, reſpiciamus, abducimur omnino, ne principes odoratus, ſed miniſtros in odorum delatione, nares ipſas ſtatuamus. Quandoquidem oſſa narium odorandi munere fungi nequeunt, cùm ſenſu communiori & ignobiliori, nempè tactu careant, tantoq; minus ſingularem cum atq; præſtantiorem obtineant. Neq; referendum eſt id officii ad tunicam narium, cùm illius eſſentia ad odorum naturam non accedat, & tantum nervi habeat, ut non modò qualitates tactiles, non benè percipiat, ne dicam alias, quarum ratio excellentior eſt, & remotior. Etenim natura obſervavit, ut ſenſûs organum, ei quod ſenſum movere debet, ſit ſubſtantia, quàm ſimillimum. Sic oculus ſplendidus & lucidus eſt, quia lucida ſplendidaque agnoſcit: & lingua humida atq; ſpongioſa, quoniam ſapores, quorum ratio eſt in humido benè digeſto, percipit. At narium tunica ſiccá eſt & dura, minimeq; conſentiens odoribus, qui halitus quidam ſint aërei, & aëreum & halituoſum organum expoſcunt. Nervum verò tunica ſortita eſt perexiguum, & talem, qui injurias, ſi quę offendunt, ſaltem percipiet, non amplum, neq; ejus conditionis, cui ſenſum adeò nobilem & peculiarem dicari conveniebat. Etenim natura & viſum & auditum, & guſtum, nervis ampliſſimis & ab aliorum natura diverſis inſignivit, quorum illi quidem olfactum præcedunt, hic verò dignitate ſubſequitur. Quapropter meritò erroris damnari poſſet, quæ ſuę oblita prudentiæ, digniores partes non pro dignitate conſtruxerit, & vilioris rei quàm præſtantioris majorem rationem habuerit. Quare partium conſtructio haudquaquam nos cogit ut naribus odorandi officium adſcribamus. Si præterea rem à propriis actionis affectibus indagemus, nullum odoris ſenſum, niſi ſpiritu naribus attracto, cieri videbimus, quamquam ipſæ nares quandoq;, vapore etiam vehementius redolente, repletæ ſint. Si quis enim in cubiculo admodum anguſto, bitumen, caſiamve, aut myrrham, thuſve, aut ſtyracem in ſuffitum colliquaverit, ut undiq; circunfuſum aërem odore vehementi repleverit, mox eundem ſic naribus exceperit, ut attrahere per longa intervalla conetur, hic rei veritatem intellexerit, ſiquidem tantummodo, dum ſpiritum adducet, odòrem ſentiet; interjecto tempore cùm ſpiritum continebit, odorem nullum percipiet, licèt copioſe ſatis olentem vaporem nares hauſerint. Hoc idem evenit, ſi aliquid vehementis odoramenti in ipſas inſtilles: quoniam ita quoq; ſolo attracti ſpiritus tempore odorem ſenties. Quod igitur nares odorem ſaltem deferant, non ipſæ percipiant ex his manifeſtum eſt. Cui ſententiæ nec ipſe Ariſtoteles refragatur, *dum olfaciendi ſenſum, in his, quæ nares obtinent, per ſpirationem effici, & odores per nares ſumminiſtrari contendit.* Annumeratur autem, jam primùm à nobis relatis, & alia narium utilitas illu-

ſane & præclara, quod earum ſubſidio vox hominis clarior, atque ſermo explanatior fit. Naribus enim aut humoris copiâ obturatis, aut tumorum crepidine anguſtatis, aut fatali injuria compreſſis, apertè minus, & perſpicue, ſed colliſo quaſi ad concavum locum aëre, obſcurè quoſdam loqui comperimus. Hoc Perſius innuit:

Sonat hic de nare canina. Et:

Hic aliquis cui circum humeros hyacynthina læna eſt,
Rancidulum quiddam balba de nare loquutus.

Sed ut rationem hujuſce rei intelligamus, ſciendum eſt vocem fieri ex alliſione ad laryngem fuliginoſæ expirationis, per aſperam arteriam, & muſculis laryngis, ut neceſſitas poſtulat, vel dilatatis, vel contractis. His auxilio gargareon & oris cœlum accedunt, quorum ille vocis plectrum eſt, hoc verò aërem, ut rectà per os efferatur, refringit. Harum verò partium omnium, & debita temperies, & recta conformatio, juſtaque compoſitio, neceſſariò requiritur, ſiquidem integra, & perfecta, vocis actio obiri debet. Sic trachea arteria, ſi vel dura nimis, vel ſicca fuerit, vox aſpera fit, & clangoſa; ſi mollis & humida, levis atque exigua. Ut verò loquutio fiat, jàm vocem in gutture efformatam tanquàm materiam, lingua excipit, exceptam colligit, collectam ad dentes impellit, impulſam in ſyllabas, & dictiones effingit, ex quibus conſtat oratio. Non tamen mediocre momentum afferunt ipſa labia, vel compreſſa, vel dilatata, vel colliſa. Nares autem, de quibus jam nobis ſermo eſt, non minimum ſubſidii conferunt, ut actiones illæ, quarum paulò ſupra mentionem fecimus, rectè adminiſtrentur. Prima enim ſunt inſpirationis, & expirationis poſtrema organa, ſine quibus vox nequit conſiſtere, quam in gutture confictam, velut è carceribus in externum aërem emittunt, illudque, ut patet, præſtare poſſunt, ut vocem ſi minus auferant totam, imperfectam tamen & inexplanatam maxime reddant: patet hoc in iis, quibus meatus hi obturati, vel ex catarrho inæqualiores facti, vel nares ipſæ penitus ablatæ fuerint. Quare ut clara vox atque expedita fiat, moderata quantitate, figura, temperie, mollitie, duritie, aſperitate, levore, & aliis, quibus partium ſanitas terminatur, nares præditæ ſint oportet. Quod & ſentiendum eſt de loquutionis organis, ſi ſermonem planum, & perſpicuum, non impeditum & imperfectum edere velimus. Hoc tamen addendum eſt, quod ſine vocis inſtrumentis, actio hæc ſalva & conſtans eſſe nequeat. Nam orationi vox locus, & ſedes eſt, atque ex voce, velut ex auro ſtatua, loquela conficitur. Itaque ſi quis error in ea efformanda contigerit, ob organorum præcipue noxam, eundem ſermoni etiam non impertiri certe impoſſibile eſt. Secus autem fit, ſi loquela, vel depravata, vel ablata fuerit, quoniam ablatis poſtremis, prima non auferri poſſibile eſt: at deperditis primis poſteriora perire neceſſe eſt. Cùm igitur nares ipſi voci famulentur, ut jam vidimus, illarumque moderantia, ſi alia non impediant, vocis concinnitatem adjuvet, intemperantia verò deſtruat; quare loquutionem claram fieri, & concinnam, ſi ſeſe rectè habuerint; obſcurius verò & inconcinnius, ſi narium æqualitas vel impedita, vel ſublata fuerit ex jam dictis perſpicuum eſt. Sed cur tandem eſt, quod naribus non valentibus, vox & ſermo corrumpantur? Quoniam in omni actione debita menſura & debitus agendi modus requiritur. Dum enim vel ſermonem, vel vocem edimus, efferri alteram aëris partem per nares, alteram verò per oris cavitatem impelli contingit, quorum illi ſi non pateat tranſitus, vel adeo exiguus, ut tantum ſpiritus, quantum ratio naturæ dictitat, non poſſit egredi, quare ad obicem alliſus, & obſtaculi vi retroactus, in oris antrum aër ille illabitur, & unà cum voce confunditur, quam confractam & in ſeſe convulſam ex hiſce impedimentis atque tamquam ad loca concava impulſam reddi neceſſe eſt. Impedit enim hæc reciprocatio, quo minus rectà, & æquali motu ipſa vox oris partes præterlabi poſſit. Idem videmus uſu venire in tibiis, in quibus, ore inferno, vel obturato, vel coarctato omnem concentus ſuavitatem, & elegantiam perire experimur. Quare ad vocis venuſtatem, & ſermonis perſpicuitatem conducere nares nemo certe inficiabitur, quam utilitatem ex ſymmetrià meatuum conſtructione accedere illis credendum eſt, quod & Cicero cognovit, dum modum & rationem, qua in nobis ſermo fit, fuſius explicavit. *Etenim* ut ipſius verbis utar, *incredibile eſt quanta opera naturâ machinata ſit. Primum enim uſque ad os internum à pulmonibus arteria pertinet, per quam vox primum à mente ducitur & funditur. Deinde in ore lingua ſita eſt, & finita dentibus, quæ vocem immoderate profuſam fingit, & terminat. Hæc ſonos vocis diſtinctos, & preſſos efficit, cùm & ad dentes & ad alias oris partes pellit. Itaque linguam plectri, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos reſonant in cantibus perſimiles dici ſolent.* Nares igitur edendæ voci, & ſermoni exprimendo non leve emolumentum præſtant, cui inter cætera acceſſoria commoda, quoddam accedit, ni fallor, præcipuum, cùm è ſæviſſima morborum labe, atque ex orci faucibus illius ope nonnunquam eripiamur. Si enim vel ob languorem virtutis concoquentis, vel ob irrumpentium aliunde vaporum colluviem, pituita adeo ſuccreſcat, ut commode per palati ſeceſſus ejici, atque abſumi nequeat, ideo natura hoc ex abundanti machinata eſt, ut in expurgando cerebro, choanæ cæteriſque expurgationi deſtinatis membris, opem amicam nares afferant. Quod profectò ſi non conſtitutum eſſet, dum aut ad nervos humor decumberet, aut in cerebri penetralia regurgitaret, nos certe paralyſis, epilepſia, carus, apoplexia, lethargus, & alia ſymptomata pernicioſiſſima conficerent. Qua in re natura benigna ſingulari in animantibus procreandis providentia uſa fuit. *Hæc enim natura ex maximis, & præcipuis curis ea eſt, ut nutrimenti reſidua ex omnibus corporis partibus purget: idque potiſſimum, ſi quomodo cerebrum, principes fuerint.* Nam ſucci, qui partibus affluit, pars quædam utilis adeo eſt, & benigna, ut corpori, quod nutriri debet, aſſimiletur, qui re vera alimentum eſt; quædam verò ad membrum quidem pervenit, ſed illo quod benignius eſt, appoſito, quamprimum ſegregatur, quam ut deponat, meatus natura opportunos requirit. Hi autem ſi non obtigerint, humor ille coacervatus, inſtar oneris primùm quidem gravat, mox vias occupat, tandemque prohibet quo minus ſucci affluant, & membrum, ut priùs factum, nutriant. His tamen utpote levioribus majora multò incommoda accedunt, diriſſima morborum inſtrumenta, in quæ incidere tandem corpora impura neceſſe eſt. Ut enim animalia famelica lutum, glaream, aliudve hujuſce generis arripiunt, ſi quidem melioris non ſuppetat copia; ſic partes accommodato alimento deſtitutæ, ob ingenitos appetentiæ ſtimulos, vel ex ipſis pravis ſuccis aliquid attrahere coguntur. Corrumpuntur præterea, & computreſcunt excrementa illa in cerebro collecta; atque hoc pacto acriora, & calidiora, herpetas, inflammationes, eryſipelata, febres, carbunculos, innumeramque morborum turbam exuſcitant. Ne quid igitur ejuſmodi accideret, & maximè in primis partibus, inſigni curâ, & exquiſitâ diligentiâ natura provida uſa fuit, atque in id ſedulo

incubuit, ut ſuperflua excernerentur. Quæ cùm genere ſint duplicia, alia quidem vaporoſa, ac fumoſa, alia velut aquoſa, & limoſa, atque illa quidem ſuo impetu in ſublime ferantur, hæc verò deorſum ſuopte nutu, ac pondere delabantur: quare duplices etiam excretioni meatus ſecuit, & eos, qui levia vacuaturi erant excrementa, in altum duxit, qui verò gravia & deorſum repentia, & declives, & amplos admodum fecit. Hi enim multorum certe & craſſorum rivi & canales futuri erant, cum è contra foramina quædam eaque anguſta, ex ratione tamen ejus quod excerni debet, efformata, id quod tenue eſt educant. Cæterum meatus ejus illi cerebri procliviores, cum per palatum in os, tum per narium corpus efferuntur, & inſignibus atque conſpicuis orificiis, craſſa, ac ſenſibilia excrementa eructant. Quare inter alia hoc nares præſtant, ut non ſecus, atque ipſe palatus redundantem pituitam evomant, & educant. Quod etiam alibi Galenus teſtatur, *dum ventriculorum cerebri anteriorum, & magnitudinem, & poſitum, & figuram, diligentiſſimus auctor perpendit. Hi enim primò animalem ſpiritum conficiunt, & inſpirationem expirationemque è cerebro moliuntur. Infernis autem partibus, quæ ad nares ſpectant, olfaciunt, & ſimul ductus quoſdam, & tubos ad ſuperfluorum effluxum accommodatos efficiunt.*

Cap. 7. *In quo pro Galeno pugnatur, de expurgatione cerebri per nares & palatum: & reliquæ narium dignitates recenſentur.*

Sed ab re non erit alienum, ſi per quos meatus, atque vias, excrementa pituitoſa cerebri eluantur breviter oſtendamus, cum quòd noſtro de naribus curtis negotio, id fore utile cenſeamus, tum etiam quoniam inter Galenum & Veſalium de poſitu horum ductuum, non levis controverſia intercedat. Ego tamen tenuitatis meæ, & literarum anguſtiæ mihi conſcius, arbitrii partes ſubire nolim inter viros hoſce omnium famâ clariſſimos, & præſtantiſſimos, ſed unuſquiſque ſibi perſuadeat, me veritatis indagandæ gratia, non contradicendi furore, ut à multis hac tempeſtate factitatur, compulſum hanc operam ſuſcipere. Nam & præter hæc ſingulis liberum de his judicium eſto. Sed jam rem aggrediamur, & primò Galeni ſententiam proponamus. *Cerebrum igitur*, ut Galenus habet, *repurgatur à pituitoſo excremento canalibus quibuſdam ad opus ejuſmodi à natura deſtinatis, quorum alii in palatum deſinunt, alii verò in nares ſecedunt.* Dum enim è cerebri ventriculis pituita propellitur, ea recto ductu per tubulos duos in infundibulum demandatur, quam rurſus glandula quædam, quæ internæ cavitati oſſis ſphenoidis, quam ſellam vocant, inſidet, ſtillantem excipit, & ſenſim per eam delapſam & tranſcolatam ad meatus, in oſſe jam dicto inſculptos tranſmittit, per quos pituita transfuſa in palatum tandem decumbit. Cum verò id genus colluviei, adeo exúndaverit, ut palati foramina huic excretionis muneri nequaquam ſufficiant, quare natura ſingulari ingenio molita eſt, ut ecphyſes quædam, & proceſſus cerebri, quos mammillares carunculas appellant, ſubſidium afferant, & peccantem materiam, è cerebro ſimul educant. Hæ in os capitis octavum deſinunt, quod rarum eſt & laxum, atque ob foraminum copiam, *ſpongiæ, aut rectius cribro perſimile*, per quod fex illa pituitæ ſenſim ſtillando pellitur, & tandem propulſa ad nares emungitur. Atque hæc eſt ſententia Galeni quam unicuique ex locis ſupra notatis colligere, & nobiſcum conferre licet. Veruntamen repudiata aliqua ex parte doctrina hac, divertum ſentit Veſalius, quod quam recte, quam juſte id fiat, poſt hæc videbimus. Primùm autem opinionem ejus, & dogma in medium afferamus, quod verbotenus ab auctore excerptum huc aſcribemus, ut unuſquiſque per ſeſe mentem illius intro picere, & perſcrutari poſſit. Veſalius igitur, poſtquam de infundibulo & glandula, quæ cerebro expurgando præpoſita ſunt, ſermonem habuiſſet, hunc in modum de cæteris ductibus, quibus eadem cura legata eſt, ſcriptum reliquit. *Glandula autem quadam ſubſtantiæ familiaritate defluxus impetum ſuſtinens, & quantum conjicere poſſum, os forſan ab injuria vindicans, pituitam hanc admittit, ſenſimque citra ſtillicidium à lateribus ſuis eam undiquaque defluere ſinit, per omnia foramina, hic in calvariæ baſi, tum venis, tum arteriis, tum nervis ipſis exculpta. Non enim hîc cum Galeno in nono de uſu partium libro, in quo de cerebri excrementorum purgatione potiſſimum & ſerio agit, fateri queo, capitis baſin cave noſam, & pumicis in modum extructam, nullaque continua ſquamma obductam eſſe, hacque ratione à frontis, verticis, occipitii, & temporum compoſitione multum differre, ut per illam veluti per ſpongiam pituita longiori mora, & neſcio quo tandem raro, at peculiari naturæ artificio, tranſcolaretur, neque per patentia, alioquin hîc neceſſaria foramina, non amplius eo ſervanda, recta difflueret, ut in primo libro, cum oſſis unius referentis fabricam perſequerer, diffuſe propter quoſdam ſcripſi, qui me cavernoſam illam, & multis foraminibus ſpongiæ in modum obſitam oſſis ſtruem etiam nolle contueri fingunt, & propter alios quoſdam, qui voce cribri, aut coli cunei in vocem unico in loco tranſpoſita, aut immutata, Galenum non ſecus atque ego ſentio, de pituitæ per oſſa ductu, totaque adeo oſſium compoſitione judicaſſe colligunt. Decumbit itaque pituita, & in palatum per ea, quæ palatum ſpectant foramina, & non minima profecto portione, per foramen ſecundi paris nervorum ad oculorum ſedis radicem, hincque per amplum foramen, cum aliis quamplurimis foraminibus, cæteris ignotum anatomicis in narium amplitudinem fertur. Verùm non ambigo aliquem & hîc admiraturum, quamobrem nullos hactenus meatus pituitam ad olfactus organorum ſinus deducentes cum Galeno in octavo potiſſimum, & nono de uſu partium enarraverim: quod ſanè non ob aliud accidit, quàm quod nullam prorſus pituitam, per hos ſinus, octavumve os capitis expurgari autumem, mirorque Galenum, per tenues illos, ac nervis non abſimiles cerebri proceſſus, quos olfactus organo tribuimus, ab anterioribus cerebri ventriculis pituitam qualitercunque tandem excidentem ad nares deduci ſcripſiſſe, cum nullus in ipſis omnino meatus ſit, neque etiam in hominibus ea conſtent craſſitie, ut vel meatum, quo pituita deduceretur, continere poſſint. Adde nullum prorſus pituitæ ductum ad olfactus organorum ſinus imaginari poſſe, niſi fortaſſis anteriorem corporis calloſi regionem, quæ pituitam ſibi influentem in illam ſinuum olfactus organorum amplitudinem demittere queat, uti fortaſſis accidit, ſi quando cerebrum nimia omnino pituita vexatur; unde & prorſus non naturalis per nares pituitæ fluxus tunc perficitur, & pruritus, calor, dolor, & odorandi virtutis noxa, ejuſque generis ſymptomata ſuboriuntur quamplurima, quemadmodum indies deſtillationibus, quæ ad narium ſumma pertinent, ac gravedines nuncupamus, accidere experimur, adeo ſane ut ſi ad amuſſim ſingula perpenderimus, neceſſario per olfactus organorum ſinus, foraminulave, aut cribri aut ſpongiæ modo forata, cum lege naturæ homo diſpenſatur, nil pituitæ defluere fatendum erit: & ſi quid fortè caſu defluat, longe magis præter naturam fluxum ipſum eſſe donabimus, quam cum foramina, quæ ad glandis cerebri pituitam excipientis ſculpuntur latera, totam pituitam non plane deducunt, hæcque deorſum verſus foramen dorſali medullæ tranſmittendæ paratum decumbit, ac cùm dorſali perlabens in dorſū & deinſecundum nervorū ductū modò in brachia, modò in crura*

modò in lumbòrum muſculos, modò alio quovis permanat, ut nunc taceam, quam graviter natura veniat incuſanda, quæ tam patentes, amploſque expurgandæ pituitæ in cerebro, & ejuſdem membranis, dum ſcilicet adhuc tenuis aqueaq; eſt, ductus feciſſet, adeo aut retortos anguſtoſque, & inflexos, in octavo capitis eſſe, aut etiam in cuneiformi oſſe perduxiſſet. Sed quoniam Veſalius in primo libro hac de re propter quoſdam ſe diffuſe ſcripſiſſe tenet, ideoque & ejus verba inde translata, haudquaquam ſupprimenda eſſe duximus. Sunt autem hæc: *de totius calvariæ foraminibus ſinubuſque duodecimo agam capite, hic autem oſſis cuneiformis hiſtoriæ (gratia levis hæc quorundam) neceſſario incidit mentio, ut conſtaret, id os mihi in ſua ad cerebum ſuperficie non videri cavernulis obſitum, aut citra ſquamæ levisque oſſis obductionem, pumicis, aut ſpongiæ talem referre ſpeciem, qualem proponit effracta appendix, aut verticis os inter ſuas ſquamas; cum interim nonnulli auctorum potius placitis quam veritati addicti, me ejuſmodi foraminula non velle conſpicere nugentur, exiſtimantes pituitam debere per cavernulas, & foraminula ſpongiæ fabricæ reſpondentia, ut Galenus docuit, tranſcolari, cumque inſuper aliqui, dum meam de repurganda pituita ſententiam expendunt, Galenum ita non ſenſiſſe arbitrantur, qui libro de uſu partium non, vocem ἠθμῷ quod eſt cribi vel coli, pro σφηνὶ quod eſt cuneo, à librariis, aut ſcriptoribus illic poſitam ſibi perſuadeant, ubi Galenus pituitæ ad palatum egreſſum docens, inquit glandem, cui cerebri pituita inſtillatur, ab oſſe cribrum referente excipi, perinde ac ſi Galenus per tortuoſa, & non recto ductu pervia foramina, cavernulaſq; pituitam in cuneiformi oſſe tranſcolari, ne per ſomnium quidem (ut ipſi aiunt) cogitaſſet, ſi Galenus legeretur ab oſſe cuneum referente glandem eam excipi. Verùm hîc in cuneiformis oſſis deſcriptione, uti neq; unquam aliàs unius, aut alterius dictionis, quæ forte depravata eſſet, occaſione, à Galeno non diſſentio. Utcunque enim nuper dicta vòx immutetur, non tamen totius libri ſeries, ita ut Galeni ſententiam non aliquo adhuc modo aſſequamur, poterit vitiari. Galenus namq; cum in octavo de uſu partium, olfactus organa, proceſſus nervi ſimiles, ab anteriorib. ſedibus priorum cerebri ventriculorum enaſci, & meatuum duorum inſtar, pituitam, cùm paulo amplius juſto excedit, ad foraminula odoribus tranſmittendis exculpta diffundere, (at non verè interim) docuiſſet, ac illam per ea tranſcolari dicens, ſedulo tranſcolandi moram à tranſitus tempore diſtinxiſſet, quo per cribrum rectà pertuſum aliquid transfunditur: in nono inquam de uſu partium libro, ſermonem univerſum de excrementorum cerebri purgatione abſoluturus, primam cauſam perquirit, cur verticis, frontis, occipitii, & temporum oſſa ad fuliginoſorum, adeoq; tenuium excrementorum purgationem debuiſſent eſſe cavernoſa, & foraminulenta, dein cum ejuſmodi, ut pote aſperam conſtructionem inibi fieri non potuiſſe deducit, ſuturas ad eam auxiliari expurgationem reperit, & ſenſim rationes texit, quamobrem in capitis baſi ad pituitæ expurgationem oſſa oportuerit eſſe cavernoſa, & foraminib. plena, non vero continuâ ſquamâ interius & exterius incruſtata, atq; ita cum ejus compoſitionis neceſſitatem, ut ipſe quidem exiſtimat admodum callide invenit, mox ut pituitam ad illam uſq; compoſitionem deducat, ſubjungit ſe in octavo libro meatus duos (ipſa nimirum olfactus organa) quibus ad nares pituita deducitur, tractaſſe, hicq; alios duos inſuper enarrandos qui in cerebri ſubſtantiam exculpti & ſuis finibus mutuo coeuntes, pituitam in cyathum, & infundibulum, à tenui membrana cerebri pronatum deferunt, per quod illa deinceps in glandem quandam defluit. Galenus itaq; hæc commemorans, pituitam uſq; ad oſſeam illam deducit fabricam, quam pituitæ occaſione cavernoſam & foraminulentam eſſe debere ſuis argumentis collegit. Deinde rurſus de tranſcolandi modo ita agit, ut ſermonem octavi libri cum nono communem faciat, neq; aliam deſcenſus pituitæ ad palatum, quam per foraminula odorum nomine velata, rationem deſcribat. Cum igitur cavernularum, quam toto hoc contextu Galenus proponit, ſubſtantia pumicis, & ſpongiæ imagini reſpondeat, cum tam ſtudioſe colandi per ſpongioſum corpus modum quem in Venetorum vocatis ciſternis fieri videmus, ab eo, qui per cribrum ſit diſcernit, veteresq; quaſi illius uſum ignoraſſent arguit, cuiq; conſtare debebat, quæ Galeni ſit ſententia, & qui permagna & recta, ſeu utrinq; pervia foramina, quæ nobis in cuneiformi oſſe occurrunt, pituitam citra ridiculam, & prorſus inartificioſam moram deduci non exiſtimaverit, quovis tandem pacto illa dictio, cujus prius memini, legeretur. Quod autem Galenus in libro de uſu partium undecimo ubi os cuneiforme, quod aliàs in illis libris palati os, etſi palatum vix contingat, undiq; vocavit, quodq; ex ipſius ſententia vulgus medicorum os colatorii nuncupat, cuneo aſſimilans durum, ac denſum eſſe tradidit, & nihilominus foraminulorum ſuorum pituitam expurgantium inibi non eſt obitus, ejuſmodi cenſetur, ac per multa quæ in Galeno occurrunt. Quod enim taceam, quam pulchre ſibi conſentiat oſſis cuneiformis vacua inaniſq; ſedes, & antra, totiusque adeo oſſis hic fabrica, atteſtantur quàm ſua veritati ſint conſona, qui propter robur ſibi confictum, & in cerebri ſubſtantia, & infundibulo, tenuiq; membrana, & glande pituitam excipiente & aliis partibus innumeris, potius quam in oſſe ſtatuendum, hîc quædam rara, & peculiaria imaginatur, non expendens occipitis os, quà cuneiformi coaleſcit, nullibi quàm illic rarius, & minus denſum durumq; evadere, & appendicum quodammodo ſubſtantia tacito exiruit, quod inibi craſſum, non tamen ideo quoq; durum, & denſum eſſe debuit.* Hæc igitur Veſalii eſt opinio, quibus ductibus, & meatibus, & quà ratione pituita a cerebro excernatur. Videtur autem in quamplurimis à Galeno diſcedere, nec nova quædam effingere. Nam pituitam per nares expurgari omnino negat ſed ſi quid per palatum non excidat, illud ad oculorum radicem, quo loci foramen eſt ſecundi nervorum paris, detrudi, & per aliud foramen, inſigne illud quidem, & minime cognitum anatomicis in nares deferri confirmat. Negat præterea Galenum aliter expurgandi rationes docuiſſe, quam quæ fit per proceſſus cerebri & oſſa cribroſa, tranſſumptâ materiâ, à quibus pituitam tandem in palatum abire exiſtimaverit, non ſecus etiam illud ſugillat, quod os cuneiforme, denſum & durum, ſimulque cavernoſum eſſe dixerit, quod experientiæ non conſonet, & rationi repugnet. Nam quod cavernoſum eſt, haudquaquam denſum durumq; eſſe poterit, neq; denſum atq; durum cavernoſum. Nam certum eſt denſa eſſe, quorum partes admodum invicem conjunctæ ſint, & compactæ; at cavernoſa rara ſunt, & plurimum inter ſeſe diſtant Si ergo os cuneiforme cavernoſum eſt, & quod tale eſt, rarum eſt, quare os cuneiforme rarum potius quam denſum atque durum vocabitur. Sed non video, cur contra Galenum Veſalius negare poſſit, quominus pituita per proceſſus cerebri, atq; oſſa cribroſa, deductâ in nares materiâ, expurgari queat. Quamvis enim proceſſus illi ſint perquam exigui, & nervis haudquaquam abſimiles, tamen ſi excrementi tenuitatem, ſi caloris actionem, ſi ſpiritus remeantis, è cerebro impulſum, ſi etiam cerebri mollitiem & raritatem aſpicies, quid impediet, quin excrementa hac recte, & commode poſſint ejici. Nam pituita ex coctione reddita eſt benignior, & adeo attenuata, ut quocunque extendi, diſcindi, & diſſipari poſſit, quam digeſtam vis caloris, præcipuum functionum organum, excipit, & inſtar oneris à membris abigit. Accedit, quòd cerebri corpus non retineat, ſed cum rarum ſit, & laxum, facile tranſitum materiæ concedat. Hanc hærentem protrudit ab ventriculis cerebri aër egrediens, & ob lentorem non penitus mobilem, vi etiam, propellit. Et cur natura, quæ nihil unquam fruſtra facit, menyngem utramq; ad nares perforavit, niſi odoribus, & excrementis aëre multo denſioribus, hunc aditum atque egreſſum dari voluiſſet? Si præterea

ſitum reſpiciamus proceſſuum, quomodo non dicamus, huc potiùs quàm alio pituitam poſſe decumbere, ſi quidem ea nutu ſuo & momento deorſum feratur? Sed neque id Veſalius negare poteſt, quamvis diſſimulet. Etenim in ſuo olfactûs organo ſinus eſſe ait, & viam dari, quæ à calloſo corpore in ſinuum illorum amplitudinem pituitam deferat, quin id re vera fieri, ut hàc pituita excidat, ſiquidem plus juſto, in capite eluxuriaverit. Nec enim cauſa eſt, cur non unicam, ſed quam plures alias machinata ſit natura vias; quæ pituitam è cerebro derivent. Prævidit enim ſapientiſſima, haud integra valetudine animalia ſemper frui poſſe, ſed multoties ob peccata victûs, atque aëris morbos ſubituram fore: quare ſedulò curavit, ut omni ingenio excrementa, potiſſima invaletudinis organa, & præcipuè à membris nobilioribus ſeparentur. Qua ratione Hippocrates, *ſeptem vias cerebro expurgando, legatas tradit: & à proceſſibus mamillaribus per oſſa cribroſa in nares pituitam transfundi Galenus ſcribit,* non equidem, quod hæc præcipua, quam natura inſtituerit, pituitæ defecandæ via ſit, ſed illi, quæ per palatum ſternitur, auxiliaris, atque tunc in uſum veniat, cùm cerebrum affectum ſit, neque cibum perbelle concoquat. Quare hæc expurgandi ratio non damnanda eſt, neque quod omnino præter naturæ leges fiat, incuſanda, quaſi eodem loco, imò abjectiori ponenda ſit, ac ſi ad nervos pituita decumberet, & epilepticos, apoplecticos, lethargicos efficeret. Quis enim eſt, qui non millies pati malit coryzam, ac ſemel attonitus, & convulſus decidere? Quis unquam obiit, quem calor, dolor, & odorandi noxa, oblæſis gravedine naribus affecerit? Eâdem operâ & excretionem per palatum rejiciemus, cùm copioſiſſimam multoties pituitam aliosque humores deferat, quam gargareonem relaxent, inflamment, fauces exulcerent, coctionem ventriculi evertant, in pectus decumbant, phthiſin, aſthmata ſuſcitent, innumeramque turbam ſecum morborum trahant; Atque licèt meatus narium oſſis tortuoſi, inflexi, & inæquales ſunt, non ob id negandum eſt, eos rectè pituitam deferre poſſe. Ut enim natura noluit, quo rectà ex pelvi in palatum pituita decideret, ſed adenem interpoſuit, qui humorem excidentem cavitate ſua exciperet, exceptum ſenſim percolaret, percolatum tandem diffunderet, ſic in oſſibus ſpongioſis molita eſt, ne recrementa primo impetu erumperent, ſed lente quaſi ex ſpongiis, ſpirituum vi expreſſa, ſine moleſtia exciderent, quo continuo neque excreare, neque emungere, quod abhorrendum eſt, cogeremur. *Potior tamen ratio eſt*, quam mihi Veſalius videtur ignoraſſe, *cur adeo obliquos, & errantes natura ſibi invicem meatus impoſuerit, quod ea de cauſa factum eſt, ne aliàs aër paulo frigidior integris viribus, in ventriculos cerebri ſeſe inſinuet, & principium illud, animæ ſedem, illapſus graviter affligat.* Etenim decebat oſſa hæc rara, & pertuſa eſſe, ut ſpiritum celeriter, & vapores odoros admitterent, atque ut excrementa repente ac ſemel evacuarent. Hanc compoſitionem ſequebatur cerebri offenſio, quod aër impurus atque immoderatior attrahebatur, quare natura cautè excogitavit, ut per loca ſinuoſa, & anfractuoſa, priùs ſuam malitiam aër ingrediens exueret, atque limpidiſſimus ſimul, & mitiſſimus illaberetur. Non ergo dubitemus, quin rectè functionem excernendi pituitam è cerebro, dimiſſo Veſalio, narium oſſibus unà cum Galeno aſcribamus, cùm hæc ratio admodum commoda ſit, & excretioni per palatum ſubſidiaria, atque cùm modus ille, quem Veſalius tradidit, haudquaquam naturæ rei conveniat. Primum enim id mihi oſtendi velim, qua viâ pituita illa tam copioſa, ad foramen ſecundi nervorum paris perveniat, quomodo permeet, quomodo nullam noxam inferat. Etenim nullum eſſe exiſtimo, qui non autumet, maximopere muſculorum operam in oculis remorari, & in motu ſegniores effici, cùm pituitæ craſſities & lentor partes illas oblineat, & incruſtet. Adde quod id ſine viſionis detrimento fieri nequeat, ſed ex pallore, & humoris tenacitate, ſplendor omnis oculorum atque nitor pereat. Egregium ergo naturæ artificium, quæ non tam incommodo, quàm animalium ſaluti providit, ò preclaram prudentiam, & inſignem potentiam, quę vilioribus partib. de damno cavit, ut nobiliores, & excellentiores injuriâ & incommodis afficeret. Sed quomodo pituita tanta tranſiet, corpore adeò duro, & foramine anguſto, quod vix exiguum nervum recipit? Si Veſalius in cerebro molli & laxo, impellente calore & ſpiritu, excipientibus oſſibus raris & perforatis, pituitam excerni poſſe non conceſsit, neque ego jam conceſſero, quod hac quam dixit, excrementis iter pateat. Tanta adeſt viarum anguſtia, tantus eſt corporum, quæ tranſitum concedunt, renixus, neque ulla vis prſto eſt, quæ ſuperflua illa, à tergo impulſa ex cerebro ejiciat. Quid? quod neq; ex ſe ipſis, ſuo librata pondere, excrementa effluant, neque ullibi aditus pateat, qua ad oculorum radicem pervenire posſint. Niſi id qua ſecundum par nervorum ſua veſtigia ducunt, conceſſerimus, quod ut impoſsibile, ita planè abſurdum eſt, & à naturę ſolertia alienum. Sed quàm egregiè excrementa in nares ferri ſcribit Veſalius? ſcilicet per amplum quoddam, & alia multa foramina, quæ hactenus neq; unus quidam anatomicorum cognovit. Etenim id rectè dixit Veſalius, quod meatus illi, de quibus ſomniat, anatomicos lateant. nam neque ibi ſunt, neque unquam etiam poſt multa annorum millia inveniri poterunt. Quoniam ſi osſium, quæ oculos circunfluunt compoſitionem, eorumque connexionem, formam, atque exquiſitam videamus, abſurdisſima mihi hæc videtur opinio, & rationi, experientiæque diſſentanea, minimeque digna, cui quis reſpondeat, ut & hoc pacto malim Veſalium non amplecti, quàm Galenum non defendere. Sic enim hujus dicta cum veritate videntur eſſe conſona, illius verò abſona, ut neminem diverſum dicturum eſſe exiſtimem. Hoc loco ponendum eſt, quod Galenum accuſat Veſalius, quaſi eam ſaltem, quæ ex cerebro per nares fit, expurgandi rationem, non aliam, cognoverit, eamque in palatum deſinere tradidit. Sed in claro ſole vir ille mihi cæcutire videtur, aut ob contradicendi veſaniam inſanire, quorum hoc non affirmaverim, illud verè dixerim. Nam quoties & quàm ſedulo Galenus inculcat, *quod duo ſint meatuum genera, quibus craſſa, & ſenſu conſpicienda excrementa è cerebro dejiciantur, horum alii ad palatum, alii ad nares deſinant, magnis & patentibus orificiis conſpicui.* Non tamen intelligi velim eos canales, & rivos, qui ex medio, & tertio ventriculo explantantur, & in choanam deſinunt, ſed & alios diverſos in oſſe cuneiformi excul-ptos. Etenim utrorumq; meminit Galenus, *& eorum, qui effundunt in pelvim pituitam, & qui eam è pelvi in adenem delapſam atq; hinc transfuſam in palatum eructant.* Quod & ipſe Veſalius affirmare videtur, ſi ejus verba rectè perpendamus. Etenim quaſi à capite ſuę opinionis, pituitam ex proceſsibus cerebri ad nares, ex Galeno deduci ait, & eò loci tandem qualitercumq; excidere. Quod ſi verum eſt, alii ſunt hi meatus à palato, habebitque palatus ſua foramina ab his diverſa. Sed quod in errorem Veſalium impulerit, vocula quædam eſt, vel ſcriptorum, vel librariorum incuriâ immutata. Verè enim,

enim, ut annotat quidam σφηνὶ pro ἠθμῷ reponendum eſt, quamvis clamitet Veſalius. Hoc enim ipſe docet orationis contextus. Nulli enim oſſium, præterquam oſſibus narium, hanc ſpongiæ, & cribri ſimilitudinem Galenus tribuit, quin id non rectè cribroſum, ſed ſecundùm Hippocratem ſpongioſum appellari mavult, ob rationem, quam in expurgando obſervat, & nos ſuprà diximus, eamque argutiſſimam, nec anatomicis priſcis perſpectam. Cùm autem admonitus Veſalius à ſententia ſua obſtinatè nollet diſcedere, aut mentem Galeni non bene percepiſſet, ut ſeſe tueretur, mirum in modum Galeni verba inflexit, & à veritate ad ingenium ſuum contorſit, ut Galenum ſuo ipſius gladio conficeret. Sed quàm malè. Quæcumque enim de oſſium ſpongioſorum forma, & de percolandi modo Galenus tradidit, ea omnia ſuo cuneiformi oſſi Veſalius applicat, & quaſi ſpongiæ, aut cribri figura huic conveniat, quodque per id ſenſim pituita deſtillet, ratione quadam priſcis anatomicis incognita, quæ oſſibus narium conveniunt, prædicat. Nullibi tamen Galenus, quod memini, os cuneiforme ſpongioſum vel cribroſum vocat, neque quod cum mora pituita illac tranſeat, *quin ne ſtatim ob meatuum brevitatem, per illud os præcipitetur adenem illum interpoſitum eſſe affirmat, qui pituitam ſinu ſuo excipiat, ſenſimque ex corpore ſuo transfluere permittat.* Duos enim percolandi modos tradit Galenus, atque in duobus organis, nempè in glandula, & in narium oſſibus, quorum utilitas antiquos anatomicos fugerat, quæ omnia Veſalius in unum contrahit, & negocio ſuo accommodat. *Sic in cuneiformi adeſſe ſcribit, foramina, non ſtruem oſſium ſpongioſam, & cavernoſam,* quemadmodum vult Veſalius, & cujus ratio malè admodum ex Galeno colligitur. Non enim quia calvæ pars ſuperior cavernoſa eſt, atque rara, itaque baſin ejus cavernoſam eſſe, atque foraminulis plenam Galenus autumat, ſed propoſito priùs oſſe cuneiformi, cur natura quidem oſſa capitis ſuperna, cavernoſa effecerit, non tamen ut palati os pertuderit, ſed ſquamis duabus obduxerit ipſe auctor interrogat. Veruntamen ratio non ea eſt hujuſce ſtructuræ, quam Veſalius adſcribit. *Etenim non ad excrementorum tenuium evaporationem, ſed ad ponderis levitatem,* ſi Galeno credimus *capitis compagem cavernoſam natura conſtruxit.* Quarè neque perforari cranium neceſſe fuit, cùm per ſuturas, quas vocant, fuligines perſpirent, neque aliud ſubſidium, vel cavernarum vel foraminum requirant, *quæ laminis natura intexuit, iiſque quàm levigatiſſimis, ne membranas circumjacentes, aſperitate ſua offenderent.* Immerito igitur oculatiſſimo omnium, & perſpicaciſſimo Galeno imponit Veſalius, qui, & palati foramina, & narium meatus rectè cognovit, eorum officia naturâ & loco diſtantia, perſpicuè ſejunxit, modum denique expurgandi cerebri non omnibus perſpectum, admodum tamen callidum, planè & diſtinctè conſcripſit. Quare neque Galenum mihi attigiſſe videtur Veſalius, aut aliud agens obiter ſaltem, & vix ſummis labris deguſtaſſe, quemadmodum etiam in oſſis cuneiformis cenſura, malè meâ ſententia, de tanto viro judicat. Quamvis enim æquè, omni ex parte os illud haud denſum ſit atque durum, tamen neque id neceſſarium eſt, ſiquidem elapſum pituitæ concedere debebat, ſed ſufficit robuſtum eſſe iis in locis, quibus cum cæteris oſſibus, & præcipuè cum oſſe occipitis per ſymphyſin coaleſcit. Hac enim parte ſatis firmum, atque denſum eſt. Et quamvis neceſſariò id Galeno exprimere velit Veſalius, quod adductâ ſtructurâ oſſium capitis quæ cavernoſa ſunt; eandem etiam compoſitionem in oſſe illo obſervare voluerit, id ut ſuprà dixi non arctè concluſum fuit, neque hæc unquam fuit Galeni ſententia, ideoque malè à Veſalio explicata. *Quare* unà cum Galeno, *os cuneiforme, diverſas tamen ob partes, denſum duruinque affirmabimus,* eo, quod cerebro velut cuneus injectus ejuſque baſis ſit atque fulcrum; atque ne facilè computreſcat. Ut neque ab eo diſcedemus dum multa, & diverſa expurgando cerebro loca conſtituit, atque eam, quæ per oſſa cribroſa fit, pituitæ excretionem; ex deſcripto naturæ inſtitutam eſſe, ſuæque ſapientiæ plurimum convenire nobis commendavit. Interim etiam taceo Veſalii inconſtantiam, & dictorum ſuorum repugnantiam, quodque in indagandis utilitatibus partium, non infrequenter hallucinetur. Quomodo enim Glandula pituitæ, quæ cuneiformi inſidet, id ipſum os ab injuria defendet? Quaſi verò imbecillus robuſtum ſervet, & Herculem Hylas puer cuſtodiat. Sed hæc jam ſatis dicta ſunt, pro tutela Galeni, viri in medicina conſummatiſſimi, in quibus id præcipuè ſpectavi, ut ad inveſtigandam rei veritatem, ingenia acutiſſima incitarem, & ineptos illos ſecluderem, qui neſcio quàm leviter, ſatis oſcitanter non in hominibus, ſed in brutis illa ſpectari referunt. Animum etiam, & calcar addere volui, ut diſcant, qui verè medicinam colunt Hippocraticam, ne levi de cauſa, infirmave ſermonis ſuada, à veterum ſententia diſcedant, ſed quantum poterint, eos amplectantur, admirentur, & à calumniis defendant. Etenim ſuſpicienda eſt antiquorum ſedulitas & perſpicacia, in indagandis & æſtimandis naturæ operibus, à quorum diligentia, & acumine plurimum, vel ob imbecillitatem ingenii, vel ob vitæ anguſtiam, hæc ætas noſtra diſcedit, & ſi quid ex ſeſe profiteatur illorum carpendo veſtigia, exiguas quaſdam ſpicas eaſque evanidas ſaltem colligit. Quare eos potius veneremur, imitemur, & tueamur. Verè enim antiquiſſimum quodque veriſſimum eſſe, vulgata jam, & vera parœmia dici ſolet. Iam verò rurſus inſequamur propoſiti noſtri orbitam, & quæ ſuperſunt de narium dignitate expediamus. Adjicitur ergo cæteris partium harum utilitas, quod contra impetus noxarum occurrentium, ob molis protuberantiam, velut obice quodam interjecto olfactus organa tuta, atque ſecura reddantur. *Natura enim ſenſuum inſtrumenta operit, alia quidem ne cerebrum, quod ejus eſt propinquum, lædatur, nonnulla verò, ut ipſamet à periculis, & injuriis vacua ſint.* Ejus generis os eſt olfactui præpoſitum, quod ἠθμοειδὲς nuncupant, atque etiam naſus totus hujus ſenſus propugnaculum eſſe dicitur. Cæterùm non minimus omnium uſus eſt; quod excrementa pituitoſa, quæ ad internum oculi angulum accurrunt, & illic impoſita glandula reprimuntur, foramine quodam peculiari in narium tubos excipiantur & deducantur. *Etenim duplici de cauſa narium oſſa, natura trajecit, ut & nervos tranſmitterent; & oculorum excrementa ſuſciperent.* Nam non rarò accidit, ut medicamina injecta oculis, alii quamprimum emunxerint, alii expuerint. Quoniam ad eundem uſum, quo naſus in os, ita meatus hic ab angulo in naſum perforatus eſt, quandoquidem emungentibus nobis per naſum, excreantibus verò, quod confluit; per buccam excidit. Attamen ne per angulos excrementum effluat, nevè aſſiduo lacrymentur, arrodantur, aut afficiantur oculi, natura carnoſa corpora impoſuit, quæ prohiberent quidem, ne oculorum excrementa per angulos elabantur, ad proprios autem meatus propellantur. Hæc igitur nares cavo ſuo excipiunt; & unà cum reliquis cerebri fecibus deducunt, quæ tandem velut cucurbita quædam, aut tubo allicimus; & digitis injectis emulgemus. Eſt igitur & hæc narium poſtrema numero utilitas; ex earum prolixitate deſumpta; ut etiam quod cavæ ſint; atque honeſtum delabenti humori latibulum præbeant. Hoc

autem

autem quantum pulchritudini, & hominis civilati conveniat, oſtendunt ii, quorum facies turpi hoc humore, ingrato quodam pallore conſpicuo, & abominanda tenacitate pendulo conſpurcatur. Uſum hunc ſcitè protulit auctor libri de vivorum anatome, cujus hæc verba ſunt: tertium naſi emolumentum eſt, ut ſit emunctorium ſuperfluitatum cerebri, unde longam & eminentem formam habet, ſcilicet, ut mucilagines à cerebro exeuntes cælet, & conregat. Atq; hæ omnes ſunt narium utilitates, ex quibus earum dignitas & præſtantia mirè eluceſcit. Id autem pro coronide hujus capitis dicendum videtur, quænam tandem harum utilitatum prior ſit, & naturâ illuſtrior. Sed ut in cæteris egregius maximè omnium naturæ interpres Galenus fuit, ita neq; hîc diligentiam ejus deſideramus, quicquid nobis ſentiendum ſit, non minus accuratè, quàm perſpicuè oſtendit: *Cùm enim ea ſit natura ſolertia, quam ferè obſervare ſolet, ut nunquam instrumenti cujuſpiam ullam actionem prætermittat aut utilitatem, cùm multa ab uno probè adminiſtrari queant. proinde hic quoque obſervavit, ut multa actiones ſimul concurrant, ſeſeque excipiant, quarum omnium unicum organum, auctor eſt, atq; opifex.* Cùm enim ventriculi cerebri loco depreſſo ſiti ſint, atq; ex partibus propinquis neceſſariò excrementa affluant, quare viam effluxui eorum accommodam in naribus natura texuit, quæ ne melior excogitari quidem poterat, cùm ampla ſimul & declivis ſit. Foras igitur ab intra, per narium meatus, excrementa feruntur; foris autem intro vis facultatis olfaciendi penetrat, duabuſq; his utilitatibus, unicum inſeruit organum, altera quidem ad vitæ tutelam, ad vitæ commoditatem altera neceſſaria. Sed odorum cognitionem in vitæ neceſſitatem, Galenus, præ excrementorum expulſione retulit: Nam guſtantis facultatis vicem olfactus ſubit, dum exhalante nidore, gratos cibos allecti proſequimur, ingratos verò abacti, exhorremus, & quod ſine inſpiratione olfactus nequit perfici. Sic excrementorum eductio, quæ per nares adminiſtratur, multò aliam, ſcilicet cui palatus præeſt, antiquiorem habet. Quare primò narium utilitas, propter quam potiſſimum factæ ſunt, non ſuperfluorum eſt excretio, ſed ea quidem ex abundanti cerebro malè affecto auxiliatur. Antecedit enim hanc odorum perceptio, & hac adhuc antiquior eſt, & ad vitæ incolumitatem neceſſaria, aëris in cerebrum inſpiratio. Quę cùm ita ſeſe habeant, ſi reliquas narium utilitates his adjecerimus, profectò illas omnes in commoda quædam vitæ peculiaria ferri, non tamen adeò præcipua, facilè perſpicimus, qualia ſunt, ſermo explanatus, & perſpicuus, odoratûs ſecuritas, recrementorum oculi expurgatio, mucorum integmentum, & emunctorium; atq; unicam inſpirationem, ut vitę maximum præſidium, locum obtinere principem, omnibuſque pręferri, rectè dicemus.

Cap. 8. *De narium conformatione, figura, ſitu, & cæteris, quæ in membri organici diſquiſitionem veniunt.*

ENARRATA narium dignitate, & utilitate, jam ad ſtructuræ expoſitionem accedimus, partem ipſis manu operantibus & utilem, & neceſſariam. Inſequemur autem Galeni veſtigia, *qui ad ſubſtantiam, ad temperamentum, ad figuram, ad magnitudinem, ad numerum, ad ſitum & connexionem, tanquam ad capita præcipua omnem quæſtionem explicandæ membri cujuſdam eſſentiæ revocat.* Quare primò narium ſubſtantiam, poſthac cætera conſideremus. Hæc minime ſimplex eſt, ſed varia, atq; è diverſis partibus longè ſimplicioribus extructa. Habet enim oſſa, cartilaginem, carnem, membranam, atq; cutim, ut illam oſſeam eſſe, & cartilagineam, & carneam, & membranoſam, & cutaneam haud immeritò dicere poſſimus. Omnia tamen ſingillatim conſideranda ſunt, & in primis quot oſſibus, & quibus narium compages conſtruatur. Parte igitur ea, quæ ex fronte enaſcitur, & oculos inſtar ſepis media dirimit, oſſa ſingula, atq; ex utroq; latere naribus addita ſunt. Etenim & illæ ad totius corporis normam, in dexteram & lævam partem diſſecantur. Hęc ſimplici harmonia mutuò ſibi occurrunt, & ſuprà cum oſſe frontis per συνάρθρωσιν inunguntur; Et cum primo & quarto ſupernæ maxillę oſſe, & à lateribus compinguntur. His proceſſus oſſium ſpongioſorum ſubjacent, qui nares ea parte dirimunt, & ab officio ſepti appellationem ſortiuntur. Duritiem proceſſus hi, & denſitatem haud inſignem, craſſitiemve obtinent, ſed cum moderata mollitie tenues ſunt, & graciles, *cùm quod minimam iis affectis animalia noxam ſubeant, tum quod loci conditio, levitatem potius, quàm robur atque pondus deſiderare videbatur.* Iniquum enim fuiſſet, atque à naturæ prudentia prorſus alienum, in ſumma corporis parte ſarcinam prægravem animali geſtandam impoſuiſſe. Accidit etiam, quod oſſa ea, ab circumjacentibus oculorum orbitæ oſſibus perbellè muniantur. Quare neq; opus fuit peculiare iis robur, & conſtantiam addidiſſe, quæ alibi diligens natura diligenter obſervavit. Oſſium horum uſus eſt, ut illis tanquam baſi, & fulcimento naſus innitatur, ut commodiùs materiam cartilaginibus ſumminiſtrent, atq; ut labiorum naſique muſculis ſua principia ſuppeditent, qui apparatum quendam fibrarum ligamentalium expetebant. Narium cartilagines quinque ſunt, quarum duæ priores ab inferna ſede naſi oſſium enaſcuntur, & deorſum ad anteriora exporrectæ invicem coeunt. Hæ ſenſim emolleſcunt, atque ubi in extremo naſo, in communis ligamenti naturam abierint, totam anteriorem naſi regionem conſtituunt. Tertia cartilago ab oſſeo ſepto exoritur, mollis atq; plicabilis. Hæc ab anteriori ſepti ſede ad interiora cedit, & in interna regione cum duabus primis cartilaginibus concurrit, quibus per ipſarum longitudinem conglutinatur. Ejus uſus eſt, ut quemadmodum proceſſus oſſium cribroſorum ſuprà, ita cartilago hęc ab inferiori parte naſi foramina, pariete quodam interſecet. Tribus autem hiſce cartilaginibus binæ aliæ accedunt, utrinque ſingulę, quæ in ligamentorum ſubſtantiam potiùs tranſeunt, & in orbem naribus circumfuſæ, alarum juga conſtituunt. Præſtitit autem è cartilagine extrema narium efformata eſſe, quòd ob mollitem, facilemque impulſum, vim rerum ingruentium, atque impetum eludant, quodque illa ſubſtantia motui non minimum non inepta ſit. Etenim odorum & reſpirationis gratiâ, oportebat cum inflexione, & mollitie quadam nares eſſe mobiles, non duritie, atque immobilitate rigentes, neque nimia ex tenuitate complicabiles, atque flaccidas, quales fuiſſent, ſi vel ex oſſibus, vel ex carne tantum conſtruerentur. Quamobrem naſum natura, neque totum oſſeum, neque totum carneum extruxit, ſed mollitiem cum duritie, rigorem cùm flacceſcentiâ ita temperavit, ut tam cuſtodiæ, quàm neceſſitati partium conſultum eſſet. Illa enim ſubſtantia, quæ ex cartilagine componitur, ad injurias extrinſecus evitandas aptiſſima eſt, & ad capeſcendum actionis munus maximè opportuna. Sunt etiam nares carneæ propter muſculos, quorum duo, ut odores tetros, & viroſos, pro voluntatis imperio ambigamus, nares conſtringunt, alii verò duo, ad excipiendos odores ſuavitate gratos, & ut aëri attracto iter pateat, illas aperiendo dilatant. Origo, & finis ſingulorum hic eſt. Qui ampliandis naribus ſerviunt, poſiti ſunt extra, &

malà

malis erumpunt, proprium pone labii ſuperioris muſculum, principio carneo, tenui, ac membranoſo. At ubi modicè priora verſus declinaverint, in duas ſecantur portiones, quarum altera radici naſi alæ infigitur, altera verò in ſuperioris labii partem implantatur. Muſculorum horum exortus, & propagationis modum ſapientiſſima natura actionis etiam dignitate & neceſſitate examinavit. Qui verò aſtringendis naribus addicti ſunt, non extrinſecus, ſed in interna narium amplitudine exoriuntur proceduntque in exteriori latere cavitatis ſuæ, ſub tunica ſuccingente reconditi, tenues, atque membranoſi, & tandem interiori alarum regioni inſeruntur, quas dum retrahunt ad ſua principia, exinde recludunt. Cavitatem etiam narium inveſtit tunica, craſſitie mediocris, ſubrubra, mollis, duræ menyngi annexa, palato, ac faucibus continua, & nervis ex tertio jugo ditata. *Hi delati per foramina, oculiſque naſoque communia, atque in minutiſſimam diſperſi ſobolem, in totam narium tunicam excurrunt, & ſenſu exquiſitiſſimo non ſine ratione illam impertiunt.* Ex his itaque partibus jam enarratis, univerſa narium moles conſiſtit, quam commune corporis tegumentum inveſtit ipſa cutis, quæ pro partium, quibus annaſcitur, ratione, & craſſitie, & tenuitate differt. Suprà enim mollior eſt, & tenuior, & quæ haud difficulter avellatur; econtra ad extremum naſum, qua cartilaginibus proxima eſt, tantâ contumaciâ adhæret, ut eam à ſubiectis partibus vix adſit copia ſegregandi; craſſiorque ibi eſt, & ſolidior, quod illam ob globulum, quem eò loci natura efformavit, tam altiorem, quàm firmiorem eſſe præſtabat. Depilis fere univerſa eſt, præſertim penes frontem inter oculos, quanquam uti hìc, & infrà aliquando, præſertim in corpore calidiori, pilis eam operiri contingat. Sed naſi temperies quænam ſit, ex partium vi atque efficacia facilè deprehendimus. Cùm enim præter carneam muſculorum ſubſtantiam, quæ calore, & humore perfuſa eſt, cætera quæque ad frigiditatem inclinent (frigida enim ſunt oſſa, cartilago, membrana, & cutis) cùmque quod ad patientium qualitatum συζυγίαν ſpectat, ſiccitas humiditati dominetur, quod ex partium naturâ conſtat, itaque naſi temperiem proculdubiò frigidam & ſiccam eſſe conſtituemus. Hujus figura oblonga eſt, parte inferiori latior, arctior ſuperiori; ſed non præter ſummum naturæ artificium. Etenim quod longæ ſint nares, & prolixæ, haud dici poteſt, quantum conferant vel ad occultanda, vel ad exprimenda cerebri excrementa. Sic in frontis confinio coarctantur, quoniam ampliorem explanationem in ſumma parte oculi longè nobiliores omnino prohibebant, ne aciem illorum & obtutum, ſi quando ad latera viſus inflectendus erat, obex interjectus everteret. Etenim ſic partes ignobiliores ex naturæ inſtituto, principibus ſolent loco cedere. Quamvis autem loco pulſæ, & in anguſtias nares coactæ videantur, id tamen ne minima quidem actionis, aut utilitatis noxa comparatum eſt, quod tantùm internis proportione partibus additur, quantùm extremis juſtâ de cauſa demitur; tantaque ſit, & tam efficax narium operatio, quanta illis ſuprà protuberantibus vix eſſe poterat. Optimum verò fuit in partibus proclivibus eas amplas eſſe & capaces; ut & aptius apprehendi, & quæ ſpiritui ſubeunti viam præcludunt inepta ſua tenacitate, & molè excrementa, prolici, & & emungi poſſint. Quo loco referendum eſt, quod etiam aëris circumflui magna copia illis exhaurienda erat, quam orificiis ſuis exceptam cerebro atque pulmonibus ſuppeditarent. Sitæ autem ſunt nares in faciei meditullio, circumpoſitis undiquaque auditus, viſus, guſtuſque organis. *Id factum eſt reſpirationis gratiâ, quam linea quadam fabrili, atque norma, ad nares directam eſſe decuit:* Etenim reſpirationi famulantur, cujus actio ſedem inter alia mediam expoſcebat, & præcipuè, cùm in ſuperna narium parte priores cerebri ventriculi incumbant. Cùm enim in illis ſpiritus animalis elaboretur, cui ſubſidio & alimento eſt aër inſpiratus, itaque rectà nares illis ſubdere convenit, ne ſpiritus ob itineris flexum evaneſceret, aut aliò diſtractus parciùs accederet, ſed expeditiùs, & copioſiùs cerebrum ſubiret. Obſervavit natura alibi, ut minimo viæ cum diſpendio, rectâ partibus iis, quibus famulentur, ductus ſuos immittat, niſi propter ingentem utilitatem ſinuoſos, & inflexos, ut fit in vaſis ſpermaticis, & quæ mammillis dicantur, circumduci eos oportuit. Eundem poſitum, & odorum, & excrementorum natura requirebat, ut illos quamprimum ad ſenſoria ſua nares deferret, hæc verò è loco, in quo provenerant, abſque mora educerent. Naſus igitur recto ductu prioribus ventriculis cerebri ſubjicitur, ut tam aërem, & odores ſubminiſtret, quàm excrementa in cerebro collecta abducat. Hujus conſtructio, ſi quis acrius intueatur, gemina eſſe videbitur. Nam utrinque, qui aërem excipiunt, haud contemnendi canales ſunt, uno integumento eoque continuo circundati. Quare, quod ob viciniam arctiùs compacti ſint, ſimplex organum atque uniforme; non rectè conſideranti videri poſſit. *Includuntur autem nares hiſce anguſtiis, quoniam ſi aliter ſitæ eſſent, & quemadmodum aures, diſtractæ, haudquaquam ſuo officio fungerentur, neque ſenſuum objecta ex inſtituto adminiſtrarent.* Atque cùm ventriculi priores cerebri gemini ſint, & anguſto adeò loco, ſicuti nares, concluſi, itaque & haſce æmulari, quarum partium miniſtræ ſunt, conſtructionem decebat. Adde quàm decenter, & facilè clabentem pituitam hoc pacto ſubtrahamus, atque unâ operâ, quod naribus invicem diremptis fieri non licuiſſet. Summâ igitur cum ratione natura nares aliqua ratione arctas, & arcto loco poſitas hominibus addidit, quarum magnitudo, conſideratâ faciei amplitudine, pars ejus tertia longitudine eſt. Id autem in corporibus haud monſtroſis, ſed natura ſymmetris credendum eſt, atque ſi quid, vel exceſſerit, vel defecerit id extra naturæ limites cenſendum. Connectuntur tandem nares, cum partibus undique circumjacentibus, oculis nimirùm, oſſibus cribroſis, maxillæ ſuperiori, oſſi frontis, palato & linguæ membranæ ſuccingentis ſubſidio. Nervis verò tertii paris, quaſi catenulis ex cerebro appenduntur, & poſtremùm genis atque labiis cute ipſa, communi corporis amiculo conjunguntur. Atque de his hactenus.

Cap. 9. *De labiorum dignitate & compoſitione.*

PRoxime à naribus, labiorum hiſtoria ſeſe nobis offert, cùm quod hæc partibus illis vicina, & nonnunquam ſubſidio ſint, tum etiam quod non infrequenter digladiantibus, altius adacto ferro læſionem incurrant. Maxima igitur, ut rem aggrediamur, & prima labiorum dignitas eſt, quod locutioni, præſtantiſſimæ hominis actioni ſerviant. Hæc enim nobis ſola propria eſt, & menti proxima, à qua velut ſplendidiſſimus à ſole radius, aut limpidiſſimus ex fonte rivus promanat & derivatur. *Hinc Pimander intelligentiam ſermonis ſororem eſſe ait, & utrorumque mutua officia.* Nam neque ſermo abſque intellectione pronunciatur, neque intellectio abſque ſermone ad homines propagatur, *ſolaque ſunt, quæ Deus ſoli homini ex omnibus animantibus largitus eſt; ejuſdem cum immortalitate præmii, & quibus ſi quis recte utatur, nihil ab immortalibus diſcrepat.* Certè hæc actio animæ noſtræ

eſt

eſt præcipua, quoniam eorum, quæ mente concipimus interpres eſt, atque nuntia, cui præſtandæ ſubſidio ſunt labia, quæ cæteris animalibus dentibus, & ſanguine præditis licet conceſſa ſint, ad eum tamen, ut in homine, perfectionis apicem quamvis ſingulis, pro animæ ſuæ ratione, apte conformata ſint, nequaquam devenerunt. Ergo propter hoc labiorum officium, in ſacris literis verbi divini nuntii ſub labiis comprehenduntur, quæ ſponſæ eccleſiæ ſingulari, & commodo & ornamento ſunt. Sic in Cantico habetur: *ſicut vita coccinea labia tua: & favus deſtillans labia. Nam per eos populo ſuo Deus loquitur, per hos æternæ vitæ verba proponit, ſi ad fidem parvulos erudiunt, ſi ad conſtantiam adultos confirmant, per hos errantes reducuntur, hæſitantes ſtabiliuntur, his ſcriptorum occulta, & myſteriorum arcana manifeſtantur.* Eundem labiorum uſum præclarè Philoſophus innuit, dum in hæc verba prorumpit: *homini mollia, carnoſa, & quæ ſeparari poſſunt, labia adjuncta ſunt, cùm dentium tuendorum gratiâ, tum etiam potiori cauſa, ut illi bene eſſet. Nam ad uſum ſermonis ea quoque faciunt.* Sermo enim, qui voce promitur, ex literis conſtat. Ergo ſi lingua talis & labra humida, atque agilia non eſſent, maxima harum pars exprimi non poſſet, quippe cùm literę partim linguâ producantur, partim labris comprimantur. Verùm quoniam literæ omnes certo quodam labiorum motu proferuntur, illę profectò evidentiùs operam eorundem requirunt, quæ aut compreſſionem, aut in orbem circumductionem deſiderant. Hujus generis ſunt Q. & U. alterius verò B.F.M.P. quorum illa labiis in orbem effiguratis exprimuntur, hæc compreſſione eorum eliduntur. Talis igitur labiorum dignitas eſt, & utilitas, ut ſapientiſſimo, & prudentiſſimo animalium homini conveniunt, quoniam & eorum actio ſapientiæ & prudentiæ index eſt, & internuntia. Unde rectè locutionis organis annumeratur, qualia ſunt, *os vas generale organorum ſermonis in homine, & vociferationis in brutis, dentes, labia, palatum, lingua, columella, & tonſillæ.* Verùm in gratiam tantę actionis, natura non ſatis admiranda, quàm plures muſculos, eoſque ſumma diligentia & jucunda varietate, connexos implexoſq; conſtituit, de quibus infra fuſius agimus. Non autem poſtremo loco ponendus eſt ille labiorum uſus, quo ſcilicet dentes contegant, & quodam quaſi vallo muniant. His enim vis occurſantium corporum eliditur, & aëris paulo intemperatioris impetus refringitur. Unde dentibus non minima ſecuritas accedit, & pręcipue quod illorum candor, & venuſtas conſervetur, quem aëris fœditate, & immoderantiâ perire aliàs neceſſum eſſet. Cùm enim gingivæ ob mollitiem injuriis propulſandis, non ſatis firmæ ſint, itaque peſtis hæc altius ſeſe inſinuaret, & ſerpendo intimius partium illarum ſanitatem deſtrueret, ni Deus, & natura hunc objicem interpoſuiſſet. Quare illa vehementer admiranda eſt, quod uni organo tot actiones adjunxit, & plures actiones quàm organa extruxit, cùm ab uno organo multę actiones rectè proveniant, & pluribus actionibus organum unum probè ſufficiat. Si enim tot nobis, quot actionibus opus eſt, eſſent organa, nonnulla partium confuſio ſequeretur, unaq; alteram in operando impediret, quod cùm declinare natura voluerit, quoniam id ſuæ prudentiæ non conveniebat quare partes non actionum numero, ſed eorum pondere, & valore commenſa fuit. *Quapropter labiorum natura cùm ad tutelam, & ſalutem dentium adjuncta eſt, tum in hominibus potiori de cauſa, ut illorum ope verba fari poſſimus.* Ut etiam lingua haud ſimilis atque aliis animantibus, homini data eſt, ſed idonea, *quâ ad duplicem actionem uteretur, tam ad perficiendos ſapores, quàm ad formandum ſermonem.*

Dentium etiam fœditatem atque immunditiam, ſummovent labia, quo nihil aut inhoneſtius, aut turpius eſſe poteſt, ſi quidem oculos hominum ſubeat. Quid. n. deteſtabilius eſt, quid odioſius, quàm dentes ſcabros, exeſos, putidos, ferrugineos, & roſtratos in communi hominum ſocietate detegere? Hoc vitium ingens certè eſt & abhorrendum, quod plurimum ab noſtra conſuetudine homines arceat, cui natura provida, & quæ ſemper quod melius eſt perficit, hoc velamine labiorum oppoſito, remedium attulit. Ejuſdem ordinis utilitas eſt, *quod dentes hos cooperiant, & adductis invicem oris aeris ingreſſum prohibeant, dummodò ex naturæ decretis homo gubernetur.* Etenim quàm ingens noxa actionum vitalium ſi per os reſpiratio fieret, impedimentumve accederet, ſuprà ſatis declaratum fuit; *ut & indecorum & invenuſtum eſſet, ſi per dentium interſtitia ſaliva hinc inde profuſa difflueret.* Namque & hæc labiorum utilitas eſt, ut ſalivę effluvium reprimant atque coerceant, quod quàm ingratum ſit, quàm abominandum, infantes in cunis ſalivantes, & qui arida ora nequeunt contrahere ſenes oſtendunt. His additur alius uſus, quod exertis labiis atque ad ſuperiora validè propulſis, nares occludimus, atque quo minus cerebrum feriant, funeſtos odores ab ingreſſu prohibemus, *ſic cibum jam dentibus contritum, & huc illuc in palato circumvolutum, labiis probè continemus, & eorum operâ in maſticandis, & continendis dapibus utimur.* Non minus evidens atque neceſſaria eſt labiorum utilitas, quod ex maternis mammillis, ubi ſolidioris cibi nondum capaces ſunt, quaſi per quoſdam tubulos, infantuli lac alliciant, & validè exugant. Huic actioni haud abſimile eſt, quod adultiores dum potum ſumimus, extrema poculi arctè & concinnè apprehendimus, & liquorem illum, alioquin lubricum, pro voluntate noſtra vel abigimus, vel emulgemus. Quo pacto non incommodè delapſum à cerebro humorem, eumque è pectore ſublatum, harum partium ope eructamus, & longè à nobis rejicimus. Quæ utilitas ſane non aſpernanda eſt, ſed ut alia naturæ opera, magnifacienda, quę vt neque cęteras partes, ita neque labia leporis ſui, & venuſtatis reliquit experta. His enim & decor ſuus ineſt, & pulchritudo, additamentum operis, & naturæ luxuriantis ſpectaculum, *quæ quidem nullibi neglecta jacent, ſed tamen in membris quibuſdam, ab actionis præſtantia obſervatur.* Non enim formæ decus non manifeſtè apparet in auribus, in præputio, in narium carnibus, quarum turpitudinem, ſi excarnes ſint, ſimiæ demonſtrant, quod tamen in oculis adeo ab actionis nobilitate & uſu ſuperatur, ut rationem ejus natura minime videatur habuiſſe; Sic multis in partibus ornatus negligitur, ut in naſo, in labiis, & in aliis ſexcentis. Non tamen adeo pulchritudo hoc loci abjecta, & profligata eſt, quin ſeſe ſuiſmet prodat indiciis. Norunt labiorum decorem, præcipue amantes, quibus oſculis nihil carius, nihil ſuavius, nihil optabilius, denotant id, quibus labia exciſa ſunt; id demonſtrant tumentes ora Aethiopes, *patet id ex aliis labiorum vitiis, quibus aliqui proici, labernes, aliqui labeones & chilones dicuntur.* Veruntamen omnia hæc unica oratione princepe Avicennas comprehendit, dum hæc verba habuit. *Duo labia,* ait, *creata ſunt ad os, & dentes cooperiendos, ad decorem, ad retinendam ſalivam, & ut hominibus ad efformandum ſermonem auxilio ſint. His etiam addit vir ille clariſſimus, quod animorum affectus, & naturales inclinationes, eadem labia nobis prænuntient, quorum ratio, ex phyſiognomonicis fontibus petita talis eſt,* Quibus in ore majori labra tenuia ſunt, ut inferioribus adjiciantur ſuperiora, his magnanimitatem, & leoninam fortitudinem ſignificabunt, in minori verò ignaviam,

in huma-

inhumanitatem, moleſtiam, impietatem, & perfidiam. Quibus ex ictu labra ſupra dentes caninos attolluntur, hi peſſimorum morum ſunt, acclamatores, injurii, conviciatores, & mordaces. Quibus totum os protenditur, labraque ſunt pinguiora, rotunda, extrinſecus inverſa, unde chilonum, labeonumque cognomina. Si moribus & operibus ſuini ſunt. At inferiori labro ſi ſuperius ſuperadjicitur, hi prudentiores ſunt; ut & non prorſus mali, quibus labro labrum prominet, ſed vani, & ſtolidiores. Labiorum igitur venuſtas gratiſſima eſt, utilitas excellentiſſima, dignitas ampliſſima; His autem addere convenit, quo pacto natura ſagax eorum actioni, ex partium compoſitione, callide proſpexerit, in quarum numero, primò labiorum ſubſtantia eſt, extructa ea ratione & compacta, *ut illam aut muſculum pro cute, aut cutem muſculoſam juſte vocaveris.* Nam & moveri ipſam motu voluntario, & multo duriorem eſſe aliis muſculis oportebat, unde ex cute, atque muſculo, totis inter ſeſe mixtis, & confuſis, labia animalium conflata ſunt. *Quam naturam adeo ſingularem, & eximiam hac de cauſa obtinuerunt, ut ea contrahi, diſtendi, conſtringi, laxari, deflecti, à ſitu ſuo averti, ac tandem ea converti, quocunque vel edentium, vel bibentium, vel loquentium, vel aliam quandam functionem obeuntium uſus vocaverit.* Huic autem actioni natura varios præfixit muſculos; cutaneæ labiorum ſubſtantiæ uſque adeo implexos, & in fine confuſos, ut oculatiſſimi cujuſque & peritiſſimi diligentiam effugiant. Quam compoſitionis rationem obſervatam eſſe credimus, ut abſque mora, & celerrime in ſuo officio labia ſint, & ut motus eorum haud cunctanter alter alterum excipiat. Videntur tamen muſculi illi, ſi quis ſedulo operetur, à principiis ſuis diſtincti & regione ſeparati eſſe, *quorum numerus juxta Galenum & Veſalium, quaternarius eſt, at ſecundùm Fallopium novenarius,* cui autori meo judicio, major fides adhibenda eſt. Primum ergo muſculorum par, ortum habet à membrana carnoſa, quæ in regione cervicis, ſpinæ, ſcapularum, clavicularum, oſſis pectoris, carneam naturam ſenſim induit, & fibras rectà ſurſum ductas emittit. Muſculi hi lati ſunt, tenues, ex utroque latere ſinguli ad faciei medium exporrecti, in mentum labiaque inſerti, nonnunquam tamen in oſſa malarum, & in radicem naſi, quandoque etiam ad aurem uſque implantati, qui quemadmodum illas, ita partes has, ubiubi hi ductus muſculorum adſint, movere poſſunt, eo ſcilicet motu, quo labrum proclive, exiſtente interim inferiori maxilla penitus immobili, deorſum attrahimus. *Hic ille muſculus eſt, quem peculiari nomine* μυώδες πλάτυσμα *Galenus vocavit*, cujus particula quædam, eaque cæteris paulo craſſior, in maxilla inferna, ad mentum inſeritur, ut cæteros muſculos, qui huic parti imperant, in agendo promoveat. Secundum muſculorum par, æque ac primum membranoſum eſt, varioque fibrarum carnearum implexu intertextum; quod totam, quam inflamus, buccarum regionem complectitur, oriturque à maxillæ ſuperioris longitudine; porrigiturque ad radicem gingivarum, ſecundùm maxillæ infernæ longitudinem. Hos muſculos oblinit, quæ oris amplitudinem inveſtit tunica, tam valide partibus connexa, quàm quod nunquam illacera avelli poſſit. Moventur illis malæ nunc ſurſum; nunc deorſum, nunc antrorſum, nunc retrorſum. Tertium verò par muſculorum, ab oſſe maxillæ ſuperioris oritur, carneo principio, qui oblique deſcendit, & in labii ſuperioris latera inſeritur, quas partes etiam ſurſum oblique contrahit. Quartum par ab inferiori maxilla prorumpit, deduciturque poſt hæc in eam labii partem, quod phrenum appellant, quam deorſum trahendo movet. Quintum par, quod labii ſuperioris partem, unà cum ala naſi ſurſum revellit, ab oſſe ambitu oculi, nec non ex cavitate circa naſi dorſum educitur, & rectà progreſſum partim in alam deſcendit, partim in labium ſuperius, ubi genæ ſunt, implantatur, Sed ab extremo narium oſſe ſexti in ordine muſculi exordium ſumunt, qui membranâ internâ ſuffulciuntur, & in ultimam alam deſinunt, quam ad ſua principia ſurſum retrahunt; Hi muſculi aliis nequaquam cogniti fuerunt. Diverſum eſt ab illis, qui tertiæ, & quintæ muſculorum regioni interjecti ſunt. Septimum par muſculorum, quorum principium eſt, à cavitate illa quæ malis ſubjicitur, unde ad labium ſuperius deferuntur, & qua parte phrenum eſt tandem inſeruntur. Octavum par carneum eſt, explanatum circa radicem pinnarum naſi. Has, dum aſcendit, amplectitur, & ſublatum ad angulum narium immittitur. His muſculis cum ſexto pari alas naſi expandimus. Nonum tandem muſculorum par atque ultimum, conſtat ex indigeſta illa, & carnea mole, ex qua utrumque labium conformatur, circa cujus examen, ut & de reliquis, diverſa eſt & multiplex auctorum opinio; cumque labiorum motus ob varietatem non æque pateant, tum etiam quoniam tantus invicem fibrarum complexus eſt, tantaque cum ipſa cute muſculorum affuſio, & coalitus, ut & oculorum aciem, & manuum promptitudinem effugiant. Voluimus tamen muſculorum horum enarrationem ex Fallopio petere, quod ea magis ad veritatem accedat. Labiorum verò temperies calida & humida eſt, cùm quod muſculis calidis, & humidis, tum quod ex cute, partium omnium temperatiſſima, extructa conſtent. Sunt autem cuti quadantenus molliora, & muſculis reliquis duriora, quorum extrema ſummâ rubent, vel propter ſanguinis copiam, vel quoniam illa indefeſſo moveri contingit. Nam dum edimus, dum potamus, dum loquimur, dum excreamus, quamprimum partes excaleſcunt, quibus excalefactis & ſpiritus, & ſanguis, rubedinis ſedes allicitur atque attrahitur. Accedit præterea, quod tunica quæ labia extrema inveſtit, tenuiſſima ſimul & pellucida ſit, ut muſculorum ſplendor, velut per vitrum, aut lapidem ſpecularem tranſpareat. Sunt autem gemina labia, cùm propter oris inciſionem, tum quod duplici dentium ordini velamina & propugnacula ſint. Sic etiam magnitudine variantur, quæ quandoque tenuis, & exigua eſt, quandoque tumens & craſſa, ut & eorum figura, quam ob multiplices & diverſos motus, diverſam etiam, & multiplicem eſſe contingit. At in quiete dentium conſtructionem, & figuram, quorum cuſtodes ſunt, rectè æmulantur. Connectuntur tandem labia, ad malas, ad nares, ad mentum membranis, & ligamentis, vinculis certe tenaciſſimis & robuſtiſſimis. Atque hæc eſt narium hiſtoria, quantum fieri potuit brevibus explicata.

Cap. 10. *De dignitate aurium, & earum conſtructione.*

FESTINAT jam ſermo noſter, ad tractationis illius perorationem, quæ eſt, de partium præſtantia & ſtructura, quas reſtaurandas, nobis propoſuimus, ſi tamen, quæ de auribus exponenda reſtant, priùs abſolverimus. Sed quoniam nobis de extima parte hujus inſtrumenti contemplatio conſtituta eſt, *& quam philoſophus auriculæ nomine inſignivit,* quod operis noſtri pars aliquota ſit, attamen ut diu jam tritâ viâ incedamus; & lectionem hanc ſolita multarum rerum varietate condiamus, paucis quædam de aurium dignitate, atque in genere dicere decrevimus. Aurium

ergo dignitas eſt eximia certè, & illuſtris, quod ſcientiarum dogmata fideliter per eas inſtillentur, parvoque negocio virturum præceptiones probè inculcentur. *Quare auditum Ariſtoteles & Plato, diſciplinarum ſenſum, & ad philoſophiæ cognitionem conceſſum eſſe, ingenioſiſſimi homines referunt.* Certum equidem eſt viſum ſenſuum omnium eſſe actione acertimum, cognitione perſpicaciſſimum, experientiâ veraciſſimum, at non omnibus occultarum rerum inventio data eſt, neque ad variam adeò, & implicitam cognitionem ætas hominis ſufficit. Ideo ad ſapientiam, ſcientiamque capeſſendam, ipſa viſione auditus multò accommodatior eſt. Etenim per auditum prima ſemina doctrinarum, in tenella ingenia injiciuntur, per auditum ex opinionum communicantia incrementa accedunt: per auditum quaſi ferventi cultura, ob ingeniorum colliſionem, & diſputationis concertationem, veritas excutitur, qua cognitio quævis adoleſcit, atque perficitur. Huic ergo ſenſui tam præſtanti, aures ipſæ ſpeculatores, & miniſtri ſunt, quod etiam Poeta ille innuit, cum ad ſapientiæ frugem officio aurium indoctos vocari differit:

Nemo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

Adhæc etiam refertur, quod ſuaviſſimam illam harmoniam, diiſque hominibuſque gratiſſimam, ſonorum concentus, & vocum modulos auribus percipiamus, quo quid jucundius, quid delectabilius, quid homini convenientius eſſe poteſt? *His feros homines ad manſuetudinem Orpheus revocavit, his regem Saul ab immundis ſpiritibus David vindicavit, his medicorum opinione morbi abiguntur, his animalia bruta, quod Arion Mitylenæus oſtendit, alliciuntur, & ut ſemel dicam, hæc ſumma ſalus, hoc optimum remedium, quo cor noſtrum edentes curas, triſtitias, ſollicitudines, inſtar Pythagorei ex animo noſtro explodimus, & ad tranquillitatem & lætitiam mentem revocamus.* Tanta igitur aurium dignitas eſt, tanta utilitas, quantam nemo ſatis poſſit perſtringere: *quarum præſtantiæ, & illud ex Ægyptiorum myſteriis accedit, quod eas obedientiæ ſimulacrum homines illi extare voluerint.* Quod etiam ex ſacra pagina conſtat, *dum ſecundùm antiquæ legis ſolennes ceremonias, in ſacerdotibus ſacris initiandis, extremum auriculæ dextræ Aroni, & filii ejus, immolati arietis ſanguine ex juſſu Dei Moyſes contingebat, quo facto, velut ſigno quodam, & monumento intelligerent ſacerdotes, ſe divino dicto audientes fore, & munus hoc perpetuum coram Domino obituros eſſe.* Ut enim ex inobedientia parentum noſtrorum, & paradiſo expulſi & omnium rerum egeni facti ſumus, ſic ex obſervantia mandatorum Dei, tum boni amiſſi pendet recuperatio, tum ad patriam, qua exulabamus, auditus patet. Auribus etiam apud Hebræos illa indigna ſervitutis nota imprimebatur, ut ea maxime conſpicua, & oculi hominum ſubjecta eſſet. *Si dixerit ſervus, diligo Dominum meum, & uxorem, ac liberos, non egrediar liber, offeret eum Dominus diis, & applicabit ad oſtium, & poſtes, perforabitque aures ejus ſubulâ, & erit ei ſervus in ſeculum.* Voluit enim Deus, ut eo loci, quo potiſſimùm nobilitatis, & decoris argumenta, appenſis magni precii gemmis, ingenui homines oſtenderent, illi nempe, qui gratam adeo libertatis vocem audiri noluerint, hæc turpia, & illiberalia perpetuæ ſervitutis ſtigmata circumferrent. Aures etiam memoriæ conſecratæ ſunt, quod applicato ad aurem digito antiqui ſignificabant. Hinc Maroninum illud.

Cynthius aurem
Vellit, & admonuit.

Sed inde hujus hieroglyphici ratio profluxit, quod teſtes in jus rapturi, teſtium auriculam, memor eſto, dicentes, contrectabant: Huc alluſit Ovidius:

Si quid erit de me tacita quod mente loquaris,
Pendeat extrema mollis ab aure manus.

Verùm ex phyſiognomonicis, quæ partem ſane commendant, judicia hæc ſunt. Aures tenues minores, & veluti circumciſæ, fatuum, callidum, malitioſum denotant, craſſæ, magnæque ſurdaſtrum. Extantes præſentaneam docilitatem, manſuetudinem, benignitatem, ut preſſæ inſcitiam, & ruditatem ſignificabunt. Quadratæ verò ac mediocriter magnæ in audiendo argutiſſimum. Sed aliquando accedamus ad eam partem, quæ noſtri operis eſt, auriculam ſcilicet cujus dignitatem etiam ſingillatim perſcrutari licet. Hujus utilitas eſt, ut ab externis injuriis auditionis organum tueatur, & ut ſonos aliquo pacto excipiat, & exceptos ad meatum auditorium deferat. *Nam quemadmodum ſuperciliorum pilos, ſupra oculos natura conſtituit, qui priores, ſi quid in ipſos deflueret, exciperent, ad eundem modum, & auribus apponere voluit propugnaculum, quod tamen illius obicis magnitudinem excederet.* Etenim in oculis, quos ſublimi loco poſitos eſſe oportebat, non magnum adeo vallum appoſuit, at econtra in auribus ingentem ſatis molem conſtruxit, quoniam illud oculorum aciem magnopere obſcurabat. hanc verò non modò ſonos non illabentes prohibere, ſed inſuper etiam ſonum aliquem fundere decebat. Hujus rei Hadrianus Romanorum conſul teſtis eſt locupletiſſimus, qui ſenſum hunc cùm læſum haberet manus cavas, quo audiret facilius, à poſterioribus ad anteriora ſpectantes, auribus obtendebat. Huc cedit, *quòd equi, aſini, canes, & animalia cætera, quæ magnas auriculas habent, eas ſemper circumagant, ac ad ſonos, & voces inflexas convertant, earum partium uſum ab natura edocta. Harum ſubſtantiam natura elegit, neque duram adeò, ut ſunt oſſa, neque penitus mollem, ut carnem, ſed quod in modio horum eſt, cartilagineam. Alterum enim duorum accideret, ut aut rumperentur aures facillimè, aut ut contunderentur,* prætterquam quod id neque pulchritudini earum conveniebat. Nam ſi molles nimis & tenues eſſent, conſiderent exquiſitè, & qua flacci notantur, noxam incurrerent, duæ verò atque craſſæ, arrectæ ſemper & extentæ rigerent. Hujus igitur generis ſubſtantia hoc peculiare habet, quod ſatis commodè partes ſubjectas defendat, ut quæ neque comminui, neque contundi, quemadmodum dura & friabilia; neque incidi, neque rumpi, ut mollia, & carnoſa queat, quodque nec collabendo ſubſidat, cùm ad excipiendos ſonos hiet continuò, nec uſque adeo arrigatur, quo minus in adaptando pileo, aut accommodanda capiti galea complicari, & ſine offenſione intorqueri poſſit. Quæ omnia cum utilitate, & pulchritudine earum partium maximè conſentiunt. Sed non deſunt anatomicorum, qui auribus, ut obſcurè moveantur, quandam muſculorum ſubſtantiam adſcribant, quod cùm rarum ſit, atque inſolens, itaque aures penitus cartilagineas, & communi corporis integumento comprehenſas, omnique motu orbatas ſtatuimus, & rectè decernimus. *Quoniam, & præter Galenum, & Ariſtotelem, immobiles homini factas eſſe aures, Plinius etiam affirmat.* Si præterea ad temperiem reſpiciamus, aures certè ſiccæ, & frigidæ fuerint, cùm ſubſtantiæ illius natura & ratio quæ cartilaginea eſt id nobis perſuadeat. Interſecant autem capitis orbem æquis portionibus, & medium ibi locum obtinent. Auditur enim non modò per directum, ſed & undequaque.

Quâ

Qua de cauſa, non ut cæteris animalibus in vertice, ſed in oculorum orbe poſitæ ſunt, neque ut reliqui ſenſus ex anteriori parte, ſed ad latera, atque è perpendiculo ipſis malleolis. Quarum numerus geminus eſt, *cum quod utriuſque lateris una ſit ſpecies, tum etiam quod cætera ſenſuum organa duplicia ſint.* Illud enim venuſtatis ſpeciem commendat, hoc verò hominem ipſum, cujus altera pars dextra eſt, altera ſiniſtra, numeris ſuis abſolvit. *Verùm enimvero effecit actionum perennitas, quod ſentiendi inſtrumenta ex neceſſitate gemina, & ex utroque latere ſingula poſita ſint.* Nam cùm actione vitam ipſam dimetiamur, qua illæsâ vita conſtans eſt, & ſuperſtes, & qua ſublatâ protinus, & neceſſariò concidit, itaque ut ſaluti operationum conſultum ſit, ita corporis ſenſoria natura extruxit, ut ſi contingat noxam alterum incurrere, nihilominus in altero, quòd illæſum ſupereſſet, actionum robur ſalvum, & perenne permaneat. *Nam prima, & maximè communis gemini organi ratio eſt, ut ſi unum eorum affectum fuerit, affecti vicem reliquum ſuppleat.* Quod Smyrnæi cujuſdam juvenis exemplo, cui ad anteriorem cerebri uſque ventriculum, vulnus adactum fuerat, dilucidò commonſtratur. Aurium verò magnitudo talis eſt, qualem nemo quis effingere poſſit melius, adeo ſymmetrâ, & apta ſuis uſibus. *Nam hominibus auricularum moles, quanta, vel èquis eſt, vel aſinis, incommoda fuiſſet, dum caput aut pileo, aut galeâ, aliiſque integumentis obvelarent, quod non raro facturi erant,* quandoquidem & in equis bellicoſis minores multò aures aſinis habentibus, ea magnitudo moleſta eſt, ſi aliquando caput illis contegimus. Præſtiterat igitur aures in hominibus ſurſum extendi, tantùmque meatibus extare, quantum nunc extenſæ & explicatæ ſunt, ita enim ſimul adſonant, meatumque operiunt, ſimul autem nihil impediunt, quo minus quidvi capiti injiciamus. Harum partium figuræ duplex conſideratio eſt, vel qua univerſæ auriculæ, & anticam & poſticam partem comprehendimus, vel qua adverſam tantùm reſpicimus. Etenim internorum voluminum ea ratio eſt, ut minus nocumenti, ſi quando complicari contingat, aures exciperent, *quemadmodum, & quod concavæ ſimul, & convexæ ſunt, ſi quid meatui incidit, ab ingreſſu prohibent, & peculiare quoddam in patiendo robur acquirant.* Nam rotundum ab injuriis omnium remotiſſimum eſt. Igitur ad utrumque eorum multos aures anfractus habuere, cùm eo modo magis convolvantur, atque in ſe ipſas reſidant, quàm ſi ſimplex, tota, & uniformis utraque fuiſſet. Connectuntur verò cum oſſe occipitis, atque oſſibus petroſis, in quorum centro meatus auditorius exculptus eſt, membrana ſimul atque cuti, communi totius corporis tegumento; atque hęc de auribus; quarum natura, & ſtructura conſiderata, tandem aliquando vela contrahimus, cum de dignitate, & compoſitione, quarum partium nobis quæſtio propoſita eſt, ſatis ſuperque verba fecerimus. Enim vero ad artis contemplationem, quæ illas partes reficit, digitum propius admoveamus.

Cap. II. *Quæ dicantur in humano corpore curta, in quibus curtorum chirurgia poſita ſit, quonam affectuum genere contineatur, & ad quam medicinæ partem hic liber referatur.*

DECVRSO igitur propè ſpatio univerſo, de faciei dignitate, & præſtantia, atque mox enarratis, narium, labiorum, auriumque dotibus, agite nunc hujus de curtis chirurgiæ, vadoſum mare, & adhuc omnibus mortalibus intentatum ingrediamur, ubi pro ingenii noſtri mediocritate ita curſum moderamur, ne abrepti vaſtiſſimis hujus pelagi fluctibus incautè noſmet concredamus, ſed ut terram propè, in tuto, ac tranquillo vela facientes, iter noſtrum emetiamur, atque ad vocatum tandem portum, laboris noſtri metam, appellamus. Antequam verò ad declaranda hujuſce chirurgiæ principia accedamus, quibus nimirum primordiis, prima artis hujus momenta cœperint oſtenſuri, poſtpoſitis cæteris, ea prius tradere decrevimus, in quibus totius noſtri de curtis reſtituendis negocii cardo vertatur. Id autem ſummatim, & ſuſpenſo pede peragemus, cum quæ ad initia hujus artis referuntur, ea ſaltem digito, ut aiunt, commonſtraſſe ſufficiat. Cæterum ne prima hæc ſine arte noſtra ſit emiſſio, quid curtorum nomine intelligimus, denuntiare oportet. Curta ſeu curtum, ſi Grammaticos conſulamus, id planè eſt, quod breve eſt, & puſillum eſt, ut apud Horatium:

Nunc mihi curto ſi licet modo
Vel ſi libet, uſque Tarentum.

At vocabulum hoc ad nonnullas corporis noſtri partes mutilatas, & à nativa quantitate deficientes, à rebus parvis deductum, & commodè translatum fuit. Quod ex Galeno clariſſimè patet, qui ea *quæ in labiis, in auribus, vel in narium alis deſunt* κολοβώματα *græcis, latine verò curta vocari refert, cui interpretationi clariſſimi quique medicorum, non leve, & ſpernendum ſuffragium ferunt.* Nares igitur, aures, & labia, quacunque tandem occaſione detruncata fuerint, curtorum appellatione rectè deſignari poterunt. Horum reſarciendorum ratio in eo potiſſimum conſiſtit, ut materiæ apparatus, & ejuſdem locus in promptu ſint, ut partibus mutilatis materia connectatur, atque ut connexa ad partium curtarum ſimilitudinem, aliquando conformetur. Materia eſt cutis ſimplex, ante conjunctionem cum curtis, delineanda prius & educenda. Locus, & regio, ex qua eripitur, eſt humeri pars anterior. Copulatur autem cum decurtatis partibus ipſa materies, ſuturarum operâ, & pluribus conſtricta deligationibus, iiſque idoneis, rectè conſervatur, quouſque & cutis, & curta coaleſcant. Poſtquam verò firmo coalitu invicem adhæſerint, recidenda eſt à brachio materia, & in partis exectæ formam ducenda, ſollicitoque tutanda, ut tandem robur, & conſtantiam perfectè nanciſcatur. Singula hæc ſuis locis fuſius, & exactius proſequemur, quorum tamen exigua quædam, & obſcura lineamenta ob oculos ſubjicere voluimus, ut ad inventionis momenta in arte noſtra, quæ ex agricultura depromuntur, commodius deſcendere poſſimus. Prius tamen locus videtur poſtulare, poſtquam quid curtum ſit, & qui ſint ſummi artis noſtræ apices declaravimus, ad quam medicinæ partem hic liber redigendus ſit, ut ratione propoſita explicemus. Verùm cum non ſatis conſtet, quot, & quales verè medicinæ partes ſint, tam ob ejuſdem cum philoſophia affinitatem, quàm quod hac de re plurimum autores inter ſe diſtent, itaque ab initio medicinam ipſam partiri, & ad ſua membra principalia reducere tentabimus, atque mox curtorum naturam expendemus, qua rectè ventilata, cuinam medicinæ parti ſubjecta ſit, commode, ni fallor, videbimus. Nam tanta fuit apud antiquos, & recentiores in partienda medicina diſſenſio, ut partes illius veras & germanas inventu, non modò difficiles, ſed planè impoſſibiles eſſe, aliqui non præter rem affirmaverint. *Non enim hucuſque neque limitibus ſuis medicina circunſcripta eſt, neque certis terminis à philoſophia ſejuncta, cum minimè conſtitutum ſit, an quæ in uſum cedunt medicis, medicæ facultati genuina ſint, & propria, an verò ex philoſophiæ campis deſumpta, & in medicinæ viridaria tranſ-*

plantata fuerint. Etenim cauſas morborum, & ſanitatis explicare rationes philoſophorum eſt. Atq; ſi hoc certum eſt, ut eſt, quanto magis cognitionem de elementis, de temperamentis, de facultatibus, de actionibus corporis, de re anatomica illis adſcribemus. Sic plantarum vires, metallorum facultates, lapidum virtutes, & cæterorum operationes, quorum uberrimus in medicina fructus eſt, non medicis inquam, ſed philoſophis indagandas relinquemus. Veruntamen omiſſa difficultate hac, quæ non tanta eſt, quanta prima facie videtur, quod tam philoſophis quam medicis ſuus cuique finis, præſcriptus ſit, hujus quidem operationis, illius verò cognitionis, clarum certè eſt, certos terminos atque proprios in arte ſua medico à Galeno collocatos eſſe, multis quidem in locis præcipuè verò dum libro peculiari, nunquid ars tuendę ſanitatis ad medicam, an ad gymnaſticam facultatem ſpectet, accuratè examinat. *Tria enim ſunt bonorum genera, quæ medicæ conſiderationi ſubjiciuntur, actionis nimirum robur, ſanitatis conſtantia, & pulchritudinis decus: quorum primum per ſe in corpore ineſt, ſecundum cauſa primi atque origo eſt, tertium verò ad hæc duo conſequitur.* Princeps autem atque abſolutiſſimum, quo potiſſimum egemus, bonum eſt actionum perfectio, cui bonus corporis habitus, & formæ elegantia ſuccedunt, hoc quidem naturæ quaſi auctarium, illud verò non ſimplex, neque per ſe corporis bonum, veruntamen à quo primum in ordine, velut ex ſcaturigine profluit. *Vertitur autem medica facultas primò quidem & præcipue circa ſanitatem, vel tuendam, vel reſtituendam, cujus compos ubi facta fuerit, cum virium robur, tum venuſtas è veſtigio ſubſequuntur.* Nam id certè artis finis eſt, cui artifex, ſi potiatur, acquieſcit. Tale autem quid ipſa ſanitas eſt. Quicumque enim ægri decumbunt, id ſaltem expetunt, ut ſani fiant. Sanitatem igitur efficere videtur medicina, quam naturalis pulchritudo & operationum virtus ſequatur, neceſſe eſt. Quamvis autem unum illud ſit, atque præcipuum, quod à medico conſideratur, nempe ſanitatis habitus, atque boni hujus correctrix, ſed largius extento vocabulo, ipſa medicina vocetur, attamen ob diverſas operationes & officia diverſa, quibus opus eſt, ut fine ſuo potiatur, variæ & multiplices hujus facultatis partes emergunt. Etenim medicina aut multum corrigit, aut parum: & quæ multum corrigit, medicativa, curativaque vocatur, quæ verò parum, conſervativa. Hæc rurſus inſignibus differentiis tripartitò diſtinguitur. Si enim exactè perfecteque valentem hominem ſuſceperit, ut eum, quo accepit, ſanitatis gradu conſervet, hanc partem εὐεκτικὴν, boni ſcilicet habitûs conſervatricem appellant: Quæ verò medicinæ pars illorum vires, qui jam morbi vim ſuperarunt, reficiendas aſſumit, eam ſane ἀναληπτικὴν, hoc eſt inſtauratricem, ſeu reſumptricem nuncupant. At inter utramque illud genus collocatur; quod propriè ſalubre, vulgo autem, & conſervativum ſimul, & ſalubre dicitur, quæ pars ſanitatis, qualiſcumque tandem fuerit, moderatrix, & tutatrix eſt. Quæ verò multum corrigit, medicatrix appellata, ea etiam ſuam ſubdiviſionem patitur, quam Galenus licet innuit, non tamen explicat. Hanc igitur ad illius imitationem, perſpectis ſuæ partitionis fontibus, ita partiemur, ut alia curatricis medicinæ pars ſit; quæ leves morbos corrigat; alia, quæ mediocres tollat; alia autem quæ pernicioſiores, & lethales, ſi poterit extirpet. Quemadmodum enim ad eam medicinæ partem, *quæ exiguos errores eximit, tres illæ nempe analeptice, ſalubris, & evectice referuntur, atque ſaltem pro ratione majoris, & minoris inter ſeſe differunt*, ita & curatricis ſpecies, ſi cum ſuperioribus conferamus, magna vitia eradicat, & in eo tantum mutuo diſcrepant, quod vitiorum, quæ pars medicatrix corrigit, non ſit æqualis vehementia, ſed unius magna, alterius majoris, tertii maxima. Quo pacto etiam parva analeptice, minora ſalubris, omnium autem minima evectice emendat. His aliqui adjecerunt προφυλακτικὴν, id eſt præſervatoriam, quæ conſervatrici parti facultatem habeat adverſam, & homines ab imminentibus morbis vindicet. Sunt ergo medicinæ quinque partes præcipuè, nimirum ἡ εὐεκτικὴ, ἡ ὑγιεινὴ, ἡ προφυλακτικὴ, ἡ ἀναληπτικὴ, atque ἡ θεραπευτικὴ; latinis boni habitûs conſervatrix, ſalubris, præſervatrix, reſumptrix, & curatrix dicta: quarum quatuor illa, ſub uno genere ſuperiori continentur, ultima verò & ipſa genus eſt, illi quidem generi ex adverſo poſitum, non tamen in ſua membra diſſectum, quod, quantum mihi conſtat, ſint anonyma, & fines invicem diverſos, ut cætera obtinere non videantur. Sunt tamen & alia loca quamplurima, in quibus medicinam videtur partiri Galenus, *& præcipuè libro jam citato, ubi novem hujus artis partes recenſet atque quam græci κομμωτικὴν, latini comptricem vocant, illis conjungit*, quam tamen ille ipſe partitionem rei cere videtur, quod comptricis pravitati, & aliarum duarum, quæ habitus athleticos moderantur, cùm veræ medicinæ bonitate nil commune ſit. Sic innumera penè hujuſce artis membra recenſet, ex diverſis fontibus petita, aliquando quidem novem; nonnunquam verò tria, eaque principalia, quę tandem in alia minora diſpertiuntur. *Etenim. u a medicinæ pars indicatoria eſt, alia curatoria, tertia ſalubris. Diſtinguitur autem indicatoria, in futurorum prognoſin, & præſentium dignotionem. Curatoria alia eſt pharmaceutica, alia diætetica, alia chirurgica. Salubris tandem partitur, in ſalubrem, cum ſuo genere homonymam, in boni habitûs conſervatricem, in præſervatricem, in analepticen, & in eam, quæ ſenum curam habet.* Illa verò medicinæ diviſio, hæc membra habet, *ut prius naturam corporis, cujus vitiis mederi debet, cognoſcat, deinde ut affectionum & morborum genera perquirat, mox ea diſtinguere ſciat, & quis eorum eventus futurus ſit praviſum habeat, poſt hæc ut curationem recta ratione inſtituat, aptaſque remediorum materias ſeligat, poſtea ut eos, qui ad morbos proclives ſunt, ab imminenti labe vindicet, quique convaleſcunt, reficiat, atque tandem ut qui ſanitate inculpata fruuntur, incolumes, & integros ab omni noxa conſervet.* Atque ex hac medicinæ partitione, ego profluxiſſe crediderim, illam jam uſitatam, & vulgò in ſcholis tritam, quod alia pars medicinæ ſit φυσιολογικὴ, alia παθολογικὴ, alia σημειωτικὴ, alia αἰτιολογικὴ alia ὑγιεινὴ, alia θεραπευτικὴ. Etenim priores duæ conſtitutionem corporum, tam juxta naturæ præſcriptum, quam ubi limites ſanitatis exceſſerit, conſiderant, & quæ ſint hominis principia, quæ partes, quæ affectiones, quo pacto lędantur; qui morbi ſint, quæ eorum cauſæ, quæ ſymptomata; explicant. Tertia verò quomodo unum quodque horum, ex notis ſuis atque ſignis cognoſcendum, & quid de uniuſcujuſque ſucceſſu præſagiendum ſit, præſcribit. Poſteriorum autem altera, poſtquam perſpecta ſit corporis habitudo, quomodo ejus incolumitatem tueamur indicat, altera verò, quo ea, quæ labem contraxerunt, ad ſanitatem reduci queant, quibus tandem illa, quæ cauſas ſanitatis & ægritudinis explorat, & idonea ad operis perfectionem auxilia ſubminiſtrat. Eſt autem adhuc alia medicinæ partitio, meo quidem judicio, omnium jam dictarum præſtantiſſima, quam idem Galenus, eodem libro priùs citato innuit. Cùm enim medicina ſanitatis præſes, & effectrix ſit, utique prætermiſſis aliis, quę alibi apponuntur, *in ſalubrem & curativam, rectè eam ſecabimus, ob duplicem quidem finem, eumque adverſum, quibus ſanitatis ratio in actionem cadit.*

Namque

Namque ea vel præſens, vel abſens eſt, itaque illa conſervatur, hæc verò reducitur, atque id equidem curatricis partis opera, ut ſalubris ſubſidio altera. Dividitur autem hæc adhuc in alias particulas, quarum ratio ex diverſa, quæ medicinæ ſubjiciuntur, corporum affectione petitur. Etenim corpora vel ſana ſunt, non tamen uſque adeo firma, ut bonas, & laudatas operationes obeant. vel firma quidem ſunt, & conſtantia, veruntamen ab ultimo perfectionis apice decedunt, vel tandem perfecta, & conſummata ſanitate potiuntur. Poſteriori itaque præeſt evectice; priori analeptice, medię verò ſalubris pars in ſpecie ſic appellata. Ad eundem modum, & curativa pars dividi poteſt, ex triplici morborum genere, quorum alii, ut Galeni verbis de ſanitatis gradibus utar, ſunt in habitudine, ut proximè à ſanitate ad morbos inclinent, quibus debetur præſervatio; alii jam ſunt in habitu, & manifeſtò lædunt, alii verò non tantum ad habitum pervenerunt, ſed pravi ſimul, & pernicioſi ſunt, ut pravo habitu eos præditos eſſe rectè dixeris. His duabus morborum differentiis, curatrix pars, alia quidem à ſuo genere naturâ, nomine tamen nequaquam diverſa, præficienda eſt. Sed ut aliquando redeamus unde digreſſi ſumus, videamus tandem cuinam medicinæ parti, hæc noſtra operatio ſubſcribenda ſit. Omittamus autem cætera partitionis membra media, atque ea, quæ extremis locis poſuimus, in noſtrum uſum convertamus. Illæ enim partitiones non vacant errore, cùm unumquodque genus in differentias oppoſitas ſecari debeat. Malè enim dicimus aliam partem medicinæ indicatoriam eſſe, aliam ſalubrem, aliam curatoriam. Utraque enim harum ſuis aut ſanitatis, aut morbi indiciis indiget, ſiquidem mederi corporibus, & præeſſe velit. Quare illa cùm cæteris pondere, haudquaquam æqualis fuerit, nec adverſo loco ponenda, cùm & cognitione prior ſit, & utique famuletur. Nam oppoſita, & naturâ ſimul ſunt, & mutuò ſtare nequeunt, neque unum ad alterius eſſentiam quicquam confert. Sic male videtur aſſignata ea partitio, quæ in phyſiologicen, in pathologicen, & in reliqua membra medicinam ducit. Cùm enim extremæ medici operationes ſint ſanitatem conſervare pręſentem, abſentem reſtituere, utique cætera quæque, tamquam principia ad obeundos hoſce fines diriguntur, neque cum illis ſub idem genus convenire poſſunt. Nam antequam tueri poſſes ſanitatem, corporum ſubſtantia, ejuſque partes & accidentia, tibi perноſcenda ſunt, priuſquam ſanitatem amiſſam cures, inveſtigandæ erunt morbi cauſæ, & ſymptomata. Non ergo membra hæc cum illis ad idem genus referenda ſunt, cùm eorum natura alia ſit ab his, & diſſentanea, & quædam cauſæ rationem, quædam verò effectûs, & finis eſſentiam obtineant, mutuumque inter ſeſe habeant reſpectum, non tamen contrarium. Quemadmodum neque pars pathologicæ, quæ cauſas ſanitatis conſiderat, cum aliis differentiis convenit, ut & neque curatoriæ partes ſunt pharmacia, chirurgia, & diæta, ſiquidem hæc inſtrumenta ſunt, quibus, & conſervamus valetudinem, & reducimus. Acceptanda igitur eſt ea partitio, quòd medicinæ pars altera exigua vitia tollat, altera verò inſignia emendet, quodque alia ſit ſalubris, alia curativa, quarum utraque rurſus in evecticen, in ſalubrem, in analepticem. in præſervatricem, & in curatricem dividitur, hoc ſaltem addito, quòd & γηροκομικὴ pars, quę ſenes curat, in prima partitione cæteris adjiciatur, quę tamen actionis natura eadem eſt cum prophylactice; at propter ætatem, eorum quibus cura adhibetur, ex accidenti differt. Etenim quæ morbo ingruenti curatio convenit, eadem etiam in corporibus ſenum vacillantibus medela ex uſu eſt. Non enim tam ſenectus morboſa eſt, quin ipſe morbus. Sed videamus, quo referenda ſit hæc curtorum operatio. Veruntamen neceſſarium eſt, ut quo genere affectuum præter naturam curta comprehendantur, prius conſideremus. Id enim claſſem, quo referendus ſit hic liber, nobis monſtrabit. Nec diſcedemus hac in parte ab authoritate ipſius Galeni, qui duas morborum in numero poſuit differentias, alteram quidem parte quadam abundante, alteram verò eadem deficiente. *Sive enim pars quædam radicitus perierit, ſive ex dimidio, vel amputata, vel mutilata fuerit, atque id aut à primo generationis exordio, aut ubi quis in lucem edatur, omnia inquam hæc naturalem partium numerum imperfectum eſſe indicant: quemadmodum eum abundare dicemus, ſi vel integra, vel dimidia particula, præter naturæ decreta ſuperfuerit.* Rejiciuntur, ergo nares, labia, & aures decurtatæ in eum morborum in numero ordinem, in quo pars quædam deficiat, *atque id etiam ipſius Galeni teſtimonio.* Unde conſtat, quod quæ circa ea vertitur actio, ad curatricem medicinæ partem referenda ſit, vel eam, quę levia tollit incommoda, vel quæ morbos jam confirmatos, non tamen adeò immites, & effero, abigit. Non enim non poteſt medicinę curatricis opus eſſe, & effectus, ſi quę pars humani corporis deficiat, ea artis beneficio reſtituatur. Etenim hoc eſt ſanitatem partis deperditam reducere. Veruntamen ſi labiorum, aurium, nariumque detruncationes, quantum afferant, vel ad dignitatem, vel ad venuſtatem detrimenti, conſideremus, utique chirurgiam hanc, ad comptoriam partem ſpectare, neque huic noſtrę artium laudatiſſimę acceptam referendam eſſe dicemus. His enim aut læſis, aut reſectis tanta ineſt fœditas, tanta turpitudo, tanta aſpectus pravitas, ut nimium, quantum totius faciei decor, & elegantia, ex hac exigua adeò particula pereat, & intercidat, quibus reſtitutis priſtina aſpectui gratia, & pulchritudo, redit. *Etenim deformitatem quandam in labiis, auribus, naribuſque amputatis, niſi funditus excisæ fuerint; ſolummodo pertimeſcendam eſſe Celſus refert.* Itaque non ſine ratione hanc curtorum operationem, non tam ad curatricem partem, quàm ad comptoriam pertinere quis crediderit, præſertim ſi ea membra penitus non perierint, atque hinc non eo loco cum cęteris medicinæ partibus collocandam eſſe. Sed errat proculdubio, qui hoc dixerit. Non enim colorem vegetum, membraque mollia, non crines aſpectu jucundos, non cętera pulchritudinis lenocinia, natura prius negata, quod comptorię proprium eſt, opere noſtro arceſſimus, ſed ea, quæ natura dederat, fortuna abſtulerat, membra reducimus, reſarcimus, integritati reſtituimus, non ut oculos delectent, ſed ut animæ operanti emolumento ſint, non fucis illiberalibus, ſed præſtantibus anxi iis, non ut mangones, ſed ut bonos medicos decet, & magni illius Hippocratis ſectatores. Quamvis enim priſtinum faciei decus reſtituatur, non tamen hic finis eſt, hæc meta medici, ſed ut membra illa actiones ſuas ex naturæ decreto obeant, neque hæc illa pulchritudo eſt fucata, & ſpuria, & medicorum filiis indigna, ſed vera illa, & germana, quam ſingulis membris velut operis quoddam additamentum, natura dives, & benigna indidit, neque unicam ſaltem particulam hoc lepore non ornatam eſſe voluit. Idcirco ſub curatricis operam hanc chirurgiam noſtram, haud immeritò collocabimus, eique ſoli, non aliis medicinę officiis eam adſcribemus, quod tamen ſi quis in gratiam etiam nativæ pulchritudinis fieri dixerit, non repugno.

Cap. 12. *In quo hujuſce operationis principia traduntur.*

NVNC verò, illis prælibatis declaraturi ſumus hanc curtorum operationem defluxiſſe ex agrorum cultura, atque velut æmulam illius artificiosæ ſtirpium propagationis, ab inſitione originem ſuam deſumpſiſſe. Itaque docta antiquitas, quæ de inſitionum generibus tradiderunt, ea hoc loco nobis repetenda ſunt, atque ſedulò perquirenda, ut orationi noſtræ lumen accedat, & quomodo non unam ſaltem, ſed complures inſitionis ſpecies, quod admirabilius eſt, hæc noſtra chirurgia complectatur, appareat. Hinc etiam patebunt hujus artis exordia, & momenta prima facilè innoteſcent, quibus adducti noſtræ tempeſtatis homines, hanc operationem non minus ſeriò quàm auſpicatò aggreſſi ſunt, eamque in humanis corporibus exercuerunt. Unde ab omni temeritate, & oppugnatione malevolorum artem hanc vindicabimus, qui caſu quodam, non ratione illam extitiſſe aſſerunt. Apparebit enim certiſſimis argumentis, & exactiſſimis conjecturis, ad opus hocce, autores primos, quicumque tandem fuerint, inſtructos acceſſiſſe, & cùm novum hoc atque inauditum priſcis hominibus eſſet, hujus artis principia, & progreſſus marte proprio ſedulò perſpexiſſe. Quare admiranda certè eſt, atque ſuſpicienda hominum cura, cui nil arduum, nil difficile eſt, ad quod rationibus innixa non pervenire, quod ipſa tandem ſtudio, & ſolertiâ, non ſuperare poſſit. E contra commiſeranda eſt eorum conditio, qui nihil tentando ſuam deſidiam alunt, & quaſi jam omnia plana, omnia inventa, omnia experta, omnia antiquorum ſedulitate, & doctrinâ pervagata ſint, nihilque ſit reliquum, in quo vim ingenii exerceas, & nova inveniendo medicinam ornes, adaugeas, illuſtres, vaniloqui crepitant. non ſolùm autem, quibus invenire datum eſt, bonis invident, ſed quod odioſius eſt, illorum fœtus calumniis obruere, atque ſiniſtris delationibus tentant evertere. Sed ut rectè negocium noſtrum pernoſcamus, omnes inſitionis modos enumeremus, qui tam ex recentiorum quàm antiquorum præceptis in univerſum quaternario definiuntur. Quicquid enim inſeritur vel ſurculum, vel ſemen, vel gemmam, vel traducem requirit. Tres priores modos eleganti carmine Palladius diſertè expreſſit:

Principio multas ſpecies induſtria ſolers
Protulit, & doctam juſſit inire manum.
Nam quacunque virens alienis frondibus arbos
Comitur, his diſcit credita ferre modis.
Aut nova diſcreto figuntur germina libro,
Aut aliud ſummo robore fiſſa capit.
Aut virides oculos extremum gemma tumoris
Accipit, & lento ſtringitur unda ſinu.

Tria igitur genera inſitionum in primis antiqui tradiderunt, unum quod reſecta & fiſſa arbore recipit inſertos ſurculos: aliud, quod inter librum, & matricem arboris ſemina admittit: tertium verò ipſas gemmas, eam exiguo cortice in partem delibratam recondit, quam inſitionem Agricola emplaſtrationem vocat, velut quidam inoculationem. Eſt autem hoc genus inſitionis ſubtiliſſimum, neque omni arborum generi idoneum, ſed ab iis tantùm recipitur, quæ humidum, ſucculentumque, & validum, uti ficus, librum obtinent. Hæc enim lactis plurimum remittit, & corticem robuſtum obtinet. Optime itaq; ea tali pacto inſeritur. In ea arbore, ex qua inſeri velis, quærito novellos, & nitidos ramos, in his gemmam obſervato, quæ bene apparebit, certamq; ſpem germinis habebit. Illam duobus digitis in quadrum circumſignato, ut gemma media ſit, & acuto ſcalpello circumcidito, diligenter quidem, ne gemmam lædas. Delibrato item quam arborem inſerere velis, in ea nitidiſſimum ramum eligito, & ejuſdem ſpatii corticem circumcidito, & materiam delibrato. Deinde in eam partem, quam nudaveris, gemmam aptato, quam ex altera arbore, deſúpſeras, ut tamen antè circumciſæ parti emplaſtrum conveniat. Ubi hæc feceris circa gemmam benè vincito, ne lædas, poſthæc commiſſuras, & vincula luto oblinito, ſpatio relicto, quà gemma liberè progerminet. Materiam, quam inſerueris, ſi ſobolem, vel ſupra ramum habuerit, omnia præcidito, ne quid ſit, quod poſſit avocare, aut cui magis, quàm inſito ſerviat, & poſt unum & vigeſimum, diem emplaſtrum ſolvito. Tres igitur ſunt arbores inſerendi rationes, quas priſci cognoverunt, & in uſum traduxerunt, quibus tamen quartam Columella addidit, cùm duos vitium inſerendarum modos patefaceret, alteram quidem, quæ fit reſciſſa vite, & malleolo implantato, qui modus ſupra etiam dictus eſt, alterum verò cum vite perforata per foramem palmes traducitur. Hic igitur talis eſt. *In hac inſitione, quæ fit per terebrationem, primum ex vicino fructuoſiſſimam vitem conſiderare oportet, ex qua velut traducem inhærentem matri, palmitem attrahas, & per foramen transmittas, Hæc enim tutior, & certior eſt inſitio. Etſi enim vere proximo non comprehendat, ſequenti certè, cùm increverit, non abeſt quin conjungatur. Mox ubi palmes coaluerit, à matre reſcinditur, & inſitæ vitis ſuperficies uſque ad receptum ſurculum detruncatur.* Videtur tamen ab his omnibus diverſa eſſe, quã M. Cato deſcribit, inſitio, *quando, quæ haud procul diſtent, & teneræ fuerint vites duæ obliquum præacuuntur, & inter ſeſe medullis mutuò applicatis, vinculo libri colligantur.* Sed hæc inſitio ad primam ſpeciem, quæ arbore fiſſa ſurculos immiſſos recipit, aliquo pacto referri poterit, qua ratione, & his annumeranda eſt, nova illa, & ante Columellam minimè cognita inſitio, qua diverſas penitus naturâ, & figurâ arbores coaleſcere & propagari tradidit. *Veteres enim nullas arbores penitus poſſe inſeri, maxime ratum, & quaſi lege quadam ſancitum eſſe voluerunt niſi germine, fructu, libro, & cortice convenirent.* Sed id falſum eſſe oſtendit Columella, & modum hujus inſitionis diverſorum ſurculorum cum diverſis arboribus ſatis aptè demonſtrat, quam noſtro negotio cùm magnopere quadrat, lubet adſcribere. *Exiſtimamus,* inquit Columella, *errorem hujus opinionis diſcutiendum eſſe, tradendamque poſteris rationem, qua poſſit omne genus ſurculi, omni generi arborum inſeri. Quod ne longius legentem fatigemus, quaſi unum exemplum ſubjicimus qua ſimilitudine, quod quiſque volet genus omni arbori poterit inſerere. Scrobem quoquo verſus pedum quatuor ab arbore Olivæ tam longè fodito, ut extremi rami oleæ poſſint eam contingere. In ſcrobem deinde fici arbuſculam deponito, diligentiam adhibeto, ut robuſta, & nitida fiat poſt triennium aut quinquennium, cùm jam ſatis incrementi ceperit, ramum Olivæ, qui tibi videatur, nitidiſſimum deflectito, & ad crus ficulneæ arboris religato, atque amputatis cæteris ramulis, ea tantum cacumina, quæ inſerere voles relinquito. Totam arborem fici detruncato, plagamque levato, & mediam cuneo findito. Cacumina Olivæ ſi ut matri inhærent, utraque parte abradito, fiſſuræ fici adaptato, cuneum eximito, & diligenter obligato, ne qua vi revellatur. Sic interpoſito triennio, Olivæ ficus coaleſcet, & tum demum quarto anno, cùm bene poterit, velut propagines Oleæ ramulos ramoſa à matre reſecabis. Hoc modo omne genus arborum inſeres.* Differt autem à primo hic inſitionis modus, quamvis commode ad eum reducatur, quod illic avulſus ſurculus, hic verò matri adhuc inhærens, atque inſitus alterius arboris ſtirpi committatur. Ex his itaque conſtat, quatuor eſſe inſitionum genera, ſi Catonis, & hanc ultimam Columellæ primæ antiquorum adſcribamus, nempe cùm arbori reſectæ & fiſſæ ſurculus imponitur, cùm inter corticem, & librum

brum arborum germina induntur, cum arboris ramo, cum exiguo cortice gemma una adaptatur, & cum perforata, quæ inſeritur, arbore, alterius arboris ramulus, quem traducem appellant, tranſmittitur. Hæc igitur inſitionum genera duo poſtrema, qui recte conſideraverit, videbit certe primos hujus artis noſtræ fundatores, ad hanc artificioſam operationem, quemadmodum, & nos, certâ conjecturâ perductos fuiſſe, ut decurtatas noſtri corporis partes hoc aliquo modo reſtitui, & renovari haud dubio exiſtimaverint. Cùm enim ipſæ arbores naturâ planè diſſentientes, per traducem, longo licet intervallo, exactè adeò coaleſcere, ut in idem ingenium abirent, & firmiter conjungi viderent, idcircò faciliùs multò, & minoris temporis impendio, quod temperie convenirent, amputata membra cum aliis iiſque ſalvis, uniri poſſe crediderunt. Quid enim brachii pars, è qua traducis deſumitur ſubſtantia, à partibus reſarciendis, niſi exigua majoris, aut minoris differentia, temperie diſſentit? Præterea cùm corticem arboris, cum aliena arbore coaleſcere, ut fit in emplaſtratione certiſſimâ experentiâ cognoſcerent, nihilo ſecius etiam cutem ipſam, quę cortici reſpondet, cum aliis ejuſdem corporis partibus firmo coalitûs nexu colligari poſſe ſibi perſuaſerunt. Confirmavit ſucceſſus operis, operationum omnium, quę fiunt in animantibus principis, & opificis caloris vis, atque robur. Non enim contingit niſi genitalis caloris copia, ejuſque virtute, ut arborum inſitiones feliciùs, quàm unquam alias, tempore verno ſuccedant, neque fieri poteſt, ut diſſimiles libro, & fructu arbores, totâque naturâ diſſidentes, traductione conjungantur, ne ex longo caloris vivifici fotu vigor, & incrementum accedat, & quaſi perpetuò ab ubere materno tradux ipſe alatur, & benigne educetur. His itaque rationibus permoti, qui ad hanc artem primò ſeſe tranſtulerunt, non inſulſi naturæ æmuli, partes quoque corporis noſtri amputatas, aut quovis modo reciſas, reſarciri, & in integrum reſtitui poſſe autumatunt, cumque ad operationem ſemel recepiſſent, id quod ſibi perſuadebant, haud infeliciter conſecuti ſunt. Convenit enim ſi quis rem introſpiciat, hæc ars rectæ inſitioni, & non ſaltem uni generi, ſed duobus, imo tribus maximè convenit, inoculationi nimirum, per traducem inſitioni, & quæ ſurculum à matre pendentem recipit. Nam qua ſola cute in reſtaurandis labiis & naribus utimur, ea parte inoculationi reſpondet, cum ipſius arboris cortici atq; libro, eo, quod partes involutas conſervent, & foveant, cum noſtra cute commune ſit officium. Sed cùm quamprimum à matre evellatur cortex, & in alienam arborem immittatur, at niſi prius cum partibus, quibus conjungitur benè cutis coaluerit, non reſcindatur, ea ratione plurimum ab emplaſtratione hæc noſtra chirurgia diſſentit. Quæ verò per traducem fit inſitio, & quæ in vitibus Catonis præcepto celebratur, necnon qua omne genus arborum inſeri poſſe tradidit, ea maxime huic negotio competit. Non enim hîc ſecus, ac illic, pars agglutinata, & commiſſa à matre non reciditur, quouſq; diuturno alimenti ſubſidio confirmata parti, cui conjuncta ſit, firmiter adhæſerit. Differunt autem, quod hæc ſolam cutem, illa verò totius materiæ compagem cum medulla, libro, & cortice traducem deſideret. Cauſa verò eſt partium illarum imbecillitas, tam ob caloris penuriam, quàm ſubſtantiæ ipſius conditionem, quod cortices cum arboribus, quo pacto fit in noſtro corpore, traductæ, haudquaquam uniantur & coaleſcant. Etenim in ſtirpibus quoquo pacto à medulla cortex divulſus eſt, neque ut cutis per vaſa ſua cæteris membris alligatur, matrici adeò agglutinatus, quo fit, ut pars illa non admodum robuſta ſit, ſed plurimum exhauſta calore, & alimento viribus langueat. Nec ita flexilis eſt, ut rite alienę arbori adaptari poſſit, nec futurę plantæ in ſe ſemina cortex continet, cujus gratiâ inſitionem expetimus, quæ omnia in refectione curtorum nullatenus requiruntur. Non enim, novum hominis fœtum condere, ſed particulam quandam, quę perierat, jam adulti reſtitui curamus. Atqueideò corticem arborum per traducem propagari, quod fieri in nobis videmus, nequaquam poſſe rectè ſentimus. Sed qua ratione tribus illis inſitionum generibus, hęc noſtra operatio in quibuſdam reſpondet, in quibuſdam verò ab iis differt, ita ab iiſdem, & planè ab omni inſitione diſcedit, dum additamentum quoddam ex artificis induſtria recipit. Cùm enim agricolæ uni tantum arborum coaleſcentiæ ſtudeant, quodque ſi aſſequantur, præter earum conſervationem, nil amplius moliantur, non tamen id hoc loci ſuffecerit, ſed poſtquam curta membra cum traduce firmiter adhęſerint, & propago ab antiqua matre divulſa fuerit, tunc rudis penitus, & informis illa materia ſubigenda, & in figuram amiſſę partis, ſummâ opificis ſolertiâ reducenda eſt. Hic enim ultimus ſcopus eſt, hęc cura præcipua, cur partes humanas invicem inſeramus, ut aliquando, quod inſitum fuerit, naſi, labii, & auris figuram repręſentet, & nativam partium illarum formam æmuletur. Cùm igitur cætera naturæ potius adſcribenda ſint, & ut videtur, petita ex agri cultura, ſatis vulgaria, hoc opus maxime admirandum, & artis noſtræ proprium eſt, in cujus perfectione naturam ipſam doctam, ingenioſam, liberalem, artifex prudens, ſolers, & benignus non leviter ſuperat. Sed hactenus poſtquam chirurgiæ noſtræ principia ex agricultura cepiſſe declaratum fuit, atque adeo ex ipſis inſitionum generibus effluxiſſe, & cum eam tribus inſitionis modis affinem eſſe demonſtravimus, præcipue verò illi, quæ iſtud diverſarum ſtirpium adulterium conciliat, jam quoq; diſtinctiùs hæc nobis conſideranda ſunt, ut ex inſitionis præceptis negotium omne inſtituamus, ac præcipuè videamus, quomodo partes inſitioni ſubjectæ, tam in arboribus quàm in noſtro corpore, nec non quo pacto inſerendi rationes, ſibi invicem reſpondeant. Primùm itaq; curtæ partes, cum arbore illa, quæ inſeritur, detruncata & fiſſa conveniunt. Mox illa pars ex qua pro curtorum reſtitutione, cutis educitur, hujuſmodi arbori aſſimilatur, unde qui aptus fuerit pro inſitione, ramus ſecernitur, & cum oliva, ut exemplum Columellæ adaptemus, comparatur. Cutis verò jam educta, ramulum illum oleę nitidiſſimum, atq; ad arboris crura reflexum, qui in fici fiſſuram poſt immittitur, liquido repręſentat. Cęterorum quidquid eſt, reliquum curationis adhibendę indicat, & ſummam potius inſitionis oſtendit, quæ tandem poſteaquam cutaneus tradux ſeu propago educata fuerit, in humano corpore adminiſtratur. Accedit tandem conformatio, parti cuique, quę revocatur, propria, & genuina, quam ſuo loco aliquando docebimus. Sed ut diſtinctè ſingula comprehendi poſſint, & quomodo hæc inſitio fieri debeat, intelligamus, altius exordiendo rurſus de ſubſtantia cutis traducis, de quantitate ejuſdem, de loco, atque; de conjungendi modo cum partibus cæteris, in ſequentibus agamus.

Cap. 13. *De materia ad refectionem curtorum idonea.*

IAm igitur primum eſt in hac curtorum diſciplina dirigenda, quod & in reliquis artibus, rerum naturâ ſic expoſcente, uſu venit, ut materiei omnis naturam, & ſubſtantiam conſideremus. Diximus enim ſupra, cutim eſſe materiam, unde refectio curtorum paranda ſit, cùm hujus artis exordia patefecimus. Ex quo recentiorum error, qui è carne nares reſarciri

 dicunt,

dicimur, manifeſto deprehenditur, quod ſuo loco tranſigimus. Itaque ſingillatim expendendum eſt; quanam ratione cute tantùm, non item aliis partibus ad hoc negotium opus ſit, & quæ hujuſce rei argumenta habeamus. Certum eſt atque omnium medicorum conſenſu receptum, *quod partium humani corporis, ſi quid quondam perierit, primo quidem attentemus, ut aliquid ſubſtantia quàm ſimillimum, in locum amiſſæ particulæ reſtituamus: Atque ſi id nobis denegatum fuerit, hoc ſaltem ſedulo curemus, quo tale quid, quod eundem uſum cum priori præſtet machinemur.* Quod ex oſſium fracturis abunde liquet, in quibus cùm oſſis tibiæ ſæpe portionem magnam excindere cogimur, ut alteram ejus loco ſubſtantiam producamus, naturam ipſam medicamentis carnem gignentibus provocamus, quæ utique inter initia velut dura caro eſt, poſtmodum verò durioris calli firmitatem accipit, & temporis tractu roborata, loco oſſis ad inceſſum habilis redditur. Quare cùm labia, nares, & aures cutis ſubſtantiam referant, neque fieri poſſit, ut quod reſectum ſemel fuerit, ex ſua natura denuo repullulet, itaq; cutim alterius partis adductam, ut partium harum dedecus ſemoverent, atq; læſis membris conjunctam, primi artis autores huic uſui accommodarunt. Quod fieri poſſe ad imitationem inſerendarum arborum, ut diximus, ſibi facile perſuadebant, cùm præter ſubſtantiæ cognationem nulla corporis noſtri pars ſit, quæ citra maximum vitæ incommodum, ac ipſa cutis, à cæterorum conſortio avelli, & aliò transferri queat. *Cum verò quatuor in univerſum ſint cutis differentiæ*, non omnes ad hanc operationem idoneas eſſe, præmonuiſſe voluimus, ſed unam tantum, quod in ſequentibus apparet. Una enim cutis differentia eſt, quod expers pilorum ſit, quod exquiſitè ſentiat, quodque à ſubjectis corporibus vix ſeparari, neque ut cætera complicari queat, qualem manûs volam, & plantas pedum eſſe Galenus refert: Alia cutis eſt, quæ muſculum, cujus gratiâ movetur, cumque tenuem ſubſtratum habet, quod in fronte fieri videmus. Succedit tertia ſpecies, quam propter varium & multiplicem fibrarum carnearum implexum, ſive muſculum cutaneum, ſive cutim muſculoſam dixeris, nihil refert, qua labiorum & buccarum natura conſtat. Poſtremum cutis genus eſt commune velamentum totius corporis, alicubi piloſa, alicubi pilis deſtituta, ubique motus expers, & quæ citra difficultatem à connexis partibus divellitur. Ex his igitur quatuor generibus cutis, hæc ultima ſaltem ad noſtrum uſum transfertur, cùm prima nec educi, nec reſcindi poſſit abſque vitæ periculo, neque ejuſmodi ſit, ut æquè formam deperditæ partis referat. Haud abſimili ratione rejiciuntur duæ proximæ, tamquam prorſus alienæ, cùm neque in multis partibus reperiantur, neque commodè mutilatis membris adduci, & connecti queant. Sola igitur ſupereſt quarta, quæ univerſum corporis ambitum, velut amiculum quoddam & velut piſcatorum naſſa circumpoſita involvit, quæ quanam in parte rectius educi, & felicius avelli poſſit, in ſequenti videbimus.

Cap. 14. *De loco unde cutanea propago educenda ſit.*

POSTEAQUAM hucuſque materiam ad curta reſtituenda cutim eſſe cognovimus, neq; tamen promiſcue omnem, ſed quæ ſimilitudine, & cæteris notis jam relatis, ad curtorum eſſentiam proximè accedat, nunc de regione & ſede, ex qua transferri debeat, brevib’ perſcrutemur. Hunc locum non diverſum eſſe ab humero jam recepta conſuetudine quiſquis ille fuerit, qui primum id adverterit, conſtituimus. Id autem quanta cum ratione, quàm acri judicio factum ſit, ſi prius, quæ ad hanc operationem requiruntur, conditiones enarraverimus, rectè pernoſcemus. Principio igitur curtorum ſubſtantiam, materiei quantitatem & qualitatem expoſcere, nemini non perſpectum eſt, cùm ut ſupradictum fuit, ea ſpecie curtis eſſe debeat quàm ſimillima: & quod nunc dicendum reſtat, tantam eſſe oporteat, quæ ſat amplam, ad refectionem copiam ſuppeditet, ne quod aliàs mutilum, & truncum fuerat, mancum denuo, & imperfectum remaneat, atque ne qua ars noſtra apud imperitos, & malevolos, quibus nihil ſanum eſt, inculpanda veniat. Præterea cùm ipſa cutis cum curtis conjungenda, illis aſſuenda, & ad coalitum uſque non exiguo tempore continenda ſit, profectò requirit ipſa ratio, ut illa pars, quæ traducem commodet, commodè adduci, bene conjungi, & quouſque partes validè coaluerint, nullo aut perexiguo cum patientis incommodo, in connexione, cum curtis, jucundo detineri poſſit. Haud ſecus convenit, & prudentis medici officium eſt, ne quam unam in parte notam deleat, eam turpitudinem aliis inurat. Petenda itaque eſt hæc refectio ex eo loco, qui quàm minimum oculis pateat, & pro libitu abſcondi queat, atq; quod caput rei eſt, ut ipſa operatio ſecura ſit, & quàm levibus, imò ne ullis quidem periculis obnoxia. Sed quam benè hæc omnia ipſi humero quadrent, ita ut eo nihil aptius ad hoc negocium reperiri potuerit, ex ſequentibus perſpicitur. Proxime enim ad naturam labiorum, & narium accedit cutis humeri, & præcipuè, quæ oculis ex adverſo poſita eſt, tantaq; pollet amplitudine, ut materiam pro refectione curtorum maximè idoneam & liberius exhibeat. Non enim æqualem mole cum curtis partibus illam eſſe oportet, ſed juſtis de cauſis multò ampliorem, quæ paulo poſt oſtendemus. His igitur omnibus abunde humerus ſatisfacit, & præcipuè, quod propagine jam ſecreta, & educta, cum affectis locis aptè conjungi, ſuturis committi, & abſq; moleſtia ægri immotus conſervari queat, quouſque membra agglutinata perfectè coiverint. Quod autem admoveri, & connecti poſſit humerus, per ſe manifeſtum eſt, non tamen æquè patet, an id citra dolorem & patientis noxam fiat. Videbitur verò, ſi ipſius brachii ſitum, dum faciei admovetur, & quantum à media figura diſtet, *quæ dolorum expers eſt*, prius demonſtraverimus. Poſitus igitur brachii eſt. Pars antica humeri, quantum fieri poteſt, naribus proxime adhibetur. Sincipiti medio, capo contermina ulna imponitur, ut articulus humeri ad ulnam, cum ea faciei parte, quæ ſupercilia continet, exactè concurrat. At carpi pars domeſtica, ſuturam ſincipitis ſagittalem, quam vocant, mediam attingit. Tandem verò ad verticem ipſum vola manus ſecedit, atque medius digitus, quàm proxime fieri poteſt, ad eum, qui in occipite eſt, ſuturæ angulum adducitur. Hæc igitur brachii figura eſt, quando cum partibus curtis committitur, quam ſi ad Galeni rhombum adaptaverimus, & primum illam, quæ eſt ad cubiti, & carpi articulum, atque adeo quicquid eſt extremæ manus, videbimus eam à figura media declinare paululum; humeri verò juncturam cum omoplatarum altera à medio non mediocriter recedere. Etenim in articulo ad gibberum figura angularis rationem mediam inter extremos motus obtinet. Carpum ad utramque partem æquè flectimus rectè & reflectimus. A vinculis liberi ſunt ipſi digiti, ideoque in quamcumque velint figuram ſeſe conjiciunt. Abeſt quidem

manus

manus à figura media inter pronum, & ſupinum, videlicet ob carpi inflexionem, non tamen ultra modum. Unus ſupereſt humeri articulus, qui à mediocritate figuræ plurimum diſtat, præcipue cum ab lateris poſitu, ubi natura quieſcit, ad faciem uſque, ab imis ad alta attrahendus ſit, & ſecum muſculos eos, qui humerum, & ſcapulas detrahunt, cum violentia extenſos abripiat. Itaque partium harum colligantia ægros proculdubio torquet, & propter partes præter mediocritatem divulſas, doloribus afficit, quod tamen ſpernendum eſt, cum dolor ille intra quatriduum evaneſcat, dum ex conſuetudine partes emollitæ in contrarium habitum abiverint. Si igitur brachii poſitum ad internodia ſua conſideremus, eaque in operatione faſciis probè munita applicemus, cùm non uſque adeò recedant â media figura (leve enim illud eſt incommodum, quodque quamprimum corrigitur) quare partem hanc, ad amovendos narium defectus, ſanè commodam eſſe dicemus, eamq; ſumma cum ratione inſtitutam fuiſſe, ut rejectis aliis membris, tanquam inutilibus, ex hoc loco progago illa depromatur, atque adeò cum neq; fœditas, neque turpitudo ulla his partibus inuratur. Proxime enim thoraci adjacent, parti ei, quæ vel nunquam vel rarò ſolet denudari, ſic reviveſcente carne eatenus ex arte reſtituuntur, ut exigua plane aut fere nulla ab ea exciſione ſtigmata remaneant. His accedit operationis ſecuritas, cum nullum fere periculum ſubſit, dum propaginem educimus atque evellimus, neque mortiferæ convulſionis, neq; ſævæ hæmorrhagiæ cum nervi deſint, nec unicum vas aut arteriarum, aut venarum in propinquo collocatum ſit, infrà clarius patebit. Quibus ſic conſtitutis cum non ſolum difficile, ſed plane impoſſibile ſit quandam corporis noſtri reperiri partem, quæ omnibus notis jamjam relatis, pro voto reſpondeat, ſed haſce conditiones, qualeſcumque ſint, ſolus humerus recipiet: quare neceſſario affirmavimus. exploſis cæteris, humerum maximè opportunum eſſe, è quo cutanea illa, & ad refectionem membrorum neceſſaria propago educatur & excidatur. Quæ enim, ſi diis placet, hæc pars eſſe poteſt? Num ulna media? At hæc ad conſtantem deligationem & poſitum venire nequit, & cum ſæpius denudetur, fœdam inciſionis plagam oculis exponit. Quod autem majus eſt, non contemnendum inſtat periculum & convulſionis, & ſanguinis profluvii, cùm nervoſa tendinum corpora, & vaſa venarum ampliſſima non ita procul abſint. Illud etiam urget, ne ex cicatricis duritie, & imbecillitate, quæ duo mala ſectionem ſequi neceſſe eſt, partium illarum vigor, atq; motus elangueat. Num igitur manus eſt idonea? Certè id neque cogitatione licet aſſequi, adeoque puerile dictu eſt, & inſulſum, ut nequid aliud. An tibia quæſo, eo uſu erit? Sed neque hæc ad faciem attrahitur, aut ſiquidem eo violentius convellatur, non poteſt non quàm maximos cruciatus afferre, & inceſſum penitus tollere. Sic cæteras partes tam anteriores, quàm poſteriores, nemo adeò captæ mentis eſt, qui omni modo ab hoc opere ſecludi non videat. Rectè igitur admodum illum ſenſiſſe, & feciſſe affirmamus quicumq; ad cutis eductionem, pro partium abſciſſarum reſtitutione hunc locum primus aſſignavit, & conſtituit, quamquam id tacito quodam conſenſu, & naturæ ſuffragio factum eſſe, dicere non vereamur. Cæterùm cum curta noſtra, nares ſint, labia, atque aures, quare ad illa humeri cutis apprimè convenit, non itidem auribus. Non enim propter craſſitiem & molem tam exactè auriculam cutis referre, neque ut decet, deligari, & conjungi poteſt. Aptiſſima tamen eſt, quæ poſt eam cutis eſt, & pilorum expers eſt. Nec enim rejectis partibus ſubſtantiam affinem habet, & citra ingentem dolorem, parvo negotio ſedi affectæ annectitur, abeſtque ab ea omnis fœditatis culpa, cùm area, unde cutis mutuata ſit, ferè tota ab ipſa auricula operiatur. Quamvis autem arteriam ad regionem illam tranſverſam incidere neceſſarium ſit, attamen omnem ejus impetum inhibebimus, & ſi quid periculi immineat, avertemus, ſi quamprimum obturatis vulnerum labiis, quæ ſanguinem conſtrictione prohibeant, ritè applicemus. At neque ſic oberit, quo minus aliunde, quàm ex ſede poſt aures, ſuam auribus propaginem ſecernamus.

Cap. 15. *De cutis traducis quantitate ſeligenda.*

SUccedit jam, ut cutis traducis magnitudinem atque molem pro inſitione facienda indagemus, cujus rationem niſi rectè habuerimus, aut artem fine ſuo fruſtrabimur, aut majorem, quàm par eſt, partibus noxã imprimemus. Ni enim particulis reſarciendis æqualis mole, ſed vel parcius cutis educta fuerit, equidem certum eſt, ad priſtinam figuram, & magnitudinem, ob materiæ defectum, reſecta membra non poſſe perduci: ſi verò ultra quàm decet, liberalius cutem attraxeris præter turpitudinis notam, etiam partes illas à nativa temperie plurimum deduxeris. Nam non abeſt, quin è vulnere etiam ſat anguſto & levi, nihilominibus naturalis partium conſtitutio lædatur, quanto magis ex plaga adeo inſigni & gravi earum actiones corrumpi cenſebimus. Atque ut artificis imperiti eſt, propoſiti ſui ubi liceat, ſcopum non poſſe aſſequi, ita medici eſt non mediocriter iniqui, dum præter rem ægros dilaniat, & ſanitatem, cujus ipſum autorem, non corruptorem eſſet decet, evertat. Quapropter omni curâ & ſtudio anniti debet, ut ſi fieri unquam poſſit, in educenda propagine, quantitatis rationem adeo ſollicitò ſubducat, ut facto diligentius examine, minimum ſit opere confecto, quod reſcindat, in brachio autem non ita multum, quod deſideret. Hoc enim pacto nec calumniæ artem exponit, nec ægros moleſtia afficit. Sed quænam illa ſint, quibus animadverſis quantitatem ipſius traducis definiamus, jam dicere oportet. Ante omnia autem in conſultationem partes curtas ducendas eſſe nemo non videt, utpote quòd earum refectionem moliamur. Non enim corpus ad veſtem conferimus, ſed veſtem corpori adaptamus. Veruntamen quamvis hoc ſit certiſſimum, non tamen æquè ſuffecerit, niſi & brachii cutim, quæ traducis materia eſt ad illam æquitatis normam reducamus. Non enim rarò viderunt ii, qui hujus chirurgiæ operationem oculis inſpexerunt, & mente acrius perluſtrarunt, viderunt inquam cutim, poſt ſecundam ſectionem, cùm è brachio educta verè propaginis nomen adſciſcit, occulta quadam vi, priuſquam interatur; ſenſim decreſcere, & aliquando octavam, nonnunquam ſextam, quandoque quartam ejus partem decedere, & quantum longitudinis ipſius conſumitur, tantum etiam proportione de latitudine deſiderari. Hoc igitur omnium maximè nobis perſuaſerit, ne cutim brachii negligamus, ſed cùm proximè ad examen curtarum partium virtute accedat, atq; haud neſcio, an præferatur, certè æquipollcat, eam omni induſtria rectè conſideremus. Quantitas igitur propaginis petenda eſt, cùm ex partibus curtis, tùm à cutis ipſius, quæ in brachio eſt, natura. Veruntamen, ut id ritè peragamus, quòd ſubinde in multis contingere advertimus, explicandæ ſunt nobis hujus decrementi cauſæ, mox an certa futuræ decretionis habeamus indicia, ex notitia cauſarum decerpta, quâ velut regula

regula de traducis quantitate, certi quid ſtatueri poſſimus: aut ſi hęc percipere, natura rei vetat, quibuſnam præceptis, & cautelis, ad ſcopum proximè collimare valeamus, & illa effugere incommoda, quæ nobis fuere dicta à principio. Primum itaq; propaginis decrementum, ad illam cauſam videtur rejici, ad quam aut membri alicujus, aut totius corporis contabeſcentia refertur. Talis verò eſt, cum alimentum membris quantum ad vitam expedit accedere nequit: vel ſi viſcera præcipua, aut parti, aut corpori toti fomenta vitæ non ſubminiſtrent, vel cum confectum probè & tranſmiſſum, eò quod laboret, in partium naturam abire nutrimentum haudquaquam poteſt. Non abſimili ratione in decreſcente cutis propagine accidit, aut quòd alimentum elaboratum non accedat: vel ſi accedat, non ſufficiat: aut ſi ſuffecerit, in cutaneæ ſobolis ſubſtantiam converti nequeat. Porrò an propaginis noxa, an verò regionis, ex qua educitur, læſione hoc decrementum contingat, ſi partis utriuſque affecta perpendamus, haud difficulter agnoſcimus. Videtur autem regionis vitio, ex qua propago ſecernitur, & quam vivi radicem appellamus, potiſſimum accedere, ne alimentum, eâ, qua opus eſt, menſurâ, & ratione affluat, & traducis noxæ juxta imputandum eſſe, ſi quid ob cætera, erroris in nutritione irrepat. Veruntamen cum in parte illa, cui tradux inhæret, & cujus ubere, velut à matre lactatur, ne ullius quidem vitii veſtigia appareant, quorum occaſione, vel parcius, vel impurius alimentum ſuggeri neceſſe ſit, reliquum certè eſt, ut in propagine hæc labes inſidet, cujus culpa à ſcopo ſuo nutritionem aberrare contingat. Alimento enim, quamvis largius ſuppeditetur, tam obvias interclusas, quàm quod ipſe langueat, tradux uti nequit. Nam nemo iverit inficias, ob ſectionis tantâ violentiâ, & tam repente factas, ab æqualitate ſuâ diſſectam cutim deturbari, & cum non ſecus ad latera, quam ex interna ſuperficie occalleat, ſi modò inſitioni apta futura eſt, ad frigiditatem plurimum devolvi. Quare languente primo actionis organo, & nutritionem non languere, & partem non imminui planè impoſſibile eſt. His accedit quod viæ omnes præter unam inferiorem, tam ad latera, quàm intra, ubi cutis ſubjectis corporibus adhæſerat præcidantur, quibus interceptis & alimentum, quod antea copioſius erat, deficit, & propago illius defectu contabeſcit Non minus propaginis decrementum promovent partium illarum deligatio, & ſingularis quædam conditio, quam ab uſque generationis primordiis ſecum attulerunt. Illam etenim arctam atque compreſſam fieri neceſſe eſt, qua ſanguinis affluxus, velut fluctus ad ſcopulos impulſi, repellitur: hac verò homines plurimum vel partium tenuitate, & craſſitie, vel laxitate, & denſitate inter ſe diſſident. Nam quæ ex cuti rara, & tenui pendet propago, illa liberalius decreſcit, non æquè vero, quæ craſſior, & denſior eſt: ſic ea, quæ laxior fuerit valde imminuitur, è contra quæ compacta eſt atque ſolida, minimè omnium conſumitur. Quemadmodum ſi duo illa priora mutuò convenerint, quàm celerrime propaginem decreſcere, & uno impetu ſeneſcere videbis, eo quod duorum agentium major efficacia ſit: at minimum à congenea magnitudine decedere experieris, ſi cutim craſſam ſimul & compactam eſſe contingat. Hæ igitur cauſæ ſunt, ob quas traducem flacceſcere, & à ſua quantitate decedere neceſſarium eſt. Sed nunquid hujus decrementi certa notitia haberi poteſt? Certe nil certi præcipi poſſe, in hac conſideratione; vel illud indicium certiſſimum eſt, quod temperiei forma, ex qua ratio decrementi petenda eſt, ejuſque à medioctitate receſſus, haudquaquam nobis cognitus ſit, unde & vires illius, & effectus non ignorari non eſt non impoſſibile. Eodem pacto neque naturales propaginis facultates, neque deligationis momenta, quas decrementi cauſas eſſe retulimus, exactè rimari licet, neque exinde quid futurum ſit, præs noſcere. Veruntamen non deſperandum eſt in hac rerum obſcuritate, nec quicquam remittendum de ſtudii noſtri fervore, cùm acrioris ingenii ſolertiâ non ineptè fieri poſſit, ut minus ex præſcripto, ſi ad ſcopum accedamus, quàm minimum tamen ab eo declinemus. *Nam rectum etiam eſt, quod recto eſt proximum.* Et medicum laudat divinus Hippocrates, *non qui nihil aberrat, ſed qui minus delinquit, & proximè ad æqualitatem accedit.* Rarò enim, imò nunquam, quod exactum eſt, attingimus. Hoc autem conſequemur, obſervatâ ritè cutis traducis naturâ. Cum enim cutis, qua laxa eſt, qua ſolida, qua craſſa, aut qua tenuis, decreſcat, itaque perſpiciendum, ſi quid horum aderit, acriuſq; perpendendum, & ita non præter rationem futurum propaginis ſtatum conjiciemus. Etenim contingit res laxas, quod raræ ſint plurimùm digeri, ſolidas verò ob corporis denſitatem minus diſſipari, non ſecus ac tenuia, cùm exucca ſint, facillime contrahuntur, & quæ craſſitiem habent, optimeque enutrita ſunt, ob molem intumeſcunt, & diſtenduntur. Si igitur cutis laxa ſimul atque tenuis fuerit, verebimur certè, ut propago magnopere imminuatur, cum duæ adſint cauſæ decrementi, eæque vehementiſſimæ, quemadmodum ſi denſa, craſſa & benè compacta ſeſe nobis offerat, nequicquam de imminutione dubitabimus, dummodo poſthac non incautè aberremus. Cùm verò vel craſſam eam, & raram, vel denſam, & tenuem nanciſcamur, ſuſpicabimur æquè decrementum quoddam futurum eſſe, majus quidem, ſi denſa cutis & tenuis fuerit, minus verò ſi craſſa, & laxa ſit. Etenim nihil eſt, quod ad ſubitaneam contabeſcentiam, æquè ac tenuitas facere videtur, cùm tenuia quamprimum corrugentur & exareſcant. Ut maximè omnium cutis diminuitur, ſi cum tenuitate raritas acceſſerit, quibus nil eſt vel incommodius, vel infelicius, ad deprimendam autoritatem medici, & ad obſcurandam hujus artis præſtantiam, quæ ſuo fine, ut decet, potiri nequeat. Quicunque, ergo ad hæc quæ de cutis natura dicta ſunt reſpexerit, (cætera enim indagari nequeunt) is & decrementi in traduce progreſſus, artificioſa quadam conjectura aſſequetur, & ad mediocritatem, quæ in traducis eductione circunſpicienda eſt, proximè accedet. Quanto enim vel intenſius, vel remiſſius cutim decreturam fore ſibi perſuaſerit, tanto majori vel minori traduce opus eſſe reſcribit, & modò liberalius, modò parcius cutim excindet. Hac enim regula moderabimur artis noſtræ officia, ut quantum ſatis fuerit, pro curtis reſtaurandis, materiei copia nobis ſuppetat, neq; plus, neq; minus è brachio reſecabimus, quorum illud moleſtum eſt, hoc verò incommodum. Nam ægros vel ultra modum torquemus, vel fine ſuo artem defraudabimus. Cum autem actiones noſtras tam æqua lance ponderare nequeamus, & difficillimum ſit mediocritatis limites non excedere, quare ſi nobis ad extremorum alterum deficiendum ſit, itaq; copiam potius in eductione traducis amplectemur, & parſimoniam, ceu noxam fugiemus. Etenim difficilius quid additur, quàm adimitur. Igitur ſi nobis conceſſum fuerit, dum traducem educimus, curabimus certè, ut eam adhibeamus moderantiam, quàm curtorum natura expetit, ſin minus, quoniam id frequentius eſt, ad exceſſum potius quàm ad defectum inclinemus.

Cap. [illegible]

Cap. 16. *Qua ratione cutanea propago curtis partibus adjungenda ſit.*

DEFINITA hoc pacto, quam ex cauſarum natura adinvenimus, quantitate cutis traducis, reliquum eſt, ut rationem conjungendæ propaginis, cum partibus decurtatis, tandem proponamus. Cæterum neque unum, neq; ſimplicem modum eſſe applicandarum partium, neminem eſſe crediderim, cui cognita ſit priſcorum & recentiorum doctrina, qui non noverit. Antiqui enim, quibus juniores conſentiunt, tres modos conjungendi partem unam cum altera nobis reliquerunt. *Nam aut faſciis partes conſtringendæ ſunt, aut fibulis contrahendæ, aut ſuturis connectendæ.* Itaq; nunc quodnam horum aptius ſit, & opportunius, quo propaginem cum partibus curtis conjungamus, in præſenti diſquirimus. Qua in re definienda, illud primò nobis objicitur, quænam ſit uniuſcujuſque natura, & facultas, quæve utendi ratio. Nam perſpectis, quæ his ſubeſſe poſſunt copiis, facultatem eligendi, quod ex re noſtra fuerit, uberiorem multò habebimus. Ut autem à primo exordiamur, ſciendum eſt, *deligationis tres eſſe rationes, nempe ut ſic dicamus, incarnativam, expulſivam, & retentivam.* Fit ergo deligatio incarnativa, quæ, proprie agglutinatoria dicenda eſt, faſcia à medio ad principia vulneris circumducta, facto principio deligationis ex parte averſa, & media loci vulnerati, circumducendo alteram faſciæ oram, verſus ſuperiorem membri partem, alteram verò verſus inferiorem. Expulſoria autem fit, ſi faſciam ab altero tantum principiorum revolvimus, incipimuſq; ab inferiori parte membri laborantis, quam arctius conſtringimus: exinde verò vinciendo moderate laxamus, & ſenſim deligando aſcendimus, ſemper autem ſolutius circumplectimur, quouſque eò devenerimus, qua parte erumpenti ſaniei patet exitus. Utimur autem hoc deligationis genere in ulceribus cavis atque ſinuoſis, ut & ſuperiori, ſi vulnus rectà, & æqualiter inflictum ſit, quod labiorum diſſitorum unionem requirat. Quæ verò deligatio continet, nullam, quod ſciam, quæ certa ſit, rationem obſervat, ſiquidem iis partibus, quæ minimè conſtringi, & anguſtari poſſunt, ut facies eſt, & collum ſolummodo adhibetur. Itaq; pro earum figura, & medicaminum, quæ ex uſu fuerint natura, varios atque multiplices hujus deligationis modos eſſe, nemo eſt qui non videt. Verùm infibulatio, quod ſecundum genus eſt, hamulis quibuſdam utrinque incurvatis, oras plagarum diductas ſenſim adducit, & adductas quantum poterit, nulla violentia, placide conſtringit non ſecus, ac fullones harpaginulis, ad id negotium non ineptis, pannos diſtendere, & abaco ſuo ſolent affigere. Has fibulas dicunt latini, græci verò ἀγκτῆρας ἀπὸ τοῦ ἄγχειν, quod quaſi ſtrangulent, & quod in ſynanchicis fit, obſtrictâ gulâ coerceant. *Si igitur in carne, quod hiet, vulnus fuerit, cujus ora difficulter attrahantur, qua de cauſa ſutura quidem aliena ſit, itaq; fibulas imponimus, quæ paulum labia vulneris tantum contrahant, quo minus poſt curationem lata cicatrix remaneat. Diligenter autem hoc loco, perinde ac in ſutura obſervandum eſt, ne prius, quàm vulnus rectè purgatum ſit, fibulæ imponantur, ne quid ibi concreti ſanguinis, aut coalitum impediat, aut cùm putruerit inflammationem pariat, aut partes ſubjectas erodat. Apprehendit verò fibula, ut & ſutura, non cutem tantum, ſed quoddam etiam ſubjectæ carnis, quo validius adhæreat, neque cutim abrumpat: eſt autem earum injectio, neque rara admodum, neque crebra, quorum illud non continet, hoc verò plus juſto torquet.* Sed hic fibularum uſus noſtra tempeſtate penitus interiit Solemus tandem partes diſſitas ſuturis conjungere, atque id triplicis finis gratiâ, vel ut agglutinentur, vel ut ſanguis ſupprimatur, vel quo labia ad temporis ſpatium adducta perſiſtant. Harum prima adhuc multiplex eſt, eo, quod partes, quæ agglutinandæ ſunt diverſas inciſiones patiantur, aliæ quidem profundas, aliæ breves, aliæ latas, aliæ oblongas, aliæ anguſtas aliæ ſublatas. Una igitur illarum interſciſſa ſutura dicitur, & tali pacto adminiſtratur. Si inſignis plaga fuerit, utrumque ad medium vulneris labrum acu trajicitur, quæ duplicem funiculum habeat, quibus oras conſtringere, eaſque innodari, & paulò ſupra nodum reſcindere convenit. Hæc ubi facta fuerint, utrinque rurſus interjecta ſpatia transfiguntur, & ſimplici filo, nodoque irretita firmantur. Hoc toties, per ſuccedentia ſpatia, ſi opus fuerit peragitur, donec vulneris extrema ritè commiſſa ſint. Alia ſutura eſt, cùm in utraque vulneris ora tot acus, quot opus fuerit, æqualiter diſtantes, altè impingimus, iiſque eo modo, quo ruſticanæ noſtrates ſolent, filum circumplectimus, alias quidem decuſſatim, ſed quod magis conducit, in orbem ad formam ovalem. Has in vulnere impactas relinquimus, uſque dum vulnus coaluerit. Utimur autem hoc ſuturæ genere in vulneribus admodum profundis, labiiſque eorum plurimum diſtantibus, quemadmodum & ſuperiori, ſi ferrum oblonge quidem, non tamen altius impactum eſt. Tertius verò agglutinantis ſuturæ modus pinnatus dici poteſt, etiam in profundis vulneribus deſtinatus, cujus adminiſtratio talis eſt. Utrinq; pennas vulneri adaptant, & cum duplici filo acum accipiunt, filorum extrema nodo irretiunt, & vulneris oras transfigunt. Sic funiculo pinnam unam ex una parte, ex altera parte alteram comprehendunt, & innodatis funibus plagæ labia diſſita conſtringunt. Id toties exinde repetendum eſt, quoties id vulneris magnitudo expoſtulaverit. Hoc ſuturæ genus plagis non adeò levibus commodum eſt, ſed maxime profundis & laceris, in quibus periculum eſt, ne funiculi trajecti, & arctius conſtricti, diſrupta cute elidantur, ſitque omnis vulneris conjunctio vana, & inutilis. Quam tamen ſuendi rationem varii variè definiunt, ſed cùm ad noſtrum negocium inepta ſit, neque etiam ut mihi videtur, alias in uſum venire poſſit, ideo tractare eam exactius nolumus, ſed ſufficiat ſaltem ejus mentionem feciſſe. His omnibus numeratur ſutura ſicca, adeò elegans, & opportuna ut nullum dolorem, dum hanc adhibemus, nullam penitus continui diviſionem in parte vulnerata inducamus. Hujuſce in levibus inciſionibus, atque non adeò altis uſus frequentiſſimus æque eſt, atque feliciſſimus, & tali pacto ſeſe habet. Parandi ſunt panni linei, iiſque firmi, triangulare, vel alterius figuræ pro vulneris, aut vulneratæ partis conditione, & linimento, quo pertinacius hæreat, obliniendi, nec non ad latera vulneris utrinque adaptandi, ut minoris digiti ſpatium intercedat. Hos tandem ubi exiccati, & valide cuti annexi fuerint, intacto penitus corpore, ingenioſe conſuimus, & ſic vulneris oras perbelle conjungimus. Non minus etiam hoc conſuendi genus, ad cicatrices convenit, quas facta vulneris agglutinatione delere, & obliterari volumus. *Sunt præterea, & aliæ ſuturarum rationes, in eum uſum, ut per eas partium vulneratarum fiat agglutinatio, quas inferiori ventri, tam exterius quam interius peculiares eſſe unuſquiſque videt,* qui autores hac de re legerit. Has γαστροραφίας græci vocant, quas oblivioni hoc loco tradere volumus, cum illorum uſus neque in diverſis partibus ab infimo ventre, neque in his, quæ noſtræ operationi ſubjiciuntur, celebrandus

ſit

ſit.Has itaq; ſuturarum ſpecies ad primum illud genus, quo vulnera agglutinari ſolent, omnes referri certum eſt. Sanguinem verò per ſuturas ſupprimimus, cum primum vulneris oras hinc inde trajicimus, & rurſus ad principium, unde ſuturam exorſi ſumus, recurrimus, rurſuſque prope pertundimus, & denuo regredimur, & ut antea, acus transfigimus, illudque eò uſque facimus, donec partes hiantes connexerimus, non ſecus ac pelles, aut telas, aut tale quid conſuere homines aſſolent. Suturæ hujus uſus eſt, ſi quandoque ob ingentem prorumpentis ſanguinis impetum, dum vulnus amplioribus vaſis inflictum ſit, neque medicaminibus, neque aliis remediis copia conceditur. Poſtremò tandem vulnera conſuimus, ut ad quoddam ſpatium temporis labia vulneris conjuncta permaneant, donec partes illæ, quæ hiabant, perfecte convenerint & accreverint. Competit ſutura hæc, ſi in carne, aut parte molli vulnus acceptum ſit, & inſigniter partes dilaceratæ ſint, atque nonnihil carnis in iis deficiat. His igitur ſic definitis, ut ad inſtitutum redeamus, manifeſtum eſt, non modò neque fibulis, ſed neque deligatione cutaneum traducem cum partibus curtis conjungi poſſe. Nam conxionem illam, quæ deligando fit, agglutinantem, & qua frequenter diſciſſæ partes uniuntur, faciei natura penitus reſpuit. Nec fibularum uſum recipit, cum præter vehementes dolorum ſtimulos, inflammatio ſubeat aliaque affectuum genera, quæ curtorum cum propagine accretionem vel interrumperent, vel omnino everterent. Supereſt igitur ſutura, & illa præſertim, quam interſciſſam vocavimus, quandoquidem, non ſolùm ſuperficie tenus, ſed altius etiam acus impingenda eſt, ut extremæ partium oræ rite committantur, & fideliter commiſſa ad perfectum uſque coalitum haud difficulter cuſtodiantur. Reliquos conſuendi modos plane rejicimus, quod ad noſtram operationem accedere nequeant, quod qua ratione fiat, unicuique manifeſtum eſt. Verumtamen quo pacto cum propagine curtæ partes per ſuturam committendæ ſint, ſuo loco rectius docebimus.

Cap. 17. *Quæ corpora aptiora ſint ad hanc operationem, & nunquid omnibus anni temporibus æque illam præſtare liceat.*

SEd cùm plura ſint, quæ in omni actione concurrant, aut neceſſitate quadam conſequantur, quemadmodùm patet ex rebus vel naturâ vel arte factis, ubi præter materię apparatum, & de inſtrumentis, & de idoneo tempore ad conſtructionem habetur ratio, ſic præter propaginem, qua mutilata membra reſarciuntur, & alia nobis offerri contingit, quæ in hac ſingulari operatione, non ſecus ac in univerſa medicina uſu venit, perpendenda, & circunſpicienda ſunt. Differt enim, ut cum Hippocrate loquar, corpus à corpore, ætas ab ętate, affectus ab affectu, tempus à tempore, in quo homines ægrotant. Nam aliqua horum, aut omnia ſi morbis adverſentur, plurimum ad ſanitatem conferre, plurimum etiam ſi naturâ ſua conſpirent, malorum vehementiam intendere, omnes norunt. Circunſpicienda igitur ſunt in hac operatione, temperies corporum, eorundem habitus, ætas, nec non anni tempus ad operam idoneum, ex quibus ipſius artis eventum, & operis gratiam pendere videbit unuſquiſque, cùm ſingulorum vires perſpexerint. Habent enim hanc poteſtatem, & efficaciam, ut vel obſint vel proſint, ut cauſas hujus actionis, aut confirment, aut infringant, atque ut operis exitum vel morentur, vel accelerent. Sed hæc manifeſtiora erunt nobis dicentibus. Exordiamur itaque à temperamentis corporum, quorum aliud eſt εὔκρατον, & quadratum, alia verò, quæ à bonitate hujus recedunt, vel calida ſunt & humida, calida & ſicca, vel frigida & humida, frigida & ſicca, quæque paſſim à prædominio ſanguinea, birioſa, pituitoſa, melancholica Arabes nuncuparunt. Principio itaque aptiſſimum fore, atque ad hujus chirurgiæ perfectionem commodiſſimum, ipſum corpus εὔκρατον, nemini dubium eſt. Maximus enim in eo eſt qualitatum conſenſus, & vires calidi, humidique, frigidi, & ſicci neque ſuperant, neque ſuperantur, ſed in æquilibrio conſtitutæ ſunt. Quod tanquam regulam atque normam quandam abſolutisſimam, ut & in cæteris artibus uſus obtinuit, in operando optimus quiſque medicorum ſibi proponit, idque eſt omnium ſermone puriſsimum, & ab omni pravi humoris fece repurgatum, ideoque exactiſſimi operis ſucceſſus, ſiquidem aliquando ſeſe offerat, expectationem nobis præbet, aut quàm minimum à ſcopo ſuo deflectentem. Etenim in hoc opere perficiundo ſpectanda eſt propaginis opportunitas, conſiderandaque inſitarum partium coitio, & perpendenda unionis elegantia, quorum ſingula in hoc medio corpore, & quadro, adeo ad normam reſpondent, ut ipſum naturę exemplar referant. Nam in propagine nihil eſt, quod deſiderari poſſit, vel ad mediocritatem, vel ad decentiam, cùm partes illæ ſic ſatis molles, craſſæ, duræ & tenues fuerint. Sic coloris elegantia, in quo magnus artis applauſus eſt, iis adjungitur. Sic nulla mora eſt, quin & exacte, & citiſsime, & citra omne incommodum partes inſitæ cum cæteris uniri poſſint. An quiſquam dubitet, in tanta corporis puritate, nulla penitus redundante illuvie, ubi ſingula moderata ſunt, coalitum partium, dummodo nil externum refragetur, haud bene poſſe ſuccedere? quomodo in hac naturę benignitate opus periclitabitur? qua ratione fine ſuo natura fruſtrabitur, cum omnia ad illam Polycleti regulam, in corporibus ſinceris æqua lance adminiſtrantur? Sane uti hîc nullus relinquitur dubitandi locus, ita certiſsima ſalutis ſpes eſt, & quam citiſſimæ unionis expectatio. Non enim ab intercurrente humorum labe, quod naturæ opus eſt, accretio partium aut præpediri (loquendo ſecundùm naturæ fluxum) aut everti poteſt. Quin ad cætera bona, & hoc commodum, quaſi auctarium, accedit, quod conjunctionis nec levia quidem veſtigia poſt coalitum remaneant, adeo egregie & decenter natura architectatrix opus ſuum promovet, dummodo in facienda unione omnes numeros ipſe medicus impleverit. Non enim nos hac ex parte arti patrocinantes, vana quadam oſtentatione falſo legentium aures tenebimus, & de hoc mirando naturæ opere audientibus blandiemur. Nam certò nobis credant volumus, hanc pulcherrimam coalitûs ſpeciem, & in iis corporibus, quæ vulgariter ſyncera nobis obtigerunt, non levi noſtra cum admiratione perſæpe viſum eſſe, quod cum fiat, quando à juſtitia, & æqualitate corpora deſciverint, an deſperabimus in omnium præſtantiſſimo atque optimo corporis ſtatu, haud ſecus poſſe fieri? Quemadmodum igitur temperiem hanc cæteris præſtare, & longo intervallo, tam actionum probitate, quàm operum conſtantiâ, anteire omnes norunt, ita nobis conſtitutum ſit, hanc eandem omnium certe in hac operatione eſſe accommodatiſſimam, ſive traducis ſubſtantiam, ſive inſitionis robur, & celeritatem, ſive coaleſcentiæ decus, & venuſtatem

& venuſtatem ob oculos proponimus. Quæ certè non omnia conveniunt, aut ſiquidem convenerint, non ea moderantia in illis temperamentis, quæ à bonitate, & æqualitate hujus primi recedunt, & diſpari inter ſe elementorum concurſu extructa ſunt. Sanè autem, ut eorum ex receſſu, & acceſſu inſpecto medio, magna eſt diverſitas, ita minores vires aut majores, vel ad ornamentum, vel ad operis perfectionem conſequendam ſecum afferunt, inter quę quod calidum eſt, atque humidum primas certè obtinet. Cum enim optimo illi proximum ſit,& paululum à mediocritate deflectat: itaque, & propaginem, haud vulgariter diſpoſitum, & certum, & celerem partium coalitum pollicetur. Nihil enim nobis non promittere poſſumus, cum ſuavitas caloris, & humoris benignitas abundè adſint. Accedit, & coalitus decentia, ob cutis inſignem longeque optimam. Huic temperamento, illud, quod bilioſum vulgo dicunt, ſuccedit, in quo ob caloris vim, atque adeo ob ſiccitatis virtutem, argumenta citæ accretionis adſunt, non tamen uſque tuta, & periculi vacua, ut animos noſtros confidentiâ ſuſpendant, & parum cautos in operando reddant. Ubicumque enim calor opifex invaluerit, certum eſt unionem partium fieri, nec eam prorogari, cum ſubſidium non ita leve ipſa ſiccitas conferat. Nam humiditatis expertia facillimè concreſcunt. Cujus gratiâ honeſtam etiam atq; decentem ſymphyſin expectare poſſumus. His autem bonis nonnulla incommoda, eaque gravia ſeſe inſinuant, uſque adeò nullum egregiè aptum, præter illud unum moderatiſſimum reperitur corpus, ut inſitionis ratio expoſtulat. Ni enim corpora hæc probè expiata fuerint, videbimus promptiſſimè ſuſcitari eryſipelata, inflammationes, herpetas, ulcera, & alia hujuſmodi, quæ ægris non minimum moleſta ſunt, & haud leve negotium medico faceſſunt, cum acris ille humor, & efferus per dolorem è ſede ſua evocatus in cutem evolaverit, & partes eas vel eroſerit, vel in molem ſuſtulerit. Hoc autem, licet aliàs, prę ſertim tamen circa inſitionis tempora contingit: quam dubiam non minus, & fallacem reddit, excidendi traducis ratio. Nam in raræ adeò, ut ſolent eſſe, texturæ corporibus, nec craſſa cutis, nec compacta eſt, ideoque exciſa corrugatur quamprimum, & exareſcit, Hac igitur de cauſa ad noſtram operationem birioſa corpora inepta ſunt, ſed quia maturè ſatis partes, & decenter coaleſcant, non ſecus, ac cętera, etiam opportuna fuerint. Sed incommodius multò, ſi ſuperiora reſpiciamus, temperamentum frigidum, & humidum eſt, plurimumque diſtat, quam ut artis officia in eo contrectando, rectè præſtare liceat, tam ob inimicæ frigiditatis noxam, quam ob humidi impurioris redundantiam. Cum enim partium unio calori nativo accepta feratur, & nihil ſit in animantis corpore, quod hujus opem, & agendo virtutem non requirat, perbellè quidem, ſi vigeat, unionem ſuccedere credimus, eandemque languere, ſi contabuerit, & diuturnam moram trahere non dubitamus. Horum alterum quidem in temperamentis jam antea dictis videmus, alterum verò in phlegmaticis corporibus experimur, in quibus ad reliquorum malorum farraginem & hoc incommodum accedit, quòd nullo ingenio ad eam humoris bonitatem perduci queant, quin ſemper impuri humoris fomenta reſideant, quæ denuò repullulent, & ciborum aggeſtione eatenus eluxurient, ut ſemper nova auxilia expoſcant, ſemper novas turbas medicis moveant. Atq; hęc cauſa eſt, cur poſt coalitum propago albicet, quandoque verò defluat, & qua ratione fœda illa ſtigmata relinquantur, quæ livore ſuffuſa, odioſè adeo nonnunquam turgent, ut vix quicquam ingratias, & indecentiùs eſſe poſſit. Etenim exiguum caloris nativi robur eſt, quod ſordidum illud phlegma ſubigere, & ad mediocritatem nequit reducere, quique cæteris hinc inde ingruentibus injuriis, haudquaquam obſiſtit. Nec ritè adeò ad ſimilitudinem narium, ea, quę in brachio cutis eſt, accedit, quin ſemper ſuiſmet indiciis ſeſe prodat, & pallore, contractione, & flacceſcentiâ matrem manifeſtò referat. Unde & propagines, quod aliud incommodum eſt, anguſtas nimis, & breves eſſe neceſſe eſt. Hæc igitur omnia, quantopere impedimento ſint, ad operis perfectionem conſequendam, & priſtinam faciei honeſtatem reſtituendam, nemò eſt, qui non videat, præcipuè vero ob partium coalitum, qui ad tantam nunquam pervenit decentiam, quantum vel gratiæ, vel venuſtatis, jam enarrata temperamenta conſequuntur. Succedit tandem melancholicum, quod unioni faciendæ, & hac unica nota pituitoſo præferendum eſt, cum humoribus minus ſcateat, ſed partium ſiccitate coalitum apprimè promoveat. Id tamen omnium ineptiſſimum eſſe dicemus, cum tanta, quanta eſt, caloris penuria, nihil moderati nobis ſuadeat, ſed conatus noſtros inanes reddat, & pręcipuè, quod ad coalitus tempora, vel cita vel tarda pertinet. Nam de propaginis ſimilitudine cum ipſa curtarum partium cute, illud profectò magni intereſt, quod altero piloſa, altera depilis ſit, hæc glabra, illa vero hiſpida, ideoque plurimum inter ſe diſſentiant. Hoc enim genus corporum fuliginoſum eſt, & ſiccis exhalationibus plenum: unde & pili nigri, & denſi in cute ſuccreſcunt, quos una cum propagine ad partes læves & depiles, ipſas ſcilicet nares transferunt. Quid, quod nec eam ubertatem propago præſtet, quam opus requirit, nec eam, ſi coaluerit, gratiam, quam nobis proponimus? Cum enim corpora hæc arida ſint, & exucca, ideoque tenuia & gracilia, non abeſt quin exciſa à brachio, quamprimum cutis decreſcat, & quem plenum eſſe præſtabat, atque craſſum tradux exareſcat. Quod tamen non ita grave & moleſtum eſſet, niſi pars poſt coalitum liveret, & quaſi exuſta ſit, nigreſceret, quo nihil ad aſpectum eſt deformius, nihil inhoneſtius. Id autem primo impetu, & paucis à peracta inſitione diebus minus conſpicuum eſt, appetente tamen frigore, & præſertim circa initia poſt unum vel alterum conjunctionis annum, quo tandem flos ille coloris perit, & venuſtatis gratia evaneſcit. Quod incommodum cum pituitoſa propagine commune eſt. Quoniam ob caloris, quæ his propria eſt, imbecillitatem, atque adeo ob inſignem illam, quæ fit in traductione, naturæ concuſſionem, hæc ultima temperamenta mirè conſentiunt.

Quare neceſſario fatendum eſt, cum & ratio id ſuadeat, & experientia, fortiſſimum telum, confirmet, inter tot humanorum corporum diſcrimina, illud quod moderatum eſt, & cęterorum exemplum, ſi modo aliquando contigerit, ad diſſitarum partium unionem longe aptiſſimum eſſe: poſthæc verò quæ calore vegeto polleant, temperamenta ſuccedere: tandem autem pituitoſa, & melancholica ſubſequi, quæ omnium ineptiſſima, & ad ſubeundam hanc curtarum operationem, minus accommodata ſunt. Porrò ab artis hujus ſeptis rejicienda ſunt illa corpora, quæ prava eluvie teterrimaq; humorum ſentina, ob viſcerum vitia, perfuſa ſunt, & à medicis cacochyma, & mali habitus dicuntur. Plurimum enim intereſt, utrum corpus ſit cacochymum, an vero pituitoſum dicas, aut cæterarum intemperierum nota inſignitum. Nam præter reliquas differentias hoc maximè diſtant, quod illud morboſæ conſtitutionis ſoboles ſit, hæc vero ſanitatis limites non excedant. Abigenda igitur ſunt corpora cacochyma, quod imperante humorum pravitate, fieri nequaquam poſſit, quin liberalius etiam exinanita, ad hoc opus chirurgicum ſubeundum apta reddantur.

Nam fœda illa ſuccorum labes omnem unionis ſpem ſubvertit, & operis progreſſum affluentibus hinc inde ſordibus planè demolitur. Quid, quòd ſurculus maximè tenuis & rarus ſit, omneſque partes, quam exiguo calore polleant? Qui, quod nec præciſæ propaginis educationem concipere poſſumus, cum præ calore imbecillo quamprimum conſeneſcat, & ob alimenti pravitatem promptè contabeſcat? Quibus quandoque mala qualitas, & venenoſa, ex corporis penetralibus excita, ſeſe inſinuat, quæ cum callum coalitarum partium ſuſpendat, eas apte, & concinnè conjungi prohibet. Releganda itaq; ſunt ejuſmodi corpora impuriſſima, & ab hujus operationis genere removenda, quod ea maximè pura atque ſincera adeſſe fas ſit, & nulla, aut qua minima labe infecta. Cęterum neque omni ætati hoc opus convenit, ſed inutilia ſunt, minuſque recipienda ſenum, & puerorum corpora, quorum hæc operationem totam ſuſpendunt, illa vero traducis coalitum, quod in opere conficiendo primum eſt, difficilem fore portendunt. Etenim evaneſcentis caloris incommoda ſenectus excipit, hæc cutis marcorem affert, hæc individuum comitem, pituitæ proventum ſecum rapit, hæc cæteris malis, & offenſis obnoxia eſt, quæ partium unioni, & confirmationi obſunt, omnemque operis eventum futilem, & inanem reddunt. Cum enim ipſa natura ſua frigeat, nec occurrentis aëris iniquitates à ſe propellat, itaque exiguam aut planè nullam de ſalute ſpem concipere poſſumus. Quamvis vero puerilis ætas vim caloris, & humoris probitatem promittat, quæ duo ad abſolutionem operis ſine controverſia prima ſunt, atque maxima, attamen ob motus impetum, & ſenſuum vivacitatem nequaquam curæ noſtræ committi poſſunt. Non enim pueri vel deligationis tœdia perferre poſſunt, vel futuræ, & inciſionum tormenta vincere, quæ licèt momentanea ſint, ſunt tamen acerrima, & extremi doloris plena: ideoque conſtantia, & animi fortitudine, quod abeſt à pueris ſuperanda. Nec corpora eorum, quod forſan caput eſt, quia mollia ſunt & promptè diſſolvantur, oppugnari pharmacis queunt, cum tamen ob voracitatem, & excrementorum congeriem nihil minus non ex uſu foret. Non negamus tamen ætate hac, ſi corporis ea, & animæ moderantia accedat, hanc chirurgiam exerceri poſſe. Fatemur quidem in illa naturę clementia artis opus non eſſe difficile, ſed ut id exequaris,& per media eò contendas haud ita facile: qua de cauſa, ut unicuique hujus ætatis incommoda pateant, hæc ſubmonuiſſe voluimus. His enim perceptis, ſi qua daretur artis exercendæ occaſio, intelligant velim medici, qua eis cura opus ſit, & ſolertia, qua prudentia, ne artis dignitatem imminuant, & nominis ſui famam incautè prodant. In cæteris hominum temporibus,juvenili ſcilicet, & conſiſtenti, alacriter ad opus accedant, moliantur, agant, conficiant, nullus eſt metus, nulla ſuſpicio, quin rectè ceſſerit negocium, quin ad umbilicum, quod aggrediaris, proſperè perducas. Supereſt modo, his ſic poſitis, ut de anni temporibus conſiderationem inſtituamus, nimirum, nunquid quacumque anni parte hanc operationem celebrare liceat, & quodnam operi perficiundo illorum magis conducat. Cum igitur hæc noſtra actio ſpecies quędam inſitionis ſit, aut ſaltem illius ſimulacrum, quam ſingulis anni vicibus, haudquaquam faciendam rerum ruſticarum periti aſſerunt, itaque, ad ejus exemplum hoc opus neutiquam quocumque tempore, & ſine diſcrimine adminiſtrari poſſe forſan videbitur. Sed aliena hæc eſt à veritate ſententia, nec accipienda, cum nihil obſtet,dummodo cætera ritè adhibeantur,quin æque ipſius artis effectus tam vere & autumno, quàm æſtate & hyeme nobis promittamus. Abſimilis enim eſt arborum natura ab hac noſtra eſſentia, vel ſaltem caloris, ad quem ſingula referuntur opera, ubertate fæcunda, quæ & in hyeme aſperrima plurimum viget, & inter acerrima frigora valide munia ſua exequitur. Cum enim inferioris multò conditionis ſint, & terrenæ ſubſtantiæ arbores, nec tanta caloris copia, quanta eſt in hominibus, & adeo benigno alimento perfundantur, ideo frigoris impetu vehementer percelluntur, algentque partes earum extimæ, & præſertim quæ à corde ſive jecinore (huic enim quid ſimile illis vegetandi vim impertit) longius abſunt: qua ratione inſitionem agricolę, ſtatu cæli inclementiori & algente moliri reformidant. Veruntamen fieri nequit in humanis corporibus, ut uſque adeò refrigeſcat cutanea regio, quin inepta penitus huic noſtro negocio futura ſit, & incommoda. Itaque caloris redundantia atque in tanta ubertate humoris benigna vis, id genus officij chirurgici, quale nos exhibemus ſingulis anni partibus, vel rigente cælo, vel æſtuante præſtari poſſe, ſat ſuperque nobis perſuadent. Non tamen relinquitur, quin in hoc annui curſus diſcrimine, dum caloris cum ſiccitate, frigoris cum humiditate commutatio fit, alia tempora aliis præſtent, & vel majorem perficiendi operis, vel minorem occaſionem afferant. Sed ſciendum primò, quod non tam conficiendi quam ſtabiliendi, & confirmandi operis ſit habenda ratio, & quidem per proximos menſes, qui opus ipſum ſubſequuntur. Cum enim inſita cutis, & cuttorum materies, è ſede natali alio translata, & amico matris ubere deſtituta, in alieno & inſolito ſolo nutriatur, ſane credendum eſt, in eductione ſua, & eo, qui factus fuit tranſpoſitus, illam plurimum concuti, convelli, & labefactatis ſuæ naturæ viribus, ab ingenita temperie maximè recedere, quæ incommoda aſſuetudine ſenſim facta & diuturno commercio tandem emolliri, & tolli, neceſſe eſt. In partium igitur anni opportunitate dijudicanda, ad opus ipſum, & ad operis confirmationem conſilia dirigenda ſunt, dummodo ſingula cum naturę conſenſu, & gratia peragere velimus. Quæ tandem rata, & firma futura ſunt, cum temporum anni vires, ac eas, quas ſecum afferunt noxas, & utilitates perpenderimus. Ver primò temperatum eſt, ſanguini copioſo & benigno gignendo commodiſſimum. Hæc anni pars, ſi non ob alias, ſaltem ob eas, quas de temperie corporum rationes adduximus, huic noſtræ chirurgiæ ſatis opportuna eſt. Nam univerſum corpus, & calore, & humore clementius fovetur, atq; adeo ipſa cutis, quam hac de re felices operis noſtri ſucceſſus promittere, & abunde polliceri, nemo non videt. Ut enim corporibus temperatis omnia benigna ſunt, ſic neque moderata tempora nobis adverſa erunt. Veri ſuccedit ęſtas, caliditate, & ſiccitate affectionibus certè aptiſſimis, quæ certam, & minimè fallacem partium unionem ſpondeant. Sed forſan minus ex uſu eſſe videbitur, quod ęſtuante tunc humore acri, & ebulliente, furentes ſucci in cutim facilè excurrant, & magnorum ſymptomatum velut eryſipelatum, herpetum, carbunculorum, metum incutiant. Rejicienda autem ſunt poſtremo duo tempora, quorum alterum inæqualitate ſua, & frigoris exuperantia interturbat coalitum partium, & prorogat, hoc verò cum frigore, & humore moleſtum ſit, ipſi cuti algenti jam, & ob tranſplantationis impetum adhuc languenti, quaſcumque aeris externi inclementias communicat. Quare cum ipſa curtarum parinſitio, caloris & humoris ubertatem eamque lenem, & benignam requirat, nemo hercle inficiabitur, ver maximè cęteris anni partibus præſtare, & inter alia requirere, ut ei hujus operis perfectio nuncupetur. Hoc enim

enim univerſum corpus ſuavi calore perfunditur, & mitiſſimo omnium humore, ſanguine irrigatur. Sed cum caloris vim adhuc vegetam, cum pauca uligine conjunctam propaginis confirmatio expoſcat, itaque operis incremento, & ſtabilimento ipſa æſtas dicari debet, in qua ſiccitas, & æſtus dominantur, quibus, & agglutinatę partes ab excrementis vindicandæ, & largius inſtaurandæ, & roborandę ſunt. Cætera vero anni tempora, quamplurima incommoda ſecum afferunt, & tanto majora, quanto ocyus autumni noxas, hyemis moleſtiæ excipiunt: unde corporibus extra rigentibus, & excrementorum frigidorum copia perfuſis, & connexionem partium morari, & dubia adhuc ſanitate propaginem affici, nec ad integrum robur pervenire poſſe neceſſe eſt. Statuendum eſt itaque vernum tempus, & æſtatem nobis conducere, alterum quidem, ut inſertio partium earumq; unio ſuccedat, alteram verò ut partes unitæ inſtaurentur & confirmentur: at hyemem & autumnum inepta eſſe & in hoc opere præſtando effugienda, non tamen uſque adeo iniqua, ut artis beneficia omnino irrita faciant. Nam, & ſuccenſis hypocauſtis, & igne excitato propulſare injurias hyemis, aut corrigere valemus: nec tanta autumni eſt immoderantia, quin ut eam temperemus, deſit ingenium, quod utique, & hujus, & alterius vehementiam præter alia integumentis, & pellibus animalium, ſat bene arcere, & inſitum cutis ſurculum tueri poſſumus. Atq; hæc ſunt, quæ in opere faciendo, non ſecus atque alia in conſultationem cadunt. Quamvis enim minus neceſſaria ſint, nec in iis operis ſumma conſiſtat, attamen quod plurimum intereſt, cujuſnam conditionis ſit, & ætatis, quem curandum ſuſceperis, cognoſcere, & non minoris momenti eſt, qua temporis occaſione opus tum aggrediaris, ideò umquam à medico prudenti eorum obſervatio, ut etiam hoc loco fit, neq; contemni poteſt, neque aſpernari debet.

Cap. 8. *An ex alieno corpore, an verò ex proprio tradux eligendus ſit.*

NUNC verò de propagine cutanea, ſeu de cute traducis educenda, cùm ſermonem facere nobis ex ordine conſtitutum ſit, ideo duo illa in primis conſideranda ſeſe offerunt, nunquid ex alieno corpore hunc traducem ſecernere liceat, atque ſi id licebit, an id præſtare, necne, ſatius fuerit, de quibus brevibus agendum. Sed ad rem accedamus. Traducem ipſum ex alieno corpore deſumi poſſe, tam autoritate, quàm ratione comprobare confidimus. Si enim caloris inſiti vim atque temperamentorum in hominibus naturam, eorumque affinitatem, nobis proponimus, itaque haud abſurdum eſſe dicemus, & impoſſibile, quin ex alieno corpore, atque id nulla cum difficultate ſecernamus. Quid enim obeſt, cum caloris ſubſidio, unius corporis partes, longeque diſſitas, ad unionem vocari videmus, quin eundem effectum in diverſis corporibus nos aſſequi poſſe aſſeveremus. Etenim cauſa hęc haudquaquam diverſa eſt, ſed cum calore noſtro congenea, cùm & hominum temperamenta non uſque adeo diſſentiant, ut hæc ſuarum partium conſortia neutiquam patiantur. Conveniunt enim, ſi non alio, ſaltem humanæ ſpeciei nota, & effigie, cujus ea vis, & poteſtas eſſe videtur, ut nihil non factu poſſibile ſit, nec aliquid obſtet, quod hæc conjugia diverſorum corporum prohibeat. Nam cum non ſolum plantæ, quę quidem virtute, non autem genere diverſæ ſint, ut eſt generoſa vitis, cum ignobili, adductę priùs, & conjunctæ in idem ingenium abeant, quod ex Catone ſuprà monſtravimus, verùm etiam diſpares formis, & viribus arbores coaleſcant, atque quod inſitum eſt, naturam ejus, cui inſeratur, in ſe convertat, ut Columella reipſa oleæ, & ficûs exemplo oſtendit. Quantò magis cutem ipſam traducem, ex diverſo corpore decerpi, & in alienam ſedem tranſponi poſſe cenſebimus? Non enim uſque adeo ingens naturæ intercedit diſſidium, cùm homines inter ſe ſpecie conveniant, nec tanta eſt, noſtrorum corporum, quanta reperitur plantarum diverſitas, quas tamen parvo negotio ſub eaſdem conjugii leges adduci, & mutuo naturæ vinculo connecti, non ſine admiratione videmus. An verò quandoque id generis curta alieno corpore reſtituta fuiſſe viſum fuerit, certè neque legimus, neque audivimus, neque attentavimus unquam, neque, qui hoc concedat, ut ſeſe fruſtra excrucient, vix nobis perſuadere poſſumus. Verùm ſatiuſne fuerit, hanc refectionem ex alieno, an ex proprio corpore moliri, jam utrinque propoſitis rationibus diſcutiemus. Hę quidem ex operę ipſo nobis petendæ ſunt. Nam aliunde eas arceſſere nequaquam licet. At primum illud, præſtare magis, ut alieno è corpore petamus traducem, fortaſſis nobis perſuaſerit, quod hac ratione ut opus perficiamus, non contemnendi boni participes reddamur. Cùm enim potiora artis momenta in propaginis bonitate conſiſtant, & hoc univerſa operatio tanquam finem, reſpiciat, ut operi dignitas ſua, & pulchritudinis decor accedat, itaque proculdubio ex animi ſententia his potiri poſſumus, ſi traducem ex corpore ſano, florido, & ſucculento ſeligamus, & quæ morboſa ſunt, decolora, & effœta reſpuamus. Etenim propagines in corporibus quibuſdam non integris, adeo exigui momenti, ita nullius ponderis eſſe contingit, ut operoſum ſit aliquas ſaltem operis partes explere, nedum omnes illius numeros abſolvere. Tanta eſt coloris fœditas, tantus cutis defluxus, tanta ſymptomatum pravorum ex inciſione ſuſpicio, quæ maxime operationi huic adverſa ſunt, ut operis dignitatem non ſolum imminuant, verùm etiam confundant. Nec illo, ut medeamur licet, cùm nulli datum ſit, vel quocumque ingenio, pellem ſuam immutare, & naturæ difficultates evincere, niſi difficulter admodum, ac diuturno temporis ſpatio, quod apud patientes noſtros, haudquaquam locum habet. Occurremus itaque his incommodis, & eorum vim eludemus, ſi eam propaginem, quam aliena corpora, & integra pręſtare poſſunt, operi noſtro adhibeamus, & quem morboſa corpora exhibent, ab inſitione rejiciamus. Atque hæc ratio plurimum ponderis habet, cùm à fine petita ſit, cauſarum principe, ad quem potiſſimum animi aciem intendimus, quique omnium actionum noſtrarum dux quidam eſt, & arbiter. Sunt autem, & aliæ rationes, quæ nobis fidem fortaſſis facerent, quò minus ex eodem corpore, quod nobis objectum fuerit, traducem depromamus, quæ omnia deliciis quorundam potiùs, & animi abjectioni, quàm vel curationis decori, vel meliori operis conditioni ſubſcribunt. Aiunt enim nonnulli, ſi ex alio corpore traducem ſumamus, nos hac ratione efficere, ut ſęvos æger cruciatus effugiat, cæteraſque ejus generis calamitates devitet quamplurimas. Has diſtinctiùs hoc loco enarrabimus, ut iis perſpectis, quid ſentiendum ſit, ex rei veritate definire poſſimus. Hæc autem omnia quaternario comprehenduntur. Dum enim propaginem primò educimus, & ad inſitionem paramus: dum propagine inſita totum corpus ad conjunctarum partium ſalutem componimus, non poteſt fieri, quin vehementer torqueamur, & inſignes dolorum vellicationes perpetiamur. Etenim cultris cutis incidenda eſt, acu pertundenda eſt, funiculis conſtringenda eſt, brachium violenter attrahendum, capiti imponendum, nulliſque motibus non concutiendum.

Sic corpus jacendo continendum, & velut in carcerem quendam, conjiciendum eſt, quod alioquin liberum, & integrum ſua munia explere expetat. His accedit & brachii turpitudo, quam in propaginis eductione infligi neceſſum eſt, & partium illarum languor, cum inducta cicatrice caloris priſtina benignitate deſtituantur, & multo, quam ante, ad motum ineptiores fiant. Quibus adjungitur, quod illuc paſſim, velut ad reliqua ſolet vulnerum veſtigia, excrementa promptiſſimè confluant, quorum vel tenuitate, vel acrimonia, vel aliena qualitate, pars illa intumeſcat, & ulceribus afficiatur. Expetendum itaque, ut aliena corpora pro traduce excidendo, & inſerendo ſubſtituantur: propria verò, & ſingulis ſua, quantum poterit, à doloris ſævitie, à brachii deformitate, & imbecillitate, à cęteriſque incommodis illæſa, & innoxia conſerventur. Atque hæc hi homines plus juſto ſcrupuloſi contra hanc operationem in medium afferunt. Si autem ſingula expendamus, illud unum duntaxat, quod ab opere argumentum deducitur, non nihil urget: reliqua vero, ut ſectionis doloris, curationis tædium uſque ad inſitionis tempora, cicatricis deformitas & brachii imbecillitas, aut ſi quid aliud reſtat, leviora ſunt, quam ut rejecto proprio corpore, alienę materiei ſubſidio opus ſit: Cum enim nobis propaginis ſecernendę datur optio, quam aliquando meliorem eſſe præſtaret, nonnunquam vero alteri, quæ penitus inepta eſſet, ſupponi liceret, id utique non negligendum eſt, cum & operi ipſi, & operis decori conferat, ad quæ omnem ingenii aciem intendere, omnes prudentiæ conatus dirigere, quod ita artis ratio pręſcribat; diligens artifex & callidus haud immerito cogitur. Verum tamen ſi operis ſummam periclitari contingat, & majus damnum fuerit, quæ fecerit, quam commodum, quod conſequaris, quare nemo ſanæ mentis ſuaſerit, ut ob leve quoddam pulchritudinis & indolentię lucellum, totam operis ſortem in dubium revocemus. Quod ſanè contingit, ſi alieno in corpore hanc præſtare operationem conati fuerimus. Cum enim inſitione facta, vel magis, ut proprio vocabulo rem ſignificemus, cum, inquam, propaginis cum curto naſo, vel labiis per ſuturam conjunctis, coaleſcentię incumbimus, continendę ſunt partes quam arctiſſime, & eo tenore ac regula conſervandę, ut, neque minimum, ſi fieri poſſit, hinc inde dimoveantur, ne diſtractis illis, aut contortis, vel obliquè, vel tranſverſim, vel minus pertinaciter uniantur, ſed vitiosè, & invalidè coaleſcant. Sed quo pacto, quæ in ęgris perquam facile eſt, illam duorum corporum, ſeu compoſitionem, ſeu deligationem conſtituamus, adeo arctam, & conſentaneam, quod par ſit perficiendo operi? Certè ego ex me videre nequeo. Qua ratione efficere, poterimus, ut corpora conjuncta, coalitum partium haudquaquam deſtruant, aut aliquatenus non corrumpant? Quæ enim non incommoda ſequuntur, circa vigilandi, aut dormiendi tempora, ubi naturę operibus vacandum, ubi alimenta capienda ſunt, ſi eundum, ſi quieſcendum, ſi ſtandum, ſi ſedendum, & ſi cętera neceſſitatis peragenda ſunt. Hîc qua ratione ad eam moderantiam accedemus, quam, quę peragenda eſt, partium conjunctio requirit? Itaque nemo non videt, ex colligantiæ difficultate, & incommodorum, quæ bina corpora, ſi conjungantur, conſequuntur, neceſſitate quam dubios, ſi non inanes penitus effectus artis fore, & eò magis, cum neque actio in proprio ejus, cui medemur corpore, haudquaquam vacet periculo. Satius igitur fuerit hoc intentatum relinquere, & quęcumque tandem illa ſint quæ operis venuſtatem, & actionis jucunditatem imminuant, incurrere potius, quàm totum opus in diſcrimen adducere.

Hinc ſupervacaneum eſſe patet, ut illis reſpondeamus, qui vel decori brachii conſulentes, vel ſenſui proprio blandientes, hanc operationem in ſuis corporibus detrectant. Non enim ea vis eſt tormenti in ſectionibus, non ea tœdii magnitudo, dum ad inſitionis uſque tempora curatio facienda eſt, non tanta vulneris fęditas, aut cicatricis imperfectio, quemadmodum hi moroſuli, aut ſi vis delicatuli ſibi proponunt, ut cum levia hęc, & momentanea declinare malint, eorum inquam, aleam ſubeant. Omnibus itaque liquet hanc chirurgiam magis in proprio, quam alieno corpore expetendam eſſe, cum in illa ſit operis, utcumque fuerit, ſpes certiſſima, hęc vero periculum inſigne, quinimo de toto negotio quandoque deſperationem ſecum afferat. His porrò, & illud argumentum adjiciemus, quod aſpernandam eſſe ex alterius corpore inſitionem, & recipiendam eam, quæ ex proprio fit, magis approbaverit, propoſita ſcilicet difficultate, quam in cutis ſecretione, adhibito prius propaginis examine, ſubire neceſſe eſt. Quis enim acerrimo adeo ingenio illam proportionis notam, quę operanti rectè obſervanda eſt, diſtinxerit? Quis ejuſdem vim & facultatem rimari poterit? Quis illius magnitudinem verè expreſſerit? Quapropter in judicio adeo lubrico, & fallaci non confugiemus alio, & quantitatem traducis aſſignabimus, ſed ea, quam natura aſſignaverit, menſura, & delineatione uti ſatius eſt. Quem ineffabilem naturæ apparatum in ſingulis, quos adhuc viderim, aut in manibus meis habuerim, mihi obſervare, & contrectare licuit. Nam exquiſitè adeo ad modulum curtarum narium cutis brachii convenit, ut jamdiu naturam huic operi penum quendam præmeditatam, & ſuccedaneum quid ſiniſtrum naribus contigerit, hîc ſepoſuiſſe credas. Itaque admiranda eſt illius providentia, quæ ſingulis rebus nihil non proprii elargita eſt, & id obſervavit unicè, ut unicuique ſuum rectum ſit, atque conveniens. In cujus contemplatione illud veriſſimum eſſe comperimus, quod ab Eccleſiaſte ſapienter enuntiatum fuit: *Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt ab initio mundi uſque ad finem.* Et rurſus: *& intellexi quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole, & quando plus laboraverit ad quærendum tanto minus inveniet. Eam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* Pręterea: *cunctæ res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone. Sed enim ex hac peſſima occupatione, quam* ut idemmet dicit, *dedit Deus filiis hominum ad ejuſdem cognitionem, & futurorum bonorum hæreditatem maximum argumentum elicimus.* Veruntamen hęc alibi. Nunc illud ſufficiat, difficillimum, & ferè impoſſibile de propagine judicium, atq; ſingularem illum individui characterem omnino diſſuadere, quo minus in alieno corpore hoc opus aggrediamur. Etenim hujus proprietatis ea vis eſt, & potentia, ut coalitum ſi quis accelerari, & ſymphyſis adaugeri, quin ſi minimam quidem operationis partem ſeſe aſſequi poſſe crediderit, hunc planè ſuperſtitioſum, & in diſciplinis phyſicis male formatum eſſe exiſtimemus.

Cap. 19. *Quid ſcripſerint antiqui, & recentiores de curtorum reſtauratione, & an hæc noſtra illis conveniant.*

ANTEQVAM verò ulterius progrediamur, verè illud eſſe diſcutiendum primo cenſeri poteſt, nunquid veteres medici, quorum operâ in comperiendis, & explicandis artis officiis, ſingularis fuit, quique curtorum cognitionem quadantenus attigerunt, hanc

hanc artem præceptis, pro operis exigentia, opportuno illuſtraverint: & quid neotericorum nonnulli, atque ſua tempeſtate omnium conſenſu clariſſimi vel ſcripſerint, vel indicaverint. Ex priſcis qui aliquid hac de re tradiderunt, Galenus eſt, Cornelius Celſus, & Paulus Ægineta, quorum virorum ſententias primum annectemus, & neotericorum decreta ſubjungemus, ut commode poſthæc noſtra cum illis conferri queant. Ut autem primo Galenum conſulamus, is in hunc modum retulit: *diximus & de ejuſmodi rationibus in ſermonis progreſſu, æquo profecto ut de curtis id genus, quæ κολοβώματα Græci appellant, quippe ita vocant quæ in labiis, aut narium alis aut aure deficiunt. Nam methodo curantur hæc quoque primum quidem excoriata cute, deinde adductis conjunctiſque inter ſe cutium oris, ac utriuſque quod calloſum eſt, detracto, mox quæ reliqua ſunt, aſſutis atque agglutinatis.* Et rurſus *ſi digitus deſit,* inquit, *vel tale quippiam, reſtituere id prorſus non licebit. Sane productum, & de præputio prius eſt, quemadmodum id quiſpiam inſtauret. At quæ in naſo, vel labio, vel aure curta ſunt, ea quidem, ut refeciſſe non liceat, ita decorem aliquem his adjiciat, ſi quis diviſam utrinque cutem mox in unum conductum queat agglutinare.* Atque hæc eſt Galeni ſententia. Paulus Ægineta aurium detruncationes ac labiorum curari ſcripſit hoc plane modo. *Curta circa aures, aut labia hac ratione tractantur, ut primum quidem cutim ex inferna parte excoriemus, poſtea vero vulnerum labia inter ſe contrahamus, & callis ablatis deinde ſuamus, & agglutinemus.* Sic Celſus, ut ſequitur indicavit. *Id quod curtum eſt in quadratum redigere, ab interioribus ejus angulis lineas tranſverſas incidere, quæ citeriorem partem ab ulteriore ex toto diducant: deinde ea, quæ ſic reſolvimus, in unum adducere. Si vero ſatis junguntur ultra lineas, quas ante fecimus, alias duas lunatas, & ad plagam converſas immittere, quibus ſumma tantum cutis diducatur. Sic enim fit, ut facilius, quod adducitur ſequi poſſit. Id non vi cogendum eſt, ſed ita adducendum, ut ex facili ſubſequatur, & demiſſum non multum recedat. Interdum autem ab altera parte cutis, haud omnino adducta deformem, quem reliquit, locum reddit. Hujuſmodi loci altera pars incidenda, altera intacta habenda eſt.* Hæc igitur ſunt antiquorum de hac operatione noſtra placita, quibus quid minores ſenſerint, jam adſcribendum eſt, in quorum numero Alexander Benedictus, Veſalius, Ambroſius Pareus Gallus, Stephanus Gourmelius, Joannes Schenckius de Grafenberg, homines ingenioſi & ſolertes habentur. Alexander itaque Benedictus, patria Veronenſis medicorum eloquentiſſimus, reſarciendarum narium chirurgiam his verbis annotavit. *Ætate noſtra narium deformitatem cohoneſtari docuere ingenia. Carunculam è brachio ſuo conciſam. ad narium formam cenſeri, addique trunco naſo ſæpè viſum eſt. Summam enim cutim brachii novacula excidunt: facto vulnere, abraſis ſi opus eſt, naribus, vel noviter abſciſſis capiti brachium ita conjungunt, ut vulnus vulneri cohæreat, conglutinatis vulneribus à brachio tantum cultello demunt, quantum inſtaurari conveniat. Naſi enim venulæ, cognatæ carunculæ nutrimentum præbent, cutiſque demum ſuperinducitur, pilis quandoq; pro brachij natura innaſcentibus, eoque modo nares novas miro ſtudio componunt, foraminaque faciunt, audaci ingenio naturæ imperantes. Id additamentum hyemis violentiam vix ſuſtinet, & curationis. Naſum ne prehendant moneo, ne ſequatur.* Veſalius præterea hanc narium reſtaurandarum artem inſinuans hoc pacto illas componi commonuit. *Tunc temporis ante ſcarificationem brachium, quod magis ægroto commodum ſit, accipimus, & muſculum ſuperficialem, cubitum in anteriorem partem flectentem, prope tendinem, hoc eſt, circa locum copulationis ejuſdem tendinis, manibus diligenter exquirimus, quo invento ab utroque latere violenter ita vulneramus, ut reliqui vicini muſculi minimè malum perpetiantur. Eadem vulnera ſcalpello profunda efficimus, curamuſque ne dolor, vel inflammatio ſuperveniat, & interim pedetentim magis perforamus, donec linteum ab utraque parte facilè aditum habeat: ac ſi dicas, te velle muſculum elevare in ea parte, in qua magis carnoſus ac corpulentus exiſtit, & ab aliis ſubjectis partibus totum ſejungere. Hoc facto ab altera ſuperiori parte paulatim adhuc ſeparamus, donec undequaque dermis, & epidermis contracta ſit, quod medicamentorum ope commode ſatis perfici poteſt. Interim locum, in quo antea naſus erat, diligenter ſcarificamus, donec ſanguis maximus effluat, poſtea faciem ita cum muſculo jam affecto conjungimus, ut nec moveri quidem, vel caput, vel brachium quadraginta dierum ſpatio poſſit.* Veſalio Ambroſius Pareus ſuccedit Pariſienſis, regius chirurgus, homo inſignis, & doctus, qui de refectione curtorum habet hæc ſequentia. *Extitit in Italia, annis ſuperioribus chirurgus, qui reſectæ portionis naſi reparandæ hanc rationem inierat. Naſi mutili labra calloſa circuncidebat, quomodo in implendis roſtris leporinis fieri ſolet, inde lacunam novaculâ tam magnam in bicipiti muſculo brachii excavabat, quantum amputati naſi portionis amplitudo exigere videbatur. In eam mox naſum, qua parte mutilus erat, demergebat, capite ad brachium tanquam ad palum ſic revincto, & colligato, ut immotum & ſtabile nullam in partem flecti poſſet. Quadrageſimo inde demum die, quo ſcilicet tempore peractam carnis brachii cum naſo agglutinationem ſuſpicabatur, tantum ejus pro deperdita naſi portione circuncidebat, quantum ipſi reparandæ ſatis eſſe putabat.* Hanc reſtaurationem narium rationem Stephanus Gourmelius non fabuloſam eſſe, ſed veriſſimam, *ex epiſtola quadam Caleutii ad Orpianum demonſtrare conatus eſt, & Brancam Siculum hujus artis profeſſorem egregium conſtituit.* Quis verò hic adminiſtrandi operis modus fuerit, autor ille nequaquam explicat. Poſtremus itaque inter recentiores eſt Johannes Schenckius noſtræ tempeſtatis vir eruditiſſimus, qui idem de curtis naribus, labiis, & auriculis affirmat, & modum, quo id reſtauremus ſignificat, qui cùm nullatenus à cæteris diſſideat, hac de ratione illius verba omittamus. His itaque ſic conſtitutis, quis eſt in re medica tam infans, tam imperitus, qui unico ſaltem intuitu curtorum reparandorum chirurgiam à priſcis, & modernis propoſitam toto cœlo ab hac noſtra diſtare, & penitus diſſonare non videat. Priſci enim non aliunde petebant propaginem, ſed è proximis partibus, exciſa parumper cute, arripiebant, quam nos, & à vicinis locis, ut in auribus excipimus, & è longinquis, & diſtantibus membris excindimus, cum pro narium refectione, quę in humero eſt, cutim attrahamus. Hanc regionem quamvis juniores reſciverint, quæ tamen ea vera pars eſſet, quæ in uſum noſtrum cederet, cutiſne an caro muſculi, obſcure ſatis, obiterque indicarunt. Sic longius eſt diverſa operatio noſtra, qua in ſecernendo, inſerendo traduce utimur, ab ea quam hi homines inſinuarunt. Etenim antiqui cutim excoriabant, leviter attrahebant, ſuturis committebant, neque pręter hæc quicquam moliebantur. At nos eam incidentes à ſubjectis corporibus avellimus, ut ſaltem una in parte adhæreat, nares denuo excoriando vulneramus, propaginem adjungimus, ſuturis validè connectimus, multos dies poſt reſcindimus, foramina efformamus, & tandem quicquid reliquum operis eſt ad finem perducimus. Nec quicquam horum minores medici efficiunt. Quidam enim cutim rectâ diſſecant, quidam ſecando lacunam effodiunt, hac parte nares immergunt, nullumque præterea, vel ſuturarum, vel deligationis vinculum, præter brachij,

faſciarum ope, cum naribus connexionem adhibent, partes ſic unitas per dies quadraginta cohibent, & tandem, quod defectum narium reficiat, quod extremum operis eſt, novacula excindunt. Qua de cauſa vehementer miror, quid hiſce viris, alioquin doctis, & eruditis in mentem venerit, ut ex carne muſculoſa nares reſarciri poſſe crediderint. Quomodo enim hæc pars ſine vitæ periculo contrectari? Quo pacto incidi? qua ratione à membranis divelli poterit? cur non nervi diſtenduntur? quid oberit, ut ſanguis tanto impetu proſiliat, ne eum cohibere queas? quid cauſæ eſt, quin motus brachii, ſi ſanitatem acquiras, non tollatur penitus? Mirum revera eſt, cui cognitis incommodis, quæ læſiones harum partium comitantur, alioquin ex natura partis manifeſtis, tam enormia, & tantis viris indigna, hujus noſtræ tempeſtatis medici attulerint. Etenim antiqui ſuiſmet principiis conſentiunt, & rectè inſtituunt curationem, quam in levibus narium offenſis etiam in uſum venire poſſe nemo non intelligit. At hi homines ea jubent, quæ ſi velis exequi, prius ægrum certè, quàm refeceris, naſo curto ad inferos demiſeris. Itaque in hanc ſententiam venio, ut homines hoſce hanc curationem neque vidiſſe unquam, neque attentaſſe dicam, ſed aliorum relatione confiſos, ſatis imperitè & inconſideranter, quæ de curtorum reſtitutione audiverint, ſcriptis ſuis demandaſſe. Nec enim ſedem, nec materiem propaginis, nec inde operationis rationem perſpexerunt, ſed fabuloſa quædam, & vulgo pervagata, nugiſque anilibus haud abſimilia protulerunt, quæ neque ratio demonſtrare poteſt, neque ſenſus unquam oſtendere. Quamobrem ut paucis ſermonem noſtrum perſtringamus, dicamus certè hanc curtorum reficiendorum artem longe aliam eſſe ab ea, quam antiquitas, & hæc noſtra ætas, plus gerris quàm veritati debita, nobis propoſuit, eamque hactenus à nullis, quoad mihi conſtiterit, vel ſcriptam eſſe, vel traditam conſtanter aſſeveremus. Hanc eâ diligentiâ, & perſpicuitate, qua poterimus, ſuo loco vobis commonſtrare, & explicare recipimus, atque promittimus.

Cap. 20. *Quæ chirurgiæ operationes cum exitio frequenti, & ſævis cruciatibus conjunctæ ſint.*

QVONIAM verò qui acerbitatis ſuæ, & malevolentiæ tela ſemel in bonorum inventa conjecerint, admoniti brevibus, haud ita facile à calumnia deſiſtunt: quin bene cum his agitur, ſi explicata ſatis, & inſpecta rei veritate ad frugem redeant. Itaque ut eorum moleſtiis occurramus, illas manuum operationes, quibus uſa fuere priſca ſecula, & quæ jam penitus exoleverunt, in medium proponere, & adhibitâ limâ expolire decrevimus. Videbunt enim hi naſuti, quantâ ſævitiâ, quanto cum mortis periculo antiqui non tam morbos, quam levia quædam incommoda, quæque non ſanitatis præſtantiam, ſed decoris ſpeciem labefactarent, extirpaverint. Hos, naribus qui adeo emunctis eſt, aut condemnet, aut nos autoritate illorum ſuffultos ab injuria miſſos faciat. Non funera nos, non libitinam paramus, non tormenta, non ſæviſſimam carnificinam inſtituimus. Nulla in re parcendum ſibi eſſe priſca illa ætas ſtatuit, ut ea auxilia invenirent, quibus ægrotorum vitam ab interitu redimerent, quæ quamvis eſſent immaniſſima, & plures reperirentur, quos remedii vis ſuſtulerit, quàm ſervaverit, attamen ſi ſemel artem ſuo officio defunctam eſſe viderent, nec ſe pauca præſtitiſſe, nec artis auxilia culpanda eſſe duxerunt. Nos ergo, qui tam inſigne dedecus à facie amovemus, certo ſalutis exitu, nulla cum difficultate, exigua & pene momentanea moleſtia, ab inceptis deſiſtamus? illos certe antiſtites præſtantiſſimos, & de poſteris bene meritos, qui nos conviciis laceſſiverit, aut ignorantię arguet, quod potiora præſidia non habuerint, aut crudelitatis, quod clementius non egerint, proculdubio condemnabit. Sed quàm immerito facile liquet. Etenim reperiuntur nonnulli, qui nullos non labores ſubire, & extrema quęvis pati malint, dummodo exiguam de vita ſpem, aut aliud quid, quod levius ſit corporis bonum, animo ſuo conceperint. Atque ſi videamus, quid non molita ſit ſedula antiquitas, intelligemus equidem hęc noſtra multis paraſangis anteire, & operationis certitudine, atque benignitate, illorum curandi modum longe ſuperare. Quare nec diffidimus, quin aliquando hoc chirurgiæ genus propagari, & ut cætera medicinę opera in uſum transferri debeat, quod & apud quamplurimas artes, præcipuè autem in hac noſtra factitatum eſſe ſcimus. Auxilia enim quædam, ob vehementiam ſatis difficilia, & verenda, perſpectâ tandem naturâ, & adminiſtrandi modo, è ſacrariis artis eruperunt, & in publicam utilitatem ceſſerunt. Quid elleboro albo terribilius? Quid in vacuanda pituita vehementius? Tanta fuit hujuſce vis remedii aliquando credita, ut religione quadam ab hoc arceri ſeſe priſci crederent, nec unquam vel raro, & maxima cum cautela id propinarent, quod tamen adeo poſt uſu pervagatum fuit, ut plerique ſtudiorum gratiâ, quaſi joco, aſſumpſerint. *Quod Carneadem feciſſe, dum Zenonis libris reſponſurus erat, illudque avidius ebibiſſe Plinius teſtatur.* Cęterùm ſęviſſima chirurgiæ genera, & ingentibus periculis plena, quęque ob immanitatem deſueviſſe puto, illa primum ſunt, quæ ab Ægineta recenſentur, & arteriotomia, angiologia, hypoſpathiſmus, & periſcyphyſus appellantur. *Prima eſt arteriarum ſectio, diuturno oculorum defluxui, & vertiginoſis affectibus vulgaris, quæ in arteriis rectò poſt aures collocatis ſic adminiſtrabatur. Deraſis eò loci pilis, arteriarum pulſum explorare decet, & locum atramento ſcriptorio notare per lineam, qui ad duorum digitorum longitudinem cùm notatus ſit, ad os uſque tranſverſim incidimus. Si autem arteria minus conſpecta ſit, à digitorum trium intervallo dividemus regionem eam, & injecta manu arterias diſſecabimus, donec & fluor ſanguinis pulſatilis appareat, & inſtrumentum ad os uſque adactum ſit. Effluxo, quod ſatis eſt, ſanguine, membranam eradimus, ne inflammatione diſtendatur, & eraſo ſubtus oſſe, cuneolum ex linteo vulneri ſubjicimus, & medicamenta adhibemus illita linteis, & ſi demũ os calvæ leve remanſerit, denuo exculpimus.* Hoc igitur genus chirurgiæ quàm atrox ſit, quàm verendum, nemo eſt qui abſq; horrore cogitare poterit. *Altera eſt angiologia in hemicranicis pervagata, & in iis, quorum oculos, aut diuturnus dolor, aut acutus, ex calida, & acri fluxione infeſtaverit, ita ut in muſculis temporum, & ca'or, & laxus tumor excitetur. Fit autem hoc pacto. Pilis primùm in temporibus deraſis, vaſa digitis notabimus, attamen ut fomenta præceſſerint, aut cervice conſtricta vaſa intumuerint, quæ in conſpectum cùm ſeſe dederint, atramento notabuntur, & ex lateribus, cùm ſiniſtræ manus chirurgi, tum miniſtri digitis cutis levabitur. Vas linea ſuperficiaria incidemus, & totum ubi penetraverimus, elevatum hamulis, & inſtrumento à membranis vicinis denudatum ſuſpendemus undiquaque liberum. Hoc itaque ſi fuerit tenue, ſublato eo per hamulum cæcum, circunductoque membranam detrahemus, ita ut ejus partem etiam comprehendamus. At ſi magnum ſit, duplex illi acu funiculus ſubjicitur, & in rectum ſcalpello dividitur. Effuſo, quod ſatis eſt, ſanguine, quod denudatum eſt in utroque extremo lino ligabitur: quod intercedit, aut exciſum protinus, aut cum ſolutum fuerit, auferetur.* Hæc ſequitur *hypoſpathiſmus, ab inſtrumento nomen ſortitus, quo utebantur antiqui, cum in oculos*

multus

multus fluor & calidus præcipitabatur facieſque rubebat, & in fronte ſenſus quidam quaſi vermium, aut formicarum diſcurrentium ſuboriebatur. Abraſo prius frontis pilo, tres lineas pari ſpacio diſtantes, eaſque rectas in fronte incidunt, quorum extremæ duæ temporum muſculos ne lædant, cavendum eſt. Eas omnes aduſque os impingunt, & trium digitorum intervallo ſecernunt. Spatham poſt hæc à linea, quæ eſt in ſiniſteriore tempore, ad medium uſque ſubjiciunt, totum illud ſpatium unà cum calvariæ integumento excoriant, & inde rurſus ſpatham à media ad reliquam dexteræ partis ſectionem demittunt. Scalprum poſthæc quod ſcolopomacharion dicitur, in primam lineam conjiciunt, ut alterum latus, quod acutum eſt, carni ab interna parte cutem comprehendenti, alterum verò ſcilicet retuſum oſſi accommodetur illud ad uſque mediam lineam propellunt, & vaſa univerſa ad oculos deſcendentia, illæſa tamen cutis ſuperficie, incidunt. Idem à medio ad alterum extremorum adminiſtrando peragunt. Sanguis ubi mediocriter affluxerit, extruſis grumis, tria linamenta tortilia, ſingulis inciſuris inſerunt, & panniculo implicito, & aqua madente ſuper injecto plagas deligant. Poſtridie œnelæo, & ulcera, & temporum muſculos, cum auribus propter inflammationem refovent, tertia verò die, cùm ſolverint, ſuperfuſione diu utuntur, & baſilico roſaceo diluto, linamentiſque inſertis, reliquum curationis abſolvunt. Quartum verò chirurgiæ genus periſyphiſis eſt, cujus talis eſt adminiſtratio. *Deraſo capite, tranſverſam lineam incidemus, quod tamen ſine muſculorum in temporibus motu offenſa fiat. Ea in ſiniſteriore temporum parte incipiat, & in alteram dexteram nempe deſinat, habeatque terminos, ubi motus nullus eſt. Hæc paulo ſupra, quam frons habetur, ducitur, attamen ut ſuturam capitis, quam ςεφανιαία vocant, evitemus. Leonides verò per mediam frontem lineam deducebat. Cæterum detecto oſſe, penicillis, aut linamentis plurimum partes invicem ſeparabimus, extrema diviſioni deligabimus, & vino, oleoque mixtis, ut prius dictum eſt, regionem illam fovemus. A ſolutione, cum inflammatio jam declinaverit os radetur, quoad caro ſuppullulare incipiat. Tunc rationem procreandæ carnis adaptabimus, & cætera, quæ in vulnerum curatione requiruntur.* Sed omnes operationes, quas jam enarravimus, non vacant ſummo periculo, nec ſine maximis moleſtiis, vehementiſſimiſque cruciatibus perfici queunt. Si enim dignitatem partium, ſi ſymptomatum, nempe inflammationis, convulſionis, & aliorum metum nobis ob oculos ponamus, an non exiſtimemus, quin de uniuſcujuſque vita agatur: ſi operationis moram, ſi ſenſûs acumen reſpiciamus, nonne dicemus, nec Siculos tyrannos majoribus tormentis homines confeciſſe? Itaque multo magis hæc antiquorum exercitia, quam noſtra condemnanda ſunt, *qui tamen cum periculo aliquid moliri maluerunt*, ut Galenus exiſtimat *quam ſalutem ægri, præter artis beneficia nihil agendo, ſi non perdere, ſaltem in dubium revocare.* Sed de noſtro inſtituto fuſius infra verba faciemus. Jam cæteras antiquorum operationes manufactas perſtringemus, atque id quanta fieri poterit brevitate. Veruntamen ab earum cenſura ſuperſedebimus, quæ in omnibus ſimilis, aut pene eadem ratio eſt, & quia unum ſi noveris, omnia cognoveris. Sed agite ad rem accedamus. *Fit ſutura in palpebris oculorum, in illa affectione, quam διστοιχίασιν græci appellant, cùm naturali palpebrarum ordini & alii præter naturam pili ſuccreſcant.* Hanc totam ablationem antiqui hoc pacto inſtituerunt. *Æger in ſedili, vel adverſus, vel à ſiniſtra collocabitur, & ſuperior palpebra invertetur, ſiquidem longos habeat pilos, illos ipſos apprehendendo indice, & magno ſiniſtræ manus digito: Sin verò breves ſint per medium cilii in exteriorem partem acus cùm filo trajicitur, & per filum ſiniſtra palpebra attollitur, dextera verò, ſi ſpecilli cuſpidem poſt filum in rugas cogamus, invertitur, ſubtuſque linea quædam per cilium ducitur, ab angulo majori ad minorem uſque, inferius paulo, quam pungentes pili habeantur. Filo autem poſt interiorem ſectionis lineam ſubjecto, & pollice ſiniſtræ linamentis inducto, & obtento, ſupercilium attollimus, aliaque parva linamenta imponimus ſummis angulis, & per ea attollere palpebras famulum jubemus. Tunc lineam veru modo rectam quam ὀβελαίαν græci vocant, ſcapello incidimus, qui ſuturis aptius ſit, paulo ſupra, quam naturales pili exiſtant. Hujus lineæ ductus ab uno angulo ad alterum tendit, adeo alta, ut ſola cutis poſſit dividi. Poſt eam lunatam ſectionem adhibemus, incipientes quidem, unde, & veru ſimilis linea inceperit, in tantam verò altitudinem tendentes, ut totam cutem, quæ ſuperflua eſt, circunſcribamus, & ſimiliter, ubi commemorata deſinit linea, tandem deſiſtamus. Poſteaquam cutis effigiem myrti folii circunſcripta referat, tranſfixo angulo, qui ad dexteram noſtram flectet per hamulum, hanc totam cuticulam excoriabimus, & ſpongiâ vibicibus ter quaterve exterſis, ora vulneris contrahemus, à medio auſpicantes, atque acum per interiorem ſectionem cum filo ex lana tranſmittemus. Cæterum quod ejus ſuperfluum eſt, amputabimus, non propè ſuturas, ſed ut circiciter trium digitorum longitudo ocioſa pendeat, eamque per frontem exporrectam, cum emplaſtro quodam agglutinante applicabimus, & palpebræ pilos, acûs cuſpide à ſuturis liberabimus.* Atque hunc modum communem maxime, & ſecurum eſſe Ægineta refert, cui adhuc duas rationes auferendi hoc morbi genus addit, ab hac dicta paulum diverſas, quæ tamen iiſdem eædem incommodis, ut illam habere videtis, laborant. Hæc ſubſequitur pterygii cura, non minus, ut aliæ operationes, injucunda, & periculis plena. Eſt autem πτερύγιον membranula nervea, oriens ab oculi angulo, quæ nonnunquam ad pupillam uſque excreſcit, & motui officit, ſæpius quidem ab narium, interdum etiam ab temporum parte enata. Sic dictum puto, quod inſtar alæ, quod græcis πτερύγιον eſt, aut oculis, aut pupillæ adnaſcatur. Exciſio ejus talis eſt. *Palpebrarum alteram à medico, alteram à miniſtro deduci prius oportet. Tum medicus hamulum acutum mucrone paulum intus recurvatum, ſubjicere extremo ungui debet, eumque infigere, atque illam palpebram alteri tradere. Ipſe verò apprehenſo hamulo levet unguem, funiculum trajiciat, & acum deponat. Exinde lini duo capita apprehendat, & per ea erectum unguem, ſi qua parte oculo inhæret, manubriolo ſcalpelli diducat, donec ad angulum veniat. Poſt hæc invicem modò remittat, modò attrahat, ut ſic, & initium ejus, & finis anguli reperiatur. Duplex enim periculum eſt, ne vel ex ungue aliquid reſiduum ſit, quod exulceratum vix ullam recipiat curationem, vel ex angulo caruncula abſcindatur, quæ ſi vehementius unguis ducitur, ipſam manum operantis ſubſequitur. Hac autem abſciſſa foramen pateſcit, quod cum ſemper uliginem quandam effundat, affectum eum, quem græci ῥυάδα vocant, excitat Verus ergo anguli finis, utique noſcendus eſt, qui ubi ſatis conſtiterit, non nimium adducto ungue ſcalpellus adhibendus, & excidenda ea membranula, nequid ex angulo lædatur.* Sic circa obſcænas partes, quædam actio chirurgica vertitur, cum extremum colis, quod glandem appellant, denudatum ſit, nec naturali præputii integumento inveſtiatur. Hanc partem decoris gratiâ, juxta Celſum, ut contegamus, ſic procedendum eſt. *Cutis ea, quæ circa glandem eſt, apprehenditur, & extenditur, donec illam ipſam condat, ibique deligatur. Iuxta pubem in orbem tergus inciditur, quouſque coles nudetur. Magna cura caveatur, ne vel urinæ iter vel venæ, quæ ibi ſunt incidantur. Quo facto cutis ad vinculum inclinatur, nudaturque circa pubem velut circulus, eoque linamenta dantur, ut caro increſcat, & id impleat, ſatiſque velamenti latitudo ſupra ipſi plagæ præſtet. Diverſa autem in circunciſis operationis hujus ratio eſt. Etenim ſub circulo glandis ſcalpello cutim diducimus: quemadmodum, & reſoluto præputio, & ultra*

gland.m extenſo, cum multa frigida, partem fovemus, tum emplaſtrum circa damus, quod valentem inflammationem reprimat, proximiſque diebus, ut prope à fame evincatur, aut nullatenus ægrum, aut quam minimum cibamus. Compreſſâ inflammationem membrum deligatur, & curatio juxta Celſi doctrinam eò loci inſtruitur. Sed Deus bone, quid hoc negotii eſt? Veteres illi, tam ingentibus tormentis, tam expreſſis periculis non ſunt veriti ægros ſuos exponere. At qua de cauſa? Ut hoc exiguum decoris lucellum reportarent. Et quo in loco? Ubi nullus id cognoſſet, & quo membro toto, nedum ejus parte, abſque vitæ incommodo carere homines potuiſſent. Sic artis officia, in ea, quæ quovis modo à perfectione diſcederent, redundare voluerunt. Sed redeamus, unde dilapſi ſumus, & percurramus cætera manuum opera non minus vehementia, quam metûs plena, quorum haud poſtrema eſt, quæ ad tempora ſunt, arteriarum exſectio. Hoc præſidio tamquam extremo, & efficaciſſimo utebantur antiqui medici, referente Albucaſi in hemicranea inveterata, in acutis deſtillationibus ob acres humores, in æſtu temporum non ſufferendo, & tandem in dolore univerſi capitis contumaciſſimo. Cum enim nullis præſidiis amplius locus eſſet, hæc vaſa jam dicta, excidebant, aut inurebant. Exciſio talis eſt. *Præradetur circumquaque temporum regio, ut arteria ſeſe in conſpectum tradat. Hanc indicat vehemens motio. Perraro autem deliteſcit, atque id ſaltem hieme aſperrima, ſi ſanguis, & ſpiritus in penitiores partes abeant. Tunc vel arcta colli conſtrictione, vel temporum frictione, vel calida evaporatione arteria evocanda eſt. Locus ejus atramento notandus, & cutis aduſque arteriam acutiſſimi gladioli acie incidenda eſt. Quæ ut denudata, magis in promptu ſit, ideo cutim deraſam uncis attollemus, ex hamulo arteriam ſuſpendemus, atque à tunicis circumhærentibus penitus liberabimus. Arteriæ verò vas, ſi ſit tenue, duobus in locis, ad binorum digitorum diſtantiam excindendum, & utrinque remittendum eſt. Sin inſignis fuerit arteria, ſupra infraque deligetur, & quod interjacet, ex tota abſcindatur, aut ferri acuti acie, aut ſi hæmorrhagiæ metus ſit, cauterio cultelari,* ut utar verbis Albucaſis, cujus typum ipſe deſcripſit, quodque præſidii genus altero tutius eſſe retulit. *Exciſa arteria, & extracta, locus cottô implendus, & iis auxiliis, quæ carnem cum cicatrice, inducunt, ſanitas reſtituenda eſt.* Annectitur autem cæteris exemptio chæradum, per manualem operationem, quam Paulus Ægineta hunc in modum recitat. *Naſcuntur ſtrumæ in cervice præſertim, in alis, in inguinibus, & in lateribus, quin & in mammis fœminarum quandoque reperiri eas Celſus ait ex Megetis ſententia.* Tumor eſt ſtruma, in quo ſubter concreta quædam ex pure, & ſanguine, quaſi glandulæ oriuntur, omnes in propriis pelliculis, quaſi domiciliis continentur, quemadmodum ſteatomata, atheromata, & melicerides. His vel maxime anguntur medici, quoniam & febres movent, neque unquam facile matureſcunt, earumque nonnullæ malignam ſortiuntur naturam, ſuntque doloroſę, & quæ ad contactum, ad impoſitionem medicamentorum incrudeſcant. Hæ ab aliquibus canceroſæ nuncupantur, quas manifeſtum eſt non ita prompte chirurgicis auxilliis cedere. Benignæ aliæ ſunt ad tactum, & ad tempeſtivum remediorum uſum ſequaces, quas hoc pacto eximere oportet. *Superficiarias ſtrumas, & quæ in ſumma cute conſiſtunt, ſectionis ſimplicis uſu, ab incumbentibus membris exſolvere oportet, & diſtentis hamulo cutis labris ab integumentis explicare, eaſque ut dictum in angiologia, placide auferre. Transfixas verò majores hamulis levabimus, & ſimiliter excoriando à continentibus corporibus undique abſolvemus. Sed arterias caroditas, & nervos recurrentes effugiamus. Sin vas quoddam in operatione dividamus, illud ne impedimento ſit, aut laqueo conſtringemus, aut ſi haud inſigne fuerit, penitus excidemus. Ubi in arctum ſtrumæ baſis devenerit, dextera ipſa præcidatur, & indice denuo explorandum eſt, nunquid, alia ſint adjecta tubera, quæ eodem modo auferantur. Si tamen vas quoddam permagnum, aut etiam complura juxta ſtrumæ fundum adeſſe ſuſpicemur, non ex baſi eam excindere, ſed funiculo excipere convenit, quo fruſtatim citra periculum ſua ſponte excidat, quo tempore medicamentis linteolo illitis curatio tentabitur. At ubi inde exciſa fuerit, tunc oras plagæ illius committemus. Omnino autem rectas diviſiones adhibere oportet, atque ſi nihil ſupervacuum fuerit, ſuturis conjungere. Sin cutis redundet, quare ablata prius quadam ipſius parte, inſtar myrtei folii, conſuenda, & medicamentis cruentis obturanda eſt.* His etiam annecti neceſſarium eſt, chirurgiam cancri, qui pectori innaſcitur, quam Leonidas deſcripſit, retulit verò Aëtius. Inquit vero Leonidas: *ego in cancris pectore obortis chirurgia uti ſoleo, quæ talis eſt. Ægram ſupinam decumbere facio, deinde ſupra cancrum partem mammæ ſanam incido, & inciſam cauteriis inuro, donec cruſta inducta ſanguinis eruptio ſiſtatur. Mox iterum incido, & profundum mammæ diſſeco, ac rurſus partes inciſas uro, ſæpeque idem repeto, & ſecando, & inurendo, ut ſanguinis eruptionis periculum evitem. Poſt amputationem vero integre peractam, rurſus partes omnes, ad reſectionem uſque inuro. Primæ autem inuſtiones ſiſtendi ſanguinis gratiâ fiant: poſtremo verò ad omnes morbi reliquias abolendas. Sæpe etiam opus ſine uſtione perfeci, ubi induratus tumor, qui cancrum minetur, in mamma extiterit. Tali enim affectioni amputatio uſque ad ſanam partem ſufficit, cum nullus hic eruptionis ſanguinis metus immineat.* Sed qualis quantaque ſit curatio cancri, ipſi ipſius Aëtii audite cenſuram. *Omnino verò*, ait, *cancros pectori innatos deplorare oportet, quemadmodum qui in capite, in collo, in humeris, in axillis, & inguinibus eveniunt. Sunt enim inſanabiles. Nam præterquam quod perfecte abſcindi nequeant, verendum eſt, ne ob nimiam ſanguinis eruptionem inter ipſas medici manus, ægra occumbat.* Veruntamen, & alia chirurgia eſt, quæ in ſtaphylomatis exciſione verſatur, cujus adminiſtrationem Aëtius hiſce prorſus verbis recenſet. *At ſtaphylomata, quæ anguſtam habeant baſim, neque malefica ſint, actionem eam, quæ κατα σφύγξιν id eſt, per conſtrictionem fieri ſolet, adhibemus. Accipito duas acus, quarum ſingulæ duplex filum, idque contortum æquali prorſus longitudine habeant, deinde ægrum ad pedes tuos collocato, capite ipſius reflexo, ita ut occiput ipſius genibus tuis innitatur. Diſparatis poſt hæc palpebris, per medium ſtaphylomatis fundum ex ſupernis deorſum acum tranſmittito, quâ cum ubi detinetur oculus, ſimiliter alteram, quæ geminatum habeat funiculum trajicito, à parvo ad magnum angulum per medium itidem ſtaphylomatis fundum, quo duarum acuum, quæ tranſmiſſæ ſunt, figurâ crucem quandam, aut literam græcam X. æmuletur. Nam cùm paulo obliquior facta fuerit tranſmiſſio, acus facilius extrahuntur. Deinde inciſis filorum principiis ſuperna duo principia, ſuperno acûs principio ſubjicimus: inferno verò infernâ, eaque ſtrenue conſtringimus. Similiter & oblique acûs principia connectimus, hac tandem conſtrictio optima eſt, ſi fiat principiis rectis ad obliqua ductis, & hoc modo colligatis. Exinde apicem ſtaphylomatis reſecamus, ſola baſe, filorum gratia, relicta, ne iis elapſis humores oculi effundantur, & oculi concavitas amplior fiat. Incidimus autem ſtaphyloma primo quidem compendiariæ curationis gratiâ: Ocyus enim lina excidunt, & exulceratio ſanatur, & ægrotus toto medicationis tempore minus doloris ſuſtinet. Nam locus difflatur, neq; inflammatio notatu digna accedit.*

Poſt

Poſt inciſionem apicis acus extrahi oportet, filis, velut dictum eſt, conſtrictis, & tunc lac infundere, aut ovi candidum. Muniendi ſupra ſunt oculi, & tempora, ex hapſo mollis lanæ, quæ in ovi candido, cum roſaceo, aut vino concuſſo, imbuta fuerit. Poſtera die fiat fomentum per ſpongias expreſſas, & lacte infuſas, ovoque lana rurſus imbuatur, & applicetur. Hoc faciendum eſt, donec fila excidant, quibus elapſis, ulcera ſolidanda, & cicatrice inducenda ſunt. Hoc autem genus chirurgicum, incommodis multis obnoxium eſt, quod ego cum aliquoties adhibuerim, experientia inſpexi. Senſum enim, membrana ea, quæ transfigitur, eximium obtinet, quod corneæ membranę, quæ pars eſt menyngis duræ, & opticum porum obvolvit, ex ea parte continua ſit, ideoque maximos doloris aculeos perſentiſcit. Adauget doloris vim, cum tumoris durities, quæ acus etiam acutiſſimas in transfigendo retardat; tum ipſa deligationis ratio, quod oculum in cumulum quendam collectum, arcte nimis, & valide comprimat. Sed hęc ludicra ſunt, ſi cum inflammationum vehementia, quæ & palpebras, & oculos occupant, comparentur. His junguntur deliria, convulſiones, & cætera malorum turba infeſtiſſima. Sed operæ precium nunc eſt chirurgiam mammarum virilium ex Albucaſi & Æginetà audire. *Etenim quotieſcunque ad eam molis vaſtitatem mammæ excreſcerent, ut aut virilis majeſtatis decorem imminuerent, aut noxas quaſdam ſecum adducerent, hanc eorum moleſtiam, antiqui hunc in modum cum ferro tollere ſolebant. In ſuperna regione mammæ, lunata ducitur linea, cujus cornua ad papillam convertantur. Hunc atramento notato, acutiſſimæ aciei cultello incidito, ſubſiſtentem intro adipem ferro levato, & omnem turgeſcentiæ tumorem ſubtrahito. Vulneris oras poſthac adducito, ſuturis conſtringito, & plagam linamentis injectis, ad vulnerum rationem, ſanitati reſtituito. Sin verò mammæ, ut in provectæ ætatis mulieribus, præ adipis exuperantia dependeant, in ſuperiori itidem mammarum parte, ad ſuperioris typum, lunata inciſio facienda eſt, cui altera ejuſdem generis, ſed minoris ambitus ſubjicienda, quæ ab illa comprehendatur, & in ejus extrema deſinat. Earum ſpatium mammarum magnitudo innuit. His peractis ſecundùm haſce lineas cutis diducitur, & quidquid cutis interjacet acutiſſimo ferro reſcinditur, pinguedinis quantum opus eſt eximitur, & adductis labris, atque conſutis, ad inſtar plagarum cruentarum, reliquum operis peragitur.* Veruntamen miror ego antiquos, tam exiguæ utilitatis gratia, hoc immane operationis genus excogitaſſe: atque tanto magis miror, quod aliqui inventi fuerint, qui haud veriti doloris & inciſionis vehementiam, ſeſe manibus eorum ſubjecerint. Etenim *L. Approniì conſularis viri filius, ob adipis redundantiam eo vaſtitatis devenerat, ut moveri loco, haudquaquam poſſet: hanc inciſione detrahere, & corpus immobili onere levare curaverat.* Non prætereibo etiam dracunculorum curationem, ex Leonida, referente Aëtio, quod morbi genus Æthiopibus, & Indis vulgare eſt; at in noſtro orbe numquam viſum. Audiamus ergo Leonidam. *Dracunculi lumbricis ſimiles ſunt, aliquando magni, nonnunquam exigui, frequentius in cruribus, quandoque verò & in muſculoſis brachiorum partibus conſiſtentes, Æthiopum, & Indorum genti penitus familiares. Moventur quidem primum ſub cute, nihilque moleſtiæ afferunt, verum temporis progreſſu circa dracunculi extremitatem locus ſuppuratur, cutiſque aperitur, ac dracunculi caput exeritur. Si attrahatur, vehementem dolorem affert, præſertim ſi nimia violentia attractus rumpatur. Nam quod relinquitur ſummopere moleſtum eſt. Proinde ne recurrat animal, conſtringere valido filo brachium oportet, & quotidie hoc moliri, ut dracunculus paulatim progrediens, conſtrictione quidem intercludatur, nequaquam tamen abrumpatur. Locus item aqua mulſa, & oleo, in quo abſinthium, aut abrotanum coctum eſt, aut aliud, quod vermes enecat, irrigandus eſt. Omnia acria vitanda propter inflammationis periculum. Quod ſi dracunculus ſponte progrediatur, & facilè extrahi poterit, nihil amplius tentandum. Sin ad ſuppurationem vertatur, à cataplaſmatis, & aquæ mulſæ, ac olei irrigatione non diſcedendum eſt. Facta ſuppuratione, per longitudinem cutis diſſecabitur, & dracunculus denudatus auferetur, cutiſque linamentis diſparalitur, & reliqua curatio ſuppuratoria adhibebitur, ita ut animali ſuppurato & extracto, carnem, & cicatricem ipſi ulceri inducamus.* Non abſimilem huic jam enarratæ chirurgiæ alteram refert Albucaſis, atque in ejuſdem fere ſpeciei morbo, quem vermem, ſeu lumbricum cutaneum, & bovinam ægritudinem ipſe appellat, patriæ ſuæ familiarem. Generatur vermis hic ſub cute, prçcipue in bobus, haud adeo magnus. Univerſum corpus ultro citroque permeat, donec locum quendam in cute perrumpat, & egrediatur. Eum præſentem eſſe, non alias, quam ex progreſſu ab uno membro ad aliud advertitur. Fit ex humorum quorundam putredine, inſtar ſerpentum, id eſt, lumbricorum, & aſcaridum ortus. Summopere autem pertimeſcendus eſt, quod caput cum petat, & ibi exitum paret, ſæpe oculos deſtruant. *Eum itaque ſi velis extrahere, progreſſionis limites obſervare oportet, & cum innotuerit, infraque ſupraque vinculis obligare, cutim incidere atque vermem extrahere. Sin adeo profundæ carni inhæreat ut eum aſſequi non poſſis, cauterium ignitum imponito, & ardore conficito. Ubi vero partes ſupernas petiverit, ſupercilium funiculis conſtringendum eſt, & parte ipſa diviſa, vermis eruendus.* Apparet autem hanc ægritudinem cum Æginetę dracunculo, ſi non fallor, vel eandem eſſe, vel non multò abſimilem. His omnibus, & illam chirurgię ſpeciem ſubjungamus, quam Leonidę, & Antyllo, Æginetà tribuit, & in laxitate ſcroti adminiſtratur. Hanc Paulus tali pacto deſcripſit. Cum ſcroti cutis, aut interiores ejus particulę laxantur, ῥάκωσις, appellata, fit affectio maxime indecora. *Leonidas igitur reſupinato homine, quod in ea ſuperfluum erat, ſcapello ſuper aſſerem, aut durum corium, quod incidendis ſubjicitur, excidebat oraſque vulneris ſuturis committebat. Antyllus tribus quatuorve ſuturis cutem pertundebat, & acuta forfice, aut ſcalpello, id, quod prominebat extra ſuturas reſecabat, cæterum cruentorum modo perſanabat.* Par eſt etiam membrorum genitalium, quæ in mulieribus coaluerint operationem hìc adjunxiſſe, quæ pro cauſarum obturantium diverſitate talis eſt. *Si concretio ſimplex fuerit, tunc recta ſectione per ſcalpellum, qui fiſtulis ſecandis deſtinatus eſt, eandem exolvemus. Sin carne, aut membrana obturentur, adactis hamulis hoc corpus elevabimus, & eodem ſcalpello dividemus, erumpentem ſanguinem ſedabimus, & iis quæ cicatricem ducunt utemur.* Porrophymus in vulvę oſculo pari modo aufertur. Huic confine eſt alterum opus, quod in mulieribus fit, dum nympha, aut cauda, ut vocant reſecanda eſt. Nam tantopere nympha quandoque eluxuriat, ut non minimum ſecum aut moleſtiæ, aut turpitudinis afferat. *Quapropter reſupinata muliere, quod ſuperfluum eſt nymphæ, volſella prehenditur, & ſcalpello exſcinditur. Flectenda eſt profunda ſectio, ne rhyada, id eſt, affectionem fluidam excidemus. Caudam, quam autor vocat κέρκωσιν, ab oſculo excretio eſt carnea, quam inſtar nimphæ etiam adimere oportet.* Porro in generis hujuſce operationibus ſanè moleſtæ ſectiones ſunt, & non exiguo cum periculo conjunctæ. Prȩter enim quod partes illæ ſatis nobiles ſint, & ſenſu, quam aliæ, magis prȩſtantes, quod titillatio oſtendit, ſanè ingens affluentium

affluentium humorum copia proruit, & excrementa impetuoſe eò feruntur, quorum eroſione. & inundatione fit, ut partes hæ, non ſat contrectatæ fœdiſſimas erroris notas poſt ſe relinquant, velut rhyadicos affectus, aut fiſtulas, aliaſque ægritudines permultas, quas locis muliebribus, aut irritatis, aut debilitatis accidere videmus. Sed ad ea, quæ adhuc ſuperſunt, noſmet conferamus, quæ ſcilicet ad empyematum inuſtionem, & hydropicorum pertuſionem ſpectant, operationes certe ambiguas, & non levi cruciatuum œſtro exagitatas. Vtramque ex Paulo Ægineta aſcribemus. *In purulentis igitur convenit ferro candenti cruſtas excitare. Unam inter claviculæ compagem, cute ſuperducta. Duas exiguas juxta mentum, ſic ut ab arteriis, quas carotidas vocant, abſcedamus. Duas item ſuper mammillas infigemus ampliores, inter tertiam coſtam, & quartam, alias duas inter quintam, & ſextam paulo ad poſteriora reclinantes. Aliam per medium pectus. Rurſus aliam ſupra os ventriculi. Tres tandem à tergo inuremus, unam, quidem per medium dorſum, at utroque è latere ſingulas, quæ eam in medio altitudine excedant. Alii ut tradit Leonidas, mucronatum ferrum, & candens per medium coſtæ ſpacium adegerunt, quo loci abſceſſus eſſet, & uſque ad puris ſedem uſtionem moliti ſunt. Nonnulli tranſverſa linea inter quintam, & ſextam vertebram ducta, & cute paulum oblique diviſa, deinde membrana, quæ coſtas ſuccingit, pertuſa, pus excreverunt.* At hi cum illis, qui ferro ad imum adurunt, aut ſtatim mortem inferunt, vitali ſpiritu una cum pure confertim evacuato, aut fiſtulas inſanabiles reddunt. Altera chirurgia fit in hydrope, atque ſaltem in ea morbi ſpecie, quam aſciten vocant. Nam ex autoris ſententia cæteris hydropis ſpeciebus hęc operatio minime convenit. Eſt autem talis. *Erectum ſtatuamus hominem, ſin minus in ſellam eum collocabimus (nam alias opus recuſandum eſt) videbimus poſtea ut miniſtri, qui à tergo ſteterint, tumorem manibus comprimant, & ad pectinem propellant. Hinc accepto ſcalpello acuto, aut venæ inciſorio, ſiquidem à partibus circa inteſtina hydrops obortus ſit, juxta umbilici perpendiculum, tribus ſub ipſo digitis, abdomen ad peritonæum uſque diſſecamus. Si hepar primario affectum ſit, ex ſiniſtris umbilici partibus: ſi vero ſplen, à dextris incidimus. Non enim ea pars, in quam æger decumbit, attingenda eſt. Cute autem, quæ membranæ incumbit, inſtrumenti acie remota paululum ſupra priorem ſectionem & ipſam peritonæi tunicam ſecamus, donec ad vacuum locum ſcalpellus penetraverit. Fiſtulam æneam, ad calami ſcriptorii ſimilitudinem, per abdominis, & peritonæi ſectionem demittimus, humorem moderate pro viribus educimus, quod ex pulſu cognoſcemus, & educto calamo effluxum ipſum ſiſtimus. Cohibetur autem quamprimum ex ſeſe, recurrente aqua, & inania ſpatia complente. Sed ſecuritatis gratia linamentum intortum, per ſolam abdominis fiſſuram infigimus, & reclinato, & refocillato homine, die poſtera, rurſus humoris quantuluncunque evacuabimus, atque ita conſequentibus diebus, & reſtaurando, & educendo per vices rem agemus, donec quam minimum ipſius aquæ ſuperfuerit: Extractionem vero acervatim factam ſumma prudentia declinabimus. Multi enim ex imperitia cum bene ſe agere rem exiſtimarent, una cum humore, & vitam eduxerunt.* Cæterùm qui magis ſecuritatis rationem habent, illi modice ſaltem ex humore evacuant, quo vires aliquantiſper à pondere leventur, & reliquum per medicamenta, quæ aquam ſubducunt, per arenam, per ſolem, per ſitim, & per ſiccantia alimenta conficiunt. Quin, & uſtione quidam uſi ſunt, & in ſtomachum, in hepar, in ſplenem, in imum ventrem, & umbilicum, quinque cruſtas excitarunt, alii quidem ferreis, tenuibuſque cauteriis, alii per iſcas appellatas (ſunt autem iſcæ ſpongioſa quædam corpuſcula in quercubus, & nucum regiarum arboribus, quas barbari magis in uſu habent) alii verò aliis hujuſce generis inſtrumentis. Omnes autem παρακέντησιν ſeu pertuſionem abhorruerunt. Præceps enim ac difficillima hæc eſt operatio, quamvis non adeo moleſta, cum eo tempore, quo partes perforandæ ſunt, fere totius corporis vires, tam animales, quam naturales collapſæ ſint. Quare raro admodum, aut nunquam hoc opus ſalutare eſſe conſtat. Cæterum omnes hæ chirurgiæ, quas huc uſque recenſuimus, ut judicium de iis ſimul contexam, & ſummis periculis conjunctæ, & ingentibus dolorum tormentis maximopere infectæ ſunt. Tractant enim partes eas, quæ aut primatum in corpore noſtro obtinent, aut ſenſum quam exquiſitiſſimum habent, quarum nulla tantam vim curandi, & vehementiam ſuſtinet, quin in manifeſtum vitæ diſcrimen ęgros adducat. Illæ enim eas functiones obeunt, quibus ſalvis animalis vita conſiſtit, & quibus everſis eadem intercidit. Itaque leve eſt, in tam atroci, & abhorrendo curandi genere, quod actionum tenorem corrumpat, & quæ operationum omnium præſtantiſſima eſt, & extrema, ad quam cæterę referuntur, vitam ipſam nobis eripiat. Sic reliquæ partes, quibus tantum ineſt ſentiendi acumen, non tam leniter contrectari poſſunt, quin è veſtigio offenſas ſuas ipſi ſenſuum principi cerebro communicent, quibus inde alio translatis, & toti corpori ob mutuum conſortium impertitis, dolores ſummos, ingentes diſtenſiones, & alia ſymptomata, quam atrociſſima exotiri, velut deliria, & ad extrema vitam noſtram deduci neceſſe eſt. His addo, & cæteram malorum turbam, certe infeſtiſſimam, graves hęmorrhagias, crudeles gangrænas, vehementes inflammationes, vellicantia ulcera, quibus vel omnibus, vel aliquibus ii obnoxii ſunt, qui has operationes antiquorum, tam ſævas, tam immanes non aſpernantur. Quo in loco, & illud ponendum eſt, quod operatio eorum morborum, non adeo cita ſit, & momentanea, ſed lenta nimis atque diuturna, ut multoties, antequam abſoluta fuerit, in medicorum ſinu ægros ſuccumbere, & animam, quam ſalvam eſſe cupiebant, reddere contingat. Quare dictas ob cauſas noſtra tempeſtate has manuum operationes penitus deſueviſſe affirmare auſim, quod verendæ nimis, & cum præſenti exitio conjunctę ſint, quas tamen non urgente ſolum neceſſitate, ſed levi etiam, ut vidiſtis, emolumento ſic ſuadente, adeo truces, adeo infeſtas, adeo pernicioſas, veteres illi, atque in medicina principes, ad extirpandos morbos arceſſiverunt.

Cap. 21. *Anacephalæoſis chirurgicarum operationum quæ jam in uſu ſunt.*

POſtquam hactenus igitur, operationes illas enarravimus, quæ aut deſierunt prorſus, aut rato admodum uſurpari ſolent, reliquum eſt, ut & alias, atque jam dictis proximas annectamus, quarum quidem uſus frequentior eſt, non tamen uſque tutior, ut earum impetus, & offenſas quandoque minime reformidemus. His enim prius perſpectis, & cum ſuperioribus collatis, hoc noſtrum de curtis neque exitiale eſſe, neq; cum ſævis cruciatibus, ut multi dicunt, conjunctum videbimus, quin imo mitiſſimum, & ſaluberrimum, neq; uſq; adeo diuturnum, ut hac de cauſa cæteris chirurgiæ actionibus, vel comparandum, vel etiam, meo judicio, anteponendum ſit. Obſervabimus autem jam inſtitutum orationis typum, ut eas

operationes

operationes ex priſcis fideliter exceptas aſcribamus, & quid obſervatione dignum nobis viſum fuerit, abſq; dolo malo ſignificemus. Sed quæ frequentius aggrediuntur medici chirurgiæ genera, hæç fere ſunt: polypi extractio, ægylopis, & aſperæ arteriæ inciſio, condylomatum, varicumque exciſio, membrorum amputatio, fœtus mortui, & ſecundarum extractio, eviratio, & ramicum omnium, atque calculorum ſectio. Nunc igitur ad polyporum curam accedamus. *Poſtquam ſederit æger adverſus ſolis radios, tunc naribus ſiniſtra manu explicatis, ſpatham ad id factam, inſtar myrtacei folii, acutam immittamus, & orbiculatim polypum ipſum, aut carunculam incidimus. Illic autem ferramenti aciem imponimus, ubi naribus coaluit. Poſthæc inſtrumento, in oppoſitum converſo, manubriolo ſuccиſam ipſius carunculam foras eximemus. Quicquid vero reliquiarum polypi ſuperfuerit, id acie alterius cultelli raſorii, cum tenſione, cum agitatione, cum raſura valenti auferemus. At ſi portio carunculæ adhuc ſubſiſtat, oſſibus cribroſis, & ſummis naribus appenſa, quæ inſtrumentorum aciem effugerit, illam ſubmovere enitemur, & penitus excindere funiculi cujuſdam opera. Linum igitur craſſum mediocriter, funiculi inſtar, duorum triumve digitorum longitudinis, in nodis conſtrictum, per ſpecilli foramen, quod duplicem cuſpidem habeat, tranſmittemus, alterumque extremum ſpecillo per nares ſurſum ad meatus colatorios inſeremus, quod per palatum, & os ubi ejectum ſit, utraque manu extrahimus, ut ita ex nodorum affrictione carunculæ illæ diſſecentur. Funiculari deinde linamento, meatum diductum continemus, & poſt triduum paſtillo Muſæ, & conſimilibus, reliquias abſumimus, locumque exiccamus. Alia item eſt polyporum curatio, ſed eorum, qui maligni ſunt, & contumaciſſimi, quos ferris candentibus inuſtos conſumi neceſſe eſt.* Sed ſæviſſimos certè, atque toleratu difficiles dolores, hoc genus chirurgiæ movet, ob narium præcipuè tunicam, cui acerrimum ſanè, & exactiſſimum ſenſum natura indidit. Nec illud non vehementer iniquum eſt, quod operatio hæc ſæpius repetenda eſt, denuoque partes novis cruciatibus conficiendæ, cum neque una, neque altera vice, quantum ſatis eſt, jam dictæ carnis excindi poſſit. Qua de cauſa, & humores copioſi affluunt, & partium, quæ circumſiſtunt, virtus maximè concutitur, & labefactatur. Sic vix aut penitus non prohibere medicus poterit, quin ſemper hujus mali radices repullulent, & novis malis, nova tormenta addant. Pertimeſcenda autem eſt ſummopere, impetuoſa ſanguinis eruptio, cum aut vaſa naſi reſcindimus, aut baſin ipſam diſſecamus, qua narium parietibus polypus adhærens, alimentum ex vicino alliciebat. Sed varices ſecundum Æginetam hoc modo exciduntur. Sunt vero varices venæ quædam dilatatæ, aliquando in temporibus, aliquando in ima ventris parte ſub umbilico, nonnunquam etiam circa teſticulos, ſed maximè in cruribus. *Si ergo varices crura infeſtaverint, ab inferiori femoris regione, ubi etiam origo ipſorum magna ex parte conſtat, curationem aggredimur. Inferius enim in plures diſtributi propagines difficilius contrectantur. Loto igitur tumore, funiculum ſuperiori femoris regioni circundamus, jubemuſque ut æger obambulet. Repletam exinde venam atramento notabimus, juxta varicis ſitum ad trium digitorum paulove amplius ſpatium, & ægro decumbente crura illius extendemus, alterumque funiculum ſupra genu injiciemus. Sic elata in tumorem vena ſcalpellum adigimus, quà atramenti nota eſt, tam alte, ut cutem dumtaxat penetret, ne venam quandam offendamus. Oras vulneris hamulis deducimus, & inflexo cultro, quo in ramice aquoſo utimur, membranas excoriamus. Poſtquam igitur venam hoc pacto explicaverimus, ſolvemus ligamenta femoris, & vaſe per cavum hamum ſuſpenſo, cum duplici lino acum ſubjiciemus, linaque nodis prius implexa amputabimus. Scalpello deinde per medium venam incidemus, & tantum ſanguinis detrahemus, quantum nobis poſtulare uſus videbitur. Tum partem vaſis ſuperiorem conſtringimus, & ſanguinem qui in crure eſt, eo elevato, reliquum manibus exprimimus: infra rurſus vas illud devincimus, & id venæ, quod inter vincula interjacet, vel abſciſſum tollimus, vel manere concedimus, donec ſua ſponte una cum funibus excidat. Vulnus vero ſiccis linamentis opplebimus, & ſplenium, quod oleo, & vino madeat, injiciemus, illitoque linteolis, quod pus moveat, medicamine eandem partem perſanabimus.* Sed huic Æginetę ſententię & Celſi chirurgiam in hoc opere cauſticam adjiciamus. *Vena omnis, quæ noxia eſt, aut aduſta tabeſcit, aut manu exciditur. Si recta eſt, ſi quamvis tranſverſa attamen ſimplex, & modica, melius aduritur. Si curva eſt, & velut in orbes quoſdam implexa, pluresque inter ſe involvantur, utilius eſt illam eximere.* Adurendi ratio hæc eſt. *Cutis ſuperinciditur, tum patefacta vena, tenui, & retuſo ferramento, eoque candente modice premitur, vitaturque ne plagæ ipſius oræ adurantur, quas hamulis reducere facile eſt. Id interpoſitis fit ferè quaternis digitis, atque per totum varicem, quibus tandem medicamenta aduſtis convenientia imponuntur.* Sed cum eorundem varicum exciſionem idem Celſus referat, itaq; & hoc chirurgiæ genus, illi ſuperiori, quod ex mente Pauli traditur, nunc etiam ſubjicere ſtatuimus. *Cutis ergo ſuper venam primo inciditur, cujus oræ hamulo excipiuntur. Tunc undique ſcalpello à corpore diducitur, caveturque, ne inter hæc ipſa lædatur. Huic hamulus retuſus ſubjicitur, & interpoſito fere, ut ſupra, ſpatio, idem, quod prius dictum eſt, & hic perficitur. Quorſum vero tendat vena, id hamulo extento facile deprehenditur. Ubi jam idem, quacunque varices ſunt, factum eſt, adducta uno in loco per hamulum vena praeciditur, deinde qua proximus hamus eſt, attrahitur, & evellitur, ibique rurſus abſcinditur. Atque ſic undique varicibus ipſum crus liberamus. Tum oræ plagarum committuntur, & ſuper emplaſtrum agglutinans injicitur.* Sed quis veſtrûm non videt, quam tædioſa ſit hæc Celſi operatio, quàm difficilis, quam moleſta? Cutim enim tanto ductu, cultro aperire, diducere, varices expedire, attollere, deligare, præcidere, quo pacto quęſo id ſine inſigni dolore, & moleſtia non fiat? Itaque ob tormenti hujus ſęvitiem, *C. Marium fortiſſimum virum, cum in crure altero hanc operationem toleraſſet, hoc remedii genus in altero recuſaſſe legimus. Etenim dum medicus alterum crus incidere voluit, hoc ait, remedium doloribus iſtis indignum eſt.* Maluit igitur vir malorum tolerantiſſimus potius ferre morbum, quam eam curationis crudelitatem adhuc ſemel experiri. Sed nunc ex eodem Celſo, & condylomatum chirurgiam lubet addere, quę ipſa quoq; non abſq; acerrimo dolore conficitur. Tubercula, quæ condylomata appellant, ubi induruerunt, hac ratione curantur. *Alvus ante omnia ducitur. Tum volſella tuberculum apprehenſum juxta radices excinditur. Quod ubi factum eſt, ſequuntur eadem, quæ ſupra, poſt curationem adhibenda eſſe propoſui. Tantummodo ſi quid increſcit, ſquama æris id coërcendum eſt. Sic etiam venarum ora, quæ ſanguinem pendunt, tolluntur, ubi ſanguini, qui effluit, ſanies adjicitur. Alvus acrius ducitur, quo magis ora promoveantur, eoque fit, ut omnia venarum capitula quaſi conſpicua ſint. Tum ſi capitulum exiguum fuerit, baſemque tenuem habeat, aſtringendum eſt lino paulo ſupra, quam ubi cum ano committitur. Imponenda etiam ſpongia aqua calente, donec libeat. Deinde aut ungue, aut ſcalpello ſupra modum id exulcerabitur. Quod niſi factum ſit, magni dolores ſubſequuntur, interdum etiam urinæ difficultas. Si id majus eſt, & baſis latior, id hamulo*

uno aut altero excipiendum eſt, paulumque ſupra baſim incidendum, neque relinquendum quicquam ex eo capitulo, neque quicquam ex ano demendum. Id autem is conſequitur, qui nec nimium, nec parum hamos ducit. Qua poſtea inciſum eſt, immitti eò acus debet, infraque eam lino capitulum alligari. Si duo triave fuerint, unumquodque primum curandum eſt: ſin plura, non omnia ſimul, ne eodem tempore undiquaquam teneræ cicatrices exiſtant. Si ſanguis profluet, excipiendus eſt ſpongia, deinde linamentum imponendum & ungenda femora. Interpoſitis quinque aut ſex diebus, aurichalcino ſpecillo linamenta educenda, & ſi capitula ſimul non exciderint, tunc digito noſtro promenda ſunt. Sed his dictis ægylopis chirurgiam aggredior. Prætereo autem eos ægylopas, qui ferè carcinomata ſunt, quibus mederi periculoſum eſt, quique mortem nonnunquam accelerant. Sic eos, qui ad nares tendunt, curare ſupervacaneum eſt; neque etiam ſaneſcunt. Illis tamen, quorum vitium eſt in oculi angulo; licet adhiberi poſſit curatio, nemo tamen non novit, quot difficultatibus res implicita ſit, & anguſtiis. Nam quanto foramen angulo propius eſt, tanto operatio moleſtior eſt, cum regio admodum arcta ſit, in qua verſari manum artificis neceſſe eſt. Sed expedit audire quidnam mali conjungatur. *In primis hamulo ſummum foraminis excipiendum, & totum illud cavum, ſicuti in fiſtulis præceptum eſt, uſque ad os excidendum, oculoque vicino, & cæteris partibus bene obtectis, vehementius os ferramento adurendum eſt. Quod ſi jam carie exeſum fuerit, quo craſſior ſquama abſcedat, quidam adurentia imponunt, ut chalcanthum, vel chalcitidem, vel æruginem raſam, quod & tardius, & non idem efficit. Aduſto oſſe eadem ſequitur, quæ in cæteris uſtis curatio.* Sed periculoſior multò ea chirurgia eſſe videtur, cum arteriam aſperam, urgente neceſſitate incidimus. Etenim Chirurgorum præſtantiſſimi, ut ait Paulus, hanc quoque adminiſtrationem literis prodiderunt. In ſynanchicis ergo hanc operationem improbamus, in quibus omnes arteriæ, & pulmo affectus eſt. Tum enim præciſio inutilis eſt. Ore autem, & mento inflammationem patientibus, aut etiam tonſillis aſperæ arteriæ os operientibus, incolumi ſanè arteria, ratio eſt ſectione uti, quo periculum ſuffocationis evitemus. Igitur *infra caput arteriæ manum adigimus, ita tamen, ut tres quatuorve circulos ejus tranſiliamus, & partem illius ſcalpello pertundimus. Totam dividere non ſecurum eſt, cum quod locus hic excarnis ſit, tum quia vaſa non procul deliteſcant. Itaque inclinato ægri capite retrorſum, ut arteria ſit in conſpicuo, tranſverſam lineam incidimus, ducentes ipſam inter duos circulos, ne, quæ cartilaginem, ſed membranam, quæ orbes illos connectit diſcindamus. At ſi meticuloſior quis in agendo fuerit, hamulo prius cutem elevatam dividet, deinde ipſi arteriæ incidens, vaſis, ſi fortè occurrant, omiſſis, lineam ducet. Atque hæc Antyllus habet; conjiciens inde arteriam ſcalpello pertuſam eſſe, quod ſpiritus cum murmure quodam, & ſonitu per eam erumpat, & quod ipſa vox quamprimum intercidat. Ubi vero de ſtrangulatu metus non aderit amplius, tunc oras plagæ renovabimus & mox ſuturis committemus. Solam tamen cutim citra cartilaginem conſuemus, & appoſitis ad curationem præſidiis utemur.* His vero omnibus par eſt, niſi fortaſſis ſævitie ſuperior, ramicum chirurgia, cum aquoſi, carnoſi, & tophacei, tum varicoſi, flatuoſi, inſtinorumque ac ejus, qui ad inguina conſiſtit, quorum omnium operationem, ex Paulo Ægineta, huc adjungemus. Incipiemus autem ab hydrocele, quam hac ratione contrectari convenit. *Denudata pilis pube, & ſcroto, ſupinum hominem ſupra ſcamnum reclinamus, & natibus, linteum multoties implicitum, quemadmodum ſcroto ſpongiam magnam ſubjicimus. Nos ex ſiniſtris ægri ſedebimus; miniſtrum, ad dexteras illius ſiſtemus, jubebimuſque ut in alteram partem diſtendat pudendum, & abdomen verſus ſcroti cutem extrahat. Eundem accepto ſcalpello dividemus. Exordiemur autem à medio ſecundum longitudinem, & propemodum ad pubem uſque ſectionem rectâ faciemus, non multo et lineæ abſimilem, quæ ſcrotum interſecat. Progrediatur autem diviſio, & ad rubicundam uſque tunicam penetret. Si vero in ſupergenitæ humor hæreat, ex ea parte, qua tunicæ apex protuberavit, diviſionem moliemur, Inciſa labia per hamulum diducemus, pelliculas eas, quas δάρτυς appellant, herniarum cultello, & ſcalpello detrahemus, rubicundam tunicam ſcalpello, quo venæ incidi ſolent, mediam diſſecabimus, illa maximè in parte, qua teſticulo minimè connectitur. Humorem totum aut majori ex parte educimus, partemque rubicundæ tunicæ tenuiſſimam per hamulos educimus, poſt quæ ex Antylli præcepto, ſuturis, & cruentorum vulnerum medicatione utimur. Si vero cutis putredinem, aut aliam affectionem ſubierit, tunc vaſis, quæ cum cremaſtere conjuncta ſunt, per laqueum exceptis, cremaſterem incidimus, & teſtem eximimus. Poſtea immiſſo ſpecilli capite, deorſum ad ſcroti finem eumdem per ſpecillum attollimus, atque ſectionem acuto ſcalpello facimus, ut ſanguinis grumi, & pus, tamquam per canalem, eodem excernantur. Si verò uſtio nobis arriſerit, omnia equidem adminiſtrabimus, quæcumque vel ante chirurgiam hanc, vel poſt eam, vel in ea relata ſunt, hoc ſaltem relicto, ne ferro ſecemus, aut denuo ſub humoris effluvium, culeum incidamus. Decem itaque aut duodecim ferramentis, quæ literam græcam ! referant, iis ignitis, & duobus gladiolis, primum quidem ſcrotum per gammata medium inuremus, & ſcalpello, vel hamulo cæco membranas excoriabimus, cauterioque cultellari, aut enſiformi diſſecando inuremus. Tunc rubicundam tunicam, quæ albore, & denſitate facilè cognoſcitur, illius cauterii, quod, refert, acie perurimus, aquam excernimus, totumque quod denudatum eſt; diſtentum hamulis cauterio cultellari auferimus. In hernia autem aquoſa vinctum, ut prius, ægrotum reclinabimus, & ſimili pacto ſectionem faciemus. Et ſiquidem teſtis agglutinatus carni vitium fecerit, ante omnia pelliculam, & membranam diſſecamus, teſtemque ab hinc extenſum, una cum rubea tunica educimus & cremaſterem à cæteris vaſis diſcernemus. Hæc quidem aſtringemus, & cremaſterem diſſecabimus, at concretum eum carne teſtem, velut alienum eximemus. Si vero circa aliquam tunicam, aut vaſculum caro concreverit, diviſo ſcroto, & ſubjectis carni pelliculis, quicquid carnoſum eſt auferemus. Sic tophacei ramicis, cum eadem ſcroti loca occupet, eandem etiam cum ſarcocele, curationem eſſe nemo ambigit.* Sed hactenus trium herniarum manuariam operationem expedivimus, quæ hernia varicoſa ſequitur. Hanc ſic operando tollimus. *Poſt commodam collationem, contrectato ſcroto cremaſterem ad infernam partem detrudimus (eſt autem cognitu facilis, ut qui tenuior ſit vaſis, renitens atque ſolidior, quique contrectatur doleat, & ad colem conſiſtat,) vaſa vero cum per noſtros digitos, tum miniſtri ſcroto apprehendimus, iiſque diſtentis obliquam aciem ſcalpelli contra ipſas in cutem fortiter adigimus. Subjectas partes infixis hamulis excoriamus, vaſa denudamus, ac quemadmodum in vaſorum exſectione, & arteriarum dilatatione præceptum eſt, duplici filo acum trajicimus.* Tum anſas fili ſecabimus, & ad primam, alteramque varicis extremitatem vaſa illaqueabimus, lineamque rectam in medio incidemus. Poſthæc ſanguinem, qui coierat educimus, & tandem ſupputando affectis locis medemur, quo una cum vaſis laqueorum vincula ſponte procidant. Porrò flatuoſæ herniæ eadem eſt inciſio, quæ varicoſę fuit, ſingulis nempe venis exceptis, & filo obligatis. Cęterum ubi ex prolapſu inteſtini ramex incident, hoc modo illum tractabimus. *Reſupinato homine juxta inguina per miniſtrum cutem eleva-*

elevabimus, & lineam tranſverſam incidemus, ut in angiologia dictum fuit. Nonnulli tamen rectam lineam ducunt. Diviſionem defixo hamulo explicamus, quæ teſticulum retractum menſura adæquet. Tot hamulos rurſus per cutim quartam tranſmittimus, quod vulneris magnitudini ſufficiant, & membranas cum pinguedine vel cultro, vel hamulo cæco excoriamus, atque ſcalpello præcidimus. Sic detecto undique peritonæo, ad poſteriorem ſcroti partem indicem demittimus, inter peritonæum, & darton membranam, & poſteriorem connexum ſolvimus, quarum extremitatem dextra manu ad interiora ſcroti, quemadmodum ſiniſtra æquè peritonæum retrahimus, & unà cum rubea membrana teſticulum ad diviſionem adducimus. Teſtem uti elevet miniſtrum jubebimus. Ipſi verò ſimul atque poſteriorem annexum cum rubea membrana totum exolverimus, nunquid aliqua inteſtini involutio, in tunica erythroide perſiſtat, digitis explorabimus, eamque deorſum ad ventrem propellemus. Tum ad peritonæi terminum qui diviſionem reſpicit, bonæ magnitudinis acum cum lino geminato, per medium trajicimus, & linis ſuccíſis quatuor faciemus capita, quibus viciſſim ex utraque parte κατὰχιασμον, id eſt literæ græcæ X figuram circunvolutis, membranam vehementiſſime conſtringemus, & commiſſis principiis graviter innectemus, ne ullum ex nutrientibus vaſis alimentum ſuppeditet, unde vel inflammatio, vel aliquod ſimile ſuboriri poſſit. Alterum adhuc vinculum, quod ad minus duorum digitorum ſpatio à priori diſſideat, injicimus, & eam membranæ partem, quam ad digiti magnitudinem, inter vincula liberam reliquimus, hanc circum circa totam reſecamus, atque ſimul etiam teſtem auferimus. Tandem parabimus emiſſarium, & ut in aquoſa hernia diximus, lemniſco prius inſerto, quod ſupereſt negocii abſolvemus. Novimus autem quoſdam non ineptos homines, qui membrana erythroide exciſa, candentibus ferris extremum ipſius inuſſerant. Hoc ob erumpentis ſanguinis metum, à veritate haud quaquam abſonum eſt. Hæc itaque inteſtinalis, ut vocant, ramicis adminiſtratio eſt, cui & illam ſubjiciemus, cùm inteſtina ad inguina delapſa protuberaverint. *Poſtquam ad tres digitos, circa tumida inguina, tranſverſim cutis inciſa, & pelliculæ unà cum pinguedine, exemptæ fuerint, qua parte inguina faſtigiantur, per medium peritonæum ſpecilli caput adigimus. atque hoc pacto efficiemus, ut inteſtina in profundum, atque in locum ſuum remeent. Quæ verò peritonæi partes eminent, illic eas ſuturis committimus & ſpecillum extrahimus. Non tamen membranam eam recidimus, nec teſtem vel quicquam aliud ejicimus, ſed plagam præſidiis cruentis perſanamus.* Quoniam verò junioribus magis probatur uſtio: itaque non præter inſtitutum noſtrum, & eandem tradēmus. *Igitur poſt moderatum motum, æger tuſſiat violenter, & cum retentione ſpiritûs ventrem intendat, ut tumor circa inguina manifeſtiùs appareat. Hujus locum in triangulum vel atramento ſcriptorio, vel collyrio circunſcribimus, lineam tranſverſam per inguina ſurſum ducimus, & ſignum per trianguli medium imprimimus. Reclinato autem ægro in mediam notam candens ferrum dimittimus, primum quidem clavatum. deinde verò ad trianguli coſtas cauteria gammata, & totum tandem triangulum laterculari ferro aut lenticulato adæquabimus. Interea, verò miniſtrum, ut ſaniem extergat, per totam uſtionem præcipiemus. Fiat autem uſtio hæc tam alte, quouſque in his, qui habitu moderato ſunt, pinguedinem attingamus. Id haud quaquam in macilentis obſervabimus, ne membranas offendamus, ut neque in craſſioribus, & pinguioribus, ubi vel ante juſtam inciſionem pinguedo apparet. Quod igitur artificioſa quadam conjectura nobis perſuaſerit, id ſaltem pro modulo conficiemus.* Sed hæc omnia chirurgiæ genera, ex antiquorum mente, in herniis curandis relata, nunquid non ſævis cruciatibus junguntur? nonne ægros ad certam perniciem adducunt? Nequeunt enim principes, & illis adhærentes particulæ, ut ſunt teſtes, & quæ teſtibus adjacent, membraneâ omnes naturâ, abſque maximo, & intolerabili dolore ſecari, excoriari, inuri: ſuntque jam dictæ operationes exitio proximæ, ut eos, qui has ſubituri ſint, ad mortem rapi meritò cenſeamus, & veſpillonibus jamjam exportandos concredi. Quid enim aliud vult gentium quarundam ſolennitas, quibus in hac operatione viſum eſt, ut publicas preces indicant, & ægrum rebus ſuis prius diſpoſitis, ac ſi jam animam agat, conſolando, & hortando inſtruant. Quid quod tabulis communibus ab necis injuria medicum liberent. Quid? quod nec artifex ipſe, niſi ſolemni cum teſtatione ad ægrum, ac quaſi deploratum accedat. Sed noſmet conferamus ad alia opera, non minus quàm cætera, gravia certè, & pernicioſa, quorum una eſt partium amputatio, quam par eſt ſic adminiſtrari. *Extremis partibus putrefactis, velut manu, vel pede, ita ut etiam oſſa corrumpantur, antequam ad reſectionem accedamus, primùm corpora oſſibus circunſita incidenda ſunt. Verùm quoniam hoc primum agimus, deinde longiori tempore cum ſerra ſectionem adhibemus, atque periculum eſt, ne ſanguis eruptio ſequatur, proinde rectè Leonides, non omnia protinus corpora præſcindit, niſi penitus putrefacta fuerint, ſed eam partem ubi neque multas, neque magnas venas, aut arterias eſſe putat. Igitur celerrime aduſque oſſa primum diſſecat, quàm citiſſime os ipſum deturbat. Sed partibus ſecandis circundat antea panniculum lineum, eaſque paulo ſupra quam ſectio facienda eſt, conſtringit arctiùs, ut ſenſûs aciem retundet, quominus doloris ex vehementia ferri accidat, atque ut venis compreſſis haud magna in copia ſanguis proruat. Atque tunc reſecto reliquo ignita cauteria, vaſis admovebimus, ſanguinemque obligatione, ut convenit ſupprimemus, cæteriſque ea ratione, quæ pus movendum eſt, medebimur.* His tamen, & eam operationem adjungemus, quæ ex utero emortuos fœtus excutit, & ut Celſus refert inter omnium difficillimas actiones medicas non immeritò connumeratur. Nam, & prudentiam ſummam, & actionem temperatiſſimam deſiderat, & maximum vitæ periculum ſecum affert. *Oportet ergo ante omnia reſupinam mulierem tranſverſo lecto ſic collocare, ut feminibus ipſius ilia comprimantur, quo fit ut, & imus venter in conſpectu medici ſit, & infans ad os vulvæ compellatur. Hæc partu emortuo id comprimit, & ex intervallo paulatim dehiſcit. Hac occaſione ut utatur medicus, inuncta manu, indicem primum debet inſerere, atque ibi continere, donec iterum os aperiatur: rurſumque alterum digitum immittere, & per eaſdem occaſiones alios quouſque tota manus intro recipiatur. Ad cujus rei facultatem multùm confert, & magnitudino vulvæ, & vis nervorum ejus, & corporis totius habitus, & mentis robur, cum præſertim nonnumquam & duæ manus inferri debeant. Pertinet etiam ad rem quàm calidiſſimum eſſe imum ventrem, & extrema corporis: neque dum inflammationem cæpiſſe, ſed recenti re protinus, medicinam adhibuiſſe. Nam ſi corpus jam intremuit, neque dimitti manus, neque educi infans, niſi ægerrime poterit: ſequiturque ſæpe cum vomitu, & cum tremore mortifera nervorum diſtentio. Verùm intus emortuo corpori injecta manus protinus habitum ejus ſentit. Nam aut in caput, aut in pedes converſum eſt, aut tranſverſum jacet, fere tamen ſic, ut vel manus ejus, vel pes in propinquo ſit. Medici verò propoſitum eſt, ut eum manu dirigat, vel in manus vel in pedes, ſi fortè aliter compoſitus eſt; ac ſi nihil aliud eſt, ut manus vel pes apprehenſus corpus rectius reddat. Nam manus in caput, pes in pedes eum convertet. Tum ſi caput proximum eſt, immergi debet uncus undique lævis, brevis acuminis, qui vel oculo, vel auri, vel ori, interdum etiam fronti arcte injicitur, deinde attractus infantem educit.*

Nec tamen fœtus his quolibet tempore extrahatur, quod compreſſo vulvæ ore, ſi id tentatum fuerit, eoque renitente i ſans abrumpitur & in os vulvæ acumen unci delabitur, ex quo nervorum diſtenſio, & extremum mortis periculum conſequitur. Igitur compreſſa vulva conquieſcere, hiante leviter attrahere oportet, & per has occaſiones paulatim eum adducere. Trahere autem uncum dextera manus debet, ut & infantem ſiniſtrâ impoſitâ, eumque ſimul dirigere. Solet etiam evenire, ut infans humore diſtentus, tetram odoris fœdi ſaniem in ſe contineat: quod ſi tale eſt, corpuſculum indice forandum eſt, ut effuſo humore extenuetur, tum id leviter per ipſas manus recipiendum. Nam facilè injectum uncum corpuſculum molle remittit, in quo quid periculi ſit, ſuprà dictum eſt. Sed in pedes quoque converſus infans non difficulter extrahitur: iis enim apprehenſis per ipſas manus commode educetur. Si verò tranſverſus eſt, nec ullo modo dirigi potuit, injiciendus eſt alæ uncus, paulatimque attrahendus. Hac ratione fere cervix replicatur, retroque caput, ac reliquum corpus ſpectat. Remedio eſt cervix præciſa, ut ſeparatim utraque pars auferatur. Id unco fit, qui ſit ſimilis priori & in interiorem tantum partem per totam aciem acuatur. Tum id agendum eſt, ut ante caput, deinde reliqua pars dematur. Nam fere majori parte extracta, in vacuam vulvam caput delabitur, quod ſine ſummo periculo extrahi nequaquam poteſt. Si tamen id incidat, injecto mulieris ventri duplici panniculo, homo non imbecillus, & imperitus à ſiniſtro latere aſſiſtat, & imo ventri duas manus imponat, alteraque alteram comprimat, quo fit, ut caput ad vulvæ os compellatur. Id eodem pacto, quo ſupra poſitum eſt, homo extrahitur. At ſi pes alter juxta repertus eſt, alter retro cum corpore eſt, quicquid protractum eſt, paulatim abſcindendum eſt. Et ſi clunes os vulvæ urgere cœperint, iterum retropellendæ ſunt, & conquiſitus pes ejus adducendus. Efficiunt etiam aliæ difficultates, ut qui ſolidus non exit, conciſus eximi debeat. Quotiens autem infans protrahitur, tradendus ſtatim miniſtro eſt. Is eum manibus ſupinis ſuſtinere, attrahere autem medicus ſiniſtra leviter umbilicum debet, ita tamen ne abrumpat, dexteraque eum ſequi, uſque ad eas, quas vocant, ſecundas quod velamentum infantis fuit. His ultimis apprehenſis, membranulas, venulaſque omnes eadem ratione à vulva manu deducat, totumque illud extrahat, & ſi quid intus remaneat concreti ſanguinis, etiam educat. Tum compreſſis in unum feminibus, collocanda eſt mulier conclavi, quod modicum calorem ſine ullo perflatu habeat, taliſque ſit in cæteris curatio, qualis in inflammationibus, & in vulneribus, quæ in locis nerveis exiſtunt, adhibetur Atque hæc eſt emortui fætus unà cum ſecundinis, extractio. Huic omnium chirurgicarum operationum apex, & ſumma, nempe calculoſorum ſectio annectitur, cujus adminiſtrationem, ut declaremus, verba Celſi, & ſententiam referre lubet. *Ad calculorum exciſionem feſtinare, cùm præceps ſit, nullo modo convenit, ac neque omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni vitio, id experiendum eſt, ſed ſolo vere, atque in eo corpore, quod jam novem annos, nondum quatuordecim exceſſerit, & ſi tantum mali ſubeſt, ut neque medicamentis vinci poſſit, neque etiam trahi poſſe videatur, quin ad ſpatium exiguum interimat. Non quo non interdum temeraria medicina proficiat, ſed quo ſæpius utique in hoc fallat, in quo plura & genera & tempora periculi ſunt, quæ ſimul cum ipſa curatione proponam. Igitur ubi ultima experiri ſtatutum eſt, aliquot ante diebus victu corpus præparandum eſt, ut modicos, ut ſalubres, ut minime glutinoſos cibos aſſumat ut aquam bibat. Ambulandi verò inter hæc exercitatione utatur, quo magis calculus ad veſicæ cervicem deſcendat, quod an inciderit, digitis quoque demiſſis cognoſcitur. Ubi ejus rei fides eſt, pridie is puer in jejunio continendus eſt, & tum loco calido curatio adhibenda, quæ hoc modo ordinatur. Homo validus, & peritus, in ſedili alto conſidet, ſupinumque puerum, & adverſum, collatis ſuper genua ſua coxis comprehendit, reductiſque pueri cruribus, & manibus ad poplites datis, quàm maximè poteſt, eos attrahit, ſimulque ipſe ſic eos continet. Quod ſi illius qui curatur, corpus eſt robuſtius, duobus ſedilibus junctis, duo valentes inſidunt, & ſedibilia, atque interiora hominum crura inter ſe deligantur, ne deduci poſſint. Tum æger ſuper duorum genua eodem modo collocatur, atque alter eorum crus ejus dextrum, alter ſiniſtrum, ſimulque ipſe æger poplites ſuos attollit. Sive autem unus, ſive duo contineant, ſuper humeros ægri pectoribus incumbant. Ex quibus evenit, ut ſinus inter ilia, & pubem, ſine ullis rugis extendatur, & calculus in anguſtum compulsâ veſicâ, faciliùs capi poſſit. Præter hæc etiamnum duo valentes à lateribus objiciuntur, qui circunſtantes levare vel unum, vel duos, qui puerum continente, non ſinunt. Unguibus deinde diligenter circunciſis, duos ſiniſtræ manus digitos, indicem, & medium, leniter priùs unum, deinde alterum, in anum pueri medicus demittit, & dextræ digitos imo abdomini leniter imponit, ne utrinque digiti, ſi circa calculum vehementer concurrerint, veſicam lædant. Nec verò feſtinanter in hac re, ut in pleriſque agendum eſt, ſed ita ut quàm maxime tutò fiat. Nam nervorum diſtentiones, veſicâ læſâ cum mortis diſcrimine excitat. Ac primùm circa cervicem quæritur calculus, qui ibi repertus, minore negotio expellitur. Atque ideo dixi, ne currendum quidem, niſi cum in hoc indiciis ſuis cognitum ſit. Si verò aut ibi non fuit, aut retroceſſit, ad ultimam veſicam dantur digiti, dextraque manus ſenſim ultra tralata, ſubſequitur, & calculi ſitus hoc pacto indagatur. Is ubi repertus ſit, qui neceſſe eſt in manus incidat, eo curioſius deducitur, quo minor leviorque eſt, ne refugiat, id eſt, ne ſæpius agitanda veſica ſit. Ergo ultra calculum dextra ſemper manus opponitur, & deorſum ſiniſtri digiti eum compellunt, donec ad cervicem perveniat. In quam ſi oblongus eſt, ſic compellendus eſt, ut pronus exeat: ſi planus, ut tranſverſus ſit: ſi quadratus, ut duobus angulis ſedeat: ſi altera parte plenior ſit, ut prius ea, quæ tenuior eſt, evadat: in rotundo nihil ex figura ejus intereſſe patet, niſi lævior altera parte eſt, ut ea antecedat. Cùm jam eò pervenit, lunata plaga, cujus córnua paulum ad coxas ſpectent, ſuper veſicæ cervicem, juxta anum, cutis debet incidi, ad veſicæ cervicem uſque. Facienda eſt adhuc alia plaga tranſverſa ſub cute, ubi ſtrictior ima plaga eſt, qua cervix aperiatur donec urinæ iter pateat, ſic ut plaga paulo major ſit, quàm ipſe calculus. Nam qui metu fiſtulæ, quam illo loco χοάδα Græci vocant, parum patefaciunt, cum majore eodem revolvuntur periculo, quod calculus, cum vi promitur, iter faciat, niſi accipiat. Quod tanto eſt pernicioſius, ſi figura quoque calculi, vel aſperitudo quædam accedat. Unde, & ſanguinis profuſio, & nervorum diſtentio fieri ſolet, quæ ſi quis evaſerit, multò tamen patentiorem, cervice rupta quàm habuiſſet inciſa, fiſtulam habebit. Cùm verò patefacta eſt veſica, in conſpectum calculus venit, in cujus corpore, ſi nullum eſt diſcrimen, & ipſe ſit exiguus, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi poteſt. Si major, injiciendus eſt ei ſuperiori ex parte uncus, ejus rei cauſa factus. Is eſt ad extremum tenuis, in ſemicirculi ſpeciem, retuſæ latitudinis, ab exteriore parte lævis, qua corpore jungitur, ab interiore aſper, qua calculum attingit, iſque longior eſſe debet, cùm brevis extrahendi vim non habeat. Ubi injectus eſt, in utrumque latus inclinandus eſt, ut appareat, & teneatur calculus. Nam ſi apprehenſus eſt, ille ſimul inclinatur. Ideoque non minimo eo opus eſt, ne cum adduci uncus cœperit, calculus intro effugiat, ſic in ora vulneris incidat, eaque convulneret. In qua re quodnam eſſet periculum, jam ſuprà propoſui. Ubi ſatis teneri calculum patet, eodem pene momento triplex motus adhibendus eſt, in utrumque latus, deinde extra, ſic tamen ut leniter id fiat, paulumque calculus primò attrahatur. Quo facto attollendus uncus extremus eſt, uti intus magis maneat, faciliuſque calculum producat.*

producat. Quod ſi is aliquando à ſuperiore parte, parum commode comprehenditur, à latere erit apprehendendus. Atque hæc ſimpliciſſima calculorum eſt curatio. Sed varietas rerum, quaſdam etiamnum animadverſiones deſiderat. Sunt enim non aſperi tantummodo, ſed ſpinoſi quoque calculi, qui per ſe quidem delapſi in cervicem, ſine ullo periculo eximuntur, at in veſica non tuto vel conquiruntur, vel attrahuntur. Etenim illam ſi convulnerent, ex diſtentione mortem accelerant, multoque magis, ſi ſpina aliqua, veſicæ inhæreat, eamque cum duceretur conduplicavit. Colligitur autem in cervice eſſe calculum, eo quod urina redditur difficilius, ut, & ſpinoſum eſſe cognoſcemus, ſi cruenta deſtillat. Id maxime ſub digitis experiundum eſt, neque adhibenda manus, niſi id conſtiterit, ac tum quoque leniter intus digiti objiciendi, ne violenter promovendo convulnerent, tum verò incidendum. Multi hîc quoque ſcalpello uſi ſunt. Meges (quoniam is infirmior eſt, poteſtque aliqua prominentia incidere, inciſoque ſuper illis corpore, qua cavum ſubeſt non ſecare, ſed quod rurſus incidi neceſſe eſt, relinquere) ferramentum fecit rectum, in ſumma cervice labroſum, in ima ſemicirculare, & acutum. Id receptum inter digitos, indicem, ac medium, ſuper pollice impoſito, ſic deprimebat, ut ſimul cum carne, quod ex calculo prominebat, incideret. Quo conſequebatur, ut ſemel quantum ſatis eſſet aperiret. Quocumque autem modo cervix ea parte patefacta eſt, leniter, quod aſperum eſt, extrahi debet, nulla propter feſtinationem vi admota. Atque hæc omnis eſt calculorum, qui inciduntur, medendi ratio, in qua omnes pene cruciatûs, quotquot in cæteris aderant, ad unum quaſi ſignum concurrere videmus. Adſunt dolores ſæviſſimi, timetur ſanguinis profuſio, parata eſt nervorum convulſio, ſubſequitur partium ex laceratu inflammatio, ex affluxu humorum corruptio, & tandem ultimum terribilium ipſa vitæ cum morte commutatio. Rari enim ſunt, imo rariſſimi, qui hujus neceſſitatem, ſi hoc chirurgiæ genus experiantur, evadant, & ſi qui ſunt, illud tamen tormenti miſerrimum ſubeunt, quod ulcera ex inciſione remaneant, quibus ſubinde urina deſtillet. Itaque, & Celſo hæc operatio maxime exitialis, præceps, & temeraria eſt: qua de cauſa, & jurejurando à ſeptis medicinæ, per Hippocratem abigitur, & procul ablegatur. Supereſt modò curatio, quam Ægineta eunuchiſmum, latini evirationem vocant, & periculoſa, & doloris plena. *Fit autem, vel attritione, vel teſtium exciſione, quarum illa pueris in ſolium collocatis, adminiſtratur, comprimendo digitis ſenſim ipſos teſticulos, & eouſque confricando, quouſque aboleantur, & evaneſcant, nec diſſoluti ad tactum amplius occurrant. Hæc autem fit ſcalpello, duabus lineis, quæ rectæ ſint, ſupra ſcrotum inciſis, unde teſtes exiliunt, qui cute detracta, & extremis ſeminalium vaſorum funibus conſtrictis, mox exciduntur, haud abſimili modo, quo herniæ diſſecando auferri ſolent. Eſt verò, & tertia ratio ab his diverſa, cùm teſtes unà cum veretro excindimus,* quo pacto amaſium ſuum Nero Imperator adoleſcentulum effœminavit, & noſtris temporibus Turcæ ſuos eunuchos parant. Sed quam ferox hoc eſt chirurgiæ genus, quam adverſum, quam inhumanum, quam pene à bonitate artis alienum? Etenim ad naturæ reparationem cætera artis officia inventa ſunt, hoc verò ad generis deſtructionem comparatum eſt: in reliquis ſumma eſt utilitas, in his extrema pernicies. Illud enim quod omni viventi ex natura ſua maxime convenit, & ut aiunt, naturaliſſimum eſt, ſobolis ſcilicet procreationem aufert, & nomen uniuſcujuſque cum genere extinguit. Hæ igitur omnes, quæ ferro, & ſcalpello fiunt, operationum ſpecies, & noſtra tempeſtate adhuc in uſum vertuntur, quo loco, doloris gratiâ, moleſtiarum, difficultatis, vehementiæ, & periculi habendæ ſint ſinguli ſatis ex ſe videre poſſunt. Sed his jam à nobis dictis adjungenda eſſe duximus, quo pacto fracturas reſarcire, & luxata in integrum reſtituere queamus, quæ adminiſtrandi ratio, & ipſa ſub chirurgicis actionibus comprehenditur, nec abſque ingenti dolore, & cruciatu peragitur. Has tamen ſingillatim non licet proſequi, cùm & ea, quæ hactenus fuere dicta, plane modum exceſſerint. Suffecerit pauca quædam annotaſſe. *In fracturis primo cùm ſimplici, tum ea, quæ ulcus adjunctum habet, & difficilem eſſe operationem, & inter cæteras, ne dicam, reliquarum omnium moleſtiſſimam, nemo non novit. Namque in priori illa, quæ fracta ſunt, diriguntur, colligantur, in quiete diutius continentur, victuque ſcrupuloſius cuſtodiuntur. Quam diligentia ſumma diætæ rationem inſtitutam utrunque fracturæ genus requirit, ne ad partes jam infirmas humores vel confluant, vel ibidem congerantur. Si verò ulcus adjungatur, intenduntur mala plurimum, & præcipue ſi propè articulum partes colliſæ ſint. Etenim & exquiſitior eſſe debet curatio, & periculum eſt profuſionis ſanguinis, cum à pungente oſſium ſquama aliquando, nonnunquam impacto oſſis fruſtulo vaſa pertundantur. Inſtat metus inflammationis, urget gangrænæ ſuſpicio, premit mortifera ex nervis læſis diſtentio.* Sic luxatorum chirurgiæ inter cæteras ſæviſſimæ ſunt, quæ omnes tribus modis, iiſque univerſalioribus continentur, quibus reliquæ curandi luxata rationes ſubjiciuntur. Eorum primus *palæſtricus* dicitur, qui ſola manuum contrectatione fit, eſtque admodum invalidus, & ad corpora mollia, mulierum nimirum, & puerorum, ut & ad maſcula paulo robuſtiora, ſi recens fuerit vitium, ſolummodo utilis. Alter modus *methodicus* eſt, in quo ea, quorum uſus in communi vita eſt, inſtrumenta adhibemus. Hic *omnibus* eſt idoneus, pueris, fœminis, maſculis, valentioribus, corpori juvenili, atque iis jampridem luxationem paſſis. Tertia autem reponendi ratio fit *per organa*, momenti majoris, non incommoda ad prolapſa diuturna, in corporib. athletarum, & quæcunque ſub methodico ſanitatem non receperint. Horum autem modus quiſque ſatis in ſe tormenti habet, & ſævitiæ, ſed omnium maxime poſtremus. Supervacaneum verò fuerit, hîc organa ſingula recenſere, ſufficiat ea indicaſſe. Nam illa videre licet apud Oribaſium, & ſingillatim advertere. *Hilei plinthium, Scalani gloſſocomum, Nymplodori tractorium organum, ejuſdem gloſſocomum apertum, triſpaſtum Apellidis, ſeu Archimedis fabri organum, & ex Rufo Hippocratis ſcamnum,* quæ ſingula acerbiſſimam ſane, & duriſſimam vim conjunctam habent. Atque hæc omnia ſunt chirurgiæ genera, quæ adhuc ætate noſtra florent, & non raro in uſum medicorum cedunt, quæ certe quantam & ipſa vim habeant, & moleſtiam, quot periculis, & noxis ſtipentur, nemo non videt. Quæ tamen non ob hoc negligunt, aut minus exercent gnaviter periti homines, ſed illa ſalubria, & humano generi utilia eſſe exiſtimant. Itaque ſi ob dolores, propter pericula, propter mala ea, quæ ſemper bonis permiſcentur, rejicienda ſint utilia, quid in cæteris ſalvum eſſe poſſit? quod remedii genus morbos extirpabit? Nullum eſt auxilium adeo etiam leve, quin noxas quaſdam atque pravitatem ſecum afferat. Quid non difficultatis experimur in epotandis medicaminibus? quid non afflictionis perpetimur, ſi parcius cibamur? quid cæteris præſidiis incommodi non perferre videmur? Non enim malum bono expellitur, ſed bonum malo corrumpitur: vis vi repellenda eſt, & malo nodo malus cuneus quærendus. Nullus fere unquam morbus eſt, quin non alio morbo tollatur: atque quanto magis rebellis eſt, & contumax, tanto vehementioribus machinis oppugnatur. Sic gladius in rebus publicis, faſces, funes, rotæ, exilia, cæteraque tormen-

torum genera propoſita ſunt, quod dignitas civitatis conſervari aliàs nequeat, ni civium malorum libido hoc pacto, & ſuperbia aut retundatur, aut evellatur. Sic in bellis gerendis toleranda ſunt fames, ſitis, æſtus, frigora, vigiliæ, confligandum eſt, moriendum, & extremi quidvis pro patriæ ſalute perferendum. Adeo nullum fit ſine periculo, & incommodo facinus magnum, & memorabile. Quare & neque morbi ſine moleſtiis, & periculo evelli poſſunt, neque vituperandus eſt, qui ſævæ ægritudini ſævam curationem adhibet, ſed laudandus, non qui nullis, quod fieri nequit, ſed qui nunquam vehementiſſimis cruciatibus id exequitur.

Cap. 22. *Quod hæc curtorum operatio minime exitialis ſit.*

QUæcunque hactenus ſuperioribus duobus dicta fuere capitibus, unumquemque eo ſpectare velim ut exiſtimet, id noſtrum fuiſſe propoſitum, ut expoſitis tam iis quæ deſierint, quàm quæ adhuc vigeant chirurgiis, liquido oſtenderemus, quantopere errent illi, qui propter operationis ſævitiem, dolorum magnitudinem, noxarum ſuſpicionem, actiones quaſque chirurgicas, atque adeo hanc noſtram curtorum refectionem non modo rejiciant, ſed contumeliis etiam proſcindant. Si enim ob dolores, ob moleſtias, ob pericula, curatio intermittenda eſt, proculdubio male fecerunt antiqui, dum hæc remediorum genera, tam verenda, tam atrocia invenerint (non tamen ſine ratione,) & ſcriptis poſteritati commendarint. Male etiam adhuc ii faciunt, qui in polypis eximendis, ægylopis curandis, ramicibus execandis, fœtibus excutiendis, ferrum, ignem, forcipes, cultros, novaculas adhibent. Et amentes mihi eſſe videntur, qui carnificinam hanc non refugiunt, ſed vitio ultro expetunt, quin mori illis ſatius eſt, quàm crudelitatem tantam, tam inſignem in corpore ſuo experiri. Sed illi certe errant, qui non ſecus autumant. Nam quæ poterit eſſe cum vita commutatio? quid non potius, quàm mors, ferendum eſt? Et quamvis multi ob hæc ad mortem rapiantur, nihil oberit, dummodo aliquando hæc remedia ſalutaria ſint, & proficua. Siccine bellum extimeſcemus, cum, ut palmam obtineamus, multis etiam gladio occubendum ſit? Atque libenter viderem, ſi qua morbi vis hos homines invaſerit, quæ non alio, quam ferro, & igne redimenda ſit, quæ hominum illorum eſſet conſtantia, an propter remedii immanitatem mori potius ſuſtineant, an verò ob lucis adeo ſuavis uſuram, artis operam implorent? Nullus tamen neque orationis prolixitatem, neque, quæ hæc ex veterum ſcriptis tranſumpſimus, ſiquidem ſanus fuerit, merito incuſabit. Quomodo enim tantorum hominum ſententiam, quam ipſis verbis, ut illi, habent, exprimeremus? quomodo id verius aut ornatius ageremus? Nam hac in re, & Pauli, & Aëtii, & Oribaſii morem inſequimur, qui omnium cùm ſuæ ætatis, tum priſcis medicis dicta, in ſua volumina comportarunt, & quidquid Leonides, Antyllus, Meges, cæterique ſua tempeſtate clariſſimi, & noſtro ſeculo penitus intermortui ſcripſerint, ſuis vigiliis nobis patefecerunt. Quod verò prolixi fuimus, illis imputandum eſt, qui hanc noſtram chirurgiam auſi fuerint calumniari, dum eam crudelem eſſe dicerent, exitu ancipitem, omni cruciatuum genere circumvallatam, & ut breviter dicam, cum ſcopulum totius chirurgiæ hanc operationem pernicioſiſſimum eſſe affirmarent, quem è veſtigio rogus, & tumulus exciperet. Nec breviorib. id fieri potuit, cum non ſaltem ad reprimendam hujuſmodi hominum malitiam, ſed ut lucubrationes noſtræ quibuſcumque inſervirent, decreverimus. Namque hîc velut in tabula explicatas habebunt juvenes omnes eas manuum operationes, quas priſci vagè, & diſperſim explicarunt, & ad morbos quamplurimos judicarunt commodas eſſe, & ſalubres. Cum verò aliud ſit noſtræ ætatis judicium, adeoq; ſcitum, ut, & veterum ſcripta in examen revocare audeat, & videamus multa priſcis ſeculis ante celebrata, jam interire, & nova ſubinde revireſcere, cumque his, qui ad hanc diſciplinam ſeſe conferunt, & in operationibus nondum ſatis ſunt verſati, duce quodam opus ſit, ut quid ſequendum, quid fugiendum, quid amplectendum, quid rejiciendum illis oſtendat. Quare virum quendam expertum atque doctum autoritatem ſuam interponere, & veſtigia currentib. demonſtrare, haudquam præter rem fuerit. Solent enim imperiti adhuc juvenes, omnia ſine diſcrimine arripere, & velut famelici tam ſalubria, quàm nociva abſorbere, unde errores varii in animos ſubeunt, & plurima in actionibus peccata committuntur. Solertiâ igitur opus eſt, quæ mella à venenis ſeparet, quæ cibum à toxico disjungat. Non enim eodem filo antiquorum ſcripta metienda ſunt: non eadem regula illis convenit. Multa enim ſcripſerunt, quæ aut emendari aut amplificari, aut omnino exterminari poſſunt. Non nobis ea libertas, qua ipſi dum aliorum ſcripta examinant, uſi ſunt, adimenda eſt: reges, non tyrannos eos eſſe volumus, non ut quod velint, cogant, ſed quod rectum eſt perſuadeant. Mihi verò non ea vis eſt ingenii, nec tanta exercitatio, ut me eum eſſe affirmem, qui, quod dixerim, præſtare poſſim, attamen me etiam aliquid didiciſſe, & vidiſſe ingenue profiteor, quod aliis communicare humanitatis eſſe exiſtimavi. Quod ergo diffuſiores in ſuperioribus fuimus, ratio eſt, ut omnibus, qui ad hanc medicinæ partem acceſſuri ſunt, quaſi digitis demonſtraremus, quæ methodum in exercendis manuum operibus teneant, quid declinent, quid fugiant, quid amplectantur. Sed cùm hucuſque occulto, atque ex inſidiis adverſarios noſtros oppugnaverimus, jam aperto marte eos aggrediemur, & collato pede prœliabimur, atque tela eorum, quæ in hanc noſtram chirurgiam conjecerint, aut declinabimus, aut in hoſtes ipſos retorquebimus. Ut ergo oſtendamus negocium hoc noſtrum eſſe incommoditatibus iis, quas hi homines prædicant, expoſitum, Galenum ipſum arbitrum conſtituemus, qui in quavis operatione medica ſolerti cura celeritatem operis, indolentiam, & ſecuritatem, ab unoquoque perpendi debere, ingenuus autor exiſtimat. Horum poſtremum adhuc tres ſortitur conditiones alias, operis ſcilicet conſequutionem, ejuſdem conſtantiam, & nullam ægroti læſionem. Sed illum ipſum dicentem audiamus. *Siquidem talia omnia amovere oportet, atque id ſemper agere, ut rationibus, quibus id fiat, penſitatis, optimam ſemper earum deligas. Sane optima rationes tripliciter judicantur, tum ex temporis curarum brevitate, tum ex curando citra dolorem, tum ex maxime tuto curando. Rurſus ut tuto cures tria præcepta ſunt, quibus intentus ſis oportet. Unum primumque, ut omnino operis ſolutionem conſequaris: Alterum ut ſicubi hunc non conſequaris, ſaltem cubantem non lædas: Tertium ut vitium non facile revertatur.* At hæc licet in alium finem à Galeno eò loci dicta fuerint, omnes tamen medicas operationes circunſcribunt, & præcipue eas, quæ manuum promptitudinem expoſcunt. Nec profecto ulla eſt medici circa humanum corpus ſive adminiſtratio, ſive operatio, quàm univerſum chirurgiæ genus, in quo magis illo examine opus ſit, in quo ſingula potius ad illam normam, & regulam revocare deceat. Quæ cum ita ſint, nonne ſi probaverimus, cæteras ab hac noſtra manuum operationes, raro has omnes actionis conditiones includere, at hanc curtorum diſciplinam

eaſdem

eaſdem ſemper comprehendere, nonne, inquam, tunc indicatum fuerit, hanc chirurgiam, quod alii ſecus volunt, lenitate aliàs, & ſecuritate anteire, & ut illi dictitant, minime declinandam eſſe. Duo igitur nobis examinanda proponuntur, quorum primum eſt ut oſtendamus, perraro aliquas chirurgias reperiri, in quibus, aut ſingulæ jam enarratę notæ, aut ex iis potiores concurrunt: alterum, quod noſtras magis attingit partes, ut in hoc curtorum opere has omnes conditiones accedere, nec quicquam à celeri, tuta, & jucunda curatione deficere conſtituamus. Ut priori ſatisfaciamus, revocanda ſunt in mentem, quę operationibus, quibus uſa fuit antiquitas, ſupra annexuimus, unde ſingula ſymptomata, & cætera incommoda innoteſcunt, quę oſtendunt clare, quam difficilis ſit in omnibus actio, quam periculoſa, quam faſtidii plena. Sed paucis eadem, alio tamen modo libet repetere. Itaque inter illa accidentia, quæ dictis operationibus conjuncta ſunt, in primis ſæviſſimus dolor eſt, atque tum in diuturna ſectione, vel quod altius cultri adigantur, & maxima ſubſtantiæ portio adimenda ſit, vel quod partium, quas incidi convenit, natura admodum tertea, & exquiſito ſenſu donata ſit, ut ad leves quaſvis contrectationes doleat. Hoc videmus in periſcyphico, in ramicum exectione, in artuum amputatione, aliiſque quamplurimis, quorum narrationi ſuperſedeo. Sed vel id extremi doloris argumentum fuerit, quod arcte ægri ſubinde conſtringendi, & vinculorum vi coercendi ſunt, ne exiliant ex dolore compulſi, & manus chirurgi jam operantis ſubterfugiant. Proxima ab hoc ſymptomate inflammatio eſt, quæ & cum partis dignitate contingit frequenter, dum ſanguis, & ſpiritus duo naturę adminicula, ad eam accurrant, & cùm vaſa inſignia in vicino ſubſternantur, quæ maximam ſanguinis copiam ſubminiſtrant. Hoc in extractione fœtus, in ſcroti laxatione, cæteriſque ſimilibus actionibus manifeſto patet. Sed inflammationem gangræna conſequitur, ſæviſſimum plane ſymptoma, vivi animantis corruptela, & mortis nuntia, ex calore interno propter humorum molem ſuffocato, quam in quamplurimis chirurgiis perſępe advenire certum magis eſt, quàm ut ulla comprobatione egeat. Hanc excipit nervorum diſtentio, & ipſa congener ſęvitia ſymptoma, vel quæ nonnullis manuum operationibus familiare eſt, quod partes nervoſas contrectare conveniat, quemadmodum fit, ubi lapis eximitur, vel cum nervi aut inciſi, aut contuſi, aut puncti violentur, quod in artuum diſſectione uſu venit. Quod vitium certe lethale eſt, & hominem quaſi finib. ad ſepulchrum abripit. His omnibus calamitate haudquaquam minor hæmorrhagia accedit, momento omnes vires proſternens & ægrum enecans. Eam multoties occurrere contingit, ſi profundius partes incidere, & vaſis, quæ ſanguinem continent, inſignioribus vim afferre neceſſum ſit. Omnium autem ſymptomatum, quæ operantibus eveniunt, deterrimum ſyncope eſt, quæ præcipiti virtutum lapſu, & rigente nec non pallente toto corpore mortem ipſam repræſentat, atque opus artificem ſuſpendere, & manum ab actione revocare jubet. Ex his itaque jam prius recitatis, non obſcure patere arbitror, quæ ſit cæterarum, quæ manu fiunt, operationum ſecuritas, quę earum lenitas. Quibus accedit, quod infida, & plane dubia operis conſecutio ſit, cum vitia ſubinde recrudeſcant, & quod earum multæ ſint, quam abſque ſubſtantiæ cujuſdam jactura, & ſine ægroti detrimento adminiſtrari nequeant. Unde manifeſtum eſt, & difficultatem maximam, & pernitiem ſupremam hæc omnia in ſeſe comprehendere, quæ cuncta in curtis reſtaurandi, abeſſe procul promptiſſime demonſtrabimus, ſi ea, quę nobis opera efficienda ſint, prius proponamus, & eorum vim, ad regulas, quas Galenus nobis inſinuat, tanquam ad lydium lapidem examinemus. Sunt autem opera illa, propaginis delineatio, ejus eductio, inſitio, à brachio reſciſſio, narium conformatio, & tandem columnæ implantatio. Atque ut circa propaginis eductionem verſemur, hæc operatio adeo cita, adeo momentanea eſt, ut fuerint aliqui, qui prius illam perfectam eſſe viderint, quàm adverterint. Adacto enim intra lineam, quæ in forcipe eſt, eoque cultro tenuiſſimo, & leviter hinc inde perducto ſtatim opus abſolvitur, priuſquam id ſenſus, aut per quam leniuſcule admoneant. Quod neutiquam creditu difficillimum fuerit, ſi quis violenta forcipis conſtrictione, torpeſcere cutis ſenſum, & cultelli vim obtundi non ignoret. Indolens igitur operatio hæc, & celeris eſt, ideoque maxime dignitatem rei, & naturam illuſtrat, ut nulli cęterarum recte comparari, aut ſubjici poſſit. Sed celerius adhuc propago educitur, & à brachio reſcinditur, pari fere indolentia, hac tantum ab illa differentia, quod ex forcipis vi illic quædam aderat ſenſûs ignavia, hîc verò ſuam ſentiendi mediocritatem cutis obtineat. Lenit tamen adminiſtrationem propaginis anguſtia, cum exiguum ſit quod reſcindi opus eſt. Itaque, & hoc in loco doloris parvitas, cum celeritate operationis conjuncta, præ aliis hanc actionem plurimum exornat. Narium quidem conformatio lenta eſt, & diuturna, ut quandam calumniam ſubire poſſit, non tamen adeo vehemens, tam moleſta, tot cruciatuum noxis perculſa eſt, cum non eam adhuc, qua ſenſui opus eſt, adjunctà cutis temperiem obtinuerit, ſed nuper implantata langueat, ſenſuque torpeat, ut, & hic non habuerit, quod redarguat, qui candidam mentem adhibeat. Sed propaginis jam reſciſſæ, atque adeo columnæ tum conformatæ inſitio, haud abſque dolore adminiſtrari poteſt. Partes enim quæ ſenſu acerrimo donantur, excoriandæ ſunt, incidendæ; acubus trajiciendę, quę omnia neque uſque adeo cito, neque cum voluptate perficiuntur. Veruntamen utcumque celeritatis, & indolentiæ momenta requiramus, non tamen tam tarda eſt, & cruciatibus plena hæc operatio, quin iis, & præcipuè quæ in aliis contingunt difficultatibus, non modò conferatur, ſed illis longo ſatis intervallo pręponenda ſit. Scimus enim, ſi graviſſimi dolores angant, repentè homines concidere, atque cunctas corporis functiones interpellari. Quod tamen in hac noſtra chirurgia accidere, hucuſque nec dum obſervavimus. Atque ſi fortè fortuna animo linqui quoſdam contingat, id non tribuendum operis vehementiæ, ſed animi abjectioni, cum quandoque repęriri liceat, homines adeo molles, & effœminatos, qui vel ſola dolorum recordatione percellantur, nec aliquid, pręter aſpectum, in ſe ipſis virile habeant. Sed hæ hominum ineptiæ ab artis operibus maximè ſecluduntur. Indicat verò chirurgiæ hujus benignitatem, quod ægris omnino liberis, nullaque vi vinculorum compulſis adhibeatur. Non tamen fieri poteſt, quin quandoque ſeſe commoveant, & quadantenus ferri aciem refugiant, quis enim eſt adeo interritus, aut quis ita ſtupidus, ut gladii vim non exhorreſcat, vel ſe ſine ſenſu truncum eſſe exiſtimet? Non tamen omnes delicati adeo, & languidi ſunt, quin, & aliquid, pręcipue ob utilitatis ſpeciem, perferre queant. Itaque quæ jam enarravimus, vel nihil vel parum moleſtiæ hanc noſtram actionem habere, & adminiſtrationis celeritate plurimum excellere, ſatis oſtendunt. Quibus & annectitur ſecuritas operis, cum ſimplicem ſaltem cutim contrectemus, ſecemus, diducamus, transfigamus, cùm vaſa ampliſſima abſint longius, cum partes pręcipuè haudquaquam ſubſternantur, ſed muſcula corpora, quæ ferro nec leviter quidem

quidem contingantur. Quare neque metus eſt, ut nervi, venæ, arteriæ lædantur, neque ſæva illa ſymptomata, ſyncope, inflammatio, gangræna, & cætera malorum turba ſubſequantur. Si tamen forte contingat ut ramulum quendam venæ, qui cutim tranſcurrat, lædi neceſſe ſit, hæc certe hæmorrhagia leviſſima eſt, cùm vel rebus aſtringentibus, vel ipſo etiam ramulo inciſo, nullo cum negotio ſanguis ſupprimatur. Quos enim tumultus moveat venula vel violata vel exciſa? Quibus omnibus, & illæ, quæ à Galeno recenſentur, conditiones, tanquam teſtes ampliſſimi, ad ſecuritatem accedunt, operis nempe conſecutio, ejuſdem conſtantia, & nec ulla, aut perexigua ægri læſio. Si enim rectè omnia ſeſe habuerint, ſperare equidem licet, nec quicquam de operis progreſſu dubitare, cum fieri nequeat, ut qui rectè operatus fuerit, fine ſuo fruſtretur. Quin eam in opere conſequuto dignitatem aſſequimur, ut tanto, & tam inſolito officio, non ingratas naturæ vices, artem reddere confiteamur. De perennitate verò, quis niſi puerili admodum, & debili ingenio dubitet? Stultum enim exiſtimare eſt, cutim illam conjunctam, & narium formâ dotatam, futurum olim ut decidat. Tam validè enim cum veris partibus coaluit, ita illis inſuevit, ut, & hinc nutriatur, ſenſuque impertiatur. Quare vehementer admiramur homines non ignotos, nec in medicina facienda inexpertos, qui imbecillo adeo vinculo propaginem inſitam colligari volunt, cum cæteris membris, ut quàm plurimum vel emoriatur, vel leniter etiam attracta manum ſequatur: quorum opinioni, & ratio, & experientia reſiſtit. Ægri verò, quàm minime in hac operatione noſtra offendantur, jam ſatis ſuperque ſuprà declaratum fuit. Igitur ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, colligamus, & certis exemplis, rectaque ratione permoti aſſeveremus, cæteris omnibus, quotquot fuerint, hanc curtorum chirurgiam præſtare maximè, ac longo ſpatio lenitatis, & ſalubritatis, & dignitate anteire. Nam vel ſingulis, vel potioribus notis operationes reliquæ ab hac norma, & regula curandi deſciſcunt, quam Galenus præcipuam eſſe æſtimavit, & è contra hæc curtorum reparatio, & operatio celer, indolens, ſecura atque conſtans eſt, opuſque ſuum conſequitur, & exigua, quin imo nulla cum ægri offenſa adminiſtratur. Itaque taceant, aut ad mentem redeant, qui artem noſtram execrantur, & condemnant, qui exilio dignam à medica facultate exiſtimant, niſi ipſi, & rationi repugnare, & experientiæ ſtulti, & inſani ſuo cum dedecore, turpiter reluctari malint.

Cap. 23. *Quæ ſint differentiæ curtarum narium, labiorum, auricularum: & quæ earum facilius, quæ difficilius, quæque nullo pacto reſarciri queant.*

Sed nunc ea, quæ magis ad rem ſpectant, rurſus accipiamus quæque tam ad curationem, quàm quò de operis ſucceſſu aliquid pronuntiare poſſimus, plurimum conferunt. Sunt autem illa partium mutilatarum variæ differentiæ, quæ ob naturæ diverſitatem, vel facilius, vel difficilius eas reſtitui poſſe innuunt, & de majori ſtudio, aut diligentia remiſſiori nos commonefaciunt. Quod, antequam ad opus accedas, ſi noveris, minimum in conficiendo opere errabis; & nihil præter opinionem tibi evenerit, ut tandem ineptum illud, non putaram, errori tuo prætendas. Veruntamen primò curtarum narium differentias enarrare lubet, quæ ex mutilationis modo depromuntur, & ad illam partium normam, quæ è naribus vel natura, vel nomine inſunt, rectè rediguntur. Diximus enim ſuprà cùm narium phyſiologiam enarraremus, ex priſcorum medicorum mente, partes narium his vocabulis deſignari, globulo nimirum, columna, alis, dorſo, & quæ ab oſſibus extremis dependeat cartilagine, à quibus, & nunc differentias narium reſectarum, ſed differentiæ vocabulo latius capto, non præter rationem deſumimus. Prima igitur curtarum narium differentia eſt, cùm columna, & alis nullatenus oblæſis, naſi duntaxat globulus, & apicis ſummum detractum fuerit. Huic vitio ſane aliqua turpitudo ineſt, at longè inferior, ac ſi alæ noxam quandam incurrerint, eamque inſignem. Haud enim magnopere portiuncula hæc, ſi abſcindatur, narium uſum offendit, quod viarum ſeu cavitatum integra fere quantitas adhuc conſervetur. Nec difficulter admodum particulam hanc reſtituemus, nec indecora propaginis futura eſt accretio, quod in carnea parte, & muſculoſa hæc operatio exerceatur, & quod aliquando, facto fuco, ut inferius docebimus, quaſi præſtigiis oculorum obtutum fallamus. Lenior etiam eſt hujus chirurgiæ adminiſtratio, quod, & pauciores acus transfigere, & exiguum, ab antiqua narium ſede abradere opus ſit. Si quid enim fuerit, quod actionem hanc moleſtam, & aſperam reddiderit, id omne in excoriandi rigore, & futuræ ſævitia conſiſtit. His ſuccedit alia curtarum narium differentia, quæ in dextræ alarum, vel ſiniſtræ abſciſſione poſita eſt, indecora minus mutilatio, etiam illi comparata, quæ à globulo reſecto pendet, atque ob eam fortaſſis cauſam, quod ad latera, cùm conſtituta ſit, oculorum aciem nonnunquam ſubterfugiet, cùm apex alioquin detruncatus, & in centro poſitus, quàm primum, & neceſſario aſpectui occurrat, & oculos aliorum, utcumque ſe quis componat, fallere nequeat. Sed longè fœdiorem eſſe mutilationem hanc, cùm ſeſe in conſpectum dederit, nemo ſatis negaverit, quod cavitates, quæ ſubjectæ ſint, latè hient, & mucorem prolabentem, ingrato ſane ſpectaculo intuentibus oſtendant. Reſtituitur adhuc ea haud difficili negocio, & minori cum cruciatu. Nam exiguum eſt, quod deficit, minuſque partes eas ferire, & acubus pertundere neceſſum eſt. Cùm verò altius aſcendens, & cartilagines narium attigerit, tum difficultatis plurimum, & laboris non exiguum, in conformando annectitur, majuſque eſt, & acerbius, quod ægrotum decet perpeti. Sed narium differentia, quæ tertium occupat, haud quaquam, ac fere ſuperiores, ſimplex eſt, ſed quandam compoſitionem habet, ſi eò uſque nares diſſectæ fuerint, ut in ipſis globus, columna, atque alarum partes, eæque non exiguæ deſiderentur. Hæc turpis ſane detruncatio eſt, univerſum faciei nitorem, & formæ decorem deſtruens, & reliquis, quod aptè conformari nequeat, curatu multò difficilior. Non tamen eam, quæ opus excludat difficultatem intelligimus, ſed quæ in naribus effingendis, diligentiam artificis excitet, & animum in agendo circumſpectum magis reddat. Sic enim moderandæ ſunt ſectiones, in hac narium efformatione, ita fiſtulis inſtruendæ, ſic integumento dirigendæ, ſtatuendæ; conſervandæ ſunt, ut ad typum, quem antea natura expreſſerat, quantum induſtria noſtra, & ars patitur proximè accedant. Sed dictis hactenus & illa differentia annumeratur, cum naſi portio maxima exciſis etiam imis alarum fibris, quandoque detruncata fuerit. Hæc noxa omnium fœdiſſima, & iniquiſſima eſt, & faciei formam, hominiſque imaginem tantopere deſtruit, ut nobis bene notos quandoque vix dignoſcamus, & quaſi nunquam antea viſi ſint, eos penitus negligamus. Itaque apud inferos, hoc inhoneſtum Deiphobi vulnus eſſe, ait Virgilius, dum ſibi lacerato labia, aures, atque nares, unà cum Sybilla comite Æneas occurreret. Porro hæc reparatu omnium difficillima eſt. Nam imæ alarum partes, quæ alioquin, ut propago inſeratur firmam ſedem, atque tutam exhibebant,

bebant, jam plane relectæ implantationem aut vacillare faciunt, aut moleſtam reddant. Sed enim illæ narium detruncationes laborioſæ, & intractabiliores, in hac chirurgia ſunt, quæ oſſeis earum partibus è vicino ponuntur, & nonnunquam oſſa contingunt. Quoniam, & inſignem naſi portionem reſarcire haud ita facile eſt, & in ea parte propaginem inſerere, non tam poſſibile, vel quod eo loci lubrica ſutura ſit, vel quod maximam perficiendi id difficultatem, negotium includat. Non enim, ut ab hac exordiamur, ſuturam rectis acubus adminiſtrare poſſumus, ob figurę narium conditionem, & oculorum impluvia adjacentia, ſed eas incurvatas, & inflexas adhibere convenit. Quę res, quantum & conſuendi tempus proroget, quas dolorum torturas moveat, ii plane intellexerint, qui vel ſemel tantum acubus incurvis, in quacumque ſutura uſi fuerint, vel alios utentes viderint. At nos de ſuturæ inconſtantia natura cutis admonet, quæ minima quavis occaſione, cum tenuis, nec ſatis firma ſit, laxata, funiculorum diſruptioni locum dabit, ideoque inanis erit, & evanida. Quod periculum, qui circumjacent, oculi adaugent, qui & ex propria dignitate, & ob humoris effluentia, dum vicinæ partes feriuntur, ex dolore intumeſcunt, & nullo negotio linum extrudunt. Accedunt, & alię anguſtiæ, eæque maximè, cùm altè adeo nares exciſæ fuerint, ut & labii ſuperioris portio, & columnę inferius contermina detrimentum perpeſſæ ſint. Neque enim vel peritiſſimi medici ingenium hoc malo mederi poteſt. Vulnere enim conſolidato, & callo cicatrici obducto, trajectum acuum pars illa plurimum detrectat, & ſęviſſimos dolorum aculeos promovet, cùm in excoriando, tum ubi forcipe adacta, ut acus tranſmitti poſſint, cutis ipſa ſublevanda eſt. Poſtremò quibus ſublimius nares diſſectæ reſarciuntur, in delegationis, & inſitionis curriculo, quidquid eſt temporis, moleſte nimis & cum acerbitate tranſeunt. Nam utcumque prolixa, & liberalius educta ſit, plurimum tamen propago debet aſcendere, itaque facies humero propius affigitur, & ægrius eò adducitur, nec non alimentum, ob loci anguſtiam, incommodius ſuppeditatur. Adjiciendum etiam eſt, diſſectiones curtorum obliquas, & incurvas ægerrime omnium conſui, & majorem artificis requirere induſtriam, ut juxta proportionem ſpatii aptior ſutura fiat, quæ inter curtas nares, atque quæ conſui debet, propaginem, jam ob coalitum, quàm ob vulneris decorem neceſſariò expetitur. Quod profecto non intellexerint, qui huic ſuturæ adminiſtrandę bis ad minimum non interfuerint. His porro, quę hucuſque diximus, & aliud curtarum narium genus apponendum eſt, quod naſi medio quadantenus excavato fit, & ſummo ejus dorſo inciſo. Contingit enim quandoque, ut enſe adacto, media tollatur ipſius naſi caro, & velut infixa forcipe pars ejus evellatur. Hinc inſignia narium foramina pateſcunt, ac velut per euripum ſpiritus ultroque citroque remeat, fœdaque illa humorum uligo perpetuò deſtillat. Hoc porrò curtorum genus rarò admodum occurrit, idque nos bis tantummodo vidimus, & divino auxilio feliciter ſatis curavimus, quinimo dum hæc meditaremur, obtulit ſe eques quidam Melitenſis, cui in monomachia, quod mirum eſt, hanc ipſius nares calamitatem exceperant. Sed hactenus de naribus: nunc labiorum, & aurium differentias proſequamur. Labia certè ex brachio propagine educta reſtituimus, non tamen eas, quas in naribus videmus uſu venire, ſortiuntur differentias. Etenim à naribus conformatio eorum plurimum diſtat, quod cauſæ eſt, cur in illis ſecus atque hic, major quandoque in reſtauratione difficultas emergat. Quare ex labii duntaxat quantitate; ſive facilis pendet operatio, ſive difficilis. Nulli autem dubium eſt, exiguam portiunculam commodius, quàm majorem, reſarciri poſſe, & majorem minori longè moleſtius reſtitui, præſertim ubi altius in labrum vel ſuperius aſcenderit, vel inferius læſio deſcenderit. Auget tamen aliquo pacto hanc difficultatem, eadem, quæ fuit in ipſis naribus inciſionis figura, vel obliqua, vel curva, vel angularis, quæque non minimum in reparando negotium medico faceſſunt, longè tamen clementiora ſunt, & curatu faciliora, quàm ſi tale quid naribus acciderit. Sed hæc pauca de labiis admonuiſſe ſatis ſit. Non enim natura rei plura requirit. Eſt quidem & alia labiorum differentia, qua cicatricoſa, vel leporina vocant, quæ tamen artis noſtræ limites non ingrediuntur, cùm inſitionem haud quaquam expoſtulent, ſed levi prius facta excoriatione, commiſſa protinus, & conſuta reſtaurentur. Quare majorem verborum apparatum minime requirunt. Aurium porrò curtarum differentiæ ex quantitate mutilationis pendent, atque adeo ex figura, ut de cæteris dictum fuit, quæ ſi rectè percepta ſint, unumquemque in cognitionem læſionis harum partium non obſcure diducit, & quid de operis ſucceſſu ſentiendum ſit, liquidò commonſtrat. Supervacaneum verò admonuiſſe chirurgos omnino arbitramur, auriculas ex toto abſciſſas humanâ induſtriâ refici nequaquam poſſe, cum id naturæ partis, & materiæ promptitudini maximè repugnet. Illud verò eos noviſſe volumus, quod dimidiæ partis altera, atque inferior facilius reſtituatur, ſi ſuperioris dimidii opus reſpiciamus, difficilius verò altera atque ea, quæ ſuperior eſt. Hæc enim cùm figura varia ſit, atque multiplex, cumque longe incommodius nutriri poſſit, quoniam emineat, non minimum in opere difficultatis portendit. Illa autem quia ſitu decliviori conſiſtens prolabentem nutu ſuo humorem felicius recipit, ſimplicique quaſi, & uniformi conſtat ſubſtantia, nec eos figuræ anfractus habet, & ambages, benignioris multò atque felicioris eventus nobis occaſionem præbet. Hæc itaque ſunt, quæ de curtorum differentiis, atque eorum in operando præſagiis dixiſſe non incommoda nobis viſa ſunt.

Cap. 24. *In quo reſtitutæ nares ex cutanea propagine, à naturalibus antè reſectis differant.*

DEclarabimus modò, quibus notis, atque indiciis hæ novæ nares à prioribus illis, & unicuique nativis recedant. Patebit autem quouſque artis termini progrediantur, & quanta ſit naturæ majeſtas, quàm aditu difficilis, & quàm longè artem ſuperet. Non enim fieri poteſt, ut ſi omnes nervos intenderis, & quamcumque diligentiam, vel operam adhibueris, reconditum illum, & imitatione inacceſſibilem naturæ characterem aſſequaris. Ob quam cauſam, ſi quis operationem hanc calumniari velit, ſat ſibi anſæ ex his præberi haud obſcurè videbit. Sed hoc loci illud accidit, quod in cæteris artibus uſu venire videmus, quæ propoſito ſibi quodam aut hominis, aut animalis exemplo, naturæ pulchritudinem, & perfectionem atque in ſuperficie ſolùm exprimere conantur. Veruntamen qui pictor ita pollens ingenio, adeo diligenter inſtructus, tantâ curâ exercitatus, ornatum naturæ penicillo ſatis aſſequatur, ſatis commendet, ſatis imitetur, quin longius ab vivo illo, & abſolutiſſimo ejus typo diſcedat; Non jam dicam de plaſtis, de ſculptoribus, de ſtatuariis, quorum materia intractabilior eſt, & opera major: illos decebat equidem, quod materiem, & organa longè haberent ſequacia, ſtudiique minus deſiderarent, haudquaquam in opere ſuo peccare. Quid ergo deſideremus in hac noſtra chirurgia, ubi non ſaltem, quæ in ſuperficie ſunt partes, ſed internæ

internę etiam reficiendæ ſint? ubi materiei neque tantus eſt apparatus, neque adeo exquiſitus, & qualiſcumque tandem fuerit boni conſulendus eſt, ubi tanta inſtrumentorum, quæ parare decet, adeſt difficultas, & quod figuram, quam ſemel in parte efformanda expreſſeris, quod in aliis abſque culpa fit, eam corrigere hic non poſſis? Non enim tibi, ſi nequaquam arrideat, iterum rurſus recidendus eſt, & denuò conficiendus. Itaque plurium à calumnia abeſt hęc noſtra ars, cùm tot, & tanta hinc inde emergant incommoda, quæ operis perfectionem diminuant, ſed ſummis potius laudibus extollenda, quod fœdiſſimi illius barathri indignum ſpectaculum corrigat, & priſtinum faciei nitorem, ſi minus integrum, tamen ex parte reſtituat. Sed proſequamur in quibus nares ſecundę, & arte fabricatæ à primis illis, & nativis diſcernantur, Fit autem hoc colore, mollitie, ſensûs vigore, magnitudine, pilis, atque foraminum anguſtiâ. Nam narium cute, atque etiam faciei totius, quæ in brachio cutis exiſtit, ſemper eſt albicantior, itaque, & nares refectę pallore quodam inficiuntur, & ſi ambiens frigus illis incubuerit, quamprimum livore ſuffunduntur. Sunt prætereа nares hæ ipſis nativis multò molliores, atque ob cutis brachii naturam laxiores, quæ licet à circunfluo aere denſentur quadantenus, eam tamen ſoliditatem, quam primus opifex indiderat, attingere nequeunt. Veruntamen illud neceſſariò nobis concedendum eſt, quod poſt coalitum, longo quidem temporis ſpatio, à ſemetipſis nares hæ plurimum diſtent, & cùm primò rariores fuerint, & tenuiores, tandem ſolidiores multò, & duriores evadant. Senſu etiam reſtitutas nares à congeneis longe diſcrepare ſemper advertimus. Primis enim diebus, à peracta coitione, nullo ferme ſenſu vigere videntur. Is mox poſt aliquot dies obſcurior advenit, at in progreſſu temporis adeo increſcit, ut partes hæ primas eas atque naturales vegetiori tactu, & perfectiori longe eveniant. Quæ res licet inter miranda naturæ opera reponi debeat, exiſtimamus tamen effectum huc à ratione minime alienum eſſe, & cauſam illius non male inveſtigari poſſe. Quare eum paucis nunc declarabimus. Clarum eſt univerſis corporis partibus, per nervos quaſi perpetuos rivulos, communicari animalem virtutem, atque eorum vim è cerebro tanquam à fonte, & principio derivari. *In eorum diſtributione triplicem natura ſagax ſcopum obſervavit. Horum primus eſt, ut inſtrumentis, quæ motui deſtinata ſunt, vis motrix delegetur: alius eſt, ut ſenſoriis ſentiendi virtus impertiatur: tertio, & poſtremo, ut cæteris partibus facultas quædam demandetur, quo injurias, quæ aliunde iis incidant ſaltem percipiant.* Cæterùm *cum propter temperiem ſuam, quæ proximè ad æqualitatem accedit, tactûs organum conſtituatur*, illud dubio procul evenire neceſſum eſt, ut quotieſcumque nativa temperie gaudeat, acutior etiam ſenſus in ea vigeat; at corrupta, & ab hac moderantia dejecta, pro ſubſtantia tamen intemperiei, minus aut nihil percipiat. Accedit & aliud, quod vel obtuſius, vel acrius partes ſentiant, qua majores vel anguſtiores nervorum ductus participant. Quibus hic conſtitutis cum brachica cutis, poſtquam coaluerit, ex translationis impetu, & natalis ſoli defectu, à priſtina integritate plurimum deturbata ſit, non mehercle mirum eſt, ſi tum ſenſu ferè penitus deſtituatur, præſertim cùm natura de rebus neceſſariis magis ſollicita ſit, & quod primò urget, prius etiam adminiſtret. Etenim poſt coalitum vita, & nutritio neceſſaria eſt, minus verò opus eſt, ut partes tantopere ſentiant. Itaque parcius animales ſpiritus demandat, largius verò alimentum atque vitam, ut hac de cauſa nutriantur quidem nares, atque vita fruantur, privari tamen ſenſu, ad quædam temporis momenta appareant. Cum autem ulterius progreſſa eò quo receſſit, cutis redierit, liberaliuſque recipiat ſpiritus animales, ideo increſcere ſenſum, & ad munia ſua partem redire videbimus. Quoniam igitur ipſis naribus, ex natura ſua longè ſenſilior brachii cutis eſt, itaque, & recens naſus multò ſentire excellentius, & priſtinam partem, atque adeò totam faciem ſuperare tactu advertitur, quando quidem tunc, & nativa fruitur temperie, & ubertimo ſpirituum fluxu perfunditur. Magnitudine etiam vincere, primas illas, & congeneas partes, nares novas conſentaneum eſt, ſi poſt unum vel alterum operationis annum, veram detruncati membri effigiem præ ſe ferre debent. Etenim ab ambiente frigore ſenſim conſtringuntur, & conſtrictæ contrahuntur, unde plurimum de magnitudine illis decedit. Sed ſi à principio ad eam, quam natura præfixit quantitatis normam acceſſerint, cùm neceſſariò ſemper decreſcant: itaque mutila potius membra, quàm perfecta erunt, neque faciei decorem, ſed deformitatem afferent. Quare hæc incommoda ut fugiamus, quod ſuo loco docebimus, multo largius ipſius propaginis moles educenda eſt, & quantum fieri poteſt, magnitudo ejus adaugenda. Minus enim malum eſt, amplas geſtare nares, & prolixas, atque id per breve ſaltem ſpatium, quàm imminutas, & deformes, per integrum vitæ curriculum circunferre. Non rarò præterea contingit, ut in novis naribus pili expullulent, atque in eam longitudinem eluxurient, ut novaculam aliquando adhiberi neceſſe ſit. Id tamen ſive turpitudinis, ſive incommodi ab naturalibus illis partibus plurimum aberat. Multò enim denſior narium cutis eſt, & ob cartilagineam naturam ſiccior. Accedit quod ea pars, cùm faciei ornamento eſſe debebat, glabra penitus, & lævis, ſumma quidem ratione, ab natura ſapiente exculpta fuit, ad quam majeſtatem nempe remotiſſimam ars noſtra nequit accedere. Diſſentiunt poſtremò reſtitutæ nares à naturalibus foraminum anguſtia, Et ſi enim ampla ſatis, & aperta ab artifice primum fabrefacta fuerint, attamen cum callo ſtatim obducantur, & quia cutis cum mollior ſit, per ſe contrahitur, ductus illos plurimum coarctari, & contrahi neceſſum eſt. Atque id niſi tubulorum quorundam operâ, quos ejus rei gratiâ factos, naribus indimus, ſolerter caveamus, ad eam tandem nares deveniunt anguſtiam, ut, & ſpiritum per eas ægrè, & non niſi maximo conatu attrahamus. Hæc itaque ſunt, quæ, qua ratione nares artificioſæ à nativis diſcrepent, liquidò oſtendunt, quibus ob oculos poſitis, & in operando inſpectis fit, ut plurimum gratiæ ſedulus opifex operi ſuo comparet, & quæ ſæpe res concomitari ſolent, incommoda cautè declinet.

Cap. 25. *Solutio quorundam problematum, quæ in hoc Tractatu occurrunt.*

SEd jam pro coronide hujuſce libri primi paucula quædam, ea tamen non ingrata, in medium proponenda, & diſcutienda eſſe duximus. Horum alterum eſt, ut declaremus, quonam pacto novæ nares nutriantur, vivant, & ſentiant: alterum verò, ut ſymptomatum quorundam, quæ ſemper has nares reſtitutas à principio ſubſequuntur, rationem reddamus. Ad primum ſane illud conſpicuum eſt, quod ex humeto cùm diſſecta nondum, ſed partibus curtis ſuturis commiſſa fuerit, ipſa cutis traducis, beneficio caloris inſiti, coaleſcat, & valide conglutinetur. Is enim, ut communi medicorum aſſenſu conceſſum eſt, operationem omnium, quæcumque in corpore noſtro adminiſtrantur, inſtrumentum eſt præcipuum.

Ejuſdem caloris efficaciam, & cutim jam agglutinatam, & nuper reſciſſam ali, vivere, & ſentire affirmamus. At quonam pacto id contingat, res anceps eſt, & ambiguitatis plena. Itaque id uti declaremus, hanc, jam provinciam nobis deſumpſimus. Scimus in corpore noſtro terna vaſa prudentem naturam ad utilitatem communem architectatam eſſe, venas nimirum, nervos, atque arterias, quorum ductu, & vita, & ſenſu, & nutrimento partes impartiantur. Scimus etiam atque id oculis ipſis videmus, & nutriri, & vivere, & ſentire cutim illam, quæ partibus deperditis ex arte noſtra affixa eſt. Dicendum itaque eſt profecto vel novam vaſorum ſobolem denuo regenerari; vel conſervatis iis, quæ cùm brachio inhæreret, adeſrant, cutis ductibus, & eorum oris, cum iis, quæ in curtis ſunt, canaliculis commiſſis rurſus coaleſcere: vel ſi neque hoc fiat, vaſa illa in curtis exiſtentia, hos novarum partium ductus excitare, & agendi vim tribuere. Sed nemo unquam aſſeruerit nervos. atque arterias de novo gigni, cùm membra ſint ex ſemine genita, & genita ex ſemine membra, atque ſemel deperdita omnis medicorum ſchola, unanimi conſenſu neget reſtitui. Venas quidem denuo oriri quis aſſeverare poſſet, quod hæc ſententia videatur aliquando Galeno artiſiſſe, *dum venas aſpectabiles, atque prioribus non ſimiles, ſed plane eaſdem regeneratas ſe vidiſſe affirmaret. Sed id rarum eſſe, atque inſolens idem Galenus alibi aſſeruit.* Vis enim requiritur, quæ partes efformet, validiſſima, & materiæ ſpermaticæ apparatus quàm copioſiſſimus: quæ duo non ita frequenter, in læſis partibus ſolent ſuppetere. Sed ipſius verba aſcribamus. *Primum dicendum, raro viſum eſſe venam renaſci, deinde nihil omnino ex aliis. Vas enim, quod accreſcendo recens venæ veteri adjungitur (hac enim parte ſcilicet continuum eſt) non in qualibet corporis natura materiam copioſam ad generationem habet. Si igitur neque caro orificium venæ abſciſſæ circuncreſcendo occupaverit, neque abundantis materiæ humor defuerit, gigni iterum vena poterit. Oportet etiam ſimul vim, quæ eſt in venis abſciſſis validiſſimam reperiri, quippe quæ partis adnaſcentis fabricatrix eſt, & materiam ſeminalem tantam etiam ſuppetere, ut ab increſcente carne obſtrui os non permittat, quæ utraque ſimul rariſſime convenire aſſuerunt.* Quare generationem venarum in his novis naribus, ſi recte Galeni verba perpendamus, longe difficillimam eſſe, imo plane impoſſibilem recte ſtatuimus. Cum enim curtarum partium non adeo vegeta facultas ſit, quod cutaneæ ſint, & abſque intercurſu aliorum oſſibus partibus frigidis ſubjectæ, neque tanta materiæ ſupellex, quanta opus eſſet, in promptu ſit, quomodo quis venas, eaſque novas repullulare exiſtimaverit? Rejectâ igitur ſecundi hujus vaſorum ſeminalium ortus in curtis partibus ſententiâ, neceſſario fateri cogimur, aut vaſa priſtina utriuſque partis, & caudicis, & ſurculi coaleſcere, aut horum vim illorum influxu reviviſcere, & ad ſolita munera vocari. Vaſa certe in inſita cutis propagine contineri nemo quis recte negaverit, cum aliquando, dum myxas, & infimam columnæ partem, conformationis gratiâ incideremus, profluxiſſe ſanguinem vidimus, tam large, tam impetuoſe, ut non ſine difficultate compeſci potuerit. Abſonum eſſet dicere, eundem humorem conſervari intra cutis poros, & illis inciſis promanare. Non enim magis in una parte, quàm in alia, atque id præter impetum, hoc ſanguinis effluvium non contingere impoſſibile eſt. Hoc tamen eadem penitus vehementia, quæ cæteris venis, ſi incidantur, uſu venit, ſubſequi experti ſumus. Quare rei neceſſitas, ne venas in traduce adeſſe non fateamur, nos omnino adigit, cum ſanguinem hoc pacto extra vaſa ſua, alienus locus caperet, quod Galeno teſte, non niſi de corde dici poteſt, & cùm peregrina in regione deliteſcat, hac ratione is ipſe putreſceret. Itaque tam ea, quæ ſunt in traduce, vaſa, quam in ſtipite narium, conſervata hactenus coire, & oſculis adjunctis invicem coaleſcere, ſi quid ratio valet (nam hìc oculi cœcutiunt) proculdubio affirmabimus. Si enim ſanguinem, ut dictum jam, neceſſarium fuerit in ſuis receptaculis includi, & per eam jugiter, tanquam per rivulos aliò deferri, quid fiet, ſi hunc vaſorum coalitum rejiciamus. Nam aut apertis venarum oris, vel reſudando ſanguis excidere, & vaſa quæ in cute traduce collocantur, novo ordine ſubintrare debet. Sed cur non diſperſus potius dilabitur? cur per carneam ſubſtantiam non diffunditur? quæ quæſo vis hunc fluorem tam rite moderetur, ut denuo ad fontem quaſi novum, & ſcaturiginem ad principia ſcilicet venarum, quæ in traduce ſunt, accurrat? quis tantam attrahendi virtutem, præter rationem vacui, ut & ſeſe, & alios ſimul nutriant, in venis concedat? Itaque dicemus omnino jam vaſa dicta invicem conjungi, & accretione colligari. Etenim & majuſculas venas conglutinari poſſe haud quaquam impoſſibile eſt. Neque hìc agitationem quandam, & influxum occultum conceſſerimus, quem ſi incorporeum quis, velut, cœlorum in hæc inferiora impreſſiones, ſi tamen fas eſt credere, eſſe dixerit, proculdubio erraverit, cùm nullo non obſtante obice virtutes illæ infundantur, & cauſis generalibus ſolum influxus hic conveniat. At non eos, ſed corporeos influxus habet hoc corpus noſtrum, in materia quadam, non tanquam domicilio, & ſede, quę immota ſit, ſed quaſi in cauſa, quæ & ipſa efficiat, recondito, quorum vires per inſtrumenta corporea, & aſpectabilia aliò transferuntur, in quibus ſi quid inſit obſtaculi, nulla vis, nulla facultas fuerit, quæ hos poſtes effringere, & aggerem appoſitum poſſit perrumpere. Nam ſic etiam nervi, & arteriæ, ſi mutuo conſortio ſui generis ſejungantur, agitari per vicinas, & moveri queant, quæ tamen falſum eſſe is experietur, qui execto unius digiti nervulo, ad vicinum comitem, vim proximi penetrare crediderit, aut adjacentium ope arterias diſciſſas conſervari putaverit. Ut enim res diſtinctas, diſtinctis funibus alligatas, abſciſſo uno, id cui hic deſtinatus erat, alterius fune non attraxeris, ita neque in hoc corporis ergaſtulo, ubi ſingulis partibus ſingula organa legata ſunt, ſi alterum lædatur, alterius nutu illud non adjuveris. Ergo hæc vaſa invicem conjungi, & omni dubitatione remota, verè coaleſcere, recte dicemus. Id enim, quod ſentimus, ſi nervos ſpectemus, & venas, non penitus impoſſibile eſt. Et ſi Galeno credimus, *tota cutis continua eſt, & nervoſa adeo, ut eam non abs re exiſtimemus eſſe aliud, quàm nervum quendam expanſum, & ad minima quæque ſuis diſciſſis fibris explicatum*, Preterea, ſi eundem conſulamus, *venæ omnes in flagella quadam tenuia deſinunt, quæ rurſus extenuata ſenſim in tenuiſſima capillamenta abeunt, & undiquę diſperſa, ad ſumma uſque cutis concedunt.* Itaque cum ipſa cutis tot, & tam denſas nervorum fibras habeat, cumque tantæ ſinț venarum illam intercurrentium ſummitates, quis negat has invicem non aptari, non connecti, non agglutinari? & ſi non primas, ſaltem ſecundas, ſi neque has, at tandem tertias: & ſi, neque rectas, ſolummodo obliquas aut tranſverſas, cum Galenus ipſe *in omnibus venis, occulta quadam ſpiracula, & mutuas cum arteriis ἀναςομώσεις* concedat. Et quid? ſi dicamus cutim non eſſe aliud quam fibras nerveas, atque venoſas, minutim diſciſſas, commixtas, & in cutis formam explanatas (*eſt enim cutis*) ſecundum Galenum *ſanguine præditus nervus*) quem haud abſimilem componendi modum, utpote ex fibris tam nerveis quam ligamentalibus, dum tendines efformaret, ſolers natura obſervavit;

obſervavit: itaque, & tunc abſque ulla hæſitantia mutuum vaſorum coitum conceſſerimus. De arteriis quidem, quod jam diximus minime certum eſt, cum eaſdem videamus non tam alte ad exteriores partes penetrare, ſed intro abſconditas evaneſcere. Itaque & *ad curtas partes eas haudquaquam accedere, neque vita perfundere quiſpiam exiſtimaverit, quamvis tamen id Galenus alibi concedat.* Sed neque, ut hoc fiat, apprime expedit, *cum tenuis ſit ſubſtantia ſanguinis vitalis, & ignea, quæ facile quocunque ſubit, & vim ſuam ſi non diſtantibus, ſaltem propinquis communicet.* Quod & ipſe Galenus multoties affirmat, & in corpore noſtro ipſum jecur, quod neque inſignes arterias obtinet, neque in totam ejus ſubſtantiam, quæ tamen vivit, diſperſas, inſpicientib. teſtatur. Sed id etiam de ſpiritu animali enuntiandum eſt, longe tenuiori, & penetrantiori: an id fieri nequit, quod vitali ſpiritu, qui ſemper unà fertur cum ſanguine multo tenuior ſit, & limpidior, & priuſquam accedat ad partes deſtinatas, diſſipetur? Nam vitalis vis, cùm denſiori ſanguinis corpore immoretur, uno ictu tranſpirare nequit: ille verò, quoniam rariſſimus eſt, & tenuiſſimus, niſi tunicarum obice cohibeatur, momento evaneſcit. An ſenſus ea ratione impertitur, ut terram à ſole illuſtrari contingit? Quæ vis neque ſi aer non affuerit, ut ſic ponamus, aut ſi perſpicacia ſua deſtituatur, terræ poteſt communicari: ita & in ſenſu ſi nervi non adſint, *quos aeri Galenus recte comparat*, aut ſi oppoſitum fuerit inter cerebrum, & partem eam, quæ cerebri influxum recipiat, aliquod obſtaculum, neque tunc ulla fiet ſenſatio aut facultatis animalis impreſſio. Sic enim abſciſſo nervo & obſtructo, vis ſenſitiva intercidit. Itaque neceſſario nervorum copia ut ſenſus poteſtas membris adveniat, tanquam aer ad excipiendum ſolis fulgorem expetitur, & ſi ſenſu gaudere partes reſtitutas concedimus, mutuum nervorum aut nervearum fibrarum in curtis refectis congreſſum fieri fatebimur: è contra verò arteriarum coalitum utpote ſupervacaneum, & à naturæ prudentia alienum expedire minime dicere cogemur. Aut ſi quis his ipſis, quæ à nobis dicta ſunt, non aſſentiatur cum eo, atque Hippocrate, in naturę admirationem abrepti facilè exclamare poſſumus, conſenſus unus, una conſpiratio, conſentientia omnia. Ut enim in hortorum irrigationibus, aut per occultos meatus, humor ipſe penetrat, aut abdita plantarum vi à longinquo etiam allicitur: ita, & in corpore noſtro tam ſentiendi, quàm vivendi & reficiendi materies per vias nobis incognitas demandantur, aut ordine quodam inveſtigabili, & inexplicabili à partibus adminiſtrantur. Cujus rei gratiâ naturam ipſam ſępiſſime benignam, optimam, ſapientem, divinam, divinus Hippocrates pronuntiat, & poteſtatem illius, bonitatem, & prudentiam illuſtribus, & pręclariſſimis laudum elogiis prædicat: atque ſic quomodo partes nuper inſitæ vivant, nutriantur, ſentiant ſatis ſuperque diximus. Jam accedamus ad ea, quæ nobis eorum ſymptomatum, quæ naribus refectis accidunt, rationem patefaciant. Sunt autem hęc ſenſus ignavia, color narium albicans, flacceſcentia, frigiditas, laxitas, livor, & rugoſitas. Sed omnia hęc ex virtute operationum, quę jam diximus, nempe vitalis, naturalis, animalis, non penitus quidem exhauſta, ſed admodum imminuta, pendere rectè dicimus. Etenim plurimum translationis vehementia, & inſolita partium ſedes, à genuina temperie, quæ præcipuum functionum naturæ inſtrumentum eſt, partes ipſas dejecit, quę tamen, cum vis ipſa deſævierit, & partes mutuam ex conſuetudine ſocietatem inierint, tandem aliquando redit, & in priſtinum vigorem reſtituitur. Hujus autem reſtitutionis, haud quaquam certa tempora definire poſſumus, cum in calidis temperamentis, iiſque tam humidis, quam ſiccis, ob copiam ſanguinis, & benignitatem, ocyus ad ingenium ſuum partes redeant: at in ſtatu corporum frigido vel humido vel ſicco ex humoris inclementia, tardius multo membra reviviſcant. Non tamen æquo paſſu jam dictæ virtutes accedunt, ſed earum alia prior, alia poſterior. Nam longo admodum poſt intervallo ſenſus ſupervenit, cum facultatis hujus ratio in exquiſita quadam qualitatum omnium ſymmetria conſiſtat, quæ & nutricis potentiæ ſubſidio reparanda, & diuturnâ conſortii morâ confirmanda eſt, quæque individuum comitem nempe vitæ noſtræ famulum ſecum affert. Non enim in eorum acceſſu quandam ordinis eminentiam obſervari par eſt creditu. Si quis tamen vitalem facultatem, eo quod ſanguinis tenuitate facilè ſeſe inſinuet, potentiam naturalem anteire aſſereret, id quidem exiguò ſpacio fieri exiſtimamus, & quo unà cum vita, & nutrimentum deferat. *Nam multoties vitalem ſanguinem, & præcipue Galenus alere docuit.* Modicum itaque fuerit, ut hæ virtutes invicem disjungi poſſint, cum tanta & tam inſignis nutritionis neceſſitas fuerit, ut partem eam emortuam eſſe dixeris, quæ aliquando, atque id perexiguum ſaltem ſpacium non nutriatur. Nam in continuo motu ipſa natura eſt, abſque interruptione, & ordine prior eſt cæteris potentiis omnibus, quæ hujus adminiculo, neque ad oculi nictum, vacare poſſunt. In curtis igitur partibus, quæ artis noſtræ beneficio reſtituuntur, primum natura, & vita viget, & cum ad integritatem horum influxu, & vigorem devenerint, tandem animalis virtus accedit, quæ cùm ſingularem mediocritatis apparatum expetebat, ſua munia prius explere haudquaquam poterat. Atque ex his ſymptomatum, quæ jamjam enarravimus, ratio facile pateſcit. Quod enim aut parum, aut prorſus nihil in primis nares ſentiant, ſed ignavia quadam torpeant, id accidit propter partium illarum immoderantiam ex operationis vehementis, cæteriſque jam dictis, concitatam. Reliqua omnia autem, tam in naturalis quam vitalis potentiæ labem referenda ſunt. Albet enim cutis, ob defectum ſanguinis, quem adeſſe aliàs, rubor certiſſimus index commonſtrat. Friget cutis qui calore, quia in ſanguine ſubſiſtit, haudquaquam fovetur. Flacceſcit eadem, laxatur, atque rugis contrahitur, quod alimentum non ſuppeditet: Aliàs exuto ingenio illo caudicis novercali felicius enutritæ partes quamprimum intumeſcunt, nitent, & ſoliдеſcunt. Livent etiam novæ nares ob caloris, & ſpiritûs penuriam, quorum vis intrò refugit, cum ob inſitum traducis frigus, tum propter partis illius raritatem, quæ quaſque aeris externi injurias facillime recipit. Sed ſymptoma hoc iis familiare eſt, quibus ante hyemem paulo nares reſtitutæ ſunt, & qui nulla integumenti cura adhibita ambientis iniquitatibus ſeſe expoſuerunt. Atque ex his unicuique licet cognoſcere, quæ ſit ratio nutritionis, vitæ, & ſenſûs, quibus novæ narium partes fruantur, quidque cauſæ ſit, ut accidant eæ naribus affectiones, nimirum livor, rugoſitas, flaccìditas & reliqua jam enarrata, quæ naribus jam reſtitutis, vel omnes vel potiori ex parte ſupervenire ſolent. Sed jamdiu in hoc æquore nobis prius incognito verſamur; tempus eſſe videtur, ut aliquando vela contrahamus, anchoras ejiciamus, ſaluti conſulamus, & robori, ut viribus *refectis*, quod reliquum eſt, itineris commodius conficere poſſimus, poſtquam, & medium fere itineris, ſuperavimus, & à longe littus ipſum, & portum jam expetitum aſpiciamus. Cum enim finis, & ſcopus operis noſtri ſit curtarum partium refectio, quæ in inſtrumentorum, & auxiliorum, quæ nos ad exitum perducant, ratione

inventis

inventis conſiſtat, atque horum facultas niſi ex partium ſtatu tam nativo quàm alieno, prętereà minime pateat, itaque diximus jam, quę ſit partium earum, quę arti huic ſubjiciantur, & nativa, & morboſa eſſentia: explicuimus quę ſint media, qui materię apparatus, unde petendus ſit, in qua quantitate eligendus, quomodo, & quando adminiſtrandus, atque, id an ſit cum exitio, an cum ſalute conjunctum, demonſtravimus. Non omiſimus etiam, quæ artis hujus origo fuerit, & quid alii ſentiant, quidque cum ratione, & experientia reſpondeat. Quibus omnibus hujuſce negotii contemplatio, tota mihi videtur abſoluta eſſe, atque id ſaltem reſtare, ut ad ipſum opus accedamus, & rationem, qua partes curtas reficiamus, verè, & ſecundum methodum tradamus, de quibus, Deo favente, vobiſcum libro ſequenti agetur fuſius.

GASPARIS TALIACOTII DE CURTORUM CHIRURGIA PER INSITIONEM

Liber Secundus,

QUI EST DE HUJUS ARTIS PRAXI.

Cap. I. *In quo ſcopus hujus libri, & ordo actionis, atque cum his univerſales agendorum intentiones traduntur.*

HActenus quæ ad artis noſtrę partem contemplativam ſpectare videbantur, ea ſatis ſuperque judicio meo jam tranſegimus: ſupereſt ut operi manum admoveamus, & de ipſa curtorum actione, qui ſcopus noſter eſt, ſermonem habeamus. Cùm ergo pauliſper ſubſtiterimus, vireſque jam refecerimus, agite ſolvemus anchoras, erigamus malum, antennam attrahamus, vela explicemus, & quod reliquum eſt itineris ſuperemus. Sed non ea maris eſt tranquillitas, non ea aëris ſerenitas, quę primum hoc æquor ingreſſis affulſit. Non enim de venuſtate aut utilitate partium diſputabimus, neque aliorum ſententias enarrabimus: non pręcepta exanguia condemus, aut ſubtilitates enodabimus: ſed cultros acuemus, acus, novaculas, ferrum parabimus: incidenda cutis eſt, partes amputandæ, membra convellenda, conflictandum cum dolore, cum moleſtiis, pugnandum cum gravibus ſymptomatis, & dura quævis, atque acerba nunc nobis perferenda ſunt. Non tamen iſthæc dicta volumus, ut rei difficultate propoſita, vel obice quodam interjecto ad artem noſtram acceſſum prohibeamus (id enim hominis eſſet invidi, & parum candidi) ſed ut ingenia oſcitantia excitemus, & manus ad actionem hanc promptiores reddamus: omnino verò ipſi temeritati, qua nihil pejus, aditum intercludamus. *Omnis enim actio*, ſecundùm Ciceronem, *negligentiâ, & temeritate vacare debet.* Neque ut ſuprà diximus, adeo verenda eſt hæc operatio, & evitanda, cùm multis actionib. chirurgicis longe clementior ſit atque benignior. Id igitur conſilium nobis eſt, ut eum, qui operabitur, neque cunctorum in rebus non adeo momentaneis, neque penitus intrepidum, & pręcipitem in negotiis haud plane contemnendis efficiamus. Ordinem eum obſervabimus, quem non natura rei, ſed actionis conſequutio nobis demonſtrabit, ne artifices paulo imperitiores confundantur: quamvis, & peritioribus illud facile poteſt imponere. Aliud enim eſt rem quamque in ocio perluſtrare, aliud actione ipſa experiri: & ſæpiſſime, quæ domi nobiſcum diu multumque verſavimus, ſi opus aggrediamur, ingenio excidunt, & quaſi non lecta fuerint, nequicquam conducunt. Itaque ſtudebo; ut actionis rationem ſic vobis proponam, ut ex ipſo libro, tanquam ad Theſei fila, opus aggredi, perſequi, perficere, & quaſi directorio, quod vocant, rectà, & nullis ambagibus circumducti eò, quò velitis, poſſitis pervenire. Primùm enim rerum apices, quos medicorum vulgus intentiones, ſcopos, actiones appellant, quib. omnis actio noſtra dirigitur, atque eos in genere ob oculos ponam: deinde univerſam corporis præcautionem, quod in omnibus ubicunq; methodica medendi ratio locum habet, obſervatur, inſtituam: poſtea ad particulares operationes accedam: & quæ earum primę fuerint, primo loco, quem ſecundę, ſecundo, quem tertię, tertio, quem ultimæ tandem ultimo, ea via & methodo, qua ego uſus ſum, nullo vel obliterato præſidio, quod negligentis eſt, vel ſuppreſſo, quod invidi eſt, integre, ingenue candideq; abſolvam, & finem dicendi faciam. Sed jam ad primum quod propoſuimus paulo ſupra accedo. Quare priuſquam rem ipſam aggrediamur, quod ſeriò circonſpiciendum non ſemel Galenus, ſed plus millibus in locis, atque unà cum eo univerſa medicorum reſpublica dictitat, ob oculos nobis ponendi ſunt fines agendorum, & rationes, ad quos omnis actio noſtra tanquam in ſcopum collimare debet. Ut enim nulla penitus actio, neque conſilium ſine apparatu inſtrumentorum peculiari conſiſtit: ita inſtrumenta inania, & ſupervacanea, niſi ab objecto, & fine operis tanquam navis ab Cynoſura dirigantur, & quo ſeſe operatio noſtra converti debeat, velut Heraclius lapis, demonſtrent. Aliàs ut in pelago ignoto ſine duce vagi oberrabimus, & cum tempore, niſi pejora fiant, & oleum, & operam profundemus. Veruntamen pręſidia hæc, ſive ſcopos, ſive intentiones dicas, non aliunde, petenda ſunt, quàm artificioſâ illâ arborum inſitione, cujus æmulam hanc noſtram chirurgiam ſuperiore libro diximus. Accedit tamen his auctariolum quoddam arti noſtræ proprium, & nativum. Quare ſi ordinem, quem ruſtica ſedulitas, in inſitione ſua obſervat, & aſpiciamus, & ſumma operis capita perſtringamus, ſimul etiam velut in diagrammate apices rerum, & ſcopos artis noſtræ ob oculos poſitos videbimus. Conſiſtere igitur videtur inſitio, ut ſuprà habuimus, in propaginis vel ſurculi electione, in arboris quæ inſeri debet præparatione, mox in recta ſurculi cum radice conjunctione, atq; in ſedula ad coalitum uſque conſervatione, tandem quæ extremum eſt hujus ruſticani operis in propaginis à matre antiqua reſciſſione. Sed ut clarius rem intelligamus, agite, exemplum quoddam hujus negotii ſubjiciamus, quod licet ſuperiori libro ſatis ſuperque explicaverimus, tamen neque hîc pręter rationẽ repetemus. Sed aſciſcamus hoc in loco ſuffragium Plinii, hominis in noſtra Repub. non poſtremæ autoritatis, qui hęc verba habet: *Eſt etiam nova inſerendi ratio Columellæ excogitata, qua vel diverſæ inſociabileſque naturæ arborum copulentur ut fici, atque oleæ. Juxta hanc ſeri ficum jubet, non ampliori intervallo, quàm ut contingi large poſſit, ramo oleæ quàm maximè ſequaci atque obedituro, eumque omni interim tempore edomari meditatione curvandi. Poſtea fico adepta vires (quod evenire trimæ, aut utique quinquenni ſolet) detruncata ſuperficie ipſumque deputatum, & ut dictum eſt, adraſo cacumine defigi in crure fici cuſtoditum vinculis, ne curvatura fugiat. Ita quadam propaginum inſitorumque temperamento triennio communi inter duas matres coaleſcere: quarto anno abſciſſum totum adoptantis eſſe.* In hac igitur oleæ cum ficu copula hæc præſertim opera requiri videntur, primum rami inſerendi ſelectio, deinde rami inſitio, poſthęc partium inſitarum uſque quo coaluerint cuſtodia, & demum rami firmiter adnati reſectio. Quæ omnia ſi ad chirurgiam ea methodo, qua tradita ſunt adaptaverimus, tunc ejus quoque partes indicaſſe exiſtima-

exiſtimabimus non equidem omnes, ſed primas, & ex agriculturæ arcanis deprompras. Nam, & artis ingenio huic operi, quod infrà videbitur, aliquid accedit. Olea itaque, & ficus, quæ inſeri debent arbores partib. curtis ac humero, præſertim in narium, & labiorum opera, at in auribus, regioni poſt aures ſimilitudine reſpondent. Ut ergo in illis prima cura eſt, ut ramulum, qui implantari debet ; ſeligamus, hîc prima conſilia in arte noſtra eò ſpectabunt, ut de traduce cute, quæ ex humero, aut è regione aurium educitur; cogitemus. His ſuccedit rami oleaginei in fici truncum inſitio, cui in hoc chirurgico negocio cutis traducis, vel cutaneæ propaginis in curtas partes ſive curta dixeris, immerſio, aut rectius implantatio æquiparanda eſt. Tertium autem operis ruſticani eſt, ut ramulus infixus jam, & incurvatus vinclorum operâ arcte conſtringatur, ne vel exiliat, vel quovis modo declinet, atque ut ad firmam unionem uſque conſervetur. Sic tertio nobis ſpectandum eſt, ut faſciis circumductis, & innodatis jam humero inſitæ partes illaqueentur, ne aliqua violentia aut divellantur membra, aut oblique, & diſtortè uniantur, quod eouſque ſedulò curandum eſt, donec partibus detruncatis cutaneus tradux, forti: & indiſſolubili nexu adhæſerit. Poſtrema tandem cura agricolis in reſciſſione jam inſiti rami vertitur, in qua totius operis ſumma conſiſtit, & ad umbilicum res deducta eſt, ſi novæ matri jam ſurculus inſueverit, & in alterius arboris ingenium abierit. Non tamen hæc meta eſt laboris noſtri, ſcilicet, ubi propaginem reſciderimus, ſed aliud quid ars noſtra machinatur majus, & in quo naturam ſuperari ab illa rectè quis contendat. Hoc enim loco ingenium naturæ deficit, & admiranda illa conformationis ſolertia, & prudentia elangueſcit: cui obtrectricari artem noſtram, utpote famulam illius integerrimam, & gratas ſuppetias afferre decet. Rudis enim illa, & indigeſta cutis moles, poſtquam ab humero avulſa fuerit, in formam partis reſectæ ducenda eſt, & genuinum illud narium vel labiorum exemplar exprimendum ut decor ſuus, & gravitas partibus detruncatis reſtituatur. Quo loci naturam accedere neutiquam poſſe, nullus certè dubitaverit, cui materiæ ratio ſaltem perſpecta eſt, quam non niſi puram, & ſedulò elaboratam, nec non peculiari imperio partibus ſingulis neque largius neque parcius dicatam eſſe, naturæ leges decernunt. Hinc monſtra ſæpiſſime contingunt, & abominandæ animalium conſpiciuntur facies, quod operi ſubjecta materies vel abundet, vel deficiat: vel quod manum naturæ artificioſam aut ſequi velit, aut quod aliena humoris ſubſtantia, & diſſentanea, nativam rerum perfectionem impediat. Conformationi autem narium artificioſæ illud poſtremum accedit, ut diligenti cura, & magna induſtria, jam confirmatas partes conſervemus, robur addamus, & ad conſtantiam perducamus, Ut enim natura non ſolùm ortui rerum, ſed conſervationi, earum ſtudet: ita neque profuerit hîc rem abſolviſſe, ſi opus, vix dum in lucem productum, quamprimum intereat. Operis enim imbecillitas rudem ſummopere, & imbecillis ingenii opificem oſtendit; & id in artibus tam laborioſis, & negotioſis, quàm liberalibus laudamus, ſi opera eximia fuerint atque conſtantia. Quis eum commendabit architectum, qui domum efficiat adeo infirmis fundamentis innixam, ut tecto vix impoſito, quamprimum corruat? Quis mercatorem prædicabit, qui corraſis tantâ curâ, & difficultate opibus, eas vel malitiâ, vel negligentiâ profundat? Quis leges, & arma laudibus extollet, ſi pacem, cujus miniſtri ſunt, concilient quidem, non itidem conſervent? Non enim rem quandam tueri, quàm acquirere, minor virtus eſt. Itaque, & in hac noſtra operatione ſtudebimus tandem ut partes novellas, & teneras, & propter labores exantlatos maximè imbecillas, ab omni ingruentium noxarum incommodo tueamur, augeamus, & confirmemus. A fine enim fere noſtrorum operum pendet commendatio. Et quamvis non cuncta rite, & ſecundùm modulum geſta fuerint, plurimum tamen ſi ultima recte procedant, primorum defectus, & error obvelatur. Sed quæ hactenus dicta ſunt, jam colligamus iterum brevibus, & in unum faſciculum congeramus. Prima artis cura eſt ut cutaneam propaginem paremus. Secundò ut eandem cum partibus curtis inſeramus. Deinde ut inſita invicem colligata uſque ad coalitûs tempus conſervemus. Poſtea ut ab ſede antiqua ſurculum reſecemus. Tunc ut partes novas efformemus. Tandem ut injurias ab iis arceamus, & opus jam perfectum ad conſtantiam perducamus. Atque hæc omnia ſenario comprehenduntur. De quibus in cęteris vobiſcùm eo ordine quo diximus integre, & perfecte, abſque dolo malo tandem ſermonem habebimus.

Cap. 2. *De univerſa corporum expiatione per ſingula medicinæ inſtrumenta.*

NVNC inſtituti ratio poſtularet, ut cutis traducis apparatum, quod primum eſt eorum, quæ ſeſe agenda offerunt, proponeremus, & omnia, quę huc ſpectare viſa eſſent, declararemus. Sed ab recto tramite nos parum abducit corporis, in quo excercenda eſt hæc chirurgia, expiatio, ejuſque ad commoderantiam quandam traductio. Nemo enim adeo exquiſite, & ſecundùm Geometriam vitam inſtituit, ut ibi & potus rerum ab natura noſtra longe diſtantium impreſſiones non ſentiat, & aëris circunflui cæterarumque, quas res non naturales medici vocant, injurias eludat. Ex qua vitę ratione adeo lubrica, & invitabili illud firmiſſimum pene axioma promanavit, in univerſa medicina ratione recta, experientia certa, & diuturno ævi judicio confirmatum, quod neglecta totius corporis ratione in partis cujuſdam, quæcunque tandem illa ſit, curationem haudquaquam liceat deſcendere. Secus qui egerit morbum conduplicat, non tollit; exaſperat, non delinit. Maximas enim offenſas partes ſubeunt, vel humorum colluvie irritata, vel benigna quadam redundante plethora, quæ naturâ ſuâ licet mitis ſit, & blanda, perſępe tamen inter initia ſævire conſuevit. Non tamen id promiſcue tentandum, ut quocunq; pacto corpus exinaniamus. Varia enim cauſæ æſtimatio, & variam curam efficit. Protinus ergo ubi ſe corpora exhibuerint quænam illa ſint, primò conſiderandum, cujusnam temperamenti, quis habitus: mox quamnam ætatis partem ingreſſi fuerint: adhæc quæ anni tempora, quæ tempeſtatis genera incurrant. Cuncta enim hęc eò reſpiciunt ut corpore quantum induſtria noſtra patitur perbelle expiato, opportunitatem tuti ac citi operis aſſequamur. Neque hoc pro re levi ac ſupervacanea ducendum eſt. Nam ſi negligentius hęc agantur, in operis decurſu turbas ingentes movent, plurimumque faceſſunt negocium, quamplura ſymptomata, eaque pergravia: & bene mehercle nobiſcum actum fuerit, ſi ſaltem ob hæc errata curtorum curam extrahamus, nec artem ipſam ob infelices ſucceſſus, turpi ignominia defœdemus, ſpatium enim, & curandi mora, ab operis fruſtratione longe diſſidet; habetq; ſuas utrumque moleſtias: hujus tamen injurię illius tædium multò præponderant. Nulli igitur temeritati aut confidentiæ vacandum, ne operi perniciem mala hæc aliquando accerſant, & artificis autoritatem unà cum artis dignitate non modò imminuant, ſed penitus conterant. Quare ſummopere monendi mihi fuerint chirurgi, ob artis præcipue novitatem, in qua, ut in

cæteris operibus medicis, calumniæ pro mercede ut plurimum ſunt paratiſſimæ. Vna enim inter alias hęc medicorum eſt infelicitas, ut non modo ægroti, quamuis delinquentes, ſemetipſos non incuſent, ſed omnem erroris culpam in medicos conjiciant. Quod cum eveniat, ubi probè artifex ſuo munere perfunctus eſt, quid tandem fiet cùm nonnihil in eo aut prudentiæ deſiderabitur? Acerrimâ igitur diligentiâ conandum eſt chirurgis hoc opus molientibus, ut ſinceritati corporum, & præſenti, & futuræ conſulant, atque omni ſtudio in id incumbant, ut ſin minus integra ſaltem, ut probe expiata corpora in operatione hac tractanda ſuſcipiant. Cæterùm ut hujus providentia ſummum complectatur (neque enim ea quę ad unum quemq; ſpectant ſingillatim pertractari poterunt) inter ea quæ ſuperiùs à nobis enumerantur temperamenti varietas, & corporis habitus perpendenda ſunt. Cæteris verò, ut ætate, anni tempore, cœli ſtatu atque adeo ipſa regione utendum, ut victûs atque auxiliorum rationes vel imminuant, vel adaugeant: non autem ut quid proprio, & primo agendum ſit per indicationes ut dicunt, ſignificent. Quicquid enim penes ægrum medici molimur, & victum, & auxilia includit. Sunt porro auxilia quæcunque morbis aut inſtantibus aut præſentibus opem ferendi gratiâ adhibentur, quæ in manuum opera, quam chirurgiam vocant, & medicaminum apparatu, quam pharmaciam appellant, conſiſtunt. Victûs autem ratio illud totum moderatur quod ægris peræque ac valentibus ex uſu eſt. Unde tres illæ medicinæ activę partes nempe diætetica, pharmaceutica, & chirurgica promanarunt, quæ lege non ita ſtabili atque certa cuiq; morbo peculiares ſunt, quin in quamplurimis etiam nullatenus conjunguntur. Sed temperierum ratio ſuperiùs quintuplex à nobis conſtituta fuit, quibus omnibus, & victu, & auxiliis inſtrumentis jam enarratis providebimus. Cùm autem, & habitum corporis ſpectare neceſſe ſit, itaque ſtudebimus, ut quos humorum malities occupaverit, & ad ingenium ſuum tranſduxerit, quos habitus cacochymos vulgò appellant, ea ratione, ut in cæteris, & quantum fieri poterit expurgemus. Non enim quæ jam in pravam naturam penitus abierint, uno ictu ad bonitatem transferri poſſunt. Nam conſuetudo, quę firmiores radices egerit difficulter evellitur. Videndum itaque ut non quid debeat, ſed quid fieri liceat agamus. Habitui pravo annectitur confine malum (nam id ſtatum corporis penitus transformare ſolet) nempe illa peſtis amatoria lues Gallica, quam non vulgaribus illis machinis, ſed arietibus deditâ operâ ad id confectis expugnabimus, quæ tamen ad capita, quę antea retulimus, adſcribi poſſunt. Cùm autem ſub hunc cenſum temperamentum illud εὔκρατον haud quaquam veniat, quod eum jam obtineat, quem deſideramus, humorum commenſum, agite à calido illo, & humido exordiamur, in quo duplex illud plethoræ genus facillime ſuboritur, nempe cùm ſucci ex ęquo in venis redundant: vel cùm integer ac purus ſanguis reliquos in permixtione ſuccos vincit magnopere, ut venæ benignâ humoris affluentiâ turgeſcentes quoquo verſum diſtendantur. Ne autem in propaginis apparatu humor hic moleſtias excitet, aut affluxu nimio, aut profuſione immoderata atque adeo inflammatione, id cavebimus certè unico illo ac peculiari remedio, larga ſcilicet, & liberali ſanguinis miſſione, ſectâ venâ jecorariâ, quæ & recto tramite, & affatim, ex ipſis cordis, & hepatis fontibus ſanguinem effundit. Nam præter ſublatæ plethoræ emolumentum, aliud etiam conſequimur bonum, ut nimirum attemperatis venis, & viſceribus, atque adeo retuſo ſanguinis fervore, omnes in corpore functiones feliciùs proveniant. Porrò ſectionem venæ ſubſequitur victûs ratio accommodata, & opportuna. Hæc tenuis eſſe debet, ſi quantitatem reſpiciamus, aut parcitati quam proxima. At ſi qualitatem conſideremus ab humiditate ad ſiccum declinet modicè, eo tamen moderamine, ne ampliori, quàm par eſt exiccatione proventum bilis adaugeamus. Cuncta ergo, quæ ad res, quas vocant non naturales ſpectant, ea æquitate adminiſtrare oportet, ut ſanguinis luxuriem remorentur, humiditatem verò, quadantenus abſumant, modo id parcè, & juſtè fiat. Quibus verò rationibus jam dicta expleamus, id dixiſſe non neceſſarium duximus; cùm unicuique mediocriter quidem in artis officiis inſtructo pateant: ſatiſque eſſe putavimus jam ſummas rerum, & apices tradidiſſe. Pharmaciæ hic nullus locus eſt. Non enim modo ſupervacanea eſt, & inanis, ſed corporibus hiſce prorſus inimica, cùm non purgentur, ſed colliquentur id generis corpora, ſi quod infra dejiciat, medicamentum aſſumpſerint. Namque cùm occulta naturæ ſympathia aut pituitam, aut aquoſa ſuperflua, aut bilem utramque attrahant, quare ſi illi ſucci defecerint, nec habeat, in quod vires ſuas pharmacum exerceat, caliditatis ſuæ impetu unà cum carnibus fundunt, & colliquant ſanguinem & protinus vertigines, & tormina ingentia excitant. Hujus rei teſtes locupletiſſimos Hippocratem, Galenumque Medicinæ principes habemus. Cui corporis ſtatui proxima eſt temperies calida, & ſicca quam vulgo biliòſam vocant, jecore, & corde, & mox cæteris viſceribus calore, & ſiccitate æſtuantibus. Hoc pertimeſcamus plurimum, niſi efferam ejus vim, & indomitam quaſi rabiem mitigemus. Primò itaque conſultum eſt, ut ventrem ac primas venas eluamus, idque tentandum leni pharmaco; ne magis magiſque ex cominotione bilem accendamus. Opportuna eſt caſſiæ pulpa ad ℥. j. ß. vel electuar. lenitivum. Potiones ubi placuerint ſunt ſyr. roſ. ſolut. ſyr. violat. ſolut. alterutrò ad ℥. v. vel decocto cordiali, vel aquis refrigerantibus diluto. Commodiores fuerint, niſi ex herbis ipſis parentur decocta, oxalidis aqua, ſonchi, endiv. borag. & id generis alia. Quibus ſi tamarindorum pulpam vel prunorum infundamus, ſuaviuſculæ fient potiones atque adeo leniores, & quæ in hiſce temperamentis, etiam levi de cauſa efferventibus, multò tutiùs adminiſtrantur. Alvo ſubducta, bilioſam colluviem, ſimulque ejuſdem ſeroſitatem, quæ majores venas occupant, auxiliis peculiaribus, & quæ eorum vim reſpiciant, attemperare oportet, quo pharmaco ſeſe edúcturo magis obtemperent. Præſtabunt hæc ſerapia ex ſucco endiv. ex ſucco oxalid. cichor. oxyſacc. ſimplex & alia permulta, quæ diluantur vel decoctis herbarum ac ſeminum: vel aquis ad ea deſtinatis, ut ſunt oxalidis, endiv. capill. Veneris, roſ. cich. cicer. ſonchi, cum reliquis. Interea præparationis jecorariam venam aperiamus, ſanguinem educamus, circumſpecto tamen virium robore, & ætate, ac reliquis auxilia medica moderantibus. Quarta verò vel ſexta die ab venæ ſectione, univerſum corpus pharmaco expurgandum eſt, atque id, quàm priùs validiori. Talia ſunt elect. cathol. diaprunis ſolut. admixto, vel elect. ex ſucco roſ. vel roſ. Meſues, horum quæ poſterius adjecta ſunt, rhabar. maturi pollen vires ſuſtinet. Sin diluta magis arrideant manna cum rhabar. opportuna fuerit: vel decoctum ex pulpa tamarind. myrobal. citrinor. cum rhabarbaro per noctem infuſum. Interim tamen victûs ratio accommoda ſit, quæ incrementum bilis arceat, & omnem jecoris æſtum demulceat. Res igitur omnes non naturales ad frigiditatem, & humiditatem inclinabunt.

Vinum album probatur, & tenue. Probatur priſanæ cremor, & ſeminum peponum; fercula ex oryza, ex cucurbita. Hæc ſuccum generant viſcidulum, nec ita promptè fluxilem, cui rei maximoperè ſtudere oportet. Carnes ſint vitulinæ, hœdinæ, pullorum elixæ, non aſſæ. Humor enim illis permiſtus calorem quodammodo reprimit, ac ſiccitatis impetum ſuſtinet. Piſces ſint ſaxatiles. Acetaria ex borag. endiv. cichor. oxal. Et pro temporis ratione ficus, uvæ penſiles, pruna damaſcena, pepones. Non reſpuimus pyra, ſed cocta, neque poma. Caveant verò ſibi ægri ab vigiliis, curis, & animi moleſtiis, venere præſertim, quæ licet exiccet & refrigeret, effœtum tamen corpus, & vires imbecillas exhibet, quarum conſervatio, tanquam theſauri pretioſi, non negligenda eſt. Interim alvus, ſi ſubſiſtat, paſſulis proritabitur, ſeu clyſmis lenientibus. Alioquin pigra, & ignava, venarum ac jecoris incendium ſuſcitabit, cùm quòd vapores retorridi eleventur, cùm etiam quòd excrementum illud bilioſum in venas regurgitet; quo velut calcari ad excitandam facultatem propultricem; atque ad detergenda à ſordibus ventris ſpacia, ſolers natura abutitur. His tertium in ordine temperamentum ſuccedit, frigidum æquè ac humidum, quod omni ingenio, ob impuriſſimam humorum colluviem, & per quam diligenter eluendum eſt. Initium curationis ab ventriculo eſt tanquam à gurgite, & ſentina hujus recrementi, ſenſim tamen, ac quàm fieri poterit, blandè. Inter ſolida hiera eſt cum ſpeciebus, elect. hieræ cum polline trochiſcorum ex agarico. Potiones commendabunt mel. roſ. ſolut. & cathol. ex decocto cymarum abſynthii. Caſſiæ pulpam quod alii neſcio quo conſilio faciunt, non approbo. Non enim minus, ac aniſis, & coriandris aſperſis, in hoc ſtomachi ſtatu flatus excitat; ac ingentia ſæpius tormina, præſertim ſi corpora his obnoxia fuerint. Si qui tamen paulò firmiores ſint, illud caſſiæ extractum ad ℥j. cum 2. aut 3. elect. ex hiera picra, aut cum polline ejuſdem hieræ ad ʒjß. multò tutiùs devorabunt. Hoc abſoluto phlegma præparandum eſt, & viſcerum infarctus, quos materiæ lentor & craſſities generavit, expediundi. Ita enim vel uno vel altero pharmaco, pituitoſæ ſordes eluentur. Conveniunt igitur oxymel. ſyr. de beton. mel roſ. zuccar. ſyr. byzant. ex quinque radicibus, & omninò quæ lentorem incidere, craſſitiem extenuare, & viſceribus incruſtatum humorem norunt abradere. Quorum menſura ſit ad tria cochlearia. Hæc vel decocto betonicæ ſi placebit, vel abſinthii, mentæ, origani, ſtœchados, jure paſſul. vel aquis eorumdem dilui poterunt. Poſt hæc pharmaca, propinentur, & quadantenus valentiora, ut mel. roſ. cum modico diaphœnic. elect. cathol. cum diacartami ſemiuncia: vel infuſio agar. trochiſcati ex oxymelite. Ab horum conſortio non ſummoveo rhabarbarum. Nam pituitam crudam, & aquoſam probè elicit. Pilulæ octavo ſeu decimo quoquo die exhiberi poterunt. Nam, ut diximus, hoc humoris ſæpe expurgandum eſt. Tales ſunt ex hiera cum agar. de tribus cum rhabarb. cocchiæ, & ſi dolores articulos afficiant, ex hermodactylis: aut ſi libuerit, quæ his magis valeant. Maximè enim ſtudendum enim horum corporum munditiei. Neque interim ceſſandum, quin ventriculum oleis vel ceratis, ut robur ſibi addatur, & quàm liberaliter foveamus. Ab phlebotomia abſtinendum eſt, niſi vel ætas, vel anni tempus id nobis perſuadeat. Sit autem parca, utpote frigido corpori, & præcipuè ventriculo inimica. Ab hinc viſcerum frigiditas attemperanda, & uligo illa conficienda eſt electuariis, & trochiſcis. Talia ſunt diagalanga, rotulæ ex aromatis Galeni, theriaca ſeu Mithridatus ad ʒj. alternis diebus exhibita: ut & elect. ex beton. major. cichor. additis ſimplicibus ſpeciebus, & reformatis vel ſyr. de corticibus citri, vel ſyr. ſtœchados. Videndum præterea ne aliquis in victu error obrepat. Quare cœlum humidum vitandum eſt, & frigidum. Carnibus utendum euchymis, iiſque aſſis potiùs, quàm elixis, quas aromatibus condiri non fuerit abſonum. Piſces ablegantur qualeſcunque, præter ſaxatiles. Et ut brevitati conſulamus, dejiciantur omnia, quæcumque craſſum aut lentum humorem progenerant. Cujus cenſus ſunt caro bubula, ſuilla, agnina, vervecina, pedes, & cætera extrema animalium, caſeus, lac, fructus horarii, & hujus generis alia. Vinum concedimus generoſum. Nam ventriculi vires ὀλιγόφορα vina dejiciunt. Eo parciùs utendum: imò licet ſitiat, ab hoc tamen æger quandoque abſtineat. Siti enim per calorem interius accenſa, velut terræ humor à ſole, ita omnis ſuperflua uligo conſumitur. Nec cibum ad ſatietatem uſque aſſumere oportet, & ſi fieri poterit, quandoque à cœna abſtinere. Venus, ſi quid aliud, pernicioſa eſt. Motus, & corporis exercitatio juvabit, ſi non à cibo ſtatim, quæ maximè noxium eſt, ſed manè, ad ſudoris uſque eruptionem fiat. Atque hæc de temperamento frigido, & humido unde ad ultimum noſmet conferimus. Eadem ergò præcautionis ratio, quam ſuprà de cæteris habuimus, ineunda eſt. Quare alvum quamprimùm ſubducamus elect. diaſenæ ad ʒvj. ſyr. de polypodio, ſero ex infuſo fol. ſenæ, & paſſulari decocto. Poſtridie ſerapia propinanda ſunt; qualia ſunt de ſucco borag. de lupulis, fumaria cum aquis eo deſtinatis, aut decoctis. Aquæ illæ ſunt, ex borag. meliſſophyllo, callitricho, glycyrrhiza, paſſulis, aſpleno, cæteriſque ejus generis permultis. Pharmacum autem fuerit ex conf. hamech. ex dedocto myrobal. Indorum, ex infuſione fol. ſenæ, ex ſyr. de epithymo, aut polypodio. Præſtabit etiam quandoque pilulas exhibere de lapide cyaneo, de fumaria. Venæ ſectio ex uſu erit, niſi ætas, & anni tempus obſtiterit, cum ſanguinis effluvio non largo. Ea ſit jecoraria aut quam vulgò vocant, ſalvatella ſiniſtra. Harum vicem hirudines ſupplebunt ani venis applicatæ, & præcipuè ubi vel anni tempus ſectionem venæ diſſuaſerit, vel natura expellendis ſuperfluis per eas partes inſueverit. Verumtamen ſi corpora ægrotantium horum, ut aſſolent, tenuia fuerint, & exanguia, tollenda erit macies, aut ex parte corrigenda potu lactis vel caprini, vel bubuli, vel aſinini ad multos dies, quouſque partes alimentum ſentiant, & recreatæ in molem leviter attollantur. Sic viſcerum intemperiem hæc electuaria emendabunt, nempe ex borag. ex bugloſſ. ex violis admiſtis pulviſculis, qui idem præſtare valeant. Interim ſtrenuo victu cavendum eſt, ne humore melancholico corpora demum repleantur. Itaque omnis diæta humectationem ſpectabit. Proderunt ergò carnes vitulinæ, vervecinæ, pullorum, avium parvarum, & ſi quę alię carnes fuerint euchymæ, elixę potiùs quàm aſſatę. Parentur acetaria ex borag. ex capparibus arcto paſſulato. Coquantur poma, pyra, vaſe duplici, zuccaro aſperſa. Potus vinum eſto album, ſubdulce. Rejiciendum eſt craſſum, nigrum atque dulce. Hoc enim vini genus flatus movet, & cum difficultate in nutrimentum abit, ſimulque id viſcus afficit, quod alias in melancholicis perrarò ſuo munere fungitur. Curet æger, ut dormiat: (ſomnus enim humectat) curas ſimul, & ſollicitudines ex animo abigat, & hilarem jucundamque vitam vivat. Venerem autem, velut anguem fugiat, quæ corpus reddit exuccum; & nativæ caliditatis, ſpirituſque plurimùm exhaurit. Hoc pacto igitur inſtruenda ſunt, & dedolanda corpora, ſi quæ à moderata illa, & omnium exactiſſima

corporum conſtitutione defecerint, priuſquam ad alias operationes nobis propoſitas deſcendamus. Superſunt tamen adhuc, & alii duo corporum ſtatus, de quibus nunc paucis agendum, quorum alter cacochymus eſt, alter Gallica ſcabie infectus. Corpora igitur cacochyma, quamvis procul hinc ab opere noſtro exulare debeant, utpote ob humorum pernitiem ineptiſſima, cùm tamen medicina in omnium uſum à Deo opt. maximo creata ſit, & boni viri ſit, ſuam nemini denegare operam, & humanæ ſortis meminiſſe, quapropter non aſpernabimur talia corpora, ſed quovis modo auxilium cum arte noſtra afferemus. Adhibenda autem eſt diligentia, ut in cæteris, ita in una univerſi corporis expiatione. Pravi enim illi humores, & maligni cætera certè inducunt ſymptomata, dum propaginem vel ſecernimus, vel inſerimus, excitatis ulceribus adeò gravibus ut omnem partium coalitum interrumpant. Quare propinanda ſunt pharmaca, eaque bis terve repetita, præmiſſis tamen, ut aiunt præmittendis, & interpoſito aliquot dierum ſpatio, ut ſenſim impuritatem hanc & blande educamus, malitiam utut poterit, tollamus, & quod inſtat, periculi metum imminuamus. Non enim una dejectione hanc camerinam extirpabimus. Quæcunque diuturno uſu confirmata ſunt, non tam facilè atque uno impetu poſſunt corrigi. Præſcribentur verò pharmaca ex peccantis natura humoris petita, qui & phlegmaticus, & melancholicus, & bilioſus eſſe ſolet, aliquando quidem per ſe, quandoque verò invicem permiſtus. Itaque paranda erunt medicamina vel ſimplicis, vel juſtæ facultatis, prout humorum ratio nos edocebit. Quæ cum ex ſuperioribus abundè pateant, ab eorum enarratione ſuperſedemus. Interim tamen æger commodo cibandus eſt, ſelectis ad hoc negotium cibis, quàm maximè euchymis, & qui non facilè corrumpantur. Nam ſi qui talis exhibeatur, quamprimum pravæ illi colluviei permiſtus, contagione quadam in alienam, corporique inimicam ſubſtantiam convertitur. Sed id noſtra ſedulitas vix aut nullatenus præſtabit. Jactis enim fundamentis, iiſque pervalidis, hæc humorum noxa funditus tolli nequit; & ſemper quod putrido conjungitur idem etiam putreſcere neceſſum eſt. Enitendum tamen, ut quoad licuerit, ſedulo, & omni cura illa corpora expiemus, nec noſtro deſimus muneri. Coctiones adjuvandæ ſunt, & promovendæ. Ut enim omnium vitiorum concoctio correctrix eſt, ita cruditas univerſæ ſalutis noſtræ deſtrutrix. Id autem præſtabimus tam intro quàm foris adhibitis auxiliis, electuariis, nempe, pilulis, trochiſcis, perfuſionibus, inunctionibus, fomentis, ceratis, cæteriſque ejus generis quorum ſylvam ne nimis prolixi ſimus, aliunde oportet petere. Id tamen ſerio conſulimus ut præcipue ad iecur animum adhibeatis, quo nil ad obſtructiones aptius eſt, & quod in cacochymis ferè ſemper afficitur. Si qua igitur infarctum ſit humoribus lentis atque craſſis, itaque obſtructiones amovebimus bolis, & trochiſcis ex eupatorio, ex rhabarbaro, ex abſinthio, dialacca, diatrium ſantal. aliiſque quamplurimis, quæ & obſtructa reſerant, & non mediocre jecori robur conciliant. Atque hæc ratio ſit inprimis obſervanda, ſi quoddam corpus, cujus jam meminimus, ad manus noſtras devenerit. Alterum autem eſt, quod ex lue Gallica quandam labem contraxit. Hoc mali genus quanto eſt ſæviſſimum, tanto cæteris eſt peſſimum, cum ex maligna, & venenata qualitate originem duxerit. Protinus ergo ubi corpora hac contagione inquinata ſeſe obtulerint, æſtimare ante omnia oportet morbi vires, & ætatem, ut rabie ejus, & immanitate vel edomita, vel quadantenus delinita hæc corpora tutius contrectare poſſimus. Eſt enim cum nuper vitium contractum ſit mali labes in ſpiritibus, & humoribus leviter ſaltem atque in ſuperficie affectis carnibus, ideoque multo benignior & maculis puſtuliſque hinc inde erumpentibus haud difficulter innoteſcit. Quod malum, tanquam recens natum, jugulare licet protinus in ipſis incunabulis, niſi corporis affecti habitus aut viſcerum & præcipue jecoris ſtatus atque temperies repugnet. Symptomata itaque diligenter inveſtiganda ſunt, & pernoſcenda tam ab ægris, quam ab aliis: quam diu ægrum afflixerint, & quiſnam illorum cumulus ſit, & congeries. Nam ex horum cognitione omnis cura inſtituenda eſt. Quod ſi penitius venenum irrepſerit, & prætcrlapſo principio malum inveteraverit, quod oſſium caries aliarumque partium exeſio patefaciet, id ſolum conſilii ſupereſt, ut furore repreſſo morbum mitigemus, ne virus excandeſcens aut in propaginem ſeſe effundat, ut ulcera chironia, & maligna circa aream atque ſurculum exſuſcitet. Quatuor ergo ante menſes inſtituenda hujus mali eſt curatio, & ea in primis adhibenda, quę univerſi corporis ſaluti conſulant, eluendo primas vias, humores digerendo, eos evacuando, cum pharmacis, cum phlebotomia, obſervatis tamen iis quæ recta ratio, & experientia omnium Medicorum aſſenſu confirmata nobis perſcribunt. Arripienda poſt hęc, & vibranda ea tela ſunt, quibus ſolis hoc malum ſi non conficere, at vires illius non mediocriter labefactare datum eſt. Tale eſt ligni guajaci decoctum, vel per ſe vel cum ſarſa parilla: provocato interim ſudore, & eo victu propoſito, quem mali natura, & ſubſtantia nobis inſinuaverit. Quæ omnia ex ſuis locis petenda ſunt. Non enim diutius hîc immorabimur, quæ felicius alibi dicta ſunt, & commodius huc transferri poſſunt. Nec faſtidio legentibus eſſe velim, quos ad ipſam rem protinus accedere, & in artis noſtræ ſacraria introducere quamprimum expedit. Illud tamen dixerim, ut vinum aliquod, cum guajaco paratum ſit, quod tam in prandio, quam in cœna propinemus. Non enim conducet modò ſed & decocti illius vicem feret, quod aliis exhiberi in more poſitum eſt, tanto quidem convenientius, quanto id naturæ gratius eſt, & medicamenti vires ſubeunt, atque in medullas uſque penetrant. Hanc igitur rationem inibimus, hanc methodum inſequemur, quamprimum noſtræ curæ corpora quædam concredita ſint, in quibus hanc artem noſtram exercere integrum eſt. Etenim proſpiciendum primo, & in id ſedulo enitendum eſt, ut corpora non impura, ſed defœcata, & omnis labis expertia recipiamus, quod quantum utilitatis habeat, is facile cognoverit cui perſpecta ſit earum affectionum varietas, & copia, quæ corporibus cacochymis, & pravis quandoque irritatis, quotidie contingere experimur.

Cap. 3. *Enumeratio eorum, quæ pro cutis propaginis delineatione neceſſaria ſunt, ac omnis ſupellectilis apparatus.*

QUoniam hucuſque de corporum expiatione diſſeruimus, quo ſalubriora, utut fieri poterit huic chirurgico negocio ſubjiciantur, jam operi inſiſtendum & de apparatu cutis traducis, ſive cutaneæ popaginis, quæ operis noſtri materies exiſtit, cogitandum eſt. Hic enim ſtatuitur carcer, à quo in opus, non ſecus ac in metam ſibi propoſitam artifex excurrit. Priuſquam tamen de operis adminiſtratione loquamur, ante omnia, quæ ad opus præſtandum neceſſaria ſunt, ſigillatim enumerare

enumerare convenit, ut edoceantur chirurgi, quo rerum apparatu, & ſupellectili inſtructos eſſe deceat, cum primam hanc cutis traducis delineationem aggrediuntur. His enim perſpectis, & rite digeſtis, pro dignitate negocium adminiſtrabunt, & ſummota planè omni confuſione cujuſvis erroris, qui ſubinde poteſt intercurrere, anſam præcident. Eorum autem, quorum delectus habendus eſt, vel artificem reſpiciunt, vel ægri vulnus. Et quæ ad artificem ſpectant miniſtri ſunt, & coadjutores. Nequit enim unus ſoluſque artifex hujuſcemodi præſtandi operi ſufficere, cùm ſanè multa peragenda ſunt, & eodem prorſus tempore quæ aliorum operam, & ſubſidium deſiderant. Neceſſarii itaque ſunt chirurgo miniſtri ſaltem duo, qui non ſolum corporis ac manuum agilitate prompti, ſed & oculis vigilantiſſimis illi jugiter aſſiſtant, & mandata ejus exequantur. In his vel ſcientia vel peritia hujuſce chirurgiæ neceſſaria exiſtit, aut ſumma omnino prudentia, & acerrima diligentia. Etenim operâ eorum non modò chirurgus indiget in medicamentorum præparatione, ſed etiam in diſſectione, faciundâ, in deligatione delineatæ propaginis, ac demum in ejuſdem cum partibus curtis inſitione, quod unum opus cæteris in hac chirurgia præſtanda neceſſariis difficultate longe admodum præſtat. Seligat itaque artifex, niſi doctrinâ peritos, ac uſu dociles habuerit, quos mente, ſenſibus, & corporis dexteritate vigere animadverterit, ac ſi rudes illi contingant, ſubinde ante operis adminiſtrationem edoceat, de iis omnibus, quæ in hac operatione præſtanda veniunt. Ita enim promptiores ad famulitium reddentur, habebitque eos ad nutus ſuos, quoſcunque etiam, maximè ſequaces, & longè obedientiſſimos. Intereſt præterea, & loci opportunitatem ſeligere, in quo facienda ſit operatio, quemadmodum & lectuli in quo æger decumbat, & eorum, quæ huc pertinent, diligenter rationem habere. Non enim minimum refert quis lucis modus ſit, quis ejus poſitus & qualia pulvinaria obtingant. Horum omnium neceſſitatem infrà aperiemus: nunc de loco parumper tranſigamus. Cubile profectò pro temporis ratione ipſius adminiſtrationis, primas nanciſcitur, nunquid vel ad orientem æſtivum vel brumalem, vel in auſtrum, vel in oppoſitam ſibi boreæ regionem converſum eſſe debeat pro temporis, inquam ratione, in quo hæc chirurgia peragetur. Quod tamen, quemadmodum, & regionis, & loci ſitum, humilis ne ſit, an celſus, num caliginoſus, an ventis perflatus, jam recenſere omittimus, ſed id generis ſtudia quemadmodum quoque alia permulta, non ignaro, & imperito chirurgo committimus, atque ad ea tantum definienda accedimus, quæ propius artem attingunt, ac præ omnibus magis neceſſaria ſunt. Nam de omnibus ſingillatim diſſerere ſupervacaneum nimis, & operoſum eſt. Primùm itaque cubile ipſum, in quo lectulus ægro ſtatuetur, ſplendens ſit, & clariſſimo lumine illuſtratum, cum id genus operis ſummum luminis nitorem requirat, quo ſingula, quæ ſane permulta ac varia ſunt, ſub oculis chirurgi, & miniſtrorum facilè eſſe poſſint. Exigit autem nitorem lucis præſertim una cutis propaginis delineatio, in quo opere præſtando, omni ingenio cujuſvis erroris anſam oportet præcidere. Nam undecunque quis tandem ille, quantuſve fuerit irrevocabilis plane eſſe conſuevit, aut ſaltem eas difficultates ſecum advehit, ut eundem ad æquitatem revocare arduum nimis, & operoſum exiſtat. Utcunque enim cereis accenſis tractari poſſunt cætera, una tamen propaginis delineatio lucis ſplendorem expoſtulat. Non enim miniſtri qui propriis detinentur muniis, in cereorum uſus revocandi ſunt, nec alii accerſendi, quorum ad minimum duo eſſe debent, (cum enim bini cerei ſint huic muneri obeundo, unus nequaquam ſuffecerit) qui miniſtris, & chirurgo quàm proximè aſſideant, & eos hac de cauſa loci anguſtias includant, agenteſque impediant. Quod quàm iniquum planeque incommodum ſit, unuſquiſque per ſe videt. Nam oculorum aciem candela ſcintillans, & exuſti fungi non minimum perſtringunt. Præceptum itaque illud maxime ſervetur conſtans, & opportunum, ut clariſſimo aëris lumine, ſemotâ perinde omni aſſidentium turbâ, opus ipſum adminiſtremus. Qua de cauſa feneſtram late patentem lectulus proxime habeat, vel non longe diſſitam, ac omnino faciei ægri decumbentis adverſam. Lectulus etiam parte ejus ſuperna atq; adeo ad ipſa latera, à parietibus longo intervallo ſejungatur, quo circa illum, & chirurgus, & miniſtri nullis anguſtiis præpediti, hinc inde diſcurrere, & circumobire poſſint, ea pertractaturi, quæ ex uſu fuerint. Lectulum pulvinaria excipiunt, quorum uſus perneceſſarius exiſtit, cùm in cutis propaginis delineatione, tum pro manu ſuſtinenda, quod ſuo loco docebimus. Interim tria parentur, quorum rationem conſuetudo definiet, & unum puſillum ad manum componendam. Hæc lanea ſint, vel ex tomento leniori. Quæ enim plumis impacta ſunt, ſubinde incaleſcunt, & quod mollia ſint, promptè cedunt, quorum utrumque; maximè incommodum eſt. Nil enim pejus eſt, quàm ſi partes vulneratæ incaleant, & quod ab initio cavendum eſt, humoribus affluentibus diſtendantur, aut ſi, quod opus eſt, dum brachium fulcimus, id novis motibus concutiamus. Interim verò chirurgum commonefacere oportet, quo pacto brachium ægri collocari deceat. Id brevibus tranſigemus, tam ratione ipſa quàm diutina experientia & uſu edocti, & ab omni diſputatione, quæ non anguſta nobis aperitur, ſuperſedebimus. Cenſemus itaque, & longe aptiſſimum eſſe exiſtimamus, ut æger in lectulo decumbat, quod & ex ſuperioribus collegiſſe haud difficile fuerit. Utcumque enim in ſedili ægro compoſito, propter luminis ſplendorem, quod unicum eſt emolumentum, hoc opus tractari poſſit, hæc tamen vel ob ſitum vel ob motum poſt diſſectionem neceſſarium, cùm ægrum omnino decumbere oporteat, moleſta nimis, & importuna ſedente ægro, delineandæ propaginis adminiſtratio contingit. Primùm enim dum ægrotus ſedet, miniſtro indiget, qui cubitum, ulnamque ſuſtineat, & brachium ſtabile planè, & immotum reddat. Nam leviſſima quæque mutatio, dum diſſecamus, plurimorum malorum autor eſſe poteſt. Sed laborioſum eſt ac planè impoſſibile, eo metro, quo convenit, & regulâ partes continere, quando vel ingruente ferri acie, ob dolorem, percellatur æger, & quomodocunque tandem conſtrinxeris brachium contrahat. Has igitur difficultates in lectulo omnes effugimus, ſi univerſo corpore rite compoſito in pulvillos reclinemus humerum, quàm ſi in ſedili collocato diſſectionem moliamur. Quamvis autem incommodis hiſce aliquo ingenio poſſimus occurrere, vel ſcamno quod ſubſtratis pulvinaribus, quàm blande brachium excipiat: vel cathedra id generis in hunc uſum fabrefacta, inepta tamen, & metus plena videtur hæc ſedente ægro adminiſtratio, quam dico ab ipſa diſſectione motus excipit. Nemo enim non novit confeſtim atque brachium inciſum ſit, ægrum debere decumbere, & tam corpore quàm potiſſimum ipſo brachio quieſcere, ne ex motu humores concitati ad offenſas partes provolvantur, & præcipue tunc cum ab inciſione jam perpetrata quaſi efferveſcant. Sæpe enim parvis initiis ingentia

ingentia mala orta ſunt, & exigua ſcintilla maximum incendium quandoque peperit. Propterea quàm lenis etiam deambulatio, ſive geſtatio illa fuerit, dum in lectulum ægrotus ex ſedili feratur, quàm maximò jure etiam nobis ſuſpecta eſt. Dum enim æger lectum adeat conſcendatque utcunque parvo intervallo diremptum, non poteſt non aliquantiſper brachium moveri, & vulnus intorqueri unde vel ſyncope, ubi ſtomachi imbecillitas adfuerit, vel ob ſenſuum mollitiem, panicus quidam terror, & corporis ſtupor hominem corripiat. Sic neque geſtatio, ſi deambulationi parcemus, opportuna magis, & utilior eſſe poterit. Non enim adeo exquiſita, & omnibus numeris abſoluta eſſe queat, quin ſemper ob aliquas offenſiones, quantumvis leves, periclitemur. Satius itaque fuerit cùm poſitûs, cùm ipſius motûs ratione ægrum in lectulo decumbentem incidere quàm eo in ſedili compoſito illas ſubire difficultates, quas jam diximus, præcipuè verò cùm placidiſſima etiam motio, ſtatim ab inciſione facta, humores commoveat, & fluxioni aptiores reddat, quod unum maximâ præſertim curâ, indefeſſoque ſtudio, ac perplurium horarum ſpatio ſedulo cavendum eſt. Sed hactenus ferè omnia, quæ ad chirurgum ſpectant meo judicio perſtrinximus; nùnc verò de illis, quæ ægro, ſeu propàgini delineandæ conveniunt, agendum relinquitur. Horum alia ſi rei naturam introſpiciamus, antequam aggrediaris opus, peragenda ſunt, alia in opere, alia autem eo jam confecto. Inter ea quæ opus præcedunt, illud eſt, atque principium, ut quantâ poterit ſolertâ, & conatu videamus, quo pacto nobis ſanguinis fluor reprimendus, ejuſque impetus inhibendus ſit, ſimul atque primo cutim inciderimus. Quamvis enim ſolam cutim cæteris partibus illæſis, ſecando vulneremus, ne tamen eàm inflammatione diſtendi, aut eryſipelate tentari contingat, hoc vulnus nobis ſuſpectum eſſe debet, atq; pluribus de cauſis iiſque non levibus. Nemini enim non perſpectum eſt, tam ex ipſa Anatome, quàm ex iis quæ ſupra adduximus, hanc corporis noſtri partem, quæ incidenda eſt, quàmpluribus vaſis iiſque inſignioribus ſtipari, venis nimirum, nervis, atque arteriis, eaque, cum à ventre, per loca ad axillas declivia, ſuo ſingula caudice perducta ſint, ad humeri articulum in minores ramos diſcindi, eoſque rurſus in multam ſobolem diduci, & tenuiſſimis flagellis univerſa brachii ſpatia intercurrere. Hic ergo, qua parte ſectio fit, ingentia vaſa ſub cute deliteſcunt, & vulneri aſſiſtunt, quod haud difficulter, niſi caveamus, poſſe lædi unuſquiſque videt. Accedit & vulneris amplitudo, pro ratione, & modo ipſius traducis, quem non exiguum, ſed prolixum ſatis atque latum eſſe, perfectio operis requirit. Etenim licet una ſectione tantum vulnus infligatur, gemina tamen illius facies eſt, ſimulatque forcipem relaxaveris, duaſque habet lineas æquali quidem ſpacio, at non modice diſtantes quas idcirco parallelas dicimus, quorumque ambitu parallelogrammon exacte circumſcribitur. Quæ plagæ amplitudo ſeu magnitudo; quantam vim; quale periculum, in ſe contineat nemo eſt, qui non noverit, præcipue cùm non raro; & venulam quandam incidi, & partes ſubjectas denudari neceſſario contingat. Illud enim evitare; quocunque tandem velis modo, nequaquam licet, cum quandoque membranam, quam ob fibras carneas, carnoſam vocant; editiores quædam venulæ perreptent, quas eandem cum cute violentiam experiri, & ferro diſcindi neceſſe eſt. Sic ubi cutis, quæ propaginem conſtituit, jam inciſa ſeſe contraxerit, quod neceſſitate quadam conſequitur; tum ea; quæ reliquum ambit humerum in inſigne ſpatium, latumque panditur ex quo tandem omnes, quæ ſubſtratæ ſunt, particulæ in conſpectum prodeunt, & nullo tectæ velamine penitus denudantur. Ex quo vulneris hiatu, quantas, & quàm multas ſuboriri noxas accidat nemo certè iverit inficias, & propter ejus inſolentiam, nec non quod hinc aër paulo immoderatior irrumpat. Etenim utcunque partes hæ probe muniantur, nunquam tamen ejus generis tegumenta, nativo, & congeneo tectorio æquipollent. Cùm igitur ex vulneris amplitudine, quo loco ingentia vaſa natura poſuit, cæteriſque his annexis humorum confluxum ad affectam partem concitari poſſe videamus: quare ut velut ab alta ſpecula providentes, his calamitatibus occurramus, hoc periculum avertere conſilium eſt, & admotis præſidiis humorum impetum quoad licet coercere, & omnino includere. At horum non eadem atque ſimplex natura eſt. Una enim terrena eſt, & ſicca, aquea, & frigida altera: alia quidem validiſſima, alia verò imbecilla. Ex ſuperioribus ferè ſunt lactuca, trifolium, poligonum, auricula muris, lenticula paluſtris, pſyllium, umbilicus veneris, ſempervivum, portulaca, ovi liquor, & id generis permulta alia. Alterius ordinis eſt omphacium, ſolanum, rubus, capreoli vitium, plantago, ſorbi, corni, meſpili, cithonii, myrti folia, eorumque fructus, roſarum capita, balauſtia, ſumach, acacia, bolus armena, nuces cupreſſi, galla immatura, & multa alia. His adjungitur græcorum poſca, acetum nimirum, & aquam ea proportione continens, ut guſtui minimè inſuavis ſit, quo pacto hujus mixturæ ſymmetriam Galenus definivit. Ex his igitur omnibus, quæ potiora ſunt, & magis conveniant, in uſum ſuum chirurgus ſeliget, quorum tamen nos, & formulas perſcribemus, atque ea tradituri ſumus, quæ familiaria nobis eſſe conſueverunt. Sed quando hiſce auxiliis, quave in parte uti liceat, prius decernere oportet. Atque ut à loco incipiamus, certè natura rei docet, ac velut digitis commonſtrat, in propinquo partis, qua ſanguinis impetum exſpectamus, id generis præſidia circumponenda eſſe; & quam maximè ad ſupernam regionem. Ita enim; quaſi manuum compreſſu, aut vinculo his quibuſdam injectis, præſtabimus; quo minus ab elatioribus partibus, ad ſubjecta loca, & plagæ vicina ſanguis poſſit confluere; ſed conſtipatis quæ ſubjacent, vaſorum meatibus repellatur. Eſt autem locus hic univerſa articuli humeri regio tam ſuperna quam inferna interior atque exterior, quæ & à capite, & à ſubjecto illi thorace, quicquid ſanguinis transfertur, omne excipit, & ad cæteras brachii partes demandat. Plurimum autem nos ſuſpenſos teneat, illa quæ ſub axillis eſt humeri regio, qua ductus quidam ampliſſimi venarum atque arteriarum per thoracem ſublati prorumpunt, quæ hauſtum ex ipſis fontibus ſanguinem, pleno alveo ſuſcipiunt. Quare parti huic unde vehementior inundatio ingruat majori ſedulitate conſulendum eſt, quod quàm aptiſſime fiet; ſi pilis priùs præciſis, jam dictam regionem medicamentis diligenter, & abſque intermiſſione foveamus. Cæterùm negotio huic perficiendò ea hora accommodata fuerit, quæ ſub ipſam operis adminiſtrationem cadit, dum cætera, quæ uſui futura ſunt, interea adornantur: fiatque id ſemihoræ ſpatio ante. Hoc munus alteri miniſtrorum deferri poterit, ubi unà cum artifice dum reliquum apparatum inſtruit, alter detinetur. Illa tamen adſit cautio, ut poſt breve temporis intervallum abſque mora ea renovemus, ne propter partis calorem; ubi ipſa quoque incaluerit; minus præſtare valeant, quod ab ipſis expectamus. Sed repellentium iſtorum

iſtorum varia, & diverſa genera ſunt alia quidem ſolida, alia mollia, alia tandem humida. Ex primo ordine tale quoddam fuerit. *Recip. Olei roſat. omphac.* ℥. *j. s. myrtini.* ℥. 5. *ſangu. dracon. terræ ſigillatæ an.* ℥. *j. boli armen.* ℥. 5. *camphoræ* ʒ. *j. ceræ albæ*, ʒ. *6.* Contundantur quæ contundenda ſunt ſubtiliſſime, & cera cum oleo eliquetur ad lentum ignem, addantur pulveres, ubi parum refrixerit & reficiantur ſecundùm artem. His majus, & refrigerandi, & aſtringendi robur addemus, ſi ea aceto roſato abluerimus. Illiniatur ergo linteolum quoddam, & univerſa humeri regio circumquaque muniatur. Eadem ratione atque hoc ſub linimenti forma aptum fuerit. *Recip. Olei roſat.* ℥. *j. s. myrt.* ℥. *j. aceti nigri acerrimi* ℥. 5. *pulver. boli armen.* ʒj. agitentur omnia in mortario plumbeo, quouſque conſiſtant, & obliniatur undiquaque humeri articulus. Sed ſi magis atriſerit, hoc utique repellente utemur. *Recip. ſucci plantag. ſempervivi, ſolan. an.* ℥. *ij. aceti nigri acerrimi, aq. ros. vel pedunculorum ros. plantag. an.* ℥. *j. s.* Infundantur lintea in liquorem hunc, atque illis actu frigentibus univerſus articulus circum late foveatur. Si tamen decoctio potius convenerit, eam tali pacto parare decet. *Recip. Sumach. ſummit. rubi, Myrtill. gall. immatur. balauſtior. ros. an. m. j. fiat decoctio in vino nigro auſtero, quouſque tertia pars ſuperfuerit.* Infundantur lintea, & dicto jam modo applicentur. His omnibus expoſitis, quorum opera utilis eſſe videbatur ante operis aggreſſum, nunc ad ea accedendum, quorum animadverſio in opere neceſſaria eſt. Sunt autem hæc forceps atque cultri, quorum cura, dum miniſtri aliis occupationibus detinentur, chirurgum tangit, animadvertat igitur nunquid illis deſit, an acie valeant, ſiccine, an ſecus conveniant, eaque in lancem peculiarem componat, ut cùm uſus poſtulaverit, ad manus eſſe queant: & oculis ægri ſubducat, ideoque vel linteo, vel alia re quavis ea obvelaverit. Plurimum verò intereſt hæc chirurgum ipſum curare, cùm non poſſit non fieri, ut negligentius iis, vel paratis, vel collocatis non leves noxas ex mora, vel agendi ineptia incurramus, cujus errati occaſio, ut & reliquorum, omnis poſtmodum in artificem, non in miniſtros referri ſolet. Quapropter non tantum hæc, ſed & reliqua omnia, quæ ad hunc apparatum neceſſaria ſunt, acriori diligentia chirurgus, & ſcrupuloſius rimetur, num rectè adminiſtrata ſint, & ſuis quæque locis diſpoſita, ne inciſa jam propagine inſigni cruciatu ægri, & malo vulneris, ſuâque ipſius medici ignominiâ, & dedecore, moram quandam interponi, & opus prorogare neceſſe ſit. Ut enim non ſatis eſt agricolas ſurculum ſecernere, & ad alterius arboris truncum deligare, ſed id quomodo, & quibus fiat priuſquam opus aggrediantur, diligenter rationem habere: ſic boni artificis fuerit, non ſolùm videre, ut rectè cutim delineet, verùm etiam qua ratione jam delineatum deliget, eique medelam adhibeat, omni ſtudio, & attentione circumſpicere. Atque hæc abſoluto opere peragenda ſunt, quorum tamen rationem præmeditatam, & apparatum inſtructum habere decet. Hic omnis cardo in his ſequentibus vertitur. Primum ut linteum adſit, quod in vulnus immittitur. Secundò ut ſtuppas in promptu habeamus, quibus ipſam plagam, & partes circumjacentes muniamus. Deinde ut medicamenti quo ſtuppæ imbuantur adſit copia. Poſtea ut latum linteolum ſuppeditet, quod ſuper ſtuppis impoſitum vulnus ipſum contegat. Tandem verò faſcia opus eſt, ut ſtuppas eas obvolvamus, & vulnus deligemus. Sed quæ ſit omnium horum neceſſitas jam paucis demonſtrabimus. Atque primum linteum quoddam intra cutim, & ſubjacentes ei partes immittere neceſſarium eſt, ut illius interpoſitu à muſculis ſubjectis jam inciſa cutis dirimatur, nec ſemel dirempta cum illis denuo coaleſcat. Etenim conſilium eſt cutim à brachio educere, atque eatenus efformare ut curtis partibus, quæ inſitione reparandæ ſunt, ſufficiat, qua de cauſa liberam eam, & nullatenus cum cæteris conjunctam eſſe decet. Accedit tamen ex hoc linteo, atque ex abundanti, alia quædam, & non contemnanda utilitas, quod eidem medicamenta illiniantur, quibus & ſiſtendi, & repellendi ſanguinis non ignava facultas ineſt. Obſervandum verò eſt, ut linteum illud eam, quam par eſt, & latitudinem, & longitudinem obtineat. Etenim ſi vel amplitudine defecerit, vel exceſſerit, & extrema complicari neceſſe ſit; alterum quidem inutile erit, cùm partes eas, quas diſparatas eſſe præſtiterit, rurſus conjungi contingat, moleſtum verò alterum quod non leves ex diſtentione dolores patiantur ægri. Quare ex vulneris amplitudine deſumenda menſura lintei eſt, atque id præſtandum ne quadantenus vel anguſtius vel latius ſit, ſed ut inter extremos plagæ angulos impoſitum æquè quadret. Quo in caſu quamplurima lintea ad manus habere, non abs re fuerit, ut quod magis convenerit, id operi noſtro adhibeamus, & præcipue cùm incertum ſit, quanta fieri debeat cutis ipſius delineatio. Non ſecus etiam conduxerit, & longum ſatis, & prolixum eſſe linteum, adeo ut fere humeri craſſitiem exæquet. Minus enim periculi eſt, ne forſan elabatur. Sic ejuſdem operâ licet uti, dum alia lintea atque perſimilia multoties huc trajicere oportet, quod ſuo loco docebimus. Opus præterea eſt linamentis ſtuppeis, quibus vulnus ipſum muniamus: aliis quidem amplis, & prolixis, aliis verò brevibus, & exiguis, omnibus tamen formâ orbiculari, & lateribus hinc inde paulò compreſſis. Quæ igitur majuſcula fuerint, quatuor numero ad minimum adſint, latitudine trium digitorum, & ſex vel ſeptem longitudine. Craſſitie verò non excedant. Gravant enim inepta mole, dum & liquore medicaminis, & ſanguine, qui affluxerat, abſorpto turgeſcunt, & quod pejus eſt, ubi ſemel incaluerint, denuo partes incendunt. Minora lata ſint binos digitos, & ternos prolixa. Hæc omnia imponere, & plagam probe munire convenit. Verumtamen non erit incommodum, ſi plura, ac diximus, linamenta conficiamus. Etenim ea præſtat ſupereſſe potius, quàm deficere. Operę etiam precium eſt aliud ab illo ſuperiore habere linteum, quod impoſitum linamenta conſtringat, & vulneri ſubſidium afferat. Sic verò liberalius eductum, latum atque ſatis longum, ordine duplici, ut humerum involvat, & univerſum vulneris ambitum, ſic, quo ſupra infraque emineat, & plagam amplitudine excedat. Hæc omnia imbuentur ovorum albis, quæ vaſe quodam peculiari obnixius concutiantur, additis ſuperinde aquâ roſarum, quoad ſuffecerit, & portione quadam ſanguinis draconis cum terra ſigillata, omnibus invicem permiſtis, & probè agitatis. Tandem verò faſciam parare decet, ſubſtantiâ tenuem, & ſibi ipſi à capite uſque ad eandem maxime æqualem, latam ternos digitos, & quatuor potiſſimum cubitos longam. Non enim validius comprimere plagam neceſſe eſt, nec laxam deligationem facere, cùm utrumque incommodum ſit. Quare rem ita moderabimur, ut id quod ab arctiore deligatione recedit, voluminibus orbium reſarciatur, & nec deſit quicquam, quin faſciâ toties implexâ ſat bene comprehendatur. Sic neque anguſtus ſit, neque latior, quàm præſcripſimus. Horum alterum ineptum eſt, cùm partes eas nequeamus conſtringere, alterum verò cum moleſtia conjunctum

eſt,

eſt, quod quæ ſtrictior fuerit, in ſeipſum reſidens conglobetur, ſuaque tenuitate, & corporis inæqualitate partes ſubjectas, ac ſi laqueis cogantur, angat ſummopere, & doloribus excruciet. Eligenda itaque fuerit ea faſciæ quantitas, quæ ad mediocritatem jam dictam accedat, nec quicquam, quod vel vobis vel ægro detrimento ſit, ſecum afferat. Hanc minimè aridam, ſed madidam poſcâ circumponi brachio neceſſe eſt. Sic emollita circumducetur lenius, & medicamenti, quod ſanguinem inhibere poteſt, vicem ſupplebit. Omnia autem ſingillatim, & peculiari loco decet ſtatuere, ut illicò atque ſectio facta ſit, ad manus eſſe posſint, nec ulla ſit in artifice remorandi occaſio. Etenim odioſum eſt, ſi quid agatur negligentius, & incuſandum, ſi quis error irrepſerit, quem declinare poteras, omnia autem loco ſuo atque modo, nec non cum ordine pro dignitate adminiſtraſſe, id tandem laudandum eſt.

Cap. 4. *Quo pacto cutanea propago delineanda ſit.*

HActenus dictum eſt de iis omnibus, quæ pro delineanda cutis propagine, atque univerſo id generis negotio ſecundùm rationem perficiendo, ex uſu eſſe videbantur, præcipue de chirurgico illo apparatu, quem operis natura expoſcebat. Nunc ultra pedem promovere convenit, & rectè declarare in quibuſnam propaginis delineandæ ratio conſiſtat, & quo pacto illam tutò, jucunde, & cum celeritate perficiamus. Qua in re illud nobis experientiâ, & longo uſu edoctis certe præfari licet, ſpem nobis fore firmiſſimam, ut artis ipſius finem conſequamur omnino indubiam, atque id clariſſimo laudis præconio, eximioque laboris noſtri præmio. In hac enim cutis propaginis delineatione ſumma artis noſtræ conſiſtit, & illi ipſi quaſi fundamentis ritè junctis totius oper's fabrica innititur. Quamobrem maxima curâ invigilare, oportet, & ſummâ animi contentione eniti, ut cuncta quæ peragenda ſunt juſtè, & velut ad Polycleti regulam perficiantur. Neque enim turpius quicquam, & contemptibilius poſſit contingere, quàm in ipſo artis veſtibulo impingere, & circa limen, quacumque occaſione id fieret, indecore labi. Cogitet itaque ſecum chirurgus velim, hoc ſibi eſſe propoſitum, hunc ſcopum præfigi, quod nunc cutaneam propaginem ſeu cutaneum traducem, principium & baſim totius operis delineare velit, cujus quantitatem definire omnino incertum eſt atque anceps, & quam conjecturâ ſolum, eaque, ut plurimum fallaci, & multiplici inveſtigemus. Quamobrem ne hac in parte diligentia ejus quoquo pacto deſideretur, prudenter circumſpiciet, omnes illas conditiones, quas ſupra enarravimus, & curioſe contemplabitur cutis brachicæ laxitatem, craſſitiem, ejus ſoliditatem, tenuitatem atque alia quæ in examen revocanda ſunt. Ab hac conſideratione, quam exactius inſtituerit, intrepide opus, ac hilari prorſus animo viriliter aggrediatur. Principio ægrum lectulo componat, omneſque procul offenſas ſemoveat, cùm ægro iniquas, tum chirurgo ineptas. Mox illos, qui ſibi miniſtraturi ſunt, & quorum ſubſidio, dum opus adminiſtret, indigeat ſuo quæque loco, & ordine diſponat. Æger itaque ſupinus in margine lectuli exteriori decumbat. Hunc locum commutare licebit, vel pro cubilis, vel pro brachii diſſecandi inſtituto, dummodo lucis, quæ commoda eſſe debet, ratio uſquequaq; conſtet. Sic collocabitur ad manus ipſi chirurgo, & miniſtris, dum opus adminiſtraturi ſunt. Brachium, quod propaginem commodet, denudetur univerſum, vel manica induſio prius detracta, vel ipſa diſciſſa, ut ſectioni, & quæ ulterius inſtituenda eſt curationi promptè pateat. Miniſtri locis æquis ſtatuantur. Hæc miniſterii ratio decernet. Atque prior ad ægri verticem, ex parte ſuperna lectuli, ſecundùm artificis dextrum latus reſideat. Hic ulnam ægroti dextra ſuſtentet (quoniam cum firmior ſit, id opus commodius præſtiterit) læva verò, ubi lumini occaſio fiat, id opportunò adminiſtret, aut ſi minus, liberam eam, ad alia, quæ peragenda ſeſe offerent, promptam habeat. Alterius officium eſt cutim attollere ſuſpendendo, forcipem adigere, chirurgo auxiliari, mox & forcipem ſuſpendere, dum ſectionem artifex adminiſtrat, & patrato jam opere, laxatam removere. Atque is, juxta ſiniſtrum chirurgi latus aſſidebit; aut è contra, ſi quod ex oppoſito eſt, brachium incidendum fuerit. Ita enim uterque illorum, ex loci opportunitate, munia ſua promptius implere poterunt, & nutus chirurgi, quoſcumque etiam obſervare, quod ſane illis acerrimâ diligentiâ faciendum eſt, cùm multa dum opus peragitur, occurrant, quæ nutu ſaltem non voce indicanda ſunt. Etenim ob ægrum conſultò verbis oportet parcere. Interim chirurgus rejecto importuno manicarum defluxu, quo expeditior ſit ad opus, & ulnis parumper denudatis, ad ægrum proximè accedat, ac omnino ſtans; ut quacunque occaſione, quocumque libuerit, ſe ſe poſſit conjicere, operi ſemet accingat. Primùm autem cutim ad anticam humeri regionem, & à qua propaginem mutuari decet, leniter manu contrectet, illam attollat, rurſus dimittat, itidemque elevet, denuo remittat, ut hac leni contrectatione à ſubjectis partibus, quantò poterit, ſuavius divellatur, & aſſiduâ id generis ſuſpendendi, blandâque meditatione emollita, facilius poſtmodum obediat, cùm illam diſſecaturi, comprehenſam forcipe omnino ſuſpendimus. Eſto tamen ea cautio, ut moderatione quadam ſingula peragantur, ne infeſtiori motu durio rique quàm par ſit, contrectatione partes eæ calorem concipiant, & noxas incurrant, cum ſectione facta in vulnus humores impetuoſius delabantur. Nam in propinquo ſunt vaſa venarum, & arteriarum ampliſſima. Libranda itaque fuerit cutis contrectatio, ne pars illius acerbitate calamitatem quandam poſthac ſubeat. Cùm autem omnia ejus rei gratiâ fiant ut traducis ſymmetriam, qua magnitudine nempe futurus ſit, rectè percipiamus, illam propterea chirurgum, ubi ſingula attente circumſpexerit, ſi uſu ac experientiâ fuerit edoctus, atramento deſignaſſe ſupervacaneum forſan exiſtit (niſi talis ſit, qui noviter ad opus, & prius intentatum acceſſerit) ſed probe animo comprehenſam, ubi cutem, quantum res ipſa indicabit, ſuſpenderit, hanc ſuſtinendam tradet ad lævam miniſtro, ſtatimque utraque manu forcipem apprehendet, & intra miniſtri manus in traducem demittet. Si tamen interim à præſcripta quantitate aliquid deceſſerit, id attractum attollet, & animadverſa ex parte utraque, cum rectè ſeſe habeant omnia, jam forcipem conſtringet, ferreoque annulo firmabit. Hanc rurſus miniſtro, qui ex ſiniſtris eſt, ſuſtinendam præbeat; atque ſic ſectionis conſilium ineat. Protinus itaque dextra manu cultellum arripiens eundem punctim intra lineam forcipis adigat, atque moderata quadam violentia, & facto ſectionis initio, ubi ferè centrum eſt ejuſdem lineæ, inde cultrum in aſſidentia latera propellat; non tamen præcipitanter, ſed ſenſim uſque in forcipis angulos, modo illud commodum videbitur. Sectione ſic peracta, quod primum artis veſtigium, ac velut univerſi operis rudimentum eſt, cultroque depoſito, vel miniſtrorum alterius manibus excepto per jam hiantis cutis ſpacia, ſive ſtylo ſpecilli ſive baſi orbiculari linteolum immittere conetur. Hoc ut ſi in-

miniſtretur, qui ad ſiniſtras eſt, miniſtro incumbit. Ille ex tanta linteolorum varietate, id quod commodius eſt, ſecernat, & ſubducta ejus quantitate ad forcipis lineam juxta ponat. Ubi hoc tranſmiſſum fuerit, ſi qua in parte corrugari contingat, exactè complanandum eſt, ac per univerſam ſpatii amplitudinem diſtendendum ea cautione, ut æquis partibus utrimque ex forcipe dependeat. Namque laxata forcipe, quod mox futurum eſt, intra vulneris ſpatia continebitur, nec, quod ob inæqualitatem haud difficulter evenit, lubricum elabetur. Forcipem poſt hæc artifex laxet, ſublato annulo, quo manubria conjungebantur, & laxatum miniſtro ad lævam ſuſpendendum ſuaviter committat, illicoque dextram manum ſubjiciat humero ſupino ex parte interna, & brachium parumper elevet, ut curationi, quæ ſtatim adhibenda eſt, locus non inique pateat. Eodem pacto, & intra forcipis latera quod laxatæ illius, & hiantis intervallum eſt, ſiniſtram plagæ imponet, digitiſque expanſis linteolum utrinque comprehendet, quod adhuc linearibus forcipis diviſionibus injectum eſt. Sic enim non inepte cavet, ut dum ſubducat forcipem miniſter, quod ſtatim præſtare debet, ſimul ac vulneri manum applicuiſſe chirurgum ſenſerit, linteolum unà evellatur. Quòd quàm ignominioſum ſit in ipſo artis limine, & quàm difficulter, quantâque moleſtiâ reponi linteum poſſit nemini credo non apertum eſt. His peractis jam partes medici fuerint, propaginem componere, atque æquali ſitûs libramento ſtabilire. Vocamus autem propaginem eam, quæ jam à ſubſtratis muſculis eſt avulſa cutis, & quæ interna ſuperficie atque externa, nec non utrinque ſectionis lateribus circumſcribitur. Hæc quandoque, iis de cauſis, quæ infra à nobis dicentur, redeunte in ſeſe cute, atque converſis intro extremis plagæ labiis importuna conglobatione turgere conſuevit. Expediet igitur ſpecillo leniter ſubjecto vel inter in manu anguſtias illas explanare, & rectè componere, ut ſecundùm omnes ejus partes æqualiter propago extendatur, atque quamprimum, quod curæ ſupereſt, illi incumbere. Omnis quippe mora inſignes noxas accerſere videtur. Quare ſtuppas paratas jam, eaſque breviores interiori vulneri ſubjiciet medicus, & extra alias apponet, hiſque supernè majores inſternet, qui ſubſidio ſint breviuſculis, eaſque non incommode tutentur. Cùm autem linamenta majora, quatuor numero eſſe ad minimum debere diximus, ut ea ritè diſponantur, vulneri bina injiciat utrinque ſingula, itidemque alia duo utrique fini. Ubi demum vulnus integrum hoc pacto communierit, tunc linteolum illud latum, conduplicatumque inſternat, in communem omnium cuſtodiam, & ut aptius plaga deligari poſſit. Sed hoc faſciarum circumjectu ſedulus artifex præſtiterit. Faſciam itaque manu dextra arripiens, & initium ejus explicans, eandem ſuperiori traducis parti, qua lata eſt, ex æquo rectam admoveat, principium ſiniſtræ pollice interim comprehendat, mox reliquam promoveat, & per inferna ad latus internum circumducat, ut circumducta ad initium ſuum denuo recurrat. Hoc prætergreſſo brachium leniter conſtingat novaſque circumductiones moliatur, quas toties repetere neceſſum eſt, & ſenſim verſus inferna vinciendo deſcendere quouſq; univerſa propago, & linteum illud latum, quod ſuper injectum eſt, æquali, & à principio uſque ad finem conſentiente orbium implexu penitus contegatur. Dabit verò operam medicus, ne ad alterum extremorum, quæ vel in arctiore conſtrictione, vel in ſolutiore laxitate collocantur, imprudenter inclinet, ſed quod moderatum eſt, teneat, & faſcias eas conſtringendo laxet, laxando verò conſtringat. Alterum enim ſi fecerit, nec arctiori vinculo partes munierit, & promptius ſanguinem affluere, & medicamenta dilabi ſentiet. Si verò alterum eligat, non abeſt, quin partes eas, quas vehementius coëgit, imbecillas reddat infitumque cuti calorem ſtrangulet. Hinc fit ut ſenſim tradux deficiat, & cùm omnis ſuppeditandi alimenti via intercluſa ſit, quamprimum emoriatur. Præterea cùm aliquos dolores deligatio ſtrictior inferat, non poteſt non affluxum humorum ciere, & quæ una propaginis pernicies eſt, inflammationibus, eryſipelatibus, aliiſque tumoribus anſam dare. Quare, ne quid nimis agat, videbit artifex, cautuſque evitabit, quod arti ſuæ, & expectationi non reſpondeat, ſi exceſſus ejus, quod paulò ſupra adduximus in deligando fugerit, ſed mediocritatem, qua nihil commodius, nihil aptiùs in operando amplectatur. Mox faſciam quam deſinit, ad digiti amplitudinem, ad interiora convertat, lini funiculum ter quaterve trajiciat, & moderate conſtrictum nodis irretiat. Ita enim faſciam explicatum iri longè metus aberit. Atque adminiſtrationis quidem in propagine delineanda, quod prima hac ſectione molimur, talis maxime ratio eſt. Sed alia adhuc artificem cura manet, quæ eſt ut tam brachium quàm ægrum ipſum ad quietem ſecuram, & ab moleſtiis vacuam componat. Huic ſitus qui commodior ſit, nullus eſſe poteſt, quàm qui eſt figuræ mediæ: uti, & brachio eundem in modum reclinato. Hæc tamen animadvertat velim, ut humero parumper ſubſidente, ulna clementer aſſurgat, & æquali moderantia extrema manus ipſi ulnæ emineat. Primus. n. ille decubitus atq; æqualis moleſtus eſt. Qua de cauſa, & pulvillorum rationem habendam eſſe decrevimus, atq; eos in cæterorum penu retulimus. Itaque dum pulvinaria chirurgus componit: miniſtri ambo patientis manum firmiter ſuſtineant. Horum ille qui ſuperior eſt, & ad dextras chirurgo aſſidet, ſiniſtram ſuam ad cavum, quod ſub axillis eſt, dextram verò ad ulnæ articulum injiciat: ille verò dextra manu cubitum firmet, & lævâ corpus comprehendat. Hoc pacto, utrinque valentius continebunt brachium miniſtri, atq; ad immotum planè, & ſtabile quieti dabunt, quod à principiis maximopere deſideramus ob ſanguinis præcipuè ad effecta loca, proruentis impetum. Quibus ſic diſpoſitis ipſe brachium chirurgus reclinet, miniſtris opitulantibus, & in ſecuram, opportunamq; figuram, qualis nempe media eſt, blande componat, ac pro temporis anni cœlive ſtatu vel linteis, vel parmis obvelet. Sic, & minimè ſe movere ipſum ægrum intereſt, ne vel leviſſimo quidem momento brachii quies interpelletur, & humores qui tunc commoti æſtuant, vehementius ipſe motus concitet. Neceſſaria itaque fuerit non tam brachii, quàm totius corporis quiès, atq; ea quam curioſiſſima, & abſolutiſſima. Non tamen hæc æquè ſuffecerint niſi, & ſolliciti ſimus, quemadmodum & humores inhibere, & eorum impetum ſuſtinere oporteat. Etenim neque levis illa atque mitis contrectatio, non laxior deligatio, non brachii ſuſtentacula non illius quàm ſuaviſſima reclinatio, non quies ipſa totius corporis tantum poſſunt, ut nos omni metu ſolutos, & periculo vacuos penitus relinquant. Itaque vulnerati humeri regionem univerſam, ac præſertim eam, quæ ad alas convertitur, refrigerantibus ac repellentibus præſidiis unius horæ vel alterius ſpatio, frequentius facta perfuſione, vel per miniſtros vel aſſidentium aliquo defendere, & communire tentabimus. Ex quorum ſenſu poſca fuerit, quantitate liberaliore parata, & ad manus poſita, quo præſidii genere, veluti promptiſſimo omnium atque valentiſſimo, quaſcumque etiam ſanguinis fluxiones, atque ſane impetuoſiſſimas, quàm felici ſucceſſu, jam longo uſu edocti, jugiter ſiſti, & compeſci dicimus.

Cap. 5. *Curatio cutis propaginis jam delineatæ.*

JAm verò ſequitur, ut cutis delineatæ, cum primum albumina ſublata fuerint, curationem inſtituamus & quæ ab ægroto interim victus ratio curioſe obſervanda ſit, uſque dum inflammationis metus refrixerit, paucis præponamus. Vertitur itaque vulneratæ partis curatio, primo in ſuppuratione, interim uſu non neglecto repellentium. Cum enim perpetuo humores affluant, atque adeo languente membro jugiter congerantur, chirurgi potiora debent eſſe conſilia, ut quicquid aſſiduo colligatur, ſuppurantibus diſcutiatur: quæ verò aliunde convenire poteſt, repellentibus abigatur. Ita enim promptè ſanitati pars reſtituetur, atque citiſſimè, interim non otiante natura, ſed munia ſua ſedulo complente. Quod innuebat Hippocrates, *dum ulcus quam citiſſimè ſuppuratum tutiſſimum reddi, ait, ab inflammatione cito detergi, & carne repleri.* Cum autem ea quod pus ducunt, medicamenta non uniuſmodi, ſed varia, & multiplicia ſint, ac pro temporis ratione diverſimode uſurpanda, itaque ea ſubjiciemus, quæ frigidioribus, & calidioribus anni partibus, quandocumque eorum interveniérit occaſio, aptiſſima fuerint & citra incommodum aut noxæ metum rectè uſurpari queant. Ex uſu igitur erit inter omnia atque ſub veris exitum, quin per univerſæ æſtatis decurſum, quod oleum dulce cõmune, & ex olivis exactè maturatis confici ſolet, adhæc ceram puriſſimam, ac terebinthinæ ſinceræ liquorem continet, æquis omnino portionibus. Hæc enim pus vehementer promovet, ac nobis familiare eſt. Huic proximum eſt, quæ in gratiam opulentorum parari poterit, cujus hoc eſt exemplum. *Recip. terebinthinæ lotæ ex roſacea.* ℥.5. *olei roſ. compoſ.* ℥j. *Addatur ceræ albiſſimæ, quod par fuerit his omnibus excipiendis, & ex arte conficiatur unguentum.* Tempore verò frigidiori cum ad interna calor ſeſe receperit, valentioribus multò præſidiis agendum eſt. His utemur ſub autumni exitum, ac per hyemis totius progreſſum, uſque ad veris initia, quæ quid cum bruma commune habent, nec omnes frigoris injurias exuerunt. Eſt autem tale quoddam. *Recip. olei communis* ℥ix. *ceræ puræ* ℥ij. *colophoniæ, picis navalis, ſagapeni an* ℥j. *maſtichis, thuris, galbani, terebinthinæ an.* ℥. 5. *ubi oleum cum cera ad ignem probe liquata fuerint, injiciatur colophonia primùm: deinde pix navalis, ſagapenum, terebinthina mox reliqua, & refrigerata recondantur.* Profuerit verò & iſthuc. *Recip. ceræ albæ, reſinæ, pini, ſævi vaccini, picis navalis, terebinthinæ, thuris, myrrhæ an.* ℥.5. *Miſce, & in pulverem, quæ convenit, redactis, cum oleo q. ſ. unguentum ex arte reſice.* Sub hæc medicamentis repellentibus uſus eſt, quæ cùm exterioribus dumtaxat plagæ, iis, quod pus movent, intro reconditis, adhibeantur, atque adeo ſupernè humeri regioni: Ideo medicamentorum ſuppurantium, priuſquam ad ea deſcendamus, rationem tradere, & quomodo adminiſtranda ſint, dicere, ſatius eſſe exiſtimavimus. Sequenti igitur die vel poſtridie, aut ubi omnis hæmorrhagiæ metus deferbuerit, ac matutino tempore, quod naturâ ſuâ opus leviſſimum eſt albumina ſummoveantur, & quam blande, ne, ſi qui venulæ cujuſpiam ramulus jam ante læſus fuerit, eo refricato demum ſanguis erumpat. In quam rem opportunum fuerit, paraviſſe goſſipium uſtulatum prius, & uſu expoſcente, applicuiſſe vulneri. Conſulet autem medicus, ut leniſſima ſit hæc operatio, ſi linamenta arida jam, & quæ præ ſiccitate adhæret contumacius, profundendo, interim emolliantur. Promptius enim evellentur, ſi perfuſa madeant, & nulla ſubinde aut motûs aſperitate, aut doloris moleſtiâ, vulnus ſuaviter detegetur. Utilis eſt poſca quam ſuprà deſcripſimus, & mox oleum roſ. ex omphaciis. Hæc nonnunquam commiſceri poterunt atque applicari vel frigida, vel leni calore tepentia, dummodo aut temporis aut aliorum, quæ in quavis actione medica conſideranda ſunt, rationem penitus non negligamus. Etenim ubi modicum incaluerint, facilius ſeſe medicamina inſinuant, & felicius, & benigna qualitatis moderantia id, quod cupimus præſtari poſſe efficiunt. Caveat verò chirurgus ſummam caloris vim, ne ſanguis vehementia illius exſtimulatus, denuo erumpat. Prudenter itaque hæc animadvertiſſe opus fuerit, nedum moleſtias quaſdam atque exiguas, quis levare cupiat, illas potius adaugeat, quin ſævioribus accerſitis, peſſimo admodum exemplo conduplicet. Miniſtri itaque utrinque aſſideant, quorum alter pelvim contineat, ut eo, quàm à vulnere ſemovenda ſunt, excipiantur, alter verò liquorem habeat, qui ſtuppis emolliendis conveniat. Interim faſcia amovenda eſt, & quanta fieri poterit lenitate, ut ſi minus, brachium atque ægrum non angamus. In quam rem magis ex uſu fuerit, adacta forcipe univerſim diſcindere, non quidem ſimul omnibus ejus gyris inciſis, (namque, & hoc inconveniens eſt) ſed membratim ſingulis, atque potius ad partem externam brachii, quàm internam. Sic enim neque motu partes eas concutiemus, neque prope accedemus ad vaſa illa brachii quàm inſignia, quæ nullatenus contractari non incommodum eſt. Ubi autem faſciarum orbes ſiccitate rigeant, aut ſanguine imbibito induruerint, miniſtri partes fuerint, illos liquore perfundere, & ab alto deſtillando irrigare. Etenim hoc pacto, & felicius humorem abſorbent, & opificis manui attrahentis facilius obſequuntur. Tum verò illos ſpecillo attollere, vel digitis leniter connexos diſtrahere, & in pelvim decet conjicere, atque mox ubi ritè denudatum fuerit vulnus, id candido linteo, & repenti contegere, dum ſeſe operi reliquo ipſe chirurgus accingit. Hujus initium fuerit, ut è vulnere, quod impoſitum eſt, linteum illud educat, & aliud, cui medicamenta ſuppurantia illita ſint, ſubſtituat, & vulneri injiciat. Hîc nobis monendi ſunt chirurgi, quonam pacto moleſtiis parcant ægrorum, & quomodo labore quàm tœdii pleniſſimo ſeſe exolvant. Cenſemus enim ab humanitatis officio abeſſe, ſi ea quæ artem condecorent, & tam patientes quam medicos juvent, non honeſto conſilio occultaverimus. Noverint itaque artifices illud linteum, quæ adhuc vulneri inhæret, haudquaquam eximendum eſſe, niſi ea obſervata lege, ut novum illud atque recens, dum hæc educimus, una eademque opera introducatur. Atque hoc præceptum perpetuum eſto. Quo alioquin neglecto peſſime ægrotus torquebitur, dum educto primo, ad ſubſtantiam muſculorum, qua propago delineata eſt, hæc tela ſeſe applicuerit, & quo minus uno impetu imponatur, atque quam facillime, in introducendo, moram fecerit. Quare ut non modò ea, quæ jam dicta ſunt, evitemus, ſed & alia incommoda, quam graviſſima, ſcilicet novas inflammationes, & ſanguinis eruptiones: ideo linteoli talem impoſitionem moliri convenit. Partem linteoli, quod adhuc injectum eſt, & extra vulnus pendentem, è regione brachii exteriori chirurgus attollat, ad novum linteum oras illius æqualiter applicet, & lini funiculo utraq; conſuat. Suturam ſimplicem, & linearem eſſe præſtiterit poſterioribus haudquaquam replicatis, ne conſuti moles, ſiquidem duplex ſit, ipſum vulnus exaſperet. Mox verò ubi dextrâ linteum vetus arripuerit, intrinſecam, ejus partem ſublevet, & ſublatam ad vulneris altitudinem promoveat, ſenſimq; inde detrahet: nec detrahendo ceſſabit, quam illo ejecto hoc novum intra vulneris hiatus diducat. Sub eo miniſtrorum alter vetus præcidet, & in patinam ad alia projiciet. Sed ſi quandoq; introvertantur margines, tum cutis propaginem explicet medicus, & ſpecillo, quàm fieri poterit, blandiſſime componat, modiceque terebinthinam inſtillet, vel ſimplicem vel cum roſaceo permixtam, linamenta undiquaque addat ſuppurantibus

rantibus oblita, & lata linteola, quæ repellentibus madeant, tepida imponat. Tandem verò ea moderantia, qua præſcriptum fuit, faſciis cuncta vinciat, ac media brachium figura, non inepte collocabit. Nihil autem aut perquam exiguum ab iis, quæ ſupra dictavimus hæc medicamenta repellentia different. Sed liceat nobis in gratiam eorum, qui noviter ad actionem accedunt, nec ſingula in numerato habent, quædam præſidia ſubjicere, nobis certè familiaria. Tum verò id obſervabimus, ut leniora propagini, vehementiora verò ſuperiori humeri articulo quo univerſa omoplatarum regio circumſcribitur, nec non ad axillæ cava applicemus. Sunt enim duo loca unde ſanguinem arcere, & retropellere convenit. Ad propaginem hæc opportuna fuerint. *Recip. Olei roſ. omphac. olei roſ. comp, an.* ℥j. *Miſce.* Vel *Recip. Olei ros. comp. myrt an.* ℥j. *Miſce.* His licebit, & per ſeſe ſingulis uti, parumper calentibus, & imbuto linteolo propaginem undiquaquam irrigare. Pro humero conducet oleum omphacinum cum myrteo æquis portionibus, & linimentum hoc pacto confectum. *Recip. Sandal rub. gran. myrt. ros. rub. an.* ʒ 5. *unguenti ros. meſ.* ℥ʒ. ß. *redigantur in tenuiſſimum pollinem ſandali, myrti, & roſæ, pareturque ex arte linimentum.* His omnibus nonnihil roboris addemus, ſi vaſe plumbeo, infuſa olei roſ. comp. parte plumbeaque pila exagitaverimus. Hoc demum perungenda eſt, quæ circa humerum eſt, univerſa regio, & ſanguinis compreſſioni ſtudendum. Sed intereſt etiam ægris, quem conveniat, victum inſtituere, ubi, & ad affectum, ad anni tempus, ad regionem, ad ætatem, ad ſexum, ad habitum corporis, præcipue verò ad vires, & quæ altera natura eſt ad conſuetudinem conſilia dirigere oportet. In primis autem parſimoniæ incumbere, quantum præ viribus licuerit, ne ſuccorum mole adaucti, in affectam regionem ſanguis procumbat. Atque id præceptum in quartum diem aut ultra obſervari decet, quouſque nimirum omnis æſtus humoris conciderit. Interim qualitas ciborum ea ſeligenda eſt, quæ cum ſupra enarratis à nobis pugnet, nempe panis elotus cum uncia una, vel una & dimidia lactis amygdalarum. In æſtate lac ſem. melonum aut per ſe aut cum pane loto exhibeatur: vel ſuccus oryzæ, hordei vel cucurbitæ fercula. Vino valedicendum eſt omnino. Ejus vicem ſupplebit aqua hordei cum ſaccharo, addito aliquantulo vini granat vel ſubdulcis, vel auſteri. Præſtabit, & propinare aquam oxalidis, æſtibus mediis, vel endiviæ, atque iis diplomate eductis. Hæc vel abſque aliorum permiſtione erunt utilia, vel poterunt affundi zulapium violat. aut ſyr. ex citri ſucco, aut oxiſaccar. aut granator. vinum. Semina melonum ſaccharo inducta poterunt dari ad cochlearia noſtratia duo, ſtatim à prandio. Hoc ipſa cœna paulo largius ſit. Hoc diætæ inſtitutum ad quartam uſq; ſtudioſe æger colet. Eâ tranſactâ ſi paulo langueant vires, capi junioris aut pulli juſculo alimenta incoquantur, ſi tamen ventres eorum aut oxalide aut ejus ſemine, atque ſimul plantaginis prius infarciantur. Idem juſculum, ſi percolatum ſit, pro potu ſubſtituatur. Licet & quandoque pulli momentum cibis addere, atque id vel malorum citriorum ſucco vel granatorum conſpergere. Septimo jam tranſacto, ubi nulla de ſanguinis affluxu præterea ſuſpicio affuerit, tum liberalius cibum offerre decet. Non tamen omne vinum ex uſu eſſe videtur, ſed tenue, candidum, quod ὀλιγόφορον Græci vocant, ad primos dies, & præcipue æſtivo tempore. Omnibus enim incommodis omnis anſa præcidenda eſt, quod vel leviſſimo quovis irritamento humores concitari non ſit impoſſibile. His igitur primam poſt perfectam paulo ante delineationem propaginis curationem deſcripſiſſe ſufficiat.

Cap. 6. *Medela quorundam ſymptomatum, quæ cuti jam delineatæ advenire ſolent.*

Sed mox ſubjungere expedit, quænam ſymptomata, ubi jam propago delineata ſit, accedere conſueverint (non enim adeo immunis ab incommodis penitus hæc operatio eſt,) & quanam ratione illis occurrere conveniat. Sunt autem tria fere nimirum, internecio, ſeu corruptio, ac ut aiunt mortificatio alicujus oræ cutanei traducis, ejuſdem inflammatio, ac circumſitarum partium atque tandem ſanguinis impetuoſa profuſio. Horum quidem ſingula prava ſunt, non tamen æquè exitialia. Etenim vehemens malum eſt, ſi traducis labia corruptio quædam invaſerit, atque perniciosum, cum intra initia ſua ſubſiſtere nequeat, ſed ſerpendo latius, vicinas partes invadat, & ſi quidem negligentior fuerit medicus, totum traducem depaſcendo tandem abſumat. Quare circumſpectus hac in parte medicus eſſe debet, & omnes ingenii nervos intendere, ut huic perniciei, ſi quidem poſſibile fuerit, nullam occaſionem præbeat, aut ſi quidem evitare nequiverit, eam protinus eradicet. Sed ut ea quæ nobis comperta, & jam uſu longo confirmata ſunt, pro malo hoc edomando in medium afferamus, non luſuros operam nos eſſe confidimus, ſi prius naturam hujuſce labis, atque eſſentiam, mox verò illius cauſas propoſuerimus, quibus tandem medicamenta ſubjiciemus, non injucunda, & nobis familiaria, quorum efficaci vi, hanc immanem belluam, eventu ſanè feliciſſimo perſæpe confecimus. Primum igitur hujuſcemodi cutis corruptio, ſeu mortificatio, ut aiunt, caloris innati, quo ſingulæ corporis partes vigent, aluntur, & ſentiunt, ejuſque effluxi vitium eſt. Abit verò calor inſitus ex parte quadam noſtri corporis cum intemperantiæ cujuſdam ac virulentiæ in parte interim exortæ, copiæque influentis humoris, quæ calorem genuinum obruat, aut ſi qua exterioris cauſæ, quæ calorem opprimat violentia accedat. Porrò autem hoc cutanei traducis ſymptoma non ex interiori cauſa originem ducit, ut utcq; interim corporis conditio plurimum adjuvat, ſed quicquid eſt, principio in externam referendum eſt, ac in forcipis ipſius violentam nimis conſtrictionem, ad cujus impreſſiones, & corporum ſtatus nonnihil concurrat. Interdum enim tam arctè cutis conſtringitur, ut ſtrangulato partis calore, intra forcipem adhuc emori illam contingat. Huic malo promptiſſime ſubjiciuntur, quibus laxa admodum, & tenuis cutis extiterit, ſubſtantia certè minimo atque quàm imbecillo calore perfuſa, & præcipue cùm tanto impetu, tanta conquaſſatione ab annexis partibus divellatur. Adauget perſæpe hunc partis interitum, atque jam incipientem promovet, ſi violentiori paulò, & arctiori conſtrictione, exigui illud caloris quod in propagine ineſt ſuffocando reſtinguamus. Nec deſunt præter illa cutis vitia, & alia incommoda, quod ab ipſis corporis penetralibus accita, calorem partium interimant. Nam & plurimum poteſt corporis habitus, quem prava quædam colluvies, & fœda humorum ſentina obſederit, & in quo ulcera ad integritatem difficulter reducuntur: aut ſi Gallica quædam lues efferatam ſuam rabiem impreſſerit, & jam diutina mora firmas atque immotas radices egerit. Itaque corpora hæc, ut & de quibus paulò ante diximus, non tractanda erunt violentius, nec forceps tanto conatu adigendus, ſed adjungendum temperamentum quoddam, ut neque nimis laxes ne cutis exiliat, & inanem operationem reddat, neque ut vehementer comprimas, unde partes eas, & calore & vitâ ſpoliati contingat. Quo in loco non leve afferet ſubſidium, ſi liberalius paulò, quod traducem conſtituet, cutem excideris, ut quicquid internecione dematur, id

id cutis affluentia compenſet. Quin id neceſſarium atque conſtans præceptum eſto. Eodem pacto, eademque æquitate deligationem moderabimur, ut quæ conveniens fuerit atque utile acri conjectura, & ſollicitâ cura, aſſequamur, nec ad extrema illa, neque minimum quidem ſi fieri liceat, à mediocritate declinemus; quod quàm perniciosum ſit, quàm erroneum cum cæteris, quæ anteà hac de re propoſuimus, hæc una corruptionis noxa ſatis ſuperque commonſtrat. Protinus igitur ubi mali hujus ſuſpicio aderit (quod in corporibus jamjam dictis promptiſſimum eſt) vulnus detegi oportet, nec differre in tertiam vel quartam diem, & oras ejus diligenter circumſpicere, quo maturâ curatio hanc peſtem penitùs auferat. Et jam initia duxiſſe malum hoc, inditio fuerit, & ſenſus interceptus, ſi quidem ſpecilli cuſpide admoto vix aut nullatenùs ſentiant, etſi pars ea pallore aut livore ſuffundatur. Occurrendum igitur iis eſt, quæ validiùs exiccant, & putredinem quamque circumcidunt. Tale quid eſt unguentum Ægyptiacum, cujus deſcriptiones circumferuntur quàm plurimæ. At nobis ea ſemper utilior viſa, & confirmata eſt, quæ aluminis, viridis æris, mellis, acetique acerrimi æquas portiones continet. Opportunum etiam fuerit quæ vulgares præcipitatum appellant. Præparatur autem ſi in vitreo vaſe, lenti ignis ſubſidio ex roſacea chymica arte conficiatur. Hujus pollinem leviſſimum inſpergere poſſumus, vel eundem unguento roſaceo excipere, & linamentis applicare. Sic aloës pulvis cutique inſperſus quandoque malum ſuſtulit, & delevit penitus. Commodiſſimum etiam fuerit, cùm abſtergendi occaſio ſeſe obtulerit, decoctum lupinorum uſurpaſſe in quo aloës decoxerit. Hoc omnem partis ſorditiem eluimus, interim corruptioni conſulentes, cùm ipſum putredinis fomitem humorem nempè exiccemus. Tutiſſimum præterea extitit unguentum tale. *Recip. Terebinthinæ lotæ ex ſucco abſynth.* ℥j. *farina hord. cretæ.* ʒj. *pollinis aloës puriſſi.* ʒij. *mell. albi ſynceriſſ. quo ad ſufficit; & agitetur mel, accipianturque ſingula, & ex arte paretur extergens medicamentum.* Hoc utemur linamentis ſuperillito, & partibus, quæ corruptionem experiuntur, injecto. Atque ferè fit, ut præſidia hæc, ſi admoveamus, commodè ſatis cedat curatio, malumque univerſum penitùs tollatur. Hæc igitur illius peculiaria ſunt remedia; cætera verò communia; (quæ nihilominùs magnâ curâ præſtanda ſunt;) & cibo, potu, aliiſque hùc relatis, hujus ſymptomatis violentiam demulcent. Quare caveant, chirurgi, ne ob errata, quæ hîc plurimùm committi ſolent, periculo quicquam adjiciatur, ac præſertim in iis corporibus, quæ ob cacochymiæ, ſeu tabis venereæ malignitatem, hoc malum fovent ſtrenuè. Omnia igitur exiccent validiùs, & omnem excrementitiæ humiditatis illuviem removeant. Sed hæc aliundè acceſſiri poſſunt, ne faſtidio ſimus legentibus, & ſermonis moles nimium nobis excreſcat. Nunc ad aliud ſymptoma transeundum eſt, ſævitia alteri non abſimile, & quòd tandem eò deſinit. Tale eſt inflammatio, quæ vel cutis propaginem, vel circumſitas partes obſidet. Cùm enim largiore affluxu, magnoque impetu ſanguis eò procubuerit, turgent partes, rubent, & acerrimo dolore conflictantur, quæ præſidiis, ſi minùs expugnetur, internecionem partibus iis, & præcipuè propagini interminantur. Hæc enim ut plurimùm languet, cùm ob interceptionis ex forcipe vehementiam, tùm quod à cæterorum conſortio longè abducatur. Igitur in lubrico propaginis ſalus fuerit, ni remediis opportunis, ac maturo tanto malo obviam eamus. Contingit id generis ſymptoma ferè circa tempus vernum, cùm in corpore ſanguis liberaliùs ſuccreſcit; & præſertim iis hominibus, quibus viſcera calida, atque humida obtigerint: ac eò magis, quò ſeſe anteactis diebus liberaliori cibo expleverint, etſi diligentiùs, ut conveniebat, priùs expientur. Quamobrem cognoſcant medici nulli vel ſcrupuloſiori diligentiæ parcendum eſſe, in corpore emundando, ac ejus vitiis, ſi quæ adſunt, vel tollendis omninò, vel ubi id non licuerit, quadantenus deliniendis. Eſt etiam interdum, ubi partes ob ſanguinis fervorem, & ebullitionem, inflammari contingat, eo exagitato nimium vel brachio noxam quandam perpeſſo. Tutiſſimum igitur fuerit, ubi auſpicabimur curationem, venam incidere, atque in oppoſito brachio, & venam regiam. Hinc velut ex ipſo fonte exhaurimus ſanguinem, & largiùs & promptiſſimè. Quod auxilii genus non inutile erit, dum partes inflammantur, ex ſanguinis copia impetuosè eò delabentis. Etenim credi par eſt, detracto ſanguine, & in oppoſitam plagam revulſo, impetum ejus ceſſare quamprimùm. Quantitatem vires decernent, ad quas omnia medici conſilia, & conatus dirigunt, cui ſuffragabitur ægrotantis ætas, corporis habitus, atque adeò anni tempus. Nam ſubinde nihil perpetuum eſt, poſſuntque in æſtate adeſſe frigora. Quod ubi contigerit, nemo certè non novit, nos parciores eſſe debere, in ſanguine mittendo, & tantùm à liberalitate declinandum, quantùm magis ſpiritus diſſipet, deinde exurens aër & caloris fervor. Cæterùm accerſenda etiam eſt victûs ratio. Hæc multum ſemper in omnibus corporis malis profecit. Abſtinendum itaque ab omnib. calidis, & quæ penetrantiorem ſubſtantiam obtineant. Commodiora ſunt, quæ refrigerant, & aſtringunt. Nam & jecinoris fervorem minuunt, & ſanguinis impetum coercent. Quare cucurbitæ fervula, lac oryzæ, amygdalarum, hordei quoque maximè ex uſu fuerint, & eo magis ſi ſuccum malorum punicorum inſtillemus. Atque hæc aſſumantur parcius. Potus omnis circumcidendus eſt, ſorbitionibuſque utendum. Interim linteis paulò aſperis confricentur infernæ partes, cucurbitulæ applicentur, cute non inciſa, aut ſi parciùs ſanguis detractus ſit, etiam ſcarificata. Proſunt extremorum lotiones, vel calidâ tantùm, vel ſi illi ipſi frigidæ herbæ incoctæ fuerint. Eaſdem partes, & vinculis arctiſſimis conſtrinxiſſe, & citra initia multoties profuit. Sic hirudines in uſum cedunt, hæmorrhoidibus applicitæ, præſertim ubi mittendi ſanguinis occaſio tollatur, vel ſi emiſſus parum, vel nihil profecerit. Tandem verò inter ſymptomata cutanei traducis, ſanguinis profuſio eſt, ubi nimirùm ſeu venæ ſeu arteriæ ramulus quiſpiam vel violetur, vel penitus diſſecetur. Hoc malum repentinum eſt, atque nimis reformidandum, præſertim, ſi vas illud quod incidatur, paulo ampliùs fuerit. Adjicit, periculo & ægroti ætas, anni tempus, temperies, ſanguinis natura, quæ omnia ſingillatim vim hæmorragiæ, & animos addunt, vel eo amplius, ubi ſimul conſpiraverint. Quapropter, & valentiùs pugnandum, & malo huic acriter obnitendum eſt. Adoleſcente enim corpore, omnes venæ humore turgent, ſanguiniſque copiam jecur liberaliùs ſubminiſtrat, qui cùm abundè caleat, quoquo verſum ſeſe inſinuat, & quemcunque perrumpit obicem. Quamobrem tum noverint medici, haud ita facilè eum conſtrictum iri, & proinde omni ſedulitate caveant, ne infideli rationis mora, quaſi reſumptis viribus maximo impetu, & extrema ægroti noxa ſeſe effundat. Huic proximè ſuccedit, & non exiguo cum diſcrimine virilis ætas. Quæ autem relinquuntur vitæ progreſſiones, & fatiſcente natura ad exitium properant, non tantas, ut reliquæ, turbas excitant, ideoque audacter, & tutò, contrectari poſſunt. Non ſecus diſcrimen augent & anni tempora, ob caloris, & frigoris vices, quibus corpora noſtra valdè concutiuntur. Etenim ſub graves autumni incertitudines & hyemis aſperrimos rigores venæ torpeſcunt, &

& ſanguis ad exteriora non ita promptè ſubit., quare tunc ſi vena quædam diſſecetur, effluentis impetum tutius ac citius licet corrigere. At æſtatibus mediis exurente ſirio, ac per totum quaſi veris decurſum circumſitus aër ſanguinem acrius promovet, & laxato corporis ambitu ex ipſis penetralibus evocat. Atque tum eadem operis difficultas eſt, quæ adoleſcentibus, & virili ætate conſtitutis contingit. Etenim, & adoleſcentiæ ver., & æſtati juventus paribus votis, & eodem pene calculo reſpondent. Imminuunt etiam vel adaugent ſymptomatis hujus ſævitiem & ſtatus corporum. Etenim quæ calida & humida, vel calida & ſicca fuerint, difficulter hoc malum tolerant. Non enim leves ſtimulos addunt ipſorum temperies: vel calida & ſicca, vel calida & humida, hæc quidem dum benigno ſanguine venæ diſtendantur, qui ſimul atque fræna laxata fuerint affatim, & inſtar torrentis ſeſe effundit., illa verò ob bilem humorum tenuiſſimam quæ & acrimonia, & calore, & ſubſtantiæ tenuitate ubicunque ſeſe inſinuat, & partes ad propulſionem exſtimulat. His de cauſis, atque in his corporibus, hoc ſymptoma difficillimè omnium licet compeſcere. Quapropter omnes induſtriæ, & vigilantiæ nervos decet intendere, quo maturè, ac ex legibus prudenter curatione inſtituta, affluentis ſanguinis vehementiam frenare queamus, & motum ejus ſiſtere. Quicquid præterea eſt temperiei frigidæ, ſive humidæ, ſive ſiccæ, licet vena etiam craſſiuſcula adaperta ſit, non æquè periclitatur. Cùm enim ſanguis his inſit frigidus, atque hac de cauſa iners, ideoque in habitum corporis cunctantiùs excurrit, aut ſi quidem ſeſe effuderit, paulò pòſt ipſe ſubſiſtit aut exigua cum difficultate coercetur. Eodem pacto nullus aut perparvus periculi metus eſt, ſi ſanguis fibroſus & compactis partibus ſolidus, & bene unitus fuerit, econtra ingentis mali exſpectatio aderit, quando, qui fibris careat ſanguis, ſua ſponte diffluat, & ſubſtantiæ tenuitate, & acumine, etiam per anguſtiſſimas partes, nec minori violentia erumpat. Experiemur autem, nunquid talis ſit ſanguis, ut vel ægrè vel promptè dilabatur, ſi vena inciſa, eoque matulâ excepto, poſtquam coiverit, aut vitri labro, aut ferri, lignive acie, eundem divellamus. Si quidem enim tenaciùs cohęreat, & non, niſi cum niſu ſeparari queat, proculdubio fibroſum eſſe & compactum exiſtimabimus: at ſi ferro vel ligno vix admoto non ſecus, ac quæ vetuſtate corrupta ſunt, protinus diſſiliat, eundem tenuem eſſe, & nullius craſſitiei participem rectè affirmabimus. Cùm igitur ſingula hæc quæ jam dicimus, quàm plurimum vel detrahant, vel adjiciant, quæ ex ſanguinis effluvio pendet, periculo æſtimanda ſanè fuerint diligentiùs ipſis medicis, atque ſingillatim his incommodis occurrendum, acriuſque, & obnixius conandum, quo plurima eorum ſimul convenerint. Omnis autem horum ſive curatio ſive correctio in duas partes diducitur. Nam perinde, ac in cæteris fluxionibus, & averſioni ſtudendum eſt, qua & revulſionem comprehendimus, & partium, quæ fluentem ſanguinem excipiunt, robori conſulendum. Avertimus ſanguinem, ſi oppoſiti brachii baſilicam aperiamus. Parcendum eſt nimiæ quantitati, dum ſanguinem educimus, ac intra modum conſiſtendum. Nam cęteris, quæ paulo poſt dicentur, præſidiis, ſi quid adhuc redundet abſumi commodè poterit. Prodeſt etiam, ubi profluentis ejus vis adhuc ſerviat, utrique hypochondrio amplam cucurbitulam, & magnâ flammâ apponere. Hoc præſidii genus felici eventu perſæpe experti ſumus. Si longius avocaſſe conſilium fuerit, tali vena incidere expediet. Sed contingit quandoque venæ ſectionem interdici, vel ob animi quandam patientis mollitiem, vel quod medicum abeſſe contingat, qua in re nullo modo cunctandum, ſed ad cætera præſidia animus convertendus eſt. Quare ſi cute ſcarificata, & ſuris, & femoris partibus domeſticis cucurbitulas applicemus, non exiguo cum emolumento ipſius phlebotomiæ vicem ſupplebimus. Nam exhauſto aliquantiſper ſanguine, & dolore ob ſectionem excitato omnis illius vis eò convertitur. Hoc remedii genus repetiiſſe quandoque profuerit, quod experientia, fidelis teſtis id longo uſu nobis commonſtraverit. Sin languidius, quæ jam habuimus, aut nullatenus auxilia profecerint, accurrendum eſt ad vincula dolorifica, quæ perſæpe nobis viſa fuere non incommoda. Devinciantur ergo tibiæ inferna propter malleolos, & femoris ima juxta genua quanto arctius poterit, & validius. Partes enim doloribus exſtimulatæ omnem ſanguinem ad ſeſe pelliciunt. Sic frictione partes atterere non erit inutile, quod ſuſcitato calore, eoque quàm blandiſſimo, viæ aperiantur, & pori cutis, quæ ſanguinem poſt hęc in ſemetipſas attrahant, & quaſi abſorbeant. Prudens itaque chirurgus, ubi periculum acriter æſtimaverit, ſubinde hiſce auxiliis utetur: at non unico temporis momento, ne temerè illorum copia uſus, vel effectus eorum impediat, vel ſemetipſum exhauriat, dum, quæ profutura novit, uno ictu confertim effundit. Sic enim, & artis decori, atque adeo ſui ipſius dignitati prudenter conſulet. Singula igitur ſuis temporibus digerat, & ſuo loco deſtinet, interim promiſcuo remediorum uſu renunciato. Exactè autem, & quantum fieri poterit, curioſius penſitet, quo pacto juſtitiam in quibuſcumque ęſtimatis rectè, & ætate, & anni parte, & corporis habitu, aliiſque ſimilibus, & æqualitatem obſervet. Interim verò, & partium confirmationi incumbet. Quo in caſu faſcias conduplicare prodeerit; nec brevi poſt, ſed tardiùs paulo removere. Gyros igitur faſciarum numero plures eſſe oportet, & validiùs conſtrictos, nec arentes, ſed poſca liberalius antè irrigatos. Hęc ſane remedium præſentaneum eſſe quandoque perſpeximus. Nec primo, vel altero die denudare vulnus conveniet, ſed in quartum uſque extrahere. Dum enim citatiore curſu ſanguis ruit, nihil quicquam movere ſatius eſt. Nam furorem ejus compeſcit quies; & commotum inhibet, qui leviter aliàs exagitatus acerbius ſævire ſolet. Interim otiari naturam haud quaquam, quis perſpexerit, ſed mirifica benignitate, objecto grumo, quaſi obice quodam ruenti ſanguini vias intercipere. Hos non dimoviſſe juvat, non ſiviſſe pernicioſum eſt. Proximè verò omnis humeri regio & uſque ad ſcapulas, poſca fundenda eſt, & linteola, quæ eadem imbuantur, brevi interſtitio deponenda, ſubindeque renovanda, ne calorem concipiant. His præſidiis, ſiquidem rectè adhibeantur, hoc malum deſidêre non infrequentius conſuevit, vel ſaltem ejus acerbitatem miteſcere, quæ tandem levi etiam aliunde, impulſu, penitus concidit. Cœterùm cum vulnere detecto, quod aliquando faciendum eſt, ut malum recrudeſcat, non immerito verebimur: paranda ſunt, & adhibenda, quæ aſtringant medicamina, quibus profuſioni ſanguinis ſi quidem incidat, occurrere valeamus. Tum venulę hianti goſſipium uſtum obvertamus, aut ſaltem vicinæ parti. Utilis eſt & caſtaneæ cortex exiccatus, & in pollinem ſubtiliſſimum redactus, ut & Galeni gluten quod aloes, thuris, maſtiches æquas portiones continet, & ovi albumine excipiuntur. Ex eodem

cenſu

cenſu eſt præſidium illud quod bolum armenum, ſanguinis draconis pulverem, atque adeo pilorum leporis pollinem recipit. Sed ut auxilia hæc plurimum per ſe habent ponderis, ita ſi victûs ratio exquiſita, & commoda non addita fuerit, nihil aut parum juverint. Prodeſt igitur, & ſitim perpeti, & à cibo, quoad vires ſuffecerint, penitus abſtinere, aut, ſi quidem neceſſitas expoſcerit, cibos craſſiuſculos paulo, & lentoris nonnihil participes apponere. Talia ſunt lac oryzæ, ptiſana hordei coctione conſumpta, quæ decocta ex ſeminibus aſtringentibus dilui poterunt. Prius autem oxalidis ſemina, & plantaginis, aquâ decoquere convenit, & mox percolato ciborum ſucco affundere. Mane ex uſu eſt ſaccharum roſ. antiquum, & quod ex oxalide conficitur, adjecto maſtichis pulvere, aut aliis perſimilibus. Exemplum tale eſt. *Recip. ſaccar. ant. roſ. ℥j. ſ. ex oxalide. ℥. ſ. pulv. maſtich. mumiæ, ſem. plantag. an. ℈. ij. miſce, & cum ſyrupo myrteo, ex arte reformetur electuarium ſolidum æque, & aureis phyliris obducatur.* Hujus ℥. ſ. deglutiiſſe ſuffecerit. Sic orbiculi parari poterunt, hunc in modum. *Recip. pulv. ſandal. rub. maſtich. an. ʒ. ſ. mumiæ, cornu cervi uſti an. ʒ. ſ. ſaccar. albiſſ. in aqua plantag. diſſoluti ℥ 6. efformentur rotulæ ſ. ar. pendere* ʒ. 2. quarum unam vel alteram eâdem ante cibum horâ præbere poterimus. Nec alienum fuerit ex trochiſcis terræ ſigillatæ, & ſtudioſe tritis vel ferculis, vel ſorbitionibus quid inſpergere, ea tamen lege ut ſacchari duplum adjiciatur. His igitur rationibus, jam à nobis dictis & ſanguinem fluentem ſiſtere, & cætera, quæ non raro oboriri ſolent, ſymptomata, & propaginem ore delineatam, aut vicinas ei partes exagitant, corrigere ſedulus medicus, & circumſpectus recte, & cum ægri emolumento poterit. Sed hoc loco ſcrupulus nobis, qui ex jam relatis emerſit eximendus eſt, atque quam brevibus, & perſpicue. Diximus enim, dum ſanguinis effuſionem pertimeſcimus, ne ſtatim vulnus commoveamus, ſed ad tres, quatuorve dies pacatum relinquamus. Illud etiam quamprimum detegere juſſimus, & ſedulo circumſpicere, an earum partium putredo quædam, & interitus ingruat. Nunquid igitur, re ancipiti, & ubi ambo, convenerint ſymptomata deſiſtendum ob hæmorrhagiæ metum, & de propagine periclitandum? An ſanguinem largius effluere ſatius eſt, & partium internecioni occurrere? In primis quidem, poſtpoſita traducis ſalute, & ſtillante adhuc ſanguine, nihil tentandum eſſe videtur, nec plagam contrectare. Metus enim eſt, ne vel ægrum largiſſima profuſio exhauriat, vel eouſque progrediatur, ut ægre quàm valentiſſimis etiam præſidiis, & longo intervallo poſt ſubſiſtat. Sed nihilominùs, ut plagam detegat, peritus medicus accedet, & partis interitum, ſi licet, prohibebit. Qua in re duo hæc obſervet velim, ne ſcilicet univerſum vulnus ſimul denudet, & ut quod blande fieri queat, & ſuaviſſime illud attractet. Nihil interni vulneris agitandum eſt, exteriora ſaltem, & ſuſpenſa manu leniter dimovenda, ac illa præſidia, quæ ſupra allata ſunt, ab adverſa traducis facie dejicienda. Sed & illud additur; ſi vulnere jam aperto, repente, & ultra modum ſanguinis effundatur, nec exiguum jam ſit, quod in parte ad interitum tendat, quidnam tunc medico faciendum ſit? cuinam illorum prius incumbat? quo pacto utrique, ſi liceat, ſuppetias ferre queat? Hanc litem actionis, quam perire neceſſe eſt, uſuſve dignitas dirimet. Exiguum enim eſt quod ex traduce intermortuo perpetimur (obeſt etenim quo minus faciem ad priſtinum decorem revocemus) at cum ſanguine, ſi violentius erumpat, & ipſam vitam profundimus. Frigidis itaque ac ſtringentibus plane medicamentis hæmorrhagiam, ut coerceamus, neceſſe eſt, quantumuis ex altera parte propago intereat. Si tamen malum hoc non tantopere ſæviat, ita quidem curationis conſilia explicanda fuerint, ut moderatione quadam ſaluberrima utriſque ſymptomatis ex æquo occurramus. Etenim, quæ commodiſſima fuerint, & utriuſque mali vim compeſcant, præſidia reperiantur, quæ calore ſimul, & ſiccitate id, quod volumus, rectè præſtare poſſunt. Nam quæ ſicca ſunt, profluentem ſanguinem coercent, quæ calida non tamen uſque adeo vehementia, ſed benigna, internecionem partis totam elidunt. Horum farraginem ſupra oſtendimus. Cæterum enarraſſe victûs rationem, quæ ſymptomatis his accommodata ſit, plane ſupervacaneum eſt. Id enim ſagax medicus, & peritus ex ſupra à nobis allatis venari poterit, ubi ejus, & quantitatem, & qualiſnam eſſe debeat, ſatis clare diximus. Hæc tamen admonere jam ſufficiat, ut abſtinentiæ quantum fieri poterit, & virium ratio permittit, ad quartam uſque ſaltem ſtudeamus. Negocia omnia, & curæ, quæque ſomnum abigant moleſtiæ, profliganda ſunt penitus. Quieti concedendum, ac ejus cùm univerſi corporis, tum præcipue brachii, quam pro ſymptomatum ratione oportet decernere. Extrahuntur enim mala hęc in quartum uſque diem vel in ſeptimum: raro, aut nunquam in undecimum. Sunt perplurimi qui nihil horum experiantur, ſed eam benignitatem humorum atque corporis, tantamque operis ſecuritatem ſecum afferant, ut vel ſurgentes à tertio die ad conſueta munia revertantur. Hoc tamen iis factitare licebit, ea lege ut nulla malorum adſit ſuſpicio, neque ut his quæ ſopita facile excitantur, qualemcunque anſam præbeant. Quare tutiſſimum fuerit, etiam optimè conſtitutos ad quartum uſque intra domeſticos parietes ſeſe continuiſſe, victu parciori indulſiſſe, ad horas uſque antemeridianas, lectulo decubuiſſe, ut hac vitæ moderantia, victuſque frugalitate ab impetu tantæ noxæ ſecuri, & immunes eſſe poſſint. E lectulo ubi ſurrexerint, curioſe brachii poſitum cuſtodiant, & latiſſimè quadam tænia ex cervice ſuſpenſum gerant, ſic collocatum, ut mediam figuram, quæ opportuna eſt, & doloris expers geſtando obtineat. Tranſactâ ſeptimâ, liberaliori victu indulgeant; vinum aſſumant, non tamen uſque generoſum, quo jecur, & venæ incaleant: ὀλιγόφορον, quod vocant græci, hos leve, ſane profuerit, vel quod minimum illius naturam exceſſerit. Nigrum longe accommodatius eſt. Hoc vitæ genere ad decimumquartum uſque ægri utantur; qui unus fere ſtatuitur terminus educendæ propagini, quod inferius declarare tentabimus. Medicus interim, quod eſt curationis, acerrime diligentiâ moliatur, & juxta præcepta, quæ ſupra deſcripſimus, cùm pharmacorum tum ipſius temporis, & adminiſtrandi modi ſuppurationi ſedulò incumbat. Ita enim fæliciter artis opera tractaverit, & non infimam laudem, nullis interpellatus calamitatibus, glorioſus conſequetur. Quas enim recenſuimus noxas, non ut perpetuo hanc actionem comitentur, retulimus, ſed ut nihil incaute; nihil ut temere agamus, nec quicquam in hominem medicum eruditum, & expertum cadat inopinatum. Non enim culpâ vacat, qui, ſi quid tale acciderit, ut removeat; quod noxium eſt, non habeat, ſed velut mus in pice hæreat, quo ſe vertat, quid conſilii capiat, ignoret. Nec licebit ob id confugere, quod & improviſo evenerit, te non putaſſe. Quàm enim ineptum hoc? Omnis error, utcumque inopinato accidat illaudabilis eſt. *Eſt enim ars*, teſte Cicerone, *certa quædam, & minime fallax: quæ ad eundem finem ſpectant, præceptorum collectio: nec artificem dixeris, qui, quæ artis ſunt, non perſpecta, & explicata habuerit.* Nam neque in ſcientiis, quibus eſt immota veritas aliquem recte verſatum eſſe quis pronunciaverit, qui non rem ipſam,

& quod diverſum perſuadere poterit, unâ operâ cognoverit. Etenim contrariis invicem collatis, & juxta poſitis multis partibus plus eluceſcit veritas. Quis imperatorem collaudarit, qui ſolum palam cum hoſte novit contendere, & non ſimul eorum inſidiis occurrere? Quis nautam commendarit, qui tranquillo mari clavum gubernet, mox oborta tempeſtate ob imperitiam navim demergat? Paratum igitur in omnem eventum eſſe decet, & caſum ab actionibus noſtris ſecludere. Hic enim ubi affuerit, nil certum, nil conſtans eſt, omnia incerta, omnia mutabilia: illæ, & conſilio reguntur, & ſolertiâ perficiuntur. Sic præſtat neque ſecurum eſſe, neque præcipitem nimis: hoc temeritatis eſt: illud negligentiæ, quæ à bono viro longe abeſſe debent. Quare inſtructos eſſe chirurgos noſtros voluimus, ut in utramque fortunam ſint paratiores, ſive omnia parata ſint, ne quid ipſi erroris committant, ſive difficultas quędam in opere, & incommodum emergat, ut quamprimum ſuppetias ferre, & mederi malo recte noverint, quæ omnia facillime aſſequentur, ſi quidem noſtra paulo attentius, præſenti animo evolverint.

Cap. 7. *Cur traducis cutanei depromendi actio diducatur, neque id unica ſectione fiat, quodque ſit tempus opportunum huic eductioni adminiſtrandæ, & quis ſit futurus omnis illius apparatus?*

PRopaginem cutim, ſeu cutaneum traducem delineatum conformare penitus, in eumque ſtatum adducere, ut faciendæ inſitioni non ineptus ſit, nunc inſtituti noſtri eſt. Quare neceſſarium eſt, ut quæ conferant pro opere peragendo, in primis edoceamus. Cogimur autem priuſquam omnem penum hujus negocii inſtruamus, pauca præfari, non indigna, & quæ ad propaginem maximè pertinet, ut minimum ſit, aut perexiguum, quoad mihi conſtiterit, quod in hoc opere noſtro ab mortalibus deſiderari queat, & propterea cæteris annecti debeat. Conamur enim primi hanc artem edocere alios, à nullis, quod nobis perſpectum ſit factitatum hactenus. Quicquid enim juniores noſtra tempeſtate, & qui paulo ſupra ab hominum memoria repetuntur pro artis hujus declaratione tentarunt, illud ineptius certe conati ſunt, quàm ut referri à quoquam debeat. Nam in artis infantia, pro rudimentis primis atque vel craſſioribus, & minus ingenioſis meras nugas attulerunt, orationis vanitatem, commentitia omnia, atque adeo univerſis artis notionibus repugnantia, ut incertum ſit declaraſſe, turpius ne quid, an indoctius aggreſſi fuerint. Sed parcendum eſt, ne quis liberalium hominum, in illorum maledicentiam, ſtylum noſmet acuiſſe exiſtimet, quod nihil minus agimus, cùm illud etiam ingenue fateamur, quicquid illi vel ſcripſerint vel dixerint non acerbius æſtimandum, ſed benigne, & humanius interpretandum eſſe. Utrinque enim aberrarunt, & commentitia pro genuinis ſcripſerunt, (non enim omnia omnes poſſumus) nihilominus benefaciendi ſtudio noſtras voluntates promeruerunt, & ſocordes ad aggrediendum quid dignum nobis, & laudabile, inſtigarunt. Hoc præterea illis ſuffragatur, ut doctiſſimos, & pios manes tueamur, & promptiſſimam eorum erga nos voluntatem fideli argumento teſtificemur, ſuffragatur inquam, illos non ita rem enarraſſe, ut vana interim experimenti autoritate adducta, quaſi fuco quodam artem ipſam exornare, & ſtabilire voluerint, ſed hoc ipſos ex aliis audiviſſe, non item facto comprobaſſe, ingenue teſtati ſint. Licuiſſet enim cuipiam illorum qui vulgarem quandam gloriolam aucupatus eſſet, id ſe re ipſa comprobaſſe dicere. Quæ illorum, ut eſt, non improbanda modeſtia, præter illum benefaciendi promptiſſimum animum, non iniquis contumeliis proſcindi, ſed cumulatiſſime laudibus extolli debet. Sed ut eò unde digreſſi ſumus, revertamur, deprecari nobis conſilium fuerat noſtram negligentiam, ſicubi in hac nova artis, & minus antè tentata commentatione, quod erudita ingenia deſiderarent, prætermiſſum fuerit. Neque enim fieri poteſt, quin præ ingenii noſtri tenuitate, atque adeo in primis artis incunabilis, imperfectionem noſtram, & mentis imbecillitatem atteſtemur. Nihil enim æque primordio perfectum eſt. Non una die Romanum crevit imperium. Quicquid eſt mortalium operum gradatim conſequendum eſt. Lente ac per vices ab imperfectis ad perfectionis apicem devenire oportet. Sic artes crevère, ſic ſcientia. Nam quæ alii jecère ſemina, & ſatis indecore, ea excepta à poſterioribus, & fælicius exculta incrementum ſumpſerunt, & aliquando maturuerunt. Sic Ariſtoteles, ſic Galenus, ſic alii quamplurimi, quod ab priſcis illis ſapientiæ profeſſoribus, rude ſatis, & impolitum acceperunt, id ad limam revocarunt, conformarunt, expoliverunt. Non enim eidem quid invenire, & perficere datum eſt. Unus bonorum omnium nobis fons, & autor Deus quadrata, & omnibus numeris abſoluta, exemplo nunquam non ſatis admirando, nedum imitando, profert opera. Mortales rerum perplexitate occæcati, titubantes, imbecilli, mente capti, licet clariſſimum ingenii jubar explicare conentur quandoque, mancis tamen, diſtortis, & nonnunquam plane ridiculis imaginibus inſcitiam ſuam, & imbecillitatem produnt. Quare meo judicio rectè Columella judicat in villatico ſuo opere ad finem, dum canis cunctarum rerum prudentiam minime dediſſe naturam affirmat. Etenim quicunque mortalium habiti ſunt ſapientiſſimi multa ſciſſe dicuntur, non omnia. Imo auſus eſt eorum quidam ingenue ſatis fateri, ſe, quo magis diſceret eo minus cognoſcere. Sed inſiſtamus veſtigiis, & greſſum promoveamus. Diſcutiendum primò videtur, priuſquam ad earum rerum apparatum, quem propaginis requirit eductio, orationem convertamus, quanam de cauſa factum ſit, ut depromendi traducis opera, interjecto dierum ſpacio, eoque non exiguo, prorogetur, nec unica vice ſed ſeparatim perficiatur. Videbitur enim quibuſdam forſan præſtare longius, ſi omnem moram explicandæ propaginis intercidamus. Nil enim obeſt, quin cutim, quæ in traducem ceſſura eſt, parata hunc in uſum forcipe noſtra Architectonica, vel ad infernam partem vel ad ſupernam utcunque id nobis ratio perſuaſerit, una eademque opera excidamus. Sic enim, & temporis jacturæ, cruciatuum magnitudini, operationis ſecuritati conſultum eſſet. Nam propaginem ſi uno impetu excipiamus, & pro inſitione paremus conformem, feſtinaret promptius noſtra operatio, & citius ad exitum, abſque tanto temporis diſpendio, ad tres menſes, & ultra ſcilicet, deduceretur. Quid præterea non tormenti ſubeundum eſt? Etenim nec bis patiendum eſſet, nec acerbius. Namque vix, aut non tanto dolore operationis vehementiam ægri experiuntur, quod adacta forcipe partium ſenſus quadamtenus obtorpeſcat. Hoc multi non obſcure profeſſi ſunt, ſe operationem hanc prius perfectam vidiſſe, quàm animadvertiſſe. At qui ſtimuli, quæ vellicationes, quæ tormenta, dum propaginem depromimus, perferenda ſunt? Videbimus id infra, dum actionem hanc cum ſuperiori conferemus. Quid non incommodi ſupereſt, dum parti ei medemur, atque vel ſorditiem extergimus, vel linteum imponimus? Certe cutaneus tradux, ſi unâ operâ totus, quantus futurus eſt, è brachio eximatur, faciliorem multo, blandioremque curationem nobis promittit. Quid non preterea fructus in

operatione

operatione percipiemus? quam tuto rem adminiſtrabimus? Etenim ſi vas quoddam vel arteriæ vel venæ, idque non leviuſculum, violari quandoque contingat, licebit utique injuriis ejus facilius occurrere, quod ſub aſpectum, & manus noſtras rectà cadat, ſive id deligandum eſſet obnixius, ſive vel uſtione ubi contumacius ſeſe effuderit, ſanguis cogendus, vel fauces ei obturantibus præcludendæ ſint. Atque hoc apud nonnullos plurimum ponderis habiturum eſſe, facile adducor, ut exiſtimem. Hæc tamen omnia, quanta ſint, unius exitus lubrici, atque adeo quod fruſtra fiat, quod moliamur, oppoſito ariete cunctantur, penituſque demoliuntur. Quantumvis enim cita, & cruciatuum exors, tametſi lenis, & ſecura illa exiſtat operatio, nihilominus tamen, & artis finem excludit,& omnimodam perniciem propaginis interminatur. Hæc enim prima calamitas eſt, ſi quidem ſimul totam propaginem, ut decet, excideris, quod ſimulatque una ex parte avellatur cutis, quamprimum reſiliat, & uno fere oculi nictu totam ſeſe contrahat, quam ſive manu complanare, ſive vinculis explicare adnitaris, omnem tamen operam luſeris. Præter enim, quod id ob partis illius flacceſcentiam fieri nequit, & ſubjectarum partium, jamque convulneratatum curatio hoc opus minime patitur. Videtur ſimile quid fidibus in teſtudine accidere, quæ ſimul ac validius diſtenſæ reſcindantur. Nam, & ipſæ uno impetu reſiliunt, & explicatæ haudquaquam eò, qua eas incideris, redeunt. Sic quandoque vulnerum labia hiare vidimus, ut ea adducere rurſus quantumvis inſudaremus, plane impoſſibile fuerit. Diſſuadet ergo, & penitus prohibet, hæc in ſeſe currentis cutis noxa, quo minus una eademque opera, & propaginem delineemus, & univerſam depromamus, & tanto plus, quanto majus periculum fuerit, ne præter illa incommoda penitus emoriatur. Etenim conglobata minus difflabitur, minus curam ex remediis admittet, & ſi qua illius parte intereat id latius ſerpendo, & reliquum contactu inficiet, & totum confeſtim abſumet. Negat id operandi genus poſſe concedi, & partium, quæ ſubſtratæ ſunt, non contemnenda dignitas, ſive muſculi fuerint, ſive venæ, & arteriæ, quæ ſi inſolentius denudentur, mirum quantum ex aere circumfluo offendantur. Non enim non omni ferro penetrantior eſt, licet partes eas ſatis ſtrenue faſciis muniveris, & præcipue tunc impetit, cum ſuam propago curationem expectat. His ergo incommodis tollitur illa adminiſtrandæ propaginis præceps, & accelerata cura, & in medium venit ea, quæ interpolate fit, & diſtractim, quæ ſane utcunque tardior paulo fuerit, utcunque quædam cruciatus momenta includit, longe tamen tutior eſt, & ad inſtitutum noſtrum accommodatior, quam illa, qua non ſolùm de lucro, ſed de ſorte etiam periclitamur. Sed jam ex ordine ſequitur, ut tempus, quo propaginem depromi neceſſe ſit, recte definiamus. Hoc ut in cæteris artis operibus fit, non certis diebus aut horis deſcribi poteſt, ſed ex rei natura, & ſubſtantia petitur. Quod enim illa nobis commonſtraverit, id ſequendum eſt, quod verò alienum ab ea erit, recuſandum: nec annexa eſt ejus virtus certis regulis. Quando igitur propaginem jam denotatam educere conveniat, illius nobis, quæ neceſſaria eſt, corpulentia oſtendet, & ſymptomatum omnium intermiſſio. Affluente enim ſanguine, eoque caloris vi in fibras carneas compacto ſolideſcit cutis, & denſior fit, quo quaſi freno, jam inciſa, revellitur; quo minus corrugata evaneſcat, ſed expanſa priſtinum quantitatis decus retineat. Hoc erat illud, quod ſectionem hanc, unà cum ſuperiori, qua prima lineamenta traducis duximus, ſimul fieri vetabat. Expectandum itaque eſt, ut craſſior cutis quoquo pacto, & compactior evadat; quod, ſi in incertis rebus certi aliquid licet ſtatuere, intra quatuordecim dies fere ſolet contingere. Quo temporis beneficio, & quæ corpora ſubjecta ſunt, non ſine utilitate fruuntur, dum exiccata nova cute ſeſe inveſtiunt, cujus ope confirmantur, & egregie ſe tuentur ab aeris exterius advenientis injuriis. Itaque ex hac excerpendæ propaginis occaſione quaſi auctarium quoddam, nec ingratum ſubſidium, partibus his accedit, quas externis noxis exponere, & immunitas relinquere nec commodum nec tutum ſatis foret. Præcipue autem hocce operationis genus adigit, ut differamus, ipſa ſymptomatum, quæ contingere ſolent violentia, atque quouſque penitus conciderunt, quod intra illud dierum, quod diximus, ſpatium non poteſt non fieri. Si enim effrenatius ſanguis proripuerit, ſi inflammatione partes diſtendantur, ſi eryſipelate incaleant, quis quæſo non videt nihil tentari poſſe, tantumque abeſſe ut de traduce educendo cogitemus, quod novis doloribus novo periculo fit, ut potius quo mala, quibus partes illæ confligantur, deliniamus, eo omnes conatus noſtros, omne conſilium, omnem operam, & ſtudium convertere oporteat. Nec contemnendum illud eſt, quod ex interitu propaginis impendet periculum. Iam enim ubi traducem hæc mali labes concutere occepiſſet, nullatenus ejus ſævitiam vel compeſcere, vel extirpare nobis integrum eſſet, ſi quidem primis incommodis nova denuo aggregaſſemus; quin ferocius longe, & immitius in propaginem graſſaretur, & eum ſua virulentia penitus conſumeret. Non enim tum, pluribus malis ſimul incumbere poſſemus, & eorum vim evertere. At cum ex mora interpoſita, curationi locus detur, ut ſi quid obripuerit acerbius, id ſtatim è medio tollatur, & non parum interea recreatis viribus propago confirmetur, utpote, quæ ex duplici loco tanquam geminis uberibus, & ſanguine, & ſpiritu perfundatur. itaque minus periclitabitur, & omnes operationis impetus, ſi qui ſunt, & futuri ſunt promptius, & minori cum noxa ſuſtinebit. Si enim altero nutritio exempta privabitur, infelicius multo vitam deget, nec vires jam labantes recuperabit, ſed iis collapſis protinus evicta, & emortua concidet. Operæ igitur precium fuerit, hanc ſecundam actionem pauliſper prorogare, & tum eam aggredi, cum omnis ſymptomatum fragor conciderit, & ubi redintegratis viribus ipſa propago à malis reſpiraverit. Sic operis ſecuritati conſulemus, ſic ægroto moleſtias imminuemus, ſic maturo rem abſolvemus (ſat enim cito fit, quod ſat bene) ſic etiam aliis partibus, & præcipue, quæ ſubſtratæ ſunt, non leve emolumentum comparabimus, cum omnem aeris iniquitatem arceamus, atque ut paulum ſeſe reficiat, poteſtatem faciamus, tandemque id agemus, quod recta ratio, omnium ſcientiarum magiſtra, & actionum regula, nobis commonſtret; cui nec experientia, gravis & ipſa teſtis, & illius quaſi comes, ſi non ſocia, repugnet. Nam conatus noſtros, hucuſque fælices rei ſucceſſus ſemper confirmarunt. Sed jam apparatum hujus adminiſtrationis expedit, ut edoceamus, ut paratiores eſſe poſſint medici, dum opus aggreſſuri ſunt, & ad agendum alacriores. Non enim leve ſolatium eſt, nec minima pars operis, inſtrumentis, quæ ex uſu ſint, ſatis inſtructum eſſe, & ea accommodata, apteque diſpoſita habere. Illud enim agenti calcar addit: hoc artem, & artificem commendat. Veruntamen ſupellectilem hanc ad ſuperiorum normam, quam in prima operatione adduximus, facile unuſquiſque ex ſe poſſet inſtruere; ne tamen quis hæſitare poſſit, nec ſibi ipſi ſatisfacere, agite brevibus, & compendioſe rem omnem enodemus. Cùmque ita diſſecanda ſit cutis ex altera parte, cumque venulæ quandoque intercurrant, ideo illa prorſus inſtruenda ſunt omnia, quæ in prima traducis delineatione ſupra deſcripſimus.

Ovi ergo albumen, roſacea dilutum, liberalius adſit. Huic bolum armenum, & ſanguinem Draconis injicere convenit. Adſint linamenta ſtuppea, bina, lata, & in ovatam figuram conformata. Quantitas ex amplitudine ſectionis petenda eſt. Sint autem ampla ſatis, ut univerſam ſectionem nuper factam, obvelent cum propaginis, tum ipſius brachii, ex quo is ipſe jamjam depromptus fuit. Medicamenta adhuc, & linamenta in promptu ſint in curam ſubjecti vulneris, cujus totam circumſcriptionem eo, quod propaginis fundamentum ſit, perbelle aream vocamus. Ut igitur ei medeamur, linamenta parare decet ſuppurantibus oblita, & linteorum, quod injiciamus, ipſi areæ amplitudine reſpondens, ſub hæc alia quoque linamenta ex uſu fuerint, quæ interno traducis vulneri proſpiciant, ſintque unica vice hac, præſidiis ſupra habitis, quibus pus movere datum eſt, adhuc obducta. Cætera videbimus alias. Requiruntur etiam faſciæ duæ eadem quam ſupra notavimus magnitudine. Illarum altera aream, & quæ medicamenta injecta ſunt continebit: altera in ſubſidium eſt cutaneo traduci. Hanc univerſo brachio extra circumducere oportet, ideoque longiorem illa eſſe convenit. Adſit etiam culter politiſſimus æque, & acutiſſimus unus atque alter, quibus ſectio adminiſtranda fuerit. Sic acum adeſſe decet trajecto funiculo, qua faſciarum fines conſuemus, & præcipue internæ quæ nullatenus in nodum vult conſtringi. Famulorum præcipua cura fuerit hęc adminiſtraſſe, vel in iiſdem apparandis chirurgo præſto fuiſſe, cui illico incumbet nunquid recte ſe habeant omnia, oculis ipſis perluſtraſſe. Nihil enim magis actum erit, quam quod ipſe agas) tandemque ſingula ſuis locis probe collocaſſe. Atque hæc de apparatu. Cætera in ſequentibus proſequamur.

Cap. 8. *De cutanei traducis jam educendi adminiſtratione.*

Edocturi jam, quo pacto cutaneum traducem ſeu cutis propaginem educere conveniat, ita orationem inſtituamus neceſſe eſt, ut pro curtarum partium ratione, in quarum uſum ipſe ceſſurus ſit, ejusdem educendi modum primo demonſtremus: mox rem ipſam aggrediamur. Non enim parum refert quid agas, & cur agas prius cognoviſſe. Illud igitur primo ſcitu dignum eſt, cum in alterutram partem cutaneum traducem educere poſſimus, id tamen indiſcriminatim facere non licere, locus enim pro ſectione hac non promiſcue omnis eſt, ſed quem curtæ partes oſtenderint. Cum itaque nares curtæ, & labia utraque ex ipſo reſtituantur, videndum eſt, num ſingula iſtorum eundem ſectionis locum requirant, an plane diverſum: & nunquid aliqua eorum conſentiant, aliqua vero diſſentiant. Hanc rem definiet recte operis finis, & artis ſcopus, qui eſt, ut partes curtas ad deficientis quantitatis normam, reſtituamus, neque id ſimpliciter, ſed appoſite, & quàm decenter, ut quantum fieri poterit, naturæ typum aſſequamur, & hoc grato ſpectaculo mortalium oculos perſtringamus. Id autem pręſtabimus, ſi traducem ſubſtantia, quam ſimilem adjungamus curtis, atque ut eum in membri, quod perierat, figuram apte, & concinne ducamus. Sed hoc infra rectius docebitur, jam illud evolvendum eſt. Cum igitur in traduce duplex adſit ſuperficies, externa ſcilicet, & propria ſcilicet domeſtica, & minus propria, quinimo aſcititia: & cum utraque earum educi, & curtis applicari queat, quanam parte atque vel infra-ne vel ſupra id faciendum eſt? Si in applicatione hac decentem ornatum, ſi naturæ æquitatem obſervare licet, ſi diverſarum partium concentum, ut hominum oculos afficiant, exprimere convenit, utique profecto nihil aptius erit, nihil conformius, ipſa cute brachii ad externam faciem, curtis partibus, extra etiam applicata, nil vero ineptius, nil enormius ipſa parte averſa traducis, ſi cum adverſis curtorum partibus conjungatur. Hęc enim rubra inæqualis eſt, & aſpera, illa lævis, æqualis, & grato candore conſpicua. Conveniet igitur partes haſce, & curta, & traducem, adverſas aggregare, & unire. Sic enim & partium ſubſtantia, & ſimilitudine concinne ſibi invicem reſpondent. Quod cum ita, ut ſtatuit recta ratio, faciendum ſit, ſane, & poſitum traducis vel ſitum in unione quadrare opportunius eſt. Quare ſi ex inferna parte propaginem incidamus, ac naribus applicemus, nemo certe non videt eam inverti debere, & domeſticam ejus partem, externis, & adverſis narium partibus conglutinari. At hęc ab illius ſymmetria, & ſubſtantia longe diffidet, eſtque hoc agere ab fine, & bonitate artis alienum penitus, quæ mirificum quendam partium invicem conſenſum requirit, & id unum curat ſedulo ut recte agentis naturæ, ſi modo licitum eſt, veſtigia ſemper inſequatur. At quamvis ingenio quodam invertere propaginem poſſimus, & intorquere, noverit tamen unuſquiſque velim, hanc contorſionem ſive inverſionem magna certe mercede vel inflammationis in traduce, vel cruciatus in ægro fieri. Nec prudentis eſt, res dubias, & ancipites certis atque accommodatis anteponere. Quod faceret is, qui propaginem infra excideret, exciſum contorqueret, contortum insereret. At ſi ex ſuperiori parte reſciſſam eduxeris, mirum eſt, quam recta, quam ſine incommodo & ad nares, & ad ſuperius labrum feratur, quam lævore, æqualitate, ſi ſic curtis adverſa applicetur, quam candoris ſpecie cęteris membris reſpondeat. Merito igitur ſtatuendum eſt, ſi nares, atque adeo ſuperna labra inſtauranda ſint, non infra propaginem, ſed ſupra, & qua parte ad alas inclinat, incidi, & à brachio educi debere. Secus accidit, cum infernum labium refici oportet. Tunc enim, ſi loco alto exciderit traducem, & affecto loco connectas, partem eam quæ illi genuina eſt, & nativa, intro converti contingit: quam vero ex inciſione nactus eſt ſuperficiem calloſam aſperam, & fuſcam quaſi, oculorum aciei adverſam exponi. Quod cum maxime abſurdum ſit, & fini noſtro penitus adverſarium, enitendum eſt, ut depreſſo loco, & qua ad ulnam convertitur traducem excindamus. Ita fiet, ut infero labio recte cohæreat, & ex artis præſcripto ad exemplum ipſius naturæ, partibus curtis ſumma æquitate conſentiat. Sed nunc operis adminiſtrationem ineamus, qua in re admonendi nobis ſunt chirurgi, nos ſectionem hanc duplici modo præſtare poſſe. Aut enim recta fieri poterit propaginis inciſio, aut obliqua: quarum illa ab interiori propaginis angulo, ad alterum exteriorem recta, neque huc neque illuc inclinata ducitur: hæc vero ab interno cutis angulo ad ſuperiora, & decuſſatim quaſi aſcendit, & quam propaginis regioni ad humerum contermina eſt cutis illius partem quantam eripit, aliquando quidem adeo inſignem ut ſeſquidigitum exæquet. Hanc vero diverſitatem, nos magna Dea neceſſitas edocuit, & uſus optimus artifex comprobavit. Cum enim aliquando propaginis delineationem non exacte conſtitiſſe, à nobis animadverſum eſſet, nec parum eſſet, quod imminuta ejus longitudine à præſcripta mole diſcederet, quare ut hunc errorem corrigeremus, propaginem quadantenus exporrigere, & amplitudinem ejus adaugere inſtituemus, quod non alia ratione, quam ſectione hac, quæ obliqua fertur, nec incommodo licet aſſequi. Solet enim ad cæteras decrementi traducis noxas; & illud accedere, quod juxta angulos tam ſuperiores quam inferiores, perenni vegetandi agitatione natura ipſa coitionem moliatur, & inde propaginis moles

fere plus quam par eſt pro inſitione, imminuatur. Nec minus opportuna eſt ſectio hæc, cum laxa cute, & tenui, inſigne traducis decrementum fore, quod ex latitudine jam imminuta certo conſtat, non immerito verebimur. Admonemus itaque medicos, ſi quidem non abſque illorum culpa paulo brevior, quam ſatis eſt, propago fuerit: aut ubi cutim exciſuri, non leve quid de quantitate ejus deceſſurum fore ſuſpicentur, ut errata illa corrigant, & futuris malis hac prudenti ſectione proſpiciant. Ubi vero nullus dubitandi locus relictus eſt, tum rectà, & abſque aliqua ad latera declinatione ſectionem molientur. Præſtat tamen ſemper in omnem eventum attentum eſſe, & ut redundet potius quid, quam deficiat, providiſſe. Æger igitur lectulo decumbat, eo penitus loco, & ſitu, ac fuit, cum prima traducis lineamenta ducebamus: lumini opportunus, à parietibus intervallo diremptus, proxime ad exteriorem marginem, ut ſub artificis manu hæreat, circaque lectum hinc inde excurrere liceat, & ut abſque cereorum uſu operatio poſſit peragi. Miniſtri interim ſua loca obſervent: alter ad artificis dextram, qui penes ægrotum erit: alter ad ſiniſtram: hic ægri brachium, pulvillis innixum, cubito tenus, manuque extrema recte ſublata continebit: ille vero, ut medicus pręceperit, & vel recte vel oblique propago excidenda ſit, ſic ſuperam humeri regionem contrectabit. At quoniam utrumque horum modorum, nempe aut rectam aut obliquam ſectionem, in uſum transferri conſtat, non ludemus operam, ſi unumquemque illorum non ſemel, & una pręceptione, comprehendamus, ſed diſtinctius, & accuratius deſcribamus. Quare ſi rectam ſectionem chirurgus facturus ſit, miniſtrum qui à dextris objicitur, ſupernam brachii cutim, & quæ traduci proxima eſt, comprimere jubeat. Cedit enim cutis ob mollitiem, & ſectionem, quæ recta futura eſt, non raro interpellat. Comprehendet vero cutim miniſter, & ad normam continebit, ſi alteram manum axillæ injiciat: alteram vero ad cutaneum traducem quam proxime imponat. Interea chirurgus propaginem ſpecillo attollat, indicem ſiniſtrum imponat pollicem extra è regione adjiciat, & traducem blande ſublatum contineat. Mox dextra ferrum imponat, aciem impingat, & ad rectam lineam ad angulos ſuperiores, æquali, & non erranti ductu perducat. Propaginem jam eductam ad ulnam inclinet, & parte ea, quæ vulnerata eſt, ſtuppas imponat, probeque muniat. Fit enim ut non levem ſanguinem hæc pars effundat, ſi quandoque venula quæ incidatur eandem perreptaverit. Itaque, & hic habet, quod non negligat artificis ſedulitas. Interea miniſter cæteris partibus nempe areæ incumbat, ſtuppas injiciat, & ſanguinem profluentem arceat. Atque hæc prorſus fuerit rectæ ſectionis ratio. In obliqua, quam nunc edocebimus, primum eo ſuperſedendum eſt, ut neque quod ſupra voluimus, brachium miniſter comprehendat, neque manus geminas, imo nullam injiciat. Hoc tamen medico perſpectum ſit, ut inter traducem, & ſubjecta corpora ferrum adigat, & ſuperiora verſus ſectionem paret. His enim duobus operatio hęc à ſuperiori deſcendit. Protinus itaque ubi perſpexerit, quantam portionem cutaneo traduci adjicere oporteat, hunc pollice ac indice dextræ manus ſuſpendat, & miniſtro, qui ſupra eſt ſcilicet ad dextram, comprehendendum tradat. Ipſe propagini ſpecillum intro ſubjiciat, eandem attollat, & indicem ſiniſtræ manus lenius imponat: huic pollicem ex adverſo objiciat, & quemadmodum diximus cutim ipſam ſublevet, pauloque altius ut cutello non impedito aditus pateat. Eundem dextra injiciat, aciem adigat, & valide tranſverſoque ictu quantum ſibi opportunum eſſe viſum fuerit, obnixe educat. Propaginem jam depromptam ad ulnam reclinet, & qua parte reſecta eſt, ſtuppa contegat, & recte muniat. Sed hoc negocii ſtatim miniſtrorum alteri concedendum eſt. Ipſe medicus ad aliam partem recurrat, linamenta injiciat, probeque, & ſedulo curet, ut omnem ſanguinis impetum, quovis modo refrenet, & inhibeat. Exinde conſilium eſt univerſam aream contegere, atque diverſis linamentis, & linteolum illud latum imponere. Propaginem verò miniſtro ſiniſtrorſum credat, qui dextra eam comprehendat commodiſſime, & linteolis tepefactis, adverſus aeris injurias indefeſſo foveat. Interim chirurgus altera faſciarum totam aream circundare, & opportuno contegere, hoc prorſus modo, meditabitur. Initium illius ad ſuperiora, & interiora areæ explicet, id pollice manus firmet, dextram ſub poſtica parte demittat, ad interiora ſurſum faſciam educat, mox qua parte cepit, revertatur, rurſus faſciam circumducet, quod eouſque peraget, quo tandem univerſum areæ ſpacium circumjecta faſcia contectum fuerit. Ea tamen lex eſto, ut in externam brachii partem faſcia deſinat, ubi reliquis ſpiris eam affigere, & funiculo aſſuere elaborabit artifex. Hæc ubi peregerit tum propaginem depromat, & qua parte reſidere debet, ſuper eundem plane locum, unde exemptus eſt, linamenta quædam, pro interna ulceris curatione, ſupra eam faſciæ latitudinem, inſternat, & eo impoſitum traducem reclinet. Hic obſervatione dignum eſt, ut locum traduci convenientem ſatis aſſignemus, atque ut eo tam in latitudinem quam longitudinem explicato, ne quid erroris committamus, moderantiam quandam actionis obſervemus. Plurimum enim ad operis perfectionem proderit eundem recte componere: nec minimum à mole ejus decedet, ſi quæ non rite peragantur, quo nihil erit vel ad operis finem inutilius, vel ad artis commendationem ineptius. Nec protinus id animadverti licet, ſed furtim labes hęc ac per momenta ſeſe inſinuat, quouſque tandem aliquo tempore poſt ejus incrementum concipiat. Nullum igitur oportet non movere lapidem, ſeduloque, & obnixe contendere, ne erratum quid, negligentia, & culpa noſtra committamus, ſed quoad licet, officij noſtri munia expleamus. Traduce igitur reclinato, explanato, & rite compoſito, jubeat volo chirurgus, ſupremam ejus à miniſtro ſupra comprehendi, impoſito indice, medióque digito, & ne quid remittat, ſollicito admoneat. Etenim, ut propago contrahatur cavendum eſt. Ipſe faſciam arripiat, ad infernam partem, & qua matri propago adhuc inhæret, injiciat, mox deligationem promoveat, quouſque tandem integram propaginem comprehenderit, & cum brachio devincierit. Noverit autem chirurgus in hoc faſcię circumpoſitu, totam operis jam dicti dignitatem conſiſtere. Nam contabeſcit, quam primum tradux ſi arctius conſtringatur, & calore ſuffocato emoritur: ſin vero laxius deligetur neque ſic fiet, quo minus à quantitate ſua recedat. Æquitatem igitur, & regulam adhibeat, ne quid vel connectendo obnixius, vel devinciendo ſolutius, non ſine querimonia peccet medicus. Sed cum arduum ſit primo ictu metam attingere, & non niſi experientia conſtet, num ad normam actionem tuam direxeris, itaque ut certior evadat, & peritior, quotieſcunque faſciam deprompſerit chirurgus, univerſam cutis ſubſtantiam animadvertet, & curioſe circumſpiciet, nunquid recte ſeſe habeant omnia: an vero propago emoriatur, aut quodammodo ſeſe contrahat. Hoc autem oculi demonſtrabunt: illud vero pallor, & in ſentiendo torpor oſtendet. Itaque ſi quid prętermiſſum fuerit, id rite, & ſine difficultate corriget. Sit autem diligens

diligens valde chirurgus expeto. Quare quod reliquum eſt ubi omnia peregerit, tum brachium in locum ſuum atque in mediam figuram collocabit. Atque hæc fere, ni fallor univerſa operationis hujus adminiſtratio eſt. Sed hoc in loco, quaſcunque traducis partes annotaſſe, & propriis appellationibus deſignaſſe, commodum eſt, ut illarum, ſi quando mentio incidat, abſque ulla verborum circumſcriptione meminerimus. Effingendis nominibus agricultura faces proferet. Ejus enim ſigna libenter ſequitur ars noſtra, ſub cujus auſpicio in campum proſiliit, cujus ductu ut unicuique patet, hucuſque militavit. Partem igitur univerſam, quæ operationis noſtræ materies, & ſedes eſt, & cutaneum traducem, & cutem propaginem, & cutim brachicam novo efficto nomine hucuſque, ut & inde fiet, nuncupavimus. Hæc longitudine & latitudine inſignis eſt: altitudinis minimum obtinet. Longitudine verò & latitudine adeo differt, ut illa tertia parte hanc fere ſemper ſuperet. Longitudinem autem, quia inſignior eſt, in ſuperiorem mediam, & infimam partem ſecari licet, & ſingulis ſua nomina indere. Superiorem eam intelligimus, quæ proxime à brachio abſciſſa fuit, quam traducis apicem jam aliquoties diximus. Eundem proprio magis nomine inſitio, ſeu apice inſitio poſthac ſignificari volumus, quod hoc loco præſertim is ipſe in curtas partes inſeratur. Infernam portionem, quæ à brachio dependet, radicem traducis appellamus. Hinc enim, velut ab radice in arbores, ſic in reliquam traducis ſubſtantiam alimentum defertur: Sic partem quę radici brachii contermina eſt, nutritii nomine deſignamus, quòd ejus beneficio nutriatur tradux, & adoleſcat. Quæ verò media eſt inter radicem, & apicem, eam propaginis corpus non immerito vocabimus. Quod autem ad ejus ſuperficiem utramque ſpectat, nos equidem communi nomine, & interna, & externa, aliquando etiam averſa, & adverſa uſi ſumus. Quæ enim interna eſt à facie noſtra averſa eſt, quam quia in callum decoquitur, nonnunquam calloſam nuncupabimus: quæ verò exterior eſt, hæc oculis noſtris ex adverſo ponitur, quam uſitato cutis nomine cutaneam deinceps dicemus. Cæterum traducis oras vel interiores, vel exteriores, aut lineas vocabimus aut linearia confinia, vel interna vel externa. Nec ea incommodo & labia dicere poſſumus, quod rotunditate, & craſſitie labia oris fere repræſentent. Atque hæc pauca de his ſufficiant. Quantumvis enim rei æſtimationem his nominibus non aſſequamur, non minimum tamen lucis conferunt, & omnes errorum tenebras, qui ſubinde his nominibus occuluntur, diſcutiunt.

Cap. 9. *De curatione recentis, & antiqui vulneris, cùm in traduce cutaneo, tum in area ipſa, nec non de cutanei traducis educatione.*

POſtquam igitur cutaneum traducem eduximus, & nequid nobis ſanguinis effuſio negotii faceſſat, prima curatione cavimus, mox ſequenti die vulnus detegere præſtabit, ſeduloque circumſpicere, quid nobis in hac curatione fugiendum ſit, quidve poſthæc peragendum relinquatur. Qua in re ut diſtinctius, quàm fieri poterit, progrediamur, partienda nobis oratio fuerit, cum id res ipſa poſtulet. Duo ſunt omnino vulnera in utriſque partibus, in area ſcilicet, & in traduce, diverſa penitus, quorum unumquodque ſuam curationem, & propriam expoſcit. Primum illud tam in brachio quàm in propagine jam antiquum eſt, quod in prima delineatione obvenit: alterum recens eſt ad eductionis locum, cùm ad apicem traducis, tum ad areæ regionem ſupremam. His ſingulis varia debe-ri auxilia, nemo plane eſt qui ignoret. Quæ enim pars nuper attrita eſt, & ferro laceſſita ſuppurationem requirit. Illud verò jam inveteratum vulnus conſumpta immani illa cùm affluentis, tum congeſti humoris copia, ob partis imbecillitatem, ex convulnerationis impetu illatam, rejectis jam inde ſuppurantibus exiccatione indiget, eaque non vulgari, quo demum quidquid molle eſt, ſiccando compreſſum in callum, ſeu cutem obdureſcat. Quare ſedulo annitatur medicus, ut ſub exitum hujus operis, atque ubi in callum concreverit cutis nullo impedimento ad artis finem rectà pervenire queat. Quæ cura illi etiam incubuerit, ſimul ac tam propaginis apex, & ſummum areæ confinium ad exactam ſuppurationem devenerit, quod negotium fere intra novem dies, vel ad ſummum intra undecim, quandoque & ſeptima luce perficitur. Non enim id pus movendi intervallum quod antea, admittimus, cum non idem jam nobis propoſitum ſit, multaque fuerint, & non indigna, quæ vulneris tunc ſuppurationem extraxerint. Primum enim id nos feciſſe adegit ſymptomatum gravitas, quorum vel metum concidere, vel ſævitiam penitus placari prius neceſſarium fuit. Sic expectandum erat ut interim compacta carne ſolideſceret cutis, & in majorem molem excreſceret, quo minimum certe, aut non tanto impetu, & priuſquam auxilium afferas, ipſe tradux decreſcat. Non enim exiguum eſt, quod illi ex carneis fibris alibi ſubnatis robur accedit, quæ quaſi frenis in quibuſdam impendentem, & jam erumpentem cutis decretionem inhibent. Celerius itaque ſuppurantibus renuntiaſſe licet, atque exiccantia ad manus ſumpſiſſe, ut partes illæ callum, ſeu cutem dixeris quamprimum contrahant. Inditio autem fuerint, jam ſatis ſuperque ſuppurata eſſe vulnera, *cum in ipſis medicus conſpexerit*, quæ Celſus doctiſſime refert, *æqualem ubicunque ruborem, ſiccitatis, & humoris moderantiam, nullumque, vel exiguum doloris veſtigium.* Tunc enim ſuppurantibus ſuperſedere oportet, & ut cicatricem plagæ inducas omnes conatus exercere, quod iiſdem fere tam in area, quàm propagine, auxiliis perficitur. Paulo tamen valentiora, ut uſus nos edocuit, ipſa area præſidia requirit, quod uliginoſum magis (ni fallimur) id brachii vulnus & ſordidius exiſtat, cum muſculis inhæreat, quibus, quæ vaſa circumſiſtunt liberalem vaporum, humorumque copiam jugiter affundant, & ulceris cura, quod ſicco gaudet, maxime ſuſpendant. Aſt ubi exigua colluvies fuerit, ut eſt, quæ traducem cutaneum obſedit, itaque promptius occalleſcit, & mitioribus multò, quàm areæ vulnus, tractari cupit. Præſtiterit ergo, quando delectus adeſt, utcunque idem artifici ſcopus ſit, hanc curationem nihilominus diducere, quod etiam ea de cauſa non negligendum eſſe videtur, cùm diverſis fere, atque propriis ſymptomatibus pars utraque ſubinde excrucietur. Sed tranſeamus propaginis curam, atque eam, quæ areæ eſt, jam proſequamur. Medicamenta pro cicatrice quamplurima ſunt, at nobis uſu comprobatum eſt unguentum ex pompholyge, cujus hæc deſcriptio eſt. *Recip. Ceræ albæ, olei roſ. an.* ℔.ſ. *ſucci fructus ſolani ſat.* ℥.*iiij. plumbi uſti, & loti, pompholygis, an.*℥.j. *thuris puri.*℥.ſ.*Coquatur oleum, cum ſolani ſucco, ad illius conſumptionem, tunc adjiciatur cera, qua liquata addantur cæterarum rerum pulveres, iique tenuiſſimi, ſubigantur in mortario omnia, & ad unguenti formam reducantur.* Hoc unguento linamenta oblinimus, & brachii plagæ imponimus. Eſt aliud, quod non minori fructu multoties experti ſumus. *Recip. lapid. calamin. terræ lemniæ an.* ℥. *iiij. lytharg. aur. ceruſſ. an.* ʒ. *iij. ſucci ſempervivi.* ʒ. *ij. ceræ* ℥. *v. olei roſ. omphac. lib.* 1. *miſce, & f. art. reformetur unguentum.*

Non

Non ſecus unguentum ex minio profuerit, ex lithargyro, ex ceruſa, ex calce lota, & alia id generis permulta, quæ cùm humiditatem abſorbeant, validiſſime exiccant, carnemque exinde in callum excoquunt. Veruntamen cum quandoque humidam carnem, mollem atque mucoſam oriri contingat, tam in areæ meditullio, quàm in univerſa illius peripheria: quod plerunque corpore humidiore, & frigidiore accidit, & impuro ſanguine: prudentis medici fuerit ad alia præſidia interim mentem convertere, quibus putrilaginem illam, carnemque flaccidam penitus conficiat. Alitur autem id vitii genus alimentis humidioribus, ac omnino erratis, quæ in victu committuntur. Quapropter præcidenda ſunt ægro, ſorbitiones, jura, & id genus cibi humidiora, imperandaque ſicciora, ut ſanguine aquoſiori, & minus conſiſtenti edomita, ad frugem corpora redeant, & exiccata citius convaleſcant. Interim autem hæc medicamenta uſurpaſſe profuerit. *Recip. Terebinth. ceræ alb. reſin. ammon. an.* ʒ. 14. *floris æris, opopon. an.* ℥. ij. *ariſtoloch. longæ, thuris maſculi, bdellii, an.* ℥. vj. *myrrh. galban. an.* ℥. iiij. *litharg.* ʒ. ix. *olei ſi æſtas fuerit lib. ij. ſi hyems, lib. iij. Bdellium, ammon. & opoponacem in aceto quod ſatis eſt, per unam noctem macerato, calefactis terebinthinam permiſceto, in oleo adjectâ cerâ, cæterisque in pulverem redactis coquito, & ex arte unguentum efformato.* Hoc linamento inungito, & vulneri imponito. Mirifice enim humorem abſorbet, & mucidam carnem conſumit. In eundem uſum aliud paramus, æque validum, ac diuturno uſu comprobatum. *Recip. reſin. pini lib.* 1. *ceræ.* ℔. 5. *olei comm.* ℥. 4. *æruginis,* ℥. 1. s. *reſinam ac ceram in oleo liquato, æruginem ſtudioſe terito, oleo addito, & unguentum conficito.* Utiliſſimum etiam fuerit, quod ex unguent. roſ. & præcipitato paramus quandoque, cujus egregiam operam innumero experti ſumus, dum nobis putredo hæc debellanda eſſet. Compoſitionis ratio hæc eſt, ut quartam præcipitati partem unguendo roſ. immittamus velut exempli gratiâ. *Recip. ung. roſ. meſ.* ℥. *j. præcipit. opt. pulv.* ℥. *j. s. miſce.* Hoc præſidium ſenſim abradit, & carnem putridam, & univerſum ulcus abſque ullo dolore deterget. Cæterum contingit quandoque jam exporrigente ſeſe cute, & aream involvente, puſtulas quaſdam in tota area, atque momento fere excitari, quæ, quod reliquum eſt, curationis inhibent, & officium recte operantis naturæ interpellant. Odioſum profecto hoc ſymptoma eſt, & cujus occaſione longiſſime inſitionem traducis differre neceſſarium eſt. Fit plerunque æſtivis ardoribus, corpore picrocholo, & calentioribus cibis enutrito. Tum enim bilioſa colluvies excreſcit, quæ cum turgeat, & huc illuc agitetur, tandem in brachium, & quoniam tenerior eſt in aream ipſam procumbit. Hinc circa tenuiſſimam cutem, quæque nondum confirmata eſt, in aream puſtulæ excurrunt, quæ præter operis moram, & acerrime pruriunt adeo, ut circumſitæ partes aliquando lancinatæ, dum ab ægrotis mollioribus ſcabuntur, non exiguum ſanguinis flumen effundant. Non ſolum autem, quod pars hæc imbecillior ſit, phlyctenæ erumpunt, ſed quod non raro ad partes has ſuam natura ſentinam, tamquam longius diſtantes à vitæ principio, exoneret, qua de cauſa inſignia vaſa, quaſi ampliſſimos quoſdam rivos ad materiæ derivationem hoc loco conſtituit. Hoc malum, & phlegmatica exercet corpora, cum ſalſus quidam ichor, iſque tenuior exudaverit, & partem eam occupaverit. Augetur id mali genus ex imbecillitate capitis, quod in proximo ſitum eſt, & hinc ab alto, quaſi in vallem ſua excrementa præcipitat. Huic autem ſymptomati cum victu commodo, tum medicamentis oportet occurrere, quorum illud non enarrabimus, (jam enim ſæpe hæc præcepta evolvimus, & quia non imperitos ad hanc operationem acceſſuros eſſe confido) ſed exundantem copiam leviſſimam pharmaco primum medici velim detrahant, quæ ſi levior fuerit, unica victus ratione edomabitur. Itaque medicamenta duntaxat præſcribamus, & ea præſertim, quod longo uſu cognovimus, atque ſuper omnia, hoc quod ſubſequitur. *Recip. olei roſ. compoſ.* ℔. 5. *olei roſ. omphac.* ℥. *iij. ſuccorum fol. plantag. fol. ſolani hortenſis, centaur. minor. lapat. an.* ℥. *j. s. Olea bulliant cum ſuccis ad eorum conſumptionem: adde ceram albam, quoad ſuffecerit ad efformationem unguenti mollis. aſperge demum lytharg. pulv.* ℥. *jiß. pompholyg. præparat.* ʒ. *ij. retrem. plum. pulv.* ʒ. *iij. pulv. hordei cremati.* ʒ. *j. ß. boli armen. veri pulv. camphor. an.* ʒ. ß. *unguent. infrigidi. Galeni, populeon. an.* ℥. *j. miſce & reformetur unguentum ſ. art.* Eſt adhuc aliud, neque id contemnendum. *Recip. lytharg.* ℥. *j. ceruſſ.* ℥. *v. ceræ alb.* ʒ. *iiij. olei roſ.* ℔. 1. *alborum ovorum recent. n. iiij. liquefiat cera cum oleo in olla vitreata, addatur lythargyrum, & ceruſſa, continuoque miſceantur: ubi autem refrixerint, ovorum albumina, eaque probe agitata injiciantur, & unguentum conficiatur.* Hoc præſidium humorum fervorem apprime reſtinguit, & benigna ſiccitate ad cicatricem ulcera perducit. Supereſt tamen adhuc, & aliud areæ malum, quod impuris eò confluentibus humoribus enaſcitur, qui cùm paulo craſſiores ſint, ibi hærēt ob corporis molem & partem eā in profundiora ulcera excavant. Hæc labes equidem ut dicam peſſima eſt, appoſito tamen victu, ſi quid in illo erratum fuerit, & corpore pharmacis expurgato, quod reliquum eſt, extrinſecis applicatis nō infeliciter expugnatur. Sed ab illis lubenter ſuperſedeo, cum chirurgus peritus, obſervatis interim anni tempore, ætatis, ac temperamenti ratione ea facile præſtare poterit, hæc tamen nos operæprecium eſt addere, quæ licet multa ſint, eaque uſu à nobis non improbata, bina tamen tanquam omnium accōmodatiſſima, & ſaluberrima ſubjicere volui. Horum primum eſt. *Recip. reſinæ pini, terebinth. ceræ citrinæ, olei comm. an.* ℥. *j. s. Diſſolve ceram, & reſinam in oleo, tandemque terebinthinam, omnia colentur, & in cacabo ad lentum ignem bulliant, aerique expoſita demum refrigeſcant.* Alterum verò tale fuerit: *Recip terebinth. mell. roſ. col. an.* ℥. *j. thuris, aloes, ſarcocoll. farinæ hordei cribrat. ſub. an.* ʒ. 5. *Diſſoluta terebinthina cum melle, addantur pulveres, & agitentur indefeſſo, uſque quo exacte commiſceantur.* Atque hæc fere ſymptomata ſunt, quibus aream interdum vexari conſueviſſe non infrequenter experti ſumus, pro anni tempore, ac ætatis, ſed præcipue ob unius temperiei, ac corporis habitûs conditionem. Horum ſingula ex humorum impuritate, quæ ſubinde in languida membra deſæviat, originem ducunt. Itaque corporis expiationi incubuiſſe, prima utique cura fuerit, ea tamen lege ſervata, ut minimum valentiſſimis pharmacis ægrum concutiamus. Nam & victûs ratione, ſi rite conſtituatur (ſi quidem minor colluviei copia affuerit) univerſum negotium recte peragemus. Lędunt quoque pharmaca, & ventriculo corporis noſtri œconomo non exiguam noxam inferunt, ut Medici fatentur: quare fugienda ſunt & parcius, aut nequaquam in uſum traducenda, ſiquidem artis dignitatem ſalvam eſſe velimus, cujus eximium decus non leviter perſtringemus, ſi repetito pharmacorum tormento ulterius ſe conflictari debere, cognoverint homines. Multi enim ſunt, qui præter hunc ſolum curandi modum, cætera laudant omnia, Hiſce igitur renuntiandum eſt, dummodo id integrum nobis fuerit, & oppugnandum id mali genus, appoſita victûs ratione, eâque diligentius obſervatâ. Hæc enim medicinæ pars, & ſuaviſſima eſt, & tutiſſima. Sed ad traducis curationem, quę potiſſima medici cura eſt, atque adeo ad ejuſdem educationem aliquando deſcendamus. Illius callum moliri, caput eſt, & medicamentis appoſitis quamprimum eundem arceſſere. Tum

enim inducta cicatrice, inſitioni locus eſt. Educationis ratio in eo conſiſtit, ut quod ex ubertate, & alimenti benignitate, contingit, propaginem bene nutriamus. Hinc ſolidior fit, atque vegetior, & ob roboris vigorem, ac decoris ſpeciem inſitioni aptior. Velim namque chirurgi exiſtiment, & cum traduce artem noſtram periclitari, & operis ornatum in ejus dignitate collocatum eſſe. Scrupuloſius igitur educare illum neceſſe eſt, nec minimum vel negligentiæ vel ſecuritati concedere, quod exinde non levem propago noxam ſubeat, quam neque in progreſſu revocari, neque ullo poſtmodum ingenio corrigere poſſumus. Quamobrem mihi ſæpius chirurgi admonendi fuerint, & obnixius. Bona enim, & quæ ſalutaria ſunt, inculcaſſe frequentius non oberit. Noverint, itaque jam de ſua dignitate agi, & quicquid cutaneo traduci ex induſtria acceſſerit, id omne in operis decus eximio diligentiæ teſtimonio, mox transfuſum iri. Sed rem ipſam ineamus. Ut ergo propagini medeamur, id nobis conſilium eſt, quod in areæ curatione fuit, nimirum ut in novo vulnere pus concitemus, & cicatricem plagæ inducamus. Sunt autem plane eadem præſidia quæ ſupra habuimus, ideoque & unguento ex pompholyge, & aliis ibidem deſcriptis, uti licuerit. Sic linamenta arida, eaque medicata, ſi adhibeantur profuerint, vel filamenta ex eo linamenti genere, præparata, hoc plane modo. Eligantur lintea tenuia puriſſima, imbuantur liquore, quem mox deſcribemus, exiccentur in umbra, rurſus perfundantur, bis vel ter, & toties exiccentur. Liquor talis eſt. *Recip. gallar. immat. ſumach. myrtill. balauſt. cort. granat. an. m. j. acac. hypocyſt. an. ℥. I. aluminis ℥. ij. bulliant omnia in vino nigro, eoque auſtero, quouſque tertia ſaltem pars ſuperſit, macerentur in eo linteamina, & in umbra exiccentur.* Cum verò omnia hæc non modico temporis decurſu peragenda ſint, quæ ſcilicet ad traducis curationem ſpectant, non ineptum eſſe mihi videtur, ut hoc quicquid eſt univerſi temporis, quas ætates cutanei traducis merito appellare poſſumus, certis quaſi notis diſtinguamus. Ut enim in animantibus, certis quibuſdam intervallis, quibus non obſcuro corpora noſtra immutari contingit, vivendi tempus circumſcribimus: eodem pacto, & in traduce, quamvis æſtimatione impari ſuas mutationis vices deſcripſiſſe, & propriis nominibus deſignaſſe licitum eſto. Sunt autem hæc pueritia, ejus adoleſcentia, ætas conſiſtens, & ſenectus ipſa: quæ ſingula ſi recte quis animadvertat, & in traduce ſpectantur, & ſpectata proſunt, non mediocriter, Pueritiam ergo id univerſum temporis ſpacium eſſe dicimus, quod traducis eductionem proxime conſequitur, & couſque quoad vulnus evidentius exiccatur. Eſt enim cùm exuberante humore nullum adhuc in fibris carneis ſiccitatis veſtigium apparet. Indicio ſunt, mucores plurimi, fibrarum flacciditas, & totius traducis, quædam veluti mollities. Nec id mirum eſt, cum ab ſuperiori nutritio quaſi ab ubere materno, quibus binis antea largius alebatur, jam exempta rapiatur cutis, atque ita non minimum langueat, & præſertim, quod interim multis ſit expoſita difficultatibus, & plurimis ſymptomatum, & quam gravium telis impetatur. Illius igitur medici ſubſtantiam curioſius tum inſpiciant, ſeduloque advigilent, ne qua furtim noxa ſubrepat, quæ rem ad anguſtias devolvat, & ſummum de operis perfectione metum atque ſuſpicionem nobis incutiat. Ejus generis mala fere ulcera ſunt, inflammatio, & partis cujuſdam corruptio, quæ omnia iiſdem præſidiis, quorum ſilvam ſupra propoſuimus curanda ſunt, ut ea hoc in loco non repetere ab ratione haud alienum ſit. Reliqua tamen eſt ipſius traducis tabes, quod malum cùm univerſis ejus temporibus commune ſit, ideoque ubi aliorum, quæ communia ſunt ſymptomatum mentio inciderit, neque hoc oblivione conteremus. Jam verò adoleſcentia traducis ſubſequitur, quæ tum planè incipit, cùm manifeſta ſiccitatis argumenta ſeſe proferunt. Tunc enim recreata cutis, neque ſuſcipit excrementa aliarum partium, neque ea ob caloris languorem penes ſe congerit. Hic qualiſcunque fuerit, majus multo robur oſtendit. Porro linearia confinia in primis occaleſcunt, & mox cætera. Cur vero id contingat, neque callus ipſe, ſeu cicatricem dicas, ab inferna parte, atque à radice ſeſe promoveat, ni fallimur, hæc cauſa eſt. *Callum enim non aliud, ſi Galeno credimus, quàm vehementem carnis exiccationem eſſe ſcimus*, quapropter credendum eſt, ubi minimum humiditatis vigeat, ibi citius callum generari poſſe. Inter vero traducis partes, nulla magis certe, ac ipſa radix uliginoſior eſt, quæ cuti muſculis proxime adhæret, à quibus omnis ſive humoris ſive vaporis copia in hanc partem effunditur. Arbitramur itaque utcunque valentior ſit hæc pars, & calidior, nihilominus tamen eam quam traducis apicem, minus poſſe callum contrahere. Hic enim plurimum, & à brachii cute, & muſculis ipſis diſtat, & minus exhalantis profluentiſque humiditatis recipit, citiuſque exiccatur. Sed utcunque id eveniat, tunc adoleſcere traducem certum eſt, cum partes illæ exiccari occipiunt, & jam clariſſima cicatricis indicia apparent. Porrò ætas virilis illa eſt, cùm radice tenus cicatrix ſeſe promoverit, ac univerſa ejus ſuperficies, internâ ſcilicet in callum abierit. Tum vero conſenuit, ut callo radicitus conſtituto, totus propaginis ambitus iſque interior cicatricem jam contraxerit. Jam enim reſiccatis ultra modum, fibris carneis, & alimento ob calli duritiem, qui radicis anguſtias obſidet intercepto, ad inſignem frigiditatem hæc pars delabitur: hinc flaccida, hinc mollis eſt, hinc exucca, & quia gemino calore deſtituitur, hinc arida, & rugoſa, unde omnis ejus amplitudo decreſcit, & fatiſcente ætate, & vigore jamjam langueſcens conſumitur. Supereſt autem, ut mala ea, quæ traduci communia eſſe diximus, tabem nimirum, ac radicis inæquale libramentum, aliquando explicemus. Rejectâ verò dignitatis cenſurâ, ab eo incipiemus, quod tempore primum eſt, & artificis culpâ plurimum obrepit. Non enim quam naturæ vitio maximè contabeſcit cutis, nec protinus à principio; ſed ut uſus nos edocuit, longe poſt, & cum tradux in callum quaſi totus jam abierit. Si igitur inæqualius libretur tradux, quod facile fit, utique non contennendum hoc planè vitium eſt, cujus natura ex ipſo nomine ferè adducitur. Eſt enim cum ad radicem in alteram partem vel ſiniſtrorſum vel dextrorſum à poſitûs rectitudine tradux deflectat, quem protinus ſimulatque hinc inde declinaverit, nova quædam, & non exigua calamitas excipit. Dum enim in alteram partem contorquetur, & male explicata cutis in ſeſe conſidit, ſtatim eo loci, ulcuſcula quædam contrahit, & demum ex humoribus eo confluentibus iiſque acribus diſcinduntur. Hujus rei evidens teſtimonium eſt, ſi qua veſtis ſulcum quendam, & plicam contraxerit. Hac enim parte potiſſimum arroditur. Idem fit in cute traduce, & præſertim, ſi neglecta vel delata illius cura hoc malum altius ſederit, & jam ulcera grandia excitantur, eaque rebellia. Hinc ſtrigoſior fit propago, planeque aridior, quod ingreſſus alimento, quaſi faucibus præcluſis, interceptus ſit. Caveant itaque, ne malo huic anſam præbeant medici, aut ſi jam peccaverint, videant velim, ut quamprimum corrigant. Cum enim ab externis cauſis hoc malum pendeat & externis adimendum eſt: & quod artificis peperit negligentia, ejuſdem etiam extirpabit induſtria. Curandum igitur eſt ſummo ſtudio, ſummaque ſedulitate, ut in traducis poſitu, ejuſque, dum faſciis obvolvitur, deligatione, libramenti æqualitatem curioſe

nimis

nimis ſervemus. Cui præcepto ſi ſatisfacimus, nec ulcera removere, nec maciem abigere tandem oportebit. Si tamen ſupinæ huic imprudentiæ locum conceſſerimus, & jam hæreat domi noſtræ hæc mali labes, quæ animum, & vires ſumpſit cum tempore, nec ita cedit facile, jam inflectenda propago, & poſitus ejus pulvillis, quæ propius admoveantur, iiſque lineis emolliendus eſt. His enim velut objectis obicibus, ne eò amplius, quo prius, declinet tradux, non ingrata ſolertiâ proſpicimus. Atque ut exemplo rem declaremus, age flectatur ſiniſtrorſum propago, eo quod ipſi hoc ſuperiori deligatione effecimus. Submovenda itaque hæc inflectio fuerit, & ad æqualitatem tradux reducendus, linteolo latiuſculo, quod manus amplitudinem exæquet, duplicato, ad pollicis quantitatem efformato, mox ad internum angulum cute traduci injecto, explicata tamen radice, & in rectitudinem conſtituta, & faſciis probe conſtricta: & ubi vincula ſoluta fuerint, denuo propagine librata, & ſubjecto pulvillo, tæniiſque iiſdem colligata. Fiet enim, ut paulatim in priſtinum ſitum tranſducatur, & jam rectitudinem obtineat, quod ubi contigerit, pulvillos adjicere denuo ſuperfluum fuerit, ſed eam diligenius vinciſſe. Ulcera autem ſi jam cæpe int, iiſdem prorſus remediis, quæ ſupra diximus & in areæ incommodis adhibuimus, expugnanda ſunt. Eſt tandem, ſecundo loco non exigua traducis labes, cum ſtrigoſior evadit, & occulto langueſcens per momenta ſubinde contabeſcit. Vitium hoc quandoque ex iniqua deligatione oritur, aliiſque de cauſis internis, quemadmodum ſi prope radicem, qua alimentum effertur, partes ſupernas callus quidam circumnectat. Quo pacto quandoque fit, ut ſi arctius cutem deligaverimus, imbecillam alias jugulemus: neque ſolum ſi radix ipſa, ſed ubi, & inſititius ultra modum conſtringendo compreſſus ſit. Nequit enim alimentum attrahere exigua adeo caloris particula: nec demandatum conficere. Hinc rugoſior fit, hinc ſenſim deſinit, & emoritur. Si igitur deligationem duriorem paulo eſſe circa radicem contigerit, nulli dubium eſt, quin ſanguine, & alimento ob itineris anguſtiam intercluſo, univerſa traducis amplitudo, quod nequaquam nutriatur, juſtam ob cauſam decreſcat. Itaque ſublata hac, & effectum illius adeo noxium, & infeſtum protinus chirurgus amovebit. Nec ſolum in prima traducis ætate diligentiam adhibeat oportet, ſed maxime alias, cum nullum tempus ab his malis vacuum ſit, ſed quod eo etiam jam confirmato, & valentiori facilis ad interitum prolapſus ſit. Veruntamen ubi error hic vel traducis vitio, quod intemperie quadam conflictetur, vel cæterarum partium malo obtigerit, jam cauſis recte æſtimatis, in earum ablationem omnem operam collocare, oportet. Quod ad alterum horum ſpectat, eluenda eſt impuritas, rite propinatis pharmacis, de quibus mentio ſupra à nobis habita fuit: alterum verò, quod non niſi ab frigida fluit intemperie itidem removendum. Promptiſſimum enim eſt, particulam adeo tenuem, tam pauco calore perfuſam frigiditate corripi, refrigeratam marceſcere. Auxilio præſentaneo fuerit illam frictionibus, iiſque lenioribus interdum contrectaſſe. Etenim & maternum alimentum addiſcit trahere, & id uberius allicere, cum calor quodammodo excitetur, & reſeratis viis, moleque traducis laxatâ promptiſſime ſanguis prorumpat. Deſinant autem à radice ipſa frictiones in infitium, fiantque blandiores, quouſque partes rubeſcant, & in molem attollantur. Hæc enim argumenta ſunt, jam emolumento attritionem illam fuiſſe. Quod limites hos ſupergreditur, non auget, ſed diſcuſſo calore, & ſanguine imminuit. Profuerit, & inunctionibus calorem langueſcentem ſuſcitaſſe, quales ſunt ex oleo camomel. aneth. lilior. alborum, coſtino, tepefactis, & liberalius cutaneo traduci affuſis. Irrigandi verò eſt ſaltem pars ejus exterior domeſtica, & interna haudquaquam oblæſa, quod calli atque adeo ipſius cutis procreatio, uda omnia, & præcipue olea reſpuat. Res autem hoc pacto adminiſtrabitur: goſſypium chirurgus ejuſmodi oleis imbuat, ſeu lanæ hapſum, & univerſum traducem extra inungat, mediis verò digitis, ab radice ad ſummum uſque perfricet, frictionem repetat, particulam deinde abſtergat, & faſciis tandem obvolvat. His enim præſidiis jam deſinens calor recreatur, ſtupens excitatur, langueſcens confirmatur. Fotum prætetea ex generoſo vino, nunquam non utilem eſſe perſpeximus; & præcipue per hyemis rigores, corporibus phlegmaticis. Idem & calore exſuſcitat, & inſigne robur propagini conciliat. Si tandem calli duritiem nos corrigere oporteat, id ceratis, quoniam aliorum uſus non conceditur, & præcipuo cerato, diachylon, diapyritide, diapalma cum mucilag. rad. altheæ, & rad. cucum. agr. nec non diadyctamno præſtabimus, & ſanitati traducem, & integritati reſtituemus.

Cap. 10. *De inſerendi tempore, cujuſnam ſcilicet ætatis cutaneus tradux ad inſitionem efficiendam ſeligendus ſit.*

Sed quicunque ad has uſque metas fæliciter progreſſi ſunt, ut in delineando traduce eoque educendo, quæ non minima artis pars eſt, diligentiam ſuam, & ingenii ſolertiam, non aſpernando teſtimonio comprobaverint: jam alterum ſibi ſcopum præfixum eſſe cognoſcant, qui & ipſe non exiguum ingenii robur, non vulgarem mentis conſtantiam, non tenuem in agendo operam expoſcit. Quamuis enim deſcribendi, depromendi, ac poſtremo educandi cutanei traducis cura non exiguas difficultates obtineat: majora tamen in iis, quæ relinquuntur, vel calculis omnibus conquiſitis, momenta poſita eſſe, nemo certe inficiabitur, qui re peracta acrius rem introſpiciat, nimirum cum naribus curtis appoſite traducem cutaneum inſerere oporteat. Hoc enim aliud eſt, quod propagine jam educata non minori mentis acumine, quam manuum promptitudine, peragendum ſupereſt. Veruntamen quodnam adeo præruptum eſt, tam aſperum, ita impeditum, quod non pertinaci ſtudio ſubiri, aſſidua diligentia expediri, indefeſſo conatu ſuperari queat? Qui enim id operis hactenus peregerunt, ut tot anguſtiis rerum devictis, tot nodis inexplicabilibus vere evolutis, fælices evaſerint, ſi quod communi proverbio jactitatur:

Dimidium facti qui bene cœpit habet:

Hoc uno præclaro initio, optime certe, hujus artis noſtræ fundamenta jeciſſe, & jam multa, & præclara non indecore ſuperſtruxiſſe videri poſſunt. Ideoque animos erigant, induſtriam excitent, & alacriter, & præſentes ad hanc inſitionis operam accedant. Sed cum hæc inſerendi ratio, quantum ad anni partes ſpectat, quod ſuperiori libro docuimus, nullis limitibus circumſcribatur, cum eam non minus æſtuante, quam rigente cælo adminiſtrare liceat, nec illa ut in arboribus, ſic in corporibus noſtris, alternantis caloris, & frigoris viciſſitudo ſit, quare nunc, cum per ætates ſuas propago jugiter decreſcat, perſcrutandum relinquitur, nunquid non certum aliquid inſerendi tempus conſtitutum ſit, & quodnam omnium ſit aptiſſimum. His enim quaſi regulis, cum ſingula medicus dimetiatur, opportunum certe inſitionem molietur, & quod ars voluerit, non incommode præſtabit. Qua in re definienda commutationem bonorum quandam non ingrato

exemplo

exemplo mirari ſuccurrit. Cum enim mortalium naturam illa inſitionis momenta, quæ in arborum propagatione examinanda ſunt, reſpuere penitus dixerimus, quod partes noſtræ quovis tempore, abſque omni exceptione promiſcue coaleſcant, hoc tamen arbitrium noſtrum non obſcuro circumſcribi videmus, & eo definiri, quod certam denique, & minime dubiam inſerendi rationem hic noſter tradux ſuo jure poſtulet. Neque mirum eſt, uti hæc apud nos, ita in arboribus minime contingere. Non enim vel artificis manus, qui in alienam arborem ſurculus inſeritur, vel quaſvis injurias expertus eſt. Sed totus quantus proprias, & nativas vires obtinet. Quare nec mutationi obnoxius eſt, nec eas corporis ſui viciſſitudines patitur, niſi eas quas temporis progreſſu naturę neceſſitas ſecum affert. At qui in humano corpore tradux eſt, humana induſtria, quæ hac in parte quaſi naturam ſub jugum mittit, ſummaque cum difficultate elaboratur. Cùm vero operatio hæc violenta ſit: neque id quod vim patitur diuturnum eſſe queat; ſtatim cenſum illum incurrit, quem omnes uno ore prædicant, omnia hæc fatiſcere quamprimum, & deſinere, nec extra naturæ leges aliquid poſſe perſiſtere. Simul enim ac tradux efformatus eſt, quaſi egreſſus naturæ limites quamprimum deſinit, atque per temporis momenta illa, quas ætates ſupra diximus, tandem ſenſim emarceſſit. Ut ergo certum quendam dierum terminum, quo traducem inſeri commodum ſit, neceſſario præfigeremus, hæc una mutationis ratio nos adegit. Sed neque hanc inſerendi metam commonſtraſſe admodum difficile fuerit. Veruntamen nolim ob hoc artem noſtram, ut apud quoſdam fit, male audire, quod ignobilior ſit, & abjectior artificioſæ arborum inſitioni, ut quod hæc certior ſit atque promptior: illa vero incerta, tarda, & periculis plena. Non enim eo, quando, & ſcilicet quamdiu, & quomodo agas, ſed quidnam rerum agas, actionis dignitatem, atque adeo artis pręſtantiam metiri licet. Quo enim unumquodque nobilius eſt, quo utilius, eo prius vel poſterius imponendum eſt. Huic rationi, & ſcientiæ innituntur, ut quę earum de re digniori tractet, longe dignior ſit: quæ abjectiora, abjectior. Sic in rebus publicis quibus excelſiora munia legata ſunt, celſiore loco habentur. Sic rudis arborum inſitio eſt: quæ vero in homine fit acutior atque ſolertior. Ubi vero major operis cura, ibi dignitas prope illuſtrior eſt. Quod ſane patet in humana inſitione, ubi naturam ipſam noſtra induſtria vincimus, atque eam inſuperabilem, quaſi compedibus alligatam noſtro ipſi genio ſervire cogimus. Nec laudatur qui parva, eaque ſine difficultate ſuperaverit. Eum qui magna tentaturus eſt, pericula ſubire oportet. Trita, & vulgaria unuſquiſque ex ſe poteſt facile. Nec minus tam in artibus digniora ſunt, quam in naturæ operibus, quę majus in operando temporis ſpacium deſiderant. Quæ enim ſuo genere infima ſunt, brevi abſolvuntur: quæ generoſiora, diutius perficiuntur. Quamobrem in utero mulier citius conformatur, edita citius adoleſcit, adulta citius conſeneſcit. Cujus enim decrementum citum eſt, ejuſdem nec incrementum tardum eſt: quodque lentius ſuccreſcit, idem neque protinus labitur. Quamvis vero multa arborum genera, & inter animalia quamplura, ſi tamen Plinio, & ſimilibus fides adhibenda eſt, admodum vivacia ſint, & tardius multo increſcant, hac tamen non dignitatis ergò, ſed vel ob molem, vel ob materiei ineptitudinem, vel propter efficientis imbecillitatem contingit. Veruntamen hæc perſcrutari alterius negocii fuerit. Hoc tantum indicaſſe ſufficiat, non eſſe, ut propter temporis moram, ob plurimas difficultates, minus dignam artem hanc exiſtimemus, atque eam ob has noxas, itemque alias, vel negligendam vel culpandam eſſe, & pręcipue quod traducem noſtrum, qui in agricolatione paratiſſimus eſt, nec ulla opera indiget, nobis apparare deceat, eumque ad inſitionem conformare. Quod ſtudium ſane licet multis perplexum ſit incommodis, artem tamen ejuſque dignitatem extollit, & una ingenium artificis, ejuſque diligentiam manifeſto exprimit. Et quænam demum eſt in hac ſpacii prolixitate, noxarum interpellatio? num tormenta, num cruciatus ſubeundi ſunt? Meditatio hiſce omnibus difficultatibus exempta eſt. Omnia ſecuro, & rite à ſcienti medico tranſiguntur. Cum enim quartum & decimum diem æger ſuperaverit, intra quem omnia ſymptomata defervent, ſi quidem recta fuit curatio, quicquid reliquum eſt temporis, uſque dum inſerendi traducis poteſtas fiat, liberum certe eſt ab omnibus moleſtiis. Interea nullis pręceptis ægri detinentur, non coercentur diæta, non oppugnantur pharmacis, libere vagantur, propriis muneribus incumbunt, dummodo inconſulta vivendi ratione impuritatem quandam ne coacervent, cutim ipſam contorqueant, & imbecillam inepta conjunctione jugulent. Tunc enim ad diſciplinam revocandi ſunt, & pedicis coercendi. Itaque neque hic, quod plurimi inculpant, merito quis poſſit redarguere. Sed definiamus aliquando, quænam inſerendi traducis occaſio fuerit. Primum igitur ſane conſtat, cutaneum traducem certis quibuſdam mutationibus obnoxium eſſe, earumque vices ſenſibus patere, atque ideo tranſumpto nomine ab aliis ætates dictas fuiſſe. Cum enim portio hæc cutis, à brachio jam educta ſit, atque ipſa ad radicem occaleſcens, anguſto tubulo alimentum ſuum, novo more ſuſcipiat, jam quaſi extra naturæ cancellos poſita, inſolentiæ hujus noxam ſtatim perſentit, novitatiſque pertæſa ſenſim deſinit, cumque has difficultates penitus evincere nequeat, tandem emoriens evaneſcit. Omnia autem hæc, ſi quis recte attendat, nulla cum difficultate ipſis ſenſibus comprehendere poterit. Atque ratio eſt, in quam totam inſerendæ propaginis commoditas referenda eſt. Quid enim curtæ nares intra ſanitatis ſuæ ſepta conſtitutæ, nec ullam vim perpeſſæ huic negocio conſulant? Illæ immotæ ſunt, nec his mutationis injuriis ſubjectæ, ſed quovis tempore, ut inſitio fiat, ſuimet copiam faciunt. Cum vero aſſidua mutatione in pręceps tradux feratur, nec quicquam etiam vel cohibere vel reflectere valeamus, libertatem hanc, quam nares offerunt, anguſtiſſimis finibus includit, & ut inſitionis regulam à ſeipſo depromamus, omnino adigit. Ejus igitur ſtatum contemplari oportet, & ſic inſitionem aggredi. Non enim præter hæc, datur tertium. Repetamus itaque cutanei traducis naturam, in qua univerſa inſerendi ratio poſita eſſe videtur. Ex his enim illum temporis articulum, qui inſitioni opportunus ſit, liquido cognoſcemus. Quadruplex, ut antea vidimus, propaginis ſtatus eſt, quos peculiari nota, petita ſimilitudine ab aliis rebus, ætates ejus appellavimus. Pueritia eſt, tum adhuc mollis, udus, imbecillis tradux eſt prioribus ab exemptione diebus, nec ullum exiccationis, qua parte adhæſerat cæteris membris, intra indicium proferat. Adoleſcentiam demonſtrat, cum ab mollitie ea, & uligine recedens quadantenus exiccatur, & jam manifeſto conſolidari incipit. Virilem vero ætatem ingreditur, cum latius ſeſe exporrigente callo, totus obdureſcit, totus jam exiccatus, aut ſaltem præter exiguam ad radices ejus partem, & carne compacta, evictiſque cæteris malis inſigne robur acquirit. Seneſcit tandem, cum omnis interna ejus ſuperficies in callum penitus excocta, eſt, nec ullum humiditatis veſtigium apparet: jamque ſtrangulante callo, & quaſi vinculis duritie ſua ſanguinis aditus intercipiente jam collabi, & conta-

contabeſcere incipit. Præſtat itaque nunc, cùm intra hoſce limites cutanei traducis tota inſerendi ratio contineatur, ſingillatim conſiderare, nunquid ſecundùm omnes haſce ætates inſitionem moliri liceat: an potius aliqua earum aptior, alia inepta, & plane rejicienda ſit. Sed quavis ætate, quovis propaginis tempore hanc operationem præſtari poſſe, nullum eſſe credo, qui exiſtimet. Eadem enim de cauſa, qua ejus delineationem, & eductionem diſcerpſimus, & jam illius inſitionem diſtulimus. Non enim id robur, eas vires obtinuit, ut operationis vehementiam, inſitionis ſcilicet, ſuperare, & immunis ab omni labe, præcipue verò ab repentina illa, & impetuoſa contabeſcentia perſiſtere potuerit. Nam non ea carnis moles ſuccreverat, quæ frenare hujus mali vim poſſet atque compeſcere. Sic occurrendum erat aliis ſymptomatibus inflammationi ſcilicet, ſanguinis effuſioni, quorum impetus operationem hanc omnino diſtrahebat. Quare ad minimum eſſe non potuit, ut ſtatim atque exciſus fuit, atque in pueritia ipſa curtis naribus implantaretur. Nec id in adoleſcentia commodum eſt, cùm omnis malorum fervor nondum deſierit, nec adeo firma ſit propago, ut inſitionis impetum ſuſtineat, aut ſi quidem inſeratur, haud probe ſolideſcat. Ea enim nondum ſatis exſiccata, ſed uda, & proruentibus cerebri excrementis continuo irrigata, mirum non eſſet, quin computreſceret, aut tardius, & non ſine difficultate ſaneſceret. At ſenectutem expectare, neque id operæ precium eſt. Conſtantem enim traducem atque robuſtum expetimus: non flaccidum atque exolutis viribus deficientem. Quid enim eo cùm ageremus? Adornandus naſus eſt, & in integrum reſtituendus, quod quidem particula ea molli, rugoſa, albicanti, pallida, exucca, quæque velut morboſa eſt; (ſenectus enim cuique rei morbus,) minime cogitare licet, nedum aſſequi. Igitur in virili ætate conſtitutum, atque tum, ubi jam penitus obduruit, & jam flecti incipit, validum ſatis, atque ad ſuſtinendam operationis vim apprime munitum, traducem oportet arripere, & cum curtis partibus novo inſitionis, conſortio copulare. Non enim id commodius, tutiuſve licet peragere. Sic noſtris, & patientis votis abunde ſatisfiet. Atque his inſerendi tempus tandem definitum eſſe volumus.

Cap. II. *De apparatu eorum, quæ ante inſitionem neceſſaria ſunt.*

NUnc ſuſceptæ methodo ut inſiſtamus, earum rerum, quę operis adminiſtrationem comitantur, rationem omnium declarare oportet. Hęc enim cognita prius, & pro ratione, & modo diſquiſita, plurimum conferunt, ut decore, ſcite, & abſque mora perficiatur actio. Cùm verò omnia hęc, non eandem naturam obtineant, nobis diſtinguenda ſunt, ut rectius, & omni confuſione, quę errorum mater eſt, ſummotâ, rem ipſam edoceamus. Sunt igitur quædam neceſſaria ad operationem, nonnulla verò quandam commoditatem afferunt: atque ea quę neceſſaria ſunt, vel in ipſa operatione ex uſu ſunt, vel ubi eam perfecerimus: quemadmodum & hęc ipſa vel operis, quod jam adminiſtratum eſt, conſervationem, & tutelam, vel illius medelam reſpiciunt. His igitur ſummatim collectis iis opus eſſe dicamus, quæ operam adjuvant, quę eam præſtant, quæ cuſtodiant, & quæ curationem adhibeant. Incipiamus autem ab his, quæ commodioris operationis gratiâ requiruntur. Hęc enim cùm leviora ſint, nec tam arcto vinculo ut cętera inter ſe ſic illis cohęreant, jure merito pręmitti poſſunt. Ex primis igitur eſt, ut cęſaries capitis aut capillus univerſus, ut barbę pili, atque adeo myſtaces, ſi affuerint, penitus deradantur. Singulos enim his niſi id fiat, plura inſunt incommoda: at peracta, & medico, & ipſi ægro non modice utilia. Iſthęc porro omnia, ut certius cognoſcantur, atque ut ægrotos, ſi qui repugnaverint, ea medici poſſint edocere ſingillatim adjiciemus. Atque ut ab cęſarie exordiamur, ejus incommodum eſt, niſi decidatur, quo minime cucullus, quem infra deſcribemus, ipſi capiti tenacius adhęreſcat. Inæqualis enim capillorum moles, hanc arctam applicationem penitus tollit. Sic lentor illis quidam adhęret, & humiditas lubrica, ut firma caput veſtigia nequeat figere, ſed facillime hinc inde evertatur. Hoc autem maxime cavendum eſt, ſi quidem partes inſitas jam recte cuſtodire, & coalitum eum decentem efficere conamur, quæ caput plane immotum, & ſtabile deſiderant. Rejicienda igitur capillorum moles, & ad cutim uſque penitus novaculâ demenda eſt. His adjiciuntur, & capitis ſordities, & ex fuligine excrementitia, porrigo, nonnunquam & infeſtum animal, pediculi, quàm ægros excruciant, ſomnum adimunt, pruritum excitant: hinc caput ſcalpere neceſſe eſt, & brachium movere, quorum unumquodque quàm inſitioni inimicum ſit, quàm coalitum vel impediat vel contorqueat unuſquiſque ex ſe videt. Exacta enim, & plane prodigioſa quiete opus eſt. Solet verò colluvies hęc excreſcere, cùm ob diuturnum connexûs ſpacium, ad decimam quartam diem uſque, quo nec caput licet extergere, nec aquâ eluere, tum quia ex cucullo, & manu objecta minus calor ille expirat, nec ulla agitatio fit, quæ illam excrementorum copiam diſcutiat. Sic iniqua eſt capillorum moles, quod ſubſiſtente calore, vehementius incaleſcant, & proximum etiam caput calefaciant. Unde humores liquefiunt, ſi qui affuerint, & diſſoluti ad nares, ad fauces præcipitantur: in venis ſanguis ebullit, vapores attolluntur, efferveſcunt humores, evocantur excrementa, quæ propellente natura, & quod noxium eſt, abigente, in ea inſitionis ſpacia confertim, & uno impetu decumbunt. Quàm verò hoc pernicioſum ſit, quàm ſumme fugiendum, unicuique per ſe notum eſt. Nulla autem mora eſt, nullum incommodum, nullum periculum, ſi cæſariem, quæ omnis mali anſa eſt, exacte, & aduſque cutim abradamus. Nec minimum emolumentum conſequimur, quod arcte cucullus caput amplectatur, firmeque contineat, ne vel in unam vel in alteram partem delabatur. Sic myſtaces, atque ipſa barba peculiares noxas inferunt. Illi enim impediunt, quo minus libere circa aream verſetur medicus, ut medicamenta apponat, ut recte faſciis vinciat, ut narium cavitates, ſi quid illis contigerit, animadvertat. Hoc enim perſæpe illi peragendum eſt. Barba verò, & quæ ad genas hæret importuna eſt ob ſordium proventum, & pruritum quàm acerrimum, quæ verò mentum inveſtit, areæ curationem interturbat, & nequid recte ibi fiat, maximopere impedit. Nequit enim vulnus explicari, detergi, medicamentis muniri, & faſciis obvolvi. His omnibus additur, quod ſic difficilime ſane alimenta adminiſtrare poſſimus, neque quod id non admodum ingratum ſit, cum pilis offæ adhæreant, & abſtergi nequeant. Conſultiſſimum itaque fuerit, atque maxime ex uſu tum ægroti, tum ob univerſam curationem, ut ſub proximo crepuſculo, quod inſitionis diem pręcedit, univerſum caput, genas, mentum, labia radicitus novaculâ tondeamus. Quæ verò pro inſitione neceſſario requiruntur, hęc ſunt, cultri, forceps, acus, linum, faſcia acuum ſive cephalica, ſedile, linteum, & goſſypium, quorum omnium uſum paucis edocere conabimur. Cultrorum uſus eſt, dum curtas nares, atque adeo cutaneum traducem excoriare volumus. Oportet enim extremas horum oras detegi, & æquali vulnere incidere; ſint ergo in promptu cultri acutiſſimi, perplures nec uniformes. Qui enim tenuiſſimam aciem

obtinent,

obtineant, quæ ſtatim ſeſe inſinuant, & cutim eventu felici abripiunt, vehementer quidem expetendi ſunt. At cum ferri illud acumen ob ſanguinis lentorem retundatur, nec ſemper eodem modo ſit libranda ſectio, ideo per plures eos adeſſe præſtat, acie rectos, gibboſos, acutos, atque quales nobis operandi ratio videbitur deſcribere. Aliquando enim recta acie, quandoque incurva, nonnunquam extremo ferri apice, & incidere, & excidere cutim neceſſe eſt, ſic eos, ſi videbitur, permutare, & quamlibet actionem propriis inſtrumentis perficere poterimus. Expedit etiam ad manus eſſe forcipem, eamque acutiſſimam. Hujus uſus eſt, tum quæ ferro minus apte expediri queant, tandem forcipe excipiantur, Si enim quid vel ex cute vel carne reliquum ſit, quod ferro non valeamus reſcindere, quin paulo altius in carnem deſcendamus, id labiis forcipis tandem decerpere oportet. Faſcia prætarea longitudinis ſeſquiulnæ requiritur, & lata octonos digitos. Hanc conduplicare oportet, fronti circumplectere, & ad poſteriorem ejus partem relegare. Utimur eâ, ut pertuſis jam traduce, & curtis naribus, eo loci acus affigamus. Plures enim acus nobis trajiciendæ ſunt, & prolixiori ſatis funiculo, quæ niſi aliquo affigantur, facile confuſionem parient, cum funiculos illos connectamus, & ſuturę decentiam pervertent. Hinc eas, ſi quo reponamus, & præcipue in hanc faſciam cephalicam, inde eas ordine depromere & ſuturam, ut par eſt, innodare poterimus. Hæc enim cauſa eſt, quæ faſciam hanc nos parare edocuit. Acus etiam cum cuſpide tenuiſſimæ, tum acie acutiſſimæ (ſint enim trigonæ, & quales pellionibus in uſu ſunt) parentur, eæque nervoſiores, & quàm par erit plures numero. Quo enim acutiores fuerint, eo facilius trajicientur, & cum nervoſæ ſint, ſi quando cartilagines penetrare oportet, minus confringentur. Numero verò ſi non longe plures ſint, ſaltem tribus præſcriptam quantitatem ſuperent. Fit enim quandoque, ut vel imbecilliores ſint, vel inepto impulſu, vel trajiciendi difficultate, contorqueantur aut frangantur: quare tunc permutandæ, & earum calamitas alterius opportunitate penſanda eſt. Acus igitur ſelecturus medicus, curioſius explorabit, cùm earum apicem, tum dorſum, & univerſum corpus, atque adeo foramen ipſum, ineptiores rejiciat; aptiores paratas habeat: cæteris tres ſuperaddet, quæ ſi quid ſecus acciderit, in omnem eventum, ad manus eſſe poſſint. Sed acuum numerum aliàs futurarum multitudo definiet. Adſit & linum ignis inexpertum, mediocre, & ſibimet æquale. Quantitas ejus ad ſingulas acus ſatis ampla ſit, & prolixa. Illud conduplicare oportet, partes longe diſſitas trajicere, ac extra illas plurimum excurrere, ne partibus, quas trajecit, excidat. Primum enim traducem, qui à facie longe diſtat, mox nares ipſas, quo loco ſingulæ ſuturarum notæ ſunt, trajicimus, demum longo adhuc tractu acus à naribus ad frontis ſummum abducimus. Ampla igitur filum implere ſpacia neceſſe eſt, & adhuc tam ſupra ad frontem, quàm infra juxta brachium prominere, ne qua attractum validius è loco ſuo exiliat. Sed ut laxam adeo ſuturam adminiſtremus (appellamus enim laxum hoc ſuturæ genus, quod, quæ jam partes pertuſæ ſunt, non conſtringantur protinus) quod una conſtricta, & colligata, reliquas itidem non perficere liceat, non immerito nos prohibuit. Cùm enim, ut lina connectamus, ipſi capiti brachium annectere oporteat, profecto nullus amplius, vel traducis perforando, vel naribus pertundendis ob anguſtias locus dabitur. Diviſiſſe igitur operationem hanc non inconſultum fuerit, & ſemel una actione acus transjeciſſe, & poſthæc ſuturas unam poſt alteram conſtrinxiſſe. Simul enim, ac lina tranſmiſſa fuerint, applicare brachium facile licebit, fila hinc inde arripere, ordine colligere, & tandem attractis curtis partibus, riteque connexis, in nodos conſtringere. Funiculum itaque liberalius oportet educere, cùm quod duplex eſſe debeat, tum ut ſpacium, quod inter curtas nares, & brachium atque ultra eſt, penitus expleat. Qua de cauſa, ſi quid nobis definire datum eſt, ad ulnas quinque eum produxiſſe, non vehementer oberit. Sella vulgaris ſit abſque iis, quæ ad brachia ſunt, ſuſtentaculis: parte tamen poſteriore reclinium fulcimentum dorſi exurgat: rectà quidem ad infimas cervicis uſque vertebras: retro poſthæc ſenſim inclinet, & ſupra verticem emineat. Huc ægri caput reclinare oportet, & immotum continere, ut ſi fieri poterit, plane nullas, aut exiguas interea temporis, in ſedendo moleſtias percipiat. Præſtat verò in ſedile potius collocato ægro, quàm in lectulo, operationem hanc exercere. Nam & claro lumine opus eſt, & ita ægrum conſtitutum eſſe decet, ut quoquo verſus medicus excurrere, & ſiniſtrorſum, vel dextrorſum, utcumque libuerit, & res poſtulaverit, abſque difficultate ſeſe poſſit conjicere, quam occaſionem, in lectum ægro compoſito, non licet arripere. Non ſecus, & linteum requiritur, quod, antequam opus aggrediamur ad pectus ægri explicare oportet, & ad cervicem religare. Excipit hoc ſanguinem, & quo minus inquinetur æger, prohibet. Adſint, & linteolorum-fruſta, eaque quàm plura, adſit goſſypium. Horum uſus eſt, ab excoriatis partibus ſanguinem detergere. Solet enim quandoque ſi largior prorumpat, aciem oculi perſtringere, & excoriandi rationem fallere. Contingit namque, ut vel ægro ſeſe intorquente, vel ferro minus penetrante, inæqualiter decerpatur cutis, & exiguum de ea quandoque remaneat, quod ſi ſubſiſtat, nulla ſpes eſt eas partes poſſe coaleſcere. Sæpius igitur vulnus exiccet medicus, & plagæ æqualitatem, ne quid de cute reſiduum ſit, ſedulo proſpiciat, in quem uſum linteorum fruſta, eaque non pauca adeſſe neceſſe eſt, quæ ſemel inquinata abjicere convenit, & nova aſciſcere. Et hæc fere ſunt, quæ in opere præſtando neceſſaria ſunt: jam ad cætera, quorum uſus opere perfecto, requiritur, noſmet conferamus. Sunt autem genere duplicia, & vel ad partium tutelam, iiſque jam conſutis conſervationem, vel ad earundem curam accommodantur. Hæc medicamentis: illa faſciarum cenſu æſtimantur. Eſt tamen, ut de ea quia brevior eſt, primo ſermonem faciamus, duplex rurſus curatio. Nam & geminæ partes ſunt, quibus conſulere convenit: brachium ſcilicet, in quo area eſt, & inſitarum partium ſutura. In curanda area nil prorſus innovandum eſt, ſed iis utendum, quibus antehac. Itaque linamenta, & iiſdem medicaminibus imbuta parare oportet, vulneri applicare, & faſciis connectere. Quod verò recenti plagæ, & ſuturis convenit, id etiam inſitis partibus curandi genus expedit. Itaque ut humorum effluxum comprimamus, elaborandum eſt, & ne partes inflammentur. Præſtiterit hic liquamen ovi, ſi roſaceâ diluatur, ea portione quam ſupra aſſignavimus. Adſint ſtupæi orbiculi, numero bini, alter latus pollicem, longus verò, quàm nares latę ſunt, ut ſuturam univerſam probe contegat: alter eandem quidem longitudinem obtineat, ſic tamen paulo latior, ut circumſitas partes & quas inflammari periculum eſt, pulchre muniat. Cùm autem, & ad interna uſque narium ſutura penetret, itaque & penicillos injicere non erit inconſultum. Duos ergo parare decet è ſtuppa narium ſpaciis æquales, eaque longitudine, quæ & curationem juvent, nec ſternutamentis, quæ excitare ſolent, infeſti ſint. Univerſam enim

inſitionis

inſitionis ſtruem hoc unum malum demolitetur. Tum & orbiculi, aquato ovi imbuendi ſunt, & penicilli, atque ubi res expoſtulaverit, uſurpandi. His itaque quę futuræ convenit, curationem definivimus. Nam faſciarum rationem inire convenit, & earum rerum, quę ad operis tutelam jam adminiſtrati, ejuſque conſervationem referuntur. Sed priuſquam de faſciis ſermonem noſtrum inſtituamus, non inique nos facturos exiſtimo, ſi brachii poſitum qualisnam futurus ſit in inſitione hac ante omnia declaremus, ut faſciarum ratio, & quæ ad eas reducuntur, longe notior ſit, & illuſtrior. Cum enim in eum finem ut brachii poſitum tueantur, à nobis faſciæ excogitatæ ſint, nemini dubium eſt, ſiquidem uſum earundem recte percipere velimus, quin prius; id, à quo omnis illorum ratio defluxit, non leviter cognoſcamus. Poſitus igitur brachii talis eſt. Oportet humerum, quantum licet, attollere, & ea regione brachii, qua fere muſculus ille triqueter deſinit, faciei, aut naribus in propinquo admovere. Mox cubitum, qui intro parum reflectitur, ad ſuperiora efferre decet, & qua carpo committitur ad confinia frontis ſupra apponere. Manus capiti univerſa inſternitur, qua ſagittalis decurrit, ea ratione, ut brachiale coronariæ futurę fere aſſideat, metacarpium verò ſupremum verticem contingat. Hoc pacto fit, ut medius digitus ad lambdoidis angulum decurrat. In hoc poſitu, id faciei, & brachii libramentum eſt, ut hoc ad interiora paulo declinet: illa verò oblique parum verſus brachium ſpectet. Proximus humero narium eſt apex, qui interiorem cubiti cum humero coitum tranſverſa linea reſpicit. Qui ad ſcapulas eſt articulus longe à figura media diſcedit. Atque ideo quanto magis recedit, tantò vehementius excruciat. Sola doloris expers, figura media eſt. Cubiti articulus, & cætera membrorum conjugia non uſque adeò à mediocritate declinant. Hinc leniores cruciatus experiuntur, neque tam diuturnos, ſed qui confeſtim ſedant. Hic ergo brachii ſitus eſt, hæc collatio, quam partibus jam applicatis, & futura connexis obſervat. Cum enim ipſę nares, quarum refectionem molimur, ſuperiorem humeri regionem, qua propago eſt proxime reſpiciant, itaque ſublatâ eâ, & oblique quadantenus attractâ, opportuno admodum, curtis naribus conjungi, & futuris connecti poteſt. Quoniam verò hujus futuræ finis, coitio ſit earum partium, atque unio quęque non breve temporis intervallum deſideret, ſtabiliri certe partes neceſſe eſt, eaſque plane immotas reddere, ut partium earum connexionem, nec minimum quidem interpellata natura rite queat perficere. Cęterùm poſtquam poſitum hunc, non dierum duntaxat, ſed ne horarum aliquot ſpacio, inconcuſſum ſervare poſſibile ſit, neceſſariò aliquid excogitandum erat cujus beneficio firmum continere brachium, ejuſque ſitum immotum conſervare adusq; inſitionis tempora nobis concederetur. Hoc autem quicquid tandem ſit, ab eodem prorſus brachio indicari videbatur. Cum enim id multis partibus moveri poſſet, quotquot illæ ſunt, iis ſingulis conſulendum erat, ne vel appetitu ſuadente, vel voluntate jubente, quantumvis anniteretur patiens, aliquo pacto commoveri poſſent. Ita enim firmato brachio ſucceſſurum erat, ut partes inſitæ abſque difficultate, & noxa coaleſcerent. Licet verò unius brachii quies illius præſtantiæ ſit, ut in illa, velut in cardine, inſitarum partium unio vertatur, nihilominus tamen & alterius partis, nimirum capitis, vicariam operam expoſcit. Cùm enim hoc, vel antrorſum vel retrorſum inflectatur, vel dextrorſum vel ſiniſtrorſum, ſupra, infra, itaque ſi liberum eſſet, proculdubio hac inepta motione non leve partibus inſitis incommodum pareret. Quamobrem hiſce malis ut occurreremus, talem quandam machinam inveniré coacti ſumus, quæ motus hujuſce libertatem, ſi quidem penitùs non auferret, ex parte tamen atque non minimum moderaretur. Sed prius rationem brachii ſineamus. Hujus quieti providendum eſt, ut partium copulationi conſultum ſit. Partes igitur ejus ſtabiliendæ ſunt, atque propemodum omnes, quas loco ſuo dimovere poſſet. Inter has humeri eſt articulus ad omoplatas, conjunctio ad ulnam, ulnę præterea ac radii connexus ad carpi oſſa. Tot enim nodi ſunt, tot brachii confinia, quorum agitationem his faſciis noſtris, non præter rationem excogitatis, jam facilè compeſcimus. Non ſecus & capitis motum, tam ſupra, quàm infra ad cervicem, ſi non compeſcere penitus, moderari tamen quadantenus conati ſumus. Requiruntur verò & alia, quæ neceſſitate quidem cætera illa conſequuntur, utpote quod ſine his nil perfectum moliri poſſumus, atque dignitate longe minora ſunt. Non enim faſcias illas, quo brachium & caput devincient, recte firmare poſſimus, niſi thorax & fœminalia; & ſic poſt hac accederent, quibus cætera innixa, velut lora ad palum religarentur. Sed quicquid ſit, quod jam leviter quaſi adumbravimus, univerſum eò ſpectat, ut commode & ſine noxa partes jam inſitas connectere, & quouſque coaluerint immotas penitus, & conſtantes conſervemus. Veruntamen rem ipſam aggrediamur. Nomen illi machinæ fuerit Veſtitus inſititius, hac de cauſa, quod factus peculiari lege, inſitioni perficiendæ, non infimam certè, quinimo maximam præſtet operam. Nihil enim æque in primis, ac partium firmitas in hoc opere deſideratur. Hujus partes præcipuæ ſunt, quæ brachii poſitum, & capitis cuſtodiunt: quę verò in horum gratiam excogitatę ſunt, illiſque inſerviunt, minus ad priorem dignitatem accedunt. Sunt quidem, & ipſę non ſecus atque illę neceſſarię, quod omnis opera abſque harum beneficio, luderetur; non tamen eam prętantiam obtinent, quod aliorum famulatui addictæ ſint, nec eo utilitatis loco ponuntur. Illę præterea, quas primo loco nuncupavimus, tum in magis, rùm in minus pręcipuas adhuc diſpertiuntur. Quæ enim illi regioni aſcriptę ſunt, in cujus conſtantia totius rei ſumma vertitur, in celſiore faſtigio collocantur: quę verò capiti ſubſerviunt, quod partem eam cuſtodiant, non adeo dignam, tantęque neceſſitatis, ſecunda ab illis ſede conſtituuntur. Atque ut ea quę hactenus diximus, paucis dum colligamus veſtitùs inſititii partes, alię præcipuę ſunt, aliæ non præcipuæ, quas & alio nomine vel proprias vel communes liceret dicere: quæ vero proprię ſunt, in magis & minus proprias adhuc ſeparantur. Illæ ſunt quæ brachii poſitum cuſtodiunt, quas faſciarum nomine dignamur, quod longitudine, latitudine, tenuitate faſciarum naturam recte repræſentent: hæ verò capiti dicantur, & cùm vittam quandam, aut cucullum referant; hac eadem appellatione inſigniuntur. Reliquæ partes communes ſunt, quæ & figurà veſtitum referunt, & quod magis eſt, nec à veſtium uſu recedunt. Quare arrepta ex media plebe, & mutuato à communi conſuetudine vocabulo, thoracem partes eas, & feminalia appellavimus. Dum verò ſingulorum utilitatem edocere nos oportet, non immerito ab iis, quę in faſciarum gratiam extructę ſunt, ab communibus nimirum exordiemur. Hęc tamen vitta ipſa, ſive cucullus præcedat, quæ continuato ductu poſterior ejus pars cum thorace connectatur. Ejus figura talis eſt. Parte infima exoritur, non procul à cervice, qua calvaria deſinit, ſenſimque explicatur, & in latitudinem couſque expanditur, ut paulo ſub aurium radicibus in genas excurrat, nec ſanè longius, quàm digiti unius aut ſeſquidigiti ſpacio. Hinc ſurſum à finibus illis aſcendit, capitis tamen ſervata ad amuſſim amplitudine, & per verticem

elatus, in anteriorem partem decurrit, quouſque ſuperna frontis confinia, ad digiti quaſi latitudinem complectatur. Senſim exinde ſeſe demittit per faciei latera, aures perreptans, ad digiti abhinc latitudinem, & cum ad exteriorem aurium regionem applicuerit, rectà adhuc deſcendit, atque tandem in ſupremam thoracis ante partem inſeritur, ut univerſum colli ſpacium arctè comprehendat. Atque hæc fere totius cuculli amplitudo eſt. Sed ne auribus, qua parte illis inſternitur, noxam quandam, & cruciatus afferat, ſedem illam notare, ferroque inſcindere opus eſt, cum ut moleſtias haſce effugiamus, tum etiam quod alia nec contemnenda utilitas inciſa vitta, & auri hinc exporrecta ſeſe nobis offerat. Hic enim cucullus figitur, & quaſi ad baſin quandam ſtabilitur, ne caput, quantumlibet æger adnitatur, ullo pacto inclinare vel concutere valeat. Hujus utilitas eſt excipere faſcias, quæ cum brachii ut infra declarabitur, tum cubiti articulum cuſtodiant. Id etiam confert, ut caput unà cum cervice immotum contineat, ne quando annuere, abnuere, hinc inde, partes eas adclinare valeat: vel, ſi penitus nequeat, eâ tamen moderantiâ hoſce motus efficiat, ut ne vel minimum quidem illas concutiat, nec coalitum earum interrumpat. Intercepta enim cervice, & cucullo breviſſimo ductu ad thoracem connexo, eodemque latius in frontem, & in genas exporrecto, nec non ad aurium radices firmato, nil minus fit, quàm ut immoderatius, & incommodius partes eas æger commoveat, adeo ſtrenue, & exactè caput vitta hac comprehenſum, atque devinctum eſt. Thorax verò, præter jam receptum ab omnibus indumenti uſum, nil peculiare habet. Itaque non eſt, ut hac de re voſmet admoneamus. Illud ſaltem indicaſſe ſufficiat, ab illo omnes pectoris, dorſi, laterumque partes comprehendi debere arctiſſimè, & qua parte antrorſum diſciſſus eſt, fibulis muniri, quas invicem addictas conſtringere validius neceſſarium eſt. Sic enim fiet, ne, ſi qua fibulæ laxentur, faſciarum connexiones, quæ ad pectus percurrunt, ſolutiores reddantur. Hîc vittam pro capite ſuſtentant, & faſcias quaſdam, quod infra videbitur, ad partem anteriorem excipit, qui tamen abſque fœminalibus nullam penitus præſtaret operam. Nulla enim mora eſt, niſi hiſce annectatur, & quàm validiſſimè, quin fallaci, & lubrica comprehenſione, ad ſuperiora è veſtigio reſiliat. Hoc igitur thoracis ſtabilimentum eſt, hic palus, ad quem velut funibus alligatur, ne ullo modo queat elabi, & eluſa operâ ad ſuperna recurrere. Sed fibulas fœminalibus oportet indere, & utriuſque tam feminalium quàm thoracis oras innectere. Nunc autem faſciarum hiſtoriam declarare opus eſt, quæ quidem numero plures ſunt, quod plures brachii partes contineant. Inter cæteras tamen ea præcipua eſt, quæ univerſam brachii retro regionem complectitur, & à qua reliquæ omnes tanquam à ſtipite ferè exoriuntur. Hanc dignitatis ergo faſciam regiam nuncupabimus. Illius ortus eſt ab ea thoracis regione, quæ ad articuli humeri ſupernam partem retrò deſinit, & continuato ductu infra pauliſper, ad axillas deſcendit. Lata eſt à principio ferè ad ſex digitos. Hinc rurſus producta verſus cubitum inflectitur, & humero incumbens rectà, tandem cubitum extra ad anconem amplectitur. Exinde gracileſcit paulo, & per ulnæ amplitudinem fertur eadem penitus, qua cepit, magnitudine: hinc carpi dorſum ſuperat, rectoque tramite in extremos digitos deſinit. Hujus officium eſt, ut brachium univerſum faſciarum operâ, quæ ad latera ejus ſunt, annexum capiti valentiſſimè contineat, iiſque omnibus, quas jam dicemus, faſciis ortum ſuum ſuppeditet. Porrò faſciæ hæ licet ſingulis articulis præficiantur, nec numerum humeri cubiti, atque carpi excedere debeant, neceſſarium tamen eſt, ut unus illorum duplici vinculo connectatur, atque ſic quatuor in univerſum, præter regiam illam faſciis opus ſit. Harum prima eſt, quæ ſupra ab humeri articulo, qua parte ſcapulæ ſunt, ad poſteriora exoritur, lato principio, indeque ſub axillæ cavitatem deducitur, unde pectora verſus antrorſum progrediens, ad oppoſitam alterius lateris axillæ regionem defertur. Huic humeri articulum munire, & comprimere datum eſt: cumque & ab axillis oriatur, & in axillas iterum deſinat, ideo axillarem eam vocare libuit. Tanta autem latitudine ſit, ut ad ſummum tres digitos exæquet. Secunda faſcia illa eſt, quæ ad cubiti articulum poſita eſt, & quam hac de cauſa cubitalem dicimus. Hæc latitudine ſuperiori proximè æqualis, à lateribus regiæ faſciæ, qua parte hunc articulum munit, pari principio erumpit, indeque tam ad dextram, quàm ad lævam oblique ad caput fertur, ac temporibus cuculli ſuperſtrata, ſecundùm capitis latera, in poſticam ejus partem, ad lambdoidis uſque lineas prolixius excurrit. Hanc capiti admovere, brachiumque arctius connectere convenit, ne quo dilabatur, vel in alterutram partem hinc inde non ſine detrimento deflectat. Hoc enim maxime cavendum eſt. Nam quanto cubitus vicinior eſt propagini, tanto illius commotio pernicioſior exiſtit, & præcipuè traduci, quem immotum planè ſuo loco ſubſiſtere, nec quovis & quàm minimè contorquere, non incommodum eſt Hæc igitur ſedulo, & non ſine curioſitate medicus circumſpiciat, ut apta connexione, ſummaque cuſtodia, hunc eundem articulum rectè tueatur. Hic enim locus, hæc faſcia ſupremum in actione hac gradum obtinet. Indicio autem eſt, quanti regionem hanc munitam eſſe referat, quod aliam adhuc faſciam eidem ſubſidio collocavimus, quæ ab interna regione cubiti, qua olecranon eſt, explantata, ac ex ſuperiori loco, proximè ab hac cubitali faſcia, antrorſum, & oblique delata ad hypochondrii ſpacium ex oppoſito, ſeu ad extremas ferè pectoris infra oras deſinat. Reſtat enim id quod & altera, multo tamen valentius, nec quandoque articulum illum commoveri patitur. Quod autem ex cubito deducta in eam pectoris ſedem transferatur, ex loci occaſione pectoralis non abſurde dici poteſt. Poſtrema tandem faſcia eſt, quæ manum capiti, ſeu verticis oſſibus ſuperpoſitam, ad carpi ſimul atque ulnæ ac radii articulum circumdat. Hæc ad regiæ faſciæ exitum, quam paulo ſupra carpum aboleri diximus, juxta interiora illius conſpicitur; inde porro exorta, ad faſciæ regiæ latera, prope ſquammeas illas utrinque ſuturas ferè evaneſcit, ac ſingulis partibus, per funiculum ſatis arctè conjungitur. Munus illius eſt, ſuperſtratam capiti manus partem comprehendere, comprehenſam conſtringere, conſtrictam continere, quominus ad oppoſita latera feratur. Hanc ergo brachialem vocamus, quam geminis loris non ſecus atque alias, iiſque diſtinctis, ex utroque latere cucullo adjunxiſſe neceſſarium penitus fuerit. Hæc itaque ſunt, quæ ad apparatum inſitionis noſtræ non prætermitti poſſe duximus.

Cap. 12. *De inſitionis adminiſtratione.*

AGgredimur jam operis noſtri partem præclaram ſane, & ſive inſolentiam ejus ſpectemus, ſive rei magnitudinem, certe præſtantiſſimam, atque cæteris omnibus, quæ nobis peragenda ſunt, merito præferendam. Nunc enim abrepta cute novas nares, & novo prorſus conatu reficere conamur, & faciem ſuo decore ſpoliatam, & quaſi fœdiſſime conſpurcatam denuo eluere, & hoc novo mangonii genere illuſtrare tentamus. Cujus dignitatem ut aſſequamur, non levis opera

opera nobis propoſita eſt, quæ in eo penitus conſiſtit, ut ob tenuitatem ſuam cicatrix, qua partes invicem coaluerint, vel obliterata, vel minus conſpicua, admirandis artis noſtræ præſtigiis intuentium oculos deludat. Quamobrem non facilè quis dixerit, cuinam artis noſtræ parti primas adſcribere oporteat, an partium unioni, an earundem conformationi. Hæc enim præcipua ſunt, quibus ars noſtra ditata eſt, & reliquis operationibus planè anteponenda: alterum quidem naturæ opus: artis vero alterum. Nares enim rudes adhuc & impolitas efformare artifici datum eſt: at propaginem cum curtis partibus agglutinare, naturæ conceſſum. Videtur quidem ars hac in parte naturam excellere, ut quæ id efficiat, quod vires illius ſuperat, nec quod ipſa per ſeſe ſponte moliri queat (partem enim, eamque diſſimilem illa nunquam reſtituit) id tamen non poſtremo loco ponendum eſt, quod ex coalitu ritè & decenter facto, quantum vix ex conformatione poteſt, tantum & naribus decoris & faciei ſplendoris accedat. Non nego magnum eſſe aptè, & concinnè cutim illam excindere, ſed neque contemnendum eſſe puto, & adeo egregiè & decenter unionem efficere, ut difficulter oculis pateat, & nunquid ea pars unquam diſcreta fuerit, vix in animum inducas: imo id credo cæteris eſſe maximum. Quamvis enim naturæ opus ſit partes diſſitas copulare, non tamen eàm penitus meretur laudem, ut non ſumma in artem ipſam interim redundet. Fateor naturam cum naribus traducem conjungere: at coitio illa, ut concinna ſit, ut honeſta, ſola artifici tribuendum eſt. Hic enim naturæ conatus moderatur, & quod infra mediocritatem ſit, adjungit; quod extra reſcindit. Si enim naturæ tantum negocium committamus, quam inhoneſtas, quam male conſtantes cicatrices ducat, perſæpe compertum eſt. Atque hac ratione, ut congruè & decore partes uniantur, id ad operationis dignitatem mihi facere videtur, quod ea difficilis admodum ſit & ardua, nec quicquam quod intueatur, quominus ab æquitate deflectat, habeat. Atqui ſi res difficiles ſuperaſſe, magis quam leves, laudi datur & honori, proculdubio id nobis concedendum eſt longe plures difficultates, dum inſitionem facimus, propoſitas eſſe, pluribuſque incommodis conflictandum fore, ac ſi nares jam unitas efformaremus. Principio enim hic nihil eſt, quod viſum impediat, quo minus rectè, quid velis, agas, quod manum evertat, quod operationem acceleret. Libere enim & abſque impedimento iidem nares effingimus, in opere verſamus: non ſanguis effluens oculorum aciem perſtringit: non jactantur ęgri: non convelluntur doloribus: nulla vel planè exigua hæmorrhagia conflictantur, nec eas nos anguſtias incurrimus, quin operationem in plures dies, extrahere, rudes primo nares delineare, ſenſim aſtruere, denuoque in anguſtiorem formam, quod noſtro & ęgri ſimul abſque fiat incommodo educere liceat. Secus verò dum inſitionem molimur, nobiſcum agitur. Hic enim plurimum emanans ſanguis obtutum percellit, ut ſæpius & moram in operatione trahere, & niſi advertas fallere cogaris. Hic multoties evictus doloribus æger, manum evertit, ut neque nares rectè apparare, ritè conjungere, congrue cum propagine conſuere potueris. Hic nullam moram nectere oportet, ob doloris magnitudinem, ſed properare, quandoque verò præcipitanter agere, & quod minime velis, vel non quomodo velis, perficere. Tanti intereſt, an partes illæ ſolummodo conjunganrur: an verò ritè & concinnè, id perfeciſſe. Adde quod ſi contingat, errorem ut corrigas, tum minimè ſibi integrum eſt. Aſt ibi longè lateque expatiari poteſt, quod deſit reficere, quod male egeris rurſus emendare, quod redundet denuo auferre. Sic quod intuearis hoc in loco ipſius naturæ exemplum habes, quod qua ratione lineamenta narium & quouſq; ducenda ſint, tibi oſtendet. At nares conjungere in unica artificis ſolertia ejuſque dexteritate poſitum eſt, qui quantum opus eſt; & quo pacto, proprio inſtinctu acrique judicio intelligit, & promptam & ſolertem manum adhibet, nec quod aſpiciat quod imitando referat, præter ideam mente ſua conceptam & quam occaſio ſuppeditat, plane nihil obtineat. Non minori ſolertia ſtudioque opus eſt, dum jam inſitione facta, & conſutis partibus natura cicatricem ducit, quam peritè moderari decet, ne quid vel nimis depreſſa ſit, vel luxuriante carne intumeſcat, ſed ut obſervata mediocritate, æqualis & plana cum cæteris partibus ſuperficie enaſcatur. Sed quam arduum eſt hoc, ne quod nimis, cognoviſſe: tanto difficilius perfeciſſe. His itaq; de cauſis unioni plurimum cedit conformatio. Hæc enim promptior eſt; illa minus expedita: & ſi difficultas rei, ſi artificis induſtria dignitatem affert, ad illam facilis via eſt plana: ad hanc vero difficilis & impedita. Admonemus itaque chirurgos, ſi quæ bonos viros decet, honoris & gloriæ palmam conſequi cupiunt, ſi artis dignitatem commendare volunt, ut in inſitione facienda, quo decus ſuum, atque nitorem conſequatur, omnem operam, omnem induſtriam, omne ſuum ſtudium collocent. Voluimus autem ante dixiſſe hæc, ut quæ ſit rei ſumma intelligant; quid illorum interſit, cognoſcant. Adminiſtraturus ergo inſitionem chirurgus, niſi temporis difficultate, vel ægri cupiditate tranſverſus agatur, in primis diei opportunitatem captet, quæ & puriſſimi cæli nitore, amico vultu arridens, animum ægroti quaſi excitet, & operi non minimum emolumenti afferat. Non enim oculorum aciem obſcurus aer, atque nubilus offuſcare poteſt. Hanc equidem inſitionem curioſè tractari oportet, in qua totius operis dignitas vertitur. Sic diei opportunę ſunt horę matutinæ, quod id temporis alacritate quadam mentes noſtras perfundat, & redeunte ſole, vigor animis redeat, alvoque fecibus repurgato, nullave impuri ſpiritus exhalatione, membris perculſis, corpora leviora multo reddantur. Tum enim cibo per ſomnum concocto & ritè digeſto, membriſque recreatis omnis excrementorum eluvies ſponte prodit, quam tamen leviori clyſmo laceſſere conveniet, niſi natura ſua munia prius expleverit. Ubi verò coctioni incommodum aliquid acceſſerit, tunc inſitionem moliri haudquaquam expedit. Quicquid enim ferè malorum contingit, illud quaſi manu facta in perniciem tandem inſitarum partium erumpit. Quamobrem profuerit hiſce malis occurriſſe abſtinentia, vel proxima ante cœna minimum cibi aſſumpſiſſe. Nam quod paucum eſt, imbecillo ventre facilius immutatur, aut non tantum de cruditate metum injicit, qua ſubſiſtente, inſitionem aggreſſum eſſe, penitus alienum eſt. His igitur rite perſpectis, inſititio veſtitu oportet ægrum induere. Pertinebit vero ad rem ſutorem adeſſe, qui, ſi quid immutandum ſit, ipſe adjiciat vel auferat. Nunquam enim vel in tanta ægrorum multitudine comperimus, ut ſcientiſſimus hujuſce rei & experttiſſimus ſutor ita diligentiam ſuam probaverit, quin aliquid ſemper in ea parte deſideratum ſit. Volumus itaque ne hac de re, qualeſcumque tandem ſint, imparati ad opus accedant, ſed in ægroto veſtiendo ſutoris operâ, ſtudioque utantur. Non enim illos hujuſce diligentiæ pœnituerit. Fœminalia ergo primum æger induat, mox thoracem & cucullum, hæc fœminalibus applicet, & firmis funiculis arctius conſtringat: ſub hæc thoracem ante connectat. Cucullum deinde in calvam ducat, aures foraminibus ſuis eximat, & tandem univerſo capiti ritè adaptet. Hinc brachium chirurgus attollat, nulla tamen re penes traducem innovata, & ita componat, ut eundem poſitum quem proxime diximus collocatum obſervet.

Hunc cuſtodire ad miniſtros ſpectat, dum faſciis expediendis, innectendiſq; chirurgus intentus eſt. Inter quas explicata prius faſcia regia, & brachio retro impoſita, quæ cubito ſtabiliendo præeſt, & ex utroque illius fertur latere, illam inquam in faciem oblique deferat, & ad tempora, proxime ad lambdoidis ſuturæ latera cucullo loris connectat. Opus eſt hic duplici loro, atque ea connexione, ut inter utrumque funiculum tres vel ad ſummum quatuor intercedant digiti. Hæc loca ſutor attente obſervet, ut oras foraminis internas filo circumnectat, & recte obfirmet, ne qua funiculi cedente lino, reſiliant. Idem & ex altera parte faciendum eſt. Secundam exinde faſciam, quam brachialem diximus, & articulo illo muniendo addita eſt, medicus expediet, & latera ejus utrinque cucullo alligabit. Mox tertiam, axillarem ſcilicet, ad anteriora ducat, & ad mammæ regionem, quæ ex oppoſito eſt, ſuis vinculis conſtringat. Pectoralem tandem, quæ à cubito defertur, ad hypochondrium adverſum exporrigat, & funiculis thoraci conjungat. Tum ſingula, quæ ad deligationem ſpectant, ipſe chirurgus circunſpiciat, percurrat, obſervet, examinet, ne quid vel hiet, vel laxum ſit, ut tuto & firmiter connectantur, omniaque ad inſitionem perapta & accommodata ſint. Hoc ubi conſtiterit, & fœminalia, thorax, cucullus probè reſpondeant, & faſciæ, earumq; nexus firmi ſatis & opportuni fuerint, jam eas laxare opus eſt, cucullum detrahere, atque in humeros rejicere, ne quid capiti adhærens, dum nares excoriamus vel conſuimus offendat. Mox & miniſtros admoneat, ut ſellam parent & linteum. Ipſe chirurgus, quicquid vel impedimento ſibi eſſe poſſit, rejiciat, etiam ipſis manicis detractis, & ut agilior ſit & expeditior, extremas ulnas ad tres, & amplius digitos denudet. Æger ex adverſo feneſtræ ſedeat, ut lumini expoſitus ſit. Huic linteum miniſter ante injiciat, ac per humerum ſubductum ad cervicem religet. Prohibet id, ne qui dimanaverit ſanguis inquinet thoracem. Ipſe chirurgus ad ægrum ex adverſo ſtet, & miniſtris ſua loca deſignet. Horum alter à tergo collocatus ægroti caput reclinabit, manibus continebit, & ne qua nutare poſſit cavebit: alter verò qui è dextra ſtatuatur, cultros ſubinde chirurgo ſubminiſtrabit. Hos enim multoties permutare oportet, cùm profundente ſeſe ſanguine acies illa, ſubtiliſſima & tenuiſſima vel ob humoren adhærentem, vel ex calore emolliente promptiſſime retundatur. Ejuſdem miniſtri induſtriæ fuerit, & cultros ęgrorum oculis ſubtraxiſſe, cum ex eorum intuitu qui paulo abjectiores ſunt, facile expaveſcant: & linteolorum fruſta vel goſſypium quandoque tradidiſſe, ut vulnus extergat. Uſque adeo enim ſanguis ſeſe effundit, ut nonnunquam artificem impediat, & ab excoriatione deſiſtere jubeat. Tùm demum ab narium excoriatione chirurgus negocium auſpicetur. Sunt autem hinc operationis ducenda initia, quod ad eam normam, quouſque videlicet & qua ratione nares refici debeant, inſititium apicem efformari conveniat. Sectionis enim moderantia ab excoriatis naribus petenda eſt. Ubi ergo curtarum narium naturam curioſe contemplatus fuerit, & quouſque ſectionem diducat, ſecum ipſe chirurgus decreverit, age, jam cultrum admoveat, & ab altero latere, utcunque libuerit vulnus promoveat. Hic autem & latitudinem ejus & profunditatem ſpectet, & quæ utraque dimetitur, ęqualitatem vel inæqualitatem. Illud enim inſitioni faciendę favet: hoc verò coalitus decori. Atque hac de cauſa ſectionem hanc diligenter tractare oportet. In hoc enim omnis artis hujus ſplendor, totaque ejus commendatio repoſita eſt. Latitudinem definire anceps eſt. Nam pro corporum varietate, varie quoque & diverſimode à nobis hæc eadem conſtituitur. Illud tamen æternum vobis & ſanctum præceptum ſit, ut in latitudinis tenuitate, cum ſuſpicio adſit de peccato in liberalitate nunquam deficiamus. Amplitudo enim & largitas vulneris, quod de inſitione ſpem certam faciat, ejuſdem anguſtia longè tutior eſt & accommodatior. Profunditas vero ex rei ſubſtantia depromitur. Cum enim conjunctæ partes communione ſanguinis, quaſi glutine quodam inter ſeſe uniantur, ideo alte adeo vulnus infligendum eſt, ut ſanguis undequaque, & hilarius ſeſe effundat, Quam vulneris altitudinem & partis, quæ inciditur eſſentia, deſcripſerit. Sicubi enim tenuis fuerit illa pars, non uſque adeo profunde reſcindi debet, ut in ampliorem & ſpacioſam ſuperficiem abeat. Tantum namque abeſt, ut inſitionis ſecuritati conſulamus, ut potius hac violentia obeſſemus. Non enim adeo impune has partes tractare licet, quin maximè ęgrum excruciemus, ne operationem toleret, & ut vaſe quodam inciſo, non quam large ſanguis erumpat. Terminus igitur altitudinis hujuſce vulneris fuerit, uſque dum ſanguinis profuſio, per totum vulneris ambitum conſequatur. Eſt tamen cum latitudinis tum profunditatis obſervanda vel ęqualitas, vel inæqualitas: in qua omnis decentiſſimæ ſymphyſis ratio atque ipſius artis dignitas collocata eſt. Sed ut hæc, quicquid eſt, facilius intelligant chirurgi, noſcere illos oportet, in vulnere duo conſideranda eſſe, nempe ſpacium ejus, & oram ſuperiorem, in quibus utriſque æqualitas vel inæqualitas conſpicitur. oram vulneris æqualem eſſe decet, ut nullibi vel punctis, vel angulis interſciſſa ſit, ſed à ſummo uſque ad ima, ſectione ad lineam facta uniformiter ſibi reſpondeat. Spacium verò vulneris obliquum eſto. Hanc enim intelligimus altitudinis inæqualitatem, quod in vitibus rite inſerendis Cato docuit neceſſarium eſſe, & Plinius ipſe retulit. Sed repetamus paucis ipſa verba, ut exemplo propoſito univerſam rem facilius quiſque cognoſcat. *Cato vitem tribus modis inſerit. Præſectam findi jubet per medullam, in eam ſurculos exacutos adigi, & medullas jungi. Altero modo ſeſe vites invicem contingunt. Utriuſque in obliquum latus contrarium adradit, & junctis medullis colligat.* Hęc igitur inſitio ad rem noſtram ſpectat, in qua licet animadvertere, ſectionem eam obliquam dici Plinio, quæ cum juxta altitudinem inęqualis ſit, à ſuprema ſuperficie incipiens, ſenſimque & quaſi decuſſatim deſcendens, in humiles infra partes ad angulum acutum deſinit. Imaginari enim oportet triangulum æquilaterum, cujus primum latus à ſummis naribus qua parte inciſæ ſunt, infra ad baſin earum protenditur: ſecundum vero ibidem ſupra incipit & deorſum ad acutum angulum ducitur, quibus tandem ab narium baſi, uſque ad extremum alterius lateris, tertium latus ſubtenditur, quod ſpatium deinde novæ nares complebunt. Si enim æquali ſectione & ad perpendiculum cum traduce curtæ nares conjungerentur, iis exporrectis & antrorſum protuberantibus, ingrata mole pars illa defædaretur. Adde quod ea parte, qua coaluerint, hinc inde aſſurgente carne, velut tumulis quibuſdam ſulcum quendam efficerent. Oblique igitur ſectionem deducere oportet, quandoque vero ad figuram trianguli æquilateram, nonnunquam ad eam, quæ vel duo latera æqualia habeat, vel ut nullum eorum cum altero conveniat. (non enim eodem modo ſemper nares detruncari accidit, ut cum naribus novis triangulum æquilaterum conſtituant) omnino autem figuram eam, quæ rectum ad nares obtineat angulum vitare convenit. Nec atramento ſectionis terminum deſignaſſe opus fuerit, cùm ſanguine profluente nota hæc aboleatur, aut oculi aciem inæqualitate dijudicanda perſtringat. Id vero apprime neceſſarium eſt, ut, ubi òpus ſit, indicis apicem in nares intromittat medicus, ut quaſi obice objecto, nari-

naribuſque firmatis; nec retrocedentibus fœlicius operationem perficiat. Solent enim nares ob mollitiem, cedere, & ferri aciem eludere. Interim ſæpius cultros permutet (acies enim eorum retunditur) vulnus exiccet, & quantum ſectione profecerit, probe perſpiciat. Qua in re extremam oram cum primis linea quadam deſignet, mox altiùs cultrum adigat, & quod reliquum eſt, omni conatu, quam fieri poteſt, ſi quid extremis naribus, quod minus diſtingui ferro poterit, intro adhæreat, id forcipe detrahet, & vulnus in interna ſuperficie ad æqualitatem reducet. Hæc ubi peregerit ad traducis ſectionem devenire oportet, quam neque temere licet aggredi, ſed ex curtis naribus rationem depromere. Protinus ergo deterſo vulnere, infimis naribus chartam imponat chirurgus, quam pro vulneris amplitudine confirmet, ut ad typum illi penitus reſpondeat, nec quo recte hanc deſcribat, ulli vel operæ vel diligentiæ pateat. His enim univerſum unionis decus, atque ipſa inſitionis ratio innititur. Chartam verò jam confirmatam miniſtro præbeat. Interea æger appoſito linteolo ſanguinem compeſcat, & quo minus aerem plaga ſentiat, ipſe caveat. Tum faſciam devolvet medicus, propaginem explicabit; & brachium ægri miniſtrorum alteri concredet. Hic cubito dextram ſubjiciat, altera verò ulnam & carpum erectum ſuſtineat. Ipſe chartam applicet chirurgus traduci: probeque contempletur, quidnam ibi demendum ſit, quanta & quouſque hæc ſectio fieri debeat. Quod ſupereſt reſcindat, intra callum abradat, & quemadmodum ſupra de naribus diximus, ſic eodem pacto, ad eandem obliquitatis normam propaginem excindat. Hoc utique factu non erit difficile, cum id ægri vix perſentiant. Curet autem ſumma diligentia, ut cuncta ad amuſſim peragantur. Quicquid enim huic ſtudio addicitur, vel ob eam rem plurimi faciendum eſt, quod nullo modo, ſi quę errata commiſſa ſint aliquando revocare poſſumus, qui vel præcipuus ſtimulus eſt, iſque acerrimus, ne quid oſcitanter, ne quid temere agamus. Tum ad nares traducem adducat, applicet, periculum faciat, nunquid recte cum naribus cohęreat? an extrema illorum conveniant? quid ſuperet? quid depreſſum ſit? nunquid intro hient, vel non rite coeant? Hœc omnia inquam conſideret, & accurato, quorum illud ad unionis decorem ſpectat, hoc verò inſitioni convenit. Perbelle itaque vulnera conveniant cum traducis tum curtarum narium. Atque hoc aſſequetur medicus, ſi adraſis partibus, & aliquo, moderate tamen exciſis, earum oræ coeant, ne quid vel extra emineat, vel intra ad utriuſque vulneris ſuperficiem vacuum intercedat, ſed ut undiquaquam æquales ad normam congrediantur. Poſthæc ad ſuturas efficiendas animum convertere oportet. Quæ ſane chirurgiæ pars aliquanto difficilior eſt, ideoque latius explicari debet, nedum breves eſſe volumus, rem ipſam obſcuremus, & ad plurimos errores anſam ſuppeditemus. Intereſt verò hęc noſtra non obiter perlegere, ſed accurato, & quàm ſæpiſſime, ne quis, alias in conſuendis vulneribus exercitatus, hac varia perſuaſus opinione nil intereſſe ducat, quomodo partes hæ velint conſui: atque ideo, cum imparatus accedat, in enavigando hoc pelago errorum multitudine quaſi vaſtis fluctibus obruatur. Utcunque enim conſuendi rationem quis hic promoveat, niſi vel peculiari ſtudio vel ſollicita admonitione id didicerit, nunquam non vehementer labitur. Hæc enim ſuturæ ratio ab iis quæ paſſim, & quotidiano fiunt, plurimum, & quam longe differt. Id unuſquiſque intelliget, ſimul atque hæc noſtra recte perceperit. Plurimę autem cauſę ſunt, eæque non vulgares, cur ea, quam jam molimur, à cęteris reliquarum partium, conſuendi ratione diſtet, & difficultate omnes antecat. Primum enim non minimum intereſt, nunquid, quæ partes conſuendæ ſunt, aliquo in loco adhuc connectantur, an ſede penitus, & regione diſſideant. Animo concipite quæſo, faciei vulnus latiſſimum eque ac graviſſimum, adeo ut maxilla ferri vi fere tota abſciſſa ad humeros uſque propendeat. Hic quis non videt ſaltem aliqua ex parte, partem hanc cum reliquis adhuc cohærere, nec laboramus, quin ea compoſita; & ſuturis copulata integritati reſtituamus. At traducem conjungere cum curtis naribus quomodo id non laborioſum eſt? quomodo non difficile? quanto intervallo diſtant? quanto divortio ſeparantur? Neque id ſatis eſt, niſi & partis moles, ejuſque ſubſtantia ad reliqua momenta accederet. Ea enim eſt in cæteris quæ niſi violentius vi gladii aliquid abreptum ſit, compoſita prius, totam eam regionem compleat, nec ut quid deficiat, quid emineat, ſed æquali penitus ſuperficie, & corpore reſpondeat. Ea etiam eſt partis natura, ut temperie à vicina handquaquam differat, ſed ſubſtantia, utpote à cujus conſortio paulo ante divulſa fuit, cum ea conveniat, ut, ſi liceat dicere, cum illa ſit univoca. Quantum verò ab his legibus ipſe tradux, cum curtis partibus, tam eſt, quam quod notiſſimum. Quis enim neſcit, quæ cutis temperata ſit, quam nares ob frigidorum corporum compagem, frigeant. Licet id experiri, quod frigore nares perculſæ, non item cutis, quam primum liveant. Diverſa itaque eſt temperamentorum ratio, & admodum diſſentanea, & ſi quid commune habeant id genere potius, & analogia exiſtere credendum eſt. Quam etiam mole partes hæ inter ſeſe differant ex eo patet, quod illæ tenues ſint, graciles, & explanatæ, hic vero craſſus, tumidus, & rugoſus, adeoque invicem abſunt, ut nec ſuperficie, nec profunditate quovis pacto conveniant. Sed poterunt ne ea, quę jam diximus, id efficere, ut hinc partium coalitus cæteris, quos fieri videmus, incommodior ſit atque difficilior? Certè ſi utriuſque partis, & traducis, & narium eſſentiam conſideremus, non poſſumus dicere, quin inſignis in iis conjungendis, & non poſtrema adſit moleſtia. Non enim calore abundant nares; utpote ob tenuitatem, & cartilagines ſubjectas frigidiſſimę; nec ea traducis conſtantia eſt, cum plurimas noxas, duras contrectationes, dira ulcera perpeſſus ſit, ut ſibi ipſi opem ferre queat. Quibus cum ergo ſic agitur, iis interitus proximus eſt, nec minimum laboris ſupereſt ut ea reſtituas; conſerves. Sic quas exiguo intervallo conjungi partes neceſſe eſt, ut conjungas, plurimum inſudare, & multoties periclitari convenit. Exiguum enim, & laxum vinculum eſt, quo aliis annectitur, modicumque eſt ſpacium per quod deducto ſanguine, & ſpiritu, vita ipſa conſervetur. Ubi verò arctius, & frequentius partem quandam innectere poſſumus, quo patentior alimento acceſſus eſt, eo minus laboris, minus reſtat periculi, & præcipue cum partes non adeo diſtent, neque eam in applicando violentiam experiantur. Quod tantum abeſt in actione hac, ut nihil fieri poſſit, majori vi, majori impetu, majori incommodo; nullæque partes adſint, quę ex naturę præſcripto magis inter ſe diremptæ ſint. Et quis non dicat operationem longè difficiliorem fore, qui uni ſolùm hoc negotii committi videt, hæc ut conjungat, nullatenus vel adjuvante vel viam conſternente natura? Non enim hic tibi natura monſtrat, quid obſerves, in quod reſpicias; quid imiteris ſed eruenda omnia artificis ingenio, meta definienda eſt, ſoli currendum. At ubi natura ipſa præeſt, ubi callem monſtrat, ubi ipſa præcedit, facile eſt; qui opus ſit, cognoſcere, obtemperare, & ſubſequi. Nullum autem hic ex natura, dum ſuturas molimur, ſubſidium accedit, ſed una unius artificis ingenio, & ſolertia perficiunda

perficiunda eſt. Nec id parum refert quod dum partes illas excoriamus non eam æqualitatem, quam par eſt, obſervare poſſumus. Quæ enim antea conjuncta erant, ſimul atque ſemel diviſa ſint compoſita non uſq; adeo quadrant; ut nihil deſideres. At nullatenus hic efficere poteris, ut ſic traducem, & curtas nares appares, abradas, ut aliquid non ſuperet, non ſubſideat, ne quandoq; hient, ſed ad regulam invicem, reſpondeant. Sic & illud non negligendum eſt, quod hinc per nares recedat aer & accedat (his enim primo reſpiramus,) quod hinc cerebrum ſua excrementa, propellat, quorum utrumq; quantumvis advigiles, & partes lædit, & unionem impedit. Plurima igitur ſunt, eaque non vulgaria, quæ partium harum unioni adverſantur, & operi noſtro multis partibus pluſquam dum alias partes conjungeremus, officiunt. Veruntamen conandum eſt, ne locus vacet negligentiæ, ſed omnes vires, omnem induſtriam, omnes conatus, omnem diligentiam explices, ut rite tuis muniis fungaris, nec quid vel ars, vel ipſemet damni facias. Quicquid enim ſemel hic prætermittitur, nec revocari ullatenus nec quovis pacto compenſari poterit. Tempus autem eſt, ut quomodo futuræ adminiſtrandæ ſint, aliquando edoceamus: cumque tot abſtruamur impedimentis, quanto poterit perſpicacius rem expediemus. Omnis conſuendi partes eas, in illo conſiſtit opera, ut futuras recte librare, & quæ earum invicem diſtantia ſit, ad amuſſim obſervare valeamus. Quam rationem ſi quis aſſecutus ſit, faciliime poſthęc omne negotium tractabit. Primum autem futuras ſingulas, cum duas partes, traducem nimirum, & curtas nares comprehendant, duas etiam perforationes tam in narihus, quam in propagine recipere intelligendum eſt, atque has eaſdem invicem nunc comparari, eaſque eſſe quibus tota operis ſumma innititur. Accipimus autem, & quaſi conceſſum petimus, perforationes eas quę in curtis naribus factę ſunt, æqualibus omnino, quotquot ſint, ſpaciis invicem diſtare, ut & infra declarabimus, nec unam ab altera diſtantia decedere. Id vero pronunciamus, non idem eſſe intervallum, quæ in traduce ſunt, foraminum, quamvis numero cum illis, & ipſa inter ſeſe æqualia ſint, cum iis, quæ ſupra in naribus conſpiciuntur, ſed latitudine plurimum deſciſcere, ut longe arctiora ſint intervalla in traduce atque anguſtiora, illa vero laxiora penitus, & ſpacioſa. Atque hoc ob partium naturam accidit. Cum enim, qua globuli apex eſt, nares anguſtæ, & velut ad centrum contractæ ſint, quo verò magis recedunt, & ſeſe expandunt ampliores etiam fiant: ideo ſi tradux cum curtis partibus conjungi debeat, & apex ipſe pertundendus ſit, nec non & nares ipſæ perforandæ ex neceſſitate, utique quæ ſupra futurarum ſpacia ſunt, inferioribus, atque in apice longe majora erunt, hæc verò illis multo anguſtiora. Atque liceat hoc nobis aliunde accerſitis ſubſidiis ex mathematis ſic demonſtrare. Sint duo circuli concentrici, alter quidem major, alter minor à quorum communi centro educantur rectæ lineæ, qui exteriorem arcum in æquas portiones diſſecent, quare, & interior circulus in æquas partes ſcindetur, quæ quidem inter ſeſe æqualitate non different, illius tamen & quæ ſupra ſunt, longe minores erunt. Sint ergo duo concentrici circuli *a c o p*, & *m n q r*, deſcripti circa centrum *b*, in quibus ducatur communis ſemidiameter *c b*, ſupra quam erigatur ad centrum commune *b*, perpendicularis *a b*, quæ abcindet ab ipſis circulis duos quadrates *a b c*, quidem majoris circuli, & *m b n*, minoris. Nam cum quatuor anguli æquivalentes quatuor rectis conſiſtant ſuper *b*, centrum ex corollario jam elementorum Euclid. 15. & angulus *a b c*, ſit rectus, quare quarta pars erit quatuor rectorum, qui quidem conſiſtet ſuper circumferentiam *m n*, minoris, & *a c*, majoris circuli, quarum unaquæque ex ultima ſexti, quarta pars eſt circumferentia ſui circuli. Quæ enim proportio eſt anguli *m b n*, minoris circuli ad quatuor rectos, eadem etiam eſt circumferentię *m n*, ad integram circuli ſui circumferentiam. Eodem pacto & ſeſe habet circumferentia *a c*, majoris circuli ad ſuum totum, ut angulus *a b c*, ad eoſdem quatuor rectos. Dividatur poſtmodum in partes æquales circumferentia hæc *a c*, nempe in quinque, quę ſint *a d*, *d e*, *e f*, *f g*, *g c*, & ad puncta diviſionis rectę ducantur à centro *b*, quę ſunt *b d*, *b e*, *b f*, *b g*. Ipſę igitur lineę & arcum minoris circuli *m n*, divident in totidem portiones ęquales ſed attamen minores ipſis portionibus circuli. Quod verò inter ſeſe ęquales ſint, ſic patet. Nam anguli *a b d*, *d b e*, *e b f*, *f b g*, *g b o*, inter ſeſe ęquales ſint, ex 27. tertii Elementorum, quia ęqualibus circumferentiis ad *d c*, *e f*, *f g*, *g c*, ut ab initio petivimus, inſiſtunt. Quare & circumferentię ſeu arcus *m h*, *h i*, *i k*, *k l*, *l n*, ex 26. ejuſdem inter ſeſe ęquales erunt, quod ęqualibus angulis ſubtendantur. Quod verò majores ſunt arcus exterioris circuli, quam interioris, ſic probatur. Nam eadem eſt proportio anguli *a b d*, ad quatuor rectos, quæ arcus *a d*, ad integram circuli circumferentiam exterioris circuli ex ultima ſexti elementorum: atque etiam eadem eſt proportio anguli *m b h*, ad eoſdem quatuor rectos, quæ arcus in *h*, ad intergrum arcum interioris circuli. Erit igitur ex undecima quinti eadem proportio arcus *a d*, ad ſuum integrum circulum, quæ arcus *m h*, ad ſuum, & permutando, ita eſt arcus *a d*, ad arcum *m h*, ut circulus exterior ad interiorem. Sed ille major eſt interiore, igitur & arcus *a d*, major erit arcu *m h*, Eadem & cæterorum arcuum ratio eſt, ſi conferantur inter ſe. Quare exteriores arcus majores erunt, interiores verò minores, & ſic quod probandum eras interioris circuli portiones exterioribus, minores erunt, illæ verò his majores. Aggreſſurus igitur chirurgus futuras, & quæ prima hujus operis pars eſt, nares & propaginem perforaturus, in ſedile ægrum collocabit, ſub ſplendidiſſimo aere, vittam capiti injiciet, mox tæniam, cujus ſupra mentionem fecimus, fronti applicabit, & retro, ad cervicem connectet. Hęc ordine acus excipit, ne quis error, aut confuſio accidat, dum partibus jam perforatis, funiculis eas conſtringere convenit. Facilis enim hic lapſus eſt, ne linum quoddam pro altero arripias, & quæ ſecus conveniant, invicem conjungas: aut, ſi quidem ea explicare volueris, quod non ſine temporis jactura fiet, ingenti tœdio ægrum & dolore afficies. Sic igitur & tuto rem expedies, & celeritati commodabis. Quod ubi peractum ſit, agite, jam partes acu trajiciet, & primum, quod commodius fiet, traducem, mox & curtas nares. Ante tamen quam acum immerſeris, futuris loca ſua deſignaſſe convenerit, & unam recte in medio, in ſummo traducis apice conſtituiſſe hinc inde ſuccedentibus æqualiter cæteris. Eam verò prudentiam adhibeat velim, ut quantum poteſt, futuræ efficiendæ intervalla diligenter obſervet, ne quid ab diſtantiæ æquitate, quæ quidem alia eſt in naribus, alia in traduce, deflectat, ſed omnia ad trutinam exacte revocet. Hac enim parte quicquid ad coalitus certitudinem, & celeritatem ſpectat, quicquid ad cicatricis decus pertinet, omne velut in pugno comprehenditur. Quare non eſt, ut quis hæc negligenter aut obiter adminiſtret. Auſpicabitur verò utcunque libuerit, vel in dextro vel in ſiniſtro latere medicus, & perforata prius propagine, mox & curtis naribus, acum

acum ſupra, & recta verſus frontem ex oppoſito educet, atque tæniis affiget. Si tamen decorum & hoc in loco obſervare velit, ab media illa atque inter cæteras ſumma exordium ſumpſiſſe non obfuerit, & mox alternatim reliquas adminiſtraſſe. Hæc toties faciet, quoties ęquum videbitur, & ipſe prius aſſignaverit. His rite ſic peractis, jam altera pars inſtat hujus operis, quam conſtrictionem dicimus. Ante tamen in lectum collocare ęgrum oportebit, ut operationem hanc ſumma quies quamprimum excipiat, ne vel convellantur vel diſrumpantur futuræ, vel quidvis aliud accidat, quod exinde nobis faceſſat negotium. Quam enim id facilè ſit, unuſquiſque videt, ſi funiculis jam conſtrictis ad lectum deducere ægrum, ibique eum velimus rectè componere. Is autem ordo in conſtrictione ſervandus eſt, ut eam futuram, quę cæteris mediam ſedem obtinet, atque ad extremum apicem propaginis eſt, primum conſtringamus. Hæc enim, cum ſupremam regionem occupet, id præſtabit, ut ex ea velut ex perpendiculo totus tradux æqua lance dependeat, atque ut latera tandem exactè conjungamus. Haud ſecus apud ſutores uſu venire videmus, qui tunicæ partes in medio primum connectunt, & hinc ad alterum extremorum progredientes, non inconcinne eas conſarcinant. At ſi ex altero latere, & pręcipuè infra opus promoveas, inæqualem pendere traducem, & deorſum prolabi videbis, quod quantum abeſt à reliqua operis perfectione, unuſquiſque per ſe videt. Non enim poſthac, & niſi ſumma cum difficultate, aut non levi patientis cum cruciatu, partem eam attrahes. Adde quod funiculum illum prompte laxari contingit, dum in oppoſitum convellitur, & quadantenus ad inferiora propelli. Illam igitur futuram, quæ media eſt, & qua conſtricta inæquali examine propago libratur, primam conſtringere opus eſt, valideque connectere, ab hinc vero alias ex ordine, hinc vel inde, ut ęquum unicuique videbitur, quoûſque omnes funiculos collegeris, & circumplexis arctè propaginem cum naribus innodaveris. Modus vero conſtrictionis hic eſto. Chirurgus in eum ſitum convertat brachium, quem ſupra deſcripſimus, cum traducem ad narium ęqualitatem reſecari velimus, jubeatque ex miniſtris alterum, eum ſcilicet qui caput ægri ſervat, manum illius ſupra verticem impoſitam arripere & ad carpum comprimere, quò minus vel deorſum, vel ad alterutrum latus inclinet. Alter vero cubitum manibus ſtatuet, qua parte radio conterminus eſt; tollente interim traducem, & curtis naribus applicante alio, quem tertium, miniſtris illis ſuccedaneum ſecernere convenit. Ipſe ſiniſtra manu filum, quod è traduce prominet, & dextra acum illius arripiat: funiculum hinc inde leviter ducat; nunquid is ipſe ſit, quem connecti velit, videat, mox duplicatum implicet, arctius conſtringat, atque ne reſiliat, alio effecto nodo; ſed eo ſimplici; denuo connectat, linumque fere ad nodum uſque reſcindat. Idem etiam cum aliis faciendum eſt, atque ex ordine, ut paulo ante diximus. Sic enim omnia rectè, & ad juſtitiam adminiſtraveris, nec aberit, quin neceſſaria quadam ſequela etiam ſub manu tua ad nutum tuum quęque obediant. Sed ut rationem futuræ unuſquiſque perſpectam habeat, tam cauſam quam operandi modum his duabus tabellis ob oculos ſubjicere voluimus.

Cęterum his ſic perfectis curationem aggredi oportet, & in primis penicillos ovi liquato, ut diximus imbuere, mox naribus indere, ac orbiculos extra ad futuras circumcirca injicere. Poſthæc ægrum deligare convenit; & faſciis, quæ veſti adhærent, ne qua moveri poſſit, conſtringere. Inter cæteras eam, quę vertici ſuperſternitur, & carpi articulum vincit, primum utrinque locis ſuis conſtringere opus eſt: Ab hac cubitalem, mox axillarem, tandem vero pectoralem. Ipſe autem præſtet opus hoc chirurgus velim; nec miniſtris, quantumvis periti ſint, hoc muneris committat. Quicquid enim tanta dierum mora, tot perpeſſis incommodis, tot ſuperatis difficultatibus hactenus acquiſivimus, id omne in hac una actione tanquam lacinio quondam continetur. Nulli igitur vel labori, vel induſtriæ, vel ſolertiæ parcat medicus, ſed vel maxime nunc videat, ne quid, quod artem ipſam, aut dignitatem ſuam dedeceat, committat, (hæc enim ex operis ſucceſſu pendent) & oleum ſimul cum opera profundat. Si enim in levibus maxima plerumque rerum momenta continentur, & ſæpe viſum ſit exiguis principiis ingentia mala tandem ſuborta eſſe, quid ſuſpicandum, quid non pertimeſcendum, ubi tanti intereſt, levius ne quid facias an ex animo, & cui negotio totius operis ſumma innititur. Non igitur negligenda eſt deligatio, aliiſque committenda, ſed ſi quid rectè curatum velis, id ipſe efficias. Ut enim ſervus in domo ipſe herus eſt, ſic neque in aliis vitæ muneribus quid ſalvum eſſe poteſt, niſi quorum auſpicio, & nutu id regitur ipſi videant, ipſi præſto ſint, ipſi manum admoveant. Veruntamen cum non tantum ſemetipſum recta facere, & quæ opportuna ſunt, præſtare deceat, ſed & ægrum & qui illi aſſident: itaque ægrotum chirurgus moneat jubeo, ut quantum poteſt, quieſcat, brachium non diſtendat, non vellicet, non quovis modo concutiat, & ut ab vehementi reſpiratione deſideat. Non enim difficile eſt, ut partes illæ tantam ferramentorum, & conſtringendo perpeſſæ injuriam inflammatę intumeſcant, quin id ultro accidit, nec opus eſt ſibimetipſi damnum arceſſere. Qua de cauſa non iniquum fuerit, unius vel ſeſqui horæ ſpacio linteola inſternere, & ad inſitionis locum circunjicere. Porro hęc ovi aquato, & roſacea, quę portionibus æquis miſceantur, rigare convenit, & ne qua incaleſcant, ſubinde renovare. Nil enim æque præſtiterit, quod vel citius vel felicius, quemvis humorum affluxum, & non levem quidem compeſcat, atque inhibeat. Hæc igitur in inſitione ſic peragenda ſunt.

Cap. 13. *De curatione inſitionis, & qua victus ratio interim obſervanda ſit.*

JAM vero tempeſtivum eſt, ut inſitarum partium curationem, ad coalitus uſque tempora, proſequamur, quæ tam medicamentorum naturam, quam victus rationem complectitur. Omnes enim medicinæ partes ita connexæ ſunt, quemadmodum referebat Celſus, ut ex toto ſeparari non poſſint. Nam & illa, quæ præcipuè medicamentis pugnat, & victus rationem adhiberi jubet, & inanis eſt omnis medendi labor, præcipue in morbis paulo vehementioribus, quamvis, ſi clementius, agatur, ſola diæta quandoquè ſufficiat; niſi cum victus præſidiis, & pharmacorum copias conjungas. Proxime autem ſymptomata enarrabimus, quę in hoc inſitionis decurſu non infrequenter ſuboriuntur, uſque adeo vicina bonis mala ſunt, nec licet aliquid niſi cum periculo aggredi. Atque ut ab medicamentis exordiamur, ea ex vulnere petuntur, cruento ſolum, nec illis ſymptomatibus laceſſito, ideoque nil præter ſimplicem unionem expetente. Siccitate itaque polleant, ſecundo gradui vicina, media inter ſarcotica, & epulotica, quæ neque detergent validius, neque conſtringunt obnixius, ſed ne inter vulneris labia aliquid humoris intercurrat, moderata aſtrictione cavent, quæ tandem carneis fibris

 intertextis,

intertextis, quaſi vinculis quibuſdam unit natura, & agglutinat. Quam naturæ copulam non æque ſatis admirari cogimur, & extollere, atque præcipue, quod quidam non imperiti rerum medicarum, nec vulgares homines, adeo laxo inter ſe nexu partes haſce colligatas eſſe dixerint, ut ſi, paulo duriuſcule contrectentur, ilicet decidant. Nec tanti quidem faceremus hanc opinionem, quam alias, nec enarratione dignam cenſemus, niſi & ad cætera, quæ ad inſitionis operam referuntur, hoc ſalubre documentum aggregaſſent. Aiunt enim: quæ cum ſcripſerit vir in reliquis medicinæ operibus ſane peritiſſimus, excuſabiliorem reddit viri clariſſimi cujuſdam opinionem, tale neſcio quid ſuſpicantis. Fuit enim cum nobili adoleſcenti cuidam nares reſtauraturus, ut is ad unum ex purpuratis Rom. Eccleſiæ proceribus negotii cauſa accederet, qui aſpiciens ejus nares tectas dixit: nunquid ſunt nares reſtitutæ, & ex carne factitatæ? Aſſeverat nobilis adoleſcens. Tunc rogavit ſi liceret eas detegere: libentiſſime fore ut detegeret. Nunquam enim antea conſpexerat. Ilico ſecedens à conſpectu adoleſcens, quo detegeret, & à ſordibus nares expurgaret: ei clamavit purpuratus: cave ne ſequantur. Sed hæc non ſugillando à nobis recenſentur, niſi ut ab injuria artem noſtram vindicemus, & quas notas hæc hominum inſcitia inuſſit, abſtergamus. Manant enim facillime in mentes hominum fabulæ, & ſæpe falſum pro vero vulgus arripit. Nam ſic comparatum eſt apud hominem imperitum, ut niſi quod ipſe facit, nil rectum putet, nec ſingulis quicquam arridet, niſi quod ipſi præſtent, vel ab aliis multoties præſtari viderint. Solet enim imperitia non quidvis, & operis novitas nobis perſuadere. Et multoties abhorremus quid ob id ſaltem, quod novum ſit, & inauditum, nihilque placet, niſi quod Trojanam originem referat. Sed vana ſane hominis cogitatio eſt. Qui fieri contingat, ut, quæ naturæ beneficio invicem coaleſcunt infringi poſſint? an hoc in cicatricibus, quę juſte coiverint, unquam uſu venit? nunquid ratio id ſuadet? Quinimo ſi attentius rem conſideremus, tantum abeſt, ut, quæ conglutinata ſemel fuerint, denuo divellantur, ut pertinacius invicem cohæreant, aut ſi qua diſrumpi eas contingat, non qua antiqua veſtigia ſunt, ſed proxime, ubi molliores ſunt, & minus pertinaces, divulſæ cedant. Quod etiam in plantis compertum eſt, quibus ſemel implantatis, quantumvis tenellis, & quam graviſſimo vehementiſſimi flatus impetu perculſis, nil ſecius accidere videmus: ſed obſequuntur, cum flexibiles ſunt, & velut cannę, violentiam ventorum eludunt. Concedo quidem: ſed quæſo periculum faciant, num adacta manu, & violentius attracta, non dicam, à mutua connexione ſurculum illum divellant, ſed ut ſaltem hiet leviuſcule, uſquequaque dimoveant. Videbitur certe alio eum diſcindi prius, quam inſitionis articulo concuti, adeo callus, quem induerunt, velut glutine quodam contumaciſſimo partes eas conjunxit, ut nulla vis, nullus impetus hoc conſortium reſcindere valeat. Neque id ſi in arboribus contingit, minus propterea in corporibus noſtris acciderit, quorum operationes cætera longe antecellunt, & materia multo, quam in illis, aptior eſt, & benignior. Atque ne vacet locus hæſitationi, certiſſimum eſt novas nares longe contumacius adhærere, ac cæteræ partes corporis noſtri faciunt, ubi per cicatricem coaluerint. Cum enim robur omne & firmitas unionis ipſi callo, qui cutem longe ſuperat, duricie innitatur, & partes novæ eo geminato, muniantur tam intra quam extra, proculdubio & pertinaciſſime eas conjungi contingit, & quaſi geminos modo arctiſſime invicem connecti. Id cum ſupine imperiti homines conſideraverint, in re clariſſima, nugantur pueriliter. Veruntamen cum æque ſtultum ſit, ſtultas & inanes refutare opiniones: nec plus laboris vel verborum quam opus eſt, in unaquaque re, deceat impendere, ideo hæc miſſa facimus. & ad ſuſceptam curandæ inſitionis provinciam, noſmet convertimus. Diximus ea medicamenta eſſe operi, huic dicata, quæ inter ea, quæ ad cicatricem ducunt, vel carnem regenerant, mediam quandam naturam ſortiuntur, quod ſiccent nimirum & moderate aſtringant. Ita enim fit, ne humore alio labia plagæ intumeant, & natura, ut ſolet, ſtrenue operetur. Dicuntur autem medicis glutinantia, quorum farrago varia eſt & immenſa. Hujus generis ſunt ebulus, ſambucus, ſyderitis, palmæ pini, tedæ cortices: dracontii folia recentia, quæ fraga gignit herba, anagallis, ſalix, androſæmum, aſtragalus, philomunculus, telephium, ſymphytum petræum, araneæ tela, ſed ea præcipue, cui è piſtrino pollen inſederit (hæc enim valentius exiccat) equiſetum, chamæpytis, arnogloſſum vero unum mire celebratur, ut quadam temperaturæ ſymmetria, jungendis veteribus ulceribus, nec non vulneribus nuper factis, nulli remediorum cedat. Iſatidi ſativæ eaſdem laudes tribuunt. Centaureum minus floribus & foliis vulnera etiam magna conjungit. Sic pentaphylli folia, mumia, folia hæderæ recentia, quibus vino coctis prius, prægrandia vulnera conglutinari ſcripſit vir quidam inter neotericos non incelebris. Sed & *ulmo* peculiares naturæ dotes attribuit. Teſtatur Plinius, *qui folia, corticem, folliculum non ignobili in vulneribus agglutinandis pollere facultate ſcribit.* Quinimo uſque adeo felici ſucceſſu fit, ut admirandum ſit, quam exigua & honeſta poſthac ſuperſint vulneris veſtigia. Itaque plurimum valet ſi papularum ſtigmata delere contendamus. Hinc *ad lichenum curam in mento præcipue, ex Criſpo, Ulmi aquam optimam eſſe Crito refert*, ut ſcribit Galenus. Hujus verba ſunt: *ulmi lacrymam aqua diſſolutam imponito. Eſt autem lacryma illa gummi quoddam ceu lentus ac glutinoſus humor folliculis incluſus, ex quo culices, proprie cui pedes dicti, generantur: quam à vermiculis hiſce repurgatam certiſſimo emolumento experiri licet.* Ex hiſce igitur omnibus, quæ jam diximus, quamplurima præſidia parari poterunt, quibus unionem illarum partium, nec inhoneſte quidem arceſſere poſſumus. Nobis vero vulgaria ſunt, & in myropoliis quotidie præſtant ceratum ex ceruſa, & emplaſtrum barbarum. Idem enim, quod volumus & pro dignitate præſtant. Hujus vero uſus eſt rigente cælo, atque adeo corporibus paulo humidioribus: illius autem per æſtiva tempora, & ſi qui corporis ſtatus juſto calidior ſit. At quemadmodum vulneri, quod ad externam ſuperficiem eſt, hiſce pręſidiis medeamur licet, ita quod intra opponitur aliam curandi normam expoſcit. Hic enim tribus ad minimum diebus, res agitur ſuppurantibus, atque iiſdem plane, quę ſupra ſuis locis expoſuimus. Sed cur tandem unum idemque vulnus, locis oppoſitis, oppoſito modo curamus? Id equidem minime fit præter rationem. Plurimum enim externum vulnus ab interno differt, quamvis prima fronte id haudquaquam appareat, & pręcipue unionis nota, poſitu, atque partis natura. Cum enim vulneris labia uſque adeo ad numerum extra cohæreant, ut nequaquam hient, nec inter ea diverſum quicquam intercedat, ſecus certè accidit in intima ſuperficie, qua ſemper aliquid, quod deraſum eſt, eminet, non equidem in naribus, ſed in propagine, ut hinc eorum oræ minus ęque ut extra fit, & ad amuſſim coeant. Neque id artificis negligentiæ tribuendum eſt, ſed operis difficultati. Quis enim eſt ita acris ingenii, ita manu promptus, ut utrinque tantopere partes eas adradat, ne vel minimum ab æquitate invicem recedant, ſed ad regulam tam intra quam

quam extra conveniant. Id quamvis circini ope liceret aſſequi, quo primum area vulneris in naribus dimetienda eſſet, & hinc traduci amplitudo ejus applicanda, uſque adeo tamen pars iſthæc abhorret, ut nullum hinc conſequamur commodum. Eſt enim, reſecto callo, ſubſtantia interior traducis laxa, mollis, admodumque inconſtans, ut ſimulatque quantitatem, ad normam, quæ eſt in naribus, deſignaverit, protinus diffluat, nec limites aſſignatos obtineat. Quod ſi intra modum eam excideris, neque ſic voto potieris. Rarò enim aut fere nunquam licet, quouſque jam detracto callo cutis ipſa ceſſura ſit, & periculum eſt, ne intra modum adhuc ſubſiſtat, nec eam, quam requirimus amplitudinem excoriatio nanciſcatur. Adde quod ſi velis, ad numerum negocium evoces, curioſior paulo fueris, temporiſque jacturam facies, nec leviter ægrum torquebis. Itaque ne quid imprudenter labamur, & pluſquam par eſt, & nobis & aliis tædio ſimus, liberalius paulo traducem excindi viſum eſt, atque eò diducere, ut eam, quæ in naribus eſt, excoriationis latitudinem excedat. Hoc enim tutius multo, & commodius fuerit, nec cum tanta moleſtia conjunctum. Accedit etiam, quod diverſam curandi rationem ab ea, quæ extra adhibetur, aggredi hoc loco oporteat, quod omnis humiditas, quæ ab univerſo vulneris ſpacio funditur, ob locum declivem huc corrivetur, & eo magis cum accipiendo aeri, & reddendo hęc pars dicata ſit, & hinc cerebri excrementa jugiter defluant. quibus utriſque unionem prępediri earum partium, nullus eſt qui non videt. Quę enim ſicceſcunt vulnera, ſanitati proxima ſunt. His additur (nam & hæc naturam partis attingit) quod intrinſecæ ſuperficiei narium ſubſtantiam, & mollicie, & laxitate ab exterioris denſitate, & duritie plurimum diſtet, non quidem ex ſeſe, cùm membranarum eſſentia in ſiccitate, & ſoliditate poſita ſit, ſed quod ea ipſa ſit, quę palatum inungit, & hinc inde affluentibus humoribus, multiſque vaporibus, quæ aliunde efferuntur, largius irrigetur. Hiſce igitur, qui recte animadverterit non obſcure inter ſeſe differre, & internam, & externam inſitionis partem unuſquiſque perſpiciet, atque hinc opus eſſe, ut hæc ſuam, ſuam itidem & illa curandi rationem admittat, invicemque plane diverſam: illam quidem, quæ exiccet: hanc vero quæ pus moveat. Suppurantia autem deſiderat, vel largior illa traducis adraſio, ſicciora tamen aliis, quæ & nativa humiditate, & accerſita aliunde vulnus illud plus juſto ſcateat. Tale eſt unguentum ex pompholyge. Qua de cauſa, & tardius multo, quam extra & ægrius cicatrix obducitur & præcipue cum partem eam, ut externam ſuam, hæc præſidia non uſque arcto complectantur. Expedit etiam, quæ alia curationis pars eſt, præter medicamenta jam enarrata, ut futurarum rationem habeamus, atque an recte ſeſe habeant foramina, aut ſint ne tandem relaxandę futurę illæ, non negligenter videamus. Solent enim fere ſemper madere, & humorem quendam foramina illa evomere, quo quandoque non ſolum extima, ſed & interior pars atque in profundo, arroditur, adeoque excavatur, ut laxatis funiculis, pars illa dehiſcat, & findatur. Accidit hoc mali genus corporibus cacochymis, & calida ſiccaque temperie dotatis, aut ſi qua pituitę ſalſæ illuvies à capite in ſubjectas partes, & præcipue ad nares, jam imbecillas, procumbat. Nulli igitur parcendum diligentię, ſeduloque enitendum, ut detergamus excrementa illa, gnaviterque exiccemus. Præſtabunt id myrrha, thus in tenuiſſimum pollinem redacta, & locis illis aſperſa: ut & ſanguis draconis, ut aiunt, in lacrymis, & manna thuris. Chirurgus itaque in primis diebus, univerſoque ad coalitum uſque decurſu, hiſce medicamentis inſitionem curaverit, cujus negotii rationem, & tempora ex parte diffuſius perſequi, non operæprecium eſſe arbitror. Novit enim unuſquiſque amovendas eſſe ſtuppas quàm blandiſſime, nec tam cito poſt earum impoſitionem, cum prę ſertim circa initia, inflammatione pars ea torqueatur, atque ut illud commodius fiat, liquore quodam emolliri debere, paulo tamen citra modum, ne, quod plurimum obeſt, intra inſitionis latera humor ille ſeſe inſinuet. Abhinc linamenta, cum medicamentis exterius addenda eſſe: intra verò penicillos imponendos, illito apice, ad quartum diem uſque: & mox exiccantibus, quæ ſupra diximus, quod ſupereſt, perficiendum fore. Hoc tamen obſervari velim, ut, dum rem adminiſtraturi ſunt, cubitalem faſciam relaxent caute quidem, & prę ſertim inter initia, ne qua ſede ſua & loco conjunctio illa dimoveatur. Quapropter opportunum fuerit, jam laxatâ faſciâ miniſtrorum alterum, qui brachium ægri omni vigilantia in ſitu priſtino contineat, cuſtodem adjunxiſſe, atque, ſi quid ultra præſtandum eſt, alterius ſubſidio uſum eſſe. Quod verò ad futuras relaxandas ſpectat, in primis, tempus, numerum eorum, & quo ordine relaxandæ ſint, conſiderare oportet. Tempus id à nobis intelligitur, quanam potiſſimum die id faciendum ſit. Per numerum, nunquid omnes ſimul, an ſingulas ſeparatim laxare liceat, comprehendimus. Quod ſi non omnes, ſed aliquot, quaſnam primum, quas ſecundo ſub ordine ſignificamus. Ut diem quod primum eſt, definiamus, patebit is, cùm manifeſta coalitionis veſtigia ſeſe prodant. Hoc circa quartum diem non infrequenter contingit, æſtu præſertim medio, ac ſiccis temporibus, atque ſi habitus corporis optimus, aut non admodum prævisa fuerit. Quandoque verò, & ad tertiæ diei principium jam inchoatam eſſe unionem probe perſpeximus. Brumali verò cœlo, atque in incertis autumni diebus, & ſi qua corpora paulo humidiora aut non adeo benigna fuerint, vix intra quintum diem, jam partes unitas eſſe licet conſpici. Omnino autem jam nobis longo uſu edoctis affirmare licet, multis partibus citius coalitum confirmari, per ſicca, & calida tempora, cum nil adſit, quod materiæ fluxum impediat, & in extremis potiſſimum partibus genuinus calor vigeat: tardius verò, & longe remiſſius, ſi vel quantitate vel qualitate peccet materia, & jam ab extremo frigore compreſſus calor ad interna receſſerit. Omnes autem laxaſſe ſimul futuras proculdubio abſurdum eſt. Non enim firmæ unionis ſpes non concideret, quod ſimulatque partes illæ coalitum atque vix perſentiſcerent, levi quavis offenſiuncula diſrumperentur, & convellerentur. Tutius igitur eſt, utcunq; per ſingulas partes unionis principia ſeſe demonſtraverint, non omnes abſtuliſſe, ſed quaſdam inviolatas atque arcte connexas ſiviſſe, quouſque validius coaleſcant. Quas autem primo laxaſſe oporteat, natura rei indicat, ſcilicet ubi magis unio confirmata ſit. Manifeſtum erit id, ſi qua pars magis ſicceſcat. Promptius verò coaluiſſe, & citius in locis carnoſis præcipue contingit, & fere circa altiorem partem; Inferiora enim in coalitu retardantur, quod excarnia paulo ſint, atque quod è ſupernis delabentem uliginem abſorbeant. Sed, ut neque in univerſa medicina, imo in omni actionum genere, cuncta firma ſunt, & æterna, ita neque hic, quod jam diximus, perpetuum eſt. Perſępe enim in declivi, & qua partes illæ tenuiores ſunt, ocyus eas coaluiſſe vidimus, ſecus verò ſuprà, & ubi craſſæ fuerint. Certum illud eſt, ad quarti diei finem vel ad ſummum circa quinti indicia apparere coalitus, & jam firmius alicubi hæſiſſe cuti traducem, ubi quemadmodum diximus, laxandam eſſe futuram conſulimus. Id autem forcipe peragendum eſt (non enim aliis hoc aggredi licet) acutiſſima ſimul, & tenuiſſima, ut facilè

ſubter

ſubter prętereat, & prompte linum reſcindat, quod quandoque cruore imbibitum, craſſumque cum ſit, ſectioni reſiſtit. Præſtabit vero ex una parte funiculum præcidiſſe & proxime ab foramine, nodoque apprehenſo univerſum, exemiſſe. Nam male cum naribus, tum cicatrici futuræ conſuleremus, ſi quouſque univerſa cicatrix obduruerit, ſuo loco funiculos relinquerem. Fœda enim erumperent ulcuſcula, eaque ſat ampla, nec conniverent foramina, impediente ſcilicet lino, & ingrata denuo, ſimulatque penitus pars illa obduruerit, connexionis ſtigmata remanerent. Hæc autem mala ut effugiamus, & dum unionem partium molimur, una opera & nęvi illi & foramina obliterentur (tum enim labia illorum mollia ſunt, nec callo obducta) fila illa procidere oportet, & ſuturam diſſolvere, ſed in ea duntaxat parte, in qua unionem fidelius ceptam eſſe conſpeximus. Ut verò commodius natura ſuo fungatur munere, qua parte ſutura laxata fuit, ſarcotica & agglutinantia medicamenta injicere oportet. Et hic prior unionis gradus eſt, in cutanea traducis & curtarum narium inſitione, qui circa tertii diei, vel quarti, vel ad ſummum prope quinti finem ſeſe oſtendit, & in quo aliquos funiculos licet eximere. Ultra verò & cum certius, atque validius partes illæ connexæ ſint ad ſeptimi diei principium lubet aſpicere, aut ad ejus diei finem, calido præſertim cælo, & corporibus hominum non iniquis: ſi ſecus, paulo poſt diebus cæteris. Tunc enim circatricis leve equidem veſtigium ſupereſt. Quare tum reliquas ſuturas licet ejicere, niſi eas antea, quod ſic viſum fuerit & circa ſextam chirurgus abſtulerit. Nec abeſt ab hac poſitione noſtra ipſe Celſus, *qui ſeptimo die in ſua, quam ipſe habet, curtarum reſtauratione. ſuturas eximi jubet, & ulcus ad ſanitatem deducere.* Ad hunc enim diem, quin etiam antè adſolideſcere vulnus conſuevit. Quam ſententiam & nos ipſi, ſic edocti ab experientia uſquequaque comprobamus. Quotquot enim id generis chirurgias nobis tractaſſe obtigit, fuerunt autem plurimę, & corporibus non uſque adeo probis, tum equidem ad ſeptimæ initium, plerumque ad ſextam mediam, perraro autem ad ſeptimi diei finem prorogatam fuiſſe unionem vidimus. Atque id vere teſtari poſſumus, nos omnes ſuturas ante finem ſeptimæ, ſemper exemiſſe. Internum verò ulcus longius durare ſolet, ejuſque cicatrix ægrius, & ad quadrageſimum uſque diem quandoque obducitur, non alias ob cauſas, quam quæ à nobis, cum ſuppurandi neceſſitatem in his partibus profiteremur, ſupra relatę ſunt. Suturis ſic exemptis, filamenta ſicca imponito, & ceratum ex pompholyge, in decimamquartam uſque diem, quo tempore, jam probè ſolidatis partibus univerſam cicatricem, certiſſimo ſiccitatis teſtimonio, confirmatam eſſe ſatis clare apparet. Atque hinc tertius gradus eſt hujuſce curationis, cum præter cicarricis ſoliditatem & ſuturarum foramina jam obduruere. Licebit tunc experiri rem, & traducem jam in fixum non leviter concutere, qui cùm validiori nexu cum naribus conjunctus ſit, omnem motus tunc violentiam egregiè ſuſtinet. Quare tum de perennitate operis haudquaquam dubitandum eſt convenietque quamprimum illum à brachio excindere, & adoptantibus naribus jam fortiorem concredere, quod tandem ſuo loco docebimus. Interim, quod ſupereſt, perſequamur, nempe quo pacto ægri nutriendi ſint, uſque dum naribus perfecte tradux inſeratur, & valide coaleſcat. Dicta ſunt quidem antea à nobis, cum delineandæ propaginis curationem traderemus, quæ huc pertinent fere omnia, ſed cùm timidi, & paulo imperiti etiam in tuto vacillent, brevibus ſaltem atque ſummatim negotium tranſigemus. Omnis ratio victus in duas ſecatur partes, in tenuem nempe & pleniuſculam: quemadmodum, & duo in univerſum tempora ſunt, quæ totum inſitionis ſpatium circumſcribunt. Alterum primo ſeptenario definitur, ſecundo alterum. Nec abſonum eſt, quod interim diverſimode victum inſtituamus. Cum enim primis diebus unionem moliamur, quæ valido calore, & membri quadam ſiccitate gaudet; cumque nos ſymptomatum metus percellat, tenui utique victu quoad licet præ viribus æger ſuſtentandus eſt, ne vel ab opere ſuo calor avocetur, vel affluente liberalius ſanguine plus juſto pars illa madeat, & periculum ſit, ne vel inflammari, vel aliquo graviori malo conflictari occipiat. Nec refragantur vires, quas liberalior victus, qui præceſſit ſatis adauxit. Quare ubi jam labaſcere occeperint, omniſque ſympromatum æſtus reſederit, tunc ad pleniorem aſcendere licebit, & liberalius ægrum nutrire, per alterum nimirum ſeptenarium quouſque jam, ut reſcindatur tradux à brachio tempus fuerit. Iam enim tranſacta ſeptima, niſi graviſſimum erratum acceſſerit, nunquam quicquam quod moleſtiam afferat ſupervenire ſolet. Alimenta omnino euchyma ſint, & pro tempore anni accommodata, non ſolida, ſed ſorbilia. Non enim, quæ paulo ſolidiora ſunt, recte conveniant, cum in mandendo maxillæ convellantur, & partes jam inſitæ diſtrahendo de ſede ſua dimoveantur, atque per primos ſeptem dies, quibus tenella adhuc implantatio eſt, & levi momento quoquo verſum impellitur. Eſtque hoc in primis unice obſervandum. Fiant illa ex ſem. melonum emulſione, ex pane trito, & creto vel ſeorſum vel utriſque commixtis, nec non ſaccharo aſperſis. Quarta verò die in virium gratiam, juſcula etiam ex pullo jam dictis affundere licebit, aut ſi quid tale ſit, quod dilutum eſt, nec, ut dentibus mandatur, expoſcit. Vinum penitus alienum eſt. Nam & calorem adauget, & irritatis humoribus maximas turbas movet. Huic licet ſubſtituere decoctum hordei cum ſaccharo, oxyſaccharum ſimplex, oxalidis aqua dilutum, quod æſtatibus mediis mire ſitim lenit, caloris intro æſtuantis impetum frangit, & viſcerum ſanguiniſque fervorem apprime compeſcit. Tranſacta verò hebdomada, cum vires largius reficiendæ ſint, vitella ovorum exhibeantur cum pulli juſculo non admodum diluto, cui ut gratiam conciliemus, omphacii ſuccum vel punicorum malorum, aut, ſi arriſerit, ſaccharum affundere poterimus. Atque hac in parte palatum ægri oportet conſulere. Non erunt præter rationem, quæ ex cucurbitis fiunt fercula, amygdalarum emulſio cum juſculo, quæ primis diebus ſuſpecta eſt, & tandem ſuccus vel cremor ptiſanæ. Pro potu vel pulli juſculum, vel punicorum ſuccus, ſi cum rumicis aqua vel intybi diluatur, ex uſu erit. Prima ſeptimana omni motu parcant ægri, velim, atque ſi illos poſthac è lecto egredi contingat, moderate obambulent. Itaque quieti ſeſe totos dare convenit, quę una hanc operationem fovet egregie, adeoque plane nihil moliri, ut & ſermonis uſum uſque ad quartam omnino præcidamus. Quam enim ex eo incaleſcat caput, ut poſthæc facile ſuam colluviem præcipitet, quam partes hinc inde diſtendat, ex ſe unicuique notum eſt. Atque ſic neque, ſi fieri poterit, valide reſpirent, ſed quam blande, ut neque hinc aliquid oboriatur incommodi, quod factu haud difficile eſt, dum per nares exiliens, & cum impetu illabens aer partes nuper inſitas non modice offendit. Plane igitur conquieſcere oportet, & quemuis motum quatuluſcunque tandem ſit, dummodo poterit, evitare. Dabit etiam operam æger, ut alternis ad minimum diebus alvus reſpondeat. Nec id acrioribus tentandum eſt, ſed clementioribus, & quibus aliqua vis adſit refrigerandi, præcipue verò æſtivo cœlo. Tale eſt decoctum ex beta, mercuriali, & violis, addito ſaccharo ac ol. roſ. In opulentis olei violacei injeciſſe præſtiterit libram integram, cùm ſalis ℥. iij.

Sic

Sic ptiſana ex multa profuerit: vel lac aſininum, aut vaccinum, additis ovorum vitellis, nec non ſacchari, vel mellis ſeſquiuncia cum momento ſalis. Aer etiam (nam & hujus rationem habere oportet) pro temporis occaſione moderandus eſt: ſub bruma quidem, ſi calefiat, non tamen uſque adeo, ut caput ſua vis concutiat, atque hinc à præcordiis vapores efferat: æſtate verò, excitatis ſalientis aquæ rivulis, aſperſione rerum frigidarum, & ſi quid aliud eſt, quod autores medicinæ non infrequenter jubent fieri, ad quos hac in parte licet appellere. Qua in re non levis momenti eſt, ad orientem, per hyemem cubiculum poſuiſſe: æſtate verò ad ſeptentrionem, vel ad occidentem. Cum verò pluri-mum referat, quo pacto ſingula hæc peragantur, itaque miniſtrorum alterum adjungere oportet, qui cibum præbeat, qui quietem injungat, motum arceat, & ſingula quæ dicta ſunt, ſuo loco & tempore fieri jubeat. Sic enim neque pendebimus animo, ſed quicquid operis erit, ex voto nobis ſuccedet. Sunt & animi paſſiones vitandæ, & quæcunque mentem perturbant. Nihil enim eſt, quo corpus magis afficiatur, ac ſi quid, quod noxium ſit ab animo proficiſcitur. Sic nunquam pejus corporeæ vires collabuntur, quàm ſi animæ operam dare oportet & ingenium excolere. Studeat ergo æger tranquillitati animæ. Mens exhilarata calorem nativum ſuſcitat, & omnes corporis actiones fœcundat. In ſomno & vigiliis adhibeat moderationem. Extremum omne noxium eſt, præcipue coctionibus, & magnopere illi, quæ in capitis ambitu celebratur. Hinc excrementa ad nares procumbunt, quę ſi non operis ſummam in dubium revocarent, ſi non partes inſitas convellerent, id ſaltem efficiunt, ut ægre nimis; & tarde partes inſitæ coaleſcant. Hunc igitur in modum, jam inſitam cum naribus propaginem, uſque dum invicem firme cohæſerint, non poſtrema cum ſedulitate & vigilantia curare & conſervare opus eſt.

Cap. 14. *De ſymptomatis partium jam inſitarum, tum propriis tum communibus, & quo pacto corrigenda ſint.*

CVM verò nunquam quicquam ita commode agere liceat, quin ſemper aliquid, quod obſtaculo ſit, agentibus ſeſe offerat, & multoties uno cum bono, tria mala fortuna affundat: ita neque hîc omnia ex animi tui ſententia conficias, quo minus de ſorte tua conquerere. Eſt enim ut ceteræ res aſſolent, non immunis ab incommodis ſuis hæc operatio, & ſi quid aliud, & ipſa non levia ſymptomata habet conjuncta, quæ nunc explicare, & quantum licuerit, corrigere noſtrum eſt. Pertinent autem quædam ad ipſas partes jam conjunctas, quædam verò ad reliquas extra has. ſuntque hęc communia: illa propria. Horum duo ſunt: mollis caro nempe, & excreſcentia ad interiorem coalitûs ſedem: atque hiatus ſuturæ: cæterorum plura, eaque gravia, quæ ſuo loco videbimus. Nec eadem ſymptomatum illorum ratio eſt. Alterum enim carneam nimirum protuberantiam conditio corporis ſecum affert: alterum verò artificis parit negligentia. Deſcribamus ſingula ſeorſim & mox remedia ſubnectamus. Fit caro illa mollis atq; fungoſa, cùm qui exundaverit humor, in eam molem à calore noſtro excoquitur. Commune eſt hoc vitium corporibus pravis, & frigiditate humiditateque intemperatis, atque ſi ad hæc incommoda & cerebri labes ad eandem intemperiem aggregata ſit. Abſumenda eſt caro illa, qua ſalva, non licet cicatricem inducere. Tollitur autem, ſi penicillis vel Iſidis unguentum, vel Apoſtolorum, vel Damaſcenum illinamus, & naribus indamus. Hiant verò partes illæ, quotieſcunque eo loci, ubi ſuturæ invicem diffident, ritè, & perfectè non coaluerint. Certe non leve hoc ſymptoma, quod mirum ſit, quantum de operis dignitate, ejuſque pulchritudine detrahat, quæ artis hujus pars ſane maxima & præclariſſima eſt: & quam artifice ipſo indignum ſit. Huic enim imputes, ſi quid erratum ſit, quod vel imperitior fuerit, vel negligentius rem geſſerit. Adde quod denuo partes excoriari, ferro pertundi, & propriam curandi rationem adhiberi deceat; novaque fiat, & moleſtiarum, & tormenti acceſſio. Dabunt igitur operam chirurgi, quantum poterunt, ſedulo, ut ſuturas recte interſtinguant, priuſquam inſitionem moliantur, & quæ ſcaturigo eſt hujus mali, arcte, & ęqualiter connectant. Si quid tamen peccatum ſit, reiteranda fuerit ea operatio, quam ſupra pro inſitione faciunda deſcripſimus. Non enim refert utrum integram traducem, an ejus partem velis inſerere: unus eſt modus: una adminiſtrandi ratio. Quod verò ad cætera ſpectat ſymptomata, quæ reliquis partibus extra nares convenire diximus, proximum eſt atque primum dolor ipſe ad omoplatas, quem poſitus brachii à mediocritate ejuſque violenta deligatio excitavit. Itaque vel medicamentis agere, vel partes vinctas remittere, haudquaquam locus eſt. Non enim id præ veſtitûs anguſtiâ, & inſitionis æquitate licet fieri. Quare toleranda eſt omnis iniquitas, & ferendum, quod mutare non potes. Quis quæſo animi ita puſilli eſt, & abjecti, qui communem, recuſet fortunam, & ſibi omnis incommodi exorti quicquid agat, bene, & volupe eſſe velit: aut ſi nolit, ingruente malo, nequicquam ſufferre poſſit. Cogitet unuſquiſque quid exoptet, quid expectet. Non hoc levi cocinitur. Difficilia ſunt quæ pulchra ſunt. Magnis Deus bona magna vendit laboribus. An hoc exile eſt, & parvum, quod tantam labem, tam inhoneſtam, tam turpem amoveri contingat, quod priſtinum faciei decus, & ſuus nitor redeat: quod, qui inſtar monſtri, & ſpectaculi fueris, liberalior mox, & venuſtior appareas? Perpendat quam ſpes in propinquo ſit, quàm ſtatim voto potitus, quam brevis ſit hic dolor, & evanidus:

quemcunque dolorem
Finit longa dies.

Quid? nec triduum aberit, & liberaberis moleſtiâ. Mollitur enim vehementia hæc acceſſu temporis, & ſenſum doloris conſuetudo eblanditur. Atque ſi velis nec id mutare potes. Revoca animum, & obſiſte. Volenti nihil difficile. Non eſt moleſtum, quod lubenter & cum conſilio fit. Duplex labor eſt, duplex tædium, ſi obluctêris, ſi coactus facias. Adeone mentem tuam ignavia occupavit, ut plus tribuas ſenſibus quàm animæ, his titilles, hanc ſinas marceſcere? Perfer, & obdura. Impetret ratio, quod neceſſitas, magna Dea, vel dies ipſa mox impetraverit. Præſtate virum, qui & fortunæ, & tempori obſecundare ſcit, quid dicam, qui illis, & tibi ipſi imperare poſſis. Etenim quatridui ſpacio leviſſimam ſaltem offenſiunculam non perferre poſſe, hoc ſervile eſt, & indignum. Legimus *diſſimili in cauſa multo majora perpeſſum eſſe Theodorum quemdam Græcum virum graviſſimum, tantâ animi conſtantiâ, ut, qui ſe torquebat Tyrannus, fruſtra tortorum manus fatigaverit. Rupit enim verbera, fidiculas laxavit, ſolvit equuleum, laminas extinxit prius, quam efficere potuit, ut tyrannicidii conſcios vir ille indicaret. Quin etiam (ut quantum inter immaniſſimos cruciatus conſtiterit animus, indicemus) ſatellitem penes quem domini arbitrium erat, falſa criminatione detulit, & fidum lateri ejus cuſtodem eripuit, beneficioque patientiæ non ſolùm quæ occulta fuerant texit ſed etiam tormenta ſua ultus eſt.* Quid de *Anaxarcho* dicam, homine omnium hominum cõſtantiſſimo, & invictiſſimo (taceo noſtros, illa catholicę Eccleſiæ lumina, teſtes fidei Chriſtianæ ampliſſimos) *qui cum ab Nicocreonte*

Cyprionum

Cyprienum Tyranno torqueretur, nec ulla vi inhiberi poterat ut, tandem, quem amare proſcindebat, ab maledictis decederet, jamque ſe linguam exciſſurum eſſe Tyrannus minitaretur, eam protinus mordicus abſciſſam, & dentibus commanſam in os ejus totam expuit, cùm hæc verba priùs dixiſſet, non erit effœminate adoleſcens hæc quoque pars corporis mei, tuæ ditionis. O inſignem conſtantiam, & invictum animi robur! Impar eſt equidem apud noſtros ratio, & in diſſimili cauſa diſſimiles cruciatus: fateor, ſed tantò magis id hoc loco convenit, quod illi multò graviora, & indigniora perpeſſi ſint, quàm hic perpeti neceſſe eſt, nec eum, quem nos ſperamus, fructum perceperint, non ingratum equidem malorum condimentum, ſed potius ad extremum malorum omnium, ad mortem nimirum correpti ſint. Sunt enim multi qui immanitate hæc quæ agimus, & ſævitie, tormenta cætera ſuperare plurimum exiſtiment, atque hinc non ſolùm ipſi hanc operationem aſpernantur, ſed aliis etiam diſſuadent. Quaſi verò non multò ampliora ſunt, quæ multoties in gangrænis, in herniis, & alicubi, ut ſuperiori libro diximus, ſufferre neceſſe ſit, atque minori cum emolumento, & ut poſthac longè miſerabiliorem vitam agas, ſatiuſque fuerit ſemel obiiſſe, quàm perpetuò cum malis conflictari. Tene igitur tam levia, tam magna mercede commutatura non ſuperare poſſe, quid obeſt? *Indos accepimus tam obſtinatos eſſe, tam ſui negligentes, ut ſint, qui omne vitæ tempus hujuſmodi exigant, modò ut corpora ſua glaciali frigore Caucaſi montis durent, modò ut flammis ſeſe ſine gemitu objiciant.* Quam patientię meditationem quis non admiretur? quis ſuſpiciat? & tantò plus, quod hi in re futili captent nomen conſtantiæ? *Non id animi magnitudini tribuendum eſt, ſi patiaris ubi non opus eſt, nec tute vel alii ex ipſa commodum percipiant.* Æquo igitur animo feras quæ corrigere nequeas, & præcipuè cùm brevi dies ipſa dolorem leniet. Præſtiterit autem interea cum amicis converſari, blande confabulari, & feſtivis ſermonis illecebris ſenſûs triſtitiam delinire. Carpitur enim animus ſolitudine, & magis in damna advertit ſua. At cariſſimorum aſpectu, jucunda converſatione, lepida confabulatione pelluntur curæ, abſunt mærores, & ab intuitu moleſtiæ aliunde diſtrahitur animus. Sed quęnam cauſa ſit tanti doloris hac in parte, referre opus eſt. Tribuendum omne eſt, quod inſolito more, & præter naturæ leges, qui ſupra eſt humeri articulus, & cum ſcapulis ex cervice connectitur, attractus duriuſcule à media figura plurimum diſſideat. Dum enim, qui ſecundùm naturam eſt, obſervat poſitum, juxta thoracis ſuperficiem, ad latera æqualiter dependet brachium. At hæc loci attollitur nimirum, ſedeſque ſcapulę ſuperior elongatur, & baſis inferioris angulus verſus coſtas antrorſum propellitur. Hinc dolor atque tanta ſenſûs moleſtia, & præſertim ad infimum angulum ſcapularum, quà cartilagineus eſt, & tenuis, & quò muſculorum, qui illic inſternuntur carnes, & ſubtili membrana inveſtiuntur tandem concedunt. Qua de cauſa, quod alterum eſt doloris anſa, convulſis partibus, & violentiâ laceſſitis tam à capite, quàm ab ipſo humero excrementa defluunt, & regionem eam diſtendendo lacerant. Sed quæ ratio eſt quod tantopere ad eum locum affligamur, non item ad humeri articulum? Multis enim partibus plus hic ab æquitate ſitûs, quàm ille recedere videtur. Concedendum id eſt deligationi, atque ipſis faſciis, quæ brachium longè à limitibus ſuis ditentum ſtabiliunt quaſi & cuſtodiunt. Ea propter in cæteris, ſi à media figura abſint, dolor angit, quod ſumma contentione muſculorum carnes diſtendantur, nec illis aliquid ſubſidio ſit, atque quòd his totius brachii moles innitatur. Magis enim laborant partes eę, à quibus agendi eſt principium, & quæ reliquis ſtabilimento ſunt: atque quo magis ab origine receſſerint, eo minus afficiuntur. Sic qui fune alligato molem ingentem trahunt, ii plus laborant, quàm qui proxime manum admovent, quàm qui longe. Aut, ſi qui duo onus humeris ſuſtentant, ille quidem magis premitur, in quem moles illa procubuerit. Addit verò dolori animum, quòd æger in eam partem brachii quę laborat, decumbat, atque hinc prematur, & incaleſcat. Quandoque in obnoxiam partem decubitûs dolorem videtur imminuere, quæ ſane res varietati, & ejuſdem commutationi aſcribitur. Uſu enim id compertum eſt, & videtur hoc præ omnibus maxime præſentaneum eſſe remedium. Ergo nunc in ægram partem decumbat æger, nunc in oppoſitam ſeſe transferat, circumſpecte tamen, ne quid ex partibus jam applicatis ineptius agitatus violet. Solet enim multoties & carpi dolor ęgros affligere, haud mitius altero, ea tamen parte levius, quod ut occurramus ei non deſit ingenium. Doloris hujuſce non ea ſane cauſa videtur, quæ alterius, quod ſuo loco pars hæc quieſcat, nec ab æquitate figuræ ut illa, alio tranſducta ſit. Hanc à principio, dum rerum incerti inveſtigaremus, poſt diutinam, eamque variam contemplationem demum conjecturâ deflexeimus, ut cùm ob oſſis calvariæ duriciem, cui articulus hicce inſternitur, tum propter cuculi aſperitatem id fieri arbitraremur. Quam poſtremo veram eſſe & legitimam, præſidiorum uſus, quæ hanc in rem à nobis excogitata ſunt, luculenter comprobavit. Nec quin accidat abſonum eſt. Cum enim carpi partes graciles admodum ſint & nerveæ, ut pote venæ, arteriæ, muſculorum tendones, nervi demum ipſi hîc collocentur, atque hæc ipſa cutis multò tenuior quàm in cæteris partibus, nullave infarcta carne circumveſtiat, non poteſt fieri, quin iis colliſis cum corporibus duris, atque aſperis, non vehementer affligantur. Etenim & acerrime ſentiunt, & tanto magis, quanto objecta fuerint ſolidiora renitentioraque, nec circumjectą muſculis caro, quæ hujus non ignobilis eſt utilitas, inſtar pulvilli cujuſdam vim illam cedendo elidat. Occurrit verò brachio cucullus, tela rigida & in media ſutura inæquali, (non enim abeſt, quin ſemper ea pars elatior ſit & inæqualior,) atque craneum ſubter durum ſimul & renitens. Hæc igitur ratio eſt, cur intenſe adeo pars illa, atque fere non ſecus ac humeri articulus doleat. Concurrentibus enim ſimul corporibus duris & aſperis, nec altero ſua mollitie impetum alterius refringente, major fit attritus, vehementior concuſſio, atque ſi vis adſit cognoſcendi, inſuavior ſenſatio. Hoc tamen multis partibus plus evenit, ſi paulo negligentior fuerit ſutor, dum veſtem illam conſtruxit, aut dum naturali quadam temperie longè acrius ægroti ſentiant. Quapropter, ſi quando id accidat (non enim ſemper fieri conſuevit) ſtudebit chirurgus, ut illam futurę partem, quæ carpo ſubjacet, excindat circumducta forcipe ab alterutro termino, quos bene prius comprehendere opus eſt, in obliquum, ut illud, quod exſcinditur ovatum ſit: atque ut exinde futuras quæ hinc inde ſunt, ne laxentur deinceps, valido nodo irretiat. Interim cuſtodiant miniſtri brachium velim, ne vel in alteram partem inclinet, vel quod pejus eſt, deorſum feratur. Proximum eſt ut quo loco opus fuerit, goſſypium vel molliſſimam lanam tomentumve, carpo ſubjiciat, & brachium eo reclinet, hoc enim corporum illorum occurſum tam moleſtum, tam violentum, tam iniquum perbelle frangimus. Atque hæc de dolore dicta ſunt, graviſſimo certe ſymptomate, & cujus rationem plus, quàm cęterorum, unuſquiſque habet, illudque ipſum eſt, cujus gratiâ operationem hanc

hanc quamplurimi reformidant. Sed non eſt tantus, quominus, ut viderit, tolerari nequeat, quem animus fortis, atque conſtans non ſuperet. Superſunt tamen & alia, inter quæ prima eſt ſitis, eaque inclementior, quo magis aer æſtuat, & viſcera hominis, ut pulmo, ventriculus, hepar, incaleant. Potiſſimum autem torquere ſolet, quod obturatis naribus inſpirandi & exſpirandi curſus interclusus ſit, & ore adaperto animam haurire oporteat, unde fauces areſcunt plurimum. Experiuntur id, qui oppletis catarrho naribus, aut noctu reſerato ore inſpirant. Poterit autem leniri ſitis aqua frigida, ſi ore contineatur, & præcipue hordeacea, vel oxalidis ſeu lactucæ foliis, in aquam prius immerſis, ſic & tenuia ex cucurbita reſegmina proderunt, ſi frigidam hordeaceam prius abſorpſerint. Colluatur os ſyrupo de ſucco citri vel de ſucco limonum, cum aqua oxal. vel lactucæ diluto, cujus guttulas deglutiiſſe quaſdam, quod ſecus in cæteris fiat, non erit religio. Profuerit etiam eclegma ex mucagine pſillii, & ſem. citonior. ſi cum zuccar. cand. viol. excipiantur. Ejuſdem rationis eſt zuccarum in oxalidis aqua dilutum. Pervigilium aliud malum eſt, duplici nomine certe infeſtiſſimum, cum & vires carpat, & quæ in capite fiunt coctiones vitiet, quorum utrumque ſummopere cavendum eſt. Cùm enim exiguo victu tùm temporis vires ſuſtententur, atque hæc exinde pernicies accedat, quis duplici hoc incommodo non labefactari eas admodum cenſebit? Sic ubi corrumpetur coctio, quæ in capite fit (hæc enim quiete fit, & in ſomno) in proximo ſunt conſutæ partes, atque ob plagæ moleſtiam, non admodum conſtantes, quæ ſi quid vitioſum fuerit in capite omne huc delatum excipiunt, & tardius ægriuſque agglutinantur. Viget verò malum hoc circa initia, cum ob tædium quod in deligando perpetiuntur ægri, tum quod dolor eos non leviter affligat. Remedio fuerit protinus ſub noctem quæ ſomnum concilient, alimenta exhibuiſſe, qualia ſunt lac ex ſeminibus melonum, additâ aquâ lactucæ, & ſeminum papaveris emulſione. Sic tempora inunxiſſe profuerit unguento ex gemmis populeis, quod paſſim apud Pharmacopolas proſtat. Nec obeſt ſerapium ex papavere, quod hora una vel altera ab aſſumpta cœna ad ℥.j. ß. cum lactucæ quartario propinari poterit. Ubi tamen ſomnus difficilior fuerit, nec quicquam præſidia hæc contulerint, non abſurdum fuerit, ſi globulum ex pilulis cynogloſſi ad iiij. vel vj. grana, atque unâ horâ à cibo veſperi offeramus, quod medicamentum, ubi ſomnus conciliandus eſt, non ignavam ſuam confert operam. Eſt tandem, inter ſymptomata illa, quæ ægris tum moleſta eſſe conſueverunt, & renum dolor, æſtate præſertim, & corpore æſtuante, atque ſi ſuper regionem hanc ægri decumbant. Profuerit ſane mutare decubitum, & ad latera devolvi, necnon iis, quæ refrigerant, ſubſidium afferre. Mitiora ſunt lac bubulum ſeu muliebre, quo lintea imbuantur, & renibus applicentur. Addimus quandoque roſaceum. Non inutile eſt Galeni ungu. refrigerans vel ſimplex vel cum roſaceo æquis portionibus. Prodeſt & ſandalinum quandoque admiſcuiſſe. Hæc enim omnia, & loca illa refrigerando æſtum abunde frangunt, & humorum fluxum ſubinde compeſcunt. Etenim frigore conſtipant, & dum dolorem imminuunt, ne fluxio magis concitetur, gnaviter obſiſtunt. Hoc pacto igitur, quicquid de curtorum inſitione opus fuit, jam ſatis dictum eſt.

Cap. 15. *De reſcindenda penitus à brachio propagine, atque ut illam demum curare deceat.*

PRotinus autem, ubi jam partes curtæ cum propagine coaluerint, opus eſt, ut eandem à brachio avellamus, atque totum novæ matri mancipemus. Id commodo ut fiat, definire prius expedit, quonam tempore reſcindi, mox quomodo oporteat, & quo pacto curari: tandem verò, quæ ratio ſit, ut ſi quæ ſupervenerint ſymptomata ea prohibeamus. Ac primum quidem haud ſubtili diſcuſſione negocium hoc indigere, cenſemus, quod, quemadmodum uſu venit, apud agricolas facile ſit cognoſcere, id tum demum commodo fieri, ubi partes in vicem arcte connexæ ſint. Hoc ſolum namque expetitur, quo conſecuto moram aliquam haud decet nectere. Protinus ergo atque cum curtis partibus cutaneus tradux juxta plagam amico fœdere per fibras carneas ſimul coiverit, & jam extrinſecus cicatrix ſeſe oſtentaverit, jam denique ut reſcindatur, opportunum fore credendum eſt. Veruntamen cùm ſeptimo plerunque die, ex Celſi ſententia, nec ipſa experientia reluctetur, hæc unio confirmata eſſe appareat nonnullis, fortaſſe propter deligationis tædium, & ob operis compendium haud iniquum videbitur, ſi tum temporis reſectionem hanc moliantur. Sed quam præpoſtere, quam alienum ab ratione fiat, vel ea de cauſa affirmare licet, quod non unitas ſaltem partes eſſe deceat, ſed etiam confirmatas penitus, & cicatricis ſoliditate non mediocriter corroboratas. Atque ut hoc fiat, tempore opus eſt, quod omnia ſecum affert, eſtque illo conſultor haudquaque melior. Senſim enim & per longa intervalla convaleſcit hæc unio, & prorogato termino longe amplius robur nanciſcitur. Cum etiam propago ſimul atque reſciſſa ſit, tota narium curæ demandanda eſt, haud immerito videtur, ut aliquot dies ſuperioribus adjiciamus, quibus interim alimentum tranſmittere condiſcant nares, eodemque ut tradux ipſe paulatim inſueſcat, & vigorem ſimul acquirat. Tum enim copioſior multo ſanguis affluit, tam ſuperne delapſus ab naribus, quàm inferne ab antiqua matre habens, quibus non mediocre alim nutum accedere traduci nullus certe negaverit. Nec opportunum videtur, ut ſtatim ab adoptionis primo die tam durum, tam rigidum in propaginem exerceamus imperium: cùm unicuique certum ſit, quàm graviter, ſi ſtatim à brachio evellatur, id ipſum latura ſit, vel ſedis inſolentia vel plagæ moleſtia, & præſertim, quod intra ad narium receſſus haud ita valide ut extra, connexa ſit. Tarde enim eo loci cicatrix obduci conſuevit, cum ob partis mollitiem, tum quod medicamentis difficulter aditus pateat, cæteriſque de cauſis quas ſupra recenſuimus. Callo autem in hiſce partibus ſic deſiderato, veri quidem ſimile fit, & unionem ad ea loca minus validam eſſe, & conſtantem, & ſic non uſque ſecurum, ut protinus reſcindatur propago. Sed cùm fere trigeſima die, aut frequenter ad quadrageſimam cicatrix accedat, ut ſupra diximus, fortaſſis in cauſa foret, ut ſi quis nimis experientiæ addictus, atque in naturæ operibus inconſulto ſuſpicax fuerit, quadragenarii illam legem ob deligationem ſæviſſimam ſuis ægrotis imperaret. Periculum enim fore ut minus tute traducem reſcinderet, atque ut ipſe aliquando de naribus decederet. Sed amentiam hanc omnino uſus improbavit: eſtque hæc quadragenarii lex, ipſa deligatione extrahendâ

cùm arti indigna, tum ſævitiæ notis non poſtremis conjuncta. Non enim conſiliis hic locus eſſet, & lanienam, non medicinam profiteremur. Veruntamen condonandum eſt aliquid empiricis, & naturæ myſteriorum imperitis, cum non uſque adeo temere id faciant. Hujus enim illorum ſuſpicionis ipſa patientis ſalus, terminus eſt. Nos autem, qui arti hanc inuſtam notam exrergere voluimus, initâ, favente Deo, accuratiori naturæ partium contemplatione, hanc regulam plane ſuſtulimus, & deligationem breviori multo ſpacio concluſimus. Cum enim cutanei traducis univerſum corpus, & demum, qua ratione tam intro quàm extra coaleſceret, attente, atque ſingulis diebus contemplaremur: jamque à primi ſeptenarii fine tum ubi partes coaluerant ſolideſcere magis cutem, & adusque alterius hebdomadæ terminum augeri quotidie perſpiceremus: cęteris verò diebus, & ad vigeſimum uſque nil ultro, vel perquam exiguum ad ſoliditatem, & robur accedere, tum demum haud ultra commorandum eſſe duximus, ſed die vigeſima traducem à brachio ſalutari eventu reſecavimus. Sed cùm ejuſmodi ægrorum major copia nobis fieret, & jam obſervatione comperiſſemus, quàm exiguum eſſet augmenti veſtigium ſub tertia hebdomada, auſi quoque ſumus deligationem anguſtiori meta deſcripſiſſe. Quare terminum eum nunquam ſupergredi voluimus, ſed potius intra limites ejus conſiſtendo poſt alterum ſeptenarium opus tranſegimus, conſultâ audaciâ nec ſucceſſu improſpero. Liquet igitur quàm neceſſarium ſit, ut apparente extrinſecus unione, in dies aliquot propaginis reſciſſionem adhuc conjiciamus: quamque haud expediat, eum ad primum ſeptenarii finem excindere, quod tum neque robur acquiſiverit, nec unio ejuſdem cum naribus probe confirmata ſit. Hæc verò corporibus integris, & plerunque vel anni tempore ſicciore & æſtivo, vel temperamento bilioſo ad minimum ad undecimæ exitum protrahitur. At per hyemis rigores, & autumni viciſſitudines, temporaque incerta, corpore præcipue humido, frigidoque, commodiſſimum fuerit reſectionem ad vigeſimum uſque diem produxiſſe. Tardius enim obdureſcit callus, nec brevi adeo vires ſuas tradux recuperat. Fuerit autem extrema reſectionis meta dies vigeſimus, atque ut plurimum per hyberna tempora, intra cujus ſpacium vel decima ſeptima vel decimaquarta, ut nos ſæpiſſime experti ſumus, non infelici eventu hoc opus adminiſtrare licet. Tum enim corporibus paulo integris, atque etiam rigente cœlo, & unio illarum partium, & robur probe confirmatum eſt. His igitur ſic conſtitutis jam actionem ipſam definire opportunum eſt, in cujus gratiam pręparaſſe prius oportuit aquatum ovi roſaceâ dilutum cum pulv.boli armen. vel draconis ſanguine. Sic ſtuppeos orbiculos, & faſcias cùm ut brachium, tum ut traducem deligemus. Harum illa quæ brachio deſtinatur, & longitudine, & latitudine cum ſuperioribus conveniet. Nam præter ulcus novum, quod reſciſſo traduce excitatur, univerſam aream circumplecti faſciis oportet. Hoc enim areæ ſpacium ad multos dies cuſtodire convenit, & quod tenuior paulo ſit cicatrix propter humorem redundantem, quodque non raro ulcuſculis, & phlyctenibus tentetur, ideo injectâ plumbi laminâ, ſiccisque linamentis ad integritatem ea reducitur. Hæc verò, quæ traduci ad nares dicata eſt faſcia, tam longa ſit, ut naribus injecta retro ad occiput extremis ſuis coeat, lata verò quaternos digitos, vel paulo minus. Hanc quamprimum à naribus divertitur utrinque findi neceſſe eſt, ut geminato tam hinc quàm inde fine deſinat. Horum duo ſuperatis auribus ad lambdoidis apicem religabuntur: duo verò pone aurium radicem tranſeuntes ad cervicis principium innectentur, eo tamen modo, ut lora, quæ ex altera parte ſunt invicem impoſita, ad χιασμὸν ſeſe interſecent, quodque inferius eſt, ſupra, ſuperius verò infra, retro aures tranſducatur. Hoc etiam obſervandum eſt, ut qua parte faſcia integra eſt & tra duci inſterni debet, paulo minus uno digito ab infima ora tranſverſim eam incidamus, & huic aliam perpendicularem, quæ ſub ſuperna faſciæ ora deſinat injiciamus. Fit enim ut hac tranſeunte traduce haud quaquam reſupinetur, ſed hinc inde compreſſus antrorſum cedat, & narium formam ſenſim ſuſcipiat. Decet etiam linteola quadrata eaque quamplura, ad ignem parata eſſe in gratiam traducis, ut paulo infra docebimus. Adſit poſtremò culter acutiſſimus vel novacula, qua traducem reſcindi opus eſt. His omnibus rite paratis, & ad manus collocatis, eo, adminiſtrationi ſemet accingere oportet. Curabit primo medicus, ut ſuis locis uterque miniſtrorum aſſideat: alterum quidem ut & ſemper aliàs, ad dextram artificis: juxta ægri faciem ac ſupernam lectuli partem: ad ſiniſtram verò alterum, & ad lectuli latus externum. Hic cubitum, ille carpum obſervabit. Ante omnia faſciæ omnes ſolvendæ ſunt, rejiciendusque cucullus à capite in humeros, atque dum ſectionem parat medicus, ipſi miniſtri, ut dictum eſt ſuas in cuſtodiendo brachio tueantur partes. Ipſe cultrum dextrâ accipiat, ſiniſtram traduci applicet, extra quidem pollice, intra verò indice ad radicem comprehendet, & adacto ferro radice tenus recta ad brachium reſcindat. Hæc ubi peregerit, jam tria relinquuntur, quorum primum eſt, quod medici officii eſt, atque omnino præſtatiſſimum, cutaneum traducem curare: duo verò, nimirum ut brachium apte reclinemus, & novo vulneri ſubſidium afferamus, ad miniſtrorum ſpectabunt diligentiam. Sed actiones has non temere dividi opus eſt. Singula enim illico ſuam expoſcunt medelam, nec tot operibus ſimul uno impetu chirurgus vacare poteſt. Itaque pluribus uno eodemque tempore hæc munera licet committere. Sed ut unuſquiſque, officii ſui rationem queat cognoſcere, in primis ad traducis curam, quæ reliquarum omnium primas tenet, animum, & ſermonem convertamus. Sed hîc duo nobis faceſſunt negocium, unum eſt vulnus recens: alterum verò, quod reſciſſionem ſequitur, refrigeratio traducis. Nam ut ab hoc malo ſermonem auſpicemur, non minimum angit inexercitatos, & metu tenet ſollicitos, quod ſimulatque reſcindatur, dicto citius ac in ipſo articulo reſectionis propaginem albeſcere conſpiciant, aut pro diverſitate temperamentorum pallore ſuffundi, & quaſi calor ab ea expiraverit totum frigere, & rigere. Exiſtimaverit enim quis, jam evolaſſe calorem penitus, atque mox traducem intermoriturum eſſe, cùm tamen ſuſceptâ rite illius curâ nihil minus timendum ſit. Accidit autem tum frigeſcere, & decolorari propaginem tam operis inſolentiâ quàm ipſâ plagâ. Cum enim cutis naturâ ſuâ frigeat, & jam callus internam ejus partem occupaverit, plurimumque ejus temperiem proſtraverit, non poteſt non fieri ut avulſâ ab materno ubere propagine, ſublatoque ſimul perenni ſanguinis affluxu pallideſcat ipſa, & frigore conſternatur. Sic cùm ſubito adeo, & tanto impetu concutiatur, non quidem ſublato calore penitus, ſed magnâ ſpirituum jacturâ imminuto, aut ob actionis percuſſionem intro revocato, quod conſternatis, & quibus aliquis metus ſubito injicitur, uſu venit, totam immutari, & ad alienum ſtatum tranſduci propaginem contingit. Multis autem partibus plus hoc refrigerationis

generationis ſymptoma, ut ſic dicamus, tam in frigidis corporibus, quam hyberno cœlo moleſtum eſt; cum quod ambiens aer non leviter nares percellat, tum etiam quod eo tempore interna plus caleant, externa verò calore orbata rigeant. Sed nunquam propago magis erigitur, calorque ſuis è latebris evocatur, quam amico externi, & cognati caloris fotu. Hic collabentem ſuſtentat, & obtutum fere rurſus attollit proritato ſenſim ſanguine, qui ſpiritu affluens, & calore, individuis naturæ famulis, omnes perinde noxas removet. Cæterum hoc ipſum in quæſtionem non immerito vocari poſſit, nunquid vires traducis uſque adeo conſterni contingat, ut de internecione adſit ſuſpicio, iſque denuo emoriatur. Sed una eaque perlevi diſtinctione omnem removemus ſcrupulum. Quoniam ſi reſciſſionem duntaxat ſpectemus, haud ita duram, & vehementem eſſe credendum eſt, ut partis hujus calorem, utcunque tenella ſit, & imbecilla, abolere plane, & peſſundare valeat. Innati enim calidi ſubſtantia, ex innato ſpiritu, & humido primigenio conſurgens non uſque quaque inconſtans, & lubrica eſt, ut cauſæ tam momentaneæ, tam non vehementi ſuccumbere debeat, & eo magis, quo adoptantis nutritii influentibus ſpiritibus amice fovetur, & illapſo ſanguine parce quidem primo, mox vero liberalius totus irrigatur. Quæ communio nec poteſt intercipi, nec abeſt quin inſitus traduci calor, quamvis perexiguus ſit, ſtrenue tamen foveatur. Negandum vero non eſt, ſi vim externi frigoris accipimus, quin ut enecetur, non præ foribus adſit periculum. Si enim reliquæ corporis partes, quod de iis patet, qui per nives iter fecerint, nec è nativo ſolo in alienam ſedem tranſductæ ſint, vehementiâ frigoris concutiuntur, quis dubitet eas algore conſumi, quas genitalis aura haudquaquam fovet, ſed aliena in regione, & inſueta non hiſce frigoris ſolum, ſed quamplurimis aliis incommodis exponuntur. Tanta eſt externi frigoris violentia, ut aufugiens calor ab extimis, & frigidis naturâ ſuâ partibus, ad penitiores corporis regiones, ſi quod exiguum in aditu reliquum eſt, obruatur ſtatim atque diſjiciatur, Digitos enim pedum, pedes ipſos, aures refrigeratas intercidiſſe multoties compertum eſt. Quare, ſi externi frigoris ſævitiem, ſi, quod tradux imbecillus, & in ignota ſede collocatus ſit, perpendamus, haud ita difficile eſt, quin quamprimum elangueat, & evaneſcente calore intercidat. Veruntamen ſi plagæ non uſquequaque violentiam, ſi quod retrahatur calor, non expiret, ſi vicinæ partis, & adoptantis commercium ob oculos nobis ponamus, ut tradux poſt tot labores evictus aliquando emoriatur, haudquaquam verebimur, & maximè ſi protinus, atque refectus ſit, linteolis tepidis eundem ſtrenue foveamus. Hæc, expirante caliditate, permutare convenit: eaque miniſtrorum alter ſubinde ſuppeditabit. Id euſque faciendum eſt, donec aliquantiſper jam recreatam eſſe propaginem medicus conſpexerit. Metam negocio huic non licet conſtituere, ob ſingulares corporum, & innumeras diverſitates. Cognoſcemus tamen rediiſſe vires cum calore jam, & prorumpente ab internis ſanguine rubeſcere tradux occipit. Tunc linteolis tepentibus, atque admotis infra, qui ovi aquato imbuantur, linamentis ſtuppeis eandem faſciam circumplecti convenit, quam eo modo ut paulo ſuprà dictum, retro in occipite innectemus. Hoc itaque primum, & præcipuum magis, & quod ſoli chirurgo legari debet, officium eſt. Nunc de iis quæ ad miniſtros ſpectant. Horum cura fuerit, ut vulneri quod in brachio eſt tam nuper facto quàm antiquo medeantur, & brachium à capite reclinatum, in ſuum locum, & figuram reducant. Miniſter ergo, qui à ſiniſtris eſt, ſtuppam liquato ovi inſuccatam recenti vulneri imponat, mox, ſi quid eſt vulneris, in antiquâ area, ſuis præſidiis contegat, inſtratoque linteolo quodam, univerſum demum areæ ſpatium faſciis involvat, & ad finem conſuat. Non enim faſciâ nodum licet conſtringere. Ab ipſa curatione detractum à capite tranſducere brachium ad mediam figuram, conſilium eſt. Hoc ſenſim ac per momenta agendum eſt. Non enim ſine ingenti patientis moleſtia repente atque uno impetu referri poteſt: nec ſubitas, & violentas natura mutationes ſuſtinet. Arreptum igitur à capite brachium ſenſim, ac veluti per gradus reclinare, & in ſuum ſtatum oportet reducere, quod muneris ille qui partis illius vulnera curavit miniſter commodiſſime præſtabit. Ut autem opportunò fiat, manu dextra cubitum apprehendat ægri, & ſiniſtra carpum ſeu carpi ad manus articulum, & deductum brachium in ſedem ſuam reponat. Alter vero ſubjiciat pulvinaria, brachium ſuſtineat, ſenſimque componat, ut brachium univerſum rectà mediam figuram obtineat, quam, ſi recte meminimus, ſuperiori capite, diximus. Atque hæc eſt traducis reſcindendi ratio. Reliquum tamen eſt, ut, quæ ad reſciſſionem, ad deligationem, ad victus rationem, ad accidentia denique, quæ non raro advenire ſolent, ſpectare poſſunt, paucula quædam in medium afferamus. Præceptum fuit, ut radice tenus propaginem reſcindamus. Hujus nulla tum fuit reddita ratio, ideoque eam tradere jam non omnino importunum fuerit. Videbitur enim cuidam ſecus agendum eſſe, & inito curtarum narium examine eouſque ſaltem propaginem excindi debere, ut cum curtis prolixitate reſpondeat, minime verò ea longitudine excedat. Quorſum enim, ſi uſus non conceditur, hæc liberalis reſciſſio? Forſitan eam, quæ reſidua eſſet, portionem conjungi liceret brachio, & vulneris indecentiam imminuere? Certe ſi cutem cum naribus, diverſa plane parte conjungimus, an non licebit & traducis quandam portiunculam rurſus brachio connectere? Hæc enim antea invicem conjungebantur, eſtque inter ea nulla naturæ diverſitas. Sed tria nos dehortantur potiſſimum, ut ad æqualitatem narium propaginem reſecemus. Quam enim difficulter poſthæc quod ſupereſt, cum brachio coaleſcat, oſtendit caro ea, quæ ad internam traducis partem, & circum oras ejus increvit, quam detrahere iterum, ſuppurari, & tandem agglutinare convenit, Sed quam moleſtum eſt, hoc quam factu non facile: quam tædioſum, & diuturnum? Diu enim facienda eſt ſuppuratio. Sed diutius multò conglutinatio extrahitur. Neque id adeo iniquum eſſet, niſi & ſingulare dedecus, & partis deformitas accederet. Non enim ad amuſſim adeo, & ad priſtinam æqualitatem coaleſcit cutis, quin collecta ea in globum quendam, & ob novum humoris affluxum in molem excreſcente, plurimum brachium deturpet. Quod haud ita evenit, ſi excisâ funditus cute, æqualem vulneri, & convenientem inducamus ſuperficiem. His igitur de cauſis haud opus eſt ea longitudine quam nares definiunt, ſed prolixius multo, & radicitus à brachio reſcindere traducem. Taceo quod hinc non levis nobis emergat utilitas. Cum enim multoties contingat ut ſive parcius antea enutrita ſit, ſive poſthac, ſive eam ingens quædam aeris iniquitas perculſerit, decreſcere propaginem, & in ſeſe contrahi: jam prolixior ſi fuerit, ad æqualitatem per ſeſe cum naribus cedit: ſin autem ex æquo prius conveniat, imminuta ab præſcripta narium mole deficit. Sed cum quandoque accidat ut nimium ſit, quod excedat, quare circumſpiciat chirurgus velim, nunquid tum temporis aliquid demendum, & quouſque id opus ſit, pro recta narium conformatione. Certe ſervare id, quod ſupereſt, uſque ad

conformationem ocioſum videtur. & incommodum. Si enim ejus nulla eſt utilitas, quid opus eſt eam portionem conſervare integram? cur non reſcindimus protinus? Nec pars ea commode deligari poteſt ob prominentiam, impeditque ſimul & cibationem, & loquutionem atque neceſſario, vel hinc ad dextram, vel inde ad ſiniſtram inclinat aut ſurſum compulſa nares angit. Accedit quandoque tabes oræ illius, quæ ob virulentiam ſerpendo totum membrum inſtar feræ immaniſſimæ abſumit. Non enim calor ille exiguus tantæ molis conſervationi poteſt ſufficere. Protinus ergo vel eodem die vel poſtridie, quod prominet reſcindere oportet. Attente tamen obſervet velim medicus, & exacte deſignet, quantum ſibi demendum ſit, ut apta narium, & æqua fiat configuratio. Hîc enim & vulgati illius vim, nequid nimis, & oraculi veritatem, quæ prætermittuntur revocari nequeunt, non infrequenter experimur. Nam ſi juſto magis ab cutaneo traduce dempſerimus, ineptas certè, indecoras, & mutilas conformabimus nares, nihilque vel maxime anxiis, & diligentibus dabitur, quod damnum hocce reſarciat. Qua de cauſa & præcipue, ſi conjectura aſſequaris, quod maxime velit cutis decreſcere. non ſolum id, quod ſuperfluit, reſcindere opus eſt, ſed in operis adminiſtratione propaginem, ut in ſecunda operatione edocuimus, oblique excindere, ut tandem aliquid ſit, qua incommodum illud, quod ex decreſcentibus emergit naribus, non inepte, ſi non tollamus, quoquo pacto tamen corrigamus. Videat igitur medicus, & omnes ingenii ſui, & ſolertiæ nervos explicet, ut ſuo hac in parte fungatur munere, nec quid quod ſe, & artem dedeceat, imprudens committat. Cæterum in deligatione illud haud aſpernandum eſt, ne præter modum propaginem conſtringamus, & ſanguine repulſo, caloreque velut expreſſo torpeſcat ipſa, & mox intereat. Facile enim exiguam flammam extinxeris. His vero omnibus addenda eſt compar victus ratio, paulo equidem liberalior, quàm quæ in ſuperioribus fuerat. Ad hanc ſenſim aſcendendum eſt. Non enim convenit ut mediam ſatietas excipiat. Opus quidem eſt, ut vires ex tenuiori cibo per inſitionis tempora dejectas recreemus: non tamen uſque commodum eſt cibum affundere largius. Fovere non obruere volumus. Ut enim exiguam flammam non lignorum multitudine, quæ potius opprimit, ſed leni flatu, appoſitoque mediocri fomento excitamus: ſic calorem noſtrum non ingens eduliorum quantitas, ſed pauca, & lenis agitatio reficit. Sint verò cibi boni, & euchymi, ne quid excrementi ſuccreſcat, vel minus, quàm ſi pravis, & nimis intemperatis uteremur. Vinum exhibeatur pro temperamentorum ratione. Curent ægri ne retineant feces, ſed alvum lubricam, & bene obedientem habeant. Si quid enim impuri regurgitaverit, id areæ & naribus conformandis apprime noxium eſt. Sic aerem cavebunt intemperantiorem, ac præſertim per hyemis rigores, & autumni incertitudines, quorum impetu nares perculſæ livere protinus, & repreſſo ad interiora ſanguine deficere conſueverunt. Hæc igitur ratio eſt, quam in traduce reſcindendo, ejuſque curatione ſequimur.

Cap. 16. *De configuratione traducis, ut nares repræſentet.*

AGRICOLATIONIS univerſa ratio, quæ in edomandis arborum fructibus, novaque prole ex tam diverſo, & inſolito plantarum conſortio, ſuſcitanda conſiſtit, quod peregregium ſane, & non inelegans ruſticitatis opus eſt, in exemplar nobis, dum curta reſtauramus, propoſita, & hucuſque fæliciter transducta in hoc uno adoptati traducis, & jam confirmati opera acquieſcit. At hiſce limitibus hæc noſtra reficiendorum curtorum ars haudquaquam clauditur, ſed poſtquam ea omnia, quæ in hoc inſitionis genere neceſſaria videbantur, cunctis numeris, ut ego exiſtimo, expreſſit, adeo pertinaci ſtudio promovendi gradum exarſit animus, ut denuo vires ſuas exerere, & ad celſiſſimum laudis faſtigium aſcendere non vereatur. Qua de cauſa factum eſt, ut inconcuſſis in hoc uſque ævi naturæ foribus, ad cujus penetralia accedere impoſſibile fuerat, hæc una aditus primum perrumpere, eandem in arenam provocare, & de gloria decertare cum illa non erubuerit. Non enim facile dixeris cuinam horum palmam concedas. Ipſa quidem natura adoptandi traducis, ejuſque alendi provinciam ſuſcepit, & normam, quam ſequeremur, in efformandis naribus, tradidit. Ars verò peculiari induſtria deſcribendæ, implantandæ, efformandæ propaginis, atque id ferramentis, medicamentis, & in operis tutelam ad conſummationem uſque excogitatis machinis, non minori auſu, & ſucceſſu negocium ſibi deſumpſit. Pari animo certe, paribus conſiliis, æquali plane ſtudio utraque illarum rem adminiſtravit, viſaque eſt naturæ non ingratas vices ars rependere, & nutricationis præmium rite perſolvere, cum quæ legitimam filiam decent, maternos mores perbelle æmuletur, atque ut quæ eandem primò peperit, nunc commutata vice, & inverſo ordine illam rurſus producat, aut fœtum edat majoribus ſuis quàm ſimilem. Longe enim verius, quàm quod Rutilius Æmilianus de Agriculturæ laudibus effert, de hac noſtra arte pronunciare poſſumus:

Ipſe Poli rector, quo lucis ſydera currunt,
Naturam fieri ſanxit ab arte novam.

Quid enim admirabilius, quàm partem eam, tam variam, tam inſignem mole ſua, inflexione, lineamentis, atque ut priſtinis operibus apta ſit, exciſam ſemel denuo reparare? Quid ad venuſtatem, ad gratiam convenientius? Ut enim partium utilitatem natura præmeditata prius, apta poſthac organa extruit: ſic ars noſtra eadem deperdita reſtituit, ut idem, quod antea, operantianimi commodum emergat, & quemadmodum illa depromptam ex theſauris ſuis pulchritudinem membris addit quibuslibet, ſic neque hæc, quam reficit partem, ut poteſt lepore ſuo, & venuſtate indotatam relinquit. Verum quidem eſt, neque hîc ad majeſtatem naturæ ipſam artem accedere, ſufficit tamen, atque non levi pendatur, quod hæc eadem, exhauſtâ tandem naturæ poteſtate, ſi non idem, quàm ſimile tamen, & quod eundem uſum, cujus gratiâ omnia fiant, opus efficiat. Non igitur aſpernanda fuerit, ſed obviis ulnis amplectenda, nec verendum, ſi quid mali ſuſtineatur, ſi dolores, ſi cruciatus, ſi difficilia quæque ſuperanda ſint. Iſthuc enim moleſtiæ magna mercede, & ſanitatis compenſantur, & decoris in corpore. Sed accedamus tandem eò, quò nos ipſa operis ratio revocat, & videamus, quo pacto tandem, quod ultimum eſt hujus artificioſe narium propagationis officium expleamus. Quo peracto jam ſuperaſſe omnia, & ad metam feſſos nolmet devenisse videbimur. Univerſa traducis configurandi ratio tribus præcipue partibus contineri videtur: myxis nempe, & columna efformandis, inſitione ejuſdem, & tandem æquali totius traducis atque conſentienti ad naturæ typum conformatione. Nihil tamen tentandum eſt ante decimum quartum ab reſectione diem, quo elapſo adaptatus tradux ſat roboris jam acquiſivit, & obliterata hoſpitii novitate in familiam eandem cum curtis naribus coaluit. Tum enim ex diutina conſuetudine partibuſque intro paulo laxioribus liberalius affunditur ſanguis, & adaucto jam in propagine calore, fælicius multo conficitur. His accedit larga victûs ratio,

qua continuo novus ſanguis idemque copioſus ſuppeditatur. Accedit & illud non poſtremum, quod recens in traduce vulnus abunde jam ſuppuratum eſt. Non igitur ante decimumquartum diem; ſed vel in eodem vel paulo poſt operationem hanc aggredi neceſſe eſt. Interea temporis omni diligentia cuſtodire traducem oportet, & medicatione, & deligationibus. Hæc enim ut virium robur citiſſime acquirat, atque ut maturo ſuppuretur, non mediocriter conferunt. Medicatio tribus continetur, & primum ad interioris vulneris jam inveterati curam turundas, veluti diximus, unguento ex ſuccis vel ex pompholyge, vel ſeparatim, vel invicem commixtis, illinire, & in nares indere convenit. Suppurationem vero extrema propaginis ora, recens ſcilicet ex diſſectione vulnus requirit. Id curabimus linamentis alterutro ſuppurantium illitis, & traduci applicatis, atque per primum ſeptenarium. At ſequentibus ſeptem diebus unguentum ex ſuccis, vel ex pompholyge non erit inutile. Sequitur tandem cura, quæ ex partibus externis debetur, & cum cicatricis tum univerſam cutaneæ ſuperficiei venuſtatem reſpicit. Dabit enim medicus operam, ut probe ſolideſcant cicatricis loca, & quam honeſtiſſime, atque ut calorem genuinum fovendo, vires ſuas partes illæ recuperent. Hoc ſane pluribus præſidiis licet aſſequi; ex quibus nobiliora, & longo uſu nobis confirmata, atque pro anni partium ratione deſcribimus. Sunt autem cerata, quæ extra applicantur, & fotus humidi, quibus, antequam cerata applicemus, perfundimus traducem. Æſtivo igitur tempore ceratum diaphœnicinum, & quod ex ceruſſa paratur conveniet. Commodius vero fuerit, tam ad cicatricis decorem quam ad partis robur, ſi olei de Beta, quod ſatis eſt adjungamus. Sed & hoc ceratum non vulgare eſt. *Recip. ſtyracis liquidæ ℥. iiij. ceræ flavæ ℥. ij. thuris, myrrhæ, olibani, ligni aloes, an. ℥. ß. Redigantur ſingula in tenuiſſimum pollinem, & oleo amygd. dul. recenti, & cera cum reſina q. s ex arte paretur ceratum.* Ante tamen, quam ceratum applicemus, ſingulari eventu generoſo vino aut Cretico, eoque tepente foveri partem eam multoties experti ſumus, ac multo magis, ſi in lib. ejus dimidia quinque grana optimi muſchi macerentur. Fovetur vero tradux ſpongia, vel linteolis hoc vino inſuccatis, & applicitis, quæ fatiſcente exiguo illo calore permutaſſe oportet. Sic enim aperiuntur pori, & ſanguis uberrime prolectatur. Quo facto ceratum adhibeat medicus, liberalius quidem, ut univerſum cutis ambitum, & nares ſimul ad digiti unius latitudinem involvat. Sed hyberno tempore ac per autumni vices fovere oportet propaginem linteolis vini ſpiritu madentibus, & inſtratis, atque id quam ſæpiſſime. Utimur etiam non raro hoc vino medicato. *Recip. Vini Cretici ℔. ij. olibani. ſtyracis liquidæ, an. ʒ j. adipis aſini ʒ. ij. Infundantur omnia per noctem in vino Cretico ſupradicto, deinde bis ebulliant, mox colentur, & colata ſerventur.* Barbarum vero ceratum in tenuioris fortunæ hominibus non erit incommodum. At ubi licebit, hoc præſcribere opus eſt: *Recip. Galbani, opoponacis, thuris, ariſtolochiæ longæ, maſticis, myrrhæ, an. ℥. j. ammoniaci ℥. j. s. lytharg. aurei; olei communis, an. ℥. xviij. bdellij. ʒ. ij. lapidis Calamin. hæmat. an. ℥. j. olei abſinth. ℥. iiij. terebinth. ℔. 5. olei roſetarum. ℥. j. Redigantur in tenuiſſimum pollinem quæ redigenda ſunt, & gummi aceto diſſolutis cum cera ſ. artem reficiatur ceratum.* Sed & hoc mirifice prodetit. *Recip. Ariſt. rotund. been albi, & rubri an. ℥ 5. rad. liliorum ℥. v. cicerum rubeor. lupinorum combuſt. an. p. s. nucis muſcat. Cinnam. an. ʒ. s. amygd. amar. contuſar. ℥. ij. olei tartari, ℥. iij. aquæ pluvialis ℔. ij. contrita diſtillentur. Mox liquoris hujus recipe ℥. ij. olei cariophyll. de ſpica, an. ℥. j. ſtyrac. liquid. ℥. v. ambræ ℈ j. maſticis ʒ. ij. terebinth. ℥. v. bulliant olea cum liquore, deinde additis reliquis cum cera q. s. reficiatur ceratum ex arte.* Alterum vero, quod ad traducis cuſtodiam requiritur, ipſa deligatio eſt, eaque non inartificioſa. Cum enim ad narium formam, quam poterit rectius, propago debeat accedere, nunc ſenſim eam aſſuefacere, incurvare modice. apicem jam, & columnam effingere opus eſt. Sic enim ad efformationem multo aptior fuerit. Præſtiterit itaque immiſſis turundis, extremam ejus partem inflexiſſe parum, & mox adjectis pulviſculis ut redeat, ſedulo caviſſe. Sed accedamus aliquando ad inſtitutum noſtrum, & quo pacto nares efformandæ ſint, tandem edoceamus. Quoniam vero operis ratio ab natura dependet, quam æmulari omni ſedulitate ſemper ars conatur, ideoque nos operæ precium facturos exiſtimamus, ſi ante, quam ad artis miniſterium accedamus, de nativo narium typo nonnulla præfari ſimus. Ars enim naturæ ſedula imitatrix eſt, ſuiſque operibus plus gratiæ & dignitatis affert, quo propius cum naturalibus convenerint. Sed cum à ſeipſis plurimum nares diſſideant, & quamvis eas ad certum numerum velis reducere, innumeræ tamen earum ſpecies hinc emergant, atque adeo quoniam non eadem ſemper ſit curtorum ratio, quare, ut multitudinem effugiamus, quæ confuſionis, & erroris mater eſt, eam primo narium formam, quæ naturæ leges non excedat, depingere decrevimus, ut hinc facile cognoſcant chirurgi quo ad naturam imitari, & quam illa membris præſcripſit, figuræ normam ſervare deceat. Hinc etiam diſcere licebit, quæ ejus, quod à mediocritate decedit menſura, ſit regula. Rectum enim ſui, & obliqui index eſt. Narium igitur, quæ naturalis, & ſibi conſona figura eſt, pluribus continetur, longitudine nimirum, globulo, columna, alis, & quæ Rufus myxas dixit, foraminibus. Narium longitudo tertia parte faciei æſtimatur; ſic ſtatis naturæ legibus, ut quicquid eſt ab apice globuli, & ad frontis confinia in mediam intercilii regionem definit, quæ narium longitudo eſt, æquali prorſus quantitate reſpondeat cum frontis amplitudine, tum ſpacio illi, quod ab extrema naſi columna infra, quæ baſis dicitur, ad ſummum uſque mentum exporrigitur. Quapropter ut æquam narium longitudinem ſubducant chirurgi, & efforment, utram velint iſtarum partium circini fide prius explorent, & quam hinc deprompſerint normam, ad nares applicent. Globulus porro, quæ Rufo naſi extremitas eſt, in extremam longitudinis lineam infra definit. Ab hoc naſi ſeptum, quod in labia tranſverſim inſeritur, & columnam efficit, ſuperioris labri longitudinem conſtituit. Nam quantum eſt ſuperioris labii, ab ore hinc ad nares imas, tantundem erit protuberantium narium, quo columnæ longitudinem complectimur, à labro uſque ad globuli apicem, Alarum ratio ea eſſe debet ut ſuperior pars ab globuli apice ſurſum ducta oblique, & poſtquam ad medium quod eſt inter globulum, & maxillas deflexerit, ſenſim rurſus, inſtar arcus deſcendens, in regionem ex latere ſini columnæ oppoſitam deſinat. Foramina ovatam referant figuram acutiori quæ ad globulum eſt angulo, infra vero ad labra, obtuſiori, qualia ſolent eſſe iis, qui medium inter aquilinos vel aduncos, atque inter ſimos ſive depreſſos, globuloſum parum, atque qualis leonibus eſt naſum obtinent. Hi enim rotundas æque, illi vero in acutum nimis utrinque, atque inſtar literæ s. inflexas myxas ſortiuntur. Ad hoc itaque naturæ exemplar cutaneum traducem effingere oportet, quoties

quotieſcunque altius adeo nares reſectæ fuerint, ut & columna radicitus, & alarum extrema funditus everſæ ſint. Non enim hæc, quod callo penitus occulantur, animadvertere poſſumus. Veruntamen ſi qua columnę, & alarum ſuperſint veſtigia, pro earum lege effingere traducem, atque hujus longitudinem ab iiſdem depromere opus eſt. Protinus igitur ubi nares conformare medicus voluerit, longitudinis ratione inita prius, eam regionem, quæ globulum habitura ſit conſtituere debet, atque vel rubrica vel atramento eam notare. Mox alarum confinia, à baſi uſque ad globuli ſummum, & hinc columnam ab eodem globulo deſignet. Hæc ubi peregerit, num ad libellam ea duxerit, curioſiſſime contempletur: ac tum arrepto cultro, eoque acutiſſimo, quoad traducem deſignaverit, totum excindat. Eam tamen ſectionis legem obſervet velim, ut quicquid eſt ad columnam recta linea, extra vero ad alas in arcum, ut dictum eſt, profunde ſatis, & oblique incidat, cujus rei cauſas, ſimulatque curationem abſolverimus, quam primum edocebimus. Illam enim jam efformato traduce, ac diſſecto, ſtatim inſtituere convenit. Penicillos igitur aquato ovi imbutos injiciat naribus, ſed tenuiores, & mox ad eorum interſtitium columnam adducat medicus. Caveat vero, ut eam penicillis intercipiat, ne forſan compreſſa arctius ſtranguletur, & mox intereat. Ab hinc orbicularem ſtuppam infra ad naſum ſubjiciat. Hoc fit, ne vel columna promineat, vel penicilli elabantur. Supra vero ceratum inſternere, linteolis munire, & tandem apte deligare convenit. Nec prius albumina, quam ſequenti die removeat medicus velim. Illud etiam in efformanda columna præceptum eſto, ut eam, tam latitudine, quam longitudine paulo educat liberalius. Plura enim, eaque non negligenda hinc emergunt commoda. Principio quidem, ſi paulo prolixior fuerit columna, ne nimium contrahatur, probe conſulimus. Cum enim ab initio, ſive ob caloris jacturam, ſive quod parcius ſanguis affluat, ſive quod novis ſtimulis exagitetur, fere ſemper cutim decreſcere contingat, ſive quod tenuis ſit atque laxa, ideoque non poteſt non à ſua mediocritate columna deſciſcere, & intra menſuræ modum conſiſtere, & eo magis, quanto plus, cum eam inſerere oportet, de callo demi neceſſarium eſt. Quare ſi prolixior ſit, quantumvis decreſcat, licet quid de ea avellatur, non tamen uſque deficiet, ſed quod antea excedebat ad moderantiam quandam & temperiem contractum tranſducetur. Quod & de amplitudine columnæ ſentiendum eſt, quę & ipſa exilior redditur, & dum occalleſcit, multo anguſtior, quo facto tandem, & ipſa ad mediocritatem redit. Nec contemnendum eſt, quod globulum ſuſtentare ipſam oporteat, & hinc robuſtiorem eſſe, & ampliorem, atque adeo, quod ſi latam baſim habuerit, minus nobis in inferendo faceſſat negocium, & inſerta jam validius cum cæteris partibus connectatur. Accedit quod hinc uberrime ſanguis affluit, quem alias parcius accedere, & præcipue qui paulo craſſior ſit, & majus robur afferat, admiſſo non niſi tenuiori, & aquoſiori atque ad nutritionem ineptiori, ipſa tranſitus anguſtia concederet. Religioſe igitur legem hanc cuſtodiant medici, jubeo, vel ob eam quoque cauſam, quod facillimum ſit, quæ ſuperſint reſcindere, quod vero deficiat, ut addatur poſthac impoſſibile, ne vel eos tarde tandem, & ſine fructu pœniteat facti, atque una, & artis, & ſuam ipſorum dignitatem in periculum conjiciant. Omnino enim inter duo errata hęc, amplitudinem potius quam anguſtias amplecti tutius eſt. Sed quę ratio eſt, quod ad columnam recta linea; ad alas vero oblique introrſum incidendo cultrum circumducamus? Hoc non aliam ob cauſam fieri velim, quam quod narium foraminibus, tum columnæ hoc pacto non modice conſultum ſit. Quicquid enim de alarum craſſitie detrahitur, illud omne in rothonum amplitudinem concedit. Atque id tanto audacius faciundum eſt, quam quod nova caro eaque mollis ſubinde eò loci repullulet. Accedit quod ſaneſcente ulcere ad interna cutis invertitur, atque hinc alarum ambitus, non callo ſed cuti obductus ſpecioſior multo, & honeſtior appareat. Quod vero recto ductu per altitudinem, juxta columnam cutim incidimus, id ejus rei gratia fit, ne vel oblique excavata ipſa extenuataque miſere demum contabeſcat. Hinc ſupra craſſiorem paulo effingi eam voluimus. Negligimus autem, qui ex cutis inverſione emanat, columnæ ornatum, quod hinc operis ſecuritas, & partis utilitas plurimum decorem eum præponderet. Potiora enim ſunt quæ neceſſaria, poſthæc quæ utilia, tandem vero decora, & ſplendida. Verum quoniam jam rothonas ſemel efformatos nova denuo caro eaque præmollis occupat, quæ internam eorum partem ad ſummas anguſtias, atque ut difficulter muniis ſuis fungantur, adigit, curandum eſt, ut exempta carne quam maxime pateant, & tandem ad amplitudinem efformati jam callo obdureſcant. Uber vero eſt parte hac carnis ejuſmodi proventus, præcipue ob loci uliginem, ut unicuique patet, & quam calor jam tot incommoda, tot moleſtias perpeſſus, abſumere nequeat. Eſt ergo, configurandarum narium non exigua pars, carnis hujuſcemodi exemptio, ac ne in futurum eluxuriet, cura præcipua, quorum illud ferramentis: hoc vero medicamentis perficitur. Atque huic rei, tota animi contentione diligenter medicus ſtudeat. Alioquin odioſam naribus, ac iniquam plane carnis molem adjunget, quæ & ſpiritum intercludet, & ob ineptam configurationem merito damnabitur. Nunquam enim cutaneum traducem, niſi ſedulo excavatum in egregiam, & decentem naſi formam, ſecabimus. Quinimo ipſa carnis molę aggravata pars illa fœde admodum prolabitur. Quamobrem etiam, ubi traducis moles paulo amplior, & quod abſorptis præ raritate, & mollitie humoribus, intumuerit, craſſiuſcula ſit, hanc illius turgeſcentiam non abſimili modo detrahere convenit. Ut autem vel mollem carnem intra, vel illud, quod de mole ſupereſt, abſumamus, ſub clariſſima luce opus adminiſtrare decet. Sedeat itaque æger adverſo lumine, & capite in cervicem reclinato in alterum miniſtrorum ſeſe rejiciat, ipſe vero chirurgus reſupinatis quadantenus naribus, internam traducis partem recte, & diligenter conſideret, & ſi quid ſupervacaneum increviſſe jam ſibi videatur, id omne ferris acutiſſimis ſimul & tenuiſſimis ſenſim, atque quanta poterit moderatione detrahat. Hoc ſæpius repetere oportet. Nam velut diximus ad ſectionis veſtigium caro hæc indeſinenter ſuccreſcit, cujus proventum vel iſidis unguento vel ex pompholyge illitis penicillis, atque mox poſtque carnem dempſerimus, naribus utrinque inditis, non inepte coercemus. Hæc enim cicatricis partem eam quam primum obliniunt. Singulis autem diebus, turundas recenter illitas, prioribus tamen detractis, bis oportet injicere. Non enim remiſſe agere oportet, quod affluente hinc à cerebro, & partibus circumſtantibus omni excrementorum genere, uligine nimia hocce vulnus ſcateat. Illud tamen, priuſquam penicillos admoveamus, goſſypio vel molli lana extergi cupit. Interim cavitatis amplitudinem animadvertat medicus, & ſi quid deeſſe ad magnitudinem ejus viderit exculpere nullatenus vereatur, quouſque ad certam moderationem, & quam natura inſtituit conformando propaginem tranſducat. Cæterum

actionis

actionis hujus nullus dari poteſt certus atque definitus terminus. Quis enim tantam rerum varietatem, ob habitus corporis, ob temperamenti, ob ætatum, ob anni partium diverſitatem, præceptis concluderet? Id ſcienti, & experto chirurgo committimus, qui occaſione aucupata, quandocunque vel opus eſt, & jam pars aliquantum ſeſe recreaverit, ſuo modo, & menſura, id adminiſtrabit negocii. Caveat tamen, ne dum intro ferrum circumducit, quovis pacto columnam lædat. Exilis enim illius ſubſtantia eſt, & laboris impatiens, atque ut tranſverſim tota incidatur, admodum in proclivi. Quare tutiſſimum foret, nunquam eo ferri aciem convertere, ſed cum primum ab apice globuli ſectionem occeperis, perducta ea ad arcus dimidium, cultrum eximere, & hinc ab extrema columna ad labium rurſus impingere, ſenſimque ad oppoſitam partem circumducere, ut in medio quaſi flexu utraque ſectio invicem concurrat. Secus enim ſi fieret, atque ſi continuo ductu ferrum à capite ad pedes producis, haud ita prompte cavebis, quin vacillante ferro, & ob loci lubricitatem exiliente, magno impetu in columnam feratur, atque hanc non mediocriter afficiat. Porro non eſt, ut interea temporis aſſidua tormentorum injuria laceſſitum traducem vel contabeſcere, vel labefactari quis exiſtimet. Tantum abeſt, ut quid tale eveniat, ut potius inflicto ſæpius vulnere eoque valentius ſiccato, & cicatrice inducta pars ea convaleſcat, ac rigentior multo ac ſolidior facta quamcunque fortunam ferat melius. Accidit vero haud ita ſtatis temporibus cicatrice partes obvolui, ſed vel citius æſtivo cœlo atque ſicco, corporibuſque calidioribus, & ſiccioribus: vel tardius multò per hyemis rigores, auſtrino cœlo, temperamentis frigidis atque ſiccis, & præſertim ſi, qui impuriores, aut rheumatiſmis ob capitis labem obnoxii ſint. Si quid tamen certo definire nobis liceat, quadraginta illis dies, aut ubi citius, duo de triginta, vel ut nobis quandoque contingit, tres ſeptimanæ integræ dicari debent. In his vero ſi citiſſimum ſit, ad quinquageſimum, multoties tamen ad ſexageſimum, & ultra diem, perfectæ cicatricis ſpacium extrahitur. Et hæc una configurandæ cavitatis ratio tantam agendi moram, qualem vix aliud, ſi quid recte velis curatum, neceſſario requirit. Hoc tamen præ cæteris exoptandum eſt, quod nullis fere moleſtiis, hoc totum curandi tempus expoſitum ſit. Jam enim & domo exire licet, & liberius victitare, nec tam arctis medicinæ præceptis religioſe admodum conſtringi. Hoc tamen obſervandum eſt, ut aëris injurias evitent, & victitandi libertate non abutantur, ne vitiatis coctionibus, & ſanguine impuriori, excrementiſque procreatis, quaſi manu facta omnis pravi humoris illuvies, ad traducem erumpat, & nondum confirmatum penitus obruat. Qua propter hiſce incommodis tam æger quam medicus occurrant, ille quidem ſervata recta, & temperata victus ratione, potiuſque copia quantum licet circumciſa: hic vero, ut pro temporis, atque ſubinde pro cœli evariantis ſtatu vel faſciis vel linteolis vel quovis modo poterit, traducem muniat, & incolumem, ab injuriis externis conſervet. Illud tamen noverint velim, quantopere frigoris impetum exhorreat, adeo ut eo percullus ſtatim emarceſcat, atque ſi quid extremis concedendum eſt, foveri potius extremo aere, ſi calidior fuerit atque ſiccior, quam oblædi traducem non præter rationem credimus. Qua propter ab aëre illum cuſtodire oportet, eoque magis per hyemis rigores, & autumni ingratas viciſſitudines, quam æſtuoſo cœlo atque ſicco.

Cap. 17. *De inſitione columnæ.*

CÆterum efformatis hoc pacto columna, & narium cavitatibus, calloque jamjam prodeunte, en, quod ſecundum erat, ex ſupra propoſitis, columnam inſerere tempeſtivum eſt. Quod autem huc uſque inſitionem differre opus ſit, nec ſimulatque columnam effinximus, eam itidem implantemus, quam plures cauſæ ſunt, eæque non ignobiles. Impedit enim columna implantata jam, quo minus nares reſupinare, introſpicere, ferrum altius adigere, & tuto circumducere liceat: quod perbelle fit, dum ad ſupernum labrum propago inſita nondum adhæſerit. Quid; quod ipſa hoc operationis genus reſpuit, nondum perſanatis, quæ ad latera ſunt, vulneribus. Ad hæc enim incommoda ſi nova tormenta, ſi novas injurias aggregaremus, facile de ſalute illius actum eſſet. Accedit quod ſi inſeratur, priuſquam callo hinc inde obducto confirmetur, columna ut neceſſario decreſcat, decreſcens contrahatur, contracta globulum ſecum abripiat, & hinc non ſine dedecore mancam, & imperfectam narium faciem oſtendat. Itaque vel hac de cauſa, donec quod abeſſe poſſit deferbuerit, & jam vires columnæ quodammodo recreatæ ſint, illius inſitionem differre convenit atque vel in trigeſimum octavum diem æſtivo cœlo; vel in ſexageſimum ſub hyberno frigore. Licet tamen quandoque tempeſtivius, ut ſupra dictum, in unoquoque tempore opus aggredi. Sed ut aliquando ad ipſam inſitionem accedamus, apparatum in primis earum rerum, quæ uſui futura ſunt, inſtituere opus eſt, ab cæterarum operationum ſupellectile paulo diverſum. Eo ſpectant acus incurva, & forceps, qui à parte quæ inſeritur columnaris nomen ſibi invenit. Atque hæc operationi huic propria ſunt: cætera vero communia, & præſertim cum inſitione traducis, nempe cultri acutiſſimi, linum, ovi aquatum, quod roſacea diluatur, ſtuppei orbiculi, turundæ etiam ovi aquato imbutæ, quorum omnium uſus, & hoc loco requiritur. Sed quoniam de his ſatis ſuperque jam dictum eſt, ideo peculiaria illa, & huic negocio ſolum dicata, proſequamur, & primum de forcipe, quæ acum ipſam uſu præcedit. Utimur autem ea ad columnam inſerendam, non quidem ſemper, ſed cum ejus baſis in curtis perierit funditus. Tum enim partem eam, quæ columnam recipit, excoriare decet, opus certe perdifficillimum, quinimo impoſſibile, niſi eo generis organo uteremur. Pars namque illa depreſſior multo eſt, quam quod ferro admoto vel diligentiſſime denudari queat, atque eo magis, quod huic excoriationi non ſolum duricie, ſed altitudine etiam ſua, & inæqualitate, qui eam partem obduxit, callus adverſetur. Uſque adeo enim plerunque in profundum deſcendit, & quaſi vinculis arctiſſimis, robuſtiſſimiſque ſubjectam carnem colligat, ut quidvis agas potius, quam eum ſic expedias. Ubi igitur radicitus columna exciſa ſit, nec locum illum, ob calli profunditatem, inæqualitatemque, uſque dum carnem attingamus, denudari liceat, conati ſumus hiſce difficultatibus contraire, & forcipem hanc, quæ partes eas ſuſpenderet, non præter rationem excogitavimus. Habet ergo forceps manubria duo oblonga recta: alterum ſerratum, cum annulo alligatum, qui terræ, dum occluſeris, injicitur. Utraq; vero invicem uniuntur colliganturque, ſtatim ab connexu annulus aſſurgit rotundus ea magnitudine, ut omnes oris partes circumplectatur. Ab hoc ſupra æqualiter diviſo, utrimque laminæ

ſatis tenues, quæ ex æquo, acieque obtuſa occurrant, rectilineæ exurgunt: extra planæ, intra, qua maxillæ injiciuntur, connexæ: ſupra acuminatæ, ut narib. indantur: infra parum ab circulo reflexæ, ut paulo diſtent ab ore, & magis in profundum poſſint adigere, cutim apprehendere ut ſupra emineat, & tandem præcidere convenit. Sed cur in curvis potius, quam rectis acubus in hac ſutura utimur? Equidem cum loci conditio, tum operis ſecuritas id nobis videtur perſuadere. Cum enim duæ ſint ſuturarum ſpecies, altera quidem per faciei longitudinem: tranſverſa altera. Et omnino unam illarum hic adhiberi neceſſum eſt, non poteſt non eſſe, quin illam ineptam eſſe ad opus hoc: hanc vero perdifficilem admodum, & lubricam fateamur oporteat. Quis enim eſt, qui non videt, quam impoſſibile ſit, recta acu cum eum ea parte, quæ hanc receptura eſt, columnam trajicere? Quomodo hinc, quæſo eum ejicies? Non enim id licet ob naſi protuberantiam. Sed neque ab internis partibus extrorſum acum tranſmiſeris. Quomodo enim id fiat per me videre nequeo, & maxime cùm nulla prioris columnæ adſint veſtigia. Sed quemadmodum hoc ſuturæ genus, quod in longitudinem nullo fit pacto, adminiſtrare licet, ita neque illud per latitudinem, quamvis ſuperiori poſſibilitate præſtet, ſed quoniam, & difficillimum eſt, & ancipiti eventu conjunctum. Maximas enim, dum baſim columnæ trajicimus, experimur difficultates, ob alas circumſtantes, quibus niſi ſumma cum violentia retropulſis, hæc loca perforare non poſſumus. Sed toleranda eſſet meo judicio negocii hujus iniquitas, dummodo votis potiamur liceret, quod tantum abeſt ut fiat, ut nihil minus. Dum enim inferna loca, quæ columnam exceptura ſunt, ob ſuturæ robur, ad latera excoriationis factæ pertundimus, non eo, ſed ad alas extremas uſque impulſa fertur acus, hiantque media, quæ vel arctius conſtringi partes prohibent, vel conglobatis ex conſtrictione labris immenſum, & vix tolerandum dolorem incutiunt. Taceo quod infida admodum, & inanis ſutura fiat, cum latera columnæ trajici oporteat, tenuiori callo obducta, quæ lacerata facillime linum tranſmiſſum jam remitterent. Unde liquet quam fieri nequeat, ut rectis acubus, quomodocunque tandem velis, hoc operis genus perficias, ſed incurvis opus eſſe, cum ob operandi commoditatem, tum quia in longitudinem columnam aſſuere conveniat, ob ejus quæ tranſverſim fit, ut paulo ante diximus, ſuturæ incertitudinem. Præſtiterit autem binas vel ternas acus ad manus habere, licet unâ tantum opus ſit, ut ſi unius vanam experiamur operam, alteram ſtatim in hujus locum ſubſtituere poſſimus. Stuppei orbes etiam parentur & turundæ duæ albumine ovi inſuccatę, multo tamen exiliores, quàm narium amplitudo decernere videtur. Cùm enim affluentibus humoribus tam inſitæ partes, quam circunſtantes mox intumeſcant, ſi qua ampliores ſint, & grandiores, ſanguinem repriment, & coarctatis partibus inſitionem diſtrahent. Adſint cultri tenuiſſimi & acutiſſimi, uti & forceps, cujus operam in columna reſcindenda, quandoque etiam, dum antiquę columnæ baſis ſuperſit, deſideramus. Non enim cultris uti licet, quod ibi pendula columnæ ſubſtantia cultrorum aciem facile eludat: hanc autem ferro excoriare durum ſit, atque ſummis doloribus plenum. Vix enim ulla pats eſt, quæ acrius ſentiat. Promptiſſime igitur partes eas comprehenſas forcipe incidimus, atque uno impetu, celeritate ſumma, tuto, & nulla vel exigua doloris admonitione. Sed locis ſuis hæc omnia rite diſpoſuiſſe miniſtrorum partes erunt. Quare aggredienda fuerit tandem inſitio. Sedeat itaque æger juxta feneſtram, ſub aëre limpidiſſimo, & ſtans chirurgus ex adverſo, columnarem forcipem explicet, hiantemque modice naribus immittat aduſque circuli ipſius lineam. Tum cutim illam, quæ columnæ baſi ſubjacet, compreſſam ſuaviter intercipere ſtudeat. Id eo pacto efficiat, ut inter forcipis latera cutis compreſſa promineat. Ubi illam ſic interceperit, forcipem conſtringat, & infra annulo ad manubrii alterius ſerram applicato diligenter obfirmet. Mox callum detrahet, id ſcilicet quod inter forcipem ſuperat, & demum tenuiſſimo ferro plagam levet. Tum vero ab opere deſiſtendum eſt, quando jam ſanguis hilarior multo & ubique ſe profuderit. Hoc ubi peregerit, annulum abducat, forcipem laxet, & miniſtro tradat. Omnino autem illud ſervandum eſt, ut priuſquam forcipem remiſerit, attente circumſpiciat chirurgus nunquid cum quantitate columnæ ipſius baſis plaga conveniat. Tum enim ſi quid latitudinis, & longitudinis ab columnæ quantitate deſciverit, ſive incertus conſilii, his rectene, an ſecus negocium adminiſtraveris, ad certam unionis ſpem, liberalius multo, quam parce de callo detraxiſſe, longe ſatius eſt, nec quicquam incommodi pertimuiſſe, quod ſi quid de vulnere emineat, cicatrice obducere non difficile ſit, quodque ejus veſtigia ſub prominentibus naribus, quaſi recto quoddam deliteſcant. Ubi vero columna non ſit exciſa penitus, ſed quædam conſpiciantur reliquiæ, forcipem aliam, cujus paulo ſupra mentionem fecimus, injicere oportet, non cultrum, quod ſine ſummo cruciatu hanc partem non liceat excoriare, & quantum volueris, & ſatis fuerit, uno impetu reſcindere. Sub hanc excoriationem ſive reſciſſionem novæ columnæ baſis præcidenda eſt, ad ſummam extremitatem, aut ſi juſto longior ſit, quod ſatis eſt, atque ut ea mediocritatem quandam obtineat. Hoc opus ut & ſuperius ſanguinis effuſio terminat. Cur autem baſim prius, poſt vero columnam exſcindamus, præcipua cauſa eſt, ne qui ab columna deciderit ſanguis infernum opus impediat. His igitur ſic adminiſtratis, jam excoriatas partes ſutura decet conjungere. Quamobrem acum chirurgus accipiat, & dextra manu, mediam apprehenſam ad phyltri ſummum, ſi vero baſis ſuperſtes ſit, ſub illa recte adigat, ſenſimq; adactam promoveat, donec ad ſupernam plagæ partem, & quæ huic oppoſita eſt, exiliat. Ubi vero jam acum elapſam eſſe conſpexerit, coronide arrepta, ulterius eam compellat, reclinatis tamen ſiniſtrâ naribus, ne qua offendantur, & mox digitis apprehenſam cum aliquota lini portione univerſam educat. Hoc ubi peregerit, acum extergat velim, ne in opere è manibus elabatur, & columnam apprehenſam ſecundum longitudinem, ab internis partibus extra totam pertundat. Non tamen ad extremum uſque id fiat marginem, ſed paulo intra, ne dum intumuerint partes illæ laceratæ funiculum remittant. Cæterum trajecta acu, conſtringere partes oportet, nodiſque innectere. Itaque filo leniter æquato, & partibus mutuo contactu adjunctis, bis ante filum medicus implicet, mox blande conſtringat, abhinc denuo, ſed ſemel implicet, innectat, & quod ſupereſt, reſcindat. Suturâ ſic peractâ penicillos utrinque immittat, & ſtuppeos orbes ſubjiciat. Conſuetum tandem ceratum extra naribus inſternere, eaſque deligare poſtrema cura eſt. Interim quieſcat æger velim per diem, vel lectulo decumbens, vel parietibus domeſticis incluſus. Nec aberit detraxiſſe quid potui, & uſque ad quartam intra modum alimenta aſſumpſiſſe. Sic perbelle

cavebimus,

cavebimus, ne citatiori curſu ad affectos locos ferantur humores. Quarta autem die, per æſtivos fervores, unionis jam factæ veſtigia apparent. Quapropter vel ad ejus principium, vel ad finem funiculum lavare conveniet. At brumali cœlo, corporibuſque paulo humidioribus, & impuris, id ſexta die ſatius eſt. Ut enim per æſtatem ſeptimo ad ſummum die coaleſcunt partes, ita hyberno tempore ultra decimum quandoque unio illa transfertur. Neque hîc decoris admodum habenda ratio eſt, cum ſub narib. cicatrix occultata, oculorum obtutum effugiat. Quod verò ad reliquam curationem ſpectat, haud opus eſſe credimus pluribus inſiſtere. Id enim ex ſuperiori inſitionis curâ mediocri cuivis ingenio conſtare poteſt. Nam ſingulis diebus mederi locis oportebit, penicillis unguento ex pompholyge oblitis, vel quæ ad inſitionis ſedem applicentur, linamentis aridis, & cæteris, quæ ſupra in ſimili opere declaravimus, quibus exemptâ jam ſuturâ, eouſque inſiſtere convenit, donec partes illæ validiſſime coaluerint.

Cap. 18. *De conformatione cutanei traducis reliqua.*

CÆterùm, ubi columnæ inſitio jam firmiter adoleverit, quod æſtate ad decimum quartum diem, hyeme verò ad vigeſimum, uſu venit, jam cura conformationis ſubſequitur, quæ eſt univerſæ traducis molis in ipſam narium formam conſtans traductio. Nam utcunque ex ſuperiori configuratione narium ſpeciem jam cutaneus tradux non leviter induerit, non minimum tamen à nativa ſoliditate, abſolutaque earum forma deſciſcit, quod laxa adhuc ſubſtantia, nulloque validæ cicatricis robore ſuffultus, mollitiem quandam oſtentet, & flacceſcentiam ab illa narium dignitate, & gratiâ longe alienam. Vix enim alimenta hucuſque ſuſtinuit, nec vitam per tôt difficultates, per tot tormentorum aculeos traduxiſſe exiguum fuit. Quibus omnibus feliciter ſuperatis, nulliſque amplius laceſſitos injuriis jam robori proprio conſulit, & fere omnes prioris naturæ mores exuit. Quo ſane tempore jam extremus apex vigere incipit, & naribus intro cicatrice non mediocriter obfirmatis, univerſa earum ſubſtantia, compactior multò, & habitior reddita ſoliditatem ſuam, & conſtantiam nanciſcitur. Id autem non brevi licet aſſequi, ſed diuturno tempore, & præſertim pro diverſa corporum, & externi ambientis ratione. Innititur autem hoc extremum opus præſidiis, duobus tubulis nimirum intra; extra verò tectorio, in narium figuram efformato, quibus ſeptus in hac tenella ætate cutaneus tradux, ſenſimque ſub iis adoleſcens, & ad extremum tandem, ſuperpoſiti integumenti formam liquido repræſentat. De his igitur, nempe de tubulis, & tectorio, nobis agendum eſt, atque id duplici modo, tam quod ad eorum ſubſtantiam ſpectat, quàm formam. His enim duabus conditionibus ad hanc operationem accedunt. Ac quod ad tubulorum figuram attinet, ea circularis eſt, oblonga, & inæqualis. Circularis quidem eſt figura, ea non tamen exactè, ſed, qua parte mediaſtinum attingit, pauliſper depreſſa, & plana. Hæc demum latior eſt in inferiori parte ad alas, ſupra verò, & ad narium radices anguſtior, ita ut ab amplitudine ſenſim decreſcens, & moderate in anguſtias deſinat. Illud tamen peculiare habet, ut infra, qua parte alas attingit, reflectatur parum, & extremas alas amice complectatur, qua vero globulus eſt, inſtar myrtacei folii antrorſum excurrat: & hinc columnam ab principio ad finem uſque rectâ lineâ comprehendat. Hanc cum oppoſita decet concurrere, ut ad mediam columnam apte & velut dolatæ aſſeres, concinne conjungatur. Longitudo ſubulorum inæqualis eſt. Nam qua parte elatiores ſunt, & ad naſi dorſum vergunt, altius multò excurrunt, ut partes eas laxa carne intumeſcentes comprimant, quàm infra ex parte adverſa, ubi ſubter inane eſt ſpacium, aut ſi quid eſt, non opem noſtram deſiderat. Quare ab ſuperiore ſubuli in parte inferiorem obliquo ductu pars ea deſcendit. Cæterum utrinque æquales mole, longitudine, figurâ ſint, ne vel craſſiores, vel longiores, vel ob figuram iniquiores depulſam in anguſtias columnam intorqueant, afficiant, enecent: aut ſupra, minus quàm par eſt, jam eluxuriantem carnem cohibeant, & callo nares obducant. Hos ex plumbo parare decet. Atque id cùm ob temperiem illis metalli frigidam, quæ callum citius arceſſit, & humores, ſi qui irruant, ab affecta ſede reprimit, tum quod propter mollitiem in tenues bracteas efformari, & in quam velis figuram duci queat. Hoc ab exordio, ſtatim atque columna obfirmata ſit, oportet agere, ne partem mollem adhuc atque languidam, vel minimum quidem offendamus. Quare ſæpius permutandi ſunt tubuli atque primum imbecilliores, poſthæc paulo firmiores uſque dum ſoliditatem quandam, quod intra tres menſes ab ipſa unionis die uſu venit, callus acquiſiverit. Quod ſi factum ſit, jam nares parumper obduruerint repudianda eſt ſubſtantia plumbea, & ſolidior multo, & durior eligenda, cujuſmodi eſt argentea, in mediocris fortunæ hominibus, at in opulentioribus, aurea, quam utiliorem aliis, ſive ob temperamenti, ſive ob inexplicabilem ſubſtantiæ rationem, tam arceſſendo callo, quàm quod cætera felicius ſub ea ſuccedant, multoties experti ſumus. Expedit autem hæc metalli genera tum ſeligere, quæ duritie, & ſoliditate vigeant, & extremum naribus conſtantiæ faſtigium imponant. Tectorium etiam cum tubulis ſubſtantia conveniat, & pro temporis ratione vel plumbea, vel aurea. Hoc cum primum tubulis utamur licet, naribus quoque inſterni debet. Eadem enim utriuſque ratio eſt, & tubulis ſimul atque tectorio conformationis munus peragimus. Hujus figura abſolutas nares, & decentiſſime expreſſas referat, ſub quo, velut ſub magiſtro exercitatus tradux, nares æmulari ſenſim concondiſcat, & diuturno uſu confirmatus aliquando nativam earum imaginem exprimat. Dorſum igitur, quod ab interna plumbi parte in globulum excurrit, æquali linea protenſum, obtuſum, & ſtriatum effingatur. Latera verò æquali hinc inde ſuperficie, ſupra anguſtiora, infra explanata magis deſcendant, & cùm ad alarum radices acceſſerint, reflexa extrorſum, & hinc incurvata colliculos illos in narium alis exprimant. Ante verò ſimulatque globulum ſuperavit tectorium, qui ſingulari arte in orbem colligendus eſt, tum reflexum acutum angulum ſubter columnam, uſq; ad labii principia excurrat. Obſervandum tamen eſt ut inter alas & hanc partem ſpacium quoddam intercedat, quo tubuli emineant, & aeri liber ingreſſus & regreſſus ſit, atque id narium formam. Oportet autem tectorium inſitionis ſuperare terminum, & oſſeas omnino partes inveſtire, ut firmius conſiſtat, validius comprimat, & quod non negligendum eſt, præſertim hyberno gelu, ut cicatricem ab externis injuriis tueatur. Quo tempore, tectorii cavitatem ad extremas uſque alas vel coccineo panno tenuiori, vel ſerico, vel ſicco linteolo, ut calori narium conſulatur, munire oportet, atque id vel ſingulis, vel tertio quoque die commutare.

Quam-

Quamprimum enim ſitum contrahit, & cicatrici, quæ exiccanda eſt, minus utile eſt. Quæ inveſtiendi tectorii ratio tam æſtu medio, quam ſicco cœli ſtatu, & cum ambientis calor viget, haudquaquam neceſſaria eſt. Sed præſtiterit ægrotos harum rerum abundare apparatu, & bina ſaltem tectoria, tubulos vero quaternos habere. Vix enim dici poteſt, quanta nobis, ſi ea ſæpius permutemus, obtingat utilitas, atque id ut opinamur vel ea de cauſa, quod hinc traduce ſępius perflata minus humoris coacervari, & calorem ejus moderate adaugeri videamus. Sic enim quę ab aeris afflatu incluſa continentur, contracta uligine mucida fiunt, & brevi poſt educto calore computreſcunt. Quare qui gratiam novis naribus conciliare voluerit, id efficiat, ut & tubulorum copiam, & tectorii habeat, atque ea ſubinde, & ſumma diligentia, permutet. Continetur autem tectorium funiculis quinque: quorum unus ajugus eſt, cæteri conjuges: hi ad latera poſiti ſunt: ille in dorſi vertice, & reliquis poſt hæc annectitur. Hujus decurſus eſt per medium intercilium, ac rectà per frontem, perreptando ſagittalem, & poſt ſupernum verticem decurrendo, ubi cæteris jam connexis ad mediam occipitii partem implectitur. Lateralium funiculorum, qui ſupra eſt à media tectorii parte originem ducit, ac per malas tranſiens, oſſi jugali inſternitur, cumque ſupremam auriculam ſuperaverit, ad mediam uſque occipitii partem ad lambdoidis fermè apicem excurrit, ubi conjugi ſuo occurrens, eadem, qua hic, ſed ex oppoſita delato connectitur. Atque in hac funiculorum unione, & ſine pari ille comprehenditur. Ita enim firmius ſingula conjunguntur. Sic qui infra ſunt funiculi, itidem à media tectorii ſede exordium ſumunt, & hinc tranſverſim ad illius latera delati per genas ſubter aures feruntur, cumque ad principium cervicis acceſſerint, mutuo tandem conjunguntur. Sed de his infra rectius. Horum ſubſtantia ſerica ſit (linea enim vel lanea cutim angit) ad digiti latitudinem. Si enim paulo latior ſit atque craſſior, & inepta mole conſpicua eſſet, nec ob id firmius tectorium cuſtodiret. Levis namque moles levi funiculo ac fideliter ſuſpenditur. Ubi vero exilior ſit, & anguſtior non abeſt, quin acie ſua penetret, & carnem éxulceret. Colorem ſuo genio unuſquiſque æſtimet, honeſtior tamen fuerit, qui carnem æmuletur. Sunt & apparandi annuli, per quos trajiciamus funiculos, & tectorio applicandi. Hos addidiſſe multo utilius eſt, quam tectorium perforaſſe, ut uſus fidem fecit, quod ſive intra, ſive extra nodus emineat, ſemper tamen hient tectorii latera, nec arcte, ut decet applicare ea traduci poſſimus. Non reticebimus & illud, quod pro efficiendo nodo, in annulis quibuſdam convenit agere, leviſſimum quidem, non tamen omnis expers gratiæ. Conſuevimus non funiculum trajectum jam annulo tenus conduplicare, & ſerico ejuſdem coloris filo conſuere. Cæterum quotieſcunque abſolutam numeris ſuis, ac decentiſſimam narium conformationem deſideramus, non ſtatim tectorium tubuloſque abigere expedit, ſed vel in duos annos eorum uſum extraxiſſe. Certè ea vis temporis eſt, ut quantum ab ipſo detrahas, tantundem & naribus deroges, & quod de eo addas, magno itidem fænore compenſes. Hoc enim omnia ſecum affert, hoc idem & rapit omnia. Cuique rei, quo fiat, creſcat, adoleſcat, tempus ſuum conſtitutum eſt: id ſi impediatur, ſi non concedas, vana ſunt omnia. Id multis quidem rationibus, experimentis, auctorumque graviſſimis ſententiis confirmarem, ſed in re nota minus laboro. Itaque non recuſent ægroti hoc quicquid eſt tædii, vel in geſtandis tamdiu, vel toties permutandis tectorio, & tubulis, quod maximo aliquando cum fructu, & tranquillitatis in animo, & venuſtatis in corpore ad eos redibit. Sed agite, demonſtremus tandem quo pacto tectorium deligare conveniat. Quod quidem non tantum, ut traducem cuſtodiamus peragimus (nam & hac ratione juvat, dum injurias impetentis aeris ſummovet) ſed quod ipſius conformatio ex hoc eodem pendeat. Hæc enim ut ſupra docuimus, & tubulis, & tectorio continetur: dum illis intra cutaneus tradux ſuffultus probe, atque hinc tectorio ſuperſtrato, & arcte incumbente, quaſi duabus manibus effingitur, & illorum, à quibus comprimitur, imaginem ſuſcipit. In eum igitur finem deligamus tectorium, non ut muniamus ab externis injuriis traducem, quod tamen ad cætera commoda etiam refertur, ſed ut arcte eum conſtringamus, quo proxime ad rectum naſi typum accedat. Summa autem conſtrictio in ea potiſſimum naſi parte viget, quæ ad globulum naſi dorſi finem interjacet, quo loci prominentibus hinc inde tumulis quaſi vallicula quædam apparet. Itaq; hoc loci arcte admodum comprehendi oportet tectorium, & valide comprimere. Quod ut fiat, atq; ne vel ſupra vel infra funiculus exorbitet, annulum quendam rectà ad naſi faſtigium, loco ſupra dicto ſtabilemq; defiximus, per quod vinculum illud trajicimus. Huic alias adhuc è lateribus, æquali linea, duos adjecimus, per quos ejectum prius vinculum, & tranſverſim ſub auribus utrinq; præterlapſum, ad cervicis ſummum retro finibus ſuis conſtringimus. Ut verò, & hos adderemus ea potiſſimum ratio fuit, ut lateribus tectorium illud comprimamus, atq; ne vel ab eo loco, qui inter naſi dorſum eſt, atq; maxillarum tubera longe abductum aſſurgeret, quod jam collectum, & annullis illis velut compedibus conſtrictum, per naſi latera, & maxillas paulo depreſſas contiguo attactu in poſteriores partes decurrit. Accedit etiam, quod ne hinc quidem elabi poſſit funiculis, & vel ad ſuperna vel ad inferna exilire, quod ſane ad conformationem permultum intereſt. Cæterum deligationem hanc, quod in ea conformationis ſumma atq; dignitas conſiſtat, deligationem regiam, vel à modo deligandi, tranſverſam, vel à poſitu infernam, non immerito nuncupabimus. Veruntamen cum tectorium ſatis prolixum ſit, atq; infra arctius compreſſum ne qua ſupra reſiliat, & non modice à naribus abſcedat, itaq;, & ſupra ad dorſi faſtigium alium annulum affiximus, per quem trajecto funiculo ſupernas tectorii partes naribus appingimus. Intelleximus autem deligationem hanc, quæ ſupra eſt, non mediocri uſui futuram partibus illis, quæ ab hac ad regiam conſtrictionem è latere intercedunt, comprimendis ſcilicet, & naribus arcte applicandis, atq; plane hunc in modum. Primum ſupra per annulum trajiciatur funiculus, & hinc oblique per latera delatus ad alterum, qui regio annulo à latere aſſiſtit, proferatur, quo trajecto utraque portio vinculi, cum ſuperior tum inferior, quam ſpectat, faciei partem comprimit. Idem etiam ex altero latere faciendum eſt, atque ſupra injiciendus funiculus, qui ad inferna reflexus per alterum lateralem erumpat. Qua parte vero ſupra conſentiunt, & eodem annulo comprehenduntur, utrinque finibus ſuis, ſub oculis per oſſis jugalis ſedem, atque hinc ſupra aures deferre oportet, & retro ad lambdoidis confinia innectere. Quod dum facit medicus, exæquatis quæ infra ſunt, riteque compoſitis funiculorum extremis, ne attracta ſurſum reſiliant, ægrotus videat, quæ per eandem cum regia deligatione ſemitam ad poſteriora capitis tandem deflectunt. Cæterum deligationem hanc, quod per latera tectorii decurrat, lateralem appellavimus, aut, quia hac eadem tam

ſuperna

ſuperna quàm inferna tectorii comprehenduntur, catholicam, vel ſi libuerit, obliquam nuncupemus. Nec poſtrema eſt, quæ ex deligatione hac emergit utilitas. Nam & cicatrix ornamento confert, dum æqualiter ſub ea coaleſcit cutis, & incumbentes humores longius abigit. Atque his duobus, tubulis nimirum impoſitis, tectorioque univerſa conformationis ratio circumſcribitur, quam ſi quis honeſtam & naturæ typo apprime convenientem voluerit, non ſtatim inſtrumenta illa abjiciet, ſed quantum poteſt, ad duos uſque annos ſumma religione immota conſervet. Si quod tamen ægros deligationis tædium cœperit, licebit quandoque interdiu tectorium ſeponere, ſed remanentibus tubulis, atque id, ne gravius externo aere lædantur nares, repetere veſperi, tantoque magis id conceditur, quanto jam ſolidior reddita eſt propago, & jam novæ nares recreatis viribus obfirmatæ ſunt. Sic cùm deligatio hæc, quæ fit per funiculos, quandoque ſubjectam carnem, inflictis vulneribus exaſperet, non abſonum erit, procul hinc remotis illis, tęniâ quâdam latiori tectorium continere, atque id præſertim noctu, dum ſine iſthoc eſſe licet nullo modo. Tænia eâ longitudine ſit, ut ad poſteriora religari queat. Latitudine exæquet, imo ſuperet tectorium, ut hinc ſupra globulum reflexa, & columnam ipſam, & alarum extrema comprehendat. Hanc uno ab naribus digito mediam diſcindere oportet, ut illud quod naribus inſternitur, integrum remaneat, & eam, quæ infra eſt partem ſupra per aures, quæ verò ſupra eſt, complicatam infra eas, per maxillas deferre, & finibus retro occurrentibus connectere. Sic enim & priſtinæ deligationis ſatietatem tollemus, & ſi quid incommodi acceſſit, non imperite amovebimus. Sed cùm homines quandoque adeo incommodos inveniri liceat, qui difficilia ſummâ conſtantiâ, facilia verò non æque tolerent (ſunt enim qui ſtrenue duris primò obnituntur, ſi quid tamen mox clementius experiantur, nil penitus obſiſtant, ſed vel animo languent) non ſecus, ac qui domum à fundamentis extruunt, nec extructæ jam cultum adhibent, illis itaque condonare poterunt medici, ut tectorium quidem penitus deponant, tubulos verò contineant, qui nullâ vinculorum vi compulſi ultro ſubſiſtunt, aut ſi interdiu id recuſent, noctu tamen omnino adhibeant. Hæc itaque quam nunc deſcripſimus, integra, & abſoluta conformationis ratio eſt, coronis certe, & umbilicus noſtri operis, finis, & ratio, metaque, cur hanc difficilem, & prius intentatam curandi viam ingreſſi ſumus. Reſtat tamen auctorium quoddam, & non illepidum refecti naſi mangonium cum pallentibus naribus vel alio quovis ingrato colore defœdatis, vel ubi cicatrix quàm conveniat vel craſſior, vel depreſſior, vel decolor ſit, ille perit venuſtatis decor. Non enim de induſtria noſtra quid deſiderari volumus, ſed præſtiterit pro virili noſmet elaboraſſe, ut quantum in nobis eſſet, perfectam, & numeris ſuis abſolutam hanc curtorum reſtituendorum actionem ad manus veſtras traderemus. Nam & hîc naturam ducem ſequimur, quæ non ſolùm membris corporis noſtri uſus ſuos attribuit, ſed nullo non ornatu, & lepore inveſtit. Sed quod ad primum ſpectat, nunquam magis honeſtum, magis venuſtum, lepidumque magis efficere poterimus traducem, quàm ſi ęſtate media atque urente ſirio in urgentiſſimo ſole expanſo apricemur naſo. Tum nares detegere, & tubulos abjicere etiam conveniet. Sic ambientis ſiccitate caloreque cùm exterior cutis, tum interior perbenigne fovetur, & ablatis omnibus excrementis callus ſolideſcit, nec minimum eſt, quod ad coloris gratiam perinde accedit. Experta dicimus audemuſque fateri ad tantam dignitatem ex hac una apricatione nares quandoque evectas eſſe, ut conſpirantes in concolorem gradum cum traduce tam noſtram quàm aliorum fidem ſuperaverint, adeo depoſito omni pallore, ſive quod inhoneſtius eſt, livore, fuſcedinem induunt, & maſculum quendam, jucundumque aſpectu colorem referunt. Inſolare autem nares poſt meridiem opportunum eſt, vel in ipſo meridie, atq; ad horæ vel ſeſquihoræ ſpacium, non tamen ultra, vel multo minus, ne hinc laceſſitum caput vel noxam quandam incurrat. Id ſingulis diebus repetere conveniet, quod quam gratiam conciliabit, nolo pluribus dicere. Cæterum quod ad inſitionis compagem attinet, eam illiberalem ornare, & quod obeſt removere poſſumus, felle bubulo, aut vitulinô, vel caprino. Mirum eſt fel teſtudinis, quod cicatrices ſummopere extenuat. Illud ladano oportet excipere, & coralli pollinem admiſcere. Saluberrima eſt aqua hæc: *Recip. aquæ vitæ quartò deſtillatæ ℔.5. ſem. erucæ, lupinor. an. ℨ. ij. radicis rutæ. ℨ. j. medullæ panis albiſſimi, nu.j. album. ovorum num. iiii. Macerentur per diem & noctem ſimul. & extrahatur liquor, quem uſui ſervare oportet, & leviter alternis ſaltem diebus cicatricem illinire.* Honeſtiſſimas reddit cicatrices ſævum aſini. *Huic priſci fel vituli cum myrrha, melle, & croco addebant, & pixide area recondebant.* Alii florem æris admiſcebant. Nos tali pacto liquorem paramus, non inefficacem. *Recip. ſævi aſini, mellis albi, aquæ ardentis, lupinorum. an. ℥j. aq. florum fabarum. ℥.iij. macerato biduum, & mox liquorem per alembicum extrahito.* Veruntamen ſi hanc eandem aquam cerato ex ceruſſa adjiciamus, illud efficaciſſimum certe, & maxima laude dignum experiemur, & præſertim ſi olei de been guttulas quaſdam affundamus. Aqua ex vitibus deſtillans mirifice prodeſt, atque ea quæ ex geniculis arundinum effluit. Ex hac eadem cum aſini ſævo ac oleo de been liquorem paramus, qui ſi addatur cerato illi, ſane efficaciſſimum reddit. Poterunt ergo interdiu inungere cicatricem medici, & noctu ceratum apponere. Veruntamen ſi paulo depreſſior fuerit cicatrix, atque hinc inde, quaſi ad vallem colliculi quidam aſſurgant, tum ſi videbitur, plumbeam laminam inſternere oportet, vel tectorium multo durius, & craſſius, ut ſic compreſſæ partes ad æqualitatem redeant. Sin id minus licebit aſſequi, quod vel nimium extrema inſitionis intumuerint, vel cedere neſciant ob duritiem, jam utique cicatricem leviter, tamen uſque quo ſanguis eruperit, adrademus, & quantum ſatis eſt ad implendam cavitatem, carnem denuo procreabimus. Sin neque tum nobis ſatisfiat, certe extremas partium oras, quæque procul hinc eminent, denuo ferro exculpere, applicare, & futuris connectere oportet, atque tum novam, & decentem cicatricem, quæque antiquam illam obducta carne velet, inducere. Sic enim fiet, ut obliteratâ illâ, hæc nova ſuccreſcat, & nocuum omne penitus deleat. Videat tamen unuſquiſque ne idem quod prius, uſu veniat, atque fruſtra operam elocaveris, ſi vel minus vel pluſquam ſatis eſt, aſſurgere carnem patiaris. In eundem enim errorem incides, nec nihil ægrum juveris, ſed plus læſeris. Quare adnitatur ſedulo medicus, ne vel citius aſtringentia nimis adhibeat vel tardius, quorum illud cavam, hoc verò tumidam, & inæqualem cicatricem reddit, utroque nomine infeſtiſſimam ſimul, & abjectiſſimam. Hæc itaque ſunt, quæ de narium refectione, pro poſſe noſtro jam dicta ſufficiant.

Cap. 19. *De labiorum reſtauratione.*

AUrium nunc & labiorum reſarciendorum, ſi curta fuerint, chirurgia indicanda nobis ſupereſt: in cujus veſtibulo illud præfari oportet, hoc quicquid eſt operis, arctiori longe ſermone, ſtiloque breviore comprehenſum iri. Jam enim ante, dum de naribus ageremus, hujus actionis præcipua capita tranſacta ſunt. Nam maximus his chirurgiæ generibus invicem conſenſus eſt, maxima affinitas, atque adeo ambæ ex agricolatione, velut ex uno parentis utero, ortûs ſui primordia traxerunt. Non itaque mirum eſt, ſi iiſdem fere præceptis id generis chirurgiæ unanimiter innixæ ad proprium ſcopum ſingulæ colliment. Quare ne repetitis futiliter verbis oneri ſimus legentibus, indicabimus ſaltem ubi id opus fuerit, quidnam ſingulæ peculiare habeant, ne vel ambigendi cuiquam locus ſit, & nos promiſſis noſtris haudquaquam ſtetiſſe dicamur. Interim chirurgos admonitos volumus, nequaquam has poſtremas operationes ritè tractari poſſe, niſi quæ prius dicta ſunt, curioſiſſime quis excuſſerit, atque adeo in naribus ipſis reficiendis ſuam operam aliqua ex parte probaverit. Ex hac ſiquidem ceu ex fonte rivuli, promanarunt reliquæ, ſuntque hæ prioris illius germina, atque quod in opere præſtando multum à dignitate ſuperioris diſcedant, illius veluti æmulæ. Nam uſque adeo illa in opere ſuo provehitur, ut non æmulari naturam, ſed fere ſuperare videatur, atque ut oculos ipſos, acutiſſimos ſane, & certiſſimos rerum æſtimatores multoties eludat. Sed craſſioribus filis, rudioreque Minerva hæc labiorum, & aurium tela contexitur, nec lenocinio tam ſubtili, & nobiliſſimo naturam imitatur, retardantibus id, & omnino decorem invertentibus, quæ reſtitui debent, partibus. Et nihilominus, quò & illæ progrediantur, nec improbandus, quem ex illis nanciſcimur fructum. Si quidem ubi primas retuliſſe non licuit, nec ſecundas vel tertias inhoneſtum eſt. Veruntamen hoc quicquid eſt rei, alibi certiori calculo æſtimabitur. Tradituri porro chirurgias aurium atque labiorum, hanc illi merito prætulimus, non dignitatem partium expendentes vel operis decus, ſed quod non minima his cum naribus intercedat neceſſitas. Multo enim propior eſt operationi narium, quàm quæ in auribus fit labiorum chirurgia, quæ eandem materiam, eademque de ſede depromptam cum naribus expoſcit. Sed labiorum, quæ curta ſunt, velut dictum à nobis fuit, non ſimplex genus eſt, quæ pro varietate ſua variam quoque curationem deſiderant. Horum ſpecies repetere hîc non gravabimur. Sunt ergo curta primo labia, quæ à ſtata quantitate deficiunt, vel ab ipſo ſtatim ortu vel poſt caſu quodam ingruente, & calamitate. Prioris generis leporina quæ vocant, labia ſunt. Hæc verò adhuc duplicem ſortiuntur naturam. Nam alia decurtantur ob cicatrices, ſi quæ in proximo conſtiterint, nulla ſubſtantiæ parte deperdita: alia mutilationem quandam ſubierunt. Atque hæc labia verè curta dicuntur, illa ſi licet curta cicatricoſa. Eſt tandem quarta labiorum curtorum differentia, cum quæ certè curta ſunt, & curta cicatricoſa ſimul complicantur. Sed hoc quid compoſitum eſt. Cum itaque tria curtorum labiorum genera ſint, leporina ſcilicet, curta cicatricoſa, & quæ verè curta dicuntur, illa duntaxat cutaneum traducem recipiunt, ejuſque ſarciuntur ope, quæ verè curta ſunt, cætera non item, ſed abſque eo integritati reſtituuntur. Dicemus autem de labiis leporinis primum, eo quod cæteris ſimplicius ſit malum hoc, & curatu facilius. Hoc in utroque labro ſi conſiſtat, eandem plane curationem recipit. Qualis verò futura ſit, ab affectûs natura, quæ ſeparatio eſt earum partium, quæ legitime aliàs cohærebant, non obſcure indicatur. Videtur quidem aliquid & de ipſa ſubſtantia partis decedere, atque hinc opus eſſe, ut tale quid in locum illius, quod deficit, ſubſtituamus: nil tamen obeſt quin nulla re ſuperaddita, reſtitutis in integrum labiis ſine noſtro, & optatis potiamur. Non enim hîc faciendum cenſeo, quod apud Germanos agyrtas, quoſdam & circumforaneos generis noſtri opprobria, factitare audio, qui neſcio quomodo ex animalium carnibus probecitis, maceratis, & alembico paratis has ſe reficere partes ſimulant, atque hinc multis optimorum pullorum, & caponum copiis, quas ſcilicet cæteris præſtare aiunt carnibus, ægrotos ſuos emungunt, non illorum labra, ſed ſuam ut curent ingluviem. Itaque partes eas, quas unitas decet eſſe, diſiunctas jam conjungi rurſus debere, ipſa morbi ſedes inſinuat. Hoc verò conjungendi munus in primis naturæ refertur acceptum, poſthæc & arti, quæ, quod impedit opus hoc, tollit, & eam, quantum opus eſt operantem præſidiis ſuis adjuvat. Porro artis munia fuerint partes primum excoriare, ut ſanguinis communione coaleſcant invicem, excoriatas applicare, applicatas conſuere, conſutas conſervare, & temperiem ſuam, & ſalutem penitus reducere. Primum igitur illam labii partem, quæ excoriari debet, ſiniſtra manu ſuſtineat medicus, & mox tenuiſſimo, & acutiſſimo ferro cutim illam æqualiter ſubmoveat, uſque dum ſanguis ſeſe effuderit, in angulum uſque ipſius hiatus, & plagam exinde levet. Hoc opus etiam forcipe, ſi licuerit, adminiſtrabitur, & citiſſime, & tutiſſime. Idem etiam ex altera parte agendum eſt. Hinc eas attractas manu conjungere opus, & ſuturâ invicem connectere. Tunc illud obſervabimus, ne leviter, & per ſuperficiem ſaltem acus adigamus, ſed totum perforemus. Itaque ab extra interiora verſus recta per labium impingat acum chirurgus, & per internam labii partem elabentem eximat: mox intra ad alteram plagæ partem injiciat, ad exteriora tranſmittat, funiculos bis implicet, conſtringat, denuo ſemel implicet, nodo innectat, atque tandem reſcindat. Obſervare tamen oportet, ne ad ipſam plagæ oram, ſed paulo longius ab ipſis trajiciamus funiculos. Facile enim fit, ut laceratæ partes ob mollitiem, remittant fila, & ſpem noſtram fallant, quam certam eſſe, & indubiam non eſt, ut exiſtimet, qui tam eleganter, & ad amuſſim extrema vulneris coire, & valide adeo ſuturis connecti viderit. Harum numerum ex plagæ amplitudine licet decerpere, quæ uti inconſtans eſt atque varia, ita neq; hîc perpetuum aliquid & immutabile ſtatuere non poſſumus. Ab peracta ſutura cruentum vulnus aqua ovi munire oportet. Quapropter ſtuppæ eodem inſuccatæ adhibeantur vulneri tam extra, quàm intra, & faſcia, quæ poſcâ madeat, applicetur, tenuis, mollis, atq; ſibi tota æqualis, lata ternos digitos. Hanc oblique ad ſuperiora aurium, & per oſſa petroſa in lambdoidis apicem deferre oportet, & nodo ibi arctiſſimo conſtringi. Porro cùm faſciam internæ labii partes non admittant, jam linteolum quoddam tenuiſſimum, atq; poſca benigniori imbibitum immittere, & loca ea ab fluxione munire convenit. Ubi jam ſtuppæ remotæ ſint, quod vel ſequenti die vel tertio poſt fieri poterit, curationi reliquæ, quæ conglutinantibus efficitur, inſiſtendum eſt. Cùm autem labiorum natura

à ſeipſa differat, quæ exterius cuti inveſtitur, intra verò peculiari dotata carne, tenuique obducta membrana; perenni humore madeat, pro partis diverſitate, diverſa etiam præſidia afferre opus eſt, non quidem ſubſtantia, ſed conſiſtendi modo, intra quidem humida, & fluentia, extra verò ſicciora, & concreta. Curabunt igitur exteriorem partem medici conglutinantibus, quorum copiam ſupra deſcripſimus, ut unguento ex ceruſſa linamentis excepto, per univerſam plagam injecto mox cerato ex eadem ceruſſa ſuperſtrato, & faſcia deligato. Intra autem remedio ſunt ſyrupus roſ. ex roſ. ſiccis, ſyr. myrteus, vel ubi ſordida eluvies affuerit Julep violatum, aut mel roſaceum. Hæc enim vel ſeorſim vel permixtim adhibita, & deterſione, & exiccatione coalitum non mediocriter accelerabunt. His thuris admiſcuiſſe pollinem non pauco emolumento fuerit. Verbi gratia, *Recip. ſyr. roſ. ſiccar.* ℥j. *mellis roſ.* ℥. *v. pollinis thuris* ℈j. *Miſce.* Hoc medicamento, quæ imbuantur linteola ſæpius injicere labiis expedit. Sub quartæ initium vel ſub ejus exitum jam ſuturas aliquas laxare commodum eſt, ac ad eam partem, ubi unitis probe partibus natura nos edocuerit. Sic vulneris honeſtati conſulitur. Verumtamen cum ille labiorum coalitus, tam propter ſubſtantiæ mollitiem, quam quod indefeſſo moveantur, non uſque firmus atque robuſtus eſſe poſſit per tam breve dierum curriculum, & periculum ſit, ne vel laxatis ſuturis dehiſcat, itaque ut occurrant incommodis hiſce chirurgi, jam gluten apponere convenit. Hoc addito blande admodum ſemet complectentur partes, uſque dum fideliter coiverint. Licebit autem ſtatim removere funiculos, ſimulatque jam gluten firmiter adhæſerit. Hoc enim ad decorem plagæ conciliandum non incommodum eſt. Efficaciſſimum vero gluten flos calcis, ſi ovi aquaro admiſceatur præſtat. Nos tamen tragacanthi, maſtic. gummi arab. ac thuris ſubtiliſſimum pollinem ovique albumine addito certiſſimo eventu in hunc uſum paramus. Ne autem quid deſiderent medici, quis glutinis apparandi modus ſit, brevibus dicamus. *Recip. Tragac. maſtic. gummi arab. thuris, an.* ʒ. 5. *albumina ovi, num.* ij. *agitentur albumina diligentiſſime uſque dum ſpumam ejiciant, hanc blande detrahere convenit, & quod ſubter limpidum, & aquale eſt retinere, mox reliquorum pollinem inſpergere atque totum ad quandam inter extrema mollia & dura, ſtudioſè permiſcendo conſiſtentiam perducere.* Ejus apponendi hic modus eſto. Parentur linteola bina, duplicata, longa tres digitos, alta ad labii quantitatem, diſtinguanturque funiculis parvo intervallo diremptis, tot ex una parte quam ex altera: hæc glutine illinantur, atque ex parte, quæ non recipit funiculos, & madida jam utrinque labio admoveantur. Hac tamen lege id faciendum eſt; ut ipſi funiculi per ſpatium quatuor digitorum, ab extrema linteorum ora mutuo concurrant, atque ut ad pollicis latitudinem ab plagæ finibus ipſa collocentur lintea. Statim enim atque humiditas quædam ſeſe inſinuaverit, omnis glutinis vis fatiſcit. Applicato glutine jam poſt ſex horas, quibus interim labia comprehendit, funiculos licet conſtringere appoſitos invicem, moderare tamen, ne vel conſtrictis iis dolorem ſummum arceſſamus, vel humores eo ruituros concitemus. Cognoverint autem medici conſtrictionis metas, ſi vulneris ora æqualiter ſeſe comprehendant, & nullus vel exiguus admodum adſit doloris ſenſus. Interim vulneri linamentis ſiccis medebimur, vel medicamentis, qualia in areæ curatione ſupra tradidimus. Dum ea imponere commodum eſt, funiculos laxent chirurgi velim, extergant vulnus, linamenta inſternant; denuo funiculos itterent, linteolum tenue injiciant, & tandem faſciam imponant. Atque id bis per diem faciendum eſt. Hoc curationis genus ad decimumquartum uſque extrahitur, ſcilicet cum abſumptis humorum reliquiis, valido invicem nexu jam vulneris oræ concreverint. Suademus autem ſerio, ut dormiturus æger ceratum ex ceruſſa imponat, & faſcia muniat, quod quantam venuſtatem, quamque gratiam cicatrici conciliet, nolo dicere. Hæc multo major erit, ſi quid eorum, quod pro traducis mangonio à nobis deſcriptum eſt, non infideliter ipſe exequatur.

Atque nunc ad alterum labii vitiati genus, quæ curta cicatricoſa vocant, progredimur. In his amplior multo cura eſt, & ſtudium obnixius, pro vitii magnitudine, atque eo magis, ſi quæ ob callum decurtantur, mutilationem quandam perpeſſa fuerint. Sed hoc aliud & non ſimplex curtorum genus eſt. Solent hoc mali vim experiri ſuperna potiſſimum labia, cum ferrum per nares adactum altius, aduſque labri ſedem deſcenderit. Ferè enim quibus nares, digladiantibus exciſæ ſunt, ad illam mali labem, & hæc nova acceſſit, & quotquot nobis hucuſque ſeſe obtulerunt, propemodum omnes hoc incommodo potiſſimum angebantur. Quam enim deforme ſit malum hoc nemo eſt, qui non videt. Quam verò incommodum ſit, ex eo conſtat, quod omnem loquutionis gratiam, qua nil homo habet præſtantius magiſque proprium, qua interprete humana conſiſtit ſocietas, peſſime quidem evertat, & corrumpat. Accedunt & aliæ clades hujus mali non mediocres, dum gingivas non ſolum, partes laxas atque molles vitiari contingit, ſed & dentes frigidiſſimos, & duriſſimos, quæ corpora hybernis gelicidiis rigeant, æſtivis caloribus torreant, atque variis, & ſæviſſimis externi aëris procellis jactentur. Atque hæc labes ſucceſſu temporis in abditiores etiam partes ſeſe inſinuat. Itaque non aſpernanda fuerit cura hæc, ſed ſedulo, adminiſtranda. Sic enim quamplurimum partium ſalutem, & non poſtremam decoris conſequimur gratiam. Indicat autem hæc res maximam ſuperioris chirurgi negligentiam, quando ſi is induſtriam ſuam in vulnere perſanando comprobaſſet, neutiquam hæc læſio vel non tanta obtigiſſet. Dum enim impenſe cicatrici ſtudent medici, minus animadvertunt ejuſdem commoderantiam, & venuſtatem, qui finis eſt peritioribus, & meta, ad quam in actionibus ſuis contendunt. Nam ſi quid ipſa natura in conjungendis partibus molitur, omnis tamen unionis ſive ratio ſive decentia arti ſolum refertur accepta. Hoc nimirum artis eſt, naturæ ſi rectè agat obſequi, ſin à tramite ſuo deflectat coercere eam & corrigere. Itaque chirurgi optimi eſt, dum vulnera agglutinat, cicatrices quidem reſpicere, ſed quam rectas, & honeſtas. Quod ſi ii obſervaſſent è quorum manibus ægri mutilati potius, quam ſanati elapſi ſunt, utique jam ſcribendo hæc nobis hoc negotii non dediſſent. Sed quando & nos homines ſumus, humaniter etiam hæc vitia à nobis ferenda ſunt. Curabuntur autem cicatricoſa curta, ſi quæ morbi cauſa eſt, & vel ſuſpendit ſupernum labium, vel infernum detrahit, callum ipſum eximamus. Protinus ergo, pro agendi norma quantitatem ejus contempletur medicus, & quæ illius natura ſit atque ſubſtantia. Non enim minimum ad curationem intereſt noſſe, ſi quid alte ad penitiores partes deſcendas, ſi in ſuperficie hæreat habeatne inſignem vel longitudinem vel latitudinem. Illud enim difficiliorem multo operationem oſtendit, hæc verò faciliorem. Sic duruſne ſit an tener circumſpicere oportet, quorum illud rebellem eum reddit, & contumacem: hoc verò benignum, & facile obſequentem. Hujus vero diverſitatis ratio eſt,

eſt, & corporis ſicca atque frigida intemperies, nec non medicamentorum, quæ vehementer aſtrinxerunt uſus immoderatior. Ubi igitur vel ſuſpenſum fuerit labium, vel detractum, jam callum eximere oportet, atque ſi altior ſit, altius etiam ferrum adigere: ſin ſublimis fuerit atque in ſuperficie, levius: omnino autem radicitus totum exſcindere. Facienda eſt primum ſectio, ut & aliquantiſper ſanas partes attingat, ab uno extremo calli ad alterum, fortiuſque adigendum ferrum; nec ab opere deſiſtendum, donec undiquaque ab eo jam exciſo ſanguis profluxerit, atque jam ad ſanam carnem ſeſe deſcendiſſe chirurgus conjectabitur. Videndum tamen ne aliunde, quam ab ipſo callo promanet ſanguis, atque nos ab opere deſiſtamus immaturo quidem, nec morbo funditus deleto. Sedulo. n. manibuſque pedibuſque in id eniti oportet, ne quid de callo reſideat, ſed ut penitus nullis etiam vel apparentibus veſtigiis è medio tollatur, atque id ut dixi tum factum eſſe exiſtimandum eſt, cum æque ab omnibus, quæ callo ſubjacent partibus, & liberalius ſanguis erupetit. Illa ipſa die, ſimulatque opus perfecerit medicus, cruenta medicamina, qualia jam ſæpe à nobis tradita ſunt, adhibere oportet, & mox ſequenti die ſuppurantia. Ea tamen nobis cautio ſit, ut labia in naturalem locum quamprimum transducamus, à quo vi calli in altum abrepta, quamplurimum diſtabant. Quod ſi negligas, nec quicquam operando profeceris: aut ſi tardius id agas, neque ſic ægrum adjuveris, cum nova caro occupaverit locum, atque quo minus deſcendat labium; non mediocriter prohibuerit. Quamprimum igitur manum adhibere oportet, & ad priſtinas ſedes reducere labium, atque ſic, quod de cura reliquum eſt, abſolvere. Quod ut agas, multoties implexum linteolum, atque in pulvilli ſpeciem efformatum, medicamentis illis inſternere oportet, atque ſic vel attollere labium vel deprimere, ut nobis medendi ratio perſuaſerit, illudque faſcia diligenter munire. Mox, ubi ſeptima tranſacta ſit, ſarcoticis tum & epuloticis agendum eſt. Requiritur & laminæ plumbeæ uſus, ejuſque craſſiuſculæ in labii formam ductę & medicamentis impoſitæ. In quo labii ſitu, ubi cicatricem traxerit, jam nihil quod ad veram curationem ſpectat à nobis prætermiſſum eſt. Condiſcet enim ſuam cuſtodire ſedem labium, & novo hoc cicatricis callo imperata facere. Cæterum nolim quamprimum deſiſtant ægri tam ab deligatione quam ab uſu laminæ. Metuere enim ſubinde oportet, ne callo in primis molliori, & tandem indurato in ſeſe labrum redeat. Quapropter jam prodeunte cicatrice interdiu à lamina, & deligatione abſtinere poterit æger, atque mox eam noctu recipere, & quanto liberior fuerit, eo arctiorem deligationem tum efficere. Sic gratiam labiis ſuam, & colorem conciliabunt medici, non ſecus atque ſupra in traduce exornando fecerunt. Alioquin in re commoda, non leve adeſſet incommodum. Nam labium ad mediocritatem reduxiſſe non exiguum eſt, at indecore hoc feciſſe, id tandem deteſtandum eſt. Quid? quod multi venuſtatem, quam conſequuntur, quam fructus quos natura hiſce membris deſtinavit, pluris æſtimant. Sic plurimi ſpecie potius boni, quam ipſo bono ducuntur. Elaborabit igitur medicus, ut non ſolum in integrum partes reſtituat, ſed decentiam ſuam, & formam, lenocinia vulgi, quantum poterit illis addat non ingrato tam artis, quam ſui ipſius elogio.

Verumtamen hiſce jam peractis jam tempus eſt, ut ad tertium curtorum labiorum genus, quod revera curtum eſt, & traducis ſubſidio perficitur, aliquando accedamus. Non opus autem eſt, ut hic inani loquacitate, quod ſupra hac de re in narium cura tradita ſunt, nec minimo cum legentium tædio, repetamus denuo, & quod aiunt, actum agamus: ſufficit ea dixiſſe, quæ huic operationi proprie conveniunt. Si quid cum illa commune habet, inde petendum eſt. Quapropter præpoſteram lectionem ii attentaverint, qui nullatenus perſpectis, & bene examinatis, quæ antea diximus, huc ſtatim concedunt. Nec id agimus, quod jam multis in more poſitum eſt, qui ſi quid apud eos reconditæ diſciplinæ & experientiæ depoſitum ſit, invidia ne dicam an fraude id ſupprimunt, & quam poſſunt ſtudioſè occulunt. Se hi neque; aliis prodeſſe norunt quorum gratia nati ſunt, nec ſibi ipſis conſulunt, dum ſolidam ex benefactis gloriam & nunquam intermorituram parare neſciunt. Quid? quod hæc illorum malitia nec abibit inulta. Nos, (fatemur ingenue) nil quicquam, quod ad hunc locum ſive alio ſpectat, ſubticemus, ſed bona fide, integrèque agimus, huic tamen uni rei præcipue ſtudemus, ne quid ad ſacietatem uſque à nobis dicatur. Monemus vero amicè ut qui hæc noſtra, qualiacunque tandem, lecturi ſint, ad labia reficienda non applicent animum, priuſquam ea, quæ de naribus diffuſè ſatis, & meo judicio, apertè dicta ſunt evolverint, cognoverint, periculum fecerint. Etenim eos nolim ſpe ſua fruſtrari, & nos ab illis accuſari non merito. Verumtamen illud à Principio hujus operis, noſſe chirurgos volumus, ut ſi exiguum fuerit quod labiis deficiat, ab operatione planè deſiſtant. Non enim ea dignitas eſt rei, non ea utilitas, quæ in naribus, quamvis parum ſit, quod reficitur, ſunt quam maxima; nec tam tuto, & expedito id licet agere, ne qua vel intermoriendi præ parva mole traducis, vel quovis pacto ab fine aberrandi, ſuſpicio ingruat. Quare ab operatione hac dehortentur ægros medici, aut ipſi, ſi aliter nequit fieri, hanc eandem veliſque remiſque defugiant. Sin vero exciſa inſigni portione mutilata nimis labia fuerint, alacri animo accedant jubeo, & quicquid operando poſſunt in medium afferant. Convenit autem hæc operatio in primis cum delineatione traducis, quæ ſupra habita fuit, plane tota: atque partim, cum eundem educimus, ſcilicet ubi ſuperius labium reſtituere oportet; partim vero hic diſſentit, tum inferius reſarcimus. Tum enim è contraria parte, atque ad cubiti articulum, ſalvis interim ſupremis, exſcindere propaginem neceſſe eſt. Porro exempto traduce eadem eſt penitus uſque ad inſitionem, quæ in ſuperioribus, curandi ratio. Illud tamen monuiſſe decet, ut in callum interiorem propaginis partem, probe decoqui concedant. Plurimum enim & quæ ab palato, & ab gingivis humiditas profluit, harum partium ſaluti obeſt. Initio incurvas acus recipit, ſuntque oræ cum in cutaneo traduce, tum in labiis paribus certe ac æquis intervallis diſtinguendę. Neque excindere oportet ab parente propaginem uſque dum probe coaluerit, & firmiter cum curtis adhæſerit, quod mediis æſtatibus ante vigeſimum quartum ab inſitione diem infrequentius contingit, quanto minus per hiemem, cui majus, quam quod jam præſcripſimus, pro unione facienda, ſpatium concedi opus eſt. Infidelis enim eſt inſitio ob ingentem redundantis hoc in loco uliginis copiam. Conformationis ea cura ſit, quam labii ſubſtantia nobis præſcripſerit. Hanc deligatio maximopere juvabit, quam ſupra aures deferri oportet, dum ſuperiori labro incumbimus; aut ſubter eas, ubi quod infra eſt, reficimus; aut in utriſque bicipiti faſcia, mox ubi ab labiis diſceſſerit, diviſa, & hinc inde per aures, ad occiput devincta. Nec plumbeam laminam aſſumpſiſſe oberit, cæteraque uſurpaſſe, quæ pro adornandis naribus non inutilia eſſe diximus. His enim nitorem membris, & priſtinam reſtituimus

elegantiam

elegantiam. Hæc itaque ſunt, quæ pro labiorum curatione ex uſu eſſe cogitavimus. Non enim majorem vel verborum vel rerum apparatum ipſa operis materies expoſcit, (nam ſingula ex narium refectione liquent) & ſi quid eſt, quod operam noſtram deſiderare videatur, nempe cum & labia quæ ſimul cicatricoſa, & verè curta ſint, quandoque nobis obviam fiant: non opus eſt hic pluribus, & mihi moleſtiæ eſſe & vobis oneri, cum omnis agendi ratio, ex ſimplicibus ante cognitis, cum hoc morbi genus complicatum ſit, & jam lucenter, ut exiſtimo, enarratis, haud difficulter eruatur. Non enim compoſitum eſt; præter ſimplicia, nec totum præter ſuas partes. Quæ uti ſi appones, & ſimplicia, & partes conjungas, compoſitum exinde, & totum efficias: ſic cognita tam eſſentia mali, quam recta medendi ratione labiorum curtorum, & quæ ſingillatim cicatricoſa ſunt, facile etiam quæ ex his connexa ſunt, curta nimirum cicatricoſa, & ritè cognoveris, & rectè curaveris.

Cap. 20. *De curtarum aurium chirurgia.*

EXtrema linea hujus chirurgici operis ducenda eſt, videturque jam prætervectis acroceraunijs ſcopulis, & ſuperatis voraciſſimis ſyrtium vadis jam cymba noſtra feliciter portum capere. Jam enim explicatis iis, quæ ad narium refectionem ſpectant, & labiorum, rem certè difficilem, operoſam, magnis incommodis plenam, ubi facilè quis impingere, & operæ ſuæ naufragium poſſit facere, en ad finem laboris noſtri videmur tendere, ſumuſque extremam huic operi manum impoſituri, ubi hanc de curtis auribus medendi rationem abſolverimus. Hujus ſumma eſt in traduce, depromendo, inſerendo, curando, efformando. Cæterum non ex brachio ut in ſuperioribus, ſed ex regione poſt auriculam, proxima, quemadmodum præcedenti libro admonuimus, propaginem petimus. Qua in re, ut & in quamplurimis aliis, ab reliquorum operationibus, & multis quidem paraſangis hoc opus diſtat. Non enim tanta cura, quæ eſt in cæteris, tanta induſtria, per tantum temporis ſpatium delineare traducem, curare, educere, mox, antequam inſeratur, reparare denuo convenit, ſed hoc quicquid eſt negotii, uno fere momento perficitur, & totus quantuſcumque eſt cutaneus tradux, ſimulatque prima lineamenta ejuſdem ducta ſint, quamprimum eximitur, & auribus curtis connectitur. Suadet autem nobis hoc operis compendium tam ſedes ipſius traducis, unde educitur, quam ipſius quantitas, & quæ hæc conſequuntur ſymptomata. Cum enim per locum ex quo tradux excinditur, inſignis quidam arteriæ ramus perreptet, quem velis nolis oportet incidere: utique non ita promptè periculi magnitudinem aſpicere, & quæ conveniant remedia afferre licet, niſi delineato eo, & ſimul exempto, detecta vulneris area univerſa oculis pateat. Quam enim periculoſum ſit arteriam ſaltem violari, quanto opere, & difficultate ruentem ex ea ſanguinem prohibeamus, jam omnibus manifeſtum eſt, at quanto incommodiora ſingula fuerint, dum totam ut hoc in loco uſu venit, & tam ingentem repente diſcindimus. Secus verò in traduce brachio fiebat, ubi vel nullum vas lædebatur, aut, ſi quando ſic contingebat, tenue quoddam & anguſtum & quod exiguum nobis faceſſebat negotii. Non licet ergo occurrere malo huic, nec periculi magnitudinem explorare, niſi & una opera delineemus, atque exſcindamus traducem. Nam quod nonnullis opportunum forſitan videtur, ut, quod in aliis factitatum, per vulneris cava ſubter propaginem imponi medicamenta poſſint, neque hic locum habet. Tantopere enim cranco cutis eo loci adhæret; tam obnixè id complectitur, ut abſque ſummo cruciatu divellere eam nequeas, quantopere adnitaris: nec uſque adeo tuto. Hinc enim diræ inflammationes oboriuntur, recrudeſcit ſanguinis fluxus, quem difficulter cohibeas, atteruntur magis, quæ ſubjacent partes, & diu multumque eſt, ex quo plaga illa ſanari nequeat. Non igitur ſenſim, & per tanta dierum interſtitia, quod in narium & labiorum cura fit, hic opus eſt progredi, ſed ſimulatque traducem delinees, mox excindes, & curtis partibus conglutines. Non enim mediocre hinc capimus commodum, quod quamprimum ab moleſtiis convaleſcat tradux, & gemino lactatus ubere inſigne robur acquirat. Unde nec decreſcere poteſt, & operis ſpem evertere. Quod quam facile fit, quam in proclivi, & ipſius, & partium, quibus incubat eſſentia, quæ frigida eſt, tot perpeſſa incommoda, & ipſius inde moles quæ perexigua eſt, argumentis efficaciſſimis nobis demonſtrant. Si enim tradux, qui in brachio eſt, hanc labem nequit effugere, pars adeo inſignis, & carnea tanto calore, & ſanguine, per tot & tam amplos rivulos perfuſa, tanto obſequio enutrita; quid puſillam hanc atque exanguem, cui ab anguſto, & ipſo arido loco nutrimentum accedit, tanta vi convulneratam non perpeti credamus? Certè metus eſt, ne vel nimis decreſcat, & tota in nihilum abeat. Hoc fieri nequit, ſi quamprimum ac exempta eſt, & auribus connexa, oppoſitis finibus expanſa quaſi ſuſpenditur, & quoniam tam infra quam ſupra ſanguis accedit, uberrime enutritur. Cùm itaque una opera, & delineare, & eximere, & inſerere traducem neceſſe ſit, jam agite opus ipſum aggrediamur. Cæterum cultros, acus, lina, ovorum albumina, quæ ſanguine draconis, bolo armen. terra ſigill. permiſceantur, ſtuppeoſque orbiculos paratos eſſe decet. Atque hæc ſupra nobis deſcripta ſunt. Duo tantum huic rei propria ſunt, alterum goſſypium uſtulatum: altera quæ rectè huic negotio conveniat, faſcia. Goſſypio ad ſanguinis eruptionem, quæ violentiſſima eſt, arteria jam inciſa utimur. Nihil eſt quod hunc magis cohibeat. Faſciæ ſubſtantia tenuis ſit, æqualis, lata quinos digitos, ſeſquicubitum vero longa. Hæc ab vertice ad aurem demittitur, unde abducta ſubter gulam ad oppoſitam aurem atque hinc ſupra verticem effertur, & tum altero extremorum nodo connectitur. Hujus faſciæ partes duæ ſunt: baſis nimirum, & illius ductus. Baſim eam intelligimus partem integram, totam, quæ ab radice alterius auris infima, per gulam, ad alteram aurem infra circumducitur. Hoc ſpacium totum continuum eſt, nec quovis modo diſcinditur. Ductus eos appellamus, qui hinc ab aurium radicibus in verticem excurrunt. Hi ex utroque latere, ad auris longitudinem, vel paulo ultra in duas partes finduntur, quarum illa, quæ ad faciem vergit, antica, quæ verò ad cervicem poſtica dicitur. Quadrifidi igitur hi ductus ſunt, utrinque bifidi: hic quidem, qui retro eſt, ut medicamentis, & curationi inſerviat: ille verò, ut alteri ſubſidium afferat, & deligationem ſtabiliat. Circa tria verò potiſſimum vertitur hæc operatio, nimirum circa traducis exemptionem, inſitionem, & jam inſiti curationem. Ejus magnitudinem mutilatæ aures indicant. Initium ſtatuatur ab linea auris curtæ, nempe ab extrema ora, quæ læſionem perpeſſa eſt. Ducatur itaque in poſticam partem, eamque depilem auris, ac capiti applicetur, mox atramento ducatur linea *a b*, quæ auris latitudinem comprehendat. Hujus *a*, faciem reſpiciat, & meatum auditorium locum, ex quo

velut ab radice auris exoritur; *b*, verò in occiput ad extremum uſque detruncatæ partis feratur. Ab hoc linea incurva, ad auris proportionem ducenda eſt, *c d*, & hinc reflectenda ad *e*, ad eam auris ſedem, qua lobus egreditur. Quicquid autem intra ſpatium *a b*, rectam, & *c d e*, arcum continebitur, ad deſideratæ auris reſtitutionem erit quam aptiſſimum. Hoc tamen chirurgos admonitos eſſe volumus, ne coæqualem extremis auriculis *a b*, ducant lineam, ſed paulo ſublimius. Etenim addendum eſt aliquid ad quantitatem ſupra, quod adimitur, cum autem pro inſitione adradimus. Nec ut alias in liberaliori traducis eductione, quicquam peccamus. Quapropter lineam ducere oportet, & atramento deſignare, illa paulo ſuperiorem, & eam cæteris adjungere. Ad hanc normam educere traducem convenit, in quo eædem plane, quæ in aliis, partes ſunt, nempe quæ inſeritur *a b*, ejus ſinus, ſive corpus *c d*, & tandem *e*, baſis atque radix traducis. Primum autem exempturus traducem chirurgus ante omnium inſititium educat, lineam nempe illam *a b*, & ad perioſtion uſque ferrum adigat. Hoc tamen illæſum ſervare ſumma ope adniti oportet. Mox per lineam *c d*, feratur, & uſque ad *e*, ad radicem nimirum traducis, ſectionem promoveat. Hic ſubſiſtat velim, & una coercendo ſanguini cum miniſtro incumbat. Non enim poteſt, diſciſſa penitus arteria non quam vehementer ſanguis erumpere, & niſi cohibeatur, ad extremam vitæ perniciem adducere. Quare ſimulatque impetuosè efferri cæperit, ſtatim digitum extremum imponat miniſter, & arteriam validè comprimat, addatque ſenſim uſtulati goſſypii partes, quo uno præſidio perbelle ſanguis ſiſtitur, ut neque guttula ejus denuo exiliat. Porrò apprehenſo ad inſititium apice, eoque blandius ſuſpenſo jam ab ſubjectis partibus avellere traducem chirurgus conabitur. Hujus manum ſequatur miniſter, & ſub iis ſtuppas ovi aquato intinctas imponat ſenſim & comprimat. Ille ſectionem promoveat, quouſque totum propaginem ab ſubſtratis corporibus liberaverit. Hic verò aream patefactam denuo ſtuppis muniat ac diligenti compreſſione cuſtodiat. Interea chirurgus feriet aurem curtam, & acutiſſimo ferro ad extremam ejus oram callum detrahet, cavens ne cartilaginem dilaceret. Quo latius autem pars ea excoriabitur, eo citius cum traduce conglutinabitur atque firmius. Nec negligere illud oportet, ut quantum fieri poterit, ad rectam lineam ducatur ſectio. Caveat proinde ut æqualiter per omnes partes callum removeat, ne quid integri ſubſiſtat & unionem cum traduce præpediat. Itaque ſubinde plagam exterget, & ne quid ferri aciem effugiat, cautè circumſpiciet. Hoc factum eſſe cognoverit, cum undique & æqualiter è plaga ſanguis promanabit. Tum verò traducem adducere convenit, & ſuturis cum auribus connectere. Has aurium figura reget, & qua vel depreſſa eſt, vel excelſa, deſignandæ & affigendæ ſunt. Id autem non ſolum ad coalitum confert maxime, ſed multo magis ad auris novæ conformationem, dum cartilagini annexus tradux, illabente deſuper virtute gyros eos, & aurium flexus non inſcite diſcit æmulari. Atteſtatur hoc Monachus quidam ex familia D. Benedicti, cui media auriculæ pars, eaque inferior, tam eleganter, tam venuſte reſtituta fuit, ut id & noſtrum & aliorum, qui aſtabant, captum excederet. Cum itaque totius conformationis ſumma in ſuturis, ut recte fiant vertatur, quam poterit diligentiſſime tractandæ ſunt. Principium conſuendi non ab helice extrema, ſed ab interna concha, & ubi cutis à capite aſſurgit, oportet ducere. Hic prima ſutura figenda eſt. Certius enim nec cætera ſuturarum ſpacia librabimus. Nec licet, tam ad amuſſim cum traduce cutem æquare, quin ubi internam auris regionem diverteris, ſemper vel abundet quid vel deficiat. Econtra ſi ibi ſuturas occeperis, eas ad extremum uſque æqualiter perduces, & ſi quid præterea redundet, abſque damno reſcindes. Suturarum numerum non licet ſtatuere, ſed eas aurium moles definiet. Cætera quæ ad ſuendi rationem ſpectant, è narium cura petenda ſunt Hæc ubi peregerit, jam meatum auditus bombyce oppleat: mox ſtuppam ſuturis imponat: ad aream autem reclinet, & faſcia curioſiſſime devinciat. Cæterum hiſce ſic perfectis, jam videndum ne vel ob præciſam arteriam vel adeo ob plagæ totius amplitudinem caput, & partes illæ inflammentur. Itaque & recta victus ratione, & præſidiis, qui humores avertant, hoc malum declinabimus. Hujus cenſus linteola ſunt poſca madenria, & collo circumplexa. Ea permutari ſubinde decet, ne calorem concipiant, quod munus miniſtro delegabitur. Caveant à ſomno ægri duabus poſt operationem ſaltem horis, quo interim ſpacio humores ad caput confluxuros leniter avertimus. Frictiones ſub crepuſculo ex uſu ſunt, ſingulis quibuſque diebus, uſque in quartam. Quieſcat demum ægrotus ac in oppoſitum latus decumbat, ſibique ſilentium imponat. Victus in quartum uſque parcus eſſe debet, & ſorbilis, ne maxillas movere cogamur. Talis fuerit ſorbitio ex ptiſana, ex oriza, quibus incoquantur acetoſę ſemina, & plantaginis. Potus liberalior circumcidendus eſt, ne dilutior paulo ſanguis atque ſeroſior in affectam ſedem illabatur. Huic peraccommoda eſt aqua oxalidis vel planraginis vel hordacea, ex zuccaro, in qua ejuſdem oxalidis ſemina ebullierint, & malorum punicorum ſucco. Ventrem vero alternis diebus eluere oportet, & omnium commodiſſime clyſmis. Nec earum animum curæ angant, ac ſi quid tale eſt affectuum, quo vires corporeæ contabeſcunt. Somni & vigiliarum adſit moderatio, quæ potiſſimum cerebri arcem concutiunt. Vitandus eſt ſomnus immodicus, ac ſtatim à prandio, vel cœna. Unde exhalantibus è ventriculo vaporibus oppletur cerebrum, & ſi quæ affuerit colluvies ad traducem confertim illabitur. Nec uſque adeo vigiles eſſe decet, ne & hinc depravatis coctionibus, quid mali occipiat. Medium tenere, utrique tutiſſimum eſt. Sub tertiæ verò diei vel initium vel finem ut commodum unicuique videbitur, jam vulnus detegi & ſtuppas removeri contingit. Neque id ob ſanguinis metum, prius licuit, quam caruncula ad arteriæ extremum adnata interim, velut obice vel cuneo quodam objecto cohibet: & quod tum nova ſanie, quæ è vulnere promanat, ſtuppæ madeſcant, atque hinc multo promptius operantis manum ſequantur. His exemptis, jam propaginis & ſimul areæ cura incumbit medico. Hanc ſuppurantibus tractare decet ad decimum quartum uſque, & iiſdem planè, quæ ſupra attulimus. Illam autem exiccare ſedulo, cum in ipſo coalitu, tum averſam, qua vulnus adeſt, quam partem totam in callum decoqui neceſſum eſt. Sed neque diverſis præſidiis, ab illis quæ alias retulimus, & hoc in loco utimur. Unum illud monemus, ut foramina ſuturarum, inſperſo pulvere, curentur ſedulo, quæ alias non tam promptè ſaneſcere, & oppleri carne conſueverant. Eo autem ordine, quo ſupra diximus removeri funiculos oportet, atque intra hebdomadæ ſpacium. Nam ſi ultra conceſſeris, neque ſic quicquam profeceris. Illud autem hujus loci peculiare eſt, ut ſimulatq; partes illæ coaluerint invicem, reclinatam prius aurem, in ſedem ſuam tranſducamus, adeo ut extet, & ſimul auris poſitum ſervare tradux condiſcat. Hujus rei

gratia

gratia pulvillum inter aream & aurem ſubjicere oportet, & longitudine & latitudine auri penitus æqualem, ea mole, ut quod interjacet ſpatium complectatur totum, atque ut utraſque tam aream quam aurem hinc inde apprehendat. Erit itaque illius forma inſtar cunei cujus pars acutiſſima, & inferior radicem auris, ſuperior atque latior extrema auris, & areæ, latera verò auris convexum & areæ planum muniunt. Hunc alteri faſciæ ductui, qui retro eſt connectere oportet. Sic neque nutabit, neque unquam elabetur. Præſtiterit autem quam plures adeſſe faſcias, & pulvillos inter ſe, ut jam aiebam, connexos, exiccandi gratia. Quæ enim ſiceſcunt, ſanitati proxima ſunt. Noverint tamen chirurgi velim, in recta pulvillorum effiguratione & accommodata, maximam cum curandarum aurium, tum efformandarum partem ſitam eſſe, quorum longè diſpar ratio eſt, quam quæ fuit in naribus, & quibus vel minimum ex arte & decoris & elegantiæ accedit. Illic enim plurimum intererat, quo pacto, jam inſitum traducem incideres, effingeres, curares: hic nihil ferè horum opus eſt, ſed, ſi quid poſſumus efficere, & faciendis ſuturis, atque hac una pulvillorum opera præſtamus: cætera naturæ mandanda ſunt. Omne tamen ſtudium eò convertant medici, ut carnem mollem, quæ ab area excreſcit reprimant, & abſumant, ut cicatrice, quàm fieri poſſit, honeſtiſſima locum eum obducant, & præcipuè ad radicem traducis, quæ partes, uſque quo ſanentur, longam certè & difficilem moram extrahunt. Quantum porro ad medicamentorum rationem ſpectat, & quo tempore commutanda ſint, & quæ ſint ſymptomata, quæque eorum cura, haudquaquam diverſa ſunt ab iis, quæ de naribus habuimus, ſed plane eadem. Illuc igitur relegamus chirurgos, inde farraginem petent medicamentorum: ea & præcepta, & ratio em continent, quibus manuducti & aures reficimus, priſtinæ ſanitati reſtituimus. Atque hæc ferè ſunt, quæ pro curtis reſtituendis in gratiam ætatis noſtræ, & poſteritatis utilitatem dixiſſe voluimus. In quibus ſi quid diligens lector, & acutus deſiderarit: ſi quid obſcurius aut non adeo proprio: ſi quid non perpetuo ordine, & orationis filo dictum eſſe perſpexerit, non atrò ſtylò notet velim. Sedulo enim adniſi ſumus, ut quanto poſſet perſpicue & ſignificanter, quam ordinate & proprie rem omnem explicaremus. Atque non adeò id nobis imputandum eſt, quam ingenii noſtri tenuitati; cujus non ipſi ſumus artifices, ſummiſque curis quibus diſtrahimur, atque quod non eadem ſors eſt hodierni diei quæ heſterni fuit. Aliquando enim interiores, aliquando remiſſiores ad opus accedimus; quandoque bene meditamur, quandoque ægrè ſolent nonnunquam verba non vocata ultrò accurrere; nonnunquam in ipſa penna ſubſiſtunt, & difficulter ac quaſi balbutiendo exprimuntur. Nil enim eſt humano ingenio inconſtantius. Levi aura concutitur. Levi momento impellitur. Atque ut ſumma volubilitate cœli ſtatus immutatur, & hunc pluit, nunc ſerenat, nunc ventus eſt: ſic in nobis nihil perenne eſt, ſed mox alacres, mox mœſti, jam leves, jam velut ſtatuæ immobiles, jam ad actiones prompti, jam inertes reddimur, & cum Proteo illo Poetico ſive cum Chamælæonte in varias & planè diſparatas facies quotidie, quin una hora tranſmutamur. Non igitur mirum, ſi quod hominibus doctiſſimis, & longe peritiſſimis quandoque uſu venit (nam quandoque bonus ut aiunt dormitat Homerus) itidem nobis accidat, & non deſint, quibus noſtra mutila, inculta, & perturbata videantur. Illud tamen ingenue teſtamur nos nihil, quod ad rem ſpectat, vel omiſiſſe, vel ſuppreſſiſſe: velimque hac parte mihi palmam dari, & à nullo accuſari. Non enim hoc agere viros probos decet & candidos. Si qui autem fuerint, quibus hæ vigiliæ noſtræ profuerint, iis utantur concedo: cæteri ne aſpernentur, nec invideant, ſed boni faciant, obnixè rogo.

Inſtrumentorum & deligationum Chirurgicæ inſitioni jam explicatæ inſervientium: item curtarum narium, aurium, labiorum, ac traducis cutaneæ in iis reparandis adhibendæ, delineationes vid. ſub titulo Inſtrumenta Chirurgica, Tab. XVI. figuris 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22.

Naſus abſciſſus quomodo reſtitutus?

Anno 1590. Cum Dux Sabaudiæ Genevenſibus bellum inferret, incidit in manus militum puella quædam caſta ac pia, Suſanna N. nomine quam cum ſtuprare fruſtra tentaſſent, atque hac de re maxima ira perciti eſſent, naſum ipſi abſciderunt. Poſt annos duos venit Lauſannam, ubi tunc degebat Dn. Joh. Griffonius, Chirurgus ut ingenioſiſſimus, ſic & in praxi feliciſſimus, qui cum ipſam curandam, & naſum reſtituendum ſuſcepiſſet, ità ſatisfecit promiſſis & naſum reſtituit, ut maxima cum admiratione omnium, ipſum artificialem & factitium eſſe, vix appareret. Quemadmodum ego ipſemet non raro vidi & obſervavi: Ad hunc enim uſque annum 1611. Lauſannæ apud piam ac honeſtam matronam, Dominam Judith Macé, viduam Domini Joachimi Rohold. piæ memoriæ, vivit. Hyemis tamen tempore, cum frigus eſt maximum, apex naſi aliquo modo liveſcit, ut reliquæ tamen partes corporis nutritur, & ſuo ſenſu eſt prædirus. Prædicta puella (adhuc enim in cœlibatu vivit) uſque ad hunc annum 1613. Lauſannæ degit, circa naſum poſt abſolutam curationem nulla in pejus facta fuit mutatio.

Hujus operationis & curationis primus inventor fuit *Caſparus Taliacotius*, in Bononienſi Gymnaſio Medicinæ Profeſſor longè doctiſſimus & celeberrimus, qui operationem hancce & curationem Chirurgicam nobiliſſimam, & tam à veteribus quàm neotericis deſideratam, primus ſcriptis poſteritati reliquit. Dominus Griffonius verò ex cujuſdam peregrini Itali, Lauſannam tranſeuntis, & à Domino D. *Caſparo Taliacotio* curati, relatione, nonnulla primordia habuerat, reliqua ſua induſtria, etiamſi talibus operationibus nunquam interfuiſſet, nec ſcripta Dn. Taliacotii hac de operatione vidiſſet perfecit. Idque eo planè modo quemadmodum Dn. D. Taliacotius ipſum deſcribit. *Guilielmus Fabricius Hildanus.*

De carne lateris ablata & reſtituta.

Ab itinere Braſilienſi ad nos redux Chirurgus haud vulgaris experientiæ, & juſſu regis à nobis examinatus, ſanctâ fide aſſeveravit, ictû tormenti ablatam eſſe nauclero in navi quâ vehebatur, magnam carnis portionem in ſiniſtro hypochondrio, ut hiatû manifeſto viſcera interiora illæſa apparerent, ſe verò carne vervecinâ, quę fortè ad manus erat, læſum locum repleviſſe, & hâc Chirurgiâ curtorum hominem reſtituiſſe. *Thomas Bartholinus hiſt. 59. cent. 6.*

CAROLI.

Sunt puſtulæ venereę in membro virili excitatæ de quibus capite de Lue Venerea.

CARUNCULA.

In Meatu urinario.

HIC de Carunculis illis prænaturalibus agimus quæ à ſucco ex ulcere, vel colli veſicæ, vel meatus ipſius urinarii, ſubinde ſuccreſcunt, urinæque evacuationi non parum incommodant. Ulcera autem illa unde enaſcuntur ejuſmodi carunculæ, ſunt ut plurimùm venerea, à Gonorrhæâ ſcilicet orta. Ex eo dignoſcitur hoc malum quòd urina non ut in ſanis plenô, ut aiunt, alveô prorumpat, ſed minutiùs & ad inſtar fili in duas partes diviſi, exeat, præterea dolor in mictionis fine crudeliùs, quàm dum urina profluit, diſcruciat. Explorari etiam poteſt Cathetere immiſſô.

De Carunculis in Urinariô Meatû ſic ſcribunt Chirurgi propè omnes. Verùm peritiores inter Modernos illarum exiſtentiam pernegant, & quidquid ejuſmodi excreſcentiis imputatur, urethræ calloſitati, ac reſtrictioni ab ulceribus hujuſce canalis, dum conſolidantur, enatæ, commodè aſſignant. Nihil inde tamen infirmatur, aut immutatur praxis in ejuſcemodi affectionibus vulgò adhibita, ſiquidem ex utriuſque ſententiæ fautoribus, ad emollientia, canalem dilatantia, ac etiam, ſive carunculam, ſive calloſitatem abſumentia medicamenta, recurrendum venit.

Pro Carunculis in collo veſicæ.

℞. Viridis æris, auripigmenti, vitrioli, alumin. roch. an. ℥ij. omnia hæc aceto acerrimo perfuſa inter duos porphyrites lapides, quàm accuratiſſimè ducantur, in lævoremque tenuiſſimum reddantur, & ſoli æſtivali exponantur. Hæc rursùs ſic exſiccata aceto affuſo ducenda ſunt, & læviganda, ſolique exponenda, quouſque pulvis ſubtiliſſimus evadat, ut ab iis omnis prorsùs acrimonia extincta ſit, quod opus 8. dierum ſpatio conficies, hoc parato pulvere.

℞. Ol. roſac. ℥iv. litharg. ℥ij. ad ignem f. coctura quouſque emplaſtri acquirat conſiſtentiam, tunc ab igne depoſito, adde prædicti pulveris ℥ij. & ſpatula M. & ad ignem omnia tractato, quouſque medicamentum duriuſculum evadat, ita ut ſi candelæ cereæ, vel plumbeæ virgulæ hæreat, non diffluat etiam ſi digitis tractetur. Hoc enim emplaſtrum hujus Lernæi, & Herculei morbi clava exiſtit, quod hymnis multis & laudibus variis decantari meretur. Nec ſolùm huic morbo prodeſt, ſed varios alios arcet, & explodit, nam polypos unicè curat, & extuberantes carnes in aurium meatibus & aliis locis repertas unicè extirpat, & reſecat.

Præter hoc emplaſtrum cereæ candelæ numero xx. in promptu erant, quæ ex alba cera paucula reſina therebinthina adjecta parabantur longitudinis 12. digitorum tranſverſorum, craſſitudinis verò prout nobis meatus urinarius ferre videbatur. Nec minùs ex plumbo 3. vel 4. plumbeas virgulas paratas habuimus, quibus quando carnnculę refractariæ & difficiles ſunt, candelarum vice utimur: iis ſic in ordinem diſpoſitis candelam ceream unam vel alteram per circuitum excavatam eo modo quo fuſi in cuſpide, ne fila decidant, excavari ſolent, ex prædicto emplaſtro unctam per urinarium meatum ægrotante optimè ſedente immittimus, ac per 6. vel 8. dies ſingulis diebus unam, vel alteram ut decet innovatam candelam æger continuò in urinario meatû inſertam habet, itaque abſque ea, niſi meiendi tempore, agat, neceſſe eſt; ſeptimo die in ægroto noſtro carunculas defeciſſe manifeſtiſſimè deprehendimus ex his ſignis, primo quòd candela jam facilè penetrabat, ſecundo ex multitudine carunculárum putridarum extra emiſſarum, & humoris purulenti effluentis.

Tertio ex urinæ expedita ejaculatione; extirpatis igitur ac ex toto eradicatis carunculis per 8. ſequentes dies nihil per ſiphonem injecimus, ſola candela craſſiuſcula ſicca abſque alicujus rei inunctione immiſſâ contenti. Nam etſi carunculæ extirpatæ ſint, non tamen ex toto portiunculæ, quæ emplaſtrum ſubterfugiunt, brevi illo tempore deponi potuerunt, ſed ut magis excernuntur longiori indigent tempore, quas ad fundum veſicæ non ſine ulcerum vellicatione & ægrotantis detrimento, ſi per Siphonem quid injecerimus, retrocedere faciemus, reliquis igitur 7. diebus urinarium meatum per candelam ceream craſſiuſculam patefactum ſervavimus, per quem urina abſtergendi exſiccandique vim habens liberè exeat ſecum carunculatum reliquias nonnullas excernens. Quod unum hâc in curatione tanquam præcipuum adnotandum decrevi, elapſo igitur hoc tempore quo & carunculatum & craſſioris puris effluxus ceſſavit, ad nonnullorum liquidorum abſtergendi vires habentium injectionem per Siphonem devenimus in hunc modum.

℞. Hordei integr. p. ji, rad. ariſtol. rot. ℥iß. fol. plantag. p. ij. f. e. a. decoctio in aq. ℔ ij. ad medias. Colaturæ adde mell. roſac. colati ℥ij. & cum ſyphone per fiſtulam urinariam injice bis vel ter in die, & virgulam plumbeam, aut candelam ceream remittat. Hoc decocto abſterſorio nos utimur continuò & in noſtro hoc ægrotante intra 6. dies opus peregit, quod ſi fortiori opus fuerit, ad aquam Lanfranci viridem pro ulceribus exactè abſtergendis pervenimus, quæ ita habet.

℞. Alumin. roch. virid. æris an. ℥ß. auripigmenti ʒj. f. decoctio in aq. fontis vel plantag. ℔ij. quouſque ℔ß. abſumatur, per ſaccum laneum, coletur. Hanc aquam camphorâ alteratam per Siphonem in meatum injicimus, deinde poſt plures elapſos dies hoc cicatrizans medicamentum injicimus.

℞. Ceruſſ. ℥j. alum. roch. lithargyr. an. ʒij. f. decoctio in aq. caudæ equinæ ℔ij. ad medias, colatura per manicam laneam trajecta injiciatur. Iis medicamentis hic vir intra menſem ex toto ſanus evaſit. Si ut aliquando dolor ſuperveniat, urinarius meatus colluatur lacte aut aquâ roſaceâ camphorâ admixtâ, aut decocto ſem. lini & fœnugræci, quod ſi acerrimus dolor ſit, ut eum ęger pati nequeat ad opii unum aut alterum granum devenimus diſſolutum in aqua roſ. *Amatus Luſitanus cent. 4. curat. 19.*

Pro carunculis in meatû urinario.

Poſt celebratas univerſales evacuationes, partes urinæ famulantes fomento, balneis, ac unguentis relaxantibus fotæ ſunt, deinde ad opus Chirurgicum acceſſimus, hoc modo. Candelas cereas albas, quibus parum terebinthinæ immixtum erat, paratas habebat Chirurgus longitudinis 12. digitorum tranſverſorum, craſſitudinis verò prout meatus urinarius ferre poſſe videbatur, eas Chirurgus ſequenti unguento oblinebat & bis in die impoſitum, unguentum illud erat ex lib. 1. pag. 20. *De ſecretis Alexii*

Alexii Pedemontani ad ulcus ſanandum carnoſum, etiamſi fuerit inveteratum, cujus hæc erat deſcriptio.

℞. Fœces ex melle deſtillato, vel his deficientibus ſumito mellis ad juſtam craſſitudinem cocti. Deinde ponito in ollam ad cremandum vel in figuli vel in vitrarii fornace, donec auri colorem aſſumat, hæc materia valet ad omnes plagas, nam carnem putridam atque mortuam conſumit, poſteà mundificat, & abſque ullo dolore perſanat.

℞. Hujus pulveris ℥j. ſtercoris canin. ℥ij. tartar. alb. ʒß. ſacch. albiſſ. aluminis uſti, tuthiæ an. ʒj. terantur omnia atque cribrentur. Deinde.

℞. Fol. olivæ rec. contund. in mortario lapideo optime, adjiciendo parum vini albi poſtea bene expreſſo ſucco addatur tantundem ſucci plantag. ponanturque ad ignem infundendo paulatim prædictos pulveres & continuo miſcendo, poſtremo parùm ceræ viridis adjungatur & parùm mellis roſac. f. unguentum molle atque in uſum ſervetur. Eſt autem valdè pretioſum ad carnem conſumendam conſiſtentem præſertim in locis valde ſenſibilibus, quæ fortia medicamenta reſpuunt propter dolorem. Modus verò utendi eſt hujuſmodi; ſyringa parva vino albo impleatur, in quo roſæ ſiccæ & fol. plantag. cocta, deinde parùm lactis muliebris vel caprini adjectum fuerit, ponatur in virgam, quæ vino optimè lavetur, deinde candelam parvam ceream ſumito, & in ejus mucrone prædicti unguenti parùm affigito, atque ſic in virgam immittito quouſque ulcus pertingat, & unguentum ibi relinquat, hoc bis in die faciendum manè ſcilicet & veſperi, & ſic admirabilem effectum videre licebit: nam paucis abſque ullo periculo æger ſanabitur. Hoc tamen non juvante uſi ſumus experimento *Amati Luſitani* deſcripto cent 4. curat. 19. quo feliciter curatus fuit æger noſter. *Petrus Foreſtus* Obſerv. 10. *lib.* 25. *De Veſicæ morbis.*

Pro Carunculis urinam ſupprimentibus.

Caruncula, quia pepaſmi expers eſt, ſi impedimentum fecerit, conſumi debet, abſtergi ulcus & claudi, ne moriatur æger, (inquit *Hollerius*) cogimur carunculam illam abſumere, & rumpere; remedio carunculis eſt oleum cucumeris aſinini remixtum cum unguento roſato, cui pauca grana ſublimati, vel præcipita i adduntur; candela cerea immittetur doctâ manu, vel hæc adduntur unguento de Tutia: quidam 30. ferè annis ita laboraverat, urinâ ſemper tenui filo fluente, his recreatus fuit. *Joan. Heurnius* ad aphor. *Hippoc.* 82. ſect. 4.

Pro caruncula in meatu urinario inter alia unum familiare habeo ſecretum, arſenicum nimirùm, quo utor hoc modo. Emollio optime ipſum ſuper lapide pictorio cum ſucco limonum, poſtea ſoli, donec ſiccatur, expono: deinde ipſum diluo aceto ſtillatitio, & iterùm ſub ſole ſicco, & hoc quater facio. Ultimâ vice abluo aq. roſac. deinde cum aliquo cerato miſceo, ut cum diapalma vel diachylone, vel cum ol. roſ. & cera, & facio emplaſtrum pro ratione duritiei carunculę, & minimam portiunculam hujus medicamenti pono in extremitate candelæ, & quotidie ſemel aut bis in meatum urinarium fœliciſſimè intromitto. *Gabriel Fallopius lib. de Tumoribus cap.* 38.

Carunculam meatûs urinarii certiſſimo experimento in pluribus ſuſtulit *Antonius Fuchſius* Medicus *Noribergenſis*, ſcil. oleum ſuccini cum vitello ovi mixtum applicabat candelâ cereâ; & meatui immittebat, ſecurum ſanè remedium, & reliquis omnibus præferendum, ſi reſpondeat eventus. *Hieronymus Kenſnerus. Obſ.* 91.

Candelæ quæ peni induntur ad Carunculæ, ſeu etiam Calli in meatu urinariô ablationem, illini poſſunt amalgamate mercurii cum unguentô diapompholygos, & aliis quæ candelæ cereæ in urethram inductæ, beneficio, caruncula ita applicantur ut alias partes non lædant.

Caruncula in Vrethra.

Clariſſ. Ioh. Conradi Brunneri, Ephemerid. Germanic. Centur. 1. *&* 2.

Inter ea quæ crucem figunt & ægrotantibus, & medentibus, haut poſtremum locum tenet *Caruncula*, quam vocant, ſeu excreſcentia, quam credunt, poſt diuturnam gonorrheam in Urethra pullulans & meatum urinæ obſtruens, tam difficilis curationis, ut Chirurgorum *opprobrium* audiat. Idem infortunium contigit Nobili cuidam, qui ex diuturna gonorrhæa hanc contraxit labem, ut nonniſi exile inter meiendum appatuerit urinæ filum, interdum planè clauſus fuerit urinæ tranſitus. Nemo neque Medicorum, neque Chirurgorum, quos conſuluit innumeros, dubitavit cum ægro aſſerere, *Carunculam*, nominatiſſimum obſidere urinæ canalem, eamque exitu prohibere; eoque magis, quia ſtatim poſt glandem, veſicam verſus primum obſtaculum tangenti occurrit, attactu durum & calloſum, & ab hinc plura verſus radicem penis. Contigit, ut omnimodâ quondam iſchuriâ detentus & me conſultum voluerit. Obſervavi diebus, quibus inviſerem ægrotantem pluribus & accuratè annotavi, urethram ſtylo plumbeo, ad hoc fabrefacto dilatari poſſe & diſtendi ita, ut urinæ filum ſat craſſum apparuerit; extracto autem ſtylo, poſt aliquot horas conſtringi canalem iterum & coarctari id quod ipſe æger attentiſſimus ad morbum perſuaſum quoque habuit. Ut in veritatem & rem præſentem venerim, mors fecit, quæ ex empyemate perperam tractato contigit. Inciſâ urethrâ, nulla excreſcentia, aut caruncula apparuit, neque fungus, meatum urinæ obſtruens, id quod oppidò mirabatur medicus adſtans, qui ſæpiùs viventi medebatur. Sed mera anguſtia & coarctatio urethræ hinc inde viſa fuit qualis in vaſis umbilicalibus poſt partum obtingere ſolet coaleſcentibus.

Inde conjeci, opinione fortè frequentiùs contingere, ut quæ creditur à Caruncula aut fungosâ excreſcentiâ in urethra procedere urinæ difficultas, ex ſtrictura & calloſa duritie ejus proveniat; id quod in caſu memorato inde quoque colligere licuit, quia obſtructam urinæ viam filo ferreo perfundere vidi ſæpius ægrotantem, id quod ſanâ urethrâ, callo non obſeſſâ perficere non potuiſſet; ob ſenſum ejus exquiſitiſſimum. Et hæc fortè ignoratio, quemadmodum in morbis fortè pluribus cauſa eſt inſanabilitatis. Hinc ut naturę myſtæ, datâ occaſione, quæ rara obſervent diligentius, rem obſcuram illuſtrent, & medendi methodum, fortè perverſam hactenus emendent, ſalutis publicæ intereſt, ne error longiùs propagetur.

Caruncula in Vrethrâ, rariùs quàm hactenus creditum fuit exiſtens.

Clariſſ. Joh. Conradi Brunneri, Ephemerid. Germanic. Cent. 1. *&* 2.

Errores, uti in aliis ſcientiis ſepius, ita in Medicina ſępiſſimè per traducem propagantur, adeò ut quod

quod perhibet veriſimiliter unus, facile huic ſubſcribant alii, inexperti. Veritatis autem tanta vis eſt, ut ſciendi cupidos non tantùm proprio motu alliciat, ſed & labores quos in eruenda adhibent jucundos & indagandi faſtidium ſuave reddat atque volupe. Superiori anno *Illuſtri Collegio* ſuppeditavi nonnulla, quibus errorem, quem fortè errarunt tam Medici, quàm Chyrurgi circa *carunculam in urethrâ* detexi. Monui & adhortatus fui debitò naturæ Myſtas, ut, quoties occaſio tulerit, in veritatem juxta mecum inquirere velint, cùm hic ſcopus ſit & intentio Societatum, quæ hinc inde laudabili naturæ ſtudio cluent, falſa arguere, obſcura illuſtrare, vera & occulta in lucem protrahere undique & ubique ſcientiam naturalem adaugere.

Contigit Generoſo cuidam, cujus nomini parco, ut poſt inveteratam gonorrhæam in hanc inciderit calamitatem, quæ urinam, aut planè non, aut nonniſi exiguum ejus filum ſeu radium, magno cum nixu & conatu emittere potuerit. Tam Medici, quàm Chirurgi, quotquot conſilium rogaverat, rogavit autem plurimos, uno ore profitebantur, *Carunculam* eſſe in urethra, quæ crucem figat & urinæ exitum impediat, cùm tamen poſt mortem nihil tale apparuerit, ut ex memorata hiſtoria colligere, ſi libet, licet. Cùm autem error publicus, pervulgatus, magno ægrotantum damno ſubeſſe mihi quidem videretur; ſcio enim Pariſinos Chirurgos inſtrumenta excogitaſſe, quibus Carunculam artificiosè reſcindere & dedolare, alii cathæretica ſummiſerunt quibus luxuriantem abſumere anniſi ſunt; hinc meatum partium eſſe duxi, errorem modeſtè indicare, aliosque ad indagandam veritatem invitare; eoque magis quia quæ fortè cauſa eſt, quòd veritas tamdiu latuit) rarò ex hoc affectu moriuntur ægri, mortui autem vix inveniunt, qui in mali cauſam ſollicitè inquirat anatomiæ peritum.

Contigit nuper, ut idem ſubierit fatum quidam Legioni militum Præfectus, poſtquam per annos eadem labe & urinæ difficultate laboraverat. Omnes, quotquot & iſte conſuluit Medicos & Chirurgos, nullum autem non; ubi ubi obvium conſuluit, *Carunculam* eſſe in meatu urinæ, quæ exitum ejus impediat, abſque hæſitatione pronunciarunt, variaque ad hanc auferendam adhibuerunt remedia, ut dubitem Caruncula-ne hæc vexatiſſima, an ſiniſtra medentum conſilia ægrotantem magis vexarint. Res tandem ad agyrtas, barbitonſeres & anus ipſas, uti fieri amat, devoluta fuit, cum evidenti ægrotantis damno: acceſſit enim ſtranguria acerba, urinæ odor acris & mordax feriebat nares: fundo matulæ adhæſit mucago, ad inſtar albuminis ovi aut therebinthinæ tanta tenacitate, ut vacuando matulam filum ſat longum verſus terram traxerit; id quod haut levem latentis in veſica calculi ſuſpicionem movit. Vocatus proin Chirurgus, qui exploraret malum cathetere, nec viam invenit, nec ad veſicam uſque illam adigere potuit, cauſſatus itidem *Carunculam*. Febris quæ ſupervenit, miſeriæ finem, ſimul in veritatem inquirendi nobis copiam fecit. Cultrum hinc anatomicum impetratâ veniâ adhibui. Initio urethræ nihil vitii aliquouſque apparuit: in medio autem ejus inſignis ſtrictura & coarctatio, ceu ex aduſtione occurrit: Circa proſtatas, mira cicatricum ex ulceribus antiquis, inveteratis, nunc perſanatis facies conſpicua fuit & ſumma meatûs anguſtia, quæ catheterem ulteriori progreſſu prohibuit: Collum veſicæ durum & ſcirrhoſum fuit: Veſica ipſa mephitim ſpiravit & odorem acerrimum: in orificio ejus hæſit, non calculus, ſed portio *cruſta calculoſæ*, ſimilis ei, quæ parietibus matularum, diu non purgatarum, accreſcere ſolet: fundum veſicæ plures incruſtarunt ſimiles cruſtæ lapideæ, non ſine ingenti, quod facile ſuſpicor, in vivò irritamine. Cæterum veſica undiquaque rubra, ceu inflammata, nonnullibi ſphacelata intolerabilem ſpiravit fœtorem acerrimum.

Cautiùs hinc mercari diſcant medentes, ſi in ejuſmodi caſus inciderint & ægrotantes, quos emollientibus, laxantibus, canalem urinatium dilatantibus & anodinis potiùs tractandos, quàm irritantibus, cathæreticis, non citra inflammationis periculum vexandos; ipſam autem *Carunculam*, decantatiſſimam in Chirurgia, figmentum Chirurgorum eſſe planè perſuaſum habeo. Hinc fortè factum, quod opprobrium Chirurgorum audierit: Ignoti enim nulla eſt curatio morbi.

CARCINUS Vid. *CANCER*.

CASTRATIO.

Extra abdomen, ſed in ejus vicinia, occurrit chirurgia, quæ *caſtratio* dicitur. Sæpe enim accidit teſticulorum alterum eſſe corruptum, & à cancroſo ſcirrho occupatum; ſæpè etiam tanta eſt proceſſus peritonei in alterutro latere dilatatio, & hinc prolapſus inteſtini in ſcrotum, ut eidem alia ratione occurri non poſſit, quam per ablationem didymi. Igitur ligato ſupra aſſerem ſeu ſcamnum ægro, ut movere ſe nequeat, chirurgus, apprehenſo elevatoque ſcroto, ſectionem in eo faciat non longe à flexura femoris; mox digitum indicem foramini immittat, & lentè ſeparet, (vitando vaſorum læſionem) ab elythroide membrana, quæ eſt proceſſus peritonei continuatio, donec ad ipſum pervenerit; tum eundem apprehendat digitis, aut etiam *caſtratore* dicto inſtrumento (quale depingit Joh. Andr. à Cruce, Scultet. verò *retinaculum* vocari *ait*, quia prohibet, ne inteſtina extra abdomen in peritonæi proceſſum, à ſcroto jam ſeparatum, acu perforandum, filo conſtringendum & forfice abſcindendum, prolabatur) Conſtrictum teneat; interim digitis exploret vaſa deferentia & præparantia, in quorum medio acum cum filo cannabino craſſiori traducat, ſæpiùſque circumducat, tandem arctè contrahat & nodum imponat duplicatum, ne decidat; tandem forfice teſticulum abſcindat. Non eſt autem temerè ad hanc operationem procedendum, quia poſt reductionem prolapſi inteſtini, adhibito *bracherio*, medicamentis tum internis tum externis adſtringentibus, atque bona obſervata diæta ægri à prolapſu inteſtini fiunt immunes; imò ſæpè præter expectationem, naturæ beneficio priſtinæ ſanitati fuerunt reſtituti. *Clariſſ. Joh. van Horne in Microtechne.*

Plura vide Capite de Herniis.

CASUS AB ALTO.

Curationes, Obſervationes & Anatomicæ Inſpectiones.

Curationes.

In caſu ab alto ſi febres acceſſerint, ſignum eſt ſanguinem extra vaſa in corpore putreſcere.

In quo caſu nihil melius aqua benedicta in vehiculo aquæ chærefolii propinata, febrem nimirum & inflammationes ſubito tollit, (vena quoque ſecari poteſt) ac totum corpus ab impuritatibus liberat. Poteſt eadem exhiberi, etſi nulla adhuc tum adſit febris & quidem ſtatim ab initio, facit nimirum ne febris facilè ſuccedat. Interim cætera fiant, quæ ſanguinem coagulatum diſſolvunt, qualia ſunt eſſentia ſanguinis hirci; Item ſanguis lupi, mumia, in primis verò Magiſterium oculorum cancrorum. Item carbones tiliæ

tiliæ (ʒ j. in aqua cherefolii, vel aceto) cherefolium detur in cibis, pulvis, in hoc caſu multum prodeſt.

℞. Carbones tiliæ, oculorum cancrorum, herbæ cherefolii ana f. ſ. a. pulvis, doſis ℈ij. in acet.

Sic Diaphoreticum in peracutis vel mixtum ſimplex, (vel aqua alia theriacalis) ſingularis eſt in hoc caſu, ſi intro ſumpta ſudores provocentur, qui admodum neceſſarii ſunt & interdum ab internis promovendi.

Sic lodices in vino rubro ſtiptico (diaphoreticis parum proficientibus) immerſæ, & poſtea expreſſæ, ac univerſum corpus amicientes, ſudores in hoc caſu mirificè promovent in lecto, præſertim ubi conquaſſtiones interiorum viſcerum metuuntur. Felix Wurzius in ſua Chirurgia laudat mercur. ſublim. quem vide: ſunt alii deſcripti pulveres ad caſum utiles, de quibus vide practicos.

Sanguinem coagulatum in venis, & extra venas reſolvunt omnia illa, de quibus jam diximus, interdum etiam vena hic ſecari poteſt, in primis verò ſudores prolecti poſt ſumpta reſolventia citò id expediunt.

Extractum vel arcanum ſeu eſſentia bellidis minoris ſumpta, innata quadam proprietate omnem ſanguinem coagulatum ſolvunt, & per inſenſibilem quandam tranſpirationem educunt, ſic aqua theriacalis & ſpiritus tartari idem præſtant. *Ioannes Hartmannus in Praxi Chimiatr.*

Pueri & homines, curſu inceſſuque temerario & aſcenſu præcipiti ſæpiſſimè corruunt. Caſus, autem differentiæ ſunt multiplices, tum ex loco ex quo & in quem fit; ut humili, ſublimi, duro, molli, medio: tum ex offenſæ partis ſubſtantia, vel molli, ut ventris, vel dura ut capitis, crurum, brachiorum, thoracis, ſpinæ; tum denique ex ſequentibus affectibus & ſymptomatis, ut fractura, luxatione, paralyſi, contuſione, obmuteſcentia, deliratione, hæmorrhagia, interna externaque. Ab iis omnibus caſus differentiis, indicationes curativæ variantur.

Qui enim, humilior leviorque eſt in partem locumque mollem, & ſine alterius affectus implexu, ſola ſanguinis, timore pueri cadentis agitati, compreſſione indiget, ut per potionem aquæ frigidæ, vel ſinceræ, vel mixtæ cum pauciſſimo aceto, vel cum ſyrupo de granatis acidis, vel mirtillor. ℥j. vel ij.

Sin ſublimior graviorque caſus, in quamcumque partem vel mollem vel duram, locumque fuerit, victu primum eget prætenui frigidoque & ſicco. Deinde repentina revulſione ſanguinis, per ſuſpectam anaſtomoſim, vel potius rexim venarum, in viſcera, aut ventrem effluxuri, unde gravis & peſtifera interim eorum phlegmone oritur. Revulſio fiet per frictiones & deligationes adverſarum partium, ut brachiorum, crurum; per balanos & enemata acriora, cucurbitulas femoribus, natibus, ſcapulis admovendas. Phlebotomiæ autem eximia quidem promptaque ad revellendum vis eſt, ſed pueritia ejus ferè incapax eſt: cujus vicem ſubeat ſcarificatio poſt cucurbitulas.

Poſtremò confirmanda ſunt protinus intùs viſcera vaſaque ne quid ſanguinis effluat, adſtringentibus potionibus ut ex ℈j. mumiæ, boli arm. & terræ ſigill. cum ℥iij. aquæ plant. vel burſæ paſtoris, & ſyrupi de granat. acidis, vel de roſis ſiccis, vel myrtillorum.

Vel ℞. Rab. toſti, ſemin. naſturtii, toſti, terræ ſigil at. boli arm. an. ℈j. fiat pulvis, detur ℈j. cum prędictis aquis & ſirup. bis quotidie toto principio, id eſt per quatuor vel quinque dies primos, quod ſi totus habitus graviter contuſus ſit, tunc quidem poſt revulſionem & corroborationem internarum partium ungendus eſt oleo roſato, vel myrtino, vel omphacino totum corpus moxque aſpergendum pulvere mirtillorum, ſantalorum omnium, maſtiches, balauſtior. roſarum, vel obvelabitur pelle arietina recenti, adhucque calente, eodem pulvere imbuta, tantiſper dum ſudor emanarit. Sic enim qui in habitum effluxit digeri, qui fluxurus eſt ſupprimi, conſtrictis venulis poterit.

Atque quidem hæc remedia toto principio id eſt quinque aut ſex dierum ſpatio ex uſu ſunt: quibus exactis jam grumi ſuſcepti ſanguinis tenuantibus & detergentibus diſſolvendi ſunt, ut hoc pulvere.

℞. Rab. torrefacti, rad. coſti, ariſtoloch. rotundæ, rubiæ majoris & centaur. major. an. ℥ß, fiat pulvis, capiat ʒj. cum ſyrup. acetoſi ſimpl. ℥j. aqu. ſymphiti majoris ℥iij. fiatque potio, detur ſex vel octo diebus continuis manè.

Vel ℞. Vini ℔j. mellis opt. quart. j. radic. ariſtol. filicis maſculæ, & caudæ equin. an. ℥ß. coquantur omnia ſimul, diligenter deſpumando, colandoque, dentur quotidie in introitu lecti ℥iij. vel iv. Poſtremo contuſus habitus, omni laſſitudine & reliquiis ſanguinis ſub cutem expreſſi concoctique per ſtuphas ac balnea per triduum iteranda liberabitur, in quibus cum paucis adſtringentibus ad venularum robur, ut ſimphito majori, plantagine, equiſeto, plura digerentia incoxerint, ut abſynthium, meliſſa, origanum, calamentum, arthemiſia, cymæ lauri, hederæ, lavendulæ, flores chamæm. melil, anethi, Ejuſdem generis remedium eſt, ſi corpus ægri intra fimum equinum calidum condatur ſudoribus abundanter movendis.

Quod ſi pars durior privatim læſa ſit, ſitque contuſio modica, hæc eiſdem ſine revulſione ulla prævia curabitur; primum adſtrictione, deinde reſolutione. Illa enim clauſis venis ſanguinis effluvium cohibet, per duos vel tres dies; hæc effluxum diſſihibet; adſtrictionis materia ſit unguentum album rhapſis camphoratum, & ſæpiùs aceto albo ablutum. Digeſtionis materia erit, cera nova aniſo, vel cumino mixta, aut fruſtulum carnium arietinarum toſtarum. Si grandior contuſio fuerit, tumorque inde eminentior, præmiſſis revulſionibus prædictis adſtrictio validior tentanda initio eſt.

Ut ℞. Ol. roſat. & myrtin. vel omphacini. an. ℥iß. pulv. myrtillor. ſumach. gallæ & boli arm. an. ʒij. ceræ albæ parum, fiat unguentum.

Vel ℞. Orizæ & phaſeolor. an. ℥j. boli armen. folior. ſumach. ſiccor. an. ℥ß. aloës, alumin. gypſi, calcis vivæ extinctæ an. ℥j. fiat omnium pulvis, concorporetur cum albumine ovi, & applicetur parti. Poſt quartum diem, id eſt principium, fovebitur pars, hoc autem vel ſimili decocto digerente & parum adſtringente.

℞. Folior. ſymphyt. utriuſque, abſynthii meliſſæ, ſalviæ, ſummit. lavendulæ, & lauri an. man. j. boli arm. ſemin. fœnugr. & cumin. an. quart ß. flor. ſtœcad. utriuſque & ſalis communis an. p. j. coquantur in vin. & melle. & foveatur pars.

℞. Reſidentiam contuſam, cribratamque, eique adde butyri recentis & unguenti reſumpt. an. ℥iv. farin. fœnugr. orizæ & fabar. an. ℥ij. ſucc. abſynth. ℥iij. fiat cataplaſma. Digeſto & diſſipato ſanguine pars ipſa deinceps apponendo emplaſtrum ceroneum magis magiſque exonerabitur. Sin ad ſuppurationem contuſio reſoluta urgeat; hęc ipſis remediis pepticis antea expoſitis accelerabitur.

Quod

Quod ſi pars ipſa contuſa livore contracto ſenſuque ſtupido gangrænam minari videatur, tum vero appoſitione cucurbitularum cum levi ſcarificatione, prohibebit, cui ſubinde admovebitur fotus ex aceto,& decoctione folior. origan. calamenth. abſynt. hyſſop. thymi, ſatureiæ, lavendulæ, hederæ, vel ex vino, & decoctione radic. ariſtol. ſerpent. gentian. & ſimilium.

Cum graviore ſublimiori loco caſus delirationem vel obmuteſcentiam aſcivit, tunc explorata prius ægri vita (neque enim mortuo remedia proſunt) ut tractato pulſu, vulſis temporum & pudendorum pilis, nomine proprio conclamato, cotone aut lana naribus admota, & cyatho aqua pleno ad ſtomachum inducto; tunc inquam à cerebro, cujus hæc ſunt propria ſymptomata ex commotis vehementer ſpiritibus animalibus & affuſo ſanguine, humores omnes deducendi ſunt, ut frictione extremorum duriori, hæmorrhagiæ provocatione per ſectas paleas vel juncos penitus naribus inſertos: tandemque ubi clariora vitæ indicia cliſteribus acrioribus & Phlebotomia in cubito ex cephalica, vel in fronte & lingua, ſiquidem ætas vireſque omnino non abhorreant. Poſtremò capiti ipſi roborando conſulendum erit, vel pulviſculis aromaticis & diſcutientibus atque roborantibus, qui vel inſpergentur & capiti raſo tonſove per plures dies, vel cucupha diutius circumferenda ex cotone & ſerico rubro excipientur, non neglectis etiam lotionibus ſimilibus ſub æſtatem. Si forte ex caſu graviori fractura oſſis alicujus inciderit; tunc præter revulſionum prædictas Species præmittendas, junctæ protinus oſſis fracti oræ, emplaſtro oxycroceo muniantur vel cataplaſmate ex farina fabarum cum oxymelite coctis & probè ſubactis.

Luxationis quoque propria curatio eſt per repoſitionem ſubitam ante revulſiones ipſas.

Denique diſtentionis articulorum, per quam ligamenta ſine oſſium fractura aut luxatione in pedibus, genibus manibuſque tantum elongantur,curatio eſt per blandam repoſitionem partis, doloriſque & caloris ſedationem repentinam ex linteo in frigidam immerſo, vel ex cataplaſm. adſtringente ex boli arm. ſang. drac. gallar. myrtillor. pulvere, ex albuminibus ovorum ij. vel iij. excepto, cum oleo roſato & aceto roſato. Poſt principium autem id eſt poſt quartum vel quintum diem, novum cataplaſma priori omiſſo adſtringens lenienſque & digerens articulo læſo inducendum eſt, quale eſt hoc.

℞. Fol. abſynt. verben. tapſi barbat. plantag. an. m. j. Roſar. rubr. flor. cham. aneth. centaur. minor. an. p. ij. alumin. & balauſt. an. quart. ß. coquantur in aqua ſimplici, addendo poſt finitam coctionem vini rubri auſterique partem tertiam. Hoc decocto foveatur pars dolens bis in die, tepidè cum ſpongiis novis & per horam ſingulis vicibus.

℞. Reſidentiam contuſam & cribratam, eique adde farin. fabar. & hord. an. ℥ij. radic. ireos flor. ℥j. olei myrtin. & roſat. an. q. ſ. fiat cataplaſma, admovendum tepidè parti affectæ poſt fotum. Simile eſt emplaſtrum oxycroceum & contra contuſiones deſcriptum in noſtra chirurgia magna Gallica de vulneribus, capite de vulnere contuſo. *Joannes Vigierius Chirurgiæ lib.* 2.

Pro caſu & contuſione commune remedium eſt, ſi ovi vitellum crudum cum aceto concuſſum ebibendum detur: prohibet enim concretionem ſanguinis.

Ruſtici buphtalmi herbam cum floribus luteis inſtar calendulæ in cerevisia incoquunt, & tepidum hauſtum ejus decocti exhibent, qui omnes obſtructiones & ſanguinis concretionem ex lapſu diſſolvit, vaſorumque ruptiones perſanat. Idem præſtat Piloſella herba cum rad. in cereviſia cocta & bibita. Nautæ in præcipiti caſu tanquam præſentiſſimo remedio utuntur ʒj. olei ſalis marini & calida cereviſia cocta & bibitá, quomodo autem hoc oleum ex ſale conficiatur, nondum explorare potui. Milites in caſtris ad violentas plagas, caſuſve præcipites exhibent ʒj. aut ʒß. pulveris nitrati bombardici cum hauſtulo vini, aceti, aut cereviſiæ; qui tum ratione nitri; tum carbonis ſalicis, diſcutit omnem concretum cruorem & colluviem. Nam & Carbo Tiliæ in pulverem redactus, & per ſe exhibitus in caſu præcipiti mirum in modum confert: uſitatum etiam remedium eſt quod ſequitur.

℞. Unguenti Rubei potabilis ℥j. aut ℥ß. aceto calido diſſolvatur, & ebibendum propinetur. *Franciſcus Joël Practica libro decimo ſect.* 5.

Quod ſæpius uſu venire videmus, ut dum in plantarum nomenclaturas curiosè nimis inquirimus, plantam fere ipſam cum ejuſdem virtutibus tantopere dilaudatis, aut amittamus, aut ſeplaſiariis & ſeraptis quandoque aniculis excutiendas propinemus, id quod præſtantiſſimæ huic & plantæ *Arnicæ* præter meritum quoque accidiſſe paſſim conſtat, quam enim ut proprio nomine ignotam ita & uſû rariſſimam putabat *Dodonæus* & ex illo *Joh. Bauh. Hiſt. Plant. univerſ.* eam jam vulgo, præſertim nautico quoque notiorem eſſe & frequentiori uſû commendatam, quam quibusdam Medicis & Botanicis, in confeſſo eſt, ac dolendum magnos interdum ſumptus fieri, & plurimum temporis laborumque tribui intimius perverſtigando, nec ſine vitæ periculo ex intimis terræ viſceribus eruto alicui medicamento ritè præparando, & per ignis violentiam à quiſquiliis depurando ſimplici, aut granulatim & ſcrupulatim ad oſtentationem tantum conſuto & confarcinato informi cuidam compoſito, domeſticis interim & paſſim obviis εὐποριστοις neglectis: Præſtaret igitur ad imitationem primorum medicinæ inventorum & modernorum in *China & Japonia* aliiſque *Indiarum* provinciis feliciter medicantium, aut noſtræ etiam plebis, quam penes optima quandoque & ſpecifica reperiuntur medicamenta, uno eoque certo & experto ſimplici remedio uni obviam ire morbo, quam receptis trium ulnarum longitudinem exſuperantibus. Quod & quanta Vulnera perſanavit ſolo ſuo chironio *Chiron* Medicus ille πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Quot ulcera Telephus Myſię Rex ſuo telephio? Quos uteri dolores & hyſtericas paſſiones *Artemiſia* Cariæ Regina ſolâ ſuâ artemiſia mitigavit, ſopivit, radicitus ſuſtulit? Celeberrimum illud apud Sinenſes & Japonenſes pro curanda arthritide remedium moxa dictum ex ſimplici quadam herba exſiccata paratur, lanugine obvolvitur & in forma cylindri vel pyramidis Europæ jam paſſim divenditur ac pluribus experimentis nobilitatur, quod magnificus Dominus Aſſeſſor Spirenſis Mauritius, Vir in chymia quoque verſatiſſimus nuper confirmavit in Epiſtola ad Nobil. D. D. *Sebaſt. Schefferum.* Phyſ. Francofurtenſem die 14. Julii Anno 1677. exarata: Dominus Mareſchallus de Stubenvoll, inquit, podagricus hic (Spiræ) decumbebat, ita ut ob intentiſſimum dolorem ne pedem quidem loco movere poſſet; moxam petit & facilè à me impetrat, pollicique pedis affecti ter imponit levis breviſque ab impoſito cauterio dolor, exſudante quoque pauco ichore, ſed podagricus dolor ſtatim remiſſior, nox quieta, alteroque die tanta pedum alacritas, ut

ut iiſdem terram fortiter pulſaret & pleraque Dominorum Aſſeſſorum palatia frequentaret. Similem quoque curam cum prædicta moxa feliciſſime peractam eſſe in quodam Aromatario Francofurtenſi diebus hiſce ſancte mihi affirmavit Vir quidam ἀξιόπιστος. Sed moxa religioſe tegitur ab Indis, regerunt nonnulli, ergo nec optima illa in vulgus ſtatim ſunt propalanda remedia, ne Medicorum vileſcat authoritas, & peſſimis quandoque nebulonibus ad experimenta per mortes agenda ampliſſima aperiatur janua, aut inſano gladius porrigatur ad nocendum. Verum, ô bone, plurima tuta times; præterquam enim quod iſta medicamentorum occultatio avaritiam ſapiat, aut invidiam ambitioniſque & inanis gloriolæ captationem, diverſiſſime contradicit religione Chriſtiana haut imbutus *Scribonius Largus præfatione ad Calliſtum.*

Qui experti ſunt remediorum utilitatem, denegant autem uſum, valde culpandi ſunt, utpote qui crimine invidentiæ flagrant, quod malum cum animantibus inviſum eſſe debet, tum præcipuè medicis, in quibus niſi plenus miſericordiæ & humanitatis animus ſit ſecundum ipſius profeſſionis voluntatem, omnibus diis & hominibus inviſi eſſe debent. Et ὁ πάνυ *Sennertus* in ſuis Exotericis: væ homini, qui talentum ſibi à Deo concreditum ſub terra defoſſum abſcondit, Hominum quidem conſilia ſunt occultanda, Dei autem ter O. M. beneficia univerſo Orbi revelanda ad majorem ejuſdem gloriam proximique utilitatem, quod prima & primaria fuit naturæ curioſorum ſemper cura & cynoſura. Non ignorant Medici χαλέοντες Medicamenta eſſe χεῖρες θεῶν, ſed legitimè adminiſtrata & methodicè uſurpata, quod nonniſi longo uſu addiſcimus in ſcholâ Hermetico Dogmatica probe inſtructi, & educti à puero, quibus omnibus deſtituti adminiculis empirici in ſuam non raro perniciem ruunt & ſummam ignominiam, tranquillitatis animi & lætitiæ omnino expertes, ut *Cous* noſter loquitur, & fuſius hoc argumentum ac graviſſime perſequitur *Langius in ſuis Epiſtolis* pluresque alii, ſed ad rhombum.

Vox *Arnicæ* ex ptarmica mihi corrupta eſſe videtur ab imperito quodam rhizotomo, quod inſignis ipſi inſit vis ſternutatoria, hinc *Ptarmicæ montanæ* nomen invenit apud *Lugdunenſes: Geſnero*, & ex eo *Tabernæ montano Caltha & Calendula alpina*, *Aſter luteus & Chryſanthenum latifolium* aliis, ob florum quandam ſimilitudinem dicitur. *Matthiolo* & quibuſdam aliis & *Damaſonium Dioſcor.* inſcribitur, quibus quidem repugnare videtur *Renealmus in plantarum ſpecimine Pariſiis* Anno undecimo hujus ſeculi in 4. edito quod ἄνθη λευκὰ καὶ ὕπωχρα, flores albos & ſubpallidos ſuo tribuat Damaſonio *Dioſcorides*, ſed noſtrum aureis paſſim ſuperbiat, quod deinde non in aquoſis, ut vult *Dioſcor.* Sed montoſis locis plerumque naſcatur, ſed, quod pace tanti vidi dictum eſto, & floribus albis à Matthiolo, & ex pallido albicantibus à Caſt. Durante, (quin & cæruleis à *Bauhino*) reperta eſt hæc noſtra arnica, & locis plerumque humectis, tum montium jugis, pratis riguis, ſylvis cæduis ac uliginoſis frequentior. *Nardus* quoque *celtica* nonnullis vocatur ob ſaporem aromaticum, & *Doronicum Germanicum*: Rectiſſime autem ab abſolutiſſimo *Cluſio* ad Doronica refertur, & à Caſp. Bauhino differentiæ ergo *Doronicum V. plantaginis folio alterum* cognominatur, Doronicum puta ſalutiferum & non venenatum quam infamiæ notam ab eo graviſſimis rationibus abſtergit. *Nobiliſſ. noſter Neſtor.* Diſſ. 2. de Ægagrop.

Profert autem folia plantagini Villoſæ æmula, leniter hirſuta & molliora, ſummæ potiſſimum telluri incumbentia, quaterna ut plurimum, rariora, in tereti & lanuginoſo caule, ſemper tamen bina ex adverſo, è quorum ſinu plerumque unus, interdum terni exſurgunt ſurculi, ſuis menſe Junio ſinguli floribus in faſtigio conſpicui aureo fulgore. Doronicum Æmulantibus, eodemque modo cum ſemine ſuo tenui, oblongo & nigro in pappum poſtea fatiſcentibus; Radix ſubeſt oblonga ſummæ telluri pluribus fibris annexa cum foliis & floribus aromatica tota.

Nobis rara eſt & uno ſaltem loco, quod ſciam, eoque ſylveſtri, naſcitur, in pratis alibi & locis humidioribus frequentiſſima, in hortos translata culturam non admittit, quod & *Camerarius* notavit in ſuo horto.

Vires ejus ex acrimonia & virtute aromatica æſtimandæ veniunt, in caliditate & ſiccitate excedentes cum magna partium ſubtilitate minimas etiam venarum fibras intimius permeat, eaſque ab obſtructione liberat, in aſthmate, in catharro utilis, ſternutamenta ciet, menſes & urinas potenter movet, quod & mihi compertum (inquit *Renealmus*, unde & plantæ huic *Diuretica* nomen tribuit, & à doctiſſimo quoque *Pena* annotatum) colicos & hyſtericos dolores mitigat. Vaſa rupta perſanat, in exturbandis arenulis & calculo præſtans, ſudorem facilè ciet, & nonnunquam vomitum, ideoque in morbis chronicis & in febribus diuturnis proficua, ſed in contuſionibus & caſu ab alto pro diſſolvendo ſanguine grumoſo etiam diutiſſime in corpore deliteſcente, & motum ac reſpirationem impediente, tantæ virtutis & efficaciæ vix ullum ipſi facilè par reperiatur, ſimplex ex triplici omniparentis Naturæ regno. Lapſorum igitur quædam quaſi Panacea jure meritoque deprædicanda: ſtatim enim atque aſſumpta eſt, tanto impetu ad locum fertur affectum, ſanguiniſque grumoſi perrumpit latebras, ut magnos ibidem cruciatus, & ſummam quandoque reſpirandi difficultatem ſuſcitaſſe obſervatum ſit, præſertim à nimia ejuſdem doſi, & ubi malum hoc inveteratum ac contumax; quæ tamen omnia brevi vel ſpontaneo vomitu, vel ſectione venæ &c. iterum ſopiuntur, cum exoptata corporis incolumitate & virium reſtitutione in integrum; ubi autem nulla manifeſta læſio, ibi quoque nullus ab hac aſſumpta planta dolor, ubi nulla gloria aut victoria, quod ipſi cum bezoardicis proprie dictis familiare.

Uſus eſt in radice, foliis & floribus, quorum doſis à pug. j. ad ij. in robuſtis, in decocto ex ceveviſia calide propinato quod vulgatiſſimum in infuſione ex Aqua major. Vino quoque infundi poteſt medicato cum cæteris ad plures affectus in abdomine, in utero, liene & veſica: pulvis quoque ptarmicus ex foliis & radice paratur præſtantiſſimus. Ejus autem potiſſima vis, ut jam dictum, in diſſolvendo ſanguine conſiſtit, quod ex ſequentibus aliquot hiſtoriis evidenter eluceſcit.

Vetula quædam Pharmacopoli noſtri Senatorii famula, de dolore lateris cum dyſpnæa à nimio conatu oborto, diu multumque conquerebatur, fruſtraque tentatis aliis pluribus medicamentis à ſolo *Arnicæ* ex cereviſia decocto calidè aſſumpto integrè convaluit, provocata plurima per urinam & ſudorem ſeroſitate Anno 58. Secretarius quidam, robuſtus cæteroquin, & conſiſtentis ætatis vir, ob cereviſiam frigidiſſimam in æſtu copioſe hauſtam in cervicis ſtarim, ſpinæ dorſi & lateris dolores delabitur, aliquot dies noctesque lecto quaſi affixus, ut aiebat, & immobilis decubuit, cum tuſſi pertinaci, rauced-

raucedine & ſpirandi difficultate: uſurpata alterantia, expectorantia varia, ab aſſumpto Arnicæ decocto ex cereviſia dolor quidem & anguſtia circa pectus intendit; ſed obrepente ſuavi per bihorium ſomno omnia mox ſymptomata evaneſcere viſa, profuſa inſigni urinæ copia. Ann. 60.

Albertus Stumpf. Villicus ſexagenario major, catharro craſſo cum tuſſi diu afflictus eodem modo curatus eſt; idque remedii genus ſæpius repetiit cum ſucceſſu, quod cum malo hoc quotannis præſertim vere vel autumno conflictaretur.

Annorum 26. Juvenis I. D. S. ex equo præcipitatus, de continuis totius corporis doloribus conqueritur, idque menſtruo fere ſpatio, qui tandem Arnicæ noſtræ decocto, prolicito largo ſudore iterum evanuere. Ann. 67.

Plebeja quædam, à conſternatis equis cum temone ad murum violenter detruſa, & graviſſimè in pectore ac dorſo læſa, aliis huic malo deſtinatis, pulvere, ſc. contra caſum, unguento rubro potabili, ſpermate ceti &c. fruſtra adminiſtratis, decocto hoc feliciter reſtituta eſt. Ann. 63.

Nicolaus Ort Agricola dormituriens curru excuſſus à rota medium thoracem tranſeunte in reſpirandi difficultatem cum abdominis intumeſcentia incidit, pluribusque medicamentis tam internis quàm externis nihil levatus, tandem Arnicæ decocto convaleſcit. Anno 70.

Caſpar Kempf. Carbonarius ab arboris ſuccisæ ſubito lapſu ex imprudentia in dorſo & femore ita læſus, ut diu tanquam claudus ſutor domi ſederet, nec ſe loco movere poſſet, licet pluribus inunctionibus continuè uteretur, eodem tamen modo ſanitatem priſtinam recuperavit, una cum ejuſdem uxore quæ diro coxendicum dolore à nimio conatu exorto diu laboraverat. Ann. 70.

Carpentarius quidam A. R. fracto aſſere uno inter duos aſſeres in profundam cellam pendet medius litera longa ſurſumque ſumma vi vix tandem enititur, ſed lateris inde dolor, qui ab impoſitione emplaſtri de ulmaria à tonſore facta exaſperatur, tertio à caſu die inter conſuetos labores concidit miſer quaſi attonitus, nec à terra ſe erigere nec movere poteſt de ſummo lateris dorſique dolore conquerens. Alvo l. a. aperta & vena ſecta pulvis contra caſum in decocto *Arnicæ* exhibitus, & *Arnica* cereviſiæ pro potû ordinario immerſa convaluit, inuncto quoque latere dolente cum unguento rubro potabili. *Eodem Anno.*

Peter Shirmer Oberndorffenſis ab equo calcitrante ad pectus percuſſus, ex ſanguine hirci nequaquam, ex *Arnicæ* autem decocto itidem reſtitutus eſt. Petulans quidam puer ex caſu caput fortiter lapidi allidit, unde tumor & vomitus in tertio die febricula cum nonnullo delirio, impoſitum capiti emplaſtrum de beton. decoctum *Arnicæ bis* terque exhibitum, ſubſequente diarrhæa ſpontanea & urina quaſi ſanguinea evaſit. An. 62.

Iracundus noſter molitor H. L. Uxorem propriam, fuſtibus præter modum excipit, unde reſpiratio difficilis, ſputum cruentum, capitis tumor, Arnicæ decocto exhibito, urina ſanguinea prodiit cum præſentaneo levamine. Anno 61.

Obſtetrix noſtra de ſcalis lapſa, ſumpto hoc decocto probè ſudavit, & convaluit, nullo ſubſequente ſymptomate. Ann. 73.

Leonhard graviſſimis oneribus ferendis & attollendis aſſuetus, ex nimio tandem conatu, deficientibus ſenſim ex ætate viribus, dorſum & lumbos ad perinæum uſque vehementer dolet, à nimia Arnicæ doſi dolor ubique major cum metû ſuffocationis, ſed ſumpto juſculo ex croco & maci liberius ſtatim reſpirat, dolor remiſit & ſecta in brachio vena evaneſcit omnis. Ann. 75.

Andreas Venn. ſutor Cachecticus, cui & caput & pedes reciprocè dolebant ac intumeſcebant, cùm nullo modo ad ſudandum diſponi poſſet, decocto *Arnicæ* ex cereviſia ſumpto, egregiè ſudavit 13. Oct. Ann. 60.

Matronæ cuipiam primariæ hac hieme aſperiori in glacie lubrica lapſæ, & ſpatium ſat longum lumbos dolenti, idem decoctum cum ſucceſſu exhibui. Item.

Cuidam Juveni diu febricitanti cum inflatione lienis, & ex errore diætæ ſæpius recidivanti, qui rejecta ex ejuſdem usû per vomitum & ſeceſſum pravorum humorum ſaburra convaluit ex voto; aliique innumeri, quos ſtudio prætereo, cum ex præmiſſis nobiliſſimæ noſtræ *Arnicæ* virtus luculenter eniteſcat. Et nullus omnino dubito, quin in aliis quoque morbis, præſertim pectoris & abdominis, ubi magna in vaſis corrupti ſeri reſtagnat copia, ut in hydrope, dyſuria, præmiſſis tamen præmittendis, cum ſucceſſu illa in uſum vocari poſſit. *Io. Michael. Febrii.*

Obſervationes

Pro caſu ad puerum quendam.

Vini rubri ℔ ix. cui ſuperadde roſ. rubr. ſicc. roſmar. ſummitat. Myrti, an. m. ij. in cacabo ad ignem fiat decoctio: in hoc vinum ſtypticum ſyndon immergatur, & parum manibus exprimatur, & eo calido optimè æger involvatur, & in lecto optimè cooperiatur: quo facto remedio copioſiſſime ſudavit, & ſanus factus fuit: Eſt autem hujus generis remedium apud *Hiſpanos* in omni lapſu admodum frequens & uſitatum, à ſcribentibus de caſu & offenſione prætermiſſum, quum tamen potiſſimum ſit. *Amatus Luſitanus cent. 3. curat. 9.*

Juvenis quidam 20. annorum cum per vimineum ſeptum inſtar cancellorum tortum ſaltaret, cecidit ſupra palum circa dorſum, ſine cutis tamen læſione; unde ſequutus eſt dolor ingens circa renes & ſpinam inferiorem, ut incedere non poſſet. Ideo locum dolentem inunximus oleo roſat. inſperſo pulvere myrtillorum, & ſanguinem ex Baſilica, quia Juvenis erat, ne febris aut inflammatio ſupervenirent, detrahere mandavimus. Deinde ſtatim mummiæ, ſpermatis ceti an. ʒß. cum cereviſia butyrata calida propinavimus, mox ut ſequentem potionem ſumeret juſſimus.

℞. Fœnic. cum toto, ſcabioſ. rubiæ tinct. caulium rubr. pariet. malv. cum rad. chærefol. ſanicul. valerian. agrimon. bugul. & borrag. an. m. j. ſem. nigell. (unicè confert ad caſum ut experti ſumus.) ſemin. aniſ. an. ℥j. conciſa & conquaſſata coque in cereviſia communi pro ℔. ij. colatura ſaccharo dulcoretur in qua puppa ſequens pendeat.

℞. Mummiæ, ſpermatis ceti, an ℈j. nuc. moſch. troch. alkekeng. ſine opio an. ℈ß. f. puppa exprimenda dum potio ſumitur; decoctum aromatizetur, cum ʒiij. cinnamom. bibat de eo bis in die hora ſexta matutina, & hora quarta à meridie, quarto die ita eundem purgavimus.

℞. Fol. ſen. ʒiij. infund. in decoct. pectoral. ℥v. adde elect. è ſucco roſarum, poſt fortem expreſſionem, ℥iß. oxymel. ℥v. mumm. nuc. moſch. an. f. potio. Deinde ad majorem reſolutionem inunximus hoc unguento,

℞. Unguenti de althæa ℥ ß. ol. chamæm. aneth. an. ʒij. m. quibus dolor ſedatus eſt, & perfectè curatus fuit. *Petrus Foreſtus Obſerv. 29. lib. 6. Obſerv. Chirurg.*

Pro caſu ab alto in quodam.

Hæc quæ ſequuntur ex præſcriptione Forentiolæ egregiè contulerunt.

℞. Rhab. ʒij. rub. tinctor. gr. xv. cum vino ſtiptico, f. pilulæ, quibus utebatur in principio; poſteà in proceſſu exhibeatur illi medicamentum ſequens.

℞. Caſſiæ rec. extract. ℥vj. mumiæ ℈ j. rub. tinctor. ʒiß. rhab. el. ℥j. pulveriſanda pulveriſentur & diſſolvantur cum caſſia in decocto cicerum rub. & fiat potus. Hic pulvis contra caſum in uſu eſt apud Colonienſes cujus author fuit Zittardus, Medicus inſignis.

℞. Mumiæ, ſcabioſ. piloſell. hyperic. an. ʒß. coſti dulcis & amari. nuc. moſch. an. ʒiß. terræ ſigillat. bol. arm. an. ℈iv. rub. tinct. rhapont. ſemin. nigell. an. ℥vj. ſpermat. ceti, rhab. an. ʒij. agar. troch. cumini præpar. an. ʒj. m. f. pulvis doſis eſt ʒj.

Elidæus præceptor meus pro ſanguine coagulato è corpore hominis expellendo, tum à percuſſione, & concuſſione; ſequent. remedio utebatur.

℞. Mumiæ, rhab. el. an. ʒj. rubiæ tinct. ℈ij. m. cum decocti pulli nigri ℥iij. vel capiat cum aliqua aqua convenienti; at pulla nigra coqui debet cum pennis & viſceribus, eadem prius ſtrangulata, nec aliter occidi debet: nam ita decocta plurimum præſtat in hoc affectu proprietate quadam occulta. *Petrus Foreſtus Obſerv. 31. & ſchol. lib. 6. Obſerv. Chirurg.*

Pro caſu ex feneſtra ad ſomnambulonem quendam.

Præmiſſa venæ-ſectione & injecto clyſtere, ad ſanguinem collectum diſſolvendum & expectorandum, exterius adhibui decoctum lactis cum meliloto, fl. chamæm. an. m. iij. marrhub. anthos an. m. ij. quod comprehenſum aliquot veſiculis bubulis, per vices calidum epithematis loco partib. dolentibus applicare juſſi. Interius diebus aliquot matutino tempore pinguedinem humanam (quam tum temporis à recenti corporis humani ſectione copioſam in promptu habui) in juſculo cereviſiæ ad ℥ß. exhibendam dedi quo remedio dolores & punctiones internæ leniebantur & ſanguis concretus ad exitum præparabatur, ita ut conſequenter per tuſſim & ſcreatum concreti ſanguinis fruſta copioſè ſatis, & cum facilitate rejicerentur. Poſt octiduum cum ſuſpicio aderat de ſanguine concreto, aliquoties pulverem ex iis quæ ſanguinis grumos diſſolvunt, ut ſunt oculi cancri præp. rad. rub. tinct. ſperma ceti & ſimilia, exhibui, & ſudorem provocavi, & ſic præter ſpem multorum; intra 14. dies juvenis hic perfectè convaluit.

In hoc juvene obſervatione dignum, quod licet ex contignatione domus tertia ad altitudinem 14. ulnarum deciderit, inventus tamen fuerit, quod ad membra externa omni ex parte illæſus, capite excepto, cui vulnus inflictum erat ad os uſque bregmatis ſine oſſis & perioſtii læſione. *Guil. Fabritius Hildanus, obſ. 84. cent. 2. ex Epiſtola. Gregor. Horſtii ad Hildanum.*

Mulier quædam ex altiori delapſa loco diu jacuit ſemimortua, tandem cum ad ſe rediiſſet, exhibui ante omnia contra ſanguinem coagulatum hunc potum.

℞. Succ. cancri vivi contuſi ℥ ß. vini albi ℥iv. m. hæc potio expulit ſanguinem coagulatum. Poſtero die ab aſſumpto potu; me jubente venam medianam ſecuit. Quarto à venæſectione die balneo aquæ dulcis chalibeatæ uſa fuit, atque his paucis mox valere rectè cœpit. *Martinus Rulandus cent. 5. curat. 12.*

Mulier quædam quinquagenaria ab equo ſternace ſub bigas lapſa rotis caput, pectus, totumque corpus miſere contundentibus deplorata videbatur. Ego advocatus, devote Deum implorans, talem medendi curam inſtituo.

Primo poſthabitis omnibus ſaphænam ſecandam ſuaſi mane dein ſudorem hoc modo provocandum curavi.

℞. Vini rubri ſtiptici ℔ 10. roſ. rubr. ſicc. roſmar. ſummitat. myrti, an. m. ij. ff. decoctio in cacabo ad ignem. In hanc poſtea ſindonem vel linteolum immergebam; eoque extremitate digitorum leviter expreſſo, ægram undiquaque & calide, & optime involvebam; atque ſic in lecto arctè contecta, diu multumque ſudavit, in prandio & cœna potus erat decoctum cærefolii cum ſaccharo. *Martinus Rulandus curat. 74. cent. 6.*

Gravis caſus capitis abſque ullo trepano ſanatus.

Uxor L. O. Infortunio quodam in fulcrum incidit focarium, quod 25. libras pendebatur, quo ita læſit caput ut omnia deprehenderentur accidentia in fracturis cranii obſervari ſolita: quare judicarunt medici, chirurgique terebrandum eſſe cranium, licet vulnus tantum cum contuſione abſque fractura, fiſſura aut depreſſione oſſis animadverterent, ideò ſtatuerunt, requiri loci perforationem. Eam autem ægra admittere neutiquam volebat. At ecce! quarto decimo poſt læſionem die, caput ejus, facieſque admodum tumere, plurimiſque hæc, ut & frons notari cœpit hinc inde veſiculis. Atque ita dicta mulier abſque trepano, ſed nos abſque auxilio divino, modo certe inſolito, paulo poſt omninò fuit priſtinæ reſtituta valetudini.

Vero ſimile eſt dictam materiam infernè ſub cranio prodiiſſe. Quoniam enim nulla manifeſtè deprehendebatur fractura fiſſurave, neceſſe eſt, tenuis ille & ſeroſus humor, per ſuturas aut ſudationem, vel denique per occultam rimam extra cranium pervenerit.

Id ipſum autem per tranſſudationem fieri poſſe multi teſtantur ſcriptores: ut *Thom. Bartholinus, Obſerv. cent. 2. hiſt. 41. pag. 214. Marcellus Donatus Med. hiſtoriar. Mirab. lib. 5. cap. 4. pag. 200. Wepferus pag. 398. lib. 1. Tulpius Obſ. cap. 2. pag. 4.* qui etiam profert exemplum in quo innumeræ ſanguinis guttæ per calvariam, (quæ tamen integra erat quamvis aliquantum mutato colore, adeoque naturali ſoliditate parum debilitatâ, erumpebant, inſtar roris univerſam calvariam cooperientes. Quibus ſpongia aliquoties deterſis, repullularunt continuo & aliæ: monſtraturæ velut nihil naturæ eſſe invium; ſed omnia pervia, neque oſſa ullibi tam ſolida, quin per ea libere permeet, cum ſanguis tum pus. *Galenus in librum 7. Hippoc. Aphor. 54.* hæc confirmat dicens arbitrari *Hippocratem, naturam ſemper, ſi robuſta ſit, materiæ viam moliri & invenire, etiam ſi quam maxime craſſa ſit, & per exiles tranſitura meatus: quando per oſſa etiam abſceſſu fieri dicat.*

Sicut autem ab intra foras pus per calvariam, ita etiam contra facilius foris reſudat in interiora. Hic de re etiam videatur *Avicenna fen. 14. lib. 3. tractat. 4. cap. 5. ac Jacobus de Carpo de ſignis commoti cerebri*, è quo *Marcellus Donatus Med. hiſt. mirab. lib. 5. pag. 200.* teſtatur contingere aliquando in capitis vulneribus non dari liberum ſaniei tranſitum per ipſum vulnus eamque eo caſu per poroſitates oſſis reſudare ad intra cranium; cujus rei teſtis eſt *Hippocrates lib. de vuln. cap.* dum ſcribit vulnera in poſteriore cranii parte reperta minus eſſe lethalia, quoniam os propter craſſitiem diuturniori tempore pus contrahit & ad cerebrum inferius tranſſudat.

Petrus Marchettus celeberrimus Chirurgus poſteaque Chirurgiæ Profeſſor Paduæ obſer. 12. pag. 24. ait ſe vidiſſe duo exempla vulnerum capitis, ac contuſionum abſque fiſſura in quibus ſine terebratione emittebatur pus, quoniam id per cranii poros, haud aliter, quam per cutem ſudor, exibat: quamvis uterque hic æger, diutius dilata perforatione, poſtea deceſſerit.

Quare ille artem profitentes monet, vulneratis medeantur, quorum ſymptomata arguunt, internas partes etiam læſas, ut in tempore trepano utantur, dictante etiam Hippocrate ſi quid movendum videtur principio move. Unde ſequitur, ſi terebrandum, initio terebra. Joan. Baptiſta de Lamſzvverde, Append. obſer. pag. mihi 238. obſ. 41. duo ſimilia vidit exempla, in quibus ſanies pars quædam per cranii poros tranſudare conſpiciebatur; huic autem evacuationi dum quidam nimium fiderent, ſerò trepani opera acceſſit: ſubjecta enim ſanies aliquando nimis copioſa, tardiorque eſt exoneratio unde tandem internæ corrumpuntur partes, Et licet frequenter trepanum fracto fiſſoque cranio utile ſit, idem tamen quandoque, ſalvo etiam, atque integro cranio, adhibetur præſertim cum timor eſt, ne intus vaſa quædam rupta ſint. Trepani enim ope non tantum ſanguini effuſo datur exitus, verum ita etiam inflammationi, putrefactioni, delirio, febribus, aliiſque letiferis accidentibus itur obviam, quamquam hoc agendi modo artis Magiſtri ſperata non ſemper aſſequantur, optime id ipſum oſtendente Tulpio obſ. lib. 1. pag. mihi 3. & cap. 1. &c. fieri non poteſt, ut materia quæ extra vaſa ſua fluxit, alio, quam quem ictus, caſuſve læſit, contineatur loco. Exempli gratia; ſi ſiniſtrum alicujus os parietale lædatur; ſanguis in adverſam partem repulſu quodam poteſt effundi; licet falce à ſe invicem ſeparentur bina hæc oſſa; item ſi ictus lapſuſve frontem tangat, poſteriore capitis parte poteſt manifeſtari ſanguis quod ſequenti probatum imus obſervatione.

Continetur etiam quandoque humor qui effluxit, inter binas membranas, vel etiam ſub piâ matre; uti is ipſe inter cerebri fiſſuram ſupra corpus calloſum in ventriculis aliquoties apparuit locatus, cujus poſterioris narrationem inſtituam.

Aliquando etiam incerta ſunt ſigna, quibus dignoſcatur, ubi lateat quæ effluxit, nec loco ſuo contenta materia, quamvis ea plerumque ſi fractura, fiſſurave adſit ſub eadem reperiatur, nonnunquam alibi ſimul; notante Tulpio obſ. lib. 1. cap. 2. pag. mihi 4. Contingit enim ſæpius (at non ſemper) ut vi illa quæ fit loco plagæ vel ictus (quamvis nulla fiſſura fracturave adſit) ſanguis extravaſatus ibidem reperiatur, qui exitum non inveniens, ac proinde ibidem tractu temporis putreſcens, pravorum ſæpe ſymptomatum, nec non mortis interdum cauſa fuit.

Verum quidem eſt fieri aliquando, cum nec manifeſta apertura cranii reperitur, virium robore ſubjectam exonerati materiam, ſive id eo fiat modo de quo ſuperiori obſervatione dictum, ſive per nares, aureſque, uti Wepferus pag. mihi 223. ac Bartholinus cent. 2. hiſt. 4. pag. mihi 215. pluresque teſtantur, vel, quia aliquando per collum ad pectus, ventremve deferrur, atque illis abceſſus cauſa eſt, quod P. Marchettus obſ. Med. Chirurg. 15. fol. mihi 35. ſæpius ſe expertum ait, ac Jobus Mekeranus obſ. cap. 2. pag. mihi 28. Paræus lib. 10. cap. 8. Marcellus, Donatus lib. 5. cap. 4. pag. mihi 201. nec non Roonhuſius part. 2. lib. 1. obſ. 3. p. 190. indicant. Qui vero viribus ægri cum internæ læſionis deprehendentur ſigna, ſolummodo fidere ſtatuit, deceptum ſe ſæpius, ſed ſerò dolebit. *Cornel. Stalpart. obſervat. rarior. centur. 1. obſ. 7.*

Hiſtoria Caſus ab alto Auguſtiſſimi Regis Daniæ Divi Chriſtiani IV.

Rex Daniæ Chriſtianus IV. 20. Julii ann. 1625. hora decima veſpertina, ubi diſpoſitas vigilias exploraret, in foveam ſecundum perpendiculum effoſſam 22. pedes profundam cum equo lapſus, & in dextrum latus proſtratus diu jacuit inanimis ſine loquela, ſine ſenſu & ratione, & ſanguis multus ex naribus & utraque aure fluxit. Medicus in loco venam aperuit. Ego vocatus 23. Jul. inveni valdè debilem, qui neque loqui ipſe poſſet, neque colloquia aliorum ferre, vix noſſe me potuit, adſpiciens tamen manum languidè porrexit nihil locutus. Nullum tempus commodum à medicinis vacuum eſſe volui, & cùm ſerius aliquanto acceſſiſſem, nihil potui niſi clyſterem, eo ipſo die adhibere; ex eo cùm bis excreviſſet, viſus fuit aliquo modo melius habere, loquela tamen ignava & vix intellecta. Eodem die Balſamus inunctus eſt naribus, & auribus parùm illitus, item ſpiritus cephalici inuncti vertici capitis, ubi ſuturæ coëunt. Pulverem ſternutatorium noluit admittere.

D. 24. Julii pulverem pro caſû ad diſſolvendum ſanguinem dare volui cum aceto bezoartico, quem cùm aſſumere recuſaret, neque tamen quicquam temporis fruſtra præterire ſinerem, dedi ipſi pilulas 9. valde lenes, quæ tamen ter alvum moverunt, & cum de pulvere ad caſum, ut volebam, pomeridianis horis iterum quicquam ſumere recuſaret, propter periculum, quod erat in mora, iterum clyſterem eodem die applicui, quem ſtatim reddidit non ſine fructu, adſperſio capitis cum ſpiritibus cephalicis, & inunctio narium eo die non fuit neglecta, aqua etiam pro collutione oris uſus eſt.

D. 25. Julii ſummo mane ſub diluculum iter Verdam ingreſſi ſumus; & tum Rex in monaſterio Mollebeck pranſus eſt, & eo prandio ſua manu bis mihi cibum porrexit. Indè perreximus & pervenimus in pagum Reemer, hic ſumpſit cochlear aquæ bezoarticæ, & caput inunxit, inde Petererſagium.

D. 26. Julii & 27. tria cochlearia aquæ bezoarticæ ſumpſit; & capitis verticem ſpiritibus cephalicis inunxit, & os colluit cum aqua deſtinata, quod ut veſperi, cum Hoiam appuliſſemus, faceret, impetrare non potui, quemadmodum neque matutinis horis diei ſequentis, cum inde Verdam proficisceremur. Eo cùm perveniſſemus, ſtatim appoſitus eſt clyſter, quem addita hiera fortiorem reddidi, ex eo clyſtere magnam excrementorum copiam excluſit, & commodè habuit, ita ut me poſt rejectum clyſterem ad ſe vocaret, & per horam dimidiam tam bene, tam articulate & tam prudenter, ut poſt hunc lapſum unquam mecum de multis rebus conſuleret. Veſperi ſub decubitum facta eſt inunctio ex unguento Hamelæ præſcripto, & adſperſio verticis cum ſpiritibus.

Subſequenti die 29 ſumſit potionem ex rhabarbaro, ex qua parum dejecit, quocirca ſub veſperam iterum clyſter injectus eſt qui cum fænore, quod relictum erat, excluſit, undè Rex iterùm benè habuit. Uſus eſt etiam eo die pulvere ſternutatorio, ex quo capitis levamentum ſenſit, ita ut poſtero cupiverint adſtantes iterum adhiberi, quod factum eſt, cum prius pulverem A. C. cum Aqua Bezoartica ſumſiſſet, & caput laviſſet cum lixivio medicato & ſapone odorato. Inde ex pulvere cum moleſtiam nonnullam Rex ſeſe percepiſſe auſteriore vultu indicaſſet, adſtantes prope me & medicamenta, quorum tamen utilitatem ante perſpexerant torvo vultu incuſare

vide-

videbantur. Verùm Rex ſub prandium hilaris fuit & multa locutus eſt modo de his, modo de illis, cumque pridie & poſtridie calidiorem potum bibiſſet, circa veſperam præcedentibus duobus diebus capitis gravamentum ſenſit, & noctem inquietiorem habuit, abſque ullo tamen calore præternaturali. Alioquin tum propter curæ procraſtinationem, tum propter calidiorem potum, æſtum & itinerum moleſtias vix fieri potuit, quin in tanto caſu corpus à malo, & cerebrum ab inflammatione defenderetur. Sub ingreſſum lecti fomento pro oculo & linimento eſt uſus.

D. 31. Julii ſumſit ℥v. gelatin. ribium, hora tertia pomeridiana de Electuario confortante ſumſit, hora quarta ablutio facta eſt capitis, & adſperſio ſpirituum cephalicorum, caput deterſum eſt linteis calidis & pulvere præſcripto infumatis. Hoc die mentis aliqualis fuit error & hallucinatio; nam quænam urbs in qua erat, interrogavit inter cœnandum, tamen ſatis rationaliter locutus fuit. Circa tempus decubitus & dorſum inunctum eſt, & ea nocte bene dormivit.

D. 1. Auguſt. Rex ipſe medicamenta flagitavit, dedi ipſi pulverem ad caſum quantum ter cuſpide cultelli capere potuit, & ſtatim bibere juſſi aquæ bezoarticæ ℥iij. caput ſpiritibus cephalicis irroratum, & dorſum inunctum. Hoc die cùm multa adverſa nunciarentur, aliquanto perturbatiori animo viſus fuit, inter prandium hallucinari viſus eſt, hora octava pomeridiana injectus eſt conſuetus clyſter, quem breviſſimo tempore retinuit, poſt multa excrevit: itaque de electuario cephalico dedi, nasalia admittere noluit, dorſum tamen inungi paſſus eſt, dormivit nocte, neque quicquam abſurdi locutus eſt.

D. 2. Aug. aſſumſit ℥vj. gelatinæ ribium, aqua præſcripta os colluit, pulvis capiti inſperſus eſt, naſalia autem admittere noluit. Poſt meridiem dedi de electuario, caput lotum, ſpiritibus adſperſum, iterum tentata naſalia & leniter. Veſperi hora octava dorſum inunctum, & caput ſpiritibus irroratum eſt, poſt decubuit. Hodie cum mentis hallucinatio & capitis aggravatio pertinaciùs hæreat, metum cancellario oſtendi. Hac nocte benè dormivit, ſed ſomnia habuit turbata; unde caput adhuc prægravatum potuit conjici.

D. 3. Aug. propinavi pulverem A. C. cum aqua bezoartica, pulverem capiti inſperſi, in prandio ſatis prudenter locutus eſt, veſperi hora tertia caput lotum eſt, ſpiritibus cephalicis irroratum & pulvere adſperſum.

D. 4. Aug. potionem ex Rhabarb. ſumſit, & tertia pomeridiana electuarium, caput lotum eſt, & irroratum, noctu dorſum inunctum.

D. 5. Aug. pulverem ad caſum cum aqua bezoartica ſumſit, adſperſus eſt pulvere; hora octava caput lotum, ſpiritibus inunctum, & nuchæ, ſcapuliſque quatuor cucurbitulæ ſcarificatæ appoſitæ & dorſum oleis præſcriptis primum inunctum, & unguentum prius abdicatum.

D. 6. Aug. Gelatina ribium ſumta, à meridie electuarium conforrans.

D. 7. Aug. ſumpſit pulverem A. C. cum aqua bezoartica, caput lotum, ſpiritibus irroratum, dorſum inunctum oleis, cucurbitulæ ſiccæ adhibitæ, & pulvis ſternutatorius in nares inſufflatus. Pomeridiana tertia ſumſit electuarium, circa ſomnum dorſum inunctum eſt.

D. 8. Aug. Mane Veſtimenta induit, pulverem A. C. ſumſit cum aqua bezoartica, deinde exercitum viſitavit.

D. 9. Aug. ſumſit potionem ex rhabarb.

D. 10. Aug. pulverem A. C. cum aqua bezoartica, caput lotum ſpiritibus inunctum.

D. 11. Aug. clyſter conſuetus appoſitus eſt, cucurbitulæ ſiccæ dorſo fuerunt appoſitæ, & ſic perreximus in alterno uſu clyſterum, purgationum, pulveris A. C. cum aqua bezoartica, inunctionum, cucurbitularum & reliquorum, quorum antea facta eſt mentio, uſque ad 28. diem Auguſti, morbi autem diem 35. ubi benè valere viſus, & *Arniſæus* advenit, neque quicquam incommodi ſenſit.

Medicamenta Regi Præſcripta.

℞. Aloes inſuccat. ʒvj. Pilul. de Rhab. ℥. ß. extr. hellebori nigri panchymag. Croll. cor. an. ʒj. Mumiæ ʒj. Caſtor. ℈ij. Diagrid. ℈j. ol. carv. cinam. an. gutt. vj. cum aq. cimam. f. Pilulæ ex ʒxv.

℞. Gelatin. rib. laxat. ℔ij.

℞. Aq. apoplect. Lang. ℥vj. Spir. Sulphur. ℈j. Syrup. de chichor. ℥j.

℞. Ol. rut. deſt. carv. an. ℈j. caryophyl. ℈j. ß. lavend. ℈ß. nuc. moſch. expr. q. ſ. f. Balſamus.

℞. Acet. Bezoart. ℔iij. Aq. Theriacal. ℥iij. ſpir. ſaſſafr. ℥iß. ſyrup. de cinamon. de acetoſit. Limon. de eupator an. ℥iß. ſpir. ſulphur. acid. ℈ij.

℞. Ungu. potabil. ℥vj.

℞. Ocul. cancr. præp. ʒj. ſuccin. alb. præp. ℥ij. rad. tormentill. vincetox. rub. an. ʒj. Lap. bezoar. ℈ß. cinamom. ʒj. terr. ſigill. ℈v. bol. Armen. an. ʒj. ſacch. ex Julep. roſar. candiſat. ℥j. f. pulvis A. C.

℞. Rad. Irid. flor. calam. arom. pyreth. angelic. meu an. ʒj. fol. ror. marin. ſalv. an. ʒß. flor. lavend. p. ij. pæon. primul. ver. an. p. j. ſem. rut. bacc. laur. exſ. an. ʒß. aq. deſtill. ſalv. ℔ß. rut. lavendul. an. ℥iij. Acet. vin. acerrim. ℥ij. ſtent in infuſ. per horas 2. poſtea balneo ferveſiant & colentur, colaturæ add. mell. anthoſat. ℥j. oxymel. ſcillit. ℥jß. ſpirit. vitriol. ℈j. M.

℞. Rad. althææ, gentian. helleb. nigr. præp. an. ʒj. Herb. hyſſop. beton. majoran. meliſſ. an. m. ß. flor. chamomill. Rom. p. ij. bacc. laur. ʒj. Coq. in aq. font. & in fin. add. vini tertiam partem, colaturæ.

℞. ℥x. add. confect. Hamech. Diaturbith. c. rhab. an. ʒiiiß. mell. anthoſ. ʒj. f. clyſter.

℞. Elect. diaturb. c. rhab. diaprun. conf. hamech. mell. mercurial. anthoſ. an. ℥iß. roſat. ℥iij. M.

℞. Conſerv. rad. cichor. Scorzon. an. ℥j. majoran. ℥iß. Veron. marrub. an. ℥ij. rut. ℥j. flor. ror. marin. lavend. an. ℥j. nuc. indic. ℥vj. myrobal. emblic. ℥ß. conſerv. flor. roſar. rubr. ℥iij. conf. Alkerm. ʒiij. ſpirit. Vitriol. ʒiß. ſyrup. d. cinanam. ſ. m. f. Electuarium.

℞. Rharbarb. ℈iiij. fol. ſen. ℈j. Turpeth. ℈j. paſſul. Corinth. ℥j. ſpic. ℈ß. ſem. ſœnic. ℈j. aq. endiv. fragar. an. ℥iß. Acet. flor. ſalv. ℥iß. infund. & col. colaturæ adde ſyrup. diaſer. ʒvj.

℞. Rad. ariſtol. rot. gentian. an. ℥ß. coſti ʒij. Herb. majoran. rut. ſalv. an. m j. flor. chamomil. ſtæchad. an. m ß. ſcob. Lign. ſaſſafr. ℥ß. bacc. laur. exſ. ʒvij. agaric. crud. ʒvj. fol. laur. ℥ß. nuc. moſchat. ʒij. inciſa. D.

℞. Sapon. venet. ℥iij. agaric. crud. ʒij. cinam. caryophyl. an. ʒiß. rad. irid. flor. ʒij. camph. ℈ß. moſch. ambr. an. ℈ß. cum aq. majoran. & lavend. formentur globuli pondere ʒij. S. ſapo. odoratus.

℞. Tartar. vin. ℥ß. litharg. ℥ß. alum. ʒij. ſal. comm. ℥ß. aqu. fontan. pur. ℔iß. ſolan. plantag. an. ℔j. Acet. vin. acerr. ℔ß. m. & coq. in vaſe clauſo, neque aperiatur vas, antequàm refrigeretur, tum tranſcoletur.

℞. Gum. elem. anim. an. ʒij. Maſtich. thur. an. ℥ß. caran. ſtirac. an. ʒvj. fol. ror. marin. ſalv. majoran. an. ʒj. m. f. pulv. pro fumo.

℞. Rad. Irid. flor. ʒij. lign. Rhod. aloes an. ʒiß. ſaſſafr. ʒij. fol. ror. mar. majoran. an. ʒj. flor. lavend. p. ij. gumm. anim. tacamah. an. ʒiij. ſtyrac. calam. oliban. an. ʒj. f. pulvis deinde.

℞. Moſch. Zibeth. ambr. an. ℈j. m. & diluantur accurate in aq. cinnam. & lavendul. an. ℥ß. poſtea miſc. cum pulv. iterumque exſiccetur.

℞. Cort. limon. exſicc. ℥j. rad. irid. flor. ʒij. calam. arom. pimpinel. enul. an. ʒj. turpeth. el. ℥j. fol. ror. marin. ſalv. an. ʒij. ſcob. lign. ſaſſafr. ʒij. ſantal. rubr. agalloch. an. ʒj. ſem. carv. ʒij. fl. caryoph. hortens. roſar. rubr. an. p. ij. paſſul. corinth. ℥ß. vin. rhenan. ℔xiij. ſpir. vitriol. ʒj. infund. & add. zingib. ℥iß. cardamon. ʒvj. caryophyll. cinam. an. ℥ß. ſacchari ℔iß. f. decoctum.

℞. Spir. ſalv. chamomill. R. calam. arom. hyſſ. an. ʒj. aq. carbuncul. ℥vj. m.

℞. Ol. arthrit. ℥jß. terebinth. ℥ß. chamomil. deſt. ʒj. majoran. ſalv. rut an. ʒß. M.

℞. Spirit. rut. majoran. lil. convall. an. ʒiſs. cinam. ℥ſs. M. S. ſpiritus cephalic.

℞. Radic. hellebori albi, pyreth. an. ʒij. h. majoranæ, tabaci an. ʒij. ſemin. ruthæ ſtaphiſagr. an. ℈j. euphorb. ℈jß. m. f. pulvis. *Thomæ Bartholini.*

Varia cadentium fortuna.

Tralatitium eſt & vulgo etiam compertum homines nonnunquam cadentes ex edito loco non lædi, ſive ſi id angelorum cuſtodię (quod malim credere) adſcribas, ſive corporis poſitioni inter cadendum fortunatiori. Talis mihi cognitus, qui puer ex alta turri in ſaxeum ſtratum præcipitatus, poſtquam ſe cadens pedibus excepiſſet, nullum damnum ſenſit, niſi calopodiorum ligneorum, quibus pedes munierat, fracturam. Libuit tum experiri ſociis ejus verumne eſſet, quod vulgò jactari ſolet ælurum, quomodocumque cadat, ſemper ita ſe in medio periculo gubernare, ut terram attingens inſiſtat pedibus. Projectus ergo è faſtigio turris in ipſo lapſu varie gyrabatur, nonnunquam pronus, aliquando ſupinus, ſed ubi ad pavimentum alliſit; in pedes erectus ſubito curſu profugere nitebatur, & currebat ſtrenue ad teli jactum, mox in ipſo curſu mortuus diriguit, cerebro, opinor, ex illo lapſu nimium concuſſo. Altioris eſt indaginis, quod Sevenhuſæ in Hollandia quotannis accidit, & mihi bis ſpectatum eſt. Nemus ibi ſurgit modicum, ſed in quo plurimæ arbores volucrum nidis occupantur, ſuccedentibus ſibi in iiſdem cubilibus, varii generis alitibus; de quo plura *Heginitius* in Itinerario Hollandiæ. Conceſſeramus iſtuc aliquot amici eo tempore, quo corvi aquatici in nidis imperium exercent, non planè implumes, ſed nondum volucres. Igitur præmonſtrator noſter ut artificium capturæ oſtenderet, contum altero extremo recurvum arborum uni ſic ſatis proceræ, ſed trunci tenuioris impingit, & varie agitando, ſuccutiendoque duos corvos plumatos quidem, ſed alis ſuis nondum fidentes nido excutit. Illi qui aquarum naturam experti nunquam fuerant, in medio lapſu dum ſuperficiem aquæ (ſuberat enim rivus,) in quem decidebant) attingunt, tanta ſagacitate immergunt ſe undis, ut cum tres famuli aſtarent, omnes itidem ſudibus longis armati, ut decidentes interimerent, ictus eorum diu eluſerint, alio ſcilicet margine rivi emergentes, quàm quo in cædem parati excubabant; Dixiſſes volucres has, & vix bimeſtres, in illo foro evadendi pericula, pluribus annis dexterrime ſpectatas fuiſſe, ita nulla eſſe potuit matrum ſolertia prudentior. Id quod mea quidem ſententia, ſatis evidenter docuerit notiones quaſdam fœtibus animalium ingenerari, ſine pręvio genitorum magiſterio; neque enim hi, ut ita dicam, corvuli, imperiti rerum & experimentis imbuti nullis, nec à nido in terram proſpectare docti (tantum abeſt ut aſſueti lymphis fuerint) hos omnes curſus, recurſusque, has è particulis intentatis exeundi technas ſciviſſent, niſi ab innato emanaſſent principio. Quin & anatum ova gallinis incubantibus ſuppoſita atteſtantur idem: excluſi enim hi anitini pulli & gallinaceis permiſti, ubi ad fluviolum venitur, ſtatim, nullo niſi inteſtino doctore, aquas ingrediuntur, natant, alimenta quęrunt, ſtupente veluti gallina, pullorum quos ſuos æſtimat, degenerem indolem. At hi pulli matrem viderunt nunquam. Hæc eo tendunt, ut ſi notiones ſuas claras, diſtinctaſque ab ovo ſecum ferant volucres, majorem utique prærogativam largiamur animæ humanæ (ut cumque ſuas alioquin tenebras agnoſcat) nec eam vel exiſtimemus tabulam raſam eſſe, generalem vel regulam; *nihil eſſe in intellectu, quod non ante fuerit in ſenſibus.* Sed ad cadentes iterum: Alius è ſcopulo ſtephanite ad trecentos pedes in præceps per infortunium actus, piſcatorem in ſubjectis undis cymbulæ ſuæ inhęreſcentem ſubito lapſû exanimavit, ipſe ſalvus. Sacerdos quidam Hafnienſis fallente veſtigio, è ſcalis ſuis proruens in filiam advolantem caput impegit eliſurus haud dubie calvariam, niſi ex improviſo adſtitiſſet virguncula. Verùm ſuperat hæc omnia fatum Svecanæ fœminæ, quæ menſe Auguſto hujus anni, ex incenſa à noſtris ad Calmarniam bellica hoſtium nave (cui à clave nomen) in ſublime ultra centum pedes cum infante, quem ulnis retinebat rapta, deflagrante ſimul omni tormentorum pulvere, in mare inter medios ignes ſalva procidit, puerulo ſuo comitata, & à noſtris excepta. Olandiæ ſuæ reddita eſt, ut facti ſui luſum, & noſtrorum miſericordiam evulgaret. *Olai Borrichii.*

De lapſu ex alto indemni.

Fieri miracula in Medicina, non *Avicenna* ſolum ſed ipſa experientia dictitat. Occurrunt exempla θαύμασα ἐ λόγȣ δεύμενα, ϗ πάντω νȣ͂ν ὑπερ ἔχοντα, quibus ſæpenumero τὸ θειον ſubeſſe, nemo niſi atheus negaverit.

I. F. Evvaldi, Civis & Panificis h. l. filiolus trium annorum 1669. d. 25. Jul. in avi ſui domus ſecunda contignatione, circa feneſtram luſû occupatus & è ſcamno pronus in plateam lapidibus ubique ſtratam deſpiciens, pondere ſuperioris corporis extra librato & declinante, præcipiti in caput lapſû decidebat, 17. pedum altitudine. Vocati cum binis chirurgis in conſilium invenimus infantem præter ſolum ploratum, alias optimè habentem, nulla cutis læſio, nullus tumor, nulla cruentatio apparebat. Quare internè Pulverem Cephalicum bis terve propinavimus, externè verò ſacculo ex plantis cephalicis interpaſſato, & vino incocto caput fovimus, hinc emplaſtro de Betonica impoſito intra triduum omne negotium abſolvimus, ipſo interim puello aſſiduo benè habente, qui & hunc uſque in diem quàm optimè valet.

Verum quidem eſt rotundam figuram eſſe omnium perfectiſſimam, quæ ubique ſe ſuſtinet, & contra externarum injuriarum impetum particulis & nexibus quaſi concatenatis armat, nullibi facilè admittens aditum, & hinc capitis ſphæra non æquè fracturæ, aliiſque injuriis ſubjacet, quod ob hanc ipſam cauſam natura (quæ *Galeno* teſte, nullam partem reliquit ἀφύρητον *incuſtoditam, contra injurias non bene munitam*) tali donavit figurâ, ut durum oporteat eſſe ictum, qui reſpectu aliarum partium, Oſſeum hunc fornicem perrumpere valeat. Nihilominus pium & chriſtianum eſt, divinam hic agnoſcere manum, quæ teneros potiſſimum & molles infantes protegit, & Angelis tutelaribus ubique ſepit, ut ex Sacris latius deduci poſſet, niſi falcem in alienam meſſem immittere dubitaremus. *Georg. Wolfg. Wedelii.*

Ex lapſu ſalus.

Civis quidam noſter (cujus nomini parco, quod inter nos hodieque ſanus, & bene habitus vivat) itinere Helſingoram inſtituto, per aurigæ incuriam everſo currû in ſaxum impingit, inter cætera, quam vehementiſſime ſiniſtrum teſticulum jam ante per ſedecim annos ſcirrho, & tumore præter naturam obſeſſum. Delatus mox in hanc urbem, præter dolorem partis contuſę febri corripitur & quidem continuâ. Cui ut malo obviam maturè iretur, rogatus cataplaſmatis partem affectam foveri jubeo, & febri pharmacorum oppono ſolemnia. Duravit morbi & medicaminum conflictus menſem propemodum integrum, donec natura victrix & ſcirrhum ſuſtulit, ex contuſione immani præmollitum, & natam ex dolore febrim exſtinxit. *Olai Borrichii.*

Ex caſu contuſio maxillæ, vomitus, febris cum delirio & ſopore, ſiniſtri lateris motus convulſivi. &c.

Puerulus 4. circiter annorum. Vegetus ac vivax, cùm aliquando currum imprudens conſcenderet, cum fraterculo, de eodem in terram præceps concidit, ita quidem ut maxilla dextra inde præcipue contuſa fuerit., capite aliiſque partibus immunibus: nihil quoque ſanguinolenti vel per os expuit aut per nares excrevit: Parentes mali ſublitescentis inſcii, externè remediis domeſticis contuſioni obviam iverunt, aliquot autem diebus poſt, Ægrotulo cibum renuente, imò, ſi quid injecerat, mox evomente, graviora ſubveriti convenerunt nos die 14. Maii 1683. conqueſti de imbecillitate ventriculi, quâ filiolus laboret, cui Diaph. mart. C.C. philoſ. ppt. ungul. alc. aliiſque his ſimilibus proſpectum ivimus: Triduo poſt ingruentibus, nauſea, vomitu, ſiti intenſa & inquietudine apud miſellum ut accederemus ipſi petierunt, ſimulque quid mali nuper acciderit retulerunt; pulſus celer erat & frequens, urina ſaturata: interne pro reſolvendo & diſcutiendo ſanguine grumeſcente, uſi fuimus cinnab. antim. rectif. ant. diaphor. cum ſpir. urin. addit. aq. deſtill. externè vero Balſam. de Peru cum ol. deſtill. menth. ventriculum inunximus: ſub veſper. ſymptomatibus perſiſtentibus, mixtur. ex antepil. diaphoret. per cochlearia ſæpius propinandam ſuaſimus, cui d. ſeq. febri augmentum ſumente miſcuimus ſpir. C.C. addito Epithemate cum ſpirituoſis penetrantibus, quo caput ſubinde foveatur: poſtero die pulſus celer erat & inæqualis, intermittens; Urgebat ſopor profundus cum delirio: Expergefactus ſtatim obdormiit, ſiniſtro latere immobili, adinſtar trunci exiſtente: de abſceſſu ſublitescente Parentibus ſuſpicionem noſtram aperuimus: veſicatoria inde applicari juſſimus, ad quæ ipſi prorſus obmutuerunt, abraſis capillis, ſacculos ex herbis aromaticis cephalicis, hinc & columbam vivam per medium ſectam imponi curavimus, pergendo juxta in internis: veſperi reduces in copioſo ſudore ægrum offendimus, ſed citra εὐφορίαν pulſus matutino ſimilis: delirabat & vigilans tortis oculis adſtantes ſalutabat: Clyſter injectus à quo materiam ſatis graveolentem ſed parce dejecit: nox ſubſequens inquieta fuit ægerque dentibus ſtridere cæpit: Veſicatoria deinceps imperata, præſcripta verò Emulſio in 2. Dos. ex Semin. card. benedict. aquileg. cucurb. cum aq. ſcabioſ. beton. add. C.C. Philoſ. ppt. qua rurſum idoneum ſudorem excitavimus, ſed citra ulterius emolumentum: Mane quippe poſtero motus convulſivi invaſerunt, qui paulatim increbuerunt & miſellum die ſequente morti tradiderunt: incaſſùm adhibitis ante-pilept. internis & externis.

Sectione, quâ haud dubiè prædictiones noſtræ obfirmatę fuiſſent, ob alterius parentis ruſticitatem prohibiti fuimus. *Ioh. Iacob. Harderus Apiarii Obſerv.* 32.

Caſus ab alto cum fracturá Molæ.

Clariſſ. Georgii Franci de Franckenau, Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 1.

Ejuſmodi caſus, uti ſunt frequentes, ita ſæpe magna intulerunt mala, immo mortem, interdum etiam ſalutem. Nota ſunt exempla podagricorum, qui ex alto prolapſi ac terrore perculſi, deinceps à priſtino malo vixerunt immunes. Alii claudicantes hoc modo in integrum reſtituti. Vide *Ant. Beniven. de abd. morb. cauſſ.* E contrario alia exempla ex alto prolapſorum, qui enchymoſi, cerebri commotione, delirio, coecitate, ſurditate, iſchuria, abſceſſu in veſica & alibi, paralyſi, pedis gangræna, vomitu, fracturis variorum oſſium, hæmorrhagiis, inflammationibus, aphoniá aliiſque laborârunt malis, poſſunt legi in *Moroni Directorio* per Celeberrimum dexterrimumque virum *Sebaſt. Schefferum*, amicum olim oculatiſſimum. Catum è casu adnotarunt *Fernel. l. 5. pathol. c. 2.* ac *Sennert. Prax. l. 1. p. 2. c. 32.* Ex infinitis hoc unum allegabo. Ruſticus 30. circiter annos natus menſe Januar. 1692. ligna Vitembergam vendenda vehit, ubi per arcis portam procedebat, ex improviſo è ponte in foſſam decidit, utut alterâ manuum validè pontem ita prehenderit, ut unguis è digito ſecederet. Prolapſus ita in foſſam tandem dextri genu patellam penitus contudit; inde magnus pedis tumor cum dolore, ut neque ſtare neque ambulare ullo poſſet modo. Utebatur non infeliciter manu & conſilio Dn. Tlôrike Chirurgi noſtratis ſatis experti; cui & interna ordinavi medicamenta. Cancrorum oculos vel rectiùs lapillos è ventriculo gammarorum (aliis Bezoar Germanicum) commendant *Burgrav. in panopl. phys. Vulcan. p.* 108. *Camerar. Syllog. memorab. Cent. II. n.* 69. Terram Hibernicam, vulgo *Irrländiſchen Schifer* omnem ſanguinem coagulatum atque congrumatum reſolvere, adeòque in caſu ab alto commodè præſcribi, eamque obſtructiones aperire, hinc menſes, immò & partum ipſum movere, ac præcipue pleuritidi ſuccurrere, ſi ad ℥ß, exibeatur ſcribit Celeberr. *Ioh. Bohnius* in ſua *diſp. inaug. de pleurit.* §. 37. Lipſiæ 1666. Meminique Sereniſſimum Elect. Pal. Dn. CAROLUM LUDOVICUM glorioſiſſ. memor. frequenti feliciq; ſucceſſu exhibuiſſe in talibus, maximè ad ſudorem concitandum. Nos in caſibus ab alto exhibemus pulv. contra caſ. Ang. Unguent. rubr. pot. ſpir. Bez. Buſſii, ſang. hirci &c. Ridiculum verò videtur, quando aliqui contra caſus ab alto commendant Turcoidem gemmam annullo geſtatam, donoq; acceptam, ictum quippe omnem excipiat, & loco cadentis in fruſta rumpatur, uti *B. I. I. Spenerus diſp. de Gemmarum Erroribus vulgaribus ſect.* 1. § 29. præſide Excell. D. L. Rechenbergero Lipſiæ 1687. refert ex *Cardano.* Add. *Anſelm. Boet. de Boot. Hiſt. gemm. & lapid. l. 2. c. 116. & Ol. Worm. in Muſeo c. 18. f.* 106.

Anatomicæ inſpectiones.

Ex caſu, capitis contuſio, apoplexia &c.

Anno 1674. menſe Januar. Molitor quidam tranſrhenanus, ubi prius Baccho aliquantum indulſerat de ſcalis ex alto decidit, domumq; vectus mox inſtar ſtatuæ ſine ſenſu & motu jacuit, vomuit enormiter & ſanguinis per aures eruptionem paſſus eſt, vulnere in cranio nullo apparente; die poſtero hinc emigravit. Cranio ex artis præſcripto remoto, ſanguis inter ipſum & duram matrem copioſe in occipite extravaſatus deprehendebatur & tota ſui mole cerebellum verſus & ſpinalem medullam procumbere. *Ioh. Iac. Harderus Apiarii Obſerv.* 31.

Duorum, caſû ab altô oppreſſorum Anatome.

Clariſſ. Godofredi Davidis Mayeri, Ephemerid. Germanic. Centur. 1. & 2.

Tertius circiter agitur annus, ex quo Templum S. Mariæ in Arena Uratiſlavienſi hinc inde labefactatum reſtauraretur. Ad illius feneſtras Operarius quidam plebeius, infimæ ſortis homo, muneri ſatisfaciens præ quam ſperaverat, unâ cum aliis duobus ex ſuprema per eosdem facta contignatione præcipiti caſu delabebatur, unicus qui ſubitanea morte naturæ cedebat. Hujus examine corpus ſubſequenti die cultro anotomico relictum, in præſentia Dn. D. Joh. Georg. Dæckeri, Practici Vratislav. per Chirurgum in arena ibidem habitantem, eâ qua fieri potuit, attentione perveſtigatus ſum, in quo plurima oppido rara & notatu digna obſervavimus ſequentia:

(1.) Habitus corporis univerſus omni pinguedine deſtitutus, & cutis color luridus, puſtulisque hinc inde majoribus, imprimis infima ventris & lumbaris regio maculis epaticis tota obſeſſa conſpiciebatur.

(2.) Omentum tenue, inflatum quaſi & omni fere pinguedine deſtitutum ad attactum ingentem fœtorem ſpirabat.

(3.) Inteſtina collapsa hinc & inde inflammationis notâ corrupta videbantur: Aperta muco veluti oblinita, vermibus ſcatebant: imò ex ipsâ Bauhini valvulâ lapillos duos fabæ majoris magnitudine, coloris flavescentis, craſſiusculos, variisque inæqualitatibus præditos extrahebamus.

(4.) Colon circa Ilia ſiniſtra arctum nimis & inflatum erat.

(5.) Hepar inſignis magnitudinis utrumque hypochondrium ferè implebat: Durioris indolis ſub enſiformi maxime cartilagine diaphragmati firmiter accreverat, à quo abſque Parenchymatis dilaceratione divelli non poterat, maculis cineritiis majoribus paſſim deformis.

(6.) Ueſicuſa fellea bile deſtituebatur, ſed hujus loco pauxllum quoddam ſalini ſaporis ſerum continebat.

(7.) Lien exiguus, decolor & exanguis.

(8.) Renes naturaliter videbamus conſtitutos, præter ſuccenturiatos, qui ſanguineo atroque perfuſi erant colore.

(9.) Sub his Musculus Pſoas ſiniſter pus bene coctum, conſiſtentiâ ſeri lactis continebat.

(10.) Ventriculus in omnibus bene ſe habebat, tum quoad figuram quàm ſitum, niſi quòd internè in fundo ejuſdem aliqualem ruborem obſervaverim, præſentis inflammationis notam.

(11.) In cavitate pectoris ingens copia extravaſati ſanginis reperiebatur, qui propter disrupta quædam ſanguifera, & diffractas ab utraque parte coſtas ferè omnes ſe abunde diffundebat.

(12.) Pulmonum Lobi ſicciores, cumprimis ſiniſtri pulmonis lobus inferior ſcirriosus cum thimo itidem ſcirrhoſo aliqualiter cohærebat.

(13.) Pericardium ichore copioſo infarctum erat, qui ex inconſiderantia naribus admotus fœtore nobis gravis fuit.

(14.) Cordis ventriculus ſiniſter aliquot ſanguinis grumos exhibebat.

(15.) Venter ſupremus replebatur ſanguine extravaſato, qui ex ventriculis turgidis undiquaque emanando ulteriori partium contentarum inquiſitioni imponebat finem. Derelictam ipſius Viduam & Liberospaternorum morborum ignaros, quodnam malum eundem dum viveret diſcruciaverit penitus fugiebat, latebat.

Alter infelici casu ab alto oppreſſus, Muratius erat. Hunc ab ineunte ætate, caligine oculorum & vertigine, quamdiu vixerat, ſæpiſſimè correptum concidiſſe & aphonum, domum deportatum fuiſſe, uxor & agnati affirmabant. Cumque ante annum & quod excurrit in Neapoli noſtra Uratislavienſi ad latera Templi Bernhardiniani pro vitę generis ratione operas ſuas impenderet, ſubitanea vertigine correptus de ſcala concidit infeliciter, ſicque confestim exſpiravit. Mortuo foras elato, penſitatis à caſu externis cranii læſionibus, illud per Chirurgum ibidem habitantem removere curavi, quod in concava ſui parte, ubi ſutura ſagittalis cum coronali concurrit, perforatum videbatur, mucore albo & inæquali ſuperficiem inveſtiente. Accuratiùs rei inſiſtentes, cariem interioris laminæ partem magnam abſumſiſſe deprehendebamus, quâ etiam dura Mater, quousque ab arroſo oſſe tecta fuerat, deperdita conſpiciebatur. Vaſa ſanguifera eleganter prominentia ad rupturam atro ſanguine turgescebant & medullaris cerebri ſubſtantia ſpiſſiſſimis punctis rubris conferta, anterioresque cerebri ventriculi ichore copioſo repleti inveniebantur. Corpus reliquum feſtinandi ſtudio intactum reliquimus.

Obſervatio alia de Caſu ab altô mortali.

Vir quadragenario major in vicinia, die 24. Januarii anni 1692 è ſublimiori loco procidebat, & caput in ſaxa quibus ſtrata erat in quam decidebat platea, tam vehementer allidebat, ut inde non parvum vulnus effectum ſit. Chirurgi adſtantes cum viderent magnam contuſionem, inciſionem per illius longitudinis majorem partem ex arte deducunt, venæ ſectione etiam priùs celebrata, ſed nihil amplius in diem uſque 27. prædicti menſis tentare auſi ſunt; quo tempore cum Chirurgo dexterrimo J. J. Condougnant advocatus, febri ſatis intenſa & phrenetica quaſi affectione vulneratum laborare vidimus, tum explorato vulnere, cùm de effracto cranio nobis conſtitiſſet, dilatata quantum neceſſarium fuit inciſione, trepanum ſequenti die applicandum decrevimus, quod etiam factum cum tanta ſanguinis, per foramen à trepano confectum evacuatione, ut ad libras ad minimum duas aſſurgeret, metumque nobis incuteret ſubitę mortis tam largâ hæmorthagiâ, res tamen in melius abire viſæ ſunt poſtea, ita ut æger noſter & cum ratione loqui, & alimenta aſſumere, imò febris remittere jam non parum inciperet, cùm neſcio quo fato omnia in pejus ruere ſubito occeperunt die prima februarii, eaque ipſa die Caroticus obiit. Cranio elevato, vidimus fracturam non tantum per totam longitudinem oſſis bregmatis dextri, ſed etiam ultra ſuturam lambdoideam ad ipſum os occipitale extendi; duram præterea & piam meningem in toto illo cerebri hæmiſpherio quaſi putridam, imò cerebrum ipſum infra uſque ventriculos ſphacelo prope affectum & prorſus diffluens reperimus. Unde mirari ſubiit quomodo vulneratus hic in tanta cerebri, & commotione & contuſione, quam corruptio prædicta ſubſequuta eſt, etiamſi trepano exitum ſanguini effuſo pro viribus paraſſemus, nec paralyticum, nec convulſivum quid paſſus fuerit, imò à trepano applicito ad interrogata ſine delirio reſponderit, donec parum ante fatalem horam Caro lethali affectus fuerit.

CATAGMA Vid. *FRACTURA.*

CATARACTA.

Curationes, Conſultationes, & Obſervationes ex variis.

Quamvis non prorſus conveniat de verâ cataractæ naturâ ac ſede; dum ſcilicet veteres omnes ad noſtra

uſque tempora, illam in pellicula opacâ collocant, humori aqueo innatante, & aliquando huic, aliquando illi oculi tunicæ, tenacius vel minùs tenaciter adhærente, atque interpoſitione ſuâ liberum luminis tranſitum ad retinam impediente. Recentiores verò plures, ac inter eos Doctiſſimi & Experientiſſ. Medici ac Chirurgi Pariſini non pauci, quibuſcum omnino convenit Excellentiſſ. Laurentius Heiſterus, Profeſſor Altorffinus meritiſſimus & doctiſſimus; reclamantibus licet aliis inter quos nominare ſufficiat Præclariſſ. Jacob. Hovium, tanquam oculorum rimatorem præcipuum, ac verè accuratum, ut & Celeberrimum in oculorum morbis Medicum Practicum, D.um de Wolhouſe, Equitem Anglum Pariſiis artem ſuam maximò cum omnium applauſu exercentem.) morbum hunc in alteratò ac obſcurato plus minus criſtallinô conſtituunt; cujus proptetea è propriâ ſede ad inferiora deturbationem pro mali curâ exigunt. Operatio tamen cùm æque feliciter perficiatur ab utriuſque ſententiæ patronis. De eâ omiſſis omnibus hàc in parte diſputationibus, in ſequentibus agemus, quod Chirurgicam Praxim ſpectat præcipue ſectari ſtudentes, atque in Bibliothecam noſtram Medicam, quæ Phyſiologica magis ſunt, rejicientes. *Veniant itaque primò*,

Curationes.

CAtaracta eſt membrana ſeu tenuis pellicula genita in oculo ex pituitoſa aliqua materia vel craſſo vapore ad oculum & albugineum humorem delato, & ibi calore capitis paulatim in pelliculam condenſato; quæ pellicula ſua oppoſitione impedit receptionem ſpecierum viſibilium in humorem cryſtallinum, ſeu tranſitum earum per pupillam, ex quo contingit cæçitas.Illa pellicula eſt opaca, alioqui non impediret viſionem; Et occludit ſeu obſtruit pupillam; ſi enim alio loco eſſet quàm ante pupillam non ſic impediret; ſuſpenditur ergo tanquam velum quoddam vel ante vel retrò pupillam. Dico retro vel ante; quia locus ejus communiter eſt ante vel intra pupillam, id eſt profundius quàm pupilla & poſt eam & ſic intra tunicam uveam; interdum verò eſt extra pupillam, ſeu ante eam & extra tunicam uveam id eſt inter uveam & corneam, ſeu in ſpatio illo quod ab iride oculi comprehenditur, & conſtituitur, à tunica uvea compreſſa, & ipſa cornea. Itaque cataracta eſt in humore albugineo. Talis cataracta, cum eſt adhuc in fieri, priuſquàm in pelliculam eſt condenſata, & in forma humoris eſt adhuc fluctuans, eſt curabilis per medicamenta diſcutientia & nulla ratione curabilis acû ſeu Chirurgia. Sed quando jam eſt in formam pelliculæ continuata, & condenſata, tunc non eſt amplius curabilis per pharmaciam; ſed tantum per Chyrurgiam.Medicamenta omnia, quæ id poſſunt præſtare, ſunt diſcutientia: illa autem non poſſunt pelliculam jam condenſatam & ſiccatam diſſolvere, quinimò cùm calida ſint magis exſiccando indurant.

Hæc Cataracta cognoſcitur tum ſignis à ratione deſumptis, tum ipſo ſenſu.Eſt enim facilè viſibilis, & ubi eſt, ibi pupilla non apparet integra, ſed alba: præcipue cùm cataracta eſt valdè externa, ſed ſi profundius lateat, tum quidem adhuc pupilla quodammodo integra apparet, ſed tum in profundo in ea, quaſi album velum ei obtenſum videtur. Signis à ratione deſumptis cognoſcitur, quia æger cæcus eſt & cæcitas illa paulatim exorta eſt, & paulatim majus majuſque cœpit incrementum.Primò enim muſcę, cimices & nubeculę ante oculos volare viſæ fuerunt, poſtea viſus minui & res feneſtratæ ac in iis integræ maculæ apparere inceperunt, tandem verò cæcitas magis magiſque oboriri.

Variæ ſunt differentiæ cataractarum, alia ſumitur à ſitû, quia alia eſt extra uveam & pupillam, alia intra, uti ſupra dictum. Quæ quia diverſo modo debent curari, diſtinguendum eſt quo loco contineantur. Quæ intra uveam eſt diſcernitur profunditate; quæ extra exterioritate, viſus enim facilè dijudicat, unam eſſe exteriorem, alteram interiorem. Denique cognoſcitur ex eo, quod quando eſt intra uveam, tunc videtur rotunditas pupillæ, quando verò eſt extra, tunc tota pupilla eſt obducta, nec illius ulla veſtigia apparent. A quantitate etiam ſumitur differentia, nam aliqua cataracta tegit totam pupillam, aliquam partem tantùm aliqua. Cùm tota pupilla eſt tecta, tum adeſt abſoluta cæcitas, cùm pars aliqua tantum, tunc res apparent, vel quadrangulatæ, vel triangulatæ, vel medię, vel feneſtratæ, prout eſt figura ipſius cataractæ &c. A ſubſtantiâ, quia alia eſt ſubtilis, alia craſſa. Cùm ſubtilis; tum res videntur obumbratæ, ac ſi pannus quidam lineus ſubtilis eſſet ante oculum, cùm craſſa eſt omnimoda cæcitas. A qualitate; Nam alia eſt mobilis, fixa alia, alia eſt cinericea, cæleſtina, alba, citrina, nigra, margaritalis, gypſea, viridis, ſubrubra, argentea, vitrealis, plumbea, turchini coloris, ſimilis ferri nitentis ſeu aquæ marinæ.

Priuſquàm Chyrurgus ſeſe operi accingat, ut laudem referat ex ſua operatione, debet conſiderare, an cataracta talis ſit, quæ ſit benè deponibilis necne, non enim omnes prædictæ differentię, eque bene ſunt deponibiles. Si enim non ſit deponibilis, non debet operationem incipere, ne cogatur poſtea cum infamia deſerere. Si eſt facile deponibilis, animoſe opus aggredi debet. Si dubie aggrediatur, cùm prædictione id faciat, in primis recens & non confirmata cataracta non eſt deponibilis: talis enim adhuc eſt pultacea, & nedum ſatis in pelliculam condenſata, ideoque quando acû tangeretur, finderetur, & acus eam pervaderet, & ſic non poſſet eam deprimere: Debet ergo eſſe confirmata, ſigna confirmatæ ſunt perfecta cæcitas, ſicut æger diſtinguere non poſſit colores, ſecundò quod cùm oculus fricatur manû, cataracta non divellatur, nec diſcontinuetur, aut diffluat, nec humores oculorum conturbentur, ſed maneat unita. Cùm enim adhuc confirmata non eſt contraria eveniunt. Ut cataracta ſit ſolida & confirmata debet habere aliquam ætatem. Itaque ante medium annum non eſt confirmata, nec debet deponi, ſed illa tantum quæ eſt unius anni aut plurium. Nimis tamen inveterata cataracta etiam difficulter deponibilis eſt; talis enim valde dura & ſolida eſt, & tunicæ uveæ adhæret, per fibras valde fortes quæ non poſſunt ab acu deprimente ſatis facilè frangi.

Uti ergo nec nimis tenera debet eſſe cataracta, ita quoque nec nimis antiqua, cataracta quæ omnimodam adfert cæcitatem, ita ut æger per eam non videat lumen, non debet deponi, quia periculum de ea eſt, quod etſi deponatur adhuc tamen æger viſum non recuperabit. Ut ergò ſciatur an ſubtus facultas viſiva adhuc integra ſit, debet æger lumini opponi, & ejus oculus fricari & rogari, an lumen cæli videat, ſubinde ponendo manum inter lumen vel tenebras, quandò lumen non diſtinguit, vel indicium eſt facultatem eſſe intus emortuam, vel ſaltem Cataractam eſſe valdè duram. In illo caſu fruſtranea eſſet depoſitio: in hoc propter ſoliditatem irrita aut valdè difficilis. Si oculus ſanus claudatur, & æger manu Chirurgi fricetur, & parum comprimatur, & tunc ſtatim aperiatur & videatur cataracta in partes dividi ſeu ſeparari, non eſt deponibilis. Talis enim eſt nimis ſubtilis & recens & cederet acui, cùm deprimeretur. A colore etiam ſumitur indicatio.

Nam ſi cataracta eſt margaritalis, aërea, columbina, cineritia, aut Turcino lapidi ſimilis, aut plumbei coloris, aut ferri nitentis eſt, deponibilis eſt; alii colores ſunt deceptivi & rariſſimè bonum dant ſucceſſum. A motu quoq; nam ſi cataracta eſt fixa & immobilis, non debet tentari ejus depoſitio, ſi mobilis contrà. Ideò debet Chyrurgus oculum ægri altero oculo clauſo fricare vola manûs, & ſtatim oculum inſpicere, ſi videat cataractam dilatari & conſtringi, aut ſiſtolen quendam & diaſtolen pati, indicium eſt quod ſit deponibilis, contrà verò non. Spiritus etenim viſivi frictione illa cataractam vellicãt & moveri faciunt, ex quo colligitur viſivos ſpiritus adhuc ad oculum venire, & ſic interiùs in nervis opticis, aut in alia parte oculi non eſſe obſtructionem & proindè ſi cataracta deponatur nullum aliud ſubfuturum oculi vitium, & conſequenter ægrum viſum recuperaturum. Verùm etſi cataracta quoad ſeipſam talis ſit, & tam bona ſigna habeat, & videatur facilè eſſe deponibilis, tamen adhuc alia ex parte corporis ſunt conſideranda. Si enim illa cataracta fuerit in homine habente oculos malos & laborante deſtillationibus, aut lippitudine, aut continuo capicis dolore, vel etiam tuſſim, rheuma, aut continuam ſternutationem, vel vomitum, vel aliquam moleſtam infirmitatem habente, non eſt ſubeunda cura, quia vel inflammatio, vel mala accidentia ex illa punctura ſequerentur, unde febris, phrenitis, mors &c. vel eadem cataracta motu illo iterum aſſurgeret ante pupillam: unde labor omnis eſſet inanis. His prognoſticis habitis poteſt Medicus audacter operationem aggredi, propterea quòd etiamſi operatio non ſuccedat, tamen per hoc æger nihil perdet: quoniam ſi non deponatur in nullo peccat, niſi quòd eadem tantum cæcitas & eadem cataracta maneat.

Pericula quæ circa operationem occurrunt, & vitari debent ſimul ſunt iſta; Primò ut à punctura tunicæ conjunctívæ & dolore ex eo allato & oculo diuturna acûs agitatione fatigato inflammatio & inde febris, pervigilium, phrenitis, mors, vel omnimoda cæcitas ſequeretur. Secundò ne per foramen quod in conjunctiva & uvea tunicis à tranſpunctæ acu ſit, effluat humor albugineus, quo effluxo viſus vitiaretur & cæcitas fieret, tunicis corrugatis & criſtallino collapſo vel in ſitû mutato. Tertiò ne ab acû profundius adacta cryſtallinus pungatur & vulneretur, qui eſt proprium viſûs inſtrumentum. Quartò ne profundiore acûs immiſſione & verſatione humores oculorum commiſceantur. Quintò ne cuſpide acûs uvea tunica multum tangatur, & ejus nigro colore per attactum recedente albugineus humor inficiatur aut obſcuretur. Sextò ne cuſpide acûs pupilla multùm divellatur, & hac ratione corrugetur, concidat, vel comminuatur, adeoque rotundam ſuam figuram perdat, quod irreparabilem adferret læſionem. Septimò ne ſi cataracta ſit durior & difficulter cedat, dum ſic nimis fortiter deprimitur, eadem etiam ratione uvea, cui ipſa adhæret divellatur & figuram ac magnitudinem perdat.

Ut hæc omnia pericula evitentur, hæc conſideranda ſunt, imprimis, ut tempus operationis ſit congruum ſcil. ver & autumnus: Æſtas eſt inconveniens, propterea quod in magno æſtu nimium ſit periculum inflammationis vel febris oborituræ. In hyeme membranæ oculi perforatæ læderentur. Hora ſit matutina, corpore jejuno, ut impediatur vaporum adſcenſus. Dies ſit clarus, ut omnia perfectè in oculo videantur, an cil. Cataracta ſit, an retrocedat & retroacta adhuc hæreat, an verò ceciderit. Dies ſit minimè ventoſus, ne aëris à vento in cubiculo motu depreſſa ſemel, cataracta iterum elevetur, ſed quieſcat. Luna ſit decreſcens, tum enim humores in corpore minus multiplicantur & agitantur. Acus debet eſſe longitudinis quinque digitorum, ſcil. manubrium trium, cuſpis verò duorum; ſit mediocriter ſubtilis ne faciat nimis magnum dolorem, & nimis magnum in oculo foramen, per quod poſſit humor albugineus exire, non ſit nimis acuta, ſed ita mediocriter ut facili negotio ingrediatur, ſi enim nimis acuta eſſet, interius nimis facilè uveam aut corneam, aut criſtallinum læderet & exaſperaret. Debet etiam eſſe rotunda, & valdè lubrica: rotunda, quia debet valdè leviter in orbem volvendo imponi ut ſic quàm minimè oculum inquietet. Ideoque anterius planæ non valent. Sunt nonnulli, ut Albucaſis, qui ut ſubtiliores viderentur, excogitaverunt acum perforatam, per cujus foramen poſtquam jam ingreſſa eſſet, ſuctû cataracta extraheretur, ſed ridiculum eſt inventum: nam ſic humor albugineus extraheretur, potiuſquàm membrana ipſa. Adde quòd vix imponi poſſet talis canaliculus, aut ſi imponeretur, maximum in oculo faceret foramen, magnumque cauſaret dolorem. Alii voluere quidem talem canaliculum imponi, ſed non ſuctû cataractam extrahi, ſed per foramen citharæ chordam immitti uncato cuſpide, quæ cùm uſque ad cataractam permota eſſet, illam apprehenderet, & foras educeret, ſed & illa operatio nugatoria eſt, & talis quæ magis animo excogitari, quàm manu practicari poterit. Acus debet eſſe ex argento, ferro, aut auro; præſtat autem ex argento eſſe, propterea quod illa propter albedinem melius in pupilla reluceat, poſtquàm jam eſt impoſita.

Antequàm operationem aggrediamur, corpus primò præparandum eſt: aliqui dicunt, primò eſſe purgandum, ut cacochymia ablata, minus humores ulli ad oculum ferantur, aut febres oboriantur. Alii dicunt è contra, purgationem noxiam eſſe, eò quod propter illam humores in corpore & capite agitentur, & agitati aptiores ſint ad fluendum verſus caput & febrem faciendam. Sed diſtinguo, nam ſi purgatio immediate operationem præcedat, nocet agitando humores, ſi diu ante non nocet, ſed prodeſt cacochymiam tollendo. Sanior doctrina practicantium tenet 1. clyſterem eſſe injiciendum, inde venam è directo latere ſecandam & ulterius nil agendum, ſed tamen æger debet triduo ante tenui victu ali, à vino & calidis omnibus abſtinere, & ſolùm aqua potari, ut minùs ad febrem incurrendum diſpoſitus ſit. Verùm priuſquàm operatio ineatur, debet æger aliquid confortans ſumere, & ovum ſorbile cum manu Chriſti perlata, vel panis fruſtum in ſucco granatorum maceratum, vel ſimile quippiam, quo vires acquirat, nè jejunus exiſtens in ſyncopem incidat, quod ſcribunt nonnulli practici ſibi aliquando obtigiſſe; ex qua & operatio irrita fieret, & periculum aliquando, nè acû in oculo exiſtente tunicæ ejus dilacerentur. Quæcumque poſt factam operationem neceſſaria ſunt futura, ea primùm parata, & in promptu eſſe debent. Adſint, coto mundus, ſplenia, petiæ, faſciæ, & medicamenta neceſſaria. Adſit acetum, & aqua roſata, ſi forte contingeret ægrum in animi deliquium incidere.

Omnibus paratis ponatur æger in ſede humili, lumini & feneſtræ oppoſitus, ſic tamen ut radii ſolis eum non illuſtrent, neve in oculum ferantur, manus ſub genubus aptentur; nè earum motio impediat operationem. Oculus ſanus claudatur, & petia & faſcia ſuppoſitis obligetur: ſic enim firmatur, & eo firmato etiam firmatur æger, qui alioqui motu ſani moveretur. A tergo miniſter caput ægri teneat. Medicus ſeu chyrurgus ſedeat ex oppoſito patientis, dorſo lumini obverſo, ſede parùm altiori quàm

quam ipſe æger. Inter utrunque ſit ſedes cum pulvinari, quo cubitus medici innitatur, & quieſcat, ut ſit firmior manu. Tunc medicus fœniculum ore maſticet & palpebris ægri tum à medico tum à miniſtro benè apertis, medicus vaporem fœniculi ter quaterve in oculum inſufflet ut cataracta motum cum calore recipiat. Tunc ægro jubendum, ut oculum introrſus verſus naſum moveat & quietum ſervet. Si cataracta eſt in oculo dextro medicus debet operari manu ſiniſtra; ſi in ſiniſtro, dextera. Acus primum per pileum bis terve adigenda ut aſperitatem omnem deponat, tunc ore madefacienda eſt, inde indigenda eſt in album oculi externum, medio loco inter iridem oculi & angulum externum, ſic tamen ut venulæ vitentur. Tunc acus leniter in orbem volvi & revolvi, cum quadam moderata truſione debet, donec in vacuum oculi, id eſt, in humorem albugineum intra criſtallinum & uveam deventum ſit. Tum verti debet acus paulisper antrorſum verſus corneam, & tam profundè infigi, ut ejus cuſpis uſque ad medium cataractæ perveniat, acus enim mox intra oculum retrò cataractam apparebit ac relucebit, tunc ab altiore cataractæ parte incipiendo ipſa cum acû deprimi debet, & curari ut fibræ, quibus ſuperius uveæ adhæret diſrumpantur, & cataracta cadat. Cùm cediderit deorſum ſub pupilla diligenter ſæpiuſque trudi debet; & ibi uſque ad unum miſerere, cum acû detineri; ſi reſurgat, iterum cum acu deprimi debet toties donec deorſum maneat, at ſi voluerit deſcendere, & ad aliam partem declinet verſus illam depelli debet cavendo ſemper, ne pupillam dilatet aut laceret, aut criſtallinum tangat. Si obſtinatè redeat, in plures partes diſſipanda eſt.

Facto opere acus paulatim extrahatur, ut ſic paulatim foramen conjunctivæ minuatur, ne aliquid albuginei humoris per id effluat: Inde omnis quies corporis oculique imperanda eſt, ſtatim coto albus intinctus in albumine ovi tenuiter quaſſato in quo aliquid croci ſit diſſolutum, & aliquid cumini impoſitum, ſuper oculo jam clauſo ponatur, & deſuper petiæ lacte & aqua roſata imbutæ, & tum uterque oculus obveletur, & claudatur, nè unius motû etiam alter moveatur. Fronti apponatur cataplaſma repellens ex albumine ovi, oleo roſato, aceto, bolo & ſimilibus. Et ſtatim æger pedetentim ad propinquum lectum ducatur, in quo ſublevato capite ſupinus quieſcat. Non loquatur autem niſi ſubmiſſa voce; tranſeat primo die ſine cibo, ſequenti detur adhuc tenuis & liquidus, qui non habeat opus maſticatione ne motu maſticationis aliquis, etiam in partibus oculi motus fiat, & ſic detur occaſio adſcenſus cataractæ: maneat oculus ſic clauſus quatuor diebus, nec coto ſuperpoſitus removeatur, niſi maximus dolor & inflammatio aliud jubeant, ſed quotidie ſemel petiæ, aqua roſarum & lacte imbutæ removendæ. Poſt quartum diem poteſt oculus aliis localibus liberari, ſed æger adhuc tamen in lecto remanere debet, & cubiculum adhuc eſſe tenebroſum, lumen enim diſſipando & viſo ſpiritus movendo cataractam agitarent: & hoc uſque ad ſeptem dies ſecundum Avicennàm, ſecundum practicantes autem uſque ad nonum. Si alvus ægrotanti non reſpondeat, clyſtere blande movenda eſt, ſic tamen ut æger maneat in lecto, nè loco moveatur. Si interim iterum cataracta reſurgat, & nulla oculus inflammatione aut dolore tentetur, iterum deponatur acû in idem foramen impoſita.

At ſi inflammatio & dolor adſit expectandum quouſque ea ſunt ſedata; ſedantur Phlebotomia, cucurbitulis, hirudinibus &c. aliquando in deponendis cataractis ſit dachynoſis in oculo, ſeu quod humores in eo contenti appareant rubri, hoc fit à ſanguine qui ptopter aliquam parvam venam tactam exiens, albugineo humori miſcetur, ex quo qui id nunquam vidiſſet, poſſet arbitrari oculum fractum, ſed id nihil eſt, neque magnopere metuendum; poſt aliquot enim dies ille ſanguis reſolvetur, & diſcutietur. *Thom. Fienus. de Præcipuis Artis Chirurg. controverſiis Tract. iii.*

Incipiens cataracta incremento & concretione prohibetur, diæta convenienter & artificiose præſcripta, vini præſertim potentioris & caput implentis abſtinentia, vitato uſu ciborum, quibus ſuccus ineſt pituitoſus & vaporoſus, ut piſorum, fabarum, naporum, caſtanearum, omnium denique rerum quibus vis ineſt humores in corpore ciendi, & ad fluxum proritandi: cujuſmodi ſunt ſalſa omnia, & piperata ſive acria, ut allia, cepæ, ſinapi, præ cæteris verò immoderatior coïtus nocet, quia totum corpus vehementius exagitat, cerebrum, caputque debilitat & crudos parit ſuccos. Panis imperetur fœniculi ſemine conditus, huic enim vis ineſſe creditur viſionis juvandæ & oculi illuſtrandi, vapores nebuloſos ante in ventriculo diſſipando quàm conſurgere ad cerebrum poſſint. Quare eadem ratione, cydoniati, conſervæ roſarum, euphraſiæ, aut cujuſvis ex aliis rebus flatus diſcutientibus, aut ventriculum conſtringentibus compoſitæ, utilis eſt uſus. Phlebotomia & purgatio, ſi res poſtulet, oportunè præſcribentur, frictiones divertentes imperabuntur, cucurbitulæ ſcapulis & cervici affigentur: matutino tempore maſticatoriis pituita per palatum derivabitur, ſicut etiam veſicatoria, phænigmi & cauteria potentialia occipitio vel brachio applicabuntur. Verùm quia ut dicebat Plato in Charmide, neque oculos confirmare, neque deſiccare licet niſi prius caput purgetur, neque hoc niſi univerſum corpus ante emundetur, idcirco ante omnia corporis totius purgationi incumbendum eſt. Sed calens anhelitus ejus qui fæniculum, aniſum, coriandrum, nucem moſchatam, cinnamomum, caryophyllos & ſimilia ore verſat & dentibus mandit, oculis digito ante leviter attritis continuò & frequenter exceptus magnum ad humorem concretioni proximum calefaciendum, attenuandum, reſolvendum, digerendum, ac diffundendum momentum habet. Quin etiam illuſtrandorum oculorum, viſionis roborandæ, & prohibendarum ſuffuſionum, diſcutiendarumque ſi quando concreſcant & cogi incipiant. Vis maxima ineſſe creditur huic Joh. Vigonis collyrio.

℞. hepat. hircin. ſani & recent. ℔ ij. calami aromatic. & mell. an. ℥ß. ſucci rutæ ℥iiij. aquar. chelidon. fœnicul. verben. & euphras. an. ℥iij piperis longi, nucis moſch. caryophyll. an ʒij. croci ℈j. flor. roriſmar. aliquantulum contrit. m. ß ſarcocollæ, aloës hepat. an. ʒiij. fellis rajæ, leporis & perdicis an. ℥j. terantur omnia, tritiſque adde ſacch. alb. ℥ij. mell. roſat. ʒvj. conjiciantur in alembicum vitreum & deſtillentur in B. M. Stillatitius liquor frequenter oculo offundatur. Hujuſce aquæ uſu poſt univerſalia remedia abſque alterius cujuſvis remedii externi ope, plures curavi nulla lucis uſura fruentes. Aqua è corniculis quæ in fraxinis naſcuntur contuſis deſtillata ad viſum clarificandum eſt excellentiſſima.

Quod ſi his & tot remediis nihil profectum fuerit congeſtuſque nebuloſus humor in dies augeatur & inſpiſſetur, abſtinendum à remediis eſt, expectandumque donec jam non congeri ſed cogi, imò durities quædam concreviſſe videatur. Sic enim demum acu decuti poterit: aliàs ſi nondum matura, ac juſto tenerior ſit, illa velut pellicula, cùm ventum ad opus erit, acu tranſadigetur, non decutietur. Si contrà durior ſit, illa reſiſtet acui, nec decuti ſe facilè patietur.

Itaque

. Itaque quæ ejus ſit quaſi tempeſtivitas Chirurgo cognoſcendum eſt; diligenterque tenenda ſigna quibus maturam ſuffuſionem ab immatura, & ſanabilem ab inſanabili diſcernere poſſit. Nam ſola quæ matura & ſanabilis eſt manu & acu curanda, quæ immatura, ideſt quæ tenerior, & quaſi cruda adhuc, quęque durior & denſior eſt, quæ denique inſanabilis, ne tentanda quidem.

Quibus ſignis cataractæ maturæ & curabiles ab immaturis & incurabilibus dignoſcantur.

Oculo ſano clauſo, ſi ſuffuſi, poſtquam pollice attritus fuerit, pupilla ſtatim dilatetur & diffundatur, eademque celeritate in ſuum locum, figuram, colorem & ſtatum redeat, opinionem facere nonnullis creditur maturæ & confirmatæ cataractæ, immaturæ verò & nondum attingendę, ſi diu pupilla dilatata & diffuſa maneat. At maturæ, itemque denſioris, adeoque inſanabilis, commune ſignum eſt nihil eorum quæ ſpectabilia ſunt, præter lucem, & lumen cernere, diſtinguere verò aliquid aliarum rerum aſpectabilium nondum maturæ eſt argumentum: Ideò verò clauſo compreſſoque oculo ſano, alterius pollice attriti pupilla dilatatur, quæ amplificatur, intumeſcit, diffunditurque amplius compreſſione illa, quaſi compulſis a ſano in ægrum oculum viſoriis ſpiritibus. Cęterum quę ſequuntur cataractæ inſanabiles cenſentur, illæ ſcil. quæ magnæ ſunt, quæ affecta, attritave palpebra nihil dilatantur aut diffunduntur: quarum pupilla nihilo pariter illo attritu latior fit; hinc enim intelligere eſt obſtructionem ſubeſſe in nervo optico, adeo ut decuſſa quantumvis feliciter cataracta ſuperſtes cæcitas ſit manſura: nihilo plus proficias in decutienda ea cataracta, cujus oculus multum tum emacruit & phthiſi laborat. Inſanabilis etiam eſt illa quæ ex graviſſimo morbo, acerbiſſimis nempe & diris capitis doloribus, vel ictu vehementiſſimo orta eſt; Quæ gypſiæ ſunt coloris, virides, nigrę, lividæ, citrinæ, & coloris argenti vivi æmulæ ferè ſunt inſanabiles: contra quæ colore corticem caſtaneæ æmulantur, quæ cæli, ſeu aquæ marinæ colorem habent cum quadam albedine, hæ ſanabiles ſunt & feliciter ſuccedere ſolent.

De cataractæ curatione chirurgica, poſtquam ſanabilem eſſe cataractam commemoratis ſignis cognoveris, reſtat ut manu ejus curationem adoriaris, ita tamen ſi nihil ſit quod impediat. Nam ſi capitis dolor, ſi tuſſis, ſi nauſea, vomitusve ægrum infeſtet, fruſtra operam impenderis. Expectandum itaque donec talia ſymptomata evanuerint. Tempus eligendum ad eam rem oportunum, ſcilicet ſitiente luna, à fulgore & tonitru ſilente cælo, & ſub alio quàm Arietis, quod capiti dominatur, ſigno. Nam ſecundum Ptolomæum luna, ſignum illud cujus eſt membrum feriendum, tenente, ferro non attingendum. Tum Medicum conſulet Chirurgus, ſi purgatio, & ſanguinis miſſio ægro neceſſaria ſit, vel plethoricis ſymptomatibus occurratur, relapſui alioqui materiam ſuppeditaturis. Biduo poſt eligendus eſt locus mediocri lumine perfuſus, jejunuſque æger in anguſto ſedili collocandus eſt, ſic ut non adverſum, ſed à latere lumen habeat. Oculus qui curabitur mobilior efficiendus eſt ſuper alterum lana impoſita & deligata; mox chgirurgus ægro ſe adverſum ſtatuat in ſcamno paulò altiori, juſſoque eo manus ad zonam demittere, genibus ſuis ejus crura comprehendet & concludet. A tergo autem adſtabit miniſter, qui ejuſdem caput contineat & immobile prę̨ſtet: nam levi momento erui acies in perpetuum poteſt. Acus inde præparanda eſt, & in denſum aliquem pannum pluries intrudenda, ut illo velut motu lævigetur, & ad jam jam futurum opus minori dolore perficiendum tanquam incaleſcat. Ferrea ſit oportet, aut chalybea, non aurea, argenteave, ſed aliquantulum lata, acuto mucrone, quô in oculum penetret, comprehenſamque cataractam decutiat penitus, ac ne in manu chirurgi labatur, minuſque ſtabilis ſit, manubriolo inſeretur.

Hac tanquam præparatione rebus omnibus adhibita, imperandum ægro ut oculorum aciem nares verſus contorqueat. Tumq; acus intrepidè (inani enim & ſpiritibus tantum pleno loco excipitur) recta per adnatam tunicam medio inter minorem canthum & corneam loco, è regione mediæ cataractæ, ſic, ut ne qua adnatæ vena lædatur, intrudenda eſt, varieque tum quaſi verſanda, donec ad mediam pupillam ſuffuſionemque pervenerit. Ubi eò ventum eſt, ſupernè deorſum inclinanda acus eſt ad ipſam ſuffuſionem, leniterque ibi verſanda, donec paulatim eam, quantum fieri poteſt integram infra pupillæ regionem deduxerit depreſsè: inſtandum acu nihilominus vehementiuſque ad breve aliquod temporis momentum ea comprimenda, ut inferiori parti in qua decuſſa eſt inſideat, & ægrum monebit chirurgus ne oculum commoveat. Nam ſi ſic conſtans hæret neque redit, completa eſt curatio. Tum acus paulatim ſurſum referenda eſt, neque tamen ſtatim eximenda, ut ſi revehatur ac reſurgat ſuffuſio, iterum & toties, dum adhuc opus calet, & res in procinctu eſt decutiatur verſus minorem angulum, donec planè & fideliter condita fuerit. Tum igitur molliter & pari qua intromiſſa fuerat inclinatione revocanda acus eſt; ne ſi moderationem non adhibeas, una cataractam eò unde decuſſeras referas, aut ad chryſtallinum humorem primum videndi inſtrumentum, pupillamve cum ejus dilatandæ periculo, graviter offendas. Quidam opere ſtatim peracto aſpectabile aliquid ægro videndum exhibent: Sed non probat Paulus, timet enim ne intuendi ille conatus ſuffuſionem ſurſum revehat. Itaque & ſaniùs & certiùs ſtatim ab educta acu ovi albumen in aqua roſacea cum alumine agitatum, molli linteo excipere, & adſtrictionis arcendæque inflammationis gratia oculo ac vicinis partibus imponere, tumque una etiam ſanum deligare, ne ſi ad intuendum moveatur una etiam per ſympathiam & quæ ipſis per nervos intercedit connexionem ægrum quaſi rapiat, & ad motum incitet.

Poſt hæc lecto molli æger trahendus eſt, atque ita collocandus, capite ut ſit altiori: procul ſit ab omni ſtrepitu, ne loquatur, nec quid mandat durius, ne maxillæ laborent: liquidis ergo nutriatur, ut panatella, hordeato, colatitiis aut expreſſis carnium euchymarum ſuccis, gelatina, ovis ſorbilibus, & aliis hujus generis. Octavo demum die reſolvenda quæ oculos obvallat faſcia, ipſi aqua roſacea proluendi ſunt, oppoſitiſque ſpecillis, aut ſerico panno, ſenſim lumini ac diei æger eſt aſſuefaciendus ne repentino lucis occurſu offendatur. Quod ſi paucis poſt diebus ſurſum referatur ſuffuſio, decutienda iterum illa eſt, ſed altero foramine, priori enim dolet oculus.

Contingit aliquando ut acus occurſu non decutiatur integra ſuffuſio, ſed concidatur & in plures partes diſſipetur. Tum igitur ſeorſim ſingulæ perſequendæ & decutiendæ; ſi quæ minima portio ſubſit, quæ acus velut anſam effugiat, relinquenda illa eſt, virtute caloris nativi non eſt dubitandum quin tempore reſolvatur.

Nonnullæ etiam occurrunt cataractæ, quæ ad primum acus contactum in lacteam quandam; aut aquæ turbidæ perſimilem ſubſtantiam diffunduntur & abeunt, quod nondum plena concretione maturuerint, hæ tamen vel eo nomine ſperabilem ſanitatem pollicentur,

pollicentur, quod nunquam poſtea in unum ut antea corpus coire poſſint. Quare tandem etiam robore innati caloris diſcutiuntur, tumque priſtinus ſplendor oculo reſtituitur. Si quæ alia de inſperato ſupervenıant ſymptomata, novis illa conſiliis & ſuis quæque remediis profligabuntur. *Ioh. Vigierius Chirurg. magnæ lib.* 1.

Suffuſio eſt cataracta incepta. Cataracta ſuffuſio perfecta, vel confirmata. Differunt enim non ſpecie, ſed tantùm gradu.

In hoc affectu primò levis quædam viſus obtenebratio contingit, quæ ſenſim augetur, dum materia viſum impediens, in pelliculam concreſcat, viſionemque demum prorſus auferat.

Incipienti morbo diligentiſſimè occurrendum eſt, nam confirmati curationis ſpes nulla, niſi ex operatione chirurgica, acus ope.

Cùm medicamentis locus eſt, totum corpus, & præcipuè cerebrum exactè evacuandum eſt, dein humor viſum obtenebrans diſcutiendus.

Quæ indicationes cum eædem fermè ſint quæ ad guttæ ſerenæ curationem fuerunt propoſitæ, remedia evacuantia, revellentia, diſcutientia & roborantia ibi laudata, hic etiam aptari poſſunt, ut non opus ſit hîc eadem fruſtra repetere. Ab errhinis autem abſtinendum, illa enim omnia nocent.

℞. Aloes hepat. diligenter lotæ in aqua fœniculi ℥ß. caryophyll. nucis moſch. macis an. ʒß. fol. euphras. & rut. ſiccor. an. ℈ j. ſem. fœnic. ʒß. cum ſyr. ex ſucco euphras. & fœnic. fiat maſſa quæ formetur in pilulas. Doſ. ʒß. in lecti introitu.

℞. Flor. viol. ſicc. ℥ß. flor. euphras. ʒvj. flor. beton. vel eorum defectu folior. ʒij. ſacch. ad pondus omnium f. pulvis, cujus portio inſpergatur butyro recenti in pane exſenſo, ſumend. initio prandii. Capiti prodeſt & alvum humectat.

℞. Sem. coriandr. in ſucc. cydon. *ppt.* ℥iß. conſerv. flor. euphraſiæ ſolid. recent. paratæ ℥ij. flor. fœnicul. in umbra ſiccat. ℈iiij. fol. euphras. ℈ij macis ℈j. ſacch. cum aq. fœniculi in roſarum cocti ad pondus omnium, f. pulvis quo utatur è cochleari hora dimidia poſt ſingulos paſtus.

Quoad topica nihil plane immittatur oculis quod dolorem faciat.

Proderunt inſpirationes pueri vel puellæ poſt manſum ſemen aniſi vel fœniculi.

Bis terve in ſeptimana mane poſt evacuatum ab excrementis corpus applicentur oculis exta columbarum, vel pullorum, aut aliorum animalium juniorum, adhuc palpitantia, iis viventibus per medium ſectis extracta, atque ſuper oculis detineantur, donec penè refrixerint; mox abluantur partes, clauſis & conniventibus palpebris. aqua mox deſcribenda, quæ quotidie mane, etiam ſine viſceribus utiliter uſurpabitur.

℞. Succ. fœnic. ſcarleæ, rut. chelid. maj. verben. trifol. macul. euphras. an ℔ j. ſucc. napi, vini hiſpan. an. ℔ ij. mell. albiſſ. ℔ iß. urinæ pueri impuber. ℔ iij f. in balneo M. diſtillatio ut artis eſt, ſervetur aqua uſui quæ validior reddetur, ſi hujus liquoris ſumatur ℔j. aloës ſuccotr. ʒj. Ireos florent. torref. ℈iiij. vitriol. alb. depur. ʒß. ſacc. cand. ℥j. Agitentur diu ſimul, & fiat per chartam emporeticam colatura. Temperetur liquore ſtillatitio ſimplici, ſi dolorem excitet.

Dominus *Packer* paſſus eſt in oculo ſiniſtro cataractam confirmatiſſimam per annos ad minus 23. quàm albiſſimam, ſatis compactam & maturam acu deturbandam ſæpius ſuaſi; una nocte, ſine ulla cauſa externa, evanuit ſuffuſio, & licet confusè, mane cæpit & lucem aſpicere, & colores agnoſcere. Venit ad me & oculum oſtendit purum, lucidum, ſine ulla humorum perturbatione, obſcuritate aut confuſione. Pupilla minor tantùm fuit, quæ tamen clauſo altero oculo dilatabatur. Non credo fuiſſe diſſipatum iſtud coagulum, ſed pondere forſan ab uvea divulſum fundum petiiſſe aquei humoris eò loci ubi ab acu ſeparata cataracta deprimitur & ſubſidit. Forſan aſcendet denuò, ut ſæpe contingit in cataractis malè depreſſis & locatis ab operatore, niſi forſan ſubſtantia craſſior & gravis elevationem impediat.

Elapſis diebus 15. ad me rediit, oſtendit oculum clariorem. & facilè de omnibus objectis viſibilibus potuit pronunciare. Dixit tamen uxorem aliquoties vidiſſe partem cataractæ denuò aſcendentem ad pupillam quæ validâ narium emunctione illico ima iterum petiit. Proculdubio recurret, neque enim abſumi poteſt.

Mulier Angla oculiſta, vidente *Mylord Rich*, filio Comitis *Warwich*. acu aperuit corneam ſupra pupillam, & humorem aqueum exhauſit, ſive effluere ſivit, qui turbidus & obſcurior factus, viſionem imminuerat, ita ut æger quaſi per velum ſe omnia confuſe cernere crederet. Poſt humoris effluxum oculus concidit. Applicata remedia, imperata quies in tenebris: Sic proſpectum inflammationi. Aliquot poſt diebus poſtliminio ſuccreſcente humore aqueo, qui eſt excrementitius, non pars corporis, & qui reparari poteſt; intumuit, ſive repletus oculi globus; punctura ejus occluſa & conſolidata, nulla remanente cicatrice. Reſtituta viſionis acies, & perfectè curatus fuit æger.

Nota corneam non ſentire. *Theod. de Mayerne* Prax. *medic. lib. j.*

Iam alios quos ſuper Cataractâ produximus Autores, loquatur Clariſ. Antonius Nuck, *qui de ejus depoſitione ſic habet in Experimentis ſuis Chirurgicis.*

Circa oculos elegans & ſubtiliſſima occurrit Operatio, quam *Cataractæ depoſitionem* vocant. Contingit enim non rarò membranulam quandam ſive pelliculam adhærere internæ uveæ parti, ubi foramen pupilla dictum conſpicitur, quâ interveniente radii ab externis objectis procedentes, ad retinam uſque nervumque Opticum penetrare nequeunt.

Non tamen ubique eodem modo ſeſe habet: Aliquando enim pupillam ex parte tantùm pellicula tegit, ſubinde ad medietatem uſque eam obumbrat, imò nonnunquam totam obſcurat.

Quandoque malum in ipſo humore cryſtallino hæret, cujus antica ſuperficies opaca reddita colorem mutat, ſalvo manente humore aqueo.

Affectus hic pro Cataracta ab imperitis habitus, Cataracta propriè non eſt, ſed Cryſtallini humoris obſtructio à particulis terreſtribus, nullâ arte tollendis, ortum trahens.

Membranæ iſtius colores multum inter ſe variare ſolent: aliquando enim albicanti, nonnunquam gryſeo, ſubinde vitreo, quandoque flavo, mox viridi colore prædita conſpicitur; ſæpe chalybis aut caſtaneæ colorem æmulatur, & non rarò nigricat. Melioris autem notæ membranæ ſunt quæ liv idæ, & perlarum inſtar coloratæ videntur.

Notandum interim hoc loco venit, quòd Iris in Cataractâ laborantibus aliquando, veluti in ſanis, contrahatur & dilatetur. Subinde verò aut contracta aut dilatata, firmiſſimè cum ipſa Cataracta conjuncta immobilis maneat, unicùmque quaſi corpus efformet. Id quod facilè exploratur, ſi palpebræ clauſæ leni frictione agitentur, iiſque apertis oculus ſubitò inſpiciatur.

Antequam

Antequam Cura inſtituatur, examinandum an Cataracta ſit incipiens, an verò confirmata,

In incipienti, externè ſingularem uſum habet Infuſum Croci Metallorum, ut & ſanguinis columbinus calidè adhibitus. Vel.

℞. *Succ. Expreſſ. Chelidon.*
Fœnicul. aa. ℥i ſs.
Vin. alb. Gallic. ℥iij.
Fol. Majoran.
Euphrag.
Rut.
Flor. Roſar. rubr. aa. p j.
Fel. bovin. ℥ſs.
Aloës.
Myrrh. aa. ʒj.
Caphur ℥ſs.
F.S. a. deſtillatio ex M B.

Sequens etiam mixtura laudem meretur.

℞. *Aq. Fœnicul.* ʒx.
Regin. Hungar. ʒiſs.
Sp. Sal. Armon. gutt. vij. *M.*

Practici nonnulli hoc in caſu Mercurialibus utuntur, quibus ejuſmodi concretiones membranaceas diſſipatas ſe vidiſſe afferunt.

In confirmata verò Cataracta talia medicamenta perperam adhibentur, nihilque planè efficiunt. Hinc ad Chirurgiam unicè tanquam ad ſacram anchoram confugiendum. Quæ tamen non ſemper locum invenit:

I. Videlicet cùm æger de dolore Capitis pertinaci diu conqueſtus, eodem adhuc laborat.

II. Ubi febricitat, aut in alium morbum, vel notabilem ſanguinis intemperiem aut Cacochymiam incidit.

III. Quando Cataracta ad nigredinem aut flavedinem vergit, vel plumbei coloris conſpicitur.

IV. Dum factâ palpebræ frictione, Iris neque dilatatur, neque contrahitur, ſed in ſuo ſitu permanet immobilis.

V. Denique, ſi humore aqueo & Iride bene conſtitutis, malum hæreat in humore cryſtallino.

Præterea utrum Cataracta matura ſit nec ne examinandum. Cataracta nondum ad maturitatem perducta cognoſcitur.

1. Si poſt factam palpebræ frictionem, pellicula in partes diviſa & mobilis conſpiciatur.

2. Si radios candelæ, phialam aquâ repletam tranſeuntes, percipiat, coloréſque quodammodo adhuc diſtinguat. Quibus in caſibus Operatio non eſt inſtituenda, ſed in aliud magis opportunum tempus differenda.

Ubi Cataracta jam matura, (quod in aliis citius, in aliis tardius accidit) ſequenti methodo procedendum.

Corpore purgato, die ſereno & lucido horis matutinis, deponatur æger in ſedili lumine adverſo, hinc oculus ſanus obligetur, mox Chirurgi hypochondria brachiis ſuis amplectatur, totoque Operationis tempore quietum ſe teneat. Caput interim patientis miniſtrorum unus à poſteriori parte immobile contineat.

Nonnullis in more poſitum eſt oculum affectum prius maſticati fœniculi halitu irrorare, palpebraſque nonnihil fricare, quod tamen nos ſummopere neceſſarium non putamus.

Acus itaque per pannum laneum aliquoties tranſmittatur, ut parum incaleſcat, aptiorque operationi evadat: Mox Chirurgus palpebram aperiat, ægroque ad angulum majorem oculum ut convertat, injungat. Tum dextrâ manu ſi ſiniſter, ſiniſtrâ ſi dexter oculus laboraverit, unico ictu, ac preſſione aliqua tunicæ Corneæ, ſtr minis diſtantia ab Iride acum imponat, quæ ſenſim quaſi terebrando per Cornema adigatur, Ubi jam nullam ſentit Chirurgus renitentiam, ſignum eſt intra oculi bulbum acûs cuſpide perventum; tunc ad ipſam pelliculam inclinanda acus, cujus cuſpide paulatim illa ſeparanda ab Uveæ margine, ejuſque parte ſuperiore verſus inferiorem; dein leniter vertendo intra oculi bulbum ad angulum oculi externum paulo vehementius deprimenda, donec ibidem hæſerit.

Quod ſi inter operandum refractariè ad ſuperiora iterum aſcendat, vel in minimas partes abeat, tunc Cataracta tota, aut partes ejus humiliori loco ad aliquod momenta detinendæ ſunt, ne finitâ Operatione pupillam oculi rurſus petant.

Operatio dum peragitur, ſedulò cavendum, ne Cryſtallinus humor & ſanguinea tunicarum vaſcula duriori attactu lædantur; iis namque læſis aqueus humor ſanguineus, malumque immedicabile reddi poſſet.

Hiſce peractis acus prudenter retrahenda & extrahenda, oculoque læſo *Collyrium* ex *Aq. Roſar. Album ov. conquaſſat.* & *tantill. Alum.* cum linteo duplicato admovendum, & ſanus aquè ac affectus oculus devinciendus erit. Poſtea capite elevato quieti ſe componat, ſobriè & abſtinenter per aliquot dies vivat, cibiſque liquidis utatur.

Duæ verò in hac Operatione occurrunt difficultates. I. Quod acutior acus facillimè quidem per Corneam trajiciatur, ſed ad Cataractam deprimendam minus conveniat propter cuſpidis tenuitatem, quæ facilè aut pelliculam in partes dividit, aut vaſa ſanguinea lædit. II. Quod acûs cuſpis, ſi obtuſior fuerit non ita facilè Corneam perforet, præprimis in iis, in quibus Cornea admodùm dura exiſtit.

Hinc novô experimentô, & felici ſucceſſû inſtituti, duplici ſcilicet acû utimur, alterâ acutâ & excavatâ, alterâ obtuſâ. Acutâ perforatio inſtituitur, ſine terebratione tamen: mox eâdam pauliſper retractâ, cavitate ſuâ excipit cuſpidem alterius acus ſed obtuſæ, per foramen acu excavatâ inſtitutum facilem jam viam invenientis Remotâ itaque acû excavatâ, obtuſâ, eô quô ſuprà dictum eſt, modô, Operatio abſolvitur. (*De acubus pro Cataracta*, *vid. ſub titulô Inſtrumenta Chirurgica*; *Tab. X. fig.* 23. 24. 25. 26. & 27.

Hactenus de Cataractâ, ejuſque Operatione in genere actum fuit; jam ad ſpecialius quid ac multò curioſius quod nobis amicè communicatum fuit ſuper Cataractâ & Glaucomate, à Famigeratiſſimo D[no] *de VVolhouſe, Equite Anglo ac Pariſiis fœliciſſimô in Oculorum Morbis Medicô Practicô. Sic autem Ille.*

OMNES noſtri Autores (cùm Græci, tam Latini atque Arabes) in eo quod Cataractæ operationem ſpectat, Hippperatem ſecuti ſunt, eam in Infantibus ſuſcipere nolentes. Hippcratis autem Textus in ejus Tractatulo, qui parvum Tentamen *De Viſu* inſcribitur, his verbis continetur (,, *ſunt qui* ,, *colorem inter cœruleum & marinum medium referunt,* ,, *ſiquidem puero tales fiant, ubi ſenior fit, ſedantur* &c.) Notandum eſt autem, per hanc vocem (Καθιςᾶνται) *Cataractæ depoſitionem* (ſeu demiſſionem) juxta vulgarem operationem, intelligendam eſſe; quamvis nullus Gloſſographes ſive Hippocratis Interpres illius Textûs ſenſum intellexerit.

Celſus in ſuo VII°. libro (*de natura oculorum & eorum ſuffuſione*) Hippocratis mentem rectè interpretatus eſt. (,, *neque idonea curatio, ſi ſenilis ætas eſt, at ne puerilis quidem, ſed inter hæc media ætas*) Licèt Hippocratem in ſuis Operationibus, errori obnoxium

nunquam viderim; manifeſtum tamen eſt ejus tempore, Cataractæ operationem ad ſuam perfectionem non adhuc veniſſe; cùm in Infantibus infra annum ſeptimum, nec in ſenibus ſupra ſexageſimum eam exercere auderent. Ego verò, hanc Operationem, tum in Infantibus, tum in Senibus, imò provectioribus, fœliciter exercui, atque cum optato eventu; ita ut qui, in media ætate conſtituti ſunt, non perſpicaciùs videant quàm ii Infantes atque Senes, poſt Cataractę Operationem à me in iis factam. Triginta tribus diverſis Infantibus, utriuſque ſexûs, ex Cataractis Cœcis natis, viſum procuravi. In quorundam oculos Acûm introduxi, qui tantùm ab 18. menſibus nati erant; ex gr. oculos filii Dn. *l'Anglois* Pictoris Lutetiæ Pariſiorum in vico Aurelianenſi dicto, juxta hortum Regium Botanicum, degentis. Hic puer nunc decem annos natus eſt, ac dilucidè videt.

Hoc modo conſtanter proceſſi in hac Operatione in Infantibus infra ſeptimum annum conſtitutis.

Jubeo 1. ut faſciis involvantur, & 2. ſupra viri robuſti genubus detineantur, tunc Miniſter Adjutor Infantis caput continet. Alius verò à tergo eum complectitur. Rotundâ acû, in tali caſu ſemper utor, nam ſi aliam in uſum adhiberem, metus eſſet, ne ex Infantis inquietudine atque commotione, ejus oculus acu trajiceretur (è contra in iis qui rationi obediunt, lanceolatâ acû operationem exequor.) Iis Infantibus, ſtatim poſt operationem, Diacodium propino, ut ſomnum iis conciliem, & tranquilli maneant, iis applicando frontale ex unguento alabaſtrino aut populeo, quod mutatur cum compreſſis intinctis in Defenſivô ordinariô; Hiſce ultimis ſecundâ quâque horâ, nocte diéque per quatuor aut quinque dies de novô madefactis ac intinctis. Hac methodo, ex 33. Infantibus Cæcis natis, (ſive ex uno oculo, ſive ex ambobus Cataracta affectis) in nullo Operatio ſine fructu à me celebrata eſt, cùm poſt eam omnes luce fruerentur. Præ me autem nullus Oculiſta Operationem in iis Infantibus tentare auſus fuerat. In hoc ſæculo adeò docto & perſpicaci, in quo Chirurgia ad ſuam perfectionem ducta eſt, quòd error talis licèt inveteratus & malè conſtitutus ſic vigeat, valde durum & moleſtum eſt. Quæ familiarum afflictiones non prævertuntur, procurando viſum Cæcis natis, ad nihil idoneis, & qui ſæpiſſimè in quorundam Tutorum poteſtatem perveniunt, quorum illi miſeri cæci Victimæ ſiunt?

Jam 18. anni elapſi ſunt, cùm Conſtantiam inferioris Normanniæ urbem, vocarer, ut Cataractæ operationem exercerem in *Domino Boyſinor* (Regis Patrono emerito) 82. annis nato, cujus Pater ex Cataractâ Cœcus obierat; ejus etiam Filius, qui nunc in ſuprema Curia Rotomagenſi Patronus eſt, in oculo ſiniſtro Cataractâ laborat; Quæ exempla cum multis aliis, in ea ſententia me confirmant, Cataractam ſæpiſſime ex traduce fieri, atque morbum eſſe hereditarium. In illô ergo ſene qui, poſtquam à me Cataracta depoſita fuit, legens atque ſcribens cum ordinariis conſpicillis, decem adhuc annos vixit, hæc operatio mihi perfectè ſucceſſit. In eadem urbe, eundem ſucceſſum habui in Presbytero Sancti Petri, & in Gymnaſiarcha, utroque nato circiter 80. annis, & cœco à 10. annis ad duodecim. Notandum eſt, per tranſennam, vulgarem errorem eſſe, Ægrotos quibus recenter Cataracta depoſita eſt, cogere ut continuò nocte dieque in lecto ſe contineant per 8. ad 10. dies, ut vulgares agunt Operatores. E contrà, ut manè ſurgant jubeo, ac in ſellâ cubitali, lingulâ ferreâ & elatere inſtructâ, eos, colloco, ut in ea horis ſolitis cubent; quod eorum labores multùm minuit. Notandum eſt etiam, ne quidam homines robuſti atque duri temperamenti nimium Juſcula ſorbeant, propterea quòd Juſculum naturâ ſuâ vomitum excitet, nempe ſtomachi fibras relaxando. Quicunque etiam homines non ſunt purgandi, ut ad hanc Operationem præparentur, neque ea celebranda niſi tribus aut quatuor diebus exactis poſt purgantis medicamenti adminiſtrationem. Nam plerumque à purgatione commoti humores, acerbòrum eventuum cauſæ ſunt. Nec etiam eſt abſolutè neceſſarium quoſcunque Ægros adeò cogere (ut indiſcriminatim vulgò fit) in hac Chirurgiæ ſpecie. Cataracta rectè demiſſa, non adeò facilè in pupillæ regionem iterum aſcendit, ut hactenus crediderunt. Illam in quibuſdam ruſticis depoſui, qui eadem die domum ſuam reverſi ſunt, quorum alii pedibus, alii verò equo iter ſuum fecerunt (imò per duas aut tres leucas) abſque ullo adverſo caſu. Quinetiam (ex ipſâ oculi ſtructurâ & mechaniſmô intellectu facile eſt, Cataractas una vice rectè depreſſas, & velut vinctas conſtrictaſque ac incarceratas, locum facilè mutare non poſſe & ex ſuo latibulò exire; quod eſt inter Iridem & ciliares fibras. Cataractæ autem quæ redeunt, malè depoſitæ fuerunt, aut illæ ejus ſunt naturæ quæ impedit quo minùs facile ſit eas in imum oculi deprimere, propter ſui duritiem ac reſiſtentiam, in quâ ſi violentiùs ageretur interior oculi œconomia omnino deſtrui poſſet. Ad illos autem dictæ urbis Conſtantiæ Infantes ex Cataracta Cœcos natos, redeamus. Magiſtratus quinque pauperes Infantes, omnes ex iiſdem parentibus natos, atque ſingulos ex Cataracta Cœcos natos, mihi exhibuerunt. Quorum major natu 16. annorum erat, Minor verò ſex. Dum majori natu manum adhibebam (quæ erat filia) ſtatim atque Acum in ejus oculum introduxi, in me Illa evomuit, ita ut ex eo à mea illa operatione ſubitò deſtiterim, demiſsâ tamen ejus Cataractâ. Deinde cùm ad ejus ſiniſtrum oculum veniſſem, (ut ad Cataractæ demiſſionem ſimiliter operam darem.) Ecce ibi, Cataractam in imò oculi collocatam adinvenio, filia autem ex eo oculo optimè videbat, æque ac *ſi jam Acum in eam indidiſſem, & ex eadem acu convolutiones neceſſarias feciſſem* (ad hanc circumlocutionem, unica voce Emphatica, gallico Idiomate *éguilleter* Dn. Woolhouſius utitur.) Rectè etiam notatur, illorum Infantum matrem, totô graviditatum ſuarum tempore ſemper aliquot inſultibus Epilepticis laboraſſe. Neque abs re erit obſervare Cataractas (ut & Glaucomata) ex ſe ipſis aliquando, à priori loco ſub pupilla ſejungi, & radiis viſualibus liberum pupillæ foramen relinquere. Cujus rei innumerabilia vidi exempla. Quidam ex lapſu, alii ex ſaltu in fluvium, natandi gratiâ, alii ex ſternutatione, alii ex ictu ſupra caput aut ſupra oculum, alii rudibus digladiando, alii ex oculi ægroti frictione ſimplici, ſubitò ſuis Cataractis liberatos ſe viderunt. Similis Caſus recenter accidit in Perſona Dni. *Trottier* Sculptoris, Lutetiæ Pariſiorum, in Area fontis in Palatio degentis, menſe Junio præterito hujus anni M D C C XLIX. Ille homo, ætate 67. annorum, cùm recèns Oculi dextri Cataractam illi demiſiſſem, coram pluribus Chirurgis & ſimul quatuor aliis à me in hac Arte inſtitutis: ſtatim atque ſiniſtrum oculum perforaverim & operam conferre inceperim, tantillum caput circumgiravit, quod fecit dilatationem in orificio punctionis factæ per acum meam lanceolatam ita ut omnis aqueus humor dilapſus fuerit, & poſtmodū inter Tunicam conjunctivam & Scleroticam, trumbi ſive tumoris ſpeciem formaverit. Tandē Cornea tranſparens planè rugata & ſtriata facta fuit, Oculus verò depreſſus ac demiſſus inſtar diſrupti oculi, ita ut non amplius eſſet locus ad eum, manus adhibere

ad videre. Ille Caſus, unus eſt ex iis qui frequentius occurrunt, & ex eo nullus pravus advenit effectus, inter manus ſaltem periti Ophthalmiſtæ, Humor enim aqueus citiùs quàm per unius diei ſpatium reparatur. Ut autem paucis dicam, cùm ille Dominus *Trottier*, ex dextro oculo planè curatus fuiſſet, & quinta die amborum ejus oculorum faſciæ ſolutæ eſſent, ac in cubiculo ambulare inciperet; ex oculo ſiniſtro, ſe objecta diſcernere percepit; (Equidem in ſuperiori parte oculi Cataractâ ſolutâ circiter unius lineæ latitudine) intra 15. dies tota evanuit Cataracta, & Dn. *Trottier* legit ſcribitque cum illo oculo (æque ac cum alio) minimos imò characteres cum ſeniorum conſpicillis. *Plinius* (*lib.* 11. *cap.* 37. *hiſt. ſuæ nat.*) annotavit pleroſque homines viſum recuperaſſe per *Suffuſionis* Operationem, poſt viginti annorum cæcitatem. Illud *Plinii* tempore extraordinarium apparuit. Verùm unus ex iis qui hanc artem à me didicerunt, nomine *Bonnez*, nunc Regis Boruſſiæ Chirurgus, viſum reſtituit pauperi mulieri ex Noſocomio Pariſienſi, in oculo ſiniſtro, quæ viſum perdiderat jam à ſexaginta tribus annis. Memini autem id ipſum me executum fuiſſe in urbe *Fimes* dictâ in Campania Galliæ Provincia, in fabro lignario, poſt 50. & aliquot annorum cœcitatem. Patris mei (ut & Doctoris *Tourberville* ſententia erat, per hæc verba *Plinii* (*poſt vigeſimum annum multis reſtitutus eſt viſus, humore emiſſo*) quòd ille Autor intelligebat eam ſpeciem παρακενθέσεως Operationis, Effuſionis illius humoris aquoſi craſſi & turbidi in ſenibus, quorum viſus iterum naſcebatur per novi aquei humoris regenerationem. Celeber ille Oculiſta *Tourberville* illius fœlicis *Operationis Reſtaurator*, potiùs ſeu *Inventor* erat. Verùm cum illa audax, exquiſita atque elegans Chirurgia, tempore *Plinii* prorſus incognita eſſet; Cenſeo potiùs *Plinii* Textum alteratum fuiſſe ex *Librariorum* ignorantia, & legendum eſſe (*demiſſo*, non verò *emiſſo humore.*) *Celſus* enim *Cataractam* vocat *concretum humorem*. Fortè etiam tunc temporis *Cataracta* planè ex oculo extrahebatur, (ut exiſtimat *Albucaſis.*) Tunc autem cùm humor aquoſus ſimul efflueret, homines qui aderant, eum caſum, præcipuum *Operationis caput* eſſe, cenſere potuerant. Omnium enim ſæculorum Oculiſtæ, illam manualem Operationem valde reconditam & ut magnum *Myſterium* habuerunt. Illam *Cataractæ Extractionis* Operationem bis tentavi, idque utendo acû à Clariſs. Dn. Dn. *Albino* Med. Profeſs. Lugduno Batavorum, adinventâ. Una ex iis *Cataractis* (quæ erat in oculo nominati *Bourck* invalidi) quamprimum triangularis facta fuit, oculo depreſſo ceu diſrupto manente, nec ad ſuam plenitudinem rediit, niſi poſt tres exactos menſes, *Cataractâ* ſemper perſiſtente, ſicut erat Operationis tempore. Altera verò optimè ſucceſſit; Patiens erat Dn. Ducis Burgundiæ *Linteorum Purgator*, qui *Sancto Germano in Lay's* domicilium ſuum habebat. Multas tamen exprobrationes paſſus ſum, ex eo quod, niſi poſt quinque circiter menſes, ejus perfectam *Curam* viderint. Denique, propter illius Operationis tot malos eventus, tot impedimenta, atque ejus Curam nimis longam, à tali Operatione diſcedere coactus fui.

Erronum, Agyrtarum atque aliorum omnium Circumforaneorum Operatorum Praxis valde vituperanda eſt, in eo quod de medio die, ac ſplendente ſole Operationem illam exerceant, & quòd multa ſplendida lucidaque objecta Ægrorum ſuorum naſcenti viſui exponant. Qui ita curati ſunt, ceu fulminis ictum in oculum vibratum ſenſerunt, & proptereà nunquam objecta diſtinguere potuerunt, niſi in ipſo Operationis momento, ut plerique eorum mihi retulerunt. Talem autem *Luminis Columnam*, illum naſcentem, ac proinde delicatulum tenerumque viſum inundare ac deprimere poſſe, facilè judicare poſſumus (abſque *Lucimetro* novæ inventionis inſtrumento.) Præterea nùnquam ad optatum finem perveniet Oculiſta Operator, ſi in ſplendente ſole omnes Operationis ſuæ Actûs exerceat. Pupilla enim in magno lumine nimium conſtringitur, contrahitur & coarctatur; ideò (niſi fortè fortunâ) illud tantùm quod percipitur per minimam Pupillæ aperturam, ſive Iridis foramen auferre poteſt *Operator*. Iſtiuſmodi experientias innumerabiles vidi. Dn. *Abbas* * * * Canonicus in * * * (cui defunctus Dn. *Girard* è regione feneſtræ Cataractam depoſuit,) velut duas *Pupillas* habet, unam nempe *albam*, alteram verò *nigram*; *Alba* autem circulum facit, linearum duarum latitudine; Circa verò *nigram*, unde dictus Dn. *Girard*, quicquid, in aperto ſole, illius Cataractæ, oculis ſuis offerebatur, abſtulit. Si Dn. *Girard* ad feneſtræ latus (non verò ad multam lucem) illam Operationem exercuiſſet, dilatata fuiſſet Pupilla, & tunc totam *Cataractæ* capacitatem Operator facilè abſtuliſſet. Ut ut ſit, Ille ad iſtam Operationem minimè idoneus eſt, qui eminus tantùm objecta cernit, ut vulgò accidit cùm ad 52. ætatis annum perventum eſt; Talis Oculiſta conſpicillis utatur neceſſe eſt, imò ut Ægrum à ſe dimoveat, & ferè extra *attactum* manûs Operantis; nempe ut in *exquiſita* illa *Chirurgia* quæ à ſe agenda ſunt, optimè perſpiciat. Fœlix ille *Oculiſta*, qui naturâ & à teneris annis *Myops* eſt! Fœlix etiam Æger, cui talis advenit Ophthalmiſta, cui nunquam conſpicillis opus erit, in quacunque ætate, licet provectiori. Ita ut ipſamet natura concurrere debeat ad formandum perfectum *Oculiſtam* à nativitate. Et *Myopia*, quę in aliis hominibus defectus & vitium dici poteſt, quoad Ophthalmiſtam, perfectio maxima, atque tum ſibi ipſi tum aliis valde utilis ſit.

Si Suffuſio (durante manûs exercitatione) per pupillę foramen tranſeat, Æger in dorſum ſuum proſtrandus eſt, capite valde inclinato, tunc corpus extraneum (per illud foramen pupillæ dilatatę) iterum tranſibit in interiorem portionem aquei humoris: quod ſi intra unum aut alterum diem non eò revertatur, oculus identidem fricandus eſt (eundem ſitum inverſum ſemper conſervando) & certò rurſùs intrabit, niſi juſtò majus ſit, & ejus fibræ nimiùm fortes duræque. Si poſt operationem Cataracta iterum aſcendat, Æger ſuper oculo in quô operatio facta eſt, ſpeculare geſtabit factum ex dimidia parte teſtæ nucis in medio perforatâ, ut vulgò fit pro Infantibus luſcis; ſic Cataracta intra paucos dies deſcendet. Illius Inventi primum experimentum feci apud Dn. *Buckly* (fratrem Dn. Duciſſæ à Berwich) cum omni eventu & plauſu imaginabili coram univerſo Regio comitatu Anglico Sancti Germani in Layis (in Gallia.) Sunt tamen aliquando Cataractæ duræ (quæ totâ ſuâ latitudine ſe extendunt inter Corneam & Iridem,) quas neceſſarium prorſus eſt in naturale ſuum centrum repellere, quod ingenioſè perficitur, Corneam tranſparentem perforando, infra Iridem, lineâ procul à Conjunctivæ margine. Si *Glaucoma* ſic tranſiiſſet per Iridis foramen, tunc parva inciſio per Corneæ medium omnino facienda eſt (nempe infra Pupillæ aperturam) & Glaucoma extrahendum cum volſellis ob id unum fabricatis, ut in quamplurimis occaſionibus exercui. Idem *hypochyma elaſticum*, tribus aut quatuor vicibus demitti poteſt (modò quatuor aut quinque dierum ſpatium ſit inter quaſque operationes) cavendo ne unquam acum introducas per ullam cicatricem antea factam. Corpus extraneum tandem cedet, atque obediet iteratis acûs conatibus, cùm ſit abſque nutrimento, mollius, extenuatum, marcidum, & minus loci occupans.

Cùm

Cùm Cataracta Iridis partis poſteriori prorſus adhæret, nec ullo modo divelli poteſt, tunc in ejus ſola perforatione aquiſcendum eſt, quę fiet in ea parte, quam Operator acû ſuâ attingere poterit. Hoc modo viſum pluribus reſtitui. Suffuſio vacillans, in oculo hac illac natans, incurabilis habetur. Illius tamen cura ſemel mihi rectè ſucceſſit, in Nobili Hiberno, nomine Mac Donnal, qui, hoc uno nomine Lutetiam Pariſiorum venerat, me conveniendi causâ, ad illam operationem, Attamen hic morbus ſæpiſſime habetur pro *Criſtallinô luxatô & è loculô ſuô extractô.* Facilè eſt alterum ab altero ſecernere. Glaucoma enim denſum eſt & ſphæricum, atque interiùs oculum lædit, duricie ſuâ in motu ſuo & inſtabilitate, dolorem fluxionemque procreans, & denique integram vitrei humoris diſſolutionem producit. At Cataracta eſt ſine dolore, & in limbis ſuis tenuis apparet. Glaucoma difficulter, & tantùm poſt plures motus erigitur, & deinde, unâ operâ inſtar lapidis corruit; Cataracta verò ſemper fluctuat &c. difficilè præcipitatur, ſed facilè erigitur.

Dn. *Boiſſonnet*, Chirurgus & *frater Beneficiarius* Noſocomii Regii CCC. Cæcorum (*des quinſe vingts*) Pariſiis, talem reapſe fluctuantem Cataractam in oculo ſiniſtro habet, quę illi accidit poſt plures cæcitatis annos ex *gutta ſerena*, aliter *Amauroſi*, ſive Optici obſtructione. Oculus ſemper flaccidus, & molliculus eſt, & Pupilla valde dilatata, cùm illud corpus fluctuans, Glaucoma eſt oculus flacceſſit; ſed ſi vera Suffuſio fuerit, Pupilla ſuum ſpatium & elaterem ordinarium ſervat.

Cataractæ mobilis alia ſpecies eſt, quæ non hac illac conſtanter fluctuat, in interiore portione aquei humoris Oculi, ſed quæ intus Uveæ (plus minùs) annexa eſt, & quæ cum Iridis muſculo, ampliari & diminuere videtur: nam ſe explicat, porrigitur, & maximam pupillæ partem interiùs operit, circiter ut facit membrana *nictitans* ſive palpebra interna (quæ in quibuſdam occaſionibus naturaliter exteriùs pupillam tegit) in Oculis Animantium quæ eâ prędita ſunt, quæque illam membranam, inſtar ductilis veli, ſuper oculi globum, inter palpebras trahunt, cùm ſolem & ſplendorem aſpiciunt, & in aliis occaſionibus, quando oculos ſuos ab externis accidentibus defendere volunt. Dna *Bretton* (ſoror Noſocomii *des quinze vingts*) in oculo ſiniſtro *Cataractâ* laborat, in obſcurô locô pupilla tota retecta apparet; nec tamen multò plus dilatata quàm aliàs. Verùm illa mulier non malè tunc videt: ſed ſplendente ſole illâ ſuffuſio extenditur, imò & interponitur magnæ luci, nec tamen pupilla coarctatur ceu aliis hominibus in ſimili caſu. Illa mulier cum ejuſcemodi Cataractis in duobus oculis nata eſt. Cuidam Operatori in mentem venit in dextro ejus mulieris oculo Acum exercere: (*l'eguilleter*) utcunque ex eo per aliquot dies videbat, ſed magna lux illi erat funeſta, & paucis diebus, ex eo oculo planè viſum perdidit. Nihil in natura curioſius eſt quàm illa ſpecies *hypochymatis.* Hæc eſt undecima illius ſpeciei, earum quas per totum vitæ meæ curſum viderim. E quibus quinque à nativitate erant; ſex alię variis accidentibus contigerant, nempe tres ſclopetorum ictuum flatu, una, rami arboris ictu, aliæ verò duæ poſt inſultus epilecticos in pueris.

Anno poſt pacem *Ryſwich*, cùm accitus eſſem *Condaum* in Hanovia à Dn. *Wadelencourt* (fratre Decani Eccleſiæ collegialis) cui ætate 75. ann. ambas Cataractas demiſi cum fœlici eventu. Ibi primò Dn. *Briſſeau* novi, qui etiam hoc uno nomine illuc Tornæſiô venerat, ut de illo caſu mecum colloqueretur. Ibi tres Pueros à nativitate cœcos ad me adduxerunt, ſuffuſionem habebant. Ferè tamen ad credendum deducor, oculum dextrum Pueri (ætate 13. annorum) Glaucomate complicato cum hypochymate, laboraſſe. Corpus extraneum valde craſſum erat, & magnam pupillæ dilatationem procuravit ſuâ demiſſione, poſt operationem. Puer ex eo oculo objecta non diſtinguebat; ipſe autem quandoque epilepticis inſultibus tenebatur. Puella autem ab 11. ad 12. annos nata, rectè viſum ex ambobus oculis recuperavit, licèt illius Cataractæ olivarii coloris eſſent, quibus antiqui *Glaucomatis* nomen dabant. Filia verò à 17. ad 18. annos, (ſimiliter è Cataracta cœca nata) oculos continuò movebat, & indeſinenter inſtabiles paralyticos que habebat, quod antiqui Græci ὕπτον vocabant, quod peſſimum eſt prognoſticum ad proſperum eventum demiſſionis Suffuſionis, ut revera accidit erga illam filiam, in quâ inutiliter inſudavi; cæca enim poſt operationem manſit, licèt nullæ ampliùs Cataractæ apparerent. Hæc eſt unica ratio, propter quam planè recuſavi attingere duas Suffuſiones celebris P. Alexandri in magno Cœnobio Dominicorum Lutetiæ. (*des Jacopins à Paris,*) In ſimilibus oculis, in aliis occaſionibus Cataractam attigi, atque etiam ab aliis tales demiſſas vidi, ſed ſemper ſine fœlici eventu; tales enim oculi guttâ ſerena ſimul ac hypochymate vulgò afficiuntur, ex eo quod in talibus oculis Paralyſis ocularium nervorum ſyſtema totum invaſerit.

Plures ſunt ſpecies (*ataractarum Glaucomaticarum*) quas eò libentiùs deſcribam, propterea quòd Nullus, ante me, clarè de iis locutus ſit, cum autopſiâ & recto diſcrimine.

Primò internæ oculorum fluxiones, ſcorbutus, morbi venerei, ſæpe ulcerationum & corroſionum in criſtallino cauſam præbent, & ex eo membranam *arachnoidem* divellunt, aut aliquas *criſtallini cruſtas*, unde Cataractæ ſpecies formatur, quæ ſemper eſt incurabilis, reſpectu viſûs; quò magis enim acu attingitur, eò minus Æger videt, præſtat eam naturæ permittere; vidi enim quaſdam quæ ex ſe ipſis reſolutæ atque infra Iridem prçcipitatæ ſunt, ita ut poſtea ægri meliùs viderent.

Alia ſpecies *Cataractæ Glaucomaticæ* eſt, cùm ſuffuſio in craſſitie, non verò in latitudine ſive amplitudine, creſcit; non dandum eſt tempus illis Cataractis criſtallinum amplectendi, propterea excuſatione uſus ſum ne illam Operationem profiterer in oculis nominati *Tarleton* antiqui domeſtici noſtrarum Monialium Anglicarum, in foſſis *Sancti Victoris* Pariſiis; bis tamen ipſe ſibi acu in oculis operationem procuravit à duobus aliis diverſis Operatoribus, qui in laqueos dilapſi ſunt, homines ſine ſcientia & eruditione, novi Operatores, in Cataracta duntaxat, illius *Tarleton* ambos oculos planè dextruxerunt, poſt multos cruciatus.

Tertia ſpecies *Cataractæ Glaucomaticæ*, eſt cùm materia morbifica hypochimatis, è vaſis adductoribus aquei humoris extillans, ſenſim & ſine ſenſu adhęret ſuperficiei anteriori Criſtallini, velut recrementum ſeu excrementum cruſtoſum & gypſeum, quod retinet & impedit vaſa ciliaria, & ne à ſe invicem ſeparentur, atque tum à criſtallino operto ſecedant, tum à ſinegmate quod paſta Cataracta illi adfixit quin terribiles vaſtationes fiant in oculo, inhibent.

Quarta ſpecies reperta eſt in alterutro oculorum in quibus operatus eſt Dn. *Geiſter*. Ibi erat *perfecta Suffuſio* in aqueo humore, Iridis foraminibus internè adhærens, & ſimul *perfectum Glaucoma* in Criſtallino; ambo contradiſtincta & ſeparata: dictæ Suffuſionis materia in parva quantitate erat, ſtatim in fila tracta & contexta, poſtmodum Iridis internam fimbriam amplexa eſt.

Quinta ſpecies *hypochymatis-glaucomatici*, eſt Cataracta ſaccoſa quæ ut plurimum uno fit impetu, cum aliqua contentione, niſu, aut vi; ut pote caſu, Epilepſiâ, Apoplexiâ Ictu in caput vel in oculum. Illa collectio materię chyloſæ & indigeſtæ, vulgò

majus temporis ſpatium requirit, ut fiat Cataracta operabilis & matura quàm omnes aliæ ſpecies ſuffuſionum glaucomaticarum ſive complicatarum. Quandoque etiam ipſemet Criſtallinus diſſolutus & liquatus eſt. Illa ſpecies *hypochymatis* antiquis nota erat, ſub nomine *Suffuſionis* lacteæ ſive *Cataracta lacticina*, quia pungendo illud corpus adhuc molle, liquorem albidum (inſtar lactis ſeu aquæ ſaponatæ) emittebat, qui aqueo humori colorem impertiebatur.

Sexta ſpecies Suffuſionis glaucomaticæ eſt cùm Cataracta præ nimia magnitudine & craſſitie non poteſt collocari inter Iridem interiùs & fibras ciliares, quod eſt artificioſum atque commodum latibulum Cataractæ depreſſæ. Illius Suffuſionis dimidia pars ſemper apparet infra pupillam: Probabiliter quandoque verum eſt *Glaucoma* quod demittitur: Ægri tamen diſtinctiùs vident in illa ſpecie *hypochymatis*, quàm poſt operationem *Glaucomatum* pro talibus cognitorum. Interea diagnoſtica illorum hypochymatum non multum differunt à ſignis communibus verorum glaucomatum Criſtallini. Pupillæ enim ſemper valde ſunt ignavæ & fere immobiles atque impeditæ, ſæpe oblongatæ, aut aliter irregulares, interdum dilatatæ, aliàs conſtrictæ. Tales Ægri diem noctemque tantùm diſcernunt; ſuperficies oculi illorum, ſi digitis tangatur, magis protuberans apparet quàm in oculo verâ Cataractâ affecto. Patem Cataractam demiſi *Sto Germano in Layis* (in Gallia) Dn. Dn. Georgio *Pooler* defuncti Regis Jacobi II. vice-Cubiculario, ætate 75. annorum. Ille per reliquum vitæ ſuæ, è parte ſuperiore pupillæ, objecta omnia videbat.

Septima ſpecies *Suffuſionis glaucomatica* eſt, ubi materia morbifica ſuffuſionis, in tanta eſt quantitate, ut totam interiorem cavitatem oculi, inter pupillæ foramen & criſtallinum, ſitam impleat, poſtea per dictam pupillam exit, atque pariter primam cameram implet inter Corneam & Iridem.

Octava ſpecies *hypochymatis glaucomatici*, eſt, ubi integra colliquatio eſt, ſive fuſio criſtallini, qui *Vitrei* ſinum relinquens, internam Iridis laciniam amplectitur. Dna à *Sto Paulo* (Xenodochii Monialis antiqua) ſimiles Cataractas glaucomaticas habebat. Devitavi in eâ operationem facere quam Dn. *St. Yves* inutiliter fecit (ſicut ei illud prædixeram) licèt Dni *Mery*, *Thibault* atque alii illi aſſeverarent, eam Cataractas habere valde ſanabiles, omniaque mea *Glaucomata*, veras eſſe Cataractas, bonas & curabiles.

Nona ſpecies *hypochymatis glaucomatici*, omnes continet à Dn. *Anthonio Maitre Jan* commemoratas, ubi ille Autor materiæ ſuffuſionis, titulos *comitatûs* & *appendicis* adſcribit, cum criſtallini ulceratione. In hac ſpecie Criſtallinus, è vitrei humoris ſinu facilè ſeparari poteſt, licèt in hac ſpecie complicatâ *Cataracta glaucomatica*, non adhuc viderim ægro viſum reſtitutum per acûs exercitam operationem.

Notandum eſt obiter, quòd neque Dn. *Antonius* nec Dn. *Briſſeau*, nec Dn. *Heiſter*, nec ullus Autor (ſive antiquus ſive recens) Illorum duorum *Morborum* Ideam claram & dilucidam, adhucdum nobis dederunt, ut jam jam demonſtravi & antea in meis Diſſertationibus editis de illis duobus *Morbis*. Illud autem didici, cùm per mille operationes hujuſce naturæ quas ipſe exercui, tum per *Majorum* meorum præcepta & inſtitutiones.

Cæterùm vera Glaucomata non attingenda ſunt, antequam è vitrei humoris ſinu per ſe divulſa ſint ob criſtallini ſiccitatem. Operatio illa vulgò eſt palliativa. Poſt Diſceptationem de *Cataractâ* & *Glaucomate* Lutetiæ ortam, multorum talium demiſſionem per Acum, commiſi *Operatoribus*, ex variis nationibus, à me inſtitutis, & nullus Æger ex iis operationibus viſum recuperavit, ut aliter evenit poſt veræ Cataractæ demiſſionem; quamvis ex alia parte, illa *Glaucomata* vera haberentur *Hypochymata* ab omnibus illis Dnis Pariſienſibus, qui *Oculiſta* dici volunt & tales operationes exercent, quique nullas alias operationes in oculis profitentur quàm *Cataractarum* & *fiſtularum lacrymalium*. Illi vulgares Oculiſtæ, omnes Cataractarum & Glaucomatum ſpecies ſimul confundunt. Satis laboris cum iis adhibui, ad dilucidandas eorum difficultates in hac materia. At cùm novum ſyſtema intellectu multò facilius ſit, & maximè lucrativum, illud amplectuntur. Culpâ liberatos in eo ſe dicunt, ex ſimplici probabilitate conſtituta ab Autoribus gravibus doctiſque. *Acûs Punctio* facilè tentatur & in diſcrimen adducitur. In eo, Rationes Oculiſtæ conſtant, & Æger in poſterum immunis eſt aliorum remediorum periculum facere.

Glaucomata ſimplicia à nimia quantitate humiditatis viſcoſæ & coagulantis producta, perfectè ſanantur, ſalivatione ex hydrargiro, ſudorificis, Aſellis ſylveſtribus 32. pedibus donatis. Cæterum Glaucomatum augmentum, quantum fieri poteſt, inhibendum eſt, ſecus tandem Æger in æternum cœcus erit.

Non idem eſt in Cataractis; Illius progreſſus non multum retardari poteſt. Oculiſta & Æger ambo, in ſua ſpe æqualiter hallucinantur. Equidem quomodo fieri poteſt ut parva illa filtra, illi tenues tenerique ductus aquei, illa vaſa oculi excretoria atque inviſibilia, tonum ſuum naturalem recuperent. Si quis in orbe terrarum illud mirum arcanum invenit, pro certo eſt Doctor *Hovius Enchuſia in Nort-Hollandia*. Omnes expectant ex illius liberalitate & charitate, eum illud magnum myſterium manifeſtaturum & publicaturum eſſe, ad generis humani emolumentum. Manifeſtatio Remedii ophthalmici ab Archangelo Gabriele, ad illam actionem Dn. *Hovium* excitare debet, in hac auſpicatâ temporis circumſtantiâ, qua Sereniſſ. Dn. Dux Regens (Regni Galliæ Adminiſtrator) ſe ſcientiarum Artiumque Patronum & fautorem pronunciavit. Magnus ille Princeps pro meritis remunerabitur, tale inventum, quod unice expectant ab illo fœlici & infatigabili viſûs Organi *Exploratore*.

Hìc Lutetiæ, ut & Londini, & in aliis magnis Europæ urbibus, tot homines ex omni genere affluunt, qui ſe Oculiſtas dicunt, qui Collyria & alia ſpecifica remedia ad illos duos morbos divendunt. (ut *Galeni* tempore) Interea certum eſt illas aquas plus nocere quàm prodeſſe. Ex iis Cornea imbibitur, relaxatur, fit opaca, ulceroſa &c. Ex iis etiam impræęgnatur Conjunctiva, quæ propterea decorem ſuum atque ſuam albedinem naturalem amittit; & tumet atque vaſa ejus capillaria turgida fiunt, ut advenit ebriis & iis qui multùm lachrymantur; denique Iridis muſculus ſuam colorum varietatem vivacitatemque perdit atque ſuum elaterem. Pupilla etiam ex eo aliquando dilatata eſt, & quandoque conſtricta, pro Collyrii qualitate; vaſa *hydroblepharica* glandulæ lachrymalis diducta, aperta; & ſemper ſtillantia ſunt: Puncta lacrymalia obſtructa ſunt, & dulcis liquor, qui indeſinenter oculi globum irrigare debet, alteratur; Glandulæ ciliares multùm afficiuntur, tonum ſuum amittentes, lippitudinem & lutum emittentes; Cartilagines palpebrarum flaccidæ & molliuſculæ fiunt; denique motus oculi impeditur ſanguine, & conſtanti fluxione ad partem attractâ. & ſæpiſſimè ex parvo malo plura mala magni momenti cumulantur. Interim cùm illud *Empiricorum gratioſum ſit peccatum*, ejus curſum ſiſtere impoſſibile eſt. Æger ſive jure ſive injuriâ (rectè aut malè) ſanari vult, uſus

ophthalmicarum aquarum immemorabilis & ætatis. Omnes Autores (cùm antiqui tum moderni) magnificè multas exponunt. Contra illam *Maniam* fruſtra declamatur, *Obſequium amicos, veritas odium parit.* . . . Nonne illi *imperiti Empirici* ad maximos Principes prolati ſunt, qui eorum victimæ fuerunt, non minùs quàm ſordida & abjectiſſima plebs?

Invalidus, cui mihi glorioſum fuit Suffuſionem demittere, coram S. M. Cæſareâ Moſcoviticâ (id ipſum dictâ Majeſtate requirente, aut potiùs mandante) natus erat *66.* annos. Factus erat coecus proelio *Hochſtet*; ejus Cataracta duriſſima erat; Per manualis operationis tempus, novies variis vicibus iterum aſcendit, & cùm oculi faſciam ſolvebam quinta die, redierat & è profundiore ſitu in quem ipſam demiſeram emerſerat. Iterum eam depoſui poſt duorum menſium ſpatium cum fœlici ſucceſſu; quod mihi ſemper certum fuit in ſimilibus Cataractis, quæ molliuſculæ fiunt, paulò poſt illarum depoſitionem; etenim marceſcunt, à vaſis ſuis & filis nutritiis ſolutę: Imò multi homines qui ſecundam punctionem ſubire noluerunt, temporis continuatione planè ſanati ſunt, abſque ulla alia medicatione.

Hoc evenit (jam duo ſunt anni, nempe an. MDCCXVI) *Sto Germano in Layis*, in Dn. *Leé* antiquô Aulicô defuncti Regis Jacobi II. LXXX circiter annos natô. Cataractam habebat in oculo dextro à quinque annis, Acûs operationes in ea exercui coram Dn. *Gautier* illius urbis Medico, & magno concurſu Dn. utriuſque ſexûs ex ſuis Amicis & neceſſariis. Aderant duo ex Oculiſtis à me inſtitutis, ſcilicet Dn. *Mazeret* (filius Chirurgi Majoris *de Brouage*, in Santonum agro) & Dn. *Bullerus* (quem magnus Toſcaniæ Dux Florentiâ ad me miſerat ut oculorum operationes addiſceret) mirum in modum omnia ſucceſſerunt; materia ſuffuſionis ligata, primò acûs ictui obediit, neque ampliùs apparuit; & Æger omnia objecta ſpecifica cum diſtinctione videbat: Interea hæc ipſamet Cataracta intra quindecim dies rediit, atque Æger nihil ampliùs videbat. Multùm inſtavit ut ad Operationem regrederer, quod identidem differebam, ſperans hypochymatis corpus iterum ex ſe ipſo deſcenſurum & ſe immerſurum in inferiorem partem Iridis. Denique cùm nullam ulteriorem excuſationem haberem, quin illi morem gererem, eum adibam cum aliis in arte à me *inſtitutis*. Ægro nunciatum fuit me ædium gradus aſcendere, tunc alacriter & præcipitanter mihi obviam venit; veſtigio peccavit, & parum abfuit quin è ſummo graduum cecciderit, tunc nos mutuò complexi fuimus; Cum in cubiculum rurſus ingreſſi fuiſſemus, ejus Oculum antea operatum conſpici, & nullam in eo Cataractam perſpiciens; Dixi illi, me igitur fefelliſti, Domine; me advocaſti, ut operarer in oculo tuo ſiniſtrô, cujus Cataracta non adhuc eſt in ſtatu convenienti. Brevi, ille voce captus & attonitus, tandem multùm venuſtè mihi reſpondit, unicam meam præſentiam potuiſſe expellere ſuam Cataractam, quæ acûs meæ cuſpidi non ampliùs obſiſtere audebat. Ab uno circiter anno, in ſiniſtro etiam ejus oculo *acûs operationem exercui* cum fœlici ſucceſſu, & perfectè ex ambobus oculis videt. Secunda illa Suffuſio, in pupillæ regionem non amplius iterum aſcendit.

Noel *Hirondelle* operarius, ætate 82. ann. cui duas Cataractas depoſui *Sto Germano in Layis* in ambobus oculis, coram Medico Regis Angliæ Jacobi II. & aliis Nobilibus Perſonis primi gradûs à vulgo diſtinctis, perfectiſſime viſum recuperavit (ut tota Civitas *Sti Germani* id novit) nihil tamen adeò tenue, ac erant illæ duæ Cataractæ; Atque omnes adſtantes videbant quidem Acum in oculo per medium & ultra corpus extraneum; non erant igitur Glaucomata.

Conſultationes.

Imminuta viſio, quam novem ab hinc annis patitur ſereniſſima matrona in utroque oculo, eo progreſſa eſt in oculo ſiniſtro ut nunc ferè nihil ipſo videat, etiamſi perſpicillis utatur. Id non aliam ob cauſam, quam ob manifeſtiſſimam ſuffuſionem ejuſdem oculi pupillam fere totam obvelantem, qualis dextri quin etiam oculi pupillam invadere incipit. De quo ſane affectu ſicuti nullam video hæſitationem inter viros pręclariſſimos, quamquam volitantia corpuſcula incipiente ſuffuſione ut plurimum apparentia non pręceſſerint: ita neque ego ambigendum cenſeo, cum nullus peculiaris præceſſerit oculorum affectus, nulla inæqualitas appareat in cornea, neque lumen ſit omninò obtenebratum, quæ tunicę corneę, aut nervi optici affectum proprium indicare valeant: cumque cauſæ externæ adeo validæ fuerint, ut celerem humorum confluxum ad oculos excitare potuerint, qui illico craſſitiem aliquam adepti non difficili negocio liberam cùm ſpirituum expanſionem, tum ſpecierum receptionem impedire apti fuerunt.

Humores autem qui ad oculos confluxêre, me quoque judice, ſunt pituitoſi, cum à capite calido & humido, tum à toto corpore ad partem affectam tranſmiſſi per venas potius circa oculorum tunicas diffuſas, quàm per nervos opticos, à quibus ſi pituita vitrea fuiſſet ſuſcepta, fieri vix poſſet, quin in iiſdem impacta amauroſim vel ſaltem amblyopiam excitaſſet, nec tam facile ab ipſis per tunicam araneam ad humorem albugineum, & tunicam uveam confluxiſſet. Cauſæ externæ ut & ego cenſeo, præcipuæ fuerunt, diuturnæ lacrymæ, continua lectio, & ſcribendi labor diuturnus, & nocturnus, fructuum horariorum, immodicus uſus & variæ animi perturbationes, accendente innatâ oculorum imbecillitate, forſitan hæreditaria, cùm & fratres ſereniſſimi ſimilem oculorum affectum paſſi fuerint. Accedit naturalis oculorum humiditas exuberans, ob quam longè facilius in hunc affectum incidere potuit. Hanc enim ſolam ob cauſam ſolas capras inter bruta ſuffuſionem pati prodidit Hippocrates; quoniam caput & oculi illis ſunt humidiſſimi. Uterum in hoc affectu vix ullum locum habere mihi perſuadeo, quamquam enim nunquam conceperit ſpatio ſexdecim annorum conjugii, ſemper tamen habuit menſes ordinatos, nec unquam de ullâ re in menſium fluxu conqueſta eſt. Licet enim imminui cœperint 45. ætatis anno, & ſubinde intermiſerint 47. ætas tamen hæc ut plurimum naturalem menſium ſuppreſſionem pati ſolet.

Utinam affectûs propoſiti tam curatû quàm cognitu faciles eſſent, ſuffuſionem enim in oculo ſiniſtro jam factam, ferè totam pupillam obducentem, albam, ac ita immobilem, ut neque vel confricatione oculi dilatetur, neque ad alterius oculi compreſſionem, pupillæ dilatationem admittat, prorſus incurabilem eſſe cenſeo. Quippe quæ neque localibus inſenſibiliter digeri, neque manus operatione deponi unquam poterit; Si Græcis & Arabibus ſcriptoribus fides adhibenda: niſi forſitan emollientium beneficiò mobilitatem aliquam adipiſceretur, quod Viri præclariſſimi experiri poterunt. Inſiſtendum itaque magis præſervationi oculi dextri à majori labe, cum & ipſius jam antiqui affectus ſanatio difficillima ne dicam impoſſibilis ſit futura.

Ut itaque voti compotes fieri poſſimus, quantùm per artem licet, neceſſarium erit inſiſtere diverſioni materiæ fluentis ad oculos per revellentia & derivantia; exſiccationi capitis & digeſtioni, vel manu factæ depoſi-

depoſitioni materiæ quæ jam fluxit, atque in membranulam converſæ.

Quæ præſtabuntur quidem primò per repetitam purgationem totius, cum aliqua ſanguinis eductione ex ſaphena pedis dextri. Nec diſpliceret inuſtio alterius fonticuli in dextro interno femore pro majori revulſione, prout ſummopere laudatur ſetaceum in occipite, à viris præclariſſimis aliàs propoſitum, vel ſaltem uſcuſcula excitata retro aures in utraque parte aperta ſerventur. Aliam ſanguinis eductionem ex venis capitis non propono, cùm de nullo inflammationis principio ſuſpicionem ſubeſſe videam.

Peculiaris capitis expiatio debet eſſe accuratiſſima, primò quidem per maſticatoria, ex *fœniculo* in primis aliquamdiu adminiſtrata, ac deinde per errhina blanda; tandemque & validiora pro derivatione materiæ quæ ad oculos confluxit. Quibus peractis, blandum aliquod decoctum triginta dies circiter præſcribi poterit, exſiccandi quidem, non tamen calefaciendi vi pollens. Quod propterea confici poterit ex *radice chinæ*, *viſco quercino & ſantalis*, cum temperatis ocularibus.

Hoc enim ſpero fore, ut Sereniſſima matrona ſine jecoris incommodo uti poſſit, præmiſſo quinetiam bolo *ex trochiſcis viperinis cum ſucco cichorii concreto.*

Nec diſpliceret, ut eodem tempore comederet carnes viperarum coctas, amputatis capite & cauda. Exſiccarent enim quàm maxime & viſionem conſervarent. A quibus ſi abhorruerit, licèt non ſint ingratæ guſtui, habeat ſaltem in familiari uſû *pulverem* ſeu *ſalem viperinum*, cibis inſpergendum, non omiſſo potû jam præſcripto ex *china & viſco quercino* in aqua coctis, cum modico euphragiæ, ſtatutiſque temporibus repetita corporis purgatione per pilulas *lucis & aggregativas*, vel alias ſimiles.

His internis addenda erunt externa, cùm cephalica, tùm ocularia. Quare pro capitis exſiccatione, pulvis confici poterit ex *agarico*, *cornu cervi*, *corticibus oſtreorum uſtis*, *oſſibus ſepiarum*, & *roſis exſiccatis*, capillis inſpergendus, niſi prohibeatur ab ipſorum longitudine; vel ſaltem ſpongiis ſiccis caput frequenter exſiccetur, abſtinendo ab illis, quæ caput, vel actû vel potentiâ calefacere valeant. Quod oculum poſtea ſiniſtrum ſpectat, jam incurabilem redditum, non erit abs re uti emollientibus aliquot dies; ut puta ſucco malvæ, & altheæ deſtillato oculo adhibito cum vitrea illa cucurbita perforata, quo diutius hæreat, & emolliat magis; appoſito quinetiam emplaſtro prædicto oculo; parato ex pulpa pomi cocti, cum butyro ſæpius loto aquâ malvæ, additis mucilaginibus ſemin. malvæ & radicum altheæ. Quod ſi forte mollitiem aliquam ſuſceperit, tunc tentanda erit ipſius depoſitio verno hoc tempore, die ſereno; lunâ decreſcente. Magis tamen inſiſtendum erit alterius oculi præſervationi, per digerentia medicamenta, primò leviora parti affectæ applicita; in quem uſum fuerit radix chelidoniæ diligenter lota aquâ vitæ, contuſa, & per colum tranſmiſſa, inſtillando guttatim liquamen illud in oculum. Proderit quoque tartarum ex vino generoſo, in tenuiſſimum pollinem redactum, oculo inſufflatum. Aquæ fœniculi, fænugræci & cymini cum aqua vitæ oculo adhibitæ, cum inſtrumento vitreo, vel aqua parata ex pane furfuraceo, cum fœniculo, cymino & fænugræco pulverizato, in furno cocto, ac deinde ſic calente intra duas patinas in cella vinaria, vel in alio loco frigido, repoſito quo vapor ille denſatus in aquam vertatur; cui addantur deinde fella animalium, primò non rapacium, deinde & rapacium. Hæcque & ſimilia ad digerendum humorem illum poſſunt eſſe accommodata, quæ licèt viris præclariſſimis perquàm notiſſima eſſe cenſeam, proponere tamen debui, ut oratoris illuſtriſſimi mandatis obtemperarem. Faxit Deus O. M. ut cedant in juvamentum Sereniſſ. & Auguſtiſſ. Imperatricis. Horum tamen remediorum usû non juvante facta fuit perfecta ſuffuſio, ob quam viſione prorſus deperditâ, adminiſtrata fuit ſuffuſionis depoſitio à perito Lithotomo feliciter adeò, ut viſum recuperaverit Auguſta. *Benedict. Sylvatic. conſil. & reſponſ. Medic. Cent.* 2.

Suffuſio incipiens.

Illuſtriſſimus Vir, poſt ictum vehementem capiti prope oculum indictum, & hinc enatum tumorem, brevi tamen ſanatum, rus adhuc convaleſcens, ſe contulit, ubi præter aërem humidiorem, & impuriorem illius loci, ſæpius etiam nocturno ſeſe expoſuit, ſicque naturalem humiditatem capitis & oculorum intemperiem non parum adauxit. Quamobrem præteritis diebus ex improviſo ſenſit humorem quemdam in dexterum oculum delabi, qui objectorum diſtinctionem non ſolum eripuit, ſed viſionem ipſam offuſcavit, valdeque confuſam & nebuloſam reddidit, ideoque medicum auxilium expoſcit.

Momentanea ferè viſionis depravatio ex ſenſibili deſtillatione, & condenſatione materiæ inter tunicam uveam, & corneam, non alio quàm Suffuſionis nomine cum Celſo & Galeno nuncupanda eſt, quæ tamen in fieri in hoc casû eſt; Etenim ſi abſoluta foret, aut velum ſeu tela, aut macula, aut guttula quædam ante oculum appareret, ut vel nulla omnino eſſet viſio: prout quando eſt in fieri, fumus ſolum vel vapor, vel nebula tantummodo cernitur.

Hæc autem fit ab humore pituitoſo inter uveam & corneam condenſato ex Celſo; ſeu inter corneam, & criſtallinum ex Galeno. Humor verò iſte abundè generatus ab humido capitis temperamento, naturali quidem, ſed ab erroribus etiam in rebus non naturalibus adaucto, non potuit in oculum natura imbecillem, poſtea à vehementi ictu debiliorem factum, nec in curatione, ut par erat, corroboratum, partim non delabi, qui tamen humor neque hoc ſuffuſionis principium induxiſſet, niſi condenſationem à frigiditate oculi adeptus eſſet.

Ut malo huic conſulamus, ſatisfaciendum intentionibus à Gal. propoſitis, dicente, quòd *Oculum curare ante caput non licet, neque caput ante totum corpus.* Quare totum priùs expurgandum, inde caput, tertiò materia in oculo attenuanda & reſolvenda, antequam ſuffuſio ulterius progrediatur. Hypochyma enim in principio digeri poteſt, ubi verò diu conſtiterit, amplius digeri non poteſt. Et quamvis habeat Gal. quod promiſſiones medicamentorum in ſuffuſis magnæ ſunt, effectus verò aut nullus, aut valdè exiguus. nihilominus hoc locum habere ſupponimus in Suffuſione tantùm perfecta & abſoluta, quæ, ut inquit Paulus, immoderate coaluit; quod dignoſcitur, quia tunc ex digiti impreſſione nulla fuſio oboritur. Sperandum itaque, & licèt non ſine dubio, agendum tamen, ut ſaltem ſanus oculus præſervetur, qui facilè ob mutuum nervorum oculorum conſenſum, & ipſe quoque affici poſſet.

In chirurgico itaque fonte, facta primarum viarum expiatione ſanguis ad ℥. VI. ex cephalica dextra educendus ad evacuationem & derivationem. Et quoniam caput copioſis humiditatibus abundat, ideò cauterium utrique brachio inurendum pro curatione læſi oculi, & pro ſani præſervatione. Et ſi morbus interim potiùs augeſceret, ſetaceum in occipite per aliquot menſes conveniet. Frictiones quoque in dorſo & cucurbitula ſicca valdè conferent.

Ex

Ex Pharmacia, exhibito medicamento ex lenit. & ſpeciebus hieræ, deſumenda præparantia ex ſyr. de cich. de beton. & oxymel. ſimplici, in decoct. chich. borag. beton. fœniculi, euphrag, & ſtæchados, à qua præparatione purgentur humores elect. lenit. & diacatholicone. Inde efficaciora præparantia uſurpanda, ſyr. ſcil. comp. in eadem decoctione; Quibus ſuccedat purgatio pilulis de trib. cum rhabarb. ſine quibus, maſtic. aur. & lucis.

Toto expurgato, capiti quoque incumbendum maſticatoriis ex maſtiche, rad. Acori, pyrethro, Zinzib. & cerâ paratis, gargariſmi quoque convenient ex decocto origani, pulegii, calamenthi, hyſſopi, beton. addito oxymel. ſimplici; interim alvus lubrica ſervanda pilulis lucis, maſticinis & de hiera cum agar. ad ℥i.

Tandem ut corroboretur caput, parandum erit Electuarium ex conſervis appropriatis, nempe roſarum, è floribus beton. è flor. roris marini, niſi potius Theriacâ quandoque utatur, quæ magis fortaſſe proderit.

Si verò hiſce remediis morbus non cedat, neceſſariò deveniendum erit ad decoctum guajaci, ſalſæ, viſci querc. ſaſſafras & Santalorum, cum herbis appropriatis, per viginti aut triginta dies, ſudorem in lecto procurando: cui tamen præmitti poterit bolus ex ſucco cich. pulv. euphrag. fœniculi, ſileris mont. & chelidon. paratus.

Poſt Decoctum verò uti poterit Confectione aliqua, ex pulv. fœniculi, chelidoniæ, ſileris mont. chamædryos, ſaſſafras, & ſacch. q. ſ. Extrinſecus idoneum erit leve lixivium ex herbis exiccantibus paratum, quo abluatur caput & inde pulveribus exiccantibus aſpergatur, additis maci, caryophyll. ladano & ſimilibus, & à ſtillicidio abſtinerem, ne fuſi humores ad affectam partem copioſiùs irruerent.

Purgato & corroborato capite læſi oculi ratio habenda: & quidem inter plurima collyria eligerem decoctionem Anagallidis, Euphrag. fœniculi, chelidoniæ, in aqua fœniculi & euphragiæ, in qua diſſolvatur fel perdicis aut lucii, à proprietate oculis valde amicum.

Si his adhibitis remediis perſeveraret adhuc morbus, chirurgo relinquendus erit, dummodo tamen ſuffuſio talis ſit, ut poſſit tuto deponi, haut enim operatio non immerito ſubtiliſſima vocatur à Celſo.

His addatur conveniens vivendi modus, adeo ut vitet aërem humidum & impurum. Alimenta ſint potius aſſa, quàm elixa, & fœniculo ac petroſelino condita. In fine menſæ aliquod adſtringens ſemper aſſumat, ſomnus ſit mediocris, & nocturnus tantùm. Exercitium moderatum & ante cibum. Alvus lubrica ſervetur pilulis lucis & maſticinis. Et alacriter vivat. *Joh. Raymond. Fortis conſult. & Reſpons. Medic. T. 2. Cent. 1.*

Suffuſio incipiens.

Excellentiſſimus Comes, quinquageſimum quintum annum agens, temperamenti totiùs calidi & humidi, hepatis calidioris, & humidioris cerebri, alearum ludo noctu & aquarum potibus maxime delectatus; præterito autummo catarrhalibus fluxionibus quibus ſemper obnoxius fuit, maxime divexatus eſt. Quare Medicinæ opem tentare coactus, præter alia extractum chinæ, additis tamen ſalſâ, lentiſco & ſantalis per plures dies aſſumpſit, cujus ope bene habere viſus fuit, uſque ad Quadrageſimæ initium, quo tempore viſus dexteri oculi obtenebratus eſt, & valde impeditus in apprehendendis clare & diſtincte objectis viſibilibus; quinimò veluti nubecula quædam ante oculos apparet, quæ non ſolùm peractæ expurgationi non ceſſit, ſed potius aucta eſt. Quare conſilium tuum enixe efflagitat.

Viſus imminutio circa objecta, Myopia dici poſſet, ſi ſine ullo intercedente impedimento, & non adeo illico facta fuiſſet. At quoniam ex tempore incepit & quotidie magis increvit cùm quadam apparente fumoſitate, quæ ſpecierum ſenſibilium diſtantium impedit ingreſſum, ſicut impeditur quoque obviantium ſpirituum ad debita loca tranſmiſſio, ideo Hypochymate ſeu ſuffuſione oculum dextrum Excellentiſſimi Comitis affectum eſſe pro certo habendum; cujus quoniam tres dantur gradus, & primus eſt dum nulla in pupilla, medico intuente, mutatio, & à Patiente ſolus fumus obſervatur, ideo in primo gradû conſtitui poteſt. Cùm verò conditio hujus affectus ſit, quod ſpatio menſium augeatur & increſcat, ideò ſi ad ſecundum gradum accedat, nonniſi per telam raram, ſeu cribrum objecta patienti videre conceſſum eſt, ſicuti tandem ubi tertium gradum attigerit, prorſus aufertur viſio, & amblyopia evadit.

Fumus autem iſte apparens verè vaporoſa materia non eſt, ſed aquoſa, à vaſis oculi humoribus, & potiſſimum aqueo alimentum deferentibus, in intercapedinem inter corneam & cryſtallinum exiſtentem extruſa, quæ tractu temporis à frigiditate, tum potiſſimùm ipſius oculi, tum ambientis, & propria paulatim craſſeſcit, ſicque viſionem minuit, quæ tamen tanto tempore imminuta conſervatur, quanto conſervatur perſpicuitas atque diaphaneitas in ipſa materia etiam citra ullum alium alterius materiæ acceſſum, unde jure merito Paulus & Oribaſius ſuffuſionem appellabat, humoris præterfuſionem, inter corneam & cryſtallinum, & Aëtius humorum præterfuſorum congelationem, quare decipi ſolent qui ſuffuſiones à continuato materiæ influxu augeri credunt: ita enim exiguo tempore intumeſceret, & exuberaret oculus, aliique affectus à ſuffuſione diverſi exorirentur.

Nec defuit ſeroſæ materiæ antecedentis copia in Excellentiſſimo viro, cùm hujus excedentiæ alia manifeſta ſigna non deſint, tùm quia caput ejus eſſentialiter calida, & valdè humida intemperie jamdiu laborat, tum quia in aquæ potu ſemper deliquit, & tandem quoniam à jecoris caliditate colliquante atque fundente, ſeroſitates in eodem multiplicari alias conſideravimus, quas per venoſum genus ad cor, deinde per arterioſum ad caput delatas, & ab oculis, tum alearum ludo accenſis candelis circumſtantibus, tum etiam facilè in legendo, aut ſcribendo ſeſe exercentibus nimirum attractas, & nutritioni ineptas, vaſa ipſa in jam dictum ſpatium evomuerunt, & ſuffuſionem conſtituerunt, quæ quando ab extrinſeco intuente diſcernitur, tunc non amplius incipientem, ſed progreſſam eſſe cenſendum.

Summâ verò prudentiâ ſtatim ab Excellentiſſimo Adſtanti fuit tentata curatio, quæ inſervire quoque potuit illæſi oculi præſervationi, cùm facilis nimis unius cum altero ſit communicatio, & rara unius, & non alterius læſio. Nec deſerenda ſuſcepta provincia, cùm Excellentiſſimi Comitis corpus totum & caput humiditatibus ſcateat, quas educere, corpuſque totum, & præſertim caput exiccare noſtra ſemper intentio fuit. Et quamvis promiſſiones medicamentorum in ſuffuſis plures ſint, effectus verò ut plurimum aut nullus, aut valde exiguus; attamen Hypochyma incipiens digeri poſſe promiſit Gal. idem. Non eſt igitur cunctandum, ſed in curatione progrediendum, tum ut attenuato humore ulterius non procedat affectus, imò diminuatur, tum ut oculus ſanus, aliæque corporis partes ab imminentibus malis præſerventur.

Et ideò medicis intentionibus jam ab eruditiſſimis viris ſuppoſitis ſatisfaciendum; primò materiam fluentem evacuando, revellendo, ejuſque generationem prohibendo, fluxam verò ſolvendo, & oculos moderate calefaciendo.

Pro quibus aſſequendis ſanguinis miſſio locum habere non videtur, & ideo & à Gal. & ab Avic. omiſſa fuit, ſicut & Rhaſis quamcunque ſanguinis miſſionem prohibet, quam & nos in hoc viro Excellentiſſimo omittendam cenſemus, ſicut nullo modo omittendum cauterium in lævo brachio inurendum: nec frictiones à nucha incipientes uſque ad infernas partes, neque pedum lotiones. Interim totum corpus, quoad fieri poteſt, ab humiditatibus vindicandum. Inde caput quoque & pilulis Elleboratis, & errhinis expurgandum: oculum enim ante caput curare non licet, neque caput ante totum, ut dicebat quoque Plato in Carmide. Quod tamen ſolis purgantibus medicamentis nos aſſequi poſſe minimè ſperamus, ſed Diaphoreticis & ſudorem provocantibus intus, & extra opus eſſe pro certo habemus, alioquin & oculos & alias facile partes à redundantibus humiditatibus lædi dubio procul videbimus, ut ſuperius innuimus. Idcirco præmiſſâ jam dictâ totius & capitis expurgatione, Decoctum ſudorificum erit inſtituendum, nec de liquatione, & fluxione ad oculos quicquam timendum, dum liquatę humiditates ad extimas corporis & capitis partes alliciuntur, & per ſudorem expelluntur, ſicque ab oculis divertuntur, & interim materia jam fluxa attenuatur, & reſolvitur aut ad reſolutionem paratur. Sicuti valde ſuſpectus apud nos ſemper fuit Decocti liquantis uſus citra ſudorem, fuſi namque humores dum per ſudorem non expelluntur, ad debiliores corporis partes irruunt, ſicque præſentes affectus adaugent, novoſque producunt: credibile namque non eſt Decoctum ipſum tantum abſumere poſſe, quantum liquat. Paretur itaque Decoctum, ſed ſudorificum, adeò ut totum corpus, & caput potiſſimùm in hypocauſto exudare poſſit, nempe ex viſco querc. ligno roris mar. exiguâ pulpâ guajaci, nec non lentiſci portione, in aqua ſtillat. chich. atque beton. euphrag. aut chelidoniæ, cui ſi placeat præmitte bolum ex extracto præſcripto chinæ, aut pulverem viperinum, Peritiſſimi Adſtantis arbitrio remittimus, de cujus recto uſu plura adducere non licet.

Interim autem Ophthalmica topica externa in uſum ducenda, inter quæ quoniam crocus metallorum in aqua chelidoniæ diſſolutus à Quercetano extollitur, ideò nos tincturam ejuſdem croci parari juſſimus, ipſo croco multo præſtantiorem: cùm enim crocus metallorum ex antimonio, & nitro ſimul calcinatis conficiatur, citra metallorum miſtionem non adeo operoſum evadit tincturas extrahere. Verùm ut facilius corneam permeare valeat ipſa tinctura, præmitti poterit ſuffumigium ex vino malvatico, in quo crocus & fœniculum ebullierint, repoſito vino calente in vaſe, aut phiala vitrea oculo adaptata, ita ut fumus ab oculo eodem recipiatur: rarefaciendo enim tincturæ penetrationem non parum juvabit.

Ante ſudorem & poſt, vinum pro menſa, ligno roriſmar. & euphragia paretur medicatum. Et in reliquis congruam victus rationem à Viro Excellentiſſimo Adſtanti præſcribendam relinquimus: ſicut cætera in pręteritis noſtris conſultationibus deſcripta optime dirigi pro ſalute Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Comitis & optamus, & exoramus. *Joh. Raymund. Fortis Conſult. & reſponſ. Medic. Tom. 2. Cent. 1.*

Suffuſio incipiens.

Nob. iſte Adoleſcens temperamenti ſecùndùm totum ad calidum & ſiccum vergentis, calidioris jecoris, capitis humidioris, glauco oculos à natura ſortitus, liberè præterea vivens; annus jam agitur cum dimidio, ex quo corpuſcula quædam, ſeu atomos pupillæ obverſantes, ſurſum & deorſum moveri obſervavit, quæ modo majores quàm antea eidem apparent; nec ſemper ejuſdem magnitudinis, ſed quandoque majores, quandoque minores, ſine tamen viſus imminutione, ſed potius ejuſdem confuſione: objectorum namque viſibilium viſio non impeditur, niſi quantum loci occupant corpuſcula ipſa, nunquam ſtabilia, ſed ut ſuperius diximus, in continuo motû poſita. Pupilla obſervatur nitida, & licet non nigra, ſuo tamen naturali colore prædita, humiditas autem quandoque, licet raò ſponte ab oculis decidit. Pejora verò timens Nob. Juvenis de agendis conſulit.

Corpuſcula illa in oculis volitantia, aſcendentia, & deſcendentia, imagines dici poſſent cum Gal. ſi perpetua non eſſent, ſed modò adeſſent, modo abesſent: ſicuti quoniam perpetuo adſunt, idola potius cum eodem ſunt appellanda. Differunt autem inter ſe idola & imagines ratione cauſarum; imagines enim à materia vaporoſa ab infernis partibus ad oculos elevata proveniunt, quæ vaporoſa materia, quoniam modo elevatur, modo non elevatur, ideo nec illæ continuo apparent. Idola vero fiunt à materia humoroſa in oculo exiſtente, quæ in aqueum humorem exprimitur in intercapedine inter corneam, & cryſtallinum, quæ poſtea in atomos diverſa & à ſpiritibus ſeu per ſe commota & agitata, ſurſùm & deorſum movetur, & modo majores, & modo minores apparent particulæ illæ humoroſæ, prout quandoque elevatur quoque materia vaporoſa, quâ implentur, & majores apparent, ſicuti à calore, vaporibus reſolutis, minores fiunt, & ad priſtinum ſtatum redeunt. Oculo autem glauco exiſtenti & naturalem imbecillitatem habenti, ab humidiori capite juſto major impertitur humiditas, ſicuti à jecore & hypochondriis, fervidioribus exiſtentibus, vaporoſa quandoque communicatur materia, unde hæc mala, eoque faciliùs, additâ promiſcuâ libertate vivendi.

Quod quidem ſymptoma nuncius ſuffuſionis eſſe ſolet: jam enim præterfuſio humoris ſecuta eſt cum Paulo, & Oribaſio, unde reſtat quod uniantur corpuſcula illa incraſſentur, & ut Aëtii verbis utamur, congelentur; tunc enim adinſtar telæ ante pupillam velamen apparet, quod ſpecierum viſibilium ingreſſum impedit, & ſuffuſio, ſeu Cataracta tunc abſoluta evadit.

Jure merito igitur Nob. Adoleſcens affectum præſentem non parvi facit, cùm majora mala minetur: ideo cum hypochyma incipiens digeri poſſe promittat Gal. non ſine ſpe pręſentis ineunda curatio & à progreſſu pręſervatio. Et proximo verno tempore agendum, antequàm corpuſcula illa ſimul coeant: tunc enim ſpatio menſium viſio ſemper tenebroſior redditur.

Et quoniam oculum curare ante caput, neque caput ante totum corpus non licet, ideo primæ viæ ſunt expiandæ. Secundo totum expurgandum. Tertio caput. Quarto illud idem exiccandum, & roborandum, ut tandem materia pituitoſa tenuis in oculo exiſtens inſenſibiliter digeratur, habita ſemper caloris jecoris, & hypochondriorum ratione.

Quibus intentionibus ſatisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Et à Chirurgico deſumi poterit ſanguinis miſſio ſemel tantum adminiſtranda, eaque ex pede dextero, tum pro revulſione vaporum aſcendentium, ut minus caput & oculi refrigerentur. Cauterium quoque pro nunc in lævo brachio inurendum. Frequentes ſint matutino tempore, antequam è lecto egrediatur,

frictiones

frictiones dorſi: veſpertino verò ante cœnam pedum lotiones.

Reliqua remedia ex Pharmaceutico depromenda; ſic potio ex manna clariſ. vel ſyrupus roſ. ſolut. cum manna poterit ventriculum exonerare, ſicut cremor tart. ad ſemi unc. in jure, cortic. citri alterato diſſolutus, per quinque dies erit primum præparans, cui ſuccedat eodem medicamento ſupra propoſito evacuatio. Inde ad ulteriora præparantia erit deveniendum, & eſſe poterunt julapium quidem ſimplex acet. ad ℥j. in decoct. cichoracei addita betonica, ſalvia, & majorana; in horum uſu inſiſtendum ad dies XII. in quorum intermedio ſumat vel infuſum agar. rhab. & ſenæ, addito ſyrupo roſ. ſolutivo, vel electuarium lenit. cum diaphœn. cui ſuperbibat aquam hordeaceam ad ℔ j. vel, j. ß. quod idem medicamentum repetatur duodecim jam dictis terminatis diebus. Poſt hæc caput quoque erit reſpiciendum, tum præparantibus, tum expurgantibus; præparantia ſunt oxymel ſimpl. ad ℥ij. cui ſuperbibat ſucci beton. & euphrag. an. ℥j. in decoct. cich. endiv. meliſſæ, calend. beton. ſalviæ, euphrag. chelidoniæ: & quinque tranſactis diebus aſſumat pilularum aggregat. coch. & aurearum an. ʒ ß. quibus, tranſactâ horâ, ſuperbibat aquam hordeac. ad ℔ ij. & quatuor horis ab aſſumptâ aquâ prandeat. Repetat deinde tribus ſequentibus diebus eadem præparantia, & inde pilulas aggregat. cochias, & lucis eadem doſi, ita & tertiâ vice interpoſitis, ut ſupra, præparantibus. Quibus præparantium diebus omnibus, maſticatoria ex uſu matutino tempore erunt, ex maſtiche, pulvere ſtaphiſagr. pyrethri, fœniculi, & cerâ parata. Errhina namque ſive naſaria non valdè ab Hyppoc. probantur.

Purgatum caput eſſet quoquo pacto exiccandum: Verùm pro hac vice faciliora proponemus: quibus tamen non ſufficientibus, mox ad generoſiora, & magis operoſa alio tempore eſſet deveniendum. Fiant ergo quotidianæ aſperſiones & manè, & veſperi, pulveribus capitalibus exiccantibus, paratis ex carie lignorum, cornu cervi uſto, radice iridis florent. uſtis orizis, roſis rub. major. & caryophyll. in aqua roſac. prius maceratis, deinde exiccatis & in pulverem redactis. Poſt pectinationem perfricetur caput ſpongiâ vino albo imbutâ mox expreſsâ & exiccatâ, in quo infuſa fuerint, & efferbuerint lignum ſaſſafras, roriſmarini, radix rhodia, radix fœnicul. majoran. ſalvia. Sub ingreſſum lecti ſummo digito medio quinta eſſentia roriſmarini intincto illiniatur ſutura coronalis, & ſumat conſervam, modò è floribus roriſmarini, modò beton. modo euphragiæ.

Tandem ophthalmica quoque externa ſunt adhibenda, & eſſe poterit aqua B. M. deſtillata ex ſuccis euphrag. chelidon. fœniculi, praſſii, vino malvat. & mell. additis bovis, & lucii fellibus, cum volatilium hoc tempore haberi non poſſint; quâ aqua tepida jejuno ventriculo pluries ſunt oculi abluendi; & ut facilius corneam penetrare valeat, præmitti poterit ſuffumigium ex vino malvatico, in quo ebullierit globulus croci & fœniculi puſillus, per phialam oculis adaptatam recipiendum. Ophthalmico jam dicto feliciori cum ſucceſſu ego ſum uſus, quam celebri illo Quercetani ex croco metallorum & aqua chelidoniæ parato.

Jam dictis omnibus cautior erit addenda victus ratio, adeò ut caveat Nob. Juvenis, ab aëris inclementiis, ab eduliis vaporoſis, tum frigidis, tum nimis calidis; & præſertim ab uſu lactis, lactucæ, apii, leguminum; à craſſis & viſcidis; à vinis generoſioribus. Fugiat ſomnum diurnum, pariter exercitium à cibo; veneris immoderatum uſum; & alacriter vivat, ſed citra comeſſationes, & compotationes. Quæ à Deo Nob. Adoleſcenti ſalutaria precamur. *Joan. Raymund. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medic. tom. 2. Cent. 1.*

Cataracta unius oculi & ſuffuſio alterius.

Vir triginta quinque annorum, chymicis operationibus apud fornaces ardentes incumbere ſolitus, poſt viſus defectum in ſiniſtro oculo, cum nubeculis ante illum volare viſis, & majore obſcuritate poſtea inſecuta, paſſum & ſetonem cervici fruſtra adhibitum; aliaque remedia, quæ humorum ad oculos defluxum inhibent, incaſſum uſurpata; tandem, incraſſata in oculo pellicula, & albida in pupilla apparente, in cœcitatem iſtius oculi incidit. Dum verò etiam in dextro oculo ſimilem viſûs defectum, cum nubeculis, & filamentis ante illum volantibus, obſervat. Dextro oculo connivente, dilatatur pupilla oculi ſiniſtri qui excœcatus eſt.

Afficiuntur in hoc ægro, *oculus ſiniſter ſecundum pupillam*, ut ad oculum patet, & *dexter oculus ſecundum humorem aqueum*: ut conſtat ex nubeculis, ante oculum dextrum per viſûs fallaciam volare apparentibus.

Morbus quo ſiniſter oculus laborat eſt obſtructio pupillæ, à pellicula albicante in ejus cavitate nata, quæ radios rerum viſibilium à ſiniſtri oculi retina excludens, cœcitatemque eo inducens, *Cataracta confirmata* dicitur. *Morbus* verò *qui dextrum oculum afficit*, eſt intemperies humoris aquei craſſi, quæ particulas quaſdam opacas in eo diſpergens, & volare faciens, nubecularumque volitantium imagines in retina, & deinde in cerebro excitans. *Cataracta incipiens*, ſive *ſuffuſio* appellatur.

Cauſa procatarctica horum morborum eſt diutina apud fornaces ardentes mora, quâ pori vaſorum & membranarum nimis aperti fuerunt, & humores in capite, & præſertim oculis, incraſſati; iique in vaſis eorum exiſtentes, *antecedentem* his morbis præbuerunt cauſam: illi verò in aqueum utriuſque oculi humorem ex iis affuſi, & primùm in parvas quaſdam obſcuras & opacas nubeculas coagulati, & deinde in ſiniſtri oculi pupilla in membranam coacti, *continentem* hujus morbi & ſymptomatum conſtituunt cauſam.

A nubeculis enim in aqueo humore natantibus, & ex motu oculi in eo diſperſis & volitantibus, excluduntur à retina multi rerum viſibilium radii, atque ita integram inducit iſtius oculi cœcitatem.

Periculum hic eſt, nè in ſiniſtro oculo non tantùm panniculus ſive pellicula in pupilla ſit nata, ſed etiam ne humor cryſtallinus, vel vitreus opacitatem contraxerit, atque ita nullâ chirurgiâ per membranæ ablationem hic morbus curari poſſit. Verùm *dilatatio pupillæ oculi cœci* ſpem ſanationis præbet. Et deinde metus eſt, nè etiam in dextro oculo humores oculares tandem opaci evadant, vel pellicula opaca in pupilla tandem naſcatur atque ita cœcitatem etiam dextri oculi inducat.

Curatio tamen tentanda, quæ conſiſtet in pelliculæ ablatione, nubecularum diſcuſſione, humorum ocularium attenuatione, & intemperiei oculi correctione.

Primo itaque acû à perito chirurgo, in oculum ſiniſtrum prope extremitatem tunicæ adnatæ, adactâ, pellicula à pupilla ſeparetur, & deprimatur, ac vulnuſculum cum maxima corporis, & oculi quiete, conſolidetur.

Eo conſolidato curatio incipientis ſuffuſionis dextri oculi eſt inchoanda. Ac primò tales pilulæ erunt præſcribendæ.

℞. Fol. ſennæ ℥ß. ſem. fœniculi ʒij. aq. chelidoniæ, euphraſiæ, verbenæ, an. q. ſ. Poſt levem ebullitionem infundantur per noctem; poſtea colatura eouſque decoquatur

decoquatur, donec in ſpiſſam extracti formam fuerit redacta: atque adde aloes roſatæ ℥ ij. rhabarbari opt. ℥ ij. ß. turbith. ℥ j. ſem. rutæ, fœniculi an. ℥ ß. cubebar. macis an. ℈ j. maſtiches ℈ ij. ſcammonii ℥ ß. f. maſſa pilularum; de qua capiat bis terve in ſeptimana ℥. dimidiam, vel duos ſcrupulos, mane jejunus.

Præterea corpore aliquoties purgato, utatur hâc aqua ſtillatitiâ, cerebrum, nervos, & oculos corroborante, humoreſque oculares attenuante, mane cochlear unum quotidie bibendo.

℞. Herbarum fœniculi, rutæ, euphraſiæ, verbenæ, chelidoniæ an. m. j. ſummit. roriſmarini, ſalviæ, flor. roſar. an. p. j. baccar. juniperi ℥ vj. lauri ℥ ß. piperis, garyophyllor. an. ℥ j. cinnamomi ℥ ijß. ligni aloës ℥ ß. ſem. fœniculi ℥ ij. ſileris montani ℥ j. rutæ ℥ ß. infundantur in vino generoſo, & diſtillentur. Adhæc utatur hoc linimento.

℞. Fellis carpionum, mellis, ſucci chelidoniæ an. ℥ ß. coquantur parùm, donec inſpiſſentur, iiſque adde tuthiæ dragm. j. camphoræ ℈ ß. axungiæ thymali piſcis ℥ ß. f. linimentum pro palpebris extrinſecus ſub lecti ingreſſum ungendis.

Verſetur in aëre calido. Cibus ſit ex carnibus gallinarum, vervecum, & aviculis montanis. Caveat nimis humectantia. Condiatur cibus ſerpillo, fœniculo, betonica, ſalvia, majorana, pulegio, cinnamomo; Potus ſit cereviſia, & vinum mediocrium virium. Exercitium ſit moderatum, ſomnus brevior. Alvus reſpondeat quotidie arte vel natura. Mœſtitiam fugiat. *Henricus Regius apud Theodor. Craanen. Medicat. lib.* I.

Obſervationes

Retulit mihi Medicus quidam ingenioſus, ſe in *Hollandia* vidiſſe mulierem quandam, verâ ſuffuſione laborantem, ex conſilio cujuſdam empirici ſucco millepedum brevi ſanatam; incipiendo ſcilicet à tribus pro vice, augendo in dies uſque ad IX tum iterùm gradatim numerum diminuendo uſque ad 3. & rurſus augendo ut ante, & ſic viciſſim.

Alia item mulier ab imminente, & minitante ſuffuſione ejuſdem medicamenti ope prorſus liberata eſt. Contundebat quidem illa primùm 5. millepedes, poſtea 10. tum 15. dein 20. (quotidie augendo numerum per quinque, donec ventum fuerat ad 50.) in vino albo vel tenui cereviſia, fortemque expreſſionem jejuno ventriculo bibebat. Honoratiſſimus *D. Robertus Boyle* in nunquam ſatis laudato libro de utilitate naturalis philoſophiæ cap. 5. ſect. 5. part. 2.

Cataractæ metus.

Ante 10. Menſes fere oculis meis ſimulachra telarum aranearum inſtar obſervata, viſus verò Dei gratiâ adhuc, licet nullus dies ſine quærela tranſigatur, dum hæc ſcribo, tam acutus eſt, ut nec atomus fugiat eum, & ſplendidiſſimam lucem citra omnem ferunt laborem oculi, univerſum corpus ſæpius evacuavi ut & caput pilulis cephalicis mundavi, interdum quoque ad ſudorem eliciendum me compoſui, fonticulum in ſiniſtro brachio & jam per IX. menſes habui, veſicatoria quoque. errorem in diæta angue & cane pejus vitavi, nihilominus adhuc dum hæc ſpectra ante oculos fluitare, & varias juxta oculorum nutum inducere formas, perſeverant. Periculoſam prognoſin mecum inſtituo, & nè tandem aliquando, quod tamen cœleſtis avertat archiater, ſuffuſio ſuccedat, paveo hercle: licet clariſſ. *Plempio* à pueritia, *Platero* & ipſi ægro apud *Carolum Piſonem* talia citra notabilem noxam oculis fuerint obſervata, & ipſe in hâc praxi meâ vidi virum, cui quaſi rete ante oculos expanſum per quod objecta videret, verùm jam citra ullam querelam acute cernit, nihilominus tamen ego mihi vereor, quare à te imploro auxilium. *Joan. Ludovici Hannemanni.*

Th. Bartholini ad D. Hannemannum Reſponſio.

Dolendi cauſam ſubminiſtras, ſed telis aranearum, ut ſpero, fragiliorem. Times ſcilicet à ſuffuſione, quòd ſimulachra quædam inſtar telarum aranearum ante oculos obſerventur. Sed noli metuere. Securum te à ſuffuſione eſſe jubeo vel meo exemplo. Triginta & amplius anni effluxerunt, cùm primùm Patavii hæc ſpectra metum quoque mihi injicerent, ut conſilii gratia ad ſenem Medicum *Joan. Dom. Salam*, in praxi meum ibidem ducem, accedens pro remediis ſolatium reportarem, plus hæc terrere quàm nocere: ego certe ex illo tempore ſprevi iſta ſimulachra, quæ pro aëris humidi vel calidi conditione, vel augentur, vel minuuntur, nullo viſûs impedimento, quem tibi quoque integrum & acutum ſupereſſe lætor. Cæterùm ſedulo ex illo tempore cavi à lucubrationibus, à quibus mihi tempero, ut poſt cœnam ad lucernam nunquam vel legam, vel ſcribam. Præterea pulveri tabaci magnam partem clarioris viſûs refero acceptam, derivantur per nares oculorum humiditates offuſcantes viſum: quo remedii genere plures ſublevavi. Vel ſola tabaci folia in pulviſculum comminuo, vel addo majoranam, euphraſiam, agaricum trochiſcatum & ſem. fœniculi. Alia medicamenta ad ſuffuſionem præcavendam tibi commendare nolo, ne noctuas Athenas. Ipſe quâ es experientiâ, plura & ſcis, & rectè ſingulis uti noviſti. Axungiam viperinam laudatam vidimus in Miſcellaneis curioſis Germanorum; quam etiam amicus quidam meus expertus nuper eſt, quem idem metus tecum terret. Simplex aqua ophthalmica ex vino albo rhenano, in quo infuſa fuêre fœniculum, bethonica, ruta, euphraſia, chelidonium majus, farfara, triticum, laudabatur mihi Patavii ex *Bellocati* traditione. Non dubito, quin corpore quotannis rite expurgato, ſervataque decenti victûs ratione, & à lucubrationibus abſtinentia, poſthac ſimulachra iſta mecum diſcas ſpernere, quod ex animo precor, ut diutiſſimè ſalvis oculis his perfruaris.

Cataractæ depoſitio.

Idem Lithotomus & ocularius *Laurentius Nicolai* non ſemel magna dexteritate Cataractas labente anno depoſuit. Unius depoſitioni interfuit, me in prædio abſente, filius *Caſparus Bartholinus*, cujus in hanc rem literas ad me ſcriptas non pigebit hic ſubnectere, modo non pigeat lectorem legiſſe.

Pater chariſſime.

Adfui die 19. Januarii cum *Dn. D. Simone Palli, D. Henrico à Moinichem & D. Caſparo Kolchen.* Viro cuidam natione Gallo, annorum vix quadraginta, cui reliqua membra de meliore luto finxerat Titan, cæterum in ſiniſtro oculo ſuffuſionem patiebatur quam ſumma cum dexteritate deponi vidimus à *Laurentio Nicolai* Cimbro, artis quam profitetur haud infelici magiſtro. Oculo ſiniſtro oppoſuerat ſe hæc ſuffuſio, ex pituitoſi, ut videbatur, humoris in ſpatium quod eſt inter corneam tunicam, & cryſtallinum, affuſione, quamquam *Galenus* lib. 1. de ſympt. Cauſ. cap. 2. ab ipſius humoris aquei condenſatione fieri interdum ſuffuſionem doceat. Veram & legitimam ſuffuſionem hanc atque à ſpuria diſtinctam eſſe nemo dubitabat, quippe quæ omnes veræ ſuffuſionis habuit notas. 1. Alterum tantum oculum occupabat, quod veræ ſuffuſioni proprium aiunt, unum tantum

tantum oculum aggredienti, aut ſi utrumque, non tamen ſimul aut ſimiliter; ſicut in ſpuria accidit. 2. In legitima ſuffuſione tenebroſum quiddam in pupilla apparet, quod in ſpuria non contingit. Unde *Vegetius* lib. II. Artis veterinariæ cap. 16. *cum accedit ſuffuſio oculus videtur incolumis nullis lacrymis, nullo ſanguine, nulla indignatione prodit injuriam, ſed uno tantùm declaratur judicio, quod cum pupilla ipſius imaginem tuam tanquam in ſpeculo videre non potes.* 3. In vera ſuffuſione ſymptomata ſunt continua, nec ulla ſunt intervalla; in ſpuria vero per vices augentur, & remittunt, prout vapores ad cerebrum efferuntur. Quas notas noſtram, de qua ſcribo, ſuffuſionem habuiſſe vidimus. Quanquam autem *Plinius* lib. 28. Hiſt. Natural. cap. 1. *Miletum ſcripſiſſe ait, oculorum ſuffuſiones felle hominis ſanari*, huic tamen inuſitatum atque præſens noſtris temporibus remedium adhibitum fuit, ſolâ depoſitione per acûs ſeu ſtyli immiſſionem Hic ſine jurejurando ſed efficacius oculos tetigit alienos ocularius, ſecus quàm veteres, qui oculos juraturi olim tangebant, teſte. *Petronio Ovidius* lib. II. Amor. El. 16.

At mihi te comitem jurabas uſque futuram
Per me, perque oculos, ſidera noſtra, tuos

Sic & *Tibullus* lib. 3. El. 6.

Et ſi perque ſuos fallax juravit ocellos

Cur id factum, ex parente diſcere vellem, quem ſcio in Anatome Paganâ olim rem hanc pertractaſſe accuratius. Sed Vulcani invidiâ tantus labor periit. Si balbutientem me audire velis, Minervam hoc more coluiſſe, & ad teſtimonium vocaſſe veteres ſuſpicor. Oculos quidem Cupidini Veneris filio, in quibus excubet ceu ſpecula quadam, tribuit *Philoſtratus*: rectius tamen minervæ eos ſacros fuiſſe Paganis tradit *Fulgentius*. Unde Minervam cæſiis oculis, ut pulcherrimis, finxerunt poëtæ. *Heſiodo* in operibus vocatur Θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη: Dea cæſia Minerva & alibi de Deorum generatione, idem Aſcræus.

Αὐθὸς δ'ἐκ κεφαλῆς γλαυκοπιδα Τριτογένειαν.

ipſe vero (Jupiter) *ex capite* (peperit) *cæſiis oculis Tritogeniam.*

Neque id injuria Minervæ enim oculi debebantur, quibus nihil pretioſius aut utilius eſt. Hinc oculis digni habiti non ſunt venefici, & malefici. Exurebantur enim iſtis *Plaut.* Menech. A. 5. ſect. 2. Ecc. Apollo mihi ex oraculo imperat ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus. Imò malignis eruti, apud eundem *Plautum* in captiv. A. 2. Sect. 4. Nam hercle ego huic dici ſi liceat oculos effodiam libens, ita malignitate oneravit omnes mortales mihi. Deus tibi, parens indulgentiſſime, tuos diutiſſime conſervet. Vale. Hafniæ *filius obſequentiſſ. Caſp. Bartholinus.*

Suffuſionis initium Fonticulo in brachio excitato evaneſcens: & oculi vigor eôdem in nuchâ factô, reſtitutus.

Chirurgo cuidam hujus urbis ante oculos muſcæ & culices obſervari videbantur, hicque fontanellam facit in ſiniſtro brachio; hujus beneficio viſus naturali claritati reſtitutus, muſcæque obvolantes evanuerunt.

Alius quidam puer ruſtici filius in Hollandia ex pago Bargenhuſen, omnimodo oculorum imbecillitate laborans, ita ut lucem ægre ferret; hic primo in nucha habuit fonticulum ſine ſucceſſu, tandem conſolidata rurſum fontanella in nucha, unum in brachio, alterum in pede ipſi fecerunt fonticulum, hinc optime jam habet, acutè cernit, ſplendidiſſimam lucem oculi admittunt *Joan. Ludovicus Hannemannus.*

Cataracta & mira Paralyſis.

Clariſs. Laurentii Heiſteri, Ephemerid. Germanic. Centur. 1. & 2.

Sicut culter anatomicus multorum morborum veras detexit cauſas proximas, atque praxin medicam pariter ac chirurgicam ad multò majorem perfectionis gradum, quàm quò olim erat, evexit, ita & hoc nunc accidit in affectu quodam oculorum, qui vulgò Cataracta vel ſuffuſio; Germanis *der ſtaar in den Augen*, dici ſolet, quando nimirum mox retro pupillam alius color quàm niger apparet, cum viſu abolito.

Hujus mali cauſa hactenus habita eſt humoris aquei in membranam vel pelliculam concretio, quę pupillam occludens radiorum ingreſſum ad retinam impediendo, ægros tales cœcos efficit.

Hæc verò theoria, quoniam cauſa erat, ut multa inania figmenta in praxin inducerentur; acus ſcilicet variæ & volſellæ ridiculæ, aliaque inſtrumenta, quibus ſuppoſititiam illam membranulam nunc circumvolvi melius, nunc deprimi, nunc penitus extrahi ex oculo poſſe perhibuerunt, meritò nugis talibus & ſimilibus è praxi medicâ ac Chirurgica expellendis ejiciendiſque, Viri nonnulli clariſſimi in Gallia ſedulam navarunt operam, ut ſic & theoriam hujus morbi clariorem, atque curationem efficerent certiorem.

Latuit autem tamdiu cataractæ vera cognitio, quoniam ex negligentia quadam, ut videtur, Chirurgorum ocularium pauciſſimi oculi illo morbo laborantes diſſecti fuerunt, hinc tantùm ab externè apparentibus phęnomenis judicarunt: cum autem externa ſigna facilè fallant, niſi ſimul res penitius examinetur, propterea tamdiu in cognitione hujus affectus erratum eſſe exiſtimo.

Poſtquam autem ab aliquot annis oculos cataractâ laborantes diligentiùs diſſecare & examinare cœperunt, humorem ſive corpus cryſtallinum conſtituiſſe cataractam invenerunt, nullam verò pelliculam in humore aqueo, ſicut hactenus operatores crediderunt omnes.

Hæc ſententia, quamvis non penitus nova, ſed jam ante ſexaginta circiter annos nonnullis innotuerit; ſcilicet, quantùm mihi conſtat, intra Gallos Petrò Borello, inter Germanos verò celebri illi Anatomico Guernero Rolfincio, ſicut in Diſſertatione noſtra nuper *de cataracta* habita annotavimus, attamen quoniam interea hæc ſententia ob præjudicatam opinionem fuit neglecta, & ſic oblivioni rurſus tradita, à paucis annis in Gallia inſtaurari, plurimiſque experimentis confirmari cœpit, inprimis à Cl. viris Briſſæo & Antonio Maitre-Jan, ſicut ſcripta illorum & Hiſt. Acad. Reg. nos edocent.

Cùm igitur anno 1709. Bruxellis in Noſocomio caſtrenſi Ordinum Belgii Fœderati, in quo tunc Medicus eram conſtitutus, occaſio & mihi tale ſubjectum offerret, militem ſcilicet, qui perfectâ laborabat cataractâ, mox aliquot horis poſt obitum ejus, oculum affectum cautè, quantùm potui, diſſecavi, nihilque vitii in oculo hoc deprehendi, quàm corpus ſeu lentem cryſtallinam opacam, margaritæ æmulam, nihil verò membranacei vel concreti in humore aqueo conſpicere licebat: ita ut & hoc exemplum, unà cum multis aliis in diſſertatione noſtra memoratis, opinionem veterem de pellicula impugnet, recentem verò probet atque confirmet. Unde concludo; etiamſi cataracta externo ſpectatori ſub pelliculæ formâ appareat, tamen talem non eſſe, quoniam, quotieſcunque oculus talis apertus eſt, nullam hucuſque pelliculam, ſed ſemper lentem cryſtallinam opacam invenerunt, ſimilem prorſus colorem referentem, quem ſuppoſititia veterum membranula ante oculi apertionem habebat.

Si anatome comparativa unquam aliquid boni in Medicina præſtitit, & veritatem aliquam detexit vel confirmavit, certè eam hîc loci id præſtare quoque poſſe exiſtimavi; cùm canem viderem, cui pupilla penitus erat opaca, accuratius illius oculum inſpiciens, veram cataractam adeſſe facile cognovi, cùmque eum diſſecaſſem, idem inveni, quod in oculo illius militis nullam autem pelliculam.

Alius adhuc hîc Altorfii adeſt canis, jam à biennio ex utroque oculo cœcus: hunc cùm multi Studioſi mecum examinaſſent, veras cataractas adeſſe omnia ſigna nobis perſuadebant; ſed cùm animal hocce Domino ſuo tam carum, aperire illud hucuſque non licuit; color verò, convexitas, & ſitus manifeſtè docebant, lentem cryſtallinam conſtituere utramque hanc cataractam.

Denique, cùm ante bimeſtre ſpatium ordinariæ cataractæ operationem in viro ultra ſexaginta annos nato, præſentibus multis ſpectatoribus perfeciſſem, illi mecum obſervarunt cataractam hanc unico acûs ictu deſcendiſſe ad fundum oculi, quod ratio comprehendere vix poteſt de pellicula ſatis firmiter hinc inde adhærente, quomodo ſcilicet illa uno acûs ictu ſubmergi poſſit, & cur non potius in multa dilaceretur fruſtula, priuſquam ita deprimi poſſit: Cùm autem lens corpus ſit ſatis ſolidum, & haud adeò firmiter cohæreat cum partibus adjacentibus, mirum non eſt eam facilè ex naturali ſua ſede deturbari poſſe. Ex dictis facilè conſtat, lentem cryſtallinam in operatione cataractæ, non pelliculam quandam, ſubmergi, id quod Briſſæus & Maitre-Jan demonſtrarunt & evicerunt.

Objiciunt autem nonnulli adverſarii novæ ſententiæ, viri quamvis aliàs ſatis egregii, hunc morbum non cataractam, ſed glaucoma vocandum eſſe, nam ubi pellicula, ibi tantùm cataractam adeſſe ajunt, ſed quando lens cryſtallina affecta, tunc malum dicendum eſſe glaucoma: Verùm ſi boni illi viri perpenderent omnia illa facta experimenta à ſuprà laudatis viris, ubi ipſis operatoribus exercitatiſſimis fatendum erat cataractam, id eſt talem morbum, qui ſemper pro cataracta habitus eſt, adeſſe, tamen poſtea ſemper vitium in lente, nondum in humore aqueo repertum eſſe. Igitur ſecundùm adverſarios cataractę illæ omnes pro glaucomatibus eſſent habendæ, quod ridiculum, cùm omnium Scriptorum & Operatorum conſenſu glaucomata ſint rariſſima, vel ſaltē multò rariora quàm cataractæ, quî igitur fieret, ut nunc mera glaucomata, nullæ verò cataractæ reperirentur? deinde ſi ſignificationem vocis reſpicimus, adverſarii contradictionem in adjecto committunt, dum cataractas illas omnes, quæ vel albicantem margaritæ colorem, vel flaveſcentem habuerunt, glaucomata vocare volunt, nam glaucus colorem notat virideſcentem aquæ marinæ ſimilem; hinc ſi Cataracta talem colorem refert, tunc glaucoma vocari poterit, & ſic pro ſpecie cataractę illud agnoſco, colore glauco à vulgari differens: à qua opinione nec ipſe Celſus abludit, qui cataractę meminit coloris aquæ marinæ, Lib. VII. cap. 7. Qui itaque vocem glaucomatis intelligit, ille ſanè cataractas memoratas pro glaucomatibus habere non poterit.

Quæ præterea adhuc dubia contra novum hocce cataractæ ſyſtema objiciuntur, brevi in peculiari diſſertatione excutere conabimur; Et ne quis exiſtimet hanc novam doctrinam in ſola ſpeculatione ſubſiſtere; nihilque boni in praxi promittere, commoda, quæ ex ea oriuntur, ſimul demonſtrabimus.

* * *

Idem ille vir, in quo cataractę operationem perfeci, præter alia mala, illud adhuc habet ſingulare, quòd in dextro brachio vim movendi ferè nullam habeat, ſed tanquam inutile pondus de trunco dependeat, attamen accuratiſſimè ſentiat. In pede dextro vis motrix quoque aliquo modo læſa eſt, incedere tamen adhuc poteſt, quamvis hic pes minùs mobilis ſit quàm ſiniſter. Contrà in ſiniſtro brachio & pede facultas movendi integra eſt atque illæſa, ſed quod mirum omni ſenſu deſtituta ſunt: Ita ut qualitates tactui ſubjectas diſtinguere nullo modo queat; imò ſive membra hęc lateris ſiniſtri aquæ calidæ ſive frigidę immergantur, nullam percipit differentiam: Neque ignis dolores, neque ſæviſſimę hyemis experiuntur moleſtias. Comburi quidem poteſt cutis ab igne vel aqua fervente, attamen nullus caloris ſenſus excitari. Præterea ſecari poteſt, puncturaſque acicularum impune fert ſine ſenſu doloris. Miratus ſum præter hęc, cùm aliquando feſtucam ſive ſpinam caſu circa unguem pollicis manus ſuſcepiſſet; tamen ſine dolore vel alio graviori ſuperveniēte ſymptomate brevi rurſus vulnus conſolidatū eſt, unde tā aliàs acerbiſſimi oriuntur dolores.

Quæritur jam quomodo hæc Phænomena mirabilia explicari queant? Ego ſalvis aliorum opinionibus ſic ſentio: Obſervantur nervi in extremitatibus & pręcipuè in brachiis, qui fere ſoli & toti in cute tanquam tactûs organo terminantur, nullum vel paucum ſaltem commercium cum muſculis habentes. E contrario alii ſunt nervi, qui integri in muſculos (qui motûs ſunt inſtrumenta) impenduntur. Sicut ab his obſtructis, vel quocunque modo in officio impeditis immobilitatis, ab illis verò inſenſibilitatis, cauſa commodè deduci poſſe videatur. Ubi verò utrumque hoc nervorum genus læſum eſt, ibi & ſenſum & motum aboleri & perfectam fieri paralyſin exiſtimo.

Cataracta, & Claucoma.

Clariſs. Godefridi Thomaſii, Ephemerid. Germanic. Centur. I. & 2.

Reſtant duo in hujus telæ contextu ſtamina perficienda, cui miniſterio cùm hunc calamum velit operari ὁ χαριέςατος καὶ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων Ephemeridum noſtrarum *Director*, non defugiam ſanè laboris modici officium, ne, ſi defugerem, neglectæ reatum incurram amicitię, quæ cum viro doctrinâ ac meritis longè celeberrimo, meiq; comprimis amantiſſimo, intercedit plane ſingularis, nec unquam, per annorum plus quàm viginti curſum, reconciliata, aut in conjunctiſſima hac ſtudiorum ac mentium unione, ullo pacto reconciliabilis. Argumentum ſcribendi non eſſe videtur de longinquo arceſſendum. Egregię de rebus Anatomicis obſervationes, quas modò expoſuit digniſſimus Magni *Jo. Mauritii Hofmani* in Theatro Altorfino Succeſſor D. *Laurentius Heiſterus*, ampliſſimum heic aperirent campum in proſectorias amœnitates exſpatiandi, niſi ſpatiis anguſtioribus concluderentur termini huic ſcriptioni jam præfiniti. Liceat igitur ſaltim iis inhęrere nonnihil, quæ de *Cataracta* naturâ ac vero habitu ex recentiſſimis apud Gallos diſceptationibus fuere conſignata. Principio haud adeò difficile reor, ſententiæ, quæ glaucomata lentis cryſtallinæ cataractarum ſpecie ut plurimum illudere demonſtrat, incunabula ex veterum in arte magiſtrorum, & qui hos ſunt inſequuti, ſcriptis educere. Illud verò conſtat omnino, diutius inter ocularios, Gallos præſertim, fuiſſe dubitatum de pelliculis iſtis ſolidioribus, quæ tanquam vela humoribus obducta cataractarū nomine inſigniebantur; nec quæ poſtea de cryſtallini coagulo, ejuſq; non adeò requirenda amplius ad viſum neceſſitate comperta ſunt, illis penitus fuiſſe incognita, Inde ſine dubio *Borellus, Gaſſendus*, & poſt hoſce *Roaltus* acceperint, hypochymata eſſe cryſtallinæ lentis, quæ vulgus cataractas eſſe exiſtimat. Ipſe quoque *Rolfincius*, eorum, quę in Diſſertationibus Anatomicis ea de re habet, partem à populari & Profeſſorio muneris ſocio, *Paulo Marquarto Slegelio*, videri queat accepiſſe Fidem facit hujus ad *Caſp. Hoffmannum* Jena Anno 1639. à d. xv. Kal. Mart. perſcripta epiſtola, quam officioſæ humanitati debemus Collegæ Excellentiſſimi *D. Frid. Jac. Brunonis* amicorum integerrimi atque æſtimatiſſimi. Non invidemus lectionem cumprimis memorabilem curioſis hujuſmodi deliciarum æſtimatoribus. „Lumen à me in ſuffuſione quæris, (ita ad veteranum artis Magiſtrum Slegelius) „quod negligenter hodie ab illis contemnitur, „qui de internis morbis ſolùm ſolliciti ſunt. Cataractæ „depoſitoribus frequenter adſtiti; eorum diſputationes, „inprimis Pariſiis, cum voluptate audivi, immo ſuffu„ſione laborantium oculos accuratiſſimè diſſecui, & „obſervavi plures ſuffuſionum ſpecies ab auctoribus „quidem deſcriptas, ſed peſſimè; neque enim partem affe„ctam, neque cauſam continentem bene diſtinguunt:

„Nunquam

„ Nunquam enim hæc membrana concreſcit inter uveam & corneam, ſiquidem ibi firmari non poteſt, & uveę cornęę quam proximè conjungitur; ſed inter „ uveam & cryſtallinum, vel potiùs inter cryſtallinum „ & corneam, cùm uvea corneæ proximè adſtet, & „ aqueus humor occupet illud ſpatium, quod inter „ corneam & cryſtallinum intercedit. Hic humor ſuffuſionis materiam excipit, aliquando per omnem humoris partem diffuſam, tumque cataracta dicitur, vel „ immatura à Chirurgis, vel illegitima, id eſt inepta „ quæ acu deponi poſſit, hæcque oculis noſtris apparet „ vel plumbea, vel nigricans, vel lutea, vel obſcura, „ quam etiam ocularii nunquam curandam ſuſcipiunt. „ Ingenioſiſſimus Galliæ Chirurgus cannulâ acuminatâ „ in pupillam intruſâ turbidum hunc humorem exſugebat, ut natura pellucidum huic ſubſtituens, viſum „ ſenſim reſtitueret, hoc enim humore licet profuſo viſus non perit. Aliquando annorum ſerie in membranam concreſcit immediatè cryſtallino obtenſam, „ hæcque eſt albicante colore vel ſubcoeruleo: diſtinguitur ab ocularis per motum pupillę vel uveę tunicę. Clauſis enim compreſſis palpebris, & iis denuò „ ſubitò diductis obſervant, an pupillę contractione „ albicans cataracta imminuatur & dilatatione augeatur, „ hancque maturam & curationi aptam judicant. Vides „ cauſſam, quia veram membranę conſiſtentiam poſſidet, quę acu apprehendi poteſt. Si ea tamen eſſet ante „ uveam, pupillę contractio & dilatatio obſervari non „ poſſet. Et quis tentaret membranam acu auferre ante „ uveam concretam ſine uveę dilaceratione, quæ mobilis & omnium ſubtiliſſima? Addo quòd Chirurgi „ non tantùm duram, ſed & uveam, vel ſi magis placet, „ chorioidem, immo vitrei humoris latus in operatione „ tranſeant, acumque protrudant ſecurè ad ipſum cryſtallinum humorem, eique obductam membranam „ ibi apprehendent. Hęc mihi non lectio, ſed experientia ſuppeditavit; oculato teſti credas, ut oculario, „ qui hanc operam mihi dari quotidie opto &c. Fragmentum, tametſi prolixiuſculum, legiſſe ne pigeat, cùm inde πρῶτον ψεῦδος facilè obligatur, quod virum occulatiſſimum, & rei anatomicæ maximè peritum detinuit à cognitione veritatis, quæ nunc clarius videtur expoſita. Eorum, qui ſuffuſione laborarunt, oculos ſibi ſectos aſſeverat in quibus aliquid membranaceæ concretionis obſervaverit, lenti cryſtalinę prętenſum. Turbamentum iſtud credas aquei humoris, à ſuffuſione factum, à morte etiam tenacius redditum, huic pariter atque cæteris falſa ſpecie impoſuiſſe, ut membranam exiſtimarent id, quod acûs miniſterio deponitur, cùm ex anni MDCCIX. hiſtoriâ, Acad. Reg. Scientiarum appareat, in omnibus oculorum, qui cataractâ affecti credebantur, ſectionibus, crebriùs hanc ob cauſſam inſtitutis, nihil quidquam peliculoſi, ſed vera ſemper glaucomata glacialis cryſtali, ob lentorem ſuum in coagula proni, fuiſſe reperta ut adeò res ipſa jam ex multiplici experientiæ documento pro judicata debeat reputari. Rariſſimum, & vix alicui, præterquam *Mayernio* obſervatum exiſtimo cataractam plurium annorum, pro confirmatiſſima habitam, una nocte penitus evanuiſſe ſua ſponte, cyſtalli ſine dubio opaci ſpiſſamento è ſede ſua ad infeora oculi ſemoto. Suffuſionum autem, quarum complementa, cataractas dixeris, medicandarum ratio planis nunc procedit, & clariùs etiam per ævi noſtri anatomicorum ſolertiam intelligitur, ductibus oculorum aquoſis repertis, qui laticem continuò intra tunicarum alveos deponant, ipſóque humorum ocularium motu circulari, quem incomparabilis *Ruyſchii* induſtriæ debemus, non ampliùs obſcurô. Fel lucii piſcis inſtillari commendat *Jo. Scultetus*, expreſſum è millepedibus ſuccum *Boyleus*. Mihi viperarum pinguedo præclaram aliquoties opem tuliſſe viſa diſſipandis oculorum tenebris, humorumque in vappam abeuntium purgamentis reſolvendis, præſertim ubi fotus è columbinis pullis per medium diſcerptis acceſſerat.

Cataracta quædam lactea rara & ſingularis in diſſectô oculô obſervata.

Clariſſ. Laurent. Heiſteri, Ephemer. Germanic. Centur. 3. & 4.

Etiamſi in Tractatu meo de Cataracta & Glaucomate, haud ita pridem divulgato, multa exempla & obſervationes deſcripſerim, quæ cataractam in humoris cryſtallini opacitate, & non in pellicula quadam in humore aqueo concreta exiſtere, probarunt; nullum tamen adhuc exemplum oculi diſſecti talia obſervanda dedit phoenomena, qualia nuperrimè hîc in ædibus meis obſervavi. Scripſi in Ephemeridibus Academiæ Cæſareæ Nat. Curioſ. Ann. 1712. editis canem hîc eſſe Altorfii verâ Cataractâ in utroque oculo laborantem, eaſque non in pellicula, ſed in lentis cryſtallinæ opacitate conſiſtere, ſitus, color, convexitas &c. perſuadebant. Monui verò ſimul, animal illud tam carum ſuo eſſe Domino, ut eum diſſecare non permitteret.

Tandem tamen die 6. Februar. 1715. mortuus ad me deferebatur, ut oculos ejus aperirem, atque in cataractas has inquirerem. Et licèt nunc à quinquennio cœcus fuerit, tamen oculi & cataractæ ejus hactenus ſemper eadem ſpecie, ſicuti ante triennium, ſe repræſentabant, ſine ulla notabili differentia, niſi quòd pridie fortem percuſſionem ſive ictum in oculo ſiniſtro acceperit, à quo oculus ſiniſter prorſus erat contuſus & deſtructus, ut nihil ampliùs diſtinctè magno meo dolore in eo cognoſci potuerit, dextro tamen integro atque illæſo.

Aperui primùm, præſentibus multis Studioſis oculum contuſum, ſed ita contritus erat, ut in globo ſive bulbo oculi, nihil niſi maſſam ſanguinis coagulati reperire liceret. Verùm dexter oculus priſtinam ſuam faciem ſervabat, & poſt pupillam corpus apparebat opacum, albicans, convexum, prout cataractæ ſe oſtendere ſolent.

Quod, poſtquam omnes adſtantes probè perluſtraſſent, oculum hunc ex orbita cautè ſeparari & bulbum ejus ab omnibus & pinguedine liberavi. Hunc poſtea in menſam ita poſui, ut tunicæ corneæ incumberet, nervuſque opticus ſurſum ſpectaret. Reſecavi tunc forfice acuto nervum opticum cum poſteriori bulbi parte, quantùm pro facili inſpectione in oculum ſufficiebat: & omnes obſervavimus per humorem vitreum pellucidum, corpus lentiforme opacum, candicans in loco lentis cryſtallinæ. Atque ut eò diſtinctiùs conſpicerentur omnia, nec ulli dubitandi anſa relinqueretur, bulbi partem, poſteriorem tandem ultra dimidium forfice amputavi, ut ſic undique exactè pateat corpus illud opacum eſſe lentem cryſtallinam. Quibus peractis, corpus hoc acu novâ Briſſęi, à cohęſione cum ligamento ciliari (quocum naturaliter cohęret) ſeparavi, ut & anterior ejus pars ritè perluſtrari poſſit: quo facto, nulla membrana, nullumve aliud corpus prętenaturale aderat, quàm ſępe dicta lens cryſtallina; reliquæ oculi partes rectè ſe habebant. Attamen in hac ſeparatione, quoties lentem hanc opacam acu premebam, rarum & inſolitum ſpectaculum ſe oſtendebat, nimirum obſervavi ſemper foveam ab acu plana huic corpori cryſtallino imprimi, acuque remotâ foveam illam mox rurſus diſparere, eodem prorſus modo, ac ſi veſicam liquido plenam digito premimus, quę digito remoto, mox priorem figuram foveâ deletâ denuò induit. Satis autem hocce phoenomeno conſiderato, acu tandem membranam

membranam hujus lentis perforavi, & dicto citius humor candicans lacteus membranam hanc modò replens atque diſtendens affluebat, ac parietes membranacei, qui ante perforationem figuram lentis cryſtallinæ naturalem perfectè exhibuerunt, nunc omninò concidebant, undè apparebat totam corporis cryſtallini ſubſtantiam in humorem lacteum diſſolutam aut tranſmutatam fuiſſe. Atque ſic hæc cataracta ſe habebat inſtar veſiculæ lacteo liquore plenæ.

Ex qua obſervatione multa utilia ad cataractarum naturam illuſtrandam colligi ac diſci poterunt nimirum (1) quid ſint cataractæ lacteæ ab Auctoribus ſæpius quidem obſervatæ, at non rectè intellectę. Perhibebant plerumque tales cataractas non fuiſſe ante maturas, nec ſatis induratas, lacteumque colorem ex membranula diffluente oriri; verùm eos erraſſe, & naturam earum non ritè cognoviſſe in propatulo eſt; nam hæc cataracta jam ante triennium opaciſſima erat, ideoque etiamſi tunc nondum fuiſſet matura & membrana dura, id intra hocce tempus fieri debuiſſet: Verùm quoniam hæc alia cataractę ſpecies eſt, & rebus ita conſtitutis, ſicut modò deſcripſi, profectò nunquam perfectam duritiem induxiſſet (2) Ex iiſdem meliùs explicari poſſe exiſtimo, quid ſint Cataractæ purulentæ & caſeoſæ veteribus obſervatæ, quas ob materiam variam contentam aut collectam in membrana cryſtallini differre puto. Dum modò in lacteum, modo in purulentum liquidum lens cryſtallina mutatur. (3) Diſcimus lentem cryſtallinam prorſus in oculo diſſolvi & converti poſſe in liquidum. (4) Quare cataractæ lacteę non ſint ex peſſimis, ſed ſæpius licet liquidis oculi turbatis, curari, ægriſque viſum reſtitui, ſicut in Tractatus noſtri §. LXXXVIII. & alibi monuimus; Lacteum enim hoc liquidum gravius humore aqueo, fundum petit, & ſic perluciditas reliquorum humorum oculi redit. (5) Denique monere volo poſſe aliquando in oculo, qui cataractâ laboravit inveniri membranulam ſive pelliculam, nam poſt effluxum liquidi lactei, parietes ſive membranulę lentis cryſtallinę ita concidebant, ut talem membranulam exhiberent, qualem aliàs cataractæ cauſſam perhibuerunt. Verùm tunc deficiet lens cryſtallina, & non erit nova membrana ex humore aqueo vapeſcente generata, ſed membrana lentis cryſtallinæ.

Tandem non dubito fore, qui hanc obſervationem parvi momenti eſſe proclamabunt, quia ex cane eſt petita: verùm hanc objectionem infirmo ſtare talo, exinde manifeſtum eſt. quia 1. oculus humanus & caninus nulla in re differunt, ex qua concludi rectè poteſt, quòd id, quod in canino oculo aut humore cryſtallino contingit, non etiam in humano contingere queat. 2. Quia reipſa cataractæ lacteæ, id eſt, ubi in operatione humor lacteus effluxit, ſæpe obſervatæ ſint in hominibus.

CATHERETICA.

Sunt Medicamenta quæ carnes ſuperfluas in ulceribus, vel etiam in Vulnerum curâ, tum naturæ, tum etiam chirurgi culpâ excreſcentes, exedunt. De quibus videri poteſt Bibliotheca noſtra Pharmaceutica.

CATHETER.

Eſt inſtrumentum quod in veſicam urinariam per urethram intruditur pro eductione urinarum. De quô vide capite de Calculô, ut & de Urinæ Morbis.

CAUTERIUM ACTUALE.

De eô jam producemus Clariſſ. Johann. van. Horne, in Microtechne compendio ſic diſſerentem.

Ignis actualis varius eſt pro ſubjecti varietate, à quô ſuſcipitur; alius enim inhæret ſtuppæ, alius carbonibus, alius plantarum partibus, ceræ Hiſpanicæ, lineę petiæ in pyramidis formam revolutæ, apud Alpinum *med. Ægypt. l.* 3. *c.* 21. alius auro, argentove, ſed pręſertim candenti ferro inhęret. Vide de toto hoc negotio Severinum *in effic. chir. l.* 1. *Pyrotechniæ p.* 2. *c.* 1. 2. 3. 4. 5. ipſa quoque flamma, per tubulum flatu propulſa utitur idem Severinus *in chirurgia ſpiritali nondum edita.* Antiquiſſimum eſſe ferri igniti uſum, docent, *aph.* 27. *lib.* 6. *&* 6. *l.* 8. adhibetur autem ad diſcutiendum, roborandum, concoquendum, putredini reſiſtendum, abſceſſus aperiendos, cruſtam partibus inducendam. *Inſtrumenta* in ſpecie *cauteria* dicta, varię ſunt *figuræ*, alia plana, alia orbiculata, alia recurva &c. quorum figurę apud Albucaſin potiſſimum reperiuntur: ſed & apud alios Scultetum *tab.* 19. Gabr. Ferraram *l.* 2. *tab.* 28. 29. 30. ſingulatim deſcribuntur à Guidone *tract.* VII. Interdum ignitum ferramentum *intra capſulam* occultatur, ne adſpectu terreat; quale Placentinus invenit, atque depingit, poſt Aquapendentem & Glandorpium, Scultetus *tab.* 1. *fig.* 10. Quando candente ferramento uti volumus, ante omnia vicinæ partes muniendæ ſunt, vel per impoſitam *laminam*, vel *emplaſtrum defenſivum*, vel *linteum* oxycrato madefactum; interdum per *cannulam* cupream transmittitur ferramentum, ſecuritatis partium gratiâ. Modus imprimendi vel applicandi varius eſt, pro conditione affectus & partis. In ſphacelo omnium *acerrime* eſt urendum; in mollibus partibus *parcius*; in humidis *liberalius*; in ſanguinis è vaſe fluxu, ut & oſſis carie, oportet ignitionem ſæpius *iterare*, donec aut cruſta ſit inducta, aut humiditas in oſſe fuerit ablata.

CAUTERIUM POTENTIALE.

De eô vide Bibliothecam noſtram Pharmaceuticam, capite de Cauſticis Medicamentis.

CEREBRI CONCUSSIO & COMMOTIO.

Vid. *Concuſſio & Commotio Cerebri.*

CEREBRI VULNERA.

vide ſub titulô *Vulnera.*

CHALAZIUM PALPEBRARUM.

De eô auferendo ſic ſcribit Clariſſ. van Horne in Microtechne.

Non eſt reticenda Chirurgia quę Palpebrarum Chalaſio, vel Hordeolo (quis enim ritè hæc diſtinxerit?) debetur: Traductô enim cruciatim filô ſericô, illud extrorſum trahendum, & ſcalpelli, mucrone circumcidendum eſt, impoſitis poſtea medicamentis cicatricem generantibus. Si Meliceris, vel etiam Atheroma fuerit, illud ſæpè ſponte rumpitur, quô tempore, intruſô granô unô alterôve trochiſc. de miniô, per ſuppurationem educendæ ſunt reliquię folliculi.

Hactenus Hornius. Obſervat autem Clariſſ. Hieronimus Fabricius ab Aquapendente, quòd ſi ſub cute reperiatur ab exteriore parte incidendus ſit, ſi ſub cartilagine, ab interiore, dein ſcalpelli manubriolô diducendum eſſe ab integris partibus, & extrahendum.

CHIRURGIA.

De eâ ſic ſcribit Clariſſ. van Horne in Microtechne.

Nemo unquam credat, ſe in perfectum medicum evaſurum, qui integram curandorum humani corporis morborum cognitionem ſibi non acquiſiverit. Hanc habere nequit, quiſquis non eſt inſtructus notitia trium inſtrumentorum medicinę, quorum ope medicus pugnat adverſus morbos. Cum autem non unum ſit morborum genus, atque alii, teſte *Celſo l.* 2. *c.* 3. quiete & abſtinentia diſcutiantur; alii tamen fortiora poſtulant præſidia, non enim poteſt, *eodem autore l.* 2. *c.* 11. vehementi malo, niſi æquè vehemens, auxilium ſuccurrere. Hanc auxiliorum utendorum climacem eleganter expreſſit Hippocrates *l.* 8. *aph.* 6. *Quæcunque*, inquit, *non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat.* Hæc equidem eſt efficax illa medicina, quâ, Herculea quaſi manu, ferri igniſque viribus armata, cunctaſive externa ſive interna contumaciora mala proteruntur & extinguuntur. Atque hæc, à manuum miniſtrio, χειρυργία vel χειρουργία Græcis dicta eſt.

§. 2.

§. 2. Ex tribus partibus, in quas medicina diducta eſt, teſte *Celſo in proœmio libri primi & ſeptimi*, ea ſanè, quæ manu curat, omnium eſt non ſolum antiquiſſima, ſed etiam maximè certa & evidens. Quippe autorem agnoſcit Æſculapium, cujus filii Podalirius & Machaon in bello Trojano commilitonibus ſuis non mediocrem opem attulerunt, dum vulneribus eorum medebantur ferro & medicamentis. Ab Æſculapio genus ducens Hippocrates, ſeptimus decimus in ordine, ſummopere hanc artem excoluit, ut teſtantur ejuſdem libri *de officina medici, de articulis, de vulneribus &c.* inſcripti. Poſt quem, ab ejuſdem ſympatriotis Græcis, aliquantò magis, quàm in cæteris nationibus, exculta eſt. Ab hiſce ad Arabes derivata eſt maſcula hæc & *ferramentaria*, ſi ita loqui liceat, chirurgia, cujus veſtigia etiamnum apud barbaras gentes exſtare, teſtis eſt locupletiſſimus *Albucaſis*, quem ferè ſolum habemus reliquum ex tota natione Arabum, & *Proſper Alpinus* in *lib. de medicina Ægyptiorum.* Qui poſtea ſucceſſerunt, hodiernæ noſtræ chirurgiæ antiſtites, ut eſt *Guido de Cauliaco, Joannes de Vigo, Petrus de la Cerlata, Bertapalia, Lanfrancus, Guilielmus de Saliceto Placentinus* &c. *mixtam* chirurgiam deſcripſerunt & poſteritati tradiderunt, in quâ magis de medicamentis adhibendis, quam ferramentis applicandis ſolliciti fuerunt. Namque *medicamentariam* ſolam tradere chirurgiam, ut fecit *Jac. Hollerius*, in libro de materia chirurgica inſcripto, parum ab inſania differre videtur.

§. 3. Si certitudinem deſideres, atque effectus evidentiam, iterum vocabo *Celſum* ad partes, qui loc. cit. ſic ait; cum in aliorum morborum curationibus dubitari poſſit, ſecunda valetudo medicinæ, an corporis, beneficio contigerit, in hac tamen parte, quæ manu curat, evidens eſt, omnem profectum, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc tamen plurimum trahere, addo, nonnunquam in totum pendere. Quid enim magis obvium ſenſibus, quam disjuncta vulnerum labra ligaturis & ſuturis adducta coërcere? ſphacelatum membrum, totius conſervandi gratia, amputare? luxata ſedibuſque ſuis emota oſſium capita, in propriam ſedem manibus impellere? atque hæc mihi inprimis videtur adæquata ratio, cur veteres Aſclepiadæ eos, qui ex ipſorum erant familia πεπαιδευμένοι, cum à teneris imbuendi eſſent arte medica, primò eos exercerent in iis, quæ ad curationem morborum chirurgicam ſpectabant, ut inter alia docere nos poteſt libellus Hippocratis περὶ ἰητρῦ, & comment. doctiſſimi *Zvvingeri* ad eundem: quandoquidem enim curatio eorundem morborum ſub ſenſum potiſſimum cadit, & experientia nititur, faciliorque eſt cognitu & adminiſtratu, ideo ad captum diſcentium magis erat accommodata, ita ut chirurgia apud eoſdem veluti tirocinium medicinę haberetur.

§. 4. Videndum porrò, quo modo hoc noſtro ſeculo tradenda ſit chirurgia, poſtquam ars medica communicari cœpta eſt τοῖς ἔξω τῦ γένυς qui *extra familiam* ſunt. Facio autem cum doctiſſimis ſcriptoribus, *Vido Vidio juniore, Stephano Gourmeleno, Johanne Jeſſenio à Jeſſen*, & *Aquapendente in libro de operationibus chirurgicis*, cumque *M. A. Severino in lib. de efficaci medicina*, eam non debere conſiderari in *concreto*, ut loqui amant Scholaſtici; ſed *in abſtracto*: hoc eſt, ut propius me explicem, non debere tractari conjunctim cum aliis medicinæ partibus, adeo ut illos habeamus pro morbis chirurgię ſubjectis, qui vel tantillum auxilii petunt à manu, aut eorundem morborum curationem in libris chirurgicis ita deſcribamus, ut de victus ratione & medicamentorum applicandorum formulis amplum ſermonem inſtituamus, de manuaria operâ admodum parcè loquamur. Cujus erroris culpâ tenentur ferè omnes, quotquot chirurgicam curandi rationem, qua hodiè ferè utimur, nobis reliquerunt, ſcriptiſque mandarunt, & ſupra *in fine* §. 2. relati ſunt. Hinc eſt, quod videas apud eosdem autores agi promiſcuè de omnibus iis affectibus, qui in externis corporis partibus occurrunt, ut ſunt *tumores* omnis generis, *abſceſſus, puſtulæ, maculæ*: atque eorundem non ſigna ſolum tradi, ſed & cauſas internas externasve, imò & curandi rationem diæteticam & pharmaceuticam, adeò ut eorum librorum minimam partem conſtituat chirurgia.

§. 5. Cæterum excuſatione dignos arbitror illos viros, qui in hac arte primi glaciem fregerunt; neque enim ſi errarunt, abſque magnis autoribus id fecerunt. Peccarunt inprimis duce Hippocrate, qui, cum omnes medicinę partes ex æquo calleret, in ſuis ſcriptis integram & abſolutam morborum curationem tradere nobis voluit; ut paſſim videre eſt in *lib. de morbis*, item *in caſibus chirurgicis*, qui *in libris epidemiorum* ſparſim reperiuntur. Deinde, ſecuti fuerunt iidem, *utendi*, non verò *docendi* rationem, in hac verò magis elucet ἀκρίβεια, quam nos hoc ſcripto potiſſimum ſectamur. Sed quid dicendum de iis, qui, dum morbum manu & ferro debellandum deſcribunt, affectorum locorum notitiam præmittunt? videntur illi quidem actum agere, hæc enim addiſcere, alterius eſt loci. Interim quia, ut juriſconſultorum regula dictat, abundans cautela non nocet, ferendi potius ſunt, quàm redarguendi; habent enim Celſum autorem, qui tamen parcè admodum iſta methodo utitur, & non niſi in gravioribus caſibus, in quibus aggrediendis nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur.

§. 6. Quisquis igitur methodicam chirurgiæ præceptorum diſpoſitionem tradere, tironibuſque inculcare ſibi proponit, neceſſe eſt longè aliam viam ineat. Etenim tradenda eadem ſunt *in abſtracto*, h. e. ſejuncta & ſeparata ab omnibus aliis quibusvis medicinæ præceptis & partibus; uti factum eſt ab iis viris, quos initio §. IV. laudavi: apud illos enim ne γρῦ quidem exſtat de diæta aut pharmacia, non magis, quam apud arithmeticos de magnitudinibus, & apud geometras de numeris agitur. Quid, quod ne nomina quidem morborum, niſi ὡς ἐν παρόδῳ recenſeant? ſed toti ſunt occupati in deſcribendis inſtrumentis neceſſariis, & operationibus, ſeu manuariis adminiſtrationibus, à quibus exſpectare convenit ſanationem morborum; quas etiam ad certas claſſes, clarioris doctrinæ gratia, revocarunt: memores moniti Galenici comment. III. art. 35. libri κατ' ἰητρεῖον ſ. de officina medici, ubi de Hippocrate teſtatur, eum in iſto libro nuſpiam uſus medicamentorum meminiſſe, quamvis quaſdem affectiones commemoraverit, ad quarum curationem medicamenta ſunt neceſſaria, propterea quod auxilia tantummodo tradere propoſuerit, quæ *manuum opera* exhibentur.

§. 7. Confirmat hanc methodum notabile illud medicorum divortium; quod poſt Eraſiſtrati tempora contigit; & etiamnum in vigore eſt ubique ferè locorum; an, quia ſic jubet trium literarum tyrannus, *mos*? an, quia diverſa ſunt officia, victu, medicamentis & manu curare? Eleganter *Celſus in proœmio lib.* VII. Ego eundem quidem hominem poſſe omnia iſta præſtare concipio; atque, ubi ſe diviſerunt, eum laudo, qui quam plurima percipit. Sunt enim, ut *idem* ait *in proœmio lib.* V. omnes medicinæ partes ita innexæ, ut ex toto ſeparari non poſſint. Quę eſt igitur, inquies, cauſa, quod alii ſe medicos *phyſicos*, alii *chirurgos* dixerint, è quibus *illi* quidem ſecundam valetudinem defendunt, eoſque morbos curant victu & medicamentis, qui non indigebant manuum auxilio; *hi* vero eos caſus & affectus ſibi vendicant, qui manus operam qualemcunque poſtulant? Hanc nimium diductam diſciplinarum, quæ uni cuipiam arti abſolvendæ famulantur, diviſionem & multò magis ejuſdem artis exercitiorum ad diverſos artifices diſtributionem, ſerio deplorat *Veſalius in præfatione magni operis.* Et magis adhuc indigna-

indignatur, præcipuum & antiquiſſimum medicinæ membrum relegatum fuiſſe à medicis (phyſicorum nomine ſe venditantibus) ad eos, quos famulorum loco vix habebant. Unde etiamnum perverſa opinio multorum animos obſedit, chirurgiæ magiſtros medicis inferiores gradu & dignitate eſſe. Ego verò ſatisfeciſſe mihi videor, ſi cauſam chirurgorum hîc egero, & demonſtravero, pari paſſu eos incedere poſſe cum medicis κατ' ἐξοχὴν dictis. Non enim naturę ſpeculationi minus innititur hæc pars medicinę, quam quævis alia: nec minor eſt neceſſitas diagnoſeos aut difficultas prognoſeos: curativæ inſuper indicationes iisdem nituntur fundamentis; præterea, certitudine & evidentia curationis à chirurgis illi vincuntur. Veruntamen notandum, olim duplicem fuiſſe medicorum ordinem, ut clare docet Ariſtoteles l. 3. politicor. c. 11. alii enim erant ἀρχιτεκτικοὶ, qui architectorum & imperatorum more, nihil manu agerent ipſi, ſed conſilio tantum aderant ægris, alii erant δημιουργοὶ, qui manum admovebant, vel medicamenta componendo, vel venam ſecando, vel emplaſtra applicando, vel alia denique agendo. Probabile itaque videtur, cum omnes non eſſent pariter affecti erga ulcera & vulnera, fracturas, luxationes, &c. eos, qui inferioris erant ordinis & fortaſſe eorundem diſcipuli, & quidni ἰητρῶν παῖδες; à ſuis ſuperioribus juſſos fuiſſe manum admovere: qua continuata exercitatione habitum ſibi comparabant tam firmum, ut ſuos præceptores, apud quos in deſuetudinem venerant hę manuariæ operationes, facilè ſuperarent. Quamquam verò, docente Ariſtotele lib. cit. cap. 4. ei qui pręſidet δεσποτικῶς nequaquam neceſſarium ſit ſcire facere, ſed ſcire jubere, (quei verò aliis agendi & operandi modum præſcribet aut dictabit, qui eundem ipſe non calleat?) tamen exhibere miniſteria ſervile magis eſt: ob quam fortaſſe rationem ſit, quod chirurgi hodiè inferioris cenſeantur ordinis, quos neceſſe eſt, (cum plerique eorum inſuper barbitonſores ſint,) ſua ſorte contentos ſic vivere, & medico imperanti obedire, quandoquidem conſuetudo vim legis obtinet.

1. *Chirurgia* autem ex vi nominis τῆς χειρὸς ἔργον *manus operam* ſignificat; veruntamen, ex fundamentis ſupra propoſitis, viderur hoc modo definienda; quod ſit *inſtrumentum medicinæ artificioſa manuum opera conſtans.* In hac *genus* eſt inſtrumentum, quod ipſi cum aliis duobus, victus nimirum ratione & pharmacia, commune eſt, utpote quibus mediantibus ſcopum attingit determinatum medicus; & quæ proinde ab eodem, in anteceſſum operis faciundi, diligenter ſunt præparanda, prudenterque diſponenda, quo ſint in promtu, ut operanti cuncta feliciter & ex voto ſuccedere queant. *Differentia* exprimitur per *manuum operas*; intelligendæ autem ſunt non quælibet, ſed artificioſę, longo uſu & exercitio acquiſitæ, & ad hominis ſanitatem faciendam comparatæ. Cum dico manuum operas, comprehendo ſub iis tam manus medici magiſtri, quam ejuſdem miniſtrorum. Chirurgiæ magiſtrum appoſitè deſcripſit Celſus *in procem. l.* VII. nimirum, ut ſit adoleſcens, aut ſaltem adoleſcentiæ propior, manu ſtrenuâ, ſtabili, nec unquam intremiſcente, eaque non minùs ſiniſtrâ quam dextrâ promtus, acie oculorum acri claraque, animo intrepidus, immiſericors, ſic ut ſanari velit eum, quem accepit, non ut clamore ejus motus, vel magis, quam res deſiderat, properet, vel minus, quam neceſſe eſt, ſecet; ſed perinde faciat omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur. *Magiſtrorum* nomine veniunt tùm viri tùm fœminæ, docti doctæve, hoc illudve, ad ſanitatis conſervationem ejuſdemve reſtitutionem neceſſarium facere. Quamvis enim nulla non manualis operatio à viro exerceri queat, fœminæ tamen à fœminis tractari malunt in iis, quæ partum & partes pudendas attinent, niſi extrema neceſſitas flagitet opem viri. Quinimo hodiè ſic ferè uſitatum eſt, ut quędam manuariæ operationes maximè graves, & eventus periculoſi, adſpectu crudeles, & in quibus frequenti opus eſt exercitatione, relinquantur certis hominibus, qui ſe totos illis dant, quos Hip. in ὅρκῳ vocat ἐργάτας, Jul. Pollux χειροτέχνας, nos communi vocabulo *operatores*. Hi vel calculo extrahendo, caſtrando, diſtortis membris aut luxatis reſtituendis, oculorumque ſuffuſioni per acum curandę &c. operam ſuam locant, eamque paſſim exercent circumeundo civitates, accepta à magiſtratu licentia. Atque hæc equidem res ab antiquitate defluxit; apud Ægyptios enim teſte Herodoto, lib. 2. medicina in hunc modum erat diſtributa, ut ſingulorum morborum ſinguli eſſent medici, aliique medendis oculis, alii capiti, alii dentibus, alii ventri, alii occultis morbis curandis eſſent deſtinati. Suo quoque tempore tales Romæ fuiſſe, autor eſt Galenus l. 10. de uſ. part. c. 11. Tales ſunt hodieque in Ægypto, ut teſtatur Proſp. Alpinus de med. Ægypt. lib. & cap. 1. *Miniſtri* ſunt non famuli tantum atque diſcipuli, ſed & adſtantium quilibet, modo ſint apti manum operanti chirurgo prębere, aut inſtrumenta, prout uſus poſtulaverit, eidem ad nutum porrigere.

§. 2. *Opera* à nobis diſtinguuntur in eas, quę vel manibus ſolis exercentur, vel ad quas peragendas opus habemus inſtrumentis, quandoque etiam machinamentis, unde tales medici à Galeno l. VII. de uſ. part. c. 14. vocantur ὀργανικοί. Ad utraſque requiritur locus & lumen. De *loco* admodum ſolicitè monet ſuum inſtituendum Hippocr. l. de medico. *Locus* talis eſſe debet, ut chirurgus affectam partem ſine moleſtia, tum ſui ipſius, tùm ęgri, tractare poſſit; ad quod conducunt grabbati, & lecticæ, vulgo *licts de camps*. *Lumen* apud Hippocr. l. de offic. chir. & lib. περὶ ἰητρῦ duplex eſt: *commune*, quo omnes utuntur: *proprium*, quod moderari poteſt & debet à chirurgo, ut uſibus ejus inſervire poſſit; ſic aliquando feneſtras claudimus, aperimus, candelam accendimus, propius admovemus &c. Utriusque luminis duplex eſt *uſus*, vel enim eo utimur *adverſo*, cum clarę luci obvertimus membrum, vel *averſo*, ubi aut partes tractandæ à lumine offenduntur, ut patet in oculis inflammatis; aut ubi minus decorum eſt, eas luci exponere.

§. 3. Inter operas potiſſimum elucent illæ, quæ commodis atq; ad ſcopum facientibus affabre concinnatis inſtrumentis perficiuntur. Contendit celeberrimus Vidius *lib.1. cap.6.* ſtatim poſt miniſtros agendum eſſe de inſtrumentis, quod hæc ſint veluti miniſtri inanimes, & tanquam rei efficiendæ ſocii. Mechanicarum artium magiſtri ab initio diſcipulos ſuos imbuere ſolent notitiâ inſtrumentorum, eorundemque nomenclaturâ: horum ad exemplum, (& cur non imitemur.!) operæ pretium me facturum judicavi, ſi in anteceſſum breviter expoſuero inſtrumenta, quibus communiter uti ſolent chirurgi; attamen conſulo, ut oculis uſurpentur in armario exercitati chirurgi: interea adire licebit Paræi, Guillemęi, Joh. And. à Cruce, Fabritii Hildani, Gab. Ferraræ figuras aut Sculteti chiroplothecam. Reperiet ibidem chirurgiæ ſtudioſus plurima, quorum rarior eſt uſus: interim quædam ſunt, quę ordinariè, in thecâ coriaceâ, circumferuntur â chirurgis, quorum frequentiſſimus apud eos uſus eſt, ex gr. *Novacula, phlebotomum, forfex, volſella, ſpecillum, ſpatha, ſeparatorium, canaliculus foratus cum acubus, lintea concerpta*; reliqua in ſcriniis aut armamentariis domi aſſervare ſolent.

§. 4. *Inſtrumenta* in genere *trifariam* diſtribui poſſunt, ratione materiæ, formæ, vel uſus. 1. Ratione *materiæ* alia ſunt 1. *aurea*, ut filum aureum ad dentes factitios cęteris integris connectendos, vide *Paræum l.23. c.3.* quidam cauterio aureo utuntur, docente *Seve-*

rino,

rino, *pyrotech. chir. l.* 1. *p.* 2. *c.* 5. 2. *argentea*, talis eſt acus ad ſuffuſiones deponendas, ut ſtatuit *Dur. Scacchi ſubſid. med. l.* 1. *c.* 2. quamvis meritò chalybeam præferat *Paræus l.* 17. *c.* 22. item lamina ad palati lacunam obducendam apud *Paræum l.* 23. *c.* 4. & catheteres in veſicam immittendi. *Paræus l.* 17. *c.* 22. 3. *ænea*, ut meningophylax Celſi, deſcriptus *l.* 8. *c.* 3. vide *Pavium* in Hipp. de *vuln. c. p.* 257. & ſiphones. 4. *ſtannea*, ut quædam cucurbitulę. 5. *plumbea*, ut ſtylus ad tortuoſos ſinus perveſtigandos, apud *Vidium de chir. l.* 1, *c.* 2. Annulus plumbeus ad firmandum oculum. *Aquapend. de oper. chir.* tit. de ungue oculor. *Paræus l.* 10. *c.* 25. malleus item plumbeus, quando cycliſcis eſt auferenda portio cranii, ut docet *Botallus p.* 676. edit. Lugd. Bat. 6. *ferrea*, qualibus utimur ad ſcindendum & perforandum, ut acus, ſcalpella, forfices. 7. *vitrea*, ut cucurbitula ocularis, deſcripta ab *Aquapend. l.* de oper. chir. tit. de ſuffuſione: mammaria, ut poſt Omnibonum Ferrarium l. de arte med. infantium, depingit *Paræus l.* 24. *c.* 35. vitreus oculus. 8. *cornea*, ut ſunt cucurbitulę in balneis Germaniæ uſitatę, ex ſummitate cornu bubuli factę. Vid. Caſtellan. de cucurb. *c.* 3. *l.* 1. fiunt etiam è cornu catheteres, qui ob flexilitatem ſuam commodius ingrediuntur per penem. Tales autem fiunt, ſi aquę calenti immergantur. 9. *eburnea*, talis eſt extremitas ſiphonis, quæ ano inditur, aut peni, aut matrici, ubi clyſterem iis partibus injicere neceſſe eſt; 10. *lignea*, ut capſa pro repotione pedis aut brachii fracti, gloſſocomium, ferulæ. 11. Alia fiunt *ex ſubere, radice gentianæ, ſpongia*, ut turundæ ad dilatandas fiſtulas aptæ. 12. alia conficiuntur *ex ſtuppa*, *filis carptis*, *cera* vel ſimplici vel medicata, ut ſunt lychnia, lemniſci, penicilli, de quibus videatur Gorræus in voce *μοτός*. 13. *ex ſerico*, ut filum rubrum. 14. quædam ſunt *lanea*, ut quædam ſplenia. 15. *linea*, ut faſciæ varii generis. 16. *cannabina*, ut laquei. Secunda differentia petitur à *forma*: ſic alia ſunt *circularia*, alia *ovalis* figuræ, ut peſſaria; vid. Sculter. *t.* 22. *f.* 7. *&* 8. quædam *triangularia*, ex. gr. cauteria nonnulla, laminæ; quædam *roſtri corvini* aut *pellicani* ſimilitudinem habentia, quædam *lenticulata*. Tertia differentia ſumitur ab *uſu*: ſic aliis utimur ad ſecandum, ad perforandum, ad abradendum, ad extrahendum, dilatandum &c. Alia dicaſunt capitis vulneribus, alia veſicę vitiis, alia aliis partibus magis appropriata. Horum numerus definiri certò nequit, quotidie enim in pręſentem uſum nova excogitantur. aut excogitatis alia ſubſtituuntur commodiora ab artificibus.

CHIRURGUS.

Ille ipſe eſt qui Chirurgicam Medicinæ partem exercet. De Chirurgi habitû, ad ægrum ingreſſû, iiſque omnibus quæ ad commoditatem operationum ipſius manibus peragendarum faciunt, accuratè ſcribit Hippocrates lib. de Medici Officinâ, & fusè Galenus in Commentariô ſuper hoc librô. Aliquid itidem de illis habet Rodericus à Caſtrô in ſuô Medicô Politicô, imò etiam plura Julius Cæſar Claudinus in elegantiſſimô de Medici Ingreſſû Tractatu, aliique non pauci, à quibus omnibus hîc recenſendis abſtinemus pro nimietate vitandâ in articulô minùs forſan neceſſariô, aliquot tantùm lineas Clariſſ. Viri Hermanni Conringii, è Præfatione Epiſtolari ad Tractatus Thomæ Fieni de Præcipuis Artis Chirurgicæ Controverſiis petitas, jam tradere contenti, quibus abundè maniſeſtatur Chirurgi & Chirurgiæ dignitas ac neceſſitas. Sic autem Ille.

Antiquam medentium doctrinam, & priſca inſtituta cum iis quæ hodie paſſim recepta ſunt contendentibus, haud difficile obſervatu eſt, noſtra à prioribus permultum diſſidere. Nec tamen in univerſum hæc illis, aut illa his dixerim eſſe præferenda, ceu multi ſolent ita priſcis eſſe addicti, ut nova omnia faſtidiant, alii contra tantùm novis delectantur, vetera omnia ſpernentes, quaſi ἀρχαῖον omne rude ſit & impolitum, ſola autem ut ita dicam muſtea laudem recti mereantur. Enimverò illa eſt artium omnium ſcientiarumq; natura, ut quoniam humano ingenio atque induſtriæ ortum progreſſumque ſuum debeant, cum tempore capiant incrementum, cum tempore quoq; detrimentum patiantur & tantum non intereant; prout nimirum magis minuſve, ab hominibus magno ingenio & judicio prędítis doctrinæ cuique excolendæ impenditur. Eo ſane fit ſæpenumero, ut majorum res noſtris, ut noſtræ quoque illis multum antecellant. Certè ad commendationem vituperiumque non ſatis eſt vel vetuſtum eſſe, & obſoletum, vel novum & recentiſſimæ facturæ. Eapropter nec veterem medentium conſuetudinem doctrinamque noſtris ævi inſtitutis, neque hæc illis equidem prætulerim, unius temporis ratione habita: quia recentiora quædam vetuſtis, quædam vetuſta recentioribus cenſeo multum antecellere. Nec verò difficile id probatu fuerit, ſi res & locus hic idipſum expoſceret, imò ſi id pateretur. Sanè ſi eam quæ manu medetur medicinam ſpectemus, haud obſcurum fortaſſis eſt, longè illam hodie inferiore eſſe conditione quàm fuit olim. Etenim qui eam hodie vulgo exercent, nulla reliquarum artis partium peritia, nulla elegantiore doctrina, nulla perſonæ dignitate inſtructi eſſe ſolent, homines plerumque βάναυσοι & è fece Romuli; qui medici autem titulo laudantur, & artem cum dignitate faciunt, rarius videas illa χειρουργικὰ didiciſſe, ſępenumerò contemnere ac deſpicere. Olim verò non perinde aliud fuit Chirurgum, aliud medicum eſſe. Sanè qui ipſi Homero audit πόλλων ἀντάξιος ἄλλων, is gnarus, ἰούς τ' ἐκτάμνειν ἐπί τ' ἤπια φάρμακα πάσσειν. Ille omnis medicinæ parens Hippocrates non minus hanc quæ manu curat artis partem, quàm aliam omnem excoluit; & quidem felicius quàm à prioribus exculta eſt, Cornelio etiam Celſo judice.

Ejus exemplum optimi quique multis deinceps ſeculis ſunt ſecuti: Galenus certè princeps noſtri medentium ordinis & compluribus eam libris exactiſſimè docuit, & exercuit opere ipſo. Haud me latet jam tum priſco illo ævo hîc, alibi, diſcerpta quaſi in partes, ut ita loquar, fuiſſe Medecinæ officia; in Ægypto præcipue pęnè ſingulis morbis, ſuos ſingulatim medicos datos, eoque Chirurgiam ab aliis artis partibus deductam per ſuos Profeſſores ibi increviſſe, maxime Philoxeno autore. Attamen hic mos non profectò ſeſe probavit, excellentiſſimis quibuſque artificibus noſtris, qui proinde omnem artis partem & animo & opere complecti ſui officij exiſtimaverunt. Sequiore demum tempeſtate à ſeculo uſque Chriſtiano VI. inter Arabes præcipuè & Barbaros Græculos, mos ille novus inolevit; contage hinc ſerpente in Occidentalia Europæ regna, quæ ſeculo tertio decimo, ut Philoſophiæ ita & Medicinæ ſtudia, ex Arabum libris Latinè verſis incœperunt petere. Permultum autem ille mos nocuit humano generi. Ex quo enim omnis illa manus opera iis, qui ſanitatis morborumque curam ſuſcipiunt, medicis juſto minus cœpit perſpici, factum eſt, ut medici quidem, iſthoc remedii genere deſtituti, ſæpenumero paſſi ſint vim morborum ad deſperationem uſque augeſcere, quæ à manu potuiſſet accipere medelam: Chirurgi verò artis medi[illegible] imperiti perfrequenter confugiunt (ut alia nunc taceam) ad aſpera ignis & ferri remedia, non tantum nulla poſcente neceſſitate, ſed etiam morbi natura id improbante. Certè iſthæc Chirurgiæ à reliqua arte diviſio peperit nobis & illam utriuſque ordinis infelicem medicationem, & chirurgorum maximè, plerique laborant, ſtupidam imperitiam. Non ego contendo, manum omni operi ab ipſo qui medicinam facit eſſe admovendam: non enim id poſtulat ratio ſanitatis, & fortaſſis infra decorum eſt & dignitatem

dignitatem, qua Medicos pollere in hominum ſocietate par eſt. Nec verò ab architecto etiam quis prudens exegerit, viliſſimas quaſque operas ſtruendæ domui neceſſarias. Tantum volo illi cui ſanitatis cura committitur, etiam manuaria illa remedia intimè cognita eſſe oportere, ſi quidem ſpem de ſe excitatam velit tueri, adeoque ſuo ſatis facere officio. Et verò jam ab avorum uſque memoria id paſſim elegantiſſimis quibuſque medentium eſt viſum: qui proinde utut manum ſuam abſtinuerint ab opere, tamen in tantum Chirurgiæ ſibi peritiam acquiſivere, ut βαναύσοις illis imperare didicerint, haud aliter atq; famulantium manus architectus moderatur & gubernat. Hinc ex eo tempore ſcriptis præclariſſimorum quorundam medicorum illum in modum vetuſtiſſima medicinæ pars denuo eſt exculta; ut tantum ad priſcum decus reſurrexerit, ſed (niſi fallor) in nonnullis antiqui ævi conatus ſuperaverit. Nec enim non eximiam laudem jam tum ante hos centum amplius annos commeriti ſunt apud Italos Joannes de Vigo, præcipue, & cujus ego aureum de Fractura Cranii librum multo ſtudio emendatum adoleſcens feci iterum in Batavis excudi, Iacobus Berengarius Carpus, ut & illius diſcipulus Marianus Sanctus Barolitanus: quorum veſtigiis feliciter inſtiterunt deinceps Angelus Bologninus, Michael Angelus Blondus, Alfonſus Ferrius; imò quos ſuperarunt tum alii tum Gabriel Falloppius, Caſpar Taliacotius, Iulius Cæſar Arantius, Cæſar Magatus, Joannes Andreas de Cruce, Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, & qui unus pro omnibus eſt, Machaon noſtri ſeculi, Marcus Aurelius Severinus. Gallia quoque ita hoc in loco laboravit, ut Italiæ non tantum dubiam palmam fecerit per Tagaultium, Vidum Vidium patria quidem Italum, qui tamen Franciſci regis auſpicio Pariſiis docuit, Bartholomæum Cabrolium, præcipue verò per Ambroſium Paræum. Pauciores quidem Germania in æmulationem hujus laudis produxit hactenus, forte tamen (ne quid de Matthia Glandorpio dixerim) licet unum Guilhelmum Fabricium Hildanum multis contra Italorum Gallorumque æſtimare, ſive induſtriam ſpectes, ſive in excogitandis judicandiſque remediis illis promptiſſimum ingenium. Non inferiora Joannem Fienum ſecutum fuiſſe docuerint ſoli libri de cauteriis, quos jam tum junior edidit; multo maxime illuſtrabunt, tractatus nunc primum edendi.

CILIORUM AFFECTUS. Vid. *Palpebrarum Affectus.*

CIRCUMSISIO.

Circumciſio Hebræis propria ſequenti modò peragitur, ut habet Fabricius ab Aquapendente. Apprehenditur extenditurque ſummâ cutis colis, id eſt, præputium, & duobus locis vinculô alligatur, & ſtringitur; poſtea in mediô utriuſque vinculi, forfice ſtatim tota exciditur in orbem: poſſemus quoque idem novaculâ acutiſſimâ præſtare. Paulus autem lib. 6. cap. 57. proponit circumciſionem utilem, quæ fit cùm præputium gangrænâ affectum nigreſcit; quô caſû, orbiculatim præcidi debet; poſteà ſi ſanguis fluxerit, ferramentis candentibus lunatis utendum eſt. Quòd ſi etiam glans denigrata ſit, idem in eâ quoque præſtandum, & exiguus è plumbô canaliculus in urinę meatum immittendus. Ego aliquando, ut hominem ſervarem, cui ultra glandulam, colis erat carcinomate affectus, & corruptus, acutiſſimâ novaculâ tranſversè excidi, & ferramentis candentibus profuſionem, & corruptionem ſuperavi, & hominem liberavi. At ſuper hôc ultimô articulô plura vide capite de Penis Morbis.

CIRSOCELE. vid. *Hernia.*

CLAVUS OCULI. vid. *Oculi Vitia.*

CLAVUS PEDIS vid. *Pedis Clavus.*

CLYSTER.

Clyſteriorum ſunt varia genera Chirurgiam ſpectantia, ſuper quibus conſuli poteſt Bibliotheca noſtra Pharmaceutica.

COLUMELLÆ INFLAMMATIO & alii AFFECTUS. vid. *Gurgulionis Morbi.*

COMBUSTIO.

Cap. 1. *De Combuſtionibus omnis generis ac conditionis, quandoquidem tractatulum abſolutiſſimum conſcripſit Experientiſſimus vir Gulielmus Fabricius Hildanus, illum hîc primô legendum exhibebimus.*

QUanquam Combuſtio ſit affectus omnibus notiſſimus, attamen clarioris doctrinæ gratia, antequam ulteriùs progrediamur, eum ſic deſcribemus.

Combuſtio eſt ſolutio continui Epidermidis, & Cutis ut plurimum, nonnunquam etiam carnis muſculoſę, Venarum, Arteriarum, Nervorum, &c. vi ignis impreſſa. Hanc autem combuſtionem ſequuntur mox dolor acerbiſſimus, inflammatio, puſtulæ: & ſi combuſtio profunda corpuſque cacochymicum fuerit, facillimè degenerat in ulcus fœtidiſſimum & malignum, quamprimùm enim ignis, aut res ignita, cutem attigerit, ratione caliditatis & ſiccitatis ignis, humidum radicale, ex parte illico exiccatur: hinc cutis indureſcit, & contrahitur: quod reliquum eſt humoris in cute, & proximis partibus, ſupra modum incaleſcit, & acquirit naturam ignis. Porrò durities illa cutis (quia circumjacentes partes contrahit) item ebullitio humorum, & ſolutio continuitatis, protinùs acerbiſſimum excitant dolorem, ille verò ex proximis partibus ad ſe attrahit multos humores, qui (ſi combuſtio levis fuerit (ſub Epidermide concurrunt, eamque, quia vi ignis induruit, nec tranſpirationem admittit, in altum elevant, hinc fiunt puſtulæ. Si autem combuſtio inſignis fuerit, ita ut vera cutis ſimul læſa, in eſcharam indurata fuerit, tunc humores innati, & quicquid continuò ratione doloris adfluit, retinentur, & incarcerantur ſub cute illa indurata, inde non ſolùm augetur eorum caliditas, quam ab igni acceperunt, verùm etiam quicquid ſanguinis & humorum ex corpore, & proximis partibus adfluit, ſimul incaleſcit, efferveſcit, & acrimoniam quandam acquirit, hinc fit, ut humores illi locum affectum erodant, & ulcus magnum efficiant.

Cæterùm notandum eſt, quemadmodum multiplices & diverſę occurrunt materię, quibus ignis vim & qualitatem ſuam imprimit, quę, ut ſubſtantiâ differunt, ſic etiam una multò vehementiùs urit, quàm altera. Itaque quantò durius & ſolidius exiſtit lignum, aut metallum aliquod, tantò vehementiorem in ſe quoque retinent calorem. Calor item olei, pinguedinis, ceræ, picis, ſapæ ad conſiſtentiam coctę, uti poſtea declarabimus exemplo, & eorum, quę facilè adhærent, multò eſt vehementior calore aquę fervidæ; quandoquidem experientia docuit, plumbum & ſtannum in oleo fervido liquefieri, id quod nunquàm fiet in aquâ, quantumvis in ſummo gradu caliditatis fuerit. Quando calx extinguitur, tunc adeò incaleſcit, ut non ſolùm cutem & carnem urat & exulceret, verùm etiam cutem, nervos & juncturas violenter contrahat. Ignis verò omnium vehementiſſimus & periculòſiſſimus eſt ignis cœleſtis, ſive fulminis, continet namque in ſe quaſdam facultates ſupernaturales, quemadmodum ſuo loco exponemus.

Cap. 2. *Gradus & diſtributio combuſtionum in tres ſpecies, item ex quibus Indicationes curativa petenda.*

QUamvis autem combuſtio à diverſis fiat materiis, metallis & liquoribus, quemadmodum diximus; nihil tamen, vel parùm id facit ad curationem. Quandoquidem combuſtio ferro candenti facta, ſimilis eſt combuſtioni Auro aut argento candenti factę. Sic & combuſtiones

combuſtiones ſive oleo fervido, cera, pice, &c. factæ fuerint, inter ſe (quantum ad materiam) non differunt, neque particularem requirunt curandi methodum. Quemadmodum clariſſ. Dn. D. Laurentius Joubertus Vir eximius & de Chirurgia bene meritus, teſtatur. Nulla igitur ſumenda eſt indicatio curativa ex materia ignita, ſed potiùs ab affectu, quem impreſſit. Ut autem curatio rectè inſtituatur, diſtribuemus combuſtiones omnes, à quacunque fuerint factę materiâ ignitâ, in tres gradus ſeu ſpecies, nempè in leviſſimam, mediocrem & inſignem. Si enim materia, quę urit, non uſque adeò diu adhæſerit corpori noſtro, ut levis fuerit, quemadmodum ſtramen, linum, ſtupę aut lignum aliquod leve, vel aqua, quę cito defluit, tunc tantummodo elevantur puſtulæ, eſtque hic primus gradus ſeu ſpecies. Si verò materia paulò diutius adhæſerit aut violentiore calore prædita fuerit, tunc non ſolùm elevantur puſtulæ, verùm etiam cutis vera ſuo humido radicali ex parte deſtituitur, & aliquo modo exiccatur & contrahitur, nondum tamen facta eſt eſchara. Tertiò ſi res ignita diutiſſimè adhæſerit, & violentiſſimum calorem in ſe continuerit, tunc non ſolùm cutis, verùm etiam caro, venæ, arteriæ, nervi, &c. comburuntur, contrahuntur, & in Eſcharam ſiccantur: quandoquidem humidum innatum vi ignis exiccatum conſumptum eſt. Sunt itaque medicamenta mutanda & applicanda ſecundùm has differentias, quemadmodum poſtea declarabimus. Secunda Indicatio ſumitur à parte affecta: non enim unum idemque medicamentum ſimul convenit oculo, membro virili, nervo, juncturis, carni muſculoſæ, &c. Mulieres item, pueri, & qui exquiſito ſenſu præditi ſunt, debiliora requirunt medicamenta; contrà verò fortiora, qui duram habent carnem, & robuſtiores ſunt homines, ut Galenus rectè admonuit: Ex hac deſcriptione & diſtributione combuſtionum facilè apparet curandi methodus, quam nos poſteà tribus capitibus, prout combuſtiones in tres ſpecies diſtribuimus, Deo dante declarabimus.

Cap. 3. *Signa, quibus tres illi gradus combuſtionum cognoſcendi & diſtinguendi.*

Quia combuſtiones in tres diviſimus ſpecies vel gradus, deinceps ad uniuscujusque ſpeciem propria præſcripturi ſimul remedia, neceſſe eſt, ut quomodo ex ſignis & notis diſtinguendæ ſint, declaremus. Signa itaque primæ ſpeciei, ſive leviſſimæ combuſtionis hæc ſunt, cutis rubicunda, dolor acerbiſſimus & pungitivus, non aliter, ac ſi cutis ſemine urticæ fricata eſſet. Mox, (niſi citiſſimè occurratur ægro remediis aptis) inflatur locus, & elevantur puſtulæ, in quibus aqua clara & alba continetur, tandem quoque Epidermis ſeparatur. Ex circumſtantiis quoq; cognoſcitur combuſtio levis, nimirùm rem ignitam levem fuiſſe, quemadmodum ſtramen, linum, ſtupæ, & ſimilia: aut ſtatim defluxiſſe, ut aqua fervida, vel corpus exiguo momento attigiſſe. Contrà verò in altera ſpecie, res ignita aliquandiu corpus attigit, vel vehementiorem in ſe habuit calorem, quemadmodum ferrum ignitum, aut metallum aliquod liquefactum, lignum duriſſimum, pix, oleum, cera, vel ſimile quid. Hinc fit ut pars illicò infletur, rubeſcat, doleat, urat, & ipſo momento puſtulæ eleventur, in quibus continetur aqua ſubtilis & flaveſcens, ægerque de tenſione cutis conqueritur: eſt enim vi ignis contracta atque denſa. In ultima verò ſpecie, ipſo quoque momento, dum res ignita adhæret corpori, elevantur puſtulæ, ſed illicò denuò concidunt, eo præcipuè loco, in quo combuſtio inſignis & vehemens eſt: ſubjecta verò cutis nigra, vel ſaltem livida conſpicitur; & obtusè ſentit, ſi ſcalpello pungatur; eſt enim dura & exiccata cruſta, ea cùm deciderit, remanet ulcus profundum & putridum. Ex natura quoque rei ignitæ, & ſpacio, quo corpori adhęſit, combuſtio inſignis cognoſci poteſt.

Porrò quamprimum Chirurgo occurrit combuſtio, inquiret ad quamnam ſpeciem ſit referenda, hoc eſt, an levis, mediocris, vel inſignis fuerit; ſi levis, impediat remediis, ſequenti 6. cap. declarandis, ne puſtulæ eleventur: ſi verò mediocris, ad ſeptimum caput confugiat: Si enormis & magna, procedat, quemadmodum capite octavo declarabimus.

Cap. 4. *Prognoſtica Combuſtionum.*

Combuſtio levis, ubi cutis tantummodò læſa eſt, quantumvis dolorifica, facilè tamen & brevi curatur, & vix apparebit cicatrix, ſi modò recta & methodica inſtituta fuerit curatio. Contra verò difficilè ſanatur combuſtio inſignis & magna, quæ turpem & rugoſam poſt ſe relinquit cicatricem, propter cutis deperditionem & contractionem. Si puſtulæ in principio non aperiantur, tunc multi humores concurrunt ad partem læſam, qui putreſcunt, & acrimoniam acquirunt, ita ut cutem & & carnem profundiùs erodant, ulcus putridum, & tandem cicatricem turpiſſimam efficiant. Sunt itaque puſtulę ſtatim ab initio incidendæ, ut aqua acris & fervida effluere queat.

Facilè & parvo negotio ſaneſcit combuſtio in corporibus ſanis, & bene temperatis. Contra difficillimè in cacochymicis & plethoricis, facileque degenerat in ulcus putridum: dolor enim continuò ad ſe attrahit ex corpore humores & ſanguinem, hinc pars affecta incaleſcit, & inflatur, variaque & peſſima ſymptomata ſequuntur.

Combuſtiones capitis & faciei, ſi magnæ & profundæ fuerint, glabras poſt ſe relinquunt cicatrices, quandoquidem cutis adeò arefacta & contracta eſt ab igne, porique clauſi ut poſtea erumpere nequeant.

Combuſtio ad oculos, præcipuè ciliorum & membranarum Adnatæ & Corneæ, quantumvis leviſſima ſit, periculoſa eſt; & facillimè viſus depravatio, aut ad minimum imbecillitas ſequitur, & palpebræ invertuntur. Si unicum ſaltem granum pulveris tormentarii pupillæ infixum fuerit; ut plurimùm de viſu actum eſt: uti ego vidi aliquoties, præcipuè in Dn. *Johanne Bleſchereto*, civitatis Lauſannenſis Quæſtore fideliſſimo, quem honoris causâ, & propter mutuam noſtram amicitiam nomino. Huic cum Lauſannæ in luſtratione exercitus bombarda ex improviſo in faciem exploſa eſſet, & granum unum tantummodò pulveris tormentarii pupillam attigiſſet, ſequuta eſt cicatrix livida, & viſus abolitio, quem ego, poſt menſes aliquot advocatus, arte reſtituere non potui.

Periculoſæ item ſunt combuſtiones Inguinum, & difficillimè curantur: ſunt enim hujuſmodi membra per ſe humida, imbecilla & affluxui humorum obnoxia.

Combuſtio Ventris ſemper periculoſa eſt, difficillimèque curatur: ſunt enim muſculi abdominis propter inſpirationem, & expirationem, extenſionem, quæ fit mediante cibo & potu, excrementorum excretionem, riſum & clamores, in perpetuo motu; quemadmodum Anno 1582. Hildenæ in patria in quodam puero trium annorum ætatis, obſervavi: is enim combuſtione periculoſa ventris affectus, ultra menſes octo mihi & aliis multum negotii faceſſit.

Si verò inteſtina aliqua in parte ſimul combuſta fuerint, lethale eſt. Eſt & Combuſtio Fulminis mortalis, uti ſuo loco dicetur. Ex maxima combuſtione ſterilitatem in Viro quodam conſequutam fuiſſe, Lector ex obſervationibus noſtris colligere quoque poterit.

Combuſtio ad magna vaſa Arteriarum & Venarum periculoſa eſt, præcipuè ſi profunda fuerit: calor enim contrahit, & vaſa claudit, hinc ſpiritus & ſanguis ad vivificandum & nutriendum, non ſatis perfluere poſſunt:

poſſunt: & tandem ſequitur Atrophia, nonnunquam & Gangræna, quemadmodum in Tractatu noſtro de Gangræna & Sphacelo oſtendimus. Combuſtiones item ad nervos & articulos facillimè contrahunt juncturas, ideoque ut Chirurgus in hujuſmodi combuſtionibus ſummam diligentiam adhibeat, & ſtatim ab initio medicamentis aptis duritiem & rugoſitatem cutis emollire & calorem ab igne impreſſum extrahere & diſſipare ſtudeat, neceſſe eſt. Combuſtiones itaque ad oculos, ventris item, inguinum & juncturarum difficiles ſunt & periculoſæ, omnium verò periculoſiſſima eſt combuſtio totius corporis, inprimis ſi magna fuerit, quemadmodum in 2. Cent. Obſervationum Chirurg. de cereviſiario, declaravimus.

Cap. 5. *De duplici methodo combuſtionum curandarum.*

QUamvis paſſim infinita ad combuſtiones apud Practicos & plebeios in uſu ſint remedia, ſive ea Emplaſtra, Unguenta, Succi aut Aquæ diſtillatæ fuerint, nihilominus tamen omnia ad hunc finem tendunt, nimirùm ut Empyreuma ſive calorem ab igne in parte affecta relictum, aut ſuffocent, aut reſolvant & diſſipent. Suffocatio autem Empyreumatis, fit aut frigidis & humidis medicamentis, veluti ſuccis & aquis ſempervivi, lactucæ, Hyoſcyami, Solatri, & ſimilibus: aut frigidis & ſiccis, quemadmodum ſunt bolus armenus, terra ſigillata, ceruſſa, argilla fornacum, & hujuſmodi Emplaſtica, quæ poros occludunt. Ita ut calor extraneus ab igne relictus, non aliter ac ignis in loco occluſo, intus ſuffocetur & extinguatur.

Altera via extinguendi empyreuma in hoc conſiſtit, ut calor extraneus, & humores acres reſolvantur & diſſipentur, quemadmodum vidimus prunas extingui, ſi huc illucque diſſipentur. Id verò fit calidis medicamentis, ut ſequenti capite declarabimus. Nunc operæ pretium eſt, inquirere, quænam methodus ſit eligenda?

Qui primam methodum ſequuntur, hoc axiomate Hippocratis: Contraria contrariorum ſunt remedia; ſe fulciri putant. Cùm enim combuſtio ſit accidens calidum, ſuo contrario, nempè frigidis, empyreuma & incendium ab igne relictum extinguere conantur. Veriſſimum quidem eſt recitatum Axioma Medicorum, fateor, ſed refrigerationem in combuſtionibus per accidens fieri debere, ſentio. Ex prima enim curandi methodo, cùm varia ut plurimùm oriantur ſymptomata, quemadmodum poſtea declarabimus, meritò rejicienda eſt. Non enim ſolùm Empyreumati occurrere ſufficit, ſed præcipuè aliis quamplurimis accidentibus, ut ſunt dolor, retractio & rugoſitas cutis, ſtipatio pororum, &c. proſpiciendum eſt, quæ omnia calida requirunt medicamenta. Hæc autem, ut penitùs intelligantur, videamus primò proprietates frigoris. Eas autem Hippocrates deſcribit his verbis. ***Vlceribus frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem intolerabilem facit, denigrat, rigores febriles, convulſiones & diſtentiones creat.*** Et Galenus: ***Subjectam materiam contrahere condenſareque frigidi ſemper eſt proprium.*** Id quoque perſpicuum fit in oleo, pinguedine aliiſque rebus, quæ frigore denſantur & indureſcunt. Ex quibus perſpicuum fit, frigida combuſtionibus planè adverſari, & varia peſſimaque accidentia procreare: Cutis enim ab igne indurata & contracta, magis ab uſu frigidorum medicamentorum indureſcit, & dolor augetur, hinc concurrunt humores, qui ſub cute indurata non ſolùm retinentur, imò ab uſu frigidorum Medicamentorum in profundum repelluntur ibique magis incaleſcunt & ſummam acrimoniam & malignitatem acquirunt. Hinc tandem fit inflammatio, Abſceſſus (& nonnunquam Gangræna. Incluſus enim humor, quia perſpiratione caret, illicò putreſcit, ut Galenus teſtatur: vel quia calor adventitius, dum in parte læſa incluſus eſt, exiccavit humidum radicale, in quo conſiſtit calor nativus, quemadmodum in Tractatu de Gangræna oſtendimus, Hanc quoque ob cauſam monuit Hippocrates, Eryſipelas ab exterioribus ad interiora verti, non eſſe bonum. Sequitur & nonnunquam ſi combuſtiones magnæ frigidis Medicamentis tractentur, Herpes exedens; humores enim ſub cute incluſi acrimoniam & malignitatem acquirunt. Anno 1594. venit ad me Coloniam juvenis, cui ex ſimplici Combuſtione Herpes totam tibiam à pede uſque ad coxam invaſerat, ita ut nonnulli tibiam abſcidiſſent, ſi malum tantummodò ſub genu fuiſſent. Hunc quâ methodo, & quibus medicamentis curaverim. Lector ex meis obſervationibus Chirurgicis intelligere poterit. Quum igitur animadverterem, quemadmodum prunas, ſi cineribus diligenter cooperiantur, calorem ſuum diu conſervare, ſic etiam Empyreuma, & humores, qui in combuſtionibus ad locum affectum confluunt, ab uſu frigidorum medicamentorum intus retineri, alteram potiùs methodum mihi ſelegi, quam hactenus etiam maximo cum fructu ægrotantium exercui. Quemadmodum enim pruna citò refrigeſcit, ſi diſperſa diſſipataque fuerit: Sic citò refrigeſcunt, (per accidens tamen, ut Galenus teſtatur) calida medicamenta diſcutiendo & extrahendo Empyreuma: Quandoquidem calor, ut Hippocr. ſcriptum reliquit, cutem emollit, extenuat, dolorem ſedat, rigores, convulſiones mitigat & ulcera ad ſuppurationem præparat, ideoque etiam iis partibus, quæ phlegmone infeſtantur, ejuſmodi applicantur medicamenta, à moderato calore tamen, humores liquefieri, vias ac poros dilatari, idem Galenus teſtatur. Frigida item turpem rugoſam & lividam poſt ſe relinquunt cicatricem, ut ex Hippocrate oſtendimus: calida verò non item.

Ut autem recta & methodica inſtituatur curatio combuſtionum, diligenter examinandi & inſpiciendi ſunt omnes affectus & accidentia combuſtionum, ut ſecundùm earum naturam remedia mutentur & applicentur, imprimis autem, quia propter ſolutionem continui, & ſubitam mutationem dolor ſubſequitur, qui violenter ad ſe attrahit ex corpore humores & ſanguinem, neceſſe eſt repellentibus medicamentis, defenſivis nimirùm, & faſciis, in oxycrato intinctis impedire, ne hujuſmodi humores & ſanguis in partem læſam confluant. Mox victus ratione, purgationibus, venæ ſectione, cucurbitulis aliiſque revulſionibus imminuantur, & ad alias partes trahantur & evacuentur humores & ſanguis. Quantum ad topica attinet, in prima ſpecie combuſtionum, ſi nondum elevatæ fuerint puſtulæ, evocetur empyreuma, & humores acres unguento ex cæpis & hujuſmodi: ſi verò cutis combuſta, contracta & indurata fuerit, diligentia adhibenda eſt, ut ea emolliatur, & lubrica efficiatur. Id autem fit medicamentis calidis & humidis, ut ſequentibus capitibus fuſiùs declarabimus.

Cap. 6. *Curatio primi gradus Combuſtionum.*

PRimum & præcipuum negotium in combuſtionibus eſt, ut Chirurgus impediat, ne puſtulæ oriantur, ſi enim id fieri poſſit, non eſt quod æger poſteà ullam moleſtiam vereatur. Itaque quàm primùm quis igne, aqua, aut oleo fervido, aut ſimili quapiam re combuſtus, ac combuſtio levis fuerit, illicò locus ambuſtus aquâ, aut proprio ſputo madefiat, & ad ignem admoveatur, ut incaleſcat, quantum ferre poterit vel in aquam calidam immergat locum ambuſtum: aut ſi id fieri nequit, intingatur ſpongia aut linteum reduplicatum in aqua calida & applicetur loco ambuſto: calor enim ille externus Empyreuma, hoc eſt, calorem ab igne in parte combuſta relictam ad ſe attrahit, ut Ariſtoteles, & expe-

& experientia teſtantur, eſtque ignis teſte Fernel. proprii inuſti mali alexiterium. Quemadmodum enim contuſus ſcorpio ictui ſuo impoſitus, venenum proprium ad ſe attrahit, ſic calor calorem. Hinc cępe in mortario cum ſale contuſę, & illico loco combuſto applicatæ, empireumata extrahunt, nec ſinunt ut puſtulæ eleventur. Poſſunt & in taleolas ſcindi,& loco ambuſto imponi, unus ad alterum, donec tota pars combuſta ſit cooperta. Sequens quoque unguentum empyreuma potenter extrahit, nec ſinit puſtulas elevari.

℞. Cæpę crudæ ℥j. ß.
Salis
Saponis albi veneti an. ℥j.

Miſceantur in mortario, fiatque unguentum cum ol. roſac. & amygdalar. dulc.

Anno 1604. cum dulciſſima mea conjunx ſapam in magno aheno coqueret ac ipſam ſpatula agitare vellet, ex improviſo dextram ad carpum uſque in ſapam ebullientem immittit, ea autem manui tantò tenaciùs adhęrebat, quantò magis ad conſiſtentiam ac ſpiſſitudinem cocta erat. Ideoque illicò exortus eſt dolor vehementiſſimus, non ſolùm in ipſa manu, verùm etiam toto brachio. Sapâ ablotâ calidâ aquâ, unguentum jamjam præſcriptum (quod opportunè tum temporis in promptu mihi erat) applicui, totum brachium oleo roſaceo inunxi, & faſciâ poſcâ intinctâ involvi, ſæpiuſque omnia illa reiteravi. Hinc divino favore, ex tanta combuſtione nulla ſequuta eſt cutis exulceratio, præter duas parvas puſtulas una in pollice, altera in indice digito, quę tamen parvo negotio unguento Baſilicone curatæ fuere.

In combuſtionibus verò univerſalibus procedatur, quemadmodum ſequenti exemplo declaratur.

Anno 1605. Paterniaci tinctoris cujuſdam Magiſtri Joachimi nomine, famulus, in ahenum tincturâ calidâ plenum incidit. Hinc totius quidem corporis combuſtio ſequuta eſt, ſed quia tinctura non omninò fervida, illę potiſſimùm partes corporis, quæ fœcibus tincturę in fundo aheni, præcipuè ſerraturę ligni quercini, quibus adhuc calor maximus inerat, inhęſerant, veluti brachia & facies, combuſtę fuerunt. Accerſitus illicò totum corpus, facie exceptâ, hoc unguento inunxi.

℞. Saponis liquidi ℔. ß.
Cæpæ crudæ ℥ij.
Salis ℥j. ß.
Ol. de vitellis ovorum ℥j.
Ol. roſac. &
Amygdalar. dulc. an. ℥iiij.
Mucilag. ſem. cydonior. ℥ij. Miſce,
Fiat unguentum.

Oculis ſequens inſtillavi Collyrium anodynum.

℞. Aquæ roſar. ℥iij.
Aquę plantag.
Sem. cydonior. &
Fœnigręci an. ʒ. ß. Miſce.

Maneant in infuſione ſupra cineres calidos per horam, deinde exprimantur, addaturque parum lactis muliebris, & oculis calidè inſtilletur. Reliquis verò partibus faciei unguentum quoque ex Sapone, ſolidum tamen & ſpiſſum, ne ad oculos perflueret, eoſque læderet, applicui. Hujus autem unguenti talis eſt deſcriptio.

℞. Gummi elemi ʒj.
Ol. vitell. ovor. Roſar. an. ʒiij.
Saponis albi & Veneti ℥ij.

Diſſolvatur gummi cum oleis, omnia in mortario diligenter commiſceantur, fiatque unguentum, quod ſuper linteum extenſum, applicetur toti faciei, & de quatuor in 4. horis reiterentur emplaſtra, collyrium verò ſingulis horis. Eodem quoque die, exonerata priùs alvo ſuppoſitorii beneficio, baſilicam dextram incidi, & ſanguinem ad uncias decem extraxi; erat enim Vir robuſtus & plethoricus. Alterâ verò die ſequens exhibui pharmacum.

℞. Electuar. diacathol. ʒvj.
Electuar. de ſucco roſar. ʒij.
Syrupi roſati ſolut. ℥j.

Cum aqua cichorii & bugloſſæ fiat potio, detur hora matutinâ cum cuſtodia, & optimâ victûs ratione.

Alterâ quoque & tertiâ die, ſimili unguento corpus totum bis inunxi, & faciei unguentum, quod præſcripſi, applicui, oculiſque collyrium frequentiſſimè inſtillavi. Sed quia quibuſdam in locis, præcipuè in brachiis combuſtio in profundum penetrârat, neceſſe fuit iiſdem in locis, eandem, quam 7. & 8. cap. declarabimus, curandi methodum ſequi. His divino favore intra dies quatuordecim ex tanta combuſtione pleniſſimè ſanatus fuit.

Porrò combuſtionibus faciei unguentum ex cæpis minimè convenit: ex iis enim oculi damnum atque jacturam non exiguam contrahunt. Itaque loco ipſius unguenti, ſequens præparatur.

℞. Saponis Veneti ℥j.
Ol. Roſar. &
Amygdalar. dulcium ana ℥ ß.

Miſce, fiat unguentum in mortario, addendo parum mucilaginis cydoniorum, extractę cum aqua roſar. Notandum eſt, Saponem mollem, quamvis in combuſtionibus minimè rejiciendus ſit, in facie tamen non applicandum eſſe, liquefit enim, penetrat & offendit oculos, hanc quoque ob cauſam proſpiciendum eſt, ne præſcriptum unguentum nimis ſit liquidum. Nonnulli ut impediant, ne puſtulæ eleventur, linteum vernice intinctum applicant illicò. Alii taleolis ex larido locum ambuſtum cooperiunt. Paulus Ægineta ſuadet linteum reduplicatum muriâ intingere, & applicare. Lixivium item & aqua, in qua calx extincta fuit, idem efficiunt, ſed hujuſmodi remedia ſæpiùs ſunt iteranda, & tepidè applicanda, ne linteamina ſiccata in loco affecto dolorem excitent.

Si Facies pulvere bombardico combuſta, & grana pulveris cuti infixa fuerint, illicò extrahendus eſt pulvis, quantum fieri poterit, idque acu aut aliquo alio inſtrumento acuto. Poſtea expectandum eſt, ut puſtulę eleventur. Sic enim quod reliquum eſt pulveris in cute, parvo negotio extrahi, & cutis mundificari poterit. Si verò Chirurgus in principio non advocatus fuerit, ita ut cutis jam cicatrizata, maculæ verò nigræ ex pulvere relictæ fuerint, neceſſe eſt denuò exulcerare cutem; id autem commodè fiet ſequenti veſicatorio.

℞. Cantharidum num. vj.
Fermenti ℥ ß.

Miſce in mortario cum gutta una aut altera aceti, fiatque unguenti inſtar, de quo fiant parva emplaſtra, quæ maculis applicentur. Sed diligenter proſpiciendum, ne ad oculos perveniat unguentum hoc. Cumprimùm puſtulæ fuerint elevatæ, incidendæ ſunt forficibus, poſtea acu aut aliquo alio inſtrumento acuto eximendus eſt pulvis, tandemque applicandum eſt ſequens unguentum.

℞. Butyri ſine ſale ℥j.
Unguenti Baſilic.
Olei lilior. albor.
De vitell. ovor. ana ʒij. Miſce, fiat unguentum.

Quotieſcunque Chirurgus tractat ulcera, proſpiciat ut nigredinem pulveris diligenter abſtergat, aut cum decocto fœnigræci, & florum meliloti abluat, poſteà applicet præſcriptum unguentum, atque ita procedat, donec ulcera ſatis ſint mundificata. Ego hoc in caſu aliquoties uſus ſum pulvere præcipitati, idque maximo cum fructu ægrotantium. Circumcirca verò ulcera, doloris leniendi gratiâ, ſequens applicetur unguentum anodynum.

R. Olei

R. Olei amygdal. dulc.
Roſacei
Cerę albæ an. ℥j.

Liquefiant, & miſceantur, poſtea adde caphuræ ℈j. mucilaginis ſem. cydonior. parum. Miſce fiat unguentum.

Si verò pulvis in oculos impulſus fuerit, abluendi ſunt lacte muliebri, aut aqua roſac. tepidâ. Inprimis autem diligentia adhibenda eſt, ut affluxus humorum impediatur, & dolor leniatur, ut capite undecimo declarabimus.

Si verò pulvis in cutem impulſus non fuerit, ſed cutis tantummodò ex flamma pulveris combuſta, tunc illicò unguentum ſuperius præſcriptum ex Sapone, oleo, amygdal. dulc. & roſaceo applicetur. Interim dum affectus ita tractatur, diminuendi & per alia loca educendi ſunt humores noxii & ſanguis, ne ratione ſolutionis continui, & doloris in partem læſam confluant, inflammationemque & alia graviora ſymptomata excitent. Id autem commodè fiet victus ratione, purgationibus, venæ ſectione, cucurbitulis & defenſivis, ut ſuo loco declarabimus.

Cap. 7. *Curatio ſecundi gradus Combuſtionum.*

POrrò ſi Combuſtio altiùs penetraverit, ita ut non ſolùm puſtulę eleventur, verùm etiam cutis combuſta, ſiccata, & contracta fuerit, tunc neque cæpæ, ſapo, ſal, & quæ ex hujuſmodi fiunt medicamenta, multò minùs etiam ſuperiùs enarrata frigida & ſicca, ſed quę cutem emolliunt, & lubricam reddunt, erunt applicanda; Ea autem ſunt temperata, calida ſcilicet & humida. Itaque hoc modo procedendum.

Imprimis puſtulę omnes forficibus incidantur, quò aqua acris & calida effluere poſſit, epidermis item ubicunque ſeparata eſt, abſtrahatur, ne ſub ipſa pus colligatur. Et quia illicò humores & ſanguis ad locum affectum affluunt, neceſſe eſt ut affluxui illi humorum defenſivis adverſetur. Applicetur itaque unum ex ſequentibus defenſivis, ad latitudinem palmi minoris, ſupra locum ambuſtum.

R. Pulv. Boli armeni
Sang. Drac.
Gallar.
Croci Martis
Acaciæ ana ℥ß.
Ol. Roſac. ℥iij.
Ceræ novę ℥j. ß.

Fiat unguentum ſecundùm artem, addendo parum aceti: Vel

R. Farinæ hordei
Argillæ fornac. ana ℥ij.

Coquantur cum aceto, & aqua ad formam Cataplaſmatis, in fine admiſce albumina ovor. num. ij. Hoc defenſivum ſingulis diebus bis aut ter reiteretur, ne in parte affecta exiccetur, & dolorem excitet.

Toti verò loco ambuſto imponatur ſequens unguentum.

R. Ung. Baſilicon. ℥j.
Ol. Roſacei &
Lilior. albor. ana ℥ß.
Vitell. ovor. num. ij. Miſce.

Sequens quoque unguentum combuſtionibus ſummoperè convenit, dolores mitigat; cutem emollit, & humores affluxos reſolvit.

R. Butyri recent. ſine ſale
Pinguedinis gallinæ recent. ana ℥j.
Ceræ novæ,
Ol. Liliorum alborum ana ℥ß. Liquefiant ſimul, poſteà admiſce croci ℈j. mucilaginis ſem. cydonior. ℥j. Miſceantur in mortario, fiat Unguentum.

Si verò dolor adeò vehemens fuerit, ut æger nihil, aut parùm dormire poſſit, admiſceatur prædicto unguento opii diſſoluti ℈ß.

Aut R. Butyri recent. ℥ij.
Ol. Amygdalar. dulc.
De vitellis ovor. ana ℥. ß.
Croci, opii ana ℈. ß.
Caphuræ ℈j.
Mucilaginis ſem. cydonior. ℥j.
Miſce. Fiat unguentum, & applicetur.

Applicato defenſivo, & uno ex præſcriptis unguentis, pars affecta involvenda eſt faſciâ in oxycrato madefactâ. Et quidem brachio aut crure laborante, ab infima parte incipiendum, hoc enim modo reprimuntur humores, qui jam in partem lęſam influendam prę-parati ſunt. Si verò combuſtio aliqua in parte fuerit, quæ faſcia amplecti non poſſit, intingendum eſt linteum reduplicatum in oxycrato, & applicandum ſingulis diebus ter aut quater. Aqua item in qua caules conſervantur (quę ex aceto, aqua, & ſale) ſi in ea intincta fuerint linteamina, & applicata, mirum in modum humores reprimit, dolorem lenit, & empyreumati adverſatur. In facie tamen hujuſmodi medicamenta, ubi acetum & ſal ingreditur, propter oculos, non ſunt applicanda. Emollitâ & ſatis lubricâ factâ cute, doloreque lenito, nonnulli exiccantibus medicamentis, veluti unguento ex calce lota, diapompholygos, albo Rhaſis, & ſimilibus, cicatricem inducendam eſſe volunt. Verùm enimverò, quia hujuſmodi exiccantia cutem contrahunt, & cicatrices turpes efficiunt, uſus eorum medicamentorum mihi non probatur.

Utor igitur utplurimùm emollientibus uſque ad finem curationis. Pręparo quoque unguentum ad omnes combuſtiones præſtantiſſimum, hunc in modum.

R. Butyri recent. & loti in aq. roſac. ℥iij.
Ol. Violacei
Amygdalar. dulc. ana ℥ß.
Farinæ hordei ℥j. ß.
Croci ℈j.
Mucilaginis ſem. cydonior. ℥j.
Cerę q. ſ. F. unguentum in mortario.

Hoc unguentum emollit, dolorem lenit, & paulatim cicatricem inducit. Sed quia combuſtiones, imprimis quæ in cutis ſunt ſuperficie, vehementiſſimo ſenſu ſunt præditæ, videant Chirurgi, ut blandè ulcera abſtergant. Ego ne abſtergendo ulcera excitem dolores, tela ſubtiliſſima, qualis eſt Cambriacenſis, aut ſyndone cooperio totam partem ambuſtam, nec illam amoveo, donec ulcera ſint ſanata, per hanc telam pus facilimè effluit, & virtus medicamentorum ad ulcera pervenit.

Dum verò locus ambuſtus, uti dictum eſt, curatur, victus ratio, purgatio humorum, & venę ſectio, minimè erit negligenda. A ſalſis omnibus vehementer calidis, & acribus, & quę difficilis concretionis ſunt, abſtineat. Utatur juſculis carnium recentium, in quibus Acetoſa, Endivia, Lactuca & Borrago coxerint. Bibat ptiſanam, aut cereviſiam minimè geneoſam. Si plenitudo adeſt, incidatur Baſilica, aut Mediana, extrahaturque ſanguis, prout vires conſentiunt. Si purgare neceſſe eſt, purgetur ſecundùm humoris prædominantis naturam, de quibus Medicus conſulendus eſt. Si combuſtio in facie fuerit, cucurbitulæ ſcapulis erunt applicandæ, ut ſanguis & humores retrorſum trahantur.

Cap. 8. *Curatio tertii & ultimi gradus Combuſtionum.*

PEriculoſus eſt tertius & ultimus hic gradus combuſtionum, propterea quòd nonnunquam degenerat in Gangrænam & Sphacelum. Primò enim ratione

ratione caloris vehementiæ, exiccatur & conſumitur humidum radicale, & innatum calidum. Secundò exiccantur & contrahuntur Cutis, Caro muſculoſa, venæ & arteriæ, ut ſanguis per eas in partem læſam influere minimè poſſit. Tertiò concurrunt ratione doloris & ſolutionis continui, humores & ſanguis, augentque incendium. Hinc ex penuria alimenti, & ſuffocatione caloris nativi, emoritur pars affecta, quemadmodum in Tractatu de Gangræna & Sphacelo monſtravimus. Anno 1592. Hildenæ incidit in manus honeſtiſſima matrona, illa propter negotia domeſtica defatigata, ſola ad focum ſedens, & ſyncope correpta, in terram decidit, dextrum verò crus in prunas projectum eſt, hinc ſura ita combuſta fuit, ut paulò poſt, quia corpore craſſa & cacochymica erat, Gangræna & Sphacelo correpta fuerit, ſeparata tamen eſchara, & applicatis quæ ad Gangrænam pertinent, ſanitatem recuperavit.

Imprimis igitur puſtulæ omnes ſunt incidendæ, & aqua ratione combuſtionis confluxa, ſpongiâ vel linteo exiccanda. Poſteà eſchara leniter eſt ſeparanda, aut ad minimum in diverſis locis ferè ad carnem usque incidenda, quò humor acris ſub cruſta retentus effluere, medicamenta penetrare, & quicquid à calore induratum, emolliri poſſit. Separatio autem illa eſcharæ primo aut ſecundo die fieri debet, antequam pars affecta infletur: ſequens quoque unguentum ſtatim ab initio eſt applicandum.

R. Butyri rec. & loti in aquâ ros. ℥iij.
Unguenti baſiliconis ℥ j. ß.
Ol. lilior. albor.
Amygdal. dulc. ana. ʒß.
Vitellum unius ovi. Miſce & applica.

Poſteà linteum reduplicatum in ſequenti emulſione intinctum, tepidè applicetur. Sedat enim dolores, emollit, & affluxionem humorum reprimit.

R. Medullæ ſem. cucurb. ℥ij.
Sem. cydonior.
Fœnigr. ana ʒj.

Contundantur in mortario & cum ℔ vj. aquę purę colentur, fiatque emulſio, in qua diſſolve Saponis Veneti albi ℥ ß. Si verò combuſtio in facie fuerit, ſapo minimè eſt addendus, propter oculos, ſed ejus loco addatur parum aquæ roſar. & plantaginis.

Defenſiva ſtatim ab initio ſunt applicanda, & faſciæ in poſca intingendæ, ut impetus affluxus humorum impediatur. Si verò pars affecta jam inflata fuerit, præcipuè verò ſi venę & arterię ab igne ſunt contractæ, non uſque adeo probantur defenſiva, niſi aliquid, quod vim habeat reſolvendi, cujuſmodi ſunt farina fabarum lupinorum, lolii & pulvis flor. chamom. &c. iis admixtum fuerit. Utatur æger victu tenuiſſimo, purgentur item humores noxii cathartico, ſecundùm humoris prædominantis naturam. Incidatur vena, & cucurbitulæ applicentur, de qua re Medicus conſulendus.

Cumprimùm autem affluxus humorum & ſanguinis ex parte remiſerit, ab uſu defenſivorum deſiſtendum eſt, quò ſpiritus & nutrimentum eò meliùs poſſint in partem læſam influere, eſcharamque digerere, atque ſeparare, ubi Chirurgus, miniſter naturæ, ſingulis diebus, quantum abſque dolore fieri poteſt, aliquid ab eſchara excidere debet, poſteà præſcriptum unguentum ex butyro recenti, &c. imponere. Sequens quoque fomentum non habet exiguam vim ſedandi dolorem, cutem emolliendi, & digeſtionem promovendi.

R. Radicum altheæ ℥ij.
Semin. cydonior.
Fœnigræci ana ℥ß.
Flor. Chamom.
Meliloti ana M. j.

Coquantur in aqua, aut ſi dolor vehemens fuerit, in lacte vaccino, deinde ſpongiâ madefacta in decocto, applicetur calidè: poteſt & admiſceri aliquid olei lilior. alborum. Si verò combuſtio adeò magna fuerit, ut in Gangrænam & Sphacelum degeneret, tunc curatio Gangrænæ, ex Tractatu noſtro de Gangræna eſt petenda. Sed quia hujuſmodi combuſtiones, quemadmodum diximus, ſæpiſſimè in Gangrænam degenerant, ideoque cautè & cum judicio in iis procedendum eſt, & ſemper aliquid applicandum, quod putredini adverſetur.

In pueris mihi aliquoties acciderunt combuſtiones manuum & pedum, in quibus extremitates digitorum planè combuſtæ fuerunt. In his autem diligentia adhibenda eſt, ut quicquid ita combuſtum, maturè ſeparetur, ne putredo partes ſanas invadat. Itaque ſi caro & os uſque ad articulum adeò combuſta fuerint, ita ut conſervari non poſſint, incidendum eſt os novaculâ in ipſo articulo, non autem tenaculis, ut nonnulli voluerunt. Si articulus ipſe quoque affectus fuerit, retrò articulum caro novaculâ, os verò minutiſſimâ ſerrâ incidatur. Cur autem abſciſſio hæc ſcalpellis fieri non debeat, in Tractatu noſtro de Gangræna declaravimus, ubi etiam modum abſcindendi digitos monſtravimus. Quamprimùm autem eſchara ſeparata fuerit, operæ pretium eſt primò mundificare ulcus, quapropter ſi putridum ac fœtidum fuerit, æger robuſtus & affectus in parte non uſque adeò ſenſibili, ſolebam applicare Ægyptiacum. Si verò æger delicatulus, & affectus in loco ſenſibili, temperandum eſt unguentum prædictum melle roſac. Pulvis item præcipitati, lotus in aqua roſac. præſtantiſſimum eſt medicamentum ad omnia ulcera putrida. Aut

R. Pulv. præcipitati
Rad. Ariſtoloch. rot.
Farinæ hordei ana ʒj.

Cum melle roſac. parumque terebinth. lotæ, fiat unguentum. Si combuſtio in capite aut facie fuerit, addatur parum gummi Elemii in oleo roſ. diſſoluti. Mundificativum item noſtrum de ſucco Apii, mirum in modum mundificat ulcera putrida, uti & mel roſar. cum aqua vitæ mixtum & applicatum: Hujuſmodi autem medicamenta xylone aut filamentis ſuavibus ulceribus impoſita, linteaminibus ſuavibus reduplicatis, aut ſpongia molli involvenda eſt pars affecta; Attrahunt enim hujuſmodi linteamina & ſpongia humores ſeroſos, qui conſolidationem impediunt. Mundificatis ulceribus, incarnantibus uti convenit, quale eſt unguentum aureum, Nicotianæ, aut ſequens pulvis.

R. Pulv. Aloes
Sarcocollæ
Myrrhæ ana ʒij. Miſce. F. Pulvis.

Sequens quoque viſcus mirum in modum mundificat, & incarnat quæcunque fuerint ulcera putrida.

R. Herb. Centaurii & Hyperici cum toto.
Diapenſiæ,
Alchymillæ
Betæ ſylveſt.
Fol. Arnogloſſæ majoris ana M. iiij.
Rad. Tormentillæ
Ariſtolochię longæ ana ℥iij.

Incidantur & contundantur omnia, poſtea in vas vitreum projecta, ſuperinfundatur vini tantum, ut ſupernatet, digeranturque in ſole per dies tres, deinde coquantur lento igne, donec tertia pars ſit conſumpta, colaturam cum fortiſſima expreſſione infunde in alembicum vitreum, & in Balneo Mariæ fiat viſcus.

Tandem inducenda eſt cicatrix, non autem iis, quę vehementer exſiccant, qualibus in aliis ulceribus Chirurgi uti conſueverunt; Vehementer enim exſiccantia in combuſtionibus, cicatricem rugoſam ac turpem efficiunt. Applicetur igitur ſequens unguentum.

R. Emplaſtri

R. Emplaſtri palmei ℥ij.
Pingued. Gall.
Et anſer. ana ℥ſs.
Liquefiant ſimul; Deinde admiſce
Aluminis uſti
Saturni calcinati
Lithargyrii aurei
Lapidis calaminaris ana ℥j.

Et in mortario plumbeo F. unguentum, addendo mucilag. ſem cydonior. & fœnigręci, quantum excipere poſſit, fiatque unguentum, quod in omnibus combuſtionibus pręſtantiſſimum eſt. Unguento Alabaſtrino quoque hoc in caſu ſępiſſimè uſus ſum magno cum fructu, cujus hæc eſt deſcriptio.

R. Lapidis Alabaſtritis calcinati ℥j. ß.
Pumicis albi calcinati ℥ ß.
Aluminis uſti ʒij.
Fiat omnium tenuiſſimus pulvis. Poſteà
R. Cerę albę
Sevi cervini
Ol. amygdalar. dulc.
Lilior. albor. an. ℥j.
Ol. de vitell. ovor. ℥. ß.

Fiat unguentum ſ. a. Hoc unguentum emollit, dolorem lenit, & cicatricem pulchram inducit.

Si combuſtio ad ſupercilia, labia, aut in digitis fuerit, diligentia adhibenda eſt, ne hujuſmodi partes contrahantur, & ad invicem conglutinentur. Itaque linteamina & filamenta, aut laminæ plumbeæ ſubtiliſſimæ fabricatę, partibus, ubi conglutinationis eſt periculum, ſunt interponendæ. In magnis combuſtionibus ad magna vaſa arteriarum & venarum, ubi atrophiæ ex penuria alimenti metus adeſt, tota pars affecta primis quidem diebus oleo roſac. ad reprimendos humores, poſtea verò ſequenti unguento inungenda eſt.

R. Succi lumbricor. ℥ij.
Pingued. humanę
Gallinę
Urſi ana ℥j.
Aquę vitæ ʒij.

Miſce. Hoc unguentum emollit, reſolvit, corroborat, & aperit, ſi quæ & arteriæ propter violentiam ignis contractæ & oppilatę fuerint, atque proinde Atrophiam impedit.

Cap. 9. *De combuſtionibus ad oculos.*

QUanto nobilior corporis noſtri pars aliqua exiſtit, tantò major adhibenda eſt diligentia cùm malè afficitur. Oculus itaque quia nobiliſſimum eſt membrum, & valdè ſenſibile, particularem quandam requirit curationem. Inprimis autem Chirurgus in toto hoc laboret negotio, ut dolori & affluxui humorum & ſanguinis reſiſtat. Ideoque ſtatim ab initio defenſiva fronti & temporibus applicare, & puſtulas omnes incidere debet, quò aqua acris & calida effluere poſſit. Oculis verò tepidè inſtillet, continuò lac muliebre cum aqua roſac. mixtum, in qua parum croci integri maceratum fuerit. Linteum item reduplicatum, & in hoc lacte madefactum, oculis tepidè applicet, & reiteret quotieſcunque ſiccum fuerit. Aut,

R. Aquę roſac. ℥iij.
Sem. cidonior. &
Fœnigr. ana ʒ. ß.
Croci integri ℈. ß. Miſceantur.

Maneant in infuſione horas 4. deinde exprimantur. Huic mucilagini admiſceatur parum lactis muliebris, deinde tepidè oculis inſtilletur, & linteis reduplicatis applicetur oculis. Si dolor magnus eſt, addantur grana tria aut quatuor opii diſſoluti in aqua roſac. ſanguis item columbinus calidè oculis inſtillatus, dolorem lenit. Tandem applicetur ſequens Cataplaſma.

R. Pulpæ malor. dulc. ſub prunis decoctorum ℥ij.
Farinæ fœnigr. ʒij.
Hordei ℥j.

Coquantur in lacte vaccino ad formam cataplaſmatis. In fine admiſceantur Croci ℈ß. vitellum unius ovi, parumque olei roſac. & calidè applicetur. Circumcirca tamen oculos, ſi combuſtio levis adſit, applicari poteſt Unguentum aliquod ex ſapone, quod tamen ſolidum ſatis ſit, ne liquando oculos offendat.

Hic proceſſus non eſt mutandus, donec ab inflammatione & dolore tutus ſit æger, poſtea applicetur ſequens collyrium, ad majorem exſiccationem, & viſûs corroborationem.

R. Aquæ Euphragiæ
Fœniculi
Roſarum ana ℥j.
Tutię pręparat.
Sief albi ſine opio ana ʒj.
Miſce. Fiat Collyrium.

Sciat autem Lector, Collyria, in quibus ingreditur lac muliebre, æſtate ſingulis, Hyeme verò alternis diebus mutanda eſſe: facilè enim aceſcit lac, & acrimoniam acquirit, tunc dolorem non lenit, ſed excitat. Hanc quoque ob cauſam acria illa, quæ in reliquis combuſtionibus præſcripſimus, qualia ſunt lixivium, muria, &c. in combuſtionibus faciei non ſunt applicanda.

A Narcoticis item, niſi dolor magnus adfuerit, quantum fieri poterit, abſtinendum eſt; Quandoquidem illa propter ſummam ſuam frigiditatem incraſſant ac condenſant humores & ſpiritus viſivos oculorum. Si verò cutis ad oculos indurata fuerit, emollienda & lubrica facienda eſt, idque ſuperius enarratis unguentis. Adhibenda tamen eſt diligentia, ne unguenta aut pinguia intrent in oculos, excitant enim dolorem. Interim dum cutis emollitur unguentis & oleis, inſtillentur collyria, & applicetur cataplaſma, quemadmodum diximus. Quamprimùm cruſta abſceſſerit, conſolidanda ſunt ulcera, quemadmodum præcedenti capite declaravimus, id tantum addo, unguentis ad oculorum & capitis ulcera ſemper aliquid gummi Elemii commiſcendum eſſe, eſt enim præſtantiſſimum medicamentum ad hujuſmodi partium vulnera. Diligentia quoque adhibenda eſt inter curandum, ne palpebræ retrahantur, id enim maximam deformitatem adferret. Ideoque tota facies inungenda eſt unguento quodam emolliente, veluti hoc.

R. Gummi Elemi ʒj.
Ol. Lilior. albor.
Pingued. urſi ana ℥j.
Mucilag. ſem. fœnigræci ʒij.

Liquefiant lento igne, colentur & fiat unguentum. Sequens quoque fomentum ad idem valet.

R. Fol. & Rad.
Malvæ
Brancę urſinæ
Flor. Meliloti ana M. ß.
Sem. Fœnigræci &
Lini ana ℥ß.

Coquantur in aqua, & ſpongia madefacta, calidè applicetur, poſtea inungatur facies ſuperiori unguento. Fomentatâ & inunctâ facie, paulatim cutis extendatur ambabus manibus, non ſecus ac pelliones pelles extendere ſolent.

Quantùm ad univerſalia, inprimis utatur ęger victu accuratiſſimo, tum ab omnibus calidis, ſalitis, pipere, zingibere, gariophylis, alliis, cæpis, raphanis & ſimilibus, ſale conditis, tum quæ difficilis ſunt digeſtionis, abſtineat. Vinum item & cereviſia generoſa nocent. Bibat Ptiſanam, in qua aliquid ſeminis coriandri præparati, ſem. aniſi coxerit. Si æger à vino propter ætatem abſtinere non poſſit, eligat ſibi vinum album

&

& minus generoſum. Cum juſculis coquantur herbæ, quæ refrigerant, & bilem reprimunt, quales ſunt Acetoſa, Borrago, Cichorium, Cerefol. radic. petroſel. fœniculi, Majorana, Roſmarin. & Euphraſia. Poſt paſtum ſumat æger parum mivæ cidoniorum ſimplicis, aut conſervæ roſarum antiquæ, ut elevatio, vaporum ad caput impediatur. Si ſitis urgeat, utatur decocto ſuo hordeaceo, in quo diſſolutus ſit Syrupus de ſucco Acetoſæ, aut Limonum vel Granatorum. Ceraſa item condita, rob. de ribes, de Berberis & alia hujus generis ſimplicia conveniunt; corpus purgetur Electuariis lenitivis, caſſiâ, mannâ, Syrupo roſato ſolutivo, & ſimilibus. Clyſteres item & ſuppoſitoria, quia materiam deorſum trahunt, ſummoperè conveniunt. Incidatur Cephalica in brachio, applicentur ventoſæ ſcapulis, & veſicatoria poſt aures, ſomnus ſummoperè convenit oculorum morbis. Contrà verò vigiliæ & ſplendor Solis nocent, ideoque cubiculum ut tenebroſum ſit, operæ pretium exiſtit. Porrò antequam huic capiti finem imponam, in gratiam tyronum exemplum Combuſtionum non adeò vulgare, in medium adferam.

Puella duorum annorum ætatis ſuæ, aut circiter, filia Domini Samuelis Gaillardi Ludimagiſtri apud Neocomenſes vigilantiſſimi, compatris mei plurimùm honorandi, ad focum ſedens, in prunas decidit, unde non ſolùm frons circa oculos, verùm etiam tota ferè facies, potiſſimum ex una parte, graviter combuſta fuit. Ego momento ipſo accerſitus, illicò ſequens unguentum in linteum extenſum toti ferme faciei, in formam emplaſtri, applicui.

R. Saponis Veneti ℥j.
Ol. de vitell. ovor. &
Amygdalarum dulc. ana ℥j.

Miſce. Fiat unguentum, addendo parùm mucilaginis ſeminis cydoniorum.

Oculis verò Collyrium ex lacte muliebri, parumque aquæ roſar. continuò tepidè inſtillare, & linteis ſuavibus reduplicatis applicare juſſi. Primâ die ſingulis horis quatuor emplaſtra renovavi, hinc major empyreumatis pars evocata fuit. Die ſecundâ, pulveris radicum mechoacæ ℈j. ex juſculo carnis recentis exhibui, parti verò affectæ, ſequens applicui unguentum.

R. Ol. de vitellis ovorum
Ol. Amygdalar. dulc.
Pinguedinis urſi, &
Pingued. humanæ ana ℥ß.
Gummi Elemi, diſſoluti cum oleis ʒij.
Ceræ novæ ℥j.
Croci ℈j.

Miſce, fiat unguentum, quo ſolo curationem ferè abſolvi, niſi quòd circa finem curationis eidem unguento aliquantum farinæ lentium majoris exſiccationis gratiâ, admiſcuerim, totam quin etiam partem ambuſtam aliquando ſequenti Unguento emolliente inunxi.

R. Gummi Elem. ʒß.
Ol. de vitell. ovorum &
Liliorum albor. ana ℥ß.
Pingued. humanæ ʒij.
Miſce.

Interim dum cutem ita emollirem, ſæpiſſimè illam ambabus manibus extendebam, quemadmodum pelliones pelles, dum illas adornant, extendere ſolent. Sic divino favore curata fuit, ita quidem ut nullum relictum ſit veſtigium combuſtionis, niſi minimum in ſuperiori labello, quo in loco medicamenta, propter impatientiam pueri, contineri non potuerant.

Cap. 10. *De Combuſtionibus Inguinum.*

Inguina, quia membra ſunt rara, laxa, humida & fluxionibus obnoxia, atque ita facilè putreſcentia, particularem quoque diligentiam & methodum curandi requirunt. Inprimis autem, quia propter vicinitatem Emunctoriorum ibi humores illicò concurrunt, applicandum eſt ſtatim ab initio defenſivum ad imum ventris ſupra combuſtionem, vena in cubito incidatur, & vomitus ſi fieri poteſt, provocetur; ſin minus per inferiora leviter purgetur æger, & victus tenuiſſimus inſtituatur: A vino generoſo, & à cibis calidis & acribus abſtineat, quemadmodum ſuperiori capite declaravimus. Topica inguinum, quia membra ſunt rara, laxa, humida & corruptioni obnoxia, ut magis, quàm in aliis combuſtionibus exſiccent, & putredini adverſentur, neceſſe eſt. Itaque ſi puſtulæ nondum elevatæ fuerint, applicetur illicò unguentum aliquod ex ſapone & cæpis præparatum: ſi verò jam elevatæ fuerint, incidantur, quo aqua acris effluere poſſit. Poſtea applicetur ſequens unguentum.

R. Ung. Roſati ℥j. ß.
Ol. de vitell. ovor.
Amygdal. dulc. ana ℥ß.
Liquefiant, quibus admiſce
Myrrhæ
Aloës ana ʒj. Miſce & applica cum filamentis, poſtea cooperiatur tota pars affecta ſequenti cataplaſmate.

R. Farinæ hord. &
Fabar. ana ℥iij.
Pulv. Roſar. rub. ℥ß. cum oxymelite fiat cataplaſma, quod calidè applicetur.

Si autem combuſtio inſignis fuerit, ita ut inducta ſit cruſta, ſeparanda eſt paulatim ſcalpello, aut ad minimum ubique ſcarificanda, poſtea applicetur ſequens unguentum ad caſum Eſcharæ.

R. Superioris unguenti ℥ij.
Pulv. Scordii ʒj.
Ung. Ægyptiaci ʒij. plus aut minus prout putrefactio magna, & æger robuſtus, aut debilis fuerit,
Miſce & applica cum filamentis, poſtea

R. Farinæ lupinor.
Fabarum
Lolii ana ℥ij. ß.
Coquantur cum lixivio barbitonſor. Tandem admiſce,
Pulv. Scordii
Aloës
Myrrhæ ana ʒß.

Miſce fiat cataplaſma, quod calidè applicetur. Poſt eſcharæ caſum, mundificetur, incarnetur; & cicatriſetur ulcus, quemadmodum capite octavo declaravimus.

Cap. 11. *De Combuſtionibus juncturarum.*

Juncturis, quia partes ſunt nervoſæ, & maximo ſenſu præditæ, ſtatim ab initio defenſiva applicanda, corpus purgandum, vena incidenda, & victus ratio inſtituenda eſt, quemadmodum ſuperioribus capitibus de Combuſtionibus oculorum & inguinum declaravimus: medicamenta ex ſapone, cæpis & hujuſmodi acrioribus (niſi combuſtio levis fuerit) minimè ſunt applicanda, ſed emollientibus, lenientibus & anodynis tractanda eſt pars affecta. In magnis autem juncturarum combuſtionibus diligenter proſpiciendum eſt, ne nervi retrahantur & juncturæ incurventur, ideoque totum membrum bis in die inungendum eſt oleo lumbricorum, anethi, liliorum albor. axungiæ humanæ urſi, gallinarum, caponum, unguento dialtheæ, & ſimilibus,

ſimilibus ut quæcunque indurata, lubrica reddantur, atque retineantur. Interim quoque ferulæ, aliaque inſtrumenta apta, ex ligno fabricata, circumcirca junčturas ponenda ſunt, ut retractio nervorum impediatur. Blandè tamen omnia agenda, ne dolor excitetur, qui ſi ſupervenerit, protinus ſedandus eſt iis, quæ ſeq. capite deſcribuntur remediis, aliqua ex ſuperioribus petenda ſunt.

Cap. 12. *De dolore ejuſque curatione.*

GRaviſſimum ſymptoma dolor eſt, tum in combuſtionibus, tum in omnibus aliis affectibus: diſſipat enim & abſumit ſpiritus vitales, inquietudines & febres excitat, hinc ſequuntur animi deliquia, fluxiones attrahit, inde inflammatio, phlegmone, convulſio, aliaque graviora ſymptomata oriuntur, eſt igitur, quantum fieri poteſt, leniendus. Generalis autem curatio doloris eſt ablatio ejus cauſæ. At quia in combuſtionibus binæ concurrunt cauſæ, nimirum ſubita alteratio, & ſolutio continui, duplex quoque erit curandi ſcopus: primò ut empyreuma ab igne relictum, eliciatur, & pars affecta refrigeretur, & ad temperiem ſuam revocetur, quemadmodum antea ſatis declaravimus. Secundò, ut quicquid disjunctum aut combuſtum eſt, uniatur & conſolidetur. Sed quia empyreuma exhalari, multò minus puſtulæ & ulcera ſanari minimè poſſint, niſi prius indurata & contracta cutis, emollita & lubrica reddita fuerit, neceſſe eſt ut Cheirurgus totus in hoc incumbat, ut ſuperioribus recitatis medicamentis calidis & humidis, cutem lubricam & mollem reddat, quò humores acres & ſubtiles poſſint per poros exhalari, & abſumi. At quamvis hujuſmodi medicamenta calida ſint, refrigerant nihilominus, per accidens tamen, hoc eſt, ut Galenus teſtatur, reſolvendo & diſſipando humores acres. Itaque ſi dolor magnus fuerit, atque iis, quæ cap. 7. & 8. præſcripſimus, non ſedetur, neceſſe eſt, (purgato tamen prius corpore, & venâ inciſâ ſi ætas, aliaque permittant) ſequens applicare fomentum.

R. Radicum altheæ ℥j.
Florum chamomil.
Meliloti
Roſarum
Abſynthii ana M. ß.
Sem. Fœnigr.
Anethi ana ℥ß.
Ol. violar. ℥iij.

Coquantur in lacte vaccino, in quo ſpongia intincta, aut linteum reduplicatum ſæpius calidè interdiu loco dolenti applicetur. Sequens quoque cataplaſma mirum in modum dolorem lenit.

R. Micarum panis albi ℔ß.
Coquatur in lacte vaccino, ad formam pultis, poſteà admiſce olei amygdalar. dulc. butyri rec. ana ℥j. ol. de vitellis ovor. ℥ß. croci ℈j. vitellum unius ovi. Miſce, Fiat cataplaſma, quod calidè applicetur, ter aut quater in die, fomentato tamen prius loco affecto, ſuperiori fomentatione. Si pinguedo humana in promptu ſit, poterit ejuſdem aliquid admiſceri, eſt enim ſingulare anodynum.

Defenſiva quoque ſunt applicanda; victus tenuis inſtituendus, & corpus purgandum eſt, ſecundùm humoris prædominantis naturam, vena item incidenda, & cucurbitulæ applicandæ. Si verò dolores hiſce non mitigentur, ad Narcotica tranſeundum eſt; ea autem, quia frigida ſunt ad quartum gradum uſque, non immeritò ſuſpecta habentur, applicata tamen cum ratione & prudentia, periculo vacant, præcipuè in externis partibus, à levioribus tamen incipiendum, ideoque

R. Florum Nympheæ
Folior. hyoſcyami &
Papaveris, ana quantum volueris.

Involvantur herbæ panno madefacto, & ſub cineribus calidis parum coctæ, piſtentur in mortario, addendo parum olei roſacei, nympheæ & unguenti populeonis, & applicentur loco dolenti, ſint tamen ulcera vel cruſtæ prius coopertæ unguento quodam ad caſum eſcharæ, ne natura hujuſmodi frigidis in ſeparanda eſchara, & digerendis ulceribus, remoretur. Aliud cataplaſma Narcoticum.

R. Micarum panis albi ℔. ß. Coquatur in lacte vaccino ad formam cataplaſmatis, cui admiſce opii diſſoluti in aqua papav. albi ℈ij. croci & caſtorii ana ℈j. vel

R. Herbar. cicutæ,
Solatri
Hyoſcyami
Papav. ana M. j.

Coquantur in lacte vaccino, poſteà piſtentur in mortario, coquanturque parum cum ℥ij. farinæ hord. ad formam cataplaſmatis, cui admiſce opii diſſoluti in aq. papav. ʒj. croci ℈j. Miſce & applica tepidè.

Cap. 13. *De imbecillitate viſus.*

QUia ſæpiſſimè poſt combuſtiones faciei, imbecillitas viſûs, & lachrymatio oculorum ſequuntur, ideò operæ pretium eſt, paucis declarare, quomodo eis ſit occurrendum, ne in fiſtulas lachrymales, ophthalmiam & ſuffuſiones degenerent, aut viſum planè auferant. Curatio autem his tribus intentionibus, diætâ ſcilicet, purgationibus, & Topicis medicamentis, perficitur. Et quia in lachrymationibus oculorum, cerebrum humores mittit, oculi verò eoſdem recipiunt, neceſſe eſt, ut omni modo prohibeatur, non tantùm, ne humores pravi in corpore & cerebro generentur, verùm etiam ut qui jam generati ſunt, & ad oculos defluunt, exſiccentur, atque deorſum trahantur. Interim quoque oculi corroborandi ſunt, ne fluxionem excipiant.

Quantum ad Diætam, imprimis eligendus eſt aër temperatus: calidus enim humores in capite liqueſcit, excalefacit, ſubtiles, acres, & ad fluxionem aptiores efficit: frigidus verò poros claudit, exhalationemque impedit, ſed imprimis cerebrum comprimit, hinc vehementes fiunt fluxiones. Quemadmodum enim ſpongia imbuta aquâ, ſi manu comprimatur, vi quadam aquam emittit. Sic excrementitii humores è cerebro frigore compreſſo, erumpunt, Ideoque ſi anni tempus frigidum fuerit, calefaciendum eſt cubiculum, ſin calidum, inſper â aquâ frigidâ, & ſubſtratis frondibus, herbis & foliis, refrigerandum. Auſtralis item, & Aquilonaris ventus nocent: ille enim præ ſua humiditate, cerebrum implet humoribus, hic frigiditate cerebrum comprimit, & exhalationem impedit.

In cibi adminiſtratione tria hæc, Quantitas nimirum, Qualitas & uſus obſervanda ſunt. Primò enim exceſſus omnis, tum cibi, tum potus vitandus eſt. Secundò, quia fluxiones oculorum ſemper fiunt ex ſuperfluis humoribus, ut cibus habeat qualitatem & vim exſiccandi, neceſſe eſt. Quòd ſi fluxus ex humoribus frigidis fuerit, cibus nonnihil calefacere, ſi ex calidis & acribus, refrigerare debet. In genere autem nocent, quæcunque ſunt difficilis concoctionis, & ſale, aromatibus, cæpis, alliis, raphano, ſynapi & ſimilibus condita, & cocta, item quæcunque

quæcunque flatus procreant, & caput vaporibus implent. Tertiò obſervandum eſt, nunquam edendum eſſe, niſi prior cibus probè concoctus fuerit, naturalis appetitus adfuerit, varia quoque ciborum genera, quæ ſubſtantia aut qualitate differunt, uno paſtu conjungi non debent, panis ſit ex optimo tritico bene fermentatus & coctus. A carne ſalita & infumata abſtineat, præſertim à porcina. Convenit recens caro boum caſtratorum, Caponum, & avium in arboribus viventium. Cum carne, aliisque juſculis coquantur hyſſopus, majorana, ſalvia, roſmarinus, euphraſia, radix petroſelini, pimpinellæ, & ſimilia. Si autem defluxus ex humore ſubtili & acri fuerit, coquatur cum carne & juſculis Borrago, bugloſſa, acetoſa, cerefolium, calendula, euphraſia, radix fœniculi & petroſelini.

Reliqua olera, ut ſunt lactuca, portulaca, caules, item cucurbitæ, melones, cæpe, porrum, allium, ſinapi, raphanus, in defluxionibus oculorum, ſummoperè nocent, uti & piper, Zingiber, garyophylli, legumina, & lacticinia propter butyrum.

Vinum generoſum, uti & Cereviſia generoſa nocent, utatur cereviſiâ minimè generoſâ, ſed bene coctâ, aut ptiſanâ, in qua agrimonia, euphraſia & pruna coxerint, poſteà aliquantum dulcoretur Saccharo, & aromatizetur cinamomo. Si verò æger ratione ætatis, aut imbecillitatis ventriculi à vino abſtinere non poſſit, eligat ſibi vinum aliquod album vetus, & minùs generoſum. Somnus & quies ſummoperè conveniunt in oculorum morbis: vigiliæ verò & ſtudia, præcipuè ſtatim à cibo, nocent, uti & actus venereus.

Secundò digeratur, præparetur, & evacuetur humor noxius, qui ad oculos defluit, ideoque ſi defluxio ex humore acri & calido fuerit, digeratur ſequenti Julapio.

R. Aquar. betonicæ
Euphraſiæ
Borraginis
Acetoſæ ana ℥j ß.
Syrupi de Nymphæa.
Violati &
de cichorio ana ℥ß.
Miſce, fiat Julapium pro duobus matutinis, poſtea purgetur ſequenti potiunculâ.

R. Electuar. diacathol. ʒiv.
Diaphœnic. ʒij.
Syrupi roſ. ſolut. cum rhabarbaro & agarico ℥ij. Cum aqua aut decocto betonicæ & euphras. Fiat potiuncula.
Vel dentur pilulæ ſequentes.

R. Maſſæ pillular. de quinque generibus Myrobalanorum,
Pillular. aggregativar. ana ʒ ſ.
Diagridii grana iv.
Cum aqua euphraſiæ formentur pillulæ quinque.

Pueris exhibeatur à ʒj. uſque ad ʒij. vel ʒiij. prout ætas & vires fuerint, Electuarii, de ſucco roſar. in tabellis, diſſoluti in aqua betonicæ vel euphraſiæ. Qui verò tabellis uti non poſſunt, purgentur mannâ aut pulvere radicum mechoacæ. Purgato corpore, utatur ſequenti Electuario.

R. Conſervæ flor. betonicæ,
Euphraſiæ &
Roſarum ana ℥j. Miſce.

Si defluxus ex humoribus frigidis fuerit, digeratur primò ſequenti potione.

R. Aquar. betonicæ
Euphraſiæ
Fœniculi ana ℥iij.
Mellis roſati colati,
Syrupi de Stœchade ana ℥ j. Miſce.

Fiat Julapium pro duobus matutinis; poſtea purgetur ſequenti potione.

R. Electuarii Indi majoris ʒiv.
Benedictæ laxativæ ʒij.

Cum decocto betonicæ, euphraſiæ, paſſularum, ſeminis aniſi, fiat potiuncula. Aut dentur ſequentes pillulæ.

R. Pillular. cochiar.
Lucis major. ana ʒß.
Diagridii grana vj. cum ſyrupo de Stœchade formentur pillulæ quinque

Pueris detur drachma una aut altera Electuarii diacarthami in tabellis, aut diaphænici cum rhabarbaro, prout ætas fert. Purgato corpore utatur ſequenti Electuario, pro corroboratione cerebri, & exſiccatione humorum.

R. Conſervæ florum betonicæ &
Euphraſiæ ana ℥ij.
Salviæ &
Roſmarini ana ℥j. Miſc.

Hujus Electuarii ſumat æger jejuno ſtomacho magnitudine caſtaneæ. Decoctum Guajaci, radicum Chinæ, Salſæparillæ, ſaſſaphras, ſummoperè conveniunt: exſiccando enim humores noxios, viſum quoque corroborant.

Stomacho quoque propter ipſius cum cerebro conſenſum, proſpiciendum eſt. Debilis enim ſtomachus ad cerebrum multos mittit vapores, qui poſtea ad oculos deſcendunt. Abſtineat igitur æger ab omnib. iis, quibus ſtomachus gravatur, & quę difficilis ſunt digeſtionis, ſumat quoque ſemel aut bis in hebdomade ʒj. hujus maſſæ.

R. Pillular. hieræ picræ ſimplicis Galeni
Maſſæ pillular. Aſſajeret
Rhabarb. opt. triti
Pulv. Senæ ana ℈j.
Garyophyllor.
Macis
Cinamomi ana ℈ß. cum ſyrupto roſato ſolutivo fiat maſſa pillular.

Utatur quoque æger ſemper poſt paſtum aliquo medicamento quod ſtomachum corroboret, & elevationem vaporum impediat, qualia ſunt miva cydoniorum ſimplex, conſerva roſar. coriandrum pręparatum, & ſem. aniſi & fœniculi, aut ſequens pulvis.

R. Sem. Coriandri præparati
Sem. Aniſi ana ℥j.
Flor. Betonicæ
Roſar. rubr
Euphraſiæ ana ℥ß.
Cinamomi electi
Macis ana ʒij.
Pellicular. interior. ventriculi Gallinarum ℥ß.
Sacchari roſati ad pondus omnium.
Miſce. Fiat pulvis.

Sequitur tertia intentio, quæ in Topicis & Chirurgicis conſiſtit. Itaque ſi dolor magnus, & Inflammatio adſit, applicetur fronti defenſivum aliquod, ex cap. 7. Oculis verò inſtilletur ſequens Collyrium, & linteis reduplicatis in eo intinctis, applicetur.

R. Aq. Plantaginis
Roſarum
Euphraſiæ ana ℥j.
Ceruſſæ lotæ
Tutiæ præparatæ
Olibani ſubtiliſſimè pulveriſati an. ʒj. Miſce. Si verò defluxus oculorum ex frigidis humoribus fuerit, applicetur ſequens Collyrium.

R. Aq. Euphraſiæ
Fœniculi

Rutæ ana ℥ij.
Olibani
Maſticis
Myrrhæ
Aloës
Tutiæ præparatæ
Sarcocollæ ana ʒj. Fiat Collyrium ſecundùm artem.

Si defluxio ex ſanguine & humoribus calidis fuerit, incidatur cephalica in brachio, ſi ætas & vires concedant. Ego in defluxionibus oculorum ſæpiſſimè magno cum fructu venas jugulares externas incidi, verùm ſectio harum venarum requirit Chirurgum expertum; Eſt enim periculoſa. Pueris loco phlebotomiæ hirudines applico, aut ad venam cephalicam in brachio, aut in collo ad venas jugulares. Cucurbitulæ item magnæ cum flamma magna applicentur ſcapulis, cum ſcarificatione.

Applicetur item ſequens veſicatorium poſt aures.
R. Cantharidum in pulv. redactar. num. 6.
Fermenti acris ℥. ß.
Miſce cum guttula una aut altera aceti.

Cortex interior fruticis vitis nigræ contuſa & applicata eandem vim habet.

Utatur quoque æger bis aut ter in hebdomade jejuno ſtomacho, ſequenti maſticatorio.
R. Maſticis
Radic. pyretri
Summitat. majoranę
Nucis muſcatæ ana ʒ. j. Fiant in mortario cum melle trochiſci, magnitudine lupini.

Maſtiche item per ſe maſticata, & diu in ore retenta, multas ex capite trahit humiditates. Paſſulæ item, aut pruna Damaſcena, oleo fœniculi inuncta, & maſticata, non tantùm ex capite trahunt humores, verùm etiam cerebrum & viſum corroborant.

Sternutatoria in morbis oculorum non probo: humores enim ad naſum trahendo, nervos opticos ſimul adimplent, & viſum debilitant, quemadmodum in obſervatione 24. declaravi. Sequens quoque pulvis capiti inſpergendus eſt, ex quo etiam cucufa parari poteſt.
R. Flor. roriſmarini
Salviæ.
Betonicæ
Stœchados
Roſar. rub.
Summitatum Majoranæ ana M. ß,
Coriandri præparat. ʒj.
Ligni aloës
Maſticis
Thuris
Diamoſchi dulcis
Nucis moſcatæ
Granor. Alkermes ana ʒß.
Incidantur & contundantur omnia ſ. a.

Si viſus ex continua, & longa defluxione debilis factus ſit, corroboretur aquâ ſequenti deſtillatâ.
R. Euphraſiæ cum toto
Anagallidis flore purpureo,
Herbar. fœniculi ana M. xij.
Rutę M. vj. Incidantur.

Poſteà ſuperinfunde aq. roſac. ℔ ij. digerantur in ſole, in vaſe vitreo, & bene clauſo per diem, poſtea lento igne deſtillentur in balneo Mariæ, ſerveturque aqua ad uſum, eſt enim præſtantiſſima ad corroborandos oculos.

Si defluxio & lachrymatio oculorum his non ſedetur, & æger de viſu periclitetur, applicandum eſt Setaceum ad tertiam aut quartam vertebram colli, non tamen ferro candente, ſed acu argenteâ, quemadmodum obſervatione 40. fuſiùs declaravimus. Adultis Setacei loco cauſticum ad ſecundam vertebram poteſt applicari, ut inde fiat fontanella. Pueris tamen pernicioſa eſt fontanella in vertice, ut in obſervatione 42. demonſtravimus: Fontanellæ item in brachio ſiniſtro, & crure dextro, non exiguam vim habent in defluxionibus oculorum, ut experientia indies docet.

Cap. 14. *De Cicatricum Turpitudine, earundemque ablatione.*

Præcipuę cauſæ turpitudinis cicatricum poſt combuſtionum curationes ſunt, primò, quòd cutis, caro, venæ, &c. vi ignis contrahuntur & indurantur; ſecundò, quòd humidum radicale (cujus beneficio vulnera, & ulcera omnia cicatrizantur) vi ignis exiccatum, conſumptumque eſt, inde fit, ut quemadmodum ſiccus & aridus ager ſpinas tortuoſas, zizania, & omnia imperfecta, ager verò pinguis & humidus, omnia perfecta producit: Ita etiam ex caloris innati, & humidi radicalis defectu cicatrices fiunt turpiſſimæ. Uſus quoque medicamentorum frigidorum turpem gignit cicatricem, quemadmodum Hippocrates his verbis teſtatur: Ulceribus frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem inſupportabilem facit, denigrat, &c. Ut autem hoc incommodum evitemus, ab initio uſque ad finem curationis emollientia ſunt applicanda, quemadmodum anteà monuimus. Quantum ad curationem, imprimis durities cicatricum emolliendа, & lubrica facienda eſt, pinguedine urſi, gallinarum, caponum, oleo liliorum, & de vitellis ovorum, aut ſequenti ungueno,
R. Pinguedinis gallinæ,
Urſi,
Piſcis thymali
Liliorum
De vitellis ovorum ana ʒij.
Ol. Myrrhæ ʒj.
Succi lumbricor. ʒß.

Miſce, fiat unguentum quo ſingulis diebus bis aut ter cicatrix, & circumjacentes partes ſunt inungendę.

Poſtea applicanda eſt lamina plumbea ſpiſſa, inuncta M rcurio. Sed antequam inungatur pars affecta ſuperiori unguento, abluenda eſt aqua, in qua furfures, & nonnihil myrrhæ incoxerunt. Si verò cicatrices adeò duræ & elevatæ fuerint, ut majorem emollitionem requirant, fovetur locus priùs ſequenti decocto.
R. Radicum altheæ cum toto
Radicum bryoniæ, &
Lilior. albotum ana ℥j.
Flor. chamomillæ
Meliloti ana Mj.
Sem. fœnigræci
Lini ana ℥ß.

Coquantur in aqua aut decocto pedum & capitis vervecis, applicetúrque cum ſpongiis aut filtris, in eo intinctis. Poſt fotum inungatur ſuperiori unguento, applicetúrque ceratum Oeſypi, Philagrii, aut emplaſtrum de Ranis cum Mercurio, idque tantiſper faciendum, & ſingulis diebus bis reiterandum, donec cicatrix ſatis ſit emollita, ut poſſit à lamina plumbea deprimi.

Quotieſcunque autem Chirurgus cicatrices inunxerit, ambabus manibus cutem induratam contractamque extendere tentabit, quemadmodum pelliones ſolent extendere pelles.

Si verò cicatrix adeò elevata, contracta, & indurata fuerit, ut inde maxima turpitudo & deformitas faciei ſequatur, excidenda eſt (ſi æger conſentiat, & pars

pars affecta admittat) lineâ in rectum , quantum fieri poterit, diductâ. Poſtea vulnus, quod antea contractum fuit, dilatandum erit, id autem fiet mediantibus linteaminibus, illinitis glutine, ut ſequens figura indicet. (*vid. Tabul.* IV. *fig.* I)

Explicatio figuræ I. *Tab.* IV.

A. Cicatricis exciſæ vulnus eſt.

B. B. B. B. Quatuor ſunt lintea oblinita glutino, quorum ad utrumque latus vulneris duo erunt ponenda, ita tamen, ut ſpacium aliquod inter utrumq; remaneat, ut ex figura apparet.

C. C. C. C. C. C. Fibulæ ſunt ſex, plus, aut minus ſecundùm magnitudinem vulneris. Porrò quam primùm gluten ſiccatum fuerit, ita ut lintea cuti firmiter adhæreant, quod ſpacio quatuor aut quinq; horarum fit, aut ad ſummum diei dimidiæ, conſtringendæ ſunt fibulæ: ſic enim contrahitur & conſtringitur cutis, quæ eſt inter lintea, vulnus autem dilatatur. Interim incarnatio & cicatrizatio vulneris, quantum fieri poteſt, acceleranda eſt, nec amovenda lintea, donec vulnus ſit curatum. Glutinum conficitur ex adſtringentibus viſcoſis & emplaſticis medicamentis, ut,

R. Farinæ volatilis ℥j.
Maſticis
Roſar. rubr.
Sanguinis drac. ana ʒij. Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui albuminibus ovorum & mucilagine gummi tragacanthi, ad mellis conſiſtentiam miſcendus.

Illud tamen notandum, applicationem hujus glutinis non niſi poſt factam digeſtionem vulneris fieri debere. Dum enim fit digeſtio, dolores adſunt, & labia vulneris intumeſcunt, ideoque glutine dolor non eſt augendus, facta digeſtione aliquando vulnus abluendum eſt aqua vitæ; facit enim pulchras cicatrices: loco quoque emplaſtri poteſt applicari lamina plumbea; inuncta mercurio. Curato vulnere, applicanda ſunt, quæ faciem dealbant, qualia ſunt aqua liliorum alborum, aqua florum fabarum, ſudor item ovorum, aut aqua deſtillata ex teſtis ovorum, illa enim pretioſiſſima eſt ad cicatrices dealbandas.

Cap. 15. *De retractis nervis & incurvatis juncturis, poſt combuſtiones.*

In maximis combuſtionibus ad articulos, ſolent nonnunquam nervi retrahi, & juncturæ incurvari, idque præcipuè ſi Chirurgus circa initia non ſatis diligens fuerit, nec ferulas, aliaque inſtrumenta, de quibus monuimus capite 11. adhibuerit. Eſt igitur nova inſtituenda curatio. Sed priùs purgandum eſt corpus, ſecundùm humoris prædominantis naturam. Inprimis autem conveniunt pilulæ aggregativæ, item Electuarium Indum majus, & benedicta laxativa. Si plethora adeſt, incidatur vena, extrahaturque ſanguis ſecundùm virium magnitudinem, de quibus omnibus conſulendus eſt Medicus.

Purgato jam & præparato corpore, uti modò diximus, pars affecta ſequenti decocto emollienda lubricaque facienda eſt.

R. Radicum altheæ cum toto
Radic. bryoniæ
Liliorum albor.
Malvarum ana ℥ij.
Fol. violarum
Flor. chamomillæ
Melilothi
Hyperici
Chamæpythidis
Chamædryos ana M.j.
Sem. fœnigræci
Lini ana ℥j.

Coquantur in juſcuſo pedum & capitis vervecis aut vituli pro fotu. Poſtea inungatur totum membrum ſequenti unguento.

R. Unguenti dialtheæ ℥ij.
Axungiæ humanæ,
Gallinarum
Anſeris
Urſi ana ℥ſs.
Succi lumbricorum ℥j.
Aquæ vitæ ℥ß. Miſce, fiat unguentum.

Poſteà applicetur emplaſtrum ex mucilaginibus, vel Emplaſtrum Oeſypi Philagrii, aut de meliloto, extenſum ſupra alutam. Nervis his & ligamentis juncturæ ſatis emollitis, ad extenſionem tranſeundum eſt, ea autem commodè ſine dolore & periculo fieri poteſt, inſtrumentis ad hoc negotium accommodatis. Si vitium eſt in genu aut cubito, aptiſſima ſunt inſtrumenta, quæ à Gualthero *Reyff* in ſua Chirurgia depinguntur. Quæ uti &. alia in tractatu de Ichore & meliceria acri Celſi capite 26. adumbrata, videre poteris.

Si vero combuſtio in digitis fuerit, ingenioſi & induſtrii Chirurgi erit, inſtrumenta ad id apta & commoda, prout affectus requirit, excogitare. Ego ſequentibus medicamentis & inſtrumentis, digitos omnes manus dextræ, excepto pollice, ex combuſtione in externam manûs partem retractos, ibique conglutinatos, reſtitui. Quæ curatio, etſi jam antea in Obſervationibus noſtris propoſita ſit, attamen ne quid hoc loco deſideraretur, quod ad hanc materiam ſpectare poſſet, denuò illam hic annectere placuit, tu lector omnia benevolè conſule.

Anno 1596. Iſaacus Gotteran de Perroy, adduxit ad me Lauſannam filium ſuum Michaelem, 14. menſes natum. Is autem ſexto menſe ætatis, manu dextra in prunas ceciderat, Hinc index, medius, annularis, & auricularis unà cum externa metacarpi parte, adeò combuſti fuerunt, ut apices horum digitorum uſque ad primam articulationem deciderint. At quia pater curationem imperitis commiſerat, digiti omnes (excepto pollice) cum cute metacarpi quaſi in globum conglutinati fuerant.

Septimo menſe poſt abſolutam curationem adducunt ad me puerum parentes Lauſannam, auxiliumque meum implorant. Purgato itaque corpore, mannâ ex juſculo exhibitâ, topica & chirugica ſic inſtitui. Primò ſequenti decocto emollienti & unguento, per dies aliquot uſus ſum.

R. Rad. Althææ cum toto
Rad. Bryoniæ
Liliorum albor. ana ℥j.
Flor. Chamomil.
Meliloti
Chamædr. an. M.j.
Sem. Fœnigræci
Lini ana ℥j.

Coquantur in juſculo pedum & capitis vervecis aut vituli pro fotu. Poſtea innunxi totam manum & brachium ſequenti unguento.

R. Ung. Dialthææ ℥j.
Axungiæ humanæ
Gallinarum
Anſeris
Urſi
Succi lumbricorum an. ʒß.
Miſce, fiat unguentum.

Tandem manum involvi emplaſtro de mucilaginibus. His nervi & calloſitas ex corrugata cute metacarpi, & digitorum in externa parte manus concretâ, ſatis emollita: inde callum illum inter digitos & metacarpum novaculâ excidi, digitos item ſeparavi. Deinde inſperſi pulverem meum ad ſanguinem ſiſtendum, & albumina ovorum mixta cum aqua roſac. & plantaginis, oleoque roſac. applicui. Defenſivum quoque ad carpum adhibui, & totum brachium oleo roſaceo, myrtillorum & lumbricorum inunxi. Poſtero die ſequens digeſtivum filamentis ſuavibus ſuprà inciſiones poſui, & brachium, ut antea ſuprà dictis oleis inunxi.

℞. Terebinth. lotæ in aq. roſac. & plantag. ℥j.
Ol. Roſac. & de
Vitellis ovorum ana ℥ij.
Croci ℈ß.
Vitellum unius ovi. Miſce.

Quinto die appoſui ſequens inſtrumentum ex ligno fabricatum, & incœpi paulatim digitos ad naturalem ſitum attrahere. (*vid. Tab.* IV. *fig.* 2.)

Explicatio figuræ 2. *Tab.* IV.

A. Ferula eſt lata tribus digitis in latitudine poſitis, ejus longitudinis, ut à carpo ad cubitum ferè uſque pertingat.

B. Baculus eſt rotundus, pollicis craſſitie, qui ferulæ firmiter affixus eſt: è medio autem hujus baculi exurgunt clavi quatuor rotundi, & ex ligno fabricati C. C. C. C. notati. Habet item ferula fibulas duas D. D. notatas, & lora duo E. E. ſignata; quorum beneficio inſtrumentum brachio alligatur: ut ex figura ſatis apparet.

Alligato itaque inſtrumento, & undique linteis, ſtupis aut goſſipio bene munito; Habui in promptu digitalia ex pelle fabricata, quæ extremitatibus digitorum appoſui. Deinde filo, quod eis appendet, digitos deorſum attraxi, & clavis C. C. C. C. notatis, alligavi, atque ſingulis diebus magis magisque incurvavi. Id autem ut eò melius fieret, brachium & manum ſuperiori unguento, quotieſcunque vulnera tractabam, inunxi. Ne autem digiti denuò conglutinarentur, laminas plumbeas digitis interponebam. His paulatim digiti ad naturalem ſitum reducti fuerunt. Interim vulnera quoq; conſolidavi & cicatrizavi, non quidem iis, quæ valdè exiccant, ſed iis, quæ ſimul emolliendi vim habent, medicamentis: quemadmodum in hoc tractatu oſtendimus. Atq; ſic divino favore manus in integrum reſtituta fuit.

Cap. 16. *De Fulmine, & quomodo eis qui ab eo læſi, ſit ſuccurrendum?*

QUia ignis cœleſtis omnium vehementiſſimus & periculoſiſſimus, ac in ſe contineat quaſdam facultates ſupernaturales, quibus homo protinus extinguitur, cunctandum non eſt, quid faciendum ſit. Hanc ob cauſam, in gratiam tyronum, Chirurgorum caſtra ſequentium, breviter declarare placuit, quomodo eis, qui à fulmine læſi, occurrendum ſit: omnibus tamen Chirurgis ad hujuſmodi ægrotos accerſitis, ſuadeo ut operam dent, quò poſſint ſibi adjunctum habere Medicum.

Quamvis autem ignis ille cœleſtis, ut experientia docet, in ſe facultates quaſdam ſupernaturales, & hominis ingenio planè abditas, contineat, id tamen perſpicuum eſt, ignem illum adjunctam habere qualitatem, & materiam mirum in modum malignam atq; venenoſam, idq; ſatis denotat teter ille & peſtiferus odor, qui tum ex hominibus, tum animalibus, arboribuſque à fulmine ictis erumpit. Hinc fit ut urſi, vulpes, cuniculi aliaque animalia, iis in locis fulmine ictis, degentia (ut viri nonnulli docti teſtantur) propter hujus odoris ſævitiam, in eorum ſpeluncis morari non poſſint. Canes item de carne animalium à fulmine interfectorum non guſtant. Ex his perſpicuum fit, quam periculoſum ſit, uti herbis iis in locis collectis: conſpicitur enim quandoq, ut Olaus Magnus Hiſt. Septentrionalium, lib. I. cap. 12. teſtatur, terra quaſi ſulphure conſperſa. Mirum igitur nemini videri debet, aliquando homines ſubitò, & ſine manifeſta cauſa mori.

Eſt autem ignis ille, quemadmodum Seneca teſtatur, triplex. Primùm enim ſubtiliſſimus eſt, hinc fit ut inanimata, veluti arbores & ſimilia illæſa pervolet. Secundò præter ſubtilitatem illam, materiam quandam continet ſicciſſimam, & magis terreſtrem: hinc fit, ut partes corporis molles, illæſas penetret, duriora verò, quemadmodum oſſa, rumpat, id verò non ſolùm animatis, verùm etiam in inanimatis accidere obſervavi. Superiori anno 1604. cùm ligna pro uſu culinæ advehenda curaſſem, occurrit ingens quercus, quæ ante annos aliquot à fulmine icta fuerat, quod quidem ex fiſſura, quæ in exteriori parte corticis à ſummitate ad radicem uſque conſpiciebatur, manifeſtum erat Extrinſecus tamen pulchra & vireſcens erat quercus illa. Fiſſo trunco inventa eſt medulla, quæ in querceis arboribus duriſſima, à ſummitate uſq, ad radicem planè carioſa. Tertiò materiam habet adhuc magis terreſtrem & craſſam, quamobrem non uſque adeò penetrat, uti de aliis diximus, ſed incendit ea, quæ primùm obvia veniunt, quemadmodum videmus civitates, templa, aliaq; ædificia à fulmine incendi, & in cineres redigi.

Id autem fit partim propter ignis vehementiam; partim quoque, quod homines ut plurimum ad defenſionem & extinctionem ignis negligentes ſint, ac tardi. Communis enim opinio eſt, ædificia fulgure incenſa, non poſſe aquâ reſtingui. Mihi verò contrarium videre contigit. Anno enim 1592. Hildenæ in patria, turrim templi, altam ſatis & lapidibus tectam, fulminis ictu adeò incenſam vidi, ut ex una parte flagrare cœperit, trabeſq; nonnullæ ingentes ab ictu illo fiſſæ fuerint, quod tandem incendium poſtmodum aquâ reſtinctum fuerat. Sic etiam inurit hæc ſpecies ignis corpus humanum, ac poſt ſe relinquit veſtigia ſatis manifeſta, quemadmodum puſtulas, maculas nigras, & fractiones oſſium. Subtilis autem & abdita illa penetrabilis qualitas prioris ignis, venenum illico ſecum ducit ad cor & cerebrum, moriturq; animal ipſo momento. Secunda quoq; hujus ignis ſpecies, quia ſubtilis eſt, ſtatim officit partibus nobilibus, ſed quia conjunctam ſecum habet materiam magis terreſtrem, quemadmodum dixi, oſſa etiam & vaſa abrumpit atque protinus extinguit animal, aut ipſo momento, aut paulò poſt. Tertia verò ſpecies, quia (ut dixi) ipſius materia terreſtris eſt, craſſa, minùs erit periculoſa.

Ex his facilè apparet, qualisnam methodus curandi ſit inſtituenda. Illa enim in hoc conſiſtit, ut cor parteſq; nobiles corroborentur & à vaporibus malignis & venenoſis defendantur. Ideoque illicò exuendæ & abjiciendæ ſunt veſtes, non ſolùm, ut inſpirationi & expirationi pulmonis conſulatur, verùm etiam ne malignus ille vapor fulminis qui veſtibus inhæret partes nobiles planè ſuffocet. Exutis ſuffumigata baccis Juniperinis, radicibus angelicæ, foliis lauri & rutæ, exhibenda illi ſunt lapidis Bezoardici in ſubtiliſſimum pulverem redacti grana 6. aut 8. cum aqua bugloſſæ, cardui benedicti aut meliſſæ diſſoluta, provocanduſque eſt ſudor, quò natura venenum ad exteriora propellere poſſit. Si lapis ille in promptu non fuerit, exhibenda eſt theriaca ad ʒj. plùs aut minùs, prout ætas fuerit. Labia, lingua, nates, tempora, frons & arteriæ ad

carpum

carpum inungendæ ſunt vino malvatico, in quo theriaca ſit diſſoluta. Cordi applicetur ſequens Epithema.

R. Aquarum bugloſſę & Meliſſæ an. ℥ij. Vini malvatici ℥j. ß. Aquæ cinamomi ℥j. Electuar. de gemmis ʒj. Conf. Alkermes ʒß. Croci ℈j. Mixtis omnibus cordi tepidè applicetur.

Brachia & crura fortiter ſunt liganda, linteiſque aſperis & calidis fricanda, ut venenum ad exteriora attrahatur. Si puſtulæ, vulnera, aut maculæ adſint, applicentur protinùs cæpæ cum ſale, foliis rutæ & theriaca, quaſſatæ, applicenturque cucurbitulæ, hirudines, inciſis priùs veſicis, Putrefacientia & Eſcharam relaxantia hic locum non habent. Excidatur igitur Eſchara ſcalpello, & forficibus, poſteà ulcera ſequenti unguento ſunt mundificanda.

R. Mellis roſacei ℥ij. Pulveris radic. vincetoxici & Angelicæ ana ℥ß. Fol. rutæ cum pulveribus quaſſator. p. ij. Theriacæ ʒij.
Aquæ vitæ ℥ß. Miſce.

Fiat Mundificativum. Mundificatis ulceribus, inſpergendus eſt ſequens pulvis ſarcoticus.

R. Pulveris radicum Vincetoxici &
Angelicæ ana ℥j.
Myrrhæ, Maſticis, Olibani,
Fol. Scordii ana ʒiv.

Fiat omnium tenuiſſimus pulvis, ex quo cum ſufficiente quantitate ſucci Nicotianæ, Saniculæ vel pyrolæ fiant trochiſci, qui in umbra exiccentur, iterumque in pulverem redigantur. Is pulvis pretioſiſſimus eſt, & in hujuſmodi, aliiſque ulceribus putridis & venenoſis, veluti in Anthrace, Gangræna, & Cancro: mundificat enim, & putredini adverſatur: admixto parum aluminis uſti, cicatricem quoque inducit. Si qua oſſa fracta fuerint, reponenda ſunt, ſed proſpiciat Chirurgus, ne Emplaſtica aſtringentia & refrigerantia, ut in fracturis fieri ſolet, applicet, his etenim expiratio & evaporatio veneni impeditur, applicetur itaque ſequens cataplaſma.

R Farinæ fabar. Lupinor. ana. ℥j. ß.
Pulv. radicum vincetoxici &
Angelicæ ana ℥ß.
Folior. Rutæ M. 3.

Coquantur cum oxymelite ad formam cataplaſmatis. Poſteà admiſceatur theriacæ, aut Mithridatii ℥j. Fractura ſingulis diebus ſemel deliganda, & cataplaſma renovandum eſt, membro prius vino, in quo radices vincetoxici & angelicæ coxerint, & theriaca parumque aceti roſacei diſſoluta fuerit, abluto. Idque tantiſper, dum metus veneni adeſt, faciendum. Defenſivum ad latitudinem palmi minoris ſupra fracturam applicetur, ut elevatio veneni ad partes nobiles impediatur.

Interim autem dum externà, uti dixi, adhibentur, Cor, parteſque nobiles roborandę ſunt, non tantum ſupraſcripto Epithemate, verùm etiam conſervis & Electuariis, veluti conſervâ florum bugloſſæ, calendulæ, roſmarini, meliſſæ, corticum citronum; Diamargarito frigido, Lætificante Galeni, Confectione Alkermes, aquâ Cinamomi & ſimilibus.

Utatur juſculis carnium recentium, in quibus borrago, bugloſſum, calendula, acetoſa, roſmarinus, majorana, macis, crocus, cinamomum, & ſimilia coxerint. Ab omnibus, quæ difficilis ſunt digeſtionis, abſtineat. Proſpiciendum eſt quoque, ut alvus ſemper ſit lubrica, idque ſi naturaliter nequeat, fiat Suppoſitoriis aut Enematibus lenitivis. A purgantibus & venæ ſectione abſtinendum eſt, niſi aliqua adfuerit occaſio particularis, ubi conſulendus eſt Medicus.

Hactenus Fabricius Hildanus, ſequuntur.

CURATIONES ALIÆ.

Combuſtionis à fulmine curatio.

Pertinet huc & ambuſtio quæ fit à fulmine. Cùm verò fulmen malignam & venenatam qualitatem conjunctam habeat, id quod ex tetro odore & ſumma vi nocendi & interficiendi patet, ut & ex eo quod canes animalium fulmine occiſorum carnes non attingunt: ſtatim homini à fulmine tacti pulv. aliquis Bezoardic. vel theriaca, vel aqua Bezoardica, exhibenda, ſudorque provocandus. Arteriæ quoque, Labia, Lingua, nares inungendæ vino in quo theriaca diſſoluta ſit, & carpis ac cordi epithema cordiale imponendum: loco verò ambuſto applicanda unguenta ex cœpis, foliis rutæ & theriaca. Exhibendi etiam ſunt ſyrupi, conſervæ, & pulveres cordiales.

Si eſchara inducta ſit, ea ſcalpello maturè removenda, & tale unguentum adhibendum.

♃. Pulv. rad. Vincetoxici, Angelicæ ana unc. ß. fol. rutæ, ſcordii ana drach. j. Theriacæ drach. ij. ſpirit. theriacalis drach. iij. Mell. roſ. unc. ij. Miſc.

Ulcere mundato pulvis hic ſarcoticus inſpergendus.

♃. Rad. Angelicæ, Vincetoxici ana unc. j. Myrrhæ, maſtich. thuris, folior. ſcordij ana unc. ß. Aloës ſuccotrinę. drach. ij. F. pulv. qui irroretur ſucco Nicotianæ verę & ſaniculæ, & F. Trochiſci, qui in umbra ſiccentur, atque ubi opus, iterum in pulverem redigantur.

Si qua oſſa etiam fracta ſint, non illa vulgata cataplaſmata adſtringentia uſurpanda, nè veneni evaporatio impediatur, ſed aliud ex farina fabar. hordei, lupinor. rad. Angelicæ, Vincetoxici, fol. rutæ, ſcordii, theriacâ. Idque ſingulis diebus renovandum, donec veneni vis victa & diſcuſſa ſit. Supra verò locum defenſivum apponendum, nè vapores venenati per vaſa ſurſum ad cor aſcendant. *Daniel. Sennert. Pract. lib. 5. part. 2. cap. 18. operum T. 3.*

Curatio Combuſtionum in genere.

Combuſtiones omnes ſeu à pyrio pulvere incenſo, ſeu à fervente oleo, aqua, metallo aut aliis quibuſvis rebus fiant, ſolâ inter ſe magnitudine differunt. Hæ primò quoque tempore dolorem parti inferunt, & calorem præter naturam imprimunt, qui ignis naturam redolens impreſſionem illam relinquit quam græci ἐμπύρευμα nominant, impreſſionis illius magis, minuſvè expreſſa cernuntur veſtigia, pro rei comburentis efficacia, ſuſcipientis, ſeu patientis partis conditione, & in eadem mora. Si ſuperficiaria ſit combuſtio in puſtulas & veſiculas cutis exurgit, niſi mature fuerit proviſum. Si ima & profundior extiterit ſcarrha, ſeu cruſta inducitur, ambuſta carne vi ignis in cruſtaceam illam duritiem abeunte. Ignis in quamcunque partem inciderit, vis adurens intemperiem in ipſa relinquit calidam, cutem condenſat, contrahit & inſpiſſat, unde dolor: à dolore humorem ex partibus vicinis & remotis attractio: humores illi in aquoſos & ſeroſos humores mox verſi, dum exitum quærunt, ſibi ab inſpiſſata cute ignis actione præcluſum, ipſam altiùs attollunt, & veſicas quas cernimus, excitant. Hinc variæ indicationes ducuntur, undè remediorum ad ambuſta varietas. Alia enim empyreuma, id eſt, impreſſum igniti caloris in partem veſtigium delent, atque dolorem demulcent; alia veſicularum generationem intercipiunt: alia ulceri curando dicata ſunt, procurato Scharrhæ

 ante

ante omnia lapſu, detergendo carnem, & cicatricem inducendo. Tollendo dolori, & ignito calori, comparata remedia duorum ſunt generum: alia enim vi refrigerante id faciunt, quâ nempè, calorem præter naturam extinguunt, ſanguinemque & humores qui in partem vi caloris & doloris influebant reprimunt. Alia viribus contrariis prædita calida ſunt & attrahentia: quæ nempè cutem relaxando & poros reſerando, reſolvunt & diſſipant ſeroſos humores, qui puſtulis ortum & materiam præbent, ſicque per accidens dolorem & ardorem ſedant.

Refrigerantia ſunt aqua ſimplex, plantag. roſarum, ſolani, hyoſciami, cicutæ, ſucci herbarum refrigerantium, unguentum album, caphuratum, nutritum, roſatum, populeum, recenter parata. Hæc & ſimilia ſubinde renovabantur per initia præſertim quouſque dolor & calor evanuerint. Cæterùm eadem illa remedia tepida ſunt applicanda: nam ſi actû frigida apponerentur, dolorem excitarent, adeoque fluxionem: adde quod eorum vires in partem ipſam ſubire & pervadere non poſſent, & de potentia in actum educi: profectò ſic appoſita dolorem ſedant, inflammationemque & veſicarum exortum prohibent.

Inter calida & attrahentia, quæ rarefaciendo & foras attrahendo atque diſſolvendo, dolorem, ardoremque ambuſtorum leniunt, primum obtinet locum ignis, cum aduſtio levicula fuerit, attractionem enim facit ſimilitudo. Itaque ignis extrinſecus intrinſecum & inuſtum ad ſe ignem dum foras evocat, mali quod intulerat & creaverat alexiterium eſt. Paratû etiam facile & expertum remedium eſt, ſi quis ſtatim à combuſtione cepas crudas & cum ſale intritas dolenti parti apponat. Notandum tamen quod remedio huic locus non eſt, ſi jam in ulcus abierit malum: dolorem enim exacerbaret, & inflammationem augeret: à cute adhuc integra, ac non excoriata, ſi apponatur nihil tale facit, ſed puſtularum & veſicularum exortum prohibet eam ob cauſam hoc etiam remedii genere utitur Hippocr. in Scharræ lapsû procurando.

Si quis ejus remedii uſum ex principio medico, quod contraria contrariis curari dicunt, refellere contendat, atque ideò Cepas Galeni authoritate in quarto gradû calidas ad ambuſta non eſſe utiles aſſeveret, is intelligat, poteſtate quidem cepas eſſe calidas, & actû humidas: itaque temperie calida rarefacere, humiditate autem activa remollire cutem: quo fit, ut attrahant & foras evocent, diſſipentque inuſtum calorem, ſicque puſtularum generationem intercipiant. Denique ignis ut initio notavimus, igni remedio eſt. Nec verò Gal. ſententia, morbi ſemper contrariis ſanantur, ſed aliquando ſimilibus & ſi omnis ſanitas à contrario ſit ut legitur lib. 5. ſimpl. contrarii nomine latiùs ſumpto, ita enim & phlegmone ſæpè curatur reſolventibus medicamentis, quæ nempè vacuata phlegmones materia, ipſam phlegmonem ſanant. Ergò combuſtis partibus, nondum quidem exulceratis aut excoriatis eſt utilis ceparum uſus. Sunt verò & alia pleraque remedia veſicularum generationi prohibendæ utilia, cujuſmodi eſt fimus equinus recens, in oleo nucum aut roſaceo defrictus, & parti impoſitus: ad idem valet acetum, ſuccus uvarum immaturarum vulgo *verius*, atramentum.

Item ſambuci aut ebuli folia in ol. nucum cocta & addito pauco ſale intrita.

Item calx extincta in pulverem redacta, & cum unguento roſaceo incorporata.

Item jarri & ſalicis folia cum paulo ſale contrita. Prodeſt etiam ad ambuſta fabrile glutinum in aqua ex vaſe duplici liquatum, & pennâ parti ambuſtæ oblitum.

Item craſſior vernix, quo politores ſeu enſium fabri utuntur. Cæterùm ſi dolor acerbius urgeat, ter quaterve in die ac nocte, hæc erunt renovanda remedia, ut illa demulceatur doloris acerbitas. Quòd ſi his remediis impedire non poſſimus puſtularum generationem, primùm atque ſubortæ erunt, excidendæ venient, quòd humor concluſus exitû prohibitus acrimoniam acquirit, quæ carnem ſubjectam erodit, undè emergunt, ulcera cava; ſic cauſarum multiplicatione, & materiæ incremento, augetur inflammatio non per novem modò dies, ut vulgus addicitat, ſed per longè plures, nonnunquam etiam per paucio-res, ſi corpus neque cacochymum, neque plethoricum extiterit, & dolori, atque ardori, maturè opportunis remediis occurſum fuerit. Cùm combuſtiò tanta fuerit ut ſcarrham induxerit, ejus lapſus eſt procurandus remollientium & humectantium medicamentorum uſû, ut axungiarum, oleor. butyri cum pauco baſilico, vel unguenti ſequentis.

℞. Mucillag. ſem. pſyll. & cydonior. an. ℥ iv. Gumm. tragac. ℥ ij. extrahantur cum aqua pariet. Olei Lilior. ℥ ij. ß. ceræ novæ q. ſ. fiat unguentum molle.

Ulceribus atque excoriationibus remedia convenientia apponentur: quæ nempè nullam habent acrimoniam; cujuſmodi eſt unguentum album Rhaſis camphoratum, deſiccativum, rubrum, roſatum & nutritum ſine aceto concinnatum, vel oleum ovorum in mortario agitatum, itemque calx viva novies lota, & cum unguento roſac. vel butyro recenti ſaliſque experte, & aliquot ovorum vitellis induratis mixta, Vel

℞. Butyri recentis ſine ſale uſtulat. & colati ℥ vi. Vitellos ov. n. iv. ceruſæ lotæ in aqua plant. vel roſar. ℥ ß. tuthiæ ſimiliter lotæ ʒ iij. Plumbi uſti & loti ʒ ij. Miſceantur ſimul & fiat linimentum, Vel

℞. Cortic. Sambuc. viridis & olei roſat. an. ℔ j. Bulliant ſimul lento igne; poſteà colentur & adde olei ovorum ℥ iv. Pulv. carvi & tuthiæ præpar. an. ℥ j. ceræ albæ q. ſ. fiat unguentum molle.

Cæterùm ſiccantium remediorum quantitas ſemper augeatur, vel minuatur, prout ulceris conditio poſtulare videbitur. Dolori demulcendo ſequentia conveniunt, nempè muccagines ſem. lini, pſyllii, & cydonior. extractæ in aqua roſarum vel communi, & paucâ camphoræ additâ; ac ne citiùs quàm par eſt reſiccetur id remedium addendo oleum roſaceum. Ovorum etiam vitelli quinque vel ſex cum mucilaginibus ſeminis lini, pſyllii, & cydoniorum mixti & ſæpiùs renovati dolori ſedando valdè conferunt, Vel

℞. Laridi veteris per fruſta conciſi ℔ j. liquefiat in aqua Roſar. deindè coletur per rarum linteum & frigidum, lavetur quater cum aqua hyoſciami, vel alterius generis ejuſdem, deinde incorporentur vitelli ovorum recent. num. 8. fiat unguentum. Si acris eſt dolor, ut in hoc ulcerum genere eſſe ſolet, byſſinâ telâ erunt velanda ulcera, ne cum detergentur aſperiore lintei conſiſtentiâ irritentur. Sic enim per byſſi raritatem liber ſaniei exitus, & medicamentis ingreſſus atque contactus extiterit. Cavendum etiam, cùm ambuſtæ fuerint palpebræ, labra, digitorum latera, jugulum, axillæ, poplites, cubiti flexus, ne ſibi invicem ſine ullius rei interventû committantur, alioqui tandem mutuo contactu ſibi adhærebunt. Itaque illi rei providebitur apta membri collocatione & lintei mollis interjectione. Adnotandum verò venit quod profundiores combuſtiones, quæque denſiorem ſcharram faciunt ſuperficiariis minùs dolorificæ ſunt. Cujus rei veritas eorum exemplo intelligitur qui ſectis artubus candente ferro inuruntur, nam mox à combuſtione

combuſtione exiguum dolorem ſentiunt. Ingens enim illa combuſtio ſenſum adimit, ſenſorii vehementia ſentientibus partibus ſenſum adimente, quemadmodum ſuprà cùm de nervorum vulneribus & doloribus ageremus notatum à nobis eſt. Ejuſmodi ſcharræ lapſus procurabitur profundiore ſcarificatû qui ad vivum uſque penetret, ut ſic perſpiratû liberiori, ſubjecti & concluſi humores gaudeant, ſitque remollientibus medicamentis patentior ingreſſus ut perfundere poſſit ſcharram, atque ſic emollire, ut tandem decidat. Reliquum curationis detergentibus medicamentis & ſarcoticis perficietur, additis ſuprà dictis unguentis pulviſculis metallicis, cùm præſens neceſſitas videbitur poſtulare. Quâ verò quantitate miſcere ſingula hæc debeant, dici nequit propter eam, quæ in corporum temperie & conſiſtentia eſt, varietatem, morborumque contumaciam aut facilitatem. A combuſtione cicatrix ferè aſpera, hiulca & fœda viſû relinqui ſolet. Itaque illa arte complanari ac molliri debet: Non eſt verò omittendum, hoc loco, quòd pulvis pyrius igneſcens ſæpè in carnem penetrat, haud ulcerata vel excoriata cute: itaque tenuitate ſua ſic in carnes ſe inſinuat & penitus infigit, ut nullis remediis, nec phænigmis, nec veſicatoriis, nec ſcarificatû, cucurbitulis, aut cerniculis eximi & indè elici queat. Adeò ut ſemper impreſſa maneant veſtigia: haud aliter quàm barbaris ſervis inuſta ſemel ſtygmata, nulla poſteà arte deleri & obliterari poſſunt. *Joh. Vigierius Chirurg. lib.3.*

Curatio alia generalis.

Præſervatoria indicatio eſt. *Procul ab igne*: apud veteres ratione fulminis ſe muniverunt vel lauro quam in capite geſtarunt, qualem coronam ex lauro concinnatam turpiſſimus Imperatorum Tiberius Nero ob id geſtâſſe dicitur, teſte *Suetonio in ejus vita cap. c. 69.* ſed fabuloſum puto. Alii pavidi vituli marini pellem ſuper caput ponunt, alii aquilam ob Jovis armigerum ſervant, ejuſque lapidem, ſed omnia fabuloſa, ſuperſtitioſa, imò irrita eſſe adverſus altitonantis Dei iram credimus, juxta Pſalmiſtam *Pſalm.139. v.7.* quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, ibi es, & ſi ſtratum fecero in inferno, Ecce tu ades, ſi aſſumam alas auroræ, & habitem in noviſſimo maris, etiam illuc manus tua deducet, & apprehendet me dextera tua.

Miſſa quoque facimus iſtorum Impoſtorum ignem devorantium arcana atque experimenta, quibus ſe muniunt, ut ſine damno poſſint tractare ac devorare ignem, utut modum nobis tradat. Plin. l. 29. c. 3.

Majoris verò momenti eſt indicatio curatoria, quæ conſiſtit in hoc, ut fibræ aliæque partes combuſtæ ac dilaceratæ non in tantas concinnationes tranſeant, & ſtatim applica ſequens epithema, cum ſubtili & duplicato lineo loco ambuſto, ſicque veſiculæ impedientur.

♃. Aquæ Calcis vivę ℥v. ſpir. vini Camph. ℥ij. M.
Vel ♃. Spir. vini vel aq. Regin. Hungar. ℥iv. Camphor. ʒij. aq. ad ambuſt. Qu. ℥i ſs. Balſam. nervin. m. d. ℈j. vel elixir. vitæ ʒſs. M.

Sunt alii, qui ad veſiculas impediendas apponunt liquorem ſalſum in doliolis butyri ſaliti reperibilem, ut & aquam marinam vel ſalſam, alii ſaponem nigrum, mel, butyrum, decoctum raparum, muriam Harengorum, aut muriam Braſſicæ, præprimis ſi conquaſſentur cum oleo lini vel raparum applicant. Alii albumen ovi tanquam volatile conſtans ex animalibus partibus volatilibus ambuſtis applicatum pro arcano venditant. A Clariſſimo Dn. Muys laudatur creta cum ſpiritû vini camph. impoſita cum arctâ ligaturâ.

Linimentum ſequens ad ambuſta optimum effectum nobis præſtitit, imprimis ſi combuſtio à pulvere pyrio fuerit producta.

♃. Ceruſſę pulp. rad. conſol. maj. ana lb. ſs. Lithargyr. lap. calaminar. minii ana ʒij ſs. camphor. ℥ſs. ol. rapar. M. f. l. a. unguentum.

Hoc tamen fateri debemus, liquida, ut decoct. calc. vel ejus aqua cum ſpiritû vini camph. vel Matrical. plus nobis præſtitiſſe, quàm unguenta ac linimenta: Mixturis enim his continuò calidè partes combuſtæ laventur & iis madefacta lintea imponantur.

Si tantùm cutis externa fuerit ambuſta, mulieres noſtrates propriam inungunt ſalivam ſale volatili conſtantem, aliæ cepas cum ſapone in forma cataplaſmatis parant, imponuntq;. Plures pro experto exclamant remedio calcem vivam cum oleo raparum commixtam, & calide ambuſtis partibus impoſitam. Alii utuntur oleo raparum cum creta. Ruſtici ſtercus gallinæ cum butyro & fuligine, additis herbis Salv. cort. ſambuc. miſc. & ad formam unguenti coquunt applicantq; non abſque levamine.

Aliquando ad generoſiora tranſeundum eſt, ubi enim deſinit anicula, ibi ſæpè incipit Medicus in curandis ſcilicet morbis, in ambuſtis ergo profundioribus ſequentia eligere ſolemus.

♃. Ungu. Baſil. ℥j. ol. Juniperi ʒiij. Terebinth. Ven. ℥j. ol. aniſi ʒvj. macis ʒſs. ceræ ʒiij. croci ʒj. ſtyrac. liquid. ℥j. gumm. galban. ℥ſs. M. f. l. a. unguentum.

Quò etiam referri poteſt unguentum ad ambuſta ſeq.

♃. Cort. med. ſambuc. ℥ij. infund. & coq. in olei rapar. ℔. colato oleo add. axung. ovillæ, ceræ flavæ ana ℥iij.

Liquefactis inſperge continuò agitando, pulv. ceruſſ. minii ana ℥ij ſs. & ſi parum refrixerint immiſc. Camphoræ tritæ ʒij. M. f. l. a. unguentum. In gradu ſecundo, ubi cutis nimis fuerit contracta, ad fortiora tranſeundum eſt, & ſequens calide apponi poteſt.

♃. Sp. Matrical. ℥ij. Tinct. galban. ℥ſs. aq. ad ambuſt. vel calc. ʒi ß. camphor. ʒj. aq. Regin. Hungar. ℥i ß. Balſam. nervin. Tinct. Caſtor. ana ʒß. M.

Urgente etiam neceſſitate ſuperponi poteſt, ad calorem partis conſervandum, ſequens cataplaſma.

♃. Herb. ſcord. rutæ ana M. ſs. rapiſtr. M.j. melilot. P. j. malv. P. ij. N. M. Caryophyll. an. ℥ſs. ſal. commun. Tartar. ſal. armoniaci ana ℥j. cum mulſ. & urin. fœtid. q. ſ. f. adjectâ farinâ fabarum cataplaſma.

Si verò gangræna ac ſphacelus parti combuſtæ immineat, confugiendum eſt ad ſequens cataplaſma calide applicandum, quamvis hoc in caſû etiam conducat aqua calc. cum ſpiritû vini Camphor.

♃. Herb. ſalv. rutæ, ſcordii ana M. j. cep. crud. rec. ℥iij. Sapon. liq. nigr. ℥ß. myrrh. aloës an. ℥iij. Croc. opt. ʒij. aq. Tartar. ſal. armoniaci ana ʒi ß. l. a. c. vin. & mulſ. f. cataplaſma.

Et ſi malum fuerit intenſius, ut cutis planè fuerit contracta, cataplaſmati prædicto addi poteſt unguentum Baſilic. ſtyrac. liquid. ana ℥v. gumm. elemi ℥vj. Galban. ʒij. olei ceræ ʒiij. M.

Oleum Philoſophorum etiam externè illitum egregiam ſæpe navat operam, ut & omnia ſalia volatilia, quæ liberum ac convenientem ſuccis motum reſtituere, meatus obſtructos reſerare & acredinem illius obtundere valent, hic adhibenda ſunt. Omnia enim hactenus recenſita remedia ex particulis volatilibus conſtant, quæ à materia ſubtili facili marte commoventur ac agitantur, hinc ſimilem motum communicant carni combuſtę ac emortuæ. In graviori ambuſtione

ambuſtione fæces cerevifiæ cum pane applicatæ optimum præſtiterunt effectum, ut & allium, lentes paluſtres, empl. diaſaturni Mynſ. mucilag. ſem. cydon. cum aqua ſperm. ranar. extract. additis camphora & ſaccharo Saturni quod elegans eſt remedium tepide applicatum.

Momordica in oleo lini infuſa & ei addit. ol. Saturni citra inflammationem Ambuſtiones ſanat, oleum apum cum pauco olei ovorum vel ſcorpionum ſæpè juvat.

Vel ℞. Calc. viv. lotæ ℥j. ſulphur. viv. ʒj. ol. lini rapar. an. q. ſ. m. pro linimento.

Sunt quoque, qui in Ambuſtione commendant oleum Nucum cum ovorum luteis mixtum.

Si combuſtio per prædicta remedia ſublata fuerit ad cutem deleniendam & dolores ſedandos ſequenti utere.

℞. Ol. lini ℥ß. N. M. deſt. ℈ß. ungu. Baſil. ℥j. gumm. Elemi. galban. ana ʒ ij. Camphor. ʒ ß. aq. Regin. Hungar. ʒ ij. croci ℈j. M. f. l. a. unguentum.

Omni enim ope à combuſtione gangræna arcenda eſt, hinc varia cataplaſmata ceu jam dicta ex volatilibus & ſpirituoſis paranda, & calide applicanda ſunt, ſpirituoſa enim obſtructiones tollunt, tenacem mucum reſolvunt, imprimis ſi camphorata fuerint ſimul mixta, hinc ſæpè ſufficit Spir. vini camph. C. aq. calc. Tinct. caſtor. ſpir. cœpar. Matrical. Balſ.Nervin. Tinct. Galban. quæ omnia compactas particulas valdè reſolvunt & fluidiores reddunt: ſic etiam ſalia volatilia oleoſa adhuc ſunt fortiora, quia eorum particulæ melius penetrant, & ſolidiores ac firmiores ſunt, & omnia optimè reſolvunt.

Hic Chirurgos moneo, ut omnia medicamenta in combuſtione calidè applicent: quia actualis calor ipſam ſæpe ſanat combuſtionem; ſucci enim coagulati per externum frigus à calore iterum reſolvuntur ac attenuantur. Cæpæ etiam locis ambuſtis applicatæ magnum afferunt ſolamen, quoniam in ſe continent ſal volatile, cujus ope viſciditates reſolvuntur, hinc, ceu diximus, omnia ſalia volatilia, tum internè, tum externè in combuſtionibus conveniunt.

Sapo Venetus eſt in combuſtione egregium remedium, quia conſtat ex penetranti ſale volatili & acri, cujus ope viſciditates facilè reſolvuntur, item ex oleoſis particulis, per quas cutis fibræ demulcentur, & acidæ ſal'æque particulæ temperantur.

Aqua fortiſi quis combuſtus ſit, non inconveniens erit imponi externum epithéma ex aqua ſperm. ranar. cum Butyro Saturni. *Mindererus in Med. Militar.* curavit Chymiſtam ab aqua forti combuſtum ſolo oleo lini atque cremore lactis, ſic etiam empyreuma vulgo dictum evocatur. Si in levi combuſtione membrum admoveamus igni, particulæ antea impulſæ & continuum ſolventes ab aliis ingredientibus retropelluntur, atque ſimul empyreuma. Malè faciunt qui admovent combuſtis partibus cauſtica, quia magis diſcindunt fibras. Cavendum quoque nè applicentur frigida, quæ malum potius augent, quàm imminuunt, omnia enim tepide applicentur.

Cruſta vel eſchara ſi adſit, illa incidenda ac leniter ſeparanda eſt, ſi non poteſt fieri in tota parte, fiat diverſis in locis, ut ita ichor, devorans fibrillas, ſubtus contentus queat effluere. Si verò ad nervos uſq; pertingat, ſummâ cautione opus eſt in removenda eſchara, & prius applicanda ſunt nervina & demulcentia.

Si in oculo eſt ambuſtio, ratio præſertim habenda eſt doloris, in quem finem conducet lac muliebre ſæpius tamen mutatum, quoniam facilè aceſcit, reliqua etiam ophthalmica, aqua nempe roſar. mucilag. ſem. cydon. fœnigræc. croc. aq. euphraſ. hîc verò apprimè convenit arcanum. Timæi à Guldenkleeu ſeq.

℞. Pomor. d. num. 2. coq. in aq. Euphraſ. roſar. ana q. ſ. ad mollitiem, trajiciantur per ſetaceum, add. Sacchar. alb. ʒ ij. camphor. gr. xv. Croci gr. v M. & applicetur calidè.

Si combuſtio in juncturis circa tendines & ligamenta obſervetur, ſtatim ad laudata Epithemata & cataplaſmata confugiendum eſt. Conducet etiam in hac combuſtione ol. ſeptem florum Mynſ. cum album. ovi & mucilag. ſem. cydon. Quando oſſa ſimul ſunt ambuſta eximantur fruſtula forcipe, ſi verò tota pars fuerit aduſta, enſe recidenda eſt.

Cùm à pulvere pyrio pars quædam corporis fuerit combuſta, & grana remaneant cuti infixa, non ſtatim ea acu vel alio inſtrumento eximenda ſunt, ſed potiùs ſuppurationi relinquenda, quæ dein in conſpectum veniunt, ſi enim grana pulveris pyrii in fruſtula fregeris, tantum ſe magis cuti implicant, & difficilius aut nunquam eximuntur.

Quando verò prælaudata applicaveris medicamenta, grana illa pulveris è cute ab efferveſcente lympha facili marte propelluntur, quod etiam confirmat *Clariſſ. Muyſ. dicens in Podalirio ſuo rediviv. pag. m. 39.* Grana pulveris tormentarii relicta in facie quidam ope acus chalybeæ eruere conantur, ſed ſupervacaneum eſt, quandoquidem fibrillas per emollientia in tantùm flexiles reddere poſſumus ut grana ſponte prolabantur. Ut etiam paucis interna remedia in combuſtione proficua attingamus, ſciendum eſt, ſi cacochymia conjuncta eſt, & ſuccus nutritius nimis acris ſit, ut conſolidari nequeat Ambuſtio, conveniunt omnia ea interna, quæ ſequenti capite de vulneribus præſcribimus, imprimis hîc commendamus diaphoretica ex Antimonio & Mercurio dulci parata. Antihect. Poterii, oculos cancri, Sacch. Saturni, item ſulphurata, camphorata, myrrhata, & ſemper interponenda ſunt volatilia, quæ viſciditates reſolvunt, in quem finem etiam Chirurgi cum commodo uti ſolent, decocto lignorum cum Theâ; cùm Sarcoſis & agglutinatio partium dependeat à chylo, & neutiquam à vulgò dictis Sarcoticis emplaſtris, aliiſque Chirurgorum medicamentis; hoc Chirurgis porrò notandum eſt, ut fugiant in combuſtione adſtringentia & poros obſtruentia. medicamenta, tum interna, tum externa, quia his combuſtio magis exaſperatur, viſciditates cumulantur, & particulæ incluſæ & infixæ manent partibus combuſtis.

Si combuſtio abeat in fiſtulam & Medicus nimis ſerò advocatus fuerit, ſunt qui in hunc finem commendant Butyrum Antimonii rubr. vel lini deſtillat. ex capit. Mort. Vitrioli, ſed nos commendamus potiùs Balſamum noſtrum divinum, rarò in fiſtulis fallens remedium.

In quibuſcunque Ambuſtionibus Agricola extollit ſequens.

℞. Sacchar. Saturni q. ſ. add. ol. roſar. M. F. Linimentum; quo locus ambuſtus calidè inungendus eſt. Oleum Hyperici n. d etiam egregium eſt ſæpiùs applicatum: imò ſexcenta alia poſſunt proferri, ſed ſi hæc non ſatisfaciunt, alia certè etiam vix præſtabunt: meliora enim & approbata junioribus communicamus Medicis ac Chirurgis, quibus in praxi conſummati non opus habent. *Joh: Doleus Encyclopæd. Chirurg. rational. lib.6.*

Curatio rurſus alia.

In cura combuſtionis interdum ſimul cum externis primariis uſurpantur interna, eaque nitrata quæ febrim ambuſtioni ſupervenientem interdum optimè compeſcunt: Hinc nitrum fixum nitr. antimoniatum pulvis pyrius & ſimilia internè ſunt optima, quibus celeberrima ex oculis cancrorum parata Chirurgica, aut ſolum ipſi oculi cancrorum ſimul commodè ſubjungi poſſunt.

Externè

Externè quod attinet, quoad eorum uſum ſtudioſè obſervandi ſunt ambuſtionis gradus.

Nam in primo gradû remedia ordinaria Empyreuma & indè ortum nutrimenti in parte alterationem tollentia, & ad ambuſta dicta applicanda ſunt, qualia primario ferè ſunt ex cepis; ex calce viva, ex ſtercoribus animalium, ex ſucco cancrorum & ſimilibus v. g. ex calc. viva uſitatiſſimè fiunt unguenta ad ambuſta: ſivè applicetur mox aqua calc. vivæ imprimis ſi paretur C. decocto raparum; recipiendo nempè decoctum raparum, in quo colato calx viva extinguatur. Hæc aqua calc. vivæ c. linteis duplicatis calidè aliquoties impoſita, mirè curat ambuſta.

Aliàs uſitatum eſt, ut recipiatur calx viva lota ſæpius & ab omni acri ſale probè temperata cum quocunque alio permiſceatur ingrediente v. gr. Recipienda calx viva aliquoties lota eaque probè ſubigenda eſt cum butyro majali non ſalito in mortario plumbeo ut fiat unguentum, quod ipſum applicandum eſt, idque liquidum, loco ambuſto.

Melius eſt unguentum quod fit ex calc. vivæ p. ij. cremor. lactis, mellis deſpumat. ana p j.

Hæc omnia probè miſta in conſiſtentiam unguenti liquidioris ſ. linimenti optimè conveniunt ad tollenda ambuſta.

Melius eſt ſi recipiatur calx viva, eaque in aquam ſimplicem projiciatur, ita ut aqua aliquot digitos 4. vel 5. ſupereemineat, & ubi per ſe efferbuerint, infundatur ol. Roſarum; ſic enim ſubito gelaſcent in conſiſtentiam Butyri, quæ ipſa loco ambuſto miro cum ſucceſſu poſſunt liniri.

Hinc ſuccus allii aut cepar. illitus recenti combuſtioni ratione ſal. vol acris præcavet omnem acorem in locis ambuſtis exulcerationem inferentem, aut ex his fiat tale unguentum inſignis commendationis.

℞. Ceparum crudarum ℥ i ſs. Salis. Sapon. Venet. ana ℥ſs. M. in mortario, affundendo ol. Roſarum q. ſ. F. unguentum. Egregium in ambuſtis.

Optimum eſt linimentum ſi cum aceto ſolvatur minium aut lithargyr. ſolutioni filtratæ addatur ol. raparum rec. expr. q. ſ. ut coëant in conſiſtentiam linimenti liquidi, quæ aliquandiu ducantur in mortario plumbeo, donec fiat gryſeum, & aſſerva pro uſû.

De cancris it. dixi quod mirabile ſuppeditant remedium contra ambuſtiones: id quod fit ſi cancri fluv. vivi contundantur in mortario, & ſucco inde expreſſo calidè fomentatur pars.

Vel cancri contuſ. miſceantur cum Butyro Majali non ſalito ferveſiant commodè & deſpumentur, donec fiat unguentum ſubruffum, quod tranſcolandum eſt, & experiemini uſum efficaciſſimum contra ambuſta.

Nam etiam ex cancris compoſita remedia conducunt inſigniter; ſi ex pulvere pyrio orta ſit ambuſtio; contundendo ſcilicet cancros fluv. c. aqua Roſarum, aut quod melius c. aqua ſpermatis ranarum; ex contuſis, mucago craſſior aquæ permiſta ſeparetur, eaque pars ſ. membrum pulvere pyrio ambuſtum fomentetur & illinatur. Nam hæc ſunt egregia in tali casû.

Notum alias eſt quod etiam mucilagines ſem. Pſyllii, aut quod melius mucilag. ſem. Cydoniorum parata C. ſpermat. Ranarum & cui parùm ſacchari Saturni ſit permiſtum illita C. pluma parti ambuſtæ optimè conducat ad tollendam ambuſtionem.

Vulgare eſt & primâ fronte viliſſimum remedium compoſitum ex p. j. ol. olivarum miſta C. album. ovi p. ij. quæ duo conquaſſentur & exactè miſceantur: & nihilominus hoc ipſum applicatum verè eſt unguentum ſingulariſſimi effectûs; Cui tamen adhuc præferendum eſt ſimilliter prima fronte vile apparens, quod ſit ex ol. lini C. aqua roſarum lot. ℥ſs. Vitell. ovorum n. IV. quæ probe ſubacta applicantur calidè parti ambuſtæ idque egregio cum ſucceſsû.

In graviori combuſtione talia etiam, ſed tamen paulo fortiora applicanda ſunt remedia, nempe ubi puſtulç jam ſunt excitatæ, citra hoc ut cutis ſubjecta ſit reddita corrugata, relinquendæ hæ ſunt ad diem tertium, quo tempore niſi ſponte rumpantur aperiendæ ſunt, & modò dictis unguentis pars ulterius curanda.

Sin v. à graviori ambuſtione c. ſubitaneis puſtulis ipſa cutis ſit combuſta, ſubito puſtulæ ſunt aperiendæ, & ſubito apertis puſtulis modo dicta remedia applicanda; aut in apertis veſiculis imponendum eſt unguentum quod fit ex ſtercore gallinæ cocto c. Butyro non ſalito, quæ duo impoſita optime talia curant empyreumata.

Intentius adhuc eſt ſi Recipiatur fol. ſalv. recent. M. j. plantag. M. ij. Butyr. recent. non ſal't. ℥vj. ſterc. Gall. recent. & quantum fieri poteſt albiſſimi ℥iij. frixantur mutuo per horæ quadrantem, & inde facta expreſſione ſervetur uſui.

Notetur, hoc, quia bonum, aut.

℞. Pulp. pomorum dulcium ſub cineribus coct. ℥ij. far. Hordei, fœnugr. ana ℥ß. Croci ℈j. M. f. linimentum, vel cataplaſma molle, quod illitum & dolores ſiſtit, & cutem corrugatam planam & mollem reddit.

Quod ſi v. in Tertio gradu ex cute omnino combuſta facta ſit cruſta, & eſchara, tunc mox apertis omnibus puſtulis opera danda eſt, ut primis duobus diebus ſeparetur eſchara, applicando ſcilicet deſuper linimenta præter empyreuma corrigentia imprimis emollientia & laxantia, quæ inter ea mucilago ſem. Cydoniorum C. ſpermat. ranarum extracta, addito butyro non ſalito ol. lil. alborum & vitello ovi, non ultimum meretur locum. Quin & commodè applicatur linimentum paratum ex butyro recenti bene agitato in mortario plumbeo C. decocto Malvæ; hoc n. id. linimentum illitum applicando deſuper folia Braſſicæ tepida ſubito ſeparat eſcharam.

Quod ſi durior & contumacior non ſeparetur eſchara, tum hçc ipſo ferro, aliquot inciſuris eſt incidenda, & ſordes ac Ichores ſubtus ac latentes evacuandæ, nè harum acore ulcus profundum putridumque generetur.

Factâ humoris evacuatione modo memorata emollientia applicanda; donec ſeparetur eſchara: quâ ſeparatâ digeſtivis & mundificantibus relictum ulcus eſt conſolidandum: in quo casu unguenta ex calce viva tota cum ol. roſar. & vitello ovi. unguentum album: unguentum album camphoratum: it. unguentum Alabaſtrinum convenienter poſſunt uſurpari & imponi. *Michaël Ettmullerus in Chirurg. Med.*

Conſultationes.

Combuſtio tibiæ ab aquâ fervente &c.

Ancilla 20. annorum, dum imprudentius circa culinæ focum verſabatur, evertit vas, aquæ ferventis plenum, in ſuum crus, ita ut tibia ſiniſtra, ad genu uſque, & ſupra illud, mirum in modum aquâ adureretur. Acceſſit mox ingens dolor, cujus vehementiâ totum crus ad imam uſque plantam valdè intumuit. Ab initio applicata fuerunt lintea ſpiritû vini madefacta, ex quorum uſû tumor quidem nonnihil ſubſedit: verum cum ægra ſequentibus diebus à locis

frigidis

frigidis ſibi non temperaret, factum eſt, ut dolor, inflammatio, aliaque ſymptomata, in dies magnum incrementum ſumſerint: Adeſt jam febris & magna inquietudo: cruſq; rurſus valdè intumuit.

Pars affecta eſt crus ſiniſtrum: quod ad oculum, & ex quærela ægræ patet.

Morbus qui eam affligit eſt intemperies calida & ſeroſa ſiniſtri cruris cum tumore conjuncta; quæ, ab illapsû aquæ fervidæ excitata, combuſtio cruris vulgo appellari ſolet.

Cauſa hujus morbi externa fuit aquæ iſtius ferventis in crus ancillæ illapſus, illa enim ſuo fervoris motû inſenſibiles particulas cutis & vicinarum partium ita diſpoſuit, ut ſubtilis materia ſive æther; qui in iis exiſtebat, vehementius ſe & particulas iſtarum partium poſſet agitare, atque ita uſtionem in crure produxit. Uſtæ autem cutis partes vehementi ſuo motu nervos vicinos agitando, agitationemque illam ad cerebrum & ibidem ad mentem deferendo, ingentem illum cruris pepererunt dolorem; qui ſpiritus in ventriculis cerebri exiſtentes ita determinavit, ut illi copioſiùs in partes affectas fluentes, poros vaſorum in iis exiſtentium multos aperuerint, quo humores billioſi & ſeroſi ibi à reliquo ſanguine ſeparati, & in partes affectas per poros illos nimis apertos copiosè ruentes, totum crus ad imam uſque plantam, in magnum humorem diſtenderunt, intemperieque calida & ſeroſa perfuderunt.

Tumor autem ille intemperieſque cruris, ex adhibito cum linteis vini ſpiritû, valdè fuerunt imminuta; ſpiritus enim vini primum calore & humiditate ſuâ, poros partium combuſtarum aperiendo, ſeroſos mordaceſque vapores & humores foras eduxit; & deinde quamvis ſpiritus vini in aliis partibus excitet calorem, is tamen partibus ambuſtis hic profundius ſeſe inſinuando, tales ibi fecit poros, ut ſubtilis ſive ætherea materia ſeſe vehementius in iis movere non poſſet, atque ita aliquam refrigerationem induxit.

Cùm verò ægra hæc deinde ſibi à locis frigidis non caveret, factum eſt ut frigus aëris poros in partibus ambuſtis nimium clauderet, atque ita acres mordaces & calidos vapores & humores, alioquin, exhalaturos, in iis retineret. Hi autem retenti moverunt ita partes ambuſtas, ut inde dolor, inflammatio, aliaque ſymptomata in dies magnum incrementum, per partium pravam diſpoſitionem à vaporibus iſtis retentis orientem, ſumpſerint, febriſque, inquietudo, & tumor totius cruris acceſſerint.

Morbus hic, propter magnum ſuum à naturali ſtatû receſſum, graviaque quæ adſunt, ſymptomata, periculoſus eſt; metus enim eſt, nè ſi non ſatis benè curetur, herpetem, gangrænam, vel alium gravem affectum inducat.

Curatio itaque recta mox adhibenda; eaque conſiſtat in intemperiei, tumoris, doloris, reliquorumq; ſymptomatum, per peculiaria ambuſtis contraria ablatione.

Mox itaque ubicumque epidermis nondum ſeparata eſt, applicetur ſequens unguentum.

♃ Cæparum crudarum ℥iſs. ſalis, ſaponis Veneti alb. an. ℥j. miſceantur in mortario, addendo ol. roſ. & amigdal. dulc. q. ſ. ut fiat unguent.

Deinde toti cruri, pedi, & genu, hoc adhibeatur cataplaſma, quotidie uſurpandum, ad finem curationis uſque.

♃ Farin. hordei, fabar. an ℥vj. ſem. fœnug. ℥j. cydoniorum ℥ſs. herb. malvæ, althææ, cum rad. pulveriſ. an. ℥iſs. Rad. curcumæ pulveriſ. ʒſs. butyri recent. ℥iv. croci ℈j. Pulveres ſem. fœnigræci & cydoniorum primò aquâ parùm coquantur, quæ cùm refrigerata iterum fuerint, reliquæ farinæ & pulveres, unà cum butyro adjiciantur, coquanturque in lactis vaccini q. ſ. ad conſiſtentiam Cataplaſmatis, cui admiſceantur vitelli ovorum num. 2. applicetur que calidè.

Sub veſperam ſumat hunc hauſtum anodynum, ſubinde reiterandum.

♃ Lactis amigdalati ℥iv. Syr. de papavere ʒiij. miſce.

Poſtridie ſumat talem bolum, ſubinde repetendum.

♃. Electuar. diapruni ſol. ʒij. ſcammon. crem. tart. an. ℈ſs. ſyr. roſ. ſol. q. ſ. M. pro Bolo.

Dum Cataplaſma adhibebitur, humores illapſi in pus convertentur, quod forſan per poros inſenſibiles cutis foras expelletur.

Continuandus horum uſus ad finem uſque: in nonnullis tamen locis magis humidis circa finem curationis adhibeantur linimenta exſiccantia, ut unguentum de ceruſſa, de minio & ſimilia.

Diæta ſit tenuis & refrigerans; abſtineat à vino, utatur cerevifia tenui & decocto hordei, in quo agrimonia & veronica ſunt coctæ. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicat. lib. 4.*

Combuſtio abdominis, manuum, faciei &c.

Filiolus molitoris cujuſdam quinque circiter annorum puer, in ignem culinarium pronus incidens, ſubucula, qua ſolâ amictus erat, flammam concipiente, & toto corpore, maximè verò in abdomine, manibus & facie adeò ambuſtus erat, ut ipſa cutis & in quibuſdam partibus etiam ſubjecta caro aduſta videretur; dolor aderat immanis & hinc vigiliæ perpetuæ cum extremâ virium imbecillitate.

Ambuſtionem hanc curatû quidem fore difficilem prædixi, quatenus profunda pluresque partes ambuſtæ imprimis abdomen, cujus muſculi ob varios motus varie extenduntur & contrahuntur, nihilominus tamen tentandam, idque non frigidis, ut vulgi eſt opinio, ſed calidis quæ peculiarem empyreuma evocandi vim habent. Quemadmodum enim partium refrigeratarum frigus optimè frigidis, nive ſcilicet aut aquâ frigidâ, extrahitur, ſic empyreuma non niſi calidis evocatur, ratione ſimilitudinis. Præſcripſi hoc nomine decantatum illud ambuſtionis remedium, quod ex olei olivarum parte unâ & album. ovorum partibus duabus componitur, nec inefficax, præſertim in facie deprehendi. Verùm in abdomine, ubi profundior & cutem penetrans erat ambuſtio exſpectationi noſtræ parum ſatisfacere videbatur, quapropter inciſis puſtulis loco affecto non ſolum ea quæ empyreuma extrahunt, ſed & cutim exiccatam emolliunt, impoſui.

♃. Alburnor. in profluente recenter captor. ℔j. frigantur in ſartagine cum butyri Majalis ſ. q. pinguedo fundatur ſuper aq. frigidiſſimam, coagulata ſeparetur, hinc add. Unguent. baſilic. ℥j. Ol. Lil. albor. roſar. amygdal. dulc. ana ℥ſs. vitell. ovor. num. ij. Croci ℈j. M. Fiat. Unguentum.

Manibus idem unguentum applicuimus, interpoſitis digitorum ſpatiis, nè fortè coaleſcerent, linamentis ſiccis: Tandem ſeparatis eſcharis ulcera mundavimus, & ſarcotica cicatriceſque inducentia applicuimus, quæ ne turpes & rugoſę præſertim in facie fierent, devitatis valde ſiccantibus, emollientia ſubinde adhibuimus, qualia recipit ſequens linimentum.

♃. Pingued. Capon. hominis, piſcis tithymali ana ʒiij. Ol. myrrh. ʒſs. Lil. albor. ovor. ana ʒſs. Succi lumbric. ʒv. M. F. Linimentum.

Interea dum hæc fierent, etiam virium imbecillitati proſpeximus, exhibendo ſæpiùs cochlear unum atq; alterum mixturæ cordialis.

♃. Aqu.

℞. Aqu. cordial. frigid. ℥iij. Flor. borrag. bugloſſ. ana ℥j. Cinam. abſque vin. deſtill. ℥ij. Carbuncul. ʒ j. Confect. Alkerm. ʒij. Spir. roſar. rub. Idæi ana gr. xv. Rotul. man. Chriſt. perl. ʒij. M. ad arcendas vigilias & conciliandum ſomnum doloremque qui admodum urgebat ſopiendum per intervalla dedi pulviſculum meum anodynum ex ſyrupo flor. pap. Rhæados & aquâ hypnoticâ.

℞. Pulv. mei anodyni ℈j. Laudan. opiat. g. 1. M. in mortario marmoreo F. pulv. *Baldaſſ. Timæus Caſuum Medicin. lib. 6.*

Obſervationes

Viggerdus Simonis, ſuper luculentum ignem in cacabo bonam reſinæ quantitatem liquefaciebat, eaque, cùm nimis efferveſceret, fortè flammam concipit: hanc extinguere, & pulvinari cacabum obturare volens, improvidus nimis ambas manus reſinæ liquefactæ bullienti & jam incenſæ totas immerſit, eaſque vehementer combuſſit; illud ipſum uxori, eandem flammam etiam extinguere volenti evenit: tandem flammâ extinctâ, de immenſo manuum ex ambuſtione dolore uterque graviter conquerebatur. Præſentaneum hic remedium neceſſarium erat, cumque nihil ad manus haberemus, fortè venit mihi in mentem atramenti ſcriptorii, quod paulò antè ad meos uſus ipſemet confeceram, cujus integrum cantharum plenum in muſæo habebam: illud in ollam effudi, eique manus ſuas ambo immergebant, atque ità aliquamdiù lavabant & fovebant; quod cùm per ſemihoræ ſpatium feciſſent, omnino ceſſarunt ardor & dolor, nullis veſiculis prodeuntibus, nec ullum ex tam vehementi ambuſtione incommodum retinuerunt.

Petrus Abſtee Muskettam explodere volens, fortè poſterius diſrupta fuit machina; & quamvis à ferri fruſtis illæſus, totâ tamen facie pyrii pulveris flammâ graviter combuſtus fuit, plurimaque pulveris grana ipſi cuti impacta remanſerunt. His granis citò exemptis, ſtatim oculis parva lintea duplicata butyro benè ſalito inuncta impoſuimus, toti autem faciei cœpas crudas cum ſale in mortario contuſas applicavimus, quas ter prima die, & ſemel ſequenti nocte renovavimus? quo cataplaſmate totum empyreuma inſigniter extractum fuit, etiam in ipſis oculorum palpebris (quas ad oculorum defenſionem butyro præmunieramus) nullæ veſiculæ excitatæ fuerunt, ita ut poſteà unâ aut alterâ inunctione ex unguento roſaceo & pomato, prorſùs ſanatus fuerit.

In combuſtione ſtatim omni ſtudio enitendum eſt ut empyreuma extrahatur, & puſtularum ac veſicularum exortus impediatur. Ad hoc efficiendum multa variaque commendantur. In leviore combuſtione, illud parte læſa igni admotâ, vel in aquam calidam immiſsâ, atque in ea, quàm calidiſſimè fieri poteſt detentâ, facilè perficitur. In graviore verò, efficaciſſimum remedium ſunt cœpæ crudæ cum ſale contritæ, quibus in graviſſimis ambuſtionibus multoties egregia præſtiti. De his audiatur Paræus lib. 2. cap. 9. *Experiuntur (inquit) plebei homines, ambuſtæ leviter partis ardorem vaneſcere & dolorem levari, ſi partem ipſam ardentis candelæ, vel accenſarum prunarum ardori aliquamdiu admoverint, attractionem enim facit ſimilitudo: itaque ignis extrinſecus intrinſecum & inuſtum a ſe parti ignem dum foras evocat, mali, quod intulerat & creaverat alexiterium eſt. Paratû etiam facile & expertum remedium eſt, ſi quis ſtatim à combuſtione cœpas crudas & cum ſale contritas dolenti parti apponat, &c.*

Hildanus tamen libro de combuſt. cap. 6. cœpas in faciei combuſtionibus minimè convenire, eaſque oculis damnum & jacturam, haud exiguam inferre ſcribit. Quod verum foret, ſi cœpæ ipſis oculis imponerentur, aut ſi oculi ante cæparum applicationem primò aliis rebus non præmunirentur, quod nos linteis duplicatis, vel triplicatis, & butyro benè ſalito inunctis optimè fieri arbitramur; eò quòd butyrum ſalitum empyreuma extrahat ratione ſalis, & pinguedine ſuâ palpebras leniat ac defendat: minus autem conveniunt aquæ diſtillatæ; lac muliebre, ovorum albumina, aliaque ſimilia, quæ ſtatim exſiccantur, & parti adeò firmiter agglutinantur, ut vix abſque excoriatione detrahi poſſint. In faciei combuſtionibus Hildanus potiùs utitur hoc unguento.

℞. Saponis Veneti, unc. j. olei amygdalarum dulc. roſarum ana unc. ſ. mucilaginis ſem. cydoniorum cum aqua roſar. extractæ parùm miſce fiat unguentum.

In aliis autem partibus ſcribit ſequens unguentum empyreuma potenter extrahere.

℞. Cœpæ crudæ; unc. j. ſ. ſalis, Saponis Veneti, ana unc. ſ. miſceantur in mortario, fiatque unguentum cum oleo roſarum & amygdalarum dulcium.

Præter hæc multa alia ſunt quæ empyreuma potenter extrahunt. Sic atramento ſcriptorio illud feliciter peractum fuiſſe, exemplo docuimus antè. Sola muria, linteis eâ intinctis, ut & aqua calcis, idem faciunt. De muria ſic ait Lev. Lemnius lib. 5. occult. nat. cap. 9. *Muria aut ſalſilago præſentanea vi ambuſtis vim igneam, atque urentem fervorem extrahit, doloreſque intenſiſſimos placat ac mitigat, vel ex pulvere bombardico, vel oleo, pice, aquâ fervidâ, pruniſque accenſis, præſertim ſi tenui peplo ſalſilagine imbuto peruſtæ partes foveantur; hujuſmodi enim irrigatione ignea vis eluitur, atque acerrimi cruciatus conſopiuntur.* Idem de muria quoque teſtatur Matthias Pactzerus lib. d. Sale cap. 26. Butyrum quoque multo ſale pulveriſato mixtum, linteis inunctum, & ſic impoſitum, egregia præſtat. Verùm hæc omnia in ipſo principio admovenda ſunt, ante quàm puſtulæ aut veſiculæ excitentur & excoriatio fiat, tunc enim hæc minus conveniunt, ſed curatio alio modo inſtituenda eſt. *Iſbrand. de Diemerbroeck in obſ. & Curation. Medicin.*

Puella quædam aquâ ebulliente ſuper ventrem ad umbilicum excocta fuit, undè veſiculæ ortæ ſunt, & tanquam mortua jacebat, ad eam vocatus, unguento populeo totum ejus ventrem illiniri feci, & vitis folia ſuperaddere, quo remedio intrà 4. horas puella ad ſe rediit, & paucis poſteà diebus, ex totò ſana evaſit. Quòd verò intùs inteſtina, ex aquæ ingenti caliditate, tumuerint; undè ſymptomata prædicta ortum traxerunt, pro certo crediderim. Ulcera tamen poſteà ex unguento, à calce ſæpè lotâ, parato, ſana ſunt reddita. *Amatus Luſitanus, curat. 34. cent. 4.*

Mulieres Delphenſes in famulis cereviſiariorum, applicant folia hederæ arboreæ coctâ in aqua, & ſic curant eos, quando ab igne vel aqua calente, quod ſæpè fit, aduſti ſunt. Mulieri conſului, ut cruri combuſto folia hederæ decocta in cereviſia apponeret; & illicò optimè fuit curata. *Petrus Foreſtus obſerv. 18. lib. 2. obſ. Chirurg.*

Apud fabros ferrarios, ex manubrio iſto ligneo in malleo, ſi ferro candenti adhibeatur, ſcaturiet oleum quo loca ambuſta feliciſſimè inunguntur, ceu nuper vidi in Nobiliſſ. à Greisla Juniore, cujus facies valdè pulvere pyrio comburebatur, qui tamen intra paucos reconvaluit dies. Aliique plures certam hujus mihi experientiam faciunt. *Georgii Franci, in Miſcell. Curioſ.*

Lectiſſima virgo ex oppido Viburgenſi, dum matri in evocando per veſicam æneam ſpiritû frumenti ſocias jungit operas, adminiſtrato per incuriam calore violentiori

violentiori anſam præbet infortunio, alembicus enim excutitur, ebullit ferociter magma, & miſellæ dorſum quaquaverſus ardentiſſimo liquore perfundit: undè non cutis tantum uſtulata mille locis contrahitur, ſed & illa tandem à reliquo corpore per ſummos dolores ſeparata, carneum dorſi æquor in nodos & tubera aſperatur, ex quibus alia pugnum magnitudine æquabant, quædam etiam ampliora, minutiora nonnulla. Dixiſſes tergum univerſum aliud nihil eſſe, quàm glandularum eminentium congeriem: quam Chirurgus licet ſæpè aquis cauſticis depaſceretur, perpetua tamen recidiva increſcebat rurſum, & quotannis ferè mole auctiori. *Olai Borrichii in Act. Barthol.*

Miſerandum ſpectaculum pulveris pyrii mola urbi dedit. Vix ingreſſi illam Dominus Præfectus, ſervi, pueri, cum ictu mallei ad clavum in aſſere latentem impulſo, ſcintilla excitata materiam pulveri pyrio deſtinatam, carbones nempe & ſulfur, accenderet, & dictum factum aſtantes combureret, quorum unus ſulfure in faucibus flagrante ſtatim extinctus, cæteri combuſti, ut velut aſſæ carnes in verubus compararent, magnis cruciatibus vel ſuperſtites vel brevi defuncti. Vidi Chirothecam unius nativam: quæ ex combuſta manû exciderat, cute ſeparata à carne toſta accuratiſſimè cum unguibus ſemi combuſtis, doluiq; viri boni acerbum caſum, inventi authorem deteſtatus, præſertim cum is Cimber eſſe perhibeatur, & re & nomine Niger Monachus, primus pulveris pyrii inventor, quanquam Hiſpani eam prærogativam ſibi ſumant. Nam ſi credimus *Garciæ de Sylva* in Brevior. Hiſt. Hiſp. p. 114. in obſidione Algezitarum 1344. ab Hiſpanienſibus Arabibus bombardorum tormentum primum inventum, biennio antequam Angli ad Creſciacum A.C. 1346. in memorabili pugna, qua profligatus Philippus Valeſius Francorum Rex; & 36. annis antequam apud Clodiam foſſam A. C. 1380. Veneti etiam primum uſi, à Genuenſibus cruentam victoriam obtinuiſſent. Pulverem pyrium Venenatam qualitatem ſpirare & ita inficere læſos docet *Fr. Plazzonius c.*8. de vuln. Sclopetorum, ſua ſcilicet evaporatione. In noſtris verò ambuſtis manifeſta fuit cauſa, aſſatis nempè & conſtrictis vaſis circulationem impedientibus, & dolore enecante. *Thom. Bartholini.*

S. F. Zollicenſis mulier 18. annorum, pedem ſiniſtrum aqua fervida combuſſit, à Chirurgo primis diebus neglecta, dein acribus medicamentis tentata per quinque menſes miſerrimè doloribus vexata eſt, & affluxus humorum ad affectam partem cauſatus, ut me convenire coacti fuerint. Re perpensâ, Judicavi, à curante Chirurgo & ab ægra peccatum fuiſſe; ille enim corroſiva ſupra tendinem pollicis pedis motorem ad exedendam carnem ſpongioſam medicamenta impoſuit; hæc intemperantem ſeſe geſſit, convulſivis motibus obnoxia; vinoque dedita: Ægtæ vomitum concitavi cum tartaro ſolubili emetico; & infuſa vulneraria exhibui, manè veſperique tepidè exhibenda: Pro potû ordinario exhibui Tinct. Roſar. Diætam imperavi; pedem oleó Philoſoph. excalefeci, blandiſque digeſtivis atque anodynis deligari juſſi, quibus intra duas hebdomadas feliciter curata eſt.

Scholion. Aqua fervens dum calore immodico non tantum cutem, vel ejus glandulas, meatus ac fibrillas violenter invadit, exagitat & conſtringit, ſed & ſanguinem cum ſero in concitatiorem motum impellit, & igneis ſpiculis inſtruit, eo ipſó etiam in meatibus exilibus, cum tam promptè in venas recipi, aut alias expelli nequeat, ſtagnare facit: undè acrior ille humor redditus, & præcipuè diæta remediiſque incongruis efferatus ſymptomatum variorum author evadit; hinc quæ liberum atque naturæ convenientem humori motum reſtituere, meatus obſtructos reſerare, & acredinem illius obtundere valent, his eſſe adhibenda concluditur. *D. Ioan. de Muralto in Miſc. Curioſ.*

De Fulmine tactæ curatione.

Idibus Junii anni præcedentis 1671. accidit, ut Cœlum, quod ſudum erat, ſubitò nubibus atris tegeretur; flabat ex auſtrò turbo vehemens, qui & aves violenter ex aëre in terras & ædium tecta dejiciebat. Inter hæc ſonus auditur quaſi minæ alicujus ſive cuniculi, pulvere pyrio repleti crepantis, tanto cum fulgore, ut totum oppidulum ignem cepiſſe videretur, quem fumus denſus tetrum & tartarum accenſum olens ſequebatur, fumus autem hicce domum viduæ alicujus honeſtæ adeò repleverat, ut domeſtici ſeſe invicem diſcernere non poſſent. Ædes hæ quátuor in locis à cœlo tactæ erant ſibi oppoſitis: notabile erat, lignum alicubi fiſſum, alicudi terebrà quaſi perforatum extitiſſe, nullum tamen combuſtionis veſtigium notari poterat. Interim puella quindecim annorum, viduæ dictæ filia, intra hypocauſtum quaſi attonita concidit, inque eo ſtatû non obſervata per ſeſqui horam manet. Domeſtici cum hoc notarent, ſtatim accurrunt, eamque mortuam tractant. Thoracis indumenta, vulgò cæruleo pallidiori colore, quem galli *Bleu mourant* appellant, tincta fuerant, ſed tum temporis quibuſdam in locis fuſcum dilutiorem colorem, quam coloris ſpeciem galli *feuille morte* appellant, contraxerant. In lectum cùm collocata eſſet, ipſam viſito, & corpore denudato læſionem accuratius conſidero, quàm talem inveni.

Primò mamma tota cum aliqua intermiſta nigredine rubebat, ac ſi pulvere pyrio combuſtio facta fuiſſet: ſub mamma ſtriæ ſubfuſcæ in longitudine ſe acuminantes per tranſverſum ventrem ad pubem uſque penetrant, quæ itidem pilis privata & excoriata erat. Hinc ſtriæ aliquæ digiti latitudine per crus ſiniſtrum ad pedes uſque progrediebantur, & in calcaneo ſiniſtri pedis deſinebant. Ad manum erat aqua aliqua apoplectica, cujus cochlearia duo puellæ infundi jubeo, ex quo ſtatim ad ſe redibat, ad interrogata benè reſpondebat, nec comprehendebam hîc verum eſſe, quod Alexander lib.1. probl.88. aſſerit, fulmine percuſſos ſi non intereant, tamen vel ad aliquod tempus, vel per totam vitam infatuari. Etenim hæc puella optimè ratiocinabatur, nec de alio conquerebatur, quàm de inſigni ardore faucium & dolore in parte læſa. Exhibitus ſtatim fuit pulvis bezoarticus Anglicus ad drachmam ſemis in aqua chærefolii, ex quo benè ſudavit, & æſtus in faucibus diminutus fuit. Hinc parti læſæ applicabatur unguentum ex cremore lactis & ceruſſa ſæpius reiterandum, ex quo itidem inſigne dolorum levamen. Cùm autem febricula perſiſteret, jubeo ut emulſio ad ℥viii. fieret ex ſem. papav. albi, aquilegiæ, milii & cardui benedicti, huicque emulſioni ʒ ij. pulveris bezoartici Anglici admiſcerentur. Optimè hinc habuit & febris ceſſavit, nec quippiam ſupererat, quam ut mammæ excoriatæ cuticula ſua emplaſtro diaſaturni meo reſtitueretur. Impoſterum etiam nihil ſenſit incommodi, niſi quod cum tempeſtas aliqua cum fulminibus immineat, inſignes dolores & motus convulſivos ſiniſtro in pede experiatur. Pudendum tamen debile manet. Hicce caſus mihi in memoriam revocat, alium mirabilem fulminis effectum ante tres præter propter annos, qui Danembergæ contigit, ibi turris caſtri fulmine tangitur, ſine tamen ulla noxa notabili, ſolummodò excubitoris uxori nummus argenteus in perá exili foramine perforatur. *Alardi Hermanni Cummeni. in Miſc. lib.*1.

Fulmine

Fulmine icti.

Anno 1637. 24. Auguſti, paulò poſt meridiem, magna ſubitò ingruit tempeſtas, cum fulmine ac tonitru horribili. Tunc temporis Noviomagi ante urbem in monte Gallinaceo, forte ruſtici cujuſdam famulus frumenta colligebat, ſecum habens ancillam, & anum quandam cum infante, ut & currum, qui ab unico robuſto equo trahebatur. Ipſi hac horribili tempeſtate perterrefacti, fugam parant, anus cum infante ſub carrum ob pluviam confugit, interea dum famulus cum ancilla equo frenum injicere ſtudet. Dum hæc agunt, validum fulmen ab æthere deſcendens, famulum, ancillam, equum & carrum feriit, anu & infante intactis. Temo carri, qui ex valido ligno confectus erat, in varia fruſta comminuebatur. Equus ipſo momento mortuus concidit, nec tamen in toto corpore ulla læſio percipi potuit. Fulmen ancillæ femur & crus dextrum percuſſerat, quæ partes omnino lividæ & purpureæ erant, præterea partem tunicæ & indulii in mille filamenta diſſecuerat: ipſa ſtatim ab ictu in terram corruit, ac circiter duabus horis ſine loquela proſtrata jacuit. Famulus toto corpore percuſſus erat, præcipua verò ictûs violentia in latus maximè dextrum ſæviit, à quo latere thorax, bracca, caliga, induſium laneum, & ipſum etiam lineum indutium, non ſimpliciter dilacerata, ſed quaſi diſciſſa & in tenuia filamenta diſcerpta fuerunt, & ſimul ingentem combuſtionis fœtorem retinebant, ac ſi paulisper in igne jacuiſſent. Calceus dexter, ex fortiſſimo corio confectus, quaſi miraculosè in tenuia longa filamenta (qualia ne ſtudio quidem quiſpiam conſcindere poſſet) diſcerptus, & triginta paſſuum longitudine à pede projectus fuit. A tanto ictu in terram proſtratus fortis ille juvenis in ſyncopen incidit, atque ſic pro mortuo domum delatus fuit. Duravit hic animi defectus circiter per tres horas, deinde paulatim ad ſe rediit. Inviſi hominem, ac totum corpus inſpexi: totum latus dextrum à pede uſque ad caput colorem ex nigro purpuraſcentem habebat, eique cuticula plurimis in locis abraſa erat, haud aliter atque ab ictu baculi inæqualis fieri ſolet; magna quoque aderat contuſio, cui & ardentem combuſtionem conjunctam eſſe manifeſtiſſimè apparebat. Æger parum loquebatur, & de maximo totius dextri lateris dolore, ut & de ſummo cordis ardore (cui tamen febris non erat adjuncta) ac pectoris compreſſione, atque hinc impedito anhelitu conquerebatur: artus dextri lateris omnino commovere non poterat, atque ita ſui impotens per duos menſes remanſit, & poſtea paulatim priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Interrogatus quomodo ſe habuiſſet ingruente malo, dicebat ſibi nihil aliud inde conſtare, quàm quòd ipſo momento, quo fulmen percuſſit, ſibi cor candenti ferro uri viſum fuiſſet, atque anhelitum quoque trahere non potuiſſet, & ſic ſtatim ſuffocatus concidiſſet. Varia ipſi exhibui, varia etiam topica, medicamenta partibus percuſſis adhibui, ſed omnia hæc ad ignem iſtum æthereum nihil vel parum profuerunt, tandem æger ſponte ſine medicamentis, Divino auxilio ſanatus fuit, ut & ancilla, quæ ſibi nulla medicamenta adhiberi permiſit. Anus illa quæ cum infante ſub carro latuerat & intacta remanſerat, narrabat cum ingenti illo fulminis ictu peſſimum ſimul ingruiſſe fœtorem, cum maximo ardore, quem haud aliter ſe ſenſiiſſe dicebat, quàm ſi caput in furnum piſtoris ignitum ad momentum immiſiſſet, ita ut ob brevem iſtum ardorem etiam ipſa anhelitum trahere vix potuiſſet. Sed cum fulmen corpora ſolidiora imprimis ferire ſoleat, mirum eſt nec in ancilla, nec in equo ullum os confractum fuiſſe.

Annotatio. Quanta vi & quàm mirabiliter fulmina res interiores interdum feriant, tam Veterum quàm Recentiorum teſtimoniis ſatis conſtat, quod etiam nos ipſimet aliquoties vidimus. Anno 1629. octiduo ante feſtum Paſchatis, ſubita ingruit tempeſtas cum fulmine & tonitru horribili, qua unico fulminis ictu in Blocklandia prope Montfurtum quatuor domus & ſex horrea penitus everſa ſunt, & arborum plus quàm tria millia non ſolùm confracta, ſed penitus eradicata, & cum totis radicibus longè è ſuis alveis ejecta fuerunt, hominibus tamen & beſtiis omnibus illæſis. Anno 1628. prope pagum Bodegravum ruſticus quidam in campis fulminis ictu occiſus fuit, in cujus corpore pleraque oſſa minutim confracta erant, cute cum carne planè illæſa. Vidimus in Gallia Pictavii in turri quadam fulmen illæſo plumbo ſubjectas tabulas incendiſſe, quę flamma non ſine ſumma moleſtia extincta fuit: quod ipſum quoque noſtrâ ætate ſemel atque iterum eveniſſe viſum fuit Ultrajecti in turri Dominicali. Anno 1638. menſe Julio, Noviomagi in deambulacro illo, quod Sylvam vitulorum appellant, plus quàm mille aviculæ à fulmine ſimul occiſæ fuerunt: eademque illa tempeſtate etiam boves aliquot in pratis à fulmine percuſſi & oſſibus confractis occiſi ſunt, & variæ arbores dejectæ ac confractæ fuerunt, quarum folia corrugata, & quaſi flammâ ignis uſtulata erant. Cardanus de rerum variet. lib. 14. cap. 70. refert anno 1521. arcem Medielanenſem vehementi fulmine penitus dejectam, in eaque 113. homines occiſos fuiſſe. Hildanus cent. 3. obſerv. 26. valde mirabilem refert hiſtoriam, de nobili quodam, qui fulmine graviter percuſſus concidit, ejuſque equus, ut & famulus cum altero equo ſtatim enecati ſunt: à fulmine præterea nobilis veſtes diffractæ erant, & gladius, illæsâ vaginâ, circa cuſpidem haud aliter liquefactus, ac ſi ex plumbo fuiſſet, imò & extremum vaginæ ferrum eodem modo liquefactum conſpiciebatur. Cardanus de Subtil. lib. 2. harum mirabilium operationum cauſas inquirens, ſic inquit: *Verum motus non ſolum penetrare magis cogit, ſed & calorem ipſum accendit, atque ignem igne calidiorem reddit. Nihil mirum igitur eſt, fulmini tantam ineſſe vim, ac ignem illum, quaſi ab aliorum ignium natura alienum, miracula quædam efficere: namque ob motum celerem non ſolum magis penetrat, ſed ignis ille multò calidior reliquo omni igne exiſtit, &c. Quis verò eſt alius ignis qui ſolo contactu occidat? hoc igitur ei proprium eſt, quòd calidiſſimus ſit calidiſſimorum, atque, ut ita dicere liceat, ignis ignium. Itaque illæsâ quandoque crumenâ, pecunias colliquat, &c. Isbr. de Diemerbr. in Obſervat. & Curat. Medic.*

Fulmine percuſſorum cura.

Inter ſaxa & ignes æthereos, ætheris nos ſumma nuper ſervavit clementia ac bonitas: Cum enim dies 14. menſis Auguſti anno 1669. horam attigiſſet ferè quintam pomeridianam, copioſiſſimas inter pluvias horribili derepente exorto nubium fragore cum fulgure ſatis terrifico, quaſi cœlum terra miſcere vellet ſummus Jova, in prædio conſularis Viri, civitati Bergæ confini, fulgur ignis ille ignium celerrimo ac tenuiſſimo ſuo motu, unoque ictu quatuor penetravit conclavia, unà cum cella cereviſiaria, quo factum ut reſpirationis impedimento, vaſa figulina cum feneſtris januiſque impetuoſo fragore ejecerit; Vaſa autem ſtannea ac ferrea (cum fulgur ipſo aëre ſit tenuius) præſtantiſſima ſuâ vi cum impetu hinc inde colliquaverit, fuderitque partim, maculis partim inuſſerit nigerrimis, dolia, ubi cellam intravit, à loco ſuo planè dimoverit, ubi exivit, epiſtomium vacillans reliquerit: Uno in conclavi Bibliorum Sacrorum ligaturam à parte poſteriori

poſteriori diſcuſſit omninò, marginemque à ſcriptupa, illæſis omnibus planè literis tam accuratè ſeparavit, ac ſi cultro fuiſſet reſectus, incipiendo, ab apocalypſi S. Joannis uſque ad cap. 1. Corinth. 12. quæ tum Epiſtola in ſequenti die Dominica in Sacra Eccleſia explicanda populo veniebat. Eodem in hypocauſto repleto nebula ac ſulphuris odore graviſſimo, ut reſpirandi licentia vix ulli data fuerit, ſex mulierculas puerperam viſitantes; lectoque aſſidentes ad terram dejecit, peripetaſmata combuſſit. Sed mirum dictu! puerperæ iſtius matrem, uxorem honeſti civis; nullo ad reſurgendum ferè niſu in terram quaſi penitùs exanimem proſtravit, ut cum Perſio exclamaſſes.

Triſte jaces lucis evitandumque bidental.

Mox verò recollectis parumper ſenſibus, animadvertunt adſtantes in hac ſola muliere peplam quaſi pulvere tormentario eſſe conflagratam; in amiculo catenulam argenteam igne illo ſubriliſſimo fuſam, ac in quinque partes diviſam, examinant totum corpus illæſo induſio reliquiſque veſtibus, illud infra mammillas uſque ad umbilicum palmi unius circumferentia valdè combuſtum oſtendunt, quo cum ſtupore viſo, nullum ad curandum hunc affectum præſtantius haberi poſſe medicamentum Lacte muliebri uno ore aſſeſunt omnes. Annuit illa dolorum acerbitate permota; illæ lac intinctis in illud linteolis ſuperimponunt. Verùm pratuberantibus veſicis, & lacte iterum emollitis, inflammatio ac dolor dolore adaugebatur, ut die ſexto me vocare fuerint coacti: ego bis in die cum levi penna ſeq. unguento locum ſatis ſenſibilem inungere juſſi.

℞. Mucilag. ſem. cydonior. c. aq. malv. extract. ℥ß. Succ. plantag. rec. ℥jß. Litharg. aur. ſubt. pert. ʒß. m. ad fict.

Poſt tres dies ſedata jam optimè inflammatione, cruſta inductus fuit locus, ſublireſcente quidem pure, ſed valdè laudabili. Qua de cauſa d. 25. Aug. ad majorem mundificationem ac incarnationem ſeq. præſcripſi Liniment.

℞. Mell. roſat. ℥j. Succ. plantag. rec. abſinth. ana ℥iij. Sarcocoll. Myrrh. ana ʒß. m. pro Linim. D. 28. Auguſt. cruſta fuit ſeparata, itaque uſque ad 3. ſept. ſupraſcripto Linimento ſatis ſuperque locum mundificare, mundificato per dies 8. Empl. Spermat. Ranar. c. Maſtich. Oliban. Sacch. Saturni ceruſſ. &c. paratum adplicare juſſi, & ſic ad cicatricem parvo temporis ſpatio feliciter vulnus perduxi.

Ut jam præconceptum huic mulieri terrorem excuterem penitùs penituſque feliciorem illi prædixi vitæ ac annorum Seriem, cùm ideò magis Plutarchus fulmen vocaverit divinum, quod corpora divinitùs eo afflata ἄσυπτα imputrida, multo tempore perdurent. *Lang. lib. 2. Epiſt. 32.* cujus rei, cur ſcilicet animalia fulmine tacta omninò liberentur à veneno, pleniorem, aliqua tamen ſub dubitationis nota, adducit *Hier. Mercurial. de ven. ac morb. venenoſ. cap.* 14. Quòd fulmine tacti evadant pauciſſimi, diverſa paſſim teſtantur Doctorum ſcripta. Evaſiſſe *Johan. Mariam Cardanum* & raro ſupervixiſſe miraculo *Hier. Cardan. l. 2. ſubtil.* curioſè notavit. De homine quodam fulmine tacto, ſed illæſo ſimilem refert hiſtoriam, ut & de milite, Romæ ædem ſacram cuſtodiente. *Plutarch. lib. 4. quæſt. conviv. quæſt.* 2. pariter *Plin. lib.* 2. *cap.* 51. Marciam Principem Romanam *Cardan.* de Rev. Var. *l.* 8. *c.* 43. Scopelianum Pontificis Aſiæ filium, & *Gilbert. Cognatus lib.* 8. *narrat.* Cauponem quendam nomine Croës in rariſſimum hoc admirationis producit theatrum. *Dom. Treublerus è Bergis Norvv. cg. in Litt. ad D. Barthol. & exindè Uratiſlav. ad D. Sachſium.*

Scholion.) Vulgata opinio fuit materiam fulminis eſſe exhalationem calidam & ſiccam vi caloris à terra in nubes ſublatam, quæ accenſa Coruſcationem, & ſi majore vi è nube erumpat, fulmen, ſin minùs virium habent, fulgur pariat. Sed *Excell. Joh. Marc. Marci à Kronland in Philoſoph. vet. Reſtitut. part.* 2. *ſect.* 5. *ſubſect.* 1. *pag.* 148. aliam fovet ſententiam, nimirum ea, quæ à terra ſublimantur, materiam ignitis meteoris non poſſe præſtare, ſed eadem ipſo in aëre contineri, ut ſint veluti plantæ aëreæ ex inviſibili principio in eam ſpeciem naſcentes, ſicut in æthere quandoque novæ ſtellæ ſint exortæ, unde in aëre craſſo minuſque ſimplici, quàm æther, multarum rerum ſemina contineri, quæ in ſuos ortus ſtatis temporibus maturentur. Neceſſe verò partem aëris, ex qua meteora ſegreganda, priùs diſſolvi in ſua principia, Mercurium, Salem, & Sulphur, ex hujus diſſolutione pro ratione fermenti varia enaſci, Mercurium in ventos & procellas abire, aut cum Sale in pluvias liqueſcere: Sulphur Meteora ignita producere: hoc, cùm tardioris quàm reliqua ſegregationis, minus quoque frequentia, quæ ex illo ortum habeant. Si Sulphur purum & defæcatum accendi contingat, fulgura & coruſcationes abſque tonitru fieri; quod ſi Mercurius ſit admixtus, quia hic ignem effugere feſtinat, ignis verò eundem cum ſulphure una ſequatur, ex vehementis aëris diſtractione fieri fragorem illum horrendum Tonitru dictum. Edidit 1669. *Cracoviæ R. P. Adalberius Tylkocroski è Soc. Jeſu & in Colleg. Warſav. Philoſ. Prof. Meteorologiam curioſam dictam, ubi part.* 1. *c.* 10. *p. m.* 23. definit fulmen eſſe exhalationem mixtam metallari materiæ, quæ conglutinentur inſtar farinæ lenis & ſiccæ, & conetur in ſecundam regionem evadere, ſed ab obſtante nube repellatur, ſic agitetur & tandem accendatur. Ferri deorſum ex materiæ proprietate eo rapientis ignem, quod pateat ex Auro fulminante & Marte, fulm. flammam ignis fulminei eſſe coloratam ob alimoniam, à qua ignis colorem aſſumpſit, eadem ratione ſi materiæ exurendæ adjiciatur camphora, fieri flammam pallidam lacteam, ſi pix Græca, fieri flammam rubeam, ſi ſulphur, cæruleam; ſi Sal. ammon. viridem, ſi Mars crudum, buxeam, ſi pix navalis atram. Flammam ignis fulminei pertinaciter aquis reſiſtere ob mixturam materiæ, quales artificiales quoque ibidem adducit, quæ pariter ubi incendium conceperint, aquis non cedant: ignem fulmineum ſubindè excæcare ob admixtum exhalationi venenum: obſcurum inducere fumum, ob antimonio crudo analogam miſturam: non omnibus æque nocere halitum fulmineum pariter ut non omnibus noceant venena & peſtis. Idem Tylcovvski *ibid.* §. 6. *p.* 38. plura effecta recenſet fulminis, qualia ſunt 1. Omnia ſulphureo odore implere, quod exhalatio tartarea illis ſe imprimat: 2. Alta petere, quia è nubibus una perpendicularis linea ducitur, infinitæ ad latera, & turris alta pluribus, caſa humilis uni fulminis viæ occurrit: 3. Exuſto dolio vinum conſervari, quia viſcoſa exhalatio inducit tenuem vino pelliculam: 4. Vulnera à fulmine facta frigidiora cætero corpore, quod à metû & veneno infuſo provenit: 5. Fulmen venenata animalia percutiendo veneno exuit, quia ignis plerumque tollit venena & peſtilens aër igne purgatur. 6. Lædit quandoque fœtum illæſa matre, quod infanti ex metu matris evenit; unde ſanguis & humores alterari valdè concutiuntur: 7. Dormientem ſi tangit ejus oculos aperit, vigilantis claudit, quia hujus perſtringit fulgore

illum expergefacit. *Idem* §. 8. *pag.* 36. Ignis fulmineus denigrat carnes, partim ob aduſtionem, partim obvenienti affuſionem. Solvit Metalla fulmen ob ſal. ammon. & nitrum : Metalla frigida reddit ob Mercur. Lacte citius extinguitur, quia lac ſua glutinoſitate ſe affigit rei accenſæ ac intra poros ignem ſuffocat : aqua verò præ vehementia caloris ab ea in vaporem; unde vapore in altum ſublato parum aut nihil aquæ ad ignem pertingit. De remediis contra fulmina idem videri poteſt. *L. a.* §. 7. *pag.* 34. 35. Quod Canes & feles præ aliis animalibus magis fulmine petantur ; cauſam cum *Cl. Bartholin.* conjicit *Excell. Dom. Joh. Jonſton. Philoſof. & Medicus incomparabilis Thaumatograph. ſect. 3. cap. 5. pag.* 118. In halitus ex animalium horum corporibus exhalantes; quos tanquam materiam cognatam & nutrimentum aliquod fulminis ſpiritus (foras præſertim ſi pateant, ut libere in aërem ferantur) ſequuntur: Quare vina in cella fulmine moveantur, diſquirit Digbæus in de Nat. Corpor. *T.* 1. *c.* 17. §. 186. Quod dormientes magis ſecuri ſint ab ictu fulminis putat. Excell. Marcus Marci *lib* 4. *Philoſ. Reſt. pag.* 148. indè præſtari ſecuritatem ſomno ſopitis, quod in iiſdem ſit carentia metus, qui vigilantibus obverſatur: conſternatio ſiquidem illa cum imaginatione forti velut magnes ferrum ad ſe trahat. De fulmine ictis & undè cognoſcantur tales mortui inventi, *Paul. Zacchias in quaſt. Medic. Legal. L. V.* 1. 2. *q.* 11. §. 7. *& ſeq.* Item hiſtoria relata à *Jacobo Javello* in ſua quadam *Epiſtola* ad *Ferdin. Angelum Fargas*, quæ impreſſa eſt poſt ejuſdem Medicinæ compendium, digna eſt conſideratione, ubi traditur cura eorum quos fulmen percuſſerit, eorum curam quoque Hildan. tr. de combuſtion. *cap.* 18. *Obſ. f.* 934. & Joſ. Schmidt. in Exam. Chirurg. *f.* 310. exponit, quam abſolvit meritiſſimis Alexipharmacis, quæ aliàs peſti debentur.

Brevem quoque curam fulmine percuſſorum *D. Beza* Medicus Argentoratenſis olim communicavit ſequentem, dum Argentorati viverem. Statim porrigò Fulmine percuſſis cordialia; ſanguinem non detrahò niſi ſumma ſit ſanguinis abundantia : ſpiritus namque ſunt reſoluti à calore & fulminis ſiccitate, itaque ſiccatus ſanguis indicat humectationem ; intemperies verò ſicca & calida, quæ impreſſa eſt partibus à fulmine, refrigerationem & humectationem indicat; dolor anodyna, loca ambuſta & exſiccata emollitionem & relaxationem poſcunt. Lardum deſtillatum probatur in aqua roſ. cum ſucco cort. mediani ſambuci & ſucco ſempervivi ac vitell. ovor. inungendæ partes ol. roſac. violac. ſimul miſtis & prius lotis decocto chamom. & hord. fomenta item ex althæa, balneum aqu. dulc. in quo ebullierint malv. lactuca, folia vitis & hederæ, quia modice laxat & humectat. *J. Friderici Treubleri.*

De Fulmine ictis Renunciatio.

Perquiruntur aliquando ſigna fulminis in eò, qui mortuus in aliquo ſolitario loco extra habitata loca, & urbes reperitur, neque ullum veſtigium vulnerum, aut ſtrangulationis, aut alterius mortis generis aliàs conſueti ſervat, præſumiturque hunc fuiſſe à fulmine ictum, & tunc nonnulla ſigna ad id cognoſcendum afferuntur à Paræo *ubi alias*; & à Fortunato *lib.* 4. *cap.* 6. quorum duo priora cuilibet fulmini communia ſunt admonente Fortunato. Primum ergo ac maximè quidem evidens ſignum eſt odor, quem ſpirat Cadaver, qui gravis profectò eſt ac ſulphureus, ex quo fit; inquit, Paræus, ut hujuſcemodi cadavera neque à feris neque ab avibus deguſtentur: relinquitur autem hujuſmodi gravis, ac ſulphureus odor non modò in cadaveribus, ſed quibuſcunque rebus à fulmine ictis, Senecà teſtante *lib.* 2. *Nat. qu.* 53. Perſenſi cùm per æſtatem animi cauſa Viterbii adhuc adoleſcens commorarer cum avunculo meo, cujus memoria in benedictione ſit, ejuſmodi odorem ex fulmine, quod noſtras tetigit ædes prope arcem ante Eccleſiam D. Fauſtini, qui tam gravis fuit, ut facile mihi gravem capitis dolorem excitaſſet, niſi mihimetipſi proſpexiſſem, itaque odorem hunc, ut dixi, non ſolùm ex cadavere exſpirare comperiemus, ſed etiam ex veſtimentis, & ex ipſa quoque circumſtante terra, & quibuſque rebus prope adſtantibus. Secundum ſignum color ipſius cadaveris eſt, contrahunt enim quæcunque cadavera fulmine icta fuſcum quemdam colorem ea præcipue in parte, quam fulmen percuſſerit. Hæc ipſa duo ſigna conſpicua fuerunt in hiſtoria relata à Jacobo Javello *in ſua quadam epiſtola ad Ferd. Angel. Farg.* quæ impreſſa eſt poſt ejuſdem Medicinæ compendium, & digna eſt conſideratione, ubi traditur brevis cura eorum, quos fulmen percuſſerit

Tertiò dicit Paræus aliquandò nullum Vulneris veſtigium in cadavere apparere, ſed tamen ſi diligenter introſpiciatur oſſa comminuta, ac confracta in ea parte, quæ icta eſt, animadvertentur. Adnotandum tamen eſt, non omnes perire ab ictu ipſius fulminis, ſed aliquos à ſolo pavore extingui. Proth. Caſul. Æthiol. *lib.* 1. *num.* 11. in his autem hæc inquiſitio ſuperflua eſt, ſicuti etiam & ea, quæ ex immutato coloris cadavere deſumitur; relinquitur autem ſolus odor gravis, & ſulphureus de quo diximus. Si tamen in percuſſis aliqua pars vulnerata appareat; eam ex Plinii Sententia reliquo corpore longè frigidiorem perſentiri dicit Paræus; quod etiam ex eodem Plinio refert Maiol. *Dier. Canicul. colloq.* 1. *par.* 1. & Petr. Crinit. de *honeſt. diſcipl. lib.* 9. *cap.* 12. ejus rei cauſam quærit, ac reddit idem Froth. Caſul. *ubi ſupra, numero* 151. abſumique, inquit, ſpiritus à fulmine maximè in ea parte, quæ icitur, unde ea quaſi incineratur. Non tamen admittit Fortunatus, quod in cadaveribus fulmine percuſſis contuſio aliqua, aut oſſium ſemper comminutio fiat, cùm fulmen ſolidum quid non ſit, ſed ſpiritus quidam, vel tenuis & clarus, & ob id non adurens, vel ſpiſſus, & fumidus, & ob id incendio abſumens, contundere itaque oſſa, aut frangere, aut comminuere non poteſt, quod conſonare videtur cum opinione Caſulani.

Quartò, homo à fulmine percuſſus cadit ſuper partem, quæ icta eſt, & convertitur in partem, unde fulmen venit, quod tamen nequaquam verificatur in hiſtoria relata per Cardan. *lib.* 8. *de variet. cap.* 43. nam cum in Lemno Inſula, ubi Inſulæ cornu dividitur, octò meſſores ſub quercu cænarent, à fulmine percuſſi, atque exanimati manſerunt ſub ea ſpecie, quâ diſcubuerant, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere, cumque nigri omnes eſſent, imaginem totidem ſtatuarum repræſentabant; illud etiam obſervatum eſſe, ajunt, quod ſi dormiens homo ictus ſit, oculis apertis reperiatur, ſi vigilans clauſis; at unde hoc? dormiens ad fragorem expergiſcitur, oculoſque aperit, vigilans ad terrorem concutitur, oculoſque claudit ob timorem præſentis mali. Putant autem nonnulli dormientes fulmine non percuti, ejuſque rei cauſam aſſignat Proth. Caſul. *ubi ſupra, n.* 9. quod tamen an veritatem habeat prorsùs ignoro.

Addebat inſuper Paræus ex Philippo Cominio, cadavera fulmine extincta non eſſe reliquorum inſtar putrefactioni obnoxia, quod etiam admittunt Proth. Caſul. *ubi ſuprà num.* 8. & Jun. Paul. Craſſ. *quaſt. Nat. & Medic. num.* 34. qui idcircò damnari dicit Euripidis Poëtæ Clymenem, quæ Phaëtontem de

Cœlo tactum in vallibus putreſcere cecinerit. Seneca tamen lib. 2. Nat. quæſt. cap. 31. ex quo etiam Fortunatus ibidem ea verminationem intra paucos dies pati affirmavit; quid experientia doceat adhuc ignoro: ſi contendendum ratione ſit cum priore opinione, ſentirem ob ſulphuris vim cadaveribus communicatam, & exiccationem à fulmine conciliatam; quæ opinio Caſulano quoque ubi ſupra, & Junio Paulo Craſſo accepta eſt, quod ſi hæc veritatem habent, inter alia hoc erit ſignum evidentiſſimum, quod is, cujus cadaver eſt, fulmine fuerit peremptus, non vero alio mortis genere.

Eſt Ultimo loco aliud ſignum à Fortunato allatum, quod hujuſmodi cadavera levia evadant, ob humorum conſumptionem à fulmine factam; quod ſignum in hoc casû videtur magni faciendum, cùm alias cadavera ſe ipſis graviora evadant, ut notum eſt. Volunt nonnulli abſumi in his interiora omnia viſcera, quod obſervatum aliquando experientia eſſe oculatos teſtes habeo, in omni tamen fulmine idem evenire omninò à vero alienum eſt; notum tamen alia ex parte eſt, fulmina nonnulla interna abſumere, externis intactis, & infantem in utero perimere ſalva matre, & hæc de vulneribus dicta ſint. *Paulus Zacchias Quæſt. medico-legal. lib.* 4.

Fulmine ictus repente exanimatus.

Clariſſ. Ioh. Mauricii Hoffmanni Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Anno ſuperiori ſeptingenteſimo Menſis Septembris die Septimo fatali, agricola quiſpiam horâ pomeridianâ ſecundâ, aratrum in vicino admodum oppido noſtro agro equis ducens, obortâ repente tempeſtate, fulminis ictu proſtratus in momento occubuit, uxore non adeò procul ab eô diſtante illæſa: Corpus defunctum mox delatum in ædes civis cognati, ſequentia phœnomena oculis conceſſit. Et primum quidem pilei fundus, quo caput tectum erat, nec non ejuſdem ambitus in plures lacinias inæquales & irregulares divulſus erat, non ſecus ac ſi violentis diſruptus fuiſſet manibus, cum fœtore Sulphureo-acido ſubtiliſſimo notabili, effluviis ſimilibus intra poroſam ejuſmodi tegminis ſubſtantiam intimiùs admiſſis & reſiduis, adſcribendo. Vertex capitis illæſus cernebatur, retro ſiniſtram auriculam verò vulnuſculum manifeſtum aderat, articuli pollicis extremi longitudinem adæquans, & per integumenta incumbentia ad pericranium usque pertingens cum aliquali præſente cruoris profuſione, oſſeâ cranii ſubſtantiâ ibidem tamen integrâ nec diffractâ; circum vulnuſculum capilli ambuſti apparebant, barba autem menti myſtaciſque ejuſdem lateris aurea per deflagrationem abſumpta erat, oppoſitâ intactâ: Colli proximè ſubjacentis regio maculas duas atro-liventes monſtrabat; in denudato autem pectore ſtigmata varia numero plura occurrebant, quorum aliqua brevi terminabantur, aliqua in longum progreſſa ad pubem deſinebant, æquiparandum veſiculis ulceroſis, quales ab aquâ fervidâ cuti ſuperfusa, aut cauterio actuali leviter admoto erumpere ſolent. Læſiones aliæ nullæ ſenſibus ſe manifeſtabant, quæ autem visæ & antea recenſitæ necem iſtam ſubitaneam efficere haud poterant. Adeò ſpectaculo hoc confirmatus in mea opinione permanſi, fulmine tactos interimi momentaneâ ſuffocatione ac principii vitalis ſufflaminatione, quod quidem fulminis ſulphureum gas ſuo narcorico & νεκρώδη, per intentatam ſanguini in cerebro, & pulmonibus coagulationem, ſpiritibusque illic confluentibus ſideratione, moliri potis eſt, ita ut nullus mirari debeat, fulmine tactis alicujus violentiæ lethalis extrinſecus inflictæ ſæpius nec leviſſimum ſe ſe prodere indicium ſicuti anno prioris ſeculi Octuageſimo primo in Studioso veterano ab aſtroboliſmo heic etiam trucidato, nonnulli linea atra ſupra ſternum extensa cum pilis temporum ex aduſtione incriſpatis ſub ſenſum obrutus venerat. Cæterùm autem eò faciliorem conjectura hæcce mea inveniet apud Lectorem fidem, ſi ſpecie fati ſimili ex fulmine ſubſecuta, defunctorum octo meſſorum hiſtoricam relationem à Cardano l. 8. de varietate rerum cap. XLIII. conſignatam legerit, ibi namque dictus Autor teſtatur, meſſores iſtos, cum in Lemno inſulâ, ubi inſulæ cornu dividitur, ſub quercu cœnaſſent, à fulmine percuſſos atque exanimatos ſuum unumquemque ſchema ſub quo diſcubuerat, retinuiſſe, ita ut unus comedere, alter ori poculum manu admovere, alius bibere viſi fuerint, cumque omnes nigri apparuiſſent, imagines totidem ſtatuarum repræſentaſſe.

Fulmine tacti Curatio.

Clariſſ. Alphonzi Khonii, Miſcell. Curios Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Fulmen terrificum juſtitiæ Divinæ telum eſt, mentes indomitas, & DEUM ipſum negantes ſtupeſcere, & Numinis vim agnoſcere facit. Menſe Majo, ipſo S. Aſcenſionis feſto, in media concione, procelloſâ circa veſperam tempeſtate, cum murmurante tonitru fulguribuſque crebris exortâ, faber quidam murarius, in ſummo Ulmenſi templo, officii ratione cum ſociis quibuſdam circa feneſtram in loco ſublimiori, ſiphone quodam fulminis facile irruentis & quaſi minantis damnum pracavere; vel incendium reprimere geſtiens, derepente fulmine terebrante, & ex parte urente, in aliquibus corporis ſui partibus tangitur, ſtatimque reſupinus in terram decidit, ubi per unam vel alteram horam totus attonitus recumbebat, ſed poſt venam in brachio ſectam paulatim ad ſe redibat, ſpiritibus vitalibus ad cor prius affatim propertantibus, denuò poſtea per univerſum corpus diffuſis. In domum cùm deportatus, & in lectum collocatus eſſet, corporis læſio talis inventa fuit. In hypogaſtrio, inguinibus, circa pubis regionem, ut & in ſiniſtro pede circa tibiam, magna combuſtio apparebat, plurimis hinc inde veſiculis excitatis, ex quibus forficulâ apertis ſeroſus & mordicans ſubflavus humor effluxit, conquerebatur de fervore totius corporis, de virium proſtratione, ſiti, & dolore in partibus affectis, ſed aſſumptis aliquot cochlearibus aquæ cordial. temperat. Auguſt. cum aq. perlar. & ceraſor. mixtæ, additis ocul. cancror. præp. & antimon. diaphoret. ex reg. rec. parat. (ob malignitatem in hiſce caſibus facilè ſe inſinuantem) meliùs ſe habebat. Potus erat decoctum C. C. cum ſyrupis confortantibus, ubi ſingulo hauſtui guttæ aliquot liquoris nitri fixi admiſcebantur. Sub noctem Emulſio ex ſeminib. quatuor frig. majorib. papav. albi, citri & card. benedicti, admixtis Bezoardicis quibuſdam, magnum ipſi levamen attulit. Poſtea per aliquot ſeptimanas quotidie aliquid ſequentis pulveris cum magnâ allevatione aſſumſit:

℞. C. C. philoſoph. calc.
pulv. rubr. pannon.
Antimon. diaphoret. ex reg. an. ℥j.
Cinnabar. Antimon. opt. præp. ℈ ij.
Miſc. f. pulv. detur ad ſcatulam.

Partibus

Partibus læſis, Joh. Bartholomæus Hecking, Chirurgus urbis deſignatus expertiſſimus, unguentum ſuum ad ambuſta probatum, ex litharg. ceruſſ. ſucco ſolani, oleo roſar. &c. compoſitum applicuit; dum autem malignus & valde acris ichor partes affectas nimium erodebat & depaſcebatur, ut in aliquibus oſſa quaſi denudata apparerent, idcirco balſamum ſuum vulnerarium in affectibus hujuſmodi appropriatum ſimul uſurpavit, quo mediante, etiam prava illa & depacentia ulcera, 12. Septimanarum ſpatio Divina benedictione, feliciter fuêre curata.

Fulmine Ictorum Tractatio.

Clariſſ. Conradi Bartholi Behrent. Ephemerid. Germanic. Cent. 1. & 2.

Obſervatio *Excellentiſſimi Dn. Kohnii* de fulmine ictorum curatione noviſſimo Decuriæ Tertiæ Tomo inſerta monet, ut quæ his diebus de ſimili caſu apud nos notare licuit, ad Illuſtr. Societatem quoque referam. Accidit die XXVIII. Maij, ut æſtu plus quàm caniculari per plures dies conſiſtente, ſubito veſperi circa horam quintam maxima tempeſtas cum copioſiſſimo imbre oboriretur, cui poſt dimidium circiter horæ ſpatium, unius aut ſaltem bini fragoris tonitru ſuccedebat, quod partem ſuperiorem domûs cujuſdam in plateâ ſatis latâ ſitæ invadens, per tectum & tabulata mox feneſtras motu vario, tandem in hypocauſtum uſque vibrat, virginemque egregiam è regione feneſtræ ſtantem, in terram ſubito proſternit, ut per duas fermè horas pro mortua haberetur. Vocatus ſpiritu ſalis ammoniaci ad nares applicato, eandem quaſi in vitam revoco, ut ſublatis oculis, & ſucceſſivè verborum quorundam, quamvis obſcurorum ſono aliquam adhuc vitæ ſpem ſupereſſe teſtaretur, brachiis interim ac pedibus convulſivum in modum ſubinde agitatis, quibus tamen, quod ſciam, nunquam obnoxia extiterat. Interea cochleatim per os infundebatur mixtura quædam ex aquis eſſentiiſque antapoplecticis cum ſpiritu Sal. ammon. & caſtorei acuatis; quibus etiam non parùm excitari videbatur. Membris quieti redditis, & tribus circiter à percuſſione horis, venæſectio in brachio inſtituta, quæ quamvis prima vice non ſuccederet, & Chirurgus propter ætatem per ſpecillum venas ſecare ſolitus, ictum (fortè fruſtaneum) excuſaret, quod ſanguinis hoc in caſu effluxus propter ſummum terrorem non ſuccederet, me poſt horæ ſpatium denuò urgente, eadem ſub noctis initium reperita, fluxuſque ſanguinis egregiè ſecutus. Cùm verò ex funiculo globulorum argenteorum, quem in collo geſtarat virgo, diſrupto, hiſque in terram ſparſis ac nigris, collum parte quadam læſum ſupicaret, in ſiniſtro ejus autem latere, quot globulorum interſtitia fuerant, tot quoque lineolæ nigræ octo circiter numero in collo occurrebant, quibus Chirurgus conſueta remedia apponebat. Continuatumque in mixtura ſuprà dicta; & ſomnus ad primam circiter ſeu mediam noctis horam ab adſtantibus impeditus. Dictâ verò horâ ad motum ſanguinis & ſpirituum magis magiſq; reſtaurandum confirmandumque pulverem ex ſalibus volatilibus ſuccini, cranii humani, ſimilibuſque exhibui, adſtantibuſque cùm illa nondum mentis compos reddita eſſet, & quaſi temulentam ſe præſtaret, ut ad ſudorem leviorem cogeretur ſuaſi. Poſt ſudorem circa ſecundam matutinam in ſomnum prolapſa, circa ſeptimam evigilavit, rerum omnium, quæ poſt fulminis ictum, cujus quoque non recordabatur, ignara, etiam ipſius venæ ſectionis, quam tamen apertis oculis admiſerat. Exin volatilia cum caſtoreatis per aliquot dies internè externèque continuata & hauſtus ſubinde vini generoſi conceſſus, deque die in diem meliùs habuit, nec quicquam defectûs circa memoriam, loquelam, viſum aut membrorum mobilitatem obſervatum. Lineolæ quoque nigræ in collo, relictis tamen levibus cicatriculis, ſenſim diſparuerunt.

Qualis fulminis ſpecies extiterit determinare haut facile in proclivi eſt. Cùm verò dubium non ſit, juxta diverſas illas ſpecies odorem quoque ſulphuris, modò majorem minoremque exiſtere, ita cùm hypocauſtum, me accedente, fœtore ejusmodi copiosè adhuc refertum eſſet, ex diſcutientium fortè illud fuiſſe opinor. Quo accedit, quòd ornatus capitis, *Fontange*, quinque aut ſex locis leviter combuſtus appareret, ceu ab aſperſis ſcintillis fieri ſolet, funiculis verò globulorum disruptis, hique ipſi in ſiniſtro colli latere nigri, in lateribus verò, quibus ſe invicem tangunt, leviter colliquati eſſent cum linteolis, ceu dictum in cute nigris. Præterea feneſtræ, per quam apertam fulmen hypocauſtum intrârat, lignum in parte inferiore fiſſum apparebat, & fulmen per feneſtram, ceu dictum ad collum virginis vibrans, atque collo rurſum per transverſum cum maximo impetu parieti unâ circiter ulnâ ſub feneſtrâ, per quam intrârat, allidens, in pariete verò foramen, disjectâ calce & ſubſtratâ materiâ latum & concavum, non tamen pervium formârat.

De Lapide fulminari multa ex occaſione apud omnes quæſtio, quem tamen hîc non adfuiſſe & collum virginis fulminis ictui reſiſtentiam præbens, & foramen in parietis ſuperficie nullatenus pervium & ne quidem hians deprehensum ſatis probabant. Non igitur lapis fulminaris in omni fulmine adeſt, ceu jam dudum relationes ejuſmodi ſuſpectas arguit *Illuſtr. Dn. Præſes Schrôckius, ſchol. ad Miſcell. Curioſ. Decur. I. Ann.* 4 *Obſ.* 53. & fortè rariſſimè concurrit, cùm corporis ejusmodi ſolidiſſimi, nec interdum adeò exigui, ut pinguntur, generatio in athmoſphæ â aëreâ & quidem in inſtanti, mente vix concipi queat, ut adeò qui iiſdem adſcribuntur effectus, potius à flammâ quadam quaſi concentratâ, ceu ut *Natalis Comes l* 2. *Mythol. p.* 157. olim loquebatur, vi craſſioris ignis dependeant.

Cæterum celeberrimum fulminis ejuſmodi per quatuor conclavia motum quoque ſiſtit *Dn. Treublerus in Miſcell. Curioſ. Dec.* 1. *Ann.* 2. *Obſ.* 37. *ac ſimul* curam fulmine percuſſorum ex mente Dn. *Bezæ*, Medici quondam Argentoratenſis ſubjungit; cùm quo tamen circa venę ſectionem non ejuſdem ſententiæ ſum, quam juxta cum *Excelleniſſ. Kôhnio* in hoc caſu ſummè neceſſariam arbitror, ad ſuffocationem ſcilicet præcavendam; & ſanguinis ſpirituumque motum reſtaurandum, quod ipſum quoque exemplis apud *Schenkium l.* 1. *Obſ.* 151. *& Borellum Cent.* 2. *Obſ.* 38. illuſtratur.

Fulminis Hiſtoria verè rara.

Clariſſ. Ioh. Iacobi Scheuchzeri Ephemerid. Germanic. Cent. 1. *&* 2.

Digniſſimus memoratu eſt, ſiquis, *Fulminis* ictus, qui die 23. Maji An. 1710. inter horam 2. & 3. pomeridianas feriit ædem *Dn. Ludovici Echeri in Bleiſ-Kerweg.* humili loco, ejuſdem ferè cum lacu ipſo Tigurino Horiſontis, ſitam, vix ſclopeti jactu ab urbe diſtantem; Digniſſimus, inquam, qui in omnibus ſuis circumſtantiis deſcribatur, adeò enim multiplices

iique mirandi ſunt effectus, adeò violenta ſimul, & perniciſſima velocitatis cauſa, adeò ſapiens ſimul & potens eſt Dei Κεραυνοφόρε Pyrotechnia, ut non mirum, ſi ob ſubtilitatem ſuam effugiat, mentis etiam perſpicaciſſimæ aciem, ob variam multitudinem & multiplicem varietatem confundat & obtundat: Dubitur tamen, ſi non integrum formare de Fulmine ſyſtema, quod nonniſi ex obſervationibus innumeris probè penſitatis & collatis conſtrui poteſt, conferre aliquid ad inquirendam mirandi Ignis fulminei naturam.

Dies fuit ante meridiem ſerenus, calidus, variabant venti à N. O. ad W. Barometri altitudo, quod mirum, eadem fuit, quæ binis diebus præcedentibus, conſtans 26. digg. Par. 5. lin. Surgebat altiùs Thermometrum ab hora 8. ad 12. id quod communiter etiam fieri ſolet, increſcente verſus meridiem diurno calore. Circa ſecundam pomeridianam obduci cœpit cœlum nubibus, non iis tamen adeò atris ac denſis, quæ aliàs tempeſtatum gravium triſtia ſolent eſſe præſagia, non fortes ſpirabant venti, levia eaque pauca, audiebantur murmura, & ſubitò, nemine vel prævidente vel præſagiente, vibratur fulmen terrificum adeò, quoad fragorem, ut in tota fere urbe quivis vel propriam domum, vel vicinam ictam autumaverit. Ego quoque tunc temporis Badam iter tentaturus, horâ ab urbe, infra pagum Hongg, fragorem percepi, ut haud longe à me rupti glomeris fulminei, ſine vento vel pluvia. Vidi tamen urbi & περιχώρῳ imminentes denſa albedine ſplendentes nubes, in imbrem ſe ſe exonerantes.

Notatu imprimis digni ſunt primi fulminis motus. Fuit ancilla Dn. Eſcheri in prato ad meridiem domûs verſus Lacum ſito, viditque globum ignitum ſemipedalis circiter diametri moveri horiſontaliter per imam aëris regionem, 12. vix pedibus à terra & haud procul à ſe, ut caput corpuſque ipſum curvaverit præ metu illabentis ictûs. Audiebat ſimul ſuſurrum ingentem. Præteriit autem ipſam illæſam tremendus ignis, vires experturus in Arbore ſatis frondoſa, ad quam directâ ferè lineâ à meridie verſus ſeptentrionem tendit. Hic ſubingreſſus corticem, ſtatim ſupra radices, eum deglubit, latitudine 6. vel 8. pollicum, tunc autem ulteriùs ſerpens ignis juxta ramorum diverſorum longitudinem ad extremam uſque arborem decorticationem effecit digitalem paſſim, alibi etiam bipollicarem, ſine tamen ullo flammæ indicio per nigrorem ſe ſe manifeſtante, ut inſtrumentis ferreis ad ligneam uſque arboris ſubſtantiam decorticationem factam diceres.

Arborem ubi reliquit fulmen, ab ipſa arbore, quam obliquè feriit, dirigebatur verſus occaſum, ad ipſam Dn. Eſcheri domum, & quidem angulum orientalem plateæ proximum.

Ante autem, quàm domui ipſi ullum fuit damnum illatum, mirabilem ſenſit effectum ipſum ſilicibus ſtratum pavimentum, quod domui periobli loco eſt. Hujus quippe pars muro proxima fuit ad pedis latitudinem, & 8. circiter pedum longitudinem inverſa veluti, ſilices rurſum moti, & in ſitu irregulari relicti, veluti ſi ab igni non ſufficienti pyrii pulveris accenſi, terra incumbens fuiſſet duntaxat percuſſa, & ſummota, non verò in altum extruſa. Attribuendus eſt autem haud dubie hic effectus ſubingreſſo intro ipſius terræ poros Igni fulmineo, cui inſinuationi percommodam dedit occaſionem ſitus ipſius pavimenti, prato vicino paulò elevatior, & canalis concavus ibi loci aquas excrementitias abducens. Ab hoc canali horizontali viam quæſivit fulmen ſurſum, per canalem plumbeum perpendiculari ſitu aquas ex culina demittentem, cujus diameter eſt incirca 5. digitorum. Hunc tubum non illæſum, nec totum pertranſiit amplius ſpatium quærens ignis, 6. pedum circiter altitudine à terra diſrupta fuit prima partium tubi junctura. Nil interim paſſa fuit detrimenti janua ex abietino aſſere lignea, quæ cum in finem clauſa fuit, ut tubus ab injuriis externis defenderetur, nec viſui ſtatim exponeretur. Acta ſunt, quæ hactenus recenſui, in pariete ædis externo orientali, ejuſque angulo ſeptentrionaliori. Poſtquam è tubo plumbeo evaſit fulmen, præteriit angulum ædis illæſum, petiturum faciem ædis Septentrioni expoſitam. Hic quid peractum fuerit, nunc recenſendum ſequitur. In primâ eâque ſolâ contignatione Septentrionem verſus, ſita eſt culina & cœnaculum, & meridiem verſus hypocauſtum cum duobus cubiculis. Præter culinam, quæ orientalior eſt, tranſiit quidem fulmen, ad tecti contignationem domum ingreſſurum, ſuos tamen exeruit in culina & cœnaculo effectus. In culina ſtabat haud procul à feneſtris juxta ancillam hera; feneſtræ ab Ignis tranſeuntis veloci vehementia, fuere diſruptæ, plumbum, quod jungit orbes vitreos, non tantùm diffractum ſed in minutiſſimas particellas fuſum, quę in parietes culinæ ac heræ veſtes excuſſæ, infixæ ligno, muro, veſtibus laneis hærent. Hera attonita, præſentis tamen animi; Igne ſe circumfuſam teſtatur, ſtetit nihilominus erecto corpore, nec, quod mirum, ullam paſſa reſpirationis difficultatem, ſed aliquantillum Ignis, faciem prætereuntis, ſenſit in cute & palpebris rubore calenti tinctis indicium, auribus autem ſuſurrum vehementem, juxta ſtans ancillà obſurduit per aliquot dies, optimè tamen liberata ab hoc malo, redeuntibus diſtenſis nimium ad priſtinam Elaſticitatem tympani fibris. Hæc ſunt, quæ in culina fuere peracta. In cœnaculo adjacente, cujus janua culinari januæ è diametro poſita fuit, ut hæc ipſa aperta*, triplex obſervatum fulminis indicium: Denigratio in unico orbe vitreo, (omnes autem feneſtræ cum ſuis orbibus hîc manſere integræ) Subſcus lignea in tabulato feneſtra ſuperiori diſciſſa per medium, & infra feneſtram murus læſus, ejuſque arenatum vi ſumma in aulam vicinam atque januam excuſſum, ut hæ prorſus ab illo fuerint conſperſæ. Videtur autem, quantum judicare licet, tenuis fulminis ramus culinam tranſiiſſe, & cœnaculum ingreſſus, hos effectus exercuiſſe.

Nunc redeo ad ipſam primariam fulminis penè integri viam. Aſſiliit id ſupremam muri partem, cui tectum incumbit, trabes ad 5. pedum circiter peripheriam diffregit, tegulas 150. ſublevavit, atque dejecit, Cantherium ſemipedalis diametri horizontali ſitu per tecti trabeationem locatum veluti per demorſionem in fruſta ſecundum vibrarum dilaceravit, aſſeres ſuperiores tabulati diſrupit, omnia ſine denigrationis notâ, & ſic tranſiit in turriculam meridionalem domûs, poſtquam in ſeptentrionali turriculâ aſſeres quoſdam externos dirupit. Intra hanc turriculam meridionalem in parvi conclavis rotundi ferè formâ clauſam, parietes muro paſſim fuere denudati, aſſeres confracti, feneſtræ diſruptæ, & veluti convolutæ, plumbo non liquefacto, picturæ muri lateritii particellis contaminatæ, tabulis lateralibus ſolutæ, in terram proſtratæ, pallium holoſericeum foraminibus aliquot, ab aſſerum fractorum volantibus ut videtur, particulis, perforatum. Tecti, quod turriculam operit, ambitus canalis fuit, è ferreo laminari candido formatus, & cantherio per vincula ferrea fortiter alligatus, ad pluviam colligendam & derivandam: hic autem canalis fuit circumcirca ſolutus à fulminis violentia, & unà cum ferreis vinculis in terram proſtratus. Ex turricula hac, poſtquam emerſit fulmineus ignis, deſcendit rurſus ad conclavia meridionalia. In hypocauſto, quod orientalius eſt, diffractæ fuere quædam feneſtræ, cylindricâ tendiculâ ferreâ 5. circiter lineas craſſâ, in medio veluti diſciſſâ, aulæo, quod inde pendebat, laneo illeſo,

ampullæ

ampullę vitreæ menſuræ communis capaces tres in capſa reconditæ, in fruſta diffractæ, nil ſentiente damni infantulo bienni, qui ſtrato inſidebat, alio puero ſexenni, qui poſti hypocauſti inſidebat, humi proſtato, ſine alio damno. In hypocauſti muro exteriore excutiebatur materia camentitia cum denigrationis notâ in trabe denudatâ conſpicua, replebatur interim hypocauſtum fumo. In cubili proximo etiam meridionali maximam iterum exeruit vim fulmineus glomer, feneſtrę fuêre diffractæ, plumbum, quod orbes jungit vitreos, ad parietes excuſſum, uti occaſione culinæ ſuprà quoque indicavi, trabes aliquæ cum muro dilaceratæ, vincula ferrea, ſive tendiculæ, quæ feneſtras firmant, inflexas, & veluti convoluta, aulea lanæa, quibus feneſtræ ornabantur, viridis coloris, in plurima fruſta partim dilacerata, partim combuſta, remanente per aliquot dies forti odore ſulphureo, & maculis nigris, nil interim damni ſentiente lecto è plumis molliſſimo, neque ejus velis. Digniſſimum verò eſt memoratu, quod αὐτόπτης teſtatur Herus; ingreditur is liberos ſuos liberaturus, conclave hoc, videtque nubem albam ſeſquipedalem circiter in ſummo fumidam, lento ſatis motu per pavimentum promotam, quâ visâ retrogreditur ex conclavi, periculum evaſurus, & alia neceſſaria auxilia familiæ præſtiturus. Cubili huic adjacet aliud adhuc, in quo decumbebant infantes duo, hoc autem per ſingularem DEI Tutoris gratiam immune ab inſultibus fulmineis perſtitit. Evaſit namque, & tremendo quidem tum impetu, tum effectu, fulmen per infimum medii parietis in conclavi angulum, ubi dirupit murum, diffregit trabem, & ſitu ſuo emovit poſtem ſaxeum ferreâ craticulâ forti aliis lateralibus & imæ connexum: nec duntaxat emovit è ſitu, ſed per medium diffregit. Hic in binos diſpartiebatur ramos fulmen, quorum uterque muros in ſuperficie denudavit, ſiniſter verò murum ipſum terebravit, atque juxta partem januæ domûs poſticæ meridionalis ingreſſus januam, ipſam ex parte dilaceravit, ſine tamen ignis ullâ notâ; dexter verò januam alius conclavis perforans, fragmentum ligneum pluſquam pedale oppoſitum parietem pedibus diſtantem veluti ſagittam excuſſit, ut hoc craticulę ferreæ infixum manſerit. In hoc dein conclavi fuere lapides quidam pavimenti lateritii excuſſi, & murus parietis in uno loco denudatus. Cæterùm per bina hæc ultima conclavia egreſſus ignis fulmineus, ultimos, eos tamen exigui momenti, effectus exercuit, tum in ſepimento horti ex ligneis bacillis craticulato, quos ab invicem dimovit, tum in Leucojo luteo hortenſi, cujus petala permulta in terram dejecit, reliquo plantæ corpore manente ſalvo.

Ex hac Hiſtoria patent

1. Effectus fulminis in objecta varia. Tam cum ſilicibus ei infixis ſuccutitur, lapides lateritii ſeu cocti ſedibus ſuis excutiuntur. Saxa muris firmiter impacta loco moventur, & in medio franguntur. Arenarum è muris decutitur, & aliquot abhinc paſſibus in minimas reſolutum partes parietibus aſpergitur. Muri ipſi terebrantur. Plumbum hîc diffenditur ſaltem, alibi liquatur, & in minimas ſolutum particulas in proximos parietes excutitur. Tegulæ tectis dejiciuntur. Summoventur & finduntur aſſeres. Trabes ligneæ veluti demordentur in fibroſas partes exiguas. Fragmenta ſagittarum ad inſtar longè excutiuntur. Ferrei cylindri diſſecantur. Franguntur vitra; cum in ampullis, tum in orbibus. Homines manent in medio ferè igne fumoque illæſi, alii per aliquot dies ſurdaſtri. Aulæa alia manent illibata, alia partim finduntur in fruſta, partim verò uruntur. Manent hîc ibi maculæ nigræ indices, & tamen nihil accenditur. Lecti ipſi cum ſuis aulæis manent ab igne intacti, & eo quidem in cubili, quo ſummam exercuit potentiam fulmen. Sclopetum ibidem pulvere pyrio oneratum, nil cepit de igne fulmineo. Nec ipſa domus, quod quis facilè præſumſiſſet, incendio periit, ut ut tota ferè domus fumo repleta fuerit; animadvertentibus id viris, qui ſtatim à fulminis ictu domum intrarunt, ſuppetias laturi, & vicinis ipſis.

2. Unum idemque fulmen levi occaſione dirimi in partes, veluti tot ramos. Unus idemque glomer fulmineus ſe ſe diſpertiit in diverſos arboris ramos, unde vel rurſus collecti Ignes hi diſperſi in unum, vel unica magni glomeris fulminei portio feriit domum, & in ipſa hac domo, quod manifeſtum ſatis fit ex circumſtantiis, ſeſe diviſit in partes.

3. Videtur verò ſatis ſimile, ex progreſſu fulminis circum circa ædes; & in iis, provolvi id motu vel ſpirali vorticoſo, vel undulabundo, vel compoſito ex circulari & recto, rotæ ad inſtar, & facilius quidem promoveri juxta ductum partium ſolidarum ligni vel muri, quàm in medio aëris fluido; aliquando etiam rotari poſſe circa proprium centrum; ita autem explicari poteſt tardus ille nubeculæ in cubili motus, niſi per eam intelligere quis velit fumum ex fulmineo igne collectum.

4. Fulmen centrum ſuæ gravitatis & virium non habere in linea media directionis flammæ, quandoquidem levi occurſu corporum detorqueatur à linea motus. Ex pyrotechnia artificiali huc trahi & comparari poſſunt jacula ignita, virga directrice deſtituta, quæ vulgo *Schwermer* vocantur.

5. Unum & idem fulmen poſſe eſſe & *terebrans*, *diſcutiens & urens*, ut non tam dici poſſint fulminis diverſæ ſpecies, quam variæ à potiori effectu denominationes. Hoc ipſum enim fulmen hîc fuit terebrans, alibi diſcutiens, & alibi urens. Ita haud male Homerus idem numero fulmen, quo navis Ulyſſis fuit icta & deperdita, modò ἀργῆτα Κεραυνὸν vocat Odyſſ. ψ modò ψολόεντα Κεραυνὸν. Odyſſ. ω.

6. Videtur vero quàm maxime ſimile, exercere vires ſuas fulmen, imprimis velocitate ſumma, & tali, cui ſolidiſſima quævis reſiſtendo non ſunt paria. Velocitati huic ſummæ attribuendos puto effectus, tum noxios tum innoxios. Noxios rerum quæ damna à fulmine patiuntur; Innoxios hominum, qui illæſi manent, ut citius tranſeat tenuiſſimus hic cum aëre maxime rarefacto ignis, quàm ſuffocatio contingere queat, & reſpiratio unà cum circulatione ſufflaminari, terebrationes mirandas, expulſiones ſaxorum è ſuis poſtibus &c. nec deſunt exempla, quæ rem illuſtrent. Ambuſtiones cutis, quas ſæpe patiuntur milites à prætervolante corpus, id tamen non tangente globo vel tormentario, vel bombardæ; fuſiones vitri à flammâ in coni apicem collectâ, quibus utuntur vitrarii; (*les emailleurs*;) effectus pulveris fulminantis; qui ex nitro, ſulphure & ſale Tartari conſtat; fuſio chalybis cum ſulphure vivo pro confectione Croci Martis.

7. Adſcribi non poſſe effectus ſupra enarratos, imò ne forte unum quidem ex tot diverſis lapidi alicui fulminari, quem in ſomno potiùs, quàm in natura, vidit credula nimis Antiquitas.

Anatomica inſpectio fulmine extincti.

Vix auſus fuiſſem moleſtiam creare ſtatim repetita vice alia epiſtola, niſi me moveret caſus ille qui hic accidit die 10. Maij. A meridie illius diei circa horam quartam percepi tonitru remotius. Circa horam quartam

quartam tonitru nobis propius accedente, pluvia effundebatur, & mox (pluvia magis in imbrem & nimbum condenſata,) tonitru magis intonabat, & frequentius crebro, diuque crepitante fragore, (quanquam non ſemper æquante ictu fragoris, quem vel aliàs audivi, ſonitum:) & fulgur ſeu fulgetrum clariſſimis (non obſtante clara diei luce) & creberrimis, (cùm vix minutum unum completum intercederet duo fulmina, concitatiſſima fulminum perſecutione; aliquando vel antè id temporis ſecundo fulmine prioris tonitrus fragorem occupante,) radiis ſeu fulminibus erat conſpicuum; tonitrus ſonitus ut plurimum percipiebatur octo vel 10. minutis ſecundis à fulmine elapſis; uti magnam temporis partem ipſe ope minutologii obſervavi; ſed ſemel aut bis obſervavi immediatè (quodammodo) fulminationem inſecutum tonitru, quaſi eodem momento; fulgure rubicundo & igneo. Non ſoleo aliàs multùm terreri tonitru & fulgure, illo tamen tempore (nec ſatis ſcio, quare?) maximè perterritus eram horrore inuſitato, metuens ne damnum inferret, mihi enim videbatur valdè humile & propinquum (adeò ut metiter etiam diſtantiam fulminis crepitu). & frequentiſſimum ac ſummè lucidum, ita ut maximè terribile fuiſſet, ſi noctu accidiſſet. Et quamquam haud exceſſi domo ſenſibiliter tamen odoratus ſum odorem fœtidum ſulphureum, quo Aër erat infectus. Hora 7. finiit tempeſtatem, ante quod tempus nunciatus mihi fuerat caſus deplorandus, qui accidit Medleii, quod hinc uno milliari vel paulò amplius abeſt. Duo ſcholares collegii Wadhamenſis, qui ſoli fuerant in ſcapha quadam (ſine nauta,) à littore non pridem remota, Medleii, ad redeundum domum; poſiti in capite ſcaphæ infelici ictu tonitrus aut fulguris ſtatim ex ſcapha in aquam excuſſi ſunt. Alter eorum ita ictus eſt ut planè rigidus moreretur, & ex aqua poſt vix unius minuti moram (uti ex relatu acceptum) extractus, nullum vel vitæ vel ſenſus motuſve indicium proderet.

Alter infixus erat limo (pedes deorſum, partes ſuperiores ſupra aquam) ad modum pali, neque ſibi ipſi auxilium ferre valebat; vivus quidem adhuc deprehendebatur, adeò tamen omnem ſenſum territo penitus caſus excuſſerat ut immotus maneret, quaſi in illo loco palo affixus fuiſſet. Cæterum nullum in toto corpore apparebat vulnus, ſed omne malum ei hoc infortunio inflictum erat, quod ita ſtupefactus maneret, & quaſi extra ſemetipſum rapti mentem non ſubibat recordatio, quomodò præcipitatus fuerit in aquam, nec utrum tonitrus, an verò fulgur caſus ejus cauſa fuerit, multumque infirmus erat; conſtitutio illa hominis duravit noctem adhuc ſequentem, (quanquam ſtatim lecto calido impoſitus erat) nec compertum mihi eſt quid ei poſtea acciderit.

Alii in alia ſcapha 10. vel 20. orgyis circiter ab illa diſtante (prout ego ex ipſorum deſcriptione æſtimo) ſenſerunt diſturbationem & commotionem in navi ſua, ſub quorum uno ſella ejus excuſſa ſuper ipſum impetu ferebatur, aliàs damni omnis expertem. Hi nulla mora aliis appropinquantes (quidam exſilientes in aquam ad eos) extemplo trahebant eos, vel in ſcapham, vel ad littus; nemo tamen illorum vidit hos duos præcipites ruere in aquam (cum non illuc viſum dirigerent) ſed audivit eorum alterum clamore opem implorantem ſtatim poſt ictum, & odorabantur fœtorem valde ſenſibilem in Aëre; qui, de genere fœtoris à me interrogatus, reſpondit ſimilem fuiſſe fœtori percepto ex mutua colliſione ſilicum.

At ſimul atque ex aqua mortuus fuit extractus, nihil remediorum inexpertum relictum eſt, (impoſito enim in lectum calidum, frictoque, immiſimus ori aquas diſtillatas, &c. Quo vitæ reſtitueretur,) ſed fruſta erant omnia. Quamobrem poſtridie ejus diei manè in urbem ſepulturæ cauſa delatus eſt. Ubi inter plurimos, Doctor Willius, Doctor Mellingtonus, Doctor Louverus & ego acceſſimus avidi luſtrandi corpus mortuum, ſi forte in eo particularia nonnulla obſervanda venirent. In univerſa ipſius cute nullum apparebat vulneris veſtigium. Facies & collum nigra erant & livida, ſed non in majore gradu, quàm ſolet procedere ex ſanguinis ſedimento, in dextra colli parte macula quædam parva nigricans, digitum unum longa, quartam verò digiti partem lata, ad ſummum, notæ ferro candenti inuſtæ haud abſimilis conſpiciebatur. Habebat & aliam paulò majorem, ut memini, in altera, i. e. ſiniſtra colli parte, infra aurem. Directè infra in latere pectoris ſiniſtro, locus erat novem circiter digitos longus, & duos digitos latus, hic amplius, ibi minus, qui erat aduſtus, & durus ut corium igni duratum, colore rubro valde ſenſibili, in nigrum vergente, cuti porcelli aſſati ſimilis. In parte anteriore humeri ſiniſtri aliam habebat ſimilem maculam unius circiter ſolidi magnitudine, quæ tamen tam nigra & notabilis haud erat quàm illa quæ in collo apparebat. A vertice humeri dextri deorſum verſus dictam pectoris partem erat tenuis linea ſimilis cuti aduſtæ; quaſi aliquid in eum juxta collum intraſſet, & ad finem callis ampliorem campum aperuiſſet.

Maxima pars globulorum thoracis ejus ablata fuit, quod opinabantur quidam abruptos ictu tonitru, impulſo juxta collum, & ſuo loco erumpente: cui conjecturæ maximam anſam (mihi) præbebat; quod præter 4. & 5. globulos deficientes ad baſin thoracis ſex circiter penitus aberant à baſi collaris deorſum, neque, quantum memini, videbantur reſidui prope detriti, ſed fere novi. Collare Thoracis ejus præcipuè in parte anteriore humeri ſiniſtri fecit diſruptum, pannuſque unà cum materia durante, (cujus generis illo loco ſolet eſſe os balænæ,) directè deorſum diſcerptus, quaſi diſſectus fuiſſet inſtrumento obtuſo; linteum tantum interius, ſive goſſipium ſubductitium integrum erat, ex quo & viſitatione aſperarum & inæqualium extremitatum, mihi manifeſtum videbatur, ictum accidiſſe introrſum (ab extra) non extrorſum ab intra.

Pileus ipſi mirè erat laceratus, non quidem exactè per cacumen, ſed per latera pilei & extrema.

A latere ejus erat foramen majus pugno, quædam ejus partes omnino abruptæ, & inde undique hiatus ſparſi erant, quaſi pileus fuiſſet diſſectus aut laceratus inſtrumento obtuſo, aliqui etiam eorum erant ſatis longi, fere contingentes marginis extremum. Et præter illos una aut duæ fiſſuræ aliæ erant, quæ non committebantur foramini in latere.

Illud etiam arbitrabar dein accidiſſe ictu introrſum vergente? non tam ex viſitatione extremitatum illarum fiſſurarum, (ex quibus vix quicquam judicari poterat de ictus motu) ſed quia materia ſubductitia haud erat lacerata, ſed tantum reſuta extremitate pilei, (cui fuerat aſſuta) à latere foraminis. Sed cùm pileus ejus non fuerit repertus ſuper capite ejus, ſed aliquanto longiùs diſtans ab eo, liquere non poterat è regione cujus partis capitis foramen illud fuiſſet factum. In reliquo veſtimento nullum caſus iſtius veſtigium cernere licuit, cujus rei cauſa fuerit, partim quod jam temporis non nihil poſt caſum elapſum eſſet, partim quod veſtimenta ſtatim aquam hauſerint in quam inciderat homo ſequente nocte, tres Doctores ſupra memorati, & ego cum quibuſdam

chirurgis

chirurgis (præter plures alios) convenimus & capitis aperturam fecimus, ut animadverteremus, ſi quid in eo obſervandum veniret: Sed nullum contuſionis indicium apparuit. Cerebrum erat integrum & optimè conſtitutum, nervi quoque erant integri & nullo malo læſi, vaſa cerebri plena & bene diſpoſita, ſic ut nihil in iis extraordinarium oculis noſtris ſubjiceretur.

Negandum quidem haud eſt, aperturam illam factam ad lumen candelæ, neque examinari potuiſſe pro votis, quamvis partem ſatis accuratè ob brevitatem temporis, (mox enim humandum erat cadaver) & nimiam congregatam turbæ multitudinem, quæ magis impedimento fuit. Nihilominus tamen, ſi defectus aliquis extraordinarius adfuiſſet, in tanto ſpectatorum numero vix fieri potuiſſe, arbitror quin ille protinus animadverſus fuiſſet. Sunt qui vidiſſe opinantur fiſſuram quandam in cranio exiguam, quinque illud tenuerunt, dum ſerra diſſecabatur, aſſerunt ſe quandam ibi percepiſſe rupturam, ſeu diſſonantiam in manibus, apparebatque in oculis ſimile quid, verùm tantillum id fuit, ut perfecte ad lumen candelæ ab omnibus dignoſci haud potuerit. Ad tempus dextrum capilli manifeſtè erant adufti; & inferior pars dextræ auris paulò nigrior partibus circumſitis, ſed mollis; & fortaſſis illius cauſa tantum fuit ſanguinis ſedimentum. Pars ſuperior humeri ſiniſtri, & ſiniſtra colli facies etiam aliquanto nigriores apparebant reliquis partibus corporis, ſed an illud evenerit ex ictu rumpente collare & inurente ei rotundam rubram maculam, aut tantùm ex ſanguinis ſedimento, non ſatis compertum habeo; attamen puto, maximè fieri potuiſſe ut tam caput, quàm partem illam colli læſerit prægrandis ictus; cum contuſione inſequente, (videturque ita accidiſſe ex dilaceratione pilei & diſruptione collaris, & fortaſſis ex fiſſura cranii) nullo tamen exiſtente ſigno contuſionis, quia per immediatè ſequentem necem non licuerit ſanguini ad illam partem congregari, ibidemque ſubſidere, (quod in contuſionibus eſt cauſa nigredinis) ita ut non ſecus eſſet ac ſi corpori recens mortuo talis ictus inflictus eſſet, ubi non ſolet accidere tale ſymptoma contuſionis, poſtquam ſanguinis circulatio deſiit.

Examinato itaque capite, pectus quoque apertum eſt, & inventa aduſtio tranſiiſſe penitus totam cutem, quæ in locis illis aduſtis dura erat & quaſi cornea, ac contracta ſic ut non eſſet tam craſſa atque tenera ſeu mollis cutis quæ circa iſtam erat: interim tamen ſub cute nullum ejus rei erat veſtigium. Muſculi erant in ſitu ſuo naturali, neque quidquam ordinarii coloris amiſerant, (fortaſſis ob rationem jam jam memoratam de capite, collo & humero.) Tum ſublato ſterno, pulmones & cor coloris ſoliti nihil remiſerant, neque quidquam alterationis prodebant. Hæc igitur ſunt quæ imprimis illo in caſu ſunt obſervata, quibus & hoc addo, noctu corpus multò magis tumidum fuiſſe, quàm mane; odoremque ſparſiſſe penetrabilem & fœtidum: id quod forte tribuendum æſtui tempeſtatis, & calori, quem multitudo in conclave effuſa concitaverat. *Ex Actis Philoſ. Anglicis.*

COMMOTIO CEREBRI. vid. CONCUSSIO *cerebri.*

CONCEPTIO. vid. *Fœtus.*
CONCEPTUS VITIOSUS vid. *Mola.*

CONCUSSIO ET COMMOTIO CEREBRI.

De iis jam vide plura ſub titulo *caſus ab alto.* His tantum pauciſſima ex Fabricio Hildano obſervat. Chirurgic. Cent. 1.

Commotio cerebri in principio neglecta, poſtmodum graviſſimorum ſymptomatum cauſa fuit.

Filius Domini Bernardi ab Hatzvelt, Domini in Wildenberg, decennis ex alto cecidit: mox vomuit, ſanguinemque per nares & aures egeſſit: Verùm neque loquelam, neque ſenſum aut motum amiſit. Quum autem nec vulnus, nec contuſio aliqua extima appareret, nec febricitaret ipſe, morbus plane neglectus eſt, nec ullum initio adhibitum remedium, capite alioqui perpetuò dolente. Poſt menſes quinque aut ſex collum relaxatum eſt, adeò ut nullo modo caput erigere, aut erectum, niſi beneficio numellæ ex pelle & xylo contextæ, continere poſſet. Poſtmodum aſthmaticus factus eſt, & relaxatis ligamentis 10. 11. 12. vertebrarum metaphreni gibboſus factus eſt. Coxam quoque dextram imbecillius movebat: ſub claviculis ex utraque ſterni parte atheromata conſpiciebantur. Quum circiter biennium ita cruciatus fuiſſet, & ſymptomata in pejus evaderent, parentes ipſum Coloniam ad Clariſſimum Dn. Henricum Botterum, Illuſt. Haſſiæ Landgravii Archiatrum adduxerunt, qui variis adhibitis remediis, collum in integrum, vocemque & loquelam ex parte reſtituit. Deinde exortus eſt ipſi tumor ad ſiniſtram aurem, inter jugulares venas & arteriam aſperam, qui ſenſim in maximum abſceſſum auctus, quum eſſet incidendus, aliaque Chirurgica peragenda accerſitus fui. Primo, 2. & 3. diebus ultra libras ſex materiæ ejecit, extillavitque ea quotidie copia ſatis magna. Hujus evacuationis beneficio dolor capitis, omniaque ferè ſymptomata ex parte lenita ſunt: at vires in dies imminutæ. Circa 28. menſis Martii novus incidit catharrus, qui in pulmonem & ſtomachum influens, tuſſim, nauſeam, & vomitum provocavit, ſiniſtrum latus reſolutum fuit. Nonnulli quoque paroxyſmi epileptici acciderunt, & ulcus in collo penitùs exiccatum eſt: ita ut 6. Aprilis 1593. deceſſerit.

Præſentibus clariſſimis viris Johanne Slotano, & Henrico Pallantio, Medicinæ Doctoribus.

Cadavere inciſo, viſcera ſic affecta comperimus:

Inciſa cute in tumoribus ſub claviculis reperta eſt copia ſatis magna puris, inſtar pultis, quæ coſtis & ſterno cariem contraxerat.

Cyſtis fellis prægrandis, & inteſtinum duodenum ubique humore bilioſo refertum.

Hepar Scirrhoſum & obſtructum.

Pulmo ubique pituitoſis & viſcidis humoribus oppletus.

Lapides quàm plurimi ex gypſea materia concreti, & cyſti incluſi proxime cor, nimirùm in eâ parte, qua arteria aorta ex corde prodit, & ramos ſuos verſus jugulum mittit: quorum unus magnitudinem nucis ſuperabat: reliqui parvi. Adhærebant autem non tantum arteriæ aortæ & ipſius ramis, qui jugulum petunt, verum etiam aſperæ arteriæ, & ſiniſtro recurrenti nervo. Ex quibus facilè colligitur, quibus cauſis vocem & loquelam ex parte amiſiſſet.

Capite aperto, lapidem ex ſimili materia concretum & membrana incluſum, in poſteriore parte capitis ſub ſutura Lambdoide, inter duram & piam matrem invenimus, adeò adhærentem duræ matri, ut nonniſi violenter avelli poſſet.

In tribus cerebri ventriculis, hoc eſt, in duobus anticis & medio, ultra libras duas aquæ limpidæ reperimus.

Ulcus in collo tum ad aſperam arteriam, tum etiam ad os baſilare, & foramen quo ſpinalis medulla vertebras ingreditur, penetrabat: ita ut materia ex ulcere manans, tum ex pectore, tum ex capite confluxiſſe intelligeretur. Verùm propter anguſtias viarum ſubtilior pars effluxerat: craſſa autem in lapides concreta erat, quales propè cor viſebantur.

Cerebri

Cerebri concuſſiones & quidem graviſſimæ curatæ.

Commotio cerebri rectè in morbis acutis numeratur. Verùm initio adhibitis idoneis remediis multoties curata, tum ex Doctorum virorum ſcriptis, tum ex ſequentibus intelligitur exemplis.

Exemplum. I.

Equiſo, Generoſi Viri Domini Herſt, Satrapæ in Lunſdorf Duſſeldorpiæ, ad dextram partem capitis percuſſus in terram concidit, evomuit, mox loquelam amiſit, & cruorem per nares & aures ejecit. Eum in diverſorium delatum Coſm. Slotanus, Illuſtriſſimi Juliacenſium, Clivenſium &c. Principis Archirurgus adhibitus, variis remediis ſanavit, loquela quoque & mens amiſſa paucis poſt diebus illi rediit.

Exemplum. II.

Herman Kikup. venator Generoſi Domini à Velbruchin Harrad, ex arbore in congelatam terram lapſus mox evomuit, & ſanguinem per nares, aures, & palatum ejecit, loquelam amiſit: fuitque ad undecimum ferè diem ſine ſensû & motû, quaſi apoplecticus, febricitans vehementer. Vocatus crines abraſi, & caput oleo roſaceo & myrtillorum inunxi, venam brachii ſecui: Clyſteres acres injeci, aliaque quàm plurima remedia adhibui, quæ hic brevitati ſtudens omitto. Tandem divino favore & mea diligentiâ, ſtupentibus ſpectatoribus, convaluit.

Exemplum. III.

Puerum graviſſima cerebri concuſſione laborantem cum peritiſſimo Chirurgo Johanne Criſſonio curavi. Variis remediis capiti additis exortus eſt tandem tumor inſignis ſub aure, quo inciſo maxima puris & ſanguinis coagulati copia effluxit: atque ſic puer convaluit.

CONDUCTOR, vid. LITHOTOMIA. ſub titulô *Calculus.*

CONDYLOMA.

ESt carnis excreſcentia callôſa, in digitis manuum ac pedum, præſertim verò circa anum & pudenda muliebria occurrens, ſic dictum, quod promineat in modum articuli, quem κόνδυλον appellant. In ano autem facilè oritur, quia quum ſinuoſus ſit, rugaſq; coagmentatas habeat, ſi intumuerit aliqua ex illis rugis propter glandularum per ipſas diſſeminatarum à ſero retento & coagulato turgeſcentiam, naſcitur condyloma, quod aliquando citra inflammationem fit, & molle eſt, quandoq; cum inflammatione, tumq; durum eſt & dolorificum. De hujus in ano & pudendo excreſcentis, curatione jam pauca ex Platero.

Condylomata, ſi ab impuro congreſſu aut contagio alio citra luem veneream naſcantur; tunc evacuato corpore, per venam ſectam, purgationem, ſudores, eodem modo, ut in aliis vitiis à malignis humoribus progreſſis, topica loco affecto, quæ ea abſumant, adhibentur. Quòd ſi verò à lue venerea infectis erumpant, tunc eâdem curâ, quæ huic lui accommodata, per purgationes ſudoreſque inſtitutâ, ſicuti in illius cura dicetur, ſimul plerumque tolluntur, quòd ſi remaneant, integrè nondum morbum curatum eſſe denuntiant, ob id cura repetitur, atque interim topica loco affectô, ut ſupra dictum, quæ ea abſumant, additis etiam illis, quæ hanc luem reſpiciunt, admoventur, donec penitùs evaneſcant.

Topica verò quæ adhibentur, ut Condylomata abſumant, cùm digerendo, ſiccandoq;, ut in tumeſcentibus hæmorrhoidibus, id quoq; præſtent, eadem ferè quæ illic expoſita, ſunt, hic quoq; competunt. Impriміſq; fortiora illic deſcripta hic præcipuè uſurpari poſſunt, cùm contumax admodùm hæc ſit extuberantia; quæ levioribus non ita facilè cedit, dolorq; hic non adeò vehemens, ut in hæmorrhoide, in qua interdum major dolor illa ferre non poteſt, illorum uſum non impediat, atq; etiam illis adhuc potentiora cathæretica medicamenta, nonnunquam adduntur.

Cataplaſmata proin illic expoſita, & inſeſſus, fotus ex iiſdem ſimplicibus, bulbis, parata, hic quoque proderunt; Conferentque ad hæc præ cæteris hic quoque Scrophularia, Thapſus barbatus, Plantago, Rubi folia, & præter hæc Parietaria, Mercurialis, Barbarea, Sabina, Ballote, Capillus ven. Libanotis, Thymus, Thymbra, Ruta, recentia tuſa vel cocta vel ſubacta, uri illic dictum, adminiſtrata; maximè ut efficaciora ſint, in Vino rubro cum Aqua ferrata, vel Aceto & aqua, aut Lixivio cocta, & in fotu cum ſpongia vel Sacculo applicata. Confert & radic. Quinque folii & Ariſtot. rot. decoctum, cui baccæ Lauri addi poſſunt, aliave potenter ſiccantia & aſtringentia, illic quoque deſcripta. Quibus Sal & Nitrum quoque addi poſſunt. Cotonea cruda ejuſmodi cataplaſmatibus addere jubet Dioſcorides.

Stercus Ovillum vel gallinæ cum Sapone vel Aceto ſubactum & appoſitum prodeſt: cui & Fel capræ addi poteſt.

Vel Pix liquida & Ammoniacum in Aceto forti diſſolvantur & applicentur.

Unctiones variæ in hæmorrhoide dolente traditæ, hic quoque convenient, ſi efficaciora præſertim ex illis eligantur, hicque imprimis unguentis illis, cathæretica illic expoſita, addi poſſunt.

Quibus & ſequentia admiſcere licet.

℞. Succi Barbareæ, Apii veri ſeu Petroſelini ana ℥. j. ß. ol. de Lateribus ℥. ij. Boli ʒj. Terebinth. q. ſ. fiat inſtar. nutriti.

Vel ℞. Olei de Tartaro ℥. ſs. lap. Calaminaris vel Hæmatitis, vel Minii, ʒ. ij. miſce: Ungatur.

Item ℞. Cineres Sarmentorum vitium vinaceorum, & cineres Anethi cremati, & Piſcium ſalitorum cineres, pulverem item Sabinæ: cum Aceto, ſubigantur: & inungantur.

Aliud: ℞. Aloës, Thuris, Sandarachæ, ana ʒ. j. ſs. gummi Ammon. diſſoluti in Aceto ʒ. j. Aluminis ʒ. ij. lap. Hæmatitis vel minii ʒ. j. Gallarum ʒ. ß. Croci ℈j. Ovi vitellum aſſum vel uſtum num. j. Terebinth. ʒ. i. olei Roſacei & Ceræ q. ſ. fiat unguentum.

Efficaciſſimum hoc erit: ℞. Mercurii ʒ. ij. diſſolvatur, cum Terebinthinæ ℥. j. Olei Nucum ℥. ij. minii ʒ. ij. Aluminis, Vitrioli ana ʒ j. æruginis æris ʒ. ſs. Ceræ parùm, fiat linimentum. Cui tantillum ſublimati additum illud efficacius reddit.

Pulvis hic ſubtiliſſimè tritus, ſi huic carni laxæ inſpergatur, eam admodum exiccat & abſumit.

℞. Rad. Ariſtoloch. rot. ʒ. j. Sabinæ fol. exicc. ʒ. ij. cinerum oſſium Myrobalan. & Hermodactyl. uſtorum ana ʒ. j. ſs. Aluminis ʒ. j. Chalcitidis ʒ. ſs. Auripigm. rubr. ℈j. fiat pulvis, cui opium addi poteſt, vel radix. Mandragoræ.

Sublimatum in aqua coctum, aliovè modo appoſitum, ut in anthrace dictum eas aufert. Oleum Vitrioli: & de Antimonio idem facit.

In *Condylomatibus* abſumendis, cum magno fructu adhiberi poteſt oleum cauſticum, quod & fiſtulas, ſcrophulas, & excreſcentias Carnis, ſine ſenſibili dolore comburit: hoc ita paratur.

♃. Olei laterum optimi, Maſtiches electæ, gummi Arabici pellucidi, Terebinthinæ claræ ana ℥. iij. pulverizata miſceantur, deſtillentur per alembicum vitreum, quod exſtillat incorporetur cum cineribus Hederæ, reiteretur deſtillatio, oleum prodiens ſervetur ad uſum.

Fumi ſiccantes ad Podicem admiſſi, Condylomata admodum ſiccant & auferunt: Quales in narium ulceribus expoſiti ſunt. Imprimis ſi ex Cinnabari fiant. Cujuſmodi in lue venerea, ſi pręſertim indè fiant expoſiti ſunt.

Abſcinduntur interdum Condylomata, ſi dura ſint verrucarum inſtar, vel ſi propendeant, ſetis ligantur aut filo, ut ſic marceſſant. *Felix Plater. Prax. Medic. T.* 2.

CONGESTIO HUMORUM. Vid. *Abſceſſus*, *Tumor.*

CONTRACTURA. Vid. ſub titulis, *Abſceſſus*, *Combuſtio*. *Luxatio*, *Vulnus*, & ex quibus præcipuè oritur.

CONTRAFISSURA & CONTRAFRACTURA Vid. *Cranii Fracturæ.*

CONTUSIO.

HIc agitur de morbo qui ſolutionis continui ſpecies eſt, dum ſcil. grave aliquid ſupra corpus incidit, ac id ipſum collidit & continuitatem ſolvit, citrà deperditionem manifeſtam ſubſtantiæ, aut externam rupturam; ubi plerumque in parte carnea cruor ſub cute colligitur, & ſuggillatio, ἐκχύμωμα ſive effuſio dicitur, quia venæ exiguæ ſub cute rumpuntur. In ſpecie quoque Contuſio dicitur Cranii vel Calvariæ receſſus & incurvatio à violenta illiſione abſque fractura; (& in junioribus, item iis quorum oſſa ſunt molliora quandoque contingit) quale quid ſtanneis ac plumbeis vaſis ſi foris illidantur advenire videmus. De hac ultima vide in ſequentibus ubi de Fracturis Cranii. Hic jam tantùm de aliis; omiſſis tamen quæ de vulnere contuſo, item de ulcere contuſo capitibus de vulneribus & ulceribus dicenda veniunt.

Curationes.

Tumor ex contuſione ſine vulnere manifeſto aut magno (nam de vulnere contuſo in vulneribus agemus, uti & ſi per contuſionem aliquid frangatur intrinſecus) ſi levis ſit, vel ſponte, vel diſcutientibus adhibitis iterum reſidet, lividitaſque tandem evaneſcit. Quòd ſi verò major ſit, inflammatioque metuatur, vel illa ſuperveniat, primùm repellentibus, mox diſcutientibus remediis, non eodem penitus, ut in phlegmone, ſed propter contuſam carnem & ſanguinem qui coagulatur, nonnihil variante modo in curatione procedimus: Et ſi diſcuti nequeat, ſed ſuppuratio ſequatur, tunc maturantibus, ut in abſceſſû dicetur, eam promovemus, & quando in ulcus convertitur, ut ulcus curamus. Ad influxum autem ſanguinis mox à principio arcendum, præmiſſâ, ſi opus ſit, venæſectione, aliiſque quę illum revellant, ut in phlegmone dictum, Repellentia quę adhibentur, ſi caro ſubjecta admodum contuſa, ſanguinem copioſum contineat, non adeo in alia phlegmone refrigerare tantopereque aſtringere, vel illa in ambitû potiùs loci contuſi, quàm ſupra illum collocari debent, nè ſanguis horum causâ coagulatus retentuſque putreſcat. Et proin quæ loco affecto adhibentur, & vim repellendi diſcutiendique nonnihil ſimul habere debent: qualia in progreſſû inflammationum uſurpari ſolent, illicque deſcribuntur. Uſitatumque admodum eſt ad hoc præſtandum, oleo Roſaceo, Myrtillorum cum albumine ovi, vel mucilagine Pſyllii, aliove agitato, locum contuſum illinere, pulvereſque aſtringentes & ſiccantes, ut Myrtillorum, florum Roſarum, flor. Granatorum, rad. Biſtortæ, Tormentillæ, Sanguinis draconis, Maſtiches, Boli, &c. inſpergere.

Vel ſic, ſi pars admodum uti & caput percuſſum fuerit:

♃. Lentium ℥ ij. Seminis Myrtill. Balauſt. an. ʒ ij. flor. Roſ. fol. Sumach, & Tamaricis, ana ʒj. Acaciæ, Maſtiches ana ʒj. Olei Roſac. Terebinthin. & Ceræ q. ſ. pro Emplaſtro vel Linimento.

Quibus in inflammatione præmiſſis, vel etiam omiſſis, ſi nulla timeatur inflammatio ac diſcurrentia ſanguinem affluxum, vel illic coagulatum mox accedemus, illiſque etiam nullo tumore vel indicio ex contuſione apparente, ſed dolore tantùm punctorio vel lancinante ex contuſione in parte aliqua urgente, cùm in profundo magis materiam latêre tunc cognoſcamus, utimur: Propinatis ſimul potionibus quibuſdam, ſi de ruptura aliqua intrinſecus & pręſertim de ſanguine affatim fluente in cavitates corporis, vel etiam ad locum contuſum, & de illius coagulatione ſuſpicio ſit. Quæ & ſolæ potiones circà externorum remediorum uſum, ſi dolor ex contuſione vel casû natus, nullo apparente foris indicio, vel lévi, uti dictum, oriatur, ad curationem, tunc, ſi bibantur frequenter ſufficiunt. Quarum deſcriptiones, cum &, ſi ex contuſione vulnus infligatur, ad vulnus quoque hoc ſanandum, uti cæteræ vulnerarię potiones opitulentur, unà cùm reliquis ejuſmodi potionibus proponemus. Cæterùm quòd externa diſcutientia remedia attinet, ſequentia imprimis uſurpantur.

Cataplaſmata ſeu emplaſtra, fiunt ex abſinthio, floribus chamomill. vel Meliloti, Roſis, in oleo & vino coctis, addendo benè contuſis farinam fabaceam, interdum & Mumiæ, Sanguinis draconis ana ʒj. ad ℔j. Emplaſtri.

Si caput contuſum ſit, Betonica aliavè capiti appropriata addi poſſunt, non tamen nimis calida, ſi dolor inflammationem præſagiat.

Abſinthii pulvis cum albumine ovi ſubactus, profuit in multis.

Furfur cum pulvere Abſinthii & Aceto coctum appoſitum: addito interdum oleo Roſaceo & Chamæmelino.

Liliorum radix & Dracunculi, cum Melle contuſa, addito Stercore caprino.

Farina fabarum cocta cum oxymelite, cui ſi nervi ſimul contuſi ſint, Pix liquida additur. Poteſt & farina orobi addi.

Cochlearum caro cum farina ſem. Fęnigræc. vel Fabarum contuſa.

Stercus bubulum applicatur, addito interdum oleo Roſaceo. Excellens in contuſionibus, lividitates quoque tollens, cataplaſma fit ex rad. ſymphyti major. pulveriſata, decocta in Hydromelite, addenda ad ℔j. ſucci rutę & Abſinthii ana ℥ i ß. ſem. Cymini ʒ ij. miſce.

Vel ♃. Radic. conſolid. pulveriſat. ℔j. pulverum flor. chamomill. meliloti, Abſinthii ana ℥j. farinę fabarum, & Fænigræc. ana ℥iij. Butyri vel oleorum prædictorum ℥ij. croci ʒß. fiat cataplaſma: cui & ſucci, & Cyminum etiam addi poſſunt; admodum reſolvit carnem ex contuſione contritam ſeu mortificatam, ut vocant.

Inunctiones ex oleis calidis diſcutientibus, ut chamæmelino, Anethino, Liliorum, Sambucino, Ebulino, vel ſimul repellentibus, ut Myrtillorum fiunt.

Vel ℞. Axungiæ, caponis vel gallinæ, Terebinth. diſſol. in melle & aqua vitæ: & inungatur.

Unguento Anſeris in podagra deſcripto, ſi Cymini & Abſinthii pulveris portiuncula addatur, in contuſionibus etiam convenit.

Unguentum dialthææ per ſe inunctum vel addito oleo Violaceo, Lumbricorum, Rutaceo, Chamæmelino, pinguedine Anſeris, Butyro, additâ aliquando Mumiâ: efficaciſſimum erit, ſi inunctioni ſem. cymini inſpergatur. Unguentum de Alabaſtro, Agrippæ, de Ceruſſa, oxycroceum in usû ſunt.

Lixivium ex cinere ſarmentitio Vitium vel vinaceorum cum Aceto, Sale & Melle prodeſt.

Probatur & cinis Vinaceorum cum Aceto, emplaſtri modo impoſitus.

Urina abluatur locus contuſus, vel foveatur. Lineus pannus Aqua vitæ irroratus, parti contuſæ, tepidè, ſubitò, admotus, tumorem impedit, ſanguinem diſſipat & diſcutit.

Fomentari vel immergi circa finem, ut reſolvatur materia, membrum contuſum poteſt, ex decocto radicum ebuli, oſmundæ, Sanamundæ, Abſinthio, Pulegio, Artemiſia, fl. chamomillæ, meliloti, ſambuci vel ebuli, Roſarum &c.

Involvantur in Corio arietis modò mactati dum calet, quibus totum corpus ex casû conquaſſatum eſt: Alii bubulo utuntur vel alio: Alii in fimo eos ſepeliunt.

In aurium contuſione, Dioſcorides Sulphur cum Melle & Vino illinit. Et Bulbos cum Polenta imponit.

Si glandulæ ex contuſione intumeſcant, vel inflammentur, uti & teſtes quid faciendum, in ipſorum tumoribus fuit expoſitum. *Felix Plater. Prax. Medic. tom. 2.*

Contuſionis capitis curatio.

Initio ſtatim repellentia & adſtringentia ſunt adhibenda, eaque ſæpiùs, ne incaleſcant, removenda. Ac proindè ſtatim capillis, ſi in loco capillato contuſio ſit, priùs abraſis, adſtringentia, ſupra, cap. 1. & cap. 8. propoſita applicanda, & oleo roſaceo locus inungendus; deinde ovi albumen bene conquaſſatum, vel ſolum, vel aquâ roſaceâ & aceto miſtum, & ſtuppâ exceptum imponendum. Vel tale repellens applicetur.

℞. Olei roſacei ℥iij. album. ovor. ℥ij. pulv. nuc. cupreſſi, balauſtiorum, alum. rochæ, roſarum rubrarum, an. Drach. j. miſce, & imponatur.

Vel ℞. Farinæ hordei, fabarum, an. ℥vj. olei roſacei ℥iij. q. ſ. f. Cataplaſma.

Locus ipſe paulò arctius ligetur, ſitque ligaturæ initium in loco affecto, & deſinat eo loco, è quo fluxum imminere metus eſt. Ligatura enim arcta fluxiones arcet. Medicamenta autem talia ſæpius renoventur.

Secundo die vinum auſterum, in quo roſæ, myrtus, betonica, & aliquid florum chamæmel. cocta ſint, tepidum imponatur, & ſi dolor aliquis appareat, medicamentum bis de die mutetur, & locus oleo roſaceo tepido foveatur.

Si contuſio major ſit, & ob dolorem affluxus major metuatur, vena ſtatim aperienda, & ſi corpus impurum ſit, medicamentum bilem purgans exhibendum, vel etiam clyſter injiciendus, & tenuis victus imperandus.

Et ſi dolor vehementior ſit, lanâ oleo roſaceo & chamæmelino madidâ locus fovendus, vel decocto roſarum, radicis altheæ, lini, fœnugræci, betonicæ, vel unguento Alabaſtrino inungendus.

Ubi jam dolor ſedatus, & de affluxû ampliùs non metus eſt, danda opera, ut ſanguis extra vaſa effuſus evacuetur: quod fit vel inſenſibiliter, per ἄδηλον διαπνοὴν vel ſenſibiliter, materiâ in pus converſâ, & tumore aperto.

Tutius verò longè eſt materiam inſenſibiliter diſcutere, quàm permittere, ut in pus vertatur.

Quapropter paretur tale cataplaſma.

℞. Sum. Abſinthii M j ß. roſar. rubrar. flor. chamæmel. betonicæ, ſertulæ campanæ ana M. ß.

Coquantur in vino ad mollitiem. Poſtea contundantur, & addatur Farina hordei, fabarum, an. ℥j ß. pulv. ſem. cumin. Drach. ij. olei roſar. q. ſ. f. cataplaſma.

Vel imponatur emplaſtrum, quod capite præcedente ex Alexandro Benedicto recenſuimus; aut emplaſtrum de betonica, aut de gummi elemi, aut ceratum Iſidis, deſcriptum à Galeno 5. Κατὰ γένη cap. 2. ceratum de matriſylvia, emplaſtrum de Janua Fernelii, emplaſtrum de gratia Dei Fernel. lib. 7. method.

Vel ℞. Emplaſtr. diachyl. ℥ij. oxycrocei, de meliloto, an. ℥j. olei chamæmel. anethini, an. ℥ß. malaxentur F. emplaſtrum.

Vel uſurpetur, cerotum Vigonis de minio, quod emollit & diſcutit, & ita paretur.

℞. Olei chamæmel. lilior. albor. an. ℥x. maſtichini ℥ij. pingued. vervecis ℔ i ß. lithargyri auri ℥viii. minii ℥ij. vini boni cyathum j.

Bulliant omnia ſimul agitando, primùm lento, hinc fortiore igne, donec maſſa colorem ſubnigrum contraxerit, tum adde terebinthinæ ℔ iij. pulv. maſtiches ℥iij. gummi elemi ℥j. ceræ q. ſ. iterum coquantur. F. emplaſtrum: vel fomentum tale paretur.

℞. Nuc. cupreſſi contuſar. num. x. myrtill. ℥j. roſar. rubr. abſinthii, fol. ſalv. majoranæ, ſtœchad. flor. chamæmel. an. M. ß. aluminis rochæ, rad. cyperi, calam. aromat. an. ℥ß. Coquantur in vini rubri ℔ iv. lixivii communis ℔ ij.

Decocto caput foveatur, & poſt fomentationem exſiccetur, & emplaſtrum aliquod imponatur. Foreſtus lib. 9. obſerv. 32. hoc emplaſtrum Helidæi, quòd mirum in modum humiditatem in contuſionibus diſcutiat, commendat.

℞. Flor. roſar. rubrar. chamæmeli, abſinthii, betonicæ, an. M j. concoquantur ad mollitiem, & contundantur; adde farin. fabar. ℥iij. ol. roſac. vini nigr. ſtyptici, an. q. ſ. Fiat Emplaſtrum, ſeu potius cataplaſma.

Si verò ob humoris effuſi copiam is totus diſcuti nequeat, & ſuppuratio impediri non poſſit, medicamentis maturantibus ſuppuratio promovenda, ut oleo dulci tepido, vel decocto malvæ, altheæ, caricarum; vel parando ex his cataplaſma, cum farina hordei, adipe gallinę, oleo communi; vel imponendo emplaſtrum triapharmacum, quod fit olei dulcis parte una, aquæ communis partibus duabus, & triticeæ farinæ ſ. q. quibus vitellum ovi addere licet.

Ubi ex dolore & loci mollitie materiam in pus converſam eſſe cognitum fuerit, extrahenda ea; idque ocyus faciendum, nè pericranium, & quæ ei connectitur, duram matrem corrumpat. Quod fit ſectione factâ in loco decliviore, & ad materiæ evacuationem commodiore. Si temporalis muſculus eſt contuſus, ſectio non in ipſo muſculo, ſed in loco propinquo inſtituenda; aut ſi in ipſo muſculo ſectionem inſtituere libeat, ſecundum longitudinem fibrarum fiat; ferrum tamen non nimis altè adigetur; Vitandique muſculi caput moventes.

Abſceſsû aperto, & materiâ evacuatâ, ulcus detergendum tali, vel ſimili medicamento:

℞. Syr.

℞. Syr. de abſinth. ſimpl. roſarum, an. ℥j, terebinth. ℥ i ß, pulv. ireos, aloës, maſtiches, myrrhæ, farinę hordei, an Drach. ſem.

Ulcere mundato cavitas implenda, & cicatrix inducenda, carnis tamen excreſcentia ſeu ὑπορσαρκώσις quæ in hiſce contuſionibus frequenter ſuppullulat, depaſcenda pulveribus καταιρετικοῖς, aut liquore illo viridi, qui in ὑπερσαρκώσει quacunque utiliter, & ſine omni dolore, adhibetur; qui inſtitut. lib. 5. part. 1. ſect. 2. cap. 13. deſcribitur.

De contuſione Capitum Puerorum.

Quia verò imprimis pueri & infantes, propter capitis molem, tibiarumque imbecillitatem ſæpius labuntur, caputque graviter offendunt, & contundunt, ſanguiſque ex contuſione collectus ſub cute tumorem excitat; de hac in puerorum capitibus contuſione in ſpecie aliquid addemus ex Julio Cęſare Arantio, qui in fine comment. l. Hippocr. de vulneribus cap. ſcribit, ſe juniorem, minuſque exercitatum, metuiſſe, ne ſanguis ſub cutem effuſus ibi putreſceret, & ad membranam deſcenderet, & idcircò ſectionem cuti adhibuiſſe ut ſanguis educeretur: ſed hoc modo in maximum diſcrimen infantes adduxiſſe: cùm & ob ſanguinem affluentem vires reſolverentur, & dolore, ac clamore & ejulatû infantum, fluxio, & tandem inflammatio excitaretur: ideoque longo rerum usû ſe oculatiorem factum, tandem à ſectione planè abſtinuiſſe, ac ſequenti curandi modo graves etiam contuſiones feliciter curaſſe.

Ab accepta contuſione protinus, ubi opus, abraſo, aut, ſi raſio ob dolorem fieri non poſſit, forfice detonſo capillo, linteum, vel Stuppa, ovi albumine, & aceto roſaceo madida, imponenda & deligatione factâ, integro die naturali linteum extrinſecus iiſdem madefaciendum, nè exſiccetur; ita enim humorum confluentium impetus prohibetur, & aliqua pars reſolvitur.

Sequenti die ſequens Cataplaſma imponendum.

℞. Pulv. roſar. rubrar. fol. & baccar. myrti, an. ℥ ij. farinæ fabarum, hordei, an. ℥ j. abſinthii, betonicæ an. ʒß. ſem. cumini Drach. j. mellis albi ℥ ij. cum vino nigro auſtero F. Cataplaſma cui adde olei roſar. chamæmel. ana unc. j.

Hoc medicamentum, quod appellat Benedictum, bis ſingulis diebus tepidè imponendum eſt, ut non ſolùm contuſam partem, ſed & circircumſitas complectatur; ſitque ejus quantitas, quæ unâ vice adhibetur, mediocris. Si enim ſit exigua, parum habet virium, & à partis calore facilè exſiccatur: ſi nimia, locus affectus comprimitur. Atque in iſtius medicamenti uſû, ad diem uſque nonum vel decimum perſeverandum eſt. In dies enim partem detumeſcere, & collectum ſanguinem reſolvi, ac per poros cutis evaporare animadvertetur, ac ſi calvaria etiam contuſa ſit, ad priſtinum ſtatum reducetur.

Cùm verò dies undecimus præterierit, *Emplaſtrum diapalma Galeni*, corio tenuiſſimo illitum, imponendum, & tertio quoque die immutandum.

Poſt vigeſimum diem ad reliquias humorum abſumendas; & colliſam calvariam in ſuum naturalem ſtatum reducendam, *emplaſtrum Barbarum* corio illitum applicandum. Et quamvis curatio protrahatur, & collecti, & effuſi ſub cutem humores tardius diſſipentur, tamen curatio hoc modo feliciter expeditur.

Foreſtus ad tumores, qui pueris ex lapſû in capite oboriuntur, oleum aniſi commendat, ſi eo tumor illinatur. Victus interim ætati ſit ſufficiens, non nimis tenuis.

Eadem curatio adhiberi poteſt, ſi infanti recens nato in partu difficili, caput contuſum, & tumidum, ob ſanguinem effuſum, ſit: ſed ſimplicior. Solum enim diaphænicum ex roſaceo confectum tumores hos diſcutit. *Daniel. Sennert. Medicin. Tractic. lib. 1. part. 1. cap.* 21.

In contuſione ſemen cumini cum caryophyllis & rad. Sigill. Mariæ applicatum egregiè conducit, vel abſinthium in vino toſtum & applicatum adhibent noſtrates. Alii ſolo ſpiritu vini in quo Caryophyll. & N. M. fuerint infuſa, ad illinendum vel applicandum utuntur. Omnia enim hic conferunt ſalia aromatica vegetabilia, quoniam eorum ſpiritus, ſalia, & olea opera, & externè appoſita ſanguinem reſolvere debent, ſequens ergo erit egregium.

℞. Elix. vitæ ℥ iij. ſpir. ſal. armoniaci caryophyll. ℥ß. Matrical. ℥ 1 ß. aq. flor. ſambuc. ℥ ij. M. quod remedium omnibus contuſionibus & ſugillationibus applicari poteſt. Sequens nuper in oculi contuſione & inde nata Ecchymoſi oculo inſtillatum juvit.

℞. Spir. Sal. armoniaci volat. ʒß. Matrical. ʒ 1ß. Sal. commun. Saturni gr. IV. Camphor. ℈ß. Croci opt. gr. XV. Aqu. Fœniculi euphraſ. ana ℥ j. M.

In quacunque ſugillatione ſequens proderit Cataplaſma.

℞. Rad. ſigill. M. ireos fl. ſem. cumin. fœnicul. herb. Salv. ana ℥ß. caryophyll. Macis ana ʒ iij. Coq. in Vin. Gall. & add. Panis bis coct. qu. ſ. ut fiat Cataplaſma, quod calidè parti imponatur ſugillatæ.

Si ſugillatio fuerit ex contuſione fortiori, ex qua fit ſanguinis è vaſis ſuis effuſio, debet diſcuti & conſumi per ſacculos diſcutientes ex abſinthio, malva, ruta, ſemperviv. fl. Chamom. Sambuc. Sal. commun. Tartar. Sal. Armoniaci &c. paratos.

In magnis ſæpè contuſionibus & plagis metuenda eſt gangræna, vel exulceratio, vel inflammatio, vel abſceſſus, in quem finem ad hæc ſymptomata impedienda nullum præſtantius offendi remedium quàm ſequens, nunquam me nec in deſperatis ferè caſibus deſerens, quod junioribus Medicis communicare libet.

℞. Summ. abſinth. m j. Scordii, Marrub. abrotan. ana M. ß. fl. chamæm. Melilot. Sambuc. ana. Pij. Conciſ. coq. ex decocto earundem herbarum ut conſiſtent. Cataplaſm. acquirat. add. Farin. Hordei, lini q. ſ. Dein. add. Sal. commun. Sal. Armoniaci depurat. ℥ß. Spirit. Vini camphor. ℥ ij.

Cataplaſma hoc tepidè applicetur, & effectus mirandos in inflammationibus malignis, Puncturâ nervorum, Gangrænâ & Sugillatione percipies.

Sunt Ægri qui ſępè Emplaſtra exoptant, inter quę aliis palmam præripiunt Empl. noſtrum Cinnabarinum de Labdano, de Cumino, de Spermate Ceti, de Bryonia Diachyl. ſ. & plura alia alibi dicenda: Sæpè etiam ſanguinem evaſatum ſcarificatione facta eximunt, & cutem defœdatam illinunt oleo Talc. *Joh. Dolæus Encyclop. Chirurg. ration. lib. 5. cap. 5.*

Obſervationes.

Divi Antonii feſto, feneſtra lignea ſatis gravis ex alto decidit in Bregma cujuſdam juvenis, cute tamen non ſciſſâ. Sed graviter contuſa, ex quo caſu in terram prolapſus æger, ſine ſenſu, & motu, cum privatione omnium facultatum principum, horæ ſpatio; ad quem Medicus magni nominis, ſimul cum quodam Chirurgo vocatus à principio, applicuerunt medicamenta conſueta, ovi nempè albumen, oleum roſaceum, & ſimilia; ego verò accerſitus ſecunda die, ſtatim ad cutis ſectionem, & cranii perforationem deveniendum cenſui,

cenſui, renuentibus Chirurgis me ſenioribus, nec non patre ipſius Ægri Variſco; Verùm tantummodo præſcribentibus cataplaſmata, inunctiones, & alia externa remedia. Quindecim verò, aut ſexdecim poſt diebus, denuo accitus, cum viderem tumorem in parte læſa ſatis magnum, atque ſub digitis perciperem pus fluctuans, nedum tamen permiſerunt oſſis exciſionem; at iterum poſt vigeſimam vocatus, annuentibus tandem omnibus, ſectionem cruciatim adminiſtravi, ex qua maxima copia puris effluxit, cujus ratione ſummi illi viri terebrationem reprobarunt, niſi poſt quadrageſimam diem, hac obſervatione adducti; quod natura per poroſitates oſſis cranii purulentam materiam ſupra membranas, & cerebrum hærentem tranſmittebat; quod antea certè nunquam vidi; materia ſiquidem effluebat per poros, ad unciam unam quolibet die: quapropter ægrum cum terebraſſem, ex foramine quotidie copioſum pus emanabat, ipſo tamen ægro ſexageſima extincto. Huic ſimilem etiam caſum in cive quodam Patavino Merio, pila ferrea contuſo in capite, obſervavi, cum effluxû ſanioſæ materiæ per foraminula, & poros Calvariæ; ad quem tertiò tantum invisi, aliis Medicis ad ejus curam vocatis, qui à principio prætermiſſa terebratione, illi mortis autores fuerunt, quod moneo, nè in iſtos incidatis errores, ſi quando præ manibus habueritis hujuſmodi vulneratos, cum ſymptomatibus, quę nobis demonſtrant partes internas læſas. *Petrus de Marchett. in obſervat. Medico-Chirurg.*

Contuſio naſi gravis, cum fractura, & comminutione oſſium ejuſdem, felici ſucceſſu ſanata.

Percuſſus fuit mercator quidam Patavinus gravi ligno ſuprà regionem oſſeam naſi, à quo vulnere non ſolum ex altero oculo ſtatim humores effluxerunt, cum viſionis abolitione, ſed & ſenſuum, & motus, horæ dimidię ſpatio, quinimò os naſi comminutum fuit inſtar granorum milii. Vocatus, recepto motu & ſensû, ſtatim impoſui lignum accommodatum naſi meatibus, digitiſque fracturam compoſui, & formam naturalem ipſi reddidi; poſtmodum ligno educto, turundam ex linteolo, ovi albumine, & bolo armena imbuto indidi, applicito exteriùs albumine ovi cum aqua roſarum, & portiuncula olei roſacei conquaſſato, ac ſuprà oculum pulpis pomorum ſub prunis coctorum, cum caſſia noviter extracta ſimul miſtis. Interim omnia adminiſtrata inhibendæ fluxioni, ſanguinis ſcilicet miſſio, ac medicamenta lenientia, alterantia, & purgantia, ex lege exhibita, prout in aliis vulneribus, & contuſionibus fieri conſuetum; poſtero die parti affectæ, turundarum vice, immiſi pennam anſerinam, obvolutam telâ tenuiſſimâ, imbuta medicamento jam dicto, atque parti externæ applicui prædictum medicamentum, eodem ordine ſervato, uſque ad decimam quartam, inflammatione, & tumore ex contuſione ceſſantibus; poſtmodum cum partes etiam internæ naſi læſæ eſſent, quò cicatrix calloſa illis induceretur, impoſui cannulam plumbeam illitam unguento ex tuthia, atque inſperſam pulveribus ex cornu cervi uſto, terra ſigillata, ac roſis rubris, quibus cicatrix inducta in iiſdem naſi meatibus; partibus verò externis applicui ceratum Diachalciteos, miſtum cum pulveribus, boli armenæ orientalis; quorum usû ſpatio quadraginta dierum æger omninò fuit ſanatus, eadem naturali & concinna forma naſi illi reſtituta. Tandem oculo, ceſſante inflammatione, aquam roſaceam, cum pulvere tuthiæ præparatæ adhibui, ipſumque ſanavi, non citrà tamen visûs abolitionem, ægro adhuc num in vivis agente. *Petrus de Marchett. in obſervat. Medico-chirurg.*

Quòd ſi verum ſit Hippocratis effatum, experientiam nimirum eſſe fallacem, eò magis verum eſſe dixerim, fallaciſſimam eſſe praxin ſine experientia. Mulier quædam è currû cecidit in terram gelu induratam, undè frons tam vehementer fuit contuſa, ut ingens ſtatim ibidem elevaretur tumor. Chirurgus Suburbanus tumore explorato, & ęgrotam aliquoties vomuiſſe intelligens, cranium eſſe impreſſum & fiſſum, nec ſine cruciali inciſione & oſſis elevatione poſſe curari, judicavit. Hiſce propoſitis, adſtantes me vocari juſſerunt, quando ego hanc propoſitam encheireſin renuebam, nulla quippe cranii fiſſi ſigna præſtò eſſe aſſeverans. Ad hæc reſpondit audaculus ille inciſor, ſeſe digitis impreſſionem ſentire, nullam verò eſſe impreſſionem ſine fiſſura. Revera niſi ejuſmodi tumores ſæpiùs in capite digitis exploraſſem, perque experientiam de eorum vera natura edoctus fuiſſem, dixiſſem & ego ipſe cranium eſſe impreſſum: Ita enim tumores capitis poſt graviorem contuſionem ſępiſſimè palpantibus ſeſe offerunt. Quando namque locus inter tumorem & partem ſanam digito comprimitur, cranium ſępè videtur impreſſum, ſicque junioribus facilè imponit. Proindè cauti hi eſſe debent, nè in ſimilem incidant errorem. Itaque loco crucialis inciſionis fomentum ex optimis cephalicis applicitum eſt, ceu videtis infra ſcriptum, cujus beneficio tumor intra duos vel tres dies evaneſcere cœpit, atque ægra noſtra brevi convaluit, ſine ulteriori magno remedio externo. Non ſolum autem in hoc caſu, verum etiam in cranii vera fractura, in qua ſymptomata non augentur, haud ſtatim ad inciſionem & terebrationem eſſe confugiendum, exiſtimo. Præſtat poſt venæ ſectionem ejuſmodi adhibere fomenta cephalica, quæ non parcè, nec linteis exiguis, ſed latioribus panni laneis, calidè ſunt applicanda, totumque caput iiſdem obvolvendum. Sic non rarò feliciſſimè opem tuli iis, quorum capitibus jam ſcalpellum inciſorium imminebat.

Fomentum cephalicum ſupraſcriptum.

℞. Herb. Betonicæ, Majoranæ ana m. ij. Salviæ, Rutæ ana m. j. ſ. Flor. Stæchados, Lavendulæ ana m. ſ. Roſarum rub. m. j. coq. ſ. a. ex ſ. q. Vini alb. ad ℔ iij. Col. detur uſui. *Fredericus Ruyſchius in obſerv. anatomico chirurgic. centuria.*

Vir annum agens trigeſimum in ſphæriſterio pilam à reticulo ſumma vi impulſam accepit circa oculum dextrum, unde ſtatim dolor exortus eſt atrociſſimus. Patiens in memoriam ſibi revocans alios quos antea eodem modo læſos è veſtigio vidit ſanari ſolâ apuâ frigidâ mox ab ictû continuò admotâ, ſtatim applicuit parti contuſę ſudariolum ſuum aquâ frigidâ madefactum, illudque, quàm primum intepeſcebat, nova aqua frigida iterum imbuebat.

Poſtero die ictum ſubſequente amici, qui hoc infortunium accidiſſe intellexerant, ægrotum inviſebant, ſed utrumque oculum ſanum ac belle habentem conſpicientes prorſus obſtupeſcebant, quandoquidem firmiter ſibi perſuadebant oculum, qui ictum adeò vehementem acceperat, egregiè debere liveſcere ac dolere.

Verum quid hoc ſibi vult? an aqua frigida jam proderit in contuſione? illa nocere potiùs videtur, quia ſanguinem extra vaſa profuſum incraſſat, coagulat ac ſtagnare facit; nonnè ſpiritus vini, aliaque medicamenta, quæ ſanguinis motum adaugent, hoc in caſû potiùs conveniſſent?

Ut hujus difficultatis ſolutionem clarè concipias, ſcire oportet, in partibus à pila valdè adactâ læſis vaſcula quædam ſanguifera valdè parva fuiſſe aperta,

quę

quæ ſi jam ſanguinem in tubulos partium læſarum profudiſſent, tunc aqua frigida nocuiſſet; Verum enim verò hæc aqua frigida adhibita fuit, antequam ſanguis exiiſſet, & ſic non tantum hęc vaſcula valdè exigua ſuo frigore iterùm occluſit, ſed præterea in cauſa fuit, quominus novus ſanguis hęc vaſcula intraret per aliquod temporis intervallum; ſic faciem noſtram, rubentem non alia de cauſa, quàm quia per ejuſdem cutim diſperſa jacent multa vaſcula exilia ſanguine plena, pallеſcere cernimus à frigore aquę, aëris, aliarumque rerum, quia illud pro tempore prohibet, nè ſanguis hæc exigua faciei vaſcula ingrediatur, ſic jucundum ac juvenes ad baſia ſtimulantem labiorum in formoſâ Virgine ruborem mutari cernimus in pallidum colorem ab aceto ſanguinem à vaſculis per labiorum ſuperficiem diſſeminatis arcente.

Atqui talia tentare velle, ubi tubuli partium contuſarum jam ſanguine extra vaſa prolapſo repleti ſunt, extrema dementia mihi videtur, ac non rarò gangrænam in parte contuſa exortam novi à frigidis & aſtringentibus intempeſtivè uſurpatis. *Johan. Muys obſervat. chirurgic. decade* iij.

CORNEÆ TUNICÆ MORBI.

Curationes, Conſultationes, & Obſervationes ex variis.

Curationes.

TUnica Sclerotica ſeu dura dicta, à dura matre oritur, eſtque craſſa & poſteriùs opaca, hinc ejus partem anteriorem nuncupant tunicam Corneam, quia eſt ſicut cornu politum & pellucidum; cui tunicæ plures contingere ſolent affectus, & primò ipſi accidit *Craſſities* quędam & nihil aliud eſt quàm obſtructio pororum tunicæ hujus Corneæ; inde ęgri hoc affectu infeſtati quaſi per fumum videre coguntur, & ipſis nebula quaſi in ſuperficie apparet.

Nebula verò eſt color Corneæ parum mutatus ab humore ſubtiliori illapſo ita factus.

Albugo aliis dicitur & *Leucoma*, eſtque macula alba Corneam noſtram tunicam ita denſam reddens, ut radiis tranſitus denegetur. Deſcribi poteſt, quòd ſit macula quædam Corneæ tunicæ, ex condenſatione humoris impacti, vel propter cicatricem vulneris ulceriſque vel propter obſtructionem à viſcido crudoque humore inductam oborta, viſionem lædens.

Differt à *Nubecula* (νεφέλιω) dura craſſitie. Generaliter utraque ſpecies cicatricum ἑλκῶν nomine venit: nemo Medicorum vix has ſpecies diſcernere poteſt.

Puſtulæ ſuper Corneam tunicam ſunt tumores à vi externa, & continui ſolutione ut plurimùm exortæ.

Hypopyon, nonnullis *Pyoſis*, aliis *Lunella* audiens, eſt puris quædam ſub tunica Cornea (*ſeu potius inter lamellas è quibus compaginatur*) collectio, aliquando poſt Ophthalmiam malè curatam, interdum etiam poſt ſugillationem, materiâ in pus tranſmutatâ, oboriens.

Ulcera huic membranæ & ſæpe accidunt, ab acri acido, lympham ex glandulis oculi emanantem ita corrumpente exorta: ut & *Vulnera*, facilè enim fieri poteſt ut à re externa violenta Cornea hæc membrana rumpatur & humor aqueus effluat. Sic & eroſa & rupta Cornea tunica oritur tumor, qui Græcis *Staphyloma* dicitur.

Pars affecta eſt tunica Cornea dicta, quę involvit totum oculum anteriorem, & ſub ſe humorem continet aqueum.

Affectus hi faciles ſunt cognitu, & ipſos noſtros feriunt oculos. Cognoſcitur *Craſſities* & *Nebula* exinde, quòd nebula quaſi in ſuperficie appareat, & ægri quaſi per fumum videant. Sic & *Puſtulæ* quæ ſunt tubercula & ipſo viſu cognoſcuntur, magnitudine granum milii ęquant. *Nonnullæ* ſunt cum inflammatione, plures abſque hac; aliæ ſunt ſuperficiariæ, aliæ profundiores, albæ magis videntur, & facilè totam carneam corrodere poſſunt.

Hypopyon verò ex eo cognoſcitur, quòd pus, vel nigrum totum oculi occupet, vel iridem adimpleat, & per tunicam corneam pelluceat, maximè commotô oculô, vel portio ejus haud ita magna in cornea unguem reſectam, vel lunam decreſcentem ſeu falcatam pręſentet, unde etiam nomen adipiſcitur *Lunellæ*.

Ulcera & Vulnera nullis peculiaribus indigent ſignis, & facilè à perito Chirurgo ſolo adſpectu, & relatione ęgri dignoſci poſſunt.

Cauſa *Craſſitiei* & *Nebulæ* conſiſtit meo judicio in obſtructione pororum tunicæ Corneę à particulis humoris viſcidioribus: dictæ enim particulę facilè ei agglutinantur, & craſſitiem inducunt; atque vel ex maſſa ſanguinea, vel ex lympha è glandulis exudante ſufficiuntur; Plerumque verò hic morbus fit ab acidorum ac frigidorum applicatione, unde tubuli facili negotio obſtruuntur.

Albugo ſeu macula alba, oritur à craſſa & viſcida materia, circa has partes ſe coagulante; ſic quoque à cicatrice poſt vulnus vel ulcus facta. Particulæ enim viſcidę tunicę Corneæ poris intrò foràs ſpectantibus, adeo ſępe infarciuntur ut corpus aliquod membranaceum reprę ſentent; unde neceſſe eſt ut ſuam amittat perſpicuitatem ac craſſior evadat, quod in ſenibus non rarò contingit, ob fibrarum duritiem ac rigiditatem nimiam, quod irreparabile inducit damnum. Idem ferè contingit à cicatrice ex ulcere relicta, cujus occaſione denſior reddita Cornea *Leucoma* contrahit, cujus magnitudo variare ſolet.

Puſtulæ hujus Corneę oriuntur, vel à ſolutione continui ab externa injuria facta; vel humor partis coacervatus ac collectus ſtagnationem & obſtructionem facit unde puſtulæ enaſcuntur, aut propter frigus fit tubulorum conſtrictio, aut per acidum humores coagulans, aut per remedium externum malè adhibitum eos incraſſans, unde illorum pręcipuè particulæ ſalinæ malè figuratæ, tubulos prædictos tranſire nequeunt, ac propterea tam densè agglomerantur, ut circa tubulos corneæ reſtitent, ac haſce puſtulas inferant.

Hypopyi cauſa proxima eſt puris collectio in Cornea. Pus autem exinde oritur, quòd ipſi ſucci in graviori Ophthalmia; aut contuſione, vel ſugillatione extra vaſa diutiùs conſtituti corrumpantur, & aceſcere incipiant, ſicque multas particulas acidas inter fibras hujus tunicæ tranſmittant; quę tubulos earum obſtruentes, & priſtinas tranſmutantes figuras, materiæ ſubtili conſuetum denegant tranſitum, hinc illa fibras impetuoſiùs agitat, unde fibrę irritatę ad ſiſtendum illum in regionibus ſuis excitatum tumultum, omnes concutiunt canales, qui tum inordinate ſuos effundunt ſuccos, quo impetus ille materię ſubtilis vi contraria ſedetur. At varia & intemperata ſic confluit diverſorum humorum, etiam chyli crudioris, miſcela, quę peculiarem ſibi efformat foſſam, modò in medio Corneę majorem, & *Hypopyon* cernitur, modò in ejus fine ſub initium Uveæ, unde figuræ hujus tunicæ ſe accommodare tenetur, & figuram unguis reſecti, ſeu lunæ falcatę prę ſentat, & propterea nomen *Lunellæ* nanciſcitur.

Vulnerum in hac parte, ut & in omnibus aliis, cauſa eſt continui ſolutio & diviſio facta à vi externa. In his vulneribus ſępe particulæ ramoſæ extra tubulos prolapſæ,

prolapſæ, ſibi invicem implicantur, & concreſcunt in materiam quandam fibroſam ac candicantem, non diſſimilem illi materiæ quæ conſpicitur ſępe in aqua, quæ ex V.S. profluxit, & etiam igni impoſita inſpiſſatur. Sæpe etiam ex contuſione, vaſcula ſanguifera diſrumpuntur, è quibus ſanguis ſub ratione ſanguinis emanans ſtagnat, ac livore inficit partes ſibi vicinas. Sic & rarò vulnus in nobili hac parte fit, quin fibrillæ plures ſimul diſrumpantur, & diſruptæ reſiliant in cincinnos, atque ita tubulos multos obſtruant, in quibus humores circulantes accumulati premunt vaſa ſanguifera vicina, ſic ut ſanguis ſtagnet, unde etiam comites tumor & rubor in toto fermè oculo oboriri ſolent. Dolor verò & ardor oritur quando ſanguis in vaſis ſuis capillaribus ſtagnans & evaſatus brevi aceſcere incipit, hincque particulis ſuis pungentibus ſecantibuſque, fibrillas vicinas ſolitò citiùs & impetuoſiùs commovet. Lachrymæ quoque ſæpe emittuntur, & hoc fit, quando particulæ acidæ ejuſdem ſanguinis ſtagnantis & coagulati irritatione ſua leves quaſdam concuſſiones inducunt in glandulis oculi, unde contentus liquor excutitur, adſunt enim octo vel novem ductus novi, ab Anatomicis hactenus non obſervati, qui è glandulis in oculum ſtillant lachrymas, & à quibus irrigantur.

Ulcus Corneæ eſt ſolutio unitatis ab acredine corrodente, ſeu acido corroſivo producta, hîc enim pervertitur alimentum Corneæ proprium in excrementum acre, & in ſaniem tranſmutatur. Ulcera hæc ceu dictum, oriuntur ut plurimùm ab aciditate hac peregrina, in ſanguine vel lympha quacunque occaſione oborta, & ſibi imperium rapiente circa hanc tunicam corneam, & tyrannidem ſuam, lacerando, urendo, dividendo, & abſumendo exercente. Sic quoque poſt vulnus factum facilè acido exuperante in ulcus fit tranſitus, cùm vaſa plura rumpentes plures ſucci evaſantur.

Omnes hi affectus cùm partem nobilem occupent, periculoſi & curatu difficiles ſunt, & cùm in Craſſitie, Nebula & Albugine acribus medicamentis opus ſit, facilè malum his augeri poteſt. Si Albugo fuerit orta à cicatrice, tum curatio eſt difficilis in junioribus, & in ſenibus nulla. Hæc quæ eſt à viſcida materia coagulata ab acido, faciliùs curatur.

Puſtulę verò ſi ſunt in annata tunica, faciliùs, ſi ſunt juxta pupillam, difficiliùs; ſi Cornea in partem internam rumpitur, nulla ratione curari poſſunt, tunc enim tranſit in ulcus. Superficiariæ etiam profundioribus faciliùs curantur.

Hypopyon non caret periculo, etenim ſi materia diutius hæreat ſub Cornea, & majorem induat acrimoniam, quod dolor vehemens ſubinnuit, fieri poteſt ut propter ſpirituum nimiam coagulationem ſubſequatur gangræna, cùm aliàs ſemper difficilis ſit curationis, pus enim jam maturum apertionem tunicæ poſtulat, & ſui exemptionem, at tunica non ſine noxa inſtrumento pungitur, & foramen minuſculum non ſatis commodè puris egreſſum permittit, eo autem exiſtente majore humor aqueus facilè ſimul effundi poteſt, & viſus debilitari, quem cicatrix etiam relicta hebetare ſolet, ob incraſſationem tunicæ ea in parte in qua remanet.

Si Vulnera non totam dilaceraverint tunicam, hoc eſt ſi non tam altè penetraverint, apparet aliqua ſpes curationis, ſi verò Cornea fuerit rupta, & humor aqueus effluxerit, quod in Ulceribus accidere ſolet, omnis curandi ſpes evanuit. Tum ſi vulnus ſit anguſtum minùs periculi habet, ſi ad uveam verò procedit, incurabile eſt. Sic etiam quò ulcus ſordidius & profundius latiuſque eſt, eò curatu difficilius exiſtit, quia in his partibus membranoſis ichor, ſeu ſanies tenuis, acris & minus albicans emanare ſolet, quod maximè impedit partis curationem.

Quoad Diætam generatim fugienda quæ ſanguini & lymphæ acorem conciliant, eorumque circulationem ac motum impediunt; è contra verò uſurpanda quæ acorem temperant, corrigunt & ſuccis celeriorem motum impertiunt, imprimis in vulneribus oculorum lumen fugiendum, & ægri in obſcuro detinendi ſunt. In ſpecie potus Thee commendatur.

In Curatione certè Chirurgia nobilia nobis exhibet præſidia, conducunt enim fonticuli, veſicatoria, & ſetacea.

Ex Pharmaceutico fonte in Craſſitie Corneæ, Nebula, & Albugine, conveniunt interna remedia, & præ omnibus ſaburram quocunque in loco latentem eliminantia; quod obtineri poteſt per pilulas Cephalicas ſive Ophthalmicas meas ſequentes decreſcente luna exhibendas.

℞. Extract. marocoſt. ʒß. pilular. lucis maj. ʒj. de ſuccin. Craton. ℈j. Diagrid. ſulph. gr. xv. ſal. euphraſ. gr. x. ſuccin. volat. gr. VIII. Olei fænicul. ſtill. gutt. IV. F. Maſſa. Dentur veſperi cubitum ituro 5. & ſubſequente mane adhuc 6. vel 7. & dein danda ſunt ſtomachica & cephalica, v. g. ſalv. euphraſ. anthoſ. thee, lavend. beton. cent. min. trifol. aquat. rad. calam. arom. ex his parari poſſunt infuſa, (uti cum Thee facere ſolemus) decocta, eſſentiæ, tincturę, extracta, conſervæ, &c. Sic & vinum medicatum conducit ſequens:

℞. Rad. caryophyll. calam. arom. ana ʒiß. Cort. rad. cappar. ſaſſafr. tamar. mediani frang. ana ℥ij. Herb. euphraſ. mj. beton. fol. roriſm. ana p. ij. flor. cent. min. anthos, roſ. ana p. j. Cort. citri, aurant. ſem. aniſi, fænic. cinnam. ana ʒiß. M. f. nodulus in 5. vel 6. menſuris vini infundendus, de quo in prandio & cęna primus hauſtus ſumendus. Præſertim hic pro uſu continuo ſal. vol. C. C. quod hodie in cæna cum vino aſſumere ſolent plures, & non abſque emolumento; ſed ne quid nimis.

Hic quoque topica magnum afferunt ſępe ſolamen, eò enim incumbendum ut pori obſtructi reſerentur, & acidum coagulans & nervis inimicum, corrigatur; ſpecificè in craſſitie, nebula & albugine, prodeſſe dicunt aquam anagallidis ex ſucco deſtillatam, quod euporiſton erit remedium, ſi vel vitr. alb. vel ſal. vol. C. C. vel ſuccini parum acuatur, ad obſtructionem tubulorum eò meliùs reſerandam & ſpiritus animales alliciendos, qui quaſi freno injecto torpidi in cerebro detinentur, item axungia leporina illita proderit. Imprimis hic prodeſt aqua Reginæ Hungariæ ad gtt. 2. oculo inſtillata, mira enim hac pręſtiti aqua.

Hęc tamen remedia commodum aliquod pręſtare poterunt, ſi vitium ſit ab humorum craſſitie vel impuritate, ſin à filamento quodam proceſſus ciliaris à membrana ſua libero, & humori aqueo innatante, quod obſcuritate & nigredine ſua radiorum lucis tranſitum impediat & nebuloſam pręſtet viſionem, neque hæc, neque alia remedia quicquam præſtare poſſe judico, & optimum in hoc affectu remedium erit, vel neglectus remediorum, vel quies & locus non ita luminoſus, ne ſpiritus animales copioſiùs allecti filamentum illud fortiùs agitent & plurium reſolutionem intendant. Optimè & hîc conducunt veſicatoria, ſetacea, ac fruſtulum radic. thymeleæ apici auris intruſum. Sequens verò collyrium erit egregii uſus in albugine.

℞. Decoct. fænigr. & cydon. in aq. roriſm. fact. ℥ij. Lapid. calamin. ℈j. Sacch. Saturn. myrrhæ, croci orient. ana ℈ß. Æris uſti ʒß. F. collyrium. Aqua verò ſequens ad oculorum affectus egregia eſt, roborat enim viſum, tollit nebulas, inflammationem, ſordes, &c. Paucis guttis in oculum inditis ter de die.

℞. Vin.

℞. Vin. alb. ℔ ij. Aq. roſar. ℔ ß. Chelid. fœnic. euphraſ. rutæ ana ℥ ij. Tutiæ præparat. caryophyll. ſacch. canth. ana ℥ j. Caphuræ, Aloës ana ʒ iß. Digerantur per plures hebdomadas.

Cicatrix difficillimè curatur, notum tamen nobis eſt exemplum illud à Platero in obſervat. relatum de cicatrice caſu per pulverem ſublimati loco ſacchari canthi oculo inſperſum curata, quamvis in principio tanta inſequuta fuerit inflammatio, ut de oculo periculum affuerit, quare iſtiuſmodi caſus non ſemper adeò promptè imitari licebit.

Puſtulæ curantur ferè ut inflammationes, in primis prodeſt ſequens;

℞. Aq. euphraſ. ℥ ij. Sacch. Saturn. ʒ j. M. Ubi verò animus eſt exſiccare magis, tutia & lapis calaminaris reliquis addantur.

Quando poſt graviorem contuſionem aut inflammationem oculi, ſanguis evaſatus & corruptus diſcuti nequit; Ideoque ſuppurari, & Hypopyon fieri incipit, ipſa illa materia purulenta omni ſtudio diſcutienda erit, ne ulterius ſibi ſumat incrementum; quare oculus abluendus erit ſpiritu vini camphorato, cui ſuccus chelid. maj. & cent. min. immiſti fuerint, vel fotus inſtituatur ex decocto rad. valerian. raphan. herb. euphraſ. chelid. maj. flor. melil. chamom. lil. alb. pal. avenæ, vel ſi ne ſic quidem diſcuti poſſit, imponatur cataplaſma ex pulpa pomi putridi & paſſul. cum mucilag. ſem. fænigr. lini. altheæ, & pauco ſtercore columb. Hac etiam de cauſa illinatur ſæpe oculus ſpecifico illo ophthalmico Hartmanni ex fellib. gall. anſer. cum pauco melle in vitro in linimentum redactis. Materia autem purulenta tam copioſa exiſtente ut omnino diſcuti nequeat; inſtituenda eſt punctura, & foramen ea magnitudine formandum eſt, ut pus illud commodè eximatur, & quidem punctio hæc ea in parte corneæ inſtituatur in qua tunicæ omnes concurrunt & terminantur, ad iridem videlicet, ubi tutiùs pungere licet. Proſpiciendum quoque eſt ut pus omne eximatur, ne quid reſiduum maneat humores & ſuccos facilè inficiens, & novæ puris collectioni anſam præbens, quapropter ſi nec ſponte, nec levi preſſione emanabit, ſiphunculus quidam foramini commodè eſt intrudendus, quò pus à famulo exſugatur, qui affabrè ita aptandus eſt, ut in medio ventrem quendam contineat in quem pus exſuctum adinfluat, nec ſugentis os cum nauſea ſubintret, & ab ulteriore ſuctione moleſtia illa abarceatur. Pure tandem egreſſo, fiat ablutio vel aqua hordei cum melle roſaceo, uel ſequente collyrio.

℞. Aquę verben. ℥ j. Chelidon. maj. ʒ iij. Succi cent. min. ʒ j. Thur. tutiæ præparat. ana ℈ j. Myrrh. gr. VI. Vitriol. alb. gr. VI. M. Conſolidatio ſollicitè inſtituatur, ne cicatrix adeò magna relinquatur, & adhiberi eadem hîc poſſunt quæ jam in curatione vulnerum & ulcerum ſumus propoſituri.

Vulnus Corneæ admodum providè debet tractari, quia eſt pars nervea, maximè proinde eò incumbendum eſt ut circulus ſanguinis & reliquorum ſuccorum reſtituatur, atque acidum temperetur, & cùm vulneris hujus curatio conſiſtat in unione partis membranoſæ, ſoli naturæ, cujus id opus eſt, ea committenda, ſi enim ſuccus nutritius, lympha & ſanguis bene conſtitutus ſit, tanquam balſamus eaſdem partes diviſas reunit; convenit ergo decoctum vulnerarium. Chirurgus tantùm hîc applicet remedia membranoſas partes conſolidantia, earundemque corruptionem ab acido inductam impedientia, qualia ſunt vulneraria & balſamica, & hîc, ut in aliis vulneribus, aër externus & peregrinus ante omnia arcendus eſt, nihil enim magis lædit quàm aër & lumen, acidum enim ineſt aëri quod vulneribus maximè eſt infenſum, & acor ſemper eſt intenſior in partibus nerveis, quàm in aliis. Ad balſami ergo nutritivi & quaſi glutinoſi aciditatem impediendam, & jam factam tollendam, & motum ſuccorum conſervandum, conducunt ſalia volatilia oleoſa temperata, talia enim acidum corrigunt, ut ſunt balſam. Peruvianus, balſam. ſulphur. oleum hyper. terebinth. e. g.

℞. Aqu. veron. euphraſ. plantag. ana ℥ ij. ocul. cancr. præparat. corall. præparat. ana ʒ j. Sacch. Sat. ʒ ß. Tutiæ præpar. ℈ ij. F. collyrium. Sacculi quoque imponendi ſunt ex fænogr. hyſſop. flor. chamom. euphraſ. lavend. in vino cocti. Temperata debent applicari, non acria, non acida, non urinoſa, quia nervoſis partibus ſunt inimica, & magis acidum augent quàm minuunt, nec applicentur acria volatilia, detergentia, aut mundificantia dicta. Hic & laudantur Saturnina, inprimis oleum Saturni rubrum, ſi enim deſtillatur Sacch. Sat. prodit ſpir. oleum flav. & rubr. quod Chirurgis ſecretiſſimum eſt, vel inſtilletur ſequens.

℞. Olei deſtill. terebinth. ʒ j. ſpir. vini ℈ j. Camph. gr. VI. M. Cnöffelii experimentum ad dolores compeſcendos in oculorum vulneribus eſt ſequens.

℞. Pomor. dulc. num. 3. coq. in ſ. q. Aq. euphraſ. & roſar. ad mollitiem, trajiciantur per ſetaceum, pulpæ trajectæ adde ſacch. ʒ ij. camph. gr. v. M. applicentur. Aqua album. ovor. Hartmanni, vel cum aq. veron. & cherefol. laudatur, item ſuccus in veſiculis ulmi collectus, de quo videatur *Henric. ab Heers in Obſerv.* Laudat & Burrhus, Romæ non ita pridem mortuus aquam vitrioli mart. myſterioſè paratam; alii aq. chelidon. cum camphora, ridiculâ hac ratione, quòd hirundines occæcatis pullis viſum reſtituant ſua chelidonia, quod tamen potius figmentum cenſemus.

Ubi ſimul aliquid in oculum illapſum fuerit, ſive pulvis, ſive feſtuca, ſive muſca, hęc manu Chirurgi ope inſtrumenti eximantur, & dein applicentur abſorbentia & demulcentia, ut ſunt mucilag. ſem. cydon. pſyll. cum aqu. appropriat. Sic D. Mutillet Chirurg. Aulicus noſter experientiſſimus, ex puellæ ruſticæ 17. annorum, oculo ſiniſtro feſtucam ſub tunica cornea ſuper pupilla infixam, forcipula feliciter exemit, & dein appoſitis collyriis & cataplaſmatibus demulcentibus & traumaticis intra breve temporis ſpatium ægram curavit. Exemplum quoque novimus inſignis vulneris oculi curati ope unguenti Angeli Salæ, de ceruſſa antimon. & ſequent. collyrij.

℞. Sief alb. ſine opio ʒ ß. Tutiæ præpar. ʒ ß. Thur. ſubtiliſſimè pulver. ℈ j. Camph. ℈ ß. Croci gr. iij. Aq. plantag. roſar. ana ℥ ij. M. In vulnere corneæ ubi aliquid humoris aquei effluxerit, applicatur corneæ jam flaccidæ ſequens.

℞. Album. ovor. num. 3. conquaſſ. addendo aquę plantag. ℥ j. Bol. armen terr. Japon. ana ℈ ß. Camph. gr. ij. M. Per intervalla applicetur hæc mixtura, & patiens in loco obſcuro detineatur. Humor aqueus ab ipſo ſuccorum motu reſtituitur, quia hic humor ex propria glandula, per proprium ductum ad oculum mittitur. Vide de his celeberr. anatomic. Hagienſem Nuck, nunc Profeſſorem Leidenſem. Oculos vulneratos ſalivâ jejunâ illitâ curatos fuiſſe teſtantur Miſc. Medic. Phyſ. Obſerv. 92. ann. 3. ubi recenſetur adoleſcentuli cujuſdam 12. annorum, cuſpidę cultelli tunicam corneam uveamque ita vulneratam fuiſſe, ut notabilis quantitas humoris effluxerit, inflictum vulnus, nullo alio quàm matris ſaliva curabatur; mater enim diductis palpebris linguam ſalivâ madidam vulneri admovebat, quô ſenſim ad curam perduxit, remanente tantùm exigua cicatrice cum pupilla anguſtiore. Sic & Hagendhorn Miſc. Med. Phyſ. ann. 9. ſequentem hiſtoriam habet. Ancilla, inquit, caſu quodam rupturam oculi experitur, qua

humor oculi aqueus tam copioſè effluxit, ut oculi figura, quæ antea globoſa, jam collapſa appareat, cum hæmorrhagia, partium vicinarum tumore & intolerabili dolore. Accerſitus Chirurgus varia fruſtra applicuit, tandem verò Hagendiorn pulviſculum immiſit ex cathecu, myrrh. & ſacch. canth. quô immiſſo, & dein aquis ophthalmicis junƈto, & calidè in oculum inſtillato, oculus priſtinam recuperavit figuram, & patiens curata fuit.

Ut corneæ ulceroſæ eroſio tollatur, applicentur acidum corrigentia, conſiſtit enim tota cura in hujus acidi mortificatione, in quem finem conveniunt Saturnina, tutia, pompholyx, caput mort. vitriol. & hîc quoque detergentia & mundificantia non acria, ſed temperata eligenda ſunt, ut balſam. Peruv. Eſto formula una atque altera.

℞. Aq. Samb. ℥j. Spir ſal. armon. ʒj. Tutiæ præpar. ℈ß. Antim. diaph. ℈j. Myrrh. camph. ana ʒj. Immittantur guttulæ quædam oculo hujus miſturæ.

℞. Aq. plantag. pomor. redol. euphraſ. ana ℥j. Sacch. Sat. ℈ß. Mercur. dulc. gr. xv. camph. gr. j. F. mixtura vulneri applicanda. Vel.

℞. Spir. vin. camph. ℥j. Balſ. Peruv. ʒß. M. His præmiſſis, tandem ad vulneraria balſamica, ſarcotica & epulotica diƈta accedendum eſt. Hîc conveniunt temperata & balſamica, de quibus mox in vulneribus; Infuſum flor. balauſt. inſtilletur oculis variolis laborantium ad exulcerationem eorum impediendam.

Ad aqueum humorem reſtituendum nihil aliud uſurpandum, quàm ſuperiùs diƈtum modicè adſtringens, nam non aliud medicaminis genus hîc neceſſarium, quàm quod muccagine quadam labia vulneris obliniat, & viam elabenti humori aqueo quodammodo præcludat, ne aqua de novo progenita per vulnus elabatur; dein inflammatio arceri debet, & levi adſtriƈtione extrema vaſorum apertura claudatur, quibus indicationibus jam diƈtum remedium abſolutiſſimè reſpondet: totius rei cardo in eo vertitur, ut aër arceatur à vulnere, aër enim incraſſat ſuccos circulantes, hinc non facilè coit vulnus. Internè etiam nonnulla adhibenda ſunt ad promovendam curam externam: Præmiſſis ergo univerſalibus, præſertim Mercur. dulc. & antimonialibus, ut & tinƈt. Antim. in uſum duƈta, ſemper interponendi ſunt oculi cancr. cum myrrh. corall. & quandoque cum aceto deſtill. propinati. Sic & conducunt omnia viperina, ſpir. viperar. & earundem eſſentia, uti & omnia remedia ex lignis conveniunt, in primis decoƈtum lignorum. *Joa. Doläus Encyclop Chirurg. lib. 1.*

In albugine & nebula, præter illa communia cuivis nota, egregiè valet pinguedo ex hepate muſtelæ Germ. *quappen Anatrauppen.* Lava ex vino, & ſtatim ita implantetur vitro, ne fundum & parietes ipſius vitri tangat, ſed libere in eodem pendeat; vitrum optimè claudatur & exponatur ſoli aliquandiu, & hepar fermè totum in pinguedinem flavam deſtillat, quam collectam ſerva. Uſus ejus eſt externus tantùm; inungendo palpebras eundo cubitum. Fortiùs Operatur ſi intrò in cibis aliquoties exhibeatur pulvis ille de carduis minorib. pratorum *Heydediſtel.* In phlyƈteris valet aq. vitr. albi. In ulcuſculis hinc (ex phlyƈteris ſcilicet natis) valet aqua ex albumine ovor. Infra de ungue, nebulaque oculorum.

Ad phlyƈteras, puſtulas & maculas oculorum.

℞. Fel Anſerinum, gallinarum & piſcium an. part. æq. vitro inde, adde mellis modicum F. linimentum quô oculi inungantur.

Ad ungues, nebulas, pterygia oculorum feliciter adhibetur ſpecificum lucii piſcis.

℞. Follis luciorum q. ſ. v. deſtilla in cucurbita uſque ad craſſitiem in aqua deſtillata ſolve aliquid camphoræ & poſtea ſerva. Craſſitiem relictam extrahe cum ſp. vini, & ſp. v. viciſſim ab extraƈto per deſtillationem ſepara hujus extraƈti & ſal. ſaturn. an. gut. 1. diſſolve in prioris aquæ gut. 3. vel 4. ac cum pluma in oculum manè & veſperi immitte, videbis felicem progreſſum.

Alia aqua ex albumine ovorum præſtantiſſima præparatur, quę qualiacumque vulnera citra aliquam cicatricem conſolidat, eſtque magnarum Virium; coquantur ova ad duritiem, dein per medium diſſeƈtis (*ungeſchelet*) ovis eximantur vitelli, poſteà cum quibuſdam albuminibus ad duritiem coƈtis & tenuiter quaſi in pultem cum cultello ſeƈtis cavernas reliquorum ovorum comple, partibuſque debitè conjunƈtis & filo colligatis in cucurbita præcisè in medium ex filo ſuſpende, ne ſpondilia ab iis tangantur. Obſtruƈtô orificiô cucurbita in M. B. collocetur & coquantur, videbis albumina ſeƈta paulatim in liquorem deſtillare, quem probè ex fundo cucurbitæ colleƈtum (eſt nimirum ſatis exiguus) ad vulnera oculorum recentia cum pennæ pluma ſæpius applica.

Experimentum meum indubiæ operationis.

℞. Ludum ſeu fœtentem tartarum matulis adhærentem; exſicca & tere ſubtiliſſimè, fiat cum aqua roſar. aut euphraſiæ collyrium, cum pennæ pluma ſæpius applicandum.).

Ad reliqua quoque attende, quæ ab inflammationibus externis oculos muniunt: non dubium eſt, quin quævis oculorum vulnera violenter impreſſa, præſertim ſi ſolutio continui adfuerit (modò cryſtallinus humor cum retina tunica non læſus fuerit) citra viſus perditionem ſanari poſſunt. *Joan. Hartmannus in praxi Chymiatrica.*

Corneæ tunicæ ſuperveniunt ulcera, quæ quia ſunt incurabilia, ea non attingam: humor enim albugineus, per ulcus exit, & totus diffluit. Galenus tamen aſſerit ſe vidiſſe ulcus in cornea curatum: Verùm id in puerulo, partes autem infantium ſpermaticæ refici & reparari poſſunt, atque etiam ulcus illud, vulneri ab eroſione humorum interna minimè genito ſucceſſerat. Verùm cùm ejuſmodi ulcera adultioribus, & à cauſa interna accidunt, incurabilia ſunt, & in tunica conjunƈtiva difficilia ſunt curatu.

Procidentia tunicę uveæ accidit cùm tunica cornea eroſa raptaque fuit. Eam Græci ῥῆξιν, πρόπτωσιν nominant; cujus tres ſpecies conſtituuntur, ratione varietatum, formarum, licet inter ſe non niſi magis aut minùs differant, ut Paulus & Avicenna ſcribunt: nam ſi ea exigua & muſcæ capiti ſimilis appareat, Græci μυοκέφαλον, & Arabes formicam nominant. Cùm verò ampliùs, & eo uſque ſuccreverit, ut acinum uvæ repreſentet, σταφυλώμα quaſi uvatio dicitur: ſi plurima facta eſt acceſſio ut palpebras tranſiliat, μῆλον hoc eſt malum, ſi verò obcalluerit ἧλος id eſt clavus tunc dicitur.

Cauſæ illarum omnium ſunt internæ, vel externæ; ut vulnus, vel eroſio, quùm corneæ ῥῆξις ingens eſt, & uvea per eam procidit, nullus remediis locus eſt. Minores curabiles ſunt, & ſi cicatrices, & veſtigia relinquant.

Præmiſſis generalibus remediis, tum vacuantibus, derivantibus, tùm revellentibus applicabitur parti emplaſtrum ex cydoniis coƈtis in cataplaſmatis formam, ex acacia ſanguine draconis, & bolo arm. ſimul mixtis. oculus etiam fovebitur cum aqua vel decoƈto plantag. roſar. rubr. burſa paſtor. vel collyrio ſequenti.

℞. Myrrhæ ʒij. ſacch. candi ʒj. aloës ʒß. aquæ fœnic. ℥iij. fiat collyrium, inſtilletur in oculum frequenter vel,

℞. Sarco-

℞. Sarcocolæ nutritæ in lacte mulieris ʒ ij. myrrh. & thur. an. ʒ j. ſang. drac. ʒ ß. fiat pulvis ſubtiliſſimus in formam alcool, & mittatur in oculum, vel.

℞. Antimonii uſti & loti, ceruſæ lotæ, cadmiæ uſtæ, & lotæ an. ℈ ij. ſpicæ nardi, aloës, tuth. præparatæ, & ſarcocollæ nutritæ an. gr. vi. cum mucilagine tragac. & gummi Arabici, fiat collyrium; vel fovebitur oculus cum vino auſtero; vel collyrio è lapide hæmatite quod tale eſt.

℞. Lapid. hæmatit. loti & præp. ʒ ij. ceruſæ lotę, cadmiæ, licii an. ʒ j. amyli, antimon. æris uſtorum & lotorum, gummi arabici, & opii an. ʒ ß. cum ſucco folior. olivæ, fiat collyrium; vel

℞. Oſtrearum uſtar. & hæmatit. an. ʒ ij. fiat pulvis ſubtiliſſimus & inſuffletur in oculum, vel.

℞. Oſtrearum, antimon. ceruſæ lotorum, & ſiccatorum an. ʒ j. hæmatit. ʒ i ß. ſarcocollæ nutritæ, tuthię prępar. acacię, aloës ſuccotr. & ſpicę nardi an. ℈ j. cum foliorum olivę vel caprifolii ſucco fiat collyrium.

Si ruptura ſit ingens, & uvea tunica procidat, & in modum uvę acini promineat, eam intus repones, imperando ut ægrotus ſupinus decumbat, & remedia repellentia appones, & ſupra eminentiam laminam plumbeam oculo fortiter alligatam adaptabis.

Sunt qui eam ſerico filo alligant, ſenſim & paulatim quotidie eam conſtringendo donec ipſa decidat, deinde oculum remediis ſupra ſcriptis roborant. Alii verò eam ob deformitatem incidunt. Verùm Avicenna & Gordonius id maximè reprobant, quia per inciſionem, humores dilabuntur, & ęger viſum amittit, quòd certè pejus eſt. Quàm ſi luſcus & lumine brevis permaneat. In Leucomate ſpecificè prodeſt aq. anagallidis cum ſuccô deſtillata; item temporibus applicetur tacamahaca, ejuſque emplaſtrum, ſive per ſe, ſive cum aliis, ut cerato cephalicô, permixtum.

Albugo hęc, quę à pituita fit & humore craſſô ex ophthalmiâ relictô, ſatis facilè curatur, pręſertim ſi non fuerit inveterata: quę verò à cicatrice relicta, difficillimè, quandoquidem in parte exquiſitô ſenſu prędita remedia acriora, conterendę cicatrici idonea vix tolerari poſſunt.

Si ab humore pituitoſo in corneâ concretô albugo ſit producta, pręmiſſis univerſalibus revulſiones & derivationes proſunt: deinde materia fotu ex decoctô fęnugręci, fœniculi, meliloti, chelidonii &c. emollienda. Maximè autem diſcutientia adhibenda, ubi pręſtat aq. mellis deſtillata, ſaccharum candum in aq. euphraſię ſeu fœniculi ſolutum.

Amatus Luſitanus nubeculas craſſas in puellâ 12. annorum ſe curaſſe refert, poſt decoctum ſarſęparillæ exhibendo per 20. dies ſeq. collyrium.

℞. Mellis in ipſô favô ℔ ij. ſummit. fœnicul. flor. ſambuc. euphragię an. p. ij. ſacchari candi ℥ iv. deſtillentur in M. B. & aq. inſtilletur oculis.

Si à cicatrice, pręmiſſis pręmittendis conferunt fella piſcium, ut lucii. it. Succus chelidonii majoris, centaurii, anagallidis, quorum mordacitas, ſi tolerari non poſſit, inſpiſſari poterunt mucilagine tragacanthi, pſyllii vel cydoniorum extracta cum aq. fœniculi, euphraſię &c.

℞. Succor. fœnic, cent. min. anagallid. an. ℥ iij. mellis albi ℥ ß. M. F. linimentum. Plura vid. apud Riverium.

In dolore oculi & vulnere Cornec tunicę prodeſt aq. album. ovorum cum ſuccino deſtillata. Vid. Henricus ab Heers obſ. 12. de vuln. ocul. Mira quoque faciunt antimon. vel ſaccharum ſaturn. rubeum ſi deſtillatur ſaccharum ſat. prodit ſpir. & oleum flavum & rubrum quod Chirurgorum ſecretum eſt.

In dolore oculorum arcaniſſimum eſt pulpa pomorum aſſata cum ſaccharô addita camphora, & imprimis mica panis humectata lacte muliebri, cum paucô crocô, in crocô enim latitat vis narcotica, ut teſtantur quidam qui dormiêre ſuper croci copiam cum periculô vitæ. Ovum ad duritiem coctum calorem ex oculis ad miraculum educit, ſed albumen tantum apponitur. Huc ſymphitum vid. ſupra.

Nota ſi aliquando poſt V. S. brachium ſanguine congrumato afficitur, applicetur tantùm decoctum ſymphiti & mira videbis.

℞. Albùm. ovi num. 1. agita & tantumdem aq. roſ. & lact. muliebris adde.

℞. Sem. fœnugræci ℥ ß. papav. albi ʒ ij. coque in aq. roſarum & decocto albùm. ovi permiſce.

℞. Flor. chamonill. meliloti an. p. j. ſemin. fœnugræci ℥ j. coq. & in colat. decoq. micæ panis ℥ iij. vitell. ovorum nu. 2. croci ℈ j. lactis parum. F. Cataplaſma.

℞. Succ. meliloti, chamomillæ an. ℥ ß. ad ℥ j. lactis muliebris, album. ovor. an, ℥ ij. aq. roſar. ℥ j. Agitentur ſimul & panni madefacti oculo applicentur.

℞. Medull. pan. albi ℥ ij. pulp. pom. dulc. ℥ ij. lactis muliebris ℥ j. olei roſac. q. ſ. M. & adde parum croci F. cataplaſma.

℞. Decoct. ſem. fœnugræci ℥ i ß. Mucilag. ſem. lini ʒ j. ſacchari candi ʒ ß. croci ℈ ß. M. *Joan. Michael. Prax. Clynic. Gener. part. 1. lib. 2.*

Curatio albuginis ab humore pituitoſo in cornea concreto productæ, emollientibus, attenuantibus & diſcutientibus remediis perficitur, præmiſſis tamen univerſalibus, quæ cauſæ antecedentis ſublationem reſpiciunt, & novum humorum influxum ad oculos prohibent, qui facilè proritari poſſet à topicis remediis, præcipuè iis quæ acrimonia quadam, aut calefaciendi vi prædita ſunt, niſi illius materia prius ſubmoveretur.

Itaque primùm univerſales evacuationes uſurpandæ ſunt, tum etiam revulſiones & derivationes, quæ in cura ſuffuſionis & guttæ ſerenæ traditæ ſunt; poſtmodùm verò ad materiam concretam emolliendam, fotus admovendus eſt, cum ſpongiis mollioribus ex decocto fœnigræci, meliloti, chelidoniæ & fœniculi paratus.

Vel ejuſdem decocti vapor oculis excipiatur, & in hunc finem ſequens etiam decoctum parari poterit.

℞. Rad. alth. ℥ j. fol. malvæ, euphraſ. chelid. maj. an. M. j. ſemin. lini & fœnugr. an. ʒ iij. flor. melilot. p. j. fiat decoctio in aqua fontis, cujus vapor recipiatur in oculum manè & ſerò.

Mox diſcutientia remedia uſurpanda ſunt, qualia in ſuffuſionis curatione deſcripta fuerunt; illa enim hic etiam plurimùm conferre poterunt, atque ita collyria attenuantia, & humorem oculo impactum reſolventia, inde erunt deſumenda, & pręcipuè ea quę ex melle cum oxydorcicis remediis diſtillata componuntur. Aqua enim mellis diſtillata, etiam ſola uſurpata, multum præſtat ad omnes oculorum maculas extergendas, ſi illius uſus diù continuetur.

Ad idem præſtat ſaccharum candum, in aqua euphraſiæ, chelidoniæ, aut fœniculi diſſolutum.

Tum etiam valdè conferet, ſi oculus linguâ pueri vel puellæ quę fœniculum maſticaverit, frequenter lambatur.

Amatus Luſitanus nubeculas craſſas in puella duodecim annos nata, ſe curaſſe refert, poſt decocti ſalſæparillæ exhibitionem per viginti dies, ſequenti collyrio.

℞. Mellis in ipſo favô ℔ ij. ſummitatum fœniculi, flor. ſambuci, euphraſ. an. p. ij. ſacchari candi ℥ iv. deſtillentur in B. M. & aqua inſtilletur in oculos.

Semen hormini oculo impoſitum horâ ſomni purgat oculum à ſordibus, eumque abſtergit, ſicque albuginis curationi conducit.

Potenter etiam albuginem diſcutit ſuccus fœniculi recenter extractus, cui balſami Peruviani gutta una admiſta ſit.

Idem præſtat oleum ex linteis combuſtis, cum ſaliva pueri mixtum, & penna illitum; elicitur hoc oleum, lintea accendendo, & inter duas patinas ſuffocando, materiâ refrigeratâ, guttæ illius olei patinæ adhęrentes inveniuntur.

Albugo verò à cicatrice producta, curatur iis remediis, quę cicatricem emollire, attenuare ac diſſolvere poſſunt; cùm autem ea quæ cicatricem conterunt, acrimoniâ non careant, majori cura univerſales evacuationes ac revulſiones præmittendæ ſunt, ne fluxio humorum attrahatur ad partem. Illis igitur, ut ſupra dictum eſt uſurpatis; primum fotus emollientes, aut ſuffumigia adhibere convenit, quæ ſuprà propoſita ſunt, deinde abſtergentia & diſcutientia remedia admovenda ſunt. Primò leniora, qualia ſunt ſuprà propoſita, præſertim aqua mellis compoſita. Poſtea verò ad fortiora veniendum eſt, qualia ſunt fella piſcium, ut uranoſcopi, paſtinacæ, lucii, tunc etiam aliorum animalium, ut perdicis, galli, anſeris, bovis & aliorum. Eòdem modo uſurpari poterunt ſucci chelidon. maj. centaur. minor. anagallidis & ſimilium, quę melli permiſcenda ſunt. Tum quod mel abſtergendi & diſcutiendi vi præditum eſt; tum etiam quia liquores in oculum infuſi, diffluunt ad canthos, nec in pupilla morantur, in qua eorum actio deſideratur, ſed cum melle inſpiſſati facilè pupillæ adhærent. Si tamen eorum mordacitas tolerari nequeat, dicti ſucci aut fella inſpiſſari poterunt mucilagine gummi tragacanthi, pſyllii aut cydoniorum, extracta cum aqua fœniculi, euphraſ. aut alia ophthalmica; formula collyrii ex ſuccis talis eſſe poterit.

℞. Succi fœniculi, chelidon. & anagallidis, an. ℥ iij. ſucci centaur. min. ℥ ß. mellis albi ℥j. M. inſtar linimenti. Si cum albugine adſit oculorum rubor, utile erit collyrium ex vino albo, ſale & tritico paratum in ophthalmia deſcriptum. Vel ſequens.

℞. Aloës & agarici ana ℈ j. pulverentur, & includantur nodulo, qui maceretur in aqua euphraſię vel fœniculi, & confricentur oculi manè & ſerò. Aloë abſtergit, roborat & fluxionem ſiſtit, agaricus potenter abſtergit.

Sugillatio, ſeu color oculi rubeus ex ſanguine in eum effuſo productus, ſi recens adhuc fuerit, optimè curatur ſanguine columbino in eum inſtillato. In illius verò defectu lac muliebre inſtillari poterit cum pauco thure & croco, vel ovi vitellus cum vino admovebitur, quod remedium à Gal. laudatur 4. de comp. med. ſec. loc. cap. 8. Si verò contumax fuerit affectus, fovendus erit oculus decocto fœnugr. althęæ, fœniculi, rutę, chelidon. vel illius decocti fumus oculo excipiendus eſt. Ac denique ea omnia, quę pro ſuffuſione deſcripta ſunt, ad hujus affectus curationem poterunt eſſe idonea. Speciatim verò, in malo inveterato, quandò rubor ad negredinem declinat à Gal. commendatur hyſſopi coma trita, linteo incluſa, in aquam ferventem demerſa, & oculo admota. Et docet experientia, hoc remedium tantæ eſſe efficaciæ, ut cruor ſenſibiliter attrahatur, & linteo adhęreat.

Ac denique color flavus ictericorum, qui in oculis maximè apparet, curato morbo ſponte diſcutitur. Si tamen illius diſſipationem accelerare lubeat, ſuffitu aceti oculis excepto, id præſtari poterit.

Ad curationem Hypopyi præmiſſis univerſalibus remediis, ſi inflammationis reliquiæ ſuperſint; auferendæ ſunt remediis in ophthalmia deſcriptis. Poſtmodùm leniter diſcutientia admovenda ſunt emollientibus permiſta, ne tenuiori parte reſoluta, craſſior materia fiat, & reſolutioni minimè idonea. Fiant igitur fomenta ex decocto florum chamomil. meliloti, ſemin. pſyllii, & fœnugr. cum pannis lineis vel ſacculis applicanda. In progreſſu verò addi poterunt decocto folia euphraſ. chelidon. & ſemin. fœniculi: vel ſequens collyrium uſurpari poterit.

℞. Aquar. verbenæ, rutæ, chelidon. roſar. & fœniculi, an. ℥ß. aloës opt. tuthiæ pręparatæ, an. ʒ ß. ſacchari candi ʒj. pulveriſentur & miſceantur, addendo lactis muliebris tantillum; & fiat collyrium; de quo bis terve in die guttæ aliquot oculis inſtillentur.

Sequens erit valdè efficax.

℞. Croci, aloës, myrrhæ, an. ʒj. vini ℥iij. mellis ʒvj. diſſolvatur crocus in vino. Deinde cum aloë & myrrha miſceantur, tandem mel addatur. Hoc remedio oculi illinantur.

Denique ea remedia, quæ in declinatione ophthalmiæ, in oculorum maculis, & ſuffuſione præſcripta ſunt, hîc etiam conveniunt.

Si reſolventibus medicamentis materia diſcuti nequeat, ad alia remedia confugiendum eſt. Gal. 34. meth. refert, ocularium quemdam ſui temporis Medicum, cui Juſtus nomen erat, concuſſione capitis multos hypopyos ſanaviſſe. Collocans enim eos in ſella rectos, ac capita eorum utrinque à lateribus apprehendens, mox quatiebat, adeò ut manifeſtè deſcendere pus ipſi videretur.

Si neque hac ratione pus viſum impediens dimoveri valeat, Galenus loco cit. ad Chirurgiam confugit, quem ſequitur Aëtius & alii quamplurimi, quæ oculi punctione perficitur, qualis, in ſuffuſione fieri conſuevit, quæ quidem operatio ut parum noſtris temporibus uſitata eſt, ſic peritiſſimi Chirurgi manum deſiderat, & verendum maximè eſt ne apertâ corneâ, cum pure humor aqueus effluat.

In cornea & adnata tunica quemadmodum in reliquis corporis partibus, generari ſolent veſicæ parvę, aquâ repletæ, bullis ſeu veſiculis ſimiles, quæ à combuſtione aquæ ferventis excitantur, φλύκταιναι Græcis, Arabibus *Bothor* nominantur. Suntque tumores quidam parvi inſtar granorum milii. Ab acri quodam aut ſeroſo humore oriundi.

Harum puſtularum cognitio facillima eſt, cùm ſenſibus pateant. Quæ in adnata oriuntur, rubrum colorem referunt: quę autem in cornea, ſubnigrum, ſi in illius ſuperficie conſiſtant; album verò, ſi in parte cornęę profundiore ſitæ ſint.

Quod ad prognoſim ſpectat, phlyctęnæ in adnata minùs periculoſæ ſunt, quam in cornea ſuperficiariæ puſtulæ, minùs periculoſę, profundiores verò magis: metuendum enim eſt ne tota corneæ denſitas erodatur, & vel humor aqueus effluat, vel uveę procidentia contingat.

Curatio in materiæ conjunctæ reſolutione tota verſatur, & cauſæ antecedentis averſione. Et omnimodo puſtularum ſuppuratio prohibenda eſt, quæ in ulcus degenerat.

Univerſales igitur evacuationes, revulſiones, ac derivationes; quę in ophthalmiæ curatione propoſitæ fuerunt hîc etiam celebrandę ſunt. Poſtmodum topica adminiſtranda, quæ leviter repellant in principio, tum etiam diſcutiant, qualia in ophthalmiæ augmento propoſita ſunt, quæ magis convenient, quando inflammatio puſtulas comitatur, quod plerumque fieri conſuevit.

In progreſſu verò, magis exſiccantia & reſolventia erunt uſurpanda, qualia in ſtatu & declinatione ophthalmiæ deſcripta ſunt: ac pręſertim unguenta ibidem propoſita, quæ puſtulis illis diſcutiendis & exſiccandis aptiſſima ſint.

Ophthalmiæ

Ophtalmiæ ſuccedere ſolent ulcera in cornea tunica & adnata, quando in ſuppurationem verſa eſt. Succedunt etiam phlyctænis; ſeu puſtulis, in cornea oriundis, iiſque diſruptis: Fieri etiam ſolent ab humoribus acribus & erodentibus in oculo confluentibus.

Variæ eorum differentiæ ab auctoribus proponuntur, ex variis circumſtantiis deſumptæ: prout ſcilicet vel ſuperficialia ſunt, vel profunda; lata, vel anguſta varias figuras, habentia; & alia hujuſmodi. Sic ulcus cavum, anguſtum: & durum βόθριον foſſula nominatur latum & minùs profundum Κοίλωμα dicitur. Quod in iridis circulo ſitum eſt ἄργεμον appellatur, & à nonnullis ulcus coronale. Quod denique profundum, ſolidius, aſperum, & quaſi cruſtoſum eſt, ἐπίκαυμα & ἔγκαυμα vocatur.

Cognitio ulcerum non eſt difficilis, cùm per ſe oculis pateant: Si ulcus ſit in cornea; ulcuſculum album apparet in nigro oculi; ſi in tunica adnata punctum veluti rubicundum in albo oculi conſpicitur, ob illius tunicæ venas ſanguine refertas.

Ulcera oculi curatu difficilia & periculoſa ſunt, multò magis tamen in cornea, quam in adnata. Ulcus quod è regione pupillæ ſitum eſt, magis periculoſum; quia in eo ſanato relinquitur cicatrix, quæ corneæ diaphaneitatem aufert, ſicque viſionem lædit; & ſi tota tunica erodatur, fit fluxus humoris aquei; & uveæ procidentia.

Curatio hujus affectus quemadmodum & reliquorum ulcerum, detergentibus & exiccantibus perficitur, quæ tamen mitiſſima eſſe debent, propter partis mollitem & exquiſitum ſenſum, præmittenda tamen ea, quę fluxionem ab oculis revellunt, eamque reprimunt, qualia in ophthalmia, tum recenti, tum antiqua fuere propoſita. Et ſi inflammatio ulceri conjuncta ſit, remedia illam reſpicientia cum prædictis erunt permiſcenda. Quibus etiam dolorem lenientia addere conveniet, quoties ille partem infeſtaverit.

Detergentia & exſiccantia moderata ſunt ſaccharum, mel, crocus, myrrha, thus, aloës, ſarcocolla, tuthia, & ceruſſa, ex quibus formulæ ſequentes componi poterunt.

℞. Decocti hordei & fœnugr. ℥ iv. mellis optimi ℥ß. vel ſyrupi de roſis ſicc. ℥j, Fiat collyrium, quo oculi ſæpè abluantur. Vel

℞. Aquar. verbenæ, & plantag. ana ℥ ij. Sacchari Candi ℥ß. Miſce pro collyrio. Vel

℞. Aquæ mellis in B. M. deſtillatæ, & aquæ roſar. ana partes æquales. Vel

℞. Ovum coctione induratum & à putamine mundatum. Dividatur in duas partes, & detracto vitello repleatur fovea ſaccharo cando pulverato. Optimè ligetur & ponatur in cella vinaria. Extillabit liquor, qui detergendis ulceribus ſine morſu valdè idoneus eſt. Et ſi potentius remedium deſideres, myrrha pulverata cum ſaccharo cando admiſcenda eſt.

Montanus pulverem ſequentem valdè commendat.

℞. Albumina ovorum recentium num. xx. ponantur in vaſe ſtanneo ad ſolem, donec exſiccentur, poſtea pulverentur ſubtiliſſimè cum æquali pondere ſacchari, & pulvis immittatur in oculos, qui ſine eroſione plurimùm adjuvat.

In progreſſu morbi ſi potentiùs detergendum ſit & exſiccandum, adde collyriis prædictis trochiſcos albos Rhaſis, thus, aloën, myrrham, ſarcocollam & alia hujuſmodi, in parva tamen doſi, ne oculos exaſperent, & iis etiam lac, albumen ovi, mucilagines, aliaque anodyna addi poterunt.

Tuthia præ cęteris valet, quia minimè dolorifica eſt, & ſine morſu ſiccat, ac cicatricem inducit. Ideò collyria & unguenta ex ea parata utiliſſima ſunt. Et præ cęteris unguentum in ophthalmię curatione deſcriptum, quod magnam tuthiæ quantitatem recipit, erit utiliſſimum.

Collyrii valdè detergentis & exſiccantis, ac cicatricem inducentis formula talis eſſe poterit.

℞. Sarcocollæ nutritæ in aqua roſar. ceruſſæ & aloës lotæ, myrrhę, tuthię pręparatæ, ana ʒß. Sacchari candi ʒj. cum mucilagine gummi tragacanthi extracta in aqua roſar. Fiat collyrium, quo palpebræ illinantur.

Ut ſingulis corporis partibus cancer ſolet accidere, ſic etiam in oculis aliquando contingit. Et cùm ea quæ communem cancri theoriam & praxim reſpiciunt, è morborum externorum tractatibus deſumenda ſint, nos hic tantùm ea, quę ad oculum peculiariter tali morbo affectum pertinent, paucis attingemus.

Cancer vel occultus eſt, vel ulceratus. Occultus ad tumorum genera refertur, & in oculo tumor cancroſus, ſeu cancer oculi nominatur. Ulceratus verò, ulcus cancroſum oculi dicitur.

In utroque tamen adeſt durities inęqualis & renitentia, color plumbeus & liveſcens, dolor intenſus & pungitivus, & tempora pręſertim occupans, venæ lividæ & varicoſæ in tumore & partibus vicinis apparent. Sanguis acerrimus & aduſtus à parte affecta non raro effluit; quando cancer ulceratus eſt: Ac denique à medicamentis tantillùm calefacientibus dolor admodum exaſperatur.

Incurabilis eſt affectus, in oculo, quemadmodum in reliquis corporis partibus, quando jam radices egit niſi operatione Chirurgicâ radicitùs extirpetur.

Curatio duplex ab auctoribus proponitur, vera ſcilicet & palliativa. Vera, ut dictum eſt, in cancro jam genito, & parti valdè radicato, non poteſt obtineri niſi Chirurgiâ. Recens tamen cancer ac ferè incipiens curari poteſt frequentibus evacuationibus humoris atrabilarii, præmiſſâ venæ ſectione convenienti, ut docet Gal. 2. ad Glauconem c. 10. ubi gloriatur ſe hunc morbum per initia ſæpe ſanaſſe, adjungendo remediis prædictis optimam victus rationem.

Curatio palliativa, quæ ad ſymptomatum mitigationem dirigitur, non ſolùm per dictas evacuationes, ſed etiam topica convenientia perficitur.

Primùm igitur victus ratio refrigerans & humectans, qualis humori atrabilario debetur, inſtituenda eſt.

Poſtea ſanguis detrahatur è directo oculi affecti, hirudines ponè aurem ejuſdem lateris applicentur, tum etiam hæmorrhoidibus ſi aliquantulum tumeant. Cucurbitulæ ſcapulis admoveantur, & reliqua revulſionum genera celebrentur.

Purgationes & præparationes humoris atrabilarii, fient per potiones, apozemata, juſcula medicata, ſyrupos magiſtrales, & alia hujuſmodi. Sed præ cæteris multùm confert ad humorem atrabilarium evacuandum Helleborus niger ritè præparatus: ejuſque extracto bis aut ter exhibito, cancer incipiens aliquando à nobis ſanatus eſt.

Hæc remedia humoris affluxum ad oculos, dolores & reliqua ſymptomata vehementia valdè imminuunt. Ad id tamen non parum etiam conferunt topica remedia, qualia ſunt in ophthalmia, ad dolorem leniendum deſcripta; præcipuè autem collyria ſunt ex mucilaginibus, trochiſcis albi Rhaſis & tuthia præparata, cum aqua roſarum, ſolani & plantaginis.

Aqua ſequens pro collyrio & oculi ablutionę erit præſtantiſſima.

℞. Rad. ſcrophulariæ maj. & Geranii Robertiani, ana M. ij. arnogloſſæ; borragin. bugloſ. portul. euphraſ.

euphraſ. beton. ana M. j. ranarum viridium & albuminum ovorum ana num. 12. ſemina contundantur, & folia incidantur. Deinde affunde aquæ roſar. & euphraſ. ana ℔ j. Miſceantur omnia & diſtillentur in alembico plumbeo.

Pullorum caro ad doloris ſedationem plurimum poteſt, & morbum ipſum aliquando hoc ſolo remedio curatum fuiſſe à nonnullis creditur. Sic Mauritius Cordeus, comment. 7. in lib. 1. Hippocr. de morbis mulierum, refert hiſtoriam nobilis cujuſdam fœminæ, cui tota pars dextra faciei cancro, eoque ulceroſo obſeſſa fuit diutiſſimè, quæ cum variis auxiliis, à Medicis Italis, Gallis, Germanis, Hiſpanis, petitis uſa eſt, tandem vulgari hoc barbitonſoris remedio ſanata eſt. Pullos gallinaceos in partes tenues & latas concidebat, quas ſæpiuſculè commutando interdiu admovebat parti affectæ. Alii admovent carnes pullorum Columbinorum, lectas & adhuc tepidas.

Denique curatio vera cancri confirmati, ſola extirpatione obtineri poteſt, quę fit omnimoda oculi extractione: quam tuto & ſalutariter fieri poſſe docet Fabricius Hildanus, & extractionis modum omneſque illius circumſtantias fuſiſſimè deſcribit obſerv. 1. cent. 1. ut ea hîc fruſtra repetere non opus ſit.

Cornea tunica tantam aliquando patitur continui ſolutionem, ut humor aqueus, interdum tunica uvea egrediatur, & illa ſolutio ruptura corneæ ab auctoribus nominatur.

Hujus cauſa eſt ulcus, aut vulnus illius membranę, aut magnus humorum affluxus, à quo dicta membrana ita diſtenditur, ut media crepet, & contenti humores effundantur: ut in muliere quadam Pariſienſi contigiſſe refert Pareus, lib. 16. cap. 13.

Incurabilis eſt plerumque hæc affectio, & viſus privationem relinquit, quandoquidem humores oculi effuſi regenerari nequeunt. Si tamen vulnus ſit exiguum, ex quo portio tantùm humoris aquei effluat, curationem ſuſcipere poteſt: quandoquidem aqueus humor interdum regenerari poteſt, ut docuit Gal. 4. de ſympt. cauſ. c. 2.

Curatio hujus affectûs glutinantibus remediis tentanda eſt, Et præmiſſis univerſalibus evacuationibus; venæ ſectione ſcilicet, & purgatione, ſi eæ neceſſariæ ſint, aſtringentia, & glutinantia oculo admoveantur & in oculum inſtilletur albumen ovi, cui trochiſci albi Rhaſis admiſceantur.

Eadem pars foveatur decocto roſar. rubr. fol. polygoni, rubi, burſæ paſtoris, & plantag. in vino aſtringente parato, ſi non adſit inflammatio in aq. ſimplici. Vel

℞. Carnis cydonior. ℔ ß. roſar. rubr. p. 3. acaciæ ʒ ij. croci ℈ j. decoquantur in vino aſtringente, & fiat cataplaſma parti applicandum.

Ad integram conſolidationem ſequens collyrium adhibeatur.

℞. Aloës lotæ, tuthiæ præparatæ, & ſarcocollæ nutritæ in lacte muliebri, ana ℈ ß. croci gr. v. Cum mucilagine gummi tragacanthi, fiat collyrium. *Lazarus Riverius praxeos Medicæ lib.* 11.

Pars corneæ perſpicua pupillæ foramini obtruſa viſum obſcurat, quando craſſeſcit aut vitioſum colorem contrahit, qui color vel craſſities, aut impedit radios aut vitioſe ſtatim coloratos tranſmittit.

Fit hoc vitium, 1. quando in nutritione corneæ perſpicuæ vitiatâ alimentum nonnihil craſſius & viſcidius ſuggeritur: Unde fit ut obſcurata nonnihil cornea ægris omnia obſcura & quaſi per nubeculam appareant, quod vitium etiam nubecula oculi appellatur.

Fit hoc 2. quando cicatricula ab eroſione tunicæ corneæ, v. gr. in variolis, aut in ejus ulcuſculis, aut poſt ejus vulnuſculum remanet. Talis enim cicatricula non ſecus ac reliquę omnes cicatrices, cum craſſior ſit ac ſpiſſior reliqua corneæ parte, albedinem repræſentat, & tunc albugo ſeu leucoma ſpecialiter appellatur.

Fit hoc 3. quando poſt ictum vel caſum, item poſt plagas oculo illatas ſanguis effuſus & congrumatus in albo oculi & etiam in cornea hæret, & ita vitioſos colores rubrum, cœruleum, lividum, &c. inducit in vitio, quod ſuggillatio oculorum vocatur.

Signa hujus mali non ſecus atque antecedens malum oculis patent. Nam cicatrix inſtar maculæ cujuſdam albæ apparere ſolet: (unde etiam vocatur macula) in nubecula verò cornea nonnihil albicans & ſpiſſa cernitur, & in ſuggillatione color cœruleus, lividus, &c. etiam ſponte patent.

Cauſæ antecedentes, item contuſiones, plagæ, &c. ex relatione ægri pateſcunt.

Quod attinet prognoſin. Vitium hoc eſt difficillimum curatu propter ſummam ſubtilitatem & ſimul exquiſitiſſimum ſenſum corneæ oculi tunicæ: idque eò magis, quo craſſior vel diuturnior fuerit vel nubecula vel cicatricula.

Suggillatio verò facilè emoveri poteſt. In pueris tenellis adhuc faciliùs poteſt abſtergi macula & ipſa tenuis quàm in ætate conſiſtente, ubi ſpiſſior & contumacior eſſe ſolet. Poſt variolas oculos infeſtantes imprimis obſervetur, ut inſequens cicatricula vel macula citò amoveatur, antequam in perfectam abeat ſpiſſitudinem.

Quod attinet curam. In nubecula materia craſſa attenuanda & diſcutienda. In leucomate macula & cicatricula abſtergenda. In ſuggillatione ſanguis congrumatus reſolvendus & diſcutiendus.

Faciunt huc remedia ſequentia. Semen Hormini Sylveſtris impoſitum oculo: hoc enim ſemem maculas & albugines abſtergere ſolet: Vid. de hoc Riverius in praxi & etiam in obſervationibus: unde etiam Poterius folia Hormini Sylveſtris in oculorum fomentis præſcribit.

Albuginem potenter diſcutit ſuccus fœniculi recenter extractus, cui una alterave gutta balſami Peruviani ſit admiſta. Item convenit hîc aqua fœniculi ſaccharata, de qua locutus ſum ſub ophthalmia, quæ colligitur ex ſaccharo caulibus fœniculi excavatis indito & relicto ut liqueſcat. Item convenit ol. panni ſive linteorum combuſtorum cum aqua appropriata miſtum & cum penna illitum. Aqu. mellis ad delendas maculas oculorum & cicatrices imprimis commendatur. Hinc convenit aqu. mellis compoſita Amati Luſitani cent. 6. cur. 53.

℞. Mellis qui in ipſo favo ℔ ij. ſummitatum florum ſambuci, Euphraſiæ, fœniculi ana p. 2. ſacchari candi ℥ iv.

Deſtillentur in balneo M. & aqu. oculis inſtilletur. Succus anagallidis flore cœruleo imprimis floris ejus expreſſus, & vel ſolus oculo inſtillatus, vel cum melle roſaceo miſtus & applicatus, laudatur ad tollendas maculas; Unde & hic commendari ſolet aqu. Anagallidis cœruleæ deſtillata non minus quam aqu. Leucoii bulboſi deſtillata (hoc enim gerit ſignaturam oculi) experimentum etiam eſt aqu. Sapphirea Chirurgorum, ſed omiſſa calce viva, qualiter ſolet eam præſcribere Riverius cent. 3. obſ. 45.

Detur aqua appropriata; in qua diſſolvitur ſal. ammoniaci tantillum, ut leniſſimè linguam feriat. Hæc aqua retineatur per biduum vel triduum in pelvi æ- nea vel vaſe orichalceo donec cœruleum acquirat colorem: Hac enim ſublatæ ſunt maculæ denſiſſimæ in oculo ex diuturna ophthalmia progenitæ. Alias ſuccus rutæ & ipſe inſtillatus maculam corneæ blandè detergit.

Porro

Porro experimentum Plateri, quo omnes albugines curat, eſt ſequens cataplaſma, quod fit ex pulpa pomi coćti miſta cum mucilagine fœnugræci, lapide Hæmatite & corticibus granatorum. Hoc ipſum cataplaſma etiam feliciter adhibet. Horſtius ad maculas poſt variolas relićtas applicatis ſimul in tali caſu veſicatoriis in nucha. Vid. Horſtius lib. 2. obſerv. 39. Ubi habet integram compoſitionem. Liquor ex flor. cichorei cæruleis per deliquium ſive colliquationem in furno piſtorio paratus (deſcriptio vid. in Sennerto cap. de ophthalmia) ſimiliter ſpecificus, eſt ad detergendas maculas & albugines. Porrò curavit aliquando Foreſtus puerum, qui ex variolis in phlyćtenas incidit, quæ exulceratæ in oculorum cicatrices abierunt, cum collyrio ex aqua fœniculi, adjećto felle anguillæ vel pauco ſaccharo. Denique pulvis ex exuviis ſerpentum pulveriſatis cum oculis cancrorum vel cum melle illitus, vel cum aqua appropriata applicatus etiam delet maculas & albugines: ſicuti aliàs hic pulvis experimentum eſt ſingulare in vulneribus & ulceribus, item in cancro oculorum. In quibus oculorum vulneribus etiam experta eſt aqua Chelidonii cum cancro deſtillata ſecundùm methodum Mynſichti. Aqua ſuperius allegata cum Mercurio ſublimato & ipſa applicata prodeſt in macula & Leucomate: Caſu fuit hoc inventum. Platerus enim lib. 1. obſerv. refert, cicatricem in corneæ medio obortam omninò impedientem viſum curatam caſu, per Mercurium ſublimatum loco ſacchari in oculum inſufflatum: Oborta quidem eſt inflammatio, nihilominus tamen hac ſopita macula reperta fuit deleta, unde legitimè applicatus omninò erit proficuus.

In infantibus tenellis, in quibus apparet macula & nubecula: is efficax remedium eſt, ſi mater vel nutrix fœniculum maſticet, & mox halitum in oculos infantis inſpiret: fortius erit ſi poſt maſticationem etiam lingua tangat albuginem, aut ipſa ſaliva fœniculo tinćta glande inungat eandem.

Sin verò fuerit ſanguis congrumatus ſive ſuggillatio; Tunc optimus eſt fotus cum aqua Chærefolii & cum aqua flor. Cyani. Hic enim oculis inſtillatus & etiam cum linteis duplicatis admotus mirè ſanguinem congrumatum reſolvit. Aqu. flor. Cyani, aqu. Chærefolii, aqu. hyſſopi & ſimiles ſunt expertiſſimæ; item cuminum teratur intra dentes & probè maſticetur, & hinc halitus oris in oculum immittatur ſugillatum, mirè confert, & eſt remedium Burrhi cit. loco videndum. In pertinaciori malo ſumatur coma hyſſopi eaque contuſa coquatur & ebulliat in aqu. calida & fotu iſto poſtmodum tepidè foveatur oculus. Nam apertè ſanguinem extrahere congrumatum afferunt, & confirmat hoc Riolanus in traćt. de affećtibus oculorum. Decoćtum radicis ſymphiti cum dimidio radicis ſigilli Salomonis, certiſſimum eſt remedium in ſugillationibus oculorum tollendis. *Mich. Ettmullerus in Collegio Praćtico.*

De Hypopyo.

Ab oculorum inflammationibus non per reſolutionem terminantibus, at in ſuppurationem abeuntibus (item à contuſionibus, *&c.*) pus aliquando ſub Cornea colligitur, qui affećtus dicitur ὑπόπυον, aliquando etiam *Unguis*, viz. cùm pus iridis circuitum amplećtitur, & unguis reſećti figuram refert.

Ad affećtum curandum, præmiſſis univerſalibus qualia in cap. de Gutta Seren. *&c.* præſcripta ſunt, diſcutientia (emollientibus permiſta) principem opem conferunt.

Foveantur ergo oculi *fotibus* in dićto capite laudatis.

Item *Collyrium* ſeq tepidè oculo inſtilletur.

℞. Sacch. cand. ℥j. myrrh. ʒſs. camph. gr. ij. Incdantur duorum ovorum albuminibus, quæ in panno ſtamineo pinſantur ut artis eſt, & f. liquoris expreſſio, cui add. ſolutionis aloës in aq. extinćtionis lapid. calaminaris & ebullitionis tutiæ præp. fáctæ ℥ſs. croci nodulo ſæpius exprimendo incluſ. gr. ij. miſce f. collyrium. *N. B.* Proportio aloës eſt ʒj. ad ℥j. liquoris. Leviuſculum tantum dolorem excitat, non eſt inflammans.

℞. Aq. verben. rut. chelidon. roſ. fœnicul. conſolid. ana ℥vj. calc. viv. ℥iij. Infund. in aq. ſupradićtis per 24. hor. Colaturæ add. ſal. armon. ſacchar. cand. ana ℥ij. Ponantur in vaſe cupreo dum *aqua* colorem cæruleum acceperit. Pone guttatim in oculis bis in die.

Si medicamentis iſtiuſmodi pus reſolvi & diſcuti nequeat, quære annon tentanda ſit talis operatio qualis in cap. præcedenti laudatur ad ſuffuſionem non conſummatam curandam *viz.* Corneæ punćtura, ita ut pus cum humore aqueo effluat? *Theod. de Mayerne in Prax. Medic.*

In Hypopyo operatio Chirurgica.

Hypopium eſt collećtio puris in pupilla oculi. Hoc pus quandoque ita ebullit, ut pupillam totam occupet. Cauſa duplex eſt interna & externa.

Cauſa externa originem ſumit à violento motû, ut caſû, ſaltû, ićtu, contuſione, vociferatione, elevatione, vel ab aliis corporis exercitiis, per quæ venulæ, vel in proceſſibus ciliaribus, quibus continetur humor cryſtallinus, vel in membrana uvea, nimis aperiuntur aut rumpuntur, ubi inſtillatus & extravaſatus ſanguis in pus immutatur.

Interna cauſa varia eſt, ut febris, inflammationes meningum, cephaleæ, animi pathemata, quæ omnia humores poſſunt in internam oculorum ſubſtantiam ex arteriis propellere, & effundere.

Si hic oculorum affećtus generalibus, ut venæ ſećtione, cucurbitulis, purgationibus, veſicatoriis, topicis, exſiccantibus, aut digerentibus collyriis, collyriis, cataplaſmatibus, hiſque ſimilibus non mitigetur, Medicus ad Chirurgiam urgetur, quia non eſt expećtandum, ut pus membranam corneam; ſed & uveam & proceſſus perforet, unde non ſolum Patiens ûſu oculi ſed & ornatu privatus foret.

Galenus memorat, ſuis temporibus expertum ophthalmiathrum, nomine Juſtum ægros impoſuiſſe ſedi, & manus alligaſſe lateribus capitis, qui tam diu illud concutiebat, donec abſceſſu rupto pus deſcenderet, diſcuſſo pure applicabat topica diſcutientia, ſed providus *Galenus* hanc methodum improbat, & ſuadet inciſionem iridis, ut collećtum pus extrahatur, ad quam operationem perficiendam aptum foret inſtrumentum, quod epiſtolæ *Burrhi* depinxerunt; quod deſcribetur, pus per inciſionem exſugendi gratiâ.

℣. Ut hæc operatio ad felicem perducatur exitum, æger imponitur ſedi, opponitur autem luci oculo incolumi ligato linteo, caput pećtori ſervi imponitur, illudque manibus ſervi apprehenditur.

Poſtquàm Chirurgus ſiniſtrâ manû palpebras deduxerit inſtrumento apto, intrepide membranam corneam terebrat, quâ re peraćtâ mox pus effluit.

His peraćtis linum quadruplicatum imbutum hoc aut ſimili fomento imponitur & applicatur.

♃. Aq. Plantag. ℥iv. Roſar. ℥ij. liquor. album. ovi ℥ij. troch. alb. rhaſ. ſine opio ʒij. mucilag. ſem cydon. & pſyll. aq. Euphrag. extr. an. ʒj. M. F. Epithema.

Hoc repellente & anodyno collyrio duobus aut tribus utitur diebus, donec dolor & inflammatio mitigetur, tunc ad abſtergentia & conſolidantia deveniendum.

♃. Aq. roſar. fœnicul. euphrag. plantag. an. ℥j. ſyr. de abſinth. ʒvj. aloës, myrrh. an. ʒſs. ſal. ſaturn. ℈j. M. F. Collyrium.

Hoc calefacto, plumâ, aut penicillo oculus quater aut quinquies illinitur.

Mundato vulnere oculi præſcriptis, utendum ſtipticis & cicatricantibus remediis.

♃. Aq. Plantag. ℥iv. roſar. ℥j. tut. ʒj. lap. calamin. ʒſs. vitriol. alb. gr. v. ſacch. cand. albiſſ. ʒij. M. F. Collyrium.

His benè adhibitis remediis ſequitur perfecta cura, modò æger ſæpius hoc Meſues collyrium de die adhibeat.

♃. Ceruſſ. ℥j. Opii, gr. x. ſarcocoll. lacte nutrit. ʒv. ammoniac. thur. an. ʒj tragac. gum. arab an. ℥ſs. aq. pluvial. q. ſ. f. ſief. *Ioan. Bapt. à Lanzvverde in Append. ad Armament. Chirurg. Sculteti.*

Hypopyum ſeu oculi purulentia, collectio eſt puris in interno oculi, mobilis tamen ad pupillam, tanta ſæpe, ut integram eam occupet.

Cauſæ hujus morbi duplices, Externæ ſcil. & Internæ. *Externè* huc faciunt Caſus, ſaltus, ictus, vociferatio, imò exercitia atque labores excedentes, unde vaſorum ſubtilium in proceſſu ciliari, criſtallini humoris fundamento, aut etiam tunicâ oculi uveâ, ruptura, quam ſequitur ſanguinis extravaſatio, qui facilè hinc in pus mutatur.

Interna cauſa poteſt eſſe Capitis dolor gravis, membranarumque internarum inflammatio, unde humorum in oculi interiora per arterias propulſio, quo pars affecta iis liberetur.

Varia in hoc affectu in uſum duci ſolent, & poſſunt, evacuationes in primis ſpectantia, venæſectiones, ſcarificatione, cum cucurbitulis, purgationes, Topica exſiccantia, reſolventia formâ fotus adhibita.

Mediis dictis quod ſi nihil efficiamus, neceſſarium omnino ad operationem Chirurgicam devenire, quæ primo tempore inſtituenda, ne aliàs materia purulenta oculo contenta tunicam Corneam variis ex pelliculis, quatuor ad minimum, compoſitam perforet vi ſuâ corroſivâ; imò tunicas reliquas teneríoris quæ ſunt conditionis, uveam ſcilicet, ciliareſque dictos proceſſus, exedendo conſumat, unde in oculo omnium confuſio expectanda, imò ipſius viſus, ſenſuum externorum nobiliſſimi, ablatio.

Tempore *Galeni* referente *Paulo Æginetâ l. 5. cap. 20.* Oculiſta quidam fuit, Juſtus vocatus, cujus etiam meminit *parte 1. operat. Chirurg. Fabrit. ab Aquapendente*, qui ægrotantem, hypopio laborantem, imponebat ſedili, hinc utraque manu caput patientis apprehendebat, idque tamdiu agitabat, uſque dum purulenta collectio ſeparabatur, fundumque petebat, hoc ex voto ſuccedente, oculo ipſi medicamenta applicabat reſolventia. Non ſemel ſimili via procedere nobis placuit, aſt nihil unquam efficere licuit, adeò ut operationis hunc modum poſtea iterum tentare neutiquam libuerit. Conſultum ea propter magis viſum, *Galeni* methodo, quam *lib. meth. med. cap. ult.* proponit, procedere. Perforat hic inſtrumento accommodato tunicam oculi corneam proximè ad tunicarum eum concurſum, qui *Corona* & *iris* appellari conſuevit, ſicque materiam purulentam per foramen factum effluere permittit. Hac methodo ſexies, imò octies, bono cum ſucceſſu, malum dictum curavimus.

Operatio hæc & facilis eſt, & periculi omni caret; Inſtituit eam, referente *Iacobo Guilemeau*, dexteritate ſingulari; ætatis anno ſeptuageſimo ſecundo, Chirurgorum regiorum Galliæ primus *Ambroſius Paræus*. Imò ipſe *Guilemeau* in duobus ſubjectis feliciter hâc via proceſſit. Legi hîc poſſunt quæ habentur apud *Paræum lib. 7. cap. 17.* & *Guilemeau part 4. Tract. de ocul. cap. 12.*

Ultimus eorum in quibus Operationem hanc inſtituere nobis conceſſum, faber fuit lignarius ex ordine eorum qui navibus ædificandis inſerviunt; Penultima curationi noſtræ ſubjecta Uxor erat *Juſti Bulzing*; Mercatoris hujus loci, in qua ad hunc modum, præſentibus *Domino Theodoro Wynants*, Medico ordinario, & *D. Petro Svveers*, Chirurgo, proceſſimus: Sellæ imponebamus ægram, ſic ut luci clariori eſſet obverſa, hinc Oculum ſanum regebamus linteo complicato, mox caput ejus manu utraque prehenſum, & manibus & pectore ſervi noſtri ſuſtineretur, effecimus. Hiſce ſic prægreſſis, manu dextra apprehenſum inſtrumentum, accommodatum, oculi parti ſuperiori applicavimus, loco qui proximus Tuniearum conjunctioni, mox ſiniſtræ manus ope dilatatis palpebris; quo certior foret operatio, intrepido animo corneam perforavimus; & illicò materia purulenta exitum invenit.

Perforatione peractâ *Emplaſtrum defenſivum Vigonis* parti vulneratę impoſuimus, imo etiam ope lintei quadruplicati, fomentum ſequens:

♃. Aq. Plantag. ℥iv. Fœnic. ℥ij. Sief. Alb. Rhaſ. ʒij. Sem. Cydon. Pſyllii an. ℥ij. F. Epithema, calidè applicandum.

Epithemate, Emplaſtroque ad dies duos treſvè uſurpatis, quorum ope & dolor, & inflammatio remiſerunt, Mundificantia media applicavimus v. g.

♃. Aq. Plantag. Eufraſ. an. ℥iv. Syr. Abſinth. ℥ß. Aloës, Myrrh. an. ʒj. M. F. Collyrium.

Penicilli ope quater quinquieſvè hoc oculo calidè illinire placuit ſingulis diebus, & quidem per dies quinque aut ſex; coacti enim ea quæ cicatricem inducere, oculumque roborare valerent, aſſumere, hujus conditionis mixtura hæc;

♃. Aq. Plantag. ℥iv. Tutiæ præp. ℥j. Lap. Calam. præp. ℈j. Vitriol. Alb. gr. 3. Sacch. Candi ʒij. M. F. Collyrium.

Et horum uſu affectus dictus perfectè ſine ulla viſûs imminutione curatus eſt.

Sequenti medicamento uti ſoliti ſumus, quoties materia purulenta in oculo ſe primum manifeſtare incepit. Deſcriptio ejus habetur in *ſubſid. Med. Duranti Schachi cap. 20.* qui eam ex *Meſue* deſumpſit.

♃. Ceruſſæ ℥j. Opii, Sarcocollæ lacte nutritæ an. ʒiij. Ammoniaci, Croci, Thuris an. ʒj. Gumm. Tragacanth. Arabic. an. ℈ß. F. Sief cum aqua pluvial. aut cum mucilagine fænigræci. *Iobus à Meekren in obſervat. Chyrurg.*

De depoſitione Pterygii ſeu ungulæ.

Pterygium ſeu ungula eſt membranula nervoſa ab interno oculi angulo pronaſcens, & per oculum ſe obtendens, & uſque ad totam pupillam aliquando perveniens, viſum atque ipſius oculi motum impediens. Et ſi autem ungula ut plurimum ab interno oculi angulo oriatur, oritur tamen etiam interdum ab externo, aliquando à parte ſuperiore, aliquando ab inferiore.

Ungularum

Ungularum variæ ſunt differentiæ, aliæ deſumuntur à colore; & ſunt rubri, albi, citrini, aut fuſci coloris. Aliæ ſumuntur à ſubſtantia, quarum conſideratio magis ad praxin eſt neceſſaria; & ſic alia ungula eſt nervoſa, adipoſa alia. Aliæ deſumuntur à tempore durationis, ſic alia eſt recens & levis, quæ velociter removetur, qualibet ſuſpenſione, alia inveterata & dura, quæ difficilius.

Præcipuum ſignum ungulæ eſt à ſenſu, viſu facilè cognoſcitur. Aliud tamen etiam ſignum eſt, quod qui eam habeat videatur ſibi ſabulum in oculo habere, cum ungula jam eſt indurata & ſolida facta; tunc oculus non poteſt moveri, verſus latus ungulæ oppoſitum.

Hæc ungula curatur Chyrurgia in ejus depoſitione duo ſunt pericula; primum ne cornea lædatur, cui ipſa uno ſuo extremo adhæret; Secundum eſt, ne dum ea perſcinditur circa angulum oculi vulneretur caruncula lacrymalis. Nam ſi cornea lædatur, fit in ea inæqualitas, & exinde opacitas, & conſequenter viſus hebetudo, vel cœcitas; Si caruncula lacrymalis læderetur, ſequeretur quædam incontinentia lacrymarum & perpetua lacrymatio, & in ipſo actu Chyrurgico ſequeretur quidam fluxus ſanguinis. Itaque agendum eſt, ut potiùs aliqua ipſius ungulæ particula ſuperſit, quàm ut exactè tota præſcindatur, & quod ejus remanet per abſtergentia ſeu erodentia medicamenta removeatur.

Chyrurgiæ plures modi ſunt. Primus eſt iſte; Æger jejuno ſtomacho in ſedili contra medicum collocetur, vel in ſinu medici caput reſupinum ponat; ſi in ſiniſtro oculo autem vitium ſit, melius eſt ægrum adverſum in ſedili ſedere; ſi in dextro præſtat reſupinum in gremio medici jacere. Tunc altera palpebra à miniſtro diducatur, altera à medico. Medicus hamulo argenteo ſeu unco modicè inflexo, circa medium ungulæ inflexo illam leviter elevet, ne corneæ tunica trahatur, quod inflammationem pareret. Dum autem ſic elevatur, continetur penna anſerina plana, ut illa eſt qua cythara pulſatur, vel aliquantulum majore obtuſa cuſpide, vel inſtrumento argenteo cuſpidem habente ad ſimilitudinem roſmarini & à lateribus obtuſo paulatim excorietur, primo verſus angulum lacrymalem, deinde leviter removeatur à cornea; & iterum juxta lacrymalem progrediendo cautè apud eum forficibus præſcindatur.

Secundus modus eſt iſte; Situato patiente ut ſupra, medicus accipiat acum argenteam longitudinis quatuor digitorum, quæ undique ad ipſius libitum flecti poſſit; & illa in foramine habeat filum ex ſerico, & pilum ex cauda equi, vel loco pili imponatur cordula teſtitudinis & adæquatis pilo & filo, & ſputo lenitis acus immittatur, & tota ungula apprehendatur. Si acus commode ingredi non poteſt, primum ungula hamulo attollatur, & acus tum imponatur, deinde filo ſerico conſtringatur, & alligetur ungula; & à miniſtro ſuſpendatur. Tum medicus pilo aut chordula teſtudinis blandè hinc inde excoriando, ambabus manibus filum ſurſum ac deorſum trahendo ad modum ſerræ ungulam ab oculo ſeparet, uſque ad angulum lacrymalem. Ungula forficibus præſcindatur.

Albucaſis lib. 2. cap. 16. deſcribit tertium modum ſed is valet quidem in ungula fragili & adipoſa, ſed non in nervoſa.

Poſt operationem ſuper oculum applicentur, quæ inflammationem impediant, ut ſunt illa, quæ in tractatu de cataracta poſuimus; poſtea abſtergentia adhibenda. *Thom. Fienus de præcip. Art. Chirurg. Controverſ. tract. 3.*

Conſultationes.

Pro Illuſtri, & Nobili Bergomenſi Maculam oculi habente.

Illuſtrem, & Nobilem Virum non teneri ea ſpecie albuginis ſecundùm utrumque oculum; quod ex cicatrice poſt ſanatum ulcus in tunica Cornea orta legitima dicitur, ſed quæ ſpuria, & notha nuncupatur, facta non à ſcirrho, ſed à pituita craſſefacta unicuique ſatis perſpectum eſſe non dubito, qui quidem affectus eſt, qui ab Auctore libri de oculis Pannus, non autem qui ab Arabibus Sebel, à pleriſq; panniculus vocatur, nam Sebel ex Rhaſe eſt panniculus venoſus qui ut pterigium ſibi curationem expoſtulat. Cæterum quoniam viſio fere ex toto eſt ablata; auffertur autem non ſolum partium famulantium (inter quas tunica Cornea numeratur) verum etiam vitio facultatis, ac partis, cui primo debetur actio videndi, jure quis quærere poſſet, an vitio Corneæ conjungatur aliquid aliud ex jam dictis, cui ſtatim reſpondeo præter dilatationem pupillæ, quæ oculis ipſis patientis noſtri oculos intuentibus conſpicitur, de aliis nil certè ſtatui poſſe, nam ſi præteritorum ratio habeatur, cum Illuſtris Patiens occaſione deſtillationis ante multos annos inciderit in Ortopnœam & ab hac materia ad oculos converſa affectum nunc propoſitum incurrerit, facilè quis ſuſpicari poterit nervos viſorios non parum paſſos fuiſſe; Adhæc, quoniam antea ferè ſe totum Vir Nobilis Veneri tradidit, ac malorum, quibus diu fuit afflictatus, occaſione, pluribus remediis evacuantibus atque calorem, ſpirituumque innatum multùm diſſipantibus uſus fuit, nullus eſt, qui non arguat, propter hæc omnia coadjuvante etiam ætate ſenili ſpiritus ipſos deficere. At quoniam denſata, ac veluti indurata tunica Cornea, ſpecies viſibiles non recipiuntur, hinc de hiſce propoſitis certum judicium ut dictum fuit minimè fieri poteſt.

Sed jam principia generationis horum vitiorum afferenda; quæ omnia in inſignem pituitæ proventum refero, quæ intra laminas tunicæ corneæ concreta albuginem, in ſubſtantia tunicæ uveæ imbuta mydriaſim parit, Proventus autem hic pituitoſus primaria quadam ratione ex fluxione ſuſcipit occaſionem, coadjuvat tamen, & facultas alteratrix oculorum à proprio ſcopo (quia non benè conficit alimentum) aberrans ſicuti in morbis longis, & in ætate ſenili contingere ſolet, Pituitam confluere docet color ejuſdem panni, fluere autem per modum tranſmiſſionis, partis imbecillitas ex morbo longo contracta perſuadet, quanquam ſuccum hunc pituitoſum antea propter inflammationem oculorum attractum, ac diſſipatis partibus tenuioribus ob calorem inflammatorium craſſefactum fuiſſe non hæſitem.

Quamobrem ſi affectus ii curandi eſſent, Medicus omne ſtudium eo dirigere deberet, ut humorem jam impactum diſcuteret, fluentem ad oculos derivaret, atque revelleret, ejuſdem generationem per alterationem tum cerebri, tum ventriculi ad calidum prohiberet, tandemque, & oculorum proportionem remediis ocularibus conſervaret.

Quas medicas intentiones explere nemo eſt ex medicis; qui non videat provinciam penitus impoſſibilem, nam ubi viſio ob affectus præternaturam in habitu, qui pluribus, & efficacibus materiis medicis ſine fructu non ſemel à Viris Excellentiſſimis tractati fuerunt, auffertur, ubi plures oculorum partes affectæ ſunt, nullam ſalutis ſpem remanere quis eſt qui non videat; Quoniam ablatam viſionem ſic

reſtituere eſt opus divinum, non humanum: quia tamen medicina eſt donum ipſius Dei, ac inſtrumenta medica, veluti manus ejuſdem ſolent interdum eſſe proficua (cum ſæpius ipſe, & natura ab imminenti etiam morte vindicaverit) ideo à materiis medicis in hoc quoque caſu non eſt deſiſtendum, quin inquam hæc tum ego proponam, tum Patiens diligentia, & ſtudio Excellentiſſimi curantis ad uſum deducat.

Et propterea (quantum attinet ad chirurgicam) præter veſicantia capiti adhibenda, Cauterium ad aliquot dies in ſincipite geſtatum ſummoperè laudo, & cauterium; atque ſetaceum in cervice, tanquam ea remedia; quæ citra aliquem fructum pluries tentata fuiſſe non propono, ſed præter hæc propoſita & aurium perforationem, itemque ſcarificationem cartilaginum eorumdem non improbo. De venæſectione, ſicuti de remedio, quod ſæpiùs fuit adhibitum, atque ipſius nunc nulla ſeſe offert neceſſitas, nihil dico; cucurbitulas autem, modò ſiccas, modo humidas, frictiones, ligaturaſque partium extremarum proficuas admodum eſſe poſſe fateor.

Quantum verò nunc ad medicamenta attineat, mihi videtur opportunum, ut neglectis interim communibus, ac aliis, quæ ſæpius gratia totius fuerunt uſurpata proſequatur; Patiens in uſu decocti chinæ, & medicamenti ex viperis, ea tamen ratione, ut quibuſdam intervallis conſtitutis non ſolum tempore uſus hujus decocti, verum etiam extra hanc occaſionem utatur pilulis lucis tantum, aut etiam admixtis cochiis: Gratia autem capitis peculiariter ad evacuandum maſticatoria, ad alterandum embrocam ſeu lotionem calefacientem, atque ſiccantem omnibus præfero.

Et quantum attinet ad topica, quæ detergentia, & diſcuſſoria eſſe debent, plura ſeſe offerunt medicamenta, inter quæ primum probo aquam fragorum inſtillatam, ſecundo ſanguinem galli antiqui eodem modo uſurpatum; huc pertinet mulſa cum ſucco fœniculi adhibita, oleum balſami, liquor qui extrahitur ex arundine fœniculi in horto ipſo de nodo ad nodum perforata, ſale minerali, ſaccharo, pulvereque Eufragiæ repleta, ac cera per noctem obturata. Sed collytium ex ovo medicato cum viridi ære & aloë lotis, atque ſarcocola nutrita, tanquam efficax medicamentum, ſeu experientiaque mihi non ſemel comprobatum propono, ſicuti & illud, quod fit ex mica panis nuper è clibano extracta, in mulſa macerata, ac ſanguine columbino perfuſa, Vapores enim qui ab hujuſmodi mixto intra duo vaſa ſtannea concluſo, exhalant, in aquam convertuntur, quæ in oculos inſtillata mirificè valet ad uſum dictum. quo pertinet & collyrium Raſis ex fellibus. Verum ante horum omnium medicamentorum uſum maximè proderit, ſi oculi foveantur ſpongia molli madefacta in decocto altheæ, malvarum, fœnugræci, ſeminum lini, ac hujuſmodi aliorum emollientium. Ad proportionem autem oculorum flos nucis muſcatæ cum conſerva Eufragię probatur.

Atque demum inter ea, quæ victus rationem attinent, illud noto, ut omnia illius cibaria condiantur pulvere Eufragiæ, verbenæ, ſeminum fœniculi, rutę, & ſacchari, Vinumque cum Guajaco, ſalſa, & ſimplicibus ocularibus jam dictis alteretur. Reliqua verò huc ſpectantia, ſicuti & & pleraque alia tanquam Excellentiſſimo curanti notiſſima conſultò prætermitto. Faxit autem D. O. M. ut hęc omnia Illuſtri, & Nobili Patienti ſalutaria reddantur. *Julius Ceſar Claudinus in Conſultation. Medicis.*

Pro Perilluſtri, ac Nobiliſſimo adoleſcentulo Flandro Albugine ſecundum oculum dextrum, diminutaque viſione ſecundum utrumque oculum affecto.

Nobiliſſimum adoleſcentulum ſuperioribus diebus ophthalmia ſecundum oculum utrumque detentum nunc macula, ſeu albugine in dextro oculo tantum; membranæ corneę affectu, detineri, præter id, quod ſenſus atteſtatur, manifeſtè, ex his etiam colligere poſſum quod hujus affectus proprium eſt tum objectum, veluti per velamen, & per rete viſibile reddere (idque patienti noſtro contingit) tum ophthalmiam, vel facilè ſubſequi (hęcque pariter præceſſit) ex quo Albuginem hanc impropriam eſſe ſequitur, quandoquidem propria factam in oculis ulceris occaſione cicatricem ſubſequitur: Verum quoniam adhuc adoleſcentulus noſter difficulter ſibi remota valet videre, præter dictam maculam imminuta quoque viſione (quod & ad oculum dextrum ſpectat) ſine dubio laborabit; A quibus non ſolum ut interim liberetur expoſtulat, ſed etiam ut ab inflammatione jam prægreſſa tueatur, ac impoſterum pręſervetur exoptat.

Quæ uti ipſi tutius ſuccedant, mihi circa modum generationis affectuum pręſentium, & cauſas eorumdem prius, breviter tamen digrediendum. Et profectò immediatam cauſam illius albuginis denſationem corniformis tunicæ ab humore craſſiori occaſione ophthalmiæ in membrana illa derelicto poros ejuſdem obſtruente productam affirmo; ex quo ne rerum viſibilium ſimulacra ad cryſtallinum humorem uſque precipuum viſionis inſtrumentum liberè permeare poſſint, impediuntur, ſicque objecta per nebulam veluti à patiente conſpiciuntur, qui quidem humor pituitoſus exiſtens (ut ex Albedine conjicitur) ſuæ generationis ortum habuit ob errores potius externos, quam quod in vitia facultatum capitis, ventriculi, ac hepatis referendus exiſtat, quamquam & ipſa aliqua ratione concurriſſe crediderim, caput ſcilicet aliquali humiditate, ventriculum vix frigiditate, & hepar proprio fervore.

Cæterum quæ cauſæ prædictam viſionis diminutionem efficiant, non ita facile dignoſci poteſt, cum etenim, commodius, propinqua videre, quam in debita diſtantia locata ut plurimum illis accidat, qui aut ſpirituum viſioni deſervientium defectum, vel impuritatem patiuntur, cumque perilluſtrem hunc adoleſcentulum ab his immunem eſſe Dei beneficio colligatur ex his, quod in ea eſt ætate florida conſtitutus, quæ pluribus donata eſt ſpiritibus viſoriis, nulluſque præceſſit affectus, qui illos diſſipare potuerit, quod ſecundum oculum ſiniſtrum remota quoque, conveniente tamen diſtantia, bene videt; idcircò aliundè mihi cauſa eſt exploranda, quam dilatationem ob foramen Ragoidis ab humiditate diſtenſum; quatenus per hanc aliqualis ſpirituum diſgregatio ſuccedit; immediatam cauſam hujus imminutæ viſionis conſtituo, dilatatio oculis ſeſe offert intuentibus, reliquę vero cauſæ humorem prædictum foramen dilatantem producentes ex dictis innoteſcunt.

Quidnam autem cauſæ ſit, cur oculi præſertim in hoc nobiliſſimo puero paſſi fuerint, & prædictis affectibus nunc dexter detineatur, cum excrementa in corpore quantitate, qualitateque excedant hæc declarant nimirum partium reliquarum robur ad expellendum potens, oculorum naturalis imbecillitas ad recipiendum apta, eorumdem ad prędictos patiendos affectus hæreditaria ex parte matris diſpoſitio, inflam-

inflammatio progreſſa occaſione doloris, & caloris ad attrahendum apta.

Quibus ita de modo generationis, necnon cauſis horum affectuum conſtitutis, jam Medici munus erit tum humorem in cornea imbibitum, & illam obſtruendo denſantem, tum illum in ragoidis infarctum, & illius foramen diſtendendo dilatantem, præſidiis diſcutientibus reſolvere, oculorum proportione ſervata; ſed quoniam hæc per medicamenta localia conſequi oportet, eaque totius providentiam utique ſupponunt; idcirco ad totius corporis morboſum apparatum, omnem operam Medicus convertat oportet; quod quidem ſummopere ad præſervationem quam tantopere patiens exquirit, conducet, quod tutius aſſequetur, ſi caput demum, & hepar illud potiſſimum ad ſiccum, hoc autem ad frigidum alterabit.

Quæ omnia quamvis ob diſpoſitionem matris hæreditariam, & ob ſuffuſionis prope imminentis ſuſpicionem, aliquam difficultatem præ ſe ferant, hanc tamen poſſe ſuperari, primum Dei beneficio ſuffultus, mox ætatis vigore, ac anni tempore verno, in quo ſumus, vel facile arbitror, & quæ hujus rei certiſſimum præſtant argumentum, duo ſunt, quorum alterum illud eſt, quod etiam in oculo ſiniſtro poſt ſanatam ophthalmiam albugo, quædam ſimilis viſa eſt ſuperſtes, quæ tandem ſolo beneficio naturæ fuit reſoluta: Alterum eſt quod patiens perilluſtris prædictos incurrerit affectus propter errores potius externos, quam ob internas viſcerum diſcraſias.

Materias itaque præſidiorum aggrediens, primum ex Chirurgica (ut præſervationi etiam incumbendo tutius oculo nunc affecto topica admoveantur) cucurbitulæ partibus infernis applicitæ, & ſcarificatæ maximi erunt uſus, ſicuti, & poſtulante occaſione, venæ baſilicæ, cephalicæ, aut demum ſalvatellæ ſectionem haud improbo; cucurbitula quoque cervici, vel etiam parti capitis poſteriori è directo oculum affectum proſpicienti admota, & ſcarificata, ſi neceſſe fuerit, ſummoperè proderit. At reviviſcente morbo (quod avertat Deus) ad materiæ interceptionem, ſetaceum in cervice mirifice conferret, interim tamen omninò cauterium brachio dextro infigendum eſſe cenſerem, quod quantum valebit ad præſervationem præſentium affectuum, ac ophtalmiæ in dies adoleſcentulus experietur.

Medicamenta ex pharmaceutica Medicinæ parte petita varia ſint oportet, & primum quæ rationem totius habebunt, erunt mel roſatum ſolutivum & ſyrupus roſatus pariter ſol. vel caſia, una cum ſpeciebus hieræ Galeni. Secundo humores præparabuntur cicorii, endiviæ, betonicæ, euſragiæ, & chelidoniæ decocto, adjectis ſyrupis accommodatis; poſt quæ purgans aliquod medicamentum præſcribi poterit, ſicuti quod ex infuſo agarici trociſcati, & Rhabarbaro, addito ſyrupo roſato ſolutivo conficitur, in quem finem etiam radice mechiocani uti conveniens erit, aut (ſi fortioribus) pilulis lucis; ſine quibus, & aſſaiaret Avicennæ omninò inſiſtendum. A totius expurgatione deveniendum eſſet ad partium alterationem, niſi adhuc aliqua impedimenta remanerent, tum ratione totius, tum ratione capitis; Et quidem quę adhuc totum reſpiciunt ſunt aliquæ excrementorum reliquiæ, quæ commodè per medicamentum inſenſibiliter evacuans conſumi, abſumique poterunt, hoc autem erit chinæ decoctum una cum modico ſalſæ, niſi ventriculus obſtet, aut etiam cum tantillo, ſi opus fuerit, ligni guajaci; cicoreacis tamen caſtigati, betonica, & ocularibus ſimplicibus adjunctis: Verum & ſenſibiliter caput maſticatoriis expurgari poteſt, quo in caſu ſolo maſtiche, ſolove papyro contentus eſſem.

Ac interea medicamenta diſcutientia oculo ſunt admovenda, quæ ſimul oculi proportionem reſpicere debent, ſed à mitioribus inchoandum, inter quæ ſunt ſanguis columbinus, turturis, aqua fragrorum, chelidoniæ, euſragiæ, Urina pueri per ſe ſola, vel una cum melle diſtillata, & oculo inſtillata; vel ſi patientis oculus lingua ejus, qui fœniculum maſticaſſet lamberetur, plurimum prodeſſet.

Quibus non conferentibus ad fortiora deveniendum, ad omnia ſcilicet fellium genera, perdicis autem potiſſimum; ad capita ſimiliter hyrudinum detracta in olla exuſta contrita, ac tandem pulverata; At quod mirum in modum valet, ut experientia non ſemel mihi comprobavit; eſt aqua ſtillatitia, quæ ex mica panis nuperè clibano extracti aqua mellis macerata, & poſtmodum ſanguine columbino ſuperaſperſa, tantillo pulveris calcanti addito in duplici vaſe deſtillatur.

Quibus omnibus expeditis, pro capitis alteratione conſervæ capitales, ſaccharum roſatum cum pulvere boli Armeni hora ſomni devorata, exterius verò lotio ejuſdem capitis ex decocto camomeli, roſarum, betonicæ, & euſragiæ erunt accommodatiſſima.

Pro jecore autem ſuccus cicorii, vel per ſe aſſumptus, vel cum ſero depurato, & ſucco acetoſæ, vel extra ſub forma perfuſionis cum ſpeciebus cerati ſandalini, & aceto adhibitus hypochondrio dextro hominibus præferendus: quibus minime conferentibus ad balneum aquæ dulcis, & Lucenſes aquas; Villenſes inquam nunquam ſatis laudatas, illud de foris adminiſtrandum, has verò de more bibendas ſe transferat perilluſtris patiens neceſſe erit.

At quod ipſum ſummopere juvabit, conveniens eſt vivendi ratio, quæ ea ſit oportet ut in aëre in activis temperato, in paſſivis ad ſiccum vergente vitam degat, ut hac de cauſa aërem Venetum maximè proprium dixerim; Cibi erunt carnes gallinarum, perdicum, Caponum, turturis, vituli, & hujuſmodi probi ſucci, ova recentia, piſces ſaxatiles: Ab omni abſtineat repletione, ab oleribus excrementitiis, caveat ab iis, quæ in caput effumant; ab aromatibus, ut propterea ipſi ſaccharum roſatum; vel coriandra ſemicooperta, vel cydoniatum à menſa ſint aſſumenda. Potus vinum ſit cum china alteratum, una cum ſimplicibus ocularibus, exercitium fiat moderatum, ſomnus exiſtat brevior conſueto, alvus quotidie ſecedat, quod ſi hoc ſponte non accidat, pane utatur nobiliſſimus adoleſcentulus ex tota farina ſubacto, adjectis aniſis, paſſulis; ac ſale vel clyſteribus levioribus utatur. Animi paſſiones quæ lachymas præſertim ciere ſolent, aufugiat. Et hæc ſunt, quæ ad curationem præſentium, & præſervationem ab ophthalmia in gratiam noſtri patientis perilluſtris volui dixiſſe, facit modo Deus, ut in actum ſecundum deducta optatum ſortiantur finem. *Idem ibidem.*

Pro mercatore Bergomenſi Pterigio, ſeu ungue oculi ſiniſtri detento.

Eſt res mira, quod oculus ea pars nobilis exiſtat, de qua Galenus auſus fuerit affirmare caput ejuſdem gratia factum fuiſſe, & nihilominus tot malis miſerrimè ſubjiciatur, inter quos poſt morbos attinentes ad partes, quæ eundem oculum movent, primum occurrunt morbi adnatæ, & corneę tunicæ, qui cum varii ſint qui nunc occurrit in egregio Bergomenſi, pertinet ad magnitudinem auctam, ac tumor dicitur;

dicitur, qui cum in hiſce tunicis multiplex eſſe poſſit, Pterigium inquam Myrceph, Staphiloma, & Melon, tumor præſens eſt Pterigium, ſeu unguis, ſicuti oculis ipſis deprehenditur, nam ſolet morbus hic in adnata tunica naſci ex altero angulo, vel ex altera palpebra adnaſci, cum ea tamen differentia, ut rariſſimè ex palbebris, rarò ex angulo externo, frequenter ex interno prodeat. Cum igitur tumor noſter ſuum initium in adnata tunica ex angulo majori ſuſcipiat, jure unguis vocari debet, quod cum adhuc vel perſiſtere poſſit in prædicta tunica vel eandem egredi, & modo corneam ſolum, modò pupillam attingere, tumor propoſitus erit de numero eorum, quæ corneam ea in parte obſident, quæ eſt è regione ipſi pupillæ, quia impeditur viſio.

Amplius quoniam, ex Principe, alia eſt ungula carnoſa, alia membranoſa, alia adipoſa, & membranoſa, alia alba, alia nigra, hæc partim eſt carnoſa, ut potiſſimum in apice color docet, partim membranoſa albicans, ut in baſi.

Cauſa immediata hujus vitii eſt ſubſtantia carnea & membranea, quarum utraque fit ab alteratrice reſidente in carne anguli mediante calore innato per auctricem facultatem, coegit tamen ex Aëtio ſcabrities in oculo derelicta ophtalmiam ſæpius perpeſſo, agitur enim 20. annis, ex quo oculus hic laborat, ut refertur.

Cauſa verò materialis reſpectu ſubſtantiæ carnoſæ ſanguis exiſtit, reſpectu membraneæ pituita, qui humores ſicuti ex colore liquent, ita partim per congeſtionem, partim per defluxionem collecti fuerint; per congeſtionem quidem, quoniam tuberculum hoc ſenſim extuberavit, excrevitque, per fluxionem, quoniam ſanguis non in oculo, ſed in hepate generatur, ac genitus in prima hujus vitii generatione copioſius, quam par ſit occaſione ophthalmiæ fuit attractus, nunc verò propter imbecillitatem partis copioſius pariter quàm conveniat, tranſmittitur, ac per venas adnatæ tunicæ, pro nutritione, accretio neque tuberculi ſuggeritur; Quæ omnia, & de pituita affirmari poſſunt, quando primum à cerebro ad hanc partem attracta fuerit, & nunc ab eodem in illammet tranſmittatur ob cauſas jam dictas, ſed & pituitam ibidem aliqua ex parte congeſtam eſſe ſupra tactum fuit.

Ut ergo æger ab hoc malo liberetur, tuberculum eſt adimendum, & procurandum ne reviviſcat, quod fiet, aut ſi prædicti humores alio deflectantur, aut eorundem generatio per alterationem capitis, & ventriculi cohibeatur, ante quæ omnia prius totius (ut dicunt) providentia eſt habenda.

☞ Et quoniam hoc morbi genus, tanquam illud, facilè materiis medicis cedit, facilè vincitur, quod potiſſimum contingit, quia ſuperficiei adnatæ tunicæ ſolum adhæret, ideo medicus curans proprio fine abſque dubio potiri poterit, non negarem tamen aliquam difficultatem eſſe occurſuram, quoniam affectus eſt in habitu, ac pupillæ regionem attingit.

Quare deveniens ad materias medicas, & primò ad chirurgicas ſtatuo, haſce ad tria capita reduci, ad diſponentia inquam curantia, & præſervantia; In genere diſponentium eſt ſectio venæ brachii, tum internæ, tum externæ ejuſdem lateris, nam patiens quamquam ſit ætatis inclinantis, eſt tamen habitus plethorici, quando ſubdominium ſanguinis dominio melancholiæ jungatur, diſponent etiam ad curationem apertio venarum ani, cucurbitulæ ſcarificatæ, primum dorſo, deinde occipiti adhibitæ, item & hyrudines poſt aures appoſitæ.

Materiæ chirurgicæ curantes hunc affectum & ipſæ in caſu noſtro locum habent, quoniam eſt abſolutus, & conſummatus, initiatus enim ſecundum antiquos detergentibus medicamentis curatur, Verùm quia pterigium conſummatum, vel eſt mite, vel contumax, ſi mite, apprehenditur volſella, deinceps ferro inciſorio abſcinditur, quòd ſi ſit contumax, Albuchaſis, & Aëtius docent modum pulcherrimum; qui eſt hamulo perforare tuberculum ad baſim, deinde filum lineum duplicatum acu trajicere, utrinque ad baſim arctè deligare, atque ſic tuberculum filis iſtis deligatum, & apprehenſum inciſorio inſtrumento abſcindere, quod opus nec Vere, nec Æſtate, quibus temporibus humores fluxibiles exiſtunt, ex Celſo peragi debet; factaque inciſione linteamen imbutum aqua roſacea, ac albumine ovi eſt apponendum, tum ut palbebræ non coëant, hæreantque, tum ut dolor ſedetur, ac fluxus reprimatur, tandemque applicanda ſunt medicamenta ſiccantia de quibus infra.

Materias chirurgicas præſervatorias refero in cauterium cervicis, & brachii ejuſdem lateris.

Medicamenta diſponentia ſunt primum lenientia, ſicuti mel. roſ. ſol. 2. præparantia, uti decoctum betonicæ, cicorii, boraginis, Verbenæ cum ſyrupis appropriatis, 3. purgantia, ut medicamentum ex Agarico trociſcato, ſena, cum manna; Et repetenda meo judicio erit præparatio, deinde purgatio cum pilulis cochiis, & lucis reiteranda.

Medicamenta curantia, quæ detergentia fuiſſent, non propono, quia ut dictum fuit, hic non habent locum, ſolum igitur ſiccantia adduco, quæ poſt inciſionem conveniunt. hæc itaque parantur ex collyrio de plumbo, de thure Rhaſis, huc pertinet aqua ſtillaticia ſalis ammoniaci, & quæ ex ipſo calcinato, ſi in loco humido reponatur ſponte prodit.

Medicamenta præſervantia ſunt quæ corpus, & caput præſertim à ſuccis excrementitiis expurgant, atque idem caput, & oculum affectum corroborant, priora ſunt pilulæ lucis, ſine quibus, decoctum guajaci, ſalſæ, & chinæ cum ſimplicibus capitalibus, & ocularibus, maſticatoria, lotio capitis cum lixivio exiccante; Poſteriora ſunt, veluti vinum medicatum cum eiſdem ſimplicibus capitalibus, & ocularibus itemque lotio oculi cum aqua ſtillaticia ex conſerva Eufragiæ in ſucco roſarum macerata.

Quibus omnibus addenda eſt compar victus ratio, extenuans inquam, & ſiccans quæ ſicuti & alia præſidia propoſita utinam proficua valdè in gratiam noſtri patientis evadant. *Jul. Caſ. Claudin. in Conſultat. Medic.*

Pterygium in oculô dextrô.

Puer octo annorum, poſt variolas, nondum ſatis rectè exſiccatas, cum ſeſe aëri nebuloſo & ventoſo expoſuiſſet, incidit in oculi dextri inflammationem, qua per collyria adhibita curata apparuit in eodem oculo membranula denſa & alba, per tunicam conjunctivam & corneam, uſque ad mediam iridem, ſeſe extendens, eaque viſum aliquantum imminuit.

Afficitur in hoc puero oculus dexter, ſecundum tunicam adnatam & corneam, quod ex alba tunica in iis excreſcente & conſpicua patet.

Morbus, qui illum affligit, eſt dextri oculi pterygium; ſive excreſcentia quædam membranea alba & denſa tunicæ adnatæ & corneæ dextri oculi adnaſcens, & ad mediam pupillam ſeſe ibi extendens, viſumque in illo oculo imminuens.

Cauſa procatarctica, unde hic morbus principium cepit,

cepit, eſt aër nebuloſus & ventoſus, cui hic puer ante juſtam variolarum exſiccationem ſeſe expoſuit. Inde enim poti corporis & præſertim faciei & oculorum clauſi, halitus acres & calidos, liberè exhalare ſolitos, in corpore facie & oculo dextro retinuerunt: iique in iſtis partibus retenti, conſtituerunt hujus morbi cauſam antecedentem. Pars verò eorum calidior in tunicam adnatam dextri oculi, per poros ibi nimis apertos delata, ibique vehementius incaleſcens, vellicandoque eam ſuo calore & acrimonia majorem ad eam humorum calidorum affluxum faciens, induxit, tanquam cauſa continens, primum oculi dextri inflammationem, quæ per adhibitionem convenientem collyriorum fuit quidem ſublata; ſed quoniam pars allapſorum humorum circa ſuperficiem tunicæ adnatæ, ob tenacitatem ſuam, & pororum vicinorum nimiam anguſtiam ibi fuit retenta, & in membranæ albæ rudimentum, ſecundum particulas ſuas inſenſibiles diſpoſita & formata. Hinc dum copioſiores humores in illud rudimentum magis magiſque affluebant, factum eſt, ut primum in tunica adnata membrana alba & opaca fuerit nata; eaque deinde majus incrementum paulatim ſumens, & pedetentim per tunicæ corneæ ſuperficiem prorepens, partemque iridis & pupillæ tegens, jam aliquantum ſua opacitate, juſtum radiorum ingreſſum impediente, inducit viſus imminutionem.

Quoniam hoc malum acria remedia deſiderat, quæ ab oculis ægrè feruntur, ideoque difficilis ejus curatio eſt; quæ ſæpè non ſatis feliciter ſuccedit.

Ea tamen in hoc puero, cum morbus non ſit antiquus, per membranæ iſtius ablationem tentanda.

Primo itaque purgetur hic puer tali medicamento purgante.

℞. Syr. de paſſulis laxativi ℥j. ſcammonii gr. IV. aq. decoct. hordei ℥jß. miſce F. hauſtulus brevis aliquoties reiterandus.

Deinde adhibeatur oculo bis terve in die tale Collyrium.

℞. Aq. roſarum ℥IV. Salis ammoniaci q. ſ. ad levem acrimoniam linguâ percipiendam, eaque mixta indantur pelvi æneę barbitonſorum, & in ea relinquantur per biduum vel triduum, donec colorem viridem acquirant.

Hoc remedium ſi non ſuffecerit, ad acriora erit procedendum, quale hoc eſt.

℞. Lap. hæmatit. ℈ij. vitrioli alb. uſti, virid. æris uſti an. ℈iij. myrrhæ, croci an. ℈j. piperis longi ℈ß. Sacchari candi ℥ß. M. Pulveriſentur ſubtiliſſimè.

Hujus pulveris ℈j. miſceatur cum aq. raphani ℥ij. & applicetur bis terve in die, prout puer ferre poterit.

Ante & poſt horum uſum, ad dolorem leniendum oculus fovendus erit decocto emolliente malvæ, althææ, flor. camomill. meliloti, ſem. cydon. fœnigræci, papaveris.

Si his localibus medicamentis pterygium tolli nequeat, ad Chirurgiam: quam Celſus, Paulus, Aëtius, Aquapendens, aliique ſcribunt ſi placuerit, erit deveniendum.

Victus ſit attenuans & incidens. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicat. lib.* I.

Obſervationes.

Pro Albugine.

Puellæ cujuſdam ſiniſter oculus admodum rubebat, pruriebatque, lachrymæque continuò ex illo fluebant, & quia jam diu hic affectus duraverat, albugo in oculo nata; mediam ferè iridis partem obtexit, ità ut de viſus amiſſione, eſſet periculum, juſſi cucurbitulas cervicis regioni aliquoties applicare, & cataplaſma ſequens oculo clauſo imponere, continuoque geſtare, & bis in die renovare.

℞. Pulp. pomorum odor. acidulorum quart. jß. incid. minutim, & in aq. roſ. & fœnicul. coq. donec in pultem redigatur cui contuſæ, adde mucilag. ſem. fœnugr. ℥ij. album. ovorum num. 3. cortic. granat. pulv. ℈j. lapid. hæmatit. exactè triti ℈ß. ol. roſac. parum M. F. cataplaſma.

Hujus remedii per dies 5. uſu, oculus ad colorem ſtatumque naturalem rediit, albugoque & macula penitus ſublata ſunt. *Fœlix Platerus, obſerv. lib.* I. *pag.* 113.

De oculi cicatrice in pupilla, viſionem impediente caſu deleta.

Puellæ cum ex cicatrice in corneæ media ſede nata, viſus impediretur, Chirurgus ſacch. cand. pulverem oculo inſpergere volens, ad eam extergendam errore quodam pixidem eam arripuit, in qua ſublimati pulvis continebatur, quem cum imprudens oculo inſpergeret, tanta ſuborta eſt inflammatio ut periculum eſſet de oculo: tamen ſanata, tantùm abfuit ut quid obfuerit, ut potiùs multum profuerit: nam cicatrice pene univerſa deterſa, remanente levi duntaxat macula, viſum recuperavit: quod indicio eſt, globum oculi, fortia quoque perferre poſſe medicamenta cum cornea ipſius tunica ſit duriſſima & inſenſibilis. *Felix Platerus. Obſ. lib.* I. *pag.* 113.

Pro Oculo perforato.

Quatuor annos natam puellam vidimus, cui dum nodum in panno ſolvere acuto gladio niteretur, reſiliens mucro oculum dextrum percuſſit: quo perforata ipſius oculi tunica, plurimus ſtatim inde fluxit humor: quare etſi viſum prorſus amiſerit, ipſum tamen haud multò poſt ritè curata recepit, tanta enim ineſt vis tenellæ illi ætati, ut hunc ipſum oculi humorem (quod ſæpè accidit) in integrum reficere poſſit. *Ant. Beneven. c.* 74. *lib. de abditis Morbor. & Sanationum cauſis.*

Quindecim annorum adoleſcentem cum *Dom. Joan. Griffonio* Chirurgo præſtantiſſimo curavi, cui acus ſutoria perforaverat adnatam membranam prope iridem: hinc factum, ut humor aqueus ſtatim effluxerit, & adoleſcens illico viſum planè amiſerit. Oculo impoſuimus in primo apparatu album. ovi cum aq. roſac. & nonnihil croci: fronti autem defenſivum ex bol. arm. terra ſigill. cum ol. roſ. paucaque cera & aceto in formam unguenti redactum, atque injecimus ſtatim enemà. Sequenti die catharticum exhibuimus, & anodynis ad ſeptimum uſque & amplius vulnus tractavimus. Deinde collyrio ex aq. euphraſ. ſacch. & tutia præp. cicatricem induximus, hic curatus fuit nullo ſupervenienté ſymptomate: haud multò poſt curationem viſum quoque recepit. Curavi etiam puerum cui infixa ſagitta perforata fuit cornea, qua parte conſpicitur iris; effluxit nonnihil humoris aquei, unde contracta eſt cornea; & puer protinus viſum amiſit. Vulnus curavi ad modum ſupra dictum puer hic quoq; non multò poſt viſum recepit. Omnino his ægrotis cryſtallinus humor compunctus non fuit: eſt enim ille humor præcipuum viſus inſtrumentum, ac ſua propria continetur membrana arachnoide; qua dilacerata, amplius humor cryſtallinus officium facere nequit, effluxit autem

autem in his aqueus tantum humor, qui cum ſit excrementum aliquando renaſcitur, præcipuè in pueris. Id autem hic notandum, vulnerata pupilla viſum recipi non poſſe, quamvis humor cryſtallinus ſit illæſus, & aqueus renaſcatur; inevitabilis enim cicatrix impedit, quo minus radii eorum quæ viſui objiciuntur, ad humorem cryſtallinum perveniant. *Guil. Fabric. Hildan. obſ. 26. cent. 1.*

Franciſcus Plazzonus 12. annorum puero medebatur cui cornea pertuſa, humor aqueus oculi totus effluxerat. Sed intra binos menſes ſponte ſic præparatus fuit, ut oculi uſus ipſi omnino fuerit redditus, ob reliquarum partium conſtitutionem humidam. Idem *Gal. lib. 1. de Sympt. Cauſis, c. 2.* annotavit. *Io. Rhodius obſ. 82. cent. 1.*

Pro Oculi tumore carneo.

In muliere vetula paupere, tumor in oculi ſiniſtri latere juxta pupillam ante biennium exortus; cum oculi immenſo ardore & dolore; adeo accrevit ut medium ferè occuparet oculum, prominebatque ad avellanæ majoris magnitudinem, carnem ex rubro nigricantem repræſentans, adeo deformi colore, ut pavorem inſpicientibus incuteret, tandem ſuppuratione facta per dies quatuordecim, ater ex eo effluxit ſanguis, remanente nihilominus carne illa ex atro rubente & nunc vireſcente. Ad me conſilii gratia veniens, juſſi ut pomum putridum applicaret exiguam ſpem ſanationis habens, verùm cum non proficeret, juſſi ut ſumeret cortic. gran. pulverizaretque & adderet fol. plant. rec. eaque ſimul in aq. fabrorum ferrata decoqueret, addendo albumen ovi, ſimulque decoquendo, & ſub finem pulv. vitrioli albi ea quantitate, quam oculus perferre poſſet, hocque cataplaſma noctu oculo imponeret, illiuſque uſum continuaret. Poſt duos menſes reverſa, vidi tumorem media ex parte abſumptum, quapropter in hujus applicationis uſu, pergendum eſſe conſului, quod cum adhuc menſibus duobus feciſſet, tumor omnis præter omnem ſpem evanuit. *Felix Platerus obſ. lib. 2. pag. 387.*

Pro Oculi vulnere.

Lithuanus quidam qui ab omnibus medicis, agyrtis, anubus, veneficis, chymicis, in tota quam obierat *Europa* & *Aſia*, ſecreta ut vocabat prece vel pretio, vel permutatione, plurima collegerat; inter alia gallum gallinaceum, utraque illum manu tenens, mihi obtulit, juſſit me oculum ſæpius acutiſſimo ſcalpello punctum interque digitos preſſum, orbitæ cranii reponere: affudit illi liquoris guttas duas, obligatoque capite ciſtæ incluſit, è qua poſt horas octo eduxit, utroque oculo ita ſibi ſimili, ut nec ego qui ſecueram nec adſtantium ullus, ſectum oculum à ſano poſſet diſtinguere. Succus ille erat is, ut mihi fatebatur; qui in veſicis ulmorum Majo menſe invenitur; quique niſi tum colligatur, in granula quædam rubra vermiformia mutatur. Hanc ego artem ludicram nullique tanquam profuturam dicens; cum ſcire non poſſemus, an cum oculi externa pulcritudine viſus ſervaretur: Cum tamen aliquot annis ſuccum hunc colligi curaſſem, eſt enim vulneribus ſanandis commodus; caſu duabus ſororibus à prandio colludentibus, junior adultioris linteum ſuentis brachium vi elevans, acum in mediam pupillam altè adigit, extemplo, à patre principis conſiliario accitus, obſervo aqueum humorem, & partem vitrei effluxiſſe: applico oculo tumenti veſicarium ulmi ſuccum ſub quartam pomeridianam; jubeo ſub mediam noctem linteum admotum novo liquore imbui, quem Othonnam certiùs, quam tot ignoratum herbarum ſuccos nominarent Botanici. Manè teſtor Deum & Fidem externa ſanam offendi, ſed illius oculi lumine captam, etiam nunc vigeſimo ferè poſt anno, nullus excæcatum oculum à vidente, etiam ſi curioſè indaget, diſcriminare poteſt, imò multis annis cum marito orbitatis ejus inſcio vixit. *Henricus ab Heers obſ. 4. lib. 2.*

Ad oculorum vulnera Beryllum aliqui celebrant, ſive illa pupillæ, ſive alteri parti inflicta fuerint. Reducitur Beryllus contuſus & tritus in pollinem exactiſſimè ut impalpabilis ſit. Deinde lentis quantitate pulvis quotidie manè, ſupino jacente ægro, in oculum donec ſanetur, infunditur, ac præcipitur ut æger immotus aliquandiu ſupinus permaneat. Si pupilla vulnerata fuerit, etſi commodè ſanari non poſſit, tamen ita emendatur, ut oculus deformis non fiat. Si læſio extra pupillam fuerit, præclarè ſanat beryllus, quemadmodum etiam omnes oculorum contuſiones. Suaderem ad contuſiones & ſugillata, ut infuſio fieret aquæ verbaſci. Si adjuncta eſſet inflammatio, aq. roſar. plant. euphraſ. vel ſimili. Si vulnus eſſet, aq. beton. tormentill. vel plant. *Anſelmus Boëtius lib. 2. De Lap. & Gemmis, cap. 71.*

Pro Cornea male affecta à Scoria Chalybis.

Ruſticus quidam cum Chalybem emeret, optimumque eligere vellet, & proinde ut fieri ſolet, fruſtum contra fruſtum alliderer; Scintilla ipſi in illam corneæ partem, ubi iris conſpicitur, proſiliit, ibidemque membranæ firmiter inhæſit, idque non ſine dolore maximo, cum fruſtra per plures dies adhibita fuiſſent remedia, en uxor mea remedium longè aptiſſimum excogitat. Interim enim dum ego ambabus manibus palpebras aperio, illa magnetem oculo quam proximè æger id ſufferre potuit admovet, id cum aliquoties & quidem repetitis vicibus feciſſemus (non diu enim lucem qua tamen hac in re ſummoperè opus fuit, ſufferre potuit, tandem Scoria ex oculo nobis omnibus videntibus ad lapidem proſiliit. Poſtea applicato collyrio anodyno brevi convaluit, fuit hæc quidem curatio ingenioſa ſatis. *Guil. Fabric. Hildanus Obſ. 21. cent. 5.*

Quædam mulier infimæ ſortis maculam habebat in oculo cui conſilium dedi, ut bis in die ſucci rutæ guttam unicam in oculum inſtillaret, quod cum ſatis diu continuaſſet macula prorſus abſumpta eſt. *Samuel Formius. obſ. 28.*

Vulnus Tunicæ Corneæ, cicatrice obductum.

Anno 1654. menſe Decembri, fœmina pagana adduxit ad me Filium quaſi octennem, cui oculi cornea prope Iridem cuſpide cultri uſque ad Uveam pertuſa erat: & humoris aquei particula cum Uvea illæſa, extra Oculi vulnus ad lentis magnitudinem protuberabat: Illi poſcenti auxilium conſilium dedi ne quicquam remedii læſo adhiberet Oculo; alias enim facile fieri poſſe ut Uveæ protuberans particula medicamentis præſertim acrioribus adhibitis, corroderetur, & Aqueus humor omnis effluerer, atque adeo Oculus perderetur; Futurum enim eſſe ut ipſa Natura vulnus coaleſcere faciat atque prominentem Uveæ folliculum, obducta cicatrice, ſine effuſionis periculo dirumpat; id quod poſtea accidit, Reverſus enim ad me puer ſequenti anno, quinque hebdomadum intervallo, oculum monſtrabat, id quod cicatrix perfectè coaluerat, & ruptæ Uveæ quædam laniciolæ extra propendebant, pupilla vix ad ſenſum in ellypſim diſtorta, viſu integro: Præcepi puero ut oculo à contuſio-

contuſionibus caveret, nam alioquin, rupta denuo cicatrice, nullum contra oculi effluxum ſuperfore auxilium. *Stephani Spleſſii.*

Vulnus Oculi & coalitus humoris Cryſtallini.

Juvenis 20. annorum in pueritia, ex illiſa vehementiori manubrioli cultelli æneo nodulo inſtructi corneam cum profuſione humoris aquei, tum & pupillam diſrumpens; omnique inde actione viſus orbatus, oculo affecto, qui ſiniſter erat, in dies ad deformationem uſque excreſcente; hunc ſuaſu Medici cujuſdam Illuſtris corrigere attentavit. Convocato itaque Chirurgo, ac præparato prius corpore, conſultum, ut evacuatis per inciſionem corneæ oculi humoribus oculus detumeſceret, ac ſano multo minor evaderet, ſicque daretur locus impoſitioni corticis vitreæ, ad figuram oculi ſani affabrè effictæ, uti Venetiis, & Lutetiis Pariſiorum frequenter fieri aſſolet. Dictum factum: conſentit Patiens, Chirurguſque operationi (collocato ægro in ſedili humiliori in loco lucido, obfirmato oculo ſano, ac affecto per ſpeculum immoto detento) ſeſe accingit: Inciſio fit tranſverſim per Corneam abſque ullo ægri dolore. Prorupit proximus cum impetu ad notabilem diſtantiam humor aqueus cum portione vitrei, cryſtallino ad labia vulneratæ corneæ adhæreſcente, quo conſpecto Chirurgus humorem illum ſpecillo argenteo immiſſo propellere conabatur, ſed irrito conatu: firmiſſimè enim coaluerat, cum cornea lens illa Cryſtallina, tum quod & æger, cui imminebat animi deliquium ob profundius immiſſum ſpecillum & commotionem fibrillarum retinæ ulteriorem tentationem renueret. Inde ſubſecuta inflammatio oculi affecti cum hæmorrhagia levi propter læſas venas, quæ varicoſe uſque ad confinia corneæ prætendebantur, dolore inſigni, hemicrania & ſibilo auris ſiniſtræ, quo necdum, elapſo ferè ſexennio, adhuc liber eſt Patiens. Coaluit vulnus corneæ ſpatio fermè decem dierum nullo alio adhibito medicamento externo præter cataplaſma molle, confectum ex ſedo majori, farin. fœnugræc. pulvere Euphraſiæ, muciiag. ſem. cydon. c. aqu. roſar. & plantag. extracta. Perſeveravit dolor & tumor oculi fermè per hebdomadas quinque tracto etiam in conſenſum oculo ſano; abhinc per intervalla repetiit dolor, uſque dum totaliter intermitteret, oculus detumuit, & in hodiernum uſque diem tabeſcit. Coalitum humoris Cryſtallini, qui etiamnum in oculo eſt patientis, inde deducendum putat patiens, in Medicina non adeò hoſpes, quod diſrupta ex vehementiori illiſu pupilla preſſiſque omnibus humoribus oculi; humor Cryſtallinus non impediente amplius pupilla antrorſum proruperit ad corneam, illique arctius accumbens & propter aliqualem contuſionem quaſi adhæreſcens, tandem adhibitis medicamentis corroſivis ac potenter exſiccantibus, quaſi cum cornea induruerit. Patet etiam ex hoc caſu inſenſibilitas corneæ, & periculum quod ſano oculo ex talibus operationibus imminet. *Laurentii Wolfſtrigel.*

Oculi vulnus ſcalpello inflictum feliciter curatum.

Puellus biennis, Filius Tabellionis Neocomenſis infelici ſidere natus, lotium enim non emittebat ſtatim natus, quia urethræ extremum obtegebat membranula tenuis, quam ſcalpello pertudit meo juſſu Simon Puri Chirurgus, indita poſtmodum cannula plumbea, hinc libere profluente lotio; Hic ipſa prima die qua libertas incedendi per cubiculum abſque manuductione conceſſa eſt; obvium Patris Scalpellum, cujus manubrium oſſeum erat, mucronatum atripit, & poſt aliquot greſſus cadit, impacto manubrio remanente vola manus dextræ; Scalpelli autem cuſpide penetrante plano parte, membrana à cantho oculi externo, ad internum, adeo ut duplici vulnere transfixæ eſſent membranæ lamina ſcalpelli maxima ex parte ſub iis deliteſcente; Hic ſagacitas matris emicuit; quæ tam dextera manu primo manubrium alte infixum eduxit, poſtea ſcalpelli aciem oculo impactam, ut hic ſalvus remanſerit. Pupilla enim ſubditique humores illæſi fuerint. Præcipit defenſivum fronti & oculo admovendum, vix jam conſpicua cicatrice; Hæc contigerunt anno 1659. *Th. Loneti.*

Vſus Cathecu in Vulneribus oculorum.

Ancilla quædam in ſervitiis cognatæ meæ; antehac viſu oculi dextri orbata, remanente tamen ejuſdem figura debita, iterum caſu quodam ex improviſo rupturam iſtius expetitur oculi. Humor inde aqueus tanta effluit copia, ut volam manus tantum non adimpleret, ſubſidente ſtatim globoſa oculi figura, cum hæmorrhagia non vulgari, dolore intolerabili, tumoreque vicinarum partium ſingulari. Acceſſitus actutum Chirurgus collyrium immittit, ex aq roſ. alb. ov. & bol. armena; externè applicat epith. ex tutia, bol. arm. camph. croco, cum aq fœnic. euphrag. roſar. &c. paratum; verum exiguo cum juvamine. Hinc ego in conſilium unà vocatus, juſſi pulviſculum ex cathechu ritè præpar. myrrh. ſacch. cand. &c. concinnatum per vices in oculum immittere, unde, elapſo paucarum horarum ſpatio, ſanguinis humoriſque aquei fluxus ceſſavit. Cujus tamen uſum ob metum recidivæ alicujus reiterare juſſi, ita tamen, ut, cum ob dolores formam pulveris ægrè ferret, pulvis iſte cum aquis quibuſdam ophthalmicis jungeretur, tepideque in oculum inſtillaretur. Sic oculus priſtinam, ſanato vulnere recuperavit figuram, præterquam, quod per vulnus ita bis inflictum viſus planè fuerit amiſſus. *D. Ehrenfridi Hagendornii.*

Oculi vulnus curatum: Humor Aqueus reſtitutus.

Anno 1660. die 30. Junii, Vitrarii aulici filius, eidem opificio addictus, feneſtram reparans, ab alio puero ex nequitia fragmento vitri, longitudine digiti minimi, latitudine dimidii tranſverſi digiti, vulneratur punctim in oculo ſiniſtro, & quidem in tunica uvea, ita ut tranſſecta eſſet tertia pupillæ pars verſus exteriorem & minorem oculi angulum; effluxit materia albicans inſtar Margaritarum, (ut referebat) quæ nihil aliud, quàm humor aqueus fuit. Corrugata erat tam adnata, quàm cornea tunica. Principio ſtatim repellens, ſequens præſcripſi.

℞. Album. Ov. aq. roſ. an. ℥iſs. Agitentur & conquaſſentur probè, adde bol. arm. præp. ʒſs. M. imponatur frigide. Craſtino die cum nulla inflammatio adeſſet, ſed omnia tranquilla & ſedata ſequens ordinavi.

℞. Sief alb. Rhaſ. ſin. op. ʒiſs. Thut. præp. ʒſs. Camph. ℈ſs. aq. roſ. ℥iij. M. pro Collyrio. Quod optimè contulit. Cum verò è corpore impuro Symptomata metum incuterent, die 2. Julii purgationem inſtitui hoc pulvere.

℞. Spir. Bened. Lax. Diaſ. c. rhab. ana ℈j. Cryſtal. Tartar. ℈ß. Diagryd. gr. j. M. F. Pulv. Dejecit 10. cum Euphoria. Interim collyrio præſcripto uſus eſt

uſque

uſque ad 6. Julii, ubi ſequens magis exſiccans & conglutinans præſcripſi:

℞. Myrrh. Sarcocoll. lact. nutr. Boli armen. Tut. præpar. & aq. plantag. probè lot. ʒj. Pulv. Oſteocoll. gr. vi. Mell. roſ. q. ſ. F. inſtar Linim. Quo per ſpatium 10. dierum uſurpato, vulnus egregiè coaluit, imò regeneratus fuit aliqua ex parte *humor aqueus*, cujus teſtimonium exhibebat tunica oculi repletior, & non ita corrugata, ut antea. Cùm ſic curationi Colophonem impoſitum putaſſem, ipſi Diætam optimam commendans, ille hoc negligens, ſe cerevi-ſia nimium quantum ingurgitavit, & ita temulentus præceps cecidit (ſalv. ven.) in cloacam, non quidem profundam; tamen ſtraminibus multis refertam, ita ut vulnus de novo apertum eſſet punctura culmi, vel ut ille dicebat, feſtucæ Ligneæ acutæ. Inflammatio ſtatim; ac major quam in principio ſubſecuta, quod non tantùm oculus, ſed & partes circumjacentes valdè intumuerint, imò metus ſuppurationis adeſſet. Priora remedia repetii, ſed non tanto ſucceſſu, ut antea. Mihi inter peregrè abeundum erat ad Nobilem quendam ægrotantem, domum rediens omnia exaſperata inveni: præſcripſi unguentum Angeli Salæ de ceruſſa ʒij. Non poſſum ſatis deprædicare ejus vires, nam ſaltem circumferentia oculi ſecundum Authoris monitum ſæpius illinita, & dolor & inflammatio ſedatus, oculuſque ad priſtinam figuram redactus. Tamen ad revulſionem materiæ purgationem priorem exhibui, qua ſepties dejecit, & ſequens Collyrium applicui.

℞. Sief alb. Rhaſ. ſ. o. ʒiß. Tut. præpar. ʒß. Thur. ſubtiliſſ. pulveriſ. ℈j. Camph. ℈ß. Croc. gr. iij. Aq. plantag. roſ. ana ℥ij. M. Quo vulnus iterum coaluit, ita ut eum rurſus dimiſerim. Sed die 5. Auguſt. neſcio qua de cauſa Eryſipelate illa parte faciei, ubi erat oculus affectus, laborare cœpit, quod etiam oculus ſimul intumeſceret, & vulnus iterum dehiſceret. Dedi ſtatim ſudoriferum ad diſcuſſionem materiæ, ultimumque Collyrium rurſus adhibui, cujus uſu tandem perfectè ſanatus eſt, ut ſaltem ab illa parte, ubi cicatrix erat, quæ tamen admòdum exigua, viſus impediretur.

CORNUA.

Quæ ſuper Cornubus ad Phyſiologiam pertinent vide in Bibliothecâ noſtrâ Medicâ. Hîc tantum obſervationes aliquot practicas trademus.

Cornu ad magnitudinem arietini, in cujuſdam viri fronte enatum.

FRanciſcus Trouillou nomine, homo ſtaturæ mediocris, corpore ſatis obeſus ac repletus, calvus (occipitio excepto, quod capillis aliquantum inveſtiebatur), aliàs moroſus admodum, moribus ac geſtibus ruſticis planè præditus, ac pelle vulpina veſtitus, adeò ut aſpectu horridus omninò eſſet: natus in viculo quodam, Gallicè *les Meſieres* indigitato qui ad D. Laverdinum, Regis Galliarum Polemarchum ſpectat. Huic à teneris in locis ſylveſtribus à carbonariis educato, ad annum ſeptimum uſque ætatis ſuæ nullum adhuc alicujus cornu indicium apparebat, quo tamen tempore è fronte primum extuberare cœpit, adeo ut circa annum 17. ætatis ſuæ ad inſtar apicis alicujus digiti magnitudinem prominieret. Quod poſtmodum progreſſu temporis paulatim ejuſmodi incrementum accepit, donec tandem circa annum ætatis ſuę 35. tam magnitudine quàm formâ cornu arietis prorſus referret atque adæquaret.

Cornu hocce è medio frontis enatum, ſupernè ad verticem, futuram coronalem uſque retortum, progrediebatur, ut cutim eo loci omninò fermè attingeret, quod etiam (ipſomet id referente) jam ſemel antehac firmiter adeò cuti inhæſerat, ut doloris evitandi gratia, idipſum neceſſe fuerit aliquantum reſecare atque reſcindere. Quoties cornu illud palpabatur, vacillabat, cornu tum verò inde dolorem maximum perſentiebat, ita ut tandem ab adſtantibus vix amplius ſibi iſtud palpari paſſus fuerit. Hoc autem an in ipſo frontis oſſe; vel cute ſolummodò radices ſuas fixas habuerit, uſque adeò mihi non conſtat: credibile tamen, quia cornu tam amplum atque ponderoſum, radices omninò in cranio ipſo egiſſe. An item cornutus ille dentibus molaribus præditus fuerit, non obſervavi. Qua autem ratione & ex quâ materia cornu iſtud in hoc homine generari potuerit, id omne tibi perpendendum relinquo.

Tandem eum cornutus ille per duos menſes Pariſiis conſpiciendus, expoſitus fuiſſet, Aureliam verſus conductus fuit. Quo loci quum perveniſſet, paulò poſt diem ſuum obiiſſe, intellexi. *Guilielm. Fabric. Hildan.* Fabric. Hildan. *Obſerv. Chirurgic. cent.* 2. *Ex communicatione Emanuelis Urſtiſii.*

Hujus Viri cornuti & monſtroſi meminit quoque Jacob. Auguſtus Thuanus, Tomo quinto, lib. 125. pag. mihi 874. qui & ipſum Lutetię vidit anno 1599. Delineatio cornu non omninò cum deſcriptione Thuani convenit, ſcribit enim, cornu non ſpiralibus lineis, ſed porrectis ſtriatum fuiſſe, ſed hæc non uſque adeo magni ſunt momenti.

Porrò de cornibus natis cùm pueris, aut ex adultis excreſcentibus, plura vide apud Dn.D. Schenkium obſervat. Medicinalium lib. 1. de cute capitis mihi pag. 732. Singulare quoque exemplum lector apud Barthol. Cabrollium, Chirurgum longè celeberrimum obſerv. 2. videre poterit, qui & methodum quomodo abſcindenda ſint, proponit, dummodò univerſalia neglecta non fuerint.

Cornua in variis corporis partibus enata.

Anno 1612. puellam octodecim circiter annorum, ex pago quodam Bernam adductam, ibidemque Nobili ac Doctiſſimo Viro Dn. Paulo Lentulo, pro tempore D. Medico ordinario, à Magiſtratu Ampliſſimo; curandam commiſſam fuiſſe memini. Hujus puellæ dorſum, brachia & crura, cornibus ſcatebant; eorum nonnulla duos tranſverſos digitos erant longa, nonnulla incurvata, ſed major pars recta, & fuſci coloris erant. Ego cùm 28. Novembr. ex Belgio reverſus eſſem Bernam, puellam hancce in Noſocomio ſanam vidi, cicatrices quin etiam, & veſtigia cornuum palpavi, omniaque quæ acciderant à D. Lentulo mihi relata fuerunt.

Methodus autem, quâ D. Lentulus ipſam curavit hæc eſt. Præſcriptâ optimâ victûs ratione, apozematibus, & julapiis humorem atrabilarium præparavit, & Melanagogis aliquoties expurgavit, menſeſque provocavit. Poſtea apozemata, julapia, Melanagoga iteravit. Sic ſatis expurgato corpore, tandem ipſam ad Thermas, hîc in vicinia ſitas, miſit, quibus cum per dies aliquot uſa fuiſſet, cornua per ſe deciderunt, & ſana ad Noſocomium rediit, ubi mihi, à D. Lentulo, ut dixi, monſtrata, omniaque quæ acciderant, relata fuerunt. Poſt uſum Thermarum, refocillatis viribus, ac iterum expurgato corpore,

corpore, ad ſuos ipſam remiſit Dom. Lentulus.

Cornua autem non oſſibus, ſed cute & carne ſaltem adhæſerant; Ideoque à Thermis emollita, facile deciderunt. Sanam & incolumem ipſam per annum circiter vixiſſe, Clariſſimus & Doctiſſimus D. D. Barthol. Dunus, qui mortuo D. Lentulo in Medicum ordinarium receptus fuit, aliquoties mihi aſſeruit. Quum vero propter egeſtatem, præſcriptam victûs rationem obſervare non poſſit: purgantia quin etiam (quia à Medicis remota erat) intermiſiſſet, cornua recreviſſe, retulit Dn. D. Dunus, ſed non tanta in copia, ut antea. Interim tamen cùm ſine dolore vix ſtare, multò minùs ambulare, ſedere aut ſupina cubare non poſſet & à Medicis remota eſſet, tandem exhauſtis viribus, piè obdormivit.

Aqua autem prædictarum Thermarum in loco paludoſo erumpit, & per tubulos ad proximum diverſorium publicum ducitur, ubi in aheno magno calefacta in diverſa lavacra diſtribuitur. Conſtat ex ſulphure & alumine. Thermæ hæ nervos parteſque nervoſas emolliunt, dolorem leniunt, ulcera inveterata, ſcabiem, aliaque vitia cutis ſanant; mirum in modum enim mundificant & exſiccant, præſertim ſi limus qui tubulis & canaliculis adheret, exſiccatus, & in pollinem redactus, ulceribus inſperſus fuerit. Articulorum doloribus & eorum tumoribus, ex cauſa frigidâ ortis, conveniunt, & laſſitudines membrorum tollunt. *Guilielm. Fabric. Hildan. obſervat. Chirurg. cent.* 2.

Vngulæ ad modum cornium intortæ &c.

Mulierem quandam tabidam, unguibus pedum non tantùm, ut in his morbis uſu venit, aduncis & incurvis, ſed etiam ad ſpeciem cornu arietini contortis, duobus ferè digitis longis armatam vidimus. Noviſſimè prætereà die 16. Novembr. ann. 1683. Virginem pauperculam 30. circiter annos natam inviſimus; Ea ante 14. annos ſcabie totum corpus occupante infeſtata fuerat; quæ cùm ad apices uſque digitorum, tum manuum tum pedum ſerperet, ab extremis unguibus proficiſci, iiſque continuari videbatur; donec tandem ipſi ungues non prolongari tantùm, ſed in cornuum ſpeciem faceſcere cæperunt. Cornua illa, quo tempore ea vidimus, digiti è quo naſcebantur longitudinem ferè æquabant, at multò longiora per vices fuiſſe aſſerebat. Tereria in manibus erant, in pedibus figuræ admodum inæqualis, intus concava, in apice tuſa, quædam griſea, quædam nigricantia, ſenſus eorum exquiſitiſſimus, nec ſine dolore, vel leviter attingi poterant. Incerto intervallo, ſæpius annuo, decidere aiebat; tuncque ex eorum cavitate productionem quampiam nerveam, tranſverſum digitum longam, pulpæ quæ è chelis cancrorum fluviatilium, dum comeduntur, extrahitur, non abſimilem prodire. Ipſam cum inviſimus ceciderat non ita pridem unum ex his cornubus unà cum ungue annexo. Locum vacuum vidimus, at productio nervea ſe ſe jam maxima ex parte contraxerat. Pars horum cornuum tantùm ungula continua videtur, pars verò ipſum apicem, non ſecus ac ſurculi cortex truncum in quo inſitus eſt, obtegit. Illa aquæ tepidæ immerſa, & emollita fruſtillatim quandoque non tamen ſine dolore reſecantur. At cùm Chirurgus quidam noſtras ea evellere aliquando tentaſſet, in convulſiones & ſincopen incidit, nec ſanguis, qui larga ſatis manu ſtillaverat, impedivit quò minùs iterum pullulaverint, & priſtinam penè longitudinem intra octiduum, recuperarint. Fera inſuper ſcabies miſeram malè mulctat; Volæ manuum, plantæ pedum & calcanei puſtulis duris, & veluti corneis, per intervalla etiam deciduis, obſidentur. Unde ſalibus acidis, qualia in ſcabie maligna, ſeu pſora affectorum ſanguine luxuriare veriſimile eſt, eò quòd facilè concreſcant, & ad ſuccorum coagulationem ac ferruminationem non parum conducant; Salibus, inquam, illis cornuum memoratorum primordia, vegetationem & augmentum, attribui meritò poſſe exiſtimavimus. Bibit tamen, comedit, &, quanquam ægrè ambulat; menſtrua ſtatis temporibus patitur, nec adeò triſtis aut melancholica apparet, quin dum ejus manus & pedes depingi curabamus, minima data occaſione ſubinde ridebat & jocabatur, Hæc ex *Bibliothecæ noſtræ Anatomicæ parte primâ*, quibus in ulteriorem affectuum horumce cornutorum illuſtrationem adjiciemus illa quæ Dominus Dionyſius Pariſienſis Medicus, in ſuis affert Ephemeridibus Medico-Philoſophicis. Sic autem ille; Vivit impræſentiarum Florentiæ ruſticus quidam ſeptuaginta annos natus, vultum gerens caprinum, corpuſque aridum, & exſuccum, in cujus poplite dextro natum eſt cornu à vulnere per tres annos neglecto. E vulnere ſcilicet effectum ulcus primò cruſtà craſſiori operiebatur, quæ in dies augmenta ſumpſit; donec è materia ad inſtar glutinis ſtillante efformaretur cornu palmum longum, & ad baſim duorum pollicum diametrum habens, quod cornu ſenſim à baſi ad extremitatem minuitur, & tandem è nodo proximè ad apicem elevato. ad inferiora contorquetur. Coloris eſt ſubcinerei flavo admixti. Subſtantia eſt firma & dura, fætorem intolerabilem de ſe emittens. Superficies non eſt lævis ac polita, ſed pluribus concavitatibus à ſuperioribus ad inferiora deſcendentibus ſinuata. Baſis quæ oſſi adnaſcitur, excreſcentia carnea ad inſtar coronæ, cingitur. Hoc cornu cùm poſt duos à nativitate annos evulſum fuiſſet, citò repullulavit multoque majus factum eſt. Rurſus à paucis diebus reſectum, & igne illius reliquias conſumere ſibi proponunt. Quis demum hujus operationis, futurus ſit eventus expectabimus. Schenckius hiſtoriam etiam penè ſimilem refert, inquit enim; Vidimus in Creta vulnerato genu ſagitta, cornu nigrum prodiiſſe; & materia quæ in oſſis ſubſtantiam debuerat converti aëris afflatu in corneam naturam converſa eſt. Quibus hiſtoriis non incongruum fuerit addere aliam quæ Nobilem quendam Florentinum ſpectat. Is ab aliquot menſibus excreſcentiâ ungulatum, tum manuum, tum pedum, ad inſtar avium quarumdam rapacium, falcularum, contortarum, affligitur. Unde ipſi non licet niſi cum maximo dolore, ambulare. Si autem eas reſecet inde ulterius ſumunt augmentum.

CRANII FRACTURÆ.

De hiſce Fracturis *ſic ſcribit Experientiſſimus Iob. à Meckren.*

FRacturarum quæcunque corpori obvenire poſſunt, periculoſiores, difficilioriſque curationis nullas repetire licet iis quæ Cranii ſunt.

Numerus earum inſignis admodum, aſt ſymptomatum ſubſequentium infinitus.

Paulus lib. 6. cap. 7. Quinque recenſet ſpecies, quibus in infantibus addit ſextam.

Hippocrates lib. de vulner. capitis à Paulo adductis aliam addit.

Placet nobis, quo curatio certa, quantum poſſibile, exercere,

exerceri queat, ex fundamentis certioribus, diverſas ſpecies, earumque appellationes adducere, nulla habita ratione controverſiarum quæ circa varium vocabulorum uſum etiam hic proponi poſſunt, & ſolent, cum inutiles omninò ſint, convenientiuſque ſit ad res ipſas veramque medendi methodum reſpicere, quam vocum varietatem variam.

Inter ſpecies omnes Cranio obvenientium fracturarum *primo* nobis loco occurrit Fiſſio, quæ *continui ſolutio eſt Tabellarum Cranium conſtituentium, vel primam, ſeu exteriorem ſolam, vel inſuper & alteram ſeu intimam, in totum, vel ex parte, dividens*, obſervabilis ſæpè, non rarò obſcura adeò, ut vix notari queat.

Fracturæ huic Vaſorum ſanguiferorum ruptura accedit, venarum imprimis, modò earum quæ Cerebri corticem perreptant, quandoque quæ medullam, non rarò & illarum, quæ duram matrem ſ. craſſam cerebri meningen. Prior rupturæ vaſorum dictorum ſpecies lethalis licet habeatur, ultima tamen Cornelium Celſum valdè reddit ſollicitum, adeò ut etiam Cranium trepano hic perforari velit primo tempore, ne materia purulenta, ex ſanguine extravaſato genita, meningem tenuem accedat, eandemque premat, *Sanguis enim hic* (verba ejus ſunt *lib.* 8. *cap.* 4.) *corruptus atque inflammatus partes vicinas lædit, unde deliria, febres, convulſiones*; *tandem mors ipſa*.

Dicta conſiderantes haud videbimur inutilia proponere, ſiquidem exemplo quodam ſingulari quam verè beneque ſollicitus Celſus, minus ſæpè debito ſollicitos Chirurgiæ cultores doceamus.

Tempore eo, quo Maria Medicea, Regis Galliæ Ludovici XIII. mater, urbem noſtram Amſtelodamenſem intrabat, puer v. vel 6. annorum, cujus nomen Riikardt Karſeboom, reginam, quæque in honorem ejus inſtructa, videndi animo, feneſtræ alicujus domus inſidens, procidit in terram, eoque caſu, præter vulnus cutaneum ſatis inſigne, Fiſſuram contraxit, parte ſuprema oſſis parietalis dextri.

Signis fracturæ notis benè perſpectis, quo enarrata tollerentur mala, non obſtante quod ſomnus jam adeſſet inquietior, febris continua, vomitus continuus, ſanguiniſque per nares & aures fluxus gravis, vulnus cutis, horis matutinis diei ſecundi, cruciali ſectione duplex quaſi effecimus, adeoque ſic conſtitutionem Cranii obvii magis, certiùs cognoſcere licuit, digitis enim non ſolum fiſſuram ejus, ſed & oſſis fracti ex una parte elevationem, explorare concedebatur. Plumaceolus hinc vulnus replere hoc tempore, circa veſperam verò Cranium trepano perforare neceſſarium duximus.

Trepanum ubi ad Diploen pervenit, medium ſcil. tabularum duarum cranium conſtituentium, impetu ſanguinis notabilem quantitatem prodire obſervatum, notabilior hæc, ubi, abſoluta trepaniſatione foramen patens.

Foramini huic, adeoque, ejus ope, ipſi meningi craſſæ, lintei tenuioris quadruplicati in ſpiritu vini, cujus parti uni duæ partes mellis roſarum mixtæ, madefacti, quantum loci conditio permittebat, impoſuimus. Sequenti die mentem vulnerato conſtare, linguæque uſum conceſſum, obſervavimus, febrem etiam, ſomnum, vomitum, hæmorrhagiamque vale dixiſſe, curationi quapropter nos accinximus, labia vulneris, ſecundùm monitum Jacobi Carpi, Cranio ipſi imponentes, brevi hæc abſoluta, ſatiſque feliciter, fragmentis quibuſdam ſquammiformibus, iiſque valdè exiguis, ſeparatis.

Secunda Fracturarum cranii ſpecies Exciſio eſt, *continui ſolutio in cranio ab externo inſtrumento ſecante producta*; fiſſuræ hic nonnunquam ſigna adſunt certa, quandoque nulla; quod ſi exciſioni fiſſura jungatur, utriuſque ubi illa tabulæ eſt periculoſæ valdè conditionis, ad ipſam uſque duram meningem penetrare poteſt.

Squammæ nonnunquam etiam in Tabulâ ſeparantur primâ, nec tamen lethalis ſemper hæc ſeparatio, quod verum obſervavimus in quodam Joachimo Ulrico Magiſtratus noſtri juſſu à nobis curato. Percuſſus hic à milite quodam ebrio, enſe lato, in ſiniſtrâ oſſium parietalium parte, proximâ ſuturæ ſagittali, graviter adeò, ut ex exciſo cranii oſſe dicto, & quidem tabulâ ejus exteriore, particulam oſſis ſatis magnam ſeparatam, ſolutamque, forcipis ope extrahere licuerit, qua ablata, adhibitis medicamentis convenientibus integrè ſanitati æger reſtitutus.

Hujus conditionis fragmenta varia, (quæ Cranii tabula prima, l. extima exhibuit, ubi Exciſio aderat) aſt obliquè magis ſeparata, forcipe commoda auferre mihi conceſſum in Cranio facto filiolæ natu minimæ Joannis van Os, contuſam cutem ubi cultro aperuimus. Occurrebant hæc parte inferiore oſſis parietalis ſiniſtri, caſu gravi in objectum acutum dicto modo læſi. Auferre particulas has licuit nobis die à caſu 10. & 11. præmiſſa, ut dictum, apertione cutis, integumentorumve reliquorum commoda, aſt non ſine inſigni purulentæ materiæ effluxione. Et hac inſtituta curâ integrè reſtituta puellula, brevíſſimo temporis ſpatio, hoc quo hæc ſcribimus optimè valens.

Fragmenta hæc Cranii oſſium antequam deſeramus, obſervationem aliquam Artis Chirurgicæ ſtudioſis exhibere, utile dicimus, quam vir Theologus, Dn. Engebertus Sloot. verbi divini in Slooterdüc præco, à Dn. Joan. Kraanvvinkel, apud eos qui Chriſto nomen dederunt in Moſcoviâ Evangeliſtâ, accepit, declaratur ea quomodo in nobili quodam Cranii particula enſe ablata, alia verò ex canino capite deſumpta ejus in locum repoſita, quæ etiam reliquis cranii oſſibus firmiter unita. Accipite ergò quædam eorum, quæ Epiſtola dicta fabulis annumeranda proponit. *Occurrit hoc tempore, Tibi communicanda excommunicatio admiranda, imò riſu digna, quam Theologi Ruſſi exercuerunt in nobilem quendam, cujus nomen* Butterliin. *Tartarus quidam caput hujus graviter adeò enſe vulneraverat, ut præter integumenta, cutem nempe piloſam, aliaque, oſſis cranii etiam particula quædam ablata, adeò ut caput inſpicienti denudatum non ſolum, ſed & vulneratum, occurreret cranium. Chirurgus locum apertum quo repleret occiſi canis ex cranio particulam deſumpſit, figurâ & magnitudine ei quæ enſe ex capite nobilis ablata reſpondentem eamque loco læſo adaptavit; & hac methodo integrè ſanitati redditus nobilis. Hic miraculosè reſtitutus, rem geſtam, gaudio exultans, amicorum notorumvè variis, enarravit, qui eandem Theologis, & per hos Metropolitano communicarunt, ſicque effecerunt, quod, excommunicatione inſtitutâ, ad loca ea quibus conveniebant Chriſtiani, per totam Ruſſiam, acceſſus Nobili dicto denegatus fuerit, uſque dum oſſis capitis canini particula indicata unita maneret oſſibus capitis Chriſtiani hominis. Nobilis Eccleſiæ membris annumerari mallens, quam, ad veram curationem, quævis non perferre, Chirurgum oſſis canini fragmentum auferre juſſit, ſicque, curatione aliâ adhibitâ, excommunicationis vim effugit.*

Tertia Fracturarum Cranii ſpecies *Paulo* habetur Expreſſio, *quæ contingit quoties cranium per caſum, ictum, percuſſionemvè in partes varias dividitur, ſic ut etiam fragmenta quædam eo uſque ſe ad inferiora dimittant, ut non ſolùm membranam Cerebri deprimant, dividantque, ſed & Cerebro ipſi continui ſolutionem inferant, quorum*

quædam

quædam ad ventriculos ipſos quandoque deſcenderent, quod artis Chirurgicæ cultorum in gratiam, doctrinæ gratia obſervatione ſequente illuſtrare confirmareque poſſumus.

Bernardus Diderici Weghuyſen, Sartor, gravi læditur ictu dextro oſſe parietali, ſic ut fragmenta varia cranii vulnerati non ſolùm meningem duram, tenuemque læderent, ſed & ad ipſas uſque ventriculorum cerebri cavitates ſe dimitterent, & quidem vehementia ſumma, uti in aperto poſt mortem cadavere ſpectatoribus notare licuit.

Vulneratus domum petit, nullius auxilium implorans, juſſu ampliſſimi Magiſtratus civitatis noſtræ, rogatuvè hoſpitis, eum acceſſi, cujus ex cerebri interioribus incredibilis magnitudinis particulam à cranio læſo ſeparatam, præter fragmenta alia minora: inſtrumenti commodi beneficio extraximus.

Die vigeſimo tertio Februarii curæ noſtræ commiſſus æger prædictus qui nono Martii obiit. Conſideratione noſtrâ dignum quam maximè in hoc ægrotante, quod ſingulis diebus, à tempore eo quo ipſum acceſſimus, uſque ad diem mortem penultimo præcedentem ſubſtantiæ Cerebri quantum cochleari contineri poterat per Vulneratum locum effluxerit, loquelâ, ingenio, judicio, integrè ſe habentibus. Aſt inſtante, ut diximus morte, febris, delirium, hemiplegia, inter alia ſymptomata, ſuperveniebant.

Materiæ huic, quæ Expreſſionis hiſtoriam, variaque ſymptomata, exhibet, antequam finem imponamus, conſultum omninò cenſemus exemplum priori ſimile, aſt cujus terminus longè felicior, hîc proponere. Chirurgus hujus loci eximius Bernardus Heems, cujus curæ commiſſus æger, quinque mediorum convenientium opera priſtinæ valetudini eum reſtituit, ejus nobis copiam fecit, literis ea de re ſcriptis, inſcriptiſque nobis.

AMICISSIME.

Cum conſtet, rerum variarum, rarius occurrentium, perſcrutatorem Te eſſe, arctaque, jam multis annis nos junxerit neceſſitudo, intermittere haud potui, quin ſingulare ſingularis fracturæ cranii in puero 10. *aut* 11. *annorum, ex caſu gravi, inductæ, tibi communicem. Frontis hîc os, aliis coronale dictum, læſum adeo, ut particula quædam ſeparata, quæ & Meninges vulnerabat & Cerebrum ipſum, præterquam quod externa capitis integumenta vulnus exhiberent inſigniter amplum. Locus læſus ſubſtantiæ Cerebri notabilem quotidie exhibebat quantitatem, quam vel ipſe, præter Chirurgos alios, non ſemel inſpexiſti. Nec vomitus, nec delirium, nec ſanguinis per nares, aures, aliavè loca fluxus in ægrotante hoc unquam obſervabantur, inſignis licet amplitudinis apertura, reſtitutus brevi æger. Conſiderabilem hunc caſum tibi publicoque haud invidere placuit. Vale.*

BERNARDUS HEEMS.

Quarta Fracturarum cranii ſpecies Deceſſio eſt, *ubi os læſum verſus inferiora procidit, ſicque meninges Cerebri deprimuntur.*

Lethalis ſæpè affectus hic, quo ſic humores ad meninges ipſas defluunt, nullâ datâ evaporatione, quod inhibere valdè arduum eſt. Obſervavimus hoc in Capite textoris alicujus, cujus nomen Simon Joannis, qui à textore alio graviter cantharo ſtanneo percuſſus, ſic tamen ut exterius vix aliqua ſolutio occurreret; in oſſe frontis circa ſuturam coronalem, os reperire nobis licuit, teretis omnino figuræ, Vulneratus, nullius conſiderationis vulnus inflictum æſtimans, per tres ſeptimanas oleum raparum loco ſeſo inunxerat, & tamen eryſipelas faciem univerſam occupans, febris, convulſio gravis, fracturę ſupervenientia è medio eum ſuſtulerunt.

Viâ longè aliâ proceſſimus cum Franciſco Henrici à Weſt-Reenem, qui ex loco ſatis alto procidit in ſaxum, ſicque præter vulnus cutaneum, ad oſſis frontis ſuturam coronalem, à parte ſiniſtrâ, Deceſſionem oſſis dicti contraxit, Ægrum hunc accedentes vulneri ad ſanguinis fluxum inhibendum, labiorumque ſeparationem juſtam promovendam, plumaceoli quantum neceſſitas exigebat impoſuimus, non neglecto Emplaſtro Defenſivo. Nec inconſultum viſum fuit eodem hoc die, quo prima inſtitura viſitatio, venæ-ſectionis ope ſanguinis aliquam auferre quantitatem, fuit hæc ferè integrę libræ; aperta autem vena in brachio corporis ſiniſtro. Quin & ſuppoſitorium ex ſale, hierâ picrâ & melle eidem applicari, antequam diſcederemus, curavimus, undè ſemel largiter dejecit.

Altero die ſtupiditatis ſe exhibebant indicia, febriſque, nullus aderat vomitus, licet ſitis gravis cordiſque anxietas conſiderabilis, nocte prægreſſa valde fuerint moleſtæ. Vulnus ipſum fragmentum oſſis dicti exhibebat, & quidem utriuſque Tabulæ, quod ad ipſam matrem duram deſcenderat, elevatoriique operâ à nobis extrahebatur.

Fragmento hoc ablato, ſanguinis extravaſati, præter naturam hic collecti, inſignis quantitas, pulſu, quaſi continuo, per vulnus effluebat. Procedebatur hinc methodo curandi ea, quæ adhiberi ſolet in trepano perforatis craniis, quâ etiam paucorum dierum ſpatio ſanitati priſtinę redditus æger.

Quinta fracturarum Calvariæ ſpecies Cameratio eſt, quæ *diviſio dicti oſſis eſt, in quâ pars affecta cameræ modo exaltata relinquitur, ut* Galenus tradit, *ac intro à ſanis fracturæ partibus oſſa magis recedunt, membraniſque Cerebri innituntur, quas contactu ſuo premunt.*

Hujus conditionis fracturam nobis non niſi ſemel toto praxeos tempore notare licuit, in puero 14. annorum, qui, ex caſu gravi, & Cranii fracturam contraxit, & utriuſque brachii circa ligamentum annulare, ſic ut cubiti utrumque os notabiliter loco fracto promineret. Oſſa hæc brachii reponere impoſſibile nobis, quamcunque etiam adhibebamus diligentiam, forſan quod muſculi verſus ſuum principium violentius traherentur. Ne ergò in caſu dolorifico, deſperato, fruſtra laboraremus, maximè cum vomitus continuus, febris, narium auriumque hæmorrhagia, valde moleſtarent, ſine ſenſu itidem, loquelaque decumberet æger, Naturæ negotium in totum commiſimus, quæ, arte nullâ adjuta, ſymptomata enarrata tollere haud valuit, undè factum, quod nox ſequens lethalis ipſi fuerit.

Materiam hanc antequam deſeramus, è re Chirurgorum fore cenſemus, ſiquidem quæ de fracturarum Cranii ſpecie hâc, Cameratio quæ appellatur, à veteribus proponuntur; minus arridere dicamus, quod enim inferiora verſus cranium hîc deprimi tradatur, ſicque foveas, quas fornices repræſentare volunt, conſtituere, unde meningum ab incumbente oſſe preſſio, parum certitudinis habet. Notaſſe nos in defuncti noſtri oſſe parietali arcum unum alterumvè, ſurſum tendentem, negare nolumus, imò plures ſe exhibuiſſe inferiora petentes, certum quoque, aſt quo jure fornicum ſ. teſtudinum nomen tribui hiſce queat non video, cùm omnes ex loco inferiore verſus ſuperiorem ſe extendant, neutiquam à ſuperiori ad inferiorem deſcendant. Antiquitati hîc multum debemus, cui nomen dictum fracturæ huic imponere placuit

placuit, modo inverſam camerationem à nobis vocari, concedant.

Ultima fracturarum Cranii Paulo Colliſio eſt, hanc in infantibus ſolis locum habere tradit, quod tamen falſum, cùm etiam in adultis, ſenibuſque eam notare licuerit, deſcribitur ab ipſo, *quod Calvariæ diviſio non ſit, eoque nec fractura rectè dici queat* ejuſmodi affectio. Quibuſdam, imprimis in infantibus Contuſio appellatur, ſic tradente Hippocrate *lib. de vuln. cap.* Mulieribus atque infantibus propria magis affectio habetur, quod oſſa calvariæ molliora, tenuiora, adeoque flexilia magis poſſideant.

Hic oſſis calvæ in interiorem partem impulſio eſt aut inflexio, concavitatem integra exiſtente calva continuitate tantum efficiens, ut licet in cantharis aliiſque vaſculis ex plumbo, ſtanno, aut cupro confectis, ſi foris percutiuntur, conſpici Continui ſolutio v ri licet nulla hîc, unde fracturis annumerari nequit, ſymptomata tamen varia, eaque haud levis, non raro ipſi uncti.

Anno 1656. decimoſexto Auguſti, ex mandato Ampliſſ. hujus loci Magiſtratûs acceſſi mulierem, *Alidam, Wilhelmi filiam*, in qua præter vulnus ſatis magnum, proximè ad oram muſculi temporalis ſiniſtri, Contuſionem reperi inſignem in oſſe parietali.

Per octiduum & vigiliæ, & vomitus graves valdè, ſine tamen febre notabili; aſt die nono ſomnus invaſit cum ſtupiditate quadam, lateriſque ſiniſtri paralyſi; depreſſum os, quod tabulæ utriuſque credebamus eſſe, beneficio inſtrumenti quod jam ante accuratè à Schuelhanſſio, Chirurgo celebri, nuperrimè à Joanne Schulteto accuratiſſimè depictum, & Triploides vocatur, levi manu elevare allaboravimus, quo facto illicò & Paralyſis & ſomnolentia remittere ceperunt, ægraque ſic ſanitati reddita.

Contingit nonnunquam Cranii impreſſiones exiguas, caſu, ictu, percuſſione, ſimilivè violentiâ externâ, obvenire, imprimis junioribus, nullo præſente Capitis integumentorum vulnere; fracturæ, fiſſuræve quod ſi his nullæ accedant, ſaltem quæ à Chirurgo notari inſtrumentis digitiſvè queant, ſymptomatum verò graviorum authores ſunt, imò, impreſſione permanente, ſi quæ ſuperveniant, ferè tolli ſolent.

Veritatem dictorum in infantibus pueriſve variis notavimus, inter omnes in filio Abelis ter Laan, cujus oſſi frontis plumbeo inſtrumento Impreſſionem inflixerat puer alius; toto vitæ tempore in filio dicto obſervabilis ea fuit; neutiquam tamen moleſta ipſi vel ulla fuerunt ſymptomata.

Prægreſſis fracturis Cranii Paulus Ægineta loco citato aliam addit, quam Capillationem dicit, ſenſum hæc plerumque fallit, ferè latens, quia non facilè ſe oſtendit, mortis cauſam ſæpè adfert.

Capillationem hanc notari nobis datum in defuncti alicujus viri, ab alio variâ commotione in pavimentum lapideum adacto. Dolor hic in principio obtuſus admodum, parte capitis interiore, latere dextro, hinc intolerabilis, cum hæmmorrhagia dextri naſi continua. Duodecimo die ſopor ægrotantem invaſit, ſine febre, ſicque brevi obiit.

Præſente in arte medicâ celeberrimo Viro Dn. Samuele Coſtero, Noſocomii publici Medico ordinario, ſeparatis integumentis Capitis mollioribus, Calvariæ partem ſuperiorem qua fieri potuit curioſitate abſtulimus, hujus in baſi, circa meatum auditorio nervo deſtinatum, latere dextro, Capillatio occurrebat, ſubtilis valdè, ſub oſſe petroſo ad baſilare ſe extendens, cui cruoris, fœtidique humoris exigua jungebatur quantitas.

Meningibus ſanguis nullus incumbebat, imò nec quidem ipſo in Cerebro aliquis reperiebatur; niſi loco modò indicato, qui inter cranium & meningem duram per fiſſuram dictam huc erat delatus, ubi ſpiritûs Animales incalefacti, ſuffocatique, ſicque mors inducta.

Miſſis Fracturarum Cranii ſpeciebus, quæ Paulus Ægineta de fracturis Cranii proponit, accedemus examen illius quam Celſus, Hippoc. aliique varii deſcribunt, ſingulariſque conſiderationis habent imò omnium ferè fracturarum periculoſiſſimam, eò quod etiamſi externo adſpectu, & quantum Chirurgica manus præſtare valet, poſt fracturas omnes, quæ oculis notari queunt, & tamen curabiles reperiuntur, curabiles ſint, nihilominus Chirurgum ſæpius ab incepto deſiſtere faciant opere.

Fractura hæc Hippocrati ἐσφλασις. Contuſio Galeno dicitur, *Os hic medium deſidit, intraque recedit, quoties violentia quadam externa, ictus, caſus, ſimileque infortunium præceſſit*, ſimili omninò ratione, ac glaciem vi externâ frangi, ejuſque particulam reliquo quod integrum eſt ſupponi facimus; quod enim medium deſidit (verba ſunt Hippocratis lib. de vulner. capitis) ab alio oſſe naturaliter ſe habente abruptum fractumque introcedit, adeoque neceſſariò rima adeſt.

Sollicitos valdè veteres Fractura hæc fecit, quod ex Hippocrate loco citato colligere licet, quem conſulere non ſine fructu Artis Chirurgicæ cultores poterunt; & ſanè, non ſemel nobis occurrit, fractam Cranii particulam profunde adeò, ſub oſſe cranii integro, fuiſſe protruſam, ut etiamſi terebrationes variæ, variæque oſſis ſani ſeparationes, acceſſerint, nentiquam tamen vel ulla arte, ex loco eo quem occupabat alienum, auferri potuerit, quin ferè Chirurgi induſtria. laboreſque ſummi, fruſtra adhibiti, ſicque interierit æger.

Rei difficultatem, quodque ipſi ſupervenire poteſt periculum non video quomodo, meo judicio, accuratius deſcribi poſſit, quam quidem factam legimus ab Ampliſſ. Reipubl. hujus Conſule *D. Nicolao Tulpio*, dum *lib.* 1. *obſervat. cap.* 1 hæc proponit verba: *Cranium uti ſupereminet omnibus corporis noſtri partibus, ita omnes fracturas ejus longè ſuperat ea quæ Hippocrati ἐσφλασις dicitur, difficillimæ curationis.* Exemplum erit Magnif. Conſul loco citato proponit, addemus nos aliud.

Jacobus Cornelii graviter ligno duriore vulneratur parte Capitis dextra, ad os bregmatis, proximè ad marginem muſculi temporalis; ita ſæpius inter milites, nautaſvè à verbis ad verbera itur. Per octiduum *Daniel à Swietem* Chirurgus vulneris curationi præfuit, acceſſimus nos cum *Georg. à Loon* Chirurgo alio, pulſus hic moderatus, ſic ut febris indicia nulla, mens conſtans, quantum ex verbis colligere licuit, in vulnere ipſo fragmentum cranii ſat notabile deſiderabatur, quod ab oſſe reliquo integro, cui ſubjacebat, tegebatur, imò & fiſſura, ad os petroſum ſe extendens, hic occurrebat.

Vir erat vulneratus vitæ diſſolutæ, ad ea quæ de periculoſo ipſius ſtatu proponebantur, neutiquam attendens, quin potius maledictis atque blaſphemiis Deo ipſi ſe opponens. Noſtrum fuit in re gravi nulla negligere tempora; decimo adeoque die à tempore inflictionis Trepaniſationem Cranii aggreſſi ſumus, ad modum mox declarandum, quo ſic particulam oſſis fracti, firmiter admodum ſub eo quod integrum adhuc hærentem, auferre, imò & ſanguini extravaſato ſicque loco alieno detento excluſionis locum commodum concedere, liceret, ſicuti hâc in re Magni *Hippocrat.* inter alios doctrinam, qua prima occaſione

occaſione Cranium perforari debere tradit, antequam vel febris, vel alia ſymptomata, ſeſe manifeſtant, quo ſic facilius, in commodum æquè Chirurgi ac ægrotantis, os abſconditum in conſpectum veniat, imò extrahi queat.

Trepaniſatio antequam inſtitueretur, neceſſarium duximus ſectione triangulari locum eum ubi trepanum applicandum præparare, latus infimum hujus trianguli muſculi temporalis in margine, quod tamen diſplicet *Veſalio*, *Fallopio*, aliiſque Anatomicis, qui muſculi hujus circumferentiam ferro ullo lædi, admittere nullo modo volunt. Arridebat quam maximè Chirurgica hæc operatio, in ipsâ muſculi dicti circumferentiâ inſtituta, utpotè quam fructuoſam ſæpius, nunquam exitialem, reprehendimus.

Die Trepaniſationem ſequente fragmentum profundè ſubmerſum, cranioque arctiſſime adhærens, qua fieri potuit dexteritate, Triploides ope eximere allaboravimus, aſt inexſpectatus, iſque valdè notabilis, ſanguinis fluxus, ab opere incepto deſiſteremus, fecit. Fluxu nihilominus hoc uſu Fungi (neutiquam pulveris ſtyptici) ſedato, oſſis fracti labia inæqualia, aſperitatem maximam adferentia, quo fragmento ipſis exitus commodior concederetur, auferre die altero ſtuduimus.

Die decimo tertio repetere placuit fragmenti dicti ablationem, inſtrumenti modò indicati beneficio perficiendam, aſt irritum omne conamen, qua enim & dexteritate, & circumſpectione procederemus, impedire minimè potuimus, quin ſanguis impetu ſummo, rivuloſè admodum, prodiret, undè ſubitanea exſpectanda mors. Ab opere adeoque ipſo deſiſtere coacti, nulla præſente febre, vulneris habendam quam maximè rationem conſultum duximus, quo puris boni proventus promoveretur, & ſic Deo atque naturæ negotium totum commiſſum.

Succeſſit curatio ad diem uſque vigeſimum octavum, quo tempore nil niſi mel roſarum cum ſpiritu vini vulnerato oſſi applicatum, Emplaſtro de Betonicâ ſuper impoſito, aſt poſt dictum diem omnia in pejus ruere videbantur; vomitus etenim graves, alvi fluxiones largæ, febres continuæ, convulſiones conſiderabiles, valdè affligebant ægrum, imò quæ circa vulneris labia, puriſque conſtitutionem aliàs exitum ſalutarem morbi prædixerant, mortem inſtare jam, præter naturam conſtituta, indicabant, quæ etiam brevi ſecuta.

Conſideratis fracturarum ſpeciebus iis, quæ manifeſtæ magis ſunt, aut ſaltem hactenus notæ, eam etiam proponamus neceſſarium omninò, quæ occulta magis, eo quod conjecturâ potius quam ſenſibus adeſſe conſtet: ſtatum eâ laborantium his verbis deplorat magnus *Hippocrates*. *Certè infelices omnes, ad quorum occultos morbos, nec oculis, nec judicium pertingere poteſt.*

Morbus hic occultus Chirurgis Contrafiſſura dicitur, *Eſt* enim *Fiſſura infortunio, caſu ſcilicet ictu, percuſſione in parte cranii eâ quæ læſa aut vulnerata oppoſita, producta*, ad eum modum, quo ollam ea parte quam duriore quodam corpore percuſſimus minimè lædi notamus, at verò eâ quæ oppoſita eſt frangi.

Haud crediderim exiſtere Chirurgorum ullum, quem lateat Contrafiſſura hæc, ſi modò Cranii fracturas omnes ritè cognoverit, frequentius occurrere quotidiana experientia tradit, quam varii ſibi perſuadent; legi hâc de re poſſunt quæ *obſerv. Med.* 2. *l.* 1. proponit *Cl. Nic. Tulpius.*

Experientiæ dictę, omniumque ferè Chirurgorum placitis loc. cit. ſeſe opponit *Paulus Ægineta*, ſeipſos ſe decipere omnes eos docens qui Cranium unâ parte lędi, oppoſitâ verò frangi, vaſis adinſtar vitrei, ſibi perſuadent. Ratio ipſius à futurarum multitudine deſumpta eſt.

Quid opponere hîc licebit? non niſi experientiam; ſæpius etenim Contrafiſſuræ nobis occurrerunt. Tot auxilia medica ſuppeditari vellem, quibus ad curationem Contrafiſſurarum cum fructu uti liceret, quot ſe rationes exhibent quibus errores eorum, *Paulum* hîc ſequuntur refutare conceſſum.

Cum ergò mediorum medicorum in hoc caſu penuria adſit, imò partem læſam certò cognoſcere haud liceat, certi etiam aliquid quoad curationem hactenus conſtitui non potuit; placet tamen Contrafiſſuræ hujus, cujus exempla varia occurrerunt, unicum hîc loci exemplum proponere, ne revera eam dari, dubitare, negarevè pergant varii.

Fredericus Hermannides ſutor, ebrius, mediâ nocte obviam venit virorum eorum quibus excubiæ nocturnæ hîc loci demandatæ aliquibus, indicetur hora noctis exigit, diſplicet reſponſio, ſubortæ altercationes, has excipiunt verbera, unus enim excubitorum haſtâ, quâ erat armatus, capitis ſutoris partem dextram, ad aurem, ubi os ſe exhibet bregmatis, graviter adeò percuſſit, ut coactus fuerit, aphoniâ vertigineque correptus, in terram procidere. Sopor illicò ſupervenit, & hemeplegia, aſt haud diu vulnerato moleſta fuerunt ſymptomata hæc, non minimum terroris & reo & conſanguineis vulnerati adferentia, priuſquam enim duodecim tranſirent horæ vivis annumerari deſiit.

Caput juſſu Ampliſſimi Magiſtratus aperuimus; præſentibus Scabinis variis, loco dextro, qui haſtæ impetum ſuſtinuerat, contuſio cutis levis occurrebat, pericranium aliquomodo ſanguinolentum, in Cranio verò ipſo nec rima, nec fiſſura, nec fractura ulla; imò ſanguinis nihil omninò vel in ſubſtantia Cerebri, vel inter Cranium & Meningem duram, at verò in latere oppoſito ſiniſtro, circa inferiora oſſis bregmatis, proximè ad oſſa auditus non ſolùm ſanguinis obſervabatur notabilis quantitas, Meningem moleſtam, ſed & in ipſo cranio fiſſura duplex.

De abſceſſu hepatis fracturam Cranii ſecuto.

Innumerabiles affectus quibus obnoxium caput, exterius ſivè ſpectetur, ſivè interius, varii & illi quos communicat partibus aliis. Capiti obvenientia vulnera, levia licet quandoque habeantur, periculoſa tamen ut plurimum, ſymptomatibus variis ſtipata; quorum præcipua cœcitas, ſurditas, aphonia, delirium, fatuitas, paralyſis, epilepſia, convulſio, ſuppuratio partium internarum, & centum alia.

Abſceſſum ſecutum partium internarum Cranii fracturam nôn uno confirmatur exemplo; Noſocomium hujus loci publicum exhibuit & nobis & aliis conſiderabile. Rarius talia cum obveniant, utile omninò duximus, qua de causâ certi aliquid conſtet, Medicis nonnullis quæſtionem hanc proponere.

Cùm non raro vulnus Cranii & Cerebri ſequatur ſuppuratio hepatis, quæritur per quas vias Purulenta materia ex Cerebro deferatur ad hepar?

Quæſtionem hanc proponere placuit hujus loci Medico celeberrimo *Paulo Barbette*, his verbis:

Vir Celebrrime,

Quo penitius Chirurgiæ penetralia perveſtigamus, eò magis quæ in eâ occurrunt difficultates nos confundunt. Hîc hæremus; Chirurgi Regii Ambroſius Paræus lib. 10. cap. 12. & Petrus Pigræus lib. 4. cap. 8. mentionem faciunt abſceſſuum, qui in hepate, ventriculo, meſenterio, aliiſque ventris imi viſceribus ſuperveniunt Cranii fracturis. Exemplum nobis exhibuit in Noſocomio noſtro decumbens Otto

Otto Reynerſon Oldeburgenſis; vulnera hujus capiti inflixerat triplicia ſocius, quorum præcipuum occipite occurrebat, ad ſuturam lambdoideam, fractura Cranii quæ ἔσφλασις Hippocrati vocatur, ubi nempè fragmentum ſe dimittit ad inferiora, ſic ut ſub oſſe integro abſcondatur, ſtipatum. Ad remotionem fragmenti dicti Trepaniſationem inſtituere conſultum duximus, quod etiam ſucceſſit. Ad diem uſque 20. liber omninò æger ab omni febre, convulſione, paralyſi, ſopore, vigiliis, vomitu, imò ſymptomatibus omnibus, quæ fracturis Cranii ſupervenire ſolent. At paucis diebus antequam moreretur, de dolore gravi circa hepatis, ventriculique regionem conqueſtus eſt.

Querelas inter purulentia in vulnere exiſtens, quæ copioſa valdè, imminuebatur admodum labiorumque vulneris, ſimiliter ac fundi ejus, inſignis notabatur ſiccitas; accedebat febris gravis, cum delirio, & ſic vigeſimo octavo die obiit.

Eodem die ex mandato Ampliſſ. Magiſtratûs, præſentibus Samuele Coltero & Henrico Lons, Medicis. Caput defuncti aperuimus, in quo fractura occurrit, cujus conditionem ſuo tempore ex diario meo Tibi prælegam, aſt ad ventrem imum, cujus dolor valdè fuerat moleſtus, ubi pervenimus, Hepar invenimus valdè tumidum, abſceſſu notabili correptum, ex eo enim aperto puris ea effluxit quantitas, quam pinta dimidia vix continere poterat.

Ex capite hanc materiam eo defluxiſſe probabile valdè, aſt per quam viam hoc factum, ignotum nobis. Tu quæſo, Vir Doctiſſime eruditâ tuâ pennâ eam indica, quo non ſolùm eruditiores evadamus, ſed & quantum poſſibile & proficuum, in commodum ægrotantium, vias tales tollere, corrigerevè queamus; cedet hoc in nominis tui gloriam, proximique ſalutem. Vale; Vir Optime, reſponſorias primo tempore exſpectamus. Fuerunt hæ ſequentes.

Chirurge celeberrime.

Monarcha perfectus ſimilis neutiquam imperfecto Alexandro Magno, metuit hic ni novus crearetur orbis, aliquid reſtare, cujus ſe victorem dicat, ille in antiquo novam indies ſuggerit materiam, quo diligentiæ atque curioſitati noſtræ ſemper aliquid occurrat, quod melioris notæ iis, quæ ante hac inventa cognitaque fuerunt, nulla artis noſtræ pars, in qua non jam ab aliquo tempore vera hæc eſſe experti ſumus, nec licet nobis, niſi ingratis, excellentiorem eam profiteri eâ quæ ante annos centum exculta. Conſtabit hoc, inter alia, ut ſpero, ex iis, quæ ad quæſtionem à te propoſitam ex veterum fundamentis reſpondere licebit. Eſt hæc: cùm vulnus cerebri ſæpius ſequatur ſuppuratio Hepatis; quæritur per quas vias purulenta materia à cerebro ad Hepar deferatur?

Conſenſus qui totius eſt partiumque omnium in ſpecie ſpectatarum, magnus valdè, atque diverſus, ob ſpirituum, vaſorum ſanguiferorum, nervorum, &c. Multitudinem atque diverſitatem, quorum totum corpus pererrantium beneficio quoties vel abjectiſſima pars corporis malè conſtituta, illicò ſtatus præternaturalis communicatur cerebro, imò toti microcoſmo; Conſtat tamen, nec inficiari licet, notabiliorem eſſe conſenſum, qui eſt partium triplici corporis ventre contentarum, eo qui eſt partium his incluſarum ipſorumque artuum. Ratio hæc quæ proponimus confirmat, confirmat & experientia; imò authoritas virorum Doctorum ſuum huc contribuit. Perpende quæ magnus noſter præceptor Cous hac de materia habet, Vir ſanè, quem majoris æſtimamus in arte noſtrâ, quam olim Poëta Bartaſius 2. jour de la 2. ſemaine, in arte ſua popularem, hæc proponendo.

Marot que je revére ainſi qu'un Coliſée
Noirci, briſé, mouſſu; une medaille uſée,
Un é corné tombeau, non tant pour leur beauté,
Que pour le ſaint reſpect de leur antiquité.

Artifex noſter poſt tot ſecula idem ſapientibus noſtri ævi, felices omnes quibus volupe fuit tempora ſua ſcriptorum ejus lectione conſumpſiſſe; Accipe artis noſtræ cultor variis locis ab eo propoſita conſenſum viſcerum internorum clarè declarantia.

Coac. Prænot. cap. 4. §. 1.

Capitis dolor vehemens cum febre acuta & alio ſigno maligno lethalis eſt: cæterum ſine ſigno malo, viginti diebus tranſactis, ſanguinis fluxum aut pus è naribus, aut abſceſſus ad infernas partes ſignificat, &c.

Ibid. §. 28.

Affectiones ſoporem, fatuitatem & catochen inducentes, variantia hypochondria, & ventrem tumidum habentes, cibum faſtidientes, alvo ſuppreſſa exſudantes, num his turbidus ſpiritus, & genituræ ſimile quid prodiens ſingultum ſignificat; nam & alvus bilioſa inſuper egerit; ſpumoſus in his mictus prodeſt; ventres quoque his inſuper turbantur.

Libro de aëre, aquis & locis.

Sectio venarum pone aures (nobis nunc tam inuſitata quàm incognita) infœcundos facit.

Aphoriſm. lib. 6. Aph. 50.

Quibus præciditur cerebrum, his febrem, & bilioſum vomitum ſupervenire eſt neceſſum.

Galenus, Eraſiſtratus, Macrobius, aliique, ob diligentiam ſummam, judiciumque ſingulare à multis minus juſto, ob errores plus debito, laudati, non ſolùm confirmant ea quæ Anteceſſor allegatis locis docuerat, ſed & rationes addunt varias, à diſtributione varia Nervorum, ſextæ imprimis conjugationis, quorum ingens in ventre medio & infimo datur copia, maximè in Ventriculi orificio ſuperiore ſ. ſiniſtro, deſumptas.

Haud diſplicuiſſet, ſi Meninges cerebri prægreſſis addere placuiſſet, eo quod pectoris, imique ventris interiora tegant, mutuique conſenſus eorum vel maxima cauſa ſint, uti in ſternutatione, tuſſi, vomitu, &c. evidentiſſimè patet.

Hîc via ferè detecta quæ manifeſtior foret, ſiquidem cum Gliſſonio nutrimentum partium nervoſarum per nervos adduci, ſtatuere liceret, nervorum par ſextum, vagum antiquis dictum, facillimo negotio purulentam materiam ex cerebro ad hepar deferret, aſt cùm minus hoc placere curioſis ſciamus, alia nobis quærenda via, eaque commodior.

Primò, cerebri vulneri ſupervenire hepatis abſceſſum, certum judicamus, obſervationem tuam, accuratè ſatis notatam, teſtimonia variorum in arte noſtrâ exercitatorum, Medicorum æquè ac Chirurgorum, imprimis Ballonii, Paræi, Pigræi; &c. confirmant adeo, ut de certitudine ejus dubitare nec queamus, nec debeamus.

Secundò pus idem, numero & ſpecie, à cerebro ad hepar deferri, (contra ac Te judicare ſcimus) minimè admittimus, at hîc collectum pus aliam omnino agnoſcere cauſam, mox declarandam, quam quæ eſt puris in cerebro.

Tertiò ſollicitum me neutiquam declaro, qui inquiram in rationem, cur veteres ſolliciti adeo fuerint, ut, quæ affectus hujus duplicis cauſa, conſtaret certam etenim eam exhibere neutiquam iis datum, doctrina circulari de ſanguinis fluxu (quam magno Hippocrati notam fuiſſe vane admodum plurimi contendunt) eaque ſola lucis plurimum huic negotio conferet, nec crediderim, rationem quæ ſatisfacere veritatis cultori queat dari poſſe quæ eidem haud inſiſtat.

Sit ergo hæc ad quæſtionem tuam reſponſio. Cerebro vulnerato vaſa ſanguifera arterioſa ſimiliter læſa, cerebri ipſius ſive ſint, ſive membranarum ejus, ſanguini contento, uberius, parciuſvè exitum concedunt, hic calore ſpirituque privatus ſenſim putreſcere incipit, veramque in materiam purulentam converti; Accedit, quod ſanguis nutritius circa vulnus ex debito mutari nequeat, undè facilè in pus convertitur; & hac ratione ſuppurationis datur incrementum, niſi natura vel ars inhibeat. Circularem ſuum motum interim abſolvit ſanguis, mutationis plurimum non ſolùm in corde, ſed & partibus principibus aliis, aſſumens. Corporis ſic partes omnes pererrans ſanguis, ipſumque adeo cerebrum malè conſtitutum, non poteſt non pravam contrahere diſpoſitionem; pravè hic diſpoſitus per arteriarum carotidum

ramulos cerebri, jacentiam percurrentes, Meningis duræ exhibetur finibus, qui receptum deferunt in Venas jugulares, & per has in ipſam venam cavam, ſicque in ventriculum cordis dextrum ex quo, poſtquam in ſiniſtrum deductus, facilis ad hepar deſcenſus; in hepate, nobili ſatis parte, ſanguinis ulterior coctio, à bile itidem aliiſque excrementis ſeparatio perficitur. Difficultatis adeoque quid ſubeſt, quo minus ſanguis, impurus adeo, hepar accedens, ſuppurationi ejus anſam materiamque præbere queat.

Via hæc patens adeò, ut nullus dubitare queam, quin mecum eam inire haud recuſes. At inſtabis: cum ſanguis corporis partes omnes pererret, cor, pulmones, lienem, renes, &c. quid cauſæ ſubeſt, quod ſolum hic afficiatur hepar? Ad quæſtionem hanc reſpondeo, Cor ſubſtantiâ conſtare ſolidâ, compactâ, caloreque inſito vegeto, hinc paucis ſubjectum eſſe morbis, hoſtem ſuum vi ſingulari expellens, Idem quoque Lienem præſtare, reticulari nervorum ex plexu compoſitum, hàcque ſua ſtructurâ non ſolùm ab aliis partibus plurimum differre, ſed &, quod rariſſimè in cadaveribus malè conſtitutus reperiatur, efficere; Pulmonem ob ſubſtantiæ raritatem, vaſorumque amplitudinem haud adeo facilè affici poſſe Renes impuritates ſuas ſero communicare, ſicque per urinam evacuari permittere, at longè aliter cum Hepate conſtitutum eſſe; eo quod per venam portæ ſanguis illi offeratur multò craſſior, fœculentiorque eo qui per venam cavam, quod & color diverſus, & conſiſtentia varia clarè, ſatis indicant; ductuum lympham ad chyli glandulas receptaculaque vehentium numerus adſit inſignis, in quibus ob ſummam ſubtilitatem, parvitatemque facillimum humorem ſubſiſtere; ſanguinis purificationi coctionique continuo inſerviat, præter vaſorum bilariorum, ſanguiferorumque, maximam copiam, miramque complicationem, vix aliud, ut ſubſtantiam componentem, agnoſcens quàm ſanguinem concretum. unde & parenchyma jam à longo tempore dictum quæ quidem ſoliditatis aliquid habet, aſt fibras poſſidet firmas minus iis quæ ſunt cordis, renumque; quibus accedit, quod arteriis gaudeat paucis, iiſque exiguis admodum, reſpectu nempe aliarum partium, hinc ſpirituum vitalium quantitate minore, unde eſt quod hoſtium impetui reſiſtere minus queat, ſicque morborum plurimorum nutricula. Scriptis his quæ deſunt, ad pleniorem explicationem datâ occaſione, verbis addemus.

Barbette.

Litteræ hæ quod ſi Chirurgiæ cultoribus haud ſatisfecerint, non ſcio quid adferri queat, ad id ut, quo modo, quave via materia purulenta ex Cerebro vulnerato ad hepar deferri poſſit, declaretur; in gratiam juniorum ea quæ Medicus eximius *Nicolaus Zaſſius* ad Epiſtolam noſtram ea de materia ipſi miſſam reſpondit, prægreſſis addemus.

Celeberrime, Doctiſſimeque Vir.

Quæſtionem Medicis aliis propoſitam ne quæſo ægrè feras, quod & polito tuo judicio, experientiæque ſingulari offerre auſus fuerim, eſt ea: cum vulnus cerebri ſæpius ſequatur Hepatis ſuppuratio,

Per quas vias materia purulenta à cerebro ad hepar deferatur?

Ad hanc certius ut reſpondere queas neceſſarium omninò ducimus caſum eum proponere qui nobis occaſionem ſuggeſſit eam inſtituendi.

12. *Menſis, Junii in Noſocomio publico Amſtelodamenſi curæ noſtræ ſubjectus juvenis viginti præter propter annorum, melancholicæ temperiei, ſtaturæ mediæ, tribus locis in capite vulneratus; vulnus graviſſimum in occipitis occurrebat decliviore parte, proximè ad futuram lambdoidæam, cui jungebatur fiſſura ſimiliter ac fractura ad meningem penetrans duram; fracturæ inhærebat fragmentum oſſis deorſum dimiſſum ad ſpatium quod eſt inter duram matrem & cranium ipſum, ſicque fracturæ eam conſtituens ſpeciem, quæ* Hippocrati *ἀποφλασις appellatur.*

Fragmentum hoc moleſtum valdè vulnerato, doloris gravioris cauſam, impedimentum non ſingulare evacuationis materiæ purulentæ fragmento dicto ſuccumbentis, quo tolleretur, inſtrumenta varia adhibita, elevatoria imprimis, aſt fruſtraneus omnis labor, Trepano cranium perforare neceſſarium fuit.

Primo à tempore ad diem 20. immunis æger fuit à febre, ſiti, vigiliis, ſopore, vomitu (niſi quod lumbricum evomuerit) delirio, convulſionibus, aſt a die dicto puris per vulnus effluere ſoliti, ſub cranio collecti, copia imminui cœpit, accedente febre, doloreque hypochondrii dextri ſummo; Tertio ante mortem die febris, aſt ultimo delirium, valdè augebatur, dolor contra hypochondriacus imminuebatur, 28. menſis dicti obiit.

Defuncti & Caput, & ventrem imum aperiri placuit Ampliſſimo Magiſtratui, tum quod ventris dolore gravi circa hypochondrium dextrum laboraſſet defunctus ante obitum, tum quod ad vulnus Cerebri non rarò abſceſſum hepatis ſequi, ex nobis percepiſſet Magiſtratus dictus; pro me adducebam authoritam Ballonii lib. de morb. Epid. Paræi lib. 16. cap. 12. & Pigræi lib 4. cap. 8.

Calvariâ ablatâ puris exigua valdè quantitas ſub loco vulnerato reperiebatur, eaque duræ incumbebat matri; circa os occipitis, ubi fiſſura aderat cujus ſupra mentionem fecimus, Trepano facta perforatio fragmentumque elevatorio remotum, puris nihil omninò invenire licuit, aſt omnia hîc, mater imprimis dura, laxa admodum, madoreque perfuſa.

Ad foramen oſſis occipitis, per quod ſpinalis medulla ad vertebras ſpinæ deſcendit, ubi devenimus, omnia, membranas imprimis medullam inveſtientes, muſculoſque cervicis caput retrorſum moventes, ſero ſcatere reprehendimus, quæ tamen humiditatis collectio gravis nunquam ægrotanti fuerat.

Relicto capite anatomen aggreſſi ſumus Abdominis, ubi primo nobis occurrit Hepar, & in eo abſceſſus, pilæ magnitudine reſpondens, puris libram ſemis exhibens.

Finem hic imponimus obſervationi noſtræ, quam nudam adeò proponere placuit, quo quæ illuſtrationis loco exhibere Tibi Viro literato animus pleniori ſtylo nobis offerantur; ſententiarum noſtros inter Medicos Chirurgoſve mira varietas; ſunt qui volunt puris collectionem hepatis conſtitutioni morboſæ adſcribi debere, adeoque ex cerebro minimè defluxiſſe; Placet aliis, quorum numerus inſignis, purulentam materiam à cerebro per vias occultas ad hepar defluxiſſe, & hujus dicti rationem inde imprimis deducunt, quod notatum fuerit, quoties in cerebri vulnere puris imminutio, toties in hypochondrio dolorem augmentum ſumpſiſſe. Lympha tua lucis plurimum commodiori huic deductioni puris ex capite ad hepar adferet; Galenus lib. 6. de locis affect. cap. 4. *Pus ſincerum ex Pulmone deferri poſſe ſcribit per arteriam venoſam in ventriculum cordis ſiniſtrum, ex hoc in arteriam aortam, hinc in emulgentia vaſa, ſicque ex renibus per ureteres ad veſicam, quo cum urinâ evacuetur.*

Ambroſ. Paræus lib. 17 cap. 51. *in Secretario Sarſeti quoties brachium vulneratum parum exhiberet puris, toties urinæ, alvique fœcibus multum ejus permixtum fuiſſe, teſtatur.*

Ampliſſ. D. Conſul. Nicolaus Tulpius obſ. Med. lib. 2. cap. 6. & cap. 27. *Hiſtoriam nobis proponit, ubi purulentia pectoris in ſponsâ quadam per umbilicum via ſibi elegit, imò hepate collectum pus per os & alvum evacuari poſſe notatum.*

Clar. Medicus Gulielmus Piſo, *Braſiliæ praxin exercens in ſervo cujus Cranium fractum, caſum ſimilem obſervavit, & hæc obſervatio occaſionem ipſi dedit, ex me, aliiſque, etiam me præſente, ex Te, quibus viis materiæ dictæ tranſlatio perfici queat, inquirendi.*

Vale Vir ſumme; breviique quæ habes huc facientia communica, nihil unquam, conſiderationis alicujus, hic occurret, cujus te non primo tempore participem faciam, interim;

Officia mea & hîc & ubique
Tibi offero

Job. à Meekren.

Reſponſoriæ hæ ſunt.

Vir curioſiſſime, Chirurge expertiſſime.

Ad ſolutionem quæſtionis propoſitæ reſpondeo, abſceſſum eum quem in caſu propoſito hepati innatum ſcribis, ad inſtar pilæ luſoriæ, materiæ purulentæ non exiguam copiam exhibentem, viſceris illius contuſioni, aut læſioni cuicumque adſcribendum eſſe, undè putrefactio ſecuta.

Sententiam meam confirmant abſceſſus circumſcriptio, extenſio quæque eo faciunt, pilæ etenim figuram formamque habebat in hepatis parte convexa notabilis.

Querelas quas dolores hypochondriaci cauſant Hippocrates defendit in aphoriſmis, dum dicit: dum pus fit dolores & febres augentur, at eo facto imminuuntur, imò deſinunt.

Sequi nihilominus quandoq; abſceſſus hepatis, & meſenterii capitis vulnera libens concedo, ſola authoritate Petri Pigræi *motus, cujus* cap. 12. lib. 4. *videri poteſt. Placet ipſi abſceſſum Hepais & Meſenterii originem ducere ex conſenſu partium, qui nervorum recurrentium diſtributioni variæ debetur. At hoc in hepate locum non invenit, cum Nervi dicti à ſexto pari provenientes hîc non inveniantur, Placent nihilominus quæ proponit Vir citatus, cum certum mihi ſit (concedantur pro libertate animi ſenſum proponere (ſimiliter ac nervi nihil aliud ſunt quàm cerebrum expanſum, membranas etiam nil niſi nervos extenſos & ampliatos eſſe, adeoque conſenſum partium æquè membranarum quàm nervorum ope perfici.*

Vias ubiq; exactas eligere mathematici eſt, in cerebro noſtro talis fingere licet, aſt reipſa invenire impoſſibile.

Ipſa per oſſa purulentam materiam natura trajicere novit, Hippocrate *teſte, quid obſtabit, quo minus, faciliori etiam negotio, per arterias, vel etiam ligamenta ipſa, quorum beneficio hepar toti cohæret, eadem efficiat, corpus ut enim totum perſpirabile eſt, ſic & fluxile.*

Imò ex ſententia Galeni lib. de loc. affect. 6. cap. 4. *(ſi benè memini) pus omne, per arterias, venaſque totius corporis variè agitato ſanguini jungitur, ſicque minimè eidem mixtum, ad renes deductum, cum urinâ excernitur, quæ omnia epiſtolio tuo proponere nobis placuit. Hæc ſimiliaque naturæ alicui proprietati, quæ chymicis archeus, faber, artifex, & Medicus naturæ, vocatur, adſcribuntur; opus hæc ſuum perficit, non ratione vel judicio, ſed vi ſola atq; virtute facultatis ſecretricis atque expultricis, uti in ſcholis loqui ſolent, vias ſibi eligens occultas. Seroſus liquor, æquè in vaſis ac extra ea detentus, vias, fæculentarum impuritatum acceſſu ſæpius imperviàs diſponat, adeò ut puri ad hepar facilis concedatur aditus, conſiderari meretur.*

Seroſam quod ſpectat humiditatem, quam copioſam reperiam fuiſſe, ſcribis circa integumenta ſpinalis medullæ, de quarum tamen partium læſione nunquam conquæſtus fuerat æger, lympham eam credimus fuiſſe, innoxiam corpori, eo à naturâ ablegatam, quo à periculis præſerventur partes.

Hæc ad propoſitum tuum. Vale, ſalutem meo nomine indices Clar. Guilielmo Piſoni, *cujus labores in deſcribendis Braſiliae fructibus, herbiſque valdè probamus.*

Nic. Zas.

De Fracturis iiſdem.

Ad quæſtionem propoſitam quæ reſponderunt Medici adducti, Artis noſtræ cultoribus ſatisfacere poſſe credimus, nihilominus cùm plurimi reperiantur, quibus ea diſpliceant, imò obſervata noſtra æquè ac ſententiæ diverſorum Authorum fabulis annumeranda habeantur, ex eo, quod ſi quando abſceſſus in viſcerum internis reperirentur, haud adeò fracturis Cranii adſcribi debeant, quam quidem morbis eorum variis, placet obſervationem aliam prægreſſis jungere.

Die 7. menſis Junii curæ noſtræ ſubjectus *Henricus Henrici Oſnabrugenſis*, in quo ex ictu os frontis fractum, depreſſumque notabatur; duodecimo ab hoc tempore die obiit æger.

In hoc, æquè ac in aliis decumbentibus, de dolore lateris dextri, puris in vulnere imminutione, denique febre, atq; delirio, querelæ fiebant.

Calvariâ ablatâ piruitoſa occurrebat, eaque corrupta materia, non ſolùm in latere capitis dextro circa piam matrem, ſed & in ſiniſtro (eò quod ex concuſſione Cerebri arteriæ laceratæ) circa ſinus.

Relicto capite, quod de dolore hypochondrii dextri, dum in vivis æger, valde conqueſtus, puriſque in loco affecto imminutio conſiderabilis, Ventris inferioris viſcera accipimus; ad hepar ubi devenimus palmæ ferè magnitudini accedentem inflammationem in eo reperimus, quæ ſine dubio purulentæ collectioni anſam dediſſet, ſiquidem diutius in vivis fuiſſet jam defunctus.

Obſervata hæc noſtra ultima quibus ſatisfacere nequeunt legant, quæ ſimili de materia habet *Petrus Marchette obſ. Medic. ſylog. obſ.* 14. Quintò inquit obſervavi ſæpiſſimè, quod quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potiſſimum poſtica, & laterali, tunc materia purulenta delabitur ad Thoracis, & abdominis cavitatem, quæ longiori mora cum pulmones, tum pleuram, aliquas nempè ipſorum partes, erodit, ex quibus multa ſanies emanat, quæ poſtmodum ad abdomen defluit, cùm Jecoris, & Lienis labe, in quibus varias puſtulas excitat, quibus diſruptis perindè ac ex pulmonibus, & pleura, ita & ex his materia purulenta effluit, quanquam hujus obſervationis ignari, exiſtiment, abſceſſus obortos in his partibus, quorum ratione patientes moriuntur, non ex capitis vulnere, quòd ex capite copioſum pus, poſſe ad inferna viſcera delabi, non ſibi perſuadeant: prout in pleriſque obſervavi, mediam thoracis, & abdominis cavitatem pure fuiſſe refertam. Quam obſervationem multis tum in Theatro Anatomico, tum in Valetudinario S. Franciſci demonſtravi. *Hactenus Ioh. à Meekren in obſerv. Chirug.*

De Trepano, tanquam ad Fracturas Cranii pertinente.

Trepanum eſt apertio cranii, ut aliquid ſub cranio contentum per illam educatur. Illa apertio fit ferreo inſtrumento terebrante, quod eodem etiam trepani nomine vocatur: itaque trepani verbum habet duplicem ſignificationem, vel enim ſignificat ipſum remedium, ſeu capitis apertionem, vel ipſum inſtrumentum quo apertio fit, modò in unâ, modò in aliâ ſignificatione medicè ſumitur. Primò dicemus de eo, ut ſignificat inſtrumentum, ab aliis ipſum inſtrumentis deſtinguentes. In medicina ſæpè contingit oſſa debere perforari, inſtrumenta quæ hoc præſtant generali nomine vocantur terebra. Oſſa quæ perforantur ſunt quadruplicia, vel enim calvaria perforatur, ſternum, vel coſtæ, vel oſſa artuum. Calvaria perforatur, ut aliquid ſub ea præter naturam contentum evacuetur. Aperitur calvaria variis modis, vel uſtione ſeu cauterio, vel ſcalptura, vel ſerratione: cum aperitur ſcalpturâ, tunc poteſt aperiri, vel ſola ſcalpri abraſione, vel cum prævia ſimul terebratione communi terebro factâ, ſed tunc non aperitur trepano, nam nec ſcalpium, nec

commun:

commune illud terebrum verè eſt trepanum. Interdum aperitur ſerratione cum inſtrumento rotundo in orbem ſerrante & oſſis rotundas particulas exſcindente, & illud inſtrumentum vocatur trepanum, & cum ſic aperitur, tum verè trepano aperitur. Coſtæ & ſternum aliquando perforantur, ut aqua è thorace effluat, ut poſt audiemus. Oſſa artuum terebrantur, ut caries ex iis auferatur cauſtico per foramina infuſo. Illud trepanum eſt quoddam terebrum & ſpecies ejus, terebra enim ſunt diverſa, alia enim ſunt triangularia, alia torculata, alia lata, alia cannulata & ſerrata, terebrum cannulatum & ſerratum vocatur trepanum, reliqua terebra à trepano ſunt diverſa, itaque terebrum eſt genus, trepanum eſt ſpecies, & ſic omne trepanum eſt terebrum, at non contrà. Trepanum ergo propriè dictum eſt inſtrumentum ſeu terebrum ferreum rotundum, cannulatum, dentatum, acutum, quo in orbem ducto ſerratim oſſa, ac præcipue calvaria perforantur ita, ut ejus fruſtum integrum exſcindatur. Per hanc definitionem à trepano excluduntur omnia alia terebra, quibus aliquando caput aperitur: excluduntur etiam cauteria & ſcalpra, quibus etiam caput poteſt aperiri, & cycliſci, de quibus mentionem facit Hipp. & Gal. Trepanum vocatur etiam Chœnix, Græcè, & Latinè à Celſo modiolus; propterea quod inſtar menſuræ modii dictæ ſit rotundum. Hipp. mentionem facit cujuſdam inſtrumenti, quod vocat πρίον, quod videtur trepanum noſtrum indicare. Aliqui putarunt, quod cycliſci de quibus Hipp. & Gal. meminerunt, eſſent trepanum noſtrum, eo adducti quod ipſi doceant aliquando caput cycliſcis aperiri ſidium caput cycliſcis aperiretur, ergo ajunt cycliſcus eſſet trepanum, ſed errant, nam non omne inſtrumentum quo caput aperitur eſt trepanum, dixi enim ſuprà etiam cauterio & ſcalpris & terebro communi cranium aperiri, ſed tantum inſtrumentum cannulatum, rotundum, ſerratum, &c. Quod autem cycliſcus non ſit trepanum ex eo patet, quod cycliſcus malleo adigatur, trepanum verò non. Ideò Gal. ait, quod cycliſcorum uſus non ſit adeò ſecurus, eò quod caput quatiant, ſcilicet propter mallei percuſſionem, & id comprobat Paulus, qui ait, quod cum os eſt imbecillum, ex fracturâ oporteat ſcalpris inciſoriis cavis, quos Græci cycliſcos vocant ſenſim malleo adactis, ne caput concutiatur uti, ex quo patet, quid cycliſci ſint; ſcalpro & malleo adigantur. Sic Avicenna loquens de iis inquit, & adminiſtra facilitatem in percuſſione parvâ & magnâ: non lædatur caput & inquit & ipſum. Itaque cycliſcus eſt quoddam inſtrumentum oblongum, rectum ſuo extremo ſcindens, quod extremum in formam ſemicanalis, aut ſemilunæ eſt excavatum, quali fabrilignarii utuntur ad ligna circulariter excavanda, nos noſtro hoc idiomate nominamus, *eenrent*, beitellidus, & cycliſcus eſt ſine dubio illud inſtrumentum, quod Celſo vocatur calper lunatus, & Paulo ſcalper exciſorius cavus; cycliſci, ut cujuſvis ſcalpri uſus, imò & per ſe eſt os radere, & eo utebantur antiqui ad rimas fracturarum ſcalpendo & radendo extirpandas, cum parvæ erant, at cum majores & penetrantes erant; tum utebantur, iiſdem etiam ad cranium perforandum. At quomodo dicetur cranium poſſe cycliſco perforari, ſi cycliſcus eſt ſcalprum. Reſpondeo, quod antiqui primum locum in orbem terebro multis foraminibus, perforabant; poſteà adhibebant cycliſcum, eumque malleo adigendo ſquammatim quicquid calvariæ intrà foramina incluſum erat auferebant, quouſque tota ad meningem uſque ablata eſſet. Itaque & cycliſcis & terebris olim cranium perforabant, neutrum tamen inſtrumentum trepanum vocatur, ſed ſicut modus perforandi eorum à perforatione trepani eſt diverſus, ita etiam inſtrumenta ſunt diverſiſſima. Aliqui putant, quod cycliſci ſint ſcalpra recurvata, quibus hodie Chirurgi utuntur, quæ habent acumen à latere, & ſcalpunt lateraliter, ſed errant, cycliſci enim ſunt recti, non recurvi, & ſcalpunt acutie ſui extremi, non autem lateris.

Per trepani nomen etiam ſignificatur ipſum remedium, ſeu ipſamet cranii apertio, in illâ ſignificatione illud foramen quod in oſſe eſt factum, eſſentialiter eſt trepanum, non autem ipſa operatio, quâ trepanum fit, non enim illa operatio Chirurgica effectus, propter quos trepanum expetitur, ſed ipſum foramen per illam operationem inductum, effectus enim trepani eſt ſub cranio aliquid educere, illud autem non educitur per ipſam operationem Chirurgicam, ſed per ipſum foramen: ſic in cauterio quod fonticulus vocatur, non ipſa uſtio eſt remedium, ſed ulcus & foramen uſtione inductum, itaque ipſum foramen eſt verè trepanum: ex eo cognoſci poteſt; quale remedium ſit trepanum, nempè evacuatorium. Verùm cùm remedia vacuantia, alia ſint generalia evacuantia ex toto, vel pluribus partibus, alia particularia evacuantia, tantùm ab unâ parte, & alia ſint evacuantia hunc humorem, alia alium, quæritur quale evacuans ſit trepanum, unde & quid evacuet. Dico ergo quod trepanum evacuans particulare ſit, faciens evacuationem ſimplicem, & à parte affectâ, ſcilicet à loco cui ſupponitur, nempè à capite, ſed ex quo loco capitis evacuat, an ex toto an ex parte tantùm. Reſpondeo, quod aliquando poſſit trepanum adhiberi pro evacuandis fumis & vaporibus in caput aſcendentibus, ut in melancholiæ morbo, vertigine, epilepſiâ, &c. Sicut poſt audiemus in tali ſtatu; trepanum ex ipſo evacuat cerebro, quatenùs illi vapores tenuitate ſuâ poſſunt ex cerebro meninges penetranſire, & per foramen cranii exire; ſed cum trepanum adhibetur pro fracturis, pro ſanguine extravenato ad meninges hærente, vel pure ibi contento aut ſquammulis, quæ ab oſſe ceſſerunt, & membranas pungunt, aliiſq; evacuandis, tum dico quod trepanum, non poſſit per ſe evacuare meningibus contentum; ſed tantum quod ſuprà eas eſt. Dico per ſe, quia per accidens, ſi meninges ſint vulneratæ, poteſt pus ſub meningibus contentum per trepanum exire, proptereà quod dura mater ſit tàm craſſa & ſolida, poſſet quidem benè in tali caſu meninx phlebotomo aperiri, & aperta poſſet tunc per eam, & conſequenter per trepanum evacuari, quod ſub eâ continetur, ſed id facere eſt lethale & nimis temerarium ac periculoſum, præcipuè cùm nimis difficile & nimis conjecturale ſit, ſcire an aliquid quod evacuatione egeat ſub meningibus continetur: ergò concludendum eſt trepanum, imò & per ſe eſt remedium evacuatorium materiæ ſuprà duram matrem tantùm ſub cranio contentæ: ſed quid eſt, quod trepanum evacuet? Dico id eſſe vel ſanguinem extravenatum, vel in pus converſum, vel vermes ibi contentos, ut aliquando fit, vel ſquammas & fruſtula oſſis; quæ ita à cranio ſeceſſere, & meninges pungunt, vel fruſtula teli aut pugionis ſub cranio relicta, vel ſteatomata & tubercula, quæ ſubtus cranio aliquando adnaſcuntur, pro iis omnibus evacuandis poteſt terebrum adhiberi.

An Trepanum ſit remedium periculoſum? Aliqui affirmant, aliqui negant, ego diſtinguo, pro quo notandum, quod aliqui videntes periculum eſſe in hoc remedio, ne ſic meninx vulneretur, dicunt quod ad illud evitandum oporteat trepanare, uſque ad ultimam

cranii, ſic ut totum cranium non perforetur, ſed aliqua tenuiſſima portio ejus adhuc ſuperſit, & quod illa debeat relinqui naturæ ſupetanda. Alii dicunt quod oporteat trepanare, non trepano propriè dicto, ſed aliis terebris deſquammantibus, ſi foramen fiat in cranio, illis modis tunc dico, quod non ſubſit notabile periculum, propterea quod iis modis caveri poſſit, ne meninx tangatur, à cujus læſione eſt præcipuum periculum, ſed illi modi ſunt incommodi, & habent ſuas difficultates, propter quas etiam rarò uſurpantur, at ſi foramen fiat trepano propriè dicto, ſeu rotundo illo & cannulato terebro ſerrante, & ſimul & ſemel uſque ad ipſam meningen penetrativè perforatio fiat, ſicut hodie Chirurgi omnes faciunt, tunc dico trepanum eſſe remedium valde periculoſum. Illud periculum conſiſtit in multis, Primò in eo, quod meninges & aliquando etiam cerebrum denudentur, & ſic exponantur aëri frigido à quo læduntur, etiam cerebrum, cum ſit pars princeps, à frigidâ, & membranæ ſint corpora nervoſa, & acuti ſenſus à frigore plurimùm offenduntur, verumtamen illud periculum non eſt valdè magnum, nec ejus ratione puto hoc remedium adeò eſſe periculoſum; imprimis enim aër poteſt à longè admoto igni ſic temperari, ut frigore ſuo non obſit. Secundò experientia docet, quod multi poſt trepanum convaleſcant, quorum tamen meninx fuit aëri expoſita, ſi aër tantum obeſſet, omnes proculdubio pariter offenderet. Tertiò quod aer frigore eas non offendat, ex eo colligi poteſt, quod membranæ deberent liveſcere, & trepanari deberent reumate & catarrho corripi, quod ab aëris frigiditate fieri ſolere eſt manifeſtum, quod tamen in trepanatis non fit. Secundò periculum eſt in eo, quod oſſiculum trepano exciſum, ſæpè fibris, venulis, arteriolis fortiter cranio adhæreat, & ſic non poſſit extrahi ſine diſruptione earum, quæ diſruptio dolorem, inflammationem, febrem, convulſionem poteſt inducere. Aliqui dicunt ex ea parte non eſſe periculum, propterea quod trepanum plerumque in fracturis adhibeatur, in iis autem à contuſione jam fibræ illæ divulſæ ſunt, & membrana ab oſſe ſeparata, & ſuper cerebrum lapſa, & hoc probant experientia, quia in cadaveribus ſæpè apparet meninx ab oſſe ſeparata. Sed hoc verum non eſt, vel valdè rarum & experientiâ vidimus, ſemper fruſtulum jam exciſum non juſti violentiâ quadam fibris illis fractis à meninge ſeparari, ita enim fortiter cranio meninx adhæret, ut non facilè ab eo poſſit ſeparari, aut ſuprà cerebrum decidere. Aliqui dicunt meninges non hærere cranio per tales fibras, niſi ad ſuturam, ſed hoc eſt falſum, nam ideo in cranio inſculpta foraminula & ſulci ac tramites quidam, ut in illa foramina fibræ membranarum ingrediantur, quæ eas cranio alligent, & ut per illos tramites arteriæ & venæ perreptare poſſent, quas neceſſe eſt ad calvariam pervenire, nam niſi in illis tramitibus vaſa illa ſic occultarentur, & fibris annecterentur, non poſſent ſuum ſitum ſervare. Iterum tamen neque illud periculum ego permagni facio, nam mox roſaceo & vitello ovi ſuppoſito ille dolor & inflammatio facilè poſſunt ſedari, ut experientia docet, convulſionem autem inde ſequi per ſe nec credo, nec animadverti. Tertio nonnulli periculum ponunt in eo, quod non poſſit os perterebrari, quin aſperitates quædam & fragmenta oſſium relinquantur ſub cranio, & quædam pariſcidia ſeu ſquammulæ ſubtus ab oſſe ſecedant, quæ cum intus relinquuntur meningem lædere & inflammationem inducere poſſunt, eodem modo quo videmus, quando aſſerem perterebramus vel ſerramus & perventum eſt ad imam ſuperficiem ipſius infrà fruſtula plana ab eo ſecedere, quod fit, quia aſſer ſuas fibras habet propter quas ſinditur, quales quia etiam cranium habet, veriſimile eſt, quod etiam ſic findi perſæpè poſſet, verùm etſi id fieri benè ſit poſſibile, benè præcaveri, & rarò fit propterea quod os terebretur levi circumactione, leviterque ſine preſſione comminuatur, illa autem pariſcidia ſecedunt tantùm propter fortem compreſſionem, quâ ſquammulæ decedunt, quando ſerramus, aut perforamus acuto inſtrumento, aut levi ſerratione ſive forti truſione, cui accedit, qui tales ſquammulæ per truſionem ſic ſecedant. cum aſſer eſt ſiccus, & non cum humidus, cranium verò in vivente homine eſt humidum, & ideò cum volueris trepanare calvariam ſiccam alicujus cadaveris tales ſquammulæ facilè tunc ſecedunt, ſed non cum calvariam hominis viventis, deinde ut hoc aliquando fiat inſpecto oſſiculo illo quod exſcinditur poteſt animadverti, & ſi fortè aliqua ſeceſſerit, poteſt ſubtus, à meningi abſtergi vel educi, itaque neque ex hac parte trepanum adeo eſt periculoſum.

Quarto periculum eſt ex eo, quod cum trepanando pervenitur ad ultimum cranei, & trepanum jam penetrat vix fieri poſſe, quin dura mater, & venæ, & arteriæ, ejus dentibus acutiſſimi ferrei inſtrumenti divellantur & vulnerentur, & hoc periculum eſt ſummum, & difficulter evitabile, & hujus ratione trepanum eſt maximè periculoſum, quia vulnera meningis ſunt lethalia, nam ſi fibræ venarum & arteriarum lædantur, inprimis effluit ſanguis ex iis, qui ſe inſinuat & dilabitur ſub cranio, & corrumpitur & inflammatur, interdum etiam poteſt ſequi hæmorrhagia, ſi majores venulæ ac arteriolæ vulnerentur: quia ipſa eſt nervoſa, & acutiſſimi ſenſus, ſequitur inflammatio ejus, febris, delirium, & aliquando convulſio, & cum ipſa inflammatur tunc incraſſeſcit, & elevatur in foramen cranii, & claudit ipſum, & facit ut apertio fiat inutilis quatenus quæ ſub cranio eſt non poſſit exire, hæc læſio propter tres cauſas ſæpè fieri poteſt; ima eſt propinquitas & adhæſio arcta cranii ad meningem, propter quam fit ut tàm citò atque os eſt penetratum meninx tangatur. Secunda propter inæqualem oſſis craſſitudinem, habet enim os interius quaſdam cavitates, & proceſſus propter quas fit, ut trepanum cum unâ parte tranſivit, alterâ adhuc debeat perforari, ex quo fit, ut antequam craſſior pars cranii ſit perforata: altera jam trepani dentes tranſmittat, qui ibi meningem vulnerant. Tertia quia Chirurgus trepanum ſæpè non rectè tenet, nec ortogonaliter ponit ſuper cranium, ex quo fit ut uno latere tangat meningem, antequam perforaverit, alterum, hoc autem ex eo ſæpè contingere poteſt, quod oculus Chirurgi ex alto aſpiciens, non benè poſſit videre, an trepanum rectè ſtet, nec ne, niſi ab aſtante medico admoneatur. Quartò hoc fieri poteſt, cum trepanum eſt æquale ſine areſto, & cum Chirurgus nimis fortiter premit ipſum, ex quo fit, ut ſi os tenuius ſit, quàm ipſe putet, & ſic citius perforatum ſit, quàm ipſe cogitet trepanum, jam impetu quodam pertranſeat, & demergatur in meningem, antequam ipſe advertat, eſt benè verum, quòd circumſpectiſſimus Chirurgus has omnes cauſas benè ſæpè advertere, & cavere poſſit, ſed tamen non ſemper, & ideò manet hoc remedium valdè periculoſum, avertere poteſt, ſi ſæpè eximat trepanum, & animadvertat quàm verè os ſit perforatum, & trepanum verſus craſſiorem oſſis partem inclinet, & trepano utatur ab apriſto, id eſt, quod non poſſet demergi, & habeat areſtum.

Diximus

Diximus ſuprà trepanum eſſe remedium evacuatorium, itaque tantum in illis effectibus convenit, qui ſiunt ab aliquâ materiâ ſub cranio contentâ per trepanum evacuabili materiâ, quæ ſi eſt evacuabilis vel immediatè ſub cranio continetur, vel profundius in cerebro, & ſub membranâ; materiâ quæ profundius ſub cranio eſt, quæque per cranium eſt evacuabilis tantùm eſt vapor & fumus, non autem materia aliqua humoroſa & craſſa, talis enim gravis eſt & ſpiſſa, & ſic nec aſcendere poteſt nec meningem penetrare, vapor verò cum tenuis ſit, & ſurſum ferri & meninges pervadere poteſt, itaq; in morbis, qui fiunt ab humoribus in cerebro contentis non poteſt trepanum convenire, verùm in effectibus difficillimis, qui à vapore & fumo maligno ac venenato fiunt, poteſt trepanum locum habere, evacuando cauſam eorum, quæ alioquin per ſolidam oſſis ſubſtantiam exire non ſatis poſſit, tales morbi ſunt, Epilepſia, Vertigo, Melancholia, dolores intolerabiles capitis, addo in morbis graviſſimis & maximè diuturnis, quia cum remedium per ſe ſit magnum & periculoſum, non debet temerè, & non niſi in maximis, diuturnis, & intolerabilibus morbis poſtquam, alia omnia remedia non profuerint adhiberi; cum verò prædicti morbi aliquando fiant ab humoribus, à vaporibus aliquando non convenit trepanum in iis, niſi quando à vaporibus ſunt generati, etſi autem propter remedii difficultatem raiò in illis effectibus trepanum adhibeatur, tamen rationi & experientiæ conſonum eſt ipſum aliquando adhiberi: Rationi, quia ſi in talibus effectibus cauteria ſæpiſſimè ſuprà ſuturam coronalem adhibeantur, ut per ea facilius eidem vapores exire poſſint, multò enim facilius exibunt, cum etiam ipſum cranium eſt pervium foramine, quàm cum tantum ipſum pericranium & capitis cutis. Verum quidem eſt, quod aliquis objicere poſſet, quod vapores capitis per ſuturas cranii ſæpè exeant, ſed non ſatis commodè, & in ſanis: cum vapores ſunt pauci, non autem cum nimii ſunt & craſſiores. Experientia verò patet etiam hoc remedium, etiam in illis effectibus convenire. Nam Saxonia ſcribit in Cephalalgiis capitis poſt alia omnia remedia, etiam trepanum convenire, & ſe cuidam intolerabili & diuturno morbo laboranti caput trepanaſſe, & inveniſſe os ſubtus carioſum, & multam pituitam ſupra meningem, & quandiu foramen cranii erat apertum, ipſum melius habuiſſe, ſed cum obturabatur, à carne meningi ſupercreſcente dolorem iterum ſævîiſſe: Hollerius quoque propriis obſervationibus, quas citat Schnellius lib. Obſervat. E. De. d. c. dicit in intolerabili capitis dolore in Epilepſiâ, maniâ, melancholiâ, hemicraniâ conſtat permultos melius habuiſſe, terebellis, vel cycliſcis aperto capite. In melancholiæ morbo etiam ſcribit Guamerius, ſe ducati magnitudine mulierem trepanaſſe, & trepanum menſe uno apertum reliquiſſe. Memini quoque mulierem quandam, dividimus Leodii capitis incredibili, & nimis diuturno dolore laborantem, cui ego quoque remedia ſcripſeram, importunè ſemper flagitantem à Domino Rictio Doct. Medico trepanatam eſſe, & à dolore liberatam. Certè in hujuſmodi nimis diuturnis; intolerabilibus & aliter incurabilibus capitis doloribus, qui ſub cranio in eodem ſemper fixi loco ſentiuntur, credo trepanum ſæpiſſimè neceſſarium eſſe, ſæpiſſimè enim tales dolores fiunt ab oſſis carie deſtillante, & ſuprà meningem aggregato, ac oſſis particulis propter cariem ſecedentibus, à vermibus etiam ibi generatis meningem pungentibus & erodentibus, ſæpè à lumbricis ibi cranio ſubtus adnaſcentibus, ut in morbo Gallico aliquando fit, in quibus caſibus, malum ſine trepano curari impoſſibile eſt, quia enim alia ratione; quod ibi contentum eſt, poſſet evacuari. Præcipuus autem morbus, propter quem ordinariè hodie trepanum appetitur, eſt cranii fractura, ideo de eâ paulo latius diſſeremus.

Cùm cranium ex ictu, vel caſu fractum eſt, contingit aliquando ipſum valdè contra meningem deprimi, ac ipſum cerebrum lædere, aliquando fruſta ejus inverſa eſſe, & cuſpide ſuâ meningem pungere, vel in eam eſſe adacta, vel ſquammulas quaſdam ſubtus ſecedere, quæ meningem infeſtent; plerumque verò ſanguinem contra cranium, propter ictum eſt verius elapſum, per ipſam fracturæ rimam meningem in ipſam delabi, interdum concuſſione venas & arterias ſub cranio contentas rumpi & effundere ſanguinem, interdum ab ipſis oſſis fruſtulis vulneratas ſanguinem emittere, illo caſu ſanguis extravenatus concreſcit, & ut ſemper ſolet, inflammatur, & in pus vertitur, & calore ſuo meninges & cerebrum inflammat; & acrimoniâ idipſum ſtimulat, dolores, febres, deliria facit, fruſta verò, quæ ſeceſſerunt, & membranam pungunt ac vulnerant, etiam eadem accidentia inferunt; ſimulque convulſiones, Epilepſiam, &c. Illa verò omnia ſunt educenda, ut æger curetur, educi non poſſunt cranio non aperto, nec oſſium ergo eſt, ut ſi ipſo ictu non ſit apertum, trepano aperiatur; hinc in fracturis trepanum convenit.

Adhiberi trepanum non poteſt, niſi cute capitis primum longe lateque diviſâ, & cranio detecto: hic ergo quæritur: An quando cranium per ſe non eſt detectum, ſit neceſſum à Chirurgo detegi; & cutem capitis detegi; Videtur Hipp. lib. de vulneribus capitis, indicare quod non: dicit enim, ſi os eſt denudatum, ergo vis ictus non penetravit uſque ad os, ergo non poteſt eſſe læſum; ſi non ſit læſum, ergo non eſt opus trepano, nec conſequenter cutis diviſione. Sed reſpondeo, cranium poſſe ab ictu lædi, & quæ ſub cranio continentur, etiamſi cutis externa cranii, non ſit uſq; ad cranium ſiſſa, hoc inprimis ſæpiſſimè fieri poteſt, cum læſio facta eſt per contuſionem à caſu & baculo craſſo, tam ſæpè cutis eſt integra & cranium fractum: ſæpè etiam in pueris, quibus oſſa adhuc ſunt mollia: à contuſione cranium poteſt eſſe depreſſum, cute externâ integrâ; ſed cum læſio eſt facta, à re acutâ ſcindente vel perforante, tunc ſi vulnus non tranſierit uſq; ad os, & os non ſit denudatum, ſequitur quod nec ſit læſum, nec conſequenter cutis ſit dividenda, nec cranium denudandum, vel trepanandum, nihilominus tamen adhuc fieri poteſt, quod gladius non fuerit acutus, & ſic etiamſi non vulneraverit uſque ad os, tamen ictu ſuo cauſarit aliquam ſub cerebro concuſſionem, ex qua venulæ fractæ ſint, & ſanguis exierit, & in illo caſu eſt cutis dividenda, & trepanum ponendum. At hoc factum cognoſci in principio non poteſt, & ideò in principio in vulneribus ſic factis, ſi non penetrent uſque ad cranium, nonnunquam eſt trepanandum, eſſet enim temerarium & ſine cauſâ; ſed ſi decurſu dierum videatur, quod peſſima ſuccedant ſymptomata, & in jota quàm ab externo illo vulnuſculo produci poſſint, eſt indicium, concuſſionem & fractionem venarum ſubtus factam eſſe, & tunc eſt trepanum figendum, ſi autem per contuſionem rei gravis & obtuſæ læſio factâ ſit, ac cutis diviſâ; atque cranium denudatum manu vel ſpecillo tangi poteſt, an os ſit fractum, ſi cutis non ſit diviſa, & ictus ſit levis nullâ vi impreſſus, non eſt opus cutem dividere; ſin eſt contra, & gravia ſymptomata adſint, caſus vomitus æruginoſus, ſanguinis per os & nares exitus, &c. cutis eſt dividenda, nam in

in eâ dividendâ nullum eſt periculum, & facilè reſaneſcit, niſi ubi magnæ arteriæ aut muſculi temporales ſint dividendi, ſi tunc os fractum apparet; qualis fractura ſit eſt videndum, ad ſciendum, neceſſarium trepanum ſit nec ne, non enim in omni ſtatu fracturæ neceſſarium eſt, ſunt nonnulli qui dicunt, quod in nullis fracturis ſit trepanandum, hoc dicit Vidus Vidius ſuper Hipp. de dolore capitum, niſus authoritate Jac. Peniſmi famoſiſſimi Chirurgi, qui dicebat, ſe longo uſu obſervaſſe, magis ſervari eos, qui ſine cutis diviſione partim lenientibus, partim ſiccantibus curantur, quam quibus cutis inciditur, & os aperitur, hoc etiam prob. ratione quam inquit, ſi cutis non ſcindatur, tunc calor innatus manet concluſus & integer, & melius ſaniem & ſanguinem collectum diſcutit, & oſſa conglutinat, ſi ſcindatur, tunc ait, calor evolat & externum frigus cedit, & ſic à duplici cauſa calor fit debilior, & debilior factus non poteſt illa opera exercere. Secundò ſæpè ſanies & ſanguis tali loco ſunt, ut non poſſint per trepanum evacuari, ſæpe enim fit trepanum ab unâ parte, & pus eſt ab alterâ, aut ſæpe pus collectum eſt loco imo, nec ad foramen à meninge inflammatâ occluditur. In illis caſibus inprimis fruſtrà ægri exponuntur periculo ipſius remedii. Secundò eſt, nec poſſe eſſe eos mori, quia ſanies inprimis non exit, & propter calorem à foramine debilitatum, tunc non poteſt à naturâ diſcuti, in quibus ſi trepanum factum non fuiſſet, calore manente unito & valido ſanies diſcuti potuiſſet. Tertiò quando ſanguis ſubtus & abit: propter ruptionem venarum, factam à concuſſione; tunc ille plerunque exit è venis piæ matris, non autem duræ matris, ſi ex venis piæ matris, ergo colligitur ſub dura matre, ergo ſi tunc trepanum fiat, fruſtrà fit, & non poſſet ſanguis per ipſum evacuari, ergo tales trepanati propter caloris diſſipationem debeant mori, quod ſine trepano, calore permanente vegeto poſſent ſanari calore, &c. Sanguinem & ſaniem diſcutiente. Quod exeat è venis piæ matris potius, quàm duræ, colligi poteſt ex eo, quod pia mater magis abundet venis, & ſit tenuior ac venæ ejus tenuiores, dura verò mater ſit denſa & ſolida, nec ſit veriſimile, quod à contuſione venæ ejus frangi poſſent. Quartò quia ſaltem, cum ſic ſub cranio ſanguis eſt extravenatus, dubium eſt an ex hujus, an verò illius membranæ venis exierit, & ſic ſemper tunc erit dubium, an trepanum juvabit, temerarium aut videtur uti remedio tam periculoſo, cum ſemper dubitatio eſt de ejus utilitate. Quintò quia videmus, quæ aliæ oſſium fracturæ benè curentur ſine cutis diviſione, & quod natura ſanguinem tunc ad fracturam collectum benè diſcutiat ſine eo, quod neceſſum ſit illum ſenſibiliter per aliquod vulnus vel foramen exire, ergo eadem ratione fractura cranii poterit benè conſolidari, & ſanguis extravenatus ſubtus contentus ac ſanies à naturâ diſcuti ſine eo, quod neceſſum ſit cutem dividere & cranium perforare, imò videmus, quod fracturæ oſſium aliorum membrorum longè facilius curentur, quando nullum eſt conjunctum carnis vulnus, ſeu nulla apertio facta, quam quando eſt. Sed reſpondeo, ad primum & ſecundum certum eſt, quod aliquando capitis fracturæ benè poſſint abſque trepano curari, quod quando ſc. os ſolum fractum eſt, & nullus ſanguis ſub cranio collectus, quia fractura, ut talis, trepanum non requirit, aut apertionem, ſed tantum unionem. Dico ſecundò quod etiam benè poſſibile ſit aliquando illas fracturas curari, cum quibus ſanguinis aliquid ſub cranio eſt collectum abſque trepano, quatenus ſc. natura cum ſicuti in aliis fracturis & inflammationibus facit, aliquando diſcutere poteſt, ſed eſt nimis temerarium iſti dubio eventui exponi & expectare, an natura eum diſcutere poterit nec ne, quod ſi enim non diſcutiat, ſed in pus convertat, an non tunc recta mors ſequitur, adde quod calor non poteſt talem ſanguinem diſcutere, niſi ſit paucus, cum enim multus eſt, tunc nunquam diſcutiet, ſed ſuppurabit, quomodo ergo tunc illud pus ſine trepano exibit, nec valet dicere, quod etiam aliquando trepanum fruſtrà ponatur, & ſanguis tali loco collectus ſit, quo non poſſit per trepanum exire, quam certum eſt ipſum ſæpè non juvare, nec educere, ſed tunc talis læſio eſt incurabilis, & ſaltem factum à nobis fuit, quicquid humanitus fieri poſſibile eſt. Neque etiam valet dicere, quod in illo caſu. ſi non fuiſſet trepanatus, potuiſſet æger adhuc curari calore valido ſaniem diſcutiente, quia invicem quod hoc ſemel fit, aliquando continere poteſt trepano non facto; decies è contra poſſibilius erit, enim curari trepano facto, quàm ſi factum non fuiſſet & curari qui non facto fuiſſet moriturus. Quod dicunt calorem propter trepanum evaneſcere, & ſic debilem factum; non poſſe ſanguinem diſcutere, quem cranio integro validior exiſtens diſcuſſurus fuiſſet, falſum eſt, non enim adeò propter illam apertionem calor debilitatur, quin ita benè ſicut ante ſanguinem diſcutere poſſet. Ad tertium reſpondeo, quod videtur, ſæpè ex piâ matre ſanguis effluit propter multitudinem venarum ejus & tenuitatem, ſic è contra ex durâ matre etiam ſæpiſſimè exit, quia ipſa à concuſſione plus patitur, propterea quod cranio ſit vicinior, & quia à cranio quaſi pendet, cum altera ſuprà cerebrum firmiter jacens nequeat, ſic ab ictu conquaſſari, ut ſit, quia dubium ſemper eſt, an ſanguis ille ſub durâ matre, an ſuprà eam ſit, ideo in omnem eventum eſt trepanandum, ut ſaltem à nobis non ſteterit, quin æger ſit curatus, quia caſu quo ſub durâ matre contineatur, propterea non magis enim tunc calor nativus diſcutere impedietur, calor enim ſub meninge includitur, nec ita notabiliter exſpirat, Ad quartum reſpondeo, quod multò magis temerarium eſſet relinquere ægrum ſine trepano ſoli naturæ, quæ ſanguinem qui plerunque multus exit diſcutere nequit, aut vix unquam diſcuſſura eſt, nam etſi trepanum aliquid periculi habeat, ſi iſthic relinquatur. Ad quintum reſpondeo, aliud eſſe de fracturis cranii: in fracturis illorum inflammatio forti faſciatione impeditur, quâ partes conſtringuntur & coarctantur. In cranio illæ faſciæ locum non habent, cranium enim non poteſt faſciando couſtringi ſicuti brachia & pedes, qua propter ſit hoc certum quod in fracturas ſæpiſſimè trepanum ſit neceſſarium. Dico ſæpiſſimè, quia uon eſt neceſſarium in omnibus, ut itaque ſciatur, in quibus hoc neceſſarium ſit, & in quibus non, Notandum quod os vel eſt fractum, vel contuſum: fractum os, vel eſt fractum uſque ad diploem tantum, vel uſque ad meningem: fractum os uſque ad diploem, non eſt trepanandum, ſed radendum: ſi uſque ad meningem, tum fractura vel eſt valdè parva, ſicut ſit tantum quædam rima, vel valdè magna, aut cum fruſti notabilis effractione, ſicut ipſa meninx, imò & per ſe vel illius fruſtuli effracti extractione videri poſſit, vel mediocris ſi tantum ſit rima atque tenuis, aliquando trepanandum eſt, ſæpè tamen minime, tum tamen in dubio ſi ſuſpicio & quid propter rimam ſimul ab ipſa concuſſione ſubtus vena aliqua diſrupta eſſet, & ſanguis effluxiſſet, quia ille abſque dubio extrahi non poteſt ſine trepano, eo quod per tenuem rimam non poſſit exire, eſſet trepanandum, non propter rimam per ſe, ſed quatenus cum rima per accidens ſubtus extravenati ſanguinis collectio juncta eſſet, verum ſi

ejus

ejus ſuſpicio non eſſet, tunc ſi rima ſit tam tenuis, ut non ſit veriſimile per eam aliquid ſanguinis ſuprà meningem deſtillaſſe, non eſt abſolutè neceſſarium trepanare, quia cui uſui trepanum fieret, rima enim per ſe non indicat apertionem, ſed potius conglutinationem, ſed tantum quatenus ſuſpicio eſt, quod per eam aliquid ſanguinis ſuprà meningem effluxit, quod ſi propter rimæ tenuitatem factum non eſſe ſit veriſimile, & nulla mala ſymptomata indicatione appareant ubique neque eſt trepanandum; Dico quod non ſit trepanandum abſolutè, quia aliquando etiam ſi rima tenuis ſit, nihilominus tamen eſt trepanandum, propterea quod ab ipſo oſſe in rimâ aliquando colligitur ſanguis aliquis, qui ibi putreſcit, & os corrumpit, & ſimul afficit meningem, quod apertione trepano factâ debet impediri, hoc autem poſteà cognoſcitur, cum mala ſymptomata incipiunt apparere, & propterea quamdiu talia nulla apparent, non eſt neceſſe, propter rimam in principio trepanare: ſed tantum oportet uti medicamentis cephalicis egregiè exſiccantibus & diſcutientibus, ad talem in rima putredinem impediendum, & quod collectum eſt diſcutiendum, & rimam callo claudendam. Si fractura ſit valde magna, ita ut jam fruſtulum unum notabile, aut plura ſunt effracta quæ extrahi poſſint, ex quibus extractis jam meninx denudetur, & cranium ſit apertum, non eſt neceſſe trepanare, quia ideò trepanatur, ut exterebrato per trepanum uno fruſtulo cranium ſufficienter ſit apertum, ſi ergo jam à fractura ſatis apertum ſit, quid eſt opus amplius trepano aperire: ſi fractura ſit mediocris, & fortè cum aliqua fracti oſſis depreſſione eſt trepanandum, nam in tali caſu ſemper probabilis ſuſpicio eſt, quod per fracturam ſanguis à pericranio ſit delapſus, vel in fracturâ ſanguinis ex ipſo oſſe & diplone exiliens colligetur, qui ibi putreſcens os corrumpat & ſaniem verſus meningem dimittat, unde peſſima accidentia, & mors ſequeretur, ideò talis ſanguis & ſanies facto foramine eſt educendus. Porrò ſi vulnus & fractura cranio ſit illata ab ictu vel punctura plerumque ſquammæ ſubtus à cranio ſecedunt, illæ verò trepano ſunt educendæ, ſi os fractum ſit & ſimul depreſſum, ſic ut portio depreſſa cerebrum & meninges comprimat ideo, quoque magis trepanandum eſt, ut ſimul auferatur illa, illis enim ex depreſſione coarctatis apoplexia, convulſio & mors ſequuntur. Hæc cum os eſt fractum, aliquando etiam eſt contuſum: contuſum eſt duobus modis, ut cum eſt contuſum in ſubſtantia, vel cùm in ſitu, ſi in ſubſtantia eſt contuſum, ſic ut ſubſtantia ejus ſit condenſata, ſine eo quod deorſum ſecundum ſitum ſit depreſſum, tunc tantum conveniunt medicamenta cephalica, quæ impediant oſſis contuſi putredinem & ſanguinem ex compreſſione in dyplonem ſolùm penetrans, ſi os eſt contuſum ſic ut figuram rotundam perdiderit, & ſit cum fovea quadam depreſſum, & tamen non ſit fractum, quod in teneris oſſibus puerorum poteſt fieri, tunc trepanum non requiritur, ſed tantùm elevatorium, aut medicamenta attrahentia, ſed ſi cùm contuſione ſuſpicio eſſet, ex concuſſione ſanguinem ſub cranio extravenatum eſſe, omninò trepanum neceſſarium foret; proinde generalis regula eſſe debet, ſeu cranium denudatum ſit, ſeu non, ſeu os fractum ſit, ſeu non; fractura magna ſit, ſeu parva, ſi ex magnitudine accidentium ſuſpicio ſit, ſanguinem aliquem ſubtus ex venis exiiſſe, & ſub cranio collectum eſſe, trepanum eſſe adhibendum: talis concuſſio & venarum ſubtus factio plerumque evenit, cum à re gravi, obtuſa, & contundente cerebrum læditur, attus etiam cum cæſim & punctim læſum eſt, præcipuè cum inſtrumenta non admodum acuta aliquando contingit, ſicuti memini me quoque obſerv ſſe. Quæritur autem, an etiam in reſonitu trepanum ſit ponendum: Reſonitus eſt, cum caput una parte percuſſum, non frangitur illa, ſed in oppoſita; talem reſonitum animadvertere licet aliquando in vitris & ollis fieri, quæ videmus una parte percuti, & frangi oppoſita, proinde eadem ratione etiam in cranio aliquando fieri Medici animadverterunt, nonnulli tamen negant illum reſonitum cranio evenire poſſe, propterea quod cranium non ſit unum os continuum, ſed ex plurimis coagmentatum; reſonitus autem, inquiunt, non habet locum, niſi in iis, quæ ſunt unum quid continuum: verum etſi cranium ex multis partibus ſic eſt compoſitum, quia tamen illæ valde arctè per ſuturas ſibi mutuò cohærent, fit ut ipſum quodammodo ſit, ſicut unum continuum corpus, & ideò in eo reſonitus fieri poteſt. Hippocr. lib. de vuln. capitis teſtatur, etiam talem reſonitum aliquando fieri, quod infortunium cum accedit non poteſt, inquit, juvari; propterea quod nulla via poſſit, ut inquit prehendi an os fractum ſit nec ne, & quo loco? ubi videtur judicare, quod ſi aliqua adeſſent indicia loci ubi os fractum ſit, quod etiam tunc iſthic deberet cutis dividi, & trepanum poni, ſed quia cum conſideramus partem capitis ictam, & cum videmus ibi non eſſe fracturam, valdè dubium eſt & obſcurum ſcire, an oppoſita pars ſit fracta, nec ne; & quàm valdè temerarium videretur ibi ſecare, ubi non rectè conſtat, an os ſit fractum, & quia poſitó caſu, quod in oppoſita parte certè fractum eſſe conſtaret, tamen adhuc incertum eſt quo locó ſit fractum; an ſurſum an deorſum, ante aut retrò ideò præcipuè quæritur, an in tali caſu medicus auderet tentare cutis capitis in oppoſitam partem diviſionem? Et reſpondet bene Cora Celſus, ſi inquit percuſſio fuerit gravis, ſi mala indicia adſint, & ea parte qua cutis ſciſſa eſt rima non appareat; non incommodum eſt, inquit, alterà parte quoque conſiderare num quis locus mollior ſit, & tumeat, etenim aperiri rationem inſinuat; nam ſi adeſt fractura jam certum eſt, quod trepanum requiratur, ſi non adeſt, quod cutis facta diviſione certiſſimum conſtabit, jam nihil eſt peccatum, & ſolummodò fruſtrà ſemel cutis diviſa eſt, ex qua diviſione, nullum venit damnum, cùm poſſit facile reſanari.

Circà trepanum hæc præcipuè conſideranda, modus, quo trepanum induſtriè adhibeatur, ut nihil vel minimum tempus noceat, quo adhiberi debet, quantitas & locus; hic de modo; cranium non poteſt perforari, niſi imum ſit denudatum, non poteſt denudari, niſi cutis & pericranii diviſione; videndum ergò, imò an in capite ſit vulnus nec ne, ſi eſt magnum vulnus ſic ut cranium latè ſit detectum, aut tantùm ut in vulnere commode trepanum circumduci poſſit, non eſt amplius actis dividenda, ſi eſt parvum ulteriore ſectione eſt dilatandum; donec ſit ſatis magnum, ſi non eſt debet vulnus fieri, ſecatur plerunque cutis in crucem uſque ad ipſum cranium, ſic ut totum pericranium perſecetur. Dico plerunque quia aliquando ſecatur in figuram trianguli, cum nimirum vel ſuturæ, vel arteriæ aliquæ, aut venæ ſunt cavendæ; tunc pericranium quod ſuis fibris fortiter cranio adhæret; obtuſiore inſtrumento, vel novaculæ dorſo eſt ſeparandum, ut quatuor anguli carnis ſeu cutis capitis ſunt attollendi, & diducendi, & ſubtus teneris plurimis ex ſtupa idoneo medicamento imbutis infarciendi

infarciendi & ſuffulciendi, ut diducatur & à ſe invicem latè ſeparentur, quo poſtridiè ſpatium latum pateat figendo trepano, imbuuntur illæ medicamento habente virtutem repellendi, ſanguinem ſiſtendi, & dolorem ſedandi, ex ſciſſione enim illa, & pericranii violenta diviſione poteſt dolor fieri, & febris, & locus inflammari: ex diviſione venarum & ſæpè etiam arteriarum copioſus ſanguis effluere, qui reſtringi debet, & venulæ claudi, & ideò curandum, ut poſtridie totus ſanguis ſit reſtrictus, alioqui trepano impediretur, medicamenta illa ſunt, bolus, ſanguis Draconis, ſpodium, ovum totum, aqua roſata, acetum, oleum roſatum, &c. ſi nullæ arteriæ, vel ſaltem exiguæ ſint præciſſæ, facile ſanguis ſiſtitur, ſi majores metuendum quod illæ non tàm citò aut facilè à medicamento claudantur, debet uri vel ferro, vel cauſtico, vel debent tranſmiſsâ per carnem aculigari: Interim æger debet victu tenui, & refrigerante vivere, ut ſic minus ad febrem à remedii magnitudine contrahendam diſponat. Eſt enim alius modus cranii denudandi, quo cutis non ſcinditur, ſed exuritur, hic cauterio & potentiali, & actuali, præſtari poteſt, Cauterium actuale illud eſt rotundum per modum cannulæ & acutum, illud cum incanduit ponitur ſuper cutem & carnem capitis, & exurit eam uſque ad ipſum cranium, uſtione facta pars cutis intra cauterium incluſa, una cum pericranio detrahitur & avellitur ab ipſo oſſe, & tunc ibi os pulcre eſt detectum, talis modus cranii denudandi habet multas commoditates, imprimis quod non habeat tales angulos in carne, qui ſæpè obſiſtunt trepanationi, ſed tantum rotundum foramen. Secunda quod avertit omne periculum hæmorrhagiæ ab arteria aliqua ſecta, cauterium enim urendo claudit arterias, & ideò cum ab arteria eſt periculum valdè convenit. Tertia ac præcipua commoditas ejus, cum eſt neceſſitas citò trepanandi, ut cum trepanum nimis diu fuit delatum, aut periculum eſt in mora, tum enim facta hac ſic cutis exuſtione ſtatim poſt licet trepanare, quod non licet, quando cutis novacula eſt diviſa, tunc enim ad minimum una nocte expectare debet, imò ſæpè duabus & amplius, ſi vulnus recens iterum ſanguinem emittat. Quarta commoditas eſt, quod ab ipſa uſtione cranio excalefacto fibræ meningum ſubtus cranio adhæreſcentibus contabeſcant, & ſic ſine violentia fruſtulum cranii exterebratum abduci & ſecedere poſſit: Verum ſi novacula cutis fuerit diviſa, poſtridie ſtupa & dente fortiter pilis & cuti ratione aluminis adhærentes ſenſim & blandè ſunt auferendæ, ne ſi rudius auferantur, iterum venis divulſis ſanguis effluat, qui trepanationem impediat. Si ergo ſanguis reſtiterit trepanum eſt affigendum, ſi adhuc fluat, multus iterum trepanum eſt differendum quouſque ſit deſtrictus, in trepanando tota difficultas & artificium in eo conſiſtit, ut foramen ſic in oſſe fiat, ne meninges lædantur, nam ſi lædantur eſt lethale, quia verò hoc eſt difficile, & tamen tanti momenti, ideò medici varios modos excogitaverunt, ut varia genera inſtrumentorum quibus hoc fieret imprimis, video cranium poſſe aperiri tribus modis, ſerratura, ſcalptura & limatura, ſerratura fit per modiolum ſeu trepanum propriè dictum, & illius uſus hodie eſt maximè vulgaris, cùm eo uti volumus ſic eſt agendum. Claudantur aures ægri cotone, ne à ſtrepitu trepani offendantur, tunc caput ab uno vel duobus hominibus teneatur, anguli carnis diviſæ tegantur emplaſtro aliquo, ne à trepano circumducto lædantur & doleant, tunc trepanum imponendum valdè ortogonaliter, & ſic continuò tenendum, & non magis in unam, quàm in alteram partem inclinet, & inæqualiter perforet, circumducendum verò mediocriter, nam cum nihil premitur, nihil ſerrat, cum nimis fortiter non circumagitur facto jam circulo parùm profundo, ſeu facta jam ſemita trepani, trepanum eſt eximendum, & ſtilus pungens, qui eſt in centro trepani etiam eximendus, & ſolum trepanum ſuo inducendum, nam ſi per oblivionem ſtilus ille non eximeretur, cum is extet ultrà margines trepani; diu pertranſiiſſet cuſpide ſua cranium antequam ipſum trepanum, & ſic perforaret meningem, trepanum aliquando eſt eximendum, ut dentes ejus extergantur ab oſſis ſerratura, & nimis continuata ſerratione, unà cum ipſo oſſe nimis incaleſcat, & in oleum roſatum eſt imponendum, ut facilius ex lubricitate, circumducatur, antiqui in aquam imponebant, ſed oleum præſtat, quia quando ferè os eſt perforatum, tum exempto trepano ſæpè videndum eſt, quàm propè finem perveneriraus, ne nimis profundè perforemus & meningem lædamus, & ut videamus an os non ſit unâ parte citius quàm altera perforatum, ut ſecundum hoc poſſimus trepanum inclinare verſus partem craſſiorem, & ſi trepanum tale eſt, ut poſſit perfundari, tunc ſumma cautela curandum, ne ex improviſo immergatur, itaque valde ſuſpenſa & timida manu tunc eſt perforandum, & mox ut oſſiculum incipit mutari, tunc eſt tentandum, an extrahi poſſit ſuaviter potiùs quàm uſque ad ultimum extremum undique perforaretur metu ſemper tangendæ meningis. Hippocrat. voluit ut os non perforaretur uſque ad extremum abſolute, ſed ferè tantum, & tunc relinqueretur naturæ ſeparandum, os enim ſic diviſum & læſum corrumpitur, & ſimul fibræ quibus meningi adhæret contabeſcunt, & tunc ab oſſe bono à naturâ ſeparatur & excutitur, & hoc ideò fieri volebat, ut eâ ratione, omne tangendæ meningis, & fibras violenter divellendi periculum evitaretur. Ille modus, ex illa quidem parte eſt ſecuriſſimus, ſed ex alterâ iterum eſt periculoſus, propterea quod illa ſeparatio non fiat à naturâ, niſi valde ſerò & lente, & interea in mora periculum ſit, itaque ubi effectus inducias concedit, ille modus eſt ſecuriſſimus, aliàs non hodie ſimul & ſemel omnes Chirurgi perforant: Os terebratum ſuaviter eſt extrahendum, cum forcipe cannulata ad id comparatâ, perforare trepanis, quæ poſſunt immergi eſt valdè periculoſum, ideò nulli diligentes Chirurgi unquam deberent iſtis uti. Trepana quæ mergi non poſſunt abbaptiſta illis fere abſque periculo uti poſſumus, quia non poſſunt contra noſtram voluntatem ex improviſo in meningem demergi, pleraque etiam eorum non poſſunt ad latus inclinari, & inæqualiter perforari quin animadvertatur, ideò talia trepano non poſſunt immergi, quia habent quandam exſtantiam ſeu arreſtum, quo hærent ſuprà circumferentiam cranii, & impeditur deſcenſus, & ideò illa vocantur trepana ſecutitatis. Illa trepana in duplici præcipue ſunt differentia; aliqua ſunt quæ habent arreſtum, ſeu ſupercilium, ſeu circulum extantem ſerratim, qui cum ipſum trepanum cranium profundius eſt ingreſſum, ſuperius ſuper convexa cranii ſuperficie hæret & arreſtatur, & circumductione etiam ibi ſerrat, quo impeditur, quod circulus inferior non poſſit profundius ſerrare, quàm circulus ſuperior deſcendendo ſerratim permittit. Aliqua ſunt, quæ habent utrinque proceſſus acutos ſcalptim ſcindentes, qui ſuperius cranio hærent, & ut trepanum profundatur ſuperius circumductione cranium ſcalpunt, quo fit, quod non magis profundetur trepanum, quàm ſcalpturæ ſuperioris profunditas oſtendat & permittat. Aliqua ſunt, quæ habent unum

ſimplicem

habent unum ſimplicem circulum extra trepanum ſurſum deorſumque per ſpiras & helices mobilem, qui circulus facit, quod trepanum non poſſit profundius penetrare, quàm ipſi volumus, & cum trepanum jam uſque ad circulum eſt ingreſſum, ſi os adhuc non eſt perforatum illum circulum per ſuam helicem, quantum volumus circumdendo adhuc parùm abtollimus; quouſque totum os eſt perforatum, Aliqua trepana habent multa foramina, quorum unum altero eſt elevatius, per quæ ſtilus ferreus craſſitudine foramini reſpondens tranſmittitur, qui utrinque extra coronam trepani paululum extans impedit trepanum profundari, qui ſtilus moveri poteſt, & vel in altius vel in demiſſius dimitti foramen, prout plus minus volumus trepanum vel profundari; & major minorvè craſſities cranii exigit. Aliqua habent appenſas à latere alas acutas ſcalpentes, deorſum anguſto in conum deſinentes, ſurſum verſus latas utrinque unam vel duas quæ ſerræ ſuccedentes, & os paulatim magis, & magis exſcalpentes perforant quidem, ſed ita ut dum major ſemper fit perforatio, trepanum alarum latitudine ſuſpendatur, ne repentè incidere in meningem poſſit. Hæc ſunt genera veri trepani, ſeu trepani ſerrando perforantis. Verùm quia ejuſmodi trepana habent dentes acutos, & qui omnes æqualiter ſimul cranium tranſeunt, & propter oſſis cranii inæqualem craſſitudinem poſſunt una parte, tranſiiſſe, & meningem ibi vulnerare, antequam tranſierint altera parte, in quo non eſt parvum periculum, ideò nonnulli ad majorem cautelam & ſecuritatem invenerunt adhuc alium perforandi modum, & alia trepanorum terebrarum genera, quæ non ſunt quidem verè trepana, ſed cum habeant eundem perforandi cranii uſum, & ſicut trepanum vertibulo ducantur, ſæpè communi nomine trepani appellantur, inventus ergo etiam modus cranii uſque ad meningem ſcalpendo ſquammatim extenuandi, ſcalpturæ varii ſunt modi, aliqui eam faciunt cum noſtris ſcalpris communibus in circulum ſemper ſcalpendo donec factum ſit foramen ad meningem uſque. Antiqui ut ſuprà multis foraminibus perforantes, cum cycliſcis malleo adactis, quicquid cranii foraminibus comprehenſum erat ſquammatim decutientes: verùm ille modus propter percuſſionem cum malleo erat moleſtius, & à multis eo nomine fuit damnatus, quod percuſſione illa cerebrum & ſpiritus valdè quaterentur, & turbarentur; ſecundo etiam ille modus periculum habebat ratione terebræ quæ perforando toties cuſpide ſua meningem ſubtus pungeret, vel ex improviſo penetrare potuiſſet. Aliqui invenerant ſcalpra, quæ non adducuntur manibus, ſed inſtar terebri manubrio circumducuntur, talia ſunt certa trepana quædam alata, ſubcava, diſquammatoria, quæ perforant non unum fruſtum exterebrando, ſed unum rotundum locum manubrii circumductione in ordine ſcalpendo. Illa trepana, non ſunt verè trepana ſed ſunt vera ſcalpra manubrio circumducta, vel terebra quędam ſcalpentia, tale unum trepanum ponit Fernel. pag. 271. ſuæ Chirurgiæ quod vocat trepanum deſquammatorium. Sunt etiam trepana alata, quæ conſtant alis à latere ſecantibus plurimis, quibus paulatim cranium ſcalpendo exſcinditur. Sunt etiam trepana habentia ſulcos acutos & ſcindentes, quæ verticulo ducta cranium atterunt. Apertè etiam cranium limaturâ. In eum uſum ſunt inventa terebra limata habentia caput craſſum, quod eſt limatum, quod caput ſuprà cranium vertibulo in orbem ducto ipſum radendo & limando uſque ad meningem diminuit: facto jam foramine uſque ad meningem, eaque denudata, omnis oſſium ſerratura eſt extergenda, & videndum ne illum oſſis pariſcidium intrà remanſerit, ſimulque oſſis aſperitates à ſerrâ relictæ ſcalpro lenticulari orbem ſunt adæquandæ. Deinde arcendum à meninge aëris frigus, itaque ſi aura eſt hiemalis & frigidior, ſemper cum vulnus curatur, candens ſartago, aut vas aliquod ignem continens, aut quid ſimile à longo eſt exhibendum, quo meninx tempore quodam foveatur, aut aëris frigus corrigatur; mox perforatione facta, quid olei roſati ſolùm, vel cum molli roſato, vel etiam vitello ovi eſt exhibendum, quo meninx dolore à trepano & laceratione fibrarum affecta demulceatur, & ab inflammatione defendatur, dolore ſedato, vel roſatum cum tenui ſindone ſuprà meningem ponatur, ſuprà os ipſum denudatum, non ſunt unguenta ſeu olea applicanda, quia os corrumperent, ſed vel ſuccus ſindon; vel lintei particula, quod ſic ab aëris etiam attactu aliquo modo defendatur, nam ſi os aëri multum ſit oppoſitum nigreſcit & corrumpitur, & quantum nigreſcit, tantum à natura poſteà ſeparatur & excutitur. Cavendum ne ipſa meninx tantis ſuprapoſitis gravetur, nam cùm ipſa ab oſſe ſit ſuſpenſa, pondus ei incumbens dolorem & fibrarum ejus faceret divulſionem. Itaque ſuprà ipſam meningem & in foramine nihil niſi tenuis ſindo eſt ponendus, ſuperius tamen vulnus multis tentis, emplaſtro, & linteis tegumentis eſt cooperiendum, quo aëris externi frigus difficilius poſſit intrare, & calor internus cerebri iis mediantibus includatur, & non exhalet interim labra vulneris in carnem per diviſionem primam facta, ſemper impoſitis tentis deducta ſunt ſervanda, ſuberoſcendo foramen cranii ne obturent; ſæpè meninx meninge phylace inſtrumento deorſum ab oſſe parùm præmenda eſt, ut puri quod ſub eo continetur, facilior exitus detur, quando nihil amplius purulenti è cerebro per foramen effertur, & quicquid præter naturam ſub eo contineri creditum fuit, id vacuatum putetur, tempus eſt foraminis claudendi, claudatur autem foramen caone ſuccreſcente, in locum enim oſſis ablati nunquam aliud os ſuccreſcit, ſed partim ſuprà meningem, partim ſuprà calvariam, nova caro accreſcit, partim labra vulneris excreſcunt, & omnibus in unum conglutinatis, carne foramen impletur, quæ rarò propter oſſis viciniam durior, cum tempore calloſa evadit, & ſæpè non minus benè, quàm ſi novum os aggeneratum fuiſſet cerebrum defendet.

Locus trepani figendi deſumitur vel ab ejus, quod per trepanum evacuari debet ſitu, vel à natura partis trepanandæ: Ab eo, quod evacuari debet ſumitur indicatio loci; ſic quod ſcilicet trepanum eo loco poni debeat, per quem judicamus commodiſſimè poſſe evacuari quod ſubtus eſt, is autem locus eſt ille, qui rei ſubtus contentæ eſt viciniſſimus. Itaque ſi vel cuſpis pugionis vel teli in capite ſit relicta; ſi os eſt in fractura comminutum & depreſſum & cerebrum premit, aut ibi metus ſit ne pariſcidia quæ ſeceſſerunt membranas pungant, aut ei ſint infixa, in ipſiſſimo loco trepanum eſt ponendum. Si in aliquo loco fixo intolerabilis dolor fuerit, ſemper præſentibus metu ne os ſubtus ſit carioſum, aut putredo aut ſanies ſubtus lateant, aut gummata ſint adnata, illo ipſo doloris loco eſt perforandum. Si trepanum ponatur pro educendis fumis in melancholia, epilepſia, vertigine; locus ſuperior ad ſuturam coronalem eſt eligendus, nam cum vapores cavitate ſua rectà ſurſum ferantur iſthic omnium commodiſſimè exhalabunt, & propterea etiam ille locus pro cauteriis in ejuſmodi affectibus ponendus eligitur. Si trepanum pro fractura adhibeatur, ubi fractura eſt ibi

ponendum, ſi tamen pro ſanie, quam ſubtus contineri ſuſpicio eſt, eductione adhibemus, præſtat paululum demiſſiorem fracturæ locum eligere, pus enim ſemper deorſum labitur, verſus fundum meningis, & difficilius ſurſum fertur, & ideò per dimiſſiorem locum melius evacuabitur, non oportet tamen à fractura decedere, eo modo ſuprà fracturam trepanum eſt ponendum, ut fractura non ſit extrà ipſum, ſed ejus circulo comprehendatur, interdum ferè medio ipſius, interdum à latere prout judicabitur expedire. Cavendum tamen ſemper, ut cuſpis trepani, ſeu acutus ille ſtilus, qui eſt in centro ejus non cadat in ipſam fracturam, ſi os in multa fruſta ſit comminutum, ſuper ea trepanum non eſt ponendum, quia inprimis ſtilus ſuper his poni non poteſt. Secundo quia nec trepanum ea poteſt exſcindere quia cedunt preſſioni. Tertio preſſione trepani ſi qua pariſcidia ſubtus ſint, aut penetrant meningem magis aut profundarentur. Quarto illorum fruſtulorum agitatione meningum fibræ cum maximo dolore avellerentur. Itaque in fracturis ſi cutis non ſit diviſa, ubi ictus eſt receptus, ibi eſt dividenda, ibi enim veriſimilius eſt fracturam ſubeſſe, quod ſi fractura non inveniatur, & tamen peſſima ſymptomata aliquam ſubeſſe indicent, & ſic periculum ſit reſonitus, oppoſita parte qua tumor, aut dolor, aut mollities eſt, eſt etiam cutis dividenda, & ſi ibi fractura inveniatur trepanum figendum A natura partis etiam ſumitur indicatio loci, quia aliqua loca capitis non patiuntur trepanum, propter periculum, quod ex earum perforatione ſequitur, aut ſaltem non niſi extrema neceſſitate. Imò dicit Hippocrat. ſuturas eſſe cavendas, quem omnes medici ſequuntur, ſuturarum enim vulnera ſunt lethalia, & hoc propter fibras nervorum, venarum & arteriarum, quæ per ſuturas decurrunt, quæ omnes trepano ibi poſito miſerè dilacerarentur, unde periculum doloris, inflammationis, febris, ſpaſmi, convulſionis, &c. Secundo manet, ut pericranium non tangamus, quanto minus fibras meningum, nam illa trepanatio eſt quædam dilaniatio, & ideò plus offendit meninges & fibras, quàm ſimplex vulnus. Etſi autores omnes fateantur periculum eſſe in ſuturarum trepanatione, aliqui tamen putant, id non eſſe adeò magnum, proinde cum fractura in ſuturas incidit, licere etiam ſuturas trepanare, & probant experientia, quia videmus & legimus plurimos fuiſſe ſanatos, qui in ſuturis fuerunt vulnerati, imò etiam qui in ſutura fuerunt trepanati: & Carpus ſcribit ſe ſæpè in ſuturis trepanaſſe, nec inveniſſe difficultatem. 2. Non eſt iis fidendum, certoque tenendum, non debere ſuturas vulnerari, ſi ergo in ſuturis eſt fractura, trepanum eſt ponendum, utrinque ad latera ſuturæ quam propius eam. Dico utrinque quia illo caſu ſanies poteſt eſſe collecta, & pariſcidia excuſſa, tam bene ab uno latere, quàm ab altero, ſi tum tantum ab uno latere apertio fiat, quod ab altera parte eſt collectum, non poſſet per illud unum foramen evacuari, nam meninx quæ ſuturæ adhæret tanquam quoddam ſeptum eſt intermedia & impedit ne quid ab uno latere capitis poſſet ad alterum pervenire. Secundò paulùm ſuper ſupercilia in oſſe frontis non eſt trepanandum, ibi enim ſunt quædam cavitates aëre plenæ, & humida quædam ſubſtantia per quam aër per nares in cerebrum tranſiens attemperatur. Ideòque ſi ibi os fractum eſſe aliquando contingat, debemus meminiſſe illius cavitatis naturalis, ne putemus ſic illud nos intrò addactum eſſe. Tertio debemus etiam vitare occipitis demiſſiorem partem proptereà, quod ibi ſit exortus nervorum & ſpinæ, quæ ſi læderentur, aut apertione frigus aut noxam contraherent, eſſent paraliſis aut mortis cauſa. Quartò non licet etiam os temporum trepanare, & propterea cum illud fractum eſt paululum ſuprà muſculos temporales in oſſe ſincipitis trepanum eſt ponendum. Cauſæ quinque ſunt, quas Gal. Meth. ſexto cap. ult. adfert. Prima eſt durities illius oſſis, propter quam petroſum dicitur, quæ eſt, quod illud non poſſit ſine magna cerebri concuſſione perforari. Secunda ſuturæ ſquammoſæ quæ ibi ſunt. Tertia ſitus dimiſſus, qui eſt cauſa quod cerebrum ibi in foramen exeat & perrumpat, & magnâ mole decumbat. Quarta quia ibi eſt apertus nervorum qui à latere cerebri ſunt, quia antequam ad os perveniatur, debet muſculus temporalis præſcindi, quod periculoſiſſimum, & certum ferè convulſionis adducit metum, tum etiam per eum arteria magna percurrit, quam præſcindere maximi periculi eſt.

Maxima eſt difficultas in definiendo tempore quo trepanum ſit ponendum, propterea quod authores antiqui circa illius determinationem ita differentes varii & ſibi ipſis contrarii fuère. Hippoc. in lib. de vuln. cap. videtur velle quod ultra triduum non oporteat exſpectare, dicit enim hæc verba: Poſtquam autem os ſcalpro raſeris ſiquidem ad perforationem tundere oſſis ſauciati videatur perforare oportet, & citrà perforationem triduum non excede, ſed in hoc perforare tum aliàs tum tempore calido ſi ab initio curationem ſuſceperis, circà finem porrò ejuſd. lib. videtur dicere contrarium his verbis: Si ab initio aſſumptam curationem adminiſtras non oportet ſtatim os ad membranam perforare, non enim conducit membranam oſſe nudatam multo tempore manere afflictam, ſed poſteà cum madore corrumpi & putreſcere ipſam periculum eſt, ibi enim dicit, non quidem ante tertium diem perforandum, ſed tam diu exſpectandum, donec putredinis initium & periculum jam incipiat, & hoc confirmat Hippoc. adhuc alio in loco ejuſd. libri, cum dicit: Quapropter cum intellexeris febrem hominem invadere, ex aliiſque ſignis aliquid ipſi accidere non oportet cunctari, ſed os uſque ad membranam perforare, ubi indicat, non eſſe ſtatim perforandum, ſed tùm imò cum mala ſigna incipiunt aperiri. Paulus Ægineta lib. *6*. cap. *9*. ponit hoc tempus, ut nimirum in æſtate trepanatio fiat ante ſeptimum diem, hieme verò ante decimum tertium. Corn. Celſus in temporis definitione non etiam ſatis ſibi conſtat, etenim cap. 2. lib. *6*. ait quid oporteat eos imitari, qui oſſe nudato diem tertium exſpectant, & tunc exſcindunt propterea, quod omnia ſint duriora, priuſquam inflammatio ſit oborta; ubi dicit ſtatim intrà tertium diem eſſe trepanandum, priuſquam mala ſymptomata ſeſe manifeſtent, at verò cap. 4. ejuſdem lib. contrarium dicit: dicit enim ſic: In omni verè fiſſo fractove oſſe protinus antiquiores. medici ad ferramenta veniebant, quibus id exſcindere, ſed multò melius eſt inquit, prius emplaſtra experiri, quæ calvariæ cauſa componuntur, quibus verbis indicat, in fracturis non ſtatim trepanandum, ſed prius tentandum medicamentis tantùm, & ſi tum videatur mala ſymptomata oboriri, & medicamenta non ſufficere, trepanum tunc primum ponendum eſt, & addit poſteà ſic uſque ad diem 17. eſſe faciendum, & nec tunc trepanandum niſi febris invaſerit, vigiliæ aut ſomnus turbulentus ſequatur dolor ingraveſcat, cibique faſtidiantur. Halialbas etiam in illo tempore deſignando fuit diverſus, nam novo practicæ cap. 84. imò dicit accelerandam curaturam in capitis vulneribus antequam, inquit, bilis accidat rejectio & convulſio & delirium, & ſyncope, & febris acuta, & poſteà dicit ſic: Aſt ſi membrana à cranio

definit tempus, & non oportet, ut tardetur, inquit illud in æſtate ultrà 7. dies, & in hyeme ultrà 10. & quantò velociùs erit melius, & longinquius abeſt ut accidant nocumenta magna. Albucaſius in parte tertia ſuæ Chirurgiæ cap. 3. & Ravus lib. 1. 10. de nocumentis ante 14. diem in hyeme, ante 7. in æſtate debere cranium exſcindi exiſtimabat, & Raves in eodem loco dicit ſic, quod debet ſerrari de cranio capitis cum celeritate ſerretur, & non exſpectetur, ut accidat de eo quod deſcendat ad matrem cerebri ærugo, ſic ut faciebant, quidam exſpectantes, &c. Ego hac autorum contrarietate & dubia temporis definitione dico primò, trepanum poni propter fracturas, vel propter alios morbos cephalæam, melancholiam, vertiginem, &c. ſi propter hos morbos ponitur, tunc non ita definitur tempus trepani ullis diebus, nec eſt neceſſum acceleratre in trepano ponendo, quia tales morbi ſunt longi, & inducias dant, in iis autem non oportet trepanum adhiberi, niſi cum jam amplius tolerari nequeant, vel deſperatiſſimi ſint, & alia omnia diu antè tentata nihil profuerint. Sed ſi trepanum ponatur pro fracturis, de quibus omnes ſuprà poſitæ autoritates ſunt intelligendæ, tunc ſaltem hoc ex omnium ſuperiorum conſenſu, imò rectum eſt, quod ſemper in æſtate citius; in hyeme ſerius ſit trepanandum: ratio eſt, quia æſtate calor nativus eſt debilior, & ideò vires tum citius labaſcunt, unde fieret quod illæ trepano non ſufficerent, quando ſerius poneretur, ſecundò, tunc multò citius ſanguis extravenatus ob contuſum & meninx concuſſa inflammatur, & putreſcunt quàm hyeme. Tertiò propter eandem cauſam, & etiam propter temperamenti temporis ſimilitudinem, citius tunc & febris & omnia mala ſymptomata oboriuntur, pro tempore verò exactius definiendo Neoterici aliqui dixerunt, quod nunquam oporteat perforare priuſquam mala accidentia oboriantur, horum opinio fundatur in eo quod trepanum ſit periculoſum, & ſæpè fracturæ à natura poſſint curari ſine trepano, unde ſi in tali caſu trepanum poneretur, medicus exponeret ægrum periculo à remedio ſine neceſſitate; & quia ſi tamdiu exſpectet donec mala ſymptomata oboriantur, adhuc tunc ſatis tempeſtivè ponitur. Verùm hæc opinio eſt falſa, & ab omnibus hodie reprobata, nam imprimis trepanum non eſt tam periculoſum, exſpectare donec mala ſymptomata oboriantur. Aliqui dixerunt ſic quod cùm fractura eſt magna & evidens ſuſpicio internæ læſionis quàm citiſſimè ſit trepanandum, non exſpectatis malis accidentibus, ſed cùm fractura eſt parva, & dubium eſt, an ſubtus aliqua læſio ſit, quod in tali dubio caſu non ſit temerè trepanum ponendum, ſed tàm diu exſpectandum, donec mala ſymptomata appareant, ne nimis temerè ſtatim trepanando antequam ejus neceſſitas appareat æger fruſtrà afficiatur periculo mortis à trepano. Verum hæc etiam ſententia falſa eſt, contrà quam ſunt Avicenna, Polus Hali, & Neoterici multi, nam in dubio caſu illud faciendum, à quo eſt minus periculum, ſed eſt minus periculum à trepano ſi ponatur fruſtrà, quam à nimis longa exſpectatione, ſi trepanum ſit requiſitum, etenim ex nimis longa exſpectatione cerebrum & meninges corrumpantur, unde certa mors: ergo in dubio caſu præſtat adhuc trepanum mox ponere non exſpectando mala ſymptomata, quàm ea exſpectare. Ego ſic diſtinguo, ubi certa ſuſpicio fracturam eſſe magnam cum depreſſione, aut ſanguine extravenato, aut pariſcidiis membranam pungentibus ſtatim perforandum eſt, ſine malorum accidentium exſpectatione, & hoc eſt in confeſſo, verùm in caſu dubio dico ſic: Si fractura putetur eſſe in tali loco, in quo prima diviſio cutis eſt periculoſa, vel ipſa etiam perforatio periculoſiſſima, uti in temporibus, tunc non eſſe tentandum cutis incruriationem, aut trepanum ponendum priuſquam mala ſymptomata incipiant apparere, nam tempora incidere eſt nimis periculoſum; & ideò in caſu dubio non eſt tantum periculum aggrediendum, ſed exſpectandum donec manifeſta neceſſitas appareat, tunc enim ſatis tempeſtivè perforari poteſt. Quod ſi contingat propter diuturniorem exſpectationem ægros ſic aliquando mori poſſe, nihil refert, præſtat enim ægros mori ab ægritudine, quæ non potuit certò per artem cognoſci, quam per noſtram temeritatem, ejuſmodi periculoſo remedio ſine certa utentem neceſſitate: Aſt in caſu dubio perforatio commodo loco fieri poteſt, præſtat ſemper citò trepanare, quàm tam diu exſpectare, donec prava accidentia appareant, tum cerebrum & meninges graviter affici & corrumpi inceperunt, nam etſi trepanum periculum habeat, illud tamen longè minimum eſt, quàm illud quod provenit à nimis diu, ſeu donec mala ſymptomata appareant exſpectando, & ideò minus potius, quàm majus periculum eſt ſubeundum. Sed quæritur quando ſic diutiſſimè eſſe trepanandum, quodnam illud tempus eſt, & quot diebus præfinitur, an ſemper tunc intrà triduum, uti Hippoc. determinavit eſt perforandum. Dico quod illud tempus non poſſit certis diebus prædefiniri, quia mala accidentia non eodem tempore in omnibus incipiunt apparere, ſed prout complexionis ſunt, in aliis ſerius apparentur, quia itaque illa ſunt prævenienda citius trepanandum eſt, in quibus putantur citius oboritura, in quibus verò ſerius, etiam ſerius paulò licet exſpectare. Verum tamen ubi trepanum neceſſarium putatur, & nihil obeſt ibi, ſemper præſtat illud citius, quàm ſerius poni, poteſt ergo poni intra diem tertium, ſed etiam in die quarto & quinto, & ſexto, verùm in æſtate non oportet exſpectare, ultrà diem 7. aut ad ſummum 14. Ratio eſt, quia trepanum ponitur, ut aliquid ſubtus putreſcens auferatur, at illa putredo, illo tempore inducitur, ergo intra illud tempus eſt aperiendum, etenim poſt illos dies cerebrum & meninges incipiunt corrumpi, unde etiamſi tunc poſteà trepanum poneretur, tunc aut vix; aut non juvaret. Accedit quod intra illud tempus vires ægri adhuc ſint fortes, & trepanum valeant tolerare; poſt verò debiles, virtutis autem debilitas remedia prohibet, itaque intra illos dies poni poteſt, ultra non. Quod autem non ſit neceſſarium ſemper illud poni intra triduum ex eo probo, quia vix intra triduum poni poteſt, primo enim die tantum ſanguini ſiſtendo plerunque incumbitur. Secundo fractura ferè primum exploratur, ergo non niſi illo latius cutis dividi poteſt, ergò tertio poteſt tantùm trepanum fieri, ſæpe & hæmorrhagia adhuc impedit, ne illo fieri poſſit. Imò aliqui dicunt, non licet interea triduum trepanare, ſed eſſe ſemper diutius exſpectandum, ſcil. uſque ad quintum & ſextum, & non poſſe commodum ullum provenire, ex eo quod tam citò trepanetur, ſed tantum nocumentum. Rationem dant, quia plerunque trepanum ponitur, ut ſanguis ſupra meningem lapſus evacuetur, at ille ſanguis non poteſt evacuari tertio die, quia tunc eſt coagulatus in grumum, & non eſt educibilis, ſanguis enim per trepanum, non educitur, ſub forma ſanguinis ſed ſaniei, ergo non eſt educibilis priuſquam in ſaniem eſt converſus, in ſaniem autem adhuc non eſt converſus tertio die, ergo, &c. Interim verò ſi citius trepanum ponatur quàm prodeſſe poſſit, jam tum oberit, quia variet meningem, tanto diutius aëris frigiditati ſine neceſſitate expoſitum eſſe, imò facit

faci:- ut calor internus exhalando difficilius ſanguinem in ſaniem convertere queat; nihilominus tamen tenendum eſt, quò citius, eò ſemper eſſe melius trepanum ponere, præcipuè ſi ſuſpicio ſit, fruſtula aliqua meningi infixa eſſe, tunc enim vel primo die ſi fieri poſſet, eſſet trepanandum. Sed quæret aliquis, ſi ergò medicus eſt, præſcriptos ſuprà dies primùm vocaretur, & adeſſent omnia peſſima accidentia, & æger videretur deſperatus, an non liceret tunc adhuc trepanum ponere: Reſpondeo cum tempeſtivè vocetur, nunquam debet ultrà illos dies exſpectare, at ſi ſerius ſit vocatus in re deſperatiſſimâ adhuc præſtat in remedio ancipite quàm nullo, ſed cum prævia periculi prædictione, ne remedia infamentur, quæ plurimis ſaluti fuêre.

Foramen quod in cranium fit interdum majus, interdum minus: ad hoc debet Chirurgus diverſa trêpana habere; facere foramen magnum periculoſius eſt, quàm parvum, ideò non debet magnum fieri ſine neceſſitate, nam inprimis magnum ponitur, cum majori periculo, & in multa ſpatii comprehenſione eſt major convexitas, quo autem eſt major convexitas, eo difficilius poteſt cranium perforari æqualiter, & facilius meninx aliquo latere trepani tangitur & laceratur. Secundo in magna ſpacii comprehenſione comprehenditur major inæqualitas oſſis cranii, ex eâ autem fit perforatio periculoſa, nam cum ab unâ parte trepani, cranium eſt valdè tenue, ab aliâ valdè craſſum, difficulter poteſt craſſior perforari, quin periculum ſit, ut oppoſitâ tenuiore jam perforata meninx tangatur. Tertio quo majus eſt foramen plus cerebrum & meninx aëris injuriæ expoſita eſt, & plus ex eo calor cerebri poteſt exhalare. Quarto quo plus cranii exſcinditur, plus adhuc poſteà à naturâ ſeparatur, & ſi foramen in fine fit maximum, & ſi cerebrum majore ſic operculi naturalis parte privatur, ex quo poſteà fit debilius, & ad ſingulas aëris mutationes facilius alteratur. Quinto quo foramen eſt majus, eò facilius meninx tumida & inflammata in illud attollitur, ac ipſum claudit, minus verò cum foramen eſt parvum, è contrà verò ſi foramen valdè parvum ſit, poterit aliquando evenire, quod ſquammæ quæ ſubtus ſeceſſerunt, per ipſum exire non poſſint, pręſtat ergo plerunque mediocre eſſe, cum trepanum poni debet loco quo eſt exortus nervorum, aut quo cerebrum gravius offendiſſet, foramen minus eſt faciendum, ut in temporibus & occipite: cum autem trepanum ponitur loco imo & demiſſo, non eſt etiam magnum foramen faciendum, nam ibi cerebri mollis ſubſtantia gravitate ſua in illud incumberet & clauderetur, cum autem trepanum poni debet, ubi cranium eſt valdè craſſum foramen debet fieri majus, cum fractura eſt magna, & pars oſſis aliqua ſeceſſit, quæ per foramen extrahi debet, tum magnum debet fieri foramen, ut illa per illud tranſire poſſit. Sciendum tamen quod nôn omnia oſſa fracta ſint extrahenda ſed aliqua, & ſi depreſſa ſint, elevatorio ſunt attollenda & conſolidanda, nec tam longè, quàm fractura currit oſſa extrahenda ſunt, ſed tantum callo unienda, illa autem extrahenda ſunt, quæ meninges aut cerebrum pungunt. Verùm cum tantum ſanies ſub cranio collecta eſt evacuanda, parvum foramen ſufficit. Quod attinet ad numerum foraminum, ſi fracturæ plures numero diverſæ ſint, in cranio plura etiam foramina facere utrinque ſcilicet unum. Si periculum eſt reſonitus, ſi à latere quo ictus fuit receptus, cutis diviſio facta fuerit, & ibi non inveniatur cranium fractum in oppoſito itidem dividenda eſt, ut etiam an ibi fractum ſit cognoſcatur, quandocunque pus aut ſanies, quod cunque noxium quid trepano evacuari intenditur, ab utraque parte collectum eſſe putatur, utrinque eſt perforandum, quia quod ab uno latere continetur, non poteſt evacuari per foramen in oppoſito latere factum, propterea quod meninx intermedia tanquam ſeptum ad ſuturam coronalem pendens impedit commeatum, ſeu tranſitum ab uno latere ad alterum. *Thom. Fienus de præcip. Art. Chirurg. Controverſiis.*

Hæc compendioſius enarrata ſuper ea operatione quæ Trepanatio dicitur in Clariſſ. Antonii Nuckii Experimentis chirurgicis reperiuntur.

De Trepani applicatione.

Quamvis caput graviori vulnere læſum fuerit, non tamen ſemper Trepani applicationem requirit. Verùm ubi lapidibus, ligno, ferro, caſu ab alto &c. cranium ita læditur, ut fracturam patiatur & ſymptomata quædam urgentia ſuperveniant, v. g. Subitaneus in terram prolapſus, oculorum tenebricoſa Vertigo, vehemens Vomitus, Narium Auriumque Hæmorrhagia, Aphonia, uti & ſæpius ſubſequentes Convulſiones, Delirium, Febris, Sopor, Paralyſis: Illis in caſibus feſtinandum, ut per foramen arte factum tum ſanguis extravaſatus, tum ſanies aliique vitioſi humores intra Cranium & duram matrem, vel duram inter & piam matrem hærentes excerni atque evacuari poſſint.

Abraſo itaque capillitio, Cranii integumenta *Novaculâ* ſunt incidenda (ni forte à vulnere diviſio jam facta fuerit) per lineam ſimplicem aut duplicem, in crucis aut trianguli figuram, cavendo, quantum fieri poterit, Temporalem muſculum, & Suturas.

Quibus peractis vulneris labia diducenda, pericraniumque à ſubjecto Cranio inſtrumento *Separatorio* exactè abradendum. Ne vero labia quodammodo obſint, impoſitis plumaceolis diducta ſunt ſervanda, illiſque, ſi ſanguinem fundant, ſtuppæ, ſtyptico medicamento imbutæ, admovendæ: Si autem cruoris profuſio modum excelſerit, *Cauteriolo* (quod ad manus eſſe debet) ſedanda erit.

Dein labiis plumaceolis ita diductis, applicandum *Emplaſtrum de Betonica*, inciſuris aliquot ita accommodata ut vulneri melius adaptari poſſit; Huic ſuperimponendum *Emplaſtrum Defenſivum* cum compreſſâ ex linteo quadruplicato factâ: Denique faſciâ *Cancer* dictâ deligatio inſtituenda.

Omnibus hiſce abſolutis quieti ſe componat æger: cui interim Spirituoſum aliquod vireſque inſtaurans medicamentum offerendum, ne durante operatione animi deliquium patiatur.

Sequenti die (niſi periculum ſit in mora) deligatione ſolutâ ægroque decenter ſituato, miniſtrorum quidam caput firmiter teneat, patientiſque aures bombace obturentur, ne ingratus Trepani ſtrepitus ipſi ſit moleſtus. Tum prudenter & circumſpectè *Modiolus mas*, dein *fœmina* adhibenda, cavendumque ne quid feſtinanter agatur, Quem in finem modiolus ſępe ab oſſe auferendus, & ſi ob continuatam circumductionem nimium incaleſcat, lacti vel aquæ ſubinde immittendus: Ubi verò ſcobs modioli crenis adhæret, *ſcopulâ* auferenda erit.

Signum autem ad diploën ſeu meditullium nos perveniſſe ſanguis præbet, ex ejuſdem arteriolis læſis erumpens; Hinc circumſpectius procedendum, brachiumq; in altum elevando ſuſpenſâ quaſi manu perforatio eſt inſtituenda, ne modiolo nimis preſſo malè afficiatur dura meninx.

Notandum

Notandum interim, non ſemper dignoſci poſſe utrum ad cranii meditullium pervenerimus, quia ſubinde, ejus lamellis firmiſſimè concretis unicùmque os mentientibus, nihil planè ſanguinis protumpit. Præterea in infantibus & pueris illa diploë ut plurimum non obſervatur. Hinc ſumma in quavis ætate circa Trepani applicationem requiritur cautela.

Ubi vacillare incipit oſſiculum, & undiquaque æqualiter modiolum penetraſſe *ſpecillo* lato cognovimus, tentandum an blanda vi illud *Vecti* aut *Volſella* auferre, vel *Elevatorio tripede* extrahere poſſimus. Quo facto foraminis in ambitu aſperitas læviganda eſt *Lenticulari* inſtrumento. Dum operatio peragitur, non inconvenienter *Sartago* ignita ſuper patientis caput ſuſpenditur, ad aëris injurias temperandas.

Si *iſthmus* aliquis fracturam inter & partem perforatam obſervatur, *Serrulâ* tollendus erit.

Partis denique cujuſdam *depreſſio Elevatorio Biploïde Solingii* aut Triploide *Schulteti* elevatur.

Sponte ſi non exeat ſanguis ſanieſve, *decuſſorio* inſtrumento deprimenda erit dura mater, utque materia in cranii cavitate collecta eò facilius exitum inveniat, clauſis naribus & ore ſpiritum contineat patiens, ſic preſſo cerebro profundius contenta prorumpent.

Ad duræ matris mundificationem immittendum foramini *Mel Roſac.* cum *tantillo Vini Spiritu*, cui membranæ, Sindonis chremeſino colore tincti portiuncula ſuperimponenda: &, ne particula dicta locum mutare, filum ei adalligandum. Quibuſcum tamdiu continuandum, donec humores extravaſati non amplius prodeant, & Symtomata evaneſcant.

Interim ut os exſiccetur *pulveres Cephalici* ipſi adſpergendi. Vulneris inſuper cutanei curatio medicamentis *digeſtivis*, ut ſunt *Balſam. Peruvian. Copayv. Hiſpanic. Aquapend.* perficienda. Caput denique toto curationis tempore pannis, ne ab aëre frigido lædatur, bene coöperiendum.

Si verò ex ipſa dura matre caro molliuſcula & fungoſa (cerebri fungus dicta) propullulat, ea quantocyus auferenda & abſumenda, non actibus, non corroſivis medicamentis, ſed exſiccantibus, (ut vocant) aſperſione videlicet *pulveris Sabinæ*, vel pulv. *Marchitti* ſequenti:

℞. *Schœnanthi & Spicæ Nard. aa. q. ſ.*

Nonnunquam verò *fungus* iſte tantum ſumit incrementum, ut neceſſe habeamus filo ſerico eundem arctius circa radicem tamdiu ligare, donec ſucco nutritio deſtitutus emarceſcat, tandémque decidat. Alias in principio operculum ex *lamina aurea* vel *argentea* ita apponitur duræ matri, ut carnis fungoſæ. proventus compreſſione iſtâ impediatur.

Contingit aliquando, ut ſuperior cranii tabula punctim lædatur: Quo in caſu *Trepano Exfoliativo* utendum, ac eouſque os abradendum, donec punctura diſpareat, ejuſque veſtigium non amplius conſpiciatur.

Os Frontale notabiles habet cavitates; quapropter fracturam paſſim multis impoſuit cerebrum graviter vulneratum credentibus, quum tamen non niſi ſuperior ejus tabula, longè ſatis ab inferiori remota, læſa fuerit.

Dantur caſus, in quibus fracturæ cranii ſuſpicio quidem adeſt, ubi tamen ſola cutis inciſio ſufficit, ſanguine enim extravaſato, pericraniumque malè afficiente, factâ viâ, exeunte, ſymptomata remittunt.

Sic etiam *fiſſurâ* ſatis hianti cranio inflictâ, ut pus per eam exire poſſit, perforatio ejus minimè eſt neceſſaria.

Neceſſitate urgente cranium ſub Temporali muſculo fracturam aut fiſſuram agens perterebrare licebit, dummodo ſecundum carnoſarum fibrarum longitudinem inciſio inſtituatur.

Depreſſio cranii præprimis in pueris non ſemper requirit Trepani applicationem: Nullo enim urgente ſymptomate notabili, capilli tantùm circa locum depreſſum ſunt abradendi, & pars affecta *fomentis cephalicis* calidè fovenda. Cranium namque depreſſum quamvis maneat, rarò tamen patienti periculum portendit.

Cranii in pueris depreſſi reſtitutionem, quam ope *Cucurbitulæ ſtanneæ* nonnulli intendunt, improbamus, quoniam hoc modo, integumenta à ſubjecto oſſe facilè ſeparantur, cranio remanente depreſſo.

Quæritur an Duram matrem ſecare liceat? Reſpondetur: Ubi certo conſtat materiam inter meninges hærere, incidendam eam (licèt non ſine periculo) cenſemus. Medicus interim & Chirurgus ſuæ quoque famæ conſulant, oportet.

Obſervationes variæ.

De globulo plumbeo, menſes ſex nullo ſymptomate ſuperveniente, in cerebro contento.

Ad

Reverendum ac Clariſſimum virum, Dn. D. Antonium Fayum, *SS. Theologiæ apud Genevenſes Profeſſorem celeberrimum, nec non Philoſophicarum ac Medicarum rerum ſcrutatorem diligentiſſimum.*

Cui

G. Fabricius Hildanus.
S.P.D.

GLobulum plumbeum, Vir Reverendiſſime, atque æternum mihi obſervandiſſime, in vacuo ventris, aut inter muſculos, ad multos annos interdum deliteſcere poſſe, experientia ipſa teſtatur. In Cerebro verò id fieri, nuſquam viſum eſſe arbitror. Attamen retulit mihi Johannes Griffonius, apud vos olim Chirurgus celeberrimus, caſum tam admiratione, quam annotatione digniſſimum. Nimirum tempore belli inter Ducem Sabaudiæ & Genevenſes, in expugnatione caſtri, la Cluſe dicti, quendam ex Genevenſibus Clerget nomine, ictum ſclopeti in fronte cum inſigni fractura cranii accepiſſe. Ægro ſemimortuo Genevam adducto, ſe methodicam inſtituiſſe curandi rationem, & ſymptomatis graviſſimis, quantum quidem fieri potuit, proſpexiſſe: oſſa quin etiam non pauca extraxiſſe, globulum tamen nullum ſe offendiſſe, affirmavit. Nihi ominus vero miſerum huncce favore divino, ſummaque adhibita cura atque diligentia, priſtinæ ſanitati reſtitutum fuiſſe, & ſemeſtre poſt curationem, incolumem vixiſſe. Cum vero morbo acuto tandem obiiſſet, cranium ejus aperuit, & globulum è regione verticis, inter cranium & duram matrem, ad latus ſuturæ rectæ invenit, membrana tamen plane à globulo illæſa. Natura enim, ut ille diligenter annotavit, ea in parte materiam quandam calloſam procreaverat, quę duræ matri ad inſtar culcitræ ſubjacebat. Hujus admirandæ curationis, quum tuam Reverentiam ocularem teſtem eſſe ſciam, obnixe rogatam velim, ut ſi quid omiſerim, illud adjicere non gravetur. Sic enim me, & artis hujus ſtudioſos ſibi obſtringet. Vale vir Reverende, & me meosque pro innata tua humanitate, amare perge. 24. Februarii anno 1606.

Antonius Fayus.
Guilelmo Fabricio Hildano, Chirurgo Præſtantiſſimo.
S. P. D.

MIraris, *& ſimul increpas, quod ad tuas non reſponderim, merito ſane. Debui enim id feciſſe. Sed ſi intellexeris, me à ſcribendo fuiſſe revocatum, non oblivione tui, ſed negotiorum turba, ſilentium meum in bonam partem interpretabere. De Clergetô quod ſcripſi, ſæpe me cum ipſo locutum affirmo, ex quo ſanatus eſt ex vulnere illi inflicto in capite, glande plumbea in ipſo cerebro ad multos menſes retenta. Poſtquam autem in excurſione alia ſauciatus, vitam cum morte commutaſſet, & à Chirurgo*

Chirurgo extraordinarii caſus illius inveſtigaretur cauſa, audivi glandem illam in ipſo cerebro repertam fuiſſe, ſed hoc ego non vidi. Quod autem alteri militi contigit, quodque ego non oculis tantum, ſed manu approbatum, non dubito aſſerere, tale eſt. In bregmate vulnus inflictum erat altiſſimum: adeo ut non tantum cranium, ſed utraque menynx fuerit inciſa, cum ipſa cerebri ſubſtantia. Curavit illum Guilhelmus Conſtantinus noſter. Tum autem carmine rem illam ſignare libuit, quod hic apponere viſum eſt:

Non audita loquor tantum, mi credite, vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu.
Acer erat Juvenis, medio cui vulnus adactum
Eſt capiti, cerebri pars quoque caſa fuit.
Ille tamen vivit. Si credas arte Melampi
Hoc factum, peccas, hic medicina ſilet.
Monſtra ſed in morbis Arabum flos ille Sophorum
Quod fieri dixit, re patet apſe palam.

Scis me in alia nunc verſari Palæſtra, quam ſit Pergamea. Itaque ne mirere, me hæc paucis ad te. Perſuade tamen, te à me non leviter amari. Id enim pietas inſignis, eximia Chirurgiæ Theoreticæ & Practicæ cognitio, quæ in te eſt, meretur. Tu viciſſim me amare perge. Vale Vir præſtantiſſime. Dominum Merulam mihi ſaluta. Genevæ. Poſtridie Non. Mart. Anno 1607.

Hiſtoriam affinem illi quæ in duabus Epiſtolis ſuperioribus enarrata fuit, nobis præbet Experientiſſimus Dnus Anel, in ſuâ Diſſertatione Apologetica; dum ſic ſcribit.

Dnus. de *Vivans*, Chriſtianiſſimi Regis Exercituum generalis Præfectus, vulneratus eſt ictû ſclopeti in oſſis Frontis, Chirurgis Coronalis dicti, mediô, ad naſi radices, cum oſſis prædicti Fracturâ. Vulneris ſymptomata nullatenus indicarunt quòd globulus plumbeus ſclopetô exploſus in cranii capacitatem penetraſſet; illudq; perfectè curatum fuit, & vulneratus vulneri ſuô pluribus annis ſupervixit ſine ullô incommodô, aut ægritudine inde ortâ. Verùm cùm poſt longum elapſum tempus aliquando foliis luderet pictis, eô luſû quem Galli, nomine ab Hiſpanis mutuatô, vocant *Ombre*, ſubitò ſuper menſam concidit, exclamans ſe morti proximum eſſe, quod eventus confirmavit, ſiquidem intrà horæ quadrantem extinctus eſt. Chirurgi qui curaverant vulnus quod in fronte acceperat, cùm tunc temporis in eôdem cum illô exercitû degerent, ipſius cranium aperuerunt, & globulum plumbeum ſuper glandulâ pineali ſitum repererunt, paucô ſanguine coagulatô circumfuſum, qui proculdubiô noviſſimè eruperat ex vaſis aliquibus minutioribus confractis, dum globulus ille locum mutaverat, propter capitis ſucceſſiones aliquas vehementiores quas prędictus Dnus Generalis ludendo fecerat. Non potuit illuc pervenire globulus iſte plumbeus, quin priùs, ſcilicet cùm cranium perforavit, duram ac tenuem meningem itidem perforaverit, ac in cerebri ſubſtantiam inductus ſit, ubi per longum tempus delitеſcere potuit ſine ullô pravô ſymptomate.

Hæc ille. Verùm curioſius quid rurſus habemus afferendum, ſcilicet hiſtoriam ſquammæ ex interiore tabulâ oſſis coronalis detractæ, & poſt perforatas meninges, cerebro profunde immerſæ, ſuperſtite per plures menſes vulneratô, & opus ſuum minimè intermittente: Quam à Clariſſ. Ferreriô *Med. Doct. habuit Præclariſſ.* Fantonus *Sereniſſimi ac Potentiſſ. Regis Siciliæ Archiater digniſſimus; quamq; nobis amiciſſimè communicavit*: Et hæc eſt.

Faber murarius, diſruptô ſub fornice deprehenſus, varias capitis contuſiones paſſus eſt, quarum veſtigia brevi evanuerunt: Sed de capitis continuô dolore conquerebatur; opus interea ſuum minimè intermittens. Multos poſt menſes febre correptus, in Noſocomium traducitur. Univerſi corporis torpor ægrum tenet, cui mortifera ablatio omnium ſenſim actionum ſuccedit. Craniô poſt mortem reſectô, Vitreæ Coronalis oſſis laminæ ſquammam deeſſe Dnus Ferrerius animadvertit. Non ſquammam in ſuperficie craſſæ meningis; ſed hujus membranæ cicatricem offendit, quæ abſentis oſſei fragmenti longitudinem æquabat. Durâ matre remotâ, ſub ipsô cicatricis locô, piam matrem liveſcentem aliquô ſpatiô videt, ibiq; modica apparet cerebri prominentia. Secat prominentem hunc cerebri corticem, latentemque lineæ craſſitudine ſub ipsô primô cortice ſquammam reperit, atq; educit, non nudam; ſed mucosô quôdam involucrô comprehenſam.

De cranii introceſſione aut depreſſione: quàm graviſſima ſymptomata ſequuta, Exempla aliquot.

EXEMPLUM I.

ANno 1577. Quadragenarius quidam Noviſiæ in Epiſcopatu Colonienſi, globo ferreo, qui ultra libram unam cum ſemiſſe pendebat, in ſiniſtrum bregma percuſſus, cum inſigni cranii depreſſione & fractura, in terram quaſi mortuus procidit, & loquelam, viſum, auditumq; plane amiſit, quin etiam ex oppoſita parte paralyſi correptus fuit. Poſt dies aliquot cranio elevato & in naturalem ſitum reducto, loquelam recuperavit, ſymptomata quoq; reliqua paulatim remiſerunt, tandemq; priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit.

EXEMPLUM II.

EOdem fere tempore in agro Noviſienſi, in arce Seillikum dicta, Juvenis quidam quatuordecim annorum ætatis, ab equo in verticem cum exigua cranii impreſſione percuſſus fuit: ſed cum ab initio vix ullum ſymptoma appatuerit, vulnuſq; exiguum fuerit, morbum neglexerunt. Poſt dies aliquot ægro graviſſimis ſymptomatis correpto, M. Joan. Dumgens (apud quem tum temporis Chirurgiam exercebam) in conſilium vocaverunt. Tum ipſum febricitantem deprehendimus, cum dolore capitis, vigiliis & inquietudinibus, vulnere inflammato, ſinuoſo, & puris pleno, cranio verò depreſſo. Aucta paulatim febri, delirio, & paralyſi unius lateris oborta, tandem extinctus eſt.

EXEMPLUM III.

ANno 1601. Luſtriaci in agro Lauſannenſi, puerum curandum habui, cui ex depreſſo cranio graviſſima ſymptomata ſupervenerant. Elevato cranio, aut potius exemptis fragmentis cranii fracti, ſymptomata remiſerunt, ægerq; convaluit, ut fuſius declaravimus Obſervat. 15. Centur. 1.

EXEMPLUM IV.

ANno 1606. Menſe Septembri, ad ſexagenarium quendam haud procul Paterniaco, vocatus fui, cui os frontis ſiniſtri lateris in ea parte, ubi capilli prodire incipiunt, latus ſiniſtrum verſus, ex ictu lapidis, profundius impreſſum erat. In ipſo momento ictûs, in terram ciderat, evomuerat, ſimul & loquelam, intellectum, viſum ac auditum amiſerat, totoque latere oppoſito paralyſi correptus fuerat. Ego octiduo poſt caſum vocatus, & vulnere, quod parvum ſatis erat, inſpecto, adſtantes admonui, operæ pretium eſſe, ut vulnus dilatetur, & cranium elevetur: ſperabam enim, ægrum hoc modo convaleſcere poſſe. Quandoquidem


Tab. IV.
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.
Fig. 5.
Fig. 6
Fig. 7.
Fig. 8
Fig. 9.
Fig. 10.
Fig. 11.
Fig. 12.
Fig. 13.
Fig. 14.
Fig. 15.
Fig. 16.

Quandoquidem pro morbi magnitudine robuſtus adhuc ſatis erat, juſcula item, & quæcunque offerebantur, aſſumebat. Verùm cùm parentes & adſtantium turba conſilium meum recuſaſſent, diſceſſi, nec manum amplius adhibere volui. Ita paucos poſt dies naturę ſatisfecit, qui tamen divino auxilio ſervari potuerat, dummodo remedia idonea adhibita fuiſſent.

Admonitio.

EX iis, quas hactenus recenſuimus, hiſtoriis, ſatis apparet, primò, quàm neceſſarium ſit, cranium impreſſum in naturalem ſitum reponere. Secundò, quàm periculoſa ſit opinio Felicis Wirzii, qui in libro ſuo Chirurgico, Germanico idiomate conſcripto, docet, circa impreſſum cranium non multum laborandum, ſed totum opus naturæ committendum, parumque referre, an impreſſio remaneat. Id enim motum cerebri propter vacuum ac diſtantiam, quæ eſt inter menyngem & cranium, minimè impedire. Sed bonum huncce Chirurgum, tum in hoc, tum in multis aliis locis longè ſua fallit opinio. Sciunt enim mediocriter in Anatomicis verſati, vacuum illud, aut medium inter menynges & cranium, adeò exiguum eſſe, ut à minima quaque depreſſione cranii, motus cerebri impediatur, & pręcipuè ſi impreſſio verſus ſuturas, quibus dura menynx annectitur, occurrat. Aliquando quoque duram menyngem cranio undique adhærere vidimus, uti Obſervat. 7. Cent. I. annotavimus. Hæc in gratiam tyronum monere viſum fuit. *Guilielmus Fabricius Hildanus.*

De Elevatione cranii, præcipuè in adultioribus aucta & emendata.

DOleo, imò vehementer doleo, candide Lector, quod inſtrumenta hujus obſervationis, pręſertim Elevatorium, in primâ editione tam rudè atq; negligenter depicta & ſculpta fuerint. Inprimis eam ob cauſam, quòd Clariſſimus ac longè celeberrimus Vir, Dn. PETRUS PAVIUS p. m. Anatomicus & Medicus inſignis, amicus meus ſingularis, eaſdem delineationes impolitas, nec ſatis diligenter pictas, & ſculptas, doctiſſimis ſuis commentariis in librum Hippocratis de vulneribus capitis, quoque inſeruit. Adhortor itaque lectorem ſimul & Typographum, qui fortaſſis prædictum Commentarium ſecundo prælo ſubjiciet, ut delineationem Elevatorii ex ſecunda hacce editione meâ corrigere velit. Nunc ad inſtitutum: Cùm itaque deceſſio ſive introceſſio cranii, quæ Hippocrati lib. de vulneribus capitis, tertia eſt ſpecies fracturarum calvariæ, adeò gravis & periculoſus ſit affectus, uti ex præcedenti obſervatione videre licet, non immeritò diligens ac fidelis Chirurgus, pernicioſam illam doctrinam Felicis Wirzii (cujus in præcedenti obſervatione memini) flocci faciet, omnemque lapidem movere tentabit, ut ſine morâ in locum ſuum reponatur cranium. Primò enim cerebrum ab impreſſo cranio impeditur, quò minus ſpiritus animales rectè elaborari, atque diſtribui poſſint. Deinde pericranio ab impreſſâ calvariâ vellicato graviſſimi excitantur dolores, quos ſequitur affluxus humorum & ſanguinis ad caput & cerebrum, inflammationes membranarum cerebri, febris, & delirium. Niſi enim protinus malo occurratur, & depreſſum cranium relevetur, & in ſedem naturalem reponatur, de ægro actum eſt.

Porrò ad cranium elevandum, Chirurgi Elevatorio in formam tripedis aut bipedis fabricato utuntur. Quis ejus fuerit inventor, mihi non conſtat, Delineationes Lector videre poterit apud Guidonem de Cauliaco, à Dom. Laurentio Imberto edito, Petrum Pavium comment. in Hippoc. de vulneribus capitis, Ambroſium Paræum lib. 10. cap. 5. Joh. And. à cruce, & Gualterum Reiffium. Verùm enim verò, quum incommoda nonnulla circa Elevatorium hocce Antiquorum obſervaverim, aliud longè commodius excogitavi, cujus delineationem ac uſum poſteà, in gratiam Chirurgorum, adſcribam, dum prius incommoda nonnulla Elevatorii Antiquorum ſignificavero.

Primò ſuffulcra Elevatorii Antiquorum in formam tripedis aut bipedis fabricata, ut in ambitu vulneris & prope ipſum collocemus, neceſſe eſt. At ambitum & circumferentiam vulneris ſemper inflammatione, tumore, & dolore affectum eſſe, omnibus tam notum, quàm quod notiſſimum eſt. Hæc cùm ita ſe habeant, non video, quomodo aliquis Elevatorio cum fructu uti poſſit.

Secundò, applicatio Elevatorii valdè eſt difficilis: Tria enim ſuffulcra illa, in formam poſita, impediunt, quò torcular in medio haud commodè infigi poſſit.

Demum fabricatio atque ſtructura Elevatorii Antiquorum, valdè laborioſa & difficilis eſt, excellentemque & expertum artificem requirit; Sed & vix artifex aliquis, niſi inſtrumentum ipſum ante oculos habuerit, illud ex delineatione fabricabit: noſtrum verò Elevatorium quiſque ferrarius, etiamſi fuerit rudis in arte ſuâ ex delineatione, quam poſtea addam, facilè fabricabit adaptabitque. Applicatio pręterea noſtri inſtrumenti minimè eſt laborioſa. Elevatorium enim A. notatum, à reliquis omnibus partibus, ad Elevatorium pertinentibus, tam diu, uſque dum cranio ſatis firmiter ſit infixum, liberum eſſe convenit. Omnibus præterea introceſſionibus cranii in qu cunque parte capitis fuerint, facilè adaptari poteſt, & quidem ſine dolore. Quandoquidem pars illa Elevatorii, quod ſuffulcrum appellamus, & D. notavimus, beneficio flexuræ G. inſignitæ longè à vulnere collocari imponive poteſt. Dein ſi dolor vulnus ex una parte infeſtaverit, ſuffulcrum in oppoſitam partem apponere convenit. Exempli gratiâ poſito caſu, præ manibus habeo vulnus cum impreſſione ex tumore bregmatis dextri, nec non dolore adeò intenſo, ut elevatorium tripes non admittat, tunc ſuffulcrum elevatorii noſtri D. notatum, vel in oppoſitum bregma, vel ſuturam verſus lambdoidæam, ſive in frontem, ubi crines deſinunt, aut in aliam partem capitis, à dolore liberam, collocandum eſt, uti poſtea ex delineatione apparebit. (*vide Tab. IV. fig. 3.*)

Explicatio Characterum.

A. Ipſum Elevatorium denotat, bifurcum eſt, ut eò melius manu circumduci, craniovè infigi queat.

B. Foramen ejus magnitudinis, ut vectem facilè excipere poſſit.

C. Acies Elevatorii, torcularis inſtar fabricata, quę cranio inigitur, terebello tamen prius facto foramine parvo in cranio, ut poſtea dicam. Acies autem illa torcularis ut ex puro ferro ſit, neceſſe eſt, ne circumducendo inſtrumentum frangatur.

D. Suffulcrum eſt latum, & nonnihil excavatum, propter rotunditatem capitis.

E. Torcular eſt, cujus beneficio ſuffulcrum ad libitum Chirurgi aut ſurſum elevatur, aut deorſum deprimitur, prout negotium poſtulat.

F. Vectem ſive trabem Elevatorii ſignificat, longa eſt pollices duodecim.

G. Flexuram indicat, mediante hac flexurâ ſuffulcrum D. notatum, omnibus partibus capitis adaptari poteſt inſtrumentum: diſtatque à matrice vectis H. notata circiter pollices 2. Flexura autem ita fabricata eſt, ut

vectis deorſum ſolummodò flecti poſſit, ſurſum verò minime: Sic enim inutile eſſet inſtrumentum: Reperiuntur apud mercatores trutinæ, quæ mediantibus his flexuris complicantur, ſed contrario modo, videlicet ſurſum. Hæc pro explicatione inſtrumenti ſufficiant, nunc uſum paucis adſcribam.

Primò cutis, ſi integra fuerit, uti ſæpiſſimè vidi, etiam in puero, cujus fit mentio Centur. I. Obſerv. 15. abraſis crinibus, unà cum pericranio in formam crucis incidenda, & dilatanda eſt, ut ſubſequens figura indicat: Deinde diligenter explorandum eſt, quânam in parte cranium præcipuè ſit depreſſum: Eâ in parte torcular C. notatum, à reliquis ſuis ad ſe pertinentibus liberum, infigendum eſt,

Porrò non in medio oſſis impreſſi, uti nonnulli Chirurgorum facere conſueverunt, (niſi forſan undique æquabiliter impreſſum fuerit os, quod tamen in adultis rariſſimè accidit) ſed ad latus, & in eâ, parte, ubi præcipuè, ut diximus, impreſſum, infigendum eſt torcular Elevatorii, ſed quia torcular elevatorii, quantumvis acutisſimum, difficulter, & non niſi adhibitâ vi cranio infigi poteſt, ac interim ſummoperè timendum, ne cranium jam depreſſum, profundius deprimatur, prius ad ſecundam tabulam perforandum erit terebello acutisſimo, cujus aciem triangularem aut quadrangularem eſſe convenit, ut ſequens figura indicat. (*vid. Tab.* IV. *fig.* 4.

Leviter autem leniterque terebellum circumducendum, & cranium verſus in operatione deprimendum eſt, ne videlicet pars cranii fracti profundiùs deprimatur. Foramen autem hoc terebello factum, ſi ejus tantummodò fuerit magnitudinis, ut apicem torcularis C. notatum, excipere poſſit, ſufficit; Torcular enim dummodò ſit acutum, facilè ſibi poſtea viam faciet. Torcular autem, ut antea quoque monui, ab omnibus ad ipſum pertinentibus partibus liberum, clementer tam diu circumducendum eſt, uſque dum cranio ſatis infixum fuerit: ſecundam tamen tabulam, quam vitream appellant Anatomici, perforare non licet, ne inde, ut fieri ſolet, fragmenta acutisſima cranii, ad menyngas perveniant, easq; graviter lædant. Inter circumducendum autem & infigendum torcular, Chirurgus manum potius elevet, quam deprimat: omnibus enim modis, ne cranium cerebrum verſus deprimatur, danda eſt opera. Infixo ſatis torculari, vectis Elevatorii F. notatus, traducendus eſt per foramen B. notatum, ſuffulcrum vero D. capiti imponere convenit, & quidem aptiori, minimeque dolore affecto loco. Ne autem caput è compresſione ſuffulcri lædatur, latum, parumque excavatum eſſe debet. Linteum præterea aliquoties reduplicatum ut ſuffulcro ſubſtratum ſit, neceſſe eſt. Suffulcri autem atque torcularis E. beneficio, tantum elevatur aut deprimitur vectis elevatorii, quantum Chirurgo neceſſe eſſe videbitur.

Omnibus ſic ordine peractis, manu paulatim in altum elevandus eſt vectis. F. notatus, donec pars cranii depreſſa ſit elevata, & in ſitum naturalem repoſita: in ipſa vero operatione, ut unus ex adſtantibus caput firmiter teneat, neceſſe eſt. Negotium autem atque operationem, ut plenisſime intelligant Tyrones, ſequentem figuram adjungere viſum fuit. (*vid. Tab* IV. *fig.* 5.

Accidit interdum quoque, ut pars aliqua cranii adeo ſit fracta, ut oſſa nonnulla abſque labore digitis aut forcipe eximi posſint, uti ſæpisſime in vulneratis obſervavi. Si itaque rima ſatis hians in cranio reperitur, tunc perforatione cranii, pro infigendo Elevatorio opus non eſt, ſed ſequenti impoſito hamulo, (*vid. Tab.* IV. *fig.* 6. & per ipſum trajecto vecte F. ſuperius notato, cranium depreſſum facile in ſitum naturalem elevabis.

Sin rima non ſufficiens fuerit, ut cerebrum per illam evacuari posſit, inſtrumento ſerrato, portio aliqua osſis exſcindenda eſt: Diligenter tamen (quod in omnibus operationibus, quæ circa Cranium fiunt, obſervandum) proſpiciendum eſt, ne inter operandum meninx lædatur. Præterea danda eſt opera, ut osſicula, ſi qua fuerint, volſellis, raſura vero osſis ſpongiolis, aquâ betonicæ inſuccatis, ac denuò expresſis clementer eximantur. (*De his omnibus vid. Tab.* IV. *figuras* 7. 8. *&* 9.)

Quod ſi rima commode eò uſq; dilatari non potuerit, ut per eandem cerebrum à ſanguine coagulato, ichore, & pure expurgari posſit, perforetur cranium in medio osſis, quod antea depreſſum fuerat, nimirum ea in parte, ubi in præcedentibus figuris C. notatum eſt. Ex hac autem perforatione tria habebis commoda. Primum ſi os jam antea impreſſum & denudatum, trepano perforaveris, nova inciſione, & abraſione cutis & pericranii à cranio, opus non erit: Cranium enim jam antea denudatum fuit, & proinde novum dolorem atq; hæmorrhagiam evitabis. Secundo, quia trepanatio & perforatio fit cranii in ipſo loco affecto, longe facilius per eandem evacuabitur ſanguis contuſus, & quicunq; affluunt humores noxii, quam ſi ad latus facta fuiſſet. Tertio, minori cum labore vulnus in ipſo loco affecto uſquedum cerebrum ſatis ſit expurgatum apertum conſervabis, quam ſi aliquo in loco minus male affecto cranium perforaveris,

In hac autem operatione & perforatione cranii hæc præcipue occurrit difficultas, videlicet quod pars illa cranii fracta, & ut dixi, in ſitum naturalem repoſita, facile iterum cerebrum verſus retrudi poterit. Sed ut & hoc ipſum incommodum evitemus, clavum ſequentem foramini in Cranio in quo antea torcular in delineatione Elevatorii C. notatum infixum fuerat, infiges, tamq; diu circumvolves donec ſatis infixum fuerit. (*vid. Tab.* IV. *fig.* 10.

Eſt autem apex hujus clavi torcularis, nec non multis in locis perforatus, quo ſtylum ferreum osſi ſano incumbentem excipere poſſit, uti ex ſequenti figura videre licet, in qua A.A.A.A. labia vulneris inverſa C. Cranium fractum B.B B.B. verò Cranium integrum, & illæſum denotant. (*vid. Tab.* IV. *fig.* 11.

Stylus autem ejus tantummodo ſit longitudinis, ut ipſius extremitates osſi ſano, ut antea monui, incumbere posſint, Itaq; ſit tibi ad manus lima, ut ſtylum quantum neceſsitas poſtulat, abſcindere posſis Quod ſi extremitates hujus ſtyli cranio non ſatis firmiter incubuerint, linteamina reduplicata aut ſimile quid eis ſubſternatur. Poſtea Cranium ad latus hujus Clavi, & quidem ſi fieri poteſt, in medio osſis depresſi, ubi C. notatum, ad duram matrem audacter perfora. Si vero rima in Cranio talis fuerit, ut per eam cerebrum evacuari posſit, non opus eſt perforatione, aut trepanatione, forſan nec Elevatorio noſtro, vexare ægrum, ſed ſufficiet communi hoc & ſimplicisſimo Elevatorio Cranium in ſedem ſuam reponere. (*vid. Tab.* IV. *fig.* 12.

Circa ann. 1581. ruſticus quidam in Ducatu Montenſi, prope Mednam in bregma haſtâ, tam graviter percuſſus fuit, ut protinus in terram caderet, & ſemimortuus in lectum deportaretur. Advocato Magiſtro Jodoco N. Chirurgo haud inerudito, quiq; tunc temporis Hildenæ artem ſuam maxima cum laude exercebat, hominem ſine intellectu, abſq; loquela, & veluti apoplecticum, & ſemimortuum invenit. Abraſis crinibus, & dilatato vulnere, cùm Elevatoriis aliiſq; inſtrumentis neceſſariis deſtitutus eſſet, terebellum, quo doliarii utuntur, ſibi adferendum jubet, (*vid. Tab.* IV. *fig.* 13.) cujus aciem cum in rimam ipſam Cranii infixiſſet, maxima cum dexteritate, non ſolum impreſſum Cranium in priſtinum locum repoſuit, verùm & fragmenta nonnul-

nonnulla extraxit: operatio adeo feliciter ſucceſſit, ut ſymptomata protinus remiſerint, & æger tandem convaluerit: imo & per multos annos ſupervixerit, non ſine admiratione omnium. Hujus curationis ego quoque teſtis ſum ocularis.

Hæc propterea adſcribo, ne fidelis ac diligens Chirurgus ægrum periclitantem, propter penuriam inſtrumentorum derelinquat, aut operationem uſque dum inſtrumenta fabricata fuerint, maximo cum damno ægri protrahat, quin potius, quod commode ſubſtitui poſſit, id minime negligat.

Cæterum monitos velim eſſe Chirurgos, ut proſpiciant, ne operationes & curationes, quæ in capite occurrunt, inprimis ubi meninges. & cerebrum detectum eſt, in loco frigido fiant: frigidum enim cum ſit inimicum cerebro, nervis &c. ut Hippocrates lib. 5. Aph. 18. atque experientia ipſa docet, non poteſt non graviſſima & perſæpe mortalia ſymptomata excitare. Quapropter in vulneribus capitis præſertim magnis & periculoſis, ſartaginem prunis impletam vulneri, interim dum id cu o, per miniſtrum aut aliquem ex adſtantibus admovere jubeo. *Idem.*

Puerorum depreſſum cranium, quomodo elevandum.

PUerorum Calvarias ex caſu deprimi poſſe, nullis ſupervenientibus ſymptomatis, (niſi forſan in ipſo caſu vomitus cibi indigeſti) aliquoties obſervavi. Cùm enim eorum cranium adhuc molle ac tenerum ſit, facile abſque fractura deprimitur atque introcedit, quemadmodum argenteis & ſtanneis vaſis ex ſolidorum corporum colliſione accidere videmus. Hinc fit, quum dura mater, membrana alioquin exquiſitiſſimo ſenſu prædita, à fragmentis non pungatur, ne ſæviora ſymptomata ſequantur. Interim tamen hujuſmodi impreſſiones cranii, etſi in principio non adeo magni momenti eſſe videantur, gravioraque ſymptomata non inferant, ſpernendas tamen minime eſſe, omnes in arte verſati intelligunt: Hujuſmodi enim impreſſiones cerebri motum impediunt, & quo minus ſpiritus in cerebro elaborari poſſint, obſtant. Hinc ingenium ſtupidum oboritur, caputque catharrhis obnoxium redditur.

Porro in pueris ſæpiſſime hujuſmodi depreſſiones Cranii, abraſis crinibus, & appoſita cucurbita, naribuſque & ore clauſis, quemadmodum Ambroſius Paræus Chirurgus æterna laude digniſſimus lib. 10. cap. 5. recte docuit, in naturalem ſitum repoſui.

Vel inſtrumentum ſequens corneum & cavum loco impreſſo admoveatur, quod ex ſuperiori ſua parte à viro quodam robuſto, interim dum os, & nares infantis clauduntur, ſugatur. (*Vid. Tab.* IV. *fig.* 14.

Aut Emplaſtrum aliquod tenaciter adhæreſcens, veluti ex pice, reſina, colophonia, & gummi Elemi, in medio oſſis depreſſi applicetur, Vel quod tenacius adhæret.

R. Farinæ tritici ℥j.
Ichtyocollæ diſſolutæ in aquâ
Betonicæ & ſalviæ ʒ.ſ.
Pulv. maſticis,
Thuris
Farinæ volatilis
Sanguinis drac. gypſi an. j.ſ.

Miſce, coquantur in aqua betonicæ & ſalviæ ad juſtam conſiſtentiam Emplaſtri, applicetur calide.

Quamprimum undique agglutinatum & exſiccatum fuerit emplaſtrum hoc, vi auferatur, ſic enim attracta cute & pericranio, cranium depreſſum ſimul elevabitur. Id ſi prima vice minus ſucceſſerit, ab opere tamen minime deſiſtendum, ſed denuo novum emplaſtrum applicandum, & ut antea, vi auferendum. Ut autem eò tenacius adhærere poſſit, capilli non omnino ſunt abradendi. Hinc ſi dolor aliquis oritur, locus inungendus eſt oleo roſaceo, aut myrthino, & de vitellis ovorum. Emplaſtrum autem hoc rotundum, aut ejus figuræ, cujus eſt depreſſio cranii, eſſe convenit: Neque ejus ſit magnitudinis, ut totam impreſſionem cranii, ſed tantummodo tertiam circiter partem, cooperiat. Sic enim in ablatione minor erit dolor, & facilius impreſſum cranium elevabitur. Habeat prætetea Emplaſtrum hoc in medio funiculum, quo à Chirurgo apprehendi poſſit, ut ſequens denotat figura. (*vid. Tab.* IV. *fig.* 15.

A.A.A. Circumferentiam depreſſionis ſive introceſſionis cranii, exhibet.

B. Emplaſtrum in medio hujus depreſſionis appoſitum, demonſtrat.

C. Funiculus eſt.

Interim autem, dum Chirurgus Emplaſtrum auſert, os & nares infantis, ut antea quoque monuimus, claudendæ ſunt. Sic inflato cerebro propter retentionem in ipſo ſpirituum, cranium impreſſum facilius in ſitum naturalem relevabitur.

Verùm ſi in his remediis: & manuali operatione cranium non relevetur, deceſſatim cutis incidenda, & denudato cranio, à pericranio, ſequenti elevatorio *Vid.. Tab.* IV. *fig.* 16. aut meo, quod antea depinxi, cranium relevandum eſt Vulnus deinde relictum, aliorum capitis vulnerum more, curari debet.

Hîc monitos velim Chirurgos, ne in perforatione cranii, diploidem, ſi fieri poteſt, tranſgrediantur: ſecundi enim tabulati, quod non adeò craſſum, ſed valdè friabile, perforatio, aſperitatem in cranio relinquit; quæ poſtea cerebrum pungendo, dolorem, aliaque ſymptomata, excitat. *Idem.*

Ex perforatione Cranii neglecta, mors ſequuta.

NObilis quidam ex familia *Ewigiorum* Waldenæ prope Hildenam, in conflictu quodam in bregma percuſſus, in terram proſtratus fuit, & cibum indigeſtum evomuit. Curatio ſtatim duobus Barbitonſoribus commiſſa Ego quartâ die poſt, unà cum clariſſ. viro D. JOANN. SLOTANO, apud Colonienſes Doctore Medico celeberrimo vocatus, ægrum febricitantem cum cranii fractura, offendimus. Vulnus verò contuſum & parvum erat: aderant quoque vigiliæ, inquietudines, dolores, & capitis gravitas. Ex quibus nobis facilè colligere licuit, pus cranio ſubeſſe. Quapropter ſuaſimus, ut dilatato vulnere, terebello ſive ut vocant trepano, cranium perforetur, idque niſi maturè fieret, ægrum in maximo vitæ diſcrimine verſari, prædiximus. Barbitonſores contrà mira ſe præſtituros, gloriabantur, & perforationem cranii, tanquam remedium eis incognitum & crudele, arroganter reſpuerunt, & apud adſtantem turbam ſuſpectum & odioſum reddiderunt. Nos itaque cum ejuſmodi collegas nobis adjunctos habere, nec honeſtum, nec ægro utile eſſe videremus, febrim item de hora in horam ingraveſcente, cumq; barbitonſores, univerſalia ut adhiberentur, concedere nollent, altera die diſceſſimus, & manum deinceps admovere recuſavimus, ne propter ignorantiam barbitonſorum noſtra ſimul fama atque æſtimatio periclitaretur. Poſt noſtri abitum, & quidein ante undecimum diem morbi, auctâ febri & deliriis,

deliriis, tandem loquelam quoque æger amiſit, & ex oppoſita vulneris parte paralyſi correptus ante decimam quartam diem, finem vitæ ſuæ impoſuit.

Suturæ cranii ex vehementisſimo dolore capitis disjunctæ.

THEODORUS *auff den Houlen* Hildenæ, annum ætatis quadrageſimum circiter agens, robuſtiſſimo corporis habitu, & qui vix unquam morbo detentus, incidit in febrim continuam circa dies caniculares, anno 1592. In principio morbo neglecto, ſymptomata adeò ingraveſcebant, præcipuè verò dolor, vigilia & phreneſis, ut à tertio die, ad octavum & nonum uſque, nullum ſomnum capeſſere potuerit. Id autem nobis notatu dignum in ipſo obſervare licuit, nimirùm quòd circa ſextum & ſeptimum diem ſutura ſagittalis & coronalis, adeò à ſe invicem disjuncta deprehendebatur, ut adſtantes non modo tactu, verùm etiam ſyſtole & diaſtole cerebri, ſuturis digito impoſito, eodem prorſus modo, ut in pueris, antequam eorum cranium penitùs obduruerit, facilè percipere poſſent. Septimo verò die ſupervenit ſudor criticus, adeò copioſus, ut contortâ ſubuculâ aqua, ac ſi croco tincta fuiſſet ubertim exſtillaret, Hujus ſudoris beneficio reſtitutus & liberatus fuit, ſuturæ quoque paulò poſt ſenſim coaluerunt, adeò ut ad 1610. ſupervixerit. *Idem.*

Cranii depreſſio &c.

Puellula quædam 18. menſes nata per ſcalas decidit, & capite illiſo in lapidem, facta fuit cranii depreſſio inter ſuturam ſagittalem & coronalem magnitudinis dimidiæ nucis: ad quam vocatus, raſo capillitio, parti cucurbitulam admovi ſine ſcarificatione, & conſequenter iterum admovi cum ſcarificatione, Poſtea applicui cataplaſma ex furfure, pane, cum roſis & vino compoſitum, idque iteravi bis in die, per quinq; vel ſex dies, iterando cucurbitulæ applicationem ſine ſcarificatione, ante ſingulas admonitiones Cataplaſmatis; deinde per quatuor aut quinq; dies ſolum Cataplaſma admovendo, tumor à cucurbita excitatus diſcuſſus eſt, & depreſſio ſublata apparuit, atq; os ad ſuum naturalem locum reſtitutum. *Samuel Fornerius obſ.*14.

In multis Cranii depreſſio curata eſt, admota poſt unam vel alteram phlebotomiam, ſupra depreſſionem cucurbitula cum multa flamma; addita interdum inciſione, & multis aliquando ſcarificationibus, & interdum ſine illis *D. Des Grands prez. Obſ.*3.

Pro Cranii fractura.

Undecimo die morbi cum æger pro deplorato habebatur, cranium cum ſucceſſu perforatum fuiſſe obſervavi. Hiſtoriam hîc recenſere non gravabor.

Anno 1586. Sexagenarius quidam in bregma ſiniſtrum percuſſus fuit, cum cranii fractione & depreſſione, cecidit mox in terram, cibum indigeſtum evomuit, & loquelam amiſit. Curatio ab initio Barbitonſori commiſſa fuit: quum verò omnia in pejus ruere vidiſſent adſtantes, *Ianum Antonium Saracenum* Medicum longè celeberrimum, & *Iohannem Griffonium* Chirurgum peritiſſimum præceptorem meum fideliſſimum in conſilium vocarunt. Pervenimus itaq; ad ægrum decimo die morbi ſub veſperam, ipſumque ardentiſſima febre laborantem, delirantem, & abſque loquela invenimus: vulnus anguſtum & fractura cranii aderat: verum etſi rem in anguſtiis poſitam ſatis ſuperque nobis palam eſſet; adſtantium tamen petitionibus commoti, facta prius prognoſticatione, curationem ſic aggreſſi ſumus: injecto enemate & exonerata alvo crines abraſimus, totumque caput ol. roſac. & myrtill. inunximus: deinde cutem & pericranium in formam crucis incidimus, craniumque denudavimus, necnon pulvillis ex ſtupis ſuavibus præparatis & albumini ovi intinctis vulnus implevimus. Sequenti die offiçulis nonnullis quæ à prima tabula ſeparata erant, extractis, cranium perforavimus, & quod aſperum in oſſe inſtrumento lenticulari, lævigavimus. Poſtea pannum Sericeum melle roſaceo parumque ol. roſac. (propter dolorem immenſum) tinctum cerebro impoſuimus, totum verò vulnus ſequenti digeſtivo implevimus.

℞. Terebinth. lotæ in aq. beton. & ſalv. ℥j. ol. roſac. ℥ i ß. ol. de vitell. ovor. ʒ ij. Gummi elemi lentiſſimo igne cum ſupradictis oleis diſſoluti & percolati ℥j. croci pulveriſ. ℈j. vitell. ovor. num. 2. M. F. Unguentum, quo impoſito vulneri, Emplaſtrum Baſiliconis applicuimus; totumque caput & collum ol. roſac. & myrtill. inunximus. Eo die iterum Clyſterem injecimus, optimamque victus rationem præſcripſimus; atque iſta methodo per dies aliquot proceſſimus. Interim pus per factum foramen effluxit, & febris reliquaque ſymptomata paulatim remiſerunt: ſedato dolore & inflammatione, melli roſato quod membranæ imponendum erat, guttulam unam aut alteram aquæ vitæ admiſcuimus, & vulneri ſequens mundificativum impoſuimus.

℞. Pulv. rad. caryophyllat. angelic. ariſtol. rot. irid. fl. an. ʒj. Extract. ſalv. beton. an. ℈ ij. Gummi elemi in oleo roſac. diſſolut. ʒ ij. M. & F. cum melle roſ. q. ſ. parumque aq. vitæ unguentum in mortario. Tandem ſequens Emplaſtrum applicuimus.

℞. Emplaſtr. de beton. ℥ iv. Gummi elemi in oleo roſat. diſſolut. ℥j. Pulv. roſ. odorifer. myrtill. an. ʒj. Maſtich. cal. aromat. angelic. caryophyllor. an. ʒ i ß. cum q. ſ. ol. roſac. parumque ceræ fiat emplaſtrum.

Interim dum vulnus hac methodo curavimus, ſingulis aut alternis diebus, alvo ſponte non reſpondente, clyſteres injecimus: per intervalla quoque ſyrupo roſat. ſolut. comp. cum rheo. agar. & ſena, manna item, & caſſia corpus leniter expurgavimus. Sic divino favore, magna cum admiratione adſtantium ſanitati reſtitutus fuit. *Guill. Fabrit. Hildanus obſ.* 4.

Emplaſtrum de betonica cujus hîc fit mentio, deſcribitur id hunc modum à *Foreſto.* lib.6. obſerv. *Chirurg.* obſerv.43.

℞. Therebinth. reſin. pini, ceræ novæ an. ℥ iv. Pulv. betonic. ℥ i ſs. Maſtich. thuris, an. ℥ß. Mummiæ, ʒiij. F. maſſa S.A.

Ante annos 10. vocatus fui à quodam ruſtico ut ipſius inviſerem ſororem, quæ vulnus contuſum in dextro oſſe bregmatis, cum fractura & impreſſione Cranii acceperat. Evomuit mox ab initio bilioſum humorem, & cibum indigeſtum; ſiniſtrum latus reſolutum eſt: in dextro autem convulſiones patiebatur, abraſis crinibus, fragmenta aliqua cranii & portiunculam ad inſtar fabæ ex cerebri ſubſtantia digitis extraxi, altero die advenit *Slotanus,* qui dilatato vulnere denuò extrahit fragmenta quædam oſſis, & portiunculam ipſius cerebri, ad nucis avellanæ magnitudinem. Poſtea aliquoties ipſemet *Slotanus* me præſente de cerebri ſubſtantia detraxit, & tamen convaluit pleniſſime. *Guil. Fabrit. Hildanus obſerv.*13. *cent.*1.

De magna cranii fractura & meningum ruptura ſine trepano curata.

Filiolo *Theodori Baertiens*, puello ſeptem annorum graviuſculus Baculus obtuſo acumine ex alto cecidit in caput pileo tectum; attonitus ac pro mortuo domum delatus eſt, ſanguine ex naribus, & oculis proſiliente.

proſiliente. Ad eum vocatus, ſentii magnam in bregmatis regione cranii depreſſionem & fracturam. Aperta atque detracta cute vidimus oſſa ad latitudinem magni nummi ducatonis diffracta, & ad craſſitiem pollicis introrsùm verſus depulſa; imò & ipſam cerebri ſubſtantiam inter fiſſuras nonnulis in locis tranſeuntem. A bregmate ſub cute extendebatur eadem fiſſura uſque ad ſummitatem naſi, eaque in fronte & prope naſum adeò lata erat, ut calami ſcriptorii craſſitiem admittere potuiſſet. Chirurgis trepano cranium aperiendum, & diffractæ oſſis particulæ eximendæ videbantur: Nobis illud conſilium diſplicuit, quandoquidem exemptis iſtis particulis nihil erat, quod cerebri ſubſtantiam loco ſuo continere poſſet, quæ membranis diſruptis, modo per fiſſuras exituriens conſpiciebatur. Vulnere igitur in dicto ſtatû relicto, convenientia fomenta impoſita, totique capiti circumjecta fuere, alvus laxata, & conveniens victus ratio à nobis præſcripta eſt. Tertia die intumuit frons, hinc cutem paulo ſupra naſum è regione fiſſuræ pertundi curavi: è quo vulnuſculo per aliquot dies copioſus ſanguis cum pure effluxit, ſicque æger multùm levatus eſt. Tali modo proceſſimus in curatione per quinque ſexve hebdomadas, & ſic puer ille, præter noſtram omnium expectationem ſanatus eſt, profunda iſta depreſſione in capite remanente, nullumque in actionibus animalibus incommodum ſubſequente: duodecimus jam agitur annus, quo bene ſanus poſt dictam curationem vivit. *Ioh. Baptiſt. Lamzvveerde in Appendice ad Armament. Chirurg. Sculteti.*

De cranii fiſſura & duræ meningis gangrana trepano curata.

Ægidius Spruyt, Nauta, menſe Aprili anni 1661. in dextro bregmatis oſſe lapidis ictû graviter vulneratus fuit, cum magna fracturâ cranii & depreſſione. Perforatione trepano facta, eximimus diffracta oſſa ad latitudinem Daleri imperialis. Duram matrem à contuſione iſta graviter læſam invenimus, quæ & ipſa poſt paucos dies nigricans ſponte ſeparata, & eadem latitudine exempta fuit. Poſtmodum carne, præter expectationem, ex tenui meninge largiter ſuccreſcente, viceſque duræ meningis ſubeunte, ac ſeſe cum carne ex diploide orta conjungente, deſperatus æger, qui jam cum Charonte de naulo paciſci videbatur, ſanatus fuit, etiam nono poſt curationem anno pancraticè vivit. *Idem ibidem.*

De occulta cranii fiſſura, morâ trepani minitante Lethum, inopinato reſtituta.

Lambertus Looſecoot, Nobilis Batavienſis, circiter 25. annorum, 7. Martii anni 1637. à generoſo, cui inſidebat, equo excuſſus, caput in vicinam trabem illiſit. Mox vomuit, & aſſurgens, vertigineque correptus bis terve rursus concidit. Tandem rurſus equum conſcendens domum venit, inſcius quod ab equo cecidiſſet, & quaſi deperditâ omni memoriâ, penitus inſcius quid ſibi contigiſſet, aut ubi fuiſſet. Dum pileo contectus fuerat, atque hinc nullum vulnus, nullaque manifeſta contuſio in capite apparuit, etſi gravia ſymptomata maximam cerebri & cranii læſionem indicarent. Suaſi cranii apertionem, ſed eam non admiſerunt conſanguinei, qui curationem ſoli Chirurgo committendam cenſuerunt. 15. Martii doloribus capitis acerbiſſimis ægrum excruciantibus, & ſimul febre, delirio, validiſſimiſque convulſionibus accedentibus, rurſus meum conſilium imploratum eſt, & unicè petitum, ut cranium trepano perforarem: quod renui, propter ſigna lætha-lia, quæ modò aderant. Poſt biduum ægro in eodem miſerabili ſtatû permanente, & conſanguineis obnixè cranii perforationem rogantibus, die 18. Martii facta ſectione, carnem in poſtica bregmatis parte diſſolvimus, ac poſtridiè cranium ibidem perforavimus, idque magna cum moleſtia, propter deliria & convulſiones intercurrentes: cum autem per cranii foramen nihil effatû dignum efflueret, ferramento nonnihil plano & obtuſo per foramen immiſſo duram meningem depreſſimus, & ſic è capitis latere cum impetû exſiliit multum ſanguinis & puris, ægerque ſequente nocte à delirio, febre, & convulſionibus omninò liberatus, atque poſtmodum, præter omnium opinionem, integræ ſanitati reſtitutus eſt. Cujus exemplo docemur, in curationibus ægrorum interdum (ut inquit *Averrhoës*) monſtra fieri, & maximè deſperatos ægros inſperato remedio nonnunquam ſervari: ac proinde non ſemper derelinquendos eſſe eos, in quibus deplorata ſigna omnem ſalutis ſpem amputare videntur. *Idem ibidem.*

Cranii ſuturæ pavore quodam disjunctæ.

Animi motus inſolitos etiam corpus tangere, atque agitare, propter arctam, quæ illum, & hoc jungit, unionem, palam eſt: quâ non tantum, quæ ipſis obveniunt, bona, ſed & queis turbantur, mala continuo ſecum communicant. Quantas autem turbas hi motus dare, quantaſque ipſis corporibus ærumnas excitare queant, quamquam vel quotidianæ experientiæ invicto conſtet teſtimonio, evidentiùs tamen, opinor, atque lucidius hac obſervatione, pateſcet.

Uxor *Friderici* cujuſdam, qui Hortulanus, ac cuſtos fuit magnificentiſſimi prædii ſuburbani Illuſtriſſ. Viduæ *Friderici Henrici* Celſiſſ. quondam *Arauſionum* Principis, quod in Hagienſi viſitur nemore, uſque adeò expavit, furibus nocturnis non procul ipſa infractionem auſis, ut præ nimio, quo corripiebatur terrore, cerebrique ipſius agitatione, & concuſſione, quam & febris Cephalalgiaque ſequebantur, *oſſa parietalia* à ſe invicem diſſilierint. Quam quidem ſuturarum disjunctionem non, niſi poſt unum, & alterum demum animadvertit menſem, quamquam illa vel adulti hominis minimum admitteret digitum. Hæc tamen mulier à Chirurgo *du Foix* (vulgò *Lucq.*) priori ſanitati, adhibitis faſciis, & ligaturis, reſtituta fuit.

Sicuti ſuturarum ſeparatio, cujus modo facta mentio, ab externa cauſa ſubito provenerat, & quam minimo temporis intervallo; ita ſæpius in *Hibernia* (prout *Arnoldus Bootius de affectibus omiſſis cap.4. pag. mihi* 17. memorat.) capitis oſſa evidenti diſtantia disjunguntur, præſertim quâ *coronalis*, quamvis & quandoque, quâ *ſagittalis* excurrit ſutura.

Quod tamen lente, atque interna cauſa, quam exterior vis non præceſſit, tam maſculis, quàm fœminis, nec minus robuſtis, quàm tenellis accidit. Hanc ſuturarum ab invicem ſeparationem, gravis ſequitur *Cephalalgia*, quæ ex duræ matris cranio multis membranoſis fibris ut plurimum adhærentis, ac dictâ oſſium divulſione tenſæ, atque dilatatæ ſtimulis oritur. Qui dolor tolli vix poteſt, niſi conjunctione dictorum oſſium, ac in priorem ſedem reductione.

Quod quidem imprimis Chirurgi manibus efficitur, quem laborantis caput, ſi *Coronalis* disjungatur ſutura, oportet comprimere, & unâ manû frontem, alterâ occiput adducere; ſi verò *ſagittalis* aperiatur ſutura, ab utraq; parte tempora comprimantur neceſſe eſt. Quo facto, requiſitis faſciis, queis dicta oſſa ſuo loco contineantur, obvolvendum caput eſt. De modis, quibus juncturarum diſtantiæ in oſſibus capitis firmentur, legatur *Hippocrates de officio Medici.*

D. Sennertus

D. Sennertus prax. lib. 1. *part.* 1 *cap.* 21. *pag. mihi* 52. Etiam nonnihil de hoc mali genere refert, cùm dicit internis aliquando cauſis ſuturas capitis, quæ alias contiguæ ſunt, ita disjungi, ut evidens inter eas ſit diſtantia, quod ab humorum copia fieri judicat, quæ diſtendendo facit, ut ſuturæ magno ſpatio diſtent, ut docet *P. Ægineta lib.* 3. *c.* 7. nec non *Iacob Fontanus* qui Prax. *lib. D. cap.* 3. exemplum profert juvenis cujuſdam, cujus capitis ſuturæ tanto disjunctæ erant ſpatio, quantum quatuor adimplerent digiti.

F. Fabrit. Hildanus centur. 1. *obſerv.* 1. *pag.* 1. duo etiam adduxit exempla divulſarum ſuturarum, quarum prima disjunctio è diuturna *Hemicrania* orta erat, quâ durante, ac inflammatione, necnon humorum copia in cerebro urgentibus, ſuturæ adeò hiabant, ut ſe ſyſtolen & diaſtolen cerebri ſatis diſtinctè ſenſiſſe memoret: Altera autem disjunctio è morbo graviori, ardentique febri, cum dolore capitis acutiſſimo provenerat.

Quin & Thom. Mermannus Conſult. 4. *lib.* 1. *fol.* 15. *Cephalææ*, quâ præcipua quædam puella laborabat, mentionem facit, eaque ſuturam quâdam capitis parte disjunctam teſtatur.

Suturæ capitis, inquit Joubertus de Cephalalgia cap. 9. *pag. mihi* 437. *interdum à ſe invicem ſeparantur, quod ego ſemel obſervavi in fronte cujuſdam puellæ, cui unius lateris os alterius ſuperabat altitudinem poſt pertinacem in infantia capitis dolorem.*

Ex inflammatione hoc malum oriri poſſe aſſerit. *Ætius lib.* 6. *cap.* 25. ut & *Hippocrates* 7. *de morbo popul.* Idem affirmat *Avicenna fen.* 1. *tract.* 3. *cap.* 40.

De ſutura *cap. Lambdoide* hiſcente in Infante vide ſis *Miſcell. curioſa German. decur.* 1. *anni* 9. *obſerv.* 139. *fol.* 438.

Thom. Bartholinus cent. 5. *hiſt.* 92. *pag. mihi* 173. hujus etiam rei mentionem facit, ut & *Fabrit. Hildanus centur.* 2. *obſervat.* 7. *pag. mihi* 84. necnon *Anton. de Pozzis Miſcell. curioſ. Med. Phyſ. Decur.* 1. *an.* 2. *obſerv.* 34. de Tribuno quodam narrans non militiæ minus, quàm potandi egregiè gnaro: qui cùm ſe aliquando vino annoſo plus æquo ingurgitaſſet, ob ſanguinis inflammationem, & inde ortam vaſorum cerebri dilatationem, divulſa magno cum cruciatu durâ meninge, nunquam quieverit, niſi cum cranii contiguæ extremitates circa *coronalem ſuturam* ad pollicis latitudinem eſſent disjunctæ. Ex hoc tamen malo id percepit commodi (ſi fas ita dicere) quod nempe poſtea abſque cerebri perturbatione abunde ſe Liberi patris flore aſpergere, ebriæq; compotorum turbæ ſolus mentis compos ſupereſſe poſſet.

Petr. Marchettis obſerv. Med. Chirurg. c. 15. *pag. mihi* 31. mentionem injicit vulneris frontis uſque ad *Diploen.* penetrantis, ac gladio inflicti, citra ullam cerebri & membranæ labem, omnibus licet ſymptomatibus vulneris capitis præſentibus, quare ipſe poſtridie trepano uſus eſt, ſubjectam membranam nonnihil inflammatam inveniens, cui apta procuravit remedia. Cum verò vulnerati, ac 14. die mortui caput aperiretur, conſtitit à vulnere nec membranam, nec cerebrum quidquam incommodi ſenſiſſe, imò ipſam vitream tabulam manſiſſe illæſam: licèt ſutura *Lambdoides* tam latè eſſet aperta, ut minimum intromitteret digitum, dum ſaniei non multum inter ipſas ſuturas, ac ſuprà duram matrem lateret. Haud abſimile exemplum deſcribit *Ioh. Baptiſt. à Lamzvveerde obſerv.* 8. *pag. mihi* 232.

Denique cranii ſuturæ etiam disjunguntur in infantibus, qui *Hydrocephalo* laborant. *Cornelius Stalpart. obſervat. rarior. cent.* 1.

Cranii dedolatio.

Inter multifaria capitis vulnera meritò numerandam exiſtimo ipſius cranii *dedolationem*, ſive *amputationem*, cujus rei exemplum ipſemet cum fratre M. *Ioh. Stalpartio van der Wiel* (qui tempore belli inter *Fœderati Belgii proceres, Regemque Galliæ* geſti, vulneratis militibus cum Chirurgo *Cornelio van der Hoog* medebatur) hîc Hagienſi in *Noſocomio* in milite vidi, cui ægro oſſis *parietalis* pars, nummi, quem *imperialem* vocant, inſtar, cum utraque tabula, inferiore tamen ſuperiori magnitudine cedente, prope verticem amputata erat, quam partem pollis aliquid, ac membrana carnoſa etiamnum affixam tenebat. Quamprimum autem dictum os detractum fuit, pelle ſua adhærente caput iterum contectum eſt, non expectatis, pluribus vulnerati cranii extremitatum ſeparationibus: Atque ita dictum vulnus quam breviſſimo tempore omnino percuratum eſt.

Iobus Mekeranus cap. 1. *obſerv. Medic. Chirurg. pag.* 4. Meminit inciſuræ oſſis *parietalis* ſiniſtri ad *ſagittalis* ſuturæ latus acinace factæ, quâ à prima ſeparatum fuerit tabula oſſis ſegmentum ejus figuræ, quam ille ibidem exhibet delineatam. *Scultetus in Armament. Chirurgico obſervat.* 17. *fol. mihi* 214. primæ tabulæ *Dedolationem* narrat, ejus nummi, quem modo nominavi, magnitudinis, inque ipſum penetrantem *meditullium.* Haud abſimile quid *P. Marchettis pag. mihi* 10. memorat. Illius autem caſus quo utraque cranii tabula uno, eodemque ictu ſublatâ, vulneratus vivus permanſit, unum ego vel alterum tantum proferre exemplum habeo. Refert *Philip. Iac. Sachſ. Miſcell. Med. Phyſ. curioſ Germ. decur.* 1. *an.* 2. *obſerv.* 119. *fol.* 195. de *Polono* quodam benè poto, qui dum digladiaretur, in ſiniſtro capitis ſummo latere per ſuturam *coronalem* uſque ad frontem, tale reportavit vulnus, ut non ſolum cutis cum carne duos tranſverſos digitos lata, unô ulnæ quadrante longæ, ſed & magna cranii pars penitùs diſſecaretur, quo facto læſus ſemianimis in terra aliquantiſper proſtratus jacuit, mox dein reſiliens, manû caput tangens, partem cranii fere abſciſſam, & parumper cute adhuc hærentem detrahere voluit, ſed in hoc furore fruſtum ſaltem cranii arripuit, & in terram projecit. Chirurgus poſtea accedens reliquam carnoſam portionem vulneri denuò adaptavit, & licet varia prava *ſymptomata* dein ſupervenerint, integræ ſanitati nihilominùs reſtitutus fuit.

Legitur etiam apud *Cabrolium obſerv.* 29. *&* 34. *pag.* 18. *&* 25. Simile quid, quam hiſtoriam ob mirum rei eventum ipſis adſcribam *Cabrolii* verbis: *ut alii, inquit, exemplo meo ſapere diſcant, quod mihi olim Iuveni contigit, dum Gaillac degerem, paucis enarrabo. Ad divitem quendam ruſticum curandum vocatus ſum, qui maximo gladii impetu ictus fuerat, ita ut magna pars bregmatis ablata eſſet, cumque eo portio quædam tam duræ, quàm piæ matris, necnon ſubſtantiæ ipſius cerebri. Adſpectû primo obſtupui, deinde ita egi, ut ejus curatio alii committeretur: hic quoque vulnere inſpecto, nullo modo curari poſſe cogitans, patientem abſque auxilio deſeruit, donec ruricola quidam advenit qui ardenti veru laridum tranſfixit, quod in vas aquâ plenum deſtillabat, ex eoque ſæpiùs abluto, ita ut nivem candore ſuperaret, medicamentum confecit, quo linamenta omnia, turundas & lanas carptas inſuccabat, cujus præſidio patiens integram valetudinem intra duos menſes adeptus eſt, poſteaque diutiſſimè vixit, hujus rei gnarus, miſeris ſemper ſuccurrendum, nec unquam deſperandum eſſe didici.*

Neſcius

Neſcius equidem non ſum, *Jobum Mekeranum dicto cap.* 1. *ſuarum obſerv. fol.* 7. *&* 8. referre Nobilis cujuſdam capiti Tartari gladio ita fuiſſe vulneratum, ut fruſtum oſſis ab ejus cranio cum pelle, ac capillitio avulſum eſſet, ipſumque quàm latiſſimè hiaret cranium, nec non Chirurgum, ut factum foramen clauderet, haud diſſimilem oſſis partem è cæſi canis capite ſumptam hianti cranio ſuper imponeret. Quod os poſtquam cum aliis oſſibus conjunctum, & capitis cute contectum eſſet, dictum Nobilem priorem valetudinem recuperaſſe ait, hæc autem ipſe ſcriptor, quamvis ſibi à *Theologo* narrata, videtur ridere, nec immerito, meo quidem judicio. *Idem ibidem.*

Depreſſio Cranii.

Cum filiolus G. P. civis Hagienſis quatuor natus annos hîc Hagæ in vicis luderet, casû ſatis infelici vexillum quoddam, quod è ſublimi feneſtra ſpectandum propendebat, obverſo in illius latus ſiniſtrum oſſis frontis Manubrii acumine incidit, unde non tantum vulnus, ſed & oſſis *depreſſio* facta eſt. Vulnus tamen hoc ſatis feliciter Chirurgus ſanavit, quanquam quondam vulnerato, nunc ſeneſcenti, etiamnum cavitas in illo oſſe ſuperſit tanta, ut adulti hominis pollicis extremam intromittat partem.

Cranii depreſſio haud aliter ſe habet, quàm ſtannea, aut plumbea vaſa, quæ casû, vel concuſſione intus cedunt, deprimunturque. Hîc autem animadvertendum eſt, licet oſſis calvariæ tabula hoc fracturæ genere non perſpicuæ à ſe invicem recedat, fieri tamen in ipſa diploe totius ſeparationem, quæ primæ tabulæ impreſſione contunditur, friaturque. Dicitur autem hæc fracturæ ſpecies Græcis θλάσμα, ſive θλάσις, infantulis ſæpiùs ac tenellis contingens, teſt. *Galeno lib.* 2. *de morb. cauſis cap. ult. claſſe* 3. *p. mihi* 9. Quoniam in his multo facilius fieri poteſt, ut pote, quorum oſſa tenuia etiamnum, atque infirma ſunt valde. Neque enim fieri poteſt, quin id quod contunditur, cedat retro, intuſque; quod verò ita cedit, tenue ſit, nec omnino durum, requiritur.

Tales cranii depreſſiones in pueris, facilè abſque inſtrumentis Chirurgicis curantur.

De conſiderabili ac magna oſſis frontis infantis depreſſione ſupra os Temporis ex lapidis jactû orta, peſſimiſque ſymptomatibus ſubſequentibus, abſque ullis tamen mali reliquis ope fomentorum ſanata, agit *Lyſerus pag.* 279. *Item P. Marchettis pag.* 18. *Riverius obſerv. p.* 355. *Sculteti Armament. Chirurg. pag.* 109. *Roſſius p.* 121. *necnon Smetius pag.* 563.

Oſſa capitis depreſſa, inquit, *Paraus lib.* 9. *cap.* 5. aliquando per ſe reſiliunt reſurguntque priſtinæ æqualitati reſtituta, quod aliquando puerorum, fœminarum molliorum, humidiorum, ac pituitoſarum, oſſibus contingit, quod ſi ipſa per ſe non reſiliant, admovenda eſt cucurbitula cum magna flamma, & imperandum ægro, ut ore, naribuſque compreſſis, ſpiritum magnâ contentione ſurſum exprimat, &c.

In adultioribus hujuſmodi Depreſſiones (cute præſertim integrâ) rariſſimè cernuntur. Quibus autem contingunt iis, aliorum intuitû, tenue admodum eſt cranium, quod ſi tale non ſit, haud dubiè, ſi in tabula ſuperiore non animadvertitur fiſſura, infima tabula magis erit diviſa, quàm ſuprema, quoniam docente *Hippocrate*, illa in medio ſui ſubſidere nequit. Id verò quibus contigit vitii, abſque cranii terebratione vix ſanantur niſi forte in exteriore oſſis frontis prominentia depreſſio foret, cujus exemplum cent. noſtræ ſecundæ obſervatione quartâ daturi ſumus. De plurimis jam adultis, quibus nec cutis, nec exterior cranii tabula, ſed interior fracta fuit, narrat *Tulpius fol. mihi* 4. *Sculteti Armament. fol.* 212. *Smetius pag.* 570. *Marcellus Donatus pag.* 560.

De cranii depreſſionibus in adultis abſque manifeſta fractura, cutiſve ſolutione, quæ fomentationibus, ac emplaſtris ſanatę fuere, ſcribunt *corpus de fractura cranii*, *Marcellus Donatus pag.* 531. *lib* 5. *cap.* 1. *Laz. Riverius. obſerv. pag.* 327. *Scultetus Armament. Chirurg. fol.* 3. *&* 240. Quærere equidem hîc liceat, utrum cranium depreſſum loco ſuo reſtituatur neceſſe ſit?

G. Fabrit. Hildanus obſerv. cent. 2. obſerv. 5. & cent. 3. obſerv. 21. ut & epiſt. 90. fol. 1023. id ipſum aſſerit, adducens exemplum pueri honeſtę familię decem jam annos nati, ſubtilioriſque ingenii, qui caput cadendo læſerat, unde cranii depreſsio prope ſuturam *Lambd iden* orta erat: Quod vero gravia non adeſſent accidentia, parvi fecere parentes hunc caſum, ita ut ille puer poſtea memorię dono non tantum privatus, ſed & pedetentim tantâ ingenii obrutus fuerit ſtupiditate, ut denique ineptus fuerit, qui quidquam addiſceret.

Verùm *Wurtzius part.* 2. *cap* 6. ait, non tanti faciendam Chirurgo cranii depreſsionem, præſtare judicans rem ipſam Naturæ perficiendam relinquere, parumque referre, utrum cranium nonnihil maneat depreſſum, necne, quoniam non ſemper, nec neceſſario inde impeditur cerebri motus lato ſatis ſpatio duram matrem inter, ac cranium ſuperſtite. Meo quidem judicio Chirurgi operâ ſuperſederi poteſt, ſi in infantibus colliſiones cranii reperiuntur, non multum introcedentes, quas nec fiſſura nec fractura, aliave comitantur accidentia graviora, ita tamen ut, detonſis pilis, læſum locum fomentis adjuvemus, modum invenient Chirurgiæ Tyrones apud *Julium Cæſarem Arantium* ad calcem *comment. in lib. Hipp. de vulneribus capitis.*

Quando autem ſive in infantibus, ſive in adultis, depreſsio, ſine exteriore fiſſura deprehenditur, ac gravia ſeſe manifeſtant accidentia, omninò perforationem requirerem. Quo pacto infantum depreſsionibus eundum ſit obviam, vide *Lyſerum pag.* 278 *Paræum*, *Fabrit. Hildanum cent.* 2. *obſerv.* 5. *fol.* 83. *Sculteti Armament. fol.* 110. Cranium in pueris ſub illæſis tegumentis, & citrà diviſionem depreſſum, cucurbita communi in ſuum ſitum naturalem reducunt quidam.

Quomodo verò adultorum ſanandæ ſint depreſsiones, vide *Job Mekeranum pag.* 18 *Sculteti Armament. Chirurg. fol.* 8. 112. *&* 193. 197. 200. 208. Item Riverium p. 326. 354. necnon Fabrit. Hildanum cent. 2. obſerv. 3. & 4. fol. 78. &c.

Perficitur hæc cura ut plurimum terebra quadam *Triploide* dicta, quâ pars demiſſa elevatur, cavendo tamen ne hæc ambas cranii laminas perforet, & duram matrem pungat. *Idem ibidem.*

Fiſſura Cranii.

Petrus ab Evvück, eques Capitanei Coigners, vir 34. annorum cùm 2. Februarii in ædibus vice Capitanei Joannis Couper detecto capite cum vice-Capitaneo ſuper aream colloqueretur, famulus quidam magnum lignum, ponderis decem vel duodecim librarum, per feneſtram altiorem in detectum caput dicti equitis imprudenter dejecit. Ipſe ab ictû momento in terram prolapſus obmutuit, ac pro mortuo in vicinum ſtabulum delatus fuit, ubi per horæ ſpatium taliter apolecticus jacuit, ita ut illum mortuum eſſe omnes judicarent. Tandem aliquantum ad ſed tediit, ſed tota iſta die & nocte ſequenti delitavit Chirurgus ad ipſum vocatus, cùm leve tantùm & ſuperficiarium vulnus adeſſe animadverteret, nullum periculum adeſſe credidit, ac ſe ægrum tribus quatuorve diebus facile

facile ſanaturum promiſit. Dominus Couper tamen huic Chirurgo non ſatis fidens, cùm nuper infelicem minoris vulneris eventum in Thoma Grevener vidiſſet, tertia die me rogavit ut ægrum inviſerem: Inveni ipſum ſine magnis doloribus, ſanæ mentis, cum levi ac contemnendo vulnere in ſyncipite, vix autem penetrante: oculi in circuitu liveſcebant. Propter pauca ſymptomata Chirurgus & aſtantes totum negotium flocci fecerunt. Ego autem tota hiſtoriâ à principio diligentiùs examinata, certiſſimè affirmavi cranium non poſſe non eſſe fractum, ſeù fiſſum, & ſummopere neceſſarium fore dixi, ut illud quàm primùm trepano perforaretur, ut hoc pacto ſanguis extravaſatus ſubtùs latens extrahi poſſet, neque expectandum eſſe donec alia gravia ſymptomata ſubſequerentur, utpote quibus apparentibus operatio hæc nimis ſero inſtitueretur. Ægre, ſed tandem tamen in meam ſententiam itum fuit. Itaque alvo ſtatim clyſtere ſubductâ, eâdem illâ veſperâ in ſiniſtro bregmatis oſſe, ubi vulnus erat, inciſio ſatis magna facta eſt ad formam litteræ T. & cranium triangulariter denudatum eſt. Tunc ob hæmorrhagiam nihil videre potuimus, at poſtridie invenimus duas in cranio fiſſuras ſatis magnas, & ab unico latere particulam longitudinis ſemidigiti, parùm depreſſam, quæ particula à reliquo oſſe quaſi in circulo undequaque ſoluta & diſrupta erat. In vicina parte firmâ cranium trepano perforavimus, hincque ſanguinis circiter unc ſ. (qui inter cranium & duram meningem ex diſruptis à caſu venulis effluxerat, ibique delituerat) effluxit; quo deterſo, parvum linteolum melle roſaceo imbutum meningi impoſitum, ac vulnus foris ſecus carpiâ ſiccâ oppletum, & emplaſtro de betonica contectum fuit. 6. Februarii adhuc aliquid ſanguinis effluxit, ſequentibus autem diebus nihil amplius. Interea alvus medicamento leniente exhibito leviter commota fuit. Porrò vulnus uſque ad 12. Februarii eodem modo tractavimus, & capitium ex herbis aliiſque cephalicis conſutum toti capiti impoſuimus: poſtea hunc pulverem cum melle roſaceo mixtum meningi imponere cœpimus.

℞. Sanguinis draconis, thuris, aloës, myrrhæ, ana ſcrup. j. pollinis farinæ hordei ſcrup. j. f. fiat pulvis ſubtilis.

18. Februarii ab interiore cranii parte caro ſuccreſcere cœpit. 1. Martii, meninx carne contecta fuit. 16. Martii, Squamula à ſuperiore denudati cranii oſſe ſeparata eſt. Deinde caro exterior undique ſuccreſcens cranium brevi contexit, atque in principio Aprilis æger perfectè ſanatus foras prodiit. *Isbrand. de Diemerbr. in Obſerv. & Curat. Medicis.*

Cranii ex contuſione fiſſura, ipſas ſuturas pervadens.

Quam malè uſum Partium comprehendant ii, qui Suturas eum ſolummodò in finem homini eſſe datas aſſerunt, nè, uno cranii oſſe fiſſo, alterum quoque findatur, nôrunt ii, qui contrarium iſtius nobiſcum obſervarunt. Anno 1670. moles illa lignea, quâ palos humo infigunt (Belgicè *een Heyb'ok*) in cujuſdam viri bregma devolvebatur, unde in terram prolapſus, omnique ſensû interno privatus, ſanguineque auribus effluente, brevì poſt animam Deo reddidit. Oblatum mihi fuit, mali cauſam inveſtigandi ergò, cadaver. Cranio denudato, os bregmatis (ſi benè memini) ſiniſtrum à parte ſuperiore ad inferiorem ex toto fiſſum reperi: Quæ fiſſura progreſſum fecit per ſuturam ſquammoſam, totum os petroſum, & os occipitis, ad magnum ejuſdem oſſis foramen, ſuturis ad fiſſuræ curſum ſuſſlaminandum nil valentibus. *Freder. Ruyſch. Obſerv. Anatom. Chirurg. centuria.*

CRUSTA LACTEA.

Seu Achores.

Sunt Capitis ulcera manantia, tenuiſſimis foraminibus cutem perforantia, ex quibus glutinoſa ſanies effluere ſolet. Cauſa proxima eſt humor acris, ſeroſus, nitroſus & mordax, craſſo admiſtus: Remota, malum regimen in ſex rebus non naturalibus, præſertim in cibo & potu. Puerilis ætas eſt huic morbo maximè obnoxia; ſed mulieres & viros acriùs & moleſtiùs infeſtat. Achoribus affinis eſt alius affectus qui favus latinis, græcis κηρίον dicitur. Hæc ſtatuitur inter ipſos differentia, quod in Achoribus foramina ſint minora, in Favis verò majora, & quòd humor, qui è Favis emanat, ſit melli conſiſtenti ſimilis, unde modò Meliceris, modò Cerium dicitur. *Thom. Burnet. in Theſaur. Medic. Pract.*

Curationes.

Prodeſt in Achoribus ſyrupus de fumaria ſimplex, non vero compoſitus, hic enim purgat. It. Eſſentia fumariæ.

Antimonium diaphoreticum tuto poteſt dari infantibus: Poteſt miſceri cum CC. uſto. Aqua betulæ valdè expellit. Item ſyrupus & conſerva rad. helenii.

℞. Aqu. fumar. ſcabioſ. ana ℥ß. ſyr. de fum. ℥j. eſſent. fum. ʒß.

℞. Aqu. fumar. ℥iß. CC. ſine igne præp. ℈j. antim. diaph. ℈ß. ſpirit. flor. ſambuc. ʒß. edulc. rot. man. chriſt. perl. q. ſ.

Vel infundi poteſt in cereviſia C C. raſura cum flor. aquileg. fumariæ. ſcabioſæ &c.

Si oriatur vitio Matris, dentur illi, vel nutrici pilulæ de fumariâ, ſyr. de fumaria compoſitus, extractum catholicum, ſerum lactis cum ſucco vel eſſentia fumariæ.

Lotiones non ſtatim adhibeantur, neque inunctiones, ſed præmiſſis expellentibus talia externa uſurpare demum licet.

Continuato igitur uſû expellentium internè, inunctione fieri poſſunt ex unguento diapompholygos, lacte ſulphur. ol. nuc. baſl. peruviano &c. alias addi quoque poſſunt folia ſcordii, nicotianæ, rad. lap. acuti.

℞. Fol. beton. ſcordii, helen. an. m. ſs. nicot. exſic. p. j. Rad. beton. lapathi maj. an. ʒiij. inciſ. & contuſ. groſſo modo. D. S. ſpecies *in kochen.*

℞. Unguent. de helen. diapompholyg. an. ʒiſs. flor. ſulphur. ℈ ij. lact. ſulphur. ℈j. c. ſ. q. ol. nuc. F. l. a. Linimentum *S. Galbe.*

Ad promovendam conſolidationem autem in fine curationis poteſt exhiberi eſſentia vulneraria cum eſſ. lignorum. It. putr. cranii hum præpar. cum ocul. cancr. præp. *Mun. Michael. Prax. Clyn. General. part.* 1. *lib.* 6.

In cruſta lactea imprimis præcipitandum eſt internum acidum nimium, & blanda diaphoreſi ad partes ambientes beneficio ſudoris eſt promovendum.

Conveniunt E. internè imprimis aqu. ſpiritus & eſſ. ex floribus & rob. ſambuci parata: It. remedia ex fumaria & card. benedict. in ſpecie Viperina ſal. vol. viperarum earundem eſſ. ſunt optima.

In adultioribus infantibus una alterave gutt. olei deſtillati viperarum fœtidi, miram vim ſudorem pellendi & hujus medio hos affectus curandi obtinet: juxta hæc ex cervo parata diaphoretica imprimis utilia

utilia ſunt: Hinc myrrha cum oculis ſanctorum propinata & ſæpiùs repetita, curationem horum uſcuſculorum mirè facilitat.

Purgantia præmittenda ſtudio reticeo.

Externe conveniunt imprimis lotiones factæ ex decocto radicis oxylapathi, chelidon. major. betonicæ, ſaponariæ & ſimilibus, quibus commodè furfures addi ſolent.

Achores equidem per ſe fere curantur, ſed tinea capitis his lotionibus imprimis indiget. Convenit etiam decoctum rad. altheæ, c. urina infantis pro lotione capitis uſurpatum.

Vulgo etiam decocto Nicotianæ utuntur ad capitis tineam abluendam, quidam etiam pulvere Nicotianæ utuntur, ſed pravo ſæpiſſimè cum ſucceſſu. Obſervavit enim Dn. Boyle in ſua philoſophia experimentali, quòd lotio capitis facta c. Nicotiana in infante tinea correpto, eundem reddiderit ægrum & ebrium: ſicuti ſimilem ebrietatem obſervavit Fehr. tr. de abſinth. pag. 90. ex pulvere nicotianæ ulceribus capitis manantibus inſperſo.

Duo præter propter ſunt menſes, quod hîc etiam infanti cuidam aliquot annorum propter ubertatem pediculorum inunctum fuit caput unguento ex nicotiana parato, quo facto brevi poſt infans fuit admodum anxius, vomitus copioſi, diarrhœa ingens & tantum non lipothymiæ ſuperveniunt; cauſa omnibus latet: tandem deveniunt in ſuſpicionem unguenti: Hoc E. abluunt, & eo abluto ſponte poſtmodum ceſſant ſupradicta ſymptomata.

Propterea cautiſſimus in uſurpandis remediis ex nicotiana.

Potius decoctum malvæ c. piſis pro lotione capitis optimè conducit ad tineam; ſicuti etiam unguentum c. butyro non ſalito paratum, addita tamen paucâ camphora, quin & ulterius conducunt Balſamus ſulphuris temperatus c. axungia porcina & illitus, quæ axungia porcina c. ſola camphora ſubactâ in mortario plumb. dat unguentum admodum conveniens ad capitis tineam, ſicuti etiam unguentum diapompholygos aut unguentum enulatum, miſtum c. floribus ſulphuris & malaxatum c. oleo nicotianæ, ſunt remedia ſatis efficacia in tinea capitis. Unguentum ex amiantho paratum experimentum eſt Bootii in tract. ſuo de gemm. quo etiam non ſine ſucceſſu uſus fuit Scultetus in Obſerv. Chirurg. 96. quo ipſo capitis tineam contumacem curavit.

Vulgò his ipſis remediis etiam addunt mercurialia, nunc ex mercurio crudo, nunc vario modo præparato conſtantia, id quod tamen non citra cautelam fieri debet; periculum enim eſt imprimis in tenerioribus, ne capitis periculoſiorem affectum, v. g. epilepſiam inducant: Sic namque Timæus in ſuis reſponſis p. 106. refert infantem acoribus laborantem ex inunctione capitis mercuriali epilepſiam lethalem contraxiſſe. In robuſtioribus etiam infantibus mercurialia cautè ſunt uſurpanda propter metum ſalivationis quæ ſuperveniens tam ſponte & facilè ſiſti nequit.

Ob id Mercurius vivus neceſſitate cogente in paucâ quantitate eſt permiſcendus remediis; Tutius adhuc quàm Mercurius vivus uſurpatur mercurius præparatus, imprimis c. ſpiritu nitri præcipitatus: communiter appellatur arcanum corallinum.

Item conducit etiam mercurius dulcis qui non inconvenienter unguentis & linimentis permiſceri poteſt. Notum alias eſt, quod cingula mercurialia (ut vocant, cingula ſapientiæ lumbis circumdata optima & experta ſunt remedia præmiſſis univerſalibus contra tineam capitis, uti etiam contra phthiriaſin: paratur ex cingulo ex panno parato, benè inſuccato, ut ſic dicam, c. mercurio vivo, vel ſubigatur mercurius vivus c. axungia porcina & benè illinatur in cingulum ex panno paratum: Tuto uſurpatur in adulto tale cingulum; ſi præmiſſa fuerint univerſalia, ſi continuo ſimul uſurpentur corpus in blanda diaphoreſi conſervantia, tertio ſi ipſum corpus non nimis exponatur frigori, quin calidum & probe munitum continuo conſervetur. Alias ad tineam capitis contumacem præmiſſa convenienti c. decocto malvæ lotione commendatur hoc unguentum.

℞. Lithargyrii. ceruſſæ an. ℥ij. flor. ſulphuris mercurii vivi ſaliva jejuni extincti an. ℨj. c. l. q. olei roſacei ſubigantur probè in mortario plumbeo, & fiat unguentum contra tineam non inelegans. Panarollus in pent. 5. obſerv. 31. ceu expertiſſimum & à ſe crebrius uſurpatum, laudat unguentum paratum ex ſulphure, axungia porcina, & ſucco limonum, quo ipſo unguento abraſis capillis tineam inungendam ſuadet veſperi, tribus vicinis alternis diebus, quo facto per 5. dies nihil agendum eſt, quibus tranſactis fiat ablutio capitis c. decoctione malvæ, & ſic brevi curabitur tinea, Oleum non contemnendum contra capitis tineam eſt & hoc.

℞. Vitellorum ovi ad duritiem elixatorum nu. xvi. Myrrhæ ℥ß. Rad. ari. Serpentariæ an. ℥ß. Helleb. nigr. iv.

M. probè & coquantur ſuper carbonibus ignitis abſque flamma, donec ſpumeſcere incipiant, tuncque exprimatur oleum uſui reſervandum. In ſpecie decreſcente luna commodè inſtituitur cura tineæ: nam acores & favi ſponte naturæ ceſſant ubi pertinaciora, aut periculoſiora fuerint ulcera, lapis medicamentoſus Crollii (deſcriptio proſtat in Beguino & aliis) diſſolvatur in aqua nicotianæ & ita levi manû inungatur, valdè enim juvat.

Quod ſi verò ex malo increſcente cranium fuerit læſum, præmiſſâ ablutione ulcerum cranio læſo inungendum eſt mel roſaceum c. ſpiritu vini, hinc applicetur pulvis ariſtoloch. ſubactus c. balſamo Peruviano, ſic enim ſucceſſivè deletur caries, & os denuò ſaneſcit. *Michael Ettmullerus in Collegio Practico ſpeciali de morbis mulierum, infantum &c.*

Conſultatio.

Adoleſcens annorum quindecim, mala diæta diu uſus, poſtquàm queſtus eſſet aliquamdiu de dolore capitis gravativo & ſomnolentia, accepit multos honores, in capitis cute apparentes. Qui poſtquàm deinde eſſent diſſipati, poſtea redierunt, foraminibus plurimis perforati. Ex iiſque glutinoſa & flava effluit ſanies: quæ in cruſtas fœdas & tuberoſas, ferè totum ejus caput tegentes, concreſcit.

Afficitur in hoc ægro *cutis capitis*; quòd indicant tubercula illa ſanioſa in ejus capite apparentia. Afficitur etiam *cerebrum*, quòd ex ſomnolentia & dolore capitis gravativo patet.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, eſt intemperies quædam acris, ſalſa, & nidoroſa cutis capitis, quæ ulcuſcula plurima manantia, & fœdis ac tuberoſis cruſtis tecta, in ea producens, nomine *Achoris*, vel *Tineæ capitis* appellari ſolet.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt mala diæta, quâ hic adoleſcens fuit uſus. Magna verò copia materiæ acris ſalſæ & nidoroſæ, in corpore ejus inde genita, *antecedentem* huic morbo præbuit cauſam. Pars verò ejus à corde cum ſanguine per arterias in caput delata, & cerebrum gravans, *inducit* primum *ſomnolentiam & capitis dolorem gravativum*. Cutim autem capitis ſua acrimonia multis locis perforans, & erodens, *& copioſè ex eroſa cute emanans, & in cruſtas fœdas & tuberoſas, totum ferè caput tegentes, concreſcens, continens* hujus *Achoris*, ſive *Tineæ capitis*, eſt cauſa.

Morbus, hic valdè contumax ſolet eſſe. Atque ideò difficulter curabitur.

Curatio itaque diligens adhibenda, ne æger in apoplexiam, epilepſiam, lipothymiam incidat, vel alia graviora ſymptomata incurrat.

Eaque in cacochymiæ corporis ablatione, & intemperiei correctione, & ulcerum capitis ſanatione, per contraria inſtituendâ, conſiſtet.

Primò itaque ſumatur tale purgans.

℞. Mercurii dulcis benè præp. gr. XIV. ſcammonii optimi gr. VIII. vel ℈ſs. Electuarii diapruni ʒij. Miſce F. Bolus. ſubindè reiterandus.

Poſteà ad humores cacochymicos alterandos, & ulterius evacuandos exhibeatur tale Apozema.

℞. Rad. cichorii ℥ij. enulæ campanæ, althææ, Chelidonii major. an. ℥ſs. herb. betonicæ, fumariæ, borrag. ſcabioſ. an. M. j. Flor. borrag. violar. an. p. j. ſem. geniſtæ, agni caſti an. ʒj. decoq. in aq. hordei q. ſ. ad lib. I. ſs. Addendo ſub finem decoctionis fol. ſennæ ℥ij. ſem. aniſi ʒiſs. Colaturæ adde, ſyr. de cichorio cum rhabarb, ℥ij. Miſce F. Apozema, pro ſex doſibus, manè ſumendis.

Corpore ita per univerſalia purgato, ſi tubercula non cedant, ad medicamenta topica ſive localia eſt deveniendum. Tumque cruſtæ, quibus tubercula teguntur, ſunt emolliendæ tali fomento, ut deinde facilius à Chirurgo tolli queant.

℞. Herb. malvæ, althææ, fumariæ, an. M. j. Scabioſæ, agrimoniæ, betonicæ, M. ſs. flor. geniſtæ, ſambuci an. p. j. ſem. geniſtæ ʒj. decoq. in. aq. comm. pro fotu, quo foveatur caput calidè & frequenter, ſpongia liquore illo imbuta, & moderatè expreſſa.

Poſtquàm cruſtæ fuerunt remotæ, evellantur volſella pili ex tuberculis, donec ſubſidant. Quo peracto, ſumatur cochleare unum aceti acerrimi, cui addantur guttæ VI. vel VII. olei vulgaris, ac linteo iis mixtis imbuto & madefacto omnes ſordes abluantur, fortiter fricando, ut per poros apertos humores pravi expelli poſſint.

Si malum adhuc perſeveret, adhibeatur quotidie hoc unguentum.

℞. Piperis, ſulphuris an. ʒj. fuliginis furni ℈j. Pulveriſata miſceantur cum butyri veteris liquefacti ℥ij. & F. unguentum.

Vel adhiberi poterit illud à Foreſto ſummopere commendatur unguentum.

℞. Litharg. aur. & argent. cum aceto acerrimo & ol. roſ. nutriti ʒ ij. aluminis rochæ combuſti ʒß. fuliginis furni, rad. enulæ camp. exſicc. & in pulv. tritę vel combuſtę, chartæ, quæ perfluit, exuſtæ an. ℈ij. olei ex vitellis ovor. axung. gallin. porcin. an. ℥ß: ol. laurini, roſacei, & aceti q. ſ. incorporentur in mortario ſecund. art. ut coëant in formam mollioris unguenti.

Cui etiam, malo nondum cedente, addi poterit Mercurii ſalivâ extincti ʒj. & vitrioli rom. rectè calcinati parùm.

In victûs ratione, *Aër* ſit purus, temperatus. Cibi ſint boni ſucci; qui temperiem acrem nidoroſam & ſalſam temperant. Et contra, qui mali ſunt ſucci & acrimoniam augere poſſunt, vitentur.

In Potu ſit cerevſia benè defæcata. Vitetur vinum. Panis ſit benè fermentatus. *Alvus* ſit lubrica. *Exercitium* ſit moderatum. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medication. lib.* 4.

Obſervationes.

Pro Achore ſeu tineâ cruſtoſâ in puero 13. *annorum.*

Puerum hunc ſequentibus remediis ita curavimus.

℞. Fumariæ Miij. ſcabioſ. beton. borrag. acetoſ. viol. agrimon. an. Mj. ſem. endiv. acetoſ. aniſ. an. ʒj. rad. enul. ℥ſs. fol. ſen. ʒVI. Epithim. ʒj. uvarum paſſarum exacinat. ʒſs. liquirit. ℥iij. f. omnium decoctio in aq. communis & fumariæ an. pt. æqu. & q. ſ. pro ℔j. in colat. diſſolv. Syr. de fumar. ℥iij. Syr. de Epithymo, borag. & ſtœchad. an. ℥ſs. m. f. apozema, capiebat bis in die, erat facilis ſolutionis; quotidie enim ter ad minus hoc decocto alvus ſolvebatur, aliquando & quinquies alvum deponebat. Deinde ut hoc capitis lavacro uteretur mandavi.

℞. Fumar. betæ, lapath. acut. cum toto, chelidon. cum toto, malv. fol. Heder. arbor. rad. althææ, an. Mj. flor. Chamœm. melilot. & furfur. an. M ſs. coq. in aq. q. ſ. pro ℔ iij.

Deinde ut cruſtæ meliùs emollеſcerent, juſſi ut poſt lotionem inungeret caput infraſcripto linimento.

℞. Mucilag. fœnugræc. ſem. lini cum aqu. malvæ extract. axung. gallinæ, ol. ex vitell. ovorum an. ℥ſs. Croci ʒſs. Mſ. pro linimento ut artis eſt. Iiſque ſæpius reiteratis, caput deinde radi juſſimus novaculâ, continuando lotionem & inunctionem manè & horâ quartâ pomeridianâ.

Poſt ſex deinde dies paravimus iterum apozema purgans ſicut antè, addendo polipod. q. ℥ſs. raſ. ligni ſanct. quart. j. ex quo ſumebat aliquando ſemel, aliquando bis in die, ſi alvus minùs reſponderet. Novaculâ rurſus abraſo capite, ut materia magis foras evocaretur, ad lotionem hanc plus detergentem devenimus.

℞. Fumiterr. ſcabioſ. Caul. rub. betæ, fol. Heder. arbor. malv. raſ. ligni Guajac. an. M ſs. radi enul. Chelidon. alth. an. ℥j. fl. Chamœm. furfur. an. pij. farin. fabarum, lupinorum an. ℥Iſs. Coq. in aqu. pro ℔IV. Poſt lotionem hoc linimento inungi mandavimus ad detergendum & magis exſiccandum.

℞. Pulv. rad. enul. camp. litharg. auri & argent. Ceruſſ. alumin. roch. combuſt. an. ℈Iſs. terantur ſubtiliſſimè & incorporentur cum linimento priùs deſcripto; addendo ol. vitell. ovorum, q. ſ. & ceræ albæ modicum ut in unguenti formam coëat.

Poſt quinque rurſus dies propinavimus infuſum fol. orient. Epithym. & rhei in aq. fumar. ſcabioſ. & beton. addendo caſſiæ & confect. Hamech. an. ʒ ij. Syr. de fumar. ℥ſs. quo ſexies multa & varia excrementa depoſuit, die ſequenti rurſus exhibuimus, & adhuc ſexies dejecit. Poſtea lotionibus dictis urinam antiquam adjecimus, inter bulliendum vitrioli exiguum quo ter tantum caput ablui imperavimus, eò quòd robuſtius medicamentum eſſet, cæterum poſt iſtam lotionem caput infraſcripto unguento inungebatur.

℞. Litharg. auri & argent. cum aceto acerrimo & ol. roſ. nutriti ℥ ij. ceruſſ. ablutæ cum aq. Solan. ʒj. alum. roch. combuſt. ʒſs. fuligin. furni, rad. enul. exſicc. & in pulverem tritę vel combuſtę, chartę exuſtæ an. ℈ij. ol. ex vitell. ovorum, axung gallinæ, porcinæ, an. ℥ſs. ol. laurin. roſ. & aceti exigui q. ſ. Incorporentur in mortario S. A. ut in forma unguenti mollioris coëant.

Illud unguentum eſt apud me magni pretii, & mirabile magnæque efficaciæ, ut patet ex illis quæ ingrediuntur. Galenus ſolâ chartâ combuſtâ, & aceto dilutâ locum affectum illinebat, & uno aut altero die, hoc medicamento utens exſiccante, plurimos curavit.

Tandem unguento ultimo præſcripto adjunximus argenti vivi cum ſalivâ extincti ʒj. vitriol. rom. optimè calcinati ℈j. & bis inungebatur, bis dictis remediis ab achore ſeu tineâ humidâ liberatus eſt puer ſpatio duorum ferè menſium. *Petrus Foreſtus, obſerv.* 17. *lib.* 8. *de extern. capitis vitiis.*

Pro Achore in puero octo annorum.

Poſt lotiones & univerſalia remedia præcedenti obſervatione dicta, topico remedio ſequenti fuit curatus.

℞. Succ.

℞. Succ. fumar. ℥ij. Succ. ſcabioſ. borrag. Chelidon. ſucc. rad. enul. lapath. acut. an. ℥j. cum pauxillo fæcis ol. antiq. & ol. roſ. addendo axungiæ porcinæ q. ſ. & aceti exiguum, bulliant lento igne ad ſuccorum conſumptionem, in fine addendo pulv. litharg. auri & argenti, pulv. ireos, lupinorum, an. ℈j. pulv. roſ. lign. guajac. ℈ſs. benè incorporentur & f. linimentum. S.A. Expertus ſum etiam valere decoctum guajaci, ut in morbo gallico uti ſolemus, cum optima victus ratione; interea adhibendo lotiones, linimenta, & unguenta, in obſervatione præcedenti præſcripta. *Petrus Foreſtus, obſerv.8. lib.8. de externis capitis vitiis.*

Pro Achoribus in puero 15. annorum

Contra hoc malum ſequens lixivium inveniebam.

℞. Abſinth. fl. Chamœm. ſerpill. matricar. an. M ß. bacc. Lauri, rad. Ireos an. ℥j. Rad. aſar. ℥ iſs. incidantur & ſacculo condita, coq. in lixivio ex ligni juniperini cinere facto. Hoc lunâ decreſcente caput lavabatur quotidie, ac brevi ſanitatem recuperavit. *Martinus Rulandus, curat 54. cent. I.*

Quendam achoribus tineiſq; per multos annos turpiter affectum, (cui varia fuerant incaſſum applicata remedia) præmiſſo cathatico, linimento ex oleo in quo ad exactam coctionem bufo, ſive rana terreſtris ebullierat, optimè curavi, quippe ſimplici hoc remedio per paucos dies in capite utens, ſanus & capillatus factus eſt, durante autem linimento pili emortui, vulſellis à Chirurgo extirpabantur. *Julius Cæſar Baricellus, in hortulo geniali.*

CUCURBITULÆ *De iis Vid. ſub titulô* APHÆRESIS.

Hic tantum Obſervationem unam ex Fabriicio *Hildan. trademus.*

De periculoſa applicatione cucurbitularum, in hæmorrhagia narium.

Applicationem cucurbitularum ad ſcapulas & nucham, in hæmorrhagia narium, præſtantiſſimum eſſe præſidium, Medicis notum eſt: nonnunquam tamen in perniciem ægri adhibitam fuiſſe, obſervavi. Poterit lector hac de re videre hiſtoriam ſingularem, in quinta Centuria obſerv. mearum, in Epiſtola quadam ad Dn. Doctorem Hagenbachium ſcripta, & Obſervat 27. annexa, ſequens quoq; Exemplum annotatione dignum eſt.

Patricius quidam Bernenſis, quadraginta circiter annorum, plethoricus, & optimo corporis habitu præditus, cùm hemorrhagiâ intempeſtivâ narium laboraret, & ex conſilio Medici cucurbitulas ad ignem ſibi applicandas curaret, adeò auctus fuit fluxus, ut inter paucas horas ad libras aliquot ſanguinis effluxerint. Ego cùm in conſilium vocatus eſſem, & ægrum in culina propè ingentem ignem in ſella poſitum, atque omnia circa ipſum ſanguine conſperſa eſſe viderem, ſupra modum perturbatus, & tantam ignorantiam, ne dicam dementiam Barbitonſoris admiratus fui: Jubeo itaq;, ut illico à foco recedat, protinuſq; tum dorſum ſequenti linimento inungo.

℞. Ol. ex Nymphæa,
Roſarum &
Violarum an ℥j.
Caphuræ aceto roſaceo diſſolutæ ℈.j.
Miſceantur in mortario.

Mox brachia ad cubitum, tibias ad poplitem vinculo arctè ſtringo, fronti linteum aquâ, & aceto imbutum applico, naribus verò pulverem meum ad ſiſtendum ſanguinem, libr. de Gangræna & ſphacelo cap. 19. deſcriptum, turundis albumine ovi imbutis impono. Hiſce adhibitis remediis ſanguis ſubſtitit, vires quinetiam paulatim collegit feliciterq; reſtitutus fuit æger, & ad annos aliquot ſupervixit, donec tandem Anno 1628. peſte obiit.

Tantam autem in viro iſto fuiſſe ſanguinis ebullitionem, ut non ſolùm per nares undatim effluerct, verùm etiam ad ventriculum deſcenderet, ibidemq; in grumos coagulatum, iterum per vomitum tam copioſè ejiceretur, ut æger ſæpiſſime coram me faſſus ſit, ſe intra paucos dies ultra menſuras novem (quæ faciunt libras viginti ſeptem) ſanguinis amiſiſſe. Res profectò mira, unicum corpus, quod non uſq, adeò vaſtum erat, tantâ copiâ ſanguinis præditum fuiſſe. Quod ſi tamen aliquis mihi objicere voluerit, ſeroſos humores ſanguini admixtos fuiſſe, huic non ſum contradicturus; id enim in eodem ferè caſu conceſſi, de quo vide Obſ. 37. Centur. 3.

Ex his ediſcant tyrones, in hæmorrhagia, ex quacunq; corporis parte illa fuerit, corpus non eſſe excalefaciendum, nec dorſum linteis calidis fricandum, multò minus ad ignem collocandum. Excalefacto enim dorſo, ſanguis in ipsâ venâ cavâ quæ dorſo adjacet, efferveſcit, fitq; ſubtilis, acris, & ad fluxum aptiſſimus. Rectè itaq; docet Hippocrates lib. 5. aphor. 23. his verbis: *In his,* inquit, *frigida uti oportet, unde ſanguis copioſè profluit, aut profluxurus eſt* Nonnulli in hemorrhagiâ cucurbitulas ad regionem hepatis applicari jubent, ſed & id ſine periculo haud fieri poſſe Cent 2. Obſerv. 47. demonſtratum eſt. Vulgus in hæmorrhagiâ narium ægro aquam frigidam clàm ad cervicem projicit, ut inde per dorſum ad lumbos deſcendat: idque plerumque cum ſucceſſu factum eſſe obſervatum eſt. Duabus enim de cauſis hæmorrhagiam cohibet. Primò, quia propter ſubitam formidinem ſanguis ad originem ſuam, hepar videlicet, & cor recurrit, ideoque videmus in metu externa pallere, & aliquo modo algere. Deinde, quia propter profuſionem illam aquæ frigidæ, ſanguis in venâ cavâ, quæ dorſo, ut antea dixi, adjacet, refrigeratur; & quodammodò inſpiſſatur.

CUTIS MORBI.

Sic traduntur à Clar. Williſio.

De Cutis morbis, & diverſimodis remediorum generibus illos ſpectantibus pertracturi, de partis affectæ fabrica paucis præfabimur.

Quoad Cuticulæ ac Cutis fabricas, ac uſus, non eſt ut omnia in libris Anatomicis jam jam accuratè deſcripta, & paſſim nota hîc repetam. De Cuticula annotaſſe ſufficiat, hanc pelliculam eſſe tenuem ac denſam exanguem & exinimem, ut pore vaſis & fibris deſtitutam quæ cuti cohærens, eam integit & ab externis injuriis tuetur. Hæc ubique perforata eſt, in cujus foramina, ſudoris vaſa excretoria hiant, quæ Malpighius per microſcopium accuratiùs inſpiciens, paulo ante hiatus ſuos, quibuſdam quaſi valvulis, pro ſudore detinendo, aut liberiùs emittendo, donari aſſerit: verùm hæc me latuiſſe fateor.

Cuticulâ per phænigmum, aut ignem detractâ, cutis nuda, & ob vaſa ſanguifera rubens apparet. Eſt autem hæc, membrana craſſior, quoad maximam partem, ex filamentis vaſorum ſanguiferorum, nervorum, fibrarumq; nervearum, variè inter ſe complicatis contexta, quibus glandulæ numeroſæ, & lymphæductus, ſive ſudoris, & vaporum vaſa excretoria denſiſſimè interponuntur. Hujus ſubſtantia duplex à pleriſque anatomicis perhibetur, exterior nervea, & interior carnea, ſeu potius glanduloſa pro hujus exemplari, mali

mali aurantii cortex adducitur. Si cutis nuda per microſcopium inſpicitur, ex obſervatione Clariſſimi Malpighii, primo ſeſe offert corpus reticulare, cujus crebris foraminibus continentur non ſolum ductus ſudoriferi, ſed & plurimæ papillæ pyramidales, per ordines parallelos è cute erumpentes, & in cuticulam, ubi in plures velut fibrulas dividuntur protenſæ; quas idem author tactûs ſenſorium ſtatuit. Inſuper his, ſubſtantia cutis habet glandulas plurimas, quibus mediantibus lympha, ſive materies hydrotica, ex arteriis per lymphæ ductus ſive vaſa excretoria ad poros deducitur. Enimverò obſervavit accuratiſſimus Stenon *ſingulis poris ſuas glandulas ſubjacere*, quæ juxta ἐφιδρώσεως uſum majores, aut minores exiſtunt: ſudor, aut vapores ex his per vaſa excretoria foras conſtanter emanantes, papillas nerveas, ne forte areſcant, in tranſitu ſuo madefaciunt.

Quoad poros ſive foramina ſudatoria, per microſcopium detegitur eos bini generis exiſtere, ſcil. majores, in quibus pleriſque radices pilorum confitæ ſunt, & per intervalla, ex utroque latere cujuſque rugæ cutaneæ, ordine parallelo diſponuntur, vel ſecundo ſunt meatus iſti minores, quorum innumeri ſpatia omnia prioribus interjecta quaſi punctis creberrimis adimplent. Enimverò tota cutis, cum rugis ſuis, inſtar agri ab aratro ſulcati, & dein cum ordinibus verſis, ſeu potius obliquis occati, apparet; ita ut plano ſuę areæ ſupra ſulcos utriuſque generis eminentes, figuræ ut plurimum rhombocidis exiſtunt; & juxta quod ſulci iſti; cum rugis, ſive areis, breviores ac minores, aut etiam profundiores ac majores fuerint, textura cutis delicata ſive tenuis, vel craſſa ſive levidenſis videtur. Hujus conſtitutio licet plurimum nativitati, ac primogeneæ ſtaminum ac humorum concretioni debeatur, ea tamen propter diverſimoda vitæ inſequentis accidentia, multifariam alterari ſolet. Victus craſſior, labores duri, aëris inclementia, ac imprimis caloris, ac frigoris exceſſus, cutim aſperiorem: etiam è contra educatio mollis & delicata tenorem ejus magis ſubtilem, ac leviorem reddunt.

Ut cutis magis terſa, polita, & æquabilis, evadat, multum intereſt, poros ejus omnes humore benigno, miti, ac velut oleoſo adimpleri; ita namque dum meatus omnes pleni, ac tenſi fiunt, totius cutis planities læviſſima apparet: attamen ſi humor vitioſus poris iſtis ſuppeditatur, aut qui infuit benignus, nimis exhauritur, cutis proinde aſpera & rugoſa fiet. Quare ſi cujuſpiam cute molliſſima ac planiſſima prædíti manus aqua ſaponata, lixiviali, aut etiam ſanguine calenti aliquandiu madefient, propterea mox humore ſalino, per ſales alios è poris extracto, ſulci & rugæ illico majores & profundiores evadent: quare fæminæ delicatiores lavacra ſaponata, & quævis alia cutim ſulcantia, religioſè evitant.

Nec tantùm humor è poris nimium exhauſtus, ſed etiam in iis ſupra modum ac indebitè retentus, cutim aſperam ac inæqualem reddit. Foramina piloſa (quæ & ſudatoria & ſi non unica, aut plurima ita fuerint) ob tranſpirationis beneficium, effluvia copioſiora conſtanter emittunt, quare maiora ſemper illa, ac patentiora videntur; ſin verò à frigore externo hæc ſubito occludi contigerit, vapores intus coërciti, cutim circa eruptionum loca undique inflant, ac in moleculas attollunt: hinc ſi quando corpora noſtra boreæ nuda exponantur, aut fluvio immergantur, ſuperficies exterior prius glabra, ac mollis, mox cuti anſeris deplumati ſimilis ſcabra & confragoſa evadet. Proculdubio majora iſthæc foramina, juxta cutis ſulcos parallelos & velut quincuncis ritu ſeriatim conſita, quaſi totidem foveæ, pro pilis velut arboribus conſerendis inſtituuntur; ita namque in quadrupedibus, imò & in quibuſdam hominis partibus hirſutis, aliquatenus habent.

His ita breviter de cuticula, & cute, quoad eorum fabricas & uſus deſignatis, via ſatis præſtruitur, ad indagandos & explicandos partium earundem morbos, & medendi rationes. Itaque imprimis ad cuticulam, cum ſit vitæ ac ſenſus expers, morbi vix ulli propriè ſpectant. Hæc interdum denſa nimis diapnoën impedit; quandoque item propter accidentia quædam in nonnullis locis nimis craſſa & ἀπαθὴς minimè ægrotat, attamen hæc in cauſa eſt quod affectus quidam forſan per evaporationem difflabiles, circa cutis ſuperficiem hæreant; quantum ſcil. ſanguinis, & humorum recrementa, & fœculentiæ exteriùs propulſa, & totam cutim tranſgreſſa, cum ob cuticulæ denſitatem prorſus evaporare nequeant, ſuper cutim extimam defixa, varias ejus diſcolorationes, & defœdationes producunt cujuſmodi imprimis ſunt maculæ *Ephelides* dictæ, necnon ſcorbuticæ, & malignæ item Lentigines, & quæcunque aliæ ſugillationes, ſine tumore, aut aſperitate cutim, vel cuticulam notis, ſive nubeculis quibuſdam aſpergere videntur.

At verò quoad ipſius cutis affectus in genere ſpectat, ſiquidem hi varii ac multiplices fuerint, ſub vario reſpectu diſtingui ſolent, atq; imprimis quod ſint vel cum, vel ſine tumore: poſteriores hoſce modò notavimus.

Affectus cutanei cum tumore, vel ſunt univerſales, per totum corpus diſperſi, vel particulares in his, aut iſtis membris ſporadicè, & quaſi fortuitò excitati.

Priores vel febri ſuperveniunt, uti imprimis *variolæ, morbilli* aliaq; exanthemata maligna, quibus etiam accedunt infantium efflorefcentiæ volaticæ; vel ſine febre contingunt, ut imprimis pruritus, impetigines, & affectus leproſi. Tumores externi particulares, ſive ſporadici, plerumq; non meram cutim, ſed & partes ſubjectas, ſcil. modò carneas, modò tendinoſas, aut membranoſas, aut glanduloſas occupant, proindeq, variè indolis ac formæ diverſimodæ exiſtunt. Super his omnibus particulatim diſſerere, & ſingulorum Ætiologias & Therapeias deſignare, non modo integri tractatus, ſed magni voluminis res eſſet: itaq; impræſentiarum de affectibus mere, aut maxima ex parte cutaneis) cujuſmodi imprimis ſunt *maculæ omnes*, ac *lentigines*, necnon *ſcabies* ſive *pruritus*, impetigines ſive affectiones *leproſæ*) breviter dicemus: de tumoribus cujuſque generis ſpeciatim ediſſerendi, olim fortaſſis aliquando opportunitas dabitur.

Primo igitur (ut à maculis uti pathematis minoris momenti ordiamur) occurrunt ephelides dictæ, quoniam ab inſolatione potiſſimum excitari ſolent; atque id propter in vere, ac æſtate plurimum increbeſcunt, circa hyemem rurſus evanidæ, porrò cum in formoſioribus, ac cutim rariſſimam habentibus maximè contingant, in iis præcipuè locis, ubi cuticula ſoli, ac aëri expoſita, denſiſſima eſt, ſcil. in facie, ac manibus maximè erumpunt. Coloris ſubflavi, aut fuſci, circa magnitudinem morſus pulicaris, inæquales tamen, & quoad figuram irregulares exiſtunt, parum aut nihil hæ differunt à puncturis iſtis ſubfuſcis, aut flavis, quas nonnulli lentigines vocant, quę lentis magnitudine, faciei partes crebris quaſi guttis, inſigniunt.

Harum materies videtur eſſe, humoris bilioſi portio tenuior, vi ſolis illam attenuantis, & poros cutis aperientis, exteriùs prolecta, quæ evaporari incipiens, in cute extima, aut cuticulæ, quam pertranſire nequit, concavo, defigitur, profecto has maculas à bile, aliiſve ſanguinis recrementis flavis procedere in-

dicio eſt, quod maxime familiares ſunt iis quorum pili etiam flaveſcunt. Porrò quod in complexione ſæpius pulchriori, ac præſertim in partibus ſoli, ac aëri expoſitis oriuntur, ratio ſatis liquet, utpote quorum cutis rarior, humorem ab æſtu ſolari rarefactum eouſque tranſmittit, donec à cuticula denſiori prope exitus loca ſiſtitur. Hic affectus quoad valetudinis ſtatum, nihil mali indicat, aut ominatur; & quamvis in apparentia nonnihil turpitudinis refert, id tamen compenſatur, quatenus ita maculoſos puriori conſtitutione præditos, ſignificat.

Præter has maculas exiguas lenticulares, occurrunt aliæ multo ampliores, ſupra palmæ magnitudinem, quæ cutim variis in locis, præcipuè verò circa pectus, & dorſum lituris modò fuſcis modo luridis, aut ſubnigris conſpurcant. Hæ certis temporibus, ac uti in multis obſervavi, certis in partibus exoriri, ac evaneſcere ſolitę, vulgo maculę hæpaticæ dicuntur, iiſque plurimùm inſigniti, jecur minus ſanum, aut ſaltem bene ſanguificum habere creduntur; quod tamen ſub hac ratione verum non eſt, at ſolummodo quatenus humores bilioſi cùm non ſatis intra hepar à maſſa ſanguinea ſecernuntur, ad cutim protruſi, eam ita diſcolorant: quod vitium quodammodo etiam lieni imputatur, enim verò defœdatio hæc oritur, eò quòd ſanguinis fœculentię, ac recrementa, cum non ſatis à ſecretionum officinis excipiuntur, unà cum ſero quo diluuntur, ad cutim feruntur, ibidemq; ſanguine exuta, ac à ſeroſo latice inter evaporandum derelicta, circa poros extimos & foraminula (tanquam lanugo muſcoſa fluvii anguſtiis hęrens) defiguntur.

Lituræ iſtæ potiſſimum in æſtate apparent, & maxime ſupra pectus & corium, vid. quo tempore & quibus in locis homines ad ſudandum ſunt plurimum apti: ipſe nimirum latex ſeroſus, qui fæculentias iſtas è maſſa ſanguinea in cutis anguſtias provehit, eas penitus evaporare inhabiles, illic relinquit. Affectio hæc nihil mali conjunctum habet, neq; enim morbi præſentis ſymptoma eſt, nec ullum brevi futurum portendit, porro cum locis plerumq; tectis obveniens, nullam deformitatem, aut moleſtiam adfert, curatione ejus parum aut nihil opus eſſe videtur: ſed quoniam apud vulgus opinio increpuit, hepar ob maculas iſtas inſigniter periclitari, & medicinam neceſſariò requirere, idcirco ut quibusdam pharmaca importunè efflagitantibus ſatisfiat, præter coſmetica externa, etiam remedia hepatica interna præſcribere ſolemus: quorum uſus etſi non admodum neceſſarius, quia tamen exinde ſanguinis depuratio, & viſcerum ἐκφράξις ſatagantur, haud prorſus inania exiſtunt medicamenta interna ad hunc finem utilia, ſupra inter remedia hepatica deſcribuntur: externa ſive topica prorſus eadem in his, ac in aliis quibusque macularum generibus conveniunt; quorum formulas quaſdam ſelectas ſubdemus.

De maculis peſtilentialibus, uti & ſcorbuticis, cùm alibi ex profeſſo egimus, non oportuerit hic eadem repetere; præſertim quoniam ad has methodus prorſus alia, quàm ad modò deſcriptas requiritur; quatenus nimirum, in uno macularum genere; medicamenta ferè tantum externa, abſq; ſplanchnicis aut cardiacis, inq; altero tantum interna, ſine ullis cutaneis adhiberi ſolent. Itaq; ad maculas ephelidas, lentigines, & hepaticas vulgò dictas, ars decorationis propriè ſpectat; & propter hęc cutis deturpamina tollenda, ſine quavis medendi methodo, pharmaca tantùm coſmetica præſcribuntur. Horum apud Dominas curioſas, alioſque de cute curanda ſolicitos, cùm ingens ubique & uberrima ſit ſeges; ea tamen omnia quatenus duas ſolum medendi intentiones reſpiciunt, ad bina hæc capita reduci poſſunt: illa nimirum aut cutis ac cuticulæ poros aperiendo, atque hanc interdum excoriando, humorem exteriùs attrahendum & prorſus evaporandum moliuntur, vel è contra, & ſæpe non minori cum ſucceſſu adhibentur illa, ut materiem maculoſam è cute repercutiant, ac intus adigant. Topicorum utriuſque generis formulas quaſdam ordinarias rationaliter inventas, & non rarò ſat feliciter uſurpatas, hic ordine ſubdemus, quandoquidem non licet ſine magnatum offenſa, ſecretiora artis coſmeticæ myſteria detegere, & apud vulgus profanare.

Primò igitur ad cutim detergendam, & materiem macularum foras extrahendam.

℞. Lixivii è ſale tartari minus ſaturati ℥iv. olei amygdalarum amararum per expreſſionem facti q. ſ. in tali proportione miſceatur, ut totus liquor illico lacteſcat, ac ita perſiſtet; cum hac mixtura partes affectæ mane, & veſperi illinantur, & blandè confricentur.

℞. Radic. Ari, bryoniæ, ſigil. Salomonis recentium an. ℥j. pulv. ſem. fœnugræci ʒj. camphoræ ʒſs. ſimul contuſis affunde olei tartari per deliquium ℥iij. f. expreſſio, applicetur cum petia intincta bis in die.

℞. Sulphuris vivi pulv. ℥j. ſaponis nigri ℥ij. ligat. in petia, ſuſpend. in aceti ℔j. per IX dies, dein in uſum adhibeatur, loca affecta bis in die abluendo, & confricando.

Secundò propter alteram intentionem, ſcil. maculas è cute diſcutiendas, earumq; materiem repellendam ac intus adigendam, lac virginis celebre apud antiquos remedium fuit, & etiamnum à pluribus commendatur, ac in uſum adhibetur. Hujus præparationes ſatis innoteſcunt: nempe ſolutio lithargyri in aceto deſtillato facta, ab oleo tartari per deliquium affuſo, in liquorem inſtar lactis albicantem præcipitatur, quo facies, & manus bis in die laventur, & blandè confricentur: Medicamentum huic ſimile aut idem, ſaltem ejuſdem virtutis, paratur ex ſolutione minii, vel ceruſſæ, in eodem menſtruo facta, & cum aqu. Aluminis aut ſalis gemmæ præcipitata.

Vel ℞. Camphoræ inciſ. ʒij. teratur in mortario vitreo, ſenſim affunde ſuccum unius limonis, dein adde vini alb. ℔j. F. Colatura & camphora reſidua, petia ligata, in vitro ſuſpendatur.

℞. Viridis æris ℥iv. affunde aceti vini albi ℔.ij. cucurbitæ vitreæ indita deſtillentur in calore arenæ: phlegma primo extillans ad uſum ſervetur, quo facies illinatur bis in die. In hunc finem etiam ros aut phlegma vitrioli per ſe deſtillati egregiè convenit, ſufficit nonnullis aqua florum fabarum, aut fumariæ ſimplicis ſtillatitia, aut etiam vitis ſucco limpido, è ramis ejus verno tempore ſectis extillante uti. Attamen fœminæ curioſiores & artem coſmeticam maximè callere præ ſe ferentes, vix ullis remediis cutaneis, niſi mercurialibus contentæ ſunt; quapropter aqua ſequens ad omnes faciei turpitudines commendatur, & ab empiricis magno pretio venditur.

℞. Merc. ſublimati ʒj. pulveriſat. ponatur in vaſe ſtanneo cum aq. fontan. ℔ iij. ſtent. per XXIV. horas cum ſpatula lignea ſubinde agitando, donec totus liquor nigreſcat, qui tamen per chartam emporeticam colatus limpidus evadit, cum petia aut pluma huic intincta, facies ſemel intra diem unum aut alterum blandè obducatur.

Medicamentum hoc contra turpitudinem quamcùmque cutaneam inſigniter juvat, quatenus nempe humores intra porulos, & foraminula utut minutiſſima impactos expedit, ſalium aut ſulphurum combinationes inveteratas & pertinaces diſſolvit, totamque ubi applicatur cutim quoad meatus ejus malè conformatam reſtituit, & εὔχροον facit; Quapropter

non tantum ad faciei maculas abſtergendas, ſed etiam ad puſtulas, & ruborem ejus nec non ad affectus eryſipelatώδεις tollendos utile eſt. Porrò interdum accidit, pleraſque faciei partes, præſertim verò naſum, & frontem, punctis nigricantibus creberrimis quaſi à pulvere pyrio exploſo inuſtis inſigniri: quod tamen inde procedit, quia foramina ſudatoria, modo humore atro craſſiori, modò vermiculis capita nigra habentibus implentur, quæ quidem animalcula è poris expreſſa, & ſoli expoſita vivere, & ſe movere facilè cernuntur; atque in tali cutis affectione, lotione aut litus nulli præter mercuriales prodeſſe ſolent; attamen huic melli aculeus plus nimium maligni ſæpe præſto eſt: neveque hydrargyri particulæ, unà cum ſalibus (à quibus in minutias dividuntur; acuunturque) faciei applicatæ, materiam inde noxiam & defœdatoriam poris excutiunt; ac depellunt, eam vero intus repercuſſam inſequuntur, & propediem ſanguini & liquori nerveo (quorum craſes lædunt; ſe facilè inſinuant, quinimo horum commeatu ſæpiſſime, cerebro, & nonnunquam præcordiis, & partibus aliis virulentiam ſuam non tarò poſtea indelebilem imprimunt, hinc frequens obſervatio eſt, feminas aut viros coſmetico mercuriali dies ac multum utentes, vertigini, & affectibus ſpaſmodicis, aut paralyticis obnoxios fieri, eorumque dentes nigricare, & nonnunquam vacillare.

De Pſora ſive Scabie cum pruritu.

Poſt cutis affectus ſimpliciores, qui nempe ſine tumore, aut ulceratione contingentes, eam ſolummodo apparentiis maculoſis defœdant, jam ordine dicendum erit de pathematis gravioribus, & continuitatem ſolventibus, atque imprimis de pſora ſive ſcabie, quæ in variis, & crebris totius corporis locis, cutim puſtulis ſive eruptionibus exiguis, modò ſiccis & ſæpe ſquamoſis, modò humidis ac ad ulcerationem diſpoſitis, cum pruritu valdè moleſto infeſtat; atque hujuſmodi affectio propriiſſime iſtius partis morbus eſt, utpote quæ in ipſa cute propter contagium externum ſæpe incipit, & frequenter per remedia quædam tantum cutanea ſanatur; ſaltem utriuſque ratio eatenus tenet, ut raro aliter perfecte aut ſuſcipiatur, aut curetur.

Pſora ſive ſcabies vulgò deſcribitur eſſe puſtularum in toto corpore ſparſim eruptio, ab humore acri, & ſalſo, intra poros cutis aggeſto procedens, & inde ut diſcutiatur, ob pruritum inſignem, ſcalpendi neceſſitatem inducens.

Ut morbi hujus cauſas, & ſymptomatum rationem ritè inveſtigemus, paulò altiùs de materie ψωρώδει cauſa ejus conjuncta inquiremus, nimirum ut innoteſcat, cujuſmodi ſit humor iſte intra cutim aggeſtus, quo pacto illic aut generatur, aut aliunde adveniat, dein quibus poris aut loculis contineatur, & quomodo foras erumpere nitens pruritum adeo moleſtum creat.

Itaque circa hujus morbi ortum ut non cum veteribus jecori, vel lieni, culpam nimium imputemus; materies ejus non eſſe quilibet humor ſingularis, è quatuor vulgo ſuppoſitis, viz. non pituita, nec bilis flava, vel atra, nec etiam ipſe ſanguis per ſe extravaſari aptus, porro nec illa è duobus vel pluribus horum ſimul mixtis conſtare videtur: enimvero ut dentur tales humores, ex iis tamen ſi morbus hic ſemper conſtet, non ita facile per merum & leve contagium ſuſcipi, ſitu vitri ſolo curari poſſit. Quamobrem potius opinari fas ſit, materiem morbificam eſſe humorem lymphicum, in glandulis cutaneis conſtanter, reſidem attamen ab indole ſua genuina, ſcilicet ſalino volatili in acidam aut aliàs vitioſam degenerem. Enimvero cùm huic ita depravato, & perpetim evaporanti, ſupplementa continua à ſanguine adveniant, latices iſti, vetus & recens, non facile congruunt, aut uniuntur, at ſalium diſſimilium ritu mutuò efferveſcentes, in materiem recrementitiam coagulantur, quæ poros cutis implens ac diſtendens, ubique paſſim in tumores attollit, inſuper ſanguinem in tranſitu nonnihil impedit, & extravaſari cogit. Hinc puſtulæ crebræ excitantur, & quatenus materies iſta in ichorem faceſſens, à ſero & ſanguine ſubſequentibus uſque prorſum, & foras urgetur in moleculas aſſurgunt, dein ſpiritus animales fibras nerveas, ut ichoris iſtius excretionem promoveant, inordinate ſubeuntes, moleſti pruritus ſenſum, efficiunt.

Profectò humorem quendam lymphicum in glandulis cutaneis, quæ ſingulis foraminibus ſudatoriis ſubjacent, propter uſus quoſdam recondi, quin &, juxta copiam, & moram ejus diverſimodam, glandulas has plus aut minus turgidas exiſtere, inſpectio microſcopica planiſſimè detegit. Latex iſte à ſanguine per arterias in glandulis hiſce deponitur, nempe ut ſarcinula hac exuta, facilius iſte per venas redeat, interim illic repoſitus, ſuos uſus habet, ſcilicet imprimis papillas miliares, quæ cum fibrillis ſuis nerveis ſubſtratæ proprium tactûs ſenſorium ſunt, continuè madefaciens, ab ariditate qua ſenſatio impeditur, præſervat; inſuper idem effluvia aduſta à ſanguine accenſo perpetim decedentia, juxta cutis tranſitum humiditate quadam imbuit, & halituoſa reddit; dumque adeò laticis hujus pars cum ſanguinis effluviis continuè evaporat, impendia iſta per lympham uſque recentem à ſanguine arterioſo (uti dictum eſt) jugi exutam, reparantur.

Attamen ſuæ cutaneæ regionis œconomia non ita regulariter uſque ſervatur, quin humor iſte glanduloſus, ab indole & functione ſua deſciſcens, non modò in cute, ſed interdum in toto corpore affectiones præternaturales diverſimodas excitabit. Hic lenteſcens, inque loculis pertinaciùs hærens, diapnoen obſtruit; ab eo nimis ubertim foras exundante ſudatio immodica, ab eodem intus reſtagnante diureſis debito copioſior procedunt. Porrò ad ſcabiem, & eruptiones puſtuloſas quod ſpectat, humor iſte cum pluribus, ita potiſſimum tribus hiſce modis depravari, proindeque diatheſin cum ſero à ſanguine recens affuſo coagulativam inire ſolet, viz. Primò ipſe ſanguis valdè impurus, ſimulque diſſolutus, corruptelas & recrementa ſua ubertim in glandulis cutaneis relinquit, quæ ibidem fermenti magis corruptivi naturam induentia, cum ſuccis aliis adventitiis, aut pertranſeuntibus efferveſcunt; & varie coagulantur, adeòque non ſolum affectus ψωρώδεις verùm & leproſos diverſimodos pariunt. Hinc piſcium cruſtatorum, quin etiam aliorum, & quadrupedum, ſalitorum, & ſole aut fumo induratorum comeſtio crebra & aſſidua, item potus incongrui, &c. pharmaca venenata, aſſumpta, eruptiones cutaneas paſſim, & non raro, horrendas cient.

Secundò humor glandulis cutaneis aggeſtus, interdum mera ſtagnatione non tantùm ψωρώδης ſed etiã frequenter φθειρώδης evadit; quare non tantum diu incarcerati, ſed etiam qui vitam ſedentariam agentes ſqualori inſuper, & pædori aſſuefiunt prædictis affectibus obnoxii degunt; quatenus nempe latex cutaneus minimè eventilatus, liquorum putreſcentium ritu, mera ſtagnatione corrumpitur, adeoque fermenti φθαρτικȣ̃ indolem adipiſcitur, cui inſuper à ſanguine perinde etiam depravato putredinis complementa accedunt.

Tertiò ſi forſan hæ cauſæ defuerint, ut cutis humor glanduloſus nec à ſanguinis vitio, nec propria ſtagnatione labem ullam contrahat, attamen miaſma

virulentum

virulentum ab extra communicatum, cum quoad morbos iſtos nihilominus prolificum reddit. Ex obſervatione maxime vulgari hoc liquido conſtat, in quantùm maximè ſani, & conſtitutione optima præditi, vix unquam in eodem lecto ubi ſcabioſus ſimul decumbit, aut nuper decubuit, impunè dormiunt: nec ita tantùm, quin & ſcabioſorum ſudaria aliis in eodem lavacro lotis, ejuſdem affectus ſæpe contagium impertiunt. Nullius certe morbi labes (peſte tantum excepta) faciliùs, aut certius quam pſoræ propagatur.

Quod ſi hujus ratio inquiratur, ſtatim occurrit, liquorum miaſmatis ψωρῶδες ſuſceptivum, ad illud maxime exponi, & facillime diſponi; ad utrumq; certe multo promptius quam aut ſanguinem, aut ſuccum nerveum. Enimverò cutis latex glanduloſus, in extima corporis ſuperficie ſcatens; atomos quaſcunque per foramina & meatus ubiq; patentes intromiſſas primò imbibit, & à ſanguine anticipat. Porrò quod iſte à contagio ſcabioſo tam cito inficiatur, faciunt tum fermenti communicati activitas, tum liquoris glanduloſi ad degenerandum eo modo proclivitas. Enimverò effluvia à cutis ſcabioſę efflorеſcentiis decidua, ſatis apte comparantur cereviſiæ floribus, ſummitatem ejus quaſi pellicula extrema occupantibus; quorum ſi portio perquam minima inde dempta alteri cereviſiæ novellæ infermentatæ committatur, totam illico maſſam quantumvis magnam fermentat; ac in liquoris unde adimitur indolem commutat. Magna certe energeia eſt, quam particulæ, utcunq; minimæ ac paucæ, ad ſummam activitatem evectæ præſtare valent, præſertim verò ſi in liquorem (cujuſmodi eſt cutaneus) è particulis ſubtilibus cujuſq; generis, tum à ſanguine tum à ſucco nerveo delibatis, conflatum, proindeq; citiſſimè fermentari aptum inciderint. Ubicunq; igitur miaſmatis prædicti effluvia, corporis ſani parti cuivis externæ impingentur, imprimis humorem cutaneum tantum illic loci conſitum inficient, deinde vero hujus ita infecti particulæ, à ſanguine venoſo ſuſceptæ, & mox arterioſo traditæ, per totum corporis habitum diffunditur, adeoq; brevi humoris iſtius totam maſſam coinquinant, & ψωριάσιν efficiunt.

Ex his de Pſoræ cauſis tum conjunctis, tum procatarcticis explicatis, Symptomatis primarii, ſc. eruptionis puſtuloſæ, ratio ſatis liquet. Quoad alterum vero, ſc. pruritum cum ſit, ſenſio moleſta, ut ratio ejus formalis innoteſcat, conſiderare oportet, ad quod ſenſorium proprie ſpectat, & cujuſmodi ejus affectio ſive paſſio fuerit.

Circa hæc, primo certum eſt pruritum ad ſenſum *Tactus* pertinere, atq; hujus inſtrumenta primaria eſſe papellas miliares earumq; fibrillas per totam cutim diſperſas ſupra oſtendimus. Inſuper hoc ſenſu fibræ omnes nerveæ ubiq: per totum corpus diffuſæ donantur. Attamen cum *Tactus* duæ ſint paſſiones ſupremæ, & quaſi genericæ, ſc. *Dolor*, & *Voluptas*, merito ambigitur, cuinam ex his *Pruritus* referri debeat. Pro cujus ſolutione oſtendere oportet, quo ritu ſpiritus animales Tactûs ſenſorium incolentes afficiuntur in *dolore*, quomodo item in *voluptate*: deinde eorundem geſtu etiam circa *pruritum* deſignato, facile conſtabit, cujus ditionis hæc paſſio fuerit, & in quibus ejus natura, & fiendi modus conſiſtunt. Hæc quamvis in digreſſu ſi plenius & forſan ad tædium uſque exponam, ignoſcat lector, quoniam Ætiologia hæc ad affectus pleroſque externos tum dignoſcendos, tum curandos perquam neceſſaria videtur. Dolor à Triſtitia diſtinctus, & ad Tactum pertinens, definiri ſolet, *ſenſio moleſta à continui ſolutione procedens*. Et quidem exoritur iſte, quoties, & quatenus ſenſibile incongruum, aut improportionatum, ſenſorio iſti applicatum, fibras ab invicem dividit & divellit, proindeq; ſpiritus animales in iis hoſpitantes à ſolita & placida emanatione ſua repellens, ab invicem diſtrahit & quaſi in fugam vertit; dein propterea ſtatim, quatenus iſte ſpirituum exterior repulſus, continuata aliorum ſerie ad πρῶτον αἰσθητήριον communicatur; ſpiritus illic degenres in parem confuſionem ciet, doloris, ſive moleſtiæ exterius inflictæ, perceptio efficitur. Revera tota ſpirituum animalium quæ dolore afficiuntur ſeries, quaſi animæ ſenſitivæ membrum quoddam ſingulare, ab objecti impreſſione velut anxietatem concipiens, cum moleſtia corrugari, inque dimenſionem minorem ſeſe contrahere cogitur.

Cum ſolutio continui doloris cauſa ſtatuitur, non ita intelligendum eſt, ac ſi affectio hæc tantum à vulnere, aut plaga corpori inflicta cieretur, namque eadem à frigore, calore, flatibus, è ſanguinis aliorumque humorum extravaſatione, aut alicubi aggeſtione, ſæpe membri conformatione adhuc integra manente, paſſim induci ſolet; in quibus caſibus licet continui partes, ac imprimis fibræ & filamenta nervea, minime præſcindantur, iſta tamen in omni doloris affectu, aut ab objecti preſſione, aut à particulis alienis cuneorum inſtar adactis, à ſolita poſitione divelluntur, inque tenſionem nimiam, aut diſtorſionem, aut divulſionem adiguntur; proindeque ſpiritus incolæ, à mutuis amplexibus divulſi, & diſſipati, gravate hebent & moleſtiæ ſive doloris paſſionem ineunt.

Dolori opponitur voluptas, eſtque ſenſionis modus iſti plane contrarius: qui nempe oritur, quatenus blando mulcimine ſupra ſenſorium facto; ſpiritus illic confluunt, & mox denſius conglobati, & delectatione quadam perfuſi, in organo quaſi exultant & conjubilant: dein quatenus ſpiritus intra corpora ſtriata inſimul parem ovationem ineunt, voluptatis perceptio accietur.

Maxima voluptas quæ Tactui affertur, in eo conſiſtit, ut doloris cauſa amota partes ab ea prius affectæ temperiem & conformationem priſtinam recuperent; ita namque ſpiritus animales prius fugati, & ab invicem diperſi, ſe recolligunt, & ad loca quibus exularunt, copiis duplicatis irruentes, quaſi ad ovandum ſe accingunt. Hinc Peripatetici voluptatis rationem formalem ſolummodo in moleſti cujuſdam remotione poſuerunt; uti cùm frigoris, aut caloris exceſſus, à ſtatu oppoſito, & magis congruo excipitur. Profecto objectum tangibile (ſiquidem hoc craſſum uſq; ac hebes fuerit) vix aliud (ἀφροδίσια ſi exceperis) ſpiritus animales ad ſenſorium conglobatim allectat, niſi quod eorum confuſioni præcedenti ſuccurrit.

Ex his circa paſſiones iſtas deſignatis, facile conſtat, *pruritum* quoad rationem ejus formalem plene & perfecte, nec dolorem eſſe, nec voluptatem, verum imperfecte, & inchoative, de utroque ſtatu participare: Enimverò materies ψωρώδης intra cutis poros aggeſta, & pluribus in locis continui ſolutiones faciens verſus dolorem inclinat: attamen cùm illa ſit volatica, mobilis, & verſus exitum properat, idcirco ſpiritus animales è fibris etiamſi divulſis non fugantur, nec cum moleſtiæ ſenſu retrovertuntur, verum è contra, quaſi humore infeſto ſe potiores, eique ejiciendo pares ſentirent, intra fibras cutaneas denſius, ſe inordinatim agglomerati, eas varie convellunt, & deducunt, quo citius materiem morbificam excutiant, & foras depellant. Quapropter quatenus ſpiritus animales minime fugati, aut repulſi, ſed extrorſum conglobatim in tactus organa confluentes, ibidem ἀτάκτως & tumultuarie ſe gerunt, atque fibras ſenſiles velut, titillando, in leves ſpaſmos cient, non voluptas, verum ſenſio moleſta, quæ item nec dolor eſt, ſed paſſio

ab eo plane diverſa exoritur. Quamprimum autem fricando aut ſcalpendo, ſpirituum copiæ ubique circa ſenſorium aggregatæ melius diſponi, ac quaſi in ordinem redigi incipiunt, maximæ exinde voluptatis perſenſio inducitur. Quare pruritus medius quidam inter doloris & voluptatis initia ſtatus, ſive ſpirituum ab illius rudimentis verſus hujus complementum tranſitus videtur. Verum à Phyſiologia hac parerga, ad pathologiam noſtram revertamus. Ex ſupra dictis facile erit morbi hujus differentias colligere.

Primò igitur Pſora quoad originem ſuam, aut per contagium accipitur, aut propter malam victus rationem, incendiculum & fomes ejus à chylo, & ſanguine vitioſis communicatur; vel ob pædorem & tranſpirationis defectum in ipſa cute generantur: quibus addere licet, infantes quandoque hanc labem à parentibus hæreditario contractam nanciſci.

Secundò eruptiones cutaneæ quoad formam ſuam, juxta diverſimodas affectorum conſtitutiones variant: nam in quibuſdam temperamenti ſiccioris bilioſi aut melancholici, ſcabies tantum ſicca, & quatenus ob ſeri defectum minus evaporat, cum pruritu non adeo moleſto excitatur: in aliis verò temperamento humidiori, & ſanguine impuriori præditis, exanthemata plurima ichore imbuta, & ſumme prurientia, ad ſcalpendum valde irritant, & propter ulcera inde concitata, pruritus ſubinde in dolorem commutatur.

Quoad *prognoſin*, licet hic morbus ex ſe nunquam exitialis, aut valde periculoſus, & curatu ſemper facilis exiſtit: attamen ſæpe malum eventum habet; in quantum ſcil. diu continuatus, & ſanguinem & liquorem nerveum ſumme depravat, atque ab eo confeſtim ſanato, propter materiem, dum poris excutitur, intus ſuſceptam, præcordiis & cerebro, aliiſve partibus nobilibus labes pernicioſa infertur.

Maximum à ſcabie periculum pueris & cachecticis imminet; utpote in quibus utriſque, labes ab humore cutaneo partibus nobilibus facilius imprimitur, quæ deinceps cum lues exterior ψωρώδης deletur, intus manens, non niſi larga pharmacia, (cujus neuter capax aut patiens eſt) penitus expugnari poteſt; quapropter tales omni cura & diligentia adhibita, à ſcabiei tanquam à peſtis contagio præſervari debent.

Circa ſcabiei ſive Pſoræ *curationem* duæ occurrunt primariæ indicationes, ac utraque duplex, viz. prima *curatoria* hæc duo reſpicit, ut humor glanduloſus (fermento ejus corruptivo penitus extincto) ad debitam craſin reducatur. Secundo dein, ut ipſius cutis pori & meatus, concretionibus ichoroſis liberati, conformationem priſtinam ſeu εὔπορον recuperent.

Indicatio ſecunda *præſervatoria* hæc duo præcavet, ſc. primo, ne Pſoræ impuritates & miaſmata corruptiva è cute (dum fermentum expugnatur) excuſſa, in ſanguinem ac liquorem nerveum regurgitent, iiſque non tantùm dyſcraſias, ſed inſuper (ut ſæpe aſſolet) cerebro aut præcordiis noxam graviorem inferant. Secundo item navetur opera; ut humorum & partium nobilium labes à materie ψωρώδει prius contractæ, dum cutis vitia emendantur, eradicari poſſint.

Omnes hæ medendi intentiones, per remedia tum interna, tum externa ſimul uſurpata, unà complicari, aut ſaltem intercalari debent; nempe ut materies morbifica loculis ſuis excuſſa, in nullas uſpiam latebras ſecedere, & deliteſcere queat, quin ex omni parte: intus & foras per medicamenta, impetita in totum amoveatur; itaq; purgantia hanc medendi methodum inchoare ſemper & finire debent. Quamquam Helmontius pharmaciam catharticam cum magna pompa exagitat & quaſi triumphatam ducit, quia per ſe ſcabiem non curat, aſthmate tamen licet ſ, morbum hunc ſine medicina iſta, vix unquam facile, nunquam verò tutò ſanari. Porrò *Phlebotomia*, niſi aliquod contradicat, mox ab initio celebretur; inſuper his *alterantia* quæ ſanguinem purificant, & viſcera corroborant, ac contra ψωρώδεις incurſus muniunt, vices ſuas habeant; atque interea linimenta, aut Balnea, aut alius generis remedia Topica, & propriè cutanea adhibeantur: utpote ſine quibus non tantum Cathartica, & Phlebotomia, ſed & Diaphoretica, imò remedia quæcunq; ſanguinem ac humores evacuantia aut alterantia, incaſſum cedunt. Medicamentorum cujuſq; generis modò recenſitorum, formulas quaſdam ſelectiores ſubdemus. Et primo ad Catharſin rite moliendam, detur ab initio pharmacum purgans, aut emeticum; item poſt Phlebotomiam (ſi opus fuerit) celebratam, Apozema, vel cereviſia, cathartica, ſumatur per 7. vel 8. dies.

℞. Electuarii diacarthami ʒiij. ſpec. diaturbith. cum Rhabarbaro ʒj. cremotis Tartari, ſalis abſinthii, ana ℈ß. Syrupi de pomis purgant. q. ſ. f. bolus ſumend. cum regimine. Vel.

℞. Sulphuris Antimonii gr. VII. Scammonii ſulphurati gr. VIII. cremoris Tartari ℈ß. f. pulvis.

℞. Radic. polypodii qu. lapathi acuti præpar. ana ℥j. foliorum ſennæ ʒx. Turbith, Agarici, Epithymi, ana ℥j. ſem. Carthami ℥ß. ſantali citrini ʒij. ſem. aniſi, carvi, ana ʒij. inciſa & contuſa digerantur clauſe & calide in vini albi ℔ IV. per XXIV. horas, liquor clarus effundatur, ſine expreſſione, doſis ℥VI. per ſe, vel cum cochl. j. Syrupi ex Epithymo.

Vel. ℞. Ingredientia prædicta, & coquantur in aqu. font. ℔ VI. ad medietatem, dein adde vini albi ℔j. & ſtatim coletur. f. Apozema, detur eodem modo.

Vel, ℞. Radic. Polypodii qu. lapathi acuti, ana ℥iij. ſennæ opt. ℥IV. Epithymi, Turbith, Mechoac. ana ℥ij. ſantali citrini ℥j. ſem. coriandri ʒVI. ſ. a. præparentur. f. ſacculus pro IV. congiis cereviſiæ, poſt V. vel VI. dies hauriatur, & ſumatur ad ℥XII. plus, aut minus, omni mane per VIII. vel X. dies.

Pro potu ordinario doliolum IV. congiorum impleatur cervíſia tenui, cui imponatur ſacculus ſequens.

℞. Summitatum Tamariſci, fumariæ ſiccat. ana M. IV. Radic. lapathi acut. ſiccat. ℥VI. corticis ſolani lignoſi ℥ij. inciſa & contuſa, miſce. Vel, ſumatur Bochetum ex decoct. ſarſa paril. ſantalo, cum raſur. eboris C. cervi, liquiritiæ, &c.

II. Ad remedia alterantia quod ſpectat, præter cereviſiam medicatam pro potu ordinario, non multis aliis opus videtur, ſed tantum ut recta victus ratio obſervetur, vitando cibos ſalitos & piperatos, piſces cruſtatos, alioſq; muria conditos; etiam à vino, aquis ardentibus, cereviſia fortiori, & à liquoribus quibuſque ſanguinem incitare nimis ac fermentare aptis temperetur. In pſora contumaci & corpus cacochymicum occupante, expediet electuarium ſequens cum aqua deſtillata bis in die exhibere.

℞. Conſerv. fumariæ, radic. lapathi acuti, ana ℥iij. Trochiſc. de Rhabarbaro, ſpecierum diatrion ſantal. ana ʒIß. ſalis abſinthii, ʒj. Vitrioli Martis ℈IV. cum ſ. q. Syrupi è cichoreo cum Rhabarbaro, f. Electuarium, doſis ʒj ad ʒij. bis in die ſuperbibendo aqu. deſtillat. ſequentis ℥IV.

℞. Summitatum Abietis M. VI. fol. fumariæ, Agrimoniæ, Elatines, Epaticæ, Becabung. ana M. IV. Radic. lapathi acuti lb ij. corticis ſambuci M. ij. cortices exteriores VI. Aurantiorum. Inciſis, & contuſis affunde ſeri lactis cum cereviſia media facti ℔ VIII. deſtill. organis communibus, liquor totus miſceatur.

II. Unguenta

II. Unguenta cuti illinenda communiſſime, & efficaciſſime, pro ſcabie curanda præſcribi ſolent; attamen quæ aliis pleriſque tumoribus, aut ulceribus adhibentur, minime hic juvant; verum *Sulphur*, ejuſque præparata, in hoc morbo virtutem quandam ſpecificam habere videntur, adeo ut linimenta fere omnia ψωρώδης ingrediuntur, & totius compoſitionis baſis ſunt. Receptum apud vulgus maxime tritum eſt hoc.

℞. Pulveris, aut flor. ſulphuris ℥ſs. Butyri non ſaliti ℥iv. Zinzib. pulv. ʒß. f. linimentum.

Paulo elegantius, etſi non multum efficacius ad hunc modum præſcribitur.

℞. Unguenti roſacei ℥iv Sulph. vivi pulv. ℥ß. olei Tartari per deliquium q. ſ. f. linimentum, cui odoris gratia adde olei Rhodii.

Si quando ſulphuris energeia aliorum adjectorum virtute corroborari, aut intendi debet.

℞. Unguenti enulati ſine Mercurio ℥iv. Pulv. ſulphuris ʒſs. olei Tartari per deliquium q. ſ. In eundem finem unguent. ex radic. Oxylapati in butyro, vel oleo, cum vino albo ad vini conſumptionem coctis, cum ſulphure & oleo Tartari componitur. Porrò unguenta iſta interdum per ſe, curioſioribus tetrum ſulphuris odorem abhorrentibus ſæpe cum fructu uſurpantur.

3. Tertium linimenti ἀντιψωρώδες genus fit ex Mercurio, nullo præterea ſulphuris, aut vegetabilium ſatellitio indigens. Quin ex ſe hoc nimis efficax, non toti corpori, ſed brachiorum, & crurum ſolummodo juncturis applicari; aut cingulo incluſum circa lumbos geſtari ſolet: ita namque de ſcabie curanda ſpes fere nunquam deficit. Attamen periculum eſt ne praxis hæc (uti ſæpe aſſolet) ſymptomata mala, & pernicioſa inducat; nam è litu Mercuriali ſalivatio frequenter, quandoque item ſcotomia, vel affectus ſoporoſi, aut convulſivi ſuccedunt. Porrò nonnunquam Pharmaci virus intra præcordia, aut viſcera, horrendos *Aſthmatis, leipothymias, aut dyſenteriæ* affectus producit.

Unguenti Mercurialis ad pruritum formula vulgaris, & maxime uſitata hæc eſt.

℞. Hydrargyri cum acido in minutias reducti ac (ut dici ſolet) extincti ℥ i ß. pinguedinis porcinæ recentis ℥vi. incorporentur optime, diu terendo in Mortario lapideo, aut vitreo.

Nec tantum ſub forma linimenti, ſed & pluribus aliis modis prædicta medicamenta uſurpari ſolent. Nam Cinnabaris (quod ex Mercurio cum ſulphure paratur) carbonibus injecti fumus ore exceptus, aut corporis ſuperficiem feriens, Pſoram curat. Aq. Mercurialis coſmetica ſuperius deſcripta ſubduplo imbecillior, ſicuti in locis maxime ulceratis cum petia applicatur, ſcabiem omnem tollit. Attamem horum uſus non uſque adeo tutus eſt, ut paſſim omnibus adhibeantur.

Ex ſulphure, ac vegetabilibus, vel ſeorſim utriuſque ſc. per ſe vel conjunctim, aqua incoctis Balnea parantur, quæ non lavacri communis ritu, cutis tantum ſordes eluendo, ſed & fermentum ejus deſtruendo, morbum hunc ſanant. Inſuper his, reſtat adhuc alius facilior, & multo elegantior pruritus ſanandi modus, nempe ut camiſia aquæ fontanæ cum ſulphure pulveriſato incocta, & per ſolem, vel ignem exiccata, ſuper nudum corpus per quatuor vel quinq; dies geſtetur; ita namque morbus iſte ſine balneatione, aut litus ſqualore, aut malo odore, curari ſolet.

Quod ſi horum Ætiologia inquiritur, & imprimis quare ſulphur adeò ſpecificum Pſoræ Antidotum ſit, ut pauperes & plebeii (quibus alia pharmacia utendi deeſt copia) contra affectum iſtum tantummodo ſulphuris pulverem cum lacte intus ſumunt, & cum butyro exterius adhibent: dico hujus rationem ſuperius, ubi ſulphuris virtutem erga pulmones Balſamicam explicavimus, ex parte oſtendi. Illud nimirum in utroque caſu prodeſt, quatenus ſanguinis, & humorum aciditates, ac aſperitates quaſvis exoticas, & corruptivas deſtruit, ac unicuique latici indolem benignam, ſcil. mollem & quaſi oleoſam reſtituit: atque ita ſulphuris particulæ quoquo modo exterius applicatæ, cutis poros facile ſubeunt, atq; intus admiſſæ protenus in ichorem ulceroſum illic ſcatentem agunt, ſales ibi præpollentes mortificant, & latici cutaneo naturam Balſamicam, deinceps ut bene congruat cum ſanguine & ſero continue affluis, conciliant.

Quoad *Mercurium*, nihil mirum eſt ſi medicamina ex eo parata, cutis loca, ubicunque applicentur, ψωρώδη perſanant, ſiquidem hac applicatione exanthemata, & ulcera quævis cacoethea, ſc. venerea, & ſcorbutica quæq; perdomari ſolent. Porrò nec res ſtupenda eſt quod Pharmaca hæc privatis quibuſdam locis adhibita, dummodo ſalivationem cient, pruritum univerſalem curant; at verò quod ſine ſputo talem effectum producant, uti cum zona hydrargyrum includens circa lumbos geſtata totius corporis ſcabiem tollit, idq; interdum ſine ulla evacuatione ſenſibili, aut noxa exinde concitata, hujus inquam ratio non ita facile patet.

Attamen pro hujus ſolutione dicendum videtur. Mercurii particulas, fermenti cujuſvis ψωρώδες extinctivas, cum privatæ cuipiam parti applicantur, illico iſtius loci ſcabiem tollere, eaſq; inſuper à ſanguine venoſo ſuſceptas, per totam hujus maſſam diffundi; & paulo poſtea per ſanguinem arterioſum non ſolum in eundem ubi ſuſcipiantur locum regeri, ſed quaqua verſus extrorſum latas, ubiq; in totius corporis cute deponi, ibidemq; ſcabiei miaſma quodvis deſtruere: dein ſi forſan contigerit particulas haſce Mercuriales, poſt medelam peractam rurſus omnes cute evaporari, nulla deinceps ſalivatio, aliudq; incommodum ſequentur.

De Impetigine, ſive Lepra Græcorum.

Poſt *Scabiem* cum *Pruritu*, agendum ſequitur de affectu alio, huic ob puſtularum eruptiones nonnihil affini, qui communiter *Impetigo*, à quibuſdam *lichen* & *vitiligo*, atque ab aliis *Lepra Græcorum* appellatur. Hic uti diverſa ſortitur nomina, ita eadem ab Authoribus varie applicantur, & ab iis morbi ſpeciem unam, ab illis aliam deſignare perhibentur. Quare cum affectus hujus appellationes varie confundantur, & forſan quoad naturam, & rationem ejus formalem in diverſis regionibus diverſimode habuerit, neque prorſus idem ſit in noſtro hoc ſeculo ac fuit olim; idcircò non ex libris, ſed ex propria Ægrotantium obſervatione morbum hunc deſcribere ſatagam.

Impetigo ad hunc modum exoriri, & afficere ſolet, viz. imprimis papillæ, ſive puſtulæ rubræ modò ſingulares, modo plures congeſtæ, in variis corporis partibus, præſertim vero in brachiis aut cruribus excitantur; quibus ſingulis (morbo incrementum ſumente) undiq; novæ adjunguntur, & brevi ejuſmodi molecularum plures velut aggeries, ſive corymbi fiunt. Etenim papillæ juxta unamq; ſtirpem, primo indies erumpentes, & latius uſque ſerpentes, ſeſe in orbem diffundunt; adeoq; exanthematum aggeries quaſque ampliari faciunt. Cujuſque harum ſuperficies aſpera, & nonnihil albida, & ſquamoſa apparet, unde, ſi ſcalpatur, ſquamæ decidunt, & ichor ſæpe tenuis exudat, qui tamen mox excitatus, in ſquamam rurſus cruſtaceam indureſcit.

Hi papillarum corymbi primo exigui, & pauciores exiſtunt; in brachio, aut crure, aliove membro ſingulari, tres forſan, aut quatuor ad magnitudinem denarii, aut ſemidrachmæ apparent: poſtea vero, ſi morbus creſcere ſinatur; crebriores ubiq; erumpunt, quæ quidem quoad areas ſenſim auctæ, poſtea coronam argenteam æquant aut ſuperant, verum non ſemper rotundæ, aut figuræ regularis, ſed varii formes exiſtunt. Porrò in hoc ſtatu non ſiſtitur, ſed affectus niſi per medicinam cohibeatur; in pluribus uſq; locis ebulliens, & latius ubique ſerpens, tandem haud ſolum membra integra, ſed & totum corpus vitiligine leproſa obducet: atq; hanc impetiginis ſpeciem, ſive gradum potius ſummum veteres propter efferationem ejus ἄγριαν appellarunt, & plerumq; incurabilem cenſuerunt.

Hinc morbi hujus differentiæ præcipuæ innoteſcunt; & imprimis, quoad morem ejus plus aut minus malignum, diſtinguitur, juxta quod propius ad ſcabiei, aut Lepræ naturam accedit, vel ſtatu medio ſe habeat. Inſuper notare eſt, affectum hunc quandoque membra quædam ſingularia, uti brachia forſan aut crura, corporis reliqui partibus intactis, infeſtare, interdum verò in iis omnibus ſimul incipere & ubique ſparſim papillas, aut earum corymbos excitare. Porrò hujuſmodi eruptiones in quibuſdam temporariæ, adeoq; diverſimodæ exiſtunt; namq; in his ferè tantum in hyeme infeſtant, circa æſtatem evaneſcentes, item è contra in aliis quaſi Brumam horreant, hirundinis adventum & exitum obſervare ſolent: in aliis verò plerique hic morbus continuus, nullas inducias concedit, imò nullam remiſſionem, vel mediocritatem habet.

Porrò impetiginem, à morbis aliis affinibus, atque imprimis à ſcabie, & lepra diſtinguere oportet. A priori differt, quoad puſtularum formas: namque in Pſora ubique ferè ſingulares, & ſpatiis licet exiguis, ab invicem remotæ exiſtunt, hîc plures conglobatim, & quaſi per racemos magnis intervallis ſejunctos erumpunt. Verùm inter hos affectus, diſcrimen maximum inde naſcitur, quod ſcabies per contagium facillime & vix aliter exoriri aut propagari ſoleat, impetiginis verò infectio tam rara, aut nulla eſt, ut miaſma à viro uxorem, aut ab hoc illum aſſidue concumbentibus, minime tranſeat.

Hic morbus etiam à lepra diſcriminatur, tum quoad eruptionis formam, tum reſpectu contagii, quod in hac pariter activum eſt, ac in Pſora, ipſaq; ἐξάνθησις multo immanior, & horrenda eſt, viz. cruſtacea, & ſquamoſa, ubique continua, & per totum corpus diffuſa.

Hinc conſtat impetiginis cauſam materialem, non eſſe humorem mere cutaneum propter miaſma ab extus ſuſceptum, aut ob alias occaſiones depravatum & à craſi ſua degenerem; quia nimirum, non uti in Pſora per contagium facile aliis communicatur, neque ſtatim per totum corpus diſpergitur. At verò puſtulæ circa morbi initia primo erumpentes, inde procedere videntur, quod in maſſa ſanguinea concretiones quædam acidoſalinæ (inſtar Tartari in vino) contingunt, quæ cum ſubigi, aut rurſus diſſolvi nequeant, hîc in cutim, quemadmodum illic in dolii parietes, depelluntur. Hujuſmodi concretiones donec parvæ ac pauciores fuerint, in membro forſan uno, aut altero, perque unicum aut alterum forſan arteriæ ramum in cutim convehuntur; dein quatenus natura, eundem quem cœpit, excretionis modum continuare ſolet, materies per eadem vaſa ad eoſdem ubique nidos advecta, juxta puſtulas primas, aliarum circumcirca conſitarum aggeries facit; poſtea verò cum ſanguinis dyſcraſia, indies aucta, materies iſta Tartarea intra maſſam ejus uberius progignitur, plures ejus portiones per arterias alias, & ſubinde alias exterius convehuntur; & propterea puſtulæ etiam plures, tum in aliis membris erumpunt quas nova materies per eaſdem arterias continue accedens, & juxta poſita, puſtularum aliarum adjectione indies ampliat ac undique dilatat; & demum ſi hujuſmodi ſanguinis Tartarus in immenſum accreſcat, per plurimas, aut ſimul omnes arterias extra delatus, in cute defigetur, & proceſſu temporis ſuperficiem ejus omnem incruſtatione ſquamoſa, aut plane leproſa obducet: atque tunc humor ipſe cutaneus per totum corruptus, in morbi partes cedet; namque hic ſanguinem & humores, dum inter circulandum pertranſeunt, magis inquinando, ſeu potius venenando materiæ morbificæ penum augeri faciet, quin etiam effluvia ζυμώδη ſive corruptiva à ſe dimittens, ejuſdem morbi contagium aliis tradet.

Itaque affectus hujuſce *cauſæ* tum *procatarcticæ*, tum *conjunctæ*, in eo conſiſtunt, quod imprimis abſque ullo cutis vitio, ſanguinem particulis ſalinis diverſimodi ſtatus ac indolis ſaturari contingit; (in cujus diatheſeos cauſas προηγουμένας mox inquiretur) atqui ſalia iſta præſertim ubi fixa ac acida præpollent, (uti eorum mos eſt) ſe mutuo prehendunt, adeoque in coagula quaſi Tartarea concreſcunt; quæ portiones in ſanguinem protuſæ, papillarum eruptiones, quaſi totidem morbi hujus nidos inchoant; dein illæ ſenſim juxta materiæ ſupplementa tum numero, tum magnitudine indies auctæ, morbi hujus incrementum, & ἀκμὴν producunt.

Ad cauſas προηγουμένας, & *evidentes* quod ſpectat; duo ſunt præcipua occaſionum genera, a quibus hic affectus plerumque originem ſumit; ſcil. mala victûs ratio, & morborum aliorum, uti imprimis *ſcorbuti* ac *luis venereæ* male, aut minime curatorum miaſmata in corpore relicta. Singulorum ex his rationes paulo expendamus.

Quoad prius, præter communes circa diætam inordinationes, quibus nonnulli carnium ſalitarum, & dein ſole, aut fumo induratarum eſui, ſimulque vinorum acidorum potui nimis dediti, hunc morbum facilè contrahunt, inſuper vulgaris obſervatio eſt, plures in eum à carnis porcinæ, & piſcium præcipuè cruſtatorum comeſtione nimis crebra, aut aſſidua diſponi. Prioris inſtantia ſatis notabilis eſt, quod potiſſimum in morbi hujus prophylaxin, cibus iſte Judæis interdicebatur: dein alterius exemplum eſt, quod olim in Anglia Cornubienſes, oram fere undique maritimam incolentes, quatenus ex iis pauperiores ferè tantum piſcibus veſcerentur, affectibus leproſis plurimum obnoxii fiebant; in tantum ut propter horum ſublevamen, multa in ea regione Noſocomia conderentur. Horum rationes ut paucis innuam, opinari ſubeſt utrumque cibum ſive quà rancidus, ſive alias improportionatus, ſanguini noſtro particulas non rite miſcibiles, aut facilè domabiles convehere, quibus ita heterogeneis, & dein longo talis diætæ uſu in magna copia aggeſtis, particulæ cujuſque generis ſalinæ ſe facilè aſſociant, adeoque coagula Tartarea in cutem exterminanda, & affectus impetiginoſi, aut leproſi ſeminia conſtituunt.

Attamen uberrima ejus ſeges, à ſcorbuti ac luis venereæ miaſmatis in corpore relictis, & demum quoad ſalium, ac ſulphuris efferatorum combinationes ad ἀκρότητας evectis progignitur. Morbi prioris, & ſpeciatim ſymptomatis prædictis eidem ἐπιγινομένε, rationes alibi explicavimus, quæ ad hypotheſin modò propoſitam

propoſitam accommodatæ magis eluceſcunt. Atque luis venereę inveteratę, imò interdum curari vitæ, ita paſſim accidit ejuſmodi eruptiones puſtuloſas ſupervenire, ut nullus ferè his affectus, morbi iſtius pudendi ſuſpicione careat; ſaltem medici, quoties in tali caſu conſulitur, prima ſtatim quæſtio eſt, annon patiens iſte labem veneream aliquando prius contraxerit; Enimverò ſanguinis corruptelæ, poſtquam diutinâ morâ heterogeneæ prorſus, ac indomabiles fiunt; tandem particulas ſalinas ſibi conſciſcunt, quibuſcum in coagula ejuſmodi Tartarea concreſcentes; ac in cutim protruſæ, exanthemata impetiginoſa producunt.

Quoad Prognoſin hic morbus, etſi mortem, aut imminens periculum rarò minatur, tamen poſtquam radices altius egit, curatio ejus perdifficilis aut nulla eſt: Impetigo primò incipiens, atque puſtulas earumque aggeries, in membro forſan uno aut altero pauciores excitans, quandoque Therapeiam, ſed vix ſine Pharmacô efficaciori procurandam admittit. Sin morbus eò proceſſerit, ut papillarum corymbi crebri, ac lati in toto corpore ſparſim appareant, tunc parva remedia nihil efficiunt, atque magna utcunque ſedulo obſervata curationem non facilè perficiunt. Quod ſi morbus, invitis quibuſque remediis, in dies in pejus evectus; tandem in affectionem quaſi leproſam accreſcet, pronunciat Celſus *hanc curari non poſſe, ideoque ab ea abſtinendum eſſe.*

Circa Impetiginis *Therapeiam* duæ ſunt primariæ Indicationes, ſcil. *præſervatoria*, quæ morbi cauſam, & *curatoria*, quæ ſymptoma; viz. eruptionem puſtuloſam reſpicit. *Vitalis* in hoc caſu niſi plane deplorato ubi ſomnus ac vires deficiunt, rarò locum habet. Medendi methodus ſemper incipere debet ab Indicatione præſervatoria, quæ morbi cauſas per remedia interna amovendas procurat, ſecus enim exteriora ferè nunquam (uti in Pſora) cum fructu adhibentur, attamen præſciſſis intra ſanguinem morbi radicibus, effloreſcentiæ cutaneæ cito emarceſcunt: propter iſtas verò tollendas, alia procedendum erit ratione; quando Impetigo per ſe incipit, & nonnihil diverſa, quando ſcorbuto inveterato, aut lui venereæ malæ, aut minimè curatæ ſupervenit, ſingulos hoſce caſus ſeorſim & diſtinctè perpendemus.

Quando igitur hic affectus ſimplex, & primarius, item adhuc recens fuerit, cauſæ evidentes & externæ amoveantur, mala victûs ratio, & aëris inſalubritas emendentur, itaque cibis ſalſioribus, & porcorum aut piſcium carnibus dudum ac nimis aſſueti, ad diætam εὔχυμον, & εὐπεπτον tranſeant, porrò oram maritimam, aut loca paludoſa incolentes, auram deinceps ſicciorem, & apricam hauriant, interea non minor potûs ratio habeatur, vitando cereviſiam craſſiorem, & fœculentiorem, atque vina tenuiora, & acida, Tartaro nimis referta: demum caveatur ne potus, vel edulia, parentur ex aquis mineralibus lapideſcere aptis.

2. Reſpectu cauſæ conjunctæ, & procatarcticæ, duæ ſunt præcipuæ medendi intentiones, nempe ut viſcerum, & humorum impuritates citò expurgentur, item ut ſanguis, & liquoris nervei dyſcraſiæ acidoſalinæ, (quo minùs in iis materies Tartarea progignatur) in melius reducantur, propter quos fines, medicamenta tum evacuantia diverſi generis, tum alterantia præſcribi ſolent. Attamen quia non omnia, ſed remedia ferè tantum magna hîc conveniunt, ideòque potiſſimum & maximè proficua deprehenduntur, ſunt *Cathartica, Phlebotomia, ſerum lactis, acidulæ chalybeatæ, herbarum expreſſiones ſucculentæ, decoctum ex lignis, medicamenta chalybeata, & ſalivatio*, cujuſque horum formulas quaſdam, ac utendi modos ſubdemus.

Imprimis itaque purgatione univerſali, & Phlebotomia; (quemadmodum in Pſoræ Therapeia) celebratis, *infuſio* ſive *Tinctura Cathartica*, ſequens inſtituatur, cujus doſis ℥vi. ad viii. intra 6. vel 7. dies repetenda.

℞. Radic. Oxylapathi ſiccat. polypodii qu. an. ℥ß. ſennæ ʒx. epithymi ʒvi. Rhabarb. Mechoacana ana ℥ß. ſantali citrini ʒij. ſpicæ celticæ ʒſs. ſalis Tartari ʒiß. ponantur in vitro cum vini albi lib. 3. Aq. florum ſambuci lib. 1. ſtent clauſæ in frigido per dies 3. dein in uſum depromantur effundendo quotidie q. ſ. liquoris clari.

Secundò ad ſanguinem edulcorandum, ejuſque ſales eluendos, ſerum lactis ſimplex, vel cum fumaria, Cichoraceis, & Oxylapatho infuſis bibatur omni mane ad lib. 2. vel 3. per dies 20 vel 30 ſi ſtomacho congruet, ſimulque veſperi, & mane primo ſumatur doſis Electuarii ſequentis.

℞. Conſerv. rad. lapathi acuti ℥vi. oculor. Cancri, Corallii præpar. ana ʒij. Eboris ʒj. Pulv. ligni Aloës, ſantal. Citrini, ana ʒiſs. ſalis prunel. ʒij. Vitrioli Martis ʒiſs. Syrup. è ſucco lujulæ q. ſ. f. Electuarium, doſis ʒij.

Tertio propter eandem rationem, qua ſerum lactis, etiam Acidulæ ferratæ, contra hunc morbum præſcribuntur, & non raro inſigniter juvant, quippe cùm cætera quævis medicamenta incaſſum ceſſere, cum his ſolis impetiginem gravem, & pene leproſam aliquoties curavi. Porrò his etiam majoris efficaciæ gratia, ſalis prunel. aut Vitrioli Martis, aut Electuarii modo deſcripti uſus commodè adjungatur.

Quartò in quibuſdam ſero nimio, & conſtitutione aquoſiori præditis, ubi ſeri lactis, aut acidularum potus minus convenit, nonnunquam expedit, decoctum ex lignis horis medicis, ac inſuper pro potu ordinario conſtanter ſumi.

℞. Raſ. ligni ſalicis, lib. ſ. radic. ſarſaparil. ℥viii. Santal. albi, ligni lentiſcin. ana ℥ij. raſur. Eboris, C. Cervi, ana ʒvi. Stanni, Antimonii crudi, ana ℥iv. in petia ligat. liquiritiæ ℥j. ſ. a. infund. & coquantur in aq. fontan. lib. 16. ad medietatem, colatura ſervetur ad uſum.

Quintò *Medicamenta Chalybeata*, quoniam inter remedia præſtantiora paſſim habentur, rarò in hoc morbo omitti; quamvis non ſæpius cum fructu exhiberi ſolent, pleraque enim ferri præparata, in quibus particulæ ſulphureæ præpollent, quatenus ſanguinem fermentant; inque efferveſcentias ἐκκριτικὰς cient; eruptiones impetiginoſas augeri potius quam diminui faciunt, attamen ſal, ſyrupus, Tinctura & infuſiones vitriolicæ; quatenus ſanguinem figunt, & ſalium efferationes nonnihil cohibent; medendi intentioni modo propoſitę ſatis aptè quadrant; ſed potentia minores contra morbum, adeo Herculeum minime valent.

Quamobrem, ſexto his & pleriſque aliis remediis nihil juvantibus, multi *Salivationem* quaſi Athletam fortiſſimum; ac tanto hoſti unice parem commendant. Attamen prægrandi huic exſpectationi eventus non ſemper reſpondet, fateor enim me hoc remedium in quatuor perſonis impetigine graviori, & medicamentis aliis obſtinata laborantibus, ſine commodo expertum fuiſſe. Quidam ex his per inunctionem ex hydrargyro, aliiſque per catapotia ex præcipitato ſolari, in ſputationem copioſiſſimam, quam per 20. circiter dies pertulerunt, ciebantur, quo temporis ſpatio elapſo, eruptiones

omnes ſquamoſæ, & papillarum Corymbi evanuerunt; nihilominus ad Therapeiam confirmandam potus diæteticus ex decocto ſarſæ, cum crebra ſudatione ſubtus cratem & debita purgatione interjecta, inſtitutus per menſem continuabatur: attamen hoc curſu finito, cùm nulla tunc impetiginis veſtigia relinqui viderentur, intra menſem alterum, nova ejuſdem morbi ſeges pullulare incipiens, brevi tempore ad ſolitam maturitatem accrevit. Porrò cùm unus ex iis hanc medicinam repetere, atque alter poſt duas morbi recidivas, eam vice tertia experiri voluit, uterque demum poſt immanes tot ærumnarum perpeſſiones, de curationis ſpe decidit: unde conſtat luem veneream, quamvis ſumme malignam, atque ulcera fœdiſſima & Cacoëthea carnes ac oſſa depaſcentia excitantem, multo facilius, certius quàm Impetiginem ſanari poſſe.

Cujus ratio ſi inquiratur, omnium erit concipere; poſterioris hujuſce Affectus cauſam, in miaſmate maligno, & prorſus heterogeneo, ſanguinem & liquorem nervoſum ad tempus quoddam inficiente, & quaſi veneNante, eorundem verò craſes non prorſus evertente, aut quoad futurum penitus depravante, conſiſtere; quapropter à ſalivatione, aut diæta ſudorifica, virus illud totum extirpantibus, atque ſuperſtite dein genuina ſanguinis & humorum indole, cura peragitur: verum in Impetigine graviori, ſanguinis particulæ elementares, & primitus conſtitutivæ corrumpuntur, adeo ut niſi harum craſis, & legitima diatheſis reſtituantur, evacuationes quæcunque, atque materiæ malignæ venenoſæ, aut heterogeneæ cujuſpiam expurgationes, ut ut copioſæ, & eradicativæ, parum aut nihil efficient. Quare non immerito plerique olim celebres medici, morbum hunc confirmatum, ac ad lepræ confinia evectum, vix ac ne vix curabilem cenſuerunt.

2. Hunc morbum ſcorbuto inveterato ſupervenientem eventus nequicquam melior attendit; forſan hinc medendi intentiones paulo certiores elicientur, quando hic affectus, iſtius baſis ſive radix ſupponitur; nempe ut Indicatione Therapeutica primaria inde ſumpta, remediis antiſcorbuticis potiſſimum inſiſtatur; verum hujus generis acria, & calidiora, uti *cochlearia*, *Naſturtia*, *Raphanus Silveſtris*, *piperitis* aliaque ſanguinem nimis incitantia, quatenus craſin ejus plus diſſolvunt, & coagula Tartarea ad cutim uberius propellunt, ſemper noxæ potius quam emolumento eſſe deprehenduntur; atque ob hanc rationem, *Thermarum uſus* ſive *balneatio* in aquis calidis, quæ ſiquidem per diaphoreſin copioſiſſimam totius corporis humores evacuat, atque cutis poros abſterget, ac ſummè mundificat, in hoc morbo valde proficua videatur, ſæpiſſimè in tantum à juvando abeſt, ut eruptiones exinde plurimum augeri, & exaſperari ſoleant: novi enim plures haud graviter impetiginoſos, Bathoniam, noſtram ad Balneandum in aquis calidis profectò, inde prorſus leproſos rediiſſe. Quapropter, ſi quando hic affectus ſymptoma ſcorbuto ἐπιγινόμενον exiſtit, acrioribus, & elaſticis quibuſque vitatis, temperatiora ſolum, atque *ſale nitroſo*, aut *vitriolico*, aut *volatili*, prædita exhibeantur Cujuſque horum generis ſpecies & formulas quaſdam proponemus; *ſale nitroſo* imprimis præpollent *Chryſtallum minerale*, *herbarum quarundam ſucci*, vel *decocta* & *acidulæ quædam* purgantes.

℞. Chryſtalli mineralis, ſive nitri ſumme purificat. ℥j. florum ſalis Armoniaci ʒj. ſimul terantur in mortario vitreo, detur ad ʒj ter aut quater ſpatio 24. horarum.

℞. Folior. ſedi majoris Mij. contuſa coq. in lactis recentis lib. iiſs. donec in ſerum, & coagulum vertatur, colatura facta, liquor clarus ſumatur ad lib. I. bis in die.

℞. Foliorum Taraxici Mvi. in maſſam contuſa ponantur in olla fictili vitreata cum operculo, quæ clibano poſt panes extractos indita, ſtet per horas 6. vel 8. dein maſſa in colum effuſa, liquor clarus effluat, cujus doſis ℥iv. ad vi. ter aut ſæpius in die.

Fructus Cucumeris virtute nitroſa præditus, & per experientiam contra hunc morbum utilis probatur; quare loco Acetarii, ubertim & ſæpe comedatur, porrò tres aut quatuor eorum in taleolas inciſi, aquæ fontanæ lib. 3. per noctem clauſæ infundantur, liquori claro effuſo, adde ſalis prunel. ʒij. vel iij. doſis lib. ſs. ter aut ſæpius in die. In eundem uſum etiam decocta ex foliis, unà cum fructibus in aq. fontan. facta conveniunt.

Acidulæ ſive aquæ quædam minerales Catharticæ, cujuſmodi imprimis ſunt iſtæ de *Morth Hall*, Analyſi per evaporationem facta, ſalem nitroſum quo imbuuntur manifeſto referunt, earumque potum per plures dies ad IV. circiter libras aſſiduum, contra impetiginem leviorem juvare, aliquoties comprobavi.

2. At vero *Acidulas ſale vitriolico* præditas, cujuſmodi ſunt *Spadenſes*, atque noſtrates *Tumbrigenſes*, tum *Aſtropenſes*, iſtis *nitroſis*, imò & quibuſque aliis medicamentis longè præſtare, & pro curanda impetigine, plus valere, ſuperius innui. Quibus, his utendi non datur opportunitas: aquas communes chalybe noſtro impræghatas, adeoque acidulas iſtas exactiſſime referentes, bono cum ſucceſſu, contra hunc morbum propinare ſoleo, Propter ſales minerales, aut ſaltem ob particulas in iis mercuriales, uſu venit, quod *ſtannum* & *Antimonium* pro curanda impetigine à multis prædicantur, & cum aliis remediis præſcribi ſolent. *Raſura ſtanni*, & *pulvis Antimonii* crudi in cereviſia pro potu ordinario infundantur: item decocta ex *ſarſa* cum lignis contra hunc affectum inſtituta ingrediuntur.

3. *Salis volatilis*, pro impetigine graviori, imò planè leproſa curanda, virtutem inſignem ſatis commendat *viperæ*, ejuſque præparatorum uſus. Hoc morbi iſtius Antidotum, experimento caſuali primo inventum fertur, quatenus nempe (uti Galenus refert) potus è lagena cui vipera imponebatur, ad quendam Elephantiaſi laborantem, venenandum, ipſumque adeò è miſeria ſua liberandum datus; protinus in remedium ceſſit, & affectum neci deſtinatum, à morbo inſanabili viſo expedivit. Huc etiam refertur Analogia, ab animalis hujus natura deſumpta, unde colligitur ipſum in hoc morbo juvare; quandoquidem enim *vipera* exuviam ſuam ſquammoſam quotannis deponit, ideò putaret quiſpiam, particulas ejus ad excutiendam leproſi pelliculam cruſtaceam valere, verum his, ut non multum tribuamus, quandoquidem ex crebra obſervatione conſtat remedia viperina in impetigine, ac lepra prodeſſe, certè juvaminis ratio ſali volatili, quo plurimo hoc animal præditum eſt, adſcribi debet. Hujus enim particulæ, ſalia fixa; & acida in affectorum ſanguine præpollentia deſtruunt, eorumque combinationes diſſolvunt, attamen *Sal*, *ſpiritus* ac *oleum* è viperis chymicè extracta, ob particulas quas ab igne extrahunt empyreumaticas, & ſumme elaſticas, in hoc morbo minime conveniunt, uti etiam nec *ſpiritus*, aut *ſal volatilis*, *C. Cervi*, *fuliginis*, *ſanguinis*, aliique conſimilis *Armoniaci*; quia nempe ſanguinem

&

& humores ſupra modum exagitandos, eorum craſes diſſolvi, & corruptelas uberius in cutim propelli faciunt. Quare ſimpliciora *viperarum præparata* uti *juſcula* ex earum carnibus Aquæ incoctis; *potus* earundem infuſionibus, aut incoctionibus impræegnati, atque pulveres ex iis ſiccatis & tritis confecti, contra hunc morbum utilius præſcribuntur. Porrò non tantùm *verarum*, ſed alîus generis *Anguium* ovipararum carnes elixæ, & loco cibi ordinarii comeſtæ, opem ſæpe egregiam præſtant.

3. *Impetigo*, ſive papillarum eruptiones ſquamoſæ, & in figuras velut corymbeas efformatæ, *luis venereæ* inveteratæ, adeo frequens, & familiare ſymptoma eſt, ut quoſvis affectione iſtâ laborantes, annon aliquod iſtius malignitatis cujus conſcii ſunt lateat, imprimis interrogemus; atque ità rem habere ſi deprehenditur, ſtatim *ſpecificis* contrà hunc morbum quibuſque ac *Antiſcorbutis* omiſſis, protinus ad *decocta ex lignis*, iiſque parum; aut minimè juvantibus, ad medicamenta ex *hydrargyro* deveniendum erit. Et quidem hac methodo, plures pro impetiginoſis, & leproſis habitos, cumque aliis remediis ad hos morbos appropriatis diu incaſſum tractatos, & miserè divexatos, facilè ac cito curavi: atque hanc impetiginis ſpeciem ad luis venereæ, cujus appendix eſt, *Pathologiam* referimus.

Indicatio ſecunda Curatoria, *morbum* ipſum & *ſymptoma* primarium, ſc. Eruptiones ſquamoſas, & puſtularum corymbos reſpiciens, *remedia Topica* cuti exteriori, propter affectus hoſce tollendos adhibenda præſcribit: in quem finem *balnea*, & *linimenta* imprimis conveniunt: quæ tamen niſi cauſa procatarctica, viz. *ſanguinis diatheſis Tartarea* prius expurgetur, raro aut nunquam per ſe juvant.

Hujuſmodi *Topicorum* farrago ingens, tum apud Authores medicos, tum apud empiricos, & agyrtas vulgo proſtat: è quibus tamen univerſis, *Balnea* aut *linimenta è pice liquida* confecta, cæteris quibuſque utriuſque generis remediis longè præſtant, revera ut illis unicis, ni quod odorem valdè tetrum emittunt, utendum fuerit; quapropter compoſitionum, & cum & ſine *pice liquida formulas* quaſdam ſubdemus.

Itaque pro *Balneis* uſitatum eſt, *aquas* doliis, in quibus pix liquida includebatur, aliquandiu contentas, & infuſione impræegnatas adhibere: vel;

℞. Picis liquidæ ℔2. incorporetur cum cineribus albis, & cribratis in maſſam craſſiuſculam, quæ coq. in aq. fontan. ſ. q. addendo folior. hederæ terreſtris, fumariæ, Marrubii albi, radic. lapathi acuti, Enulæ Campan. an. M. IV. f. Balneum cum regimine uſurpandum: vel paretur hujuſmodi decoctum, ſine pice liquida pro impetiginoſis odorem ejus horrentibus.

Balnea ſulphurea, tum *Naturalia* tum *artificialia* minus convenire, imò priora ſæpiùs officere, crebra experientia deprehenditur: quin etiam *Balneatio* quæcunque caute admodum adhiberi debet; nam quatenus adminiſtratio hæc ſanguinem exagitat, & effervefacit; craſin ejus (uti modo dictum eſt) plus diſſolvere & corruptelas in cutim uberius ſuffundere periclitatur.

2. *Linimenta* quorum uſus & tutior, & commodior eſt, triplicis ſunt generis ſive gradus, ſc. *lenia*, *Mediocria*, *fortiſſima*: cujuſque horum exemplar unum aut alterum proponemus.

1. Primo igitur in *Impetigine leviori*, ubi eruptiones & papillarum corymbi pauciores, & perexigui ſunt, commendatur *ſaliva jejuna*; item liquor ex lignis viridibus, dum uruntur exudans; item mera tricatio cum radicibus lapathi acuti contuſ. & aceto macerat. Vel,

℞. Olei Tartari per deliquium, olei nucum, vel Amygdal. amararum per expreſſionem, ana p. a. f. linimentum locis affectis bis in die adhibendum.

2. Secundi Generis linimenta, pix liquida ingredi, ac inſtar omnium haberi ſolet.

℞. Unguenti roſacei ℥vj. picis liquidæ ℥ij. ſimul liquefacta miſceantur. Vel,

℞. Portionem carnis vervecinæ pinguiorem, quæ fruſtis radic. lapathi acuti, conſita, & veru infixa aſſetur; atque interea, dum pice liquida ſenſim inſtillata continue imbuitur, utriuſque deliquium, in vaſe ſuppoſita exceptum, pro unguento ad impetiginem præſtantiſſimo ſervetur.

3. Linimenta contra hunc affectum fortiſſima, ſunt Mercurialia, quæ nimirum aut hydrargyro, aut præcipitato conſtant. Prioris formulæ, & compoſitio eadem ſit, ac quæ ſupra contra ſcabiem præſcribitur. Quoad alterum.

℞. Præcipitati albi ʒiij. unguen. roſac. ℥iij. miſce, pro litu partium maximè affectarum; horum uſus in hoc morbo maximè ſuſpectus eſſe debet; nam ſi fortè ſputatio ciebitur, materiæ poris cutaneis impactæ ſaburra perquam immenſa movebitur, quæ ſi tota confertim nimis verſus ductus ſalivales irruens, circa gutturis partes aggeretur, ſuffocationis periculum incurretur.

Ante aliquot annos *Virgo Illuſtris* familiæ, temperamenti calidioris, ut potè ſanguine acriori, & ſalſo originaliter prædita, poſtquam *Impetigini* perdiu, fere uſque ab Ephebis obnoxia degiſſet, circa pubertatem, graviori modo, eadem laborare cœpit; nam puſtularum ſquamoſarum Corymbi, non tantum brachia, & crura, aliaſque corporis partes obtectas, ubique obſiderunt, ſed etiam manus, & faciem, in tantum defædarant, illam ut in publicum incedere, cumque aliis ordinis ſui converſari puderet. Remedio minora ferè innumera, ſine ullo ſucceſſu adhibebantur; Thermarum uſu primo meliùs habere viſa, exinde tandem deterior facta eſt. Acidulæ Aſtropenſes, quæ nonnullos impetiginoſos integrè ſanarunt, huic parum, aut nihil opis contulerunt. Quapropter cum methodus quæpiam ordinaria minus affeciſſet, propoſui demum ut ſalivationem, quæ ſi remedium cæteris quibuſque potentius (ac uti dicitur) ultimum, experiretur. Huic conſilio cum & patiens, & parentes ejus facile conſentirent, ſtatim corpore per Catharſin, & Phlebotomiam ritè præparato, juxta morem noſtrum, exhibui *pilulas ex præcipitato ſolari* per duos dies, & poſt unius intervallum, & Pharmaco tertia vice repetito, ſputatio copioſa & laudabilis incepit, & ſine malo quovis ſymptomate per menſem proceſſit; cui tamen in debito tenore ſuſtinendæ, artuum juncturis, & locis maximè affectis, modo his, modo illis, *litum ſubinde mercurialem* applicandum curavi. Ante curſum hunc finitum eruptiones omnes evanuerunt; nihilominus in medelæ confirmationes, ſimulque ob Hydrargyri extirpationem, menſem alterum purgationi, ſudationi ſubtus cratim, & diætæ ex decocto ſarſæ, chinæ, &c. impendebat; quo tempore perfectè ſanari viſa, ita per quadraginta circiter dies perſtitit. Dein verò quamvis exactam victus rationem obſervaret, morbus idem repullulare cæpit, atque ſenſim accreſcens, demum in ſtatum uti prius ἄγριον aſſurrexit. Hoc verum eventu confuſus, ſuaſi ut à fluxu menſtruo qui nondum eruptus, brevi expectabatur, alterationem in melius ſperaret. Attamen poſt longam inde moram, ἔκκρισις iſta tandem eveniens, & deinceps regulariter habens, nullam morbi iſtius curam aut levamen, ſed potius exacerbationem intulit. Quare

Quare iterum ad Pharmaciam recurſus habetur, atque remedia diverſimoda, cujuſque ferè generis tentantur: quæ cum omnia incaſſum fuerint, efflagitabant amici, ut ſalivationis curſum denuo ſubiret; viz. in hanc ſpem adducti, methodum iſtam, quæ imprimis pro tempore brevi curarat, ſecunda vice adhibitam; pro longiori ſaltem, aut forſan integrè ſanaturam. Itaque ex illorum votis, eodem ſputationis curſu per bimeſtre ſpatium repetiro, indeque puſtulis, & eruptionibus ſquamoſis, ubique evanidis, puella inſignis tunc denuo ad valetudinem recuperari videbatur. Verùm intra ſeſquimenſem, à medicina finita papillæ, earum aggeries, ſive Corymbi rurſus apparent, atque ſenſim in dies, numero ac mole auctæ, tandem majorem quàm antea totius corporis defædationem accivere: adeo morbus iſte, Hydræ ſimilis poſt unum caput amputatum, cum ſeptemplici reviviſcit.

Novi alium virum robuſtum, & habitu corporis Athletico præditum, qui poſtquam Impetigine per multos annos laboraſſet, morbo tandem ingraveſcente, ac ad ſtatum ἄγριον evecto, per totum corpus vitiligine alba, & quaſi leproſa obducebatur; ut unaquaque nocte, ſquamæ inſtar furfurum magna copia intra lectum deciduæ, in acervos colligi potuerint. Hic curationis ergo, in primis remedia cujuſque ferè generis ordinaria, ſine ullo tamen fructu tentabat; deinde vero ſalivationem ex Mercurio leviorem expertus, nihilo melius habuit, poſtmodum ea methodo repetita à ſputatione longa & graviori ad ſanitatem reſtitui videbatur; verum intra tres menſes, idem morbus repullulans brevi ad priſtinam feritatem pervenit; quinimo cùm tertia vice moleſtiſſimum illud medelæ genus ſubiret, affectus iſte pro tempore quodam abigi viſus, redibat; & deinceps invitis tum hac, tum alia quacunque methodo durante patientis vita, Tyrannidem ſuam exercuit. Non opus erit de *Lepra* hic quidquam diſſerere, quæ morbi prioris tantum gradus intentior, medelam ferè nullam admittit. Quod ſpectat ad alios Tumores eorumque ſc. ſpecies multiplices, & cujuſque illorum Ætiologias diverſimodas, fateor me vix continere poſſe, quo minus in amœniſſimum hunc ſpeculationis campum deſcenderem. Verum hoc perinde ἄλογον ac inſolens videatur, ac ſi quis longo curſu defatigatus, ac ad finem anhelans, ultra metam excurrens, illico ſtadium inchoaret novum. *Hactenus Clar. Williſius. Sequuntur jam alii.*

Et primò Clariſſ. Joh. Munnicks.

De Maculis quibuſdam levioris momenti quæ Ephelides, Lentigines, & Hepaticæ vulgo nuncupantur.

I. Inter Affectus merè, aut ſaltem maxima ex parte Cutaneos primò occurrunt maculæ, *Ephelides* vulgò, Noſtratibus (*proetelen*) nuncupatæ, quæ Vere & Æſtate quoniam ab Inſolatione potiſſimum excitari ſolent, plurimum increbeſcunt, atqui circa Hyemen rurſus evaneſcunt.

II. Sed cùm in Formoſioribus, ac cutem rariſſimam habentibus maximè contingant, in iis præcipuè locis, ubi cuticula, ſoli & aëri expoſita, denſiſſima eſt, ſc. in facie ac manibus maximè erumpunt. Porrò coloris ſubflavi aut fuſci, ad magnitudinem morſus pulicaris, inæquales tamen, & quoad figuram irregulares exiſtunt. Atque hæ Maculæ parum aut nihil differunt à Puncturis illis ſubfuſcis, aut flavis, quas nonnulli *Lentigines* vocant, quæ lentis magnitudine faciei partes crebris quaſi guttis inſigniunt.

III. Harum Macularum Materies ſeu Continens Cauſa videtur eſſe, *Bilioſi Humoris tenuior portio, vi Solis illam attenuantis, & poros cutis aperientis, exterius prolecta*; quæ evaporare incipiens, in cute exteriore, aut cuticulæ, quam pertranſire nequit, concavo defigitur. Et certè maculas haſce à Bile, ſimilibuſve Flavis Sanguinis Recrementis procedere indicio eſt, quod maximè familiares ſint iis, quorum pili flaveſcunt.

IV. Equidem præter exiguas haſce Maculas Lenticulares & Ephelides, aliæ inſuper occurrunt multò ampliores, palmæ longitudinem ac latitudinem nonnunquam excedentes, quæ cutem variis in locis, præcipuè circa Pectus & Dorſum, lituris, modo fuſcis, modo luridis, aut ſubnigris conſpercant, ac *Hepaticæ Maculæ* nominari ſolent, iiſque plurimum inſigniti, jecur minus ſanum, aut ſaltem haud benè ſanguificum habere creduntur: quod tamen ſub hac ratione verum non eſt; at ſolummodò quatenus humores bilioſi, cum non ſatis intra hepar à maſſa ſanguinea ſecernuntur, ad cutem protruſi eam ità diſcolorant.

V. Lituræ iſtæ potiſſimum tempore æſtivo apparent, & maximè ſupra pectus & dorſum, viz. quo tempore, & quibus in locis ad ſudandum homines ſunt plurimum apti: ipſum nimirum ſanguinis ſerum, quod fœculentias iſtas è cruoris maſſa in cutis anguſtias provehit, eas penitus evaporare idoneas, illic relinquit.

VI. Affectus hi, quoad valetudinis ſtatum, nihil mali indicant, aut ominantur; & quamvis Ephelides, Lintigineſque nonnihil turpitudinis referunt, id tamen compenſatur, quatenus ità maculoſi puriori conſtitutione præditi obſervantur.

VII. Ad Curationem verò horum Affectuum quod attinet; cum Maculæ hæ plerumque ſint criticæ eruptiones, Pharmaca intus ſumenda, quibus Illarum Materies, ſeu Continens Cauſa tolli poſſit; vix ulla occurrunt; niſi quod Sudorifera Blanda aliquandò Uſurpata bilioſi humoris recrementa, in cute, aut cuticulæ concavo defixa magis evaporare faciant. Sed ad Ephelides, Lentigines, & Maculas Hepaticas tollendas, Ars Coſmetica propiè ſpectat: & propter hæc cutis deturpamina delenda, ſine quavis medendi methodo, Medicamenta quibus cuticula decorari ſolet tantum præſcribuntur; quorum apud Domicellas, alioſque de cute curanda Sollicitos, ingens ubique & uberrima eſt ſeges. Ea tamen omnia, quatenus duas ſolum medendi intentiones reſpiciunt, ad bina hæc capita reduci poſſunt: illa nimirum aut cutis ac cuticulæ poros aperiendo, atque hanc interdum excoriando, humorem foras attrahendum & prorſus evaporandum moliuntur: vel è contrariò, & ſæpè non minore cum ſucceſſu adhibentur illa quæ materiam maculoſam è cute repercutiunt, ac intus adigunt.

VIII. Primò igitur ad cutem detergendam, & macularum materiem foras extrahendam, ſequens conducit Linimentum.

℞. *Unguenti Roſacei* ℥ij.
Florum Sci.ci, hoc eſt, *Magiſterii Marcaſitæ* ℨj.
Miſceantur exactè pro Litu, quo veſperi facies inungatur, hinc manè cum panno laneo mundo denuò detergeatur.

Etiam facies ſubindè lavetur *Aqua Florum Fabarum*, cui admixtus *Liquor Tartari*, ſiquè Aquam hanc efficacem magis deſideremus, aliquot guttulæ addantur *Aqua Aluminoſa ſeu Mercurialis.*

Cl: Williſius, *Pharmaceut. Ration. part. 2. ſect. 3. cap. 5.* illud præſcribit,

℞. *Lixivii è Sale Tartari minus ſaturati* ℥iiij.
Olei Amygdalarum Amararum q.ſ. idque in tali proportione miſceatur, ut totus liquor lacteſcat.
Cum hac mixtura Partes hujuſmodi Maculis affectæ manè & veſperi illinantur, ac blandè fricentur.

IX. Sed ad Maculas è cute diſcutiendas, earumque materiam repellendam intuſque adigendam, *Lac Virginis* à plu-

à pluribus commendatur, quod ad hunc modum ſæpè conficitur; viz. *Solutio Lithargyri in Aceto Deſtillato facta, ab affuſo oleo Tartari per deliquium parato, in liquorem lactis inſtar albicantem præcipitatur; quo facies bis in die lavetur & blandè fricetur.* Vel

℞. *Camphoræ* ʒij.
Teratur in mortario vitreo, ſenſim affundendo Succum unius Limonis, dein adde Vini Albi ℔j.
M. exactè, & detur uſui.

Vel.

℞. *Benzoini optimi* ℥ß.
Spermatis Cœti ʒj.
Spiritus Vini ſummè rectificati ℥iiij.
Stent in Digeſtione per aliquot dies, dein fiat per Chartam Emporeticam Colatura.

Hujus liquoris (rubicundi) tantillum miſceatur cum Vino albo Gallico, (quod illico lacteſcit) quo facies lavetur, & blandè fricetur.

Foreſtus *libr.* 31. *obſ.* 1. pro Faciei Maculis hanc commendat Aquam,

℞. *Albumina ovorum ad duritiem coctorum, eaque more Chymico, deſtillato, & liquorem deſtillatum uſui ſervato.*

Idem libr. 5. *Obſerv. Chirurg.* 4. ad delendas Lentigines mirum in modum extollit *Aquam è Cochleis deſtillatam.*

Ad eaſdem maculas tollendas vult Sennertus *prax. libr.* 5. *part.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 3. facies ut ſæpius abluatur *Aquâ Florum Sambuci & Fabarum,* cui aliquid *Camphoræ in Spiritu vini ſolutæ* addatur.

Platerus *prax. med. tom.* 3. *libr.* 1. *cap.* 2. ad faciem decorandam proponit Aquam, qua Maria Medicea Regina Mater uti ſolebat,

℞. *Tres Capones albos ſtatim poſt jugulationem, axungiâ detractâ conciſos,*
Caſeos duos recentes ex lacte caprin. conſectos,
Pulpam ſex Limonum corticibus detractis,
Albumina octo Ovorum
Boracis, Sulphuris an. ℥ß. *Camphoræ* ʒj.
Aq. Florum Fabarum, Nymphææ an. ℔j.
Collocentur in B. M. atque in alembici roſtro aliquot grana Moſchi. Deſtillentur S. A. & liquor extillans ſervetur uſui, eoque ſub noctem facies lavetur.

X. Attamen fœminæ curioſiores vix ullis nunc remediis cutaneis, niſi *Mercurialibus* contentæ ſunt; quapropter ſequens Aqua ad pleraſque Faciei turpitudines ſummoperè commendatur,

℞. *Mercurii ſublimati* ℥j.
Pulveriſetur & ponatur in vaſe ſtanneo cum aqua Fontana ℔iij. *ſtent per* XXIV. *horas, cum ſpatula lignea ſubinde agitando, donec totus liquor nigreſcat, qui tamen per chartam emporeticam colatus limpidus evadit: cum petia aut pluma huic intincta facies ſemel intra diem unum aut alterum blandè obducatur.*

Hujuſmodi medicamentum contra turpitudinem quamcunque cutaneam inſigniter juvat; quatenus nempè humores intra porulos, & foraminula ut ut minutiſſima impactos expedit, totamque ubi applicatur, cutem, quoad meatus ejus malè conformatam, reſtituit. Sed quandoquidem hydrargyri particulæ, unà cum ſalibus (à quibus in minutias dividuntur, acuunturq;) faciei applicatæ, materiam defœdatoriam intus repercuſſam inſequuntur, ſicq; ſanguini & lymphæ ſe facilè inſinuant, hinc & gravia œconomiæ animali non rarò pariunt incommoda, Coſmetica Mercurialia haud immeritò mihi admodum ſuſpecta ſunt.

XI. Porrò accidit interdum, pleraſque faciei partes, præſertim verò naſum & frontem, *Punctis Nigricantibus* creberrimis, quaſi à pulvere pyrio exploſo inuſtis, inſigniri; idque procedit quod pori cutanei, ſeu vaſculorum ſudoriferorum oſcula, humore atro craſſiore, vermiculos nigra capita habentes referente, implentur, atque in tali cutis affectione lotiones, & litus nulli præter Mercuriales prodeſſe ſolent.

De Herpete.

I. Poſt Affectus Cutaneos ſimpliciores, qui nempè ſine tumore aut exulceratione contingentes, Cutem ſolummodò Maculis defœdant, jam ordine agendum erit de Affectibus gravioribus, & continuitatem ſolventibus, atq; imprimis de Eo, qui ab Effectu & Symptomate Græcis *Herpes* dicitur; viz. à ſerpendo, quod nimirum proſerpere videatur, quodque una parte ſaneſcente, morbus in proximam ſerpat. Arabibus *Formica Corroſiva,* C. Celſo *Ignis Sacer* nuncupatur. Eſt autem *Herpes Tumor, ſive Puſtuloſa Inflammatio cum pruritu & rubedine, partem, in quam ſerpit, exulcerans:* vel dicatur, *Tumor Bilioſus, qui cutem ſerpentibus minimis puſtulis exaſperat, roditque.*

II. At verò Herpetis Species duæ ſunt. Prima namque *Simplex* eſt *Herpes,* qui intra cuticulam conſiſtens minimis puſtulis, milii ſemini ſimilibus, cutis ſuperficiem exaſperat, unde *Herpes miliaris,* Belgis (*Springend vuer, ofte voortcruijpenden Pair-vvorm*) nuncupatur. Vel eſt *Exedens,* Græcis ἐσθιόμενος, qui ipſam exulcerat cutem, latèque in ambitum ſerpit, cujus medium citius ſanatur, quam extrema, noſtratibus (*Ineetenden Pair-vvorm.*

III. Veruntamen *Ignis Sacer* C. Celſo dictus, fit maximè in pectore, præcordiis, aut lateribus: eſtq; hic affectus, cujus meminit Ampliſſ. Tulpius *obſer. med. lib.* 3. *c.* 44 quique Plinio *Zoſter,* Scribonio Largo *Zona,* Noſtratibus) *Ommeloop* ſive *Ambitus* nuncupatur; quod in extimo Diaphragmatis ambitu variis circulis, diverſimodè diſperſis, hominem aliquatenus ambit.

IV. Affecta igitur Herpetis Miliaris Pars eſt Cutis Superficies ſeu Cuticula. Herpetis verò Exedentis Tota Cutis, cum ſpecies hæc integram cutem ad ſubjectam uſque carnem ſoleat exulcerare.

V. Efficiens autem, & Conjuncta Herpetis Cauſa eſt *Humor tenuis, bilioſus, acri-ſalinus, ſimulque glutinoſus,* qui ſanguini inexiſtens ab eodem ſecernitur, ac cum eo ad corporis ſuperficiem per malam criſin propellitur; impeditur tamen in ſui excretione per poros cutaneos ob admixtum ipſi humorem glutinoſum, nec non poros in cuticula quam in cute arctiores, hinc circa cutem ſub forma puſtularum hæret, unde vitioſa ibidem contingit effervefcentia, & quidem calida, ob quam ſummus in parte affecta pruritus & ardor deprehenditur. Talis porrò noxius humor in corporis ſuperficiem expulſus, amplius ibidem vitiatur, quin allabentis ſanguinis partem ſimul corrumpit, & pruritum ac dolorem in vicinis partibus excitat. Cùmque humor hic cuti inhærens ſit tenuior & minus acris, *Herpes* oritur *Miliaris,* ſin acrior magiſque glutinoſus, *Herpetem* producit *Ferum, Exedentem,* ἐσθιόμενον.

VI. Cæterum Herpes cùm ſenſibus pateat, non ita difficulter cognoſcitur: eſt enim tumor latus, ſine omni ferè altitudine, ut vix attollatur pars, potiuſquè exaſperari quam intumeſcere videatur. Adſunt præterea puſtulæ exiguæ, milii ſemini ſimiles, calor, pruritus; & quamvis puſtularum quædam ſanantur, aliæ tamen oriuntur, ut malum ad vicina proſerpere videatur. Si puſtulæ rumpantur ichoroſus effluit humor; eſtque ſubrubicundus locus affectus. Ferus autem, ſeu Exedens dicitur Herpes, cum ulcuſcula ſerpentia ac foraminula multa apparent, quæ tamen ultrà cutem non procedunt; ſeu, ut C. Celſus *lib.* 5. *cap.* 20. ait, eſt malum cum ſumma cutis excoriatione, & exulceratione ſine altitudine, latum, ſublividum, inæqualiter equidem, mediumque ſaneſcit extremis procedentibus, atque non rarò id quod jam ſanum videbatur, iterum exulceratur.

VII. Herpes porrò periculoſus affectus non eſt, niſi ſit valdè exulceratus: nihilominus tamen difficilè curatur, & non rarò diuturnus eſt morbus. Atqui prout humor ille, è quo oritur herpes, mitior vel acrior, magiſque vel minùs glutinoſus, eo etiam magis vel minus periculoſus eſt.

VIII. Equidem ut Affectus hic tutò curetur, ratio habenda eſt & Cauſæ Antecedentis,& Continentis,Partiſque Affectæ. Atque ad Cauſam Antecedentem quod attinet; quum ex humore tenui,bilioſo, acri-ſalino, ſimulq; glutinoſo Herpes oriri ſoleat, hic imprimis per convenientem rerum nonnaturalium uſum eſt corrigendus,deindèq; è corpore purgandus: niſi enim totum corpus exactè purgetur,nunquam Patiens perfectè ſanatur; & quamvis uno in loco adhibitis Topicis Medicamentis pars ſaneſcere videatur,in partibus tamen vicinis denuò malum ſeſe prodit.

IX. *Diætam* itaque quod ſpectat; *Aër, Cibus & Potus* ſint Refrigerantes: nocent omnis generis Acria, Calida, Salſa, Fumo ſiccata, Pinguia, Dulcia, ſimiliter & *Motus Corporis* nimius, *vigiliæ, Alvi Durities, Venus, Ira.*

Inſuper ſummè utilis hìc eſt *Purgatio*, qua bilioſi, acri-ſalini, ac glutinoſi humores, in partem affectam alioquin ruentes atque morbum foventes, toto è corpore vacuentur.

Eum in finem præſcribi poſſunt Pulveres,Vinum Medicatum, Decoctum.

℞. Cremoris Tartari ℨiiß.
Tartari vitriolati gr. xxv.
Diagridii ℈ſs.
M. F. Pulvis, dividendus in doſes. No.vj. æquales,quarum ſingulis vel alternis diebus mane Patiens unam ſumat cum juſculo.

*℞. Rad. Helenii,Polypodii Querc.an.*ℨij.
Summ. Abſynthii.
Fol. Eupatorii Cannab. an. ℥iſs.
Cort. Med. Sambuci ſicc.
Baccar. Iuniperi an. ℨiij.
Fol. Sennæ Mund. ℨvj.
Aloes, ſem. Carvi an. ℨiſs.
Inciſa & Contuſa dentur in Sacculo, ſuſpendendo in vini albi ℔iiij. *de quo quotidie manè Æger bibat cyathum.*

℞. Raſuræ Ligni Guajaci ℨiv.
Saſſaphras ℨvj.
Rad. Salſaparillæ ℥iſs.
Macerentur per noctem calidè in Aquæ Puræ ℔v. *dein S. A. R. Coq. add. Rad. Lapathi Acuti rec.*℥iij.
Herb. Fumariæ Mij.
Chamæpytheos Mj.
Pulpæ Colocynthidis ℨj. *Liquiritiæ raſæ* ℨvj.
Fiat Colatura ℔iij. *de qua ſemel vel bis quotidie Ægrotans bibat.* *Venæſectio* hic non conducit, niſi in Plethoricis.

Thermarum ac *Acidularum Uſus* ſæpè ſingularis eſt: Tales enim Aquæ debito tempore ſumptæ tutò eum Affectum tollunt.

*Decoctum Salſaparillæ,Chinæ,&c.*continuò uſurpatum, plurimùm etiam valet ad vitioſos iſtiuſmodi humores corrigendos, atque, tranſpiratione aucta inſenſibili provocatiſque liberius urinis,conſumendos; hinc & *Sudorifera* quoque huic morbo curando multum conducunt.

X. Ubi jam Cauſæ Antecedenti ſatisfactum eſt, ad ipſam Continentem accedendum; cui tollendæ multum ſæpe efficimus inunctâ *Saliva hominis jejuni*, cujus ope acris,bilioſus, glutinoſuſque humor cutis poroſitatibus inhærens,attenuatur,reſolvitur.

Scribit Barbette, ſummo cum ſucceſſu multoties adhibitum ſe vidiſſe *Pulverem Lapidis Sciſſilis cum Aceto mixtum.*

Sunt qui *Sinapi* uſurpant *cum Butyro liquefacto & aſſato*,quibus Alii *Pulveris Pyrii aliquid* addunt.

Ipſa *Urina* affectui huic ſanando prodeſt aliquando.

Multum ſæpè efficimus *Lavamento ex Aqua Pura, cum Sale Communi, & vitriolo Albo.* ex. gr.

℞. Aquæ Pluvialis ℔ij. *in ea diſſolve*
Salis Communis ℥ß. *vitrioli albi* ℨij.
pro Lavamento.

refert Aquapendens, aliquoties ſe feliciter uſum fuiſſe *Aquis Thermarum,* quæ brevi tempore ſanant Herpetem: atqui ubi deſunt thermarum aquæ, ſumit *Aquam Marinam*; aut *Aquæ Salitæ admiſcet Sulphur & Alumen,* atque in hac membrum affectum detinet.

Summoperè quoque morbo huic curando conducit inunctum *Unguentum Enulatum cum Mercurio*,quod puſtulas tabefacit, exſiccat, ac viſcidum glutinoſumque humorem abſumit. Conducit & hoc,

℞. Unguenti Roſacei ℥ij.
Mercurii Præcipitati Albi ℨij.
Miſceantur exactè pro Litu.

Vel

℞. Butyri aſſati
Unguenti Nutriti,Populei an.℥ſs.
Sulphuris Vivi pulver. ℨiſs.
Cretæ albæ ℨſs.
M. F. S. A. Linimentum.

Pulvis Cretæ cum Lactis Cremore mixtus, & illitus hunc affectum non rarò ſanat,præmiſſâ fomentatione calidâ cum *Vapido vino Gallico.*

Joh.Heurnius pro Herpete commendat *Fœcem vini* inter duo linteamina applicatam.

Hartmannus *in Praxi Chymiatrica* cum linteo diſcerpto applicat *Aquam Calcis Vivæ*, cui aliquando *Alumen Dulce*,aliquandò *Saccharum Saturni* addit.

Folia Tuſſilaginis viridia membro affecto impoſita, identidemque renovata, Herpetem nonnunquam ſanant.

Equidem ſequens *Lac Virginale* huic Malo Curando admodum conducit, ſi Ægra Pars eò frequenter lavetur & blandè fricetur.

℞. Rad. Hellebori albi, Enulæ Campanæ,
Iridis Florentinæ, Althææ an. ℥ſs.
Pulpæ Colocynthidis ℨij.
Fol. Sabinæ, Nicotianæ an. ℨiiij.
Aluminis Crudi ℥j.
Lithargyri ℥iiij.
Contund. & Coq.in ſ. Aquæ Pluvialis ad ℥xviij. *colat. add.*
Aceti vini ℥vj.
Miſceantur Uſui.

Vel ita conficiatur,

℞. Rad. Hellebori albi ℥j.
Althææ, Eſulæ minoris,
Enulæ Campanæ, Iridis Florent. an. ℨvj.
Fol. Sabinæ Mj.
Pulpæ Colocynthidis ℨiij.
Aluminis Crudi ℥ſs.
Sem. Staphiſagriæ ℨvj.
Lithargyri ℥vj.
Ciner. Ligni Quercini ℥viij.
Coq.in ſ.q. Aquæ Pluvialis ad ℔iij. *colat. add.*
Aceti vini ℨvj.
Miſceantur.

In Herpete Pertinaci Barbette ſequentia proponit,

℞. Unguenti Fuſci Felicis Wurtzii ℨiij.
Albi Camphorati ℨiſs.
Ceruſſæ, Sulphuris, Myrrhæ, Lithargyri an. ℨiß.
Mercurii Dulcis, Æruginis an. ℨſs.
Olei Roſacei q.ſ. M.F.S.A. Unguentum.

℞. Lapidis Prunellæ ℨj. *Floris Sulphuris* ℥ſs.
Sacchari Saturni ℨiſs.

Olei

Olei Kaparum veteris q. ſ. M. S. a. pro Linimento. Aliquando in Pertinaci Herpete prudenter applicetur *Aqua Aluminoſa* ſeu *Mercurialis, ſecundum Pharmacopœam Ultrajectinam*, vel ſola vel potius *additis Vino & Aqua Plantaginis magis temperata*; cujus vires & facultates in hujuſmodi affectu curando non ſemel obſervavimus. Sed notandum in iis, qui ſunt calidioris temperaturæ, hanc Aquam minus convenire, & facilè Inflammationem excitare.

De Scabie, Ejuſdemque Speciebus.

I. Morbus Herpeti admodum Affinis generali vocabulo *Scabies* dici conſuevit, quæ in variis totius corporis locis, Cutem puſtulis exiguis, modò ſiccis & ſæpè ſquammoſis, modo humidis ac ad ulcerationem diſpoſitis, cum pruritu valdè moleſto infeſtat, atque hujuſmodi Affectio propriè iſtius partis morbus eſt, utpote quæ in ipſa Cute propter contagium externum ſæpè incipit, & frequenter per media tantum cutanea curatur.

II. Dicitur autem *Scabies* ſeu *Scabrities*, quia cutem ſcabram & cruſtulis obductam diverſis certiſvè in locis reddit, *Pſora* verò, ἀπὸ τοῦ ψῶ *furfurem mutatum excerno*, quia in cute non tantum eſt aſperitas, ſed & levis exulceratio, & excoriatio puſtularum, a quibus furfuracea quædam & nonnunquam ſanies, quæ tunc *Scabies Humida* dicitur. Enimverò variæ ſunt Scabiei ſpecies, de quibus omnibus, aut ſaltem pleriſque agere conſtitui.

III. *Scabies* igitur, ſeu *Pſora* definitur, quod ſit *ea in cute aſperitas, quæ eſt cum puſtulis humidis, & inſigni pruritu.* vel deſcribitur, *puſtularum in toto corpore ſparſim eruptio, ab humore acri & ſalſo, intra poros cutis aggeſto procedens, hinc pruritum inſignem, adeoque & ſcalpendi neceſſitatem inducens.*

IV. Continens hujus morbi Cauſa nec videtur eſſe Pituita, nec Bilis, nec Melancholia, nec etiam ipſe Sanguis per ſe extravaſari aptus; porrò nec materia hìc peccans è duobus vel pluribus horum ſimul mixtis conſtat: ſi namque hujuſmodi humoribus hic morbus unquam oriretur, non ita facilè per merum & leve contagium ſuſcipi, aut ſolo litu curari poſſet. Quamobrem potius cenſemus, *eſſe humorem limphaticum in glandulis ſubcutaneis conſtanter reſidem, qui ab indole ſua genuina deſciſcens, à ſalino volatili in acidum & acri-ſalinum, nec non aliter vitioſum non rarò degenerat.* Enimverò cùm humori huic lymphatico ità depravato, & perpetim evaporanti, ſupplementa continua è ſanguine adveniant, humores iſti, vetus & recens, non facilè congruunt aut uniuntur, at ſalium diſſimilium ritu mutuo efferveſcentes in materiam recrementitiam coagulantur, quæ poros cutaneos implens ac diſtendens ubique paſſim in tumores attollit; inſuper ſanguinem in tranſitu nonnihil impedit, & extravaſari quaſi cogit. Hinc puſtulæ crebræ excitantur, & quatenus materia iſta in ichorem faceſcens, à ſero & ſanguine ſubſequentibus uſque prorſum & foras urgetur, in moleculas aſſurgunt: dein ſpiritus animales fibras nerveas, ut ichoris iſtius excretionem promoveant, inordinatè ſubeuntes, moleſti pruritus ſenſum efficiunt.

V. Inſuper ad Scabiem & Eruptiones Puſtuloſas quod ſpectat; humor hic lymphaticus tribus potiſſimum de Cauſis depravari ſolet. 1. Ipſe ſanguis valdè impurus, ſimulq; diſſolutus, corruptelas & recrementa ſua ubertim in glandulis ſubcutaneis relinquit, quæ ibidem fermenti corrupti naturam induentia cum aliis ſuccis adventitiis, aut pertranſientibus efferveſcunt, & variè coagulantur, ideoque non ſolum *Affectus Scabioſos*, verum & *Leproſos* diverſimodos pariunt. Hinc carnium & piſcium ſalitorum, & ſole ac fumo ſiccatorum uſurpatio crebra & aſſidua, aliaque incongrua comeſta aut epota Eruptiones Cutaneas paſſim cient. 2. Humor glandulis ſubcutaneis aggeſtus, interdum merâ ſtagnatione Scabiem producit, quare non tantum diu incarcerati, ſed & qui vitam ſedentariam agentes, ſqualori inſuper, & pœdori aſſueſiunt, huic affectui obnoxii degunt. 3. Humor hic cutis glanduloſus à miaſmate virulento ab extra cõmunicato, non rarò vitiatur, idq; obſervatione vulgari liquidò conſtat, in quantum maximè ſani, & optimâ conſtitutione præditi, vix unquam in eodem lecto ubi Scabioſus ſimul decumbit, aut nuper decubuit, in punè dormiunt: nec ità tantùm, quin & Scabioſorum ſudaria aliis in eodem lavacro lotis, ejuſdem affectus ſæpè contagium impertiunt.

VI. Itaque Scabies quoad originem ſuam, aut *per Contagium* accipitur, aut *propter Malam victus Rationem* incendiculum & fomes ejus à Chylo & Sanguine Vitioſis communicatur, vel ob *Pœdorem & Tranſpirationis Defectum* in ipſa cute generatur; quibus addi poteſt, Infantes quandoque hanc labem à Parentibus hæreditario contractam nanciſci.

VII. Cæterum Cutaneæ Eruptiones, quoad formam, juxta affectorum conſtitutiones diverſimodas variant. Nam in quibuſdam ſiccioris temperaturæ, biliosę viz. aut melancholicæ Scabies tantum Sicca & quatenus ob ſeri defectum minus evaporat, cum pruritu non adeo moleſto excitatur: in aliis verò temperamento humidiore, & ſanguine impuriore præditis, Exanthemata plurima, Ichore plena, & ſummoperè Prurientia ad ſcalpendum vehementer irritant, atque, propter excitata inde ulcuſcula, pruritus ſubinde in dolorem mutatur.

VIII. Scabies porrò, ob turpitudinem & deformitatem, moleſtus eſt affectus; non autem ita periculoſus, & in ætate juvenili ſepe ab aliis morbis præſervat, imo & alios morbos ſanat Equidem tuta ſemper Scabies non eſt, ſiquè diu continuata ſit, in Lepram mutari poteſt. In ſenibus pertinax eſt, ac curatu difficilis.

IX. Circa Scabiei ſive Pſoræ Curationem duæ occurrunt primariæ indicationes, ac utraque duplex, viz. prima *Curatoria* hæc duo reſpicit, ut humor glandulis ſubcutaneis inhærens, atque vitioſus, ad debitam craſin reducatur: deinde, ut cutis pori & meatus, ichoroſis concretionibus liberati, priſtinam conformationem recuperent.

Indicatio ſecunda *Præſervatoria* hæc duo præcavet. 1. Ne Scabiei impuritates & miaſmata corruptiva è cute excuſſa, in ſanguinem & lympham regurgitent, iiſque non tantum dyſcraſias, ſed inſuper Oeconomiæ Animali noxam graviorem inferant. 2. Item navetur opera, ut humorum & partium nobilium labes, à materia ſcabioſa prius contractæ, dum cutis vitia emendantur, eradicari queant

X. Omnes hæ Medendi Intentiones, per Remedia tum Interna, tum Externa ſimul uſurpata, unà complicari debent: nempe ut materies morbifica loculis ſuis excuſſa, in nullas uſpiam latebras ſecedere, ac nullibi deliteſcere queat, quin omni ex parte per medicamenta convenientia in totum amoveatur. Itaq; *Recta victus Ratio* in primis obſervetur, vitando *Cibos Salitos & Piperatos* necnon *Muriâ Conditos*; etiam à *vino, Aquis Ardentibus, Cerevſia Fortiori*, & à liquoribus quibuſque ſanguinem incitare nimis ac fermentare aptis, temperetur. Inſuper in ſcabie pertinaci & corpus cacochymicum occupante, expediet *Pharmaca* exhibere *Cathartica*, quibus acri-ſalini, glutinoſique toto in corpore redundantes humores expurgentur. v. gr.

℞. *Cremonis Tartari* ℈j.
Cholagogi ſimplicis,
M. F. Pulvis.

℞. *Extracti Catholici* ℈j.
Mercurii Dulcis gr. viij.
F. Pill. No v.

℞. *Rad. Bardanæ, Lapathi Acuti rec. an.* ℥iß.
Turbith Gummoſi,

Santali Citrini an. ℥ſs.
Herb. Fumariæ, Agrimoniæ an. Miß.
Fol. Sennæ mund. ℥j.
Glycyrryſæ raſæ ʒiij.
Coq in ſ.q. Aquæ Puræ ad ℥xxx: *Fiat colatura, de qua ſemel vel bis quotidie Patiens hauſtum ſumat.*
℞. *Rad. Polypodii querc.* ʒß.
Helenii ʒij.
Fol. Eupatorii cannab. ʒiij.
Turbith Gummoſi.
Baccar. Iuniperi an. ʒß.
Aloës, Sem. Carvi an. ℈v.
Inciſa & Contuſa dentur in Sacculo, ſuſpendendo in Vini Albi Gallici ℔iiij. *de quo quotidie hauſtum bibat Ægrotans.*

Inſuper *Venæſectio*; niſi aliquid contraindicet, ab initio celebretur. Adhæc *Alterantia*, quæ ſanguinem, cæteroſque corporis humores ſecundarios purificant, vices ſuas habeant: quem in finem conducit *Serum Lactis Dulcis* frequenter potum, vel *Decoctum Salſaparillæ, Chinæ, Santali Citrini, Raſuræ Cornu Cervini, & Liquiritiæ.* Etiam *Sudorifera* aliquando uſurpata multum proſunt.

XI. Interim commodus uſus hîc eſt *Balneorum*, tum dulcium, tum mineralium ac calidorum, inter quæ præcipuè laudari ſolent *Sulphurea.* Sed cùm Balnea iſta Mineralia non ubique reperiantur, alia pro iis ſubſtituere licet, quæ facultatem digerendi, & detergendi, & poros cutaneos extergendi atq; purgandi vim habent. Ea ex Sulphure & Vegetabilius parari vulgò ſolent; atq; non lavacri cõmunis ritu, cutis tantum ſordes eluendo, ſed & incongruum ejus fermentum deſtruendo, morbum hunc ſanant. ℞. *Aluminis Crudi* ℥iß. *Sulphuris Vivi* ℥ij.
Salis Communis ℥iij. *Nitri* ℥j.
Fiat omnium Pulvis, qui in Aquæ Calentis labrum conjiciatur. Barbette ſequens proponit,
℞. *Rad. Bryoniæ, Lapathi Acuti an.* ℥vj.
Fol. Fumariæ Mvj. *Florum Camomillæ.* Miij.
Furfurum Mj. *Sulphuris Crudi* ℥ij. *Nitri* ℥j.
Aluminis Crudi ℥iſs. *Salis Comm.* ℥ij.
Contuſa Coquantur in Aqua Pura pro Balneo.

Equidem reſtat alius pruritum ſanandi facilior modus; nempe, ut camiſia Aquæ Puræ cum Sulphure pulveriſato incocta, & per ſolem vel ignem exſiccata, ſuper nudum corpus per quatuor vel quinque dies geſtetur: ita namq; morbus hic ſine Balneatione, aut Litus ſqualore, nonnunquam curari ſolet.

XII. Sed & *Unguenta* cuti illinenda pro Scabie curanda præſcribi ſolent: atqui aliis pleriſque tumoribus aut ùlceribus quæ adhibentur, minimè hîc juvant, verùm *Sulphur* ejuſque præparata in hoc morbo virtutem quandam ſpecificam habere videntur, adeo ut linimenta ferè omnia contra Scabiem ea recipiant, & totius compoſiti baſis haud immeritò habeantur. Exempli loco hæc ſint:
℞. *Sulphuris comm. pulver.* ℥ß.
Zinziberis pulver. ʒß.
Butyri inſulſi ℥iiij.
M. F. S. A. Linimentum.
℞. *Sinapi confecti,* Noſtratibus (Moſtaart) ℥iiij.
Sulphuris comm. pulver. ʒvj.
Olei Raparum Veteris. q. ſ. M. F. S. A. Litus.
℞. *Unguenti Roſacei* ℥iiij.
Sulphuris comm. pulver. ℥ß.
Olei Tartari per deliquium parati. q. ſ. F. S. A. Litus
℞. *Butyri inſulſi aſſati* ℥iiij.
Pulv. Zinziberis Sulphuris, Vitrioli Albi an. ʒj.
M. F. Linimentum.
℞. *Unguenti Roſacei* ℥iß.
Vitrioli albi ʒij.
Miſceantur exactè.

℞. *Unguenti Enulati ſine Mercurio* ℥iiij.
Pulver. ſulphuris comm. ℥ß.
Olei Tartari per deliquium parati q. ſ.
F. S. A. Linimentum.

Sin verò talia Affectum non curent, aut grave vel inveteratum ſit Malum, ad *Mercurialia* veniendum.
℞. *Argenti vivi* ℥ß.
Aquæ fortis ℥j.
Solvatur Mercurius in Aqua Forti, dein ſimul exactè Miſceantur cum Axungia Porcina ℥viij.
Et fiat S. A. Unguentum; quo partes affectæ leviter illinantur, & blandè fricentur.
℞. *Axungiæ Porcinæ* ℔iß.
Olei veteris, Therebinthinæ commun. ℥iiij.
Pulveris Ceruſſæ ℥viij. *Aluminis* ℥ß.
Mercurii Sublimati ℥ij.
Miſceantur exactè in mortario pro Litu.
maximoperè verò hîc conducit *Unguentum Enulatum cum Mercurio.*

Sed de Linimentis Mercurialibus notandum, quod pueris, aliiſve tenerioris conſtitutionis non facilè ſint adhibenda; verùm adultis tantum, iiſque fortioribus, quia in nonnullis Salivationem facilè movent, quæ in infantibus facillimè, & non niſi ſummo cum periculo contingit.

Inſuper Mercurialia Linimenta non ſemper omnibus locis ſcabioſis ſunt inungenda, præſertim ea, quæ copioſum recipiunt Mercurium, quia facillimè tunc ſequitur Salivatio; ſed tantum manuum carpis, ac artuum majorum juncturis. Quem in finem à multis laudatur hoc Unguentum,
℞. *Axungiæ Porci, Butyri inſulſi an.* ℔j.
Succi Citri, Radicis Enulæ, Lapathi Acuti an. ʒiß.
Salis Communis Calcinati, Sulphuris, Reagalis Rad. Zinziberis, Hellebori albi pulver. an. ℥iij.
Therebinthinæ, Mercurii vivi an. ℥iij.
Miſceantur S. A. & Fiat Unguentum.

XIII. Nec tantum ſub formâ Linimenti; ſed & pluribus aliis modis prædicta medicamenta uſurpari poſſunt. *Aqua Mercurialis* ſeu *Aluminoſa,* vel ſola vel temperata magis, ſicuti in locis maximè ulceratis cum linteo diſcerpto applicetur, Scabiem non rarò tollit. Vel præparetur Lavamentum,
℞. *Rad. Ari, Lapathi, Enulæ Campanæ an.* ʒj.
Hellebori Albi ʒiij.
Salis Gemmei ʒij.
Coq. in Aqua Pura ad ℥xvj. *colaturæ add.*
Spiritus Salis Armoniaci gutt. XXVI.
Miſceantur pro Lavamento.
Barbette laudat id, quod ſequitur,
℞. *Gypſi uſti* ʒiß. *Calcis vivæ* ʒij.
Lithargyri ʒß. *Boli armeni* ℥j.
Fol. Nicotianæ ſicc. ℥iij.
Vini albi Gallici
Aquæ Puræ an. ℔ij.
Coq. ſimul S. A. & Colatura detur uſui
Alii volunt, ut circa nudum corpus geſtetur *Cingulum, cui Mercurius Crudus inſutus eſt.*

XIV. Si verò omnibus hiſce remediis Scabies non cedat, ſed inveterata & valdè pertinax ſit, omni ſtudio annitendum, ut per crebras Purgationes, Sudationes, & Venæſectiones ſanguis hac labe impurus imminuatur, ac humor cutaneus variis modis corrigatur, hinc & Affectio hæc curetur. Scribit Riverius *Cent. 1. obſerv. 62.* quendam adoleſcentem cis paucos dies à Fœda Scabie fuiſſe liberatum exhibito pulvere ex *Mercurii Dulcis* ℈j. cum *Diagridii* ℈ß. refert Platerus *prax. tom. 2. cap.* 17. empiricum quendam *Decocto Stibii Calcinati cum Salſaparilla, additis & aliis, pernicioſas* Scabies aliquoties ſanaſſe. Tandem Bartholinus *Obſerv. Cent. 6. Hiſtor. 73.* inquit: „Nihil vilius detritis calceis. Novi tamen Puerum Melitenſem toto corpore fœdis cruſtis obſitum, qui

„qui aſperſo cinere corii combuſti calceorum, cum oleo „roſaceo convaluit.

XV. Inter Scabiei genera numerantur & *Tinea*, & *Scabies Fera*, Affectus nimirum infantibus in primis moleſti. *Fera* hæc *Scabies* omnes corporis partes occupare poteſt, quamvis frequentius Faciem & Pectus, quandoque & Brachia afficiat. *Tinea* verò caput, præſertim ſecundum partem ipſius capillatam, vexare ſolet, unde vocatur (*Pair-vvorm*) ſicut prior Affectus (*Dau-vvorm*) dicitur; ac ſi à vermibus exiguis perforatæ forent cutis partes variæ, ex quibus humor tenax erumpit ac effunditur inſtar roris, cruſtas varii coloris producens, unde nomen accepit (*Dauvv-vvorm*: ſicut *Pair-vvorm*,) quando in ſpecie nocet capillis, adeo ut ſæpius excidant, & ſegnius, vel nunquam iterum excreſcant, relictis plagis in capite undoſis pilis carentibus.

XVI. Continens horum Affectuum Cauſa eſt humor tenuis, acri-ſalinus, & quid ni acidus quoque, qui glutinoſo humori junctus, ſicque ſanguini inhærens ab eodem ſecernitur, ac cum eâ ad corporis ſuperficiem propellitur, ubi in glandulis ſubcutaneis exiſtens, & ab indole ſua genuina in dies magis deſciſcens atque degenerans, nec non vitioſè ibidem efferveſcens, poros cutaneos implet ac diſtendit, hinc puſtulas crebras ſummo cum pruritu & ardore producit. Cæterum vitioſus hic humor in glandulis poriſque cutaneis hærens amplius vitiatur, quin ſanguinis ac limphæ allabentis partem ſimul corrumpit, & pruritum ac dolorem, nec non eroſionem, exulcerationemque vicinis in partibus excitat.

XVII. In Scabie illa Fera erumpere ſolent primum parvæ puſtulæ, hanc aut illam cutis partem obſidentes, ac præſertim faciei, aurium brachiorumve, quandoq; totius penè corporis, ſummo cum pruritu; ob quem infantes, quoties poſſunt, unguibus partem affectam ſcalpunt & lacerant, & ſi ſcalpere nequeant, cuivis rei occurrenti faciem affricant, nec deſinunt, licet poſt frictionem ſuccedente rubedine, mox & cutis externæ apertione, tum liquor acer mordaxque, tum ſanguis effundatur: quibus omnibus non minuitur, ſed augetur potius malum, latius nimirum ſerpendo, & novam moleſtiam itidem alibi producendo. Humor porrò fricatione illa promanans obſervatur varius, aliàs aqueus, aliàs flaveſcens, vel magis etiam obſcurus. Equidem tenax plerumq; eſt, ac glutinoſus, partibus adhærens, tandemq; iterum concreſcens, atq; Cruſtam excitans, quæ, niſi nuda ſit pars, ut eſt facies, accreſcit quoq; induſiis aliiſve linteis aut veſtimentis parti affectæ proximis, quocirca ſine cruſtæ abruptione, ac plerumque ſanguinis quoque, vitioſique humoris nova eruptione nequeunt ab ipſis removeri.

XVIII. Tinea verò, ſeu Scabies Fera in infantibus ad valetudinem facere haud abſque ratione à pleriſque creditur, cum vitioſi in toto redundantes humores robuſto naturæ conatu in corporis ſuperficiem expelluntur, unde &, ſi ſponte ac ſubitò affectio hæc evaneſcat, in Febres non tantum, ſed & morbos alios longè graviores infantes non rarò incidunt. Huc ſpectat, quod Hippocrates, *lib. de Morbo Sacro*, ſcriptum reliquit; viz. infantes, ſi ipſis ulcera in capite, vel circa aures, vel in facie, vel reliquo in corpore excitentur, liberari ab Epilepſia.

XIX. Quoniam igitur infantes vel Tineâ vel Scabie Ferâ laborantes: à variis, iiſque gravioribus morbis ſæpius immunes ſunt, atque hoc malo affecti hilares plerumque, & jucundi obſervantur, hinc Doctiſſimorum Medicorum auctoritate, niſi parentibus, urgentibus, à Curatione multi abſtinent. Quod ſi verò inſtent parentes, medicamenta duntaxat levia adhibent, ac præcipuam curationem in nutricem rejiciunt, quam per intervalla blandè expurgant.

XX. Ipſa interim Affectuum horum Curatio ſolis externis medicamentis aliquando abſolvitur. Sed quum obſerventur inſuper alia in humoribus vitia, ob quæ internâ opus ſit Medicinâ, eadem hîc eſto Indicatio, ac in Scabie. Equidem ipſa illa medicamenta aſſumpta Tineam aut Scabiem Feram non curant; niſi forſan producta ſit à ſudore quovis modo impedito: quo in caſu utile erit, *Sudoriferis Blandis* ſæpius uſurpatis denuò viam parare humoribus in corporis ſuperficie hærentibus, ibidemque ita corruptis, ut Feram hanc Scabiem producant.

XXI. Atqui quum criſeos modo ad cutem expulſus ſit humor acer, qui ob mixtam glutinoſitatem ibidem hærens Tineam aut Scabiem Feram produxit, cæteris functionibus illæſis, Solis Topicis hoc malum ſæpius curatur; imò Pharmaca intus ſumenda, quatenus corporis humores exagitant, tunc obeſſe aliquoties obſervavimus. Hoc igitur in caſu varia à practicis laudantur, & præſcribuntur remedia. Sedulò tamen cavendum, ne in horum Affectuum Curatione cutis poros occludant impoſita medicamenta, adeòque peccantem humorem ad interiora repellant, unde graviſſima excitari ſolent ſymptomata: quapropter talia ſunt uſurpanda Topica, quæ cutis poros ſervent apertos, quin eoſdem aperiant, quæque humorem acidum ac acri-ſalinum temperent, glutinoſum incidant, abſtergant, ſicque Partem Ægram reſtituant, conſolidationemque promoveant: quæ omnia præſtant, abſolvuntque *Salia Volatilia Blandiora*. Igitur Affectæ Partes identidem laventur *Vino Gallico, quod ex vaſe per epiſtomium aneum guttatim ſtillavit*, Noſtratibus (*Leckvviin.*) Vel præſcribatur Lavamentum,

℞. *Aquæ Plantaginis, Solatri an.* ℥iſs.
Florum Sambuci ℥iij.
Camphoræ in ℥iſs.
Spiritus Vini ſolutæ, ʒj.
Spiritus Salis Ammoniaci gutt. xxv.
Miſceantur.

Foreſtus *lib.* 8. *obſerv.* 13. hanc præſcribit Lotionem,

℞. *Malvæ, Betæ, Lapathi Acuti cum Radicibus, Hederæ Arboreæ, Centaurii Min. an.* Mj.
Caulium Rubrorum Mß.
Colocynthidis ʒiij.
Agarici ʒj.
Hellebori Nigri ʒiſs.
Fol. Sennæ Mund. ℥ſs.
Coq in ſ. q. Aquæ Puræ ad ℔iiſs. *colaturæ add.*
Salis comm p. 1. *M. pro Lavacro.*

Idem *Obſerv.* 17. hoc laudat Unguentum,

℞. *Lithargiri cum Aceto acerrimo, & Oleo Roſaceo Nutriti* ℥ij.
Ceruſſæ cum Aqua Solatri lotæ ʒj.
Aluminis uſti ʒſs.
Fuliginis Calamini, Pulv. Rad. Helenii, vel Chartæ Combuſt. an. ℈ij.
Axungiæ Gallinæ, Porcinæ,
Olei Ovorum an. ʒß.
Roſarum, Laurini, &
Aceti an. q. ſ. M. S. A. pro Linimento.

Et *obſerv.* 20. pro Tinea Inveterata iſtud habet,

℞. *Butyri ſaliti, Axungiæ Porcinæ an.* ℥j.
Sulphuris pulv. ℥ſs.
Vitrioli Crudi ℈j.
Argenti vivi cum ſaliva extincti ʒj.
Miſceantur exactè in mortario pro Litu.

Alii laudant id, quod ſequitur.

℞. *Butyri Majalis inſulſi* ℔ſs.
Pulv. Sulphuris, Olibani an. ℥ſs.
Sabinæ ʒj.
Mellis comm. ℥ij.
M. F. S. A. Unguentum.

Laudatur quoque Linimentum Plumbi compoſitum, ſeu de Amiantho Boëtii de Boodt, quod deſcribit Schroderus

Schroderus *Pharmac. Med. Chym. lib.* 2. *cap.* 87.

℞. *Amianthi* ℥ß.
Plumbi Uſti ℥xij.
Tutiæ præpar. ℥ij.
Calcinentur, dein pulveriſata macerentur cum Aceto Stillatitio, ac per menſem quotidie agitetur materia: quæ dein ebulliat per horæ quadrantem, iterum quieſcat, donec clareſcat. tum
℞. *Aceti hujus clari, Olei Roſacei an. p. æq.*
Miſceantur exactè in formam Linimenti.

Interim dum hoc modo hi affectus curentur, danda opera, ne cruſtæ à partibus ſubjectis facilè ſeparentur, cum ſub ipſis felicius tota contingat cura.

De Impetigine ſeu Lepra Græcorum, &c.

I. Poſt Scabiem cum pruritu, ſimileſque Affectus Cutaneos, agendum ſequitur de Affectu alio, hiſce ob puſtularum eruptionem nonnihil Affini, qui communiter *Impetigo*, quibuſdam *Licken* & *Vitiligo*, aliis *Lepra Græcorum* appellatur. Morbus hic uti diverſa ſortitur nomina, ita eadem ab Auctoribus variè applicantur, & ab his morbi ſpeciem unam, & ab illis aliam deſignare perhibentur.

II. *Lepra* igitur, ἀπὸ τῶν λεπίδων à ſquammis denominata, *ſummus quidam Pſoræ ſeu Scabiei gradus eſt*, Hanc *Græcorum Lepram* Arabes dicunt *Albaram Nigram*; cujus ſpecies eſt *Albaras Alba*, quæ Græcis *Vitiligo*; *Leuce*, aut *Alphus* nuncupatur, uti colligere eſt ex Avicenna, qui *ſept. quart. tr.* 2. *c.* 9. ſic ait; „Albaras Nigra eſt illud, quod etiam Impetigo Excoriativa dicitur, eſtque Scabioſitas accedens cuti, aſpera, „vehemens, & facit ſquammas, ſicut ſquammas piſcium, „cum pruritu, atque eſt cum humore melancholico, & „eſt de antecedentibus Lepram.

III. Lepra verò, ſeu potius *Impetigo* (quæ mitior tantum Lepræ gradus, adeòque curatu facilior eſt) ad hunc modum oriri & afficere ſolet; viz. in primis Puſtulæ Rubræ modo ſingulares, modo plures ſimul congeſtæ, in variis corporis partibus, præſertim verò in brachiis & cruribus excitantur, quibus ſingulis (morbo increſcente) undique novæ adjunguntur, & brevi ejuſmodi molecularum plures velut aggeries ſeu corymbi fiunt. Etenim Papillæ juxta unamquamque ſtirpem, primò in dies erumpentes, & latius uſque ſerpentes, ſeſe in orbem diffundunt, adeòque Exanthematum aggeries quaſi ampliari faciunt. Cujuſque harum ſuperficies aſpera, & nonnihil albida, ac ſquammoſa apparet, unde ſi ſcalpatur ſquammæ decidunt, & ichor ſæpe tenuis exudat, qui tamen mox exſiccatus in ſquammam cruſtaceam rurſus indureſcit.

Hi Papillarum Corymbi primò exigui, & pauciores exiſtunt; in brachio, aut crure, aliove membro ſingulari, tres forſan, aut quatuor ad magnitudinem denarii circiter apparent: poſtea verò, ſi morbus creſcere ſinatur, crebriores ubique erumpunt, quæ ſenſim augentur. Porrò in hoc ſtatu non ſiſtitur; ſed Affectus, niſi per Medicinam cohibeatur, in pluribus uſque locis ebulliens, & latius ubique ſerpens, tandem non ſolum integra membra, ſed & totum corpus *Vitiligine Leproſâ* obducit; atque hanc Impetiginis ſpeciem Arabes quidem *Lepram*, ſed Græci *Elephantiaſin*, Noſtrates (*Lazarus, Melaatshend Guaad-ſert*) appellant; eſtque ſummus hic Impetiginis gradus ex ſententia Veterum plerumque incurabilis.

Totam hujus mali idæam C. Celſus *de re Medica lib.* 3. *cap.* 25. ità deſcribit: „Totum corpus afficitur ità „ut oſſa quoque vitiari dicantur. Summa pars corpo„ris crebras maculas, crebroſque tumores habet. Ru„bor harum paulatim in atrum colorem convertitur. „Summa cutis inæqualiter craſſa, tenuis, dura, molliſque „quaſi ſquammis quibuſdam exaſperatur, corpus emar„ceſcit, os, ſuræ, pedes intumeſcunt. Ubi vetus mor„bus eſt, digiti in manibus, pedibuſque ſub tumore „conduntur, febricula oritur, quæ facilè tot malis ob„rutum hominem conſumit.

IV. Ex dictis itaq; Impetiginis Differentiæ præcipuæ innoteſcunt; ac in primis juxta morem ejus plus aut minus maliguum, diſtinguitur, juxta quod propiùs ad Lepræ aut Scabiei naturam accedit, vel ſtatu medio ſe habet. Inſuper notare eſt, Affectum hunc quandoque membra quædam ſingularia, uti brachia forſan, aut crura, corporis reliqui partibus intactis; infeſtare, interdum verò in iis omnibus ſimul incipere, & ubique ſparſim papillas excitare.

V. Cauſa Impetiginis Materialis non eſt humor merè cutaneus, propter miaſma ab extus ſuſceptum, aut alias ob occaſiones depràvatus, & à naturali ejus conſtitutione degener factus; quia nimirum non tam facilè uti in Scabie, per contagium aliis communicatur, neque ſtatim per totum corpus diſpergitur. Sed puſtulæ circa morbi initia primò erumpentes, inde procedere videntur, *quod in maſſa ſanguinea concretiones quædam acido-ſalinæ contingant, quæ cum ſubigi, aut rurſus diſſolvi nequeant, in cutem pellantur.*

VI. Igitur Affectus Hujus Cauſa Continens ſeu Conjuncta in eo conſiſtit, quod in primis abſque ullo cutis vitio, ſanguis particulis ſalinis diverſimodi ſtatus & indolis ſaturetur; atqui ſalia iſta, præſertim ubi fixa & acida præpollent, ſe mutuo præhendant, adeòque in coagula quaſi tartarea concreſcant, quæ portiones in ſanguinem protruſæ, papillarum eruptiones, quaſi totidem morbi hujus nidos inchoent, dein illæ ſenſim juxta materiæ ſupplementa tum numero, tum magnitudine indies auctæ, morbi hujus initium, incrementum, & vigorem, qui Græcis ἐλεφαντίασις, dicitur, producant.

VII. Sed multa occurrunt, quæ ad *humoris* iſtius *acidoſalini* generationem faciunt. Enimverò nonnullis hic Affectus Hæreditarius eſt, ab impuro Parentum vel Avorum Semine communicatus, interdum Contagio contrahitur, quandoque etiam ſponte, proprioque vitio producitur: atque huc etiam facit frequentior uſus ciborum ſalinorum, acrium, & craſſorum, ſimulque immoderatior vinorum acidorum potatio: inſuper vulgaris obſervatio eſt, plures in hunc affectum à carnis porcinæ & piſcium in primis cruſtaceorum comeſtione nimis crebra, aut aſſidua diſponi. Atque hujus rei inſtantia ſatis notabilis, eſt, quod potiſſimum in morbi hujus Prophylaxin ſeu Præſervationem, cibus iſte ſub lege Moſaica interdicebatur; & ſcribit Williſius *Pharmaceutices Rational. part.* 2. *ſect.* 3. *Cap.* 7. olim in Anglia Cornubienſes, oram ferè undique maritimam incolentes, quatenus ex iis pauperiores ferè tantùm piſcibus veſcerentur, Affectibus Leproſis plurimum obnoxios evaſiſſe, in tantum ut propter horum ſublevamen, multa in ea Regione noſocomia conderentur. Inſuper ex eſu carnium humanarum, præſertim leproſarum, hunc Affectum quandoque excitatum fuiſſe, refert Scultetus *poſt Armament. Chir. Obſerv.* 100.

VIII. Hinc Affectus Leproſi, etſi mortem aut imminens periculum rarò minantur, poſtquam tamen altius radices egerunt, Curatio eorum perdifficilis aut nulla eſt *Incipiens Impetigo*, atque puſtulas earumque aggeries, in membro forſan aut altero pauciores excitans, Curationem quandoque admittit. Sin verò morbus eo proceſſerit, ut papillarum corymbi crebri ac lati toto in corpore ſparſim appareant, adeòque *vera* ſit *Græcorum Lepra* rarò admodum Curatur. Quod ſi morbus, invitis omnibus remediis, indies in pejus evectus, tandem in *Lepram confirmatam & inveteratam*, quæ & ἐλεφαντίασις dicitur, accreſcat, Curationem planè reſpuit, & pronunciat C. Celſus, hanc curari non poſſe, ideoque ab ea abſtinendum eſſe.

IX Quo-

IX. Quoniam igitur Lepra confirmata aut inveterata, *hoc eſt*, Lepra Arabum, ſeu Elephanthiaſis Græcorum nunquam curatur, & Lepra Græcorum ſimiliter vix ullam medelam admittit; quædam de levioris ejus ſpeciei, *Impetiginis* viz. *Therapeia* breviter adjungemus. Circa hanc duæ occurrunt primariæ indicationes, ſcilicet *Præſervatoria*, quæ morbi cauſam, & *Curatoria*, quæ ſymptomata, puta Eruptionem Puſtuloſam reſpicit. Ab indicatione Præſervatoria ſemper incipere debet Medendi Methodus, quæ morbi cauſas per remedia interna amovendas procurat, ſecus namque exteriora ferè nunquam (uti in Scabie) cum fructu adhibentur; ſed præciſis intra ſanguinem morbi radicibus, Efflorescentiæ Cutaneæ citò emarceſcunt.

X. Quapropter cum Affectus hic recens fuerit, Cauſæ Evidentes & Externæ amoveantur; mala victus Ratio, & Aëris inſalubritas omni modo emendentur. Dein reſpectu Cauſæ Conjunctæ; duæ ſunt præcipuæ Medendi Intentiones; nimirum ut viſcerum & humorum impuritates citò expurgentur; item ut ſanguinis diſcraſiæ acidoſalinæ in melius reducantur: propter quos fines, tum *Cathartica* validiora, tum *Medicamenta Alterantia*, (quæ in Herpetis, ac præſertim Scabiei Curatione præſcripſimus) præſcribenda; nec non *Phlebotomia* celebranda: & quoniam pertinaciſſimus ſit hic Affectus appriinè convenit, uſurpato validiore Decocto Sudorifero ex *Guajaco, Salſaparilla, &c.* in hypocauſto quotidie *Sudores movere*; ut hoc modo, ceu in Luis Venereæ curatione fieri ſolet, mali fomes penitius eradicetur. Eandem ob cauſam, remediis aliis nihil juvantibus, multi *Salivationem*, quaſi ultimum remedium, & tanto hoſti unicè par, commendant.

XI. Interim ut ſanguinis dyſcraſiæ uſque magis corrigantur, pro potu ordinario ſequens aut ſimile decoctum bibat Patiens.

℞. *Raſuræ Ligni Guajaci* ℥iiij.
Rad. Salſæparillæ ℥iß. *Chinæ* ℥ij.
Contuſis affunde Aquæ Puræ ℔x. *ſtent in infuſione calida, dein S. A. Coq. addendo in fine coctionis,*
Liquiritiæ raſæ ʒvj.
Fiat Colatura ℔vj.

Similiter ad ſanguinem alterandum præſcribantur pulveres,

℞. *Salis Prunellæ* ʒvj.
Floris Salis Armoniaci ʒiß.
Simul terantur in mortario, atque hujus pulveris circiter ʒß. *detur bis terve in die, cum juſculo vel ſupraſcripto decocto.*

vel quotidie bis exhibeatur pulvis ex *gr.* viij. *aut circiter, Salis Volatilis Cornu Cervini.*

valdè quoque hic laudatur *Sal Viperarum* ſimiliter uſurpatum.

Scribit Solenander *in Conſiliis Medicinalibus*, ſe in Lepræ Curatione felici cum ſucceſſu hoc uſum eſſe: „Accipit duas aut tres *Viperas*, aut ſi haberi nequeant Viperæ, alios *Serpentes*, quos vivos diſſecat, atque multô „adjectô *Hordeô* in Aqua coquit, donec hordeum crepitet. Hordeo iſto, & ipſa etiam carne Serpentum pullos alit gallinaceos, ac aliud nullum iis alimentum „præbet; quô ubi aliquot dies nutriti fuerint, implumes evadunt, tandemque plumis rurſus veſtiuntur. „Hac poſtmodum Carne, & Juſculo paulatim Ægrum „alit. Et uſitatum fuit Antiquis remedium ex Viperis: „viz. ceperunt Viperas, &, cauda ac capite abſciſſis, „cute abjecta, coctas earum carnes Ægris comedendas dederunt.

XII. Quoad *Topica Remedia* cuti exteriori, ut Squamoſæ Eruptiones & Puſtularum Corymbi tollantur, adhibenda; eadem fermè hîc conducunt *Balnea Artificialia, Linimenta*, & alia medicamenta, quæ in Herpetis ac Scabiei Curatione propoſuimus: quæ tamen niſi *ſanguinis diatheſis acido-ſalina ac tartarea prius* tollatur, rarò aut nunquam per ſe juvant. *Hactenus Clariſſ. Joh. Munnicks.*

Curationes Clariſſ. Ioh. Michaëlis.

In *ſcabie humida* prodeſt Tinctura lignorum, Tinctura coralliorum cum ſpir. ligni ſaſſafras vel ſpir. lignorum.

Proſunt item medicamenta pituitam educentia & ſanguinem purificantia, ſerum lactis miſtum cum ſucco & eſſentia fumariæ, Tinct. tart. antimoniata.

Sudorifera proſunt & in ſpecie antim. diaphoret. ſulph. auratum antimonii, eſſentia & ſpir. Lignorum Eſſentia, ſal. & ſpiritus fumariæ.

In ſcabie ſicca magis humectantia proſunt, & quidem magis in forma liquida, quàm ſicca, quod in ſcabie volatili præcipuè obſervandum. Hîc ergo prodeſt fumaria, ſerum lactis &c.

Purgantia optimè dantur in infuſo v. g. in ſero lactis. Si verò bolus vel pilulæ placeant, poſt eorum aſſumptionem hora una vel altera ſuperbibatur hauſtus juſculi piſorum vel ſeri lactis.

In illa ſcabie, quæ *malum mortuum* dicitur, proſunt optimè medicamenta ex mineralibus & anim. purgantia & purificantia ſanguinem; Omnia medicamenta ex viperis, trochiſci de viperis, qui tamen non ſunt adeò commendandi; magis enim proſunt eſſentia, magiſterium vel ſpinæ viperarum pulveriſatæ. *D. Oſwaldus* medicamenta habet ex ſanguine humano, cervino, viperis.

Proſunt quoque hepatica; eſſentia lignorum, eſſentia ſudorifera; bezoardicum martiale, Item bezoardicum joviale uti & alia ſupra citata.

In genere in utraque ſcabie proſunt extractum catholicum Andernaci, panchymagogum Crollii, extractum hellebori nigri, reſina catholica, jalap. gummi de Peru, extract. eſulæ.

In ſcabie humida pilulæ de fumaria, Mercurius dulcis ſimpl. & compoſitus, merc. vitæ, arcanum corallinum, mercur. cum ſol mercur. præcipitatus.

In *ſcabie humida & contumaciſſima* prodeſt decoctum contra ſcabiem Mynſichti, ſyrupus de fumaria compoſitus, &c.

Externè circa gulam merc. non ſemper prodeſt, & ſæpè gravia ſecuta ſunt ſymptomata aq. & decoctum merc. Si in aqu. calc. viv. ſolvatur aliquid de merc. dulci, bonum eſt remedium externum. Balneum fieri poteſt ex herbis ſaponariæ, ſcabioſæ, fumariæ, nicotianæ, malvæ, radicibus lapathi majoris, helenii, bryoniæ. It. ex ſulph. ſal. nitr. furfure tritici, ſilig. farina fabarum. *Prodeſt quoque* externè aq. viridiuſcula aurifabrorum quæ poſt præcipitationem argent. remanet; atque nicotianæ, oleum nic. oleum tart. per deliquium, unguentum medicamentoſum Mynſichti, unguentum de lythargyrio & ceruſſa, roſatum cum arcano corallino ſeu alio mercur. ritè præparato, vel præcipitato.

Nota tamen, quòd ſi unguenta adhibeantur, tamen adhuc bene dentur interna, præcipue antim. diaph. eſſentia fumariæ, helenii &c. aliàs retropellitur materia.

℞. Crem. tart. ʒij. ſal. fumar. gr. VIII. M. D. in duplo.

℞. Croc. mart. aperit. ʒj. ſal. fumar. ℈ß. M D. in duplo.

℞. Aq. fumar. ℥IV. eſſent. fumar. mart. liq. an. ℈j. ſyr. de fumar. ℥iß. S. Digeſtiv. pro duabus vicibus.

℞. Herb.

℞. Herb. fumar. Mij. flor. cichor. epat. an. p. iij. ſem. carthami ℥j. vel (ſi à pituita nitroſa) agar. alb. ʒvi. mechoacannæ albiſſ. rad. jalappæ an. ℥j. ſantali rubri, citrini an. ʒij crem. tartar. albiſſ. ℥iij. F. l. a. nodulus. Prodeſt ſi malum eſt à pituita. Si ab humore melancholico.

℞. Herb. fumar. epithymi an. Mij. flor. borrag. bugloſſæ, geniſtæ an. p. ij fol. ſennæ ſine ſtip. ℥j. rad. helleb. nigri præp. polypodii, eſulæ præp. rhab. mon. an. ℥j galappæ ʒvi. cinnamomi ʒiij. caryoph. macis an. ʒiſs. crem. tartar. albiſſ. ʒij. ſal. fumar. ℈j. F. l. a nodulus.

Si oriatur à pituita, hæc proſunt.

℞. Mechoacannæ albiſſ. agar. albiſſ. an. ʒiß. rad. jalappæ ʒj. tartar. albiſſimi ʒß. vel. ʒj.

Infunde in ſ. q. aq. fumar. in vitro clauſo per noctem, mane coq. ad diſſolutionem tartar. in colatura diſſolve ſyr. de fum. ʒvi. Scammon. ſulph. gr. v. aq. cinamomi, borrag. ʒiß. M.

Si ab humore melancholico.

℞. Fol. Sennæ S. S. ʒiij. Rad. helleb. nigr. præp. ʒj. flor. borrag. bugloſſæ an. p. iij. crem. tartar. albiſſ. ʒj.

Infunde in ſ. q. aq. fumariæ vel ſeri lactis, ſtent in infuſione per noctem. manè coq. ad diſſolut. tartar. Col.

℞. ℥iij. adde eſſent. fum. ʒj. tinct. tartari antimoniatæ g. xx. ſyr. fum. comp. ʒß. m.

℞. Conſerv. fumar. ʒj. pulv. cathol. purg. ℈j. antim. per infer. purg. gr. x. c. ſ. q. ſyrupi de fumar. F. l. a. Bolus.

℞. Extr. cathol. Andernaci, Panchym. Crollii an. ℈j. merc. dulc. ritè par. gr. xv. extract. troch. alhand. gr. ij. cum eſſentia fumariæ F. pilulæ.

℞. Extr. melanalog helleb. nigri an. ℈ß. ſcammon. ſulph. gr. vi. antim. per infer. purg. gr. x. cum eſſent. fumar. F. Pilul. pro una vice.

℞. Eſſent. fumar. mart. liquid. an. ʒiij. m. Doſ. gutt. 50. vel 60.

℞. Eſſ. fumar. tinct. tart. antimoniatæ an. ʒiij.

℞. Eſſent. lignor fumar an ʒiij. m.

℞. Tinct. corall. c. ſpir. lign. ʒß.

Sudorifera.

℞. Antim. diaphor. ℈j. ſal. fumar. gr. vi. m.

℞. Eſſent. fumar. ʒj. lignor. ʒß m.

℞ Aq. fumar. S. ʒj. ſyr. de fum. S. ʒß. eſſent. fumar. ʒj. antim diaphor. ℈j. ſpir. flor. ſamb. ℈ß. m. In ſcabie ſicca.

℞. Aq. fumar. ℥j. flor. ſamb. ʒß. eſſent. fumar. lignor. ana ʒß, tinct. antim. gr. vi. m.

Balnea.

℞. Herb. fumar. ſapon. ſcabioſæ flor. helen. lapathi maj. ana ℥iv. ſulph. crudi ℔j. nitr. ℔iß. baccarum lauri ℥j. inciſ. D. S. ſpecies, pro Balneo.

Poteſt quoque addi radix bryoniæ, lap. medicamentoſus, ſal vitriol & alia.

In ſcabie contumaciſſima eadem proſunt, ſi addantur folia nicotianæ.

℞. Unguent. diapomphol. enulat. ana ℥ß. flor. ſulph. ʒij. ol. nicot. q. ſ. F. l. a. unguent.

℞ Unguenti enulati ℥j. flor. ſulph. ʒj. ſal. tartar. ʒj. ol. nicot. q. ſ. m.

℞. Decoct. calc. viv. ℔j. merc. dulc. ad extra ʒß. aq. roſarum ʒj. m. pro lotione.

NB Poteſt quoque addi aliquid de ſaccharo Saturni, ſi adſit inflammatio.

In omnibus ſpeciebus, etiam deſperatiſſima, nil meliùs, quàm medicamenta ex viperis.

Si oriatur ex Scorbuto, antiſcorbuta miſceantur, v. g. Tinct. corall. antiſcorbutica, tinctur. corall. cum ſpir. lignorum, eſſent. fumariæ, lign. Item medicamenta ex viperis.

Phlyctenæ, Sudamina, Sirones ac vari.

De Phlyctenis vid. Haſenrefferus de affectibus cutis p. 93. Primario inſtituatur purgatio, ut affluxus cohibeatur, Proſunt quoque ſudorifera.

Externè lixivium è cineribus pini confert, it. Succus plantaginis expreſſus & ſimul, ſi adſit inflammatio, ſuccus ſolani. Exſiccantia pariter, ut empl. de lapide calaminari, unguentum diapompholygos.

In ſudaminibus convenit decoctum calcis vivæ, unguentum de lythargyrio.

In ſyronibus confert unguentum ex ſapone Veneto ſeu Batavico cum ſale comm. Item muria halecis, unguentum ex aloë, ſulph. & lacte ſulph. cum oleo nicotianæ.

In Varis (vide Haſenteſſerum de affect. cutis lib. 3. pag. 293.) prodeſt ſanguinis purificatio. It. aq. ſigilli Salomonis, lil. alborum, roſatum, coſmeticum Cluvii ex marcaſita, lac ſulphur. ſaccharum ſaturni, camphora, oleum tartar. per deliquium, merc. dulcis, lac virginis, decoctum ſulph. unguentum è flor. & lacte ſulphur.

Interne verò confert hepaticum rubrum, Tinctura florum bellidis cum ſp. vitriol. mart. mane & veſperi.

Facies quoque abluitur & inungitur aq. florum fabarum & ſero lactis.

℞. Aq. flor. fabar. lil. alb. ſigilli Salomonis, roſarum an. ℥j. coſmet. Cluvii ℈j. merc. dulc. gr. xv. camphoræ gr. vii. M.

℞. Unguent. roſati ℥ij. flor. ſulph. ℈ij. lactis ſulphur. ℈j. ſacch. ſaturni ℈ß. olei roſac. q. ſ. F. linimentum.

℞. Aq. omnium florum, ſpermat. ranarum, lil. alb. flor. fabarum, pulpæ citri, ſigilli Salomon. an. ℥ß. ol. tartar. per del. ʒij. ſacch. ſaturni ℈j. ceruſſæ, borracis Venetæ, an. ʒß. camphoræ ℈ß. merc. dulcis gr. viii. M. eſt expertiſſimum.

Epinyctides, Leuca & Alphus.

In Epinyctidibus ſanguis purificetur: Deinde purgandum: Denique ad Topica deveniendum eſt. Riverius ſpecifice oleum juniperi commendat.

In *Alpho* ſeu *Morphea* (*vid. Haſſenrefferus de affect. cutis p. 24.*) ſi à ſanguine melancholico, poſt digeſtiva purgantia etiam omnia quæ ſuprà de ſcabie notata ſunt; interna & externa, balnea ſerum educentia proſunt; v. g. fumaria. It. medicamenta hepatica: Prodeſt quoque oleum tartar. cum oleo amygd. dulcium & lil. alborum &c.

NB. Radix lapathi, ſi parti affectæ affricetur, omnes tollit maculas. It. lac virginis. Unguentum ex calc. viv. & ſulph. vivo, aq. ſpermatis ranatum, aq. ſalſa.

In *Leuce* (*vid. Haſenrefferus lib. cit. c. 3. p. 32.*) conveniunt noduli purgantes, ſanguinem purificantes, & pituitam educentes &c.

Sudorifera hìc quoque proſunt & hepar roborantia, v. g. hepaticum rubrum, ebur ſine igne, ſpecies diarrhodon Abbatis, diatrion ſantalon.

Deinde *Topica* v. g.

℞. Flor. ſulphur. camphoræ an. ʒj. Sublimentur artificiosè; dein ſolvantur in aq. ſcrophul. & ſigilli Salomonis. Hoc pro arcaniſſimo poteſt adhiberi quoque in varis.

Balnea item fiant ex rad. lapathi, ſulph. vivo, nitro cum aliis appropriatis.

Impetigo & gutta Roſacea.

Impetigo ſeu lichen ſpecies eſt ſeu primus gradus herpetis.

Proſunt hic medicamenta ſerum educentia & ſanguinem purificantia. It. quæ in ſcabie commendantur, e. g. fumaria, merc. &c. Item ſerum lactis, ſi in eo reliqua medicamenta aſſumantur ex purificantibus ſanguinem & ſerum educentibus.

Topica poſt univerſalia applicentur. Proſunt hic omnia in præcedentibus annotata, aq. ſpermatis ranarum, aq. omnium florum, lac ſulph. oleum ovorum, Prodeſt quoque decoctum calc. vivæ, liquor mercurii ſaccharatus Mynſichti, it. ejuſdem liquor mercurii acetoſus, unguentum medicamentoſum & nobile ejuſdem, unguentum è ſaturno ex oleo camph. & ceruſſæ. empl. ex ſaccharo ſaturni, & balſ. ſuph. ol. lil. alborum, ol. tart. per deliquium. Unguentum ſecretum Riverii, quo ille ſæpius utitur, hoc eſt:

℞. Unguenti roſat. ℥ iij. mercur. ſublimati ʒiij. M. mercurialia enim quàm maximè proſunt.

Ubi dolores in impetigine adſunt, ſequens adhibeatur.

℞. Pomor. putridorum n. VI. adde ol. roſati ℥ ij. lactis muliebris parùm, F. cataplaſma, & applicetur parti dolenti: Riverius in ſuis obſervationibus hoc valdè commendat.

Non minus tamen prodeſt aq. ſpermatis ranarum, decoct. & infuſum ſulphur. *vid. Poterius.*

In gutta Roſacea proſunt purgantia ex rhabarbaro & aliis hepaticis purgantibus: Semper enim purgantibus admiſceantur hepatica, v. gr. ſal. & conſerva chichorei. Fiat nodulus ex purgantibus & hepatici: Prodeſt tinctura roſarum, violarum, belliidis, epat. rubr. conſerv. flor. & rad. cichor. ſyrup. fragorum cum eſſent. hepaticæ.

Sunt qui commendant menſtruum virginis in aq. appropriata ſolutum & externè applicatum.

Scarificationem auriculæ ſingulis menſibus commendat Hurtmannus & alii.

Optima interim hic ſunt *medicamenta* ex calc. viva, merc. flor. ſulph. & camphora eaque, quæ aliàs de variis commendata ſunt. *Hactenus Joan. Michael. Praxeos chymicæ generalis part. 2.*

In ſcabie remedia præparantia.

℞. Crem. tartari ℈j. ſal. fumariæ gr. VIII. flor. ſal. ammon. martial. gr. 3. Miſc. F. pulvis in aq. fumariæ exhibendus.

℞. Vitrioli martis cum ſpir. ſal. amm. acido præp. ʒß. crem. tartari ℈j. ſal. comm. fumariæ gr. VIII. miſc. f. pulvis.

℞. Eſſent. fumariæ ʒß. ſyr. de fumaria ℥j. Tinct. martis gut. v. aq. centaur. ℥iij. miſc. Detur cochleatim bis in die.

Purgantia.

℞. Reſinæ Jalapp. ſcammon. an. gr. v. Mercurii dulcis gr. 15. conſerv. Fumar. ʒij. M. F. Bolus.

℞. Extr. Rhei, ſennæ tartaris. an. ʒß. Reſin. ſcammon. gran. VII. conſerv. fumar. ʒij. miſc. f. bolus.

Pilulæ ℞. Extr. diacatholici noſt. ʒß. mercurii dulcis gr. 12. miſc. f. pilul. n. VII. vel.

℞. Extr. Panchymag. Crollii ʒß. Mercurii dulcis gr. xv. miſc. f. Pilul. n. VII.

Sudorifera.

℞. Antim. diaphoretic. ℈j. Sal. C. C. gr. v. ocul. cancr. ℈ß. Rob. ſambuci ʒij. aq. fumariæ ℥ij. miſc. f. ſudoriferum, Vel.

℞. Flor. antim diaphor. gr. xv. tinct. tart. antim. gut. 22. ſpir. lign. guajac. gut. 24. Rob. ſambuci ʒ ij. aq. ſambuci ℥ij. miſc. f. ſudoriferum.

℞. Bezoartic. C. C. ʒj. Rob. ſambuci ʒij. aq. fumar. ℥ij. miſc. f. ſudoriferum. Vel.

℞. Bezoartic. viperini ʒj. eſſ. fumariæ gut. 24. lignor. gut. 15. aq. centaur. minor. ℥ij. miſc. f. ſudoriferum.

Elixiria

℞. Eſſent. fumariæ, lignor. an. ʒj. tinct. tartari antimon. ʒß. miſc. Doſis mane & veſperi gut. 20. ad gut. 24. vel.

℞. Spir. tartari ſaſſafrat. ʒj. eſſent. fumariæ, tinctur. tartari antimon. an. ʒß. Miſc. Doſis gut. 15. ad 20. manè & veſperi.

Medicamenta externa.

℞. Ungu. alb. camphor. ℥ IV. ol. coct. ranar. ℥ij. Sacchar. Saturni ʒij. Mercurii dulcis ʒj. Sulph. citrin. ℥ß. Miſc. f. linimentum. Vel

℞. Unguent. alb. camphor. ℥ IV. ol. coct. Ranar. ℥ ij. Sacchar. Saturni ʒ ij. Cinnabar. antim. ʒj. ſolut. ſulph. in lixivio ſal. tart. ℥ß. Miſc. f. linimentum. Vel

℞. Unguent. roſar. ℥iij. ol. Ranar. ℥j. Mercurii dulcis ʒj. Sulph. citr. ℥ß. Calcis vivæ ʒiij. Miſc. f. linimentum.

Balneum.

Hoc poteſt parari ex decocto Herbæ abſinthii, Fumariæ, Centaurij, fol. Quercus, & ſolutione ſulphuris cum lixivio Calcis vivæ.

Lepra Græcorum.

In hoc morbo purgationibus repetitis opus eſt: poſſuntque fieri ſequentibus.

℞. Extract. Hellebor. nigr. ℈j. Sennæ ʒß. Reſin. turbith. Jalapp. an. gr. v. conſerv. roſarum ʒ ij. Miſc. f. Bolus.

℞. Extract. Sennæ ʒj. Eſulæ ℈j. Reſin. ſcammon. gr. VII. Mercur. dulcis ſolaris gr. XII. Conſerv. fumariæ ʒ ij. Miſc. f. Bolus.

℞. Extract. Agarici, Ellebor. nigr. an. ℈j. Reſin. turbith. gr. x. Mercur. dulcis ſolar. gr. xv. Conſerv. abſinth. ʒ ij. Miſc. f. Bolus.

℞. Extract. diacatholici ʒj. panacææ antim. gr. VIII. Conſerv. fumariæ ʒij. Miſc. f. Bolus.

℞. Panchymagog. Croll. ʒj. Turbith. Merc. ſolar. gr. iij. Miſc. f. Pilul. num. VII.

℞. Panaceæ antimon. reſin. ſcammon. an. gr. VIII. Conſerv. fumariæ ʒ ij. Miſc. f. Bolus.

Sudorifera.

℞. Aur. diaphoretic. gr. XII. Bezoartic. viperin. ʒj. Eſſent. fumariæ, lignor. an. ℈j. Aq. Centaurii ℥ij. Miſc.

℞. Bezoartic. duplicati ℈j. Pulv. ſpin. viperin. præp. ʒß. Sal. viperini ℈ß. Spir. tartari ſaſſafrati, tinct. tart. antim. an. ℈j. decoct. ſalſæpar. & chinæ ℥ ij. Miſc.

℞. Flor. antim. diaphoretic. ℈j. Pulv. viper. præp. ʒß. Sal. C. C. gr. VIII. tinct. ſulph. antim. ℈j. rob. ſambuci ʒ ij. decoct. cortic. & lign. Guajac. ℥ ij. Miſc.

℞. Cinnabar. montan. gr. x. Pulv. viperin. præp. ʒß. ſal. C. C. gr. VIII. Eſſ. lignor. ℈j. decoct. fumariæ & centaur. ℥ij. Miſc.

℞. Cinnabar. montan. de Tonchino ℈j. Pulv. viperin. præp. ʒ ij. Sal. viperin. ℈j. Sulph. aurat. diaphoretic. gr. XVI. Miſc. f. Pulvis pro 3. doſibus. In decocto ſalſæ & chinæ exhibendis.

Medicamenta externa.

℞. Aq. calc. vivæ ℔ ij. Mercurii ſublimat. ʒß. Succi ſolan. Plantag. an. ℥ij. Miſc. f. lavamentum.

℞. Fol. Quercus M iv. herb. chelidon. ſolani an. M ij. Abſinth. centaur. an. M j. Rad. Ariſtoloch. rotund. ℥ j. coquantur in ſufficienti quantitate aq. communis, & in colaturæ ℔ iv. ſolvantur Mercurij ſublimati ℥ ß. ſolutionis ſulph. in lixivio ſalv. tart. ℥ ij. Miſc.

℞. Decoct. Calc. vivæ ℔ ij. Mercurij ſublimati ℨ ij. Sacchar. Saturni ℨ iij. Aq. roſar. ℥ iij. Succ. ſolan. chelidon. an. ℥ ij. Miſc.

Unguenta ſeu Linimenta.

℞. Unguent. Apoſtolor. albi camphorat. an. ℥ ij. Sacchar. Saturni ℨ j. Cinabar. factitii. ℨ ij. ol. Ranar. q. ſ. Miſc. f. Unguentum. Vel

℞. Unguent. alb. Camphorat. Roſarum an. ℥ ij. Mercurij ſaliva extincti ℥ ß. Sulph. in ſal. tart. ſolut. & inſpiſſati ℨ iij. Pulv. Ranar. viper. an. ℨ ij. ol. Ranar. q. ſ. Linimentum.

Hiſce remediis in omnibus horrendi hujus morbi generibus tantum effeci, ut mihi viſum fuerit ſuperfluum, plura hac de re ſcribere, & ſic concludemus.

Conſultationes.

Pro Egregio Viro Laurentio Fachineo Cive Forolivienſi ſcabie ferina, tumore extremarum narium, necnon ulcere internarum, & uveæ detento.

Duo ni fallor ſunt vitia, quæ virum egrium malè habent, unum eſt ſcabies per totum corpus repens, ut ex cutis aſperitate, & evidentibus tumoribus parvis pruriginoſis, cum, & ſine ſcalpellatione, vel affricatione pus, ac ſaniem humidam valdè, corpuſculaque furfuracea emittentibus.

Alterum vitium eſt ulcus, tum narium internarum cum tumore externarum rubente; ac cruſtis referto, & cum deperditione pro majori parte interſtitii, tum columellæ, cum ejuſdem ad anteriora non parva abraſione, cujus utriuſque ulceris non tantum pus prodiens, verum etiam & viſus ipſe fidem facit.

Verum tamen ſcabies, ut ex dictis liquet, non ſicca, ſed humida valdè, quia nempè inſignem copiam ichoris tenuioris emittit, eſt conſtituenda, ſicuti eſt in habitu, & veluti hectica, quoniam à pluribus annis patientem afflixit, itemque contumax, & ferina exiſtit, quoniam tametſi generoſis admodum, & efficacibus valdè præſidiis fuerit tractata, non modò non ceſſit, ſed magna potius incrementa ſuſcepit, & quod pejus eſt ſuſcipit in dies, ut parum abſit, ut in lepram permutetur, ſicuti enim pruritus eſt via ad ſcabiem, ita ſcabies, potiſſimum ubi pervicax nimis erit, eſt via ad lepram.

Ulcus verò quoniam ſaniem fœtentem profundit copioſam, ſordidum ideò, & aliqua ex parte malę naturæ; cachoeteque erit conſtituendum, non tamen canceroſum adhuc, cum dolor illi non aſſocietur, & pus nigricans haud emittat.

Horum autem malorum principia generationis immediata ex parte agentis, & ex parte paſſi non ſunt meo judicio difficilia cognitu, ſi quidem ex parte agentis conſtituerem ego ſuccum ſeroſum, quia ſanies tenuis, & alba, prius jugi, ac perenni pruritu infeſtante prodit, mixtum tamen aliquando cum ichore melancholico, ut color ſubnigricans cum rubore ſuadet, hęc enim ſuccorum miſcela copioſa, humore craſſo, & viſcido referta in cuti recepta, & non mota, ob idque putredinem aliquam nacta, non tantum aſperitatem, ſed intemperiem calidam, & ſiccam, tumoreſque parvos, & pruriginoſos parit, quod à Galeno ſecundo de Symptom. cauſis ſexto, & à principio 11. ſimplicium decantatum ſexto, & à principio 11. ſimplicium decantatum fuit. Pariter eadem excrementorum colluvies ad nares, & columellam decumbens, ut abradens ulcera corroſiva infert, ut verò copioſa tumores illos externos circa nares efficit.

Ubi autem localem, & propriam habeant generationem excrementa jam dicta ſic decerno. Profectò cum ſint meri partus caloris vehementis, ut nemo poteſt in dubium revocare (nam pituita ſalſa ab exuſto tempore, ſive per putredinem, ſive per ipſam exuſtionem concitato, cum humiditate aquea permixto producitur, ſicuti & ſuccus melancholicus exuſtus, ichorque bilioſus ab inſigni fervore fiunt) & cum in viſceribus illis, in quibus non ſolum alimenta, verum etiam & excrementa generantur, generari quoque debeant atque inter alia viſcera jecur primas partes habeat, in eodem ideo fieri pro majori parte certum habeo, quoniam in capite ſuccum ſalſum procreari non dubito.

Principia ex parte paſſi penes temperamentum totius corporis calidioris, habituſque ſimilis proprietatem, ratione pſorę, penes autem conditionem locorum affectorum, ratione ulceris, ac tumoris, quando partes narium, & oris internæ valdè humidæ, ac putredini noxiæ ſint, attendantur oportet.

Cæterùm his principiis proximioribus remotiora quoque ſunt addenda, quæ omnia refero in errata externa, potiſſimum verò in potum immodicum, & intempeſtivum ipſius vini meracioris.

Sed jam de Methodo curandi eſt agendum, quæ in ſcabie primum, quantum ego exiſtimo indicationibus præſervatoriis eſt perficienda; quo circa ante omnia danda eſt opera, ut materia fluens per evacuantia à cuti retrahatur, ſecundo materia fluxa ut putrida, & copioſa eſt evacuanda, ea tamen ratione, ut quæ hæret in ſuperficie, ripticis abſtergatur, quæ eſt impacta ecatarticis diſcutiatur, ſicceturque, ut qualitate nocet eadem materia eſt in contrarium alteranda; Deinde & curatorię indicationes occurrant, ut propterea pruritus, qui eſt ſpecies doloris anodinis ſit amovendus, ac intemperies viſcetum malos humores generantium alterantibus ſint dimovenda. Verum & vitales indicationes haud ſunt negligendæ, ſaltem ratione partis affectæ, hinc cutis tonus eſt confirmandus ſubadſtringentibus, modeſtè tamen uſurpandis, à quibus ne medicamenta impediantur, ut altius penetrent, tenuia tanquam vehiculum addere oportebit, quo nomine Avicenna acetum, & acida, Galenus verò nono Simpl. capite de ſulphure, ſulphur tanquam tergens, & poros abſque adſtrictione purgans omnibus aliis admiſcebat. In ulceribus pariter ablata omni occaſione fluxionis, ipſiſque deterſis, & exiccatis ad conſolidantia eſt deveniendum.

Quas indicationes explere poſſe Medicum vix credo, quando mala omnia cum ſuis cauſis ſint in habitu, & inveterata ut lepra, ulcera canceroſa, deglutio, ac reſpiratio vitiata immineant, nullaque ſit pars corporis, quæ ab aliqua labe ſit intacta, ut propter has rationes in dies magis ingraveſcant, & proinde difficilius tolerentur, quando etiam ex Platone in Philebo ſcabies præter turpitudinem dolorem inferat, qui vigiliis adjunctus vires ipſas plurimum dejicere conſuevit. Danda igitur eſt opera, ut egregius patiens à majori ſaltem ruina præſervetur, quod forſan haud erit difficilè conſequi, ſi illius ætati vegetę prudentia, & obſequentia ejuſdem adjungatur.

Quocirca ſi animum ad materias medicas converto, ita de Chirurgicis autumo, ut ſcilicet quamprimum ſanguis copioſè per ſectam venam in cubito, non quidem unica vice, ſed repetitis vicibus educatur, propterea ex utroque cubito meo judicio ſanguinem mittere præſtabit, deinde habita totius providentia; Cuti tum hyrudines, tum cucurbitulę parvæ, ſeu corniculi dicti (quos magis probo) numeroſi tamen appliciti mihi quam maximè arrident, ſicuti & fonticuli in brachiis, & femoribus inuſti non improbantur, quinimo

quinimo & ſi alter in ſincipite, vel occipite de more excitetur, ratione ulceris narium ac uveæ plurimum proderit.

Pharmaca reſpiciunt materiam, & morbos, ſi materiam, vel fluentem, vel fluxam, ſi fluentem ſunt lenientia, ut ſyrupus de polypodio magiſtralis, & roſatus ſolutivus, ſunt & præparantia, ſicuti eſt decoctum ſcabioſæ, ſonchi, hepaticę, fumariæ, lupulorum, & betonicę, adjectis ſyrupis de ſucco cicorii, de fumaria ſimplici, de ſuccoque betonicæ; ſunt demum & purgantia, in quorum ſerie, quod fit ex infuſo hellebori nigri, agarici trociſcati, & ſenæ cum ſyrupo de polypod. magiſtrali eſt opportunum.

Verum tamen repetenda erunt & præparantia, & purgantia, fortiora tamen, quare ſyrupi de fumaria compoſitus, ſabor regis, de cicoreo compoſitus diluti cum decocto ſimplicium antedictorum in ſero caprino parato, & purgatorium ex confectione hamech, ac hiera aliqua magna Aloë (quæ tantopere in ſcabie inveterata ab Avicenna celebratur) donata, necnon electuarium roſ. Meſ. cum lenitivo vocato paratum, eſſe poterunt ex uſu.

Cæterum & ſudores moventia huc referenda, quapropter maximè conducturum eſſe crederem, ſi ſalſæ, chinę, & ſandalorum cum tantillo guaiaci decoctum, adjectis cicoraceis pararetur, & bis in die ſumeretur, maneque inſtrumento ligneo ſudor (ut in lue Venerea fieri ſolet) moveretur, novi etenim quamplurimos ſimilibus morbis laborantes hoc remedii genere ſanatos fuiſſe; Atque ut magis, ac magis medicamentum roboraretur, curarem, ut bolus ante ſyrupum matutinum ex extracto guaiaci, trociſcis viperinis cum ſpeciebus confectionis ex tribus ſandalis paratus deglutiretur, ac eo tempore, quo ſimili medicatione patiens uteretur, eundem ut ſingulo quinto, vel ſexto die ſyrupum de polypodio ſol. aſſumeret, etiam atque etiam hortarer.

Medicamenta interea ad materiam fluxam ſunt tum interna, tum externa, in genere internorum decoctum viperarum in aquis hepaticæ, ſcabioſę, fumarię, & betonicæ excoctorum, omnibus eſſe præferendum confirmo; quinimò & ipſamet viperarum Caro in conſerva cicoracea eſſet aſſumenda, huc referatur & medicamentum, quod & auctoritate graviſſimorum virorum, & experientia ipſa eſt præſtantiſſimum, & me nunquam in ſimilibus caſibus fefellit, eſt autem Piloſellæ decoctum ad quadraginta dies ebibitum, ſal quoque theriacale ſub aëre frigidiori in conſerva boraginis aſſumptum mihi non diſplicet, quod ſcio etiam cum fructu aliàs ab egregio patiente ſumptum fuiſſe.

In coordinatione externorum primùm irrigatio totius corporis cum aqua ſtillatitia therebintinę, primùm ſola, deinde cum modico oleo ſulphuris permixta, uſu, & experientia mihi valdè eſt comprobata, quo refero thermas Piſanas ſub forma lavacri adhibitas, ea tamen ratione, ut quater balneum ex illis aquis, bis verò illud ex aqua dulci tepida, ac ita alternatim ſucceſſivè adhibeatur. Et unguentum, quod mihi in ſcabie ferina, atque contumaci eſt in uſu proficuo, non ſubticebo.

℞. *Aluminis Rochæ uſti* }
calcanti uſti } *an. unc.* ß.
Ariſtolochiæ rotundæ }
Viridis Æris } *an. dragm.* ij.
picis navalis unc. I.
pinguedinis Anatis unc. ß.
ſucci enulæ unc. 1.
olei roſati completi }
butyri antiqui } *an. unc.* 3.
M. & f. unguentum ſ. a.

Probo item medicamentum, quod conficitur ex ſulphure, ſucco tabacci, unguento roſato, oleo tartari, & camphora, & cum Avicenna ad inunctionem ex hydrargiro, ac cum Galeno ex radice Camaleontis, vel ſublimato adſcendere non abhorrerem, nam ſub hiſce caſibus melius eſt remediis paulò ancipitibus uti, quam patientem deſerere.

Medicamenta ad ulcera varia ſunt, & primùm occurrunt, quæ eroſionem emendant, inter quæ, quod fit ex ſucco plantaginis, & alumine uſto tum naribus, tum uveæ adhibitum maximè probo, ſecundo tum virgæ aureæ ſuccus, unà cum urina Aſini deſtillata, tum liquor ſtillatitius mellis in quo myrrha, thus, Aloës, ac pulvis ireos ſint macerata, ſi per nares attrahantur, vel cum cathetere injiciantur, opportuna videntur, quorum calor etiam ſucco plantaginis caſtigari poterit, & ſi majori attemperatione opus ſit, ab illorum uſu lac Aſininum, vel ſerum lactis Vaccini injecta; vel unguentum ex ſuccis per ſe, & unà cum unguento albo uſurpatum conducent, ſicuti & pro agglutinatione unguentum ex pompholige pręcipuè conveniet, tandem ad uveam ſanandam oris collutio ex aqua Villenſi decoctionis boracis mineralis, tutiæ pręparatæ, & corticum granatorum, fieri poterit; Exteriùs autem pro naribus medicamentum ex plumbo uſto, ſucco ſolani, & oleo roſato cum cera erit opiferum.

Poſt hæc verò ſtudendum, ut morbi auferantur, aut mitigentur ſaltem, idcircò ratione pruritûs nihil præſtantius excogitari poteſt ipſo Philonio Romano aliquot intervallis ad ſcrup. 1. horâ præcipue ſomni devorato. Et præter Balneum aquæ dulcis probarem, ut patiens egregius horâ pruritûs manibus inunctis oleo amygdalino dulci in aqua endiviæ loto ſe ſcalperet.

Intemperies verò jecoris thermis à Vallę Sancti Marini, Porrectaneis veteribus, & Ficoncellenſibus, ſeroque caprino, cui ſcabioſa, fumaria, betonica, ſonchus, & piloſella ſint immacerata, ſatis emendabitur. At intemperies capitis uſu conſervæ violaceæ, & cicoraceæ horâ ſomni devoratæ, item & lotione ejuſdem, ex aqua thermali Lucenſi, decoctionis ſandalorum adjecto aceto commodè corrigi poterit.

Et ne alia remedia ſint irrita, unà cum Galeno addenda eſt proba vivendi ratio, erit autem hæc ſi patiens tempore localium detineatur in aëre calido, aliàs verò in temperato, ut veſcatur ovis, carnibus optimis, & piſcibus petroſis elixatis, caveat à cibariis craſſis, calidis, acribus, ut propterea illi plantæ, fructus, & ſemina ejus conditionis, quę refrigerare, & humectare valent, poſſint eſſe ex uſu perutili. Et ſi ad certum aliquod tempus abſtineret à vino, & loco ipſius, vel Ficoncellenſem vel Lucenſem aquam biberet, vel aqua ſolùm in qua, paſſulæ fuiſſent incoctæ, ſibi ſummopere proficuum eſſet, quemadmodum & ſi in aquis illis propria cibaria coqueret non parum prodeſſet.

Victus tempore ſalſæ, & chinę, ſit ille, qui in uſu communiter eſſe ſolet, poteritque commodè Excellentiſſimo curante pręſcribi, ſemper tamen alvus reſpondeat neceſſe eſt, quod ſi ſponte non ſuccedat, arte erit agendum, idcircò pruna, paſſulæ præparatæ, atque clyſteres ad uſum deducentur. Animi accidentia omnia moleſta vitentur, ſicuti immodicum, & intempeſtivum exercitium, ſomnus ſit moderatus, omniaque ſecundum proportionem jam dictis reſpondeant, quibus illud non poſſum non adjicere, ut nempè ab omni cibo vel ſaccharum roſatum antiquum, vel cydoniatum ſine moſcho; ad juvandum coctionem, & reprimendos vapores vir egregius aſſumat. Deus autem optimus maximus ille ſit, qui prędictis malis potiſſimum medeatur. *Jul. Cæſar Claudinus in Conſultationibus.*

De Impetige. Pro Nobili Puella.

Sæva illa impetigo (Herpes miliaris) qua ab ipſo penè ortu ,in parte capitis dextra , dextraque coxendice , ventre etiam inferiore , nonnunquam & aliis partibus , non ſine moleſtiſſimo pruritu , humoriſque cujuſdam viridis , flavi , albique tranſſudatione, puella nobilis divexatur , cauſam habet inſignem copiam ſeroſitatis bilioſæ cum humore pituitoſo , nec non atrabilaris materiæ portione permiſtam , in jecore ardentiſſimo à materno ſanguine , nutriciſque calidiore genitam , vinis generoſioribus , malvatico , ac ſucci vitioſi cibis uti ſolitæ , concurrente etiam ab initio peranguſto , ac admodum calido loco , dum faſciis eſſet involuta. Cùm verò malum hoc cùm à plurimis cruditatibus , ob ciborum copiam , capitiſque catarrho haud levi, tum ab impensè calida partium affectarum intemperie, à continuo materię ſimilis affluxu contracta , foveatur , mirum videri minimè debet , eſſe puellam hanc & febri, & inflammationi nonnunquam oculorum obnoxiam, ſtabulante videlicet in vîſceribus hoc humore , quod hyemali plerumque tempore ſolet accidere , per concentrationem , poris cutis ab ambiente frigore coarctatis.

Judicamus igitur neceſſarium fore remedium , quod non tam partes affectas quàm mali cauſam reſpiciens, eam moleſtiam , qua nobilis puella cruciatur , quoad ejus fieri poterit , impediat , præſervetque à majoribus malis , morbo huic ſupervenire ſolitis , lepra , ſcilicet, quam facillimè incurreret , niſi præſenti malo quam primum iretur obviam . Siquidem ætatis mutatio nocumento potiùs futura eſt , quam auxilio: calor enim in ætate hac ab excedente quadam humiditate temperatus , ea tempore juventutis imminuta, multò fiet quàm ante mordacior. Sed & menſtrua, perſeverante ea , quæ adeſt ; ſanguinis acrimonia , aut nihil , aut parum admodum ſunt profutura. Si verò jecoris ; ſanguiniſque calorem temperantes, prohibuerimus , quo minùs tanta ſanguinis acris, & mordacis generetur copia , tunc dubio procul menſtrua per uterum purgatio eſſe ei poterit adjumento.

Laudamus igitur mox inſtituendam totius corporis expurgationem. Leniatur alvus *flore caſſiæ* cum *pulpa tamarindorum* , *ſale tartari in jure* , *electuario de prunis* , *infuſione roſarum ſolutiva* , nonnunquam & modico *mannæ cum jure.* Præparetur humor *juſculis ſoncho*, *cichorio* , *fumaria* , *borragine* , *liquiritia* , *& ſeminibus citri alteratis* , addito nonnunquam *ſucco ſonchi*, *aut hepaticæ depurato.* Purgetur deinde corpus repetito aliquo ex lenientibus propoſitis , cum infuſione modici *rhabarbari, aut mechoacannæ*, quæ & in pulverem redacta , aut formâ confectionis poterit exhiberi : eſt enim guſtui gratiſſima. Purgationis tempore laudamus è jecoraria utriuſque brachii modicam ſanguinis evacuationem , hirudinibus duabus brachiis ſingulis applicitis , aut etiam iiſdem (ſi id fieri poterit) venis hæmorrhoïdalibus admotis.

Corpore ritè expurgato , è re futurus eſt uſus *lactis* aut *aſinini , aut caprini* duorum , aut trium menſium ſpatio, quatuor unciarum pondere, quotidie matutinis horis continuatus , permixta ſubinde *aqua roſarum , aut aqua acetoſæ modica portione* , cui & infundi aliquando poterit modicum *rhabarbari, aut mechoacannæ* , tumque quantitate majore porrigetur. Suborta nauſea , quindecim diebus intermitti poterit ejus exhibitio , poſtea repetenda , modico interim *aqua roſarum* recentis , alembico vitreo deſtillatæ , mane quotidie exhibito. Si vermes adeſſe ſuſpicio eſſet , deſtilletur (florent nunc perſici) *aqua è floribus perſicorum*, atque ab una ad duas uncias propinetur. Movebit corpus , vermibus reſiſtet. Extrinſecus quàm maximè laudamus *balneum aquæ fluvialis tepidæ* umbilicotenus , alteriuſve aquæ dulcis *malva, lactuca, ſalice , vite , papavere* alteratæ , non omiſſo epithemate , atque unctione refrigerante regioni jecoris adhibita. Si verò & de lue Venerea non omnis abfuerit ſuſpicio , proximè venturo Autumno , exiguo *chinæ , ac ſalſæ decocto* illi poterit obviari.

Memoratis remediis accedat recta victus ratio eſt neceſſe. Cibi refrigerantes ſint , & humectantes , cujuſmodi *hordeum* , *cichorium* , *ſemen melonum* ; conferet & uſus frequens *prunorum* , *cucurbitarum* , *melonum Venetonum* , *anguriarum* , aliorumque hujuſmodi. Cœna ſit modica. Alvus ſervetur lubrica *prunis* , *uvis paſſis* , *aut caſſia recenti.* Temperetur vinum aqua multa refrigerante ; aut certè vinum conficiatur ex ſucco pomorum , quod & gratiſſimum futurum eſt , & utiliſſimum. Cæterùm remedia hæc & facilia & utilia, quæ occurrerunt in hujuſmodi caſu præſcribenda , ut puellam nobilem integræ ſanitati reſtituant Deum Opt. Max. obnixè precamur.

De Lepra. Pro Illuſtriſſimo Comite Vicentio.

Illuſtriſſimus Comes ætatis annorum 30. temperamenti calidi & humidi , habitus carnoſi , duobus ab hinc annis conqueritur de pruritu totius corporis , cum puſtulis , cutis aſperitate ſquamoſa , ex qua ſcalpendo decidunt ſquamæ velut piſcium : multis curatus prçſidiis , ſine ullo tamen juvamento , de agendis , conſulit , uſus eſt cibis ſalitis , vinis generoſis , ac exercitio valido.

Affectus hic ex accidentibus relatis eſt ille , quem Avicenna albaram nigram vocavit 3. 4. tract. 3. cap. 9. Græcis lepra dicitur ; differt tamen ab Arabum lepra , in qua ſecundum Avicennæ doctrinam 3. 4. tract. 3. c. 1 , non adeſt tantum cutis aſperitas ſquamoſa , ſed corruptio complexionis membrorum , formę item , & figuræ , cum inſigni adeo membrorum corruptione , ut ſit veluti cancer communis toti corpori , à Græcis Elephantiaſis dicta.

Fit autem hæc affectio à ſanguine atrabilari permixto cum pituita ſalſa , intemperiem calidam & ſiccam inducente , non in ſuperficie tantum, ſed in profundis cutis partibus , unde & tumores & ulcera cutanea; quorum ratione dici poteſt morbus in intemperie , mala compoſitione , & in ſolutâ continuitate , ſpectans magis exornatoriam , quàm ad ſalubrem medicinæ partem : generationiſque ipſius cauſa eſt , cùm intemperies calida jecoris , tum & magis error in ſex rebus non naturalibus , & præſertim in exercitio , & in aſſumptis humores calidos & acres generantibus , cibis ſcilicet ſalitis , & vinis generoſis.

Affectus curatu difficilis , quia confirmatus , & dependens à prædicta intemperie cutis , apta nata corrumpere etiam ſuccos alimentales ; ideoque non difficulter degenerare poteſt in lepram Arabum , ſive Elephantiaſin. Sicuti enim ſcabies eſt affectus medius inter pruritum & lepram ; ita lepra eſt affectus medius inter ſcabiem pſoram dictam , & Elephantiaſin : ideoque ſumma cum diligentia curari debet.

Pro ipſius curatione attenuanda , emollienda ; & ad circumferentiam protrudenda eſt materia impacta partibus cutaneis , detergentibuſque , & epiceraſticis abſumenda ; refrigerantibus & humectantibus intemperies corrigenda : prohibendaque eſt talis materiæ regeneratio refrigerantibus & humectantibus jecur , ſanguinem , & totum venoſum genus : atque refrigerandum eſt & humectandum caput , & ſi quæ materia generabitur , divertenda per ea quæ evacuant totum corpus , præmiſſa humorum præparatione. Hæc præſtabuntur remediis Chirurgicis , Pharmaceuticis , & diæteticis.

Chirurgica erunt univerſalia, & particularia. Quare ſanguis educendus erit primo ex jecoraria dextri brachii, ad unc. 10. deinde, ex venis ſedalibus, ad unc. VI. & tertio per parvas cucurbitulas, vel per hirudines variis partibus affixas.

Pharmaceutica univerſaliu erunt lenientia, præparantia, & purgantia. Pro alvi lenitione *flor. Caſſiæ cum pulpa Tamarindorum, vel Syrup. roſ. ſolut. & de polypodio compoſitus*, erit accommodatus. Præparantia erunt *cichorium, fumaria, borrag. & ſonchus, cum unc. 1. Syrup. de pomis, & unc. ſem. Syrup. de acido citri*. Pro purgatione *rhabarbarum, agaricus, & ſenna, cum Syrup. roſar. ſol. & de polypodio*, ex uſu erunt. Repetantur præparantia, & purgantia, nempe *Syrup. de pomis compoſ. de fumaria compoſitus, de betonica compoſitus, cum aqua fumariæ, cichorii, & borraginis*, alterniſque diebus, loco prædictarum aquarum, præſcribantur *unc. iij. decocti Epithymi Meſues*; ac tandem purgatio fiat infuſione *radicum hellebori nigri, cum agarico in ſero caprino, & addito Syrup. de polypodio compoſito, fiat potio*. Hiſque peractis, duo genera remediorum interna, & duo externa debellabunt affectum. Primum internum erit *ſerum lactis caprini optimè depuratum, cum ſucco citri*, ſumptum ſingulis diebus quindecim dies ad lib. 2. modò cum infuſione ſennę; ut fiat dejectorium, modò cum *emulſione ſeminum melonum*, ut fiat diureticum, Aliud remedium quod erit alimentum, & medicamentum, eſt *caro viperarum* cocta *cum oleo, aqua, petroſelino, & paſſulis*. In prandio, & cœna, mane & veſperi comedat duas viperas amputatis capite, & cauda, neque alio cibo utatur, præter panem & viperas ſpatio quindecim dierum, ſic enim purior fiet ſanguis, tranſmiſſo excremento ad cutem, & interna viſcera roborabuntur, ita ut perfecta ſanitas ſubſequatur: quod bis vel ter feliciſſime experientiâ comperi. Externa erunt linimentum, & balneum. Linimentum fiat *ex farina lupinorum, ſulphure vivo pulverizato, ſale nitro, unguento roſato, & oleo amygd. dulcium cum hydrargyro ſaliva extincto*. Quod hunc in modum parari poterit.

℞. *Farinæ lupinorum libram unam*
Sulphuris vivi pulverizati } *an. unc.* ij.
Salis nitri, }
Unguenti roſ. unc. VIII.
Hydragri ſaliva extincti unc. iij.
Olei amygd. dulcium q. ſufficit.
Miſce pro linimento.

liniatur totum corpus alternis diebus hora ſomni. Aliud remedium erit balneum univerſale, & hoc alternis diebus fiet ex aquis ſulphureis, in quibus per ſemihoram moretur moderatè calidis, & tertia quaque die ex aqua fluviatili tepida, in qua maneat horam circiter, primum adminiſtrabitur ter aut quater, alterum plures dies, ad tollendam intemperiem calidam.

Addatur congrua victus ratio, quæ ſit ciborum boni ſucci, refrigerantium, & humectantium, abſtinendo ab aromatibus, acetariis, ſalitis, & cibis craſſi ſucci, bibendo vinum oligophorum; moderatè corpus exercendo. Ita namque ſuperabitur affectus: qui & curatus fuit in nobiliſſimo patiente.

De Herpete in mento. Pro Nobili Adoleſcente.

Affectus quo nunc detinetur Patiens Nobilis, ratione partis affectę, mentagra dicitur: non eſt tamen iſta mentagra antiquorum, quæ depaſcebatur totam carnem menti, ſed ſunt tubercula quędam in ulcuſcula degenerantia, ſtatimque exareſcentia, & ad circumpoſitas partes ſeſe diffundentia. Ideoque non immeritò herpes miliaris nominanda, eaque genita à fluxione bilis & pituitæ permixtę jecore præcalido, & humido cerebro genitorum atque in mentum tanquam ad partem imbecilliorem confluentium poſt ſanationem abſceſſus in podice ſuborti, & cicatrice obducti.

Affectus non ita ſanatu facilis, cùm ratione fluxionis, tum ratione malæ qualitatis, & intemperiei calidæ in parte affecta contractæ.

Ideoque pro ipſius ſanatione divertenda eſt materia fluens, fluxa ſenſibiliter & inſenſibiliter evacuanda; impediendaque ſimilis materiæ regeneratio per ea quę jecur refrigerant, & caput exſiccant; ac tandem per ſubaſtringentia pars effecta eſt corroboranda.

Pro curatione præſentis affectus, plura quidem hactenus, rectè præſcripta fuere: non tamen omittenda & alia poſthac adminiſtranda. Quare ſi de Chirurgicis ſermo fiat, cum jam ſanguis per venam ſectam fuerit eductus, poterunt iterum applicari cucurbitulæ dorſo pro revulſione: at deinde in progreſſu non diſplicent hirudines undique mento applicandæ, quippe quæ evacuabunt humorem illum vitioſum, qui parti affectæ eſt impactus. Placet quinetiam pro revulſione fonticulus interno dextro femori inuſtus, ſumma cum ratione à Viro præclariſſimo pręſcriptus: nec diſplicent frequentes pedum lotiones cum aqua dulci, vel lixivio alterato *malvâ, lapatho, flor. chamameli & violis.*

Pharmaceutica quod attinet, licet alvus ſponte fluat, non ob id improbantur aliqua blandè evacuantia, nempe *flos caſſiæ recens extractæ ad unc. ſem.* ſępe parum ante cibum ſumptus: *diaprunum cum ſenna, aut paſſulæ cum ſenna*; aut quid tale; nec de aliis præparantibus, aut purgantibus generoſis quidquam dicam, cùm diligentiſſima totius purgatio fuerit jam peracta, decoctum exhibitum, ſeu potius vinum alexipharmacum, & ſolutivum per plures dies: ac tandem *ſerum lactis caprini*. Quare ſuppoſita accurata totius purgatione jam facta, & non ſine ratione repetenda, dejectorium per aliquod ſaltem, *ex rhabarbaro, ſenna, & agarico*; laudo *aquam Villenſem* per quindecim dies circiter, eamque diureticam reddit *cum ſyr. quinque rad. & emulſione melonum*; poſt cujus uſum proderit etiam *ſaccharum roſ. recens ad unc.* 1. manè ſumptum itidem quidecim dies, facta inunctione partis affectæ cum *lythargyro aureo, ceruſa, & granis quatuor ſublimati dulcis.*

De Scabie, & Hæmorrhoidibus dolentibus: &, an pro ipſarum curatione pulvis viperinus cum ſule prunellæ aſſumi tutò poſſit. Ad Excell. Hieronymum Durantem.

Ex ſcheda mihi tradita ab admodum Reverendo Patre Franciſcano, nomine perilluſtris & Excellent. D. Hieronymi Durantes, duas difficultates video objici opinioni meæ de Scabie, & Hæmorrhoidibus conflictantibus Nobilem patientem: quarum prima eſt, in ſcabie nullam pulveris viperini indicationem, nullamque utilitatem futuram, dum ſuſpecta eſt acrimonia illa, quam in ſanguine pulvis viperinus excitare potis eſt; non enim, inquit Vir Doctiſſimus, & optimè, in ſcabie curanda medicamenta admittuntur, quę ſanguinis acrimoniam augent: altera eſt, ſanguinem per hæmorrhoidas fluxurum acriorem à pulvere viperino reddi; hoc enim addit, repugnat experientiæ; nam eo ſumpto viginti dies, & quod excedit, nunquam ab illis venis ſanguinem fluxiſſe obſervatum eſt, quin potius fluxus frequentiam remiſiſſe. Quibus

Quibus propoſitis, obfirmat ſe in ea opinione, quam longa obſervatione ante pulveris viperini uſum conceperat, ſanguinem ſcilicet in Nob. patiente exitum ſibi parare non acrimonia, ſed copia: ſanguinem enim fundunt venæ illæ ſine ullo irritationis ſenſu, vel repletæ, vel laxatæ, ut inquit: ac proinde ſi copia deſit, tunc neque in maximo egerendi fæces conatu ſanguinis guttula exprimitur, ſoluta autem alvo à fructibus horariis, vel à medulla caſſię deglutita, promptè ſanguis rejicitur non irritando, non comprimendo, ſed laxando. Hæc Vir Doctiſſ. perquam doctiſſimè in medium protulit.

Quibus ego pro viribus ſatisfacere conabor, non tanquam alter Hippoc. qui omnium minimè in arte me verſatum fateor, ſed tanquam doctrinæ Hippocraticæ admirator, & pro viribus imitator. Atque ideo cum Hippocr. & Galeno jam ſcripta confirmare non gravabor, quo ſupponens ut veriſſima; quorum primum eſt, me ſemper locutum fuiſſe de pulvere viperino, & ſale prunellæ ſimul junctis, quum ſcriptum ad me fuerit, Nobilem patientem nunc uti ſale prunellæ, & pulvere viperino, quod à præclariſſimo Viro in hac ſchedâ confirmatum video, dum ſcribit quod hæret animus in iis in uſu ſcil. pulveris viperini, & ſalis prunellæ non eſſe ulteriùs grogrediendum. Quare difficultates non emergunt ſolùm ex uſu pulveris viperini, ſed ex uſu utriuſque ſimul ſumpti. Sicuti enim in viperæ carne intemperiem calidam, & ſiccam conſtituit Gal. 2. ſimpl. cap. de vipera, ita in ſale prunellæ, ex ſale nitri & flore ſulphuris confecto, acrimoniam aliquam adeſſe mihi perſuadeo, ideoque à me ſcriptum fuit, quod medicamentum hoc vi exſiccatoria cum mordacitate aliqua præditum eſt. Suppono ſecundo tanquam indubitatum, ſanguinem in Nob. patiente non ſola copia peccare, ſed & acrimonia aliqua, & mala qualitate, idque non ſolum ex ætate conſiſtente, in qua viget ſanguis melancholicus, ſed longè magis ex loco per quem effluit, & ex annexa ſcabie, hoc argumento. Humor ille, quo præſente fiunt affectus, & participes cujus abſentia præſervantur, & curantur patientes à morbis dependentibus à materia mala qualitate peccante, eſt humor non ſola copia, ſed mala qualitate peccans; Atque in Nob. patiente ſcabies aliam non agnoſcit cauſam, quam ſanguinem in venoſo genere contentum, & per hæmorrhoidas expurgari conſuetum, ſcabieſque fit à materia acri; ergo ſanguis hic acrimoniam habet. *Sic atra bile vexatis, & renum paſſionibus hæmorrhoides ſupervenientes bonum,* inquit Hippoc. in Aph. atq; idemmet divinus ſenex ſubjunxit 6. Epid. ſect. 3. *Hæmorrhoidas habentes neque pleuritide, neq; peripneumonia, neq; phagedæna, neque furunculis, neq; terebinthi formam habentibus, fortaſſe neque lepris detineri.* At morbi prædicti non à ſola ſanguinis copia, ſed & à mala qualitate proveniunt. Ergo ſanguis per hæmorrhoidas excerni conſuetus non ſola copia, ſed & mala qualitate peccat: non negando tamen ſola copia peccantem aliquando per has venas evacuari, quod à Galeno cum in Aphoriſmis, tum in Epidemiis, & alibi confirmatum legi: ſed in caſu noſtro, cùm ſcabiem foveat, & conſervet, non poteſt non habere aliquam acrimoniam, quam ſi Nob. Patiens non obſervat in ipſius excretione, hoc aliunde non provenit quam quod dum effluat, non permeat loca ſenſibilia, ſed facta venarum anaſtomoſi, effunditur. Quod ſi in magno conatu ne guttulla quidem effluit, hoc fit, quia tunc eſt in pauca copia; quod ſi excernitur, liberalius ab uſu fructuum horariorum, & flor. caſſ. hoc fit cum ob ſeroſitatem, ratione fructuum; tum ob impulſionem à loco altiori, ratione caſſiæ, non tamen à ſola venarum laxitate: hunc etenim non tam facilè ſiſteretur, & ex valido conatu denuo funderetur. His itaque ſuppoſitis, primæ difficultati reſpondendum cenſeo: in ſcabie nullam indicationem, neque ullam utilitatem futuram ex uſu pulveris viperini, quotieſcunque ſumetur cum ſale prunellæ, ratione acrimoniæ ipſius: ſed ſi ſolus pulvis viperinus vel etiam caro viperina exhibeatur, uſui erit, protrudendo humores ab internis viſceribus, & à venoſo genere ad cutem, non ſecus ac factitatum fuiſſe in leprę curatione nos docuit Gal. 2. Simpl. cap. de vipera, ubi retulit tres, aut 4. caſus lepræ curatæ potu vini, in quo extincta fuit vipera. Ubi enim vitioſus humor ad cutem detruſus fuerit, levata maſſa ſanguinea, tunc facilius ſanatur ſcabies: quæ non aliam ob cauſam verno tempore alioquin ſaluberrimo efflorcſcere ſolet ex Gal. & Hippoc. 3. Aph. 20. tex. & com. Ex his facilè etiam tollitur alia difficultas, nempe, quod ſi acrimoniam haberet pulvis viperinus, ſanguinem hæmorrhoidalem concitatiorem reddidiſſet. Reſpondetur enim primò, quod ſolus pulvis viperinus ſine ſale prunellæ ſumptus nullam habet acrimoniam; addo ſecundo, quod ſi ſumtus fuit cum ſale, & nihilominus juvit, duplicem ob cauſam prodeſſe potuit. Primò quia propellendo humores ad cutem, divertit ab hæmorrhoidibus & ſic imminuit, non tamen fluxionem: ſecundò quia facta jam copioſa ſanguinis effuſione, requiritur aliquod tempus ad novę materiæ collectionem, quæ denuo à natura expurgetur: non ſecus ac evenit in menſtruis muliebribus purgationibus. Si enim copia deſit, ut optimè ſcripſit Vir Excellent. non ſuccedit evidens ſanguinis evacuatio. Atque hęc dicta ſint, ut pro virili quæſitis ſatisfaciam, committens non hęc ſolum, ſed & cætera Nobiliſſ. Viro neceſſaria prudentiſſimo & acutiſſimo ingenio viri præclariſſimi, & in arte verſatiſſimi. *Benedict. Silvat. Conſil. & Reſponſ. Medic. Cent.* I.

Affectus totius Corporis pruriginoſus.

Sereniſſimus Dux Dominus meus, cujus temperamentum eſt Illuſtriſſimæ Dominationi veſtræ notum, natus ex Patre, qui infectus fuit impetiginę, cum puſtulis quibuſdam per corpus diſperſis, quæ dum deliteſcebant, atrum in cute relinquebant colorem indelebilem, quando deſiit impetigo, incidit in dolores arthriticos & podagricos immanes, ſemper qualibet ſeptima die repetentes in toto vitę ſuæ curſu, cum hac lege ac ordine, quod quando dolores & arthritici cruciatus remittebantur, ſtatim Diarrhœa humoralis ſuccedabat, invitaque medela à variis Medicinę Proceribus inſtituta, humores adeo venefici facti fuere, ut in ętate annorum viginti ſeptem diem ſuum obierit, poſtquam ex vigeſimo primo cœperit pręfatis vexari doloribus, ex pingui carnoſoque, velut macie conſumptus factus, & per annos ſeptem ab illorum inſultu nullius fere diei ab illis intermiſſionem expertus, cum maxima admiratione Anglorum, Gallorum, Patavinorum, Romanorum & Bononenſium Medicorum, pręter plures Spagyricos qui illum inviſere. Dux meus pręſens ex eo natus, nullis in proceritate, forma, partium concinnitate, ſtructura corporis & animi dotibus admirandis ſecundus, in annorum ętate quatuordecim conſtitutus, dum Natura cum ſanguine & ſpiritu gliſcere incipit, per annos multos inculpatam valetudinem ſortitus poſt medelam ei adhibitam, pro qua ſimul convenimus, in gratiam cujuſdam deſtillationis ad aures, & pro prurigine corporis, omnino ſanus factus eſt uſque ad ætatem annorum quatuordecim, in qua poſt varias animi & corporis fluctuationes propter matrimonium Sororis Sereniſſimę, pręter hęreditarium à Patre in eo relictum inquinamentum, plus juſto in antedicta ætate incaleſcente ſanguine, adjecti corporis exercitiis lauda-

laudabilibus quidem, ſed inaſſueto incongruis, incidit in impetiginem totius corporis, cum maximo pruritu, cutis aſperitate, & parvis, rubris, miliaribuſque efflorescentiis per ambitum totius diſperſis, ut in collo, pectore, dorſo, brachiis, ventre & cruribus, quæ nunc incipiunt redolere naturam humidæ ſcabiei, dirumpuntur enim nonnullæ efflorescentiæ, aliquamque tenuem emittunt ſaniem, maxime in collo & manibus, & non in alia parte de præſenti. Jam notum eſt, quod Bacchanalia diſſipant Leges victus rationis, erroreſque inferunt in motu, hinc factum eſt, non ex hoc capite ſimpliciter, ſed jure hæreditario, quod inciderit in dictam impetiginem, hoc tempore, ſemper tamen ab ejus ortu plus & minus vitæ pruritum perſenſit, non obſtante optima congruaque victus ratione, vina parva, non dulcia & aqua lymphata in quantitate minima bibens, ſicut ſemper parce comedens cum modis ejus temperamento idoneis. Hæc ſunt, quæ currenti calamo ſcribo circa præſentem affectum, pro quo, quid, quale, quantum, tempus & modum omnino ſubjicio prudentiæ Dominationis veſtræ Illuſtriſſimæ, cui me totum voveo.

Dum ego quolibet alio, quàm Medici titulo, Sereniſſimo noſtro Domino inſervire cupio, ægro animo pro eodem operam medicam exerceo. Verum cum humanę vitę alterationibus ſublunaribus obnoxiæ proſpexit Altiſſimus, Artem medicam, ut neceſſariam, ipſe creavit, præcipuè in Regum atque Principum gratiam, quorum & ipſe potiſſimum curam ſemper atque cuſtodiam habuit, ut ſubditis omnibus præeſſe, eoſque recte cuſtodire ac gubernare poſſent. Et nos igitur ingenium totis viribus intendere debemus pro conſervatione hujus meritiſſimi Principis, quemadmodum te, Vir Excellentiſſime, præſtitiſſe video, dum ex tua exactiſſima relatione facile conjicere mihi licet, tum ideam, tum cauſas affectionis in præſens Sereniſſimum divexantis; etenim ſicut ſcabies ſicca, ad impetiginem redigi poteſt, ita impetigo quodammodo humida ad ſcabiem certo redigitur; quare diſpoſitio totius corporis pruriginoſa, qua Sereniſſimus detinetur, mediam quandam affectionem eſſe inter impetiginem & ſcabiem, dubio procul decernere debemus, cujus cauſa non ſolum in errores in vivendo commiſſos, nimirum in nimios, tum corporis, tum animi motus, ſed multo magis in naturalem & hęreditariam pravam diatheſin à Paterno ſemine contractam referenda eſt, cum etiam in tenella ætate ſex annorum ante errores commiſſos affectum non abſimilem paſſus fuerit, quo Pater Sereniſſimus magnopere iterum atque iterum affligebatur; quod non aliunde provenit, quam à jecoris & cordis intemperie calida, alimentalem ſanguinem calidum producente, necnon à ſanguine congenito, qui cum juſto calidior exiſtat, alimentalem quoque calidiorem reddit, cujus ebullientem tenuiorem partem ejuſdem ſpumoſam ad univerſi corporis cutem Natura pro minori malo tranſmittit, cutem eandem puſtulis magna ex parte ſiccis, nonnihil etiam humidis inficit & pruriginoſam affectionem efficit.

Pro cujus extirpatione, major difficultas in anni tempore conſiſtit; etenim ſi vernum eſſet, ut eſt hybernum, certa foret, & cum minori Sereniſſimi moleſtia ſanatio; attamen quoniam à Vere multum diſtamus, & interim affectus impetiginoſus certo augeri, & cutaneæ partes univerſæ progreſſu facile & infici, & pravam diatheſin atque corruptivam diſpoſitionem adipiſci poſſent; idcirco tranſactis hiſce diebus Bacchalinorum, incongruo quoque anni tempore, opem medicam Sereniſſimo præſtandam eſſe conſulo, ut à pręſenti moleſtia vindicetur, & ab alio aliquo imminente affectu, augeſcente cauſa, præſervetur.

In quem finem primæ viæ erunt expediendę. Venoſum genus a bilioſis impuritatibus purgandum. Jecoris, cordis & ſanguinis calor contemperandus; atque tandem cutaneæ infectioni incumbendum.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, ex fonte Chirurgico duplex erit depromenda ſanguinis miſſio ex utroque brachio, ſed parca; tertia quoque faciie erit ſuo tempore addenda à partibus cutaneis, cucurbitulis hinc inde una vice appoſitis, ut ſubcutaneus tantum & infectus ſanguis extrahatur, non autem à profundioribus partibus attrahatur. Cauterium quod jam geſtat, cuſtodiatur, & alterum in coxa, quod inuri poſſet, omittatur, tum quia non adeo ad præſervationem neceſſarium videtur, tum quia equitationi valde incommodum evaderet.

Ex Pharmaceutico fonte, Lenientia, Præparantia, Purgantia, intemperiem corrigentia, & cutem univerſam reſpicientia, ſunt deſumenda.

Lenientia eſſe poterunt caſſia, aq. caſſ. ſyr. roſ. vel viol. ſol. Prima Præparantia erunt jura pullæ, Cichoraceis, violis, malva alterata, addito julap. viol. vel roſato. Prima peracta viarum expiatione, ad ulteriora Præparantia erit deveniendum; in quem finem potius aquæ ſtillatitiæ, quàm herbarum ſucci, erunt eligendæ, cum hoc anni tempore herbarum folia ſuis viribus careant, ad radices contractis; quare aqua ſtillatitia ex ſucco cichorii efficaciſſima erit ad integrum cyathum, cui immiſceri poterit Conſerva de acido citri, vel ſyrup. de acido citri & de ſucco limonum. Prærogativam etiam habet ſal prunellæ ad ʒj. eidem aquæ commiſſus; pariter ſpiritus vitrioli ad gutt. VI. Tua autem erit, Vir Sapientiſſime, electio. In horum uſu perſeverabit viginti ſaltem diebus; & ſingula hebdomada bilioſus humor erit purgandus elect. de ſucco roſar. cum caſſ. vel infuſ. rhabarb. addito ſyr. roſ. ſolutivo, quibus ſuperbibat ſerum capr. depur. ad ℔ij.

Hâc Purgatione peracta, reſiduum peccantis humoris ad cutem expellendum, ad maſſam ſanguineam prorſus defæcandam; quod egregiè præſtare poterit caro viperina, ſive ejuſdem decoctiones in jure, ſive in ſubſtantia pulvis cum aqua ſtillatitia borraginis & cardui ſancti exhibendus. Nec quicquam de calore timendum, cum Vipera inter Animantia frigida aperris verbis à Galen. enumeretur, eſt tamen tenuium partium & diaphoretica, adeo ut Galen. idem de Vipera dixerit, quod Caro Viperę valdè digerat, & ad cutem properet; ut propterea Philoſophum quendam, & alios quam plures obſervaverit Galen. à morbis cutaneis potu vini viperati ſanatos. Dum autem viperata remedia prębentur, frictionibus univerſalibus totum eſt exercendum, imo & cucurbitulis ſiccis cito detractis & repetitis; totumque corpus indumentis munitum eſt cuſtodiendum.

Poſt hæc, ut viſcerum & ſanguinis fervor contemperetur, & ſimul ejuſdem acrimonia edulcoretur, Alterans anni tempori proportionatum erit præſcribendum, & hujuſmodi eſſe poterit.

℞. Sem. melon. mundat. ℥j. ſem. cucurb. angur. mundat. ana ℥ß. contundantur, & cum jure pullæ junioris ad ℥ VII. extrahatur Emulſio, cui addatur ſacch. albi cochlear, julap. roſ. ℥j. & m. ſummo mane aſſumenda; in cujus uſu perſeveret XX. aut XXX. diebus: non enim prorſus deleri poterit cutanea affectio, niſi ejuſdem radices evellantur & extirpentur.

Interim topica quoque medicamenta ſunt adminiſtranda, ſed toti corpori cæteris omnibus peractis; pro manibus autem & partibus apparentibus atque detectis, quolibet alio tempore Sereniſſimus iiſdem utatur; jucundiora autem & minus moleſta ſunt eligenda; inter quæ apud me paratur aqua hunc in modum.

 ℞. Vitrioli

℞. Vitrioli Rom. calcinati ℥ij. Aquæ roſarum ℔j. Aquæ ſcabioſæ ℔ß. m. fiat inf. per horas 24. deinde fiat colat. & ſervetur ad uſum; qua aqua madefiat ſpongiola, & tangantur partes affectæ.

Quibus omnibus erit addenda, & à ſumma prudentia tua præſcribenda congrua vivendi ratio, ita ut victus ſit refrigerans. Potus ſit vinum album, tenue & aquoſum. Somnus nocturnus ſit diuturnus. Exercitia ſint moderata, motus enim eſt cauſa caloris. Alvus obediens ſervanda, vel jure malvâ alterato, vel flore caſſ. ad ʒ ij. in prima menſa. Et tandem animi motus, ita nimirum, cæteræque perturbationes ſunt arcendæ. Hæcque ſunt ab anni tempore permiſſa administranda, ne affectus hujuſmodi in præſens habitudinalis, in progreſſu habitualis evadat. Ita D. O. M. meritis Sereniſſimi Ducis aſſiſtat, & vota noſtra ſecundet. *Joan. Raym. Fortis Conſultat, & Reſp. Medic. tom. 2. Cent. 3.*

Pruriginoſus Affectus.

Illuſtriſſimus Comes & Gubernator, annum agens quinquageſimum quartum, temperamenti ſecundùm totum & jecur, ad calidum & ſiccum vergentis, mediocris habitus, in Caſtris ſuperioribus annis vitam ducens, & ideo, etiam invitus, eduliis pravi ſucci, præſertim ſalitis & vinis generoſis, ſulphure conditis enutritus fuit. Tandem menſe Septembri proxime præterito prurigine quadam brachio ſiniſtro moleſtari cœpit, quæ ad alterum brachium, & inde ad pectus ac dorſum paulatim ſeſe propagavit. Et quamvis à Medico ſuo domeſtico varia fuerint adhibita remedia, nihilo tamen mitior unquam facta eſt: quinimo adeo increvit, ut ſomnum interrumpat, & noctes inquietas reddat; ut propterea etiam hoc tempore hyemali ad Purgationes incongruo, medicam opem quærere cogatur, ut, ſi non ex toto auferri, ſaltem minui atque miteſcere poſſit moleſtiſſimus iſte affectus.

Pruriginoſum affectum quo quibuſdam abhinc menſibus moleſtari cœpit Illuſtriſſimus Comes, ab impuritate ſanguinis provenire non eſt quod dubitemus: cujus impuritas conſiſtit in redundantibus ſeroſitatibus, iiſque potius acidis & melancholicis, quàm acribus & bilioſis, quæ in declinante ætate & autumnali tempore vigere & abundare ſolent, & ideo Senibus ut plurimum familiaris eſt iſta affectio: ſicut Scabies aliis ætatibus accidere conſuevit, quia craſſis non ſolum, ſed crudis quoque ſuccis abundant ob vivendi libertatem. Multo facilius vero huic Illuſtriſſimo Viro contigit moleſtus affectus iſte pruriginoſus, cùm alimentis pravi ſucci, & frequenter ſalitis; necnon vinis meracioribus ac ſulphureatis (vel invitus) multo tempore nutritus fuerit: quibus non ſolùm cacochymum ſanguinem, ſero ſalſuginoſo & acido refertum, verùm & calidam in jecore intemperiem ſibi comparavit, juges ſeroſitates reproducentem: quas, utpote nutritioni inutiles, provida Natura ad ambitum corporis, tanquam ad univerſale Emunctorium pro minori malo depoſuit. Et cum ab ambiente, autumnali tempore, frigidiori reddito, cohibita fuerit inſenſibilis earumdem tranſpiratio atque reſolutio, hinc factum fuit quod ſub integumentis detentæ atque denſatæ, indeque ad cutem & cuticulam detruſæ, pruriginoſam affectionem conſtituerint, quæ moleſtior (adaucta ambientis frigiditate) facta eſt, prout ſemper magis inſenſibilis tranſpiratio atque diſcuſſio inhibita fuit.

Eſt iſte affectus moleſtus. Et quamvis in præſens periculo vacet, vigilias tamen inducens, coctionibus obeſſe poterit, & Cacochymiam adaugere; & idcirco ſpernendus non eſt, ſed quamprimum ejuſdem radices extirpandæ, antequam prava diatheſis putrilaginoſa ſub integumentis comparetur; quæ poſtea non modo difficilem, ſed frequenter impoſſibilem Curationem reddit.

Quare ſpe priſtinæ ſalutis concepta, Purgatio regularis ineunda erit, primas vias expiando. Secundò Venoſum genus ab impuritate vindicando. Tertiò Maſſam ſanguineam edulcorando; atque tandem jecoris & venarum calorem contemperando, pruriginoſamque moleſtiam demulcendo. Quibus intentionibus ſub fine Veris tantummodo ſatisfieri poterit: tunc enim ex Jecoraria ſanguis erit mittendus: cucurbitulæ plures, vulgo dictæ *Cornetti*, in fine Purgationis univerſo corpori affigendæ. Expeditis primis viis, ſuccis cichorii, borag. pom. dulc. fumariæ depuratis in decoctione Cichoraceorum, additis foliis malvarum, violarum, ſonchi, hepaticæ, erit multo tempore utendum: & quinto quoque die minorativum aliquod Purgans exhibendum, ex flore caſſiæ, electuario de ſucco roſarum, Extracto ſenæ & Magiſt. mechoac. paratum, ſerum depuratum ſuperbibendum propinando. Et ut ex toto ſeroſitates à maſſa ſanguinea ſegregentur, & ad cutem impellantur, viperata quoque medicamenta erunt ad uſum ducenda, ut viperinus pulvis, aut jus pullæ carne viperina nutritæ. Inde ad duo præcipua & neceſſaria remedia erit deveniendum, internum unum, & erit lactis caprini uſus quadraginta aut quinquaginta diebus: externum alterum, eritque Balneum univerſale aquæ dulcis, foliis malv. viol. ſcabioſæ, ſalicis, & in fine etiam ſatureiæ alteratæ, viginti diebus adminiſtrandum. Tandem Conſervæ roſarum uſus aptiſſimus erit, præſertim ſi ſuperbibatur aqua ſtillat. de ſucco cichorii.

Sed quoniam affectus urget, & in præſens quoque medicum auxilium expoſtulat; idcirco ſummariam & coactam, non adeo regularem Curationem, quam anni tempus permittit, proponam: & primo ventriculum & inteſtina ab excrementis mundare eſt prorſus neceſſe, quod præſtabitur electuario lenit. cum crem. tartari bis repetito; & intermediis quinque diebus, cremore tart. ad ſemiunc. in jure fruſtulo cinnam. alterato, diſſoluto. Hinc ſtatim ad uſum lactis arte facti deveniendum, hunc in modum parati.

℞. Seminum melon. anguriæ, cucurbitæ mundat. an. ℥ß. amygdalarum dulc. num. xv. m. contund. in mortario, & cum jure pullæ tenui extrahatur Emulſio ad ℥vii. cui addatur ſyrupi de pom. ℥j. m. pro potu matutino, quatuor horis ante prandium; & in hujus uſu perſeverandum ad quadrageſimum uſque diem: ſed quarto quoque die aſſumat Minorativum hujuſmodi.

℞. Aquæ ſtillat. de ſucco cichor. ℥vii. ſucci limon. ℥j. rhabarb. maturi inc. in petia alligati ʒj. m. f. infuſio per horas duodecim & mane facta colatura, præbeatur tribus aut quatuor horis ante prandium. Interim pro pruritu ſedando illiniendæ partes oleo amygdalino recenti. Hæcque in præſens ſat ſint.

Quibus congrua erit addenda vivendi ratio, præſertim in cibo & potu: cavendo ab acribus, acidis, ſalitis; à vinis generoſis; à condimentis aromatum, allii, cæparum: & potius veſcatur eduliis ex lacte paratis, Emulſione ſeminum melonum & amygdalarum dulc. conditis, & in reliquis Excellentiſſ. ſuo Medico Adſtanti prorſus obtemperet. *Idem ibidem.*

Scabies univerſalis cruſtacea.

Conſultatio I.

Admodum Reverendus Pater quadrageſimum quintum annum agens, temperamenti ſecundum totum calidi & humidi, hepatis tamen calidioris, habitus ſatis carnoſi, liberam quidem, at non licentioſam vitam

vitam ducens; anno elapſo moleſtari cœpit à pruritu quodam qui paulatim ſerpendo, ab extremis partibus ad univerſum corpus ſeſe propagavit, & progreſſu intenſior factus, adeo Admodum Rev. Pat. ad ſcalpendum coegit, ut ichores non ſolum ſimplices, verum & cruenti erumpere cœperint, cruſtas ſubinde relinquentes & poſtea ſuccreſcentes. ita ut ſcabioſum cum pruritu & cruſtis undequaque refertum factum fuerit univerſum corpus: cruſtis interim & flavi, & albi coloris copioſis in lecto noctu decidentibus, & novam reproductionem iterum habentibus; quam affectionem nec contactu, nec minus Venereo congreſſu contraxit. Multa hoc tempore præſtita fuerunt medica auxilia, refrigerantia, purgantia, ſanguinem fundentia, & Topica, ſed omnia incaſſum adminiſtrata fuere, forſan quia ſat non fuit maſſa ſanguinea depurata, nec jecoris intemperies calida ſatis remiſſa: & quod ego magni facio, neceſſaria aliqua omiſſa ſunt, ablatio nimirum diatheſis putrilaginoſę ſub integumentis latentis. Quę omnia mihi conſideranda & perficienda, dum Vere præſenti me de agendis pro ſalute conſulit.

Affectus itaque cutaneus à planta pedis uſque ad verticem capitis Admodum Reverend. Patris, totum corpus occupans, ſicut ab initio pruriginoſus tantum fuit, ita progreſſu ad Scabiem & Pſoram pervenit, nondum tamen Lepræ naturam attingens: Etenim quamvis cruſtaceus factus fuerit, cruſtæ tamen decidentes flavi & albi, non nigri & atri coloris apparent & quod magis eſt, colorem in cute rubrum, non atrum, cutemque ipſam humidam potius, quàm aridam relinquunt. Hujus autem affectus cauſę externæ forſan eſſe potuerunt potus vini generoſi, aut dulcis, & incolatus in aëre lacuſtri & craſſo, quę & jecoris naturalem fervorem adaugere, & ſanguinem cum ſpiritibus incraſſare & inquinare potuerint, cùm nec lues Celtica, nec aliud contagium hîc locum habuerit. Verùm cauſa interna & immediata in impuritatem totius ſanguinis eſt referenda, hæcque à calida jecoris intemperie producta, quę impuritas conſiſtit in nimis fervido, & quodammodo exuſto ſanguine, cum ſeroſitatibus, tum acribus, tum acidis, imò & cruditatibus additis, atque ex commiſtione ſalſuginoſis redditis; ut propterea ab iiſdem oppreſſa & irritata Natura, cum diutius pravorum hujuſmodi ſuccorum præſentiam tolerare nequierit, eoſdem à partibus internis nobilioribus ad externas ignobiliores propellere conata fuerit, ſicque ab initio tenuiori ichoris portione ad cutem detruſa, prurigo tantum in ſumma cute excitata fuit, at excreta deinde craſſioris & heterogenei excrementi portione ad cutem ipſam, Scabies & Pſora cruſtacea ſecuta eſt.

A qua omnino liberari poſſe Adm. Rev. P. non eſt quod dubitemus, quamvis non adeo facile: operoſam enim ac diuturnam exigit affectus iſte Curationem, ne migret in Lepram; pro qua Curatione explenda, primę vię ſunt expiandæ. Secundò Maſſa ſanguinea ab impuritatibus vindicanda. Tertiò Fervida jecoris atque ſanguinis intemperies calida corrigenda; Quartò Totum corpus extrinſecus à Scabie & cruſtis mundandum. Quintò Diatheſis putrilaginoſa latens ſub integumentis removenda; atque tandem tota maſſa ſanguinea edulcoranda.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, remedia à Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico fonte ſunt depromenda. Et à Chirurgico duplex ſaltem ſanguinis miſſio ex utroque brachio, ſeu manu: etenim & tertia ex hæmorrhoidibus non parum prodeſſe poſſet. Reliqua ex hoc fonte deſumenda, ordine executivo erunt proponenda.

Pro prima intentione adimplenda, primum Leniens ita parabitur.

℞. Pot. ex man. clarif. ℥vi. aq. florum citri parum, m. pro potu. Præparans quinque diebus aſſumendum, erit.

℞. Julap. acet. ℥ ij. ſyr. de pom. aq. florum citri an. ℥j. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Secundum Leniens erit.

℞. Syr. roſ. ſolut. de polypod. compoſ. an. ℥ iij. aq. florum citri parum, m. f. potio; cui, tribus tranſactis horis, ſuperbibat ſeri capr. ℔ ij. & duabus horis ab aſſumpto ſero prandeat.

Pro ſecunda intentione, Pręparantia ex ſuccis herbarum depur. ita paranda erunt.

℞. Succi depur. cich. borag. fumariæ an. ℥ j. decoct. endiv. ſonchi, meliſſę, lupulorum ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro quinque aliis. Interim his diebus prima vice educatur ſanguis. Septima die Purgans hujuſmodi exhibeatur.

℞. Pot. ex man. clarif. ℥v. addendo infuſioni conſuetę rhabarb. opt. ʒ j. agarici trochiſc. ʒ ij. cinnam. integri parum, ſicque facta colatura, fiat potio; cui pariter ſuperbibat ſerum depur. ad ℔ij. ut ſupra. Deinde repetantur ſucci cum decoct. ita.

℞. Succi depur. cich. borag. fumariæ an. ℥j. decoct. meliſſę, lupulorum, violarum, malvarum, ſonchi ℥ v. ſalis tart. fixi gr. x. m. pro ſyrupo, & pro ſex aliis; Et interim his diebus fiat ſecunda ſanguinis detractio. Inde aliud Purgans eſt exhibendum, ita.

℞. Decoct. Epith. Meſ. ſyr. roſati ſolut. rec. an. ℥ iij. aq. florum citri parum, m. f. potio; cui ſuperbibat ſerum capr. ad ℔ ij. ut ſupra. Et inde repetantur ſucci hunc in modum.

℞. Succi depur. cich. fumariæ, agrim. an. ℥j. decoct. borag. endiv. meliſſæ, lupulorum. ſcabioſę, cardui ſancti ℥ v. ſalis tart. fixi gr. x. m. pro ſyr. & ſic pro quinque aliis; quibus Purgans ſuccedat.

℞. Decoct. Epith. Meſ. ſyr. de polypod. compoſiti an. ℥ iij. aq. florum citri parum, m. pro potu; cui ſuperbibat ſerum capr. ad ℔ ij. ut ſupra. Inde repetantur ſucci ita.

℞. Succi depur. cichor. fumariæ, beton. an. ℥ j. decoct. borag. violarum, endiv. hepaticę, meliſſæ & ſcabioſæ ℥ v. ſalis tart. fixi gran. 10. m. pro ſyrup. & ſic pro quinque aliis. Hiſque diebus, ſi ſanguis ſecunda vice extractus valde impurus fuerit, aperiantur venę ſedales pro tertia extractione. His autem poſtremis ſuccis aſſumptis, ſequatur hujuſmodi expurgatio.

℞. Decoct. Epith. Meſ. helleboratæ ℥ vi. irroretur guttulis aquæ cinnam. f. potio; cui, tribus tranſactis horis, ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. lb iij. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Hæc eadem potio bis adhuc tertio quoque die repetenda erit, cum eadem ſeri quantitate. Diebus autem intermediis bibat aquam ita parandam.

℞. Aq. ſtillat. de ſucco cich. ℥ x. ſalis prunellæ ʒß. m. pro potu, tertio quoque die aſſumendo.

Pro tertia intentione explenda, potus aquarum ſponte naſcentium neceſſarius erit; inter quas, Nocerianas eligendas eſſe cenſeo, quæ cum minerales non ſint, jecur refrigerare, & ſanguinem edulcorare quoque poterunt, præbeantur autem tribus primis diebus cum vehiculo dejectorio ſyrupi roſ. ſolut. aut potionis ex man. clarificata, reliquis vero XII. diebus cum vehiculo diuretico, ex ſyrup. de ſucco limon. & guttulis ſpirit. tartari ter rectif. parato; in fine exhibendo potionem ex man. clarif. ut educatur portio aliqua aquæ relicta forſan, & non educta.

His peractis, ut reſiduum impuritatis totum ad cutem propellatur, ad uſum pulveris viperini deveniendum, cujus doſis erunt gr. 20. in aqua cardui ſancti ad ℥ IV. additis ℥ij. vini albi aquoſi tenuiſſimi; in cujus uſu x. diebus perſeverandum. Nec obſtabit anni

anni tempus calidum: ſiquidem Vipera eſt animal frigidum, licet valde ſiccum & diaphoreticum.

Interim quartæ intentioni ſatisfaciendum erit remediis externis. Sic quatuor aut quinque diebus, mane, & veſperi manibus madefactis aqua, nunc deſcribenda, illiniatur totum corpus; mox paretur Balneum, in quo maneat per horæ dimidium quotidie matutinis horis per alios quinque dies, & à Balneo ſtatim fiat illinitio, ut ſupra, eadem aqua ita paranda.

♃. Arantiorum acidorum in fruſtula inciſorum num. 20. ponantur in B. M. & deſtillentur; deinde.

♃. Aquæ ab iiſdem deſtill. ℔ j. Mercurii dulcif. ʒß. m. diſſolvatur. Balneum verò paretur ita.

♃. Aquæ com. ſitulas IV. ſalis com. ℔j. m. bulliant, & ſpuma detrahatur: mox adde foliorum origani, pulegii, calamenthi montani, malvarum, mercurialis, borag. ſalviæ, ſatureiæ an. manip. j. bulliant ad conſumpt. quartæ partis aquæ, quæ in labello ligneo oblongo, aqua communi ſemi repleto affundatur, & ſimul miſceatur, pro Balneo univerſali tepido.

Decem jam dictis tranſactis diebus, Cucurbitulæ parvæ, *Cornuti* dictæ, undequaque dorſo, naribus & coxis apponantur, & paucis inciſionibus factis extrahatur primus tantum ſanguis, mox removeantur, ut quintæ intentioni ſatisfiat: pro qua perficienda, ſequentibus diebus parva ſpongia, aquâ deſcribendâ imbuta, partes magis affectæ tangendæ ſine deterſione: ita namque reſiduum latens prorſus extirpabitur; aquæ vero deſcriptio eſt hujuſmodi.

♃. Vitrioli Rom. calcinati ℥ IV. aq. roſar. aq. ſcabioſæ an. ℔ j. m. infund. per 24. horas, deinde fiat colatura ad uſum.

Tandem poſtremæ intentioni commode ſatisfacere poterit lac aſininum, ſummo mane de more cum ſaccharo ſumptum ad XXX. vel XL. dies; quo tempore Balneum aquæ dulcis horis veſpertinis, malvis, violis, ſoncho, nymphæa & ſalice alteratæ, conveniens erit. Vel ſaltem pro Balneo ſubſtituatur natatio in frigida.

Et his omnibus concurrat congrua vivendi ratio, præſertim in cibis & potibus, adeo ut vitentur alimenta & condimenta calidiora, & vinum generoſum, ut recuperatam ſanitatem conſervare poſſit Admodum Rev. P. quam ego à Summo Deo eidem ex corde precor.

Pro eodem.

Conſultatio II.

Jam tertius percurrit annus, quo non minus fœdo quàm moleſto affectu cutaneo; pruriginoſo primò, mox ſcabioſo atque cruſtaceo ſummopere vexatus fui, & in præſens, licet remiſſe, divexor: ob quem ſummam Virtutem tuam, Vir Præclariſſime, conſului, & præſcriptam Purgationem executioni mandavi, cum maximo levamine; ſed ſubſequenti anno, ineunte Vere recruduit affectus ipſe. Et quoniam Tu ad Sac. Cæſaream Majeſtatem accerſitus fuiſti, ad Eximios Medicos Vicentinos confugere coactus fui, qui Purgationem ineundam, à tuis Præſcriptis non valde diſſimilem, deſcripſerunt: qua abſoluta, evidentiſſimam quidem utilitatem, & affectûs diminutionem percepi, non tamen prorſus affectus unquam evanuit: imo ſub initio hujus menſis Martii increvit affectus ipſe inguina & ſcrotum occupans, necnon ſub axillis erumpens, cum pruritu, qui me frequenter manus admovere cogit, & unguibus ſcalpere, à quibus affectis partibus veluti furfures decidunt. Quare pejora timens, dum & à præſenti moleſtia vindicari cupio, ad Te tanquàm ad unicam ſpem meam rurſus confugio ſanandus.

Quoniam veritas una eſt, & morborum, ut dicebat Hippocr. oſtendit ſanatio, idcirco in eadem ſententia maneo, in ſuperiori Conſultatione à meipſo exarata, nempe affectum hujuſmodi cutaneum pro cauſa immediata ſanguinis impuritatem cognoſcere, quæ in acris & acidi humoris redundantia conſiſtit: ſicut à fervida jecoris & cordis intemperie, tanquam à mediata cauſa procedere. Quam veritatem confirmavit levamen bis jam ſequutum ab elective purgantibus medicamentis, necnon ab intemperiem calidam corrigentibus. Verùm quoniam intemperies ad ſummum gradum redactæ, non adeo facile, nec brevi remitti poſſunt, ideo ab eodem exuberante calore eorumdem humorum reproductio quamvis minor ſecuta eſt: ut propterea repullulaverit affectus ipſe, non tamen per univerſum corpus, ut antea, neque ſub forma Scabiei, ſive Pſoræ quoniam humor ipſe nec adeo copioſus, nec adeo activus eſt, ſed ut exiguus, è jecore ad inguina & ſcrotum; è corde ad axillas, tanquam ad propria emunctoria facile deponitur, & pruritus furfuraceus conſtituitur.

Et quamvis Axioma Medicum ſit, quod quæ ſemel adminiſtranda juvant, repetita ſanant, non tamen omnino locum habere debet in caſu noſtro: etenim intentiones quidem medicæ eædem, non tamen eadem medicamenta uſurpanda erunt: ſiquidem, expiatis primis viis, maſſa ſanguinea erit depuranda. Intemperies calida viſcerum corrigenda. Sanguis ipſe edulcorandus; & Topica affectis partibus admovenda; at tot repetita valida Purgantia, nec impenſe refrigerantia, convenient, ne Charybdim evitare cupientes, incidamus in Scyllam: Epicraticam enim evacuationem excrementorum exigua & perſeverans reproductio deſiderat: ſicut paulatinam, ſed diuturnam correctionem expoſtulat intemperies, cum dicat Hippocrates, quod impenſe & confertim calefacere, aut refrigerare, non ſine periculo ſit, quod vero paulatim fit, tutum eſt; Quare his jactis fundamentis, ſequens erit inſtituenda Curatio, Paſchate peracto incipienda.

Et primum Leniens ſit hujuſmodi.

♃. Syr. roſ. ſolut. pot. ex man. clarif. an. ℥iij. aq. florum citri parum, m. pro potu; cui poſt tres horas ſuperbibat aquæ hordeac. libram, & duabus horis ab epota aqua prandeat. Primum Præparans quinque ſequentibus aſſumendum, erit.

♃. Julapii acet. ℥ ij. ſyr. de pom. aq. florum citri an. ℥ j. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; quibus ſuccedat idem Leniens præſcriptum.

Hac prima exacta intentione, ad ſecundam explendam erit deveniendum præparantibus & purgantibus medicamentis. Præparans autem erit hujuſmodi.

♃. Succi depur: cich. borrag. pom. dulc. an. ℥ j. decoct. in jure pullæ paratæ endiviæ, ſonchi, violarum, malvæ, meliſſæ, ℥ IV. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis decem. In quorum intermedio & fine aſſumat Minorativum hujuſmodi.

♃. Floris caſſ. rec. extr. ℥ß. Elect. de ſucco roſarum, confect. Hamech. ʒ j. Extracti ſenæ, rhabarb. an. ʒß. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. ℔ ij. tribus vero horis ab epoto ſero prandeat. Interim primis diebus aperiatur Jecoraria dextera, & educatur ſanguis ad ℥ VII. His peractis in eadem intentione inſiſtendum: ſequenti namque die ſucci depur. erunt ita repetendi.

♃. Succi depur. cich. borrag. fumariæ an. ℥ j. decoct. jam præſcriptæ; additis hepaticæ foliis, ℥ IV. m. pro ſyrupo. Aut ſi magis ad aquæ potum inclinet Adm. Rev. Pat. ita præſcribatur Alterans.

♃. Aq. ſtillat. cich. anguriæ an. ℥ IV. ſalis prunellæ ʒß. ſyr. de pom. ℥ j. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Die verò ſequenti aſſumat ſyrupum Ferneliano more uſui noſtro appropriatum, ita deſcribendum.

♃. Fol.

♃. Fol. cich. borag. endiviæ, hepaticæ an. manip. j. ſem. melon. mundat. anguriæ, cucurbitæ mundat. an. ℥ j. aq. ſtillat. de ſucco cichor. fumariæ, agrim. an. ℔ j. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, deinde f. fortis expreſſio, expreſſioni vero adde foliorum epithymi, ſenæ Orient. rec. mundat. radic. polypodii querc. an. ℥ ij. radic. veratri nigri præpar. ℥ß. cinnamomi integri ʒ iij. m. f. inf. per hor. XII. deinde f. expreſſio, colaturæ vero adde ſacchari albi q. ſ. & bull. ad ſyrupi conſiſtentiam, cui in vaſe repoſito adde rhabarb. opt. maturi in tenui petia alligati ℥ j. & ſervetur ad uſum, ejuſque doſis erit ad ℥ ij. vel iij. vino albo tenuiſſimo (& in hujus alternato uſu integro menſe perſeverandum, ita ut alternis diebus aſſumatur, & intermediis Alterans præſcriptum ex aquis debeatur.

Inde ad tertiam & quartam intentionem explendam deveniri poterit uſu lactis aſinini, de more cum ſaccharo quotidie, quadraginta aut quinquaginta diebus aſſumendi; & decimo quoque Leniente aliquo erit utendum, ut Electuario lenit. ad ſex drachmas unica hora ante prandium. Hoc tempore Balneum aquæ dulcis opportuniſſimum erit, foliis malvarum, violarum, ſalicis, lapathi & ſatureiæ alteratæ.

Tandem affectis partibus prurigiinoſis leviſſimum aliquod refrigerans & exiccans medicamentum erit admovendum, quod parabitur ita.

♃. Aquę roſarum ℔ j. vini albi tenuis auſteri ℔ ß. Vitrioli Cyprii, quod eſt cerulei coloris, ℥ ß. m. f. inf. per hor. 24. vas pluries agitando, ita ut liquor cærulenm acquirat colorem, & ſpongiola hoc liquore madefacta tangantur partes affectæ. Eadem Vitrioli quantitas poteſt infundi etiam in infuſione roſarum ſolutiva, & erit efficacius remedium.

His autem omnibus addenda congrua vivendi ratio alias præſcripta, & Adm. Rev. Pat. notiſſima: cui addere mihi libet, quod per integrum annum in prima menſa hauriat jus endivia, vel acetoſa, aut hepatica alteratum. *Idem. ibidem.*

Scabies, Muliebre Profluvium, & Infœcunditas.

Ad me pervenerunt Jugales Illuſtriſſimi, prurigi noſo, ſcabioſo; & cruſtaceo pertinaci, ac turpi affectu per univerſum corpus laborantes: præterea Uxor Nobiliſſ. muliebri profluvio diverſi coloris, nempe modo albo, modo flavo, quandoque obſcuro, & nonnunquam rubro continuo moleſtabatur, ſicut Vir Illuſtriſſ. lacrymalem ſinum potius recentem, quam fiſtulam, paucis abhinc menſibus purulentam potius, quam ichoroſam materiam edentem, geſtabat, & ambo Juvenes de ſterilitate conquerentes, prolem ſummopere deſiderabant atque deſiderant.

His igitur habitis, conſideravi vitium ſanguinis in utroque & cutanei affectus, & profluvii muliebris, & ipſius ſterilitatis cauſam facile certo fuiſſe: licet enim contactu contagioſo contracta fuerit affectio cutanea, non adeo invaluiſſet, niſi ſanguinis vitioſus apparatus occurriſſet, quem facta & repetita phlebotomia, autopſia ipſa confirmavit, ſiquidem niger valde cum ſero, non valde depurato, & fere ſanioſo apparente fuit obſervatus, jecoris fervidioris in utroque indicium; & ideo nil mirum, ſi continuo ab irritata Natura ejuſdem portio deterior non ſolum ad ambitum corporis, verum & ad Uterum tranſmiſſa & extruſa, cutaneum affectum & muliebre profluvium conſtituerit. Et quoniam ad conceptionem non ſolum Viri & Mulieris ſemen, ſed & ſanguis menſtruus, utpote tertium generationis principium concurrere neceſſarium puto, ideo ex utriuſque ſanguinis impuritate, impuritatem quoque & ſeminis, & menſtrui neceſſario ſecutam fuiſſe credo, conceptioni parum, aut nihil idoneam; prærerquam quod Uterus continuo profluvio muliebri irrigatus, & lubricus redditus, ideoque ſemen virile retinere nequiens, ſterilitatis cauſa ipſe ſolus eſſe potuiſſet. Ab ejuſdem ſanguinis prava conditione in Illuſtriſſ. Juvene exiguus ille abſceſſus, & inde ſinus in angulo oculi ſiniſtri ſoboleſcere potuit, niſi quoque dicamus, caput ab injuriis externis alteratum, ejuſdem ſanguinis portiunculam ad locum jam dictum emiſiſſe, & abſceſſulum illum efformaſſe.

His jam dictis omnibus conſideratis, Curationem intrepide aggreſſus ſum, ſpe certa concepta, fore ut non ſolum ambo ab affectu cruſtaceo immunes omnino reddi, verum & Prolem exoptatam conſequi poſſent.

Sicque congrua præmiſſa primarum viarum expiatione, ſanguinis impuritatem, & repetita phlebotomia, & ſuccis herbarum depurantibus, & ſæpius iteratis elective purgantibus medicamentis expurgavi; partes cutaneas & integumenta ab infarctu pravorum humorum & cucurbitulis, & Balneis, & aliis exiccantibus liberavi; Uterum antea humidiorem & laxiorem redditum, inſeſſionibus ex aquis ſulphureis atque nitroſis exiccavi & roboravi; atque tandem jecoris calidam intemperiem, ut mali fontem, aquis ſtillatitiis & thermalibus ſatis remiſi, ſicque Jugales Illuſtriſſimos ad priſtinam ſanitatem reſtitui. Supererat tantùm Chirurgo, ſinum cuſpide cultri, aut lanceola aperire, detergere, Sarcoticis carnes implere, & Epuloticis conſolidare: quod licet facile à me exiſtimatum fuerit, facillimum quoque reddere placuit Decocto refrigerante & exiccante, nullo modo calefaciente, eoque ſuavi per deſtillationem reddito.

Reſtat in præſens, ut alia nonnulla ſubdam in uſum ducenda, ut conceptionis finis obtineatur, quorum aliqua externa, aliqua interna, & alia à modo recto vivendi erunt depromenda.

Domum itaque reverſi, quoniam adhuc aliquam mordacitatem, tum in acrimonia, tum in aciditate conſiſtentem, forſan relictam fuiſſe ſuſpicandum, & præterea quia ambos humectatione ſubſtantifica egere non eſt dubitandum; ideo lactis uſus iiſdem erit quadraginta diebus inſtituendus, Mulieri Illuſtriſſ. aſinini primis diebus, reliquis Caprini, Illuſtriſſimo verò arte facti, ne lac naturale caput petens, oculi ſinus humectando, Curationem impediat & differat. Ambo igitur omnium primo aſſumant Caſſiam cum Tartaro ita

♃. Floris caſſ. rec. extract. ʒ VII. crem. tart. ʒ iij. M. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibant aquæ Nocer. aut hordeac. ℔ ij. & tribus horis ab aſſumpta aqua prandeant. Mox incipiat Illuſtriſſima uſum lactis ad ℥ IV. cum ſemicochleari ſacchari albi, & paulatim doſim augendo, perveniat, ad octo, & ad decem uncias, cum integro ſacchari albi cochleari, quinque horis ante cibum, neque ab aſſumpto lacte dormiat, ne caput nimium repleatur. Decimo vero quoque die ſumat Caſſiæ ℥ſs. cum ʒ ij. crem. tart. ne lactis aliqua craſſior reſidentia in Ventriculo, aut primis viis retineatur quo toto temporre cœna ſit aliquantulum parcior, ut lactis uſum ventriculus facile admittat. Illuſtriſſimus vero utatur hujuſmodi lacte

♃. Sem. quatuor frigid. major. mundat. ℥ ij. juris pullæ ℥ VII. M. f. Emulſio, cui adde ſacchari cochlear & ſemicochlear aqua florum citri, aut roſarum, m. pro potu quotidiano, matutino tempore, quatuor aut quinque horis ante prandium aſſumendo. Et ſi aqua potius ſtillat. quam jus pullæ Illuſtriſſimo Viro arrideat, extrahatur Emulſio aqua ex ſucco cichorii

cichorii ad ℥x. & frigida atque ſuavis ita paretur quotidiana potio; quo tempore ſi alvus inofficioſa fuerit, flore caſſiæ ad ſemiunciam in prima menſa aliquando ſolicitari poterit.

Inter interna à proprietate conceptioni conducentia, erunt, quod Mulier Illuſtriſſ. in prima menſa utatur ſale Satyrionis ad gr. x. vel xii. in hauſtu vini albi, inſtantibus & præſentibus quoque Menſtruis: reliquo vero tempore paratum habeat pulverem ex matrice leporis, prius optimo vino abluta, mox in furno exiccata, cujus ſit frequens uſus mane jejuno ventriculo; aut in jure, aut hauſtu vini albi ad pondus gr. xxx. Extrinſecus vero ſtatim à menſtrua purgatione ſecuta, illiniatur regio Uteri butyro recenti cum coagulo leporino, ut

℞. Butyri rec. unc. 1. coaguli leporini unc. ß. m. reformetur. Vir quoque Illuſtr. iiſdem diebus aſſumere poterit Extractum Diaſatyrii ad ℈j. vel prima menſa bibat jus ſalvia & herba ſtellaria alteratum: & in coitu præcedat inunctio glandis ex balſamo factitio Peruviano. Abſtineat autem omnino à coitu octo aut decem diebus ante menſtruas Uxoris purgationes, ut ſtatim iiſdem præteritis, quinimò adhuc parumper fluentibus, concumbat: tunc enim facilius retinetur ſemen, & fit conceptus.

Quibus omnibus nonnulla in vivendi ratione obſervare inutile non erit. Primò Cuſtodiendus eſt Uterus ab ambiente frigido. Secundò & calidorum, & frigidorum ciborum exceſſus eſt evitandus. Alimenta ſint boni ſucci; Volucrum ſylveſtrium optima, Condimenta ex aromatibus opportuna, ex cinnamomo nimirum, & nuce myriſtica. Evitetur autem mentha, menthaſtrum, ruta in condimentis, ut conceptioni adverſantia: Semen erucæ ſaccharo incruſtatum, & ab utroque comanſum, ſemper utile erit. Vinum verò ſit mediocre, nec valde tenue, nec valde generoſum, ſed moderate ſumptum: Bibaces enim ſteriles credidit & Ariſtoteles ipſe. Tertiò ſomnus valde conducit, præſertim nocturnus, quo deficiente, ſuppleat diurnus. Quarto exercitium, potiſſimum ante prandium, vel ſub cœnam, conceptioni utile: ideo apud Scythas famulæ, quia corpus exercebant, facile concipiebant: ſicut Dominæ ſteriles, quia otioſam vitam ducebant; motiones tamen corporis ſunt Illuſtriſſimæ vitandæ ſtatim à coitu. Quinto coitus ſit rarus, & ad tempus jam præſcriptum potius ſervetur. Sextò animi paſſiones, moleſtę potiſſimum, ſunt arcendæ, & alacris vita degenda cum genialibus conſocietatibus, quam diuturnam atque felicem Conjugibus, Illuſtriſſimis à Deo Opt. Max. ex corde precor.

Appendix ad Scabiem, Muliebre Profluvium, Sterilitatem.

Quoniam poſt præſcriptam Conſultationem accepi Mulierem Illuſtriſſimam nondum omnino à Profluvio muliebri immunem eſſe, ſed quandoque guttulas flavę materiæ ſtillare, magiſq; pituitoſæ & viſcidę, ideo reſtant aliqua addenda, hujuſmodi fluxum omnino ſiſtendum.

Tranſactis igitur conſuetæ menſtruæ purgationis diebus, quotidie bibat ſummo mane ad decem aut duodecim dies unc. 8. tincturæ roſarum, factæ in aqua plantag. & extractæ cum ſpiritu vitrioli, à qua potione, ut innui, abſtinere debebit diebus aliquot ante menſtruas purgationes, ne à potione imminuantur, aut ſupprimantur. Ita agendum duobus ſequentibus menſibus, in uſum familiarem quoque ducendo duo aut tria grana maſtiches, horâ unâ ante cœnam integra deglutienda.

Interim parabitur pulvis, ineunte hyeme, triginta aut quadraginta diebus, quotidie ſummo mane aſſumendus, accipiendo Turturem exenteratum & vino nigro ablutum, qui granis maſtiches electi impleatur, deinde filo conſuatur, & in furno reponatur, & ita exiccetur, ut in pulverem omnia ſimul redigantur, cujus pulveris ʒj. aſſumat quotidie Illuſtr. Mulier in cyatho aquæ ex tenerrimis quercus foliis deſtillatæ, à cujus pulveris uſu abſtinere debet quatuor aut quinque diebus ante futuras menſtruas purgationes, quibus terminatis, rurſus eundem pulverem, ut dixi, ſumat. De reliquis præſcripta omnia in præterita Conſultatione confirmo. *Idem ibidem.*

Scabies poſt febrem, num ſupprimi debeat?

Ab accuratiſſima Viri Excellentiſſimi relatione de ſtatu Nobiliſſimi Viri accipio, affectioni hypochondriacæ inveteratę, olim Virum Nob. divexanti acceſſiſſe bilioſam febrem, febri verò ſanguinis per tuſſim excretionem; quibus omnibus congruis adhibitis medicis pręſidiis ſedatis & in totum ablatis, cutis univerſi corporis moleſtiſſima ſcabie, aut impetigine ſaltem fœdata fuit, non obſtante iterata & copioſa ſanguinis miſſione, aliiſque medicamentis alterantibus atque purgantibus adhibitis; quam cum ęgerrime ferat Vir Nob. quęrit, num Scabies ipſa ſupprimi prorſus ac deleri poſſit, an vero permitti, & quid agendum?

Ego quidem ſicut in præterita Conſultatione de affectu hyponchondriaco, eoque etiam melancholico hæſitare non potui, ita de ſtatu univerſali venoſi generis anceps per venam ſectam explorandum illum eſſe neceſſarium exiſtimavi, veritus ne vitioſus, acris nimirum & bilioſus, necnon acidus ac melancholicus in toto venoſo genere abundaret, ut exitus comprobavit; primo enim redundans in ipſo bilis, tertianam febrem excitavit, eamque facilius à regione calida in frigidam Nob. Patiente proficiſcente, reddito nimirum ab antiperiſtaſi interno calore intenſiori, & imminuta à cutis denſitate excrementorum reſolutione, ac propterea capite quoque magis intemperato reddito & excrementis referto, catarrhalis inde fluxio in pulmones delapſa tuſſim vehementiſſimam excitavit; ad cujus impetum alicujus venæ oſculum fuit adapertum, & inde per anaſtomoſin tuſſi ſanguis excretus, non autem per diæreſin, hoc eſt, eroſionem, neque per diavroſin, ſive per venæ eruptionem: non enim adeo facile ſuppreſſa fuiſſet ſanguinis excretio, imò alia ſymptomata, de quibus abunde Galenus, ſubſequuta fuiſſent. Verum facilior reddita fuit venę apertio à prava ſanguinis acri & acida qualitate intus agente, quam à calore febrili adauctam corrigere ſatis non potuerunt ejuſdem ſanguinis artificioſę eductiones, nec ſpontaneæ per tuſſim excretiones, & idcirco reſiduum pravi ſanguinis Natura expulit ad univerſi corporis peripheriam per modum decubitus, ſive per imperfectam criſim, tanquam ad totius venoſi generis emunctorium, unde Scabies emerſit.

Hanc autem num ſupprimere nobis liceat, intelligenti Medico patere poteſt. Quoniam verò quandoque implorantibus Ægris Medicus indulgere cogitur (ut facile etiam in caſu noſtro) hoc tamen nonniſi magna cautione permittendum eſſe cenſeo, ne bene operanti Naturæ adverſemur, & excrementa ab ignobilioribus ad nobiliores partes cum Patientis vitæ diſcrimine repellamus: certiſſimum enim eſt quod exteriora indicant interiora.

Quare neceſſarium fore exiſtimo, ut primò Naturæ motum à centro ad circumferentiam adjuvemus. Secundò ut internis & externis humorum acrimoniam remittamus. Tertiò ut Scabiem detergamus; atque tandem ut cutis univerſæ ſiccitatem laxemus & humectemus. Et quamvis non pauci forſan alii Medici maſſam ſanguineam purgantibus depurandam eſſe

exiſtimarent

exiſtimarent: his tamen ego ſubſcribere nequeo, in corpore hujuſmodi nuper ſanguinis miſſione & medicamentis evacuato; ita ut reliquis tantum ad cutem una cum Natura expellendis incumbere debeamus, ne ipſi Naturæ contra operemur.

Expeditis itaque primis viis congruente Leniente, devenirem ad uſum pulveris viperini; de hoc enim dicebat Galenus, quod valde digerit, & ad cutem properat, ac præterea non ab impetigine ſolum, & ſcabie, ſed à lepra & elephantiaſi vidit liberatos ipſe Galenus potu vini, in quo vipera demerſa fuerat. Quare pro prima explenda intentione nil præſtantius eſſe poterit, & ideo quotidie aſſumat pulveris viperini ℈j. in aqua Cardui benedicti, cui bene coopertus ſuperdormiat, ſi poſſibile fuerit; in hujus uſu perſeveret 15. aut 20. diebus; mox multis parvis cucurbitulis, dictis *Cornetis*, univerſo corpori applicitis, primus tantummodo ſanguis exiens educatur: deinde Spongiola aqua madefacta tangantur partes impetigine affectæ, non ſemel, aut bis, ſed pluries in die, & mane, ac veſperi corpus univerſum: aqua autem talis erit.

℞. Aquæ ſtillat. arantiorum inciſorum ℔ j. Mercurii dulcificati ʒ j. m. diſſolvantur ad ignem, & ſervetur ad uſum quotidianum. Vel

℞. Aquę roſ. ℔ j. vitrioli Romani calcinati ℥j. M. f. inf. per horas 24. deinde f. colatura, qua ſpongiola madefacta tangantur frequenter partes affectæ. Interim jecoris & ipſius ſanguinis calor, & prava qualitas erit corrigenda potu quotidiano, matutinis horis ſemel hauriendo, ita parato.

℞. Aq. ſtillat. de ſucco cich. ℥ VIII. tincturæ coralliorum chymicæ gutt. VI. m. pro una, & ſic pro aliis duodecim aut quindecim vicibus. Tandem ad demulcendam ſanguinis acrimoniam uti poterit aliquot diebus Emulſione ſeminum frigidorum, aqua ſtillat. de ſucco cich. extracta; & totum corpus illiniri quotidie oleo amygdalino recenti. Quibus addendum reſtat, totum corpus veſtibus abundantibus ab externo frigore muniendum eſſe. His etenim obſervatis, tutò liberari poterit Vir Nobiliſſimus à præſenti moleſtia, ut Vere venturo altera efficaciori purgatione, opus fuerit, totum opus perficiatur, & bona atque proſpera valetudine gaudere queat, quam ego ex corde à Deo Optimo Max. ſummopere precor. *Idem ibidem.*

Medicatio juvenis, Scabie laborantis.

Juvenis 25. annorum, ex Gallia in Bataviam redux, poſtquam aliquot ſeptimanas patrio aëre & victu rurſus eſſet uſus, incidit in cutis totius corporis pruritum; quem poſtea ſecutę ſunt multæ pruriginoſæ & purulentæ puſtulæ, manus, brachia & crura ipſius potiſſimum obſidentes. Nonnullos etiam ex familiaribus contagio infecit, ut ipſorum corpus multis locis ſimili ulceroſâ & pruriente aſperitate ſit affectum.

Afficitur in hoc ægro potiſſimum *brachiorum, crurum, femorumque cutis*; quod ex pruritu & pruriginoſis ulcuſculis, partes illas obſidentibus, eſt manifeſtum.

Morbus, qui eum affligit, eſt intemperies cutis manuum, brachiorum, femorum, & crurum, acris, ſalſa, nitroſa, & contagioſa; quæ pruritum & ulcuſcula ſanioſa & purulenta in illis partibus producens, *Scabies* vulgò appellatur.

Procatarctica hujus morbi *cauſa* in hoc juvene eſt aëris victuſque, per reditum in Bataviam, mutatio; quâ novi frigidioreſque in corpore ejus geniti fuerunt humores; qui cum fervidioribus acribus & aduſtis humoribus; in Galliâ natis, mixti, & propter aëris noſtratis frigus, poros cutis claudens, & acrium fuliginum exhalationem in ipſius corpore impediens, intra corpus ejus retenti, inſtar calcis vivæ, aqua frigidâ perfuſæ, in corpore ejus effervescere cœperunt; atque *antecedentem* huic morbo præbuerunt cauſam. Pars verò eorum ad cutem totius corporis, ac præſertim crurum, brachiorumque delata, eaſque partes ſuâ acrimoniâ vellicans, & erodens, *continens* hujus *intemperiei acris, pruriginoſa, ac cutem in puſtulas ſanioſas & purulentas exulcerantis, hoc eſt*, ut verbo dicam, *ſcabiei* in hoc juvene eſt *cauſa*.

Ipſe vero in ſuos familiares, contactu manuum, mantilium, aliorumque communium linteorum, ſanioſum illum & contagioſum liquorem, è corpore ſuo emanantem, inſenſibiliter transferens, ſimilem qualitatem acrem & contagioſam in illis produxit, atque ita *ipſos ſimili brachiorum crurumque ſcabie infecit.*

Malum hoc, ubi temporis diuturnitate radices profundas in corpore egit, *difficulter* ſolet eradicari.

Ideoque celeri *Curatione* erit impugnandum. *Eaque* in ablatione cauſæ antecedentis, continentis, & intemperiei, per evacuantia, attemperantia, detergentia, acrimoniam retundentia, & exſiccantia, conſiſtet.

Primùm itaque purgetur hic juvenis tali medicamento, ad humores acres educendos & temperandos aptiſſimo;

℞. Mercurii dulcis ℈j. Scammonii optimi ℈ ß. Electuarii diapruni ʒ ij. Miſce F. Bolus.

Poſtridie educatur, per venæ ſectionem, ſanguis, ad uncias octo.

Et porrò quotidie bibat hauſtum ℥ ij. vel IV. de ſequenti Apozemate:

℞. Rad. cichorii ℥ j. Polypod. lapathi acuti an. ℥ß. Herb. fumariæ, acetoſę, agrimoniæ, Scabioſæ an. m. j. Sem. 4. frigid. major. an ʒj. Flor. borrag. m. ß. Paſſular. ℥ß. Decoq. in aq. hord. q. f. ad lib. I. ß. addendo ſub finem decoctionis fol. ſennæ ℥ij. Colaturæ adde ſyr. de cichorio cum rhabarb. & fol. ſennæ ℥ij. Miſce F. Apozema.

Loca ſcabioſa inungantur omnia hoc Unguento:

℞. Terebinthinæ lotæ in aq. ſcabioſæ ℥j. Ol. roſacei ℥ß. Butyri recentis, axungiæ porci an. ʒij. Salis comm. ʒß. lithargyrii ʒj. Vitell. ovor. num. 2. Succi limonum ʒ VI. Ceræ q. ſ. fiat Unguentum.

Vel adhiberi poterit huic malo ſequens unguentum, quo ſcabies feliciſſimè curatur.

℞. Butyri veteris, in fictili novo ad rubedinem Frixi lib. ß. Huic intepeſcenti infunde muriæ, in qua Poma limonia macerantur & condiuntur ℥ ij. Vitellos ovorum conquaſſatos n. 2. Pulv. ſulphuris ʒj. Zinziberis ℥ß. Piperis ʒ j. Fuliginis è fumario collectæ ℈ j. Hæc miſceantur calidè in formam Unguenti; quo articuli manuum, pedum, & reliqui corporis, & loca ſcabioſa, veſperi, ingreſſu lecti, inungantur.

Innumeri etiam à ſcabie liberati fuerunt ſequenti unguento:

℞. Rad. lapathi acuti; in mortario piſti m.j. Pulv. Zinzib. ℥j. Baccar. lauri, Ariſtoch. rotund. an. ℥ß. Cum pintâ dimidiâ floris, ſive cremæ lactis, coquantur per horam dimidiam in ollâ novâ & redigantur in formam Unguenti, qua loca ſcabioſa veſperi inungantur ad ignem.

In *victus ratione*, utendum *Cibis* optimi ſucci, qui ſanguinis acrimoniam emendent & temperent; Carnes gallinarum, vitulinæ, ova ſorbilia, piſces ſaxatiles id præſtant. Sal, acetum, aromata, allia, cæpę, & herbæ calidę omnes vitandæ. Cereviſia tenuis, ſerum lactis, aqua hordei, in potu ſunt utilia. Inter herbas culinarias, borrago, bugloſſa, violaria, malva, ex fructibus, poma; ex cerealibus, hordeum & triticum commendanda. Panis eſto triticeus. *Ira*, vigiliæ multæ, *Venus* vitanda. *Henr. Regius apud Theodor. Craanen Medication. lib. 4.*

Herpes exedens in facie.

Admodum Rev. Rector, annos natus quadraginta ſex, temperamenti calidi & ſicci cum ſubdominio ſanguineo, hepatis præcalidi, ventriculi frigidi, cerebri humidi, corporis habitus modicè carnoſi, coloris totius albi flaveſcentis, aliquo tamen in facie ſuffuſo rubore roſeum referente colorem, in actionibus, ingenii præſtantiâ promptus & expeditus, moribuſque maximè urbanis, facilis tamen excandeſcentiæ, & ad iracundiam pronus; Juventutis tempore ſub diverſarum Regionum Cœlo, à nativa quinetiam maximè longinquarum commoratus, variaque proinde vivendi norma eſt uſus. Quare duodecim, vel quindecim abhinc annis in Patriam reverſus, unâ cum ſodalibus perſæpe comeſſationes celebrando, cibos aromatibus conditos comedendo, generoſa vina bibendo, ante decem annos fluxionibus factus obnoxius, articularibus doloribus, Podagrâ ſc. Gonagrâ, aliiſque arthriticis affectibus frequenter laborare cœpit, hinc ab hypochondriaca quoque paſſione, juxta cum variis ſymptomatibus, ab eadem ortum ducentibus, fuit correptus: cui tandem hæmorrhoidali ſanguinis fluxu accedente, ab eodem hepate, aliiſque viſceribus naturali diatheſi, ac nativo calore depauperatis, Cachecticus evaſit, quinimò ad Hydropem maximè pronus. Licet Medicus ejus curationis adhibitus malorum horum ſyndromen, opportunis quidem remediis effugaverit, ideoque per annos ferè quatuor Patiens bene valens, munera ac negotia, ut priùs, ſubiens promptè peregerit; duobus tamen abhinc annis, cùm Comam qua ſolitus erat caput cooperire, ſub inclementi cœlo depoſuiſſet, ejuſdem caput gravari, ac catarrho repleri cœpit: hinc coryza ſuborta, quam in dies magis magiſque exaſperari Patiens expertus eſt, adeò ut nares catarrho craſſeſcente per multos menſes, obſtructas habuerit, per quas nonniſi raro, materiam mucoſitate, ac ſanguine torrefacto permiſtam, magno quidem conatu expurgare poterat. Tandem cùm naſus inflammari incepiſſet, ulcera cruſtacea in ejuſdem pinnis apparuerunt, quæ poſt multum tempus, cùm in dies magis ac magis ſerpere & augmentum ſuſcipere viderentur, ad Medica præſidia confugere, tum interna, tum externa, Patiens fuit coactus. Nihilominus ulcera per genas hinc inde, ac per totam faciem ad oculos uſque, & puſtulę, adinſtar milii, denuò efflorescentes, ac in ulcuſcula tandem deſinentes, ferè continuò augentur. Idcirco non magis pro contumacia affectus, quàm pro cruciatu, quem ferè ſemper ſe pati aſſerit Patiens, anxiè Virorum Excellent. Conſilium efflagitat, ut à tam ſævo ac Moleſto Morbo quàm citiſſimè, ſi fieri poſſit, liberetur.

Sicuti de affectûs natura, Admodum Rever. Patientem divexantis, nihil pręter adducta à Viro Excellentiſſ. mihi reſtat ſcribendum, ita agendorum pauca valdè ſuperſunt addenda: Etenim & ego cum Viro Doctiſſimo judico, univerſam maſſam ſanguineam jàm conſpurcatam fuiſſe, dum à prava victûs ratione, & viſcerum naturalium intemperiebus adauctis, excrementorum copia ſuccrevit: prout caput denudatum, ab ambiente intemperiem contraxiſſe cenſendum, ſicque duplici ratione affectum fuiſſe, eſſentialiter ſcil. & per conſenſum ab hypochondriis & à toto: ut propterea excrementa multa idiopathicè cumulaverit, & ſimpathicè ſuſceperit: quæ longo temporis ſpatio per nares obſtructas non expurgata, ad faciei ſuperficiem tandem eruperunt, & herpetem exedentem excitarunt, dum catarrhalis materia, ſeroſitatibus acribus bilioſis, & acidis melancholicis immiſta, ſalſa & acida facta fuit: quinimò ob contumaciam, & affectus adverſus medicamenta generoſiora ritè & rectè adminiſtrata reſiſtentiam, labem aliquam putrilaginoſam, intemperiem ſcil. & imbecillitatem in ipſa parte quoque reperiri ſub cute, & forſan etiam ſub integumentis, jure meritò ſuſpicandum, quæ pręter excrementorum affluxum, proprii quoque alimenti portionem corrumpat, & morbum foveat.

Quare cùm jam primæ viæ exinanitę fuerint: tota maſſa ſanguinea ab excrementis abundè depurata: jecoris fervor congruis remediis non parum remiſſus, de Topicis quoque tum internis, tum externis, erit cogitandum, quæ humores in capite exiſtentes, & purgare & à facie divertere valeant, & præterea diatheſim illam putridam in parte removere, necnon dolores demulcere poſſint: non tamen omittendo quæ jecoris & hypochondriorum fervorem contemperandi, necnon ſanguinem ipſum demulcendi facultatem habeant.

Primùm igitur in uſum ducantur quotidie matutinæ dorſi ad inferiora frictiones, & veſpertinæ ante cœnam pedum lotiones. Et quoniam Cauterium, nuchæ inuſtum, parum in his caſibus prodeſſe ſolet; idcircò ſetaceum cum filo ſerico ranquam eximium remedium, transfigendum conſulo. Interim, ſemel ſaltem per hebdomadam, pilulæ capitales Paracelſi, quæ conſtant extractis diagrydii, hellebori, & colocynth. exhibendæ erunt ad ſemidrach. circa noctis dimidium: quibus ſummo manè ſuperbibat aquam hordeac. aut Nocerianam; & iiſdem addi quoque poterunt aliquot grana Mercurii dulcis ad faciliorem materiæ contumacis expurgationem: ſubſcribere tamen nequeo Mercurialibus mendicamentis caput petentibus, & per ſputum humores ducentibus, Intermediis autem diebus aſſumat ſummo manè lac artè factum, ita parandum.

℞. Semin. melon. mundat. ℥j. ſem anguriæ, cucurbitæ mundat. an. ℥ ſ. Aq. ſtillat. de ſucco cich. ℥ VII. contund ſemina, & cum aqua extrahatur emulſio, cui adde ſyrupi de pom. ℥j. m. pro potu quotidiano matutino. Extrinſecus autem affectæ parti modò anodyna quæ dolores demulceant, modò exiccantia quę ad ulcuſcula quinetiam ſpectent, ſunt applicanda atque inter demulcentia ſummopere mihi placet fœnugręci decoctum, à Galeno, etiam in doloribus oculorum commendatum: cui, urgentibus doloribus, addi poterit etiam caput papaveris albi. Quandoque etiam parabitur tenuis emulſio ſeminum papav. albi, extracta cum aqua nenupharis. Lac etiam aſininum tepidum, eidem ſcopo ſatisfaciet. Verùm interponi debet uſus exiccantium, & ulcera reſpectantium, quæ varia & plura eſſe poterunt; ſelectiora autem, & delicatiora erunt, aqua fabrorum; infuſio roſarum ſolut. chalibeata; & omnium maximè infuſio vitrioli Cyprii in aqua roſarum, ita ut aqua ipſa cęruleum colorem acquirat: mirabilis enim eſt exiccandis herpeticis hiſce ulceribus; quibus omnibus, ſpongiolâ imbutâ utendum eſt.

Tandem jam dictis congrua vivendi ratio erit addenda, à Viro Doctiſſimo præſcribenda, cujus prudenti judicio cæterorum etiam omnium rectum uſum committo. *Joh. Raym. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medic. Tom. 2. Cent. 1.*

Herpes exedens.

Pater Provincialis Reverendiſſimus, quinquageſimum quartum annum agens, temperamenti ſecundum totùm ad calidum & ſiccum vergentis, hepatis autem fervidioris, ſicut calidi & humidi capitis, mediocris habitus, ad actiones promptiſſimus, negotiis ſuæ Religionis multis abhinc annis magnopere implicitus; tertius jam currit annus, ex quo exigua excoriatio, leviſſima occaſione prægreſſa, in crure ſiniſtro excitari

cœpit

cœpit, paulatim quotidie magis increvit, & diuturno poſtmodum ſecuto itinere in Hiſpaniam, major ſemper reddita fuit, adeo ut non ſolam cutis ſuperficiem & integumenta, verum & carnem ipſam erodere cæperit, & ulcus excitatum fuerit, quod topicis medicamentis curatum & cicatrizatum, proximas partes infeſtare non deſiit; quinimò non unam tantum, ſed plures, & vicinas, & diſtantiores partes progreſſu temporis, in eodem tamen crure tantummodo occupavit, & hinc inde ulcera exedentia atque ſerpentia, eaque ſatis profunda & putrilaginoſa, ichoroſam materiam frequenter, quandoque etiam ſanioſam & purulentam emittentia, excitata fuerunt; quæ ad ambulandum in præſens Pat. Reverendiſſimum ferè impotentem reddiderunt. Additur poſtremo aurium tinnitus non continuus, ſed tamen nonnunquam infeſtans. Medicos non ſemel pro ſalute adipiſcenda conſuluit, qui cum hanc polliceri non ſolum non potuerint, ſed prorſus denegaverint, medicamenta omittere decrevit, ſatius eſſe exiſtimans à ſolo morbo divexari, quam ab aſſumptis quoque medicamentis exagitari. Verum cum malum ruat ſemper in pejus, cauſas internas à quibus procedit, dubio procul vires majores acquirere non eſt dubitandum, quæ pejora quoque minantur superventura; & ideo Prudentiſſimns Pater ad me confugit, ut imminentia mala evitentur, & præſens, ſi non ex toto tolli, ſaltem non parum imminui poſſit; quod licet non ſine diuturna & operoſa Curatione conſequi poſſe ſciam, id tamen poſſibile fore ſpero.

Damnavit quidem Gal. nomina quædam ulceribus impoſita, ut Chironia, Telephia, eò quod à Telepho & Chirone Medicis curata fuerint, at multorum aliorum ulcerum appellationibus ſubſcripſit, ut quæ eorundem conditionem atque naturam, quinimò & quodammodo cauſas nobis inſinuare valeant, & idcirco ſi ulcus aliquod ſtabile, cavum, diuturnum & contumax fuerit, eo quia ab aliqua excrementorum fluxione, vel à toto, vel à peculiari parte tranſmiſſa, foveatur & conſervetur, Dyſepuloticum ulcus appellari ſolet, ſicut Cacoëthicum nominatur illud, quod eaſdem continet conditiones, ſed præterea ab intemperie & prava diatheſi partis ulceratæ contumax redditur, ita ut probi quoque humores ad partem fluentes corrumpantur in parte, & ulcus conſervent. Alia demum ulcera quę non ſemper eandem occupant ſedem, ſed priori loco relicto, ad proximum ſerpendo procedunt, eorumque progreſſus diuturno tempore durat, Herpitaca, ſive Herpetes quaſi repetentes, ab Hippocrate edentes dicuntur, cujuſmodi ſunt ulcera, ferè crus totum Rev. Patientis hinc inde exedentia; hoc addito magni momenti diſcrimine, quod ſicut ulcera ſuperficiem tantum exedentia ſimpliciter Herpetes vocantur, ita ſi non ſolnm integumenta, verum & partes carnoſas profundas erodant, ut in caſu noſtro, Herpetes Eſthiomenos cum Vereribus appellamus, cum quibus non ſunt Phagedęnica confundenda, niſi impropriè, ut fecit Galenus: ſunt enim hæc potius firma & ſtabilia, quam exedentia atque ſerpentia. Serpens quoque eſt Herpes miliaris, ſed ſine ulcere, & milii tantum, figuram in ſuperficie repræſentans. Herpetes autem omnes à bilioſo humore procedunt, adeo ut ſub genere Eryſipelatis à Gal. conſtituantur; ſed ab acriori, licet craſſiori bile Herpes fit, quam Eryſipelas, ut pluribus in locis notat ipſe Galenus; ut propterea nonniſi in corporibus cacochymis, bilioſo & pravo ſucco abundantibus Herpetes exedentes contingant; quo ſucco abundare Reverend. Pat. non eſt dubitandum, ſi ejuſdem hepatis, cordis & vaſorum intemperiem calidam conſideremus, calidioremque redditam à diuturnis applicationibus atque animi perturbationibus, quas neceſſario incurrunt, qui Regimina exercent, & Clauſtralibus præſunt; animi namque motus multo magis, quam motus corporis calorem inducunt; his adduntur longa & laborioſa itinera peracta, & horum occaſione ciborum & potuum improprietas, quibus omnibus non ſolum calor viſcerum magnopere fuit adauctus, & pravorum ſuccorum apparatus genitus, verum & pars ipſa, crus nimirum, recipiens, equitando quotide magis ſemper imbecillius fuit redditum ut mirum poſtea non fuerit, ſi totum excrementoſis humoribus ſcatens, ad crus, ut partem imbecilliorem eoſdem detruſerit, quos tamen humores in R. P. non ſincere bilioſos, ſed & heterogeneos, nimirum & bilioſos & exuſtos, necnon pituitoſos, ſive catarrhales ſimul commiſtos eſſe credendum, ſi non ſolum viſcerum naturalium, ut dixi, calida intemperies ſpectetur, ſed ſi capitis quoque calida & humida conſideretur, cujus ratione humido abundat excremento, & ipſius portio ad aures delata, atq; in halitus converſa, tinnitum inducit, dum vaporoſa ipſa materia aëri implantato atque immobili, qui à tympano in auditorio meatu clauditur, movetur & agitatur, ſicque ſonitus ſequitur p. n. qui, reſoluto vapore, ceſſat.

Quam difficilis ſit futura hujuſce morbi Curatio, difficillima ſanatio, non eſt in Arte peritus qui non prævideat; etenim ſi ulcera ſimplicia, dum annua ſunt, difficile ſanantur, quid erit cenſendum de herpeticis profundis & mali moris trium annorum? Verum quia ex Herpete, ut ab ungue Leonem, viſcerum internorum pravam conditionem in R. P. conjicere fas eſt, idcirco præſens malum ſemper in pejus abiturum, & multiplicatis excrementis, pejora quoque imminere, proſpicere debet Medicus obſervans, quod Gal. Herpetem enumeravit atque repoſuit inter Carbunculos, Cancros, Ulcera phagedænica, Chironia atque Telephia. Quare providendum ne pejora mala ſuccedant, & præſens certo non parum imminuatur, & forſan ex toto aboleatur.

In quem finem quod eſt primum in intentione, nimirum ulcera cicatrizare atque ſanare, debet eſſe ultimum in executione; ut propterea jure merito arguat Gal. Illuſtrem Matronam Romanam Herpete in crure laborantem, eo quod de ulceribus cicatrizandis, non autem de toto purgando, neque de intemperiebus corrigendis ſolicita, nunquam ſanari potuerit; quare primo totum à redundantibus excrementis, & potiſſimum à bilioſis eſt exonerandum ac vindicandum. Secundò eorundem reproductio eſt inhibenda, intemperies partium mandantium & ſanguinis pravam qualitatem acrem & acidam corrigendo. Tertiò partes eaſdem roborando. Quartò, & ultimò ulceribus incumbendo, primò Cathereticis, ſi opus fuerit, ſecundò Sarcoticis, atque tandem Epuloticis.

His autem ſatisfaciendum erit remediis à Fonte Chirurgico, Pharmaceutico atque Diætetico deſumendis.

Et à Chirurgico univerſalia primò, mox tandem Topica depromenda. Inter univerſalia autem eſt ſanguinis miſſio, quę neceſſaria erit, cum vitium in toto, nimirum in ſanguine reperiatur, eaque bipartita potius & parca, nempè ex brachio dextero, & ſecunda vice ex altero lateris affecti. Cauterium, niſi non geſtet, erit inurendum in coxa ſanæ partis, ad diverſionem; licet enim coxæ affectæ partis inuſtum ad interceptionem inſervire poſſe videatur, interceptio tamen in diſtantiori parte fieri debet, alioquin excrementitius humor, duceretur & evacuaretur per partem affectam. De Topicis verò ſuo loco dicendum.

Pharmaceutica remedia debent eſſe Lenientia, Pręparantia, Purgantia, intemperies corrigentia, viſcera roborantia

roborantia, hac ſervata animadverſione, quod in R. P. alvus levioribus quoque medicamentis obediens eſt (bilioſis humoris redundantis indicium.)

Primum igitur Leniens ad primarum viarum expiationem eſſe poterit ſyr. roſ. ſolutivus; vel flos caſſ. cum crem. tartari; ſicut primum Præparans Julap. acet. aqua ex flor. citri diſſolutum, & quinque tranſactis diebus, idem Leniens erit repetendum, cui ſuperbibat ſerum depur. capr. aut aſininum.

Inde ad præparandos humores in venis exiſtentes aptiſſimi erunt ſucci herbarum depur. nempè cichor. borrag. endiv. pomorum dulc. ad unc. iij. in decoct. ſonchi, bugloſſi, malv. violarum; in quorum uſu ſaltem diebus xv. perſeverandum erit: & quinto quoque die Purgans electivum à venis, cholagogum erit exhibendum, quod eſſe poterit elect. de ſucco roſarum & confectio Hamech. cum flore caſſ. cui ſuperbibat ſerum depuratum.

Purgato toto, & caput erit peculiariter purgandum, quo egregiè præſtabunt pilulæ Paracelſi, cum earum compoſitio contineat Extracta diagrydij, hellebori nigri & colocynthidis; poterunt enim, duabus vel tribus vicibus ſumptæ, caput purgare, & totum venoſum genus omnino depurare; diebus autem intermediis aliquo quoque levi Errhino utatur ex pulv. rad. ireos, majoranæ & nigellæ parato; necnon ſuccis depur. præſcriptis.

Toto & capite ab excrementis purgatis, eorundem reproductio eſt inhibenda, intemperies partium mandantium corrigendo, quarum præcipua eſt naturalium viſcerum fervor, mox capitis excedens humiditas; pro qua intentione explenda, magna induſtria opus eſt, non ſolum in quantitate, & qualitate, ſed & in tempore, ac ordine remediorum adhibendorum; itaque ordinem hujuſmodi ſervandum eſſe cenſeo, ut primum Exiccantibus quæ non calefaciant, calida & humida capitis intemperies corrigenda, deinde Refrigerantibus & Humectantibus viſcerum atque ſanguinis fervor ſit contemperandus. Verum quia priori intentioni ſatisfaciendum erit decocto ſudorifico, idcirco viſcera naturalia præhumectare utiliſſimum erit, præmittendo quinque ſaltem diebus uſum ſeri capr. depur. aut aq. Nocer. ad ℔. v. cum vehiculo dejectorio ſyr. roſ. ſolutivi, ut inde ad decoctum cum ſudore tutius deveniri poſſit, ita parandum.

℞. Salſæ electæ, chinæ opt. ſantal. alb. ligni viſci pomac. an. ℥ß. Aq. ſtillat. cichor. beton. an. ℔ j. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & facta colat. ſervetur ad uſum pro tribus vicibus, ſummo mane, unâ horâ ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda; & ut facilius ſudor evocetur, præmittat bolum ex pulv. viperino paratum. In cujus uſu 30. diebus ut perſiſtat, erit ſatis, cum victu non tenui, nec valde attenuante. Decimo verò quoque die præbendæ erunt pilulę aggregat. & aureæ, vel elect. de ſucco roſarum cum caſſia, quibus ſuperbibat ſerum depuratum, ut quod viſceribus naturalibus R. P. valde amicum ſit. nec præmiſſo vehic. deject. caput petere poſſit.

Terminato ſudore, totis viribus viſceribus refrigerandis & ſanguini edulcorando incumbendum erit, primo aquarum acidularum refrigerantium potu, aut B. V. aut Noceræ, tribus primis diebus cum vehiculo dejectorio ſyr. roſ. ſolutivi, reliquis verò quindecim cum vehiculo diuretico ſpir. tart. rectif. & ſucco limonum; in fine autem præbeatur potio ex man. clarif. ad educendum aliquod aquæ reſiduum. Hoc tempore quo propinantur aquæ, veſperi ſub ingreſſum lecti aliqua Conſerva capitalis & ſtomachica præſcribi poterit ex flor. beton. roſarum & roriſmarini.

His peractis, pro remittenda ſanguinis acrimonia atque aciditate, aptiſſimus erit uſus lactis, aſin. quadraginta diebus, ſummo mane cum ſacch. de more aſſumendi; hoc enim utpote tenuis ſubſtantiæ cum Galeno celerrime per corpus digeritur; & ideo caput non tentat. Univerſale quoque Balneum aquæ dulcis foliis malv. viol. lactucę, nenuph. ſalicis alteratę; efficaciſſimum eſſet remedium pro fervore viſcerum & ſanguinis contemperando; verùm quoniam crus affectum ab humectantibus atque laxantibus maximopere læderetur, idcirco omittendum, & ipſius loco Epithemata jecori apponenda, ex ſucco cich. & infuſione roſarum cum ſucco limon. paranda.

Tandem topica medicamenta proponuntur, quæ in tota quoque præſcripta Curatione ſunt apponenda; hæc autem eſſe debent omnino refrigerantia & exiccantia, quorum ſylva à Scriptoribus proponi ſolet; ut unguentum de litharg. de calce, de ceruſſa, de tutia; at nos in caſu noſtro, Cathereticis, paucis diebus, fuerit opus, ob aliquam alicujus ulceris ſordiciem, applicari poterit Unguent. de minio, vel componatur ex litharg. vitriolo & camphora cum oleo roſato, addita cera quantum ſufficit. Inde ad Sarcotica deveniendum; inter quæ Unguent. de ſuccis Bononienſium præſtantiſſimum erit, ut quod contineat quatuor ſuccos refrigerantes & exiccantes, & propterea lithargyrum, aurum, plumbum uſtum, tutiam, bolum Armenam, camphoram cum cera. Tandem ut cicatrizentur ulcera, Epulotica conveniunt; & ideo ex tutia, ceruſſa, lithargyro & antimonio cum cera, & oleo myrtino, ceratum S. A. erit conficiendum & componendum. Nec omittenda Balnea quotidiana, crus totum immergendo in aquam montis Grotti, ſive Ægrotorum, quæ magnopere exiccat atque corroborat.

Quibus omnibus erit addenda victus ratio, quæ refrigerans, in paſſivis vero qualitatibus mediocris eſſe debet. Caveat igitur R. P. à cibis calioribus, à condimentis aromatum, allii, cæparum, ab uſu aceti, à carnibus & piſcibus ſalitis, & à potu vini meracioris. A vigiliis, à nimiis exercitiis. Bis in menſe, proximis à Curatione temporibus, in uſum ducat aliquod familiare medicamentum, bilioſas, tum atrabilares ſeroſitates educens, quale eſſe poterit pilula de tribus cum rhabarb. ad ʒß. additis gr. VIII. aut XI. pulv. griſei, aut mechoac. atque tandem animi perturbationes arceat, & in applicatiobus moderate ſe exerceat. Hæcque pro ſalute Reverend. Patris, quam eidem à Summo Deo enixe precor. *Idem eodem Tom. Cent.* 4.

Herpes miliaris in Crure, & Verruca in Mamma.

Princeps Illuſtriſſima atque Excellent. cujus res naturales, nonnaturales, & p. n. Dominatio Tua Excellent. plene novit non minus ab exhibita Scheda (quam reaſſumere non dedignaberis, quam ex aſpectu ipſo), cum Venetias & Patavium profecta, prudent. conſilio tuo curatura ſe ſubjecerit annis abhinc quinque. Poſt reditum Romam, præſcripta mandata tua exequi non opus habuit, cùm à languoribus illis immunis, pancratice affatim valuerit. Et quamvis affectionibus hypochondriacis uterinis, quibus obnoxia vivit, non omnino vacaverit: mites attamen & leves adeo fuerunt, ut nullam ſuſcipere Curationem magnam unquam coëgerint. Tractu temporis Verrucā, quam in papilla dexteræ mammæ gerit, abſque ulla manifeſta cauſa cœpit ſanguilonentum emittere ichorem, cum prurita & furfure, nullo externo apparente rubore; nullo tumore, aut tactûs renitentia; lancinatione nulla. At quia creber exitus & facilis recurſus timorem inferebant, apud Medicos & Chirurgos fuit decretum cruri dextero ſub genu fonticulum inurere,

inurere, habito reſpectu non minus ad corporis obeſitatem ac mollitiem, ſero multo ſcatentis, quàm ad expletum Menſtruorum tempus, & præcipuè ad Uterum, una cum naturalibus viſceribus, dyſcraſia cum materia donatum, & idiopathice patientem. Res ſecundis votis ſucceſſit; nam illico ſanie multa, & ſanguinolenta, ac mordaci manante, mamma bene habuit, & integre ſanata eſt. Sic ſtantibus, Junio proxime præterito dexteri cruris Herpete miliari afficitur, ſine febre, cum ardore & inflammatione, cruſtiſque craſſis aduſtis, pituitam ſalſam cum aſſata bile præ ſe ferentibus. Quare iterum conſultis Medicis & Chirurgis, de fonticulo ſiniſtro curi inurendo, primò ſancitum fuit: deinde tranſacto Sirio, inſtituta Purgatio fuit, Lenitivis celebrata, ſcil. Tripheræ ℥ß. & drachma una rad. mechoac. ponderoſi pulv. cui ſuperbibebat juris longi inſulſi, acetoſâ alterati, libram, & quater ſedem habebat cum conferentia ac tolerantia, eductis tantummodo bilioſis lixiviis & ſeroſitatibus aduſtis. Nullus fuit mittendi ſanguinis locus, tum ratione morbi, tum præpollentis Cacochymiæ in viſceribus, tum quia noxia alias evaſit phlebotomia, & ſanguinis motus nunquam obſervatus fuerit proficuus. Purgatione perfecta, imò quater iterata eodemmet Lenitivo, ſerum caprinum deſtillatum ad refrigerandum ebibit, ſine tolerantia: nam ſtomacho repugnante dimiſſum. Succo accepit endiviæ, ſonchi, cichorii depuratos, eadem cum renitentia; ita ut ſolo jure cichorio hortenſi ſativo alterato ſit contenta. Ceterum ſtatus Excell. hujus Matronæ quoad antiquos & habituales morbos hypochondrii & Uteri, bonus eſt & laudabilis; quoad vero recentes, accipe. Si quando humores hypochondriaci uterinique fermentantur, & vel cordis palpitatione, vel aliquo alio hyſterico ſymptomate afficitur, Verruca in mamma ichorem ſanguineum guttatim emittit non continuum, ſolo tantum pruritu & furfure. Crus vero dexterum & tumet, & dolet, & ardet, recurrente per affluxum mordaci ſeroſitate, Herpetem exedentem minante, ni purgatiſſimi judicii tui auxilio ſuccurratur.

Hypochondriaca affectione jam diu detentam Principem Excellentiſſimam excrementitis humoribus abundaſſe neceſſe fuit, cum affectio ipſa naturalium viſcerum intemperies ſupponat, & primo atque principaliter fervidam jecoris, indeque ſanguinis, ſecundario vero privative ventriculi frigidam: ut propterea etiam in habitu carnoſo atque obeſo, exuberantis caloris indicia ſemper apparuerint; Etenim Verrucam in mamma potius ut ſignum, quàm ut morbum, vel cauſam ego jam conſideravi, & ideo Purgationem præſervativam tunc temporis ſcriptis mandavi, ſuperventura prævidens, quæ à ſtatu ſatis ſalubri neglecta, poſtea ſucceſſerunt; Sat enim non fuerit excrementorum calidorum copiam extra ducere, minuſque aliò abducere, ſed pro præſervatione abſolvenda, intemperies jecoris atque ſanguinis erat corrigenda, & ſanguis ipſe acris atque mordax edulcorandus, ut multo minor evaderet bilioſæ ſeroſitatis proventus, & ſanguis ipſe ad probiorem conditionem redactus, ab ipſa Natura commode in vaſis pro totius nutritione detineretur, nec modo ad mammam, modo ad crus ab ipſa irritata Natura detruderetur; ſicque modo in mamma verruca, modo herpes miliaris in crure excitarentur. Et quamvis Cauterium ſumma cum ratione coxæ inuſtum mammæ profuerit, avocatis nimirum bilioſis ſeroſitatibus à ſuperioribus ad inferiora, non tamen exiguum foramen tot tantiſque humoribus educendis, quibus ſcatet Excellent. Princeps, ſufficere potuit; & idcirco quid facto opus ſit, unicuique vel mediocriter in Arte perito, nedum Tibi Viro Doctiſſimo patere poteſt: expiatis enim primis viis, obſtructiones ſunt quodammodo reſerandæ. Deinde maſſa ſanguinea à ſeroſitatibus tum acribus, tum acidis elective Purgantibus vindicanda. Mox jecoris calida intemperies corrigenda; atque tandem ſanguis totus edulcorandus. Topica vero aliqua externa affectis partibus apponi poſſent, quamvis, dempta atque reciſa radice, plantæ, frondes & fructus de ſe neceſſario decidant. Jam dictis vero intentionibus in præſens ſatisfacere anni tempus non permittit, ſed in Ver venturum regularis jam dicta præſervatio erit diferenda. Interim tamen ne uterque affectus majus augmentum ſuſcipiat, imò potius nonnihil imminuatur, aliqua pauca agenda proponam, quæ excrementitios humores per alvum & urinam educere, & eorundem acimoniam atque aciditatem commoderare valeant. Singula igitur hebdomada aſſumat.

℞. Elect. lenit. ℥ſs. Elect. de ſucco roſarum ʒ ij. Magiſt. mechoac. gr. x. M. f. boli, quibus, duabus tranſactis horis, ſuperbibat aquæ hordeac. vel Nocerianæ, vel ſtillat. malvarum ℔iß. aut ℔ij. & tribus horis ab epota aqua prandeat. Diebus autem intermediis aliqua potio offerenda erit, quæ quàm celerrime ad hepar feratur, & per univerſum corpus diſtribuatur, ut ideo conditionem aliquam diureticam in ſe continere debeat; erit autem hujuſmodi.

℞. Sem. melon. mundat. ſem. cucurbitæ mundat. an. ℥ß. aq. ſtillat. malv. ℥vii. m. contuſis ſeminibus, cum aqua extrahatur Emulſio, quæ erit valde diluta, cui adde ſacchari albiſſ. cochlear, vel ſyrupi de pomis, aut de ſucco limonum, aut violacei ℥j. pro potu matutino quadraginta diebus hauriendo. Quod ſi fortaſſe Emulſio hujuſmodi non adeo facile toleretur, ſubſtituatur potus aquæ ſtillat. malvæ cum ſyrupo de pomis, aut violaceo. Mirabiles autem effectus non ſemel obſervavi ab uſu aquæ ſtillat. ex anguriis decorticatis, & B. M. deſtillatis, quas Romæ adſervatas invenire difficile non erit: diu namque in ventriculo non immoratur, hypochondriorum fervorem contemperat, anodynam facultatem obtinet, & ſanguinis acrimoniam atque aciditatem egregiè edulcorare ſolet: non omiſſo tamen conſueto jure cichorio alterato, ſed prima menſa cum cæteris eduliis hauſto. Interim quo tempore verruca in mamma evanuerit, Saturni balſamo illiniri poſſet, quod tamen tutius adminiſtrabitur, abſoluta univerſi corporis præſervativa purgatione, quam Vere venturo, Deo dante, deſcribam, cum de ſtatu Excell. Principis tunc temporis certior factus ero: nec deerit purgantium, aperientium & alterantium medicamentorum ſylva, qua tuto & jucunde Excellentiæ ſuæ inſervire valebimus. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Juvencula quædam ſexdecim annorum, cùm novem annis ſcabie infecta fuiſſet, nec ullis remediis curari poſſet, ad me tandem conſilii cauſâ venit; huic ſæpius decocta ſanguinem purificantia præſcripſimus, quæ conficiebantur ex borrag. bugl. acetoſ. & ſimilibus in ſero lactis decoctis. Deinde corpore ritè expurgato, eam nudam per horam in balneo ſequenti poſuimus, idque quinque diebus continuando.

℞. Lapath. acut. cum rad. fumar. malv. ſcabioſ. viol. hederæ arbor. furfur. opt. ſal. communis, an. M. ij. coq. in aq. communi pro lavacro, facta abſterſione totius corporis, lectum calidum intrabat & ſudabat: ſic materiâ ſufficienter ad cutem propulsâ, tunc tandem eam inunximus unguento ad ſcabiem in præcedenti obſerv. deſcripto; eo cùm aliquandiu inuncta fuiſſet à fœda ſcabie curata eſt. *Petrus Foreſtus. Obſerv.* 11. *lib.* 5. *Obſerv. Chirurg.*

Quendam ſcabie & pruritu totum corpus fœdante laborantem ita ſanitati reſtitui.

℞. Decocti ſennæ ℥ iv. confect. hamec. ʒ vi. M. F. potio; qua rectè & copiosè expurgatus eſt. Poſtea venam brachii aperuit, multumque ſanguinis emiſit.

A ſanguinis miſſione ſeptimo die tale ipſi ordinabam balneum.

℞. Alumin. ℥ v. ſalpetræ, ℥ iij. ſulph. vivi ℥ ij. redigantur in pulverem; qui coquebatur in aqua fluviali quanta ſufficit; tertio quoque die renovatur, balneabat mane & veſperi, & intra viginti dies ab iſta fœda lue & ſymptomatibus liber ſanuſque evaſit. Potus erat decoctum meliſſæ ſaccharatum. *Mart. Rulandus. cur.* 80. *cent.* 3.

Poſt purgationem.

℞. Rad. lapath. cum fol. num. 3. hord. cum cortice ſuo, p. 3. radic. alth. ℥ ij. fol. malv. M. ij. rad. helleb. nigr. ℥ j. bulliant omnia ſimul in aq. ſ. q. ad dimidiæ partis conſumptionem. Deinde fiat fortis expreſſio, colaturæ adde ol. roſ. ℥ iij. Terebinth. ℥ ij. ſal. nitr. ℥ ß. bulliant omnia ad aq. conſumpt. deinde addantur ſucci limon. ℥ vi. removeanturq; ab igne, dumque incipit refrigerari, adde vitell. ovor. num. 3. conſervetur poſtea in vaſe mundo & bene cooperto, & illinet loca ſcabioſa omnia, ſcalpendo prius apud ignem, & ſic fiat alternis diebus veſperi ante introitum lecti, ſeptem vicibus; ultimo ingrediarur balneum, & mundificetur totum corpus, poſtea mutet veſtes & Chirothecas. *Ioh. Baptiſta Montanus. conſil.* 372.

℞. Reſinæ terebinth. lotæ ℥ ij. butyr. rec. ℥ j. ſal. ʒ ij. ol. roſac. coſtin. ſulph. vivi, an. ℥ v. ovor. lutea ij. M. F. Linimentum. Hoc linimentum multum profuit. Poſtea ſequens pro abſterſione inſtitutum.

℞. Sulph. vivi ℥ ij. bacc. lauri ℥ j. baccar. juniper. ʒ v. ſal. ʒ iij. contund. omnia & ligentur in petia & imponantur in olla recondito, & ſic aliquantulum bulliant. Poſtea accipiatur illa petia, & cum ea fricetur corpus, quando vadit dormitum, ſeu ſingulis noctibus, ſeu alternis. *Ioh. Baptiſta Montanus conſ.* 376.

Inter topica remedia ſcabiei convenientia, hoc primatum obtinere tanquam expertus confirmo, quod habet.

℞. Rad. enul. campan. virid. ℔ ß. pingued. porcin. ℥ v. in mortar. marmoreo piſtentur, & ad lentum ignem parum bulliant, & F. unguentum, quo æger puſtulas inungat, eſt enim admirandæ virtutis unguentum hoc, ut incantamento ejus opus ſimile videatur; cujus vires ſi expertus fueris, nobis conſenties. *Amatus Luſitanus. cent.* 2. *curat.* 98.

Quidam ſcabie vulgari in manibus & pedibus infeſtatus, ſic curatus fuit. Sumpſit primùm purgans ſequens.

℞. Catholic. ℥ ß. confect. hamec. ʒ ij. ſyr. de fumar. ℥ j. cum aq. fumar. & endiv. an. ℥ iij. M. F. Potio. Sequenti die ſecta fuit vena brachii. Deinde apozemate hoc uſus eſt.

℞. Radic. liquir. ʒ ij. Radic. lapath. [quod Rhab. monach. vocant] ℥ i ß. Rad. polipod. ℥ ij. cort. tamariſc. ℥ ß. fol. endiv. mercurial. fumar. ſummitat. lupul. an. M j. fl. bugl. borrag. ſcabioſ. an. p. j. paſſul. paria x. prunor. num. 10. epithymi ℥ ß. ſen. ℥ iij. ſem. cartham. contuſ. ℥ j. ſem. aniſ. fœnic. an. ʒ ij. F. omnium decoctio, in colat. q. ſ. pro 4. vel 5. vicibus adde ſacch. q. ſ. aromatiz. ʒ ij. cinnam. abſoluto apozemate adhuc ſemel purgetur ſequenti potione.

℞. Rad. liquir. polipod. an. ʒ vi. ſen. ℥ ß. ſem. aniſ. ʒ j. fl. cordial. p. j. F. decoctio, in colat. ℥ v. infund. rhei ℈ iv. agar. ʒ j. ſpic. Zinzib. an. ℈ j. F. expreſſio. diſſolv. ſyr. roſ. ſolut. ℥ i ß. F. Potio. Abſoluta purgatione, capiat cubitum iturus mithrid. ʒ j. Vel,

℞. Conſerv. cichor. bugl. roſ. an. ℥ j. ſpec. trionſantal. ʒ j. cum ſyr. de endiv. F. elect. ſuperbibat ſemper aquam fumar. & acetoſ. ſumat electuar. alternis diebus quod intemperiem ſanguinis contemperabit. Balneo dein hoc utatur.

℞ Rad. bryon. lapath. acut. fol. ſcabioſ. malv. mercurial. parietar. viol. hederæ, ſalicum, an. M. ij. decoq. in aq. pluviali: add. aquæ extinctionis ferri & lixivii, an. menſur. aliquot, tartar. ℥ ij. ſulph. ℥ j. ſal. M. j. ut F. balneum, in quo ſedeat per horas duas in die; dein in lecto ſe ſiccet: à balneo ungatur ita.

Ol. roſar. viol. an. ℥ ij. ſucc. lapath. acut. & plantag. an. ℥ j. aceti ℥ ß. butyr. rec. ℥ ß. coq. ad ſucc. conſumptionem; adde litharg. ʒ iij. Rad. ſerpent. ʒ j. ſulph. ʒ ij. ceræ, q. ſ. F. Unguentum; reſtitutus mox fuit. *Felix Platerus. obſerv. lib.* 2. *pag.* 534.

Adoleſcens quidam fœda ſcabie torquebatur à qua liberari nequiverat venæ ſectionibus & purgationibus multis intra ſex menſes per intervalla uſurpatis: tandem ei exhibetur merc. d. ℈ j. cum. diagrid. ℈ ß. quibus optimè purgatus eſt, & a fœda illa ſcabie intra paucos dies liberatus. *Lazarus Riverius. Obſerv.* 62. *cent.* 1.

Quidam Empiricus decocto ſtibii calcinat. cum ſarſaparilla additis etiam aliis, pernicioſas ſanabat ſcabies. *Platerus practic. Tom.* 2. *cap.* 17. *pag.* 767.

Certiſſima experientia comprobatum eſt ad omnia genera ſcabiei in capitibus infantium, plurimum opitulari camphoram, ſi ſuper ferrum candens aduratur, & in pulverem redigatur, & ſcabiei inſpergatur, aut cum pinguedine veteri ſuilla commiſceatur, & capiti inungatur. *Franciſcus Joël. practic. lib.* 9. *ſect.* 2.

Nihil vilius detritis calceis. Novi tamen puerum *Melitenſem* toto corpore cruſtis fœdis obſitum, qui adſperſo cinere combuſti corii calceorum cum oleo roſac. convaluit. *Thomas Bartolinus. hiſtor.* 73. *cent.* 6.

Ad magnam illam ſcabiem quæ in tibias excutitur, poſt morbos longos, & præcipuè febrem quartanam, doloribus ſeviſſimis inunctam, nihil inveni in tota medicina efficacius quam ſequens unguentum.

℞. Unguenti baſilici ℥ iv. Terebinth. ℥ ij. olei roſ. ℥ iv. vitell. ovorum num. 3. ceræ tantillum. F. unguentum, quo inungantur partes ſcabie laborantes. *Petrus Pachequus. Obſerv.* 35.

Quidam Scabie perpetua ſicca, illa quæ perpetuo pruritu vexat, mirum in modum vexabatur dies ac noctes; ſomnum capere non poterat, cibum reſpuebat, vertigine tentabatur identidem. *Cracovienſes* quidam Medici aliquot annis hominem variis medicamentis [alioqui macrum, ſiccum & melancholicum] excarnificaverunt. Fuit qui ſarſamparillam, deinde chinæ radicem, alias guajacum præberet: denique hydrargyro unctus fuit: ſed hæc fruſtra omnia, non potuit morbus his armis propulſari; tandem conſilio *Itali* cujuſdam *Joh. Pedemontani*, qui tum in *Dacia* ei, qui nunc *Polonorum* Rex eſt, miniſtrabat, ad Antimonii grana iv. deventum eſt. Quid multa? Morbus tam diuturnus, tam pertinax paucis menſibus depulſus eſt; jam ſex anni abierunt, etiam nunc bene valet. Addam hoc quoque quod mihi magis mirum videtur; is, quem dixi *Pedemontanus*, jam à quindecim annis ſingulis ferè menſibus decem, duodecim, quatuordecim, cum lubet & neceſſe eſſe putat, grana ebibit; morboſum ſe fuiſſe antea ait, poſt uſum ſtibii rectè ſemper valuiſſe; itaque magis ut imminentibus morbis obviam eat, quam ut præſentem aliquem curet, ſtibio ſe tam frequenter uti affirmat. *Andraas Dudithius.* 17. *lib.* 6. *conſil. & Epiſt. Cratonis & aliorum à Scholtzio editorum.*

℞. Olei glandis unguentar. ℥ iij. ſpiritus ſalis ʒ ß. Moſch. vel Zibeth. gr. ij. ceræ q. ſ. F. unguentum; quo facilè & jucundè [cum bonum ſpiret odorem] ſcabies curabitur. Pauperes & Milites illam mire fugabunt ſola ſaponis nigri lotione; at non diu cuti inhærere debet, ſed citò abluendus ne cutem excoriet. Decoctio

malvarum cum alumine ad libitum eſt etiam optima ad ſcabies curandas, ſi ter eâ corpus abluatur tepidè. *Petrus Borellus. Obſerv. 7. cent. 7.*

De Nævis maternis.

Vivit, adhuc nobiſcum hic Thorunii Vir quidam Conſultiſſimus, cui uteri materni clauſtris adhuc incluſo imaginatio materna ad dextra tempora impreſſerat pellis murini ſignum piloſum, quia mater gravida, cùm ei fortè fortunâ obvius factus eſſet muſculus, ex terrore manum dextram dextris impoſuerat temporibus. Tetigi hunc nævum, cùm pueri eſſemus, ſæpiſſime. Is verò adultior factus, & turpitudine iſtius notæ commotus, aquâ regiâ locum affectum ſubtiliſſimè inunxit. Unde primum pili, mox & cuticula ſeceſſit, tandem verò Chirurgus tempora eroſa mundavit atque obduxit, apparentibus jam hinc inde quibuſdam cicatricibus.

Sub finem Februarii Anni hujus 1672. nupta eſt hic Thuronii Scoto cuidam in vicinia habitanti, virgo, è Scoticis quoque parentibus orta, cujus ſiniſtræ manus dorſum ferè totum rutilus occupavit color, à matre gravida, incendium ſubito ortum advertente, atque ex terrore ſiniſtram ſuam contrectante, ei impreſſus. Hæc ante paucos annos ex conſilio cujuſdam vetulæ, ſanguine Secundinæ affectum locum oblavarat, ſed tantùm abeſt ut nævum abſterſerit, ut potius ingentem inflammationem cum inſigni tumore ac dolore excitarit, quam tandem Chirurgus, non ſine multo labore & induſtria compeſcuit, remanente nihilominus nævo. *Georgii Segeri in Miſc. Cur.*

Maculæ quotannis ſtato tempore efflorefcentes.

Curavi anno ſuperiori adoleſcentem quendam, qui per ſex vel plures annos maculis rubicundis, oblongis, elatis & prurientibus, ſingula æſtate redeuntibus, & juxta motum Lunæ, nunc apparentibus, nunc evaneſcentibus, deturparetur; Data ſunt feliciter ſanguinem purificantia cum laxantibus per aliquot continuata dies, ſuccedente pulvere meo Renovativo, ut voco, aliquot uſurpando vicibus: componitur ex Antimonii diaphoretici alkool. ſpinarum viperarum & Antim. ſublimat. Ita non amplius viſæ ſunt efflorefcere. *Ehrenf. Hagendorn in Miſc. Curioſis.*

Maculæ corporis ex ſanguinis ebullitione.

Sæpè ignaros cauſarum terrent phænomena in corpore apparentia, quæ nullum ſecum periculum trahunt. Primæ notæ & formæ fœmina, ſibi metuens, conſilii causâ me reviſit, de maculis in corpore univerſo enatis ſollicita, ſanguineis, latis parviſque in crure & brachio efflorefcentibus. Nullo quidem incommodo actionibus officiunt, neſcio tamen quas animo ſollicitudines ingerunt. A ſcorbuto enim derivandas opinatur. Aliter perſuaſus ego, & temperamento mulieris & cæteris comitantibus ſignis, credidi querulæque perſuadere cœpi; ebullitionem eſſe ſanguinis nullo vitio depravati, ſed copiâ peccantis. Menſes enim inordinato curſu fluunt. Nunquam concepit. Diſparent maculæ quando ægritudine aliqua corpus conficitur, redeuntque ad ſanitatem redeuntis. Poſt venæ ſectionem non comparent. Unde de alio remedio fruſtra cogitandum cenſui. Non ita pridem ſimiles prorſus maculæ ſanguineæ crus ſpecioſum ancillæ pulchræ deformaverant, ut territa illa revelare cum verecundia quadam partes illas mihi auſa ſit. Lætam bono animo eſſe juſſi, ſolo ſanguine evacuato, nullum corpori nævum ſuper-futurum promittens. Abundare enim ſanguinem in corpore, qui extremam cutem petit cum anguſtioribus vaſis excluditur. *Thomas Bartolini.*

De livore totius corporis periodice Recurrente.

Unius anni infans bene valens, circa medium Februarii hujus anni derepente, ſine ulla præcedente cauſa toto corpore factus lividus, non aliter ac ſi ſtrangularetur, integra tamen mente, ſine ullo ſenſu doloris, niſi, quod caput parum inclinarit, ac ſi ſomnolentus eſſet. Perterrita rei novitate mater me vocat, ſed ad adventum meum jam remiſit ille livor univerſalis, qui ultra horam duravit. Et licet infans, jam in facie tantùm & manibus ſublividus, benè ſe habuerit, tamen ſuſpicatus aliquid epileptici ſubeſſe, cùm antea huic affectui fuerit obnoxius, quotieſcunque enim nutrix menſtrua experiebatur, inſultibus epilepticis tentabatur & iſte, dedi *Pulv. March. ep.* cum *Spec. de hyac. & ant. diaph. in Aq. Ceraſ. nigr.* ſic diſparente omni livore ad priſtinum colorem naturalem rediit, diemque ac noctem inſequentem commodè tranſegit. Tertia die hora octava matutina, pro ut ante triduum, iterum rediit livor, magis tamen in facie & extremitatibus pedum, manuumque, quàm in reliquo corpore conſpicuus, nec ità intenſe, ſed tantum, ac ſi membra ex frigore liverent, quæ calore tamen naturali ſufficienter erant prædita. Curavi reiterari pulverem, & poſt meridiem applicatur Clyſter, ſic iterum per diem & noctem benè valuit, ſed rediit tertia, quarta, quinta vice, ſemper de tertio in tertium, ſubinde tamen minus. Tandem purgato corpore penitus emanſit, parvuluſque ad hunc uſque diem optime valet. Utrùm autem hìc aliquid epileptici aut febrilis ſubfuerit, difficile eſt judicare. *Caroli Raygeri.*

Menſtrualis partium in puella quadam externarum, utpote aurium, narium, digitorum. &c. mortificatio.

Cùm anno 1660. tertia vice Bataviam permigrarem, in civitate Delphenſi Chirurgum, in operationibus ſuis expertiſſimum & ſolertiſſimum, in tota Hollandia & Zelandia celeberrimum, & ante aliquot annos mihi familiariſſimum, inveni mortuum, quare à vidua petii, ut MSS. relicta aliquantulum perluſtrandi mihi copiam faceret, quod quidem illa lubens conceſſit. Ille autem, inter alia memoratu digna, obſervationem raram annotaverat ſequentibus verbis, quam ex Belgicâ Linguâ, in gratiam benevoli Lectoris, transferendam putavi. Hæc autem ita ſe habet:

Anno 1629. die 21. Martii ſt. n. Ego *Bernardus Schrader*, unà cum fratre meo Joanne Schrader, & Alexandro Lax, Chirurgiæ ſtudioſo, veni ad oſtium aquæ in pagum, cui nomen eſt Geeſt, & quidem in diverſorium, cujus hoſpiti nomen erat Joh. Brandes, hujus filia, quæ annum ætatis agebat 23. tali affectu miſerè affligebatur. Singulis menſibus pariebatur dolorem inſignem in digitis manuum & pedum, ut & extremitatibus aurium ac narium, cum tumore œdematoſo, in facie, pedibus ac manibus: quem ſequebatur paulo ante & poſt plenilunium partium iſtarum corruptio & mortificatio, ſicut earum extremitates albæ & ſiccæ factæ, abſque ſenſu, dolore, humore & fœtore deciderent fruſtulatim, eo quod iſtarum partium ſupererat naturalem formam & figuram retinente. Ego autem, cùm diligentius apud parentes de his accidenribus inquirerem, pater mihi monſtrabat ſcatulam, in qua centum & plura fruſtula demortuarum partium, quæ ſpatio trium annorum abſceſſerunt.

De ſingularibus morientium maculis.

Occubuit nuper inter noſtrates Johannes *Deutſchmann*, civis optimus & vir probus, affinis & compater meus, annos tres ſupra ſexaginta natus, maraſmo conſumptus, cui nono ante mortem die maculæ purpureo-lividæ per totum corpus plurimę erumpebant, & manus dextræ carpus cum metacarpio ad cubitum uſque livido & ad nigredinem vergente colore totus tinctus apparebat: quę omnia ad finem vitæ perdurabant, neque poſt mortem diſparebant; qualia ſigna mihi, quantum memini, nunquam aut rariſſimè in morbis chronicis ante mortem, niſi in ſcorbuto, aut febribus malignis peſtilentialibuſque: poſt mortem autem ſæpiſſimè obſervare licuit. Sed Dn. D. Johannes *Blümig*, gener meus, quinto die ante mortem in carpo ſiniſtræ manus maculam livido purpuream rotundam cum radiis quibuſdam in matre ſua chariſſima ſe animadvertiſſe mihi narravit, quæ autem altera à morte die planè evanuit. Tales *Ioh. Tilemannus in Explanat. Aphoriſ. Hippocr. p. m.* 237. maculas agonizantium appellat, indiceſque mortis inſtantis vocat. Verùm ejuſmodi macularum doctrina in libris Medicis parùm adhuc exculta eſt. *Simonis Schultzii.*

De intolerabili totius corporis Pruritu.

Solus aliquando pruritus, inquit *Sennertus lib.* 5. *Pract. part.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 8. homines vexat, & adeo moleſtus eſt, ut etiam Medici auxilium implorare cogat; rarò autem curatur in ſenibus, prę ſertim decrepitis. Expertus hoc ante annum Senator Ratisbonenſis, de Republ. quoad vixit, optimè meritus. Uſu quoque id venit cognatę meæ, aliquandiu non mediocriter excruciatæ. At quorſum attinet colligere exempla ferè quotidiana? Id potius curandum, ut ex adverſo nobis conſtent obſervationes aliquando reſtituſtorum. Unicum exemplum ex *Mercuriali* adducit prælaudatus autor. Huic jungemus nos obſtetricem, octuaginta ſex annorum, abſtemiam vini pariter & cereviſię, quadratam tamen, viribuſque iſthac ętate ſatis adhuc conſtantem. Senſit primo horrorem cum ſtridore dentium conjunctum, quem hora poſt tantus excepit totius corporis pruritus, ut aliquot dies ac noctes nec ſomnum capere, nec cuiquam rei vacare potuerit. Creberrima vehementiſſimaque frictione puſtulæ confertim excitatæ malum haut leviter exaſperabant, cutemque paulo poſt uſque adeo fœdabant, ut cum leproſa mihi rem eſſe prorſus ſuſpicaret. Præſcripſi morſulum purgantem (ab aliis enim formis dici non poteſt, quantopere abhorruit) quo ſumpto quinquies depoſuit alvum. Partes prurientes adſperſę aliquoties pulvere *glycyrrhizæ*, *ceruſſ. alb.* ac *myrrhæ*, ex quo notabile levamen cępit. Propinata præterea ſanguinem purificantia, quorum vehiculum erant, quibus ab ineunte ætate aſſueverat, lac & aqua. Utroq; nullo non die ſe nimium quantum ingurgitabat, unde horrorem non rarò excipiebat horror. Tandem præter ſpem univerſum corpus poſitis exuviis fœdiſſimis, novam prorſus induit faciem, nullo poſt ſe relicto pruritu, vel dolore, vel denique deformitatis veſtigio. Secunda adhuc uſque utitur valetudine, nihil hoc morbo ad obeunda conſueta munia, ſegnior reddita. Numquid largior lactis potatio partem curationis ſibi vendicare poſſit? haud inconſiderata eſt quæſtio; notum enim ex hiſtoricis, apud Scythas lactis potatores nunquam ferè apparere lepram. *Ioh. Petri Pruckelii.*

De ſcabie ex retentione menſium.

Non procul à Patria mea Fridlandia in Ditione Reverendiſſimi Abbatis Brunovienſis, in pago *Wernerſdorff* dicto, Ancillæ anno 1657. fluxus menſt uus ſubſiſtebat. Ex qua retentione primò tumor, deinde inflammatio utriuſque Mammæ, in ulcera tandem deſinens exoriebatur. Mater ex incantamento evenire judicavit, ſed falsò. Poſtea quolibet conſueto menſium tempore ſcabioſa fuit reddita: Elapſis autem diebus fluxus conſuetis, ſcabies orta, ſine Medicamentorum ope, ſua ſponte decidebat. Moleſta hæc cutis fœditas, quolibet menſe redux, uſque ad annum 1658. quo Curæ meæ committebatur, illam divexavit. Evacuato priùs benè corpore, nec intermiſſis totam maſſam ſanguineam repurgantibus & emendantibus, venam Salvatellam bis ſecandam ordinavi, poſtea & utramque Saphænam, porrectis ſimul Medicamentis menſtrua expellentibus. Virgo à fœda ſcabie, & ignominia luis venereæ, qua vicini illam infectam judicarant, reſtitutis menſibus, ordinarieque fluentibus, Deo benedicente, fuit liberata. *Melchior Fribe.*

Scabiei intempeſtiva & empirica curatio perículoſa.

Juris quidam Studioſus, Berenburgo-Anhaltinus, Lugduni Batavorum vivens, Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono, ſub finem æſtatis, & principium Autumni *ſicca ſcabie* corripitur, cui fortaſſe ex parte occaſionem dedit mutatio aëris; eo ipſo enim anno præterito, vere Witteberga ſe Hollandiam contulerat: hæc cum ipſi nimis moleſta eſſet, tum à me, tum ab aliis Medicinæ Studioſis convictoribus ſuis (qui erant *M. Hayrio Rigius* Hamburgenſis, *Nicolaus Witte*, Riga Livonus, *Tobias Scholtz* Thorunienſis Pruſſus, *Sebaſtianus Meier* Lubecenſis) pro ea abigenda conſilium petiit. Ego (utpote ipſi admodum familiaris) corpus ejus Cacochymicum, ſalſis & ſeroſis humoribus ſcatens, conſiderans, ſuaſi ei, ut primò Diętæ rationem haberet; & tam cibo, quàm potu moderato bonique ſucci uteretur: ſecundò, medicamentis idoneis Cacochymiam expurgaret: tertiò, ſalſos & aduſtos humores per habitum corporis expelleret, & quarto, ſi tribus hiſce præmiſſis, *ſcabies* haut evaneſceret, externa quędam adhiberet. Ille verò licet quoad primum, Diætam parum curaret, me tamen ut juxta ſecundum ſcopum purgans aliquod prę ſcriberem, ſollicitavit. Itáque diverſis vicibus purgantibus Medicamentis uſus eſt, operatione ſemper benè ſuccedente. Elapſis iterum aliquot ſeptimanis, juxta tertium ſcopum ſudorificum Medicamentum à me exigebat: quod ipſi etiam bis præſcripſi, non ſine ſucceſſu. Interea dum his utebatur, me inſcio; ſuaſu cujuſdam *Empyrici*, abluerat externè corpus *Aqua* quadam cujus compoſitionem, ut ex eo intellexi, *Mercurius* ingrediebatur, tum etiam *cingulo*, cui idem *Mercurius crudus inſutus* erat, medium corpus nudum cinxerat, atque ita brevi tempore, *ſcabies* evanuit, humoribus ſcilicet ad extra ſe moventibus, intro pulſis, ſed, ut ego prædixeram, facili occaſione gravius aliquod malum corpori illaturis. Cum itaque Studioſus hic, elapſis paucis ſeptimanis, jam nihil mali metueret, & decima nona atque vigeſima Januarii anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi vino Gallico ſe nimium ingurgitaret, inſimulque inter tumultus nocturnos inter Studioſos & vigiles civitatis exortos, corpus nimio motu exerceret, die vigeſima prima Januarii manè è lecto ſurgere volens, graviſſimum dolorem circa os pubis percepit, ita nec rectè incedere, nec ſtare poſſet: Circa noctem febrè correptus, & ſopore quodam obrutus eſt, quibus vigeſima ſecunda Jan. perſeverantibus, Dn. *Elemannum* tum temporis Practicum Leidenſem ad ſe venire rogat: cui advenienti rem omnem retulit: *cingulum* etiam illud *Mercuriale* (quo ille tanquam Præſervativo contra ſcabiem utebatur) corpori alligatum monſtravit

monſtravit; Eo abjecto varia ipſi prædictus Medicus præſcripſit Medicamenta purgantia & ſudorifera, donec febre poſt aliquot dies ceſſante, tumor durus cum magno dolore circa os pubis inguina occuparet, qui veſicę urinarię collum comprimendo, urinæ liberum exitum impediret. Tumoris hujus causâ Chirurgus vocatus eſt, qui Emplaſtra, primum Diachylon, dein Oxycroceon & alia applicavit, quorum ope ad decimam quartam Februarii dolore paulatim ceſſante, viribus quoque reſtitutis, melius incedere cœpit, tumor quoque ſenſim reſolutus evanuit: Huic ferè ſimilem caſum recenſet *Greg. Horſtius Parte priore obſerv. ſingul. lib. 2. obſerv. 10. p. m. 103.* qui ibidem videatur. Tandem ſanitati planè reſtitutus, ſub finem Anni mecum Angliam viſitavit, & facetum viæ comitem ſe præbuit.

Scholion.] *Mercuriale cingulum* importunè adhibitum multoties maxima damna attuliſſe exemplis confirmant *Oberndorf. in Apolog. Medic. Chym. Pract. p. 30. Ruland. in Alexicà. Chymiatr. p. 44.* Idem *unguentum Mercuriale* colli diſtorſionem. *Thoma Bart. cent. 4. hiſt.* 48. in Arthritico ſummos dolores & initium gangrenæ *Hildan. c. 4. obſ. 82.* ἀφωνίαν *Ferd. Ponzetta l. 2. de venen. c. 21.* Epilepſiam *Heurn. de aff. capit. c. 23.* mandibulæ caſum *Angel. Sala in Planet. ſpagyr. p. 204. §. 3.* & mortem repentinam intulit *Zacut. l. 3. Prax. Adm. obſerv. 50. & 85.* De aliis nocumentis ex Mercuriali illitione *Unzer. tract. de Mercur. l. 1. c. 16. p. 108.* Cum ipſemet Argentorati Anno 1649. viverem in convictu Excell. Dn. D. *Ioh. Alberti Sebizii* Avo & Patri in Profeſſione & Phyſicatu Succeſſoris digniſſimi, retulit fœminam quandam ſcabie laborantem *Mercuriali cingulo* adhibito *tam enormem Linguæ tumorem* expertam fuiſſe, ut ea extra fauces plurimum protenſa, cum metu gangrænæ, poſt aliquot dies vix magna ipſius cura & ſtudio imminui & juſtę quantitati reddi potuerit:

Ex ſcabie ſuppreſſa febrem continuam, cœcitatem & Epilepſiam productam *Sennertus* Paralipom. pag. 157. Quartanam p. 176. & Icterum *Camerarius* mem. 10. §. 65. memorant. *Simonis Schultzii.*

De Contagioſa cutis fœditate ex accubitu.

Anno 1661. Landishuttæ in Sileſia virgo quatuordecim annorum cum dimidio, Curæ meæ ſe ſubmittebat, quæ alias, quoad formam & nitorem, fuerat elegantiſſima. Hæc cum ancilla impura per noctem in uno lecto dormierat, inſcia illam eſſe impuram, ea nocte magnam ſibi, ſolo accubitu, attraxerat fœditatem. Eruperant ab initio in cute puſtulæ rubræ, quæ ſucceſſu temporis in ſquammas fuerunt commutatæ, & poſtea in eam accreverunt denſitatem, ut fermè dimidium tranſverſum digitum ęquaret, quod facilè creditur, quia Chirurgus, cum meo juſſu, præviis evacuationibus, venæſectionem tentaſſet, cum phlebotomo non cutem, multo minus venam attingere potuit. Curam internam quod attinet, dedi ab initio Mercurii dulcis grana XVI. Diagrydii ℈ß. in vehiculo convenienti. Purgante hoc ſumpto ἄνω καὶ κάτω multa mucoſa & bilioſa excernebat. Reiterabatur hoc purgationis genus, ſemper cum euphoria. Purgato probè corpore, quia paupercula erat, ad externa progrediebamur. Internè manè ad ſudoris elicium præſto erat Decoctum Lignorum. Externè cubitum itura illinebat cutem Linimento ſequente:

℞. Unguent. roſat. ℥VI. Vitriol. albi [*Galitzenſtein*] ʒVI. M. pro Litu. Quibus adhibitis, & ad neceſſitatem reiteratis ad quatuordecim dies & ultra, quolibet diluculo Mater Patientis duos manipulos integros ſquammarum è lecto facili negotio colligebat. Apparuit tandem, profligatis ſquammis, cutis rubra & quaſi renata, dolens tamen, quapropter à Litu ſuperiori abſtineret duxi conſultum, & illius loco balneum dulce ſimulque cutem mundificans adhibui, ſicque Deo benedicente, parcioribus ſumptibus miſeram gratis in integrum reſtitutam reliqui. De hac cutis fœditate non multum diſputabo, utrum Lepra, aut Elephantiaſis ſit dicenda. Lepra fuit, ſed ut ſpecies ſub genere, quia ſquammoſa fuit: Elephantiaſis verò, quia *Jonſtonus Id. Univerſ. Medic. lib. 6. cap. 9. pag. m. 289.* ſub hac tanquam genere, varias comprehendit ſpecies, nimirum Leontiaſin, Satyriaſin & Lepram, aſſeritque has ſpecies eſſe tumorem totius Corporis cancroſum ex atra bile, venenata qualitate infecta, & in totum Corporis habitum effuſa, exortum, multaque Symptomata inferentem. Sed quoniam Autor nominatus quatuor ſpecies capite eodem pag. 290. conſtituit, & eam, in qua albedo, ſquammæ & furfures apparent, Elephantiaſin Tyriam, à ſerpente ſquammoſo Tyro, Verè ſpolium exuente, vocat, jure meritoque & hanc à me curatam cutis fœditatem Lepram ſive Elephantiaſin Tyriam fuiſſe autumo.

Vermes in Scabie animadverſi.

In ſcabie videntur vermes, *Borellus obſ. 32.*

In Scabie Venerea vermes limacum inſtar, tantæ fœcunditatis vidit *Kircher*, ut intra dimidiam horam ad 50. alios ſimiles ſibi partus effuderit. *lib. 12. mundi ſubterr. ſ. 1. c. 10.* Ex *Meſſi* obſerv. Microſcopic. *Melchior. Fribe.*

De ſcabie epidemica felium.

Eleganter *Homerus lib. 1. Iliad.* peſtilentiam refert à pecudibus eſſe inchoatam: quando morbus, antequam in homines poſſet irrepere, facilius capitis pecudibus incubuit, ceu loquitur *Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 5. pag. 520.* Prout enim aër impurior hujus vel illius animalis ſpeciei temperamento eſt contrarius, ita *unum ſæpè* epidemicis tentatur & *perit morbis*, alterum ſine ulla contagionis lue ſervatur incolume, unde non rarò obſervata eſt peſtis ovium, boum, anſerum, canum, &c. Neque verò ob Temperamenti ſolùm diſpoſitionem ſeu ἰδιοσυγκρασίαν, talis-modi animalia bruta corripit lues; ſed etiam, veluti elegantiſſimè *Euſtachius Comment. in lib. 1. Iliad. pag. m. 31.* ſcribit, διὰ τὸ ἐγγυτέρω εἶναι τὸν ἀνθρωποπαθοῦς ἀέρος, καὶ εὐθὺς μεταλαμβάνειν αὐτοῦ τῇ κάτω πρὸς τὴν γῆν νεύσει, *quod propiores quaſi ſint primùm affecto aeri; illumque citiùs prono ad terram nutu hauriant.*

Pertinet huc Scabies Epidemica felium, quæ à duobus annis in VVeſtphalia, aliquot milliarium ſpatio adeo graſſata eſt, ut nulla propemodum felis manſerit ſuperſtes. Scabie caput oppletur, imprimis verò aures penitus cruſtis quibuſdam obducuntur, oculi quaſi cute videntur obduci, quamvis adhuc videant, donec tabo quodam diffluant, & hinc moriuntur. Perpetuus urget ipſas ſopor; & non aliter dormituriunt, quàm ſi illam de ſomni encomiis audiviſſent Orationem, unde vix ad epulas veniunt. Ultra caput & collum non progreſſa fuit ſcabies. Nulla ferè domus, in qua non fuerint hoc malo correptæ, & niſi fallit conjectura, videri poterat generatione quoque communicatum, præter communem aëris uſum, quippe eas quoque occupavit, quæ ſine ullo cum aliis commercio accuratè fuerunt cuſtoditæ, ne vi contagii corriperentur. Putantur quędam curatæ pinguedine balænæ, in pluribus verò Medicina non valuit, paucęque evaſere. Teſtem hujus rei oculatum nomino Dn. M. Joh. Pretorium, Gymnaſii Suſatenſis Directorem, amicum longè cariſſimum, qui illud ad me perſcripſit 1671. Menſe Novembri. *Georg. Wolfg. Wedelii in Miſc. Curioſ.*

De

De Morphæa Nigra.

Siquis cutim humanam Noſodochium ſeu receptaculum omnium morborum dixerit, ne ille brevi multa eaque veriſſima exprimet. Qualis enim in corpore intus deliteſcit morbus, talis effloreſcit in cute. Hinc ſqualet in *Hectica*, æſtuat in *Febribus*, flaveſcit in *Ictero*, pallet in *Cachexia*, tumet in *Hydrope*, deformatur variis maculis in *Scorbuto*. Nec ſatis eſt aliarum partium in ſe ſuſcepiſſe atque notaſſe vitia, ſuos proprios inſuper patitur manes & innumeris deturpatur modis. Quis enim omnes ejus defœdationes, impetigines, vitiligines, lichenes, variolas, papulas, maculas & ſexcenta alia enumeret exanthemata? Inter quæ non extremum locum occupat ſpecies illa vitiliginis, quę *Morphæa nigra* dicitur, affectus primo aſpectu magis terribilis quàm periculoſus, apud nos ſatis rarus, à me nunquam adhuc obſervatus, niſi hoc præterlapſo anno binis vicibus. Nam circa initium Januarii cum *Dn. D. Schilpachero* collega meo honoratiſſimo, acceſſi puellam quandam trium annorum ex morbillis convaleſcentem. Huic tota cutis una nocte maculis nigris conſperſa, ſine calore aut dolore. Dubitavi ad quodnam exanthematum genus referrem, extra periculum tamen conſtitutam puellam videns, ſuaſi ſi forte quid ſcorbutici ſubeſſet, ut *Mixt. ſimpl. cum ſpir. cochl. & ſyr. de fumar.* ad aliquot dies propinetur, quo facto brevi omnes evanuerunt. Circa medium Auguſtum eædem iterum obſervandæ venerunt maculæ in filiola triennii Chirurgi noſtri *Alexandri Schele.* Laboraverat illa prius dyſenteriâ, epidemialiter tum temporis apud nos graſſante, ſat pertinaci, inde autem convaluit: poſt aliquot ſeptimanas, cùm bene de nocte quieviſſet, mane expergefacta toto corpore maculis nigris defœdata reperitur. Vocatus à terrefactis Parentibus, agnovi ſtatim morbum, priori penitus ſimilem, nec dubitavi amplius *Morphæa nigra* nomine hæcce inſignire, jam melius à me conſiderata exanthemata, quia exacte conveniebant omnia cum deſcriptione, quam habet *Joan. Tagault. lib.* 1. *Inſt. Chirurg. cap.* 2. & *Celſ. lib.* 5. *cap. ult.* Nulla quippe aderat cutis vel exaſperatio, vel exulceratio, ſed ſuperficies tantùm ejuſdem maculis nigerrimis guttatim quaſi aut ſquamulatim ſine inæqualitate defœdata, aberat calor, dolor, pruritus omnis, unguibus aſperius aut acu etiam punctim tractatæ ſanguinem fundebant, quod pro ſigno habet *Celſ. d. l.* Puella cùm ad interna medicamenta ſumenda valde fuiſſet refractaria, neglectis etiam externis, quæ varia deſcribit & commendat *Aëtius Tetr.* 3. *Serm.*1. *c.* 132. brevi iis liberata, non multò poſt tamen in variolas incidit, unde jam jam convaleſcens, importuna balneatione, ad nitorem corpori conciliandum, recidivam paſſa obiit. Recordor ſæpius me vidiſſe maculas cum variolis erumpentes hiſce ſimillimas, ſemperque funeſtas, quas ex communi ſententia pro Petechiis nigris habui, illas tamen extra variolas in multis aliis Petechiis laborantibus nunquam inveni, forte idem eſt affectus, niſi quod quandoque cum malignitate conjunctus pernicioſior. *Caroli Raygeri in Miſcell. Curioſ.*

De dorſi ineffabili pruritu.

Nuper percurrenti aureas noſtræ naturæ Curioſorum Ephemerides, mihi oblata eſt *Dn. Andreæ Cnæffelii* obſervatio oppido rara, de Pruritu Dorſi inaffabili; quæ in memoriam revocavit ſimilem dorſi pruritum in Generoſiſſimo & Strenuiſſimo quodam Domino in Ducatu Meklenburgenſi; Ille Generoſiſſimus Dominus mihi non ſemel confeſſus eſt, quomodo olim & adhuc dorſi pruritus tam vehemens illum divexet; ut ſæpius equo deſcendere, & dorſum famuli unguibus ſubjicere, ſtrenue illud fricaret, coactus fuerit, & ſi pruritus ille ingruit, nihil ipſum placare vel demulcere valet, quàm ſi expertus ſit aliquandiu unguium raſuram: erat hic nobilis (parco nomini) ex nobiliſſima & antiquiſſima *dr. Bulovv.* proſapia, cujus filiorum informationi eram præfectus, inque hujus pruritus ætiologiam alii me doctiores inquirant, malo quippe hîc alios audire, quàm proprium judicium ſubnectere.

Scholium.) Cauſa hujus pruritus moleſtiſſimi non alia videtur fuiſſe, quàm ſerum particulis multis acribus tetreſtrioribus vel fixioribus acuatum in glandulis cutaneis à maſſa ſanguinea ſeparatum, quod tranſpiratione, aliàs in ſtatu naturali ſenſim & inſenſibiliter exhalate ſolitum, hîc, tenuiorem tantùm partem diſſipari permittens, craſſiorum in ipſis tubulis excretoriis ſtagnationem, & conſequenter earundem, majore blandiorum & attemperantium divaporatione ſubinde facta, concentrationem ſenſim procuravit, quæ ita ferociores redditæ acredine ſua nervoſas cutis partes pungendo & vellicando moleſtum illum pruritûs ſenſum induxerunt; uſque dum forti fricatione ſpiritus majori numero allecti non poros tantum magis dilataverint, ſicque craſſioribus iſtis excrementis exitum faciliorem conceſſerint, ſed etiam unà hæc attenuaverint, atque promtiorem ad divaporationem deduxerint. Hinc quoque maximum illum dorſi pruritum à Celeb. D. Cnöffelio deſcriptum ſuſtulit tum Antimonii diaphoretici & Bezoardici mineralis internus uſus, quæ vitioſi ſeri particulas acres abſorbendo, atque ita quaſi volatiliſando liberiorem tranſpirationem effecerunt, tum & Mercurii ſublimati in aqua ſoluti externa adplicatio, qui activis ſuis particulis in poros penetrans ſerum in cute reſtagnans & coagulatum liquando ac dulcificando vim ſuam exſeruit. Unde non minus curam à Petr. Borello (cent. 4. hiſt. 36.) tentatam proſpere ſucceſſiſſe credi poteſt, qui pruritum ibi deſcriptum ab humoribus bilioſis & acribus procedere autumans, vini uſu interdicto, quæ ad bilis, & ita acriorum unà humorum evacuationem facerent, juxta cum ptiſana aperiente & victu incraſſante, rebus utpote ad ſeri contemperationem facientibus, ordinaverat, Nec immerito in exemplo à ſe prolato Nob. D. Pruckelius Ann. 9. Eph. Nat. Cur. obſ. 11. lactis potui non ultimam curæ feliciter peractę cauſam adſignaverat. *Joann. Ludov. Hannemanni.*

Dę Dorſi ineffabili Pruritu ex Obſtructione menſtrui.

Fœmina quædam annorum triginta ſex patiebatur menſium obſtructionem, compreſſionem thoracis, gravitatem anhelitus & inappetentiam cibi, cum eruptione macularum, quas vulgo vocant *Leberflecken.* Poſt ſex fere ſeptimanas, ut referebat, inſignis & horrendus ſequebatur dorſi circa ſcapulas, & ad coſtas uſque ſpurias ſe extendens pruritus. Omnia veſtimenta debebant dilacerari & crudelitas unguium magna atrocitate in propriam carnem ſęviebat, nec poterat ſatiari ſanguine, donec largiter fluebat, quod unicum erat dimidiæ horæ levamen. Obduratus ſanguis novæ pruriginis prodromus exiſtebat. Non enim tam cito ſanguis erat incruſtatus, cùm jam manus ad priſtinam ſævitiam ſe armarent, miſero neque ſatis lacrymis deplorando ſpectaculo.

Applicatis medicamentis primo internis reſolventibus, evacuatione facta generali, ſequente phlebotomia in pedibus, nihil levaminis ſenſit patiens. Deinde externis, Unguentum enim nutritum abſque fructu tribus diebus applicabatur; Nitrum fixum in aëre ſolutum pro ſalis volatilis corroſivi præcipitatione paucula quantitate aquæ ſpermatis ranarum commixtum, noluit obſecundare voto medentis.

Tandem

Tandem cum Antimonii diaphoretic. gr. xv. & bezoard. mineral. gr. VIII. cum vino interne, ſæpius aſſumptis ad diaphoreſin redacta, & aqua Mercuriali exterius ſæpius illita eſſet, ceſſit pruritus, cutiſque, quæ deinde Emplaſtro de Minio conſolidabatur & ægra D. A. evaſit ſana.

Aqua Mercurialis taliter præparatur.

℞. Mercur. Sublim. ℥j. affunde aquæ ℔ j. Coque per horæ quadrantem, ut ebulliat, Servetur pro uſu. Præſentiſſimum alias remedium ad guttam Roſaceam Paracelſi.

Quod autem hoc loco admiratione dignum, erat urina tremula vel ſaltans. Nam urina recens è corpore excreta ſtatim ebullire, & per ſex fere horas ſemper moveri conſpiciebatur cum gravi fœtore, ſucceſſu temporis etiam per integrum diem talis motus continuabat, inexiſtentis contrarii ſalis ſufficiens index. Quę tamen omnia ulterius penſitanda, doctiſſimorum & experientiſſimorum Virorum judicio, relinquenda duco, *Andr. Cnoëffelii.*

Herpes miliaris in capite.

Puellus ſeptennis, temperamenti calidi & humidi, corpore gracilis, geſtu agilis, facie ac ingenio liberalis, bimeſtris quondam infans variolis laboraverat, exactis illis, achores ſubſecuti per ſeptimanas aliquot puelli caput afflixerant, poſthinc ille uſque modò nullo ferè morbo infeſtatus fuit. Aſt Anno Chriſt. 1671. Ratisbonę ſub fine Octobris incipiebat queritari de pruritu ſub capillitio, ac brevi momento poſt fricationem & lavationem capillorum ſenſit levem & obtuſum dolorem capitis, quem mox inſequebantur in vertice ad ſpatium circiter ſemithaleri puſtulæ albidæ parvę milii ſeminis magnitudine, ſine omni ferè humiditate, ſiccæ, cum paucula, & vix ſenſibili intumeſcentia, ſed quùm malo interea nullum remedium adhibebatur, quòd pro levi ac puerili affectu haberetur, temporis progreſſu in tantum adauctum fuit, ut à dicto verticis ſpatio, ubi mali radix certè latuit, ſe dilatans majorem partem capillitii, veluti Ophiaſis ſerpentum more perſerperet. Poſt iteratam capillorum lotionem puſtulæ illæ ſiccatæ granulorum inſtar decidebant, locus rubeſcebat cum pauco ſubtus calore; ſine omni tamen dolore, & triduo poſt granuloſa illa exanthemata ſemper redierunt, citra omnem aliam corporis internam vel externam affectionem, & iſthuc ubi malum ſerpſit, piſi, qui aliàs coloris ſpadicei, parùm albeſcentes, tanquam ad radicem uſque deſiliebant, atque locus quidem affectus conſpiciebatur plane ſanatus, malo tamen alia ſemper loca novo variatim curſu petente; puellus interim in ſuis actionibus vividus, juveniliter exultans, ac animo liberali degebat, præter nunc, cùm neſcio ex quorum intempeſtivo augurio, malum periculoſum & lethale fore percepiſſet, hoc nonnunquam animo revolvens, mœſtus incederet. Multi etenim putarunt ſub malo hoc gravius quid latere, metuentes ne ſubtus cutem eroſiones ſimul cranii ſubſequantur, atque cerebri meninges ipſæmet, cum vitæ periculo exederentur. Præſertim cùm nobiliſſimi Parentes Anno 1671. menſe Julio circa feſtum D. Jacobi filiam ętatis undecimo ac dimidio, morbillis tunc graviter decumbentem & demortuam habuiſſent, quæ per biennium ante hujuſmodi capitis affectu, herpete ſcilicet, infeſtata fuerit, cùm prius affectus hic poſt multas catharroſas fluxiones, & ingentem odontalgiam initium ſumpſerit, tamen abſque ulla ſuperioris capitis ſenſibilitate dolorifica, cæterique corporis ægritudine notabili, ut & Medicus loci ordinarius, cùm eam morbillis laborantem viſitabat, de hac capitis affectione, ejuſque prognoſi, ac curatione ſimul requiſitus, reſponderet, affectum hunc nihil periculi habere, levem & infantilem ſaltem morbum eſſe, itemque facilè profligari, aut temporis progreſſu ſponte evaneſcere. Chirurgus verò quidam arte ſua & ſcientia non incelebris quoque accerſitus, inſpecto ac contrectato loco morbido, ſtatim præſagierat puellam brevi morituram, referens, ſe talem ægrum aliquando vidiſſe, nec eum diu ſupervixiſſe. Quod & hic factum; namque ægra ſub medio morbillorum affligentium ſtatu, ſemper alioquin hilaris pro more conſueto, & morbilios facilè ferens, ſubitò de inſigni cephalalgia queritans, intra paucas horas mortem obierat, & poſt obitum ſpatium illud in vertice morboſum cum mollitie quadam denigratum & ſphacelatum erat inventum, itemque per nares purulenta & fœtida materia profluxerat, non abſque ſuſpicione ulceris ſub cranio latentis. Proinde Parentes eundem eventum in filio metuentes, conſilium ac prognoſticum à me, diverſiſque aliis Medicis anxiè pecierunt. *Ioan: Helvvigii.*

Scholium Helvvigianum] Herpes eſt affectio p. n. quæ & Serpigo dicitur à Serpendo, quod anguium more ſerpere videtur, & quod una parte ſaneſcente, morbus in proxima parte ſerpit, ortum habens à bile flava excrementitia, ſincera ſubtiliori, acri vel exurente, quæ ſenſim, nulloque fluxionis impetu è venis expurgata, tenuitate ſua omnes corporis partes, præcipuè carnoſas tranſgreditur, uſque denſiorem cutem attingat, in qua tandem decumbit, & detinetur, illamque denſitatem cutis exurit, (unde etiam inter inflammationis ſpecies refertur) & aliquando puſtulas milii ſemini ſimiles excitat, quæ aridæ è ruptis pauca, vel nulla materia effluit. Galenus lib. de tumor. p. n. non inconcinnè cenſet, bilem hanc pituitæ quid admixtum habere. Herpetis autem ſpecies Pęccetius lib. 1. oper. Chirurg. cap. 15. cum Barth. Caſtello in Lexico med. dinumerat tres: primam, quæ ſolùm ſerpendo cutem ſuperficie tenus ſaltem exurit ac ſimplex dicitur; alteram miliarem à ſimilitudine, quia in cutis ſeu cuticulæ ſuperficie puſtulæ ſemini milii ſimiles excitantur: has duas, puto, ſecundùm magis & minùs tantùm inter ſe differre. Tertia herpetis ſpecies Gręcis ἐσθιόμενος ſive fera dicitur, ex craſſiore bile orta, totam cutem exulcerare ſolet, ad ſuppoſitam carnem uſque. Secunda ſpecie, miliari ſcilicet, affectum fuiſſe puellum noſtrum, ocularis inſpectio teſtabatur: tertiam verò obſervavi infeſtaſſe Emin. Arch. S. G. C. de T. qui anno 1672. Ratisbonæ affectu hoc afflictus, & Medici convocati ob mali vehementiam & contumaciam valdè defatigabantur; fuerat iſte à natura temperamenti bilioſi, & ſicci. Videatur etiam de curatione hujus mali, cum aliis authoribus *Anth. Saporta tract. de tumor. p. n. l. 2. cap. 7. & 8.*

Additamentum Schrockii.

Quod Latinis Serpigo, & ſerpendo, id Græcis ἕρπης dicitur ab ἕρπειν, quod ſerpere itidem vel repere ipſis denotat. Licet diverſos ex duplici hoc nomine morbos quidam ſibi fingant, cujus ſpecimen videre eſt apud *Guil. Ballonium lib. 2. conſ. Medicin. 28.* de dito herpete cum ſerpigine brachii ſiniſtri conſultantem. Hujus, ut Auctor etiam noſter monet, diverſæ ſunt ſpecies, quarum una miliaris, Græcis κεγχρώδης, i. e. milio ſimilis appellatur, & communiter a bilioſo humore, cum aliqua pituitæ parte commixto, ortum habere ſtatuitur; quam permixtionem in hoc pręcipuè puelli herpete contigiſſe, dicendum erit, cùm doloris abſentia pituitam copioſam inſipidam bili conjunctam, ejuſque actimoniam, dolores excitaturam, abunde teſtetur. Serum autem ſanguinis temperantem abunde teſtetur. Serum autem ſanguinis hîc accuſandum ſæpius eſſe, arbitratur *Paulus Barbette* part. 2. Chirurg. lib. 1. cap. 8. *ductus enim lymphæ* inquiens,

inquiens, *mali conſtituti mutationes in corpore humano producunt, antea ignotas.* Et certè, paulò ſtrictiùs ſi naturam ſequi velimus, potiores hîc ſerum ludere partes, fateri neceſſum eſt, cujus acredinem à ſale in eo vitiato, & acore hoſtili impraegnato, dolorificum inducere ſenſum, nec non lentorem puſtularum generationi perquam adcommodum, nemo eſt qui negare queat; quod ſi ſal illud bilem, & ſerum craſſius pituitam, ad Veterum mentem quis nominet, idem dicturus eſt. Qua vero ratione lymphæ ductus mutationem hanc in corpore producere queant, paucis diſquirendum. Conſpectiora quidem vaſa illa ſeriflua, liquorem ſuum à circumferentia ad centrum vehentia, ſi quid hîc conferant, vix alio modo, quàm ubi obſtructionem patiuntur, quod vel ab ipſo ſero craſſiore fieri poſſet, id præſtabunt, ita ut lympha per meatus iſtos verſus cor reditura, in eos non recipiatur, & ſic reſtagnans ad cutis potiùs circumferenriam feratur. Iſtos tamen lymphæ ductus, ſive ſudoris vaſa excretoria, quæ juxta cum glandulis denſiſſimè in cute eſſe conſita, ſuperiùs Schol. ad Obſervar. 22. ex *Williſio* monui, excretioni huic morboſæ potiſſimùm inſervire credibile eſt, non alia tamen ratione quàm ut canales tantùm ſint, per quos ichor iſte præternaturalis, in glaudulis ſeparatus, ad exteriorem cutis ambitum evacuari queat. Quæ quidem excretio modò univerſalis eſt, qualem adfectum, quem ad herpetem referunt, ex *Hieron. Reuſnero*, *Georg. Hier. Welſchius in Syllog. obſerv. num.* 22. nec non *Exc. D. D. Simon Schulzius* Ephem. Germ. cur. Ann. 3. obſ. 5. deſcribunt; modò particularis, caput, ceu in præſenti Auctoris Caſu, artus ſuperiores, inferiores, aliaſve partes occupans; *Sacer ignis fit maximè in pectore, aut lateribus, aut eminentibus partibus, præcipueque in plantis,* ut habet Celſus lib. 5. de re med. cap. 28. Curationem non multum ab Eryſipelatis recedere, communiter judicant; in quo autem differant, à Galeno lib. 2. de arte cur. ad Glauc. c. 2. docetur; Specialem ſi quis deſiderat, præter alios, odine expoſitam inveniet apud Bald. Timæum caſ. medic. lib. 6. cap. 10. Conſilium etiam in herpete capitis apud Rein. Solenandrum occurrit lib. 2. conſ. 2. Externa inter præſidia, ſaliva quoque hominis jejuni & ſani illita, à plurimis commendatur, qua multum ſæpe effici Barbette teſtatur, & utiliſſimam vocat Cl. D. Frider. Hoffmannus Clav. pharm. Schrôder. lib. 5. ſect. 1. §. 23. Scilicet, quod agnoſcit Exc. D. D. Otto Tachenius cap. 16. Hippocr. chim. Latens in eo alcali, acido iſti morboſo contrarium, vim ipſius pungentem infringit atque abſorbet, vel ſi acidi quid, ut aliis placet, natura ejus unà continet, abſtergendo etiam utilitatem præſtare poteſt; velut ipſum rorem feneſtrarum, ex halitu humano concentrato collectum, ſerpiginibus, ratione ſalis in eo deliteſcentis, abſtergendo, mederi, Venerandus D. Simon Pauli παρεκβ. de febrib. malign. §. 43. auctor eſt. Unde etiam ſalivam tumores, ob ſubtilem ſuam & attenuantem naturam diſcutere Corn. ab Hogelande, notis ad hiſtor. Oecon. animal. p. 73. judicaverat.

Herpes in pectore exedens.

Eminentiſſimus C. S. G. C. de T. temperamenti calidi & ſicci, aſſuetus diætæ liberaliori & vino generoſo, ac iracundia facilè percitus, cùm Anno 1662. ſub initio veris ſentiret moleſtiam circa pectus cum calore quodam præternaturali, infeſtatus pruritu exurente; ac puſtulis parvis cum cutis inflammatione & exulceratione dolorifica valdè, à ſero bilioſo acri, impatiens & ægerrimè ferens malum hoc, convocatis duobus Medicis, ſed non ad guſtum atque placitum ei ſervientibus, poſtulari jubet Monachio Archiatrum-Electoris Bavarici ſupremum, qui ſeverè injuncta diæta decente, alternatis per epicraſin cholagogicis ac bilis fervorem infringentibus, ſimulque externè adhibitis emplaſticis & epuloticis, feliciter priſtinæ ſanitati reſtituit. *Joann. Helvigii.*

De Puella Herpete miliari laborante curata.

Eliſabetha, Joannis Goldneri Conſulis Thorunenſis cognati mei jam piè defuncti, minor natu relicta filiola, annos tredecim nata, Herpete Miliari correpta, per aliquot ſeptimanas malè habuit. Ego ad ipſam Anno 1670. 24. Novembris vocatus, offendi puſtulis exiguis per ſummam totius corporis cutem, excepta facie, veluti ex deuſtione miſerè defœdatam: quæ tamen è collatione ſignorum omnium à tenui & minùs acri humore oriebantur: nam in ſola ſuperficie cutis: milii ſeminibus ſimiles apparebant puſtulæ levi cum pruritu, ob quam ſimilitudinem affectus hic Latinis *Miliaris Herpes* nominatur: Græcis verò quibuſdam poſt Hippocratis ætatem κεγχρίας ob eandem rationem dictus eſt: κέγχρος enim Græcis, Milium nobis dicitur: Atque hæc ſpecies Galeno Autore lib. 2. ad Glauconem Hippocrati generis ſortitur appellationem, cùm ſimpliciter & ſine additione illa Herpes vocatur. Alibi tamen Herpetis nomine Galenus Herpetem Eſthiomenum, id eſt, exedentem intelligit: Hic autem non protinus ulcus facit, ut alter, qui exedens dicitur, ſed admodùm exiguas puſtulas ad ſpeciem Milii, quæ & ipſæ, interpoſito ſpatio, ac procedente tempore, cùm diſrumpuntur, in ulcus abeunt: quod tamen in Herpete Miliari rarò accidere ſolet. Quia verò Puella hæc teneræ conſtitutionis erat, & Medicamenta non adeò grati ſaporis valde averſabatur, præſcripſi ei ſequentia alterantia, quibus ſine nauſea utebatur.

℞. Syr. de endiv. ſem. Cichor. nymphææ an. ℥ij. m. de quibus quotidiè manè & meridie H. 4. unum cochlear cum hauſtu cereviſiæ albæ calidæ: cubitum autem itura de ſequenti Condito ad quantitatem nucis juglandis aſſumebat.

℞. Conſer. rad. cich. ℥iiß. flor. Nymphææ, Viol. an. ʒvj. Lap. cryſt. mont. præp. ℈ij. c. ſ. q. Syr. rubi idæi f. l. art. conditum. Die 29. Novemb. iſtum Syrupum laxativum ordinavi.

℞. Syr. Diaſer. Andern. ʒvj. Pulv. rad. Jalapp. ℈j. Crem. Tart. ℈ß. Aqu. Cinnamomi cord. ʒij. M. poſt cujus uſum purgatio aliquoties ſubſecuta. Die 1. Decemb. alterans.

℞. Syr. de endiv. ſ. de duab. radic. an. ℥iß. quem pro tribus vicibus cum hauſtu cereviſiæ calidæ ebibebat. Die 3. Decemb. bolum laxativum deglutiebat.

℞. Elect. laxat. Extr. fol. Senn. noſtr. ʒv. cum Saccharo, Canar. f. l. art. bolus pro una doſi. Hiſce ita præmiſſis ſequentia ordinata ſunt die 5. Decembr.

℞. Rad. Chinæ pond. non lign. in taleol. ſect. Salſæparil. an. ʒvj. Saſſaf. ʒiij. Santal. Citr. ʒij. Infunde per horas 18. in aqu. font. ℔iſs. cal. tum l. art. decoque in M. B. ſub finem decoctionis adde Cinamomi el. ʒiij. liquirit. raſæ ʒj. Colaturam per reſidentiam optimè depuratam ſerva pro uſu. Hujus decocti ſexies parati quotidè manè & à meridie h. 4. Uncias duas cum Syr. acet. Citri ℥ß. conſumedat, ſubſequente ſudore. Die 17. Decembr. Balneum artificiale hoc paratum eſt.

℞. Rad. Scrophul. Lapatii, Herb. lapp. maj. & min. lent. paluſtr. plantag. Fl. Chamœm. meliloti an. m ij. Herb. fumar. m j. Sulph. vivi, Alum. rochæ. an ʒß. Inciſa craſſiuſculè d. ad Chartam pro Balneo. Die 19. Decembr. Iſthæc inunctio inſtituta eſt.

℞. Rad. Lapath. maj. Enul. an. ℥j. contuſa coq; in ſ. q. aceti ad formam cataplaſmatis, trajectis per ſetaceum adde Sulph. pulv. ʒiß. Alumin. ʒß. Cretæ pulv. ʒij. Butyri non ſaliti, Ung. roſat. Meſ. an. ʒx. Ceræ albæ parum,

parum, f. l. art. Linimentum: quo poſt balneum corpus calidè inungebatur. Inunctionem, quam Valeſcus de Taranta cap. proprio de curatione formicæ miliaris ex lana ovis ſuccida torrefacta & pulveriſata, atque cum aqu. roſar. in pollinem redacta, hoc in affectu inſtar arcani commendat, puella ferre non poterat: Siquidem poſt hujus inunctionem de ſummo dolore conquerebatur. Ab iſtorum uſu puella per Dei gratiam melius habere cœpit: Nihilominùs tamen, partim ad reliquias humoris vitioſi exturbandas Electuarii Laxativi noſtri ℥ſs. partim Epatis corroborandi & refrigerandi gratia tale conditum præſcripſimus.

℞. Conſerv. rad. cichor. roſar. an. ℥ iſs. fl. Cichor. cort. Citri. cond. an. ℥ſs. Spec. Diamarg. fr. ʒ ſs. c. ſ. q. Syr. de endiv. S. F. l. art. conditum. Atque ſic puſtulis in totum evaneſcentibus, puella priſtinæ ſanitati reſtituta jam optime valet. *Simon. Schultzii.*

De Herpete Brachii lethali.

Nobilis quidam ſenex conqneſtus eſt aliquoties de pruritu in ſummo capitis vertice moleſtiſſimo. Incidit in febrim malignam cum horrore maximo. Propinantur bezoardica, intumeſcit collum, eryſipelatode tumore deſcendente ad brachium cum vehementiſſimo calore & dolore, apparentibus veſicis ichore mordaciſſimo pleniſſimis, Pergimus in uſu roborantium & bezoardicorum; Brachio repellentia nulla, ſed extrahentia apponimus. At vires ſenſim decreſcunt; ægerque poſt aliquot dies & ætate & morbo fractus & devictus ad alteram beatam vitam avocatur.

Sholium) Criſis fuit imperfecta, etſi enim pars aliqua malignæ & corruptæ materię per herpetis excitationem excreta, tamen reliquiæ adhuc ſufficientes fuere ad ſuffocandos & extinguendos ętate exhauſtos ſpiritus vitales. Calido enim nativo exhauſto, naturæ quoque vires languent, ita ut in expellendo, etſi excitata & ſtimulata, tamen ſegnis evadat. De criſibus & earum cauſis hìc agendum eſſet, ſed cum ipſe *Galenus l. 3. cap.* 10. Deos immortales invocet, ſe invitum de iis ſcripſiſſe, & in hiſce propoſitis anguſtiis quoq; impoſſibile ſit, aliquid lectione dignum proferre, de iis hoc loco ſcribere ſuperſedeo, *Daniel Wincleri.*

Pro Impetigine & Serpigine.

Duo filioli mei patiebantur diu in brachiis, ventre, ac cruribus feras, triſtes atque flebiles impetigines, quas manè & veſperi juxta ignem illinebam oleo ſulphuris: quo intra paucos dies dolor, pruritus, omniſque infectio ſubmota eſt, nec unquam poſtea recruduit. *Martinus Rulandus curat.* 83. *cent.* 1.

Vir quidam in facie & cruribus impetigine laborans, poſt univerſalia remedia, curatus fuit hoc lavamento.

℞. Malv. cum toto, fol. ſalicis heder. arbor. & lappæ: an. M. j. coq. in vino. Laventur eo crura, & apponatur fol. lappæ; ad idem valet & fol. hederæ appoſitum: ſed & hoc commodè uſus eſt, & ego in aliis quam plurimis expertus ſum.

℞. Fol. ſalic. heder. arbor. lapp. ungul. cabal. an. M. j. coq. in vino Pictavienſi. Deinde apponatur fol. ung. caball: valet egregiè ut experti ſumus, etiamſi in facie ſit, ſinapi recenter molitum, & ſupra linitum, quod quidam pro maximo arcano tenuerunt; etſi apud antiquos quoſdam authores ejus quoque mentio fiat. *Petrus Foreſtus, obſerv.* 10. *lib.* 2. *obſerv. Chirurg.*

Pro hoc malo depellendo quod faciem & maximè mentum deturpabat, quidam infallibili remedio utebatur, ſinapi rec. molito, quo loca impetiginoſa oblinebat, atque eo remedio tum ipſe curatus eſt, tum plurimi alii poſt eum, quibus hoc communicavit conſilium, *Petrus Foreſtus, obſ.* 10. *lib.* 2. *obſ. Chir.*

Mulier quædam impetigine in crure graviter affecta, cum per Chirurgos plurimos curari non poterat, ex conſilio cujuſdam muliercula accepit butyrum ferri ſquammam quæ inter cudendum excutitur, quam pulveriſabat, & cum pice navali (vulgo *Tart.*) componebat linimentum, inungens crus leniter, & curata fuit. Sed poſteà ut ipſamet mihi retulit loco ſquammę ferri, accepit carbones fabriles eoſque pulveriſatos cribo excipiebat, illumque pulverem unà cum butyro & pice navali bulliebat in olla leniter, donec in linimentum coiret: quamvis autem fœtorem ſatis moleſtum ex ſe remitteretur hoc unguentum, egregiè tamen ad rem faciebat, adeo ut hoc ſolo remedio à fœda illa impetigine tandem ſanata ſit.

Dum *Romæ* agerem, poſt febrem, qua corripiebar, malignam, die ſeptimo in fronte apparuerunt impetigines quaſi per modum criſis: inter *Gisbertum Horſtium.* & me concluſum eſt, ut incuratas ſineremus, juxta aphor. 20. ſect. 1.

Tandem tamen cùm poſt aliquot dies viderem eas per ſe non evaneſcere, ſed turpiores evadere, magiſque intumeſcere, omni manè propria ſaliva, idque jejunè, ſimul etiam in die ſæpius perfricavi; nam hoc contra ſerpiginem & impetiginem prę ſertim hominis jejuni valde commendatur: & ita tandem cœperunt ſanari ac evaneſcere abſque ullo alio remedio, neque ullum veſtigium puſtularum in fronte remanſit, aut impetigo iſta reverſa eſt; *Petrus Foreſtus, obſerv.* 13. *lib.* 2. *obſ. Chir.*

Pro impetigine.

Poſt univerſalia remedia unguento infraſcripto egregiè curatus eſt.

℞. Plumb. uſti, minii an. ℥ij. pulv. præcipit. ʒ x i i, litharg. auri antim. camphor. an. ℥ i v. unguent. alb. camphorat. ʒ xvi. omnia commiſcendo probè ducantur cum piſtillo calido quam diutiſſimę in mortario ad unguenti conſiſtentiam: hoc utor fœliciſſime in ſcabie illa dicta *Haervvorm*, quæ ſpecies proculdubiò eſt impetiginis ac ſerpiginis valde feræ: Leviter autem inungitur, ſed purgationibus & univerſalibus remediis ſemper præcedentibus; appellamus autem unguentum album camphoratum cum antimonio: ſed & *Alcmariæ* in officina tale unguentum paratum habebamus ad hanc ſerpiginem *Haervvorm* dictam.

℞. Picis naval. vulgò Tart. ℥j. butyr. majal. axung. porcin. an. ℥ſs. mell. terebinth. an. ʒiiſs. aceti vini ʒiſs. ſal. vitriol. rom. tartari, carthami: an. ʒi. æris uſt. ſulph. an. ʒ ij. fulig. camin. vel cacabi ʒ iij. M. F. unguentum ſ. a. *Petrus Foreſtus. obſ.* 14. *lib.* 2. *obſ. Chir.*

Sulphur cum aceto fœliciter adhibetur: maximè probatur unguentum hoc noſtrum, quod ad omnem impetiginem & ſcabiem tollendam mirifice valet.

℞. Terebinth. lotæ ℥ ij. ceruſſ. ℥ſs. butyr. rec. ℥j. ſulph. ℈ ij. ol. roſ. ℥v. album. ovor. num. 2. F. unguentum: cui adde camphor. & moſch. an. gr. v. item paretur linimentum in hunc modum.

℞. Pulv. lithargyr. pulv. tartar. an. ʒij. ſulph. pulv. ℈ ij. ol. nucum. ℥ iij. aceti roſac. ʒ vj. ceræ q. ſ. F. linimentum. Ubi verò partes jam antea illitas lavare voluerit, aqua utatur chalybeata in qua fraxini folia prębullierint: primùm deturbare vitioſos ſuccos oportet, & ſalubri victus ratione uti, mox localia remedia exhibere exſiccantia, incidentia & detergentia. *Ioan. Zecchius conſult.* 79.

Domina quædam laborabat fœda feraque impetigine utriuſque manus, propter quam tædio maximo afficiebatur; venæſectionem, cathartica & omnia alia remedia reſpuebat, hanc paucis diebus ſic curavi.

℞. Unguenti roſat. ℥iii. præcipitati alb. ʒiij. M. pro litu partium, hoc remedio prædicta Domina Matronam quandam magni nominis, ut mihi retulit, eodem morbo afflictam curavi. *Petrus Pachequus obſ.* 48.

Mulier

Mulier quædam fera impetigine laborans, cum ſummo dolore, irritis omnibus remediis, ſequenti cataplaſmate mirum in modum fuit levata.

℞. Putria poma num. VI. per ſetaceum tranſmittantur, quibus adde ol. roſ. ℥ ij. lactis muliebris parum F. Cataplaſma, parti dolenti admovendum. Longa experientia didici putria poma dolorem magis lenire quam cocta. *Petrus Pachequus.*

Pro Herpete Eſthiomeno.

Ruſtica mulier quinquagenaria hinc inde in coxis, brachiis, utroque genu, & cubito, pectore & facie, maculas habebat elevatas, rubras, ſcabras, aſperas, latè ſerpentes, & de novo hinc inde erumpentes; ad me veniens hoc pacto ſanata eſt.

Præſcripſi vinum purgans pro quatuor vel quinque matutinis, quo bene purgata fuit. Deinde juſſi ſcabras maculas ſemel in die madefacere ſequenti aqua penna ea intincta.

℞. Sublimati ℈ i ß. lithargyr. ʒ ij. borac. ʒ ß. camphor. ℈ j. F. pulvis, adde aq. roſ. & plantag. an. ℥ iv. coquantur, ab illius uſu dolorem aliquem percipiebat, qui tamen mox remiſit: ſtatimque cruſtis ſubluteis maculę hę obduci cœperunt craſſis & duris, quæ cremore lactis aliquoties emollitæ deciderunt, remanente ſubtus cute ſana. *Felix Platerus, obſ. lib. 2. pag. 544.*

Poſt corpus decenter purgatum, & venam apertam, juſſi hac aqua herpetem madefacere.

℞. Lithargyr. ʒ vj. ceruſſ. ʒ iij. vitriol. alb. ʒ ij. aq. roſ. ℥ ij. aq. ſublimat. ℥ ß. aq. virid. [cujus deſcriptionem vide ſupra lib. 6. ſect. 4.] ʒ ij. M. diligenter. Poſtea hoc unguento inunge.

℞. Unguent. popul. & pomphol. an. ℥ j. ſucc. lapath. & acet. ſcillit. an. ℥ ij. litharg. ℥ ß. tartar. ʒ ij. rad. ſerpentar. ʒ j. lap. calamin. ʒ iij. ceruſſ. ℥ ſs. lariceæ parum. ol. de tartaro ʒ ij. F. inſtar. nutriti. Hoc facto aliquandiu, ſanatus fuit. *Idem obſ. lib. 2. pag. 546.*

Alteri ad herpetes hoc unguentum præſcripſi.

℞. Succ. rad. lapath. cyclam. ſerpentar. an. ℥ j ß. limon. ℥ j. litharg. auri ʒ ij. ſulph. thur. an. ʒ j. cryſtall. borac. vitriol. an. ʒ ß. fugitiv. extinct. in ſucco limon. ℥ ß. terebinth. diſſolut. in ol. roſac. q. ſ. adde ol. tartar. ʒ j. F. inſtar. nutriti. *Felix Platerus obſerv. lib. 2. pag. 548.*

Pro Herpete Miliari.

Illicò pharmacum hoc illi propinavi.

℞. Syrup. roſat. ſolut. ℥ iv. diaphęn. ʒ iij. infuſion. tamarind. ℥ iij. M. F. potio qua multa liquida bilioſa egeſſit. Poſtea ſyrupos alterantes calidam intemperiem exhibuimus per aliquot dies.

Tum hæc topica medicamenta ſunt applicata.

℞. Succ. plantag. ſolan. an. ℔ ß. aceti roſac. ℥ ij. M. in quibus pannus lineus intinctus ſuperponatur malo, & ſæpe innovetur. Sed cum malum perſeveraret, cataplaſma hoc applicatum fuit.

℞. Plantag. roſ. ſolan. caud. equin. an. M j. F. decoctio in aq. q. ſ. facta colatura, prædictas herbas in mortario tere, quibus adde farin. hord. lentium, an. ℥ iij. vini granator. acidor. ℥ iij. prædicti decocti q. ad mediocrem ſpiſſitudinem ſufficit. M.F. cataplaſma, applicetur.; at quum exulceratę puſtulæ fuerunt, ad unguentum de plumbo devenimus, quo ſanus exactè factus eſt. *Amatus Luſitanus, cent. 2. curat. 37.*

Ego in pueris puſtulas miliares ſeu herpetes in facie habentibus accipio cretam, oleum oliv. acetum vini, ex omnibus æquas portiones, & linimenti inſtar commiſceo & fœliciſſimè inungo, quo linimento ſi utaris, videbis ſubitaneam admodum curationem, & perbrevem ac ſalutarem. Ad Phlyctænas etiam hoc conducit. Mulierem quandam herpete laborantem curavimus applicatione foliorum farfaræ. *Petrus Foreſtus. obſ. 7. lib. 2. obſ. Chirurg.*

Nos [inquit *Valeſcus, cap. de Cura formicæ miliaris*] vidimus & ſcimus unam mirabilem experientiam qua, ſine alia medicina quacunque præter diętam & purgationes, multi tempore meo curati fuerunt gratia Dei.

℞. Lanam ſuccidam ovis vel mutonis, torrefac. in cacabo ſuper ignem, donec ſit nigra & arſa: tunc pulveriſetur & diſtemperetur cum aq. roſar. vel cum aq. peculi, donec ſit quaſi incauſtum cum quo ſcribimus, & de hoc incauſto bene ſpiſſo cum plurima circumliniatur formica, id eſt, herpes, & fiat hæc linitio bis in die aut ter. nempe in diluculo, veſperi, & in principio noctis & panno lineo contineatur non ſtringendo. Nobili me hercule medicinam in iſto caſu magis expertam; conſtatque ratione, quia deſiccat & ſtringit: in quot locis incipit in tot fiat linitio, quia ægram partem curat deſiccando, & ſanam defendit ſtipticando & roborando. *Idem ſchol. obſ. 7. lib. 2. obſ. Chirurgic.*

Miror cur in herpetibus, inflammationibus, in quibus humectandi & refrigerandi conſilium eſt; non potius ad aquam ſolam recurrimus, quam ad aquam & ſuccum plantag. & ſimilia. *Guil. Ballonius lib. 1. Epid. & Ephem. pag. 106.*

Joan. Heurnius pro herpete miliari hoc ſecretum habuit.

℞. Fęcem vini inter duo lintea, & applica. *Notis ad cap. 4. lib. 7. pathol. Jo. Fernelii.*

Herpetem miliarem aqua calcis vivæ calidè in petiis applicata mitigat: fortius operatur ſi alumen dulce, vel ſaccharum Saturni in eadem ante applicationem diſſolvitur. Sudores pręterea ſunt neceſſarii. Decoctum Perſicarię, ut & folia rubi idæi in aq. & vino decocta herpetes pręſertim tibiarum, non tantum mundificant ſed inſuper ſanant. Balſamum ſulphuris complementum abſolvit. *Io. Hartmannus. pract. Chimiatr. pag. 387.*

Ego fœliciter utor aquis thermarum, quæ brevi tempore ſanant herpetem miliarem, ubi non adſunt hę aquę, ſumatis marinam, aut aquæ ſalitæ adjiciatis ſulphur & alumen, & in hac detineatur membrum. Herpetes verò exedentes ſic curo: quoad totum corpus exhibeo ſerum caprinum, interdum ſarſę decoctum: quoad partem affectam, utor aquis thermalibus Patavinis, aut D. Petri, & fœlici ſucceſſu hoc applico ceratum.

℞. Succ. tabaci ℥ iij. ceræ citrin. noviſſ. ℥ ij. reſin. pini ℥ i ſs. terebinth. ℥ i. ol. myrtin. q. ſ. ad formandum ceratum molle *Hier. Fabrit. ab Aquapend. lib. 1. de Tumor. cap. 28.*

Sæpius expertus ſum unguentum enulatum cum Mercurio in hoc affectu curando plus cæteris omnibus præſtitiſſe. *Ambroſius Paræus. cap. 14. lib. 7.*

Finis Libri Tertii.

BIBLIOTHE-